UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Sebastiani Izqvierdo Alcarazensis Societ. Iesv Regii Senatvs S. Inqvisitionis Hispaniarvm Qvalificatoris, Et Olim Complvti Sacræ Theologiæ Professoris. Opvs Theologicvm, Iuxta atque ...

Vbi De Essentia Et Attribvtis Divinis Vbertim Disseritvr ...

Izquierdo, Sebastián

Romae, 1670

urn:nbn:de:hbz:466:1-77011

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Th. 554a

SD. VII
2.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. SEBASTIANI

IZQVIERDO

ALCARAZENSIS SOCIET. IESV

REGII SENATVS S. INQVISITIONIS HISPANIARVM QVALIFICATORIS, ET OLIM COMPLVTI SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

OPVS THEOLOGICVM.

Iuxta atque philoſophicum de Deo vno.

VBI

DE ESSENTIA ET ATTIBVTIS DIVINIS VBERTIM DISSERITVR.

INTERIMQVE

Vniuerſaliſſima quæque Primæ Philoſophiæ elementa methodo ſcientificà digeruntur, digeſtave ſupponuntur ex Pharo Scientiarum non exiguo reſiduæ Theologiæ, imo & aliarum Scientiarum emolumento, prout in Præfatione ad Lectorem Tom. I. expoſitum eſt.

TOMVS II.

Coll. Soc.tis Jesu Paderb. ibyz.



ROMAE, Ex Typographia Vareſiana. MDCLXX.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

R. P. SEBASTIANI

IZQVIERDO

ALCARAZENSIS SOCIET. IESV

REGII SENATVS S. INQVISITIONIS HISPANIARVM QVALIFICATORIS,

ET OLIM COMPLVTI SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS.

OPVS

THEOLOGICVM.

Iuxta atque philosophicum de Deo vno.

VBI

DE ESSENTIA ET ATTIBVTIS DIVINIS VBERIVM DISSERITVR.

INTERIMQVE

Vniuersalissima quæque Primæ Philosophiæ elementa methodo scientifica digeruntur, digestave supponuntur ex Pharo Scientiarum non exiguo residuæ Theologiæ, imo & aliarum Scientiarum emolumento; prout in Præfatione ad Lectorem Tom. I. expositum est.

TOMVS II.



ROMAE, Ex Typographia Varesiana, MDCLXX.

CVM FACVLTATE SVPERIORVM.

AD LECTOREM.

IN hoc secundo, & vltimo tomo huius Operis eumdem ordinem, quem in primo, Tractatuum, Disputationumque prosequemur. Eàdemque, quantùm materia tulerit, vtemur methodo latè expositâ ibi in Præfatione ad Lectorem, quæ impræsentiarùm pariter relegenda, atque recognoscenda est.

IOANNES PAVLVS OLIVA.

SOCIETATIS IESV PRAEPOSITVS GENERALIS.

CVM Tomum ſecundum Operis Theologici, iuxta atque philoſophici de Deo vno à P. Sebaſtiano Izquierdo noſtræ Societatis Sacerdote, ac Hiſpaniæ Aſſiſtente conſcriptum aliquot eiuſdem Societatis Theologi recognouerint, & in lucem edi poſſe probauerint, poteſtatem facimus, vt typis mandetur, ſi ijs, ad quos ſpectat, ita videbitur. Cuius rei gratiâ has litteras manu noſtrâ ſubſcriptas, ſigilloque noſtro munitas damus Romæ 17. Septembris 1669.

Ioannes Paulus Oliua.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſs. Patri Mag. Sac. Pal. Apoſt.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Viceſg.

Imprimatur,

F. Hyacinthus Libellus Sac. Pal. Apoſt. Magiſt.

INDEX TRACTATVVM, DISPVTATIONVM, ET QVAESTIONVM huius Tomi II.

RRACTATVS IX.

De Scientiâ, atque adeò de Sapientiâ Dei.

DISPVTATIO 23. De scientiâ Dei in communi, & eius obiecto. pag.1.
Quæstio 1. Vtrùm in Deo sit scientia. Et qualis. p.1.
Quæst. 2. Vtrùm in Deo sit scientia per modum actus primi. p.5.
Quæst.3. An detur in Deo simplex apprehensio, iudicium, & discursus. Et qua ratione. p.15.
Quæst. 4. Vtrùm scientia actualis Dei vnus omnino sit simplex actus: vel plures aliquâ ratione distincti. p.19.
Quæst.5. Quotuplex sit scientia Dei. p.23.
Quæst.6. Quomodò Deus cognoscat relationem, & terminum. Vbi de denominationibus extrinsecis, vel semiextrinsecis. p.26.
Quæst.7. Quomodò Deus vnum obiectum in ipsomet, in alio, aut ex alio valeat cognoscere. p.33.
Quæst.8. Quodnam sit obiectum formale, motiuum, & specificatiuum scientiæ Dei. p.35.
Quæst.9. Vtrùm scientia Dei cum suo obiecto metaphysicè connexa sit; aut aliter ad illud relata. p.38.
DISPVTATIO 24. De scientiâ, qua Deus se ipsum cognoscit. p.39.
Quæstio 1. Vtrùm Deus se totum in se ipso cognoscat. Et qua ratione. p.39.
Quæst.2. Vtrùm Deus aliquam sui formalitatem in aliâ, aut ex aliâ cognoscat. p.42.
Quæst.3. Vtrùm Deus se ipsum cognoscat in creaturis. Et qua ratione. p.43.
Quæst.4. An Deus se cognoscat ex creaturis. p.45.
Quæst.5. Vtrùm Deus comprehensiuè se cognoscat. Et qua ratione. p.45.
DISPVTATIO 25. De scientiâ, qua Deus cognoscit creaturas, & cætera extra se ipsum cognoscibilia. p.47.
Quæstio 1. Vtrùm Deus cognoscat creaturas immediatè, & in ipsis met. p.47.
Quæst.2. An, & qua ratione cognoscat Deus creaturas in se ipso, in aliquave formalitate sui, vt omnipotentiâ, scientiâ, ideâ, amore ipsarum creaturarum, &c. p.49.
Quæst.3. Vtrùm Deus ex se ipso cognoscat creaturas. p.55.
Quæst.4. Vtrùm Deus vnam creaturam in aliâ; aut ex aliâ cognoscat. p.56.
Quæst.5. Vtrùm Deus cognoscat non entia. Et qua ratione. p.56.
Quæst.6. Vtrùm Deus cognoscat mala. Et quomodò. p.61.
Quæst.7. Vtrùm Deus cognoscat enunciabilia. Et qualiter. p.62.
DISPVTATIO 26. De scientiâ Dei merè naturali. p.62.
Quæstio 1. Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa creaturas possibiles. Et quibus actibus. p.62.
Quæst.2. Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa chymæras impossibiles. Et quibus actibus. p.64.
Quæst.3. Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa se ipsum. Et quibus actibus. p.66.
DISPVTATIO 27. De scientiâ Dei merè liberâ. p.67.
Quæstio 1. Quid sit, & quotuplex veritas obiectiua contingens. p.67.
Quæst.2. Quid sit in quauis re existente, esse præsentem, esse præteritam, & esse futuram. Quotuplexque sit præteritio, præsentia, & futuritio rerum. p.68.
Quæst.3. Vtrùm propositiones singulares, & absolutæ de futuro contingente, earumque obiecta determinatam veritatem, vel falsitatem habeant. p.70.
Quæst.4. Vtrùm Deus certò cognoscat obiecta contingentia absoluta. p.81.
Quæst.5. Vtrùm obiecta contingentia absoluta in se ipsis cognoscantur à Deo. p.82.
Quæst.6. Vtrùm obiecta contingentia absoluta simul, & semper, atque adeò ab æterno, & in æternum præsentia physicè sint æternitati Dei. A talique præsentiâ subinde habeant, esse cognoscibilia; cognoscique à Deo in se ipsis simul, & semper, atque adeò ab æterno, & in æternum. p.83.
Quæst.7. An, & quomodò cognoscat Deus obiecta contingentia absoluta in se ipso, aut etiam ex se ipso, in aliquâ ve, aut ex aliquâ formalitate sui, vt omnipotentiâ, scientiâ, ideâ, aut volitione de obiectis ipsis. p.83.
Quæst.8. Vtrùm Deus in causâ creatâ proximè liberâ cognoscat effectum futurum. p.88.
Quæst.9. Vtrùm Deus cognoscat sua decreta vt futura. p.90.
DISPVTATIO 28. De scientiâ Dei conditionatâ tum generaliter, tum specialiter acceptâ. p.92.
Quæstio 1. Quid sit obiectum conditionatum: quid scientia, siue notitia conditionata: & quid propositio, seu enunciatio conditionata correspondens tali obiecto & notitiæ. p.92.
Quæst.2. Quotuplex sit obiectum conditionatum: propositio conditionalis: & scientia, siue notitia conditionata. p.95.
Quæst.3. Vtrùm propositio conditionalis, non solùm in sensu illatiuo, sed etiam in coniunctiuo, & causali veritatem, aut falsitatem determinatam habeat. p.98.
Quæst.4. Quid debeat poni ex parte conditionis, & quid ex parte conditionati, vt veritas obiectiua conditionata sit cognoscibilis à Deo. p.102.
Quæst.5. Vtrùm Deus certò, & infallibiliter cognoscat obiecta conditionata necessaria. Et qua ratione. p.109.
Quæst.6. Vtrùm Deus certò, & infallibiliter cognoscat obiecta conditionata contingentia. Et qua ratione. p.113.
Quæst.7. Vtrùm Deus cognoscat contingentia conditionata ante omne decretum actu existens

tens suæ voluntatis. Aut etiam independenter à quouis alio decreto eorum prædefinitiuo. p.127.
Quæst.8. Vtrùm contingentia conditionata de conditione, quam vocant disparatam, à Deo cognoscantur. Et qua ratione. p.177.
Quæst.9. Vtrùm Deus cognoscat sua decreta vt conditionatè futura. Et qua ratione. p.183.
DISPVTATIO 29. De Ideis diuinis. p.189
Quæstio 1. Quidnam idea sit. Et an in Deo sint ideæ. p.189.
Quæst.2. In quonam consistant ideæ diuinæ. pag. 190.
Quæst.3. Quænam alia circa diuinas ideas determinanda restent. p.195.

TRACTATVS X.

De voluntate Dei.

DISPVTATIO 30. De libertate voluntatis in genere. p.198.
Quæstio 1. Quid sit causa libera. Quid necessaria. Et quænam operatio libera, quænam necessaria dicatur. p.199.
Quæst.2. In quo consistat libertas actus primi. Et quid sit liberum arbitrium. p.200.
Quæst.3. Quoruplex sit libertas actus primi. Quotuplex itidem necessitas. p.201.
Quæst.4. In quibus potentijs, seu in quibus rebus libertas actus primi esse possit. p.204.
Quæst.5. Quænam in vniuersùm sint requisita ad libertatem actus primi. p.212.
Quæst.6. Quænam ad libertatem contrarietatis, atque ad libertatem anonymam sint reqnisita. p.239.
Quæst.7. Vtrùm voluntas proximè libera in actu primo per puram omissionem actus secundi suam libertatem exercere possit. Et qualiter. p.243.
Quæst.8. Quænam necessitas opponatur libertati actus primi. p.251.
Quæst.9. Vtrùm omnis causa secunda titulo talis egeat per præuium aliquem Dei concursum præmoueri, siue prædeterminari ad causandum. p.255.
Quæst.10. Vtrùm concursus Dei præuius in physica prædeterminatione consistens, qualis ponitur ab Auctoribus citatis supra quæst.9. num.330.cum libertate causæ secundæ componi possit. p.279.
Quæst.11. Qualiter per prædeterminationem disiunctiuam necessitas vaga, seu disiunctiua ad aliquem, aut ad aliquos actus sub disiunctione veniat voluntati imponenda. p.305.
Quæst.12. Vtrùm imperium efficax voluntatis libertatem ipsius immediatam ad actum imperatum tollat. p.313.
Quæst.13. Qualiter voluntas libera libertate actus primi ad actum secundum liberum sese determinet. p.323.
Quæst.14. Qualiter libertas voluntatis astruenda sit relatè ad tempus, in quo illa exercenda est per actum secundum. p.324.
Quæst.15. Quænam ex parte intellectus sint requisita ad libertatem voluntatis. Et qualiter. p.330.
Quæst.16. Qualiter à libertatibus vnius, vel plurium voluntatum seu differentibus, seu non differentibus inter se actus liberi seu differentes, seu non differentes inter se procedere possint de facto. p.337.
Quæst.17. In quo consistat libertas actus secundi. p.344.
Quæst.18. Vtrùm omne contingenter existens à nutu causæ liberæ ipsius existentiam determinantis debeat necessariò pendere. Et qua ratione. p.355.
Quæst.19. An ex hypothesi, quòd causa prima ageret ex necessitate naturæ, aliqui effectus nihilominùs possent contingentes euadere à libertate causæ secundæ. p.357.
DISPVTATIO 31. De naturâ, & proprietatibus voluntatis Dei in communi. p.360.
Quæstio 1. Vtrùm in Deo sit voluntas. Et qualis. p.360.
Quæst.2. Vtrùm in Deo sit voluntas per modum actus primi. p.363.
Quæst.3. Vtrùm Deus libero arbitrio polleat. Et quale illud sit. p.370.
Quæst.4. Qua ratione volitio diuina libera sit. pag. 375.
Quæst.5. Vtrùm Deus libertatem suam per puram actus omissionem exercere possit. p.425.
Quæst.6. Quomodò volitio diuina sit immutabilis, & æterna. Et qualiter libertas eius cum ipsius immutabilitate, æternitateque cohæreat. p.431.
Quæst.7. Vtrùm libertas voluntatis diuinæ omnium libertatum excogitabilium maxima sit. pag. 436.
DISPVTATIO 32. De obiecto diuinæ voluntatis accepto vniuersè. p.438.
Quæstio 1. Quodnam sit, loquendo vniuersè, obiectum diuinæ voluntatis. p.438.
Quæst.2. Vtrum obiectum formale diuinæ voluntatis sit sola bonitas increata; vel etiam creata. p.442.
Quæst.3. Vtrùm Deus semper, & infallibiliter velit optimum. p.450.
Quæst.4. Vtrùm ex parte obiecti, aut aliunde aliqua causa assignari possit volitionis diuinæ. pag. 468.
Quæst.5. Qua ratione voluntas Dei feratur, aut ferri possit in obiecta relata. p.470.
Quæst.6. An Deus vnum, & idem obiectum velle possit secundùm vnam formalitatem, & non secundùm aliam. Vel secundùm vnam bonitatem, & non secundùm aliam. p.473.
DISPVTATIO 33. De obiectis diuinæ voluntatis in speciali. p.474.
Quæstio 1. Vtrùm Deus se totum amet. Et qua ratione. p.474.
Quæst.2. Vtrùm Deus se totum amet liberè; an necessariò. p.478.
Quæst.3. Vtrùm Deus creaturas amet, ac velit. p.481.
Quæst.4. Vtrùm Deus amet, seu velit creaturas purè possibiles in quantùm possibiles, siue quoad earum esse possibile. p.483.
Quæst.5. Vtrùm Deus necessariò, vel potiùs liberè amet creaturas purè possibiles. Atque etiam iam existentes, seu extituras in aliquâ differentiâ temporis. p.485.
Quæst 6. An voluntas diuina omnia mala odio habeat, aut possit odio habere. Et vtrùm necessariò, vel liberè. p.488.
Quæst.7. Vtrùm Deus aliquo modo possit amare quælibet mala. Et odisse quælibet bona. Vbi de peccato possibili. p.490.
Quæst.8. Qua ratione se gerat voluntas Dei; aut se gerere possit circa non entia. pag. 495

DISPV-

DISPVTATIO 34. De varietate, & passionibus actuum diuinæ voluntatis. p.497.
Quæstio 1. Vtrùm in Deo plures volitiones aliquâ ratione distinctæ concedendæ sint. p.497.
Quæst.2. Quot sunt actus voluntatis specie diuersi excogitabiles; de quibus dubitari potest, an dentur in Deo. p.499.
Quæst.3. Vtrùm in Deo detur amor strictè, & specialiter sumptus. Et circa quæ bona. pag. 501.
Quæst.4. An in Deo detur affectus gaudij. Et circa quæ obiecta. p.504.
Quæst.5. Vtrùm desiderium tam efficax, quàm inefficax reperiatur in Deo. Et quid de alijs affectibus prosequutionis. p.504.
Quæst.6. Vtrùm in Deo detur amor beneuolentiæ; & amicitiæ; atque etiam amor concupiscentiæ. Et circa quæ obiecta. p.507.
Quæst.7. Quinam affectus fugæ reperiantur; aut reperiri possint in Deo. Et circa quæ obiecta. p.509.
Quæst.8. An dentur, vel dari possint in Deo decreta efficacia conditionata ex parte obiecti. Et quid de cæteris actibus ex parte etiam obiecti conditionatis. p.511.
Quæst.9. Quid de decretis, alijsque actibus voluntatis Dei ex parte obiecti disiunctiuis. pag. 520.
Quæst.10. Quousque sit possibile, aut etiam de facto detur in Deo imperium voluntatis reflexum. p.521.
Quæst.11. Quænam alia quæri soleant, aut etiam possint circa actus diuinæ voluntatis. p.523.
DISPVTATIO 35. De moralitate actuum Dei liberorum. p.527.
Quæstio 1. Quid sit moralitas actuum naturæ rationalis. Quotuplex. Et qualis. p.527.
Quæst.2. Qua ratione actus Dei liberi honesti moraliter sint. p.561.
Quæst.3. Vtrùm virtutes morales propriè dictæ reperiantur in Deo. Et quænam illæ sint. pag. 568.

TRACTATVS XI.

De Prouidentiâ Dei in communi.

DISPVTATIO 36. De ordinatione mediorum in finem in vniuersùm. p.579.
Quæstio 1. Quid sit finis. Quid medium. Et quotuplex. p.579.
Quæst.2. Quid sit intentio finis. Quid electio medij. Et quotuplex. p.580.
Quæst.3. Qualiter intentio finis, & electio medij possint, aut debeant inter se distingui, vel non distingui. p.582.
Quæst.4. Qualiter voluntas possit ordinare media ad finem; siue ex intentione finis eligere media. p.585.
Quæst.5. Qualiter inter finem, & media duplex ordo, alter intentionis, & alter exequutionis ponendus sit. p.592.
Quæst.6. Quænam alia circa finem, & media examinanda, atque resoluenda superfint. p.595.
DISPVTATIO 37. De naturâ prouidentiæ Dei, & partium eius. p.598.
Quæstio 1. Quid sit prouidentia diuina. p.599.
Quæst.2. Vtrùm in Deo detur prouidentia omnium rerum. p.600.
Quæst.3. Quotuplex sit prouidentia Dei. p.601.
Quæst.4. Quæ scientiâ sit necessaria, vel vtilis ad prouidentiam Dei. p.605.
Quæst.5. Quinam actus voluntatis, aut etiam omnipotentiæ diuinæ sint necessarij, vel vtiles ad prouidentiam Dei. p.612.
Quæst.6. Vtrùm ad prouidentiam diuinam aliquod imperium ad intellectum pertinens aut necessarium sit, aut vtile. p.615.
Quæst.7. Vtrùm scientia visionis merè libera possit esse causa sui obiecti proximè, vel remotè: sicque conferre ad aliquam prouidentiam Dei. p.618.
Quæst.8. Qualiter scientia visionis, quam Deus habet de nostris actibus liberis, cum eorum libertate benè cohæreat. p.627.
Quæst.9. Vtrùm prouidentia diuina consistat in actu intellectus, vel in actu voluntatis, vel in vtroque. p.631.
Quæst.10. Vtrùm de ratione prouidentiæ diuinæ sit consequi finem intentum. p.632.
DISPVTATIO 38. De prouidentia Dei adiutrice causarum secundarum. p.635.
Quæstio 1. Vtrùm quoduis constitutiuum libertatis voluntatis in actu primo necessariò debeat à Deo decerni per decretum exequutiuum indifferens ad vtrumuis ex actibus secundis liberis. p.635.
Quæst.2. Qualiter per scientiam mediam possit, aut debeat dirigi Deus ad conferendum voluntati creatæ quodlibet ex constitutiuis libertatis eius in actu primo. p.642.
Quæst.3. Qualiter Deus prouideat causis secundis suum concursum generalem. p.647.
DISPVTATIO 39. De prouidentia Dei prædefinitiuâ rerum. p.661.
Quæstio 1. Quid sit, & quotuplex prædefinitio, seu decretum prædefinitiuum actus voluntatis creatæ. p.661.
Quæst.2. Vtrùm decretum Dei prædefinitiuum actus voluntatis creatæ absolutum, & determinatum cum ipsius actus libertate cohærere possit. p.662.
Quæst.3. Qualiter decretum Dei prædefinitiuum actus voluntatis creatæ conditionatum ex parte obiecti cum libertate ipsius voluntatis ad talem actum componi possit. p.676.
Quæst.4. Qualiter decretum Dei disiunctiuum prædefiniens aliquem actum voluntatis creatæ vagè, siue sub disiunctione cum libertate ipsius voluntatis ad talem actum possit componi. p.678.
Quæst.5. Qualiter alij actus aut intellectus, aut voluntatis Dei, qui excogitari possunt connexi cum actu voluntatis creatæ, cum illius nihilominùs libertate componi possint. p.680.
Quæst.6. Vtrùm Deus de facto prædefiniat actus liberos voluntatis creatæ. p.681.
DISPVTATIO 40. De prouidentiâ Dei supernaturali. p.685.
Quæstio 1. Qualis sit voluntas, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, iuxta Apostolum 1. ad Timoth.2. p.685.
Quæst.2. Vtrùm Deus omnibus hominibus prouideat media sufficientia ad salutem. p.690.
Quæst.3. Qua ratione collatio auxilij inefficacis, seu purè sufficientis benefica sit ei, cui confertur; à voluntateque Dei beneuolâ proficiscens. p.692.
Quæst.4. Vtrùm Deus possit decernere auxilium prout inefficax, seu per decretum cum eius inefficaciâ connexum. p.697.
Quæst.5. Qualiter Deus in prouidendis, & conferendis auxilijs efficacibus specialem exer-

cet

ceat beneficentiam erga eos, quibus illa confert. p.699.

TRACTATVS XII.

De Prædestinatione Sanctorum, & Reprobatione Impiorum.

DISPVTATIO 41. De essentiâ, & proprietatibus Prædestinationis. p.704.
Quæstio 1. Vtrùm electio absoluta, & efficax Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa merita possibilis sit, suppositò, quòd in exequutione gloria confertur propter merita. p.704.
Quæst.2. An sit possibilis electio ad gloriam, præuisis meritis, ita, vt ante merita præuisa nulla intentio ipsius gloriæ absoluta, & efficax præcesserit. p.716.
Quæst.3. Vtrùm de facto Deus ante præuisa merita eligat Prædestinatos ad gloriam: vel tantùm post illa præuisa. p.718.
Quæst.4. Quanta sit certitudo tum formalis, tum obiectiua diuinæ prædestinationis. p.725.
Quæst.5. Qua ratione diuina prædestinatio cum nostra libertate cohæreat. Et an homo habeat in suâ potestate prædestinari, vel reprobari. p.727.
Quæst.6. An sit possibilis creatura rationalis, quam Deus non queat ad gloriam prædestinare per eius merita obtinendam. p.729.
DISPVTATIO 42. De causis prædestinationis. pag. 734.
Quæstio 1. Vtrùm, quod antecedit meritum, sub meritum cadere possit, seu esse præmium eius. p.734.
Quæst.2. Quas causas physicas habeat prædestinatio. p.742.
Quæst.3. Quid sit statutum, & certum secundùm fidem circa causam moralem prædestinationis. p.742.
Quæst.4. Vtrùm ex parte Prædestinati concedi possit respectu totius prædestinationis aliquod meritum de congruo, vel aliqua dispositio moralis, vel aliqua impetratio proueniens ex viribus arbitrij ante omne donum gratiæ. pag. 745.
Quæst.5. An per opera ex gratiâ facta mereatur quis, aut mereri possit totam suam prædestinationem. p.755.
Quæst.6. Qua ratione Christus Dominus fuerit causa prædestinationis hominum. p.757.
Quæst.7. An Christus Dominus fuerit causa prædestinationis nostræ, vt electio est. p.761.
Quæst.8. Vtrùm aliquis purus homo fuerit, aut potuerit esse causa prædestinationis alterius. pag. 764.
Quæst.9. An detur aliqua causa, vel ratio ex parte Dei electionis Prædestinatorum. p.765.
DISPVTATIO 43. De effectibus prædestinationis. p.767.
Quæstio 1. Quæ conditiones necessariæ sint, vt aliquid dicatur esse prædestinntionis effectus. pag. 768.
Quæst.2. Quæ bona ordinis naturalis sint effectus prædestinationis. p.768.
Quæst.3. Vtrùm malum, vel permissio eius sit effectus prædestinationis. p.770.
Quæst.4. Quæ dona supernaturalis ordinis sint prædestinationis effectus. p.775.
Quæst.5. Vtrùm gratia, & merita per peccatum interrupta, etiam prout primo collata sint prædestinationis effectus. p.777.
DISPVTATIO 44. De Reprobatione. p.778.
Quæstio 1. Quid, & quotuplex sit reprobatio. pag. 778.
Quæst.2. An Deus ex se ante absolutè præuisa Reproborum peccata eos ad pœnam æternam aut damni, aut sensus destinauerit; vel saltem destinare potuerit. p.779.
Quæst.3. Quas causas habeat reprobatio. p.783.
Quæst.4. Quos effectus habeat reprobatio. pag. 784.
Quæst.5. Quænam de libro vitæ, de numeroque Prædestinatorum, ac Reproborum restent quærenda. p.785.

TRACTA-

TRACTATVS IX.

DE SCIENTIA,

ATQVE ADEO DE SAPIENTIA DEI.

POSTQVAM de Attributis Dei aliquomodo transcendentibus, eoque iure vniuersalioribus ex conceptibus suis in Tomo primo disseruimus; sequitur iam, vt in hoc secundo de Attributis Dei specialioribus, vtpote non transcendentibus, disseramus. In quibus primum sibi vendicat locum Attributum Scientiæ, siue Sapientiæ Dei. A quo proinde incipimus in hoc Tractatu. Vbi opus non erit disputationem philosophicam de Scientiâ in communi præmittere consentaneè ad methodum, quam in præsenti Opere insequimur: eo quòd, quæcunque de hoc argumento dici possent, abundè sunt iam scripta à nobis in Pharo Scient. Quare, quæcunque ad rem ibi sunt dicta de Scientiâ in communi, pro dicendis hìc in speciali de Scientiâ Dei præmissa sunto. Igitur Tractatum hunc in sex diuidemus disputationes. Quarum prima & ordine 23. erit de Scientiâ Dei, & eius obiecto in communi. Secunda de Scientiâ, qua Deus se cognoscit. Tertia de Scientiâ, qua Deus cognoscit creaturas, & alia extra se in vniuersùm. Quarta de Scientiâ Dei merè naturali, seu necessariâ. Quinta de Scientiâ Dei merè libera, seu contingente, quæ circa veritates absolutè contingentes versatur. Sexta de Scientiâ Dei conditionatâ vniuersè. Vbi præcipuè sermo fiet de Scientiâ mediâ inter naturalem, & liberam, quæ circa obiecta contingentia conditionata distenta est.

DISPVTATIO 23.

De Scientiâ Dei in communi; & eius obiecto.

1 STaturâ imprimìs existentiâ Scientiæ diuinæ, de eius naturâ, ac proprietatibus vniuersè tractandum est in hac disputatione. Necnon diuersitas actuum, pluralitasve specierum, quas in se amplectitur, breuiter aperienda; vt de illis sigillatim in sequentibus disputationibus sermo fiat.

QVAESTIO I.

Vtrùm in Deo sit Scientia. Et qualis.

2 SErmo est de scientiâ actuali, siue permodum actus secundi. Accipimus autem hìc scientiam non, prout solet à Dialecticis vsurpari, pro conclusione euidente per demonstrationem acquisitâ; sed abstractiùs pro cognitione, siue notitiâ obiecti certâ, & euidente; vndecunque illa proueniat. Obiectum autem appellatur, quidquid repræsentatur, siue cognoscitur per scientiam. Omisso igitur errore eorum, qui ineptissimè censuerunt, in Deo non dari scientiam, nisi vel causaliter, quatenus scientiam causat in creaturis, vel metaphoricè, vt ei attribui solet ira, vel pœnitentia, de quo S. Tho. quæst. 2. de Verit. art. 1. in corp. & in 1. distinct. 35. quæst. 1. art. 1. ad 2. sit.

Propositio 1.

Deus perfectissimam scientiam habet.

3 Hæc propositio est de fide, expressâ passim in sacris Litteris. Esther. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Psal. 146. *Sapientiæ eius non est numerus.* Psal. 138. *Tu cognouisti omnia nouissima, & antiqua.* Prou. 3. *Dominus sapientia fundauit terram.* Ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, &c.* Quomodò autem scientiâ Dei fide diuinâ credi possit; tametsi ad motiuum fidei diuinæ pertineat intrinsecè, quatenus pertinet intrinsecè ad diuinam auctoritatem in testificando: aliundeque scientiâ euidenti à nobis credituris sit scibilis; constat ex dictis in simili de existentiâ Dei habente vtrumque conditionem supra disput. 1. quæst. 9. Quæ ad rem recognoscenda est.

4 Est etiam propositio nota, & cunctis euidens lumine naturali, vt patet ex communi gentium consensu. Nulla quippe tam barbara natio vsquam fuit, quæ suum Deum non apprehenderet, supponeretque scientiâ præditum. Id enim aperte testantur Sacrificia, Orationes, Vota, cæteriquè cultus vbique Numini exhibiti tanquam scienti, & prouidenti. Quæ veritas, ait S. Tho. lib. 1. contra gent. cap. 44. fine, tan-

tantum apud homines inualuit, vt ab intelligendo nomen Deo imposuerint: nam Theòs, quod secundum Græcos Deum significat, dicitur à theaste, quod est, considerare, vel videre. Id quod etiam ante ipsum notauerant Dionys. de Diui. nomin. cap. 12. prope medium. Clemens Alex. lib. 1. Strom. fine. Nysenus lib. ad Ablabium, *Quod non tres dij* ante medium. Damasc. lib. 1. Fidei cap. 12. in medio, & Athanas. tract. de Definitionibus col. 2. & in Quæstionibus de natura Dei quæst. 2. apud Ruiz disput. 2. de Scient. sect. 1.

5 Ratione etiam demonstratur eadem veritas primò à priori, Quia Deus communi hominum conceptione quoddam ens est, quo nihil melius, atque sublimius excogitari potest, vt disertè notauit Augustin. lib. 1. de Doctr. Christ. cap. 7. de quo nos plura supra disput. 16. quæst. 3. Sed ens scientiâ, & cognitione præditum melius, ac perfectius est eo, quod scientiâ, & cognitione caret, vt ex se patet; & notauit etiam Anselm. in Monologio cap. 14. circa medium: quandoquidem scientia perfectio est simpliciter simplex, id est, melior, quàm opposita inscitia, vel ignorantia, vt est manifestum. Ergo Deus ens scientiâ, & intelligentiâ præditum est. Quo eodem argumento ad id ipsum demonstrandum vsus est Arist. lib. 12. Metaph. text. 51. concludens. *Manifestum itaque est, quòd illud intelligit, quod diuinissimum, honorabilissimumque est.* Confirmatur primò, Quia Deus eodem summæ perfectionis titulo non potest non esse perfectissimum viuens. Sed nulla est præstantior vita, quàm intellectualis; imo aliâ Deus capax non est. Ergo, Deinde, Quia eodem titulo non potest non perfectissimam libertatem habere. Sed sine cognitione perfectâ libertas perfecta stare nequit; vt constat. Ergo. Præterea. Quia nequit pariter non esse summè beatus. Summa autem beatitudo stare sine delectatione non potest: nec delectatio potest sine cognitione constare; vt est notum.

6 Secundò à posteriori. Quia tota hæc rerum harmonia, concentus, & cohærentia, pulchrum hoc, & admirabile Vniuersi artificium, eiusque ordinatissima gubernatio manifestè demonstrant, Auctorem, Gubernatoremque Deum summâ intelligentiâ pollere, ac prorsus infinitâ sapientiâ. Huc faciunt, quæ adiungit Duran. in 1. distinct. 35. quæst. 1. nempe ad perfectissimum causandi modum, qualis primæ causæ debet attribui, spectare, operari per artem, per electionem, & ex præstituto fine. Quæ tria sine cognitione constare non possunt. Accedit, stultum esse vel cogitare inscium, & ignarum eum, qui cæteris communicat scientiam, iuxta illud Psal. 93. *Intelligite insipientes in populis, & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem, non audiet, aut qui finxit oculum, non considerat. Qui corripit gentes, non arguet: qui docet hominem scientiam?* Demum perfectum rerum omnium dominium, perfectæque virtutes morales, quæ Deo manifestè conueniunt, vt iustitia tum remuneratiua meritorum, tum puniti a delictorum, misericordia, beneficentia, liberalitas, & cæteræ huiusmodi, perfectam rerum cognitionem in ipso Deo euidentissimè supponunt. Ex quibus patet, euidentissimum esse rationis naturalis lumine, Deum perfectissimè intelligentem esse.

7 Sed dicet aliquis. De ratione intelligentis est, producere verbum. Sed non est euidens, Deum producere verbum, vt ostenditur in tract. de Trinit. Ergo non est euidens, Deum intelligentem esse. Respondeo, quidquid sit de re ipsa, saltem non esse euidens, quòd sit de ratione intelligentis producere verbum, sumpto verbo pro termino intellectionis. Quo fit, vt cum euidentiâ de intellectione Dei benè cohæreat ineuidentia de productione Verbi diuini.

Tertiò S. Tho. 1. par. quæst. 14. artic. 1. ex 8
summa immaterialitate Dei probat, eum esse summè cognoscitiuum; quasi immaterialitas rei annexam sibi habeat potentiam cognoscendi; & eò sit res magis cognoscitiua, quò magis immaterialis est. Hoc tamen argumentum nonnullas difficultates patitur; in quibus examinandis plures hinc digrediuntur, discutientes interim, an sit possibilis substantia spiritualis, quæ cognoscitiua non sit. Ego verò, remissa in proprium locum hac controuersiâ, ad propriora propero. Videantur Soar. disput. 30. Metaph. sect. 14. & disput. 35. sect. 3. Molin. Valent. & Arrub. ad citatum artic. S. Tho. Fasol. ibid. dub. 1. & 2. Gonzal. disput. 34. Gran. cont. 2. tract. 1. disp. 1. Albiz disput. 1. de Scientia sect. 3. & seqq. Quiros tom. 1. disput. 34. sect. 3. Ribaden. disput. 1. de Scient. cap. 2. Heric. disput. 1. cap. 3. Ruiz disput. 1. de Scient. sect. 3. Quicum alijs Thomistis efficacem argumenti S. Thomæ varijs modis explicare, atque defendere conantur contra Ocham. in 1. distinct. 33. quæst. 1. Gabr. ibid. art. 1. Bassol. quæst. 1. art. 1. consentes, ex immaterialitate non benè inferri cognoscitiuum; atque adeò possibilem esse substantiam immaterialem, quæ cognoscitiua non sit. Quibus consentiunt Arriag. disput. 1. de Anim. sect. 4. num. 139. & sect. 5. num. 169. Ouied. cont. 5. de Anim. pun. 6. vbi rem discutit ex professò, & alij Recentiores. Nec videtur dissentire Hemelm. tom. 1. tit. 1. disput. 3. cap. 3. num. 3. & 4. & tit. 4. disput. 1. cap. 22. num. 25.

Propositio 2.

Scientia Dei verissima, certissima, & euidentissima est. 9

Hæc propositio æquè certa est, ac præcedens, ex eâque manifestè consequitur. Nequiret enim scientia Dei summè esse perfecta, prout loca Scripturæ citata, & argumenta facta demonstrant; nisi ea esset summè vera, siue conformis cum suo obiecto; nisi esset summè clara absque vllâ obscuritatis mixtione; ac denique, nisi omnimodam haberet certitudinem tum subiectiuam, consistentem in immunitate ab hæsitatione, & formidine, tum formalem consistentem in necessitate attingendi verum, siue infallibilitate: falsitas quippè, & fallibilitas, obscuritas, & hæsitatio imperfectiones sunt, vt constat. Et quidem perspicacia, & infallibilitas diuinæ scientiæ specialiter definitur Prou. 24. illis verbis. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit; & Seruatorem animæ tuæ nihil fallit.* Claritas etiam, seu euidentia exprimitur Ecclesiastici 23. dum dicitur, *Oculi domini multo plùs lucidiores, &c.* Et 1. Ioan. 1. *Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt vllæ.* Ex quibus patet, hanc etiam propositionem planè esse de fide.

Addo, omnes actus scientiæ Dei (qua ra- 10
tione sunt plures, atque distincti, de quo postea) æquales esse quoad veritatem, quo ad omnimodam, & claritatem circa quæcunque demum obie-

obiecta illi versentur: quia istæ perfectiones sunt, quæ non ab obiectis desumunt diuinæ actus; sed vel à principio, siue subiecto, vel à se ipsis habent: neque est, cur illas inæqualiter habeant, vt ex dicendis in totâ hac disputatione satis, superque notum fiet.

Propositio 3.

11 Scientia Dei amplissima, atque vniuersalissima est-cuncta pertingens, cuncta penetrans à maximo vsque ad minimum. Idque distinctè, singillatim, & in particulari.

Hæc etiam propositio est de fide, vt vnanimiter docent Theologi, S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 5. & 6. & ibi eius interpretes. Molin. disput. vnica Vazq. & Fasol. in comm. art. Valent. pun. 3. Soar. in Metaph. disput. 30. sect. 11. & lib. 1. de Attributis cap. 3. Herice disput. 5. cap. 1. Ruiz disput. 9. de Scientia, & alij communiter contra errores Auerrois, & Auicennæ. Quorum primus asseruit, Deum nihil præter se ipsum cognoscere. Secundus, cognoscere quidem etiam creaturas, vniuersaliter tamen, non in particulari. Non defuerunt qui putarent, etiam Aristotelem impegisse in errorem Auerrois. Et, quod plus est, Augustinus, ad eum videtur accessisse lib. 83. qq. quæst. 46. cum dixit loquens de Deo, *Non enim extra se quidquam positum intuebatur*. Ad errorem autem Auicennæ clariùs videtur inclinasse Hieron. in illud Abacuc cap. 1. *Mundi sunt oculi tui*, dicens, *Absurdum est ad hoc Dei deducere maiestatem, vt sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quot ve moriantur, quæ cimicum, & pulicum, & muscarum sit in terra multitudo, quanti pisces in aqua natent, &c.*

12 Cæterùm quam longè extiterit Aristot. ab errore Auerrois latè demonstrant Doctores relati, præsertim Soar. & Ruiz. Augustini etiam sensus conspicuus est. Nam agens de Idæis, ad quarum normam Deus cuncta fabricatur, asserit, *Singula igitur propriis sunt creata rationibus. Has autem rationes vbi arbitrandum est esse, nisi in ipsa mente Creatoris. Non enim extra se quidquam positum intuebatur, vt secundùm id constitueret, quod constituebat. Nam hæc opinari, sacrilegum est.* Non ergo negat August. Deum alia extra se cognoscere: sed exemplaria, ad quæ respicit in Mundi fabricâ, non habere extra se. Difficilior videtur sensus Hieron. adeò, vt quibusdam visus fuerit erroneus, quos refert Soar. loco citato de Attributis. Meritò tamen ab ipso reprehenduntur. Tum quia ex contextu loci citati non obscurè colligitur, Hieronymum non negare Deo absolutè scientiam, & prouidentiam illarum rerum minimarum; sed eam tantùm scientiam, ac prouidentiam specialem, quam habet erga homines. A qua certè vel Paulus ipse excluſit bruta animalia 1. ad Corinth. 9. cùm dixit, *Nunquid de bobus cura est Deo?* Tum quia alijs in locis sæpe profitetur Hieron. Deum minutissimarum rerum habere prouidentiam, & scientiam. Vt videre est ad illud Math. 10. *Nonne duo passeres asse væneunt?* Ad illud Ephes. 5. *Gratias agentes semper*. Ad illud Hierem. 32. *Nunquid mihi difficile, &c.* De quibus omnibus plura apud præcitatos Doctores videri possunt. Pergo ad probandam propositionem.

Ea autem constat imprimis ex Scripturâ. 13 Esther. 14. *Domine, qui habes omnium scientiam*. Ecclesiastici 23. *Omnia vidit oculus illius, &c.* Ad Hæbr. 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius*. Iob. 31. *Nonne ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat?* Math. 10. & Lucæ 12. *Nonne duo passeres asse væneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt, &c.* Constat etiam hæc veritas ex dictis propositione 1. Constat ex communi, atque constanti Patrum consensu. Quorum plurima testimonia congerit Ruiz supra sect. 3. Constat ex insitâ, & quasi innatâ existimatione omnium hominum; quorum animis, vt notat Vazq. supra, ita fixum insidet, Deum vniuersa intelligere sigillatim, & in particulari, sicut, Deum esse. Constat ex infinitâ perfectione, qua Scientia Dei pollere debet, quaque defraudaretur haud dubie, si aliquid ipsum lateret, aut minùs distinctè, & singulatim ab eo nosceretur. Constat ex munere causæ primæ, quod Deus habet, & exercet medio intellectu, & voluntate; nec circa singula exercere posset sine peculiari, & distinctâ singulorum notitiâ. Constat ex munere, quod etiam habet, Gubernatoris Vniuersi singula quæque etiam minima ad proprium finem ordinantis, & dirigentis. Constat ex eo, quòd Deus se perfectissimè comprehendit, atque ideo cætera cuncta creata, & creabilia debet cognoscere, vtpote quæ multis titulis ad ipsum pertinent, iuxta dicta de natura comprehensionis supra disput. 17. quæst. 6. Constat denique ex alijs pluribus rationibus, quas congerit Ruiz supra sect. 4. 5. & 6. In quibus non opus est morari. Quæ omnia manifestè conuincunt, Deum distinctè, & in singulari cognoscere, non solum creaturas existentes, sed etiam possibiles, & vniuersim omnia omnino obiecta cognoscibilia; siue ea sint impossibilia, siue possibilia, siue existentia, siue sint positiua, siue negatiua, aut priuatiua: idque; siue ea conditionatè, siue absolutè talia sint.

Ex his apparet, Scientiam Dei idcirco so- 14 lùm dici vniuersalissimam; quia vniuersa cognoscibilia amplectitur sua amplitudine: non; quia illa sub ratione communi, & vniuersali abstractâ à differentijs attingat; vti à nobis attingi solent. Nam hoc genus vniuersalitatis imperfectionem præ se fert alienam à Scientia diuina; vt satis ex se notum est, & ex dicendis ampliùs constabit.

Propositio 4.

Scientia diuina realiter à substantia 15 Dei non distinguitur.

Sermo est de distinctione propriè, & absolutè realj. Quo sensu propositio est certa secundùm fidem, vt omnes Theologi confitentur cum S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 4. Nihil enim re ipsâ esse in Deo, quod absolutè, & realiter non sit ipse Deus, ad eius simplicitatem spectat definitam in Concilio Later. prout habetur cap. *Firmiter* de summa Trinitate, & fide catholica. Constatque ex definitione Concilij Remensis contra Gilbertum. Ex constantique, & vniformi Patrum consensu; quorum vna vox est, Deum realiter esse suam Sapientiam, Cognitionem, Ra-

tionem, Vitam, Deitatem, &c. vt latius ſtabilitum eſt ſupra diſput. 2. de Attributis: & diſput. 11. de Simplicitate Dei; vbi etiam contra Scotiſtas oſtendimus, neque formaliter ex natura rei diſtinguj attributa Dei aut inter ſe, aut à diuinâ ſubſtantiâ. Videatur ad rem, ſi placet, Ruiz tom. de Scientia diſput. 8. per totam, & tom. de Voluntate diſput. 1. ſect. 3. Quomodò autem cum hac veritate componatur, ſcientiam futurorum contingentium eſſe in Deo liberam, & defectibilem, difficultas eſt communis actui libero voluntatis diuinæ; de qua nonnihil tangemus quæſt. 2. acturi latiùs, & ex profeſſo in tract. de Voluntate. Vtrùm verò eſſentia Dei metaphyſica per Scientiam Dei conſtituatur, vel potius Scientia ſit attributum ratione noſtra diſtinctum, conſequenſque ad eſſentiam, (quod in præſenti tractant nonnulli) ſupra diput. 1. quæſt. 10. determinauimus; vbi habet propriam ſedem. Inferiùſque nonnihil etiam tangemus quæſt. 2.

16 Modò ex ſtatutâ propoſitione ſequitur primò; ſcientiam in Deo neque eſſe qualitatem, neque modum, neque aliud genus accidentis realiter ſuperueniens diuinæ ſubſtantiæ. Secundò; in Deo non eſſe pluralitatem actuum ſcientiæ verè, & realiter inter ſe diſtinctorum iuxta obiectorum pluralitatem: vti euenit in nobis. Vtrùm autem diſtinctio aliqua virtualis, ſeu eminentialis, aut æquiualens, vel ſaltem diſtinctio rationis inter actus ſcientiæ diuinæ debeat admitti pro diuerſitate obiectorum, ex dicendis infrà quæſt. 4. conſtabit.

Propoſitio 5.

17 **Scientia Dei vndequaque eſt æterna, ac prorſus immutabilis, & inuariabilis; nec temporis decurſu augeri, vel minui poteſt.**

Hæc etiam propoſitio certa apud omnes reputatur ſecundùm fidem, tanquam contenta in illis Scripturæ locis, quibus Deus immutabilis prædicatur Malachiæ 3. *Ego dominus, & non mutor*. Iacobi. 1. *Apud quem non eſt tranſmutatio, nec viciſſitudinis obumbratio, &c.* Atque etiam in definitione Concilij Lateran. cap. *Firmiter* de Summa Trinitate, & fide catholica; qua immutabilitas Dei definitur (de qua plura ſunt dicta tom. 1. diſput. 7.) In eamdemque conſpirant Patres, quorum plura teſtimonia refert Ruiz tom. de Scientia diſput. 37. ſect. 1. Necnon Scholaſtici cum Magiſtro in 1. diſtinct. 39. & S. Tho. 1. par. quæſt. 14. art. 15. Eſt autem certa apud omnes propoſitio non ſolùm de ſcientiâ neceſſariâ, qua Deus ſe ipſum, & alia obiecta neceſſaria intuetur; ſed etiam de ſcientiâ liberâ contingentium. Et quidem, quod ad ſcientiam neceſſariam attinet, veritas propoſitionis facilè apparet: cùm conſtet, quidquid in Deo eſt neceſſarium, eo ipſo eſſe æternum, & immutabile. Quod attinet verò ad ſcientiam liberam, non ita facilè percipitur, nedum ratione demonſtratur. Varij varias rationes adhibent ad eam oſtendendam. Sed, quidquid efficatiæ habent omnes, ad hanc vnicam reuocatur.

18 Deus infinitâ, qua pollet, vi intelligendi ab æterno cognoſcit, quidquid ab æterno eſt verum, & cognoſcibile. Sed nullum eſt omnino obiectum, quantumuis contingens, quod non ſit ab æterno verum, & cognoſcibile. Ergo nullum eſt obiectum, quantumuis contingens, quod Deus non cognoſcat ab æterno. Conſequentia eſt legitima. Maior ex dictis hactenus conſtat: quia, ſi aliquid ab æterno cognoſcibile lateret Deum ab æterno, ab æterno eſſet Deus alicuius veritatis ignarus. Quod ei repugnat, vt ſtatuimus. Probo ergo minorem. Quia, quidquid in tempore euenit, etiam contingenter, ab æterno futurum fuit. Heri enim, & nudius tertius, & ſic per integram æternitatem retrocedendo, iam verum erat, me hodie ſcripturum hanc paginam, quam tamen contingenter, & liberè ſcribo, vt ſatis ex ſe eſt notum, inferiùſque diſput. 5. demonſtrabitur. Ergo nullum eſt obiectum, quantumuis contingens, quod non ſit ab æterno verum, & cognoſcibile. Quemadmodùm autem, quod accidit contingenter in tempore, per totam æternitatem antecedentem fuit cognoſcibile vt futurum; ita per totam æternitatem ſubſequentem erit cognoſcibile vt præteritum: quia, ſicut hactenus ſemper fuit verum, me nunc ſcripturum hanc paginam; ita poſthac ſemper erit verum, me eam nunc ſcripſiſſe. Ex quo patet, quidquid ſemel eſt cognoſcibile, ſemper cognoſcibile eſſe. Quæ omnia ex dicendis fuſiùs loco citato conſpicua, & manifeſta fient,

Hinc ergo ſequitur primò, Deum nihil poſſe denuo cognoſcere in tempore, quod non præſciuerit ab æterno. Secundò, nihil poſſe ſucceſſu temporis non cognoſcere, quod antea præſciuerit; & conſequenter ſemper neceſſariò cognoſcere, quod ſemel cognouit, & ſemper neceſſariò non cognoſcere, quod ſemel non cognouit: tametſi, quòd illud cognouerit ſemel, vel non cognouerit, contingenter euenerit. Quod eſt, ſcientiam Dei etiam contingentem, ſeu liberam omnino inuariabilem eſſe, nec poſſe decurſu temporis augeri, vel minui. Itaque veritas hæc his duobus nititur principijs, nempe; nullum obiectum eſſe, quantumuis contingens, quod non ſit ſemper cognoſcibile; & Deum non poſſe non ſemper cognoſcere, quod ſemper cognoſcibile eſt. Quibus eiſdem principijs nitetur ſolutio argumentorum, quæ contra ſtatutam veritatem opponi poſſunt, prout ſequitur. 19

Opponitur primò. Ex varietate temporaneâ ſcientiæ liberæ Dei non arguitur benè Dei mutabilitas. Ergo malè ex eo, quòd Deus immutabilis prædicetur in ſacris Litteris, deducitur, ſcientiam eius liberam non poſſe in tempore variari. Conſequentia eſt bona. Probatur antecedens. Quia ſcientia libera reuerà potuit non eſſe in Deo ab æterno abſque alicuius intrinſecæ perfectionis diminutione, atque adeò, quin aliter ſe Deus haberet intrinſecè, quàm ſe habet modò. Ergo, etſi eam Deus in tempore acquireret, vel amitteret, nihil perfectionis acquireret, vel amitteret, neque aliter, quàm antea, ſe haberet intrinſecè. Ergo reuerà non mutaretur. Reſpondeo, etſi Deus reuerà non mutaretur phyſicè ex eo præcisè, quòd ei accreſceret, vel deficeret ſucceſſu temporis ſcientia alicuius contingentis; ſicut nec aliter ſe haberet caſu, quòd ei ab æterno accreuiſſet, vel defeciſſet, vti explicabimus ſuo loco: pateretur nihilominùs viciſſitudinem quamdam in eſſe cognoſcentis & ſibi prorſus repugnantem, & ſui mutationem phyſicam inferentem. Cùm enim ſemper ſit cognoſcibile, quod ſemel cognoſcibile eſt, vt ſtatuimus. 20

mus. Si Deus, quod semel cognoscit, aliquando non cognosceret; & esset alicuius ignarus, quod ei repugnat; & aliquid physicè adæquans vim eius cognoscit uam ipsi pro tempore ignorantiæ deficeret, cuius defectu non cognosceret, quodque haberet pro tempore scientiæ; quod esset physicè mutari. Vtroque ergo titulo huiusmodi vicissitudo in cognoscendo tanquam repugnans Deo reijcitur iuxta consensum Scholasticorum, & Patrum, quoties in sacris Litteris, & Canonicis Deus absolutè immutabilis, & inuariabilis prædicatur.

21 Secundò obijcitur. Scientia libera supra necessariam solum addit respectum rationis ad obiectum contingens, siue denominationem extrinsecam ab illo prouenientem. Sed Deus huiusmodi respectus siue denominationes extrinsecas absque vllâ sui mutatione acquirit in tempore; vt patet in denominatione creatoris, gubernatoris, domini, & similibus. Ergo etiam absque sui mutatione in tempore scientiam liberam posset acquirere. Imprimis nego maiorem. Quia Deus non extrinsecè, sed prorsus intrinsecè denominatur cognoscens obiectum contingens, vt suo loco defendam: quo nihil præstat argumentum. Sed, quidquid de hoc sit, respondeo secundò, idcirco scientiam Dei liberam in tempore incipere non posse: quia neque veritas obiectiua, ex qua illa consurgit, in tempore potest incipere, prout statuimus. In quo differt denominatio scientis, estò dicatur esse extrinseca, à denominatione creatoris, domini, & similibus, quæ ex creatione externa pullulant in tempore accidente.

22 Tertiò obijcitur. Scientia libera eamdem contingentiam sortitur, quam habet obiectum; atque ita non solùm ab æterno, sed etiam in singulis instantibus temporis libera, contingens, & consequenter defectibilis est. Ergo, sicut nunc est possibile, vt Petrus cras non peccet; ita, non obstante æternâ præexistentia scientiæ de peccato Petri cras futuro, possibile est, vt cras talis scientia deficiat; atque adeò, vt mutetur, siue varietur. Respondeo, scientiam Dei liberam esse quidem in singulis instantibus defectibilem absolutè, non verò ex suppositione, quòd existat in reliquis; in nullo quippe potest existere, quin existat in omnibus. Cæterùm, quia hæc suppositio est consequens ad obiecti existentiam, possibilitas obiecti ad non existendum absolutè secum fert possibilitatem, vt absolutè non extiterit scientia. Ex quo etiam fit, per eius immutabilitatem, quæ tantùm infert necessitatem consequentem, nihil derogari libertati. Sed de his latiùs agendum infra disp.27.& disp.37.quæst.8. Ex cuius doctrinâ constabit solutio ad aliud argumentum, quo ex immutabilitate præscientiæ infallibilis, quam Deus habet nostrorum actuum, deducitur, eorum libertatem ablatam iri. De quo ibi.

23 Quartò obijcitur. Deus scire non potest, nisi quod est verum. Ergo nec potest inuariabiliter scire, nisi quod est inuariabiliter verum. Sed contingentia non sunt inuariabiliter vera. Ergo nec sciuntur à Deo per scientiam inuariabilem. Respondeo, veritatem contingentium esse quidem contingentem; sed non esse variabilem, vt hìc accipimus variationem pro mutatione in tempore: quia contingentia, etsi absolutè possint non esse vera; quia possunt absolutè non esse: ex suppositione tamen, quòd semel pro aliqua duratione sunt vera, non possunt non pro omni duratione esse vera; vt ex dictis liquidum est. Ex quo patet, ea inuariabiliter posse cognosci à Deo per scientiam successu temporis omnino immutabilem; tametsi huiusmodi scientia non possit non absolutè contingens esse. Sed dicet aliquis. Veritas obiectiua contingentium ab eorum entitate non differt. Sed eorum entitas ad tempus limitatum coarctatur. Ergo eorum veritas nequit extendi ad omne tempus. Nego maiorem absolutè. Quia veritas contingentium prout talis supra entitatem aliquam denominationem addit. Esse enim entitatem veram, est esse cognoscibilem per cognitionem veram, seu cum eadem conformabilem iuxta dicta in Pharo Scient.disput 3.quæst.1. Constat autem ex dictis, contingentia non solum pro tempore, quo existunt, sed etiam pro quouis alio apta esse cognosci per cognitionem veram: eo quòd cognitio non solùm ea, quæ sibi coexistunt, sed etiam, quæ longè à suâ duratione distant, repræsentare verè valet, vt fusiùs explicabo inferiùs disput.27.

Cæterùm, quanquam omnino certum, 24
atque etiam euidens sit, subindeque penitus illæsum à propositis argumentis, quidquid aliquando est existens, semper esse verum veritate vel de futuro, vel de præsenti, vel de præterito: & consequenter, Deum non posse non in omni tempore aliquam scientiam habere de illius existentiâ, vel prout futurâ, vel prout præsente, vel prout præteritâ: nam alias Deus aliquando alicuius veri esset ignarus; quod ei planè repugnat. Multa tamen sunt, & grauia argumenta, quæ persuadere videntur, in eo, quod aliquando est existens, esse futurum, & esse præsentem, & esse præteritum, diuersas veritates esse obiectiuas, non aliter scibiles verè, quàm ex temporibus diuersis, atque adeò per scientiam successu temporis variabilem. Quæ quidem argumenta latè produxi in Pharo Scient. disput.10. quæst. 3. proposit. 4. & 5. Per illaque probari assumptum respectu intellectus creati ipsâ proposit.4. decreui. Respectu verò intellectus diuini oppositum statui proposit.5. Quòd viderem Patres, & Theologos vnanimiter pronunciare, omnem scientiam Dei esse immunem à temporali variatione. Non enim ausus sum, sicut nec modò audeo, aut eis apertè contraire ob noua fundamenta detecta, aut ipsorum tam absoluto pronunciato limitationem aliquam (estò possem, & fors non incongruè) adhibere. Tametsi, quod attinet ad eorum argumentorum assumptum inter scientiam diuinam, & creatam nullum idoneum discrimen reperire potuerim, quidquid illud exhibere tentauerint Recentiores quidam loco citato à me impugnati. Quare scripta ibi, hìc pariter rescripta putentur vnà cum ijs, quæ ad rem supra tetigi tract. de Æternit. Dei disput.9. quæst. 2.

QVAESTIO II.

Vtrùm in Deo sit Scientia per modum actus primi.

ACtus in vniuersùm iuxta communem, & 25
aptissimam antiquorum phrasim vocatur, quid-

quidquid significatur per verbum, de cuius conceptu est, prout à nobis concipitur, esse exercitium quoddam subiecti respondentis alteri termino, qui apud grammaticos vocatur verbi suppositum. Ob id apud eosdem indubitatum est, verbum sine supposito dari non posse. Quia nimirum exercitium actuale subiecti, quale per verbum significatur, sine subiecto ipso, quod respicit ex proprio conceptu, quodque per verbi suppositum significatur, concipi nequit. Etenim ea est mira intellectus nostri natura pro hoc statu, vt neque exteriùs sine verbo, & nomine, quod sit ipsius verbi suppositum, aliquid affirmare, aut negare possimus, vt ipsa experientia manifestat; neque interiùs aliquid iudicare sine duobus saltem conceptibus obiectiuis, quorum alterum sit subiectum respondens nomini, alterum actus, seu exercitium actuale talis subiecti respondens verbo. Quippe exercitium ex proprio conceptu non potest non distingui à subiecto, cuius est exercitium, vt notum est: nihil enim per se ipsum exerceri concipitur. Quo fit, vt, quidquid illud sit re ipsâ, quod de subiecto iudicamus, siue distinctum ab illo, siue indistinctum, siue intrinsecum, siue extrinsecum, neutiquam à nobis concipi possit, nisi per modum actus ab ipso subiecto distincti, illudque intrinsecè tangentis, atque essentialiter respicientis. Eumdem enim modum concipiendi seruamus semper interiùs, ac significandi exteriùs per nomina, & verba. Itaque non minùs concipimus distinctum à Petro actum existendi, aut essendi animal, cùm dicimus, *Petrus existit. Petrus est animal*: ac concipimus actum currendi, aut videndi pari tem, cùm dicimus. *Petrus currit. Petrus videt parietem.* Nec solùm distinguitur actus ex suo conceptu à subiecto, cuius est actus, quodque per ipsum exercetur; sed etiam à termino, circa quem exercetur. Est enim actus veluti quædam via media subiecti ad terminum. Hinc nata copiosa illa seges respectuum, siue relationum rationis, quam passim Doctores, præsertim antiquiores, nostris conceptibus attribuunt. Toties enim putari potest respectus rationis interuenire, quoties id, quod de subiecto aliquo nostier intellectus iudicare prætendit, à parte rei non est actus eius, quemadmodùm ab ipso concipitur. De quo multò plura sunt dicta à nobis in Pharo Scient. disput. 2. quæst 4. & tota disput. 8.

26 Quoniam igitur iuxta ibi etiam dicta nullus est caterorum verborum actus, qui non præsupponat, & inferat actum significatum per verbum *possum, es*. Semper enim valet. *Currit. Ergo potest currere. Videt. Ergo potest videre. Est. Ergo potest esse, &c.* Idcirco vnus actus verbi *possum, es*, qui in abstracto significatus *potentia* dicitur, actus primus respectu caterorum iure optimo vocatus est; & cæteri respectu eius actus secundi. Idem ergo est in præsenti quærere, an detur in Deo scientia per modum actus primi, ac quærere, an detur in Deo potentia ad sciendum, seu cognoscendum. Et quoniam apud nos quatuor sunt, quæ per modum potentiæ ad actum intelligendi solent concurrere: nempe potentia intellectiua, seu intellectus, isque aut identificatus cum animâ, aut ab eâ distinctus iuxta varias sententias: species impressa gerens vices obiecti: habitus facilitans ad intellectionem, aut ad eam eleuans intellectum: & memor a reseruans speciem rei intellectæ, vt item rum intelligatur. De his quatuor inquirimus in præsenti, an etiam reperiantur in Deo. Non quidem comparatione actus notionalis, quo Pater æternus producit Verbum. De quo in tract. de Trinitate; sed comparatione cognitionis essentialis, siue toti Trinitati communis.

Circa primum prima sententia est asserentium, in Deo reuerà non dari potentiam intellectiuam, siue intellectum per modum actus primi physici, sed solùm purissimum actum secundum intelligendi cum potentiâ logicâ, seu possibilitate ad essendum, aut etiam ad percipiendum obiectum. Ita Ruiz tom. de Scientia disput. 3. sect. 2. & sequentibus, Albiz disput. 2. sect. 2. Heric. disput. 2. cap. 3. Petr. Hurt. disput. 20. Metaph. sect. 2. à §. 21. Fasol. 1. par. quæst. 14. art. 1. dub. 6. Hemelm. tit. 3. disp. 1. à cap. 5. Gaspar. Hurt. tract. de Scient. disput. 1. diff. 4. Salas 1. 2. tract. 11. disput. 2. sect. 6. num. 31. & 34. Zunniga de Trinitate disput. 2. dub. 5. & 20. Sfort. lib. 1. suæ Theologiæ num. 40. Ribaden. disput. 2. de Scient. cap. 2. & apud eos alij. Secunda sententia intellectum per modum potentiæ, seu actus primi absolutè, & reuerà ponit in Deo. Ita Scot. in 1. dist. 2. quæst. 7. & communiter Scotistæ, Vazq. 1. par. quæst. 13. art. 2. num. 30. & disput. 60. cap. 1. & disput. 102. cap. 1. & disput. 119. cap. 3. & sæpe alibi. Molin. 1. par. quæst. 27. art. 5. disput. 2. Gillius 1. par. lib. 2. tract. 1. cap. 12. & tract. 2. cap. 4. Granad. controuers. 2. tract. 1. disput. 1. num. 5. & 6. & disput. 3. sect. 2. Tann. disput. 2. quæst. 11. dub. 5. Alarc. tract. 2. disput. 1. cap. 1. Martin. 1. par. disput. 13. num. 7. Arriag. disput. 15. sect. 3. subsect. 3. Apud quos alij. A quorum sententiâ sine dubio nullâ ratione discrepant, quotquot affirmant, dari in Deo vim, siue potentiam physicam intelligendi; non tamen productiuam, aut receptiuam intellectionis, E quibus videtur esse Soar. disput. 30. Metaph. sect. 5. licèt pro primâ sententiâ citari soleat. Consentiunt etiam Recentiores, qui in Deo admittunt actum primum tantùm intentionalem intellectionis. E quibus est Quiros tom. 1. disput. 35. sect. 3. Tertia sententia ponit in Deo potentiam, siue principium virtuale, æquiualens, siue eminentialem respectu intellectionis; secus formale principium, aut formalem potentiam. Sic docti Recentiores. Quibus consentire videntur Arrub. 1. par. disput. 28. cap. 3. num. 5. & cap. 4. num. 11. Becan. tract. 1. cap. 1. quæst. 1. num. 9. Gonz. disput. 50. num. 30. & alij; dissentientibus nonnullis ex iam præcitatis. Porrò, suppositâ in Deo aliquo ex dictis modis potentiâ physicâ intelligendi vltra logicam, Salas, Arrub. Gillius supra, & alij Recentiores existimant, eam ab essentiâ diuinâ ne ratione quidem nostra distinguendam esse tanquam facultatem superadditam, mediamque inter essentiam Dei, & eius actualem intellectionem. Oppositum tamen censent Molina. Becan. Albiz. Alarc. supra cum Basilio Legion. 1. par. Varia. quæst. 8. schol. cap. 6. Gran. cont. 1. tract. 2. disput. 9. num. 2. & alijs.

Circa secundum Vazq. 1. par. disput. 60. 28
cap. 2. num. 5. Gran. cont. 2. tract. 1. disput. 1. num. 9. Ruiz disput. 4. de Scient. sect. 2. Alarc. supra num. 7. & alij citati à Ruiz proprium conceptum speciei intelligibilis admittunt in Deo reuerà; non quidem ab obiecto impressæ, sed à naturâ habitæ. Illum tamen negant Albiz supra n. 6. Heric. num. 28. Sfort. num 42. cum Aureol. & alijs Recentioribus.

Circa tetrium Enric. in Sum. art. 37. quæst. 1. 29
& 2.

& 2. & Mayron. in 1.distinct.36. quæst.1. art.1. conceptum habitus scientifici attribuunt Deo. Quem tamen negant communiter cæteri Theologi. Salas 1.2.tract.11. disput.2. sect.6. Valent.1. par. quæst.14. pun.1. Soar. in Metaph.disput.30. sect.15.num.10.& sect.16.num.68. & lib.3.de attrib.cap.1.num 1. Ruiz disput.4. de Scient.sect.4. Albiz tract.1. disput.1.sect.1. à num.10. Hemel. tit.4.disput.7.cap.1. Alarc. tract.2.disput.1.cap.1. num.5.Sfort. lib.1. num.42. Fasol. quæst.14.art.1. dubit. 5. Et apud eos alij. Addit tamen Fasolus,dari in Deo habitum minùs propriè acceptum, prout dicit præcisè permanentiam, seu immobilitatem, & promptitudinem, ac delectationem quamdam.

30 Circa quartum multi Patres, & Theologi latiori quodam sensu Deo memoriam tribuunt, eam negantes in strictiori. De quo Ruiz disput.4. citata sect.5.

31 Suppositâ doctrinâ præmissâ num.25. & 26. noto pro resolutione quæstionis ex ibi dictis primò, potentiam quamlibet, cùm sit quidam actus primus ex suo conceptu significabilis per verbum, non posse non à nobis concipi distinctam tum à subiecto cui tribuitur, tum ab actu secundo, ad quem immediatè se habet, vt ad proprium terminum.

32 Noto secundò, diuersis actibus secundis diuersos actus primos, siue potentias correspondere nostro modo concipiendi. Ob id enim in homine potentia ad sentiendum formaliter, seu per rationem nostram diuersa est à potentiâ ratiocinandi. Imo verò omnis formalitatum distinctio à distinctione actuum præsertim primorum, siue potentiarum talis est. Animal quippe nihil est aliud, quàm potens sentire, & rationale potens ratiocinare. In quibus duobus concretis solæ potentiæ sentiendi, & ratiocinandi, quæ sunt eorum concretorum abstracta, distinguntur formaliter, tum inter se, tum à subiecto, cui tribuuntur, quod idem vtriusque potentiæ est. Idem enim subiectum est metaphysicè, quod potest sentire, & ratiocinare. Sicut idem subiectum est physicè, quod sentit, & ratiocinatur. De quo etiam plura sunt dicta in Pharo Scient. tum locis citatis, tum maximè disput.13 quæst.9. Modò illud ex hac doctrinâ mihi certissimâ deducitur, potentiam intelligendi in nobis formaliter ex proprio conceptu à potentia producendi, siue causandi intellectionem diuersam à se: quia actus secundus intelligendi ab actu secundo causandi intellectionem diuersus est. Ob id enim in specie impressâ datur potentia causandi intellectionem sine potentiâ intelligendi, vt constat. Nec est, cur repugnet intellectus in quo vice versâ detur potentia intelligendi sine potentiâ causandi intellectionem. Actus enim ittelligendi in suo conceptu nullam inuoluit causalitatem, siue actum causandi, etsi actus vitalis sit: quia non est actus vitæ physicæ, sed tantùm vitæ intentionalis, præcisè vt est actus intelligendi, seu percipiendi obiectum; vt fusiùs etiam in Pharo disput.2 quæst.1. probatum est. Vnde rursus infertur, potentiam intelligendi in Deo benè sine potentiâ causandi intellectionem componi posse. Deinde ex eâdem doctrinâ deducitur, potentiam, quam logicam vocant, cuius actus est existentia, non posse non ex suo conceptu diuersam esse à potentia intelligendi, quandoquidem actus existendi, & actus cognoscendi ex suo etiam conceptu diuersi sunt, vt notum est.

Noto tertiò, toties conceptum aliquem obiectiuum repertum in rebus creatis posse transferri ad Deum, ita, vt in Deo absolutè, & re ipsâ reperiri dicatur, quoties ille in statu abstractionis, & præcisionis nullam reuerà fert secum imperfectionem, aut formaliter, aut illatiuè. Dico *reuera*: quia imperfectio tali conceptui adiuncta ex nostro modo concipiendi nihil obstat. Absolutè enim, & verissimè dicitur dari re ipsâ in Deo scientia, qua se, & omnia cognoscit: quia cuncta scire vt sic perfectio est sine imperfectione re ipsâ; tametsi huiusmodi scientia non possit non concipi à nobis vt actus quidam medius, distinctusque à subiecto cognoscenti, & ab obiecto cognito, ac se ipso vtrumque respiciens. Quâ ratione in Deo esse non potest: quia magnam vt sic præsefert imperfectionem diuinæ simplicitati aduersantem. Addidi etiam *in statu abstractionis, & præcisionis*: quia non opus est, vt id, quod ex creaturis transfertur ad Deum, sit ab imperfectione immune prout in creaturis reperitur re ipsâ; sed sufficit, si tale sit secundùm eam præcisam rationem, quæ Deo attribuitur, quæque Deo, & creaturis communis est; atque adeò communi etiam nomine propriè de vtrisque prædicatur. Deo quippe non conuenit scientia, qualiter in nobis reperitur, in quibus est qualitas quædam prouenies ab extrinseco, substantiæ superaddita, &c. Quia tamen conceptus percipiendi obiectum euidenter in ipsâ nostrâ scientiâ repertus præcindit ab eo, quòd illa sit qualitas, vel substantia; quod habeatur ab intrinseco, vel ab extrinseco; à cæterisque imperfectionibus: ideo huiusmodi conceptus & Deo, & nobis communis est: scientiæque nomine significatus tam Deo, quàm nobis cum omni proprietate tribuitur. Atque ita dicitur, in Deo propriè scientiam dari, vti datur in nobis; non quia omnes conceptus in nostrâ scientiâ reperti dentur in Deo; sed quia vnus proprius, & specialis nostræ scientiæ conceptus, qui sibi non abs iure nomen scientiæ arrogauit, etiam reperitur in Deo. Quoties verò conceptus in rebus creatis repertus, per aliquodque nomen significatus ab omni labe imperfectionis reuerà præcisus non est, absolutè, propriè, & re ipsâ Deo non potest tribui, vt constat: quia Deus nullam in se re ipsâ imperfectionem pati potest. Sic pœnitentia propriè sumpta Deo non conuenit: quia conceptus pœnitentiæ propriæ supponit pœnitentis peccatum, quod Deo repugnat. Ideim est de obliuione, quæ est quædam ignorantia; & de similibus conceptibus. Qui proinde, si quando Deo attribuuntur, impropriè tantùm, & translatitiè tribuuntur. His positis, sit. 33

Propositio 1.

Potentia intellectiua, siue intellectus per modum actus primi reuerà reperitur in Deo. Sine potentia tamen realiter formaliter productiuà, aut receptiuà intellectionis. 34

Probatur propositio quoad primam partem. Primùm quidem ex constanti loquutione Patrum, & Scholasticorum. Secundùm quam, simpliciter, & absolutè loquendo, intellectus non potest non admitti in Deo, adeò, vt sen-

ten-

tentiam Aureoli illum absolutè negantis notâ temeritatis inurat Ruiz disput. 3. de Scient. sect. 4. num. 3. Patres quippe expressè, & sæpe attribuunt Deo intellectum, vt videre est in Cyrillo lib. 11. Thesauri in fine, & lib. 1. in Ioan. cap. 5. paulò post medium. Damasc. lib. 1. cap. 15. prope medium, & Eusebio Cæsar. de Præparat. Euang. lib. 11. cap. 10. Quibus consentit S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 2. in corp. & lib. 1. contra Gent. cap. 46. & lib. 2. cap. 10. & quæst. 2. de Veritate art. 1. cum alijs Scholasticis communiter. Intellectus autem nihil aliud sonat, quàm potentiam intelligendi. Quam vel Aristot. agnouit in Deo lib. 12. Metaph. text. 39. & 51. Sæpiùs etiam Patres mentem in Deo ponunt; quæ itidem potentiam intelligendi, seu intellectum significat. Sic Dionys. cap. 7. de Diuinis nominibus circa medium, & Irenæus lib. 2. cap. 48. initio. Præter Nazianc. Chrisost. Basil. Nyssen. Athan. Dionys. Alexan. Cyrill. Alexan. Theodot. Damasc. Theophil. Lact. August. & Fulgen. qui Verbum diuinum ex mente Patris procedere docent apud Ruiz disput. 2. de Trinitate sect. 2. Accedit August. qui sæpe in libris de Trinitate, alijsque in locis, & cum eo alij Patres, & Scholastici docent, Verbum diuinum ex memoria fœcundâ Patris procedere, vt in tract. de Trinitate videri potest; insuperque apud Ruiz disput. 4. de Scientia sect. 5. Memoria enim ex directo significato aliud non est ab intellectu, siue potentiâ intellectiuâ; Præterea Iustin. quæst. 3. ad Gentiles inter principium & medium, & alij voluntatem ab actu volendi aliqua ratione distinctam adscribunt Deo. Imò id ipsum præstat sexta Synodus generalis passim definiens, esse in Christo domino duas naturales voluntates, & duas naturales operationes, vt videre est Act. 13. 17. & 18. & in Epist. Agathenis Act. 4. Quo manifestè distinguit Concilium in Deo voluntatem ab operatione volendi. Id quod etiam præstat Paul. ad Phes. 1. dum ait: *Secundum propositum voluntatis suæ*. & sæpe alias sacri Scriptores. Ergo idem dicendum est de intellectu.

35 Nec dici potest, Scripturam sacram, Patres, & Scholasticos nomine intellectus, mentis, voluntatis, &c. tantùm significare potentiam logicam, seu non repugnantiam intellectionis, vel volitionis. Nam impropriè valde, & contra vsitatum loquendi morem possibilitas intellectionis, aut volitionis diceretur intellectus, mens, aut voluntas. Aliequin diceretur duplex in nobis esse intellectus, & duplex voluntas, nempe potentiam intellectiuam, & volitiuam, possibilitatemque intellectionis, & volitionis. Quod est ridiculum. Asserere autem, Scripturam, & Patres tantùm intendere, Deum esse in lineâ intellectuali, siue id habeat per potentiam, siue per actum, adscribere est Scripturæ, & Patribus intentionem repugnantem ipsorum verbis, quæ manifestè præseferunt potentiam intellectiuam, & volitiuam. Nec possunt de potentia virtuali exponi, quæ simpliciter, & absolutè (prout ipsi loquuntur) non est potentia, sed quædam æquiualentia potentiæ iuxta dicenda propositione 3.

36 Deinde ratione probatur eadem pars propositionis primò: quia ab actu secundo ad potentiam necessaria est consequentia, vt est certissimum. Sed Deus verè, realiter, & propriè intelligit in actu secundo. Ergo verè, realiter, & propriè potest intelligere, seu habet potentiam intelligendi. Secundò: quia in conceptu talis potentiæ præcisè sumpto perfectio est ab omni prorsus imperfectione aliena. Ergo talis conceptus reuerà concedendus est Deo, cum omni proprietate loquendo, iuxta doctrinam notationis tertiæ.

Respondent Aduersarij, huiusmodi potentiam non esse physicam, de qua est controuersia, sed logicam consistentem in possibilitate, seu non repugnantiâ intellectionis, quam nullus negat. Sed contra. Quia actus intelligendi, & actus existendi diuersi sunt ex proprio conceptu. Ergo potentia ad existendum, quam logicam appellant, diuersa est ex suo conceptu à potentiâ ad intelligendum iuxta doctrinam notationis secundæ. Neque est, cur potentia ad intelligendum non appelletur physica: quandoquidem in Deo existente physicè reuerà, & physicè reperitur. In quo à possibilitate, siue potentiâ ad existendum differt, quæ potentia logica dicitur, quatenus rei etiam non existenti physicè, sed purè possibili conuenit; eique subinde apprehensæ, vt sicque intentionaliter tantùm, siue logicè existenti in intellectu cognoscentis ab ipso intellectu verè attribuitur. Accedit, quòd potentia ad existendum de ipsâ dicitur intellectione; potentia ad intelligendum non item. Intellectio enim, loquendo propriè, existit, & potest existere; non verò ipsa sumpta præcisè, sed Deus est, qui propriè intelligit, & potest intelligere. 37

Sed objciunt Recentiores primò. De conceptu potentiæ realis est distingui realiter ab actu, cuius est potentia: quia nihil potest realiter se ipsum. Sed distinctio absolutè realis repugnat prædicatis Dei. Ergo & repugnat Deo prædicatum potentiæ realis intellectiuæ. Confirmant. Quia talis potentia neque esse potest actiua, neque passiua, neque vnitiua. Præter has autem non est alia potentia physica excogitabilis. Ergo. Deinde confirmare possent. Quia de conceptu cuiusuis actus est respicere subiectum, & terminum tanquam extrema à se distincta. Potentia autem est actus quidam primus. Ergo. Respondeo, de conceptu potentiæ realis vt sic non esse distinctionem realem ab actu, neque à subiecto, cui attribuitur, nec verum respectum ad vtrumque: etsi ex modo nostro concipiendi ea omnia habeat. Quod non obstat, vt absolutè dicatur potentia realis reuerà in Deo existens. Sicut actus secundus cognoscendi reuerà dicitur esse in Deo, vt notatione secunda dicebam; etsi etiam omnia ea habeat ex nostro modo concipiendi. Ex quo patet ad secundam confirmationem. Itaque verum est, potentiam realem causatiuam, & vnitiuam realiter debere distingui ab actu, vel à termino eius. Hoc tamen ex conceptu peculiari talis potentiæ habet, non ex conceptu communi potentiæ realis. Ex quo patet ad primam confirmationem, præter potentiam actiuam, passiuam, & vnitiuam, plures alias esse veras, & reales potentias; tot videlicet, quot sunt actus veri, & reales; è quorum numero est actus intelligendi in Deo; etsi à potentiâ intelligendi realiter distinctus non sit. Neque ob id dicitur Deus posse se ipsum propriè; etsi dicatur cum proprietate posse intelligere: quia ille modus loquendi alienus est à modo concipiendi nostro, vt & Aduersarij ipsi fateri tenentur. Quia non negant, nec possunt negare, Deum propriissimè dici posse intelligere potentiâ ab intellectione re- 38

ipsâ

ipsâ indistinctâ, qualis est etiam apud eos potentia logica, quam ponunt. Nec tamen concedent, Deum per eam potentiam cum proprietate posse dici, posse se ipsum.

39 Secundò obijciunt ex Aureolo. In nostrâ intellectione non datur prædicatum potentiæ realis ad exprimendum obiectum, sicut neque in actione, aut vnione prædicatum potentiæ ad agendum, aut vniendum. Ergo neque in Deo ad intelligendum. Quia Deus non minus est idem realiter cum suâ intellectione, quàm nostra intellectio cum expressione obiecti, & actio, & vnio cum se ipsis. Respondeo ex vniuersali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 20. propositione 11. sæpeque alibi, quoties alicui actui tanquam subiecto alius actus eiusdem rationis tribuitur, vti euenit in exemplis positis, ambos actus æquiualenter censeri vnum: quia earum multiplicatio non tam ex meritis rei, quàm ex nostro modo iudicandi, superaddendo semper actum subiecto, prouenit. Quo circa potentia ad primum actum etiam ad secundum potest censeri potentia æquiualenter. Tametsi non sit, cur, loquendo formaliter, tàm secundo, quàm primo actui suâ potentiâ non concedatur. Itaque, cognitionem per se exprimere obiectum cognoscenti, & cognoscentem sibi exprimere obiectum per cognitionem, æquiualenter censetur idem, eamdemque proinde sibi vendicans potentiam cognoscentis. Nihil tamen est, quod vetet, præter potentiam cognoscentis ad cognoscendum, siue ad exprimendum sibi obiectum per cognitionem, concedere, loquendo formaliter, aliam potentiam etiam realem in ipsâ cognitione ad exprimendum per se ipsam obiectum cognoscenti. Nam, quo pacto est verum, cognitionem per se cognoscenti exprimere obiectum realiter, eodem est quoque verum, cognitionem realiter posse per se exprimere obiectum cognoscenti. Sicut, quo pacto est verum, cognoscentem exprimere sibi obiectum per cognitionem, siue illud cognoscere realiter, eodem est verum, cognoscentem posse realiter exprimere sibi obiectum per cognitionem, siue illud cognoscere. Similiterque de similibus philosophandum est.

40 Tertiò obijciunt. Potentia, quam Deus habet ad intelligendum, alia non est à potentiâ quam habet, vt sit realiter ipsa intellectio: quia Deus intellectione sibi identificatâ intelligit. Sed ista est potentia logica, qualis est potentia, quam habet vnum prædicatum, vt sit aliud realiter. Ergo. Nego imprimis maiorem. Quia, vt actus essendi, quo vnum prædicatum dicitur esse aliud, ab actu intelligendi diuersus est ex proprio conceptu, vt per se patet; ita potentia ad intelligendum diuersus conceptus est à potentiâ ad essendum, quod vnumquodque est: atque adeò potentia, quam Deus habere dicitur, vt sit realiter sua intellectio, diuersa est à potentiâ, quam habet intelligendi. Deinde admissâ, & non concessâ maioris nego minorem. Quia potentia, quam Deus habet, vt sit realiter sua intellectio, quatenus Deo prout physicè existenti conuenit, non logica, sed physica potentia dicenda est. Quidquid sit de potentiâ, qua res purè possibilis (& consequenter tantùm existens in mente illam cognoscentis intentionaliter, siue logicè) dicitur posse esse id, quod identicè, siue quiditatiuè est.

41 Quartò obijciunt. Deus non habet physicam potentiam, vt sit æternus, immensus, iustus, &c. Sed tantùm potentiam logicam. Ergo neque habet potentiam physicam ad intelligendum: quia non minus est realiter sua intellectio, quàm sua æternitas, immensitas, iustitia, &c. Nego antecedens. Quia non est, cur non dicatur potentia physica, prout condistincta à logicâ, potentia, quam Deus habet, vt sit æternus, immensus, iustus, &c. iuxta dicta num. præcedenti de potentiâ, quam habet, vt sit sua intellectio. Præterquàm quòd non hæc, sed alia est potentia eius ad intelligendum, de qua tractamus, iuxta ibi etiam dicta.

Quinto obijci potest. De conceptu potentiæ intellectiuæ realis est, posse realiter producere, aut saltem recipere intellectionem. Sed nulla datur in Deo potentia realiter productiua, aut receptiua intellectionis. Ergo nec datur potentia intellectiua realis. Hoc argumentum, si quid probat, probat vtique, non dari in Deo veram, & realem intellectionem, qua Deus verè, & realiter intelligit. Quia nequit esse de conceptu potentiæ intellectiuæ producere, vel recipere intellectionem, nisi sit de conceptu intellectionis, produci per potentiam intellectiuam, vel in ea recipi, vt constat. Intellectio autem producta, aut recepta realiter prorsus repugnat Deo. Quare neganda est maior. Quia de conceptu potentiæ intellectiuæ realis tantùm est, habere sibi realiter coniunctum actum intelligendi; siue id per aliquod genus adhæsionis, siue per identitatem fiat. Vnde nec de conceptu intellectionis est produci, aut recipi in intelligente; sed tantùm ei affigi, vel adhæsiuè, vel, prout in Deo reperitur, identicè. Qui verò putant, de conceptu actus vitalis, etiam intentionalis, esse actionem aliquam, aut receptionem physicam, qua causetur à potentiâ vitali; videant, quomodò actus diuinæ intellectionis, qui vitalissimus est, sine huiusmodi causalitate physicâ possit componi; & dicant idem de intellectu diuino. 42

Denique obijci potest. De conceptu potentiæ est exigere actum. Sed exigentia distinctionem importat: quia nihil exigit se ipsum. Ergo de conceptu potentiæ intellectiuæ est distinctio ab intellectione; atque adeò in Deo talis conceptus realiter dari non potest. Hoc argumentum potiori iure probat, non dari in Deo realem conceptum intellectionis actualis: quia magis est de conceptu actus exigere potentiam, atque subiectum, cuius est actus, quàm vice versâ. Quare nihil probat. Respondeo ergo, exigentiam minùs propriè acceptam pro necessitate quadam, seu connexione metaphysicâ non importare distinctionem, atque adeò inter conceptus realiter identificatos benè posse inueniri. Sic enim essentia diuina exigere dicitur personalitates, & è conuersò. Sic voluntas diuina intellectum exigit, & omnis actus secundus in Deo repertus primum sibi correspondentem exigit, id est, talis est ex suo conceptu, vt illum inferat necessariò, nec sine illo possit esse per locum intrinsecum. Ex quo patet, etsi potentia intellectiua exigat intellectionem modo dicto, de quo nunc non curo, nihil habere, cur repugnet, eam in Deo reperiri reuerâ. 43

Postremò obijcitur. Deus est actus purissimus. Ergo nihil habet potentialitatis. Ergo neque potentiam intellectiuam. Hoc argumen- 44

tum, etiam potentiam generatiuam, & spiratiuam, omnipotentiamque communem tollit à Deo. Ex quo patet, illud nihil probare. Respondeo ergo, Deum eatenus esse actum purissimum, quatenus nihil perfectionis ei potest accrescere, quod non habeat à se, ad quodque subinde præsupponatur esse in potentia; prout latiùs explicatum est supra disp. 1. quæst. 12. Hoc tamen non tollit, habere eum potentias ad actus, quos exercet ad intra, & ad extra, quæ nullam omnino ex conceptu potentiæ præseferunt imperfectionem.

45 Venio ad secundam partem propositionis, eamque facilè demonstro. Quia de conceptu potentiæ realiter formaliter productiuæ, vel receptiuæ est, realiter formaliter distingui ab actu, aut saltem a termino producto, aut recepto, vt inconfessò apud omnes est. Ob id enim repugnat, vt idem se ipsum causet, seu efficienter, seu materialiter, vt alibi ex omnium sententia fusiùs ostendimus. Sed intellectio diuina realiter formaliter non distinguitur à substantiâ, seu entitate Dei, vt tanquam dogma catholicum statuimus quæst. 1. propos. 4. Ergo in substantiâ Dei nullus est dabilis verus conceptus potentiæ realiter formaliter productiuæ, aut receptiuæ diuinæ intellectionis. Dixi de conceptu potentiæ productiuæ, vel receptiuæ esse distinctionem saltem a termino: quia controuersum est, an etiam debeat distingui ab actu, medio quo terminus producitur, siue recipitur, adhoc, vt sit etiam respectu talis actus potentia verè productiua, seu receptiua. Alij enim in tract. de Trinitate affirmant, Patrem æternum habere quidem potentiam productiuam respectu Verbi vt termini à se distincti, atque producti; non verò respectu productionis actiuæ secum identificatæ. Alij verò docent oppositum. Sed hæc controuersia fere de solo modo loquendi est. De quo ibi.

46 Aduerto tandem, S. Tho. & alios Patres, si quando negant in Deo potentiam respectu intellectionis, aut volitionis, de hac eos potentiâ productiua, aut receptiua intellectionis intelligendos esse: quia potentiam intellectiuam ab intellectione indistinctam nusquam negant; potiùs nobiscum astruunt, vt vidimus.

Propositio 2.

47 **Potentia intellectiua Dei formalitas est, ratione nostrâ distincta ab alio conceptu reali, qui in substantiâ Dei reperitur, subiecti potentis intelligere, & actu intelligentis.**

Tradit propositionem hanc S. Tho. in 1. distinct. 7. quæst. 1. art. 1. ad 1. vbi ait: *In Deo est omnino idem re essentia, potentia, & operatio, sed differunt ratione.* Loquitur de essentiâ metaphysicâ, prout ab attributis, siue prædicatis diuinis distincta per nostram rationem, consistenteque in vnico, & radicali subiecto omnium eorum, atque adeò omnium actuum Dei, prout latè est à nobis ostensum supra disput. 1. quæst. 10. Probatur autem facilè propositio ex doctrinâ præmissâ num. 25. & 26. Ex eâ enim constat, de conceptu cuiuslibet actus significati per verbum, prout à nobis concipitur, esse, distingui à subiecto, cui attribuitur, & à termino, circa quem versatur. Compertum est autem ex ibi etiam dictis, potentiam intellectiuam Dei actum primum esse per verbum *possum, es* significatum, atque adeo eam non posse non concipi à nobis distinctam à subiecto potenti intelligere, & ab intellectione, qui est terminus talis potentiæ.

Sed objiciunt Recentiores. In nobis ne- 48
formaliter quidem distingue da est potentia intellectiua ab anima, eâsu, quòd dicatur ab eâ non distingui realiter: quia ratio non distinguendi eam realiter, sumpta à sufficiente virtute, quam anima censetur habere sine potentijs superadditis, etiam probat, eam non debere formaliter distingui, atque animæ superaddi, adhuc ratione nostrâ. Ergo multò minus in Deo distinguenda est adhuc formaliter potentia proxima intelligendi ab essentiâ metaphysicâ Dei; quasi hæc principium tantùm remotum intellectionis sit per se non sufficiens ad illam sine potentiâ superadditâ. Confirmant primò: nam, licèt in nobis detur potentia superaddita, tamen id nascitur ex imperfectione naturæ non potentis se solâ intelligere. Ergo in Deo non est concedenda, vbi nulla imperfectio. Secundò: quia natura creata per se est sufficiens ad immediatè producendum suas passiones sine potentiâ superadditâ. Sed intellectio diuina magis connectitur cum essentiâ diuinâ, quam passiones cum creatâ. Ergo. Respondeo ad argumentum, statutâ semel in animâ virtute sufficienti ad suos actus, benè inde inferri, non habere eam potentias sibi realiter superadditas: quia essent realiter superfluæ. Ast, eam ipsam virtutem animæ non concipi à nobis, vt distinctam, & superadditam alteri conceptui, cui eam tanquam subiecto nostro modo concipiendi attribuimus, non video, quo pacto inde inferatur. Alioquin quia anima, vnica cum sit, & indiuisibilis entitas, sufficiens est ad actus diuersos sentiendi, intelligendi, amandi, &c. benè etiam inferretur, non dari in eâ pro actuum diuersitate plures formalitates, seu gradus secundùm rationem nostram distinctos sensitiuæ, intellectiuæ, volitiuæ, &c. quod planè falsum est, & contra ipsos Recentiores, & omnes. Igitur distinctio formalitatum non tam ex naturâ rerum, quàm ex nostro modo concipiendi ducit originem, præsertim ea, quæ fit inter subiectum, & actum seu primum, seu secundum, sine quibus duobus conceptibus nihil possumus iudicare, vt vidimus num. 25. Ex quo patet, quamuis Deus sufficientissimus sit se ipso ad intelligendum absque actu primo, imo & absque secundo realiter superaddito; id nihil obstare, quominùs nos in eo ratione nostrâ distinguamus tres diuersos conceptus essentiæ, potentiæ, & operationis, vt rectè docuit S. Tho. citatus. Ad primam, & secundam confirmationem dico similiter, per eas tantùm probari, diuinam substantiam non egere ad intelligendum potentiâ superadditâ à parte rei, quemadmodùm neque actu superaddito eget; quod non obstat, vt nos in illâ tres prædictas formalitates subiecti, potentiæ, & actus ratione nostrâ distinguamus, quarum vnaquæque ex proprio conceptu perfectissima est in suo genere, nec vllam importat imperfectionem diuinæ substantiæ repugnantem.

Instabis, Ratio principij remoti ex pro- 49
prio conceptu dicit imperfectionem: quia intra

lineam

lineam principij eget iuuamine potentiæ proximæ ad exercendum actum; quo si non egeret, perfectius esset in proprio genere. Ergo nequit dari in Deo reuerà conceptus principij remoti, atque adeò neque potentiæ mediæ inter tale principium, & actum. Concedo totum: quia nihil ad rem facit. Conceptus enim subiecti potentiæ intellectiuæ, quem in Deo ponimus, non est conceptus principij remoti respectu intellectionis; tum quia potentia intelligendi, prout de illà modò agimus, non est principium proximum intellectionis; quia non est potentia causatiua, cui soli competit ratio principij: tum quia, licèt virtualiter sit causatiua intellectionis, vt videbimus proposit. 3. ipsa tamen nullo modo causatur à suo subiecto: ex proprio enim conceptu tantùm habet ei affigi aut adhæsiuè, aut identicè, vt de actu secundo intelligendi dicebamus num. 42. Ex quo patet, huiusmodi subiectum intra proprium genus subiecti diuinorum actuum nihilo egere; atque adeò nec aliquid dicere imperfectionis repugnantis Deo. Potentia enim, qua eget ad actum secundum, conceptus est alterius generis. Nihil autem derogat perfectioni vnius formalitatis in Deo, quòd egeat alterà alterius generis aut absolutè, aut relatè ad aliquod munus, vt patet in naturà diuinà indigente relationibus, & attributis absolutè, & in voluntate indigente intellectione ad volendum, & in aliâ quâuis formalitate Dei indigente alijs, cum quibus ex suo conceptu connectitur iuxta dicta tom. 1. disput. 2. quæst. 9. Et sanè, dum dicunt Recentiores, essentiam Dei sine potentiâ distinctâ ab illâ, adhuc ratione nostrâ, habere sufficientem virtutem ad intelligendum, planè adstruunt in actu exercito, quod negant: nam qui potest concipi, essentiam habere virtutem ad intelligendum, sine duplici conceptu, quorum alter sit essentia, alter virtus, siue potentia ab eâ habita? Quod est formaliter distingui essentiam à suâ virtute, prout nos contendimus. Porrò ex duplici conceptu explicato potentiæ intellectiuæ, & subiecti eius (quod & aliorum actuum Dei est subiectum, essentiaque ipsius metaphysica, prout num. 47. statuimus) conceptus intellectiui coalescit in Deo; qui nihil est aliud, quàm conceptus potentis intelligere in concreto. Sicut gradus rationalis in homine conceptus est potentis ratiocinare.

Propositio 3.

50 **Conceptus intellectiui in Deo principium est à parte rei virtualiter, æquiualenter, seu eminentialiter productiuum intellectionis liberæ, seu contingentis ipsius Dei.**

Plures sunt veritates circa Deum certâ, & indubitatâ fide tenendæ adeò excedentes captum intellectus humani, vt eas neque rationis lumine penitus patefacere, neque per principia naturalia exactè metiri possimus. Ob id Theologi, dum rei difficultate pressi, quo pedem figant, intra rationis spheram non inueniunt, ad eminentiam infinitam diuinæ substantiæ confugiunt, vt inde causam veritatis, quam credunt, alibi non repertam, arripiant. Hoc pacto qui digniùs, & terminis expeditioribus de mysterio Trinitatis loquuntur, distinctionem quamdam eminentialem, seu virtualem ponunt inter essentiam diuinam & relationes, quo possint illis, idem cùm sint re ipsâ, & formaliter, conuenire prædicata contradictoria, prout docet fides, quæ in creatis nisi duabus entitatibus reuerà, & formaliter distinctis nullatenus conuenire possent. Itaque dicunt, etsi paternitas, & essentia realiter formaliter sint prorsus idem, ob suam tamen eminentiam se gerere, ac si realiter formaliter distinguerentur in ordine ad suscipienda præd cata contradictoria; quod ipsum, & non aliud est paternitatem, & essentiam in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria eminentialiter, æquiualenter, seu virtualiter distingui, prout fusiùs explicatum à nobis est in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. Hac eâdem ratione in tractatu de Voluntate ad digniùs, & expeditiùs explicandum mysterium diuinæ libertatis contingentia quædam eminentialis, seu virtualis cum multis Theologis præsertim Recentioribus, qui eam distinctiùs explicarunt, adstruenda nobis est in actibus diuinæ voluntatis. Quæ eadem contingentia modò etiam nobis est necessaria pro explicatione scientiæ liberæ, seu contingentis Dei, qualis est omnis, quam habet de obiecto contingente. Itaque actus Dei liber seu cognitionis, seu volitionis, omnino necessarius cùm sit quo ad entitatem realiter formaliter, in ordine tamen ad denominandum, siue reddendum Deum seu cognoscentem, seu volentem eminentialiter est contingens, id est, ita se gerit, ac si contingens esset reuerà. Quo fit, vt Deus contingenter possit cognoscere, vel non cognoscere, velle, vel non velle obiecta creata; quin aliqua realis formalitas contingenter ei adijciatur, vel detrahatur; hoc solùm, quòd realis formalitas actus Dei virtualiter ei deficere, vel accrescere possit in ordine ad eum denominandum intelligentem, aut volentem. Suppono modò doctrinam hanc explicaturus eam latiùs, & probaturus in tractatu de Voluntate.

Ex qua sequitur primò, intellectionem 51
Dei liberam virtualiter à conceptu intellectiui distingui, quia conceptus intellectiui prorsus est fixus, & stabilis, atque necessarius omnino; conceptus verò intellectionis liberæ fluxibilis, atque contingens est, quoad entitatem quidem virtualiter dumtaxat, seu eminenter, quoad denominationem verò etiam formaliter. Compertum est enim iuxta dicta, formalitatem Dei virtualiter defectibilem à non defectibili virtualiter distinctam virtualiter esse; ne duo prædicata contradictoria, qualia sunt deficere, & non deficere virtualiter, eidem prorsus subiecto conuenire dicantur, quod repugnat. Secundò sequitur id, quod contendit propositio, conceptum intellectiui in Deo virtualiter productiuum esse intellectionis liberæ. Nam, quemadmodum id, quod formaliter realiter est contingens, à se ipso esse non potest, sed ab alio sit, necesse est, realiter formaliter, vt est notissimum, constansque ex demonstrationibus factis supra disput. 1. quæst. 7. ita quod virtualiter est contingens, qualis est formalitas intellectionis liberæ Dei, non potest non ab alio habere esse virtualiter. Hoc autem aliud esse non potest, nisi conceptus realis intellectiui Dei, siue potentis intelligere, qui realiter simplicissimus est; etsi nostro modo concipiendi ex subiecto intelligente, & ex potentiâ

ad intelligendum coalescat: subindeque realiter intellectus Dei dici potest; quemadmodùm in sententiâ non distinguente realiter potentias ab animâ, anima ipsa prout potens intelligere dicitur intellectus; tametsi conceptus potentis intelligere ratione nostrâ, non solùm potentiam ad intelligendum, sed etiam subiectum intelligens, intellectiuumque complectatur.

52 Ex quo patet, quàm facilè in nostrâ sententiâ assignetur vera, & realis formalitas Dei à formalitate intellectionis diuersa, ac virtualiter distincta, cui conueniat, esse principium virtuale eius. In qua quidem assignandâ non parum vexantur Recentiores; tandemque dicunt, huiusmodi formalitatem esse necessitatem, quam Deus habet cognoscendi quoduis obiectum, casu, quòd sit. Sed malè profectò primò: quia necessitas cognoscendi obiectum, quod est, nihil est aliud ex suo conceptu, quàm potentia cognoscendi cum impotentiâ non cognoscendi obiectum, quod est. Ergo formalitas, quam assignant, aut est potentia physica cognoscendi, aut potentia logica annectens sibi negationem potentiæ non cognoscendi. Sed non est logica: tum quia ipsi expressè fatentur: tum quia intellectio à suâ potentiâ logicâ, quæ est eius possibilitas, seu non repugnantia, virtualiter produci non potest, vt constat. Ergo est potentia physica. Ergo iam datur in Deo potentia physica cognoscendi verè, & formaliter, quam tam contentiosè impugnabant ijdem Recentiores, vt vidimus proposit. 1. quæque principium est virtuale ipsius intellectionis. Secundò necessitas cognoscendi non est formalitas veluti per se stans, sed quasi affectio alteri adiacens, vt patet: tum necessitas cognoscendi non est cognoscens; sed id ratione cuius cognoscens necessariò cognoscit. Ergo præter huiusmodi necessitatem alium conceptum deberent assignare reuerâ existentem in Deo, cui & ipsa cognoscendi necessitas, & virtualis productio ipsius cognitionis competeret; qui est conceptus intellectiui à nobis assignatus. Stet igitur, verum, & realem conceptum intellectiui Dei, siue potentis intelligere, quem adstruximus propos. 1. virtualiter esse productiuum diuinæ intellectionis liberæ quoad entitatem: quia entitas diuinæ intellectionis in ordine ad denominandum Deum intelligentem perinde se habet, posito obiecto contingenti, ac si produceretur denuò à tali principio determinato ad huiusmodi productionem per ipsum obiectum.

53 Deinde propositio nostra probari potest. Quia, licèt de conceptu vitæ intentionalis non sit emanatio actus à subiecto viuenti, vt diceba-mus num. 32. Viuens tamen perfectiùs, ac pleniùs viuere censendum est, quod non solùm vitam intentionalem, sed etiam physicam exerceat. Ergo, cùm Deus sit perfectissimum viuens, non solùm quoad notionalia, sed etiam quoad essentialia, quoad hæc item est ei tribuenda vita physica in productione suorum actuum consistens. Cùmque productio realis formalis ei non queat attribui multas, quas fert secum imperfectiones; tribuenda est vtique realis virtualis, quæ ab omni prorsus imperfectione defæcata est: præstat enim quoad æquiualentiam munia veræ, & formalis productionis; cùm verè productio non sit: atque ita commoda productionis formalis sine eius incommodis secum fert.

54 Præterea. Vbi nullus est influxus alicuius causæ, impossibilis est libertas: hæc enim tu secundo nihil est aliud, quàm denominatio desumpta ab indifferentiâ principij, à quo actus ita procedit, vt posset non procedere. Et quidem dominium supra actum secundum ad eum pro arbitratu exequendum, vel non exequendum, compertum satis est ex se, nisi in causâ effectiuâ actus reperiri non posse: subiectum enim nullam in actum exercens causalitatem dominium eius habere nequit, vt ex se patet. Sed in Deo propriissima, ac perfectissima reperitur libertas, atque dominium respectu actuum suæ voluntatis. Ergo & reperitur principium effectiuum eiusmodi actuum. Non formale: quia hoc Deo repugnat. Ergo virtuale. Quòd si respectu actuum liberorum voluntatis diuinæ principium virtuale concedendum est, etiam respectu actuum liberorum, seu contingentium diuini intellectus concedi debet: tametsi eorum libertas non immediatè competat illis relatè ad ipsum intellectum: qui liber non est: sed remote relatè ad aliquam voluntatem, quatenus hæc per liberam positionem obiecti determinat ad virtualem elicientiam suorum actuum ipsum intellectum diuinum.

Rogas, an intellectio diuina libera non solùm producatur virtualiter à principio intellectiuo, sed in eo etiam virtualiter recipiatur. Respondeo cum Arriaga 1. par. tom. 1. disput. 24. sect. 2. sub finem. Martin. 1. par. disput. 13. sect. 1. num. 6. & alijs Recentioribus receptionem virtualem sine inconuenienti posse diuinæ intellectioni concedi non minùs, quàm virtualem productionem, de factoque concedendam esse ab ijs, qui putant, de conceptu actus vitalis in vniuersùm esse immanentiam per receptionem. Apud me verò talis receptio necessaria non est: quia puto, actum vitalem intentionalem per intimam sui coniunctionem cum potentiâ vitali, siue ea sit identitatis, vt in Deo, siue vnionis, siue adhæsionis, vt in nobis, reddere ei sufficienter suum effectum formalem, præcisâ quâuis non solùm receptione, sed etiam productione. Vnde consequenter existimo, ad exercitium vitæ physicæ circa talem actum sat esse, quòd principium intellectiuum, ac simul productiuum illum sibi annexum, seu coniunctum aliquo ex dictis modis producat; hæc enim est sufficiens immanentia ad rationem vitæ etiam physicæ, præscindendo ab eo, quòd productio sit simul receptio, vel secus. Vnde productio virtualis intellectionis Dei ad instar creationis est concipienda non dependentis à subiecto tanquàm à causâ materiali. 55

Rogas deinde, an duplex principium virtuale intellectionis liberæ sit admittendum, alterum proximum, alterum remotum. Respondeo ex dictis, minimè: tum quia principium remotum ex proprio conceptu dicit imperfectionem, vt constat ex argumento facto num. 49. tum quia hæc principiorum multiplicatio frustranea esset in Deo: tum denique quia nec per rationem distinguimus in Deo duo principia in ordine ad dictam intellectionem, alterum remotum, alterum proximum, licèt distinguamus duos conceptus, potentiæ videlicet intellectiuæ, & subiecti potentis intelligere, vt vidimus dicto num. 49. re ipsâ tamen ne isti quidem duo conceptus sunt distinguendi virtualiter: quia nihil cogit ad distinguendam virtualiter potentiam intellectiuam à subiecto potente intelligere. 56

gere. Virtualitas autem in Deo admittenda non est, nisi, quando sine illâ veritas aliqua saluari non potest, vt latiùs dictum est in Phro Scient. disput. 13. quæst. 6. iam citatâ. Itaque conceptus intellectiui, siue potentis intelligere, cui competit virtus ad producendum virtualiter intellectionem liberam, ab eâque subinde virtualiter distinctus est, in se re ipsâ vnicus est, & simpliciſſimus; tametsi ratione nostrâ ex duplici formalitate prædictâ coalescat; atque adeò principium virtuale intellectionis nullatenus est duplex, sed prorsus vnum.

57 Iam verò argumenta, quibus statuta propositio impugnari solet, aut militant contra contingentiam virtualem, quam modò circa actus Dei liberos supponimus, probandam latè, & defendendam in tract. de Voluntate; aut vniuersaliter huiusmodi virtualitates, quas etiam modò supponimus, à Deo reijcere contendunt; nec quidquam ad rem præsentem specialis difficultatis adferunt. Ob id ea ad dictum tract. remitto, vbi per otium proponenda, ac diluenda sunt.

Propositio 4.

58 **Conceptus intellectiui in Deo etiam est principium à parte rei virtualiter productiuum intellectionis necessariæ ipsius Dei.**

Duplex in Deo est distinguenda intellectio necessaria. Altera, quâ se ipsum cognoscit. Altera, quâ cognoscit quoduis aliud obiectum necessarium distinctum à se, vt creaturas possibiles, & chymæras impossibiles quatenus tales. Et prima quidem non solum quoad entitatem, sed etiam quoad denominationem est tam necessaria, quàm ipse Deus. Secunda verò, etsi quoad entitatem sit etiam talis; quoad denominationem tamen necessitatem habet infinitè minorem necessitate Dei. Quia denominatio cognoscentis in Deo non potest maiorem necessitatem habere, quàm habet veritas obiectiua cognita ab ipsâ: ob id enim, quando veritas obiectiua est contingens, & denominatio, qua Deus denominatur cognoscens illam, contingens est, vt est notissimum. Constat autem ex doctrinâ statutâ à nobis supra disput. 3. quæst. 2. necessitatem, quam habet omnis veritas obiectiua distincta à Deo, infinitè minorem esse necessitate Dei.

59 Hinc sequitur primò, omnem formalitatem intellectionis Dei de obiecto necessario distincto ab ipso distinctam virtualiter esse à conceptu intellectiui ipsius Dei: quia conuenit illi prædicatum tali conceptui non conueniens re ipsâ, minoris scilicet necessitatis in existendo virtualiter, minorisque subinde repugnantiæ cum suo defectu virtuali. Conceptus enim intellectiui Dei eamdem, ac Deus, habet necessitatem ad non deficiendum tam virtualiter, quàm formaliter, vt constat: illa verò formalitas intellectionis hoc ipso, quòd tribuit Deo denominationem minùs necessariam in existendo, quàm est Deus, nequit non habere minorem necessitatem, quàm Deus, ad non deficiendum virtualiter iuxta doctrinam suppositam num. 50. quandoquidem iuxta illam non aliter, quàm per defectum virtualem ipsius formalitatis, concipi potest deficiens, seu defectibilis formaliter talis denominatio. Atque ita verum est per locum intrinsecum, datâ hypothesi, quòd talis denominatio deficeret formaliter, fore, vt formalitas à quâ modò prouenit Deo, deficeret virtualiter, perſistente nihilominùs ipso Deo formaliter, & virtualiter cum infinitè maiore necessitate.

Secundò sequitur id, quod intendit pro- 60
positio, nimirum, conceptum intellectiui in Deo productiuum esse, atque adeò producens virtualiter formalitatem intellectionis Dei de obiecto necessariò distincto ab ipso. Quoniam eiusmodi formalitas nequit non esse virtualiter ab alio, vt à principio ipsam virtualiter producente eo ipso, quòd minorem necessitatem habet, quàm Deus, ad non deficiendum virtualiter. Si enim non solùm formaliter, sed etiam virtualiter esset à se, eam necessitatem haberet ad non deficiendum tam virtualiter, quàm formaliter, quâ maior alia nec dabilis, nec excogitabilis esset: quandoquidem Deus idcirco eam necessitatem habet ad non deficiendum tam virtualiter, quàm formaliter, qua maior alia nec dabilis, nec excogitabilis est; quia omnimodis est à se tam virtualiter, quàm formaliter. De conceptu quippe entis à se vniuersè est summa necessitas in existendo, atque adeò in non deficiendo eâ ratione, qua est à se. Quod si prædicta intellectionis formalitas ab alio tanquam à suo principio virtualiter est, vtique à conceptu intellectiui, qui ipsissimus est Dei intellectus, virtualiter est, vt satis, superque constat ex se, & ex dictis. Concluditurque, dictum conceptum intellectiui in Deo principium esse virtualiter producens omnem intellectionem necessariam, quam Deus habet de omni obiecto necessario distincto à se.

Ex quo à paritate rationis sequitur ter- 61
tiò, dictum conceptum intellectiui in Deo etiam esse principium virtualiter producens intellectionem necessariam, qua Deus intelligit se ipsum. Nam, licèt pro hac non militet argumentatio facta; eo quòd ea, non solùm quoad entitatem, sed etiam quoad denominationem intelligentis, quam Deo præbet, est tam necessaria, quàm ipse Deus; quia veritas necessaria obiectiua per illam cognita alia non est à Deo ipso. Tamen de illâ non alio modo, quàm de reliquis philosophandum videtur. Primò; quia non est, cur intellectus diuinus aliter circa hanc intellectionem, quàm circa cæteras omnes, se gerat. Secundò; quia ad perfectionem vitæ Dei spectare videtur, quòd intellectus diuinus omnes suas intellectiones producat virtualiter iuxta argumentum supra factum num. 53. Tertiò; quia, vt est perfectio sine imperfectione, quòd intellectus diuinus virtualiter producat formalitatem cuiusuis intellectionis suæ liberæ: nam alias talis productio ei repugnaret contra doctrinam statutam propos. 3. ita est haud dubie perfectio sine imperfectione, quòd virtualiter producat formalitatem cuiusuis intellectionis suæ necessariæ: quandoquidem vtriusque generis formalitates formaliter, & quoad entitatem acceptæ æqualiter habent existentiam, & summam necessitatem à se, imo vnum quid sunt prorsus idem cum entitate Dei: nullaque earum propterea præ reliquis à suâ virtuali productione debet exempta esse. At nulla est perfectio sine imperfectione, quæ non reperiatur in Deo iuxta doctrinam certam stabilitam tom. 1, disput. 16. quæst. 2. Ergo intelle-

tellectus diuinus reuerà producit virtualiter formalitatem cuiuslibet intellectionis suæ necessariæ, atque adeò & formalitatem intellectionis, quà se ipsum intelligit. Quartò; quia amor, quo Deus cum summa necessitate se ipsum amat, virtualiter producitur ab ipsius voluntate, vt in tract. de Voluntate ostendemus. Ergo & intellectio, quà Deus cum summa necessitate se ipsum intelligit, virtualiter producitur ab ipsius intellectu. Vtriusque enim actus, quod ad rem attinet, eadem ratio videtur esse. Quintò; quia ratio potissima, cur voluntas diuina producit virtualiter etiam amorem necessarium, quo Deus se amat, est: quia ad talem amorem concipiendum verè mouetur à bonitate obiecti; & verà motio ad concipiendum amorem absque productione verà saltem virtuali ipsius amoris stare nequit, vt fusiùs ostendemus loco citato. Sed similiter intellectus diuinus suo modo verè mouetur, siue determinatur ad concipiendam intellectionem etiam necessariam, quà Deus se cognoscit, à veritate obiectiuà obiecti cogniti, talisque vera motio pariter stare nequit absque verà productione saltem virtuali ipsius intellectionis. Igitur eam produci virtualiter ab intellectu diuino dicendum est. Mitto alia: quia per hæc integra nostra propositio satis videtur comprobata.

62 Ex dictisque infero contra nonnullos Recentiores, quorum vnus est Quiros tom. 1. disput. 17. & 36. omnem intellectionem diuinam virtualiter esse distinctam in ordine ad denominandum Deum intelligentem ab essentiâ metaphysicâ Dei. Quia, cùm essentia metaphysica Dei consistat in conceptu subiecti radicalis omnium actuum, siue omnium attributorum eius, vt supra disput. 1. quæst. 10. ostensum est; nequit non ea per nostram rationem includi in conceptu intellectui, siue potentis intelligere, & consequenter nequit non distingui virtualiter ab omni intellectione, à qua re ipsà talis conceptus virtualiter distinctus est, vt ostendimus.

63 Vnde rursus infertur contra non paucos, id quod in eâ quæst. 10. iam statuimus, essentiam metaphysicam Dei non solùm non posse consistere in aliquà Dei intellectione; sed neque posse vllam includere in conceptu suo. Imo omnem Dei intellectionem non solum per rationem nostram; sed virtualiter re ipsà extra conceptum essentiæ metaphysicæ Dei esse.

64 Argumenta autem, quæ contra omnia prædicta possunt opponi, ex dictis tum in hac quæst. tum in illà quæst. 10. citatà, tum in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. vbi ex professò de distinctione virtuali, & ex dicendis ad rem in tract. de Voluntate, facilè ab vnoquoque dissolui possunt; quin opus sit impræsentiarùm in eis proponendis, atque dissoluendis morari.

Propositio 5.

65 **In Deo non datur proprius, & specialis conceptus speciei intelligibilis, quæ sit formalitas diuersa ab intellectu Dei.**

Probatur. Quia intellectus, siue principium intellectiuum Dei infinitè perfectum est in ratione intellectiui. Ergo & habet ex proprio conceptu omnimodam vim, omnimodamque determinationem ex se ad intelligendum, quidquid intelligibile est, atque adeò ad producendam virtualiter cuiusuis obiecti intellectionem; quin ad id egeat iuuamine alterius conceptus diuersi. Patet hæc consequentia. Quia si intellectus Dei ex proprio conceptu non esset plenè potens, determinatusque ex se ad intelligendum, quidquid intelligibile est, aliquid ei de esset perfectionis in ratione principij intellectiui: quia non à se solo, sed partim à se, partim ab alio haberet esse intellectiuum. Ergo, præter intellectum diuinum, nulla alia datur in Deo formalitas, qua ipse intellectus compleatur in esse intellectiui, determineturve ad intelligendum, quod intelligibile est. Ergo nec datur formalitas speciei intelligibilis; cuius adæquatum munus est complere, & determinare intellectum eam habentis ad intelligendum obiectum, siue ad causandam eius intellectionem.

Dices, speciem ex proprio conceptu non 66
se habere ex parte intellectus, sed ex parte obiecti, à quo simul, & ab intellectu notitia paritur: atque adeò perfectionem, quam addit, non ad lineam intellectus, sed ad lineam obiecti spectare. Subindeque, etsi diuinus intellectus in esse potentiæ intellectiuæ infinitè perfectus sit, posse eum nihilominùs citra propriæ perfectionis dispendium egere specie intelligibili. Sicuti voluntas diuina, etsi in esse potentiæ volitiuæ infinitè perfecta sit, cognitione nihilominùs obiecti eget, qua ad illud volendum compleatur; quin ob id quidquam amittere censeatur de proprij conceptus perfectione. Sed contra. Quia, licèt in nobis species ex parte obiecti se habeat, quatenus vice eius cum intellectu nostro concurrit, hoc tamen ipso quod aliter non concurrit, quàm vt causa partialis producens simul cum intellectu intellectionem, vt pono ex communiori, & mihi verà philosophiâ, ex dictisque à me in Pharo Scient. disput. 1. quæst. 2. num. 204. Linea speciei, & obiecti, & linea intellectus in ratione principij productiui intellectionis non sunt diuersæ, sed eadem ex duabus partibus veluti homogeneis composita; tametsi intellectus in ratione intellectiui præcisè diuersam lineam ab specie constituat. Quo fit, vt intellectus egens specie vt comprincipio intellectionis non possit non esse imperfectus in ratione principij intellectionis; quæ imperfectio longè abesse ab intellectu diuino censenda est. De voluntate, & cognitione alia est ratio: nam voluntas non iuuatur cognitione vt comprincipio volitionis; (vti etiam ex meliori philosophiâ suppono, & ex dictis in Pharo Scient. disput. 7. quæst. 1.); sed vt conditione proponente obiectum, quod ipsa sibi nullo modo potest proponere, cum sit potentia cæca. Quo fit, vt indigentia cognitionis nullam arguat imperfectionem in voluntate. Ipsa enim plenissimè habet à se id, quod ex proprio conceptu habet; nimirum esse volitiuam, & productiuam volitionis; quod autem ei præstat cognitio, nimirum repræsentare obiectum, ad proprium conceptum non attinet; sed alterius est lineæ. Ex quo patet, voluntatem Dei, etsi egeat cognitione ad volendum, nihil ob id amittere de infinitate perfectionis, quam habet in lineâ voluntatis.

Obijcies. Obiecta mouent intellectum 67
etiam diuinum ad intellectionem, sed motio obiectorum non fit aliter, quàm per speciem intelligibilem. Ergo etiam in Deo datur species intelligibilis. Respondeo, duplicem esse motionem

nem obiectorum, aliam physicam, aliam intentionalem. Physica fit media specie, quando obiectum eam physicè causat, imprimitque potentiæ cognoscitiuæ, & hæc simul cum specie sibi impressa physicè prodit in cognitionem; & hæc motio longè abest ab intellectu diuino, vt constat. Motio verò intentionalis non fit ab obiecto media specie, sed vel media sui cognitione, vt quando cognitio vnius obiecti monet ad cognitionem alterius, vel per se immediatè, vt quando vnum obiectum est ratio cognoscendi aut se ipsum solum, aut se, & alterum. Ex quo patet, etsi in Deo huiusmodi motio intentionalis locum habeat, de quo in decursu tractatus plura dicenda sunt, non ob id ponendam in Deo speciem intelligibilem.

68 Deinde objici solet S.Tho. 1.par.quæst.14. art.2. & 4. & sæpe alibi admittens in Deo speciem intelligibilem. Verùm D. Angelicus tantùm vult ijs in locis, Deum non ab obiectis, aut aliunde accipere species, quibus intelligat, vti creaturæ accipiunt, sed à se habere integrum, adæquatumque principium intelligendi. Quod tamen latiori quodam modo vocat speciem; eo quòd in Deo id ipsum præstat, quod in nobis species.

Propositio 6.

Conceptus proprius habitus intellectiui non datur in Deo. 69

Probatur facilè. Nam habitus ex proprio conceptu imperfectionem supponit in potentia omnino Deo repugnantem. Vel enim habitus est ad facilitatem, vt sunt habitus acquisiti; vel ad substantiam actus, vt sunt infusi. Si ad facilitatem, supponit potentiam, cui adiungitur, non esse expeditam, & facilem, sed præpeditam, & tardam ad operandum; quod longè abest ab intellectu Dei. Si autem est ad substantiam actus, supponit potentiam intra lineam propriam potentiæ non habere plenam virtutem ad actum ipsum, quæ etiam est imperfectio aliena ab intellectu diuino.

70 Dices. Deus promptè, faciliter, & cum voluptate operatur, sed in nobis effectus isti ab habitu facilitante præstantur. Ergo etiam in Deo ab aliquâ formalitate prouenient rationem habitus habente. Concesso antecedente. Nego consequentiam. Quia quod potentiæ nostræ ab habitu facilitante accipiunt, potentiæ diuinæ à se, & ex proprio conceptu habent; atque adeo in Deo non datur habitus, qui sit formalitas diuersa ab ipsa potentia.

71 Instabis. Intellectus Dei potest à nobis concipi cum præcisione à promptitudine, facilitate, ac voluptate, quam habet in operando. Ergo huiusmodi promptitudo, siue facilitas formalitas est ab intellectu Dei diuersa; quæ vtique alia esse non potest à formalitate habitus facilitantis. Distinguo antecedens. Intellectus Dei potest à nobis concipi cum præcisione à promptitudine, siue facilitate formali; concedo: fundamentali; nego. Deinde consequens. Ergo promptitudo, siue facilitas (nempe formalis) est formalitas diuersa ab intellectu Dei, transcendens tamen eius conceptum, sicut infinitas, boditas, & similes; concedo: non transcendens; nego. Ex quo patet, eam non esse formalitatem habitus, de quo in præsenti sermo est, sed ipsius intellectus. Itaque, etsi possimus concipere intellectum Dei cum præcisione à promptitudine siue facilitate formali, quam ei per iudicium tribuimus, dum per conceptum duplicatum, (vt moris nobis est), eum esse promptum, siue facilem in sensu formali iudicamus: at ipse intellectus ex proprio conceptu habet, fundamentum esse talis iudicij; sicut & aliorum, quibus in sensu formali iudicamus, eum esse infinitum, perfectum, ens, &c. Quod satis est, vt absolutè dicatur à se, & ex proprio conceptu habere, esse promptum, & facilem. Sicut dicitur ex proprio conceptu habere, esse infinitum, perfectum, ens, &c. Recognoscatur doctrina de prædicatis transcendentibus tradita in Pharo Scient.disput.17.quæst.20.

Propositio 7.

Memoria sumpta pro principio intellectiuo verè datur in Deo. Sumpta verò pro principio instaurante intellectionem obiecti antea præcogniti nullo modo. 72

Prior pars propositionis constat ex dictis. Quia memoria sic accepta in nihilo differt ab intellectu, quem in Deo adstruximus. Quo solum sensu tribuunt memoriam Deo Augustinus, alijque Patres, & Scholastici, vt vidimus num. 34. Secunda autem pars propositionis notissima est. Quia Deus ens, quod semel nouit, obliuisci non potest: atque adeò nec habere potentiam instauratiuam cognitionis amissæ. Vnde quoties in sacris Litteris Deo tribuitur recordatio, reminiscentia, obliuio, & alia huiusmodi, impropria, & translatitia loquutio est. Vide Ruiz disput.4. de Scientia sect.5.

QVAESTIO III.

An detur in Deo simplex apprehensio, iudicium, & discursus. Et qua ratione.

AD hæc tria capita reuocantur omnes humanæ mentis intellectiones. Est autem apprehensio simplex actus ille, quo intellectus simplici quodam modo in obiectum collimat, veluti illud aspiciendo, nihil tamen circa illud determinando; ad eum fere modum, quo oculi nostri obiectum propositum aspiciunt. Iudicium verò illa operatio est, per quam intellectus instar cuiusdam iudicis de obiecto sibi proposito fert sententiam, decernitque circa illud, esse aliquid, aut non esse, affirmando videlicet, aut negando. Ex quo patet, iudicium valde in modo tendendi à simplici apprehensione differre: hæc enim, vt dicebam, instar cuiusdam simplicis, lenisque obiecti aspectus est; iudicium autem est firma quædam mentis suasio, seu persuasio, per quam ipsa mens ad obiectum ita suasiuè determinatur, vt putet, sibique persuadeat, illud esse, aut non esse reuerà, sic ve se habere, vel secus. Quod est, de obiecto proposito 73

sito veluti sententiam concipere, siue proferre. Discursus denique est operatio illa, qua intellectus noster ex vno, aut pluribus veritatibus cognitis, seu per iudicium deprehensis ad aliam cognoscendam, siue iudicandam transcurrit, ductus quidem connexione, aut oppositione, qua videt id, quod priùs iudicat, cum eo, quod ex illo infert, connecti, aut ipsi opponi.

74 Porro apprehensio simplex in duas species ex modo tendendi diuersas est diuidenda. Aliter enim apprehenditur obiectum, dum ponitur in hypothesi ad iudicandum aliud quidpiam conditionatè; aliter, dum extra hypothesim concipitur. Cùm enim ita concipimus, *Si Petrus existeret, moueretur*; quis dubitet, existentiam Petri aliter apprehendi simpliciter, ac apprehenditur, cùm iudicamus, *Existentia Petri est aliquid. Ego cognosco existentiam Petri, &c.* Quod inde planè confirmatur: quia apprehensio prioris generis nisi circa obiectum iudicij, vbi interueniat actus significatus per verbum, versari non potest; nihil enim sine verbo potest à nobis poni in hypothesi, vt experientiâ notum est: apprehensio verò posterioris generis circa quoduis omnino obiectum potest versari, vt etiam constat. Duplicem ergo simplicem apprehensionem distinguere oportet; quarum altera apprehensio constituens hypothesim; altera non constituens hypothesim vocari poterit.

75 Iudicij similiter duplex imprimis species est. Aliud enim est iudicium affirmatiuum tendens in significatum verbi suasiuè per modum cuiusdam adhæsionis, accessus, seu positionis eius. Aliud est iudicium negatiuum opposito modo tendens in ipsum verbi significatum; per modum scilicet cuiusdam fugæ, aut recessus, seu potius remotionis eius. Vnde iudicium affirmatiuum, & negatiuum non ex obiecto, sed ex diuerso modo tendendi in illud discriminantur. Nam quod affirmatiuum adstruit, seu ponit, id ipsum destruit, seu remouet negatiuum. Neutrum autem eorum stare potest sine duobus saltem conceptibus obiectiuis, altero per modum subiecti, qui per nomen significatur, altero per modum actus, qui significatur per verbum, vti dicebamus supra quæst. 2. num. 25. Quo factum est, vt communi Philosophorum phrasi desumptâ ex Aristot. lib. 3. de Anim. text. 21. iudicium nostrum affirmatiuum compositio dicatur; negatiuum autem diuisio. Quia nimirum per iudicium affirmatiuum prædicatum (consistens potissimè in actu significato per verbum) intentionaliter, & quasi effectiuè componitur, siue coniungitur cum subiecto; per negatiuum autem è contra diuiditur, siue seiungitur ab illo. Quæ omnia latiùs exposita, atque comprobata reperies in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4.

76 Hic tamen est animaduertendum, eos, qui intuitiuè, siue per proprias species cognoscunt, non vti nos, dum cognoscimus per alienas, sed longè aliter iudicare. Non enim egent ad iudicandum, sicuti nos, pluralitate conceptuum obiectiuorum; proindeque neque iudicant, sicut nos, aut attribuendo prædicatum subiecto per affirmationem, sicque componendo vnum cum altero; aut seiungendo prædicatum à subiecto per negationem, sicque diuidendo vnum ab altero. Sed simplici quodam suasiuoque obtutu inspiciente obiectum, tendenteque in ipsum, prout quiditatiuè est in se, aut illud ponunt affirmando, aut illud remouent negando. Aduertere tamen oportet, etsi iudicium affirmatiuum, & negatiuum versentur circa idem obiectum; veritates tamen obiectiuas de tali obiecto iudicatas diuersas re ipsâ, & separabiles, imo oppositas, & incompatibiles esse. Altera quippe veritas obiectiua re ipsâ est, eaque positiua, tale obiectum existere, & altera, eaque negatiua, & priori contradictoria, tale obiectum non existere. De quo vide dicenda infra quæst. 5. sub finem. Quomodò autem cognoscentes intuitiuè, siue per proprias species tantùm ab statu existentiali remoueant obiecta, quæ negant; à quiditatiuo verò non item; inferiùs disput. 3. quæst. 5. declarabimus. Itaque ex diuerso modo tendendi in obiectum, aut comparatiuo prædicati cum subiecto, aut simpliciter inspectiuo nascitur, quòd iudicium nostrum componere, dum affirmat, & diuidere, dum negat, dicatur, iudicium verò intuentium non item. Non tamen, quòd in iudicio nostro, seeus in suo, distinctio rationis interueniat, vt malè quidam Recentiores opinati sunt.

77 Etenim non semper nos, dum iudicamus, distinguimus à subiecto ratione nostrâ prædicatum, vt malè supponunt Recentiores, sed plerunque potiùs realiter distinctum inuenimus. Neque enim, vt malè vulgò doceri solet, omne iudicium nostrum affirmatiuum pro obiecto habet identitatem subiecti, & prædicati; negatiuum autem distinctionem. Sed obiectum proprium iudicij nostri quilibet omnino actus est significabilis per verbum; qui quidem subiecto attribuitur, dum affirmatur, à subiectoque remouetur, dum negatur; ipseque actus, quicunque sit, & per quodcunque verbum significetur, propriissimum est prædicatum; vt disertè docuit Aristot. lib. 1. Periherm. cap. 3. dum loquens vniuersim de verbo ait: *Semper eorum, quæ de altero dicuntur, nota est, vt eorum, quæ de subiecto, vel in subiecto sunt.* Vnde fit, vt quoties actus, qui per iudicium subiecto attribuitur, aut ab eo remouetur, realiter à subiecto ipso distinctus est, vti, cùm iudicamus, *Petrus currit, Petrus non legit*, nulla interueniat distinctio rationis inter subiectum, & prædicatum. De quibus plura à nobis etiam dicta in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. videnda sunt.

78 Iam verò discursum nostrum pluribus cognitionibus, ijsque iudicatiuis constare, communiter tradunt Doctores cum S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 7. & quæst. 58. art. 3. Addit tamen Arriaga disput. 15. Logicæ sect. 1. præter discursum formalem, qui pluribus cognitionibus constare debet, esse etiam discursum virtualem; qui, cùm sit vnicus actus indiuisibilis realiter, attingit vnam veritatem obiectiuam ex aliâ; quod genus, inquit, discurrendi non repugnat Deo, reperiturque in Angelis, vt etiam docet Vazq. 1. par. disput. 222. cap. 3. Tum posse in nobis reperiri nonnulli Recentiores autumant. Sed malè. Quia nos pro hoc statu plura vt distincta, nisi per plures cognitiones, cognoscere non possumus, vt ex mente S. Tho. ostendi in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. conclus. 2. Nequit autem vnum ex alio colligi, vt per discursum fit, nisi vnum, & aliud distinctè cognoscantur, vt constat. Itaque discursus noster hac ratione peragitur. Iudicamus vnum obiectum, deprehensâque connexio-

xione, quam illud habet cum alio quopiam, ad hoc etiam iudicandum transimus. Vnde ante iudicium consequentis & iudicium antecedentis, & iudicium connexionis eius cum consequente præire debet: vtroque enim mouetur intellectus ad iudicandum consequens esse; nimirum, quia iudicat, esse antecedens, & illud sine consequente esse non posse; quod est cum illo connexum esse: nec satis esset, vt moueretur alterutrum iudicare, vt constat. Iudicium tamen connexionis antecedentis cum consequente, non opus est, quòd sit formale, sed virtuale sufficit; quod adest, quoties intellectus apprehendens antecedens connexum cum consequente ei ita apprehenso assentitur. Suppono autem vniuersè, connexionem de antecedente cum consequente conferre semper ad iudicandum consequens; tametsi, quando est consequens negatiuum, oppositio antecedentis cum termino negato in consequente possit æquè conferre: quia, quoties antecedens est oppositum termino in consequente negato, nequit non esse illud connexum cum negatione talis termini. Perindeque subinde est, moueri intellectum ad iudicium negatiuum consequentis per oppositionem antecedentis cum termino negato, atque per connexionem cum negatione, seu veritate negatiuâ eius.

79 Ex his infertur primò contra Arriagam, & alios, non semper esse eamdem physicè veritatem obiectiuam ex parte antecedentis discursus notari, quæ est ex parte consequentis. Sæpe enim per discursum vnum colligimus ex alio realiter distincto, eoquòd hoc cum illo connexum est, vt quando ex existentia effectus deducimus existentiam causæ. Ex quo rursus contra eosdem sequitur, non omnem discursum humanum sub vno syllogismo coarctari; sed tot esse discursuum genera, quot genera sunt connexionum inter conceptus obiectiuos à nobis cognoscibiles. Tertiò infertur, discursum nostrum non esse specialem operationem distinctam essentialiter ab apprehensione, & iudicio; sed quoddam quasi aggregatum constatum ex pluribus cognitionibus, maximè iudicatiuis, subordinatis inter se, ita, vt, quæ se habent ex parte antecedentis in conclusionem influant, hæc autem suapte naturâ connoret, siue supponat illas. Quartò infertur, per particulam *ergo*, aut aliam quamlibet illatiuam nullum obiectum denotari speciale, sed vel denotari connexionem antecedentis cum consequente, vel subordinationem iudiciorum, ex quibus coalescit discursus, vel certè vtrumque. Sunt namque nonnullæ particulæ, quæ non tam ad significanda obiecta, quàm ad denotandam specialem naturam nostrorum actuum vsurpari solent, quales sunt interiectiones, coniunctiones, disiunctiones; quod etiam habent illationes, siue particulæ illatiuæ. Tametsi simul illationem obiectiuam significent, hoc est, consequens ex antecedente re ipsâ sequi, siue illud inseparabiliter comitari ratione connexionis, qua antecedens cum consequente connexum, & quasi colligatum est. Quæ omnia, & plura alia ad rem spectantia fusiùs à me probata, & explicata sunt in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 5. & alibi. Recognoscantur. Ex quibus concludo, de conceptu discursus esse, vt intellectus discurrentis per cognitionem antecedentis vt connexi cum consequente moueatur ad iudicandum consequens; atque ita cognitio antecedentis aliquo modo influat in iudicium consequentis, vt in effectum à se distinctum. His positis sit.

Propositio 1.

In Deo proprissimè reperitur iudicium, non per modum compositionis, aut diuisionis, sed perfectissimæ intuitionis. 80

Prior pars propositionis tam certa est, quàm est certum, dari in Deo scientiam: nam scire propriè iudicare est. Ratione etiam naturali constat, Deum penitissimè noscere, sibique exploratum, atque persuasum habere, quid vnumquodque obiectum sit, aut non sit; quod ipsum iudicare est, vt ex superiùs dictis satis apparet.

Secunda autem pars propositionis, quam 81
omnes Theologi amplectuntur cum S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 14. & alijs Patribus, quos citat Ruiz disput. 13. de Scient. sect. 1. ex dictis num. 76. constat. Ibi enim statuimus, cognoscentes intuitiuè, ex quibus potissimus est Deus, neque componere propriè, neque diuidere. In quo ampliùs non opus est morari. Videatur Ruiz totâ disputatione citatâ.

Propositio 2.

Simplex etiam apprehensio ab omni prorsus imperfectione immunis propriè reperitur in Deo. 82

Hæc propositio est contra Ruiz disput. 13. citatâ sect. 2. num. 8. Pro eâ tamen stant Gabriel in 1. distinct. 39. quæst. vnic. art. 1. vbi alios refert. Corduba lib. 1. Quæstionarij quæst. 55. dub. 6. Gasp. Hurt. disput. 2. de Scient. diff. 3. & alij Recentiores. Nec refragantur Vazq. 1. par. disput. 75. cap. 4. num. 20. & Soar. disput. 30. Metaph. sect. 15. num. 39. quos pro se citat Ruiz: quia ibi tantùm excludunt à Deo apprehensionem simplicem imperfectam, qualis reperitur in nobis.

Et quidem, quod attinet ad apprehensionem 83
simplicem constituentem hypothesim, ego non video, quo pacto illa possit negari Deo; cùm certùm sit, Deum infinitas veritates conditionatas tum necessarias, tum etiam contingentes cognoscere, quæ sine simplici apprehensione hypothesim constituente nullatenus cognosci possunt. E. g. Deus cognoscit hanc veritatem, *Si existeret secundus Mundus, creaturarum existentium numerus maior esset*. Ergo concipit existentiam secundi Mundi, sub cuius hypothesi iudicat, maiorem fore creaturarum existentium numerum. Est certum. Sed non concipit talem existentiam ei adhærendo per iudicium; quia falleretur. Ergo simpliciter apprehendit. Similiter Deus cognoscit hanc veritatem, *Si talis cogitatio existeret in Iuda, Iudas non peccaret*. Ergo concipit talem cogitationem existentem in Iudâ. Non eam iudicando existentem; quia falleretur. Ergo apprehendendo simpliciter. Tantumdemque de omnibus omnino veritatibus conditionatis seu necessarijs, seu contingentibus censendum est. Quæ vtique neutiquam sciri, seu iudicari possunt, nisi conceptâ in hypothesi

earum conditione. Conditio autem non concipitur in hypothesi nisi per apprehensionem simplicem nihil affirmantem, aut negantem, atque adeò nihil ponentem in esse; sed supponentem simplici modo ad eruendam veritatem conditionatam. Ob id enim vulgò dici solet, conditionalem nihil ponere in esse.

84 Nec solùm de apprehensione simplici constituente hypothesim, sed etiam de non constituente vera est propositio data. Nam certum est, Deum absolutè iudicare, nullam existere chymæram in rerum naturâ. Ergo tangit suâ cognitione existentiam chymæræ, quam, iudicat, non dari. Sed non tangit illam, ei adhærendo iudicatiuè. Ergo apprehendendo tantum simpliciter. Clariùs. Deus iudicat, non esse alium Deum præter se iuxta illud Deuteron. 32. *Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me*. Ergo & apprehendit secundum Deum simpliciter. Repugnat enim iudicare, alterum Deum non existere, non concipiendo existentiam alterius Dei: quæ per iudicium à Deo concipi nequit; quia falleretur, & iudicaret, simul esse duo contradictoria. Deinde Deus in communissimâ, ac mihi verissimâ sententiâ cognitionem, qua homo fingit ens rationis, comprehendere nequit, nisi concipiendo pariter ipsum ens fictum, quod respicit talis cognitio. Sed non potest illud concipere, ac sibi representare iudicatiuè; quia falleretur: cùm illud non sit re ipsâ id, quod homini apparet. Ergo concipit apprehensiuè.

85 Ratio à priori eorum, quæ diximus est. Quia Deus non potest non scire, ac perfectissimè iudicare, quidquid est verum. Sed nequit aliquas veritates scire, & iudicare, nisi concipiendo aliqua alia obiecta ab eo non iudicabilia, vtpote quæ reuerà non sunt aut absolutè, aut pro tali signo, sicut ab ipso concipi debent. Ergo nequit non habere simplices apprehensiones talium obiectorum: alioquin ignoraret veritates, quæ, illis non conceptis, sciri non possunt. Sunt autem huiusmodi veritates omnes conditionatæ, & illæ absolutæ, quæ suapte naturâ respiciunt aliquid non verum; quales sunt negationes, seu veritates negatiuæ existentiæ chymærarum impossibilium, atque etiam rerum possibilium, quæ non existunt, & cognitiones entium rationis fictorum, & siquæ aliæ sunt huiusmodi. Ex quo patet, tam longè ab huiusmodi simplicibus apprehensionibus abesse omnem imperfectionem, vt potiùs sine illis perfectio diuinæ Scientiæ constare non possit. Nec sunt cognitiones obscuræ, sed clarissimæ, ac perfectissimè intuitiuæ intra suum genus; ita enim penetrant, ac penitissimè inspiciunt obiectum, quod proponunt, vt, si illud haberet verum esse, non aliter illud haberet, atque in dictis apprehensionibus representatur. Solùm habent, non esse intuitiones adhæsiuæ, siue suasiuæ, sicut est iudicium; atque adeò nec sunt in se capaces veritatis, aut falsitatis. Quo fit, vt ratione illarum neutiquam possit dici Deus falli. Nullam demum imperfectionem, sed necessariam perfectionem appingunt Deo. In quo ab ijs simplicibus apprehensionibus differunt, quæ in nobis aut ex modo imperfecto cognoscendi, aut ex non benè perceptâ rerum veritate nascuntur; ob idque imperfectionem præ se ferunt non exiguam.

86 Sed dubitari potest, an etiam circa obiecta verè iudiciabilia possit Deus nihilominùs simplicem apprehensionem habere. Respondeo, posse, quoties aliqua veritas à Deo iudicanda ex vnâ parte nequit cognosci sine eis obiectis, ex aliâ verò eorum veritatem non exigit, sed æquè benè potest consistere, siue ea sint vera, siue secus. Hoc pacto, cùm Deus iudicat, Petrum consensurum? si in eo talis existat cogitatio, simpliciter apprehendit apprehensione constituente hypothesim existentiam talis cogitationis, etiam quando ea iudicabilis est; eoquòd reuerà est ipsa cogitatio extitura: quia nimirum ad eam veritatem conditionatam nihil refert, quòd cogitatio sit absolutè extitura, vel secus. Similiter, cùm Deus iudicat, me habere cognitionem fallibilem de existentiâ Petri, simpliciter apprehendit Petri existentiam, etiam quando ea est iudicabilis; eoquòd reuerà Petrus existit: quia nimirum ad hoc, vt sit verum, me talem cognitionem habere, nihil interest, Petrum existere reuerà, vel non existere; quandoquidem mea cognitio, vt ponimus, cum existentiâ Petri connexa non est. Ex quo patet, quoties Deus iudicat quamlibet relationem non connexam cum suo termino, simpliciter apprehendere terminum. Vtrùm autem possit iudicare ipsam relationem connexionis, non iudicato termino, ex dicendis quæst. 6. constabit. Vbi etiam videbimus, an Deus per eumdem actum, quo iudicat vnum obiectum, apprehendat aliud, vel per actum diuersum; multaque alia ad rem dicemus, ex quibus lucem accipient, quæ hìc statuimus.

Propositio 3.

In Deo, loquendo propriè, verus, & formalis discursus reperiri non potest. 87

Ita S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 7. & 1. contra Gentes cap. 57. & cum eo cæteri Scholastici communiter. Ratio est. Quia de conceptu veri, & formalis discursus est verus, & formalis transitus, siue processus intellectus ex vnâ cognitione in aliam, quarum prima verè, & formaliter in secundam influat tanquam in effectum distinctum, vt supra num. 79. statutum est. Sed in Deo non datur pluralitas cognitionum realiter formaliter distinctarum, vt tanquam fide certum statuimus quæst. 1. propos. 4. atque adeò nec verus, & formalis influxus vnius cognitionis in aliam in eo dari potest, vt constat. Ergo neque datur in eo verus, & formalis discursus. Vtrùm autem detur in Deo discursus virtualis, quo ex vnâ veritate cognitâ aliquo modo dici possit induci ad cognoscendam aliquam aliam ob connexionem prioris cum posteriori, ex dicendis quæst. 7. compertum fiet. Vbi discutiendum, an Deus aliqua ratione cognoscat vnum ex alio. Vtrùm verò scientia *quia*, vel *propter quid* in Deo aliquo sensu admittenda sit, & circa quæ obiecta, ibidem etiam determinabimus.

QVÆ-

QVAESTIO IV.

Vtrùm scientia actualis Dei vnus omnino sit simplex actus; vel plures aliquà ratione distincti.

88 NOn esse in scientiâ Dei plures actus realiter formaliter distinctos, certum secundùm fidem est, vt vidimus quæst.1. proposit.4. Modò quærimus, an realiter virtualiter, vel saltem per rationem nostram plures in eâ actus distincti sint.

89 Didacus Ruiz disput. 2. de Scientiâ sect.4. à num. 5. Alarc. disput. 1. de Scient. num.3. & alij Recentiores existimant, ne per rationem quidem nostram posse in diuinâ scientiâ distingui cum fundamento in re plures actus; sed eam vnam, & eamdem formalitatem esse omnino: cum diuersâ tamen extensione ad plura obiecta materialia. Alij Recentiores sentiunt, scientiam, qua Deus in se ipso cuncta cognoscit, vnicum, & simplicissimum actum esse. Scientiam verò, qua Deus creaturas cognoscit in se ipsis, ex pluribus actibus non solùm ratione nostrâ, sed realiter virtualiter distinctis coalescere.

Propositio 1.

90 **Per rationem nostram, nil vetat, plures actus in diuinâ scientiâ distingui, etiam cum fundamento in re.**

Ratio est. Quia ad distinguendas ratione nostrâ plures formalitates in eâdem re indiuisibili fundamentum sufficiens est, eam ad plura diuersa connotata referri, in ordineque ad illa concipi à nobis, non indiuisim, sed diuisim. Ob id enim in homine rationalitatem ab animalitate distinguimus; quia sensatio, in ordine ad quam homo concipitur vt animal, diuersum connotatum est à ratiocinatione, relatè ad quam concipitur vt rationalis, & entitas hominis, non indiuisim, sed diuisim concipitur respectiuè ad hæc connotata. Sed scientiæ Dei tot sunt connotata diuersa, quot sunt diuersa obiecta, ad quorum singula diuisiuè concipitur referri. Ergo ad concipiendas in scientiâ Dei plures formalitates, seu plures actus relatè ad eiusmodi obiecta sufficiens fundamentum datur in ipsâ re. Adde, etiam relatè ad idem connotatum distingui à nobis cum fundamento plures formalitates penes diuersum modum, quem illæ ex proprio conceptu habent, tendendi in tale connotatum: hoc enim pacto distinguimus in Deo ratione nostrâ actum amoris ab actu scientiæ eiusdem obiecti. Ergo saltem, vbi fuerit diuersus modus tendendi in scientiâ diuinâ, diuersus actus poterit, & debet cum fundamento concipi; quales sunt, e. g. modi tendendi absolutè, & conditionatè.

91 Dices, actus scientiæ relatè solùm ad obiecta formalia, à quibus sumunt speciem, posse distingui, quidquid sit de obiectis materialibus. Scientiam autem Dei vniuersam vnicum tantùm habere obiectum formale, quod est essentia Dei; atque adeò in illâ plures actus cum fundamento à nobis distingui non posse, adhuc penes diuersitatem in modo tendendi; quam circa diuinam essentiam non habet scientia Dei. Sed contra primò. Quia etiam ab obiectis materialibus specificantur actus scientiæ, qua ratione à suis obiectis specificari dicuntur, iuxta dicenda fusiùs infra quæst.8. Contra secundò. Quia essentia Dei non est obiectum formale vnicum respectu vniuersæ scientiæ diuinæ, vt ibidem probabo. Contra tertiò. Quia, estò sit essentia Dei vnicum formale obiectum vniuersæ scientiæ diuinæ, non est, cur nequeant penes diuersa obiecta materialia distingui in eâ plures actus ratione nostrâ, qui omnes habeant idem obiectum formale; vti re ipsâ plures actus fidei diuersarum veritatum distincti inter se dari possunt, qui omnes eidem nitantur reuelationi vt obiecto formali. Contra quartò. Quia etiam circa essentiam diuinam dantur in scientiâ Dei varij modi tendendi, penes quos præcisè actus cum fundamento ratione nostrâ distingui possint, vt ex dicendis disput.24. & sequentibus compertum fiet. Et quidem sine distinctione saltem rationis actuum scientiæ diuinæ ægrè explicatur, aut minùs propriè diuisio, qua omnes in varias veluti species scientiam diuinam diuidunt; nimirum in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis; scientiam conditionatam, & absolutam, &c. vt videbimus quæstione sequenti.

Sed opponit Ruiz. Deus vnico, & simplicissimo actu se comprehendit. Ergo vnico, & simplicissimo actu cognoscit se, & quidquid extra se est cognoscibile: hoc enim est de ratione comprehensionis Dei. Ergo non datur in scientiâ diuinâ pluralitas aliqua actuum. Respondeo, etsi comprehensio Dei sit indiuisibilis actus, quo Deus ipse & se, & creaturas omnes in se ipso cognoscat, id non obstare, quominùs per alios actus tum à dictâ comprehensione, tum inter se diuersis cognoscat creaturas eadem in ipsismet; qualiter etiam sunt cognoscibiles, vt ex dicendis apparebit. Addo, Deum non solùm per vnicum actum se, & omnes creaturas tangentem se comprehendere, sed insuper etiam per plures, vt explicabo disput.24. quæst.5. Cætera autem, quæ opponit Ruiz, per ea, quæ numero præcedenti diximus, diluta sunt. 92

Propositio 2.

Non solùm per rationem nostram, sed etiam realiter virtualiter plures actus distingui debent in scientiâ diuinâ. 93

Actus enim, quo Deus cognoscit Petrum existere, ab actu, quo cognoscit existere Ioannem, realiter virtualiter distinctus est; & vniuersim actus cuiuslibet obiecti cognoscibilis contingenter sine vllâ dependentiâ ab alijs actibus, quibus alia noscuntur, eodem pacto distinctus est. Cùm enim Deus ita cognoscat modò, existere Petrum, & Ioannem, vt potuerit cognoscere, solum Petrum, & non Ioannem existere, si solus Petrus, vt potuit, fuisset ab eo productus; efficitur, denominationem cognoscentis existentiam Ioannis realiter formaliter esse separabilem in Deo à denominatione cognoscen-

tis existentiam Petri. Quod in sententiâ nostrâ non potest fieri iuxta doctrinam, quam suppoluimus quæst. 2. num. 50. nisi formalitas intrinseca scientiæ diuinæ, qua Deus cognoscit existentiam Ioannis, realiter virtualiter sit defectibilis, atque adeò separabilis, à formalitate intrinseca, qua Deus cognoscit existentiam Petri: quod sine distinctione reali virtuali inter vtramque formalitatem fieri non potest. Repugnat enim, vt eadem prorsus formalitas realiter virtualiter sit separabilis à se: quia nequit à se virtualiter separari, nisi deficiat simul, & permaneat virtualiter. Quæ est manifesta contradictio.

94 Confirmatur, & declaratur. Quia iuxta doctrinam nostram dicto num. 50. supposita, existente Petro, & non existente Ioanne, idcirco Deus cognoscens, existere Petrum, non cognoscit existere Ioannem; quia formalitas Dei, quæ suopte conceptu est cognitio de existentiâ Ioannis, virtualiter deest, & formalitas Dei, quæ suopte conceptu est cognitio de existentia Petri, non deest virtualiter. Sed deesse simul, & non deesse virtualiter, cùm sint prædicata contradictoria, neutiquam possunt conuenire vni, & eidem formalitati, quæ talis sit, non solùm formaliter, sed etiam virtualiter: ob id enim paternitas, & essentia in Trinitate, etsi formaliter sint prorsus idem, virtualiter sunt inter se distinctæ; quia prædicata contradictoria sine contradictione subeunt. Ergo formalitas scientiæ Dei de existentia Ioannis, & formalitas scientiæ Dei de existentiâ Petri, etsi formaliter realiter sint prorsus idem, virtualiter tamen sunt inter se distinctæ. Hoc autem ipso, quòd scientia de existentiâ Petri, & scientia de existentiâ Ioannis formalitates sunt in Deo distinctæ inter se virtualiter, non possunt non & per rationem nostram esse distinctæ, idque distinctione rationis ex parte obiecti præcisiuâ; vt constat ex generali doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 9. propos. 1. & 2. Itaque, sicut entitas realis Patris æterni in ordine ad susscipienda duo contradictoria dualitati æquialet entitatum, quarum altera ex suo conceptu est paternitas, altera essentia; ita entitas realis scientiæ diuinæ in ordine ad reddendum Deum cognoscentem duo quæque, vel plura obiecta vicissim separabilia pluralitati æquialet entitatum, quarum alia ex suo conceptu est cognitio huius obiecti, alia illius, &c. Nec ob id cognitio vnius obiecti ex suo conceptu imperfecta erit, quòd reliquarum perfectionem non includat: sat enim est, habere omnem perfectionem possibilem intra suum quasi genus representandi tale obiectum. Sicut conceptus amoris diuini non est imperfectus, etsi non claudat in suo conceptu perfectionem scientiæ: quia intra genus amandi bonum, omnem habet perfectionem possibilem. Aliud esset, si circa idem obiectum plures actus eodem modo in illud tendentes ponerentur distincti. Tunc enim aut cæteri, præter vnum, essent superflui, aut omnes essent imperfecti in proprijs conceptibus iuxta dicenda infra propos. 3.

95 Hæc dicta de actibus scientiæ Dei obiectorum contingentium, vicissimque separabilium. Vtrùm autem circa obiecta connexa etiam multiplicandi sint actus, ex dicendis paulo infra constabit. Venio ad scientiam Dei obiectorum necessariorum. Et dico primò, quoties vnum obiectum est magis necessarium, quàm aliud, qualis Deus est respectu creaturæ iuxta doctrinam traditam tom. 1. disput. 3. quæst. 2. tunc actus scientiæ eorum virtualiter in Deo esse distinctos. Quia actus, quo Deus scit obiectum magis necessarium, magis necessariò est virtualiter indefectibilis in ordine ad reddendum Deum scientem, quàm actus, quo scit obiectum minùs necessarium, quod sine distinctione virtuali inter vtrumque actum reperta constare non potest: cùm ea maior necessitas realem prædicatum sit conueniens vni actui, & non alteri.

Secundò dico vniuersaliter, circa om- 96
nia, & singula obiecta distincta à Deo non connexa inter se actus virtualiter distinctos, atque adeò etiam ratione nostrâ, dari in scientia diuinâ. Ratio est in promptu. Quia, cùm Deus sit ens magis necessarium, quàm omnis veritas obiectiua ab eo distincta, vt dictum est; hæc conditionalis est vera per locum intrinsecum. *Si omnes veritates à Deo distinctæ deficerent, non deficeret Deus, sed permaneret non cognoscens tales veritates; atque adeò, permanente realiter formaliter in Deo scientiâ de illis, virtualiter deficeret in ordine ad denominandum ipsum illas scientem.* Ergo hæc etiam conditionalis est vera per locum intrinsecum. *Si deficeret vna veritas distincta à Deo ex non connexis inter se, cæteræ non propterea deficerent; atque adeò, deficiente in Deo virtualiter actu scientiæ de tali veritate, non itidem deficerent actus aliarum veritatum.* Ergo per locum intrinsecum aliquid reuerà conuenit actui vnius veritatis ex non connexis inter se, quod non conuenit actibus reliquarum. Ergo reuerà tales actus vicissim inter se virtualiter distincti sunt, vt paulò ante argumentabar. Itaque, cùm sit tam necessarium in Deo cognoscere, quidquid est cognoscibile, & non cognoscere, quidquid non est cognoscibile, quàm existere; eo quòd æquè illi repugnat ignarum esse, aut falli, ac non existere, vt notum est: hoc ipso, quòd per locum intrinsecum ex quauis datâ hypothesi circa alia obiecta non sequitur, Deum non extiturum, ob suam, quam habet, maiorem necessitatem independentiamque ab illis, vt ex citatâ disput. 3. modo supponimus; efficitur, scientiam Dei talis naturæ esse, vt, datâ quauis variatione in obiectis ab eo distinctis per hypothesim possibilem, aut impossibilem, ipsa quoque virtualiter varianda foret per locum intrinsecum in ordine ad denominandum Deum cognoscentem, aut non cognoscentem ea, quæ ex ipsâ hypothesi resultarent cognoscibilia, aut non cognoscibilia. Ex quo planè sequitur, Deum actus scientiæ virtualiter, atque adeò etiam ratione nostrâ distinctos habere pro singulis obiectis à se distinctis, quæ sine alijs possunt cognoscibilia esse respectu Dei aut absolutè, aut ex qualibet datâ hypothesi circa obiecta ipsa possibili, vel impossibili. Quod argumentum etiam habet locum in actibus scientiæ de obiectis connexis non mutuò. Nam ex hypothesi, quòd connexum deficeret, semper posset per locum intrinsecum non connexum manere; & consequenter à Deo sine illo cognosci. Quia tamen hic arguendi modus in actibus scientiæ de obiectis mutuo inter se connexis nequit fortasse habere locum.

Probo aliter vniuersim, circa quælibet 97
omnino singula obiecta realiter distincta inter se singulos actus habere Deum distinctos inter se vir-

virtualiter, atque adeo etiam per rationem. Sint enim duo quæuis obiecta A B; certè actus scientiæ de A seorsim, & actus scientiæ de A B indiuisim diuersum modum tendendi habent in idem A, distinctique propterea sunt inter se virtualiter, & per rationem iuxta doctrinam mox tradendam circa propos. 3. Similiterque sese habent actus scientiæ de B seorsim, & actus scientiæ de B A indiuisim. Tresque subinde actus scientiæ virtualiter, & per rationem distincti inter se dantur in Deo. Alius de A seorsim; alius de B seorsim; & alius de A B indiuisim. Pariterque venit philosophandum de cæteris huiusmodi casibus.

98 Ex quibus omnibus concluditur, circa omnia, & singula obiecta realiter inter se distincta, realiterque etiam distincta à Deo, siue ea sint possibilia, siue existentia, siue etiam impossibilia, siue sint conditionata, siue absoluta, siue sint inter se connexa, siue inconnexa, dari in Deo singulos actus scientiæ virtualiter, atque adeò etiam ratione nostrâ distinctos inter se. Imo & circa singula obiecta, quæ in qualibet hypothesi datâ possibili, vel impossibili, essent per locum intrinsecum cognoscibilia à Deo. Restat, vt videamus an etiam circa idem obiectum dentur in Deo plures actus seu virtualiter, seu ratione nostrâ distincti.

Propositio 3.

99 **Quot sunt possibiles actus scientiæ ab omni imperfectione immunes ex modo tendendi diuersi circa idem obiectum, tot virtualiter, ac ratione nostrâ distincti dantur in Deo. Actus verò eodem prorsus modo tendentes in idem obiectum nullatenus multiplicantur in Deo.**

Vt probem priorem partem propositionis, suppono tanquam principium apud omnes certum, Deum cognoscere quoduis obiectum omnibus modis, quo illud cognoscibile est sine vllâ imperfectione. Quia id spectat ad perfectionem iuini intellectus: ad Deumque spectat vniuersè nullâ perfectione ab omni imperfectione immuni carere, vt tom. 1. disput. 16. quæst. 2. ostensum est. Ex quo sic. Modi tendendi diuersi in idem obiectum sufficiens fundamentum est ad distinguendos ratione nostrâ diuersos actus, vt vidimus propos. 1. Ergo quot modis diuersis cognoscit Deus idem obiectum, tot sunt in illo actus scientiæ distincti ratione nostrâ cum fundamento in re. Hos autem actus etiam distingui virtualiter à parte rei, inde probatur: quia iuxta propos. 14. statutam in Pharo Scient. disput. 16. quæst. 3. euidenter est impossibile, idem à se ipso esse diuersum. Ergo actus scientiæ diuinæ diuersi inter se à parte rei ex suo modo tendendi in idem obiectum non possunt esse idem à parte rei. Ergo sunt distincti. Non formaliter: quia id repugnat. Ergo virtualiter. Diuersitas quippe tendentiarum in eumdem terminum aperte arguens in creatis distinctionem realem (quidquid sit de diuersitate, tendentiarum in terminos distinctos) eo ipso arguit in Deo distinctionem virtualem iuxta doctrinam datam etiam in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6.

100 Iam verò secunda pars propositionis inde probatur: quia si plures actus eiusdem rationis circa idem prorsus obiectum essent in Deo, aut essent singuli imperfecti, aut reliqui, præter vnum, essent superflui. Quorum vtrumque alienum est à perfectione Dei. Essent singuli imperfecti, si nullus eorum præstaret quidquid in suo genere præstabile est. Si autem id totum præstaret aliquis, cæteri superfluerent. Propterea enim non dantur in Deo plures intellectus, plures voluntates, plures misericordiæ, plures iustitiæ adhuc ratione nostrâ distinctæ.

Rogas, an circa plures formalitates eiusdem obiecti realis ratione solùm nostrâ distinctas possint in Deo concedi plures actus scientiæ aliquo ex dictis modis distincti? Respondeo non posse. Quia de conceptu cuiusuis actus scientiæ Dei est, intueri obiectum, prout est re ipsâ, siue prout esset, si daretur. Vnde repugnat Deo actus attingens vnam obiecti formalitatem, & non attingens aliam; quando vna, & alia re ipsâ idem omnino sunt. Vide dicenda ad rem infra disput. 24. quæst. 2. 101

Ex doctrinâ huius propositionis in particulari inferendum est, quos Deus actus scientiæ habeat circa singula obiecta ab eo cognoscibilia aut absolutè, aut ex qualibet datâ hypothesi. 102

Dico primò. Nullum est obiectum, quod Deus non apprehendat simpliciter; idque per actum virtualiter, atque adeò & per rationem nostram distinctum à iudicio eiusdem obiecti, quando hoc à Deo est iudicabile. Probo priorem partem asserti. Quia, quoties apprehensio simplex cuiusuis obiecti Deo est necessaria ad iudicandam aliquam veritatem obiectiuam alterius, non potest Deus non habere talem apprehensionem simplicem, vt constat ex doctrinâ statutâ quæst. 3. propos. 2. sed nullum est obiectum, cuius apprehensio simplex non sit Deo necessaria ad iudicandas multas, imo infinitas veritates aliorum obiectorum. Ergo nullum est obiectum, cuius Deus non habeat apprehensionem simplicem. Cætera patent. Probo minorem. Primùm: quia ex quouis obiecto posito in hypothesi per simplicem apprehensionem infinitæ veritates conditionatæ iudicandæ veniunt, quæ sine tali hypothesi iudicari non possent. Deinde: quia nullum est obiectum, quod non sit cognoscibile per aliquam cognitionem fallibilem; quam cognitionem nequit Deus iudicare, nisi apprehendendo simpliciter obiectum eius. Præterea: quia nullum est obiectum, quod Deus aut absolutè, aut ex aliquâ factâ hypothesi negare non possit; quæ negatio absque apprehensione simplici obiecti negati stare non potest. Ex quibus patet, Deum circa quoduis obiectum duplicem apprehensionem simplicem habere, alteram constituentem hypothesim, & alteram non constituentem. Vtramque autem à iudicio de eodem suo obiecto (quando hoc à Deo est iudicabile) esse distinctam virtualiter, & consequenter per rationem, quæ erat pars secunda asserti, imprimis constat: quia vtraque à tali iudicio, diuersa re ipsâ est ex modo tendendi. Quod argumentum est efficax distinctionis tum virtualis, tum rationis, vt constat ex dictis. Ex quo etiam capite venit similiter probandum, alteram dictarum duarum, apprehensionum simplicium, quas Deus de quouis obiecto habet, ab alterâ virtualiter, & consequenter per rationem distinctam esse. 103

Dico

104 Dico secundò. Iudicium absolutum cuiusuis obiecti à iudicio conditionato eiusdem virtualiter distinctum est: tum quia veritas conditionata, & absoluta etiam eiusdem obiecti diuersæ sunt aliquo modo, & sæpe seperabiles: tum quia actus in eas tendentes ex modo tendendi sunt etiam diuersi. Verumque etiam est per locum intinsecum, ex hypothesi, quòd, deficiente alterà talium veritatum, altera permaneret, fore, vt permaneret actus huius. Quæ argumento sunt, hunc ab illo virtualiter esse distinctum, vt sæpe argumentati sumus.

105 Dico tertiò. Iudicium conditionatum cuiusuis obiecti, quo iudicatur à Deo sub vnâ hypothesi, virtualiter est distinctum à iudicio, quo idem obiectum iudicatur sub aliâ hypothesi. Primùm quidem; quia, si obiectum relatè ad conditionem contingens est, potuit non esse verum, & consequenter nec iudicabile à Deo sub tali conditione, perseuerante vero sub reliquis. Ergo in tali casu iudicium eius, vt subest tali conditioni, separabile est, atque adeò distinctum virtualiter à iudicio eiusdem, vt subest alteri. Deinde, loquendo vniuersè; quia semper à conditionibus distinctis seorsim positis in hypothesi, quantumuis conditionatum sit idem, distinctæ veritates, distinctaue obiecta conditionata resultant, vtpote includentia de connotato ipsas distinctas conditiones. Circa distincta autem obiecta sumpta seorsim semper habet Deus actus scientiæ tum virtualiter, tum per rationem distinctos inter se, vt per vniuersale argumentum factum num. 97. probatum est.

106 Dico quartò. Iudicium, quo Deus vnumquodque obiectum iudicat secundùm se, distinctum virtualiter est ab alio, quo Deus iudicat illud, vt subest alteri tanquam extrinsecæ circunstantiæ. Probatur primò: quia obiectum secundùm se, & vt subest alteri, duæ veritates sunt obiectuæ; quarum secunda à prima ratione connotati, quod addit, distincta est re ipsâ. Secundò: quia iudicium obiecti, vt subest alteri, hoc alterum vt circunstantiam quamdam connotat suapte naturâ, siue supponit, quod non habet iudicium obiecti secundùm se. Vnde hæc duo iudicia ex modo tendendi in idem differunt; atque etiam pletunque saltem ex aliquâ factâ hypothesi separabilia sunt inter se, Quæ omnia satis superque sunt ad distinctionem virtualem, vt constat ex dictis. Et quoniam quoduis obiectum ad cætera omnia, quæ infinita sunt, vt ad circunstantiam comparari potest, factâ omni combinatione possibili; ideo iudicia, quibus Deus quoduis obiectum, vt subest alijs, iudicat, non possunt non esse infinita. Porrò per iudicium vnius obiecti, vt subest alteri, etsi hoc connotari, atque adeò aliquo modo respici debeat; at non opus est, quod iudicetur expressè, & formaliter: quemadmodùm per amorem vnius obiecti, vt subest alteri, etsi hoc connotari, & respici debeat; non tamen opus est, quòd vllo modo ametur, vt in tract. de Voluntate monstrabimus. Cæterùm quia non potest vnum obiectum re ipsâ subesse alteri, seu connotare alterum; quin vtrumque re ipsâ sit, qua ratione vnum connotat alterum; & consequenter nec potest vnum prout connotans alterum affirmari, quin aliquatenus affirmetur vtrumque, vnumquodque scilicet suo modo; idcirco iudicium affirmatiuum formale, & expressum de obiecto connotante nequit non esse eo ipso veluti virtuale, & tacitum de obiecto connotato, suppositâ apprehensione simplici huius; vt agentes de iudicio humano latè ostendimus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. conect. 5. cuius doctrina iudicio quoque diuino applicanda est; sublatis tamen imperfectionibus, quas secum fert iudicium humanum. Itaque, cùm Deus iudicat, Petrum existere cum Ioanne, aliàs apprehensa simpliciter existencia Ioannis iuxta dicta num. 103. ita fertur iudicio suo expresè, & formaliter in existentiam Petri, vt quasi tacitè, & virtualiter feratur etiam in existentiam Ioannis, primam scilicet primo modo, secundamque secundo affirmando. Quo pacto iudicandæ veniunt de suo omnes denominationes extrinsecæ, vel semiextrinsecæ; & vniuersim quæuis connotatiua veritas, vbi vnum directè, & alterum de connotato, siue vnum prout connotans alterum est affirmandum. Et quidem hunc iudicandi modum circa obiecta conditionata non posse non conuenire Deo; immunemque proinde esse ab omni imperfectione, ex dicendis infra disput. 28 quæst. 1. notum fiet. Iure igitur illum modo Deo attribuimus etiam circa obiecta absoluta. Quandoquidem omnis modus cognoscendi immunis ab imperfectione attribui debet ipsi, vt constat ex dictis. Et hæc de iudicio affirmatiuo vnius obiecti prout connotantis alterum. Denegatiuo enim diuersa est ratio; vt loco citato Phari agentes de iudicio humano abundè explicuimus. Modò autem consentaneè ad ibi dicta agentes de diuino dicimus, Deum tribus modis posse negare, Petrum coexistere Ioanni. Primò, negando solam existentiam Petri. Secundò, negando solam existentiam Ioannis. Tertiò, negando vtramque. Eoquòd his tribus modis potest coexistentia Petri, & Ioannis deesse: sicque esse verum, Petrum non coexistere Ioanni. Tantùmdemque de similibus censendum est.

Dico quintò. Deus non solùm iudicat 107
se orsim singula obiecta per propria, & distincta iudicia; sed insuper circa quoduis eorum aggregatum, facta omni combinatione possibili, aliud iudicium habet tendens indiuisibiliter in illud; vti iam in præcedentibus supposuimus. Itaque circa Ioannem e. g. vnum iudicium habet Deus, & alterum circa Petrum, & tertium circa coniunctum ex vtroque indiuisim sumptum; eo quòd modus cognoscendi Petrum, & Ioannem indiuisim diuersus est à modo cognoscendi vtrumque eorsim; vt dicebam num. 97 nec vllam habet imperfectionem: nullumque propterea huiusmodi trium iudiciorum denegandum est Deo. Esse autem ea omnia inter se tùm virtualiter, tum etiam per rationem nostram distincta & propter diuersitatem, quam habent in modo tendendi, & propter seperabilitatem, quam plerumque etiam, saltem ex aliquâ factâ hypothesi, habebunt, ex dictis in præcedentibus satis, superque notum est. Ex quo patet, quoduis obiectum, præterquàm per iudicium proprium, per infinita insuper iudicia cognosci à Deo vt inclusum in infinitis combinationibus aliorum obiectorum. Quod certè non parum etiam commendat infinitudinem scientiæ Dei. Est autem hæc doctrina vniuersalis tum pro obiectis conditionatis, tum pro absolutis quocunque modo iudicatis à Deo. Ex qua inferemus inferius quæst. 6. Deum eâdem cognitione indiuisim attingere relationem, & terminum; tametsi hæc duo insuper per duas cognitiones attingat, vt ibi probabimus. Quæcunque

cunque autem in hac quæst. generatim sunt dicta, ferè communia sunt, atque adeò proportionaliter applicanda tam negatiuis, quàm affirmatiuis actibus scientiæ diuinæ. Circa negatiuos tamen speciatim nonnulla adijciemus inferius disput. 25. quæst. 5.

QVAESTIO V.

Quotuplex sit scientia Dei.

108 PErstringam breuiter in hac quæstione naturam singulorum membrorum, ac veluti speciem scientiæ diuinæ, de quibus fusiùs, & explicatiùs in toto hoc tractatu agendum est; vt vno quasi obtutu eas modò lustrantes distinctiùs deinceps procedamus.

Diuisio 1.

109 Primò ergo scientia diuina diuidi solet in scientiam simplicis intelligentiæ, & scientiam visionis.

Scientia simplicis intelligentiæ dicitur illa, qua Deus cognoscit res possibiles quatenus tales, præscindendo ab eo, quòd illæ existant, vel non existant. Vnde per hanc scientiam non solùm cognoscit Deus res possibiles, quæ nunquam erunt; sed etiam res, quæ aliquando erunt, præcisè, vt possibiles sunt. Scientia autem visionis appellatur illa, qua Deus intuetur res existentes in aliquâ differentia temporis. Nomine autem rerum etiam veritates negatiuæ veniunt, quod ad rem attinet, complectendæ, vtpote quæ etiam suo modo vel tanquam possibiles, vel tanquam existentes, seu potius tanquam pertinentes ad statum vel quiditatiuum, vel existentialem possunt cognosci, prout explicabimus inferius disput. 25. quæst. 5.

110 Porrò ad scientiam simplicis intelligentiæ omnes illæ veritates spectant, quæ necessariò rebus conuenire censentur, præscindendo ab earum existentiâ, quales sunt, quæ ad earum essentiam, vel passiones metaphysicas pertinent; vt, hominem esse animal rationale, esse risibilem, &c. Ad scientiam verò visionis illæ veritates spectabunt, quæ rebus prout actu, & absolutè existentibus in aliquo tempore conueniunt.

111 Verùm, quia Deus non solùm cognoscit res prout possibiles, & prout absolutè futuras, seu existentes in aliquâ temporis differentiâ; sed etiam prout futuras, seu existentes conditionatè, hoc est, sub aliqua hypothesi datâ, vt, quòd Tyrij, & Sidonij pœnitentiam egissent, si apud eos factæ fuissent virtutes, &c. Math. 11. & Lucæ 10. dissidium est inter Doctores, illudque de solo modo loquendi, & parui momenti, an scientiâ, qua Deus huiusmodi veritates conditionatas, præsertim contingentes, cognoscit, ad scientiam simplicis intelligentiæ, vel potiùs ad scientiam visionis pertinere dicenda sit. Bellar. lib. 2. de amissione gratiæ cap. 17. Valent. 1. par. quæst. 14. pun. 5. Vazq. disput. 67. cap. 4. num. 27. Arrub. disput. 38. cap. 9. & alij apud Ruiz disput. 76. de Scient. sect. 1. & apud Fasol. 1. par. quæst. 14. art. 13. dubit. 20. num. 477. eam reuocant ad scientiam simplicis intelligentiæ. Curiel verò contra. 7. cap. 4. art. 2. num. 195. & alij Thomistæ communiter ad scientiam visionis reducunt. Ruiz autem sect. 1. & 2. vtrumque modum loquendi approbat, & varijs congruentijs, ac testimonijs Patrum probat. Addit tamen sect. 3. tertium loquendi modum Molinæ, & Sectatorum eius, qui scientiam conditionatorum mediam appellant. Sed verò Molina, & sui scientiam conditionatorum contingentium, de qua loquuntur, non inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis mediam constituunt: sed inter scientiam naturalem, & liberam, quas immeritò cum illis confundit Ruiz: cùm scientia naturalis, præter scientiam simplicis intelligentiæ, intuitionem etiam existentiæ Dei complectatur, quæ pertinet ad scientiam visionis.

Ego in hac re arbitror, scientiam Dei im- 112
primis adæquatè diuidi ex parte obiecti in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis, ita, vt sub secundam cadat, quidquid ad rerum existentiam, aut non existentiam spectat, sub primam autem quidquid spectat ad rerum essentiam possibilem, aut impossibilem; vtramque tamen rursus subdiuidendam esse in scientiam absolutam, & conditionatam. Nam veritates absolutæ, & conditionatæ à Deo cognoscibiles tam circa rerum essentiam possibilem, aut non possibilem, quàm circa rerum existentiam, aut non existentiam dantur, vt ex decursu huius Tractatus conspicuum fiet.

Diuisio 2.

Secundò scientia vniuersa Dei ex parte 113
modi, quo Deo conuenit, in naturalem, & liberam diuidi solet.

Vocatur naturalis, quæ necessariò conuenit Deo, neque vnquam potuit ab eo deficere, qualis est ea, quæ circa obiecta necessaria versatur. Libera autem dicitur, quæ contingenter conuenit Deo, in eoque potuit non esse, qualis est, quæ in obiecta contingentia tendit. Appellatur autem hæc libera, non, quòd in eâ, prout ab intellectu diuino prouenit, libertas sit; intellectus enim non est potentia libera; sed, quòd dependet in suo esse ab obiecto proueniente à libertate vel solius Dei, vel etiam voluntatis creatæ.

Inter has duas scientias mediam constituit P. Molina scientiam illam, qua Deus futura contingentia conditionata nosci; eoquòd de vtroque extremo non nihil participat. Scientia enim Dei simpliciter naturalis & est necessaria ex parte subiecti; quia nullum supponit in illo decretum liberum: & ex parte obiecti; quia hoc defectibile non est. Scientia autem simpliciter libera ex vtroque capite est contingens: quia ex parte subiecti supponit in Deo decretum liberum actuale; & eius obiectum defectibile est. At scientia contingentium conditionatorum ex parte subiecti cum merè naturali conuenit; quia nullum supponit in Deo decretum liberum actuale: ex parte verò obiecti cum merè liberâ; quia obiectum eius contingens est, & defectibile. Ob idque iure optimo media ponitur inter merè naturalem, & merè liberam; quasi participans aliquid ab vtrâque. 114

que.

que. Ita habet Molin. 1.par. quæst.14. art. 13. disput.17. & disput.18. mem.1. & in Concordia disput 52. Quem sequuti sunt Fonsec. lib.6. Metaph. cap.2. quæst.4. sect.8. Soar. lib.2. de Scientia contingentium cap.3. Mascare. disput.1.par.4. num.17. Less. de Efficacia gratiæ cap. 19. initio. Alberti. 4.Principio philosophico.Coroll.4.quæst.4. scholast. ad 6. Curiel. controu.7. fine; & cæteri Nostri communiter. Stet itaque,scientiam Dei in merè naturalem, & merè liberam, & mediam inter vtramque diuidendam esse. Quæ autem contra nomen scientiæ mediæ, & contra rem ipsam opponunt Thomistæ oportunius diluemus postea disput.28.

115 Illud ex dictis diuisione præcedente ad noto, ad scientiam merè naturalem omnes veritates necessarias tum absolutas, tum conditionatas spectare. Ex contingentibus verò, quæ absolutæ sunt, ad scientiam mere liberam, quæ autem conditionatæ, ad scientiam mediam pertinere. Tunc autem dumtaxat veritas conditionata contingens esse dicitur, quando id, quod sub conditione concipitur, respectu ipsius conditionis contingens est; eo quòd conditio ad illud, & ad eius contradictorium, siue, vt coniungatur cum vtrouis, indifferens est: quidquid sit, si comparetur illud ad aliam conditionem, aut absolutè consideretur iuxta doctrinam tradendam infra disput. 28. In quo veritates conditionatæ ab absolutis differunt. Nam veritas contingens absoluta in vniuersùm appellatur, quæcunque fundatur in re absolutè, & simpliciter defectibili; tametsi respectu causæ à qua procedit necessaria sit; eo quòd talis causa ad illam est determinata, siue necessitata. Hæc enim veritas, *Petrus elicit talem actum amoris*, contingens simpliciter esse dicitur, ad scientiamque Dei merè liberam pertinere; siue talis amor à voluntate Petri prout liberà in actu primo, atque adeò liberè procedat; siue à voluntate Petri prout prædeterminatà, necessitàve in actu primo, atque adeò necessariò promanet: eò videlicet, quòd in vtroque euentu eiusmodi amor in se spectatus simpliciter potuit non esse. Vnde obiecta contingentia absoluta rursus in libera, & non libera respectiuè ad suam propriam causam sunt diuidenda,vt videbimus disput.27.

Diuisio 3.

116 **Tertiò diuiditur scientia Dei in practicam, & speculatiuam.**

Qua verò ratione in vniuersùm scientia practica, & speculatiua discriminandæ sint nondum est fixum apud Doctores. Sed tota controuersia est de nomine. De quo nos breuiter egimus in Pharo Scient. disput.22. quæst.4. num.89. Statuimusque cum sententia magis communi, eam omnino cognitionem practicam venire dicendam, quæ & praxim, seu operationem ipsius cognoscentis habet pro obiecto; & ad eam exequendam cognoscentem ipsum dirigere, mouere, seu quoquomodo iuuare valet. Cæteras autem cognitiones omnes speculatiuas, seu theoricas venire nuncupandas.

117 Hinc sequitr primò contra Scotum, scientiam, quam Deus de se habet non esse practicam, sed speculatiuam: quia non habet pro obiecto opus ab ipso sciente efficiendum. Erit tamen practica, saltem virtualiter, ea scientia Dei, quæ habuerit pro obiecto aliquem actum diuinæ voluntatis, si ad eum eliciendum conduxerit, vt potest iuxta dicenda in tract. de Voluntate, vel mouendo ad actum reflexum imperantem illum, vel aliter; de quo ibi. Vtrùm autem scientia, ex qua procedit Verbum diuinum, & quæ mouet ad productionem Spiritus sancti, practica, vel speculatiua dicenda sit, in tract. de Trinitate determinandum est.

Deinde sequitur, scientiam, quam Deus 118
habet de possibilitate creaturarum prout faciendarum ab ipso practicam esse. Non item scientiam, quam habet de earum existentia: quia prima perfectissimè repræsentat opus ab ipso sciente factibile cum modo, quo faciendum est: ad idque subinde efficiendum directiua est ex se. Secunda verò supponit opus iam factum; atque adeò ad illud faciendum nequit immediatè conducere. Vnde contra quoidam Thomistas suo loco dicemus, scientiam visionis de rebus prout absolutè existentibus earum causam immediatam non posse esse.

Præterea sequitur, scientiam vnius obie- 119
cti conducentem ad productionem alterius, qualiter conducit scientia meritorum ad productionem præmij, non esse practicam: quia non habet pro obiecto praxim ipsam. Vnde multò minùs erit practica scientia, qua Deus præuidens iam existentem bonitatem creaturæ mouetur ad illam amandam, seu ad complacendum in illa, nihil denuo in illa causando. Addit Gasp. Hurt. tract. de Scientia disput.5. diff.4. contra Soar. lib.3. de Attrib. cap.4. Scientiam, qua Deus mouetur ad causandas creaturas, etsi sit practica respectu earum, non tamen esse practicam respectu decreti, quo illæ causantur: quia tale decretum non est obiectum talis scientiæ. Sed verò, cùm creaturæ non causentur à scientia, nisi medio decreto, illud ad eamdem praxim cum illis videtur pertinere; rectiùsque proinde dicetur scientia practica etiam respectu ipsius decreti; tametsi non habeat illud pro obiecto. Sed hoc dissidium, præterquàm quòd est de nomine, leuissimum est.

Diuisio 4.

Quartò denique diuiditur scientia 120
Dei in scientiam simplicis notitiæ, & scientiam approbationis.

Dissentiunt tamen etiam Doctores in explicandis membris huius diuisionis. Nonnulli censent, scientiam visionis de obiectis bonis scientiam approbationis vocari posse iuxta illud Genes. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*. Ita Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 4. num. 11. Albarez verò lib. 2. de Auxilijs disput.6.conclus. 2 omnino indistinctam ponit scientiam approbationis à scientia visionis, etiam de obiectis malis, seu peccaminosis. Ex qua positione sequi videtur, & hæc quoque approbari à Deo. Quod dici non potest. Quia Deus nullo modo approbat peccata; atque adeò neque illa scientia approbationis agnoscit. Ob id sæpe dicitur in Scriptura illa ignorare, vel nescire. Psalm. 100. *Declinantem à me malignum non cognoscebam*. Vbi Augustin. *Quid est non cognoscebam? non approbabam, non laudabam; non mihi placebat. Cognoscere enim in Scripturis inue-*

nimus

nimus aliquando pro eo, quod est, placere nobis. Et lib. 2. Quæstionum quæst. 152. ait, *Deus dicitur scire, quæ illi placent, nescire, quæ displicent: non quia ignorat ea; sed quia non approbat.* De quo plura sunt obuia. Reiecto itaque Albarez, non malè scientia visionis de obiectis bonis scientia approbationis vocatur, non nudè sumpta, sed vt coniuncta cum complacentia de bono existenti. Communiùs tamen apud Theologos dicitur scientia approbationis ea, quæ est causa rerum, vt coniuncta cum decreto efficaci de ipsarum rerum productione. Vnde Thomistæ, qui scientiæ visionis attribuunt rerum causalitatem, eidem hanc attribuunt appellationem. Reliqui verò, sicut & primum, ita & secundum attribuunt scientiæ simplicis intelligentiæ. Itaque scientia approbationis ex connotatione ad actum voluntatis ex illâ sequutum, quo Deus in obiecto cognito complacet, talis vocatur; siue hæc complacentia sit simplex, siue sit efficax. Ex quo patet, scientiam approbationis à scientiâ simplici, prout sumitur in hac diuisione, dumtaxat distingui ex connotatione voluntatis; alioquin, eâ præcisâ, non sunt scientiæ distinctæ, sed eadem.

121 Aduerto, sub nomen scientiæ in his diuisionibus tantum venire actum iudicij. Simplex enim apprehensio, quam etiam dari in Deo statuimus quæst. 3 per se non appellatur scientia: quia simpliciter apprehendere non est scire.

122 Hic disputant aliqui Recentiores, an scientia simplicis intelligentiæ, scientia media, & scientia visionis, quæ circa eamdem rem versantur tendentes in illam, prima vt possibilem, secunda vt futuram sub conditione, tertia vt futuram absolutè, ex parte obiecti differant aliquo modo, vel tantùm ex diuersis modis tendendi in idem omnimodis obiectum. Videnturque conuenire re ipsâ in hoc secundo Heric. 1. par. disput. 5. cap. 6. Albiz disput. 4. Arriag. disput. 22. Cardin. de Lugo in manuscr. de Scientiâ disput. 4. sect. 5. Quiros disput. 45. sect. 6. Ribaden. disput. 10. de Scientiâ cap. 4. & alij. Cùm tamen cæteri Theologi, qui punctum hoc ex professo non discusserunt, plerunque oppositum videantur supponere: nimirum, veritates obiectiuas cognitas à Deo per has scientias aliquo modo esse diuersas in se, etiam quando eidem entitati reali conueniunt: atque ita has scientias non solum ex diuersis modis tendendi, sed insuper ex parte obiecti cogniti semper differre.

123 Id quod ego tanquam verissimum supposui, probauique, & explicaui in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. propos. 5. Et nunc iterum probo breuiter. Primò; quia, consensum A esse possibilem, & eumdem esse futurum sub conditione auxilij B, & eumdem esse existentem absolutè, veritates sunt obiectiuæ re ipsâ separabiles: potuit siquidem consensus A esse possibilis; quin esset futurus sub conditione auxilij B; & quin esset absolutè existens, vt est certissimum: potuit item esse possibilis, & futurus sub conditione auxilij B; quin esset existens absolute: potuit etiam esse possibilis, & absolute existens ab auxilio C; quin esset futurus sub conditione auxilij B; &c. Veritates autem re ipsâ inter se separabiles non possunt non inter se re ipsâ aliquam diuersitatem habere; vt satis ex se est notum.

124 Secundò probatur; quia, si tres prædictæ scientiæ Dei ex solis diuersis modis tendendi in idem omnino obiectum differrent, circa quoduis omnino obiectum posset Deus eas omnes concipere, nullâ attentâ, aut expectatâ diuersitate ex parte ipsius obiecti. Atque ita circa Petrum purè possibilem posset habere, non solùm scientiam simplicis intelligentiæ, sed etiam scientiam visionis, qua iudicaret ipsum existere; cùm tamen verè non existat. Quod est absurdum. Si igitur Deus de Petro purè possibili potest iudicare, esse possibilem, & non potest iudicare, esse existentem: consequens est, vt, esse possibilem, & esse existentem, non possint non esse ex parte ipsius Petri diuersa iudicabilia re ipsâ.

Tertiò probatur; quia, si Deus de Petro 125
purè possibili iudicaret, esse possibilem, & esse existentem, primum iudicium esset verum, & secundum falsum, non ob aliud, nisi quia Petrus re ipsâ habet in se, esse possibilem, vti asseritur per primum iudicium, & non habet, esse existentem, vti assereretur per secundum. Igitur quid diuersum est in Petro re ipsâ, esse possibilem, & esse existentem: Siquidem in se primum *esse* re ipsâ habet, & non habet *esse* secundum.

Itaque, esse eamdem rem possibilem, & esse 126
futuram sub conditione, & esse existentem absolutè, veritates obiectiuæ inter se diuersæ, atque separabiles sunt re ipsâ: non quidem, qua ratione extrema distincta inter se realiter sunt inter se diuersa, & separabilia: (quippè tres dictæ veritates cum re, cui conueniunt, atque adeò etiam inter se se sunt identificatæ realiter). Sed qua ratione eadem res prout in diuersis statibus, quos potest sortiri, quadamtenus à se ipsâ diuersa, atque separabilis est. Hoc enim ipso, quòd integer Petrus permanere potest possibilis, quin sit existens, ipse vt possibilis à se ipso vt existente est quodammodo separabilis, atque adeò diuersus. De quo vide plura dicta loco citato.

Ex his autem, & ibi dictis infer, in eâ- 127
dem re quatuor veritates obiectiuas diuersas reperiri posse, nempe quiditatiuam absolutam, quiditatiuam conditionatam, existentialem absolutam, & existentialem conditionatam. Et circa duas priores versari scientiam simplicis intelligentiæ absolutam, & conditionatam; circa duas autem posteriores scientiam visionis absolutam, & conditionatam, iuxta diuisionem earum factam supra num. 112.

Quæ quidem doctrina inde præterea po- 128
test confirmari ampliùs à simili, & declarari. Quoniam veritas positiua, & negatiua contradictoriè oppositæ veritates sunt obiectiuæ re ipsâ inter se separabiles, imo incompatibiles omnino, atque adeò inter se diuersæ: quis enim neget, diuersas veritates esse re ipsâ, existere Petrum, & non existere Petrum; quandoquidem planè est impossibile, hæc duo re ipsâ coniungi? Et tamen eiusmodi veritates eidem omnino rei conueniunt; non tanquam duo extrema realiter inter se distincta, sed tanquam esse, & non esse eiusdem. Nam, rem non esse, non est quidpiam re ipsâ dari, sed potiùs non dari. Proindeque neque est extremum habens essentiam vllam positiuè ab intuentibus in se iudicabilem, sed veritas quædam negatiua in nihilo positiuè consistens, atque adeò negatiuè tantùm ab ipsis intuentibus iudicabilis, per iudicium scilicet negatiuum destruens, seu remouens suo

modo tendendi idem prorsus obiectum, quod iudicium oppositum affirmatiuum suo etiam tendendi modo adstruit, seu ponit; prout latiùs explicatum est, & probatum in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. Ex quo patet, identitatem realem obiecti diuersorum iudiciorum non obstare, quominùs veritates obiectiuæ per talia iudicia iudicatæ diuersæ in se re ipsâ sint. Atque ita veritates obiectiuas iudicatas à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, per scientiam mediam, & per scientiam visionis benè posse inter se re ipsâ diuersas esse: tametsi & ipsæ cum eadem re sint identificatæ realiter, & circa ipsam eamdem rem omnes dictæ scientiæ tanquam circa obiectum idem versentur.

QVAESTIO VI.

Quomodò Deus cognoscat relationem, & terminum. Vbi de denominationibus extrinsecis, vèl semiextrinsecis.

129 VT pleniùs natura scientiæ Dei in vniuersùm innotascat, oportet examinare, quot modis ea tendat in obiecta sua. Et quoniam multa dicenda ex modo, quo tendit in relationem, & terminum, pendent, ideo hanc quæstionem præmittendam duxi.

130 In duo genera solet relatio distingui; nempe in transcendentalem, & prædicamentalem. Transcendentalis dicitur, quæ suapte naturâ, & essentiâ ad aliud se habet, aliud ve respicit. Sic cognitio ad obiectum cognitum refertur, actio ad terminum productum, vnio ad extremum vnitum, &c. Prædicamentalis autem iuxta veriorem philosophiam, quam modò suppono, in denominatione extrinsecâ, vel semiextrinsecâ posita est, qua aliquid relatum ad aliud à nobis concipitur, ad quod per suam essentiam relatum non est. Sic homo, existente prole, ad illam comparatur vt pater; albedo, altera existente, ad illam comparatur vt similis; existente autem sui visione, ad illam comparatur vt visa: cùm tamen per suam essentiam nec homo referatur ad prolem, nec vna albedo ad alteram, aut ad visionem sui. Vnde relatio prædicamentalis, & omnis in vniuersùm denominatio extrinseca, vel semiextrinseca conceptione potiùs nostrâ, quàm re ipsâ, relatio est: realiter enim subiectum, quod relatè ad aliud quidpiam denominatur, ab illo est absolutum, & independens entitatiuè.

131 Porrò relatio transcendentalis in duo etiam genera, quod ad rem attinet, est diuidenda; nempe in relationem connexionis, & non connexionis. Relatio connexionis est, quæ sine termino, ad quem refertur, existere nequit. Sic actio refertur ad terminum existentem; creatura ad Deum suum creatorem, &c. Relatio autem non connexionis vocatur, quæ sine termino, quem respicit, benè potest existere. Sic se habet cognitio fallibilis respectu obiecti cogniti, amor boni non veri, sed merè apparentis respectu obiecti amati, &c. Relatio rursus connexionis, siue connexio in metaphysicam, quæ simpliciter, & physicam, quæ naturaliter, & moralem, quæ moraliter nequit sine suo termino esse, diuidenda venit. De quibus omnibus plura dicta à nobis in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3. & disput. 14. quæst. 1. & 2. videnda sunt. De istis igitur relationibus, deque denominationibus extrinsecis, vel semiextrinsecis in vniuersùm examinandum aggredimur, quo pacto cognoscantur à Deo. Nomine autem relationis semper est intelligenda transcendentalis: nam prædicamentalis, sicut & quæuis denominatio extrinseca, vel semiextrinseca à parte rei non est relatio; & relatio, quæ in eâ per rationem nostram concipitur è genere transcendentalium est, quatenus ex proprio conceptu respectus quidam est ad terminum.

132 Suppono vt certum apud omnes, relationem vt talem nullatenus, non cognito termino, cognosci posse. Nam, cùm ex proprio conceptu ad aliud sit, repugnat eam expresse concipi, vt relatio est, & non concipi ad aliud. Fieri autem non potest, vt concipiatur expresè ad aliud, quin concipiatur aliud, vt patet. Quis enim non videt, esse impossibile, vt cognoscatur cognitio, velamor, vel productio Petri, nullatenus cognito Petro? Sed difficultas est, an sit necesse, vt per eamdem cognitionem, qua relatio cognoscitur, tangatur etiam indirectè terminus eius. Affirmant alij, & alij negant. Vtrosque retuli in Pharo Scient. disp. 2. quæst. 3. conclus. 3. vbi videndi.

133 Adhærensque negatiuæ sententiæ imprimis statui, nos de facto pro hoc statu, non eadem, sed distinctis cognitionibus attingere relationem, & terminum. Quod probatur. Primò; quia plura vt plura non possunt nobis pro statu præsenti per eamdem cognitionem representari, vt in eâdem quæst. 3. citatâ conclus. 2. ostendi cum Aristot. & S. Tho. Compertum est autem, relationem quatenus talem, & terminum eius vt plura representari, siue cognosci; cùm sit de conceptu relationis ad aliud à se distinctum se habere, vt notum est. Secundò; quia voces distinctæ, sicut distinctis conceptibus obiectiuis, ita & distinctis cognitionibus correspondere solent. Relatio autem, & terminus distinctis semper vocibus significantur. Tertiò; quia res distinctæ non adunantur à nobis sub vnâ cognitione, nisi quando adeò sunt in se similes, vt possit abstrahi ab illis conceptus communis. Sed relatio, & terminus res sunt distinctæ ex proprijs conceptibus valde dissimiles. Ergo sub vnâ cognitione non possunt à nobis adunari; sed distinctis sunt concipiendæ. Quartò: quia vel experientiâ ipsâ videtur constare, dum iudicamus de subiecto actum relatum ad illud, (qualis est omnis actus ex suo conceptu iuxta dicta quæst. 2. num. 25.), distinctis nos cognitionibus attingere subiectum, & actum; sicut & distinctis vocibus significamus: quandoquidem sæpe præcedit tempore apprehensio simplex subiecti, eademque subseruit posimodùm accedenti iudicio, tendentique in actum talis subiecti; quin opus sit, vt subiectum ipsum per tale iudicium tangatur iuxta doctrinam datam etiam in Pharo Scient. disput. 2. citatâ quæst. 4. Quintò; quia species impressa, qua vtimur ad concipiendam relationem, longè diuersæ naturæ est ab eâ, qua vtimur ad concipiendum terminum; dissimilia quippe, qualia sunt ex suo conceptu relatio, & terminus, nequeunt nobis representari eâdem,

vel

vel simili specie, vt ipsâ experientiâ innotescit. Ergo non eadem, sed distinctæ, dissimilesque cognitiones sunt, quæ à talibus speciebus promanant circa relationem, & terminum. Sextò denique; quia non minùs repugnat, amari medium vt medium, non amato fine, quàm, cognosci relationem, non cognito termino: & tamen in sententiâ satis communi distinctis actibus amantur medium, & finis. Ergo.

134 Ex quibus in eo consect. 3. contra Doctores prioris sententiæ affirmatiuæ manifestè colligi, & nunc etiam colligo, nequaquam necessarium esse, quòd relatio, & terminus per eamdem cognitionem tangantur: atque adeò possibile vniuersaliter esse, vt cognoscatur relatio per cognitionem distinctam à cognitione termini, connexam tamen necessariò cum illâ; eoquòd absolutè relatio prout talis sine termino cognosci nequit. Imo apud nos hunc modum cognoscendi necessarium omnino esse pro statu præsenti. Tametsi apud videntes intuitiuè vtrumque sit haud dubie possibile; nempe & quòd per distinctas cognitiones cognoscantur relatio, & terminus, & quòd cognoscantur per eamdem. Quia in neutro apud eos est repugnantia.

135 Sed obijciunt Recentiores primò agentes de relatione creaturæ ad Deum. Qui comprehendit relationem creaturæ, format hoc iudicium, *Creatura respicit Deum*. Sed in hoc iudicio necessariò attingitur Deus. Ergo relatio, & terminus necessariò debent cognosci eâdem cognitione. Probant minorem. Quia distincta sunt hæc iudicia, *Creatura respicit*, *&*, *Creatura respicit Deum*. Ergo aliquid habent ex parte obiecti, quo distinguantur. Non, creaturam. Non, respicere. Ergo solùm distinguuntur; quia in vno exprimitur Deus vt terminus illius ordinis, secus in alio. Confirmant. Quia diuerso modo cognosceret creaturam, qui ita cognosceret, *Petrus est dependens*, quàm, qui cognosceret, *Petrus est dependens à Deo*. Tum priori iudicio non penetratur quiditas dependentiæ Petri, quæ non est dependentia vt sic, sed dependentia à Deo. Arguunt secundò. Nequit Deus intuitiuè videre hoc iudicium creatum, *Deus est trinus, & vnus*, non cognito eâdem cognitione Deo trino, & vno. Ergo nec potest cognoscere dependentiam creaturæ à Creatore, non cognito eodem actu Creatore. Antecedens probant. Quia essentia dicti iudicij non est representare vtcunque, sed representare Deum trinum, & vnum. Repugnat autem clarè cognoscere hoc, quod est, representare Deum trinum, & vnum, non attingendo eodem actu Deum trinum, & vnum: sicut repugnat, iudicare, Petrum currere velociter, non cognito cursu veloci. Confirmant. Quia Deus dictam cognitionem creatam vt distinctam ab alijs cognoscit. Sed non distinguitur; quia est representatio vt sic; potiùs in hoc conueniunt; sed quia est representatio Dei trini, & vnius. Ergo.

136 Hæc omnia in idem recidunt; nec amplius probant, quàm, non posse relationem cognosci sine termino: quod omnes fatemur. Quod verò eâdem cognitione relationis debeat attingi terminus, non probant. Respondeo ergo ad primum, dum quis iudicat, creaturam respicere Deum, necessario attingere Deum, non quidem per ipsum iudicium, quo suasiuè, & adhæsiuè tendit in eum respectum creaturæ, sed per alium actum tali iudicio annexum. Nec verum est, quod supponitur in probatione minoris, esse possibile iudicium respondens illis verbis præcisè, *Creatura respicit*; quasi respectus possit absque vllo termino cognito iudicari, contra id, quod ex sententiâ omnium supponimus. Nos quidem benè possumus sic iudicare, *Creatura respicit aliquid*, quin sciamus, quid illud sit, quod respicit; quod iudicium diuersum ab illo erit, *Creatura respicit Deum*. Sed diuersitas non stabit in eo, quòd per primum respectus sine termino, per secundum autem simul cum termino cognoscatur: sed, quòd per primum respectus, quem creatura dicit ad Deum, non sub conceptu speciali talis respectus noscitur, sicut per secundum, sed sub ratione communi respectus. Quo fit, vt, dùm primum iudicium habetur, sat sit, attingere etiam terminum illius respectus sub conceptu communi; quin attingatur sub ratione speciali, sub qua attingitur, dum habetur secundum: siue hæc attingentia per eumdem actum, quo respectus iudicatur, siue per actum distinctum fiat: quod hìc non habet specialem difficultatem. Ex quo patet ad confirmationem primi argumenti. Ad secundum etiam argumentum patet; quomodo, etsi de essentiâ eius iudicij sit representare Deum trinum, & vnum, possit nihilominùs illud cognosci; quin eodem actu attingatur Deus trinus, & vnus; dummodo per alium attingatur, cum quo prior connexus sit. Nec, quod de cursu veloci adducitur, quidquam facit ad rem: nam vel velocitas est quid à subsistantiâ cursus distinctum; vel non. Si primum; poterit quidem cognosci cursus, qui velox est; quin eodem actu tangatur ipsâ velocitas. Si secundum; quid refert, non posse cognosci cursum, sine aliquo identificato secum; quando agimus de cognitione rerum distinctarum; qualis est relatio, & terminus eius? Denique ad confirmationem patet, cognitionem illam Dei trini, & vnius, non vt est representatio præcisè, qui est conceptus communis, sed, vt talis est, ab alijs distingui: talitas tamen hæc prædicatum est intrinsecum ipsius cognitionis, quod nequit cognosci sine talitate termini, obiecti vè per illam representati; sicut prædicatum commune representationis vt sic nequit sine conceptu communi termini, vel obiecti cognosci. Quod verò terminus proprius siue representationis vt sic, siue talis representationis per eamdem cognitionem cum illâ debeat attingi, quomodò hinc probatur? Stet ergo, posse per distinctam, cum qua cognitio representationis vt sic, siue talis representationis connexa sit.

Sed instant adhuc Recentiores. Cognoscere vnâ cognitione creaturam, & aliâ Deum, 137
non est cognoscere creaturam respicere Deum. Ergo. Antecedens probant. Quia cognitio de creaturâ non dicit, Deum esse terminum illius, sed tantùm creaturam dicere ordinem, non verò ad quem: cognitio autem Dei tantùm dicit Deum; non tamen esse Deum, ad quem creatura dicit ordinem. Confirmant. Quia, si quis vnâ cognitione cognoscat ignem esse productum, ignorans, à qua causâ, etsi simul aliâ cognitione cognoscat aquam, non ob id cognoscet ignem dependere ab aquâ; & tamen cognoscet ignem dependere, & aquam existere. Ergo, qui cognoscit creaturam dependere, non sciens, à quo dependeat, per eam cognitionem; etsi per aliam

cognoscat, Deum existere; non ob id cognoscet, creaturam dependere à Deo. Confirmant secundò. Nam, si ad cognoscendum, speciem expressam repræsentare lapidem, sat est coniunctio duarum cognitionum, quarum altera cognoscatur species expressa repræsentans, altera cognoscatur lapis: cùm Deus simul, ac cognoscit speciem dictam repræsentare, cognoscat, non solùm lapidem, sed ignem, aquam, & cætera omnia obiecta, pariter cognoscet, speciem prædictam repræsentare ignem, aquam, & cætera obiecta. Quod est absurdum. Si enim coniunctio cognitionis lapidis cum cognitione de hoc, quod est, speciem expressam repræsentare, facit, vt Deus cognoscat, speciem repræsentare lapidem; etiam coniunctio cognitionis ignis cum eadem specie cognitione faciet, vt Deus cognoscat, speciem repræsentare ignem, &c. Mitto alia, in quibus nihil noui præter dicta opponunt; sed eadem diuersis phrasibus, aut exemplis inculcant.

138 Quæ omnia facilè imprimis reuinci possunt vno verbo. Nam, creaturam respicere Deum, nihil aliud inuoluit ex parte obiecti, præter creaturam cum respectu, quem ad Deum habet, & ipsum Deum. Ergo casu, quòd totum hoc per duas cognitiones non minus, quàm per vnam, cognoscatur, vt nos contendimus, esse possibile; repugnat, vt per illas non cognoscatur, creaturam respicere Deum, æquè, ac cognoscitur per vnam in sententiâ oppositâ. Frustra ergo Recentiores per argumenta facta contendunt, hoc, quod est, creaturam respicere Deum, non cognosci per duas cognitiones, quarum altera clarè, & expressè cognoscatur creatura cum respectu, quem ad Deum habet secum identificato, altera cognoscatur Deus. Deberent vtique probare, id totum per eas duas cognitiones attingi non posse, quemadmodum in eorum sententiâ attingitur per vnam. Alioquin, semel admisso, quòd attingatur, nihil profectò possunt concludere contra sententiam nostram, nisi fallaciter.

139 Respondeo ergo ad eorum argumentum; quidquid sua illa indiuisibilis cognitio attingit ex parte creaturæ condistinctum à Deo, id totum attingi per primam cognitionem, quam nos adstruimus: per secundam autem, quidquid illa attingit ex parte Dei condistinctum à creaturâ. Vnde per dictam primam cognitionem, non solùm cognoscitur, creaturam dicere ordinem vt sic, sed dicere talem ordinem, qui suapte naturâ, & essentiâ ordo est ad Deum, non ad alium terminum: ob idque ab intellectu sine Deo concipi nequit, nedùm per voces explicari. Cæterùm, quem admodùm non vnâ, & eâdem voce naturam specialem talis ordinis alijs exprimimus, sed duabus; quarum altera ordinem, altera terminum notificat, dicentes, *Creatura respicit Deum*; ita non vnâ, & eâdem cognitione ipsius ordinis naturam exprimimus nobis, sed duabus; quarum altera ordinem ipsum præcisè, altera Deum, ad quem se habet, repræsentat. Hinc ad primam confirmationem dico; qui cognoscit, ignem esse productum, nesciens, à qua causâ, tantùm cognoscere productionem ignis sub conceptu communi; quo pacto non potest non cognoscere per aliam cognitionem terminum talis respectus, qui est causa vt sic; quibus duabus cognitionibus ei innotescit, ignem productum esse à causâ, ad quam vt sic dumtaxat se habet ordo productionis vt sic, non ad aquam, aut aliud obiectum cognitum comitanter; cuius proinde cognitio impertinenter ad rem se habet. Ex quo patet ad secundam confirmationem; coniunctum ex cognitione speciei expressæ suapte naturâ repræsentatiuæ lapidis, & ex cognitione ipsius lapidis optimè posse facere Deum cognoscentem, eam speciem repræsentare lapidem; quin ob id coniunctum ex cognitione speciei, & ex cognitione ignis, aut alterius obiecti faciat eum cognoscentem, speciem repræsentare ignem, aut aliud obiectum: quia per cognitionem speciei non cognoscit Deus, eam repræsentare vt sic, aut repræsentare quoduis obiectum; sed repræsentare determinatè solum obiectum, quod suapte naturâ repræsentat, quodque non potest non à Deo per secundam cognitionem attingi, vt talem repræsentationem cognoscat per primam.

Vtque perspicuè videas Recentiorum fallaciam. Accipe idem argumentum contra eorum sententiam, iuxta quam idem est, Deum cognoscere, speciem lapidis repræsentare lapidem, ac, cognoscere per eamdem cognitionem speciem in recto, & lapidem in obliquo. Tum sic. Ergo cognoscere per eamdem cognitionem, speciem in recto, & aliud quoduis ens in obliquo, erit cognoscere, speciem lapidis repræsentare tale ens; quæ est eorum consequentia. Ergo Deus de facto cognoscit, speciem expressam repræsentatiuam solius lapidis repræsentare insuper intellectum, cuius est species, Deum ipsum, & alia entia: quia titulo ordinis, quem talis species dicit ad intellectum, ad Deum, & ad alia entia non possunt non iuxta sententiam Recentiorum cognosci per eamdem cognitionem species in recto, & intellectus, Deus, & cætera entia in obliquo. Vt ergo ipsi tenentur respondere, Deum solùm cognoscere, speciem repræsentare illud obiectum, cuius est propria species; tametsi simul cum specie vnâ, & eâdem cognitione cognoscat in obliquo quoduis aliud obiectum; ita & nos id ipsum asserimus: tametsi Deus, dùm cognoscit speciem, & id, cuius species est, per duas cognitiones, quorumuis etiam aliorum obiectorum cognitiones comitanter habeat. 140

Denique obijciunt alij. Visio corporea albedinis ideo non tangit Deum, etsi tangat relationem, quam albedo habet ad Deum; quia est cognitio imperfecta talis relationis. Ergo saltem per cognitionem perfectam, qualis est omnis cognitio Dei, nequibit relatio attingi, nisi per eamdem cognitionem attingatur terminus. Mala consequentia: quia imperfectio visionis corporeæ non stat in eo, quòd tangendo relationem per se, non tangit terminum; sed in eo, quòd neque per se, neque per aliam cognitionem annexam sibi tangit illum; adeò est confusa notitia talis relationis. De ratione enim expressæ, perfectæque notitiæ relationis est, vt sine notitiâ termini subsistere nequeat; eoquòd relatio sine termino expressè concipi non potest. Quòd verò terminus per eamdem cognitionem, qua attingitur relatio, vel per distinctam tangi debeat, id nihil attinet ad perfectionem notitiæ relationis. Stet igitur non opus esse, vt relatio, & terminus eius per eamdem cognitionem indiuisibiliter attingantur; sed posse quàm optimè relationem per vnam 141

cogni-

cognitionem etiam perfectissimam cognosci, & terminum eius per aliam, cum qua prior connexa sit.

142 Quo posito, suppono deinde id, in quo Doctores etiam conspirare videntur; ad cognoscendam relationem quauis ratione sat esse, si terminus eius per simplicem apprehensionem tangatur; nec opus esse notitia termini iudicatiua, adhuc, quando relatio per iudicium attingitur seu abstractiuum, seu intuitiuum. Quod adeò verum est, vt etiam illi, qui existimant, relationem, & terminum per eamdem cognitionem debere cognosci, ingenuè fateantur, quando relatio attingitur per cognitionem iudicatiuam, eam quidem cognitionem comparatione relationis habere rationem iudicij, comparatione tamen termini tantùm habere rationem apprehensiouis simplicis; nisi fortasse aliunde ex perfectione cognoscentis prouenirat, vt cognitio etiam termini iudicatiua sit, præter id, quod exigebat iudicium relationis, vt aliqui philosophantur in Deo. Et quidem suppositio hæc in nobis compertissima est. Innumera enim habemus iudicia circa relationes, siue illæ sint connexionis, siue non connexionis, quarum terminos simpliciter tantùm apprehendimus. Quinimo omnia iudicia nostra eam semper secum afferunt proprietatem. Versantur enim circa proprium obiectum conceptum per modum actus tuatiue, apprehensis tantùm simpliciter subiecto, & termino talis actus, quorum vtrumque ipse ex proprio conceptu respicit respectu connexionis, vt fusè explitatum à nobis est in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & disput. 8. quæst. 4. propos. 2. Dum discurrimus etiam, iudicato antecedente, & connexione eius cum consequente, terminum talis connexionis ex parte antecedentis apprehendimus etiam simpliciter, antequàm illum iudicemus per conclusionem, prout etiam est explicatum dictâ disput. 2. quæst. 5. In Deo etiam certum est ex doctrinâ datâ supra quæst. 3. dum iudicatur relatio non connexionis saltem termini non iudicabilis, simpliciter tantùm talem terminum apprehendi; quia aliter ille à Deo attingi non potest.

143 Dubitari tamen potest, an relatio connexionis sit iudicabilis à Deo, non iudicato pariter termino eius. Videtur enim non esse: quia, cùm talis relatio sine termino nequeat existere, non videtur posse Deus eius existentiæ assentiri, quin assentiatur existentiæ termini: tametsi nos possimus, qui imperfectiùs talem relationem cognoscimus. Nihilominùs dico, etiam in Deo ad iudicandam relationem connexionis præcisè sat esse per locum intrinsecum, quòd terminus apprehendatur simpliciter; etsi non possit non insuper ea mouere intellectum diuinum ad iudicandum terminum. Primò; quia relatio connexionis non habet ex suâ naturâ, sine iudicato termino iudicari non posse; quemadmodùm habet absolutè non posse cognosci sine termino: alioquin, sicut propter hoc secundum non solùm à Deo, sed etiam à nobis nequit cognosci sine termino; ita propter illud primum non solùm à Deo, sed etiam à nobis nequiret sine iudicato termino iudicari, contra doctrinam certam, quam statuimus. Secundò; quia relatio connexionis ex prædicato generico relationis præciso habet indigere ad cognitionem sui cognitione termini: huic autem indigentiæ per simplicem apprehensionem termini satisfit, vt terminus in relatione non connexionis: tametsi relatio connexionis ex prædicato differentiali insuper habeat, inducere intellectum iudicantem illam ad iudicandum etiam terminum; quod non interest ad rem. Tertiò; quia, si ad iudicium de relatione connexionis esset in Deo requisitum iudicium de termino, hoc prius naturâ, quàm illud, aut saltem simul naturâ esset; hinc autem fieret, vt iudicium de relatione connexionis nequiret mouere intellectum Dei (vt verè mouet iuxta dicenda postmodùm) ad aliud iudicium de termino posterius naturâ; esset siquidem hoc prorsus superfluum, præsuppositio priore altero de eodem termino prorsus ei simili. Quartò; quia ab omni ore est affirmabilis relatio connexionis, non affirmato termino eius, sed significato tantùm simpliciter. Ergo & ab omni intellectu est iudicabilis relatio connexionis, non iudicato termino eius, sed tantùm simpliciter apprehenso. Quintò; quia relatio connexionis benè potest à Deo poni in hypothesi, non posito in hypothesi termino, sed tantùm apprehenso extra hypothesim, vt satis ex se videtur notum, & fusiùs suo loco explicabitur. Ergo & potest iudicari à Deo non iudicato termino, sed tantùm simpliciter apprehenso. Ex quibus omnibus satis, superque constat, iudicium de quauis omnino relatione seu connexionis, seu non connexionis per locum intrinsecum, siue ex indigentia sui amplius ad suam existentiam non postulare, quàm apprehensionem simplicem termini: tametsi alias relatio connexionis præ altera ad iudicium etiam de suo termino determinare valeat intellectum iudicantem illam modis paulò post explicandis.

Sed rogabit aliquis, an iudicium affirmatiuum expressum, & formale de relatione connexionis sit tacita saltem, & virtualis affirmatio de termino eius alias simpliciter apprehenso tanquam de quodam connotato; quemadmodum iuditium affirmatiuum expressum, & formale de quouis obiecto prout connotante alterum tacita est, & virtualis affirmatio de connotato ipso alias simpliciter apprehenso iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disput 2. quæst. 4. consect. 5. agentibus de iudicio humano, & supra quæst. 4. num. 106. applicatam iudicio diuino. Respondeo negatiuè, si sermo sit (vti impræsentiarùm est) de iudicio affirmatiuo, quo iudicatur relatio connexionis secundùm suam entitatem præcisè; non verò de iudicio affirmatiuo, quo iudicari etiam potest prout connotans suum terminum: hoc enim secundum (de quo modò non agimus) tacita quidem, & virtualis affirmatio erit de termino iuxta doctrinam commemoratam; illud verò primum, (de quo modò agimus) nequaquam. Quod vt percalleas, nota, aliud esse, strictè loquendo, A respicere B, aliud verò A connotare B. A enim respicere B, denominatio est intrinseca in A ab ipso A indistincta realiter, licèt sit respectiua ad B tanquam ad terminum extrinsecum: A verò connotare B, denominatio est semiextrinseca in A claudens in suo nonceptu reali non solum A, sed etiam B, A quidem directè, siue in recto, & B indirectè siue in obliquo, iuxta doctrinam vniuersalem de huiusmodi denominationibus traditam in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & disput. 8. 144

quæst.

quæst. 3. sæpeque aliàs. Ex hac igitur differentia obiectorum nascitur, vt iudicium affirmatiuum de A prout respiciente B de solo A iudicium sit, & ne tacitè quidem, aut virtualiter sit iudicium de B; tametsi nequeat non secum ferre simplicem apprehensionem de ipso B vt de termino extrinseco, iuxta dicta paulo ante in præsente quæstione. Iudicium verò affirmatiuum de A prout connotante B, vtpote tendens in complexum ex vtroque, ita sit affirmatio expressa, & formalis de A, in quod tendit directè, vt nequeat non esse etiam tacita, seu virtualis affirmatio de B, quod respicit obliquè. Et quoniam relatio connexionis bifariam iudicari potest. Primò secundùm se præcisè, quoad solam ve suam intrinsecam entitatem. Secundò prout connotans suum terminum, siue quoad denominationem semiextrinsecam ex ipsa, & ex consortio sui termini resultantem. Si iudicetur priori modo, iudicium de ipsa nullatenus est iudicium de termino. Si autem posteriori modo, iudicium affirmatiuum expressum, & formale de ipsa necessariò est tacitum, siue virtuale de termino. Sicque intelligenda est, aut etiam, si fuerit opus, nonnihil corrigenda doctrina, quam agentes de iudicio humano tradidimus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. sect. 5. citato. His ita positis, pergo iam ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

145 **Relatio, & terminus bifariam cognoscuntur à Deo. Primò per duas cognitiones, quarum altera est relationis, altera termini. Secundò per aliam, qua indiuisim attingitur vtrumque. Quæ omnes inter se vicissim virtualiter distinctæ sunt.**

Quia hic duplex modus cognoscendi relationem, & terminum possibilis est, vt constat ex dictis: neuterque eorum adfert imperfectionem Deo. Ergo neuter est ei negandus. Iuxta vtrumque autem, dum relatio iudicatur, terminus eius tantùm apprehenditur simpliciter: quia id satis est ad iudicandam relationem, vt ex dictis etiam notum est. Dari autem in Deo huiusmodi apprehensiones simplices quæst. 3. propos. 2. monstrauimus. Porrò iudicium de relatione iuxta primum modum distinctum esse virtualiter à simplici apprehensione termini, inde probatur: quia, etsi deficeret relatio ad talem terminum terminata, & consequenter iudicium eius, nihilominùs maneret apprehensio termini subseruiens ad iudicandas alias relationes terminatas ad eumdem. Vnica enim sola apprehensio simplex cuiusuis obiecti datur in Deo subseruiens ad iudicandas omnes veritates relatas ad tale obiectum, nec plures ad id muneris sunt necessariæ, vt ex doctrinà vniuersali quæstionis quartæ licet colligere. Ex quo etiam patet, ab huiusmodi apprehensione virtualiter distingui tertiam aliam cognitionem tangentem indiuisim relationem, & terminum iuxta secundum modum. Hanc autem cognitionem distingui quoque virtualiter à iudicio illo priore de relatione, manifestum est ex doctrinà dictæ quæstionis: quia illud tantùm attingit relationem, hæc verò etiam terminum. Quanquam autem terminus relationis sæpe sit iudicabilis verè, & consequenter de facto iudicetur à Deo: hoc tamen eius iudicium ad iudicium de relatione necessarium non erat, vtpote ad quod per locum intrinsecum, siue iuxta ipsius indigentiam propriam sufficit simplex apprehensio de termino ipso, vti explicauimus. In quo relatio connexionis, & relatio non connexionis conueniunt. Pergo ad cætera, quæ relationis connexionis sunt propria. Sitque.

Propositio 2.

Relatio connexionis bifariam inducit Deum ad iudicandum terminum. Primò, mouendo illum per iudicium sui ad alterum iudicium de termino. Secundò, determinando illum ad iudicium, quo indiuisibiliter iudicentur ipsa relatio, & terminus. 146

Sermo est semper de connexione metaphysicà, quoties in hac quæstione loquimur de relatione connexionis: nam connexio merè naturalis, aut moralis non valet determinare Deum ad cognoscendum terminum: quia est medium simpliciter, & absolutè fallibile; cum possit metaphysicè componi cum negatione termini: tametsi valeat determinare nos, quibus non repugnat falli, vt fusiùs explicabimus infra disput. 26. Itaque, quemadmodum in nobis iudicium alicuius antecedentis connexi cum aliquo consequente intellectum mouet ad eliciendum iudicium ipsius consequentis; ita similiter in Deo: nisi quòd in illo motio iudicij antecedentis, & elicientia iudicij consequentis non est realis formalis, sicut in nobis, sed tantùm virtualis. Ob idque in Deo verus, & formalis discursus non datur; etsi virtualis detur. Aliter insuper Deus vi relationis connexionis iudicat eius terminum, tangendo vtrumque obiectum eodem indiuisibili iudicio, sed ad quod non vtrumque exæquò, sed sola relatio determinat, ita, vt sit verum, rationem iudicandi terminum esse ipsam relationem: præstat enim ista cognitio sola, quod præstant iuxta priorem modum duæ illæ simul sumptæ; nisi quòd ibi relatio immediatè ad iudicium sui, & medio illo ad termini iudicium determinat; hic verò immediatè determinat ad iudicium, quod & sui, & termini iudicium est. Vnde isti duo modi cognoscendi relationem connexionis, & eius terminum à modis cognoscendi relationem vt sic, de quibus egimus propositione præcedente differunt. Ibi enim non necessariò relatio determinat ad simplicem apprehensionem termini, sed ea aliunde haberi potest; etsi cognitio relationis sine illà stare non possit, vt diximus. Ob idque apprehensio termini requisita ad cognitionem relationis & potest præcedere naturâ, in nobisque tempore etiam sæpe præcedit cognitionem relationis, & sine ipsà potest perseuerare, quando ab illà distincta est iuxta doctrinam propos. 1. Quod non habet iudicium termini vi connexionis habitum, prout constat ex dictis.

Iam

147 Jam verò, quòd relatio connexionis suapte naturâ vim habeat specialem determinandi intellectum cognoscentem illam ad iudicandum terminum, præterquàm quòd experientiâ in nobis est notum, à priori etiam ostenditur. Quia, cùm sit prorsus necessarium, terminum connexionis existere, si existit res cum illo connexa; eoquòd hæc sine illo existere nullo pacto potest: procliue est, vt, qui iudicat rem connexam existere cognoscens simul, eam cum termino connexam esse, seu, quod idem est, non posse existere sine termino, procedat inde ad iudicandum existere terminum ipsum: ad id enim mouetur, imo & impellitur (interueniente euidentiâ) vi iudicatæ connexionis.

148 Quòd autem duo dicti modi præfati iudicandi terminum vi relationis connexionis dentur in Deo, inde probandum est: quia sunt possibiles secundùm se, sufficientemque habent diuersitatem, vt neuter in Deo censeatur superfluus, vtque cognitiones ad eos spectantes virtualiter distinguantur, prout ex doctrinâ traditâ quæst. 4. facilè quisque potest colligere: aliundeque nullam secum adferunt imperfectionem, vt constabit ex solutione obiectionum.

149 Primò enim obijciunt aliqui. Deus quouis obiectum videt in ipsomet intuitiuè determinatus ab ipsâ obiecti veritate, & à vi, quam habet cognoscendi, quidquid est verum. Ergo nequit ad illud videndum determinari, seu moueri per connexionem alterius obiecti connexi cum illo. In conspectu enim intuitionis summè perfectæ nihil aliud videtur mouere posse. Sicut in sententiâ communi nec motiuum fidei, nec motiuum scientiæ abstractiuæ, quantumuis euidentis, potest mouere. Respondeo, (quidquid sit de compatibilitate fidei, aut scientiæ abstractiuæ cum intuitione clarâ, de quo suo loco), certum apud omnes esse, actus æquè euidentes eiusdem obiecti nascentes ex diuersis motiuis necunde esse inter se incompatibiles. Actus autem, quibus Deus cognoscit terminum connexionis motus tum à connexione, tum ab ipsâ termini cognoscibilitate, æquè sunt euidentes, & intuitiui, vt mox dicemus. Vnde non est, cur connexio ad cognitionem termini nequeat mouere in conspectu alterius eius intuitionis.

150 Secundò obijci potest ex Herice disput. 4. cap. 3. Connexio quouis modo cognita solùm determinat ad notitiam abstractiuam termini: quia solùm determinat ad cognoscendum illum quoad an est; vt videre est in connexione creaturæ cum Deo, quæ tantùm determinat ad cognoscendum Deum quoad an est; idque secundùm conceptum causæ potentis creaturam causare præcisum à Trinitate personarum, ab alijsque attributis diuinis. Sed notitia abstractiua prorsus repugnat Deo. Ergo Deus non determinatur vi connexionis ad cognoscendum terminum eius. Hoc argumentum, siquid probat, omnem notitiam termini habitam vi connexionis excludit à Deo: cùm tamen Herice non omnem excludere intendat; sed tantùm eam, ad quam Deus per iudicium connexionis inducì dicitur iuxta primum casum propositionis; admittens illam, qua Deus determinatus à connexione indiuisim discitur tangere connexionem, & terminum iuxta secundùm casum. Etenim, si imperfectio est attingere abstractiuè terminum vi connexionis, æquè erit imperfectio, siue terminus per eamdem cognitionem connexionis, siue per distinctam attingatur.

Respondent igitur Recentiores, notitiam 151
abstractiuam, imo obscuram, seu non omnino claram obiecti indirecti, quæ eadem sit perfectissima intuitio directi, nullam dicere imperfectionem repugnantem Deo: quia per illam obiectum indirectum, quantum cognoscibile est ex vi talis medij, cognoscitur. Non placent. Quia notitia minùs clara, vel abstractiua absolutè dicit imperfectionem repugnantem Deo; cuius cognitio summè clara, & perfectissimè intuitiua asserenda est; atque adeò tangens obiectum absque vllâ præcisione formalitatum. De conceptu enim intuitionis diuinæ est, penetrare cum summâ claritate obiectum, illudque eadem prorsus ratione, qua re ipsâ est, representare, quo pacto est prorsus indiuisum, & simplex absque vllâ formalitatum compositione. Ergo etiam cognitio minùs clara, vel abstractiua solius obiecti indirecti, quæ clara sit, & intuitiua directi, imperfectionem dicit repugnantem Deo. Nam, vt bene ipsi Recentiores postea contra Herice argumentantur, quoties aliquod prædicatum ex suo conceptu dicit imperfectionem, illud in Deo reperiri non potest, quantumuis identificetur cum formalitate perfectâ. Si ergo cognoscere obscurè, vel abstractiuè quid imperfectum est ex proprio conceptu, relatè ad nullum obiectum reperietur in Deo, quantumuis identificatum etiam formaliter cum intuitione clarissimâ alterius obiecti. Præterquàm quòd abstractio, siue præcisio formalitatum in ijs, qui cognoscunt per proprias species, adhuc imperfectè, & obscurè, aliunde est prorsus impossibilis, vt ostendi in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 11.

Respondeo ergo ad argumentum, dato, 152
quòd connexio aliqua ex se non determinet ad cognoscendum integrum suum terminum, eoquòd non est connexio cum illo quod ad totum illius *esse*, sed tantùm quoad aliquod eius prædicatum, (vti supponitur esse, quoad rem attinet, connexio creaturæ cum Deo, de quo nos suo loco), tunc Deum partim ab ipsâ connexione, partim à suâ vi intelligendi determinari ad cognoscendum talem terminum integrè omnino, & perfectissimè intuitiuè: coquòd vis ipsâ intelligendi Dei non patitur, eiusmodi terminum minùs perfectè à se cognosci. Neque ad cognitionem minùs perfectam est intellectus diuinus determinabilis per vllum obiectum, aut medium, quodcunque illud sit. Itaque, quò maior est perfectio principiorum intelligendi in eo, qui vi connexionis cognoscit terminum, eò perfectiùs cognoscitur terminus ipse, vt patet in hominibus, & Angelis, qui inæqualiter cognoscunt Deum ex connexione creaturæ iuxta inæqualitatem principiorum intelligendi, quæ habent. Cùm ergo vis intellectiua Dei summè perfecta sit, nil mirum, si vi cuiusuis metaphysicæ connexionis cognitione summè perfecta cognoscat terminum, qualis est cognitio plenè intuitiua, & quiditatiua; nec aliter illum valeat cognoscere. Igitur, vt rem exactè calleas, concipe in diuino intellectu veluti duas species impressas duarum cognitionum diuersarum eiusdem obiecti, æqualium tamen, quod attinet ad perfectionem repræsentandi illud plenè

intui-

intuitiuè, & quiditatiuè: ex quibus duabus ſpeciebus altera ad producendam ſuam cognitionem ipsà obiecti veritate determinatur, altera verò non veritate obiecti, ſed connexione alterius obiecti cum illo. Atque hinc perſpicies, quo pacto, etſi connexio ex ſe non determinet ad cognoſcendum ſuum terminum omnino quiditatiuè, & intuitiuè, reſpectu Dei non poſſe non ad id determinare, æquè, ac determinat veritas ipsa termini ſecundum ſe: quia principia intelligendi Dei, per huiuſmodi connexionem determinabilia, ad aliud genus cognitionis determinari non poſſunt; ſicut nec poſſunt principia determinabilia per ipſam obiecti veritatem.

153 Sed adhuc poteſt inſtari contra hanc ſolutionem. Deus non eſt determinatus ad cognitionem ex ſuo genere perfectiſſimam; ſicut neque ad amorem perfectiſſimum ex ſuo genere: poteſt enim habere actus tum cognitionis, tum amoris inæquales ex ſuo genere in perfectione, quales ſunt ſimplex apprehenſio, & iudicium, amor efficax, & inefficax, &c. quemadmodum etiam ſunt inæquales actus amoris, & cognitionis inter ſe comparati. Ergo non eſt, cur Deo repugnet cognitio aliqua abſtractiua; tametſi hæc ex ſuo genere minùs perfecta, quàm intuitiua ſit, Conceſſo toto antecedente, de quo ſuo loco. Nego conſequentiam. Quia, licèt ſit Deo poſſibilis vnus actus minùs perfectus ex ſuo genere, quàm alius; non eſt tamen ei poſſibilis actus ex ſuo genere imperfectus. Cognitio autem abſtractiua imperfecta eſt ex ſuo genere; ſicut cognitio falſa, & obſcura: quia eſt cognitio attingens rem aliter, quàm re ipsà eſt; ſubindeque aliquam ſecum ferens obſcuritatem: cùm ſit cognitio attingens vnam formalitatem, & non aliam, cum qua prima re ipsà eſt idem. Quod genus cognitionis aliunde etiam, vt iam diximus, repugnat ijs, qui cognoſcunt per proprias ſpecies, vti cognoſcit Deus.

154 Tertiò obijciunt Recentiores ſupra commemorati contra primum modum, quem in Deo adſtruimus cognoſcendi terminum ex relatione connexionis prius cognitâ. Hic modus arguit imperfectionem in cognitione talis relationis, nempe, eam non plenè, & perfectè penetrare ſuum obiectum. Ergo non eſt Deo adſcribendus. Antecedens probant. Quia, qui plenè, & perfectè intuetur, ac comprehendit relationem connexionis, non poteſt non eàdem cognitione iudicatiuè tangere terminum eius, quò non ſupereſt locus ad diſtinctam termini cognitionem. Ob id enim, inquiunt, in nobis datur locus diſcurſui, quo ex connexione priùs cognitâ tranſimus ad iudicandum terminum diſtinctâ cognitione; quia cognitio connexionis præcedens minùs perfecta eſt.

155 Sed verò ego non video, quid conferat, cognoſci relationem connexionis magis, aut minùs perfectè, vt per eamdem cognitionem debeat, aut non debeat iudicatiuè tangi terminus eius. Quare, negato aſſumpto argumenti, & eius probatione, aſſero, relationem connexionis intuitiuè, ac perfectiſſimè cognoſci poſſe, quin per eamdem cognitionem iudicatiuè tangatur terminus eius. Si enim relatio connexionis, ſicut & quæuis alia, perfectiſſimè cognoſci poteſt, quin per eamdem cognitionem adhuc apprehenſiuè tangatur terminus eius; cùm tamen ne imperfectè quidem ſit expreſsè cognoſcibilis ſine termino, ſaltem ſimpliciter apprehenſo, iuxta doctrinam præmiſſam ſupra à num. 134. Quidni perfectiſſimè etiam cognoſci poterit, quin per eamdem cognitionem iudicatiuè tangatur terminus eius; quandoquidem ſine termino iudicato abſolutè cognoſcibilis eſt, cognitione ſaltem minùs perfectâ, vti fatentur Recentiores, & in nobis diſcurrentibus notum eſt? Et ſanè argumenta ſupra commemorata, quibus probare intendebant hi Recentiores, per eamdem cognitionem relationis debere attingi terminum, de attingentiâ dumtaxat ſimplici termini agebant. Quo ergo fundamento modò prætendunt, per eamdem cognitionem, qua relatio connexionis attingitur, non ſolùm apprehenſiuè, ſed etiam iudicatiuè debere terminum attingi, vt talis cognitio perfecta ſit?

156 Addo; quando Deus vi relationis connexionis poſitæ in hypotheſi determinatur ad iudicandum conditionatè terminum, certum eſſe, non poni ſimul cum relatione terminum ipſum in hypotheſi. Neque negabunt Recentiores, in tali caſu poſſe apprehenſionem conſtituentem hypotheſim relationis diſtingui à iudicio termini conditionato, in illudque influere virtualiter, iuxta dicenda fuſiùs infra diſput. 28. Ergo, quando Deus vi relationis connexionis iudicatæ abſolutè determinatur ad iudicandum terminum abſolutè, neque opus eſt, vt ipſum iudicium relationis iudicatiuè tangat terminum, neque eſt, cur negetur, iudicium relationis diſtingui poſſe à iudicio termini, in illudque influere virtualiter iuxta priorem caſum propoſitionis.

157 Tandem ijdem Recentiores obijciunt. Per cognitionem connexionis nequit Deus reuerà moueri ad cognoſcendum terminum diſtinctà cognitione ſine diſtinctione cognitionum reali, quæ Deo repugnat: quia diſtinctio rationis ad veram motionem non ſufficit, & diſtinctio virtualis hìc ſine fundamento adſtrueretur. Ergo abſolutè eſt Deo impoſſibilis hic modus cognoſcendi. Reſpondeo, hunc cognoſcendi modum mediâ diſtinctione virtuali dictarum cognitionum peragi. Fundamentum autem cogens ad illam adſtruendam eſſe diſtinctionem obiectorum, diuerſoſque tendendi modos in eadem obiecta: hæc enim diſtinctionem arguunt virtualem in cognitionibus diuinis, vt conſtat ex doctrinâ traditâ quæſt. 4. atque etiam in præſenti quæſtione. Stet ergo, Deum vi connexionis metaphyſicæ vnius obiecti ad cognoſcendum aliud, cum quo eſt connexio, ſine vllâ imperfectione induci duobus modis explicatis in propoſitione præſenti. Alia, quæ ex S. Tho. opponit Herice contra priorem partem noſtræ propoſitionis, nihil omnino contra eam faciunt, vt conſideranti verba Doctores ſancti conſpicuum fiet.

158 Aduerto ad extremum, Recentiores ſæpe ſupponere, vel aſſerere, terminum relationis indirectè ſolùm attingi per cognitionem, quoties ille vi relationis, aut, vt ipsà cognoſcatur, attingitur: cùm tamen relatio directè cognoſcatur. Sed ego pronunciatum hoc non ita vniuersè arbitror verum eſſe. Tunc enim ſolùm dicendus eſt, propriè loquendo, terminus relationis attingi indirectè, quando ille quaſi obiter, & præter primariam intentionem intellectus cognoſcitur. Quod certè tunc ſolùm euenire videtur, quan-

quando intellectus intendens relationem cognoscere, ad idque rectà tendens suâ intentione veluti cogitur ad simul, & quasi obiter apprehendendum terminum; eoquòd sine tali apprehensione relatio cognosci non potest. Ex quo patet, quoties intentio intellectus ad terminum etiam relationis dirigitur per se, & primariò, vt sæpe fit, tunc illum non indirectè, sed directè æquè, ac relationem ipsam tangi. Quod fieri potest etiam, quando relatio vi suâ determinat ad cognoscendum terminum; vt patet in discursu nostro, vbi non solum antecedens, sed etiam consequens iudicatur directè.

Propositio 3.

159 **Relationem prædicamentalem, & vniuersim omnem denominationem extrinsecam, aut semiextrinsecam cognoscit Deus, cognoscendo vnum obiectum, vt subest alteri, siue vt connotans alterum modo explicato quæst. 4. num. 106.**

Quia denominatio extrinseca, aut semiextrinseca re ipsâ nihil est aliud, quàm subiectum denominatum prout connotans cætera fundamenta, à quibus denominatio desumitur. Vnde cognoscere tale subiectum, vt subest talibus fundamentis, siue vt connotans illa, id ipsum est, cognoscere denominationem extrinsecam, aut semiextrinsecam. Ex quo patet, eodem modo cognoscere Deum denominationem intrinsecam adiectiuè sumptam, oriundamque à formâ realiter distinctâ à subiecto denominato: quia talis etiam denominatio aliud non est à parte rei, nisi subiectum prout connotans talem formam.

QVAESTIO VII.

Quomodò Deus vnum obiectum in ipso met, in alio, aut ex alio valeat cognoscere.

160 QVæ vniuersim in hac quæstione dicenda sunt, veluti corollaria sunt præcedentis.

Suppono primò, Deum ab ipsis obiectis determinari, siue moueri ad ea cognoscenda, non quidem intrinsicè, & physice; sed extrinsecè, & intentionaliter. Hoc enim Deus à creatura differt, quòd illa intrinsecè immutatur per speciem impressam obiecti, physicèque per illam determinatur, & mouetur ad producendam cognitionem, qua obiectum percipit. At Deus, cùm à se habeat vim cognoscendi, quidquid cognoscibile est, solùm eget extrinsecâ obiecti positione, vt in illud feratur, à qua subinde extrinsecè determinari, aut etiam intentionaliter moueri dicitur; quatenus, obiecto posito, mox illud, aut etiam aliud cognoscit, non cognituras aliàs, ni poneretur. Siue, vt explicatiùs dicam iuxta meam sententiam, quatenus intellectus diuinus per positionem obiecti extrinsecam tanquam per quamdam conditionem determinatur ad producendam virtualiter cognitionem, qua illud, aut etiam aliud cognoscit; vel per cognitionem iam conceptam vnius obiecti inducitur, & mouetur ad producendam virtualiter cognitionem alterius.

Suppono secundò, bifariam imprimis 161
quoduis obiectum cognoscibile esse. Primò per species alienas, (quo pacto à nobis cognoscuntur pro statu præsenti omnia obiecta insensata); atque adeò non, sicuti est in se, neque in se, sed aliter, quàm est in se, & in alio, tanquam in quodam ænigmate substituto, prout latè à nobis est expositum in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. Secundò per species proprias, (quo pacto Angeli, & Beati multa obiecta cognoscunt); atque adeò, sicuti est in se, & in se. Et primus quidem modus cognoscendi alienissimus est à Deo, vtpote valde imperfectus; dumtaxatque potest ei conuenire secundus modus, depuratus tamen ab imperfectionibus, cum quibus in creaturis misceri solet. Vnde, remoto penitus à Deo modo cognoscendi vnum obiectum in alio, tanquam in ænigmate substituto, superest videndum, an Deus possit cognoscere vnum obiectum in alio tanquam in medio determinante.

Pro quo supponendum est tertiò, etiam 162
à cognoscentibus per species proprias, siue tangendo obiecta in ipsis met, & non in ænigmatibus substitutis, tribus modis, quod ad rem attinet, cognosci posse obiectum aliquod, vt phrasis est Theologorum, præsertim Recentiorum. Primò in se ipso. Secundò in alio. Tertiò ex alio. Dicitur cognosci in se ipso, quando non solùm per se terminat cognitionem, (quod proprium est omnis obiecti cogniti, sicuti est in se, & non ad instar alterius tanquam substituti), sed etiam ad eam per se, & ratione sui determinat, ita, vt ratio obiectiua illud cognoscendi alia non sit ab eius cognoscibilitate, siue obiectiua veritate. Hoc pacto cognoscuntur à nobis principia per se nota: ab intuentibus autem ea obiecta, quæ independenter ab alijs per proprias species attinguntur. In alio autem dicitur obiectum cognosci, quando non ipsum, sed aliud determinat ad cognitionem eius; cùm tamen ambo cognoscantur eâdem indiuisibili cognitione; ita quidem, vt ratio obiectiua tangendi vtrumque eâ cognitione non vtrumque, sed alterum dumtaxat sit, quod subinde in se, in illo autem alterum dicitur tangi. Hoc modo cognoscitur terminus connexionis in obiecto connexo, quando vtrumque eâdem cognitione tangitur iuxta doctrinam traditam quæst. præcedente propos. 2. Qui modus cognoscendi apud intuentes dumtaxat videtur possibilis; nam apud nos non reperitur, vt ex doctrinâ dictæ quæstionis constat. Ex alio denique cognosci dicitur id, ad cuius cognitionem cognitio alterius priùs cogniti inducit, seu mouet, ita, vt cognitio prioris à cognitione posterioris distinguatur, in eamque influat. Hoc pacto nos, dum discurrimus, ex antecedente priùs cognito prout connexo cum consequente cognoscimus consequens.

Aduerto tamen hìc, tertium modum 163
videri possibilem, saltem apud intuentes, cognoscendi vnum obiectum ex vi alterius, quem non tetigerunt Doctores, anonymusque subinde à nobis dicetur. Si videlicet obiectum connexum per se immediate determinet ad duas cognitiones alteram sui, & alteram termini connexionis. Hic enim modus à modo cognoscendi vnum in alio differt, quòd determinatio non ad

vnicam, sed ad duas cognitiones eorum est. A modo autem cognoscendi vnum ex alio differt, quòd obiectum determinans per se immediatè, & non media cognitione sui, determinat ad cognitionem alterius, nullatenusque subinde influit cognitio prioris in cognitionem posterioris. Hic tamen modus ad modum cognoscendi vnum ex alio reduci poterit.

164 Suppono quartò, quidquid Deus cognoscit, non posse non aliquo ex tribus dictis modis cognoscere. Quia, cum non possit non determinari per obiecta ad cognoscendum iuxta suppositionem primam; necesse est, quoties cognoscit obiectum aliquod, vt ad talem cognitionem vel per obiectum ipsum determinetur, quo casu erit cognitio obiecti in ipso met; vel determinetur per aliud, quo casu aut erit cognitio obiecti in alio, si ambo eadem cognitione attingantur, aut ex alio, si distinctis aliquo ex dictis modis. Difficultas ergo est, an omnes isti modi cognoscendi reperiantur in Deo.

Propositio 1.

165 **Modus cognoscendi obiectum in ipso met non potest non reperiri in Deo.**

Est certum. Ex dictisque facilè demonstratur: nam, quod Deus cognoscit, non potest non cognoscere aut in ipso met, aut in alio, aut ex alio iuxta suppositionem tertiam. Si cognoscit in ipso met; habemus intentum. Si in alio, vel ex alio; hoc aliud cognoscet in ipso met; aut tandem ad aliquod perueniemus, quod in se ipso cognoscatur. Nam ex nâ parte progredi in infinitum impossibile est, vt constat. Ex aliâ autem obiectum primò determinans ad alterius cognitionem aut simul, aut antecedenter determinat ad cognitionem sui; quod est ipsum in se ipso cognosci.

Propositio 2.

166 **Modus cognoscendi vnum obiectum in alio etiam reperitur in Deo.**

Constat ex dictis quæstione præcedenti propositi. 2. vbi ostendimus relationem connexionis vnius obiecti determinare Deum ad cognoscendum & se, & aliud, cum quo est connexio, eadem indiuisibili cognitione. Quod ipsum est, cognosci secundum obiectum in primo.

167 Dices, quoties relatio connexionis ex se non determinat ad cognoscendum suum terminum intuitiuè, & quiditatiuè iuxta dicta loco citato â num. 150. non potest non talis terminus in se ipso cognosci à Deo: quia à Deo nequit abstractiuè cognosci, vt ibidem statuimus. Ad cognitionem autem intuitiuam, & quiditatiuam, cùm non determinet ex se connexio, non potest non terminus ipse determinare, quod erit in se ipso cognosci. Ergo in tali casu non cognoscetur in alio. Respondeo, hoc argumento vt summùm probari, in casu posito vnum obiectum non in alio præcisè, sed simul in se, & in alio cognosci; vtpotè quia, non solùm connexio alterius cum ipso, sed & ipsum etiam determinat ad cognitionem intuitiuam sui. Sed neque id probatur: quia in dicto casu sola connexio, fieri potest, vt sit determinatiuum ex parte obiecti ad cognitionem intuitiuam, & quiditatiuam termini: licet enim ea ex se non determinet ad talem termini cognitionem, relatè tamen ad Deum dici potest determinare, quatenus in Deo aliud cognitionis genus possibile non est, à seque est determinatus ad cognoscendum quiditatiuè, & intuitiuè quamlibet rem, casu, quod ex parte obiecti ponatur aliquid determinans ad eam rem cognoscendam quocunque modo. Non nego, idem obiectum simul in se, & in alio, aut etiam in se, & ex alio cognosci posse. Quia non repugnat, vt simul tam ipsum, quàm aliud determinet ad cognitionem sui. Vnde satis mihi verisimile est, hos etiam duos modos cognoscendi mixtos de facto reperiri in Deo à tribus simplicibus condistinctos.

Propositio 3.

Modus cognoscendi vnum obiectum ex alio reuerà etiam reperitur in Deo. Ex alio, inquam, non formaliter, sed tantùm virtualiter. 168

Hæc etiam propositio constat ex propositione 2. quæstionis præcedentis. Vbi probauimus, per cognitionem vnius obiecti connexi cum altero moueri Deum ad producendam virtualiter cognitionem, qua cognoscit alterum. Quod ipsum est, cognoscere vnum ex alio. Ex quo sequitur, in Deo discursum virtualem debere admitti; etsi formalis admitti nequeat, vt supra quæst. 3. propositi. 3. statutum est. Vnde etiam patet, in Deo propriè loquendo non dari scientiam *quia*, nec *propter quid* formaliter, quidquid nonnulli Recentiores in oppositum opinentur: hoc est, scientiam à posteriori, & à priori, (vt vulgo exponuntur illæ particulæ contrà mentem, vt ego existimo, Aristot. ex quo ipsæ desumptæ sunt; de quo videnda, quæ dixi in Pharo Scient. disput. 20. quæst. 11. num. 287.) Nam scientia à priori, & à posteriori propriè, & formaliter loquendo, fluxum, & dependentiam formalem vnius cognitionis ab alia dicunt ex suo conceptu; vt rectè docuit Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 1. fine. Datur tamen in Deo scientia virtualiter à priori, & à posteriori: quia virtualiter effectum ex causâ, & causam ex effectu cognoscit modo explicato, vbi à causâ ad effectum, vel ab effectu ad causam connexio metaphysica reperitur.

Propositio 4.

Quartus etiam modus anonymus cognoscendi vnum obiectum ex vi alterius, de quo num. 163. Deo videtur concedendus, æquè, ac tres alij dicti. 169

Quia & est modus cognoscendi diuersus ab illis; & nullam secum imperfectionem videtur importare. Omnes quippe actus cognitionis inter se diuersi, tendentes etiam in idem, vel in eadem obiecta nullam ferentes secum imperfectionem tribuendi sunt Deo iuxta doctrinam statutam supra quæst. 4. propositi. 3. Ne tamen multitudine terminorum materia præsens præ-

pedia-

pediatur, hic modus cognoscendi anonymus ad modum cognoscendi vnum ex alio reduci poterit, vti iam diximus; sub eoque subinde in sequentibus comprehendi censendus est; dum nihil de illo specialiter exprimatur. Et hæc quidem vniuersè sunt dicta circa diuersos modos, quos Deus habet cognoscendi obiecta. Circa quæ verò in speciali singulos eorum exerceat, inferiùs est discutiendum late disp. 24. & 25. Vnde, quæ in hac, & præcedenti quæstione diximus, multam lucem accipient. Et vbi præterea ostendemus, quot modis possit insuper Deus cognoscere vnum obiectum in alio, aut etiam ex alio aliter, quàm ex vi connexionis huius cum illo. Addo, præter modos hic traditos, & ibi tradendos determinandi intellectum Dei ad actus scientiæ diuersos de eodem obiecto, alium superesse omnibus obiectis, & omnibus actibus scientiæ communem. Veritas siquidem conditionata de existentia sine contradictione cuiusuis obiecti sub conditione existentiæ cuiusuis actus scientiæ de ipso intellectum diuinum determinat ad ipsum actum scientiæ. Quia, vt ostendemus disput. 30. quæst. 5. posit. 9. veritas conditionata de existentia sine contradictione termini, cum quo actus connectitur, sub conditione existentiæ ipsius actus potentiam proximam ad talem actum complet intrinsecè; eamque consequenter determinat ad actum ipsum, quando est potentia necessaria. At omnis actus scientiæ Dei titulo essentialiter veri cum suo obiecto connexus est: potentiaque necessaria est intellectus diuinus. Manebit igitur ille proximè potens, atque adeò determinatus ad concipiendum quemlibet actum scientiæ de obiecto quolibet per veritatem conditionatam de existentia sine contradictione talis obiecti sub conditione existentiæ talis actus.

QVAESTIO VIII.

Quodnam sit obiectum formale, motiuum, & specificatiuum scientiæ Dei.

170 TRiplex est sententia. Prima asserentium, solum Deum esse obiectum formale, motiuum, ac specificatiuum scientiæ diuinæ; creaturas verò tantùm habere rationem obiecti materialis. Ita Molin. 1. par. quæst. 14. art. 5. & 6. disput. vnic. Valent. disput. 1. de Scient. punct. 3. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 1. & 2. Vazq. 1. par. disput. 142. cap. 3. & disput. 143. cap. 4. Arrub. disput. 29. de Scient. Gran. disput. 2. Alarc. disput. 1, & 2. Ruiz disput. 5. sect. 3. & 4. & disput. 10. sect. 2. & 3. Ioan. à S. Tho. 1. par. disput. 17. art. 1. & alij. Apud quos plures ex Antiquioribus. Idemque sentire videntur, quotquot docent, Deum in se ipso dumtaxat tanquam in obiecto primario cognoscere creaturas; non verò in ipsis met; quos infra disput. 25. quæst. 1. referemus. Superest tamen inter Auctores huius sententiæ dissidium. Nam quidam eorum, vt Soar. Vazq. Gran. Alarc. & alij: solam essentiam Dei prout ab alijs ipsius Dei prædicatis præcisam assignant pro obiecto formali, & motiuo scientiæ diuinæ. Quidam verò, vt Molin. Ruiz Ioan. à S. Tho. & alij, omnibus Dei prædicatis, siue integræ Dei entitati id munus adscribunt. Secunda autem sententia est asserentium, scientiam diuinam etiam ad creaturas terminari tanquam ad obiectum formale motiuum, ac specificatiuum. Sic tenent plures Recentiores cum Albiz disput. 5. de Scientia. Herice disput. 5. cap. 4. Ribaden. disput. 3. de Scient. cap. 3. & alijs. Consentiuntque haud dubie, qui centent, Deum non in se solùm cognoscere creaturas, sed insuper in ipsis met; quos infra etiam referemus loco citato. Tertia sententia est Gasp. Hurt. asserentis disput. 2. de Scient. in proœmio, Deum nullum habere obiectum formale, quo moueatur ad cognoscendum; imo nec nos, nisi tantùm respectu actus fidei.

Pro resolutione suppono, obiectum formale alicuius actus dici vniuersè id, quod est ratio attingendi, quidquid attingitur per actum: obiectum verò materiale id, quod non item. Solet autem obiectum formale diuidi in intrinsecum, quod per eumdem actum simul cum materiali attingitur, & extrinsecum, quod per distinctum, præuiumque tangitur. Ex quibus solum intrinsecum, volunt aliqui, vocetur obiectum formale. Exemplum prioris sit obiectum, quo determinatur intellectus ad ipsum simul, & alterum cognoscendum per eumdem actum. Posterioris autem, quo determinatur ad ipsum, & alterum cognoscendum per actus distinctos. Materiale etiam obiectum diuidi solet in remotum, quod verè non tangitur per actum, etsi ab eo denominetur; & proximum, quod verè tangitur. Exemplum prioris est substantia parietis, cuius candorem vident oculi, quæ verè non tangitur per visionem, sed candor solus; etsi denominetur visa. Posterioris verò sit obiectum verè in se cognitum ex vi determinationis non propriæ; sed alterius obiecti. Et de priori quidem genere obiecti materialis, quod minùs propriè tale dicitur, hìc sermo non est, sed de posteriori. Obiectum autem motiuum dicitur, quod mouet potentiam ad actum. Quòd, si sit sermo de obiecto, non physicè mouente per aliquid potentiæ impressum, sed tantùm mouente intentionaliter, seu obiectiuè, prout est à nobis in præsenti vsurpandum, iuxta ea, quæ dicebamus quæst. 7. num. 160. obiectum formale, & motiuum in idem recidunt: quia obiectum formale est, quod obiectiuè, seu intentionaliter mouet, determinat ve potentiam ad actum. Dico autem, obiectum formale, & motiuum in idem recidere; quando sermo est de motiuo, quod vocant intrinsecum, iuxta dicenda inferiùs disput. 32. quæst. 2. Iam verò obiectum specificatiuum actus dicitur illud, à quo actus suam sumit speciem, seu potiùs relatè ad quòd habet actus, esse talis naturæ, siue speciei. Existimo autem cum multis Recentioribus, actum tàm ab obiecto materiali, quod per se verè tangit, quàm à formali eatenus specificari, quatenus respectiuè ad vtrumque habet, esse talis naturæ, siue speciei hoc ipso, quòd suaptè naturâ, & essentiâ respectus ad vtrumque est. Quomodò autem non sit necesse, quòd actus sint inter se dissimiles, aut inæquales quoad suas intrinsecas entitates, quoties obiecta seu formalia, seu materialia, quæ suaptè essentiâ respiciunt, sunt inter se dissimilia, aut inæqualia; proindeque non eo sensu ab huiusmodi obiectis dicendi sint specificari, quòd penes eorum diuersitatem specificam intrinsecè sortiri debeant species diuersas, latè mon-

171

ſtratum eſt à nobis in Pharo Scient. diſput. 16. quæſt. 4.

172 Itaque, vt aliquot controuerſias de nomine, quæ in re præſenti miſceri ſolent, vno ictu præcidam, ſtatuo ex communiore loquendi modo, obiectum formale dicendum eſſe id, quod non phyſicè, ſed intentionaliter, ſiue obiectiuè mouet, determinatve potentiam ad actum ſiue vnicum, ſiue duplicem, quo & ipſum tangitur, & aliud non ita mouens, ob idque materiale dicendum. Vnde obiectum formale, & materiale in eo conueniunt, quòd ambo per ſe terminant actum ſiue vnicum, ſiue duplicem; in eo autem differunt, quod primum ſuâ motione, ſeu determinatione in causâ eſt aliquo modo, vt exiſtat actus. Secundum verò ſecus. Differunt etiam: quia primum ſine ſecundo dari poteſt. Secundum verò ſine primo non item. Poteſt enim vnum obiectum mouere, ſiue determinare potentiam ad actum ſui ſolius, quo caſu erit illud obiectum formale ſine materiali. Nullum tamen obiectum poteſt tangi per actum, ſeu terminare illum; quin vel ab ipſo, vel ab alio moueatur, ſiue determinetur potentia ad talem actum; prout opus erat, vt eſſet illud obiectum materiale ſine formali.

173 Ex his colligitur primò contra Gaſp. Hurt. ſcientiam ſiue diuinam, ſiue humanam non poſſe non habere aliquod obiectum formale, & motiuum modo explicato; ſiue illud ſit, ſiue non ſit comitatum obiecto alio materiali: quia non poteſt non intellectus ſiue diuinus, ſiue humanus per aliquod obiectum moueri, determinarive intentionaliter, ſiue obiectiuè ad cognoſcendum. Quodnam autem illud ſit comparatione intellectus, aut ſcientiæ Dei, in præſenti diſquirimus.

174 Secundò colligitur, in ſententiâ eorum, qui nolunt, ſcientiam diuinam ab intellectu diuino produci virtualiter, neutiquam poſſe habere locum obiectum, quod ſit, loquendo propriè, motiuum, formaleque ſcientiæ diuinæ. Quia nullo modo poteſt intelligi obiectum ad ſcientiam mouere motione obiectiuâ, de qua tractamus, niſi, quatenus per ſui veritatem obiectiuam, aut etiam per ſui præuiam notitiam, tanquam per quamdam conditionem intellectui aliquo modo adiunctam, quadamtenus adiuuat ipſum, aut etiam cogit, atque determinat ad dandam ipſi ſcientiæ exiſtentiam, atque adeò ad eam producendam, ſiue eliciendam: quæ productio, elicientiave, cùm nequeat in Deo eſſe formalis, nequit non eſſe virtualis. Quod enim ait Ribaden. citatus num. 170. eatenus eſſentiam diuinam mouere phyſicè ad ſcientiam ſui, quatenus talis ſcientia in ſuo eſſe dependet ab ipsâ eſſentiâ diuinâ veluti in genere cauſæ formalis, tanquam à conſtitutiuo ſui per identitatem; eatenuſque quoduis aliud obiectum mouere intentionaliter ad ſcientiam ſui, quatenus talis obiecti ſcientia à ſe ipsâ pariter tanquam à ſui conſtitutiuo per identitatem dependet. Hoc, inquam, loquutio eſt omnino abuſiua, & prorſus impropria. Nam hactenus nemo agnouit vllum genus motionis, vbi nullum interuenit genus influxus effectiui. Et quis vnquam dixit, idem ad ſe ipſum mouere ex eo, quòd per identitatem à ſe ipſo dependet? Quippe dependentia, qua vnumquodque à ſe ipſo per identitatem dependet non cauſalitatis, ſed connexionis eſt dependentia, vt eſt notiſſimum; & nulla motio excogitabilis eſt, vbi nulla interuenit dependentia cauſalitatis, vt etiam eſt notum.

Vnde tertiò colligitur, in noſtrâ ſententiâ adſtruente productionem virtualem omnis ſcientiæ diuinæ oriundam ab intellectu diuino, etiam eius, qua Deus ſe ſe ipſum ſcit, iuxta dicta, & probata ſupra quæſt. 2. benè componi, quòd reſpectu omnis ſcientiæ Dei detur obiectum propriè motiuum, atque adeò formale; eatenuſque ad ipſam ſcientiam mouens de facto, quatenus vel per ſuam veritatem obiectiuam, vel per præuiam notitiam ſui, tanquam per quamdam conditionem adiunctam, iuuat, ſeu potiùs cogit, determinatve intellectum diuinum ad producendam virtualiter ſcientiam ipſam, ad ipſique ſubinde dandam exiſtentiam quamdam virtualem ſupra formalem, quam à ſe neceſſariò habet, ſicque reddendum Deum ſcientem, ſiue intelligentem formaliter iuxta doctrinam ſupra ſuppoſitam quæſt. 2. à num. 50. tradendamque, & explicandam latiùs infra in tract. de Volunt. Ex quibus omnibus iam pronum erit præſentem quæſtionem reſoluere, vt ſequitur.

Propoſitio 1.

Deus eſt obiectum formale, & motiuum, creaturæ autem tantùm materiale reſpectu eius ſcientiæ, qua Deus ipſe & ſe, & creaturas in ſe ipſo, aut etiam ex ſe ipſo cognoſcit. 176

Quoniam relatè ad talem ſcientiam non creaturæ, ſed Dei ſubſtantia dumtaxat mouet, ac determinat obiectiuè diuinum intellectum, quod eſt munus obiecti formalis. Quomodò autem moueat, ſiue determinet inferiùs diſput. 25. explicandum eſt. Vbi ex communi Theologorum ſententiâ oſtendemus, Deum in ſe ipſo, aut etiam ex ſe ipſo cognoſcere creaturas omnes. Vtrùm autem tota Dei ſubſtantia, vel aliqua ſolum eius formalitas habeat rationem obiecti formalis, ibidem etiam commodiùs examinabitur.

Propoſitio 2.

Reſpectu ſcientiæ, qua Deus cognoſcit creaturas in ipſis met, creaturæ ipſæ ſunt obiectum formale, & motiuum. 177

Quoniam ad huiuſmodi ſcientiam ipſæ creaturæ ſecundùm propriam, quam habent, cognoſcibilitatem, ſiue obiectiuam veritatem mouent, atque determinant intellectum Dei. Nec Deus aliunde, quàm ab ipſis determinatur ad eas cognoſcendas per talem ſcientiam. Quod eſt, ipſas in ſe ipſis cognoſci à Deo. Dari autem in Deo huiuſmodi ſcientiam diſput. 25. citatâ probandum eſt. Interim diluamus argumenta quædam, quæ contra ſtatutam propoſitionem directè opponuntur.

Primum ſic. Scientia Dei ſpecificatur ab obiecto formali, ab eoque ſubinde deſumit ſuam perfectionem. Ergo obiectum formale ſcientiæ Dei non poteſt non taxare perfectionem 178

eius.

eius. Ergo scientia habens pro obiecto formali creaturam, non potest non esse finita, limitata, & imperfecta, qualis est creatura, atque adeò repugnans Deo. Confirmatur. Quia, cùm Deus infinitè excedat creaturam in perfectione, scientia habens pro obiecto formali Deum, nequit non excedere etiam infinitè scientiam habentem pro obiecto formali creaturam. Ergo hæc non potest esse infinita quoad perfectionem, aut saltem non potest non esse imperfecta, vtpote carens totâ eâ perfectione, in qua excidit à scientiâ de Deo. Quo iure etiam scientia de creaturâ minùs perfectâ imperfectior erit, quàm scientia de creaturâ perfectiori. Fietque, vt Deus infinitos actus scientiæ habeat perfectione inæquales. Quod est absurdum.

179 Respondeo ad argumentum, scientiam Dei habentem pro obiecto formali creaturam specificari quidem extrinsecè à creaturâ, hoc est, habere talem naturam, & speciem relatè ad illam; quod etiam conuenit scientiæ habenti creaturam ipsam tantùm pro obiecto materiali iuxta doctrinam num. 171. Hinc tamen non efficitur, eiusmodi scientiam finitam in suo conceptu euadere, aut aliquâ ratione imperfectam. Nam hoc ipso, quòd est scientia Dei tanquam subiecti, vel principij, non potest non semper esse infinitè perfecta, quodcunque demum habeat obiectum seu formale, seu materiale. Quemadmodùm cognitio creata hoc ipso, quòd est à tali principio, non potest non esse vitalis, etsi obiectum eius formale vitale non sit. Actus enim non ita censendi sunt sumere speciem, aut perfectionem ab obiecto, à quo dicuntur specificari, vt eiusdem naturæ cum ipso obiecto, aut æqualis perfectionis euadant. Constat enim, actus, qui sunt accidentia, sæpissimè habere substantiam pro obiecto formali, & actus, qui sunt vitales, obiectum, quod non est vitale; & actus, qui sunt spirituales, obiectum, quod est corporeum; & vniuersim actus, qui sunt valde perfecti, obiectum, quod est longè imperfectius. Hæc enim non obstant specificationi, qua actus ab obiecto dicitur specificari. Quia id tantùm est, vt dicebam, habere naturam, aut speciem relatè ad illud. Ex quo patet, scientiam Dei benè posse esse infinitam, & summè perfectam, etiam si obiectum sit finitum, & valde imperfectum. Quod vtique habet eo ipso, quod est scientia Dei. Vniuersaliter enim attributa diuina non ab obiecto, seu termino, à quo specificantur extrinsecè, sed ab eo, quòd sunt diuina, habent esse infinita, & summè perfecta tum absolutè, tum intra proprium cuiusque genus. Atque adeò, quò talia sint, opus non est, vt pro obiecto formali, aut termino specificatiuo habeant Deum ipsum, aut aliquod Dei prædicatum.

180 Hinc ad confirmationem respondeo, dato, quòd scientia, quam Deus de se ipso vt de obiecto formali habet, sit ex genere suo perfectior, quàm scientia de creaturâ; similiterque scientia de creaturâ perfectiori perfectior ex suo genere, quàm scientia de creaturâ imperfectiori, (quod tamen iuxta doctrinam suppositam num. 171. necessarium non est); eo, inquam, dato, in scientiâ, quæ ex suo genere minùs perfecta dicitur, nullam propterea imperfectionem inuolui. Quemadmodùm ex eo, quòd intellectio Dei ex suo genere sit perfectior, quàm amor, non sequitur, amorem esse aliquo modo imperfectùm; & ex eo, quòd principium ex suo genere perfectius sit, quàm principiatum, non sequitur in Verbo procedente à Patre vt principio esse aliquid imperfectionis. Cuius vniuersalis ratio est: quia ex eo præcisè, quòd aliqua formalitas Dei non includat in suo conceptu perfectiones aliarum, minoremque ex genere suo perfectionem habeat, quàm aliæ, non sequitur, habere eam re ipsâ imperfectionem aliquam, ratione cuius dignè non possit attribui Deo. Nam, cùm per identitatem realem, quam habet cum Deo, realiter sibi identificet totam Dei perfectionem, præcisiuè tantùm, atque adeò per solam rationem nostram, secus re ipsâ, deficit ei aliarum omnium formalitatum Dei perfectio. Idque, etiam si virtualiter ab aliquâ earum distinguatur. Siquidem distinctio virtualis inter diuinas formalitates non datur absolutè, siue in ordine ad id, quod sunt in se per identitatem formalem, sed respectiuè ad alia munera, vti explicatum à nobis est in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. Vnde fit, absque omni incommodo posse, & debere attribui Deo eam formalitatem, quæ præter defectum perfectionis aliarum nullam imperfectionem, omnimodamque perfectionem ad proprium genus spectantem secum fert ex suo conceptu; tametsi talis perfectio sumpta præcisè minor, quàm aliarum formalitatum perfectio sit. Ex quo rursus sequitur, intellectiones, sicut & alias formalitates inæquales quoad perfectionem propriam vniuscuiusque sumptas formaliter, citra omne etiam incommodùm posse, & debere attribui Deo. De quo plura à nobis sunt dicta tom. 1. huius Operis disp. 16. quæst. 5.

Sed instabit aliquis. Quò perfectius est 181
obiectum specificatiuum, eò perfectior est actus scientiæ. Ergo actus scientiæ, quo Deus se tangit vt obiectum formale, infinita perfectior est, quàm actus, quo tangit creaturam vt obiectum formale. Ergo hic secundus actus nequit esse quoad perfectionem infinitus. Respondeo primò, dato, quòd actus habens pro obiecto formali Deum sit infinitè perfectior ex genere suo, quàm actus habens pro obiecto creaturam, inde non sequi non esse hunc infinitum: quia nihil vetat vnam formalitatem Dei ex genere suo esse infinitè perfectiorem alterâ, quæ tamen intra proprium genus infinitè perfecta sit; quacunque ratione explicetur iste formalitatum excessus intra proprium genus. Nam quo sensu vnum infinitum alterum absolutè excedere potest, eodem potest illud excedere infinitè; vt ex dictis in eodem tom. 1. disput. 13. de infinito compertum est. Respondeo secundò, necessarium non esse, vt, quo perfectius est obiectum seu formale, seu materiale, eò perfectior sit actus scientiæ terminatus ad illud iuxta doctrinam supra suppositam num. 171. ex Pharo Scient. Atque adeò nec necessarium esse, vt actus scientiæ Dei de ipso Deo quoad intrinsecam perfectionem perfectior sit, adhuc ex suo genere, quàm actus scientiæ Dei de creaturâ; nedum infinitè perfectior. Quo cessat argumentum.

Tertiò obijci potest. Actus scientiæ ha- 182
bens pro obiecto formali creaturam non tangit quidquid à Deo cognoscibile est. Ergo non est infinitus in ratione cognitionis: atque adeò nec Deo possibilis. Concesso antecedente. Nego consequentiam. Quia ad genus cuiusuis actus scientiæ prout condistincti ab alijs tantùm spectat

ctat attingere illud obiectum, cuius actus est: non item obiecta aliorum actuum, ex quibus scientia vniuersa Dei coalescit. Quemadmodùm ad genus attributi iustitiæ tantùm spectat respicere obiecta iustitiæ; non verò itidem obiecta misericordiæ. Vnde, si relatè ad suum proprium obiectum, non solùm nihil deficiat actui scientiæ ex perfectionibus pertinentibus ad proprium genus, sed eas in summo gradu habeat; cuiusmodi sunt infallibilitas, certitudo, euidentia, &c. nihil ipsi deerit, quominùs sit infinitus intra proprium genus; etsi non tangat sumptus præcisè reliqua obiecta. Subindeque nihil ei deerit, quominùs absque omni imperfectione in Deo possit reperiri. Itaque quilibet actus scientiæ diuinæ quoad eiusmodi sui proprij generis perfectiones debet esse infinitus; secus quoad extensionem, seu multitudinem obiectorum. In quo differt actus intelligendi ab intellectu. Hic enim non erit plenè perfectus intra proprium genus, nisi omnium intelligibilium intellectus sit.

883 Quartò obijcitur. Deus est obiectum primarium, propter quod cætera omnia obiecta ab ipso cognoscuntur, ita, vt sit verum, fore, vt Deus nihil aliud cognosceret, si se non cognosceret. Ergo Deus vnicè est obiectum formale omnis scientiæ diuinæ. Confirmatur primò. Quia scientia præstantissima, qualis est diuina, præstantissimum obiectum formale debet habere, qualis solus est Deus. Confirmatur secundò. Quia, si creaturæ essent obiectum formale ac specificatiuum scientiæ diuinæ, scientia diuina, & consequenter Deus ipse cum creaturis connecteretur, nec sine illis esse posset. Quod, saltem loquendo de creaturis futuris, dici non potest. Respondeo ad argumentum, Deum quidem eatenus esse obiectum primarium, propter quod cætera obiecta ab ipso cognoscuntur, quatenus est primum ens, à quo cætera obiecta præsertim possibilia in suo esse, & consequenter in suâ cognoscibilitate, siue obiectiuâ veritate dependent. Propterea{que} fore, vt Deus nihil aliud cognosceret, si se non cognosceret; quia, si se non cognosceret, non esset Deus; & consequenter non existeret. Ex quibus vt summùm sequitur, scientiam, quam Deus habet de creaturis ab earum veritate obiectiuâ determinatus, vt à principio effectiuo talis veritatis, non verò vt ab obiecto motiuo pendere à Deo. Cùm quo stat, non Deum, sed creaturas ipsas esse talis scientiæ obiectum formale. Vnde ad primam confirmationem respondeo, non omnem scientiam in suo genere præstantissimam debere habere obiectum formale præstantissimum: nam scientia de creaturâ in se ipsâ tale obiectum non habet. Tametsi illud habere debeat scientia in omni genere præstantissima, qualis est ea, qua Deus & se, & cætera cuncta cognoscibilia, nullo demipto, complectitur. Ad secundam confirmationem, quid sit dicendum, constat ex resolutione quæstionis sequentis.

QVAESTIO IX.

Vtrùm scientia Dei cum suo obiecto metaphysicè connexa sit; aut aliter ad eum relata.

Cùm certum sit, scientiam diuinam omnino 184
infallibilem esse iuxta doctrinam statutam quæst. 1. proposit. 2. ita, vt repugnet prorsus, Deum aliquid falsò scire, seu in aliquo falli. Certum quoque est consequenter, scientiam diuinam prout facientem Deum scire, siue prout denominantem eum scientem nullatenus sine suo obiecto consistere posse: atque ita cum illo essentialiter, seu metaphysicè connexam esse. Loquor de scientiâ iudicatiuâ, quæ absolutè vocatur scientia. Nam simplex apprehensio, quam Deus habet, vt vidimus quæst. 3. cùm sit incapax falsitatis, benè potest sine suo obiecto manere; atque adeò nullâ ratione est connexa cum illo, adhuc prout denominans Deum simpliciter concipientem, siue apprehendentem obiectum. Ex quo patet, scientiam iudicatiuam Dei quantùm ad denominationem, quam ipsi Deo tribuit, scientis intrinsicè esse relatam ad suum obiectum relatione connexionis. Apprehensionem verò simplicem Dei quantùm ad denominationem, quam ipsi tribuit, simpliciter apprehendentis relatam non esse intrinsicè ad suum obiectum relatione connexionis: tametsi intrinsecè vt sic sit relata ad illud relatione non connexionis: eoqtiòd quantùm ad talem denominationem suopte conceptu est repræsentatio actualis obiecti sui. Quod absque intrinseco respectu, siue relatione ad illud stare non potest, vt constat.

Difficultas ergo est, an scientia Dei siue 185
iudicatiua, siue apprehensiua simpliciter quantùm ad entitatem omnino identificatam cum Deo metaphysicè cum suo obiecto connexa sit, aut aliter relata ad illud; quando videlicet tale obiectum aliquid est distinctum à Deo: nam quando est ipse Deus, entitas scientiæ æquè cum Deo, ac secum ipsâ connexa est, vt est notissimum. Quoniàm verò idem est quærere, an entitas scientiæ realiter indistincta à Deo cum alio quopiam sit metaphysicè connexa, vel aliter ad illud relata; ac quærere, an Deus ipse ratione scientiæ, alteriusve ex attributis prorsus intrinsecis, siue identificatis secum sit metaphysicè connexus cum alio quopiam, siue aliter ad illud relatus: sub istisque vniuersalioribus terminis iam est tractata hæc quæstio latè tom. 1. disput. 4. quæst. 2. nihil ad rem iam hìc superest tractandum. Dumtaxatque subinde in præsenti tota illa quæstio à legente recognoscenda est, & ad propositum applicanda tota doctrina eius.

DISPV-

DISPVTATIO 24.

De scientiâ, qua Deus se ipsum cognoscit.

1 DE scientiâ, qua se Deus cognoscit agendum est hìc vniuersè, præcindendo ab eo, quòd talis scientia sit necessaria, aut libera, absoluta, aut conditionata.

QVAESTIO I.

Vtrùm Deus se totum in se ipso cognoscat. Et qua ratione.

2 SVppono vt certum secundùm fidem, Deum se ipsum cognoscere. Constat id ex locis Scripturæ indicatis supra disput. 1. quæst. 1. propos. 1. & 3. specialiter ex illo Matth. 11. *Nemo nouit Filium, nisi Pater, neque Patrem quis nouit, nisi Filius.* & 1. ad Timoth. 2. *Quæ Dei sunt, nemo cognouit, nisi spiritus Dei.* ad Hebræ. 4. *Omnia autem nuda sunt, & aperta oculis eius.* & similia. Id quod etiam lumine naturali est notissimum. Tum quia cognoscere se ipsum perfectio est maxima, sine qua Deus valde imperfectus esset. Tum quia beatitudo Dei sine sui cognitione constare nequit, vtpotè quæ in cognitione ipsâ, aut etiam in amore fruitiuo ab illa oriundo, ipsamque necessariò supponente consistit. Tum quia, cùm Deus sit potissimum obiectum intelligibile, ab ente summè intellectuali, qualis est ipse Deus, neutiquam potest non intelligi. Tum denique quia cætera relata ad Deum non possent ignoto ipso ab ipso cognosci. Quæ quidem probant etiam, omnino necessariam esse Deo cognitionem sui. Nec refert, Deum à suâ cognitione reali ex distinctum non esse: quia de conceptu cognitionis præsertim perfectissimæ, & quæ ab obiecto realiter non trahit suam originem, qualis est diuina, non est distingui realiter à suo obiecto; sed benè potest cum illo realiter identificari. Iam verò, quòd Deus se totum necessariò cognoscat, eâdem certitudine est certum: quia nihil est in Deo, quod non sit ab ipso cognoscibile; & cuius cognitio non sit perfectio, qua Deus carere non potest.

3 Sed dubitari potest primò; an sit necesse; vt quæcunque sunt intrinsicè in Deo, eodem indiuisibili actu scientiæ tangantur ab ipso; vel possint actus scientiæ Dei aliquo modo multiplicari pro multitudine formalitatum, quæ in ipso Deo reperiuntur aliqua ratione distinctæ. Qui censent, de conceptu intuitionis etiam perfectissimæ, qualis est cognitio diuina, non esse vt tangat necessariò quidquid realiter est idem cum obiecto suo, facilè in Deo iuxta pluralitatem formalitatum obiecti plures actus cognitionis poterunt assignare aliquâ ratione distinctos. Ego verò, qui oppositum cum plerisque teneo, consequenter arbitror, omnes eiusdem obiecti formalitates realiter identificatas necessariò debere tangi à Deo eodem indiuisibili actu; nec posse eas tangi per actus aliquâ ratione distinctos. Atque adeò dico, omnes formalitates Dei eodem prorsus actu scientiæ cognosci ab ipso Deo, nec pluribus singillatim cognosci posse: tametsi illæ inter se distinguantur, non solùm per rationem, sed etiam realiter aut distinctione virtuali, vt apud plures relationes personales ab essentiâ distinctæ sunt, aut distinctione verâ, & formali, vt distinguuntur inter se relationes ipsæ. Ratio est in promptu: nam si de conceptu intuitionis saltem perfectissimæ est, attingere, quidquid realiter est idem cum suo obiecto; eoquòd non potest non illa repræsentare obiectum ipsum eodem prorsus modo, ac re ipsâ est: consequitur planè, impossibilem esse in Deo cognitionem perfectissimè intuitiuam, (qualis omnis cognitio Dei de quouis obiecto prout existente debet esse), quæ repræsentetur essentia diuina, & non repræsentetur Paternitas aut vice versâ: quandoquidem à parte rei Paternitas, & essentia idem reuerà sunt. Et idem est de Filiatione, & Spiratione passiua, quæ idem etiam sunt cum essentiâ; etsi inter se distinctæ sint. Cognitio namque, quæ attingeret essentiam præcisè, & non attingeret aliquam relationem, non esset intuitiua: quia non attingeret essentiam, vt re ipsâ est; cùm re ipsâ essentia sit idem, ac quælibet relatio. Quòd si tres relationes eâdem prorsus cognitione debent attingi à Deo; quia, licèt inter se distinguantur, cum vnâ essentiâ sunt prorsus idem; multò potiori iure aliæ quæuis formalitates reuerâ inter se identificatæ eâdem prorsus cognitione debebunt attingi.

Dices. Essentia, & Paternitas, & aliæ huiusmodi formalitates Dei, non solùm per rationem nostram, sed etiam realiter virtualiter sunt distinctæ; etsi realiter formaliter idem sint. Ergo poterit per aliquem actum scientiæ diuinæ attingi vna formalitas, & non alia. Quid enim prohibere potest, quòd conueniat essentiæ cognosci per actum A, & id non conueniat Paternitati: quandoquidem beneficio distinctionis virtualis essentiæ conuenit communicari Filio, quod non conuenit Paternitati? Respondeo primò, etsi Paternitas, & essentia virtualiter inter se sint distinctæ in ordine ad alia prædicata contradictoria, quæ fide creduntur eis conuenire, tales non esse in ordine ad cognosci, & non cognosci eâdem cognitione; quia ex vnâ parte in ordine ad vnum munus, & non in ordine ad aliud possunt virtualiter distingui: ex aliâ verò non sunt asserendæ virtualiter distinctæ, præter quàm in ordine ad munus, quod, saluâ fide, negari nequit, quale non est munus terminandi, & non terminandi eamdem cognitionem. Sublatâ autem distinctione virtuali relatè adhoc munus, prorsus repugnat, quòd Paternitas terminet cognitionem intuitiuam, quam non essentia, aut vice versâ; vt constat. Respondeo secundò, licèt beneficio distinctionis virtualis possint Paternitas & essentia alia prædicata contradictoria, sine contradictione subire, prout constat ex fide: quòd tamen vna, & non alia per intuitionem attingatur, adeò absolute esse impossibile, vt ne per virtualem quidem distinctionem id possit componi; quantumuis ea ad id muneris tentaretur admitti. Quia intuitio præsertim diuina non potest non ita perfectè suum obiectum repræsentare, vt illud eodem omnino modo

4

do

do appareat iuuenti, ac re ipsâ est in se. Appareret autem aliter, ac re ipsâ est in se, si vna Dei formalitas realiter identificata cum alia præcisa quoquomodo ab illâ appareret, repræsentata scilicet per intuitionem seorsim ab aliâ, sine, aliâ non repræsentatâ per eamdem. De quo plura videnda sunt scripta in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 11. Quòd si distinctio virtualis prodesse non potest, vt per aliquem actum scientiæ diuinæ vna formalitas præ alia attingatur, multo minùs prodesse poterit distinctio rationis, vt constat.

3 Sed dices rursus. Nos per rationem distinguimus in obiecto cognito plures formalitates. Ergo totidem in actu scientiæ tangente tale obiectum poterimus distinguere. Nam pro distinctione connotatorum id, quod ad connotata ipsa refertur, distinguere possumus, & solemus. Scientia autem Dei ad obiecta vt ad quædam connotata refertur. Respondeo tamen, quoties id, quod ad plura connotata refertur, ex suo specifico conceptu omnia illa indiuisim respicit, non posse nos cum fundamento illud in plures formalitates iuxta pluralitatem connotatorum distinguere, quæ talem specificum conceptum verè, & realiter retineant. Conceptus enim specificus essentialiter respiciens plura non potest vnum solum respicere, vt notum est. Cùm igitur scientia, qua se Deus cognoscit ex conceptu perfectissimæ intuitionis non possit non indiuisim tangere omnes formalitates, quæ realiter sunt ipse Deus; repugnat, plures distingui in tali scientiâ formalitates, quarum singulæ attingant solùm aliquid Dei, & verè retineant conceptum perfectissimæ intuitionis; qualiter retinere debet omnis vera, & rata formalitas scientiæ diuinæ. Siquando ergo nos in scientiâ Dei de obiecto indiuiso realiter plures formalitates distinguimus pro pluralitate formalitatum, quæ etiam distinguimus in obiecto; illæ quidem non sunt formalitates veræ, quæ re ipsâ conueniant Deo, sed prorsus fictitiæ, & apparentes. Stet ergo, Deum vnico, & prorsus indiuisibili actu complecti omnes veritates identificatas secum realiter formaliter; & consequenter distinctionem virtualem suarum formalitatum tanquam vnam ex his veritatibus; quidquid refragentur Recentiores citati à Ribaden. disput. 4. de Scient. cap. 1. num. 10. sint, aut non sint tales veritates per rationem nostram, aut etiam realiter virtualiter distinctæ inter se.

6 Secundò dubitari potest; qua ratione Deus cognoscat suam scientiam (eam enim cognoscere prorsus est certum, vt ex dictis num. 1. constat, & latiùs probat Ruiz disput. 7. de Scientiâ sect. 1.). Triplex est sententia. Prima asserentium, Deum actum suæ scientiæ directum per alium reflexum cognoscere, & hunc per alium, & sic in infinitum. ita Gran. 1. par. contro. 1. tract. 6. disput. 1. sect. 8. & cont. 2. tract. 1. disput. 4. à num. 4. cum Salas 1. 2. quæst. 3. tract. 2. disput. 3. sect. 4. fine. Quibus consentiunt Lugo de Incarnat. disput. 19. sect. 1. num. 14. Galp. Hurt. disput. 2. de Scient. diff. 1. & Ribaden. disput. 4. de Scient. cap. 2. Hi enim omnes non censent inconueniens, admittere processum in infinitum in formalitatibus scientiæ diuinæ solùm ratione nostrâ distinctis. Secunda sententia est P. Ruiz disput. 7. de Scient. sect. 2. num. 1. & 8. vbi ait, scientiam Dei primâ vice per actum reflexum ratione ratiocinatâ distinctum à directo cognosci. Vlterius tamen non procedi: quia actus iste reflexus per se ipsum Deo innotescit. Tertia sententia est, scientiam directam Dei per se ipsam à Deo cognosci, quin opus sit actu reflexo, adhuc per rationem nostram ab illâ distincto. Sic docent Heric. disput. 4. cap. 1. num. 6. & 11. Albiz. disput. 3. sect. 1. num. 16. Alarc. tract. 2. disput. 1. cap. 3. num. 3. Hemel. titul. 4. disput. 1. cap. 22. num. 8. Martin. 1. par. disput. 9. sect. 1. num. 6. Ioan. à S. Tho. disput. 17. art. 1. diff. 3. Consentitque Soar. disput. 30. Metaph. sect. 15. & lib. 2. de Attrib. cap. 18. num. 9. & alij Recentiores.

Ego circa præsens dubium arbitror primò, scientiam, qua se Deus intuetur prout absolutè existentem, per se ipsam ipsi innotescere similiter prout absolutè existentem; quin opus sit actu reflexo distincto ab illâ virtualiter, per quem à Deo sic cognoscatur. Quod probo imprimis auctoritate D. Dionysij epist. 9. quæ est ad Titum, paulò post principium dicentis, *Penabimur quamdam vim simplicem per se mobilem, per se agentem, se non deserentem, sed scientiam, quæ est scientiarum omnium scientia, & semper se per se met ipsam intuetur*. Idem docet S. Tho. 1. par. quæst. 14 artic. 4. ad 3. & lib. 3. contra Gent. cap. 26. in secundâ ratione. Imo id ipsum videtur Aristot. assequutus lib. 12. Metaph. cap. 9. text. 51. dum ait, loquens de scientiâ Dei, *se ipsam intelligit, si est quidem, quod optimum est, & est intellectio intellectionis intellectio*. Deinde idem ipsum probatur ex doctrinâ traditâ paulò antea. Cùm enim talis scientia, vt vidimus, titulo perfectissimæ intuitionis non possit non attingere indiuisim omnem formalitatem realiter identificatam cum Deo; consequitur planè, vt non possit non se ipsam attingere quoad entitatem; cùm ea sit vna ex formalitatibus realiter identificatis cum Deo. Quod si quoad entitatem se debet, atque adeò potest attingere; & quoad denominationem poterit in ipsâ entitate prout non deficiente virtualiter consistentem; superuacaneaque proinde, atque adeò, impossibilis ad id muneris erit formalitas alia reflexa. Præterea probatur, Quia si actus scientiæ, quo se prout absolutè existentem Deus cognoscit, indigeret alio reflexo, quo ipse pariter prout absolutè existens cognosceretur; hic reflexus eodem iure indigeret secundo reflexo; & secundus tertio; & sic sine fine; daretur que multitudo categorematicè infinita actuum reflexorum virtualiter inter se distinctorum. Quæ impossibilis haud dubiè est. Nam, etiam eâ datâ, cùm tota multitudo omnium huiusmodi actuum scientiæ Dei, nullo dempto, esset obiectum ab ipso Deo cognoscibile, vel cognoscetur per actum, qui esset extra multitudinem omnium omnino; quod est chymæricum: vel per actum inclusum in multitudine ipsâ, qui sui ipsius cognitio esset absque indigentiâ alterius reflexi. Qua indigentiâ semel sublatâ ab vno actu, ab omnibus eodem iure auferenda est. Totaque subinde multitudo reflexorum vt superflua, atque adeò vt impossibilis est reijcienda. Aliud est de progressu in infinitum reflexorum actuum per solam nostram rationem distinctorum; qui tantùm inducit multitudinem syncategorematicè infinitam: proindeque nullum secum absurdum fert iuxta mox dicenda. 7

Dices. Licèt scientia, qua Deus se cognoscit, 8

noscit, sit etiam scientia de se ipsâ, diuerso tamen modo cognoscetur à Deo per se ipsam, quam per aliam reflexam. Sed actus diuerso modo tendentes in idem obiectum tribuendi sunt Deo iuxta doctrinam supra statutam disput. 23. quæst. 4. propositi. 3. Ergo Deus, non solùm cognoscit scientiam de se per ipsam met, sed insuper per actum reflexum. Respondeo, scientiam, qua Deus se cognoscit eodem tendendi modo notificare se ipsam, quo notificaretur per actum reflexum; nam quòd hic præ illâ esset ab ipsâ distinctus virtualiter, non variat modum tendendi sufficienter, vt talis actus possit in Deo non censeri superfluus. Superfluus igitur censendus est, atque adeò impossibilis.

9 Loquutus autem sum de actu scientiæ, quo Deus se cognoscit quoad existentiam absolutam. Nam actus, quo Deus se cognoscit quoad quiditatem cum præcisione ab existentiâ, nequit esse cognitio sui quoad existentiam absoltuam. Fieret enim inde, vt ille in eamdem Dei entitatem, cum qua identificatur, diuersis modis tenderet contra doctrinam traditam supra disp. 23. quæst. 4. propositi. 3. cognoscendo scilicet eam simul cum præcisione, & sine præcisione ab existentiâ. Quòd, ex se patet, esse impossibile. Vnde actus iste quoad suam absolutam existentiam per aliam à se distinctum virtualiter est necessariò cognoscendus. Qui subinde quoad existentiam absolutam cognitio sui erit iuxta dicta. Tantumdemque censendum est de alijs actibus, quibus Deus, aut conditionatè, aut tantùm simpliciter apprehensiuè se cognoscit, prout videbimus disput. 26. quæst. 3. Itaque, quot modis diuersis iuxta ibi dicenda Deus se cognoscit, tot in eo actus sunt asserendi distincti inter se virtualiter, quorum vnusquisque suo dumtaxat modo, & Dei, & omnium ipsorum actuum cognitio sit. Quo & omnis superfluitas, & progressus in infinitum huiusmodi actuum vitatur, vt consideranti innotescet.

10 Hæc dicta de scientiâ, qua Deus se ipsum cognoscit. Superest dicendum de scientiâ, qua Deus cognoscit cætera obiecta à se realiter distincta. Circa quam censeo dicendum, de quouis actu scientiæ, quem Deus habet circa quodvis obiectum realiter à se distinctum, & de ipso obiecto perinde philosophandum esse respectiuè ad scientiam diuinam, ac de duobus obiectis realiter inter se distinctis, quorum secundum fit terminus, primum verò relatio, eaque aut connexionis, si actus scientiæ fuerit iudicium, aut non connexionis, si fuerit simplex apprehensio. Atque ita, quot actibus distinctis inter se virtualiter est cognoscibilis, de factoque cognitus à Deo quiuis binarius aliorum huiusmodi obiectorum iuxta doctrinas generales traditas supra disput. 23. quæst. 4. & 6. totidem cognoscibilem esse, de factoque cognosci à Deo quemuis binarium resultantem ex quouis actu scientiæ Dei, & eius obiecto realiter ab ipso distincto. Cuius ratio est. Quia non est cur de binario ex tali actu scientiæ, & eius obiecto aliter, quod ad rem attinet, philosophemur, ac locis citatis philosophati sumus in genere de quouis omnino huiusmodi obiectorum binario.

11 Itaque iuxta doctrinas datas locis citatis circa binarium resultantem e. g. ex actu scientiæ iudicatiuæ A, & ex eius obiecto B. Deus dicendus est habere actus sequentes distinctos inter se virtualiter. Primum, quo cognoscit solum obiectum B (quem ponamus esse ipsum actum A). Secundum, quo cognoscit solum actum A, qui nequit esse ipsemet, cùm ponamus solum obiectum B cognosci per illum; aliusque ab eo subinde erit. Tertium, quo cognoscit indiuisim, & ex æquo A, & B. Quartum ab eis tribus diuersum, quo cognoscit A vt respicientem B; qui seruire poterit, vt ex A cognoscatur B, tanquam terminus ex connexione. Quintum, quo cognoscit A prout connotans B. Sextum, quo cognoscit B prout connotans A; qui poterit esse idem, quo B cognoscitur ex A. Septimum, quo cognoscit B in A vt terminum in connexione. Et si qui sunt alij, præter apprehensiones simplices de A, & de B, & de vtroque simul, quas Deus habere dicendus est iuxta doctrinas præcitatas. Tantumdemque dicendum est de cæteris huiusmodi actibus scientiæ Dei, & eorum obiectis.

Ex his infertur, triplex genus actuum 12
scientiæ, quod attinet ad præsens propositum, reperiri in Deo. Primum eorum, quorum obiectum purè est aliquid extrinsecum, realiterque distinctum à Deo. Secundum eorum, quorum obiectum coalescit ex aliquo extrinseco, realiterque distincto à Deo, & ex aliquo ipsi intrinseco, realiterque identificato (cuiusmodi sunt actus scientiæ Dei, vt ex communi, & meâ sententiâ suppono). Tertium eorum, quorum obiectum purè est aliquid intrinsecum realiterque identificatum cum Deo, nimirum aliquis, aut aliqui actus scientiæ diuinæ. Et in duobus quidem prioribus generibus actuum scientiæ Dei facilè apparet, quomodò progressus in infinitum actuum reflexorum non detur. Ne autem detur in tertio, rursus censeo dicendum, perinde de actibus scientiæ ad illud spectantibus philosophandum esse, ac de actibus scientiæ, quos Deus habet de se ipso, nuper philosophati sumus.

Ex quibus omnibus apparet, quomodò 13
in Deo & dentur (prout dari debent) omnes actus scientiæ distincti inter se virtualiter, qui nullam omnino secum ferunt imperfectionem; & neque detur vllus superfluus, aut aliter imperfectionem habens; neque progressus in infinitum reflexorum, impossibilis citra dubium, vt constat ex dictis. Et hæc de actibus scientiæ Dei virtualiter inter se distinctis. Pergo ad eos qui distinguntur per solam rationem. Circa quos.

Arbitror secundò iuxta doctrinam tradi- 14
tam in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 20. de prædicatis transcendentibus propositi. 11. in scientiâ, qua Deus suam scientiam cognoscit, alios, & alios actus reflexos posse, & solere multiplicari à nobis per nostrum modum concipiendi dumtaxat. Qui omnes subinde, etsi formaliter sint distincti quasi numericè, æquivalenter censentur vnus, & idem. Sic, cùm dicimus, scientiam de Deo, aut de alio obiecto sciri ab ipso Deo, actum sciendi superaddimus ipsi scientiæ, & huic secundo superaddimus alium, si de eodem etiam affirmemus sciri à Deo, & ita deinceps sine fine. Tametsi progressus iste infinitus vt summùm possit esse syncategorematicè talis, atque adeò planè possibilis, prout loco citato explicatum est. Recognoscantur dicta ibi. Ex quibus omnibus colligere est, quid verum, & quid falsum habeant sententiæ Auctorum relatæ num. 6. His autem ita positis restat, vt ad directum quæsitum præsentis quæstionis breuissimè respondeamus.

Propositio vnica.

Deus se totum ipsum in se ipso cognoscit.

15 Est certum. Quia id dicitur in se ipso cognosci, quod non solùm per se terminat cognitionem sui, sed etiam ratione sui ad illam determinat propriâ cognoscibilitate, quam habet, vt explicauimus disput. 23. quæst. 7. Sed Deus, &, quidquid in ipso est intrinsecè, per se, & ratione sui est verum, & cognoscibile; subindeque per se, & ratione sui non potest non determinare intellectum diuinum, vt prodeat in eius cognitionem. Ergo Deus, &, quidquid in ipso est intrinsecè, non potest non in se ipso cognosci ab eodem intellectu diuino. Confirmatur. Quia perfectior est ex genere suo cognoscibilitas, imo & cognitio, qua aliquid in se ipso cognoscitur, quàm illa, qua cognoscitur in alio, aut ex alio. Ergo ea negari non potest omnium perfectissimo cognoscibili, ac cognoscenti, qui est Deus, & quidquid cum illo realiter idem est. In quo amplius non oportet morari.

QVAESTIO II.

Vtrùm Deus aliquam sui formalitatem in aliâ; aut ex aliâ cognoscat.

16 VNum in alio cognoscitur, quando ambo per eamdem cognitionem indiuisim tanguntur; sed alterum solum ad illam determinat, ita, vt tota ratio attingendi vtrumque illud solum sit, in quo alterum cognosci dicitur. Vnum verò ex alio cognoscitur, quando ea distinctis cognitionibus attinguntur, quarum vna ad alteram mouet, prout latiùs explicauimus supra disput. 23. quæst. 7. Supponimus autem hic ex loco citato, & ex dicendis postea, hunc duplicem modum cognoscendi alias non repugnare Deo. Solùmque quærimus, an locum habeat circa diuinas formalitates. Alarc. disput. 2. de Scientiâ, & alij Recentiores existimant, Deum, non solùm relationes personales, sed alia item attributa sua communia cognoscere in suâ essentiâ. Cùm quibus, quod ad relationes personales attinet, consentiunt Arriaga 1. par. disput. 18. sect. 2. Ribas disput. 3. cap. 2. Ribaden. disput. 4. de Scient. cap. 4. & alij Recentiores. A quibus omnibus dissentit Ruiz disput. 5. de Scient. sect. 6. Addens contra Arriag. & Ribas neque vice versâ cognoscere Deum suam essentiam in relationibus personalibus. Ast, Deum vnam relationem personalem cognoscere in aliâ, ipse Ruiz disput. 12. sect. 3. Ribaden. supra num. 32. & alij Recentiores affirmant. Quod tamen etiam alij negant. Nullam autem suarum formalitatum cognoscere Deum ex aliâ, ipse Ribaden. n. 34. testans de communi asseuerat.

Propositio 1.

Deus nullam omnino suarum formalitatum cognoscit in aliâ, quando ambæ realiter formaliter idem sunt, etiam si virtualiter sint distinctæ relatè ad alia munia. 17

Ratio est. Quia repugnat cognosci vnum in alio, quando non sunt vnum, & aliud relatè ad cognitionem, vt constat: quomodò enim cognoscetur vnum in alio, vbi non cognoscitur vnum, & aliud? Sed formalitates identificatæ realiter formaliter, etsi virtualiter sint distinctæ relatè ad alia munia, in ordine ad intuitionem sui perfectissimam, qualis est cognitio diuina, non sunt vnum, & aliud, sed prorsus idem; cùm non sint duo obiecta, sed vnum iuxta doctrinam statutam quæst. 1. à num. 3. Ergo repugnat, cognosci à Deo vnam formalitatem in aliâ, quando ambæ realiter formaliter idem sunt. Confirmatur. Quia tunc solùm cognoscitur vnum in alio, quando primum ad cognitionem amborum determinat; secus secundum. Sed repugnat, primum, & non secundum ad cognitionem determinare, quando primum, & secundum relatè ad ipsam cognitionem sunt prorsus idem, vti euenit formalitatibus diuinis, vt dictum est: aliàs duo contradictoria, determinare videlicet, & non determinare ad sui cognitionem, verè de eodem dicerentur; quod est impossibile. Ergo.

Hinc apparet, multò minùs posse Deum cognoscere vnam formalitatem ex alia. Quia ad hoc genus cognitionis multò magis est necessarium, quod vna, & alia distinguantur relatè ad cognitionem; diuersaque obiecta constituant. Quod secus euenit, vt vidimus. 18

Sed obijciunt Aduersarij. Vt cognoscatur vnum in alio, satis est, quòd hoc cum illo connexum sit, & ab eo virtualiter distinguatur. Sed essentia diuina, & relatio Paternitatis e. g. ita se habent. Ergo relatio Paternitatis in essentiâ potest cognosci. Respondeo, vt cognoscatur vnum in alio, non satis esse connexionem minùs propriam eiusdem cum se ipso, qualis reperitur inter formalitates realiter identificatas; sed propriam connexionem requiri, qualis solùm reperitur inter extrema realiter distincta: nec satis esse quamlibet distinctionem; sed eam requiri, quæ in ordine ad cognitionem vnum, & aliud obiectum facit. Quod non præstat distinctio virtualis, quam habent formalitates diuinæ relatè ad alia munia; & non relatè ad cognitionem, vt dictum est. 19

Sed instant. Etsi distinctio virtualis inter formalitatibus diuinis non sit admittenda relatè ad earum cognitionem: quia nihil est, quod cogit, eam admittere ad id muneris. Semel tamen admissa relatè ad aliud munus, relatè etiam ad cognitionem poterit deseruire. Quemadmodùm, etsi distinctio formalis non sit admittenda in diuinis, nisi vbi fides docet, vt inter relationes personales. Ibi tamen semel admissa ad omnia munera extremorum distinctorum subseruit. Respondeo tamen, distinctionem virtualem, cùm non reuerà, sed æquiualenter tantùm distinctio sit, non absolutè, sed relatè tantùm ad illud munus vocari distinctionem, in ordine ad quod æqui- 20

ualet

ualet distinctioni: nec posse vllo pacto ad aliud munus deseruire, in ordine ad quod non datur talis æquiualentia. In quo differt à distinctione formali; quæ, cùm vera extremorum distinctio sit, ad quodcunque munus compararetur, manet distinctio. Cùm igitur formalitates Dei, quæ in ordine ad aliquod munus æquiualent rebus distinctis, cùm reuerà sint idem, non eo ipso in ordine ad sui intuitionem rebus distinctis debeant, imo nec possint æquiualere iuxta dicta loco citato. Conficitur planè, distinctionem virtualem, quam habent relatè ad tale munus, non eo ipso esse distinctionem in ordine ad sui intuitionem. Erunt igitur prorsus idem relatè ad hanc, in ordine ad quam non admittitur talis æquiualentia; quidquid sit de formalitatibus reuerà, & formaliter distinctis, quales relationes sunt comparatæ inter se. De quibus mox.

Propositio 2.

21 Deus neque vnam ex suis relationibus personalibus cognoscit in aliâ; tametsi illæ reuerà distinctæ, & inter se connexæ sint.

Difficilior est hæc propositio. Ex eisdem tamen principijs, ac præcedens, probanda venit. Cùm enim relationes personales, etsi inter se distinctæ realiter, sint nihilominùs identificatæ realiter cum essentiâ diuinâ; nequit vna ad sui perfectam intuitionem determinare, quin ad eamdem eodem modo determinet alia; nec potest vna vno modo, & alia alio modo cognosci per ipsam intuitionem, prout opus est, vt vna in se, & alia in illâ cognoscatur. Cuius ratio conspicua est; quia, cùm Paternitas e. g. reuerà sit idem cum essentiâ, nec in ordine ad sui intuitionem distincta sit, adhuc virtualiter, ab illâ, vt statuimus; necessarium omnino est, vt Paternitas, & essentia eodem prorsus modo cognoscantur, eodemque prorsus modo determinent ad sui intuitiuam cognitionem: cùmque similiter idem de essentiâ, & Filiatione necessariò dicendum sit. Conficitur planè, Paternitatem, essentiam, & Filiationem eodem prorsus modo debere per sui intuitionem tangi, ad eamque determinare. Cum quo nullatenus stare potest, vt Paternitas in se, & Filiatio in Paternitate, aut vice versâ cognoscantur à Deo. Quod enim in se cognoscitur, diuerso modo per cognitionem tangitur, ac, quod cognoscitur in alio: & primum ad cognitionem determinat; secundum non item.

22 Vnde etiam colligitur, nec posse Deum vnam suarum relationum ex aliâ cognoscere: tametsi hic modus cognoscendi aliàs sit ei possibilis. Quia, cùm cognitio Paternitatis e. g. non possit non eodem modo tangere Filiationem, vt vidimus; non superest locus, vt ex cognitione Paternitatis moueatur Deus ad comparandam nouam notitiam Filiationis; prout opus est, vt dicatur cognoscere Filiationem ex Paternitate, & non itidem ex se ipso priùs iam cognitâ. Porro, quæ contra vtramque nostram propositionem ab Aduersarijs obijciuntur, aut obijci possunt, tam facilè ex doctrinâ tradita poterit vnusquisque diluere, vt in illis proponendis, & diluendis opus non sit morari.

QVAESTIO III.

Vtrùm Deus se ipsum cognoscat in creaturis. Et qua ratione.

COgnoscere se Deum in creaturis, est cognoscere se determinatus non à suâ, sed à creaturarum cognoscibilitate, idque per eamdem cognitionem cum creaturis ipsis iuxta definitionem superiùs traditam de cognitione vnius in alio. Igitur P. Ruiz disput. 2. de Scient. sect. 3. num. 5. & P. Alarc. tract. 2. disput. 2. cap. 2. cum alijs ab eo relatis negant, Deum se ipsum in creaturis cognoscere. Affirmant tamen Herice disput. 4. cap. 2. concluſ. 3. Albiz disput. 3. de Scient. sect. 2. Sfort. lib. 1. num. 37. Gasp. Hurt. disput. 2. de Scient. diff. 3. Martinon 1. par. disput. 10. sect. 4. Ribas disput. 3. cap. 3. Arriag. disput. 18. Raynaud. in Theolog. nat. distinct. 8. quæst. 1. Ribaden. disput. 5. de Scient. cap. 1. & alij Recentiores. Fauet etiam Pet. Hurt. de Charitate disput. 121. sect. 8. Ex quibus nonnulli vt Albiz, Gasp. Hurtado, & quidam Recentiores existimant, Deum non intuitiuè, sed abstractiuè se cognoscere in creaturis. Alij verò, vt Pet. Hurt. Ribaden. & alij Recentiores censent, Deum non abstractiuè, sed intuitiuè se cognoscere in creaturis. Cum quibus sentit Hemel. tit. 6. disput. 2. cap. 9. à num. 9. Denique Herice supra num. 18. arbitratur, cognitionem, qua Deus se cognoscit in creaturis, non formaliter, sed eminenter tantùm esse abstractiuam, quatenùs, ni obstaret imperfectio, cognitio de creaturis cognitionem abstractiuam formaliter induceret de ipso Deo. Addunt nonnulli, Deum se ipsum etiam cognoscere in iudicio creato de se, non solùm infallibili, sed etiam fallibili præcisè ratione ordinis, quem ad se habet tale iudicium, in quantùm est cognitio, secluso ordine, quem habet, in quantùm est creatura. 23

Propositio 1.

Deus se ipsum cognoscit in creaturis. 24

Probatur. Quia creaturæ, non solùm quoad existentiam, sed etiam quoad possibilitatem suapte naturâ cum Deo ipso tanquam causâ primâ intrinsecè connexæ sunt; vt cum communi contra nonnullos Recentiores ostendimus tom. 1. disput. 4. quæst. 4 talisque connexio à Deo cognoscibilis est; vt est notissimum. Ergo per illam determinatur Deus ad se cognoscendum eodem actu cognitionis, quo tangit ipsam connexionem. Quod est, in creaturâ secum connexâ se ipsum cognoscere; prout constat ex generali doctrinâ traditâ supra disput. 23. quæst. 6. & 7. Ibi enim ostendimus, Deum per relationem connexionis metaphysicæ, quæcunque ea sit, determinari ad cognoscendum eâdem cognitione eius terminum; atque adeò hunc in ipsâ re connexâ cognoscere. Cognoscit ergo se in creaturis, quarum metaphysicæ connexionis ipse terminus est. Nec est hìc specialis difficultas, quæ ibi in vniuersùm compla-

nata non sit. Vbi argumenta, quæ ab Aduersarijs contra hanc doctrinam opponuntur, diluimus. Cæteraque, quæ opponi possunt, per doctrinam ibidem traditam facilè quisque diluet.

25 Vnum dumtaxat modò libet specialiter opponere. Deus cognoscit creaturas in se ipso. Ergo nequit se ipsum cognoscere in creaturis. Aliàs, si in creaturis cognitis in se ipso potest iterum se cognoscere; rursus in se cognito in creaturis poterit creaturas cognoscere; procedemusque in infinitum. Quod est absurdum. Respondeo, huiusmodi processum neutiquam sequi ex nostrâ sententiâ. Non enim asserimus, Deum se cognoscere in creaturis prout cognitis in se ipso; sed in creaturis prout cognitis in ipsis met: neque, Deum cognoscere creaturas in se prout cognito in ipsis creaturis; sed in se prout cognito in se ipso. Quo cessat prædictus processus. Itaque, cùm creaturæ ex vnâ parte determinent ad cognitionem sui, & Dei: & Deus ex aliâ parte determinet ad cognitionem sui, & creaturarum, (vt modò ex dicendis disput. 25. supponimus); triplex omnino cognitio, quod ad rem attinet, oriunda ex his determinationibus potest excogitari: alia, ad quam solæ creaturæ: alia, ad quam solus Deus: alia, ad quam Deus simul, & creaturæ determinent. Per primam creaturæ in se, & Deus in creaturis cognoscentur. Per secundam Deus in se, & creaturæ cognoscentur in Deo. Per tertiam autem vtrumque simul fiet: nam creaturæ simul in se, & in Deo; Deus autem simul in se, & in creaturis cognoscentur. Arbitror autem, has tres cognitiones, vtpote ex suo genere diuersas, de facto in Deo reperiri iuxta doctrinam vniuersalem de multiplicatione actuum Dei statutam disput. 23. quæst. 4.

Propositio 2.

26 **Deus in creaturis nullatenus se abstractiuè cognoscit; sed prorsus intuitiuè, &, vt est in se.**

Constat hæc propositio ex doctrinâ traditâ disput. 23. quæst. 6. propos. 2. & quæst. 7. propos. 2. Vbi vniuersaliter ostendimus, etsi connexio ex se non determinet ad cognoscendum suum terminum quiditatiuè, siue intuitiuè, posito, quòd non sit connexio cum illo quoad totam quiditatem, sed tantùm quoad aliquod eius prædicatum; attamen Deum non posse per illam non determinari ad cognitionem quiditatiuam, siue intuitiuam talis termini; eoquòd principia determinabilia per talem connexionem in Deo ad aliud genus cognitionis determinari nequeunt, vtpote quibus prorsus repugnat cognitio imperfecta; qualis est omnis cognitio non plenè intuitiua, & quiditatiua. Ex quo patet, dato, quòd connexio, quam creaturæ cum Deo habent tanquam cum causâ primâ, tantùm inducat, quantum ex se est, ad cognoscendum Deum abstractiuè, quoad prædicatum videlicet causæ præcisum ab alijs; ipsum tamen Deum per illam, non ad cognitionem sui abstractiuam sibi impossibilem induci, sed ad perfectissimè intuitiuam. Non igitur abstractiuè, sed prorsus intuitiuè cognoscit se Deus in creaturis.

Dices. Deus non aliter se potest cognoscere in creaturis, quàm est in ipsis cognoscibilis. Sed tantùm est in eis cognoscibilis abstractiue. Ergo. Concessâ maiore; nego minorem. Quia, licèt Deus in creaturis abstractiuè tantùm sit cognoscibilis ab intellectu creato, à se tamen ipso non abstractiuè, sed perfectissimè intuitiuè in illis cognoscibilis est. Posito siquidem, quòd creaturæ de suo tantùm determinent ad abstractiuam Dei cognitionem intellectum creatum, cui ea possibilis est; intellectum tamen diuinum, cui ea repugnat, non ad eam, sed ad perfectissimè intuitiuam ipsi possibilem determinant, prout constat ex dictis. Cætera, quæ hic possent desiderari, ex loco citato petenda sunt. 27

Propositio 3.

Deus in cognitione infallibili de se ipso, siue sit fides, siue scientiæ, speciali titulo se cognoscit, etiam intuitiuè. 28

Quia cognitio infallibilis infallibilitate metaphysicâ, de qua loquimur, præter connexionem transcendentalem, quam habet cum Deo, vt cum suâ causâ, in quantùm creatura est, specialem insuper habet connexionem cum Deo, vt cum suo obiecto, in quantùm est eius cognitio suaptæ naturâ infallibilis. Connexio autem hæc non potest non æquè, atque illa, determinare Deum ad se cognoscendum intuitiuè in ipsâ cognitione: cùm sit proprium omnis metaphysicæ connexionis determinare Deum ad cognoscendum in re connexâ suum terminum; Vt ex doctrinâ vniuersali traditâ disput. 23. quæst. 6. citatâ propos. 2. satis, superque notum est. In quo amplius non est morandum.

Propositio 4.

Deus nullâ ratione se cognoscit in cognitione fallibili de se ipso titulo respectus, quem talis cognitio ad ipsum vt ad obiectum habet. Tametsi huiusmodi cognitionem cognoscere non possit, nisi simul se ipsum vt terminum prædicti respectus apprehendat simpliciter. 29

Hæc propositio ex doctrinâ traditâ suprà disput. 23. quæst. 6. constat. Nam, vt dicebamus ibi, relatio non connexionis, qualis vt summùm est ea, quam habet ad obiectum cognitio, de qua est sermo in propositione, ad cognoscendum suum terminum non determinat; licet non queat sine illo cognosci, quod est quid diuersum. Nisi autem vnum ad aliud cognoscendum determinet, non potest dici, loquendo propriè, primum in secundo cognosci, vt fusiùs loco citato expositum est. Adde, etsi relatio non connexionis ad cognoscendum suum terminum determinaret, adhuc absolutè dici non posse, terminum in re relatâ cognosci; quia cum relatio non connexionis tantùm expoſcat, vt eius terminus apprehensiuè cognoscatur, vt vidimus etiam ibidem: tantùm determinaret ad simplicem sui termini apprehensionem. Quod autem tantùm simpliciter apprehenditur, non dicitur absolutè cognosci, atque adeò neque cognosci in alio.

Sed

30 Sed dicunt Recentiores, etsi relatio non connexionis ex se tantùm determinet ad apprehensionem simplicem termini, Deum tamen per illam ad iudicium determinari: quia sat est, talem relationem determinare Deum ad cognoscendum vtcunque terminum, vt Deus, cuius intellectus non potest non quidlibet perfectissimo modo cognoscere, per eam determinationem inducatur ad cognoscendum ipsum terminum intuitiuè, & comprehensiuè, atque adeò iudicatiuè. Sed contra. Quia, semel admissâ determinatione ex parte prædictæ relationis ad simplicem apprehensionem termini, doctrina Recentiorum tantùm posset habere locum casu, quòd talis apprehensio esset Deo impossibilis; nec posset ipse ad illam, sed solùm ad iudicium determinari. Cæterùm, cùm simplex apprehensio prædicti termini sit Deo possibilis, vt disput. 23. quæst. 3. ostensum est; nequiret ille in casu admisso per relationem prædictam ad aliud genus cognitionis determinari: quia neque relatio, neque perfectio diuini intellectus aliud genus cognitionis exposceret. Addo, quando cognitio fallibilis habita est per speciem alienam, ne apprehensione quidem simplici de obiecto eius egere Deum ad cognoscendum illam iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 5. propos. 2. Tametsi de phantasmate substituto pro tali obiecto aliquam saltem apprehensionem simplicem habere debeat.

31 Ex dictis in hac quæstione colligitur, Deum se ipsum in quouis alio obiecto metaphysicè secum connexo cognosci intuitiuè titulo talis connexionis: non verò itidem in obiecto ad se aliter, quàm per talem connexionem, relato: tametsi nullum obiectum ad se relatum queat attingere, nisi se simul apprehendendo simpliciter, siue eodem actu, siue diuersis iuxta dicta quæst. illâ 6. disput. 23. Addo, aliter, quàm titulo connexionis, quam creaturæ habent cum Deo, & præscindendo ab illâ, tot insuper modis cognoscere se Deum in creaturis, quot creaturas ipsas cognoscit in se iuxta dicenda disput. 25. vbi de modis istis speciatim agendum est.

QVAESTIO IV.

An Deus se cognoscat ex creaturis.

32 COgnoscere se Deum ex creaturis est cognoscere se cognitione ortâ ex cognitione creaturarum tanquam ex principio mouente, ab eaque subinde distinctâ, iuxta definitionem cognitionis vnius ex alio traditam disput. 23. quæst. 7. Igitur negatiuam partem quæstionis absolutè tradunt Herice disput. 4. de Scient. cap. 3. à num. 21. Sfort. lib. 1. suæ Theologiæ num. 36. Alarc. tract. 2. disput. 2. cap. 2. Gasp. Hurt. disput. 2. de Scient. diff. 4. Arriag. disput. 18. sect. 3. subsect. 2. Ribaden. disput. 5. de Scient. cap. 4. & alij Recentiores. Affirmatiuam verò sequuntur Albiz disput. 3. de Scient. sect. 3. Ribas disput. 3. cap. 4. & quidam alij Recentiores.

Propositio 1.

Deus ex creaturis se cognoscit. Ex creaturis, inquam, non formaliter, sed tantùm virtualiter. 33

Est dicere; intellectus diuinus per cognitionem creaturarum mouetur ad producendam virtualiter cognitionem Dei, quæ ab ipsâ creaturarum cognitione virtualiter distincta sit. Hæc propositio ex doctrinâ traditâ disput. 23. quæst. 6. propos. 2. & quæst. 7. propos. 3. constat. Ibi enim vniuersaliter probauimus, Deum hac ratione vnum quoduis obiectum ex alio cognoscere, quoties secundum cum primo essentialiter est connexum; qualiter creaturæ cum Deo ipso connexæ sunt. Recolatur doctrina ibi tradita. Vbi etiam argumenta ei opposita diluta sunt.

Propositio 2.

Cognitio, quam Deus de se comparat ex creaturis, non abstractiua, sed plenè, & perfectè quiditatiua, siue intuitiua est. 34

Quia, licèt creaturæ non inducant ex se ad cognitionem quiditatiuam, siue intuitiuam Dei, ipsum tamen Deum non possunt non inducere; vtpote cui alia cognitio non plenè quiditatiua, siue intuitiua repugnat. Recognosce doctrinam datam loco citato, atque iterum repetitam quæstione præcedente.

Propositio 3.

Deus ex cognitione creatâ infallibiliter secum connexâ vt cum obiecto se etiam speciali titulo intuitiuè cognoscit. Ex cognitione verò fallibili ad se vt ad obiectum relatâ relatione non connexionis non se cognoscit titulo talis relationis. 35

Constat etiam hæc propositio ex doctrinâ vniuersali loci sæpe citati. Ibi enim statuimus omnem relationem connexionis per cognitionem sui mouere, determinareque Deum ad cognoscendum suum terminum; relationem verò non connexionis minimè: tametsi hæc sine suo termino simpliciter saltem apprehenso cognosci non possit. De quo videnda, quæ ibidem dicta sunt, atque etiam quæstione præcedente. Porrò tot insuper modis cognoscit se Deus ex creaturis independenter ab earum connexione, quot ex se cognoscit creaturas iuxta dicenda disput. 25.

QVAESTIO V.

Vtrùm Deus comprehensiuè se cognoscat, Et qua ratione.

CErtum dogma est inter Theologos, Deum se comprehendere eo genere comprehensionis, 36

quo

quo à nullâ creaturâ comprehensibilis est. Qualis verò sit ista comprehensio, & in quo consistat, valde inter ipsos Theologos dubium, & controuersum est. Nam quidam censent, eam esse cognitionem comprehensiuam Dei, quæ attingit quidquid Deus est intrinsecè, & quidquid ad eum extrinsecè pertinet, vt sunt omnes creaturæ possibiles. Alij addunt, debere has attingi, non vtcunque, sed ex vi substantiæ Dei, vel tanquam medij, vel tanquam rationis formalis attingendi illas iuxta diuersas opiniones. Alij dicunt, nec id sufficere ad comprehensionem Dei, sed requiri insuper, vt cognitio eum attingens totam eius cognoscibilitatem exæquet, ita, vt tam sit perfecta in ratione cognitionis, quàm ipse Deus est perfectus in ratione cognoscibilis: quod variis modis à varijs explicari solet. Quis verò sit in hac re probabilior modus loquendi, ad quem fere reducitur hæc controuersia, tom. 1. disput. 17. quæst. 5. & 6. ex professò examinatum, atque determinatum est.

37 Modò sat sit scire, Deum plenissimè se comprehendere, quocunque ex prædictis modis comprehensio explicetur; prout ex Scripturâ, & Patribus loco citato comprobauimus, dum, Deum incomprehensibilem esse à creatura, ostendimus. Quod etiam ratione naturali est notissimum: cùm notum sit, Deum plenissimè, clarissimè, & perfectissimè se, & quidquid extra se est cognoscere omnibus modis, quibus & ipse, & cætera cuncta cognoscibilia sunt; idque per cognitionem infinitè perfectam tam in esse cognitionis, quàm in esse entis: proindeque plenè exæquantem perfectionem, ac cognoscibilitatem obiecti. Quo nihil ad rationem comprehensionis, in quocunque demum conceptu ponatur illa, desiderari potest.

38 Solùm potest hìc dubitari, an omnis cognitio, qua Deus se cognoscit, sit comprehensio spectata per se præcisè: vel tantùm habeat vnam, quæ ex proprio conceptu sit comprehensio: vel comprehensio ex pluribus actibus coalescat, quorum nullus per se sumptus intrinsecè comprehensio sit. Ratio autem dubitandi est: quia, quemadmodùm de ratione scientiæ diuinæ est, quòd sit plenè, atque perfectè intuitiua; eoquòd cognitio non intuitiua imperfectionem præsefert repugnantem Deo, vt supra quæst. 3. & antea disput. 23. quæst. 6. statutum est; ita etiam de ratione scientiæ diuinæ esse videtur, vt sit comprehensiua obiecti, cuius scientia est; eoquòd scientia non comprehensiua imperfectionem videtur præ se ferre repugnantem Deo. Vnde, sicut nullus actus scientiæ potest propterea dari in Deo, qui non sit perfectè intuitiuus respectu omnium obiectorum quæ tangit; ita neque erit vllus, qui non sit pariter comprehensiuus.

39 Nihilominùs dicendum arbitror, non omnem actum scientiæ, quem Deus de se habet, esse comprehensiuum ex proprio, & intrinseco conceptu. Quod vt ostendam, suppono id, quod in omni opinione videtur certum, & ego quæst. illa 6. citatâ disput. 17. monstraui, de ratione comprehensionis Dei esse, vt, non solùm, quidquid est ipse Deus intrinsecè, sed etiam, quidquid ad ipsum extrinsecè pertinet, per illam attingatur. Quo posito, argumentor primò. Deus habet actum scientiæ de se ipso, quo non attingit creaturas, non solùm existentes, sed neque possibiles. Ergo habet actum scientiæ de se, quo, præscindendo ab alijs actibus, se non comprehendit. Consequentia ex factâ suppositione est nota. Nam, si de ratione comprehensionis Dei, est attingere creaturas ad Deum spectantes vt effectus eius, actus non attingens creaturas non erit comprehensio. Probo ergo antecedens. Quia actus, quo se Deus cognosceret per locum intrinsecum casu, quòd nulla esset creatura possibilis, per se non attingit creaturas, ab omnique actu illas tangente virtualiter distinctus est, vt constat ex doctrinâ generali de distinctione actuum scientiæ diuinæ traditâ disput. 23. quæst. 4. Secundò. Si de ratione comprehensionis Dei, vt ego cum plerisque autumo, est attingere creaturas, non vtcunque, sed ex vi ipsius Dei, vt obiecti determinantis ad earum cognitionem, actus quo se Deus cognoscit in creaturis, & actus quo se cognoscit ex illis vt quæst. 3. & 4. statutum est, non sunt comprehensiui: quia per tales actus non cognoscuntur creaturæ ex vi Dei, vt obiecti determinantis: quia non cognoscuntur in Deo, aut ex Deo, sed in se ipsis, vt ex ibidem dictis constat. Tertiò. Actus, quo se Deus simpliciter tantùm apprehendit apprehensione constituente, aut etiam non constituente hypothesim iuxta vniuersalem doctrinam traditam disput. 23. quæst. 3. non est comprehensio: quia de ratione comprehensionis est, quòd sit cognitio iudicatiua, vt satis ex se est notum. Ergo. Quartò. Non omnis actus, quem Deus habet de quauis creaturâ, est comprehensio eius: quia circa quamlibet habet apprehensionem simplicem, & iudicium tangens illam præcisè quoad intrinsecum, non attingendo quod ad illam extrinsecè pertinet, iuxta doctrinam datam locis citatis. Ergo neque erit comprehensio omnis actus, quem habet de se ipso. Ex quibus patet, de ratione actus scientiæ diuinæ non esse, quòd sit comprehensio sui obiecti; sicut est, quòd sit intuitio eius; quia actus non comprehensiuus non eo ipso fert secum imperfectionem Deo repugnantem; sicut actus non intuitiuus; tametsi ille ex genere suo minùs sit perfectus, quàm comprehensiuus, quod nihil refert incommodi: cum certum sit, dari in Deo actus ex genere suo inæquales in perfectione, vt sæpe dictum est; constatque ex dictis tom. 1. disput. 16. quæst. 5.

Deinde existimo dicendum, Deum bifariam 40
se comprehendere. Primò per vnicum actum attingentem indiuisim Deum ipsum, & cætera cuncta, quæ extrinsecè pertinent ad illum eo modo, quo attingi debent, vt ille comprehendi dicatur; qui actus subinde intrinsecè, & essentialiter erit Dei comprehensio. Secundò per plures actus eâdem met diuisim attingentes modo debito, & sufficiente, vt Deus per illos comprehendi dicatur; nimirum per actum, quo se Deus in se ipso cognoscit, & simul per alium, aut alios oriundos ab illo priori, quibus ex se, tanquam ex medio prius cognito, cognoscit creaturas iuxta doctrinam tradendam infra disput. 25. quæst. 3. Ex quibus actibus nullus per se præcisè intrinsecè, & essentialiter est comprehensio Dei, sed pars aggregati actuum, quo Deus se comprehendit. Et in quo subinde constitit hoc genus comprehensionis, De quo plura ad locum citatum ex disput. 17. remitto, vbi de naturâ comprehensionis productior sermo habitus est.

DISPV-

DISPVTATIO 25.

De scientia, qua Deus cognoscit creaturas, & cætera extra se ipsum cognoscibilia.

1 HÆc etiam disputatio præscindit à scientiâ Dei liberâ, & naturali eorum, quæ extra Deum possunt cognosci. De quibus proinde etiam aget præscindendo ab eo, quòd sint obiecta necessaria, vel contingentia, absoluta, aut conditionata.

QVAESTIO I.

Vtrùm Deus cognoscat creaturas immediatè, & in ipsis met.

2 ID dicitur in se ipso immediatè cognosci, quod non solùm per se terminat sui cognitionem, sed per se, & ratione sui ad illam determinat propriâ, quam habet, cognoscibilitate, seu obiectiuâ veritate, vt supra disput. 23. quæst. 7. & disput. 24. quæst. 1. explicatum est. Scio, id etiam interdum solere dici in se ipso cognosci, quod secundùm proprium, ac formale *esse* terminat cognitionem sui, nec solùm secundùm *esse* virtuale, quod dicitur habere in suâ causâ, retentâ ab ipsâ causâ indistinctum. Quo pacto creaturæ & in Deo cognosci dicuntur, quatenus sunt ipse Deus iuxta illud Ioan. 1. *Quod factum est, in ipso vita erat*: & in se ipsis, quatenus *esse* proprium habent distinctum à Deo siue actuale, siue possibile. Sed modò in priori phrasi procedimus, omissâ posteriori, secundùm quam extra omne dubium est certum, Deum cognoscere creaturas in ipsis, hoc est, quoad proprium *esse*, quod habent extra Deum. De huiusmodi enim creaturarum cognitione est dogma illud, quod disput. 23. quæst. 1. propos. 3. ex Scriptura, Patribus, & ratione statuimus tanquam fide certum, ac lumine naturali conspicuum, vt omnes Theologi fatentur. Quod dogma propterea modò supponimus. Deindeque quærimus, an Deus, de quo modo dicto est certum omnes creaturas singulatim cognoscere, cognoscat eas in ipsis met iuxta priorem phrasim, hoc est, determinatus ab earum propriâ cognoscibilitate, siue obiectiuâ veritate; vel tantùm cognoscat in se ipso, nimirum à solâ sui cognoscibilitate, siue obiectiuâ veritate determinatus.

3 Aureolus in 1. distinct. 35. par. 2. artic. 2. §. *Responsio ad ea*, ita habet. *Deus non intelligit creaturas terminatiuè, quòd ipsæ terminent intuitum diuinum, neque in esse reali, neque intentionali; sed alio terminante, videlicet diuinâ essentiâ, ipsæ dicuntur determinatiuè intelligi.* Quibus verbis, & alijs similibus, quæ etiam artic. 1. habet, non solùm negat, creaturas in se ipsis cognosci à Deo, sed etiam, eas terminare Dei cognitionem; quod, saltem specie tenus, videtur esse, negare eas cognosci à Deo secundùm proprium *esse*, quod habent. Quo circa sententia Aureoli malè audit apud alios Theologos. Qui vnanimiter asseuerant, creaturas verè secundùm proprium *esse* terminare Dei cognitionem, quia aliud non est eam secundùm proprium *esse* terminare, quàm per illam tangi, repræsentari, atque cognosci secundùm proprium *esse*. Quod, saluâ fide, negari non potest. Reiectâ ergo sententiâ Aureoli, communis multorum Thomistarum sententia est, Deum cognoscere creaturas, non in ipsis ab ipsarum cognoscibilitate determinatum, sed tantùm in se ipso tanquam in causâ ad earum cognitionem determinante. Ita Durandus, Capreolus, Caietanus, Bannez, Zumel, & alij, quos refert, & sequitur Ruiz disput. 10. de Scientiâ sect. 2. & disput. 11. sect. 3. Consentiuntque Molina 1. par. quæst. 15. art. 6. disput. vnica, Valent punct. 3. Soar. lib 2 de Attrib. cap. 2. Arrub. disput. 29. cap. 3. Gonz. disput. 37. sect. 2. Tann. disput. 2. quæst. 8. dubit. 3. Fasol. 1. par. quæst. 14. artic. 5. dubit. 1. & alij. Opposita tamen sententia est, Deum creaturas in ipsis met cognoscere à propriâ earum cognoscibilitate, siue veritate obiectiuâ determinatum. Tenent hanc sententiam Scot. in 1. distinct. 35. quæst. vnica, Ocham. ibidem quæst. 3. Greg. distinct. 36. quæst. 1. Becan. 1. par. cap. 10. quæst. 4. num. 4. Herice disput. 5. cap. 4. Albiz disput. 5. de Scientiâ sect. 2. Sfort. lib. 1. num. 38. & 39. Raynaud. in Theolog. natur. distinct. 8. quæst. 1. artic. 1. Arriag. disput. 19. sect. 4. Gasp. Hurt. disput. 3. de Scient. diff. 3. Moncæus disput. 3. Select. cap. 11. Martinon disput. 10. de Deo sect. 1. Franc. de Lugo lib. 1. disput. 28. Ribas disput. 4. cap. 3. Ribaden. disput. 9. de Scient. cap. 1. & alij Recentiores. Probabilemque reputat Soar. supra. Consentiunt etiam Vazq. 1. par. disput. 60. cap. 3. Arrub. supra & Alarc. tract. 2. disput 2. cap. 3. & 5. quatenus censent, Deum creaturas cognoscere in ipsis met tanquam obiectum materiale, cuius formale est ipse Deus. Putant enim, etsi in Deo nulla sit ratio, quæ vt medium priùs cognitum ducat in cognitionem creaturarum; diuinam tamen cognitionem idcircò esse creaturarum cognitionem; quia est cognitio Dei; à quo vt ab obiecto formali habet esse infinitam, atque adeò cognoscitiuam cæterorum omnium cognoscibilium. Quo sensu etiam concedunt, Deum creaturas in se ipso cognoscere, non vt in medio determinante ad earum cognitionem; sed vt in obiecto formali illam specificante, & communicante infinitatem. Quanquam autem ex Auctoribus pro vtràque sententiâ citatis multi videntur solùm agere de creaturis possibilibus. Multi tamen etiam sunt, qui supponunt, aut exprimunt, se etiam de existentibus agere. Cum quibus etiam à nobis de vtrisque agendum est.

Propositio 1.

Deus creaturas omnes tam existentes, quàm possibiles cognoscit in ipsis met per actum scientiæ, ad quem ipsæ solæ mouent, determinant ve intellectum diuinum eâ, quam in se habent, cognoscibilitate, siue veritate obiectiua; ipsæque 4

que proinde solæ sunt obiectum formale, siue motiuum talis actus.

Ratio est efficax. Quia omnes creaturæ per se, & ratione sui habent entitatem, siue essentiam propriam seu actualem, seu possibilem distinctam à Deo. Ergo per se etiam habent propriam cognoscibilitatem, seu veritatem obiectiuam: quæ inseparabiliter comitatur quamuis essentiam, siue entitatem. Ergo per se etiam vim habent mouendi, ac determinandi ad sui cognitionem intellectum Dei, vtpotè quem nulla veritas latere potest. Quod ipsum est, esse in se ipsis à Deo cognoscibiles. Probo hanc consequentiam. Quia, quidquid per se, præscindendo ab alio quopiam, obiectiuè est verum; sicut per se potest terminare cognitionem veram; (id namque est esse verum); ita per se potest allicere, trahere, ac mouere ad sui cognitionem intellectum, aliàs cognoscitiuum omnis omnino veritatis, qualis est diuinus. Quod est, esse in se ipso à tali intellectu cognoicibile. Et confirmari potest primò; quia id ratione sui præcisè est verum, & consequenter cognoscibile, quod, si, vt modò est, permaneret, sublato per impossibile quouis alio, æquè maneret verum, & cognoscibile. Sed ita se habet quæuis creatura siue actualis, siue possibilis. Ergo. Probo minorem, Quia, si illa quoad suam intrinsecam entitatem permaneret, sublato quouis alio, vt ponimus, non posset non esse vera, cognoscibilis nimirum per veram cognitionem, casu, quòd daretur talis cognitio. Secundò confirmatur; quia, dum creaturæ cognoscuntur in alio, tanquam in medio secum connexo, idcircò illud ad earum cognitionem determinat; quia esse illud sine illis, impossibile est. Sed multò est impossibilius, quod illæ sint sine se ipsis. Ergo potiore iure valent illæ ad sui cognitionem determinare. Quod ipsum est, eas in se ipsis cognoscibiles esse. Quod si creaturæ in se ipsis sunt cognoscibiles, de facto dicendæ sunt ita cognosci à Deo. Quia ad perfectionem infinitam intellectus diuini pertinet, cognoscere, quidquid est cognoscibile, omni modo, quo cognoscibile est: dummodo talis cognitio nullam secum ferat imperfectionem: qualem non ferre cognitionem creaturarum in se ipsis, ex solutione argumentorum, quæ contra eam opponuntur, constabit. Iam verò, quòd creaturæ solæ obiectiuè determinent ad aliquem actum scientiæ diuinæ, quo cognoscuntur in se ipsis, quin determinet obiectiuè ad eumdem entitas Dei; imo & ipsæ solæ talis actus sumpti præcisè obiectum sint: tum ex dictis disput. 23. quæst. 4. & disput. 24. quæst. 1. constat: tum inde comprobatur iterum: quia in huiusmodi actu nulla imperfectio cernitur, vt etiam constabit ex solutione argumentorum: nullusque actus intelligendi ab omni imperfectione immunis negandus est Deo; prout dicta disput. 23. quæst. 4. statutum est.

5 Obijcitur tamen primò contra propositionem. Deus comprehendit se. Ergo ex vi cognitionis sui cognoscit omnes creaturas. Quia de ratione comprehensionis Dei est, tangere ipsum Deum, & vi eius vt obiecti determinatiui, quidquid ad ipsum extrinsecè pertinet, qualiter pertinent creaturæ, vt dicebamus disput. 24. quæst. vlt. Ergo Deus creaturas cognoscit in se ipso. Ergo non in ipsis met. Probatur hæc consequentia. Quia inutilis, & ociosa esset secunda cognitio: siquidem idem omnino cognosceret, ac prima. Concesso toto antecedente; nego vltimam consequentiam. Ad eiusque probationem dico; plures actus cognitionis circa idem obiectum in Deo non esse superfluos, quando diuerso modo illud tangunt, vt in præsenti accidit: quia Deus vnumquodque cognoscit omnibus modis possibilibus, ac diuersis, quibus illud est cognoscibile sine imperfectione: quam pluralitas actuum non arguit; vt ex doctrinâ, quam latè dedimus disput. 23. quæst. 4. sæpe citatâ liquidum est.

Secundò obijcitur. Si creaturæ in se ipsis à Deo cognoscerentur, aliqua Dei cognitio eas in se ipsis repræsentans ab eis dependeret in suo *esse*: quia non posset illas, illis sublatis, verè repræsentare. Sed talis dependentia repugnat Deo. Ergo. Hoc argumentum omnem cognitionem diuinam iudicatiuam de creaturis quoad proprium earum *esse* impugnat contra dogma fidei supra statutum: quia quælibet debet esse necessariò repræsentatio vera earum. Ex quo patet, illud contra nos nihil specialiter præstare. Respondeo ergo, scientiam quamlibet de creaturis quoad denominationem quidem ab ipsis creaturis pendere; secus verò quoad entitatem; vt latè ostendimus tom. 1. disput. 4. quæst. 2. rursusque supra disput. 23. quæst. 9. repetiuimus. Quo incommodum oppositum tollitur. Et sanè dependentiam scientiæ iudicatiuæ Dei ab obiecto suo quoad denominationem, qua Deum iudicantem illud denominat, & eiusdem independentiam quoad entitatem cum Deo ipso identificatam, à nemine negari posse respectu creaturarum aliquando existentium prout talium, indubitabile prorsus est. 6

Tertiò obijcitur. Creaturæ purè possibiles non habent actu entitatem, sed possunt habere. Ergo neque habent actu veritatem obiectiuam, qua moueant actu intellectum Dei ad sui cognitionem, sed possunt habere. Ergo non cognoscuntur à Deo actualiter, nedùm actualiter mouent ad sui cognitionem, sed possunt cognosci, & mouere, si existant. Omissâ doctrinâ Recentiorum à me impugnatâ in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. de identificatione cum Deo omnis veritatis necessariæ, secundùm quam profecto malè expeditur hæc obiectio; (cùm tamen omnes fateri teneantur, cognosci à Deo creaturas purè possibiles). Respondeo ex ibi dictis, creaturas purè possibiles non habere actu existentiali entitatem, atque adeò nec veritatem existentialem; habere tamen actu quiditatiuo entitatem, atque adeò & veritatem quiditatiuam, qua mouent actu intellectum Dei ad sui quiditatiuam cognitionem. De quo plura dicenda infra disput. 26. 7

Quartò obijcitur ex Ruiz disput. 10. Creaturæ non cognoscuntur per propriam speciem. Ergo neque in se ipsis. Consequentia constat. Quia solùm cognoscitur in se ipso, quod per propriam sui speciem cognoscitur. Antecedens probatur. Quia creaturæ non imprimunt Deo speciem sui, vt patet: nec essentia Dei rationem habet propriæ speciei creaturarum: tum, quia creaturæ essent obiectum formale respectu talis speciei; quod repugnat: tum quia duplici speciei, & duplici cognitioni Dei, & creaturarum duplex Verbum productum correspondere: quod est absurdum. Respondeo, essentiam, seu potius intellectum diuinum instar speciei 8

rei propriæ creaturarum ad earum cognitionem concurrere virtute, quam habet earum in ipsis met cognoscitiuam: tametsi non sit earum species, propriè loquendo, iuxta dicta disput. 23. quæst.2. proposit.4. Siquis autem formalitatem speciei intelligibilis propriè dictæ admittat in Deo, absque incommodo duplicem admittere poterit; alteram respectu scientiæ, qua se Deus in se ipso cognoscit; alteram respectu scientiæ, qua cognoscit creaturas in ipsismet. Nec est incommodum, creaturas obiectum formale esse formalitatis scientiæ, qua in se cognoscuntur, vt mox dicam. Nec sequitur, esse duplex, aut multiplex Verbum iuxta scientiarum pluralitatem, etsi ex eis omnibus procedat, quod est sub lite: quia Verbum non multiplicatur pro multitudine formalitatum multiplici scientiæ correspondentium, vt in tract. de Trinitate explicandum est. Aliàs ex scientiâ simplici, & visionis, conditionatâ, & absolutâ, quas nemo non multiplicat, multiplex Verbum emanaret.

9 Quintò obijcitur. Si creaturæ à Deo cognoscerentur in se ipsis, essent obiectum formale, motiuum, ac specificatiuum talis cognitionis. Sed repugnat, perfectionem Dei infinitam, qualis est sua cognitio, habere pro obiecto formali, motiuo, & specificatiuo aliquid creatum. Ergo. Concessâ maiori; neganda est minor; de qua latè egimus supra disput.23.quæst.8. proposit. 2. vbi alia, quæ hìc obijci possent, diluta sunt.

10 Sextò opponunt nobis S.Tho.1.par.quæst. 14.art.5.vbi apertè pro sententiâ oppositâ stare videtur, dum ait, Deum alia à se non in ipsis videre, sed in se ipso; oportereque, vt ipsum intelligere diuinum per aliud non specificetur, quàm per essentiam diuinam. Respondeo S. Tho. quoad primum tantùm velle, creaturas non intelligi per species ab eis petitas, sed per essentiam, eoque solùm sensu asserere, eas non in se ipsis cognosci, sed in Deo, in quantùm essentia eius continet similitudinem creaturarum, vt patet ex contextu; quod non tollit, eas in se ipsis cognosci, quo sensu nos loquimur. Quoad secundum autem S. Tho. agit de specificatione influxiuâ à formâ intrinsecâ proueniente, qualiter se gerit essentia Dei respectu cuiusuis actus scientiæ, non de specificatione extrinsecè terminatiuâ, qualem creaturæ præstare possunt, vt etiam patet ex contextu. Videatur Herice supra, & dicta à nobis disput. 23. quæst. 8. iam citatâ.

11 Denique opponitur D. Dionysius cap. 7.de Diuinis nominibus, vbi clarè docet, Deum cognoscere creaturas non ex ipsis, sed ex se ipso, & in se, vt in causâ. Tum, ea, quæ sunt, noscere, non rerum notitiâ, sed sui. Neque aliam quidem sui, aliam verò aliorum sciantiam habere; sed vno causæ complexu omnia scire. Sentit ergo Dionysius, Deum non in ipsis, sed in se tantùm vt in causâ cognoscere creaturas. Verba eius habes infra quæst. sequente. Respondeo, D. Dionysium docere quidem, Deum in se ipso creaturas cognoscere, vt nos etiam ostendemus quæst. sequente; non tamen negare, cognoscere eum etiam creaturas in ipsismet, vt modò contendimus, sed solùm, nihil eum à creaturis per speciem ab eis acceptam didicisse; sed scientiâ anticipatâ, & à se præhabitâ eas cognoscere. Dicit enim ibidem. *Neque enim ea, quæ sunt, ex ijs, quæ sunt, discens nouit diuina mens; sed ex se, & in se, &c.* Et paulò inferiùs. *Eadem etiam causa vna omnia vt à se profecta, & in se ante constantia cognoscet; neque ab his, quæ sunt, ipsorum notitiam accipiet.* Vnde, cùm ait Dionysius, Deum cognoscere ea, quæ sunt, non rerum notitiâ, sed sui, illud *non verum*, non obiectiuè, sed efficienter debet sumi: quasi dicat, Deum res omnes per notitiam, non ex rebus ipsis partam, sed à se præhabitam cognoscere, ita explicat Ziparisiotus decade 8. Eodemque sensu negat Deo duas scientias, aliam sui, aliam creaturarum, ideſt, aliam, quam ipse sibi indiderit, aliam, quam à creaturis acceperit. Videatur Dionys.Carthus.ad hunc D.Dionysij locum, quem etiam exponunt Vazq.Heriz. & alij supra relati.

Propositio 2.

Deus diuersis modis, siue per diuersos actus cognoscit creaturas omnes in ipsismet. 12

Primò enim cognoscit illas per actum, ad quem ipsæ solæ determinant, & qui solas illas repræsentat. Secundò cognoscit illas per actum, ad quem ipsæ solæ determinant, sed per quem Deus etiam cognoscitur ex vi connexionis, quam creaturæ habent cum ipso; atque ita est actus, quo & creaturæ in se ipsis, & Deus in ipsis creaturis cognoscitur. Tertiò cognoscit illas per actum, ad quem tum creaturæ determinant, tum etiam Deus; atque ita est actus, quo creaturæ in se ipsis, & Deus in creaturis cognoscuntur, simulque Deus in se ipso cognoscitur, & creaturæ in Deo. Quibus præterea tribus diuersis modis singulas creaturas, & singula eorum aggregata cognoscit Deus in ipsismet. Idque tum quoad quiditatem, tum quoad existentiam aut absolutam, aut conditionatam. Præter alios actus, quos circa illas habet; vt ex dictis in præcedentibus colligere est. Quos omnes actus scientiæ Dei, non solum per rationem nostram, sed virtualiter etiam esse inter se distinctos, ex doctrinâ traditâ supra disput.23.quæst.4.constat.

QVAESTIO II.

An, & qua ratione cognoscat Deus creaturas in se ipso, in aliquavè formalitate sui, vt omnipotentiâ, scientiâ, ideâ, amore ipsarum creaturarum, &c.

QVæ sit cognitio vnius in alio, & quo differat à cognitione vnius ex alio, sæpe in superioribus explicauimus. Vtramque tamen in præsenti videntur confundere nonnulli ex Auctoribus referendis, dum aiunt, Deum cognoscere creaturas in se ipso tanquam in medio priùs cognito, quasi cognitio de Deo priùs concepta ad creaturarum cognitionem determinet: quod est, loquendo propriè, creaturas non in Deo, sed ex Deo cognosci: nisi velint, Deum, non ex parte actus, sed ex parte obiecti dumtaxat esse priùs 13

priùs cognitum vt medium cognoscendi creaturas; vt sensus sit, Deum primariò, & creaturas secundariò per eamdem prorsus cognitionem attingi: quia Deus ipse, non creaturæ, determinat ad talem cognitionem: quod propriè est, creaturas cognosci in Deo.

14 Prima itaque in præsenti quæstione, & communissima Theologorum sententia est, Deum cognoscere creaturas in se ipso tanquam in medio priùs cognito, seu tanquam in obiecto primario ducente, ac determinante obiectiuè ad earum cognitionem. Ita Bann. 1.par. quæst.14. artic.6. Zumel, Nauarrete, Nazarius, & Molina artic.5. Valent. ibidem punct.3. Gonzalez disput.37. Machin. disput.24. Soar. lib.3. de Attribut. cap.2. Fasol. artic.5. citato dub.1. vbi ex antiquis plurimos refert. Gran. controu.2 tract.2. disput.3. Albiz disput.5. de Scient. à sect.12. Herice disput.5. cap.3. Sfort. lib.1. num.36. Tann. disp.2. quæst.8. dub.3. Ruiz disput.10. de Scient. sect.2. & sequentibus. Ioan.à S.Thom. 1.par. disput.17. & 18. Auersa quæst.14. sect.12. Martin. disput. 10. sect 1. Ribas disput.4. cap.1. & 2. Franc. de Lugo disput.28. cap.4. Smising. tract.3. disput.2. quæst.2. Ribaden. disput.8. de Scient. cap.4. & sequentibus, & communiter Recentiores. Ex quibus nonnulli solùm dicunt in genere, Deum cognoscere creaturas in se ipso. Plerique specialiùs docent, eas cognoscere in suâ omnipotentiâ tanquam in causâ. Addunt alij, cognoscere illas in suâ scientiâ, aut etiam in ideâ, & in amore ipsarum. Quidam etiam de creaturis indefinitè, vniuersaliterve loquuntur, comprehendentes sub hac quæstione tam existentes, quàm possibiles. Alij de possibilibus dumtaxat sermonem habent. Et quidem, esse Deum medium idoneum, vt in ipso creaturæ cognoscantur ratione connexionis, quam cum eis habet, neque aliter posse, plerique talem connexionem adstruentes affirmant. Alij verò eam negantes adhuc censent, manere Deum idoneum medium ad id muneris: quod variè explicant, vt videbimus. Iam secunda sententia negat, Deum cognoscere creaturas in se ipso tanquam in medio priùs cognito, seu obiectiuè determinante ad earum cognitionem: asserit tamen, Deum cognoscere creaturas in se ipso tanquam in specie expressâ, seu tanquam in speculo, seu potiùs tanquam in obiecto formali. Non enim censent Auctores huius sententiæ, scientiam, qua Deus sibi exprimit, ac repræsentat vniuersa, vt medium cognitum reflexè determinare, seu mouere ad cognitionem creaturarum; sed eam per locum intrinsecum idcirco esse repræsentatiuam creaturarum; quia est repræsentatiua ipsius Dei: à quo vt ab obiecto formali, & infinito suam desumit infinitatem in esse cognitionis, ratione cuius non potest non esse repræsentatiua cæterorum omnium obiectorum cognoscibilium. Quo solùm sensu dicunt, (sed certè impropriè), Deum in se ipso, vt in speculo cognoscere creaturas. Huius sententiæ fuit Vazq. 1.par.disput.60.cap.2. & 3. quem sequuti sunt Becan. cap.10. quæst.4. concluſ.2. & 3. Alarcon disput.2.de Scient.cap.1. & 3. & Gasp. Hurt. disput. 2. de Scient. diff. 2. Tertiam sententiam inuexit in scholas Arrubal disput 30. & 31. dicens, Deum quidem non cognoscere creaturas in se ipso vt in medio priùs cognito, seu obiectiuè determinantè; in quo conuenit cum secunda sententia: cognoscere tamen illas in suâ omnipotentiâ vt in causâ; idque non aliâ ratione, nisi, quia omnipotentia munus habet speciei impressæ respectu cognitionis creaturarum: hoc enim ipso, quòd eas eminenter continet in ratione entis in ordine ad earum productionem, continere etiam illas in ratione intelligibilis in ordine ad earum cognitionem; quod est proprium speciei impressæ: ob suam enim infinitatem illas quoad omnes rationes continere: in eoque differre à potentijs creatis. Ex quibus patet, apud Theologos firmum, & stabile esse, Deum in se ipso aliquo modo cognoscere creaturas. Quocirca opinionem Gregor. in 1.distinct.36. quæst.vnicà absolutè negantem, cognoscere Deum creaturas in se ipso vt temerariam damnant Fasol. supra num.5. & Ruiz disput.5.de Scient.sect.4.num.14.

Propositio 1.

15 Deus creaturas omnes tam existentes, quàm possibiles, quas ipse facit, aut potest facere, cognoscit in se ipso tanquam in causâ: atque adeò illas in suâ omnipotentiâ cognoscit; idque tanquam in medio mouente, seu determinante obiectiuè ad earum cognitionem.

Loquor de creaturis, quas Deus facit, aut potest facere, vt modò abstineam à peccatis, & à chymæris impossibilibus, de quorum cognitione agam postea. Et probo propositionem primo ex D. Dionysio; qui cap.7. de Diuinis nominibus ita habet. *Neque enim ea, quæ sunt, ex ijs, quæ sunt, discens nouit diuina mens: sed ex se, & in se per causam rerum omnium cognitionem, scientiam, essentiamque anticipatam, & ante comprehensam habet: non, quòd per speciem singula consideret; sed quòd vno causæ complexu omnia sciat, & contineat.* Et paulò post. *Se ipsam ergo noscens diuina sapientia nouit omnia.* Et infra. *Non igitur propriam sui notitiam Deus habet, aliam autem, quæ communiter, & generaliter ea, quæ sunt, omnia comprehendit. Ipsa enim se ipsam omnium causa noscens nullo prorsus modo ea, quæ à se profecta sunt, & quorum causa est, ignorabit. Hac ergo Deus ea, quæ sunt, noscit, non rerum notitiâ, sed sui.* Quod testimonium adeò videtur apertum pro nostrâ propositione, vt S.Tho. lib.1. contra gent. cap.49. postquàm eamdem alijs probauerat, tandem concludit his verbis. *Colligentes igitur has duas conclusiones apparet, Deum cognoscere se ipsum quasi primò, & per se notum; alia verò sicut in essentiâ suâ visâ. Quam quidem veritatem expressè Dionysius tradit in 7. cap.de Diuinis nominibus.* Hæc S. Tho. Qui in alijs etiam locis eamdem tradit veritatem, vt 1.par. quæst.12. art.7. & 8. & quæst.14. art.5. & 6. In eodemque sensu, teste Soar. & Tannero supra, cæteri Theologi ante Vazquez intellexerunt semper Dionysium. Quod argumento est, expositionem, qua Vazq. & sui illum conantur interpretari, in suamque sententiam trahere ab eius mente alienam esse: in qua proinde refutandâ non opus est modò immorari. Est etiam haud dubiè pro nobis Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore cap. 2. fine, dum ait. *Deus nouit omnia ante, quàm fiant, ex suâ omnipotentiâ, & incommutabili maiestate.* Sed agamus ratione.

Et

16 Et quidem in ſententiâ, quæ omnipotentiam diuinam connexam facit cum creaturis poſſibilibus nullo negotio, quòd ad has attinet, propoſitio data probatur. Nam, vt vniuerſaliter ſtatuimus diſput.23. quæſt.6. & 7. quidquid eſt terminus alicuius metaphyſicæ connexionis, à Deo in ipsâ re connexâ cognoſcitur. Si ergo creaturæ poſſibiles termini ſunt connexionis metaphyſicæ omnipotentiæ Dei, non poterunt non ab ipſo Deo in ipsâ omnipotentiâ cognoſci. Et, ſi Deus ſe ipſum in creaturis cognoſcit, vt diſput.24. quæſt.3. probatum eſt, ob connexionem, quam creaturæ cum ipſo habent; quid ni etiam creaturas cognoſcet in ſe ipſo, ſi ipſe pariter cum illis connexus eſt? Hæc tamen reſpectu creaturarum exiſtentium, aut futurarum non habent locùm. Cùm certum ſit, omnipotentiam Dei cum illis connexam non eſſe. Vt hinc planè conſtet, eos, qui connexionem omnipotentiæ cum creaturis vt quid neceſſarium expoſcunt adhoc, vt Deus creaturas in omnipotentiâ cognoſcat, ægrè defendere poſſe D. Dionyſium, & S. Tho. qui apertè de omnibus creaturis, etiam exiſtentibus, loquuntur, dum docent; Deum eas in ſe, vt in causâ, atque adeò in ſuâ omnipotentiâ cognoſcere, vt in relatis eorum locis videre licet. Ex quo patet, quàm malè Ribadeneyra vbi ſupra, & alij prætendant, neque prædictis Patribus, neque rationi ſatisfieri poſſe, niſi dicatur Deus in ſe cognoſcere creaturas tanquam in medio cum illis intrinſecè connexo. Cùm potiùs oppoſitum neceſſariò dicendum ſit, vt ſtare poſſit id, quod tanquam rationi conſonum apertè docent ipſi Patres; nimirum, Deum in ſe tanquam in causâ, non ſolùm creaturas poſſibiles, ſed etiam exiſtentes cognoſcere; cum quibus tamen non eſſe eum connexum intrinſecè, certiſſimum apud omnes eſt. Ob id meliùs cenſent Herice vbi ſupra num.19. Albiz ſect.13. num.8. & 9. & multi alij Recentiores, etiam, ſuppoſitâ ſententiâ tollente ab omnipotentiâ omnem connexionem cum creaturis, dicendum nihilominùs eſſe, Deum creaturas ipſas in ſuâ omnipotentiâ cognoſcere, ſiue in ſe ipſo tanquam in causâ, vt noſtrâ propoſitio fert.

17 Cæterùm id non ita facilè videtur oſtendi in ſententiâ iſtâ; quam etiam nos tom.1. diſput.4. quæſt.2. & ſupra diſput.23. quæſt.9. amplexi ſumus. Nam, ſi omnipotentia ex ſuo conceptu non magis petit, quòd ſint creaturæ, quàm, quòd non ſint, & æquè benè ſine illis, atque cum illis eſſe poteſt, quo pacto per eam Deus poterit obiectiuè determinari ad creaturarum cognitionem? Medium quippè indifferens ad duo extrema contradictoria non magis ad cognoſcendum vnum, quàm ad cognoſcendum alterum mouere, ſiue determinare poteſt. Nonnulli rem hanc minùs explicatam reliquerunt, inde ſolùm probantes, omnipotentiam, etſi abſolutam à creaturis, ad earum cognitionem determinare, moueréque obiectiuè; quia creaturæ in illâ tanquam in causâ continentur. Ego verò cum doctis Recentioribus aſſero, huiuſmodi continentiam omnipotentiæ abſolutam à creaturis, quæ etiam, creaturis ſublatis, permaneret in Deo, ad creaturarum cognitionem per ſe præcisè non magis poſſe conferre modò, quàm caſu, quòd creaturæ non eſſent; niſi aliquid aliud addatur. Hoc autem addendum eſſe cenſeo; & quòd creaturæ ſint, & quòd intellectus ad earum cognitionem vi omnipotentiæ determinandus, non vtcunque cognoſcitiuus, ſed plenè comprehenſiuus ipſius omnipotentiæ ſit. Cùm enim ad comprehenſionem pertineat, non ſolùm penetrare, quidquid obiectum comprehenſum habet intrinſecè, ſed etiam, quidquid ad illud extrinſecè pertinet, de eoque reuerà enunciabile eſt, vt tom.1.diſput.17.quæſt.6. oſtendimus late; efficitur, omnipotentiam diuinam ad ſui cognitionem comprehenſiuam determinare non poſſe, niſi determinando pariter ad cognitionem creaturarum, ſuppoſito, quòd creaturæ ſint: creaturæ quippe non ſolùm poſſibiles, ſed etiam exiſtentes ex ſuppoſitione, quòd tales ſint, ad omnipotentiam pertinent vt effectus eius; tametſi omnipotentia ſine illis, vtpotè ab illis abſoluta benè exiſtere poſſet. Intellectus ergo diuinus, qui ſolus diuinæ omnipotentiæ comprehenſiuus eſt, ſuppoſita creaturarum poſſibilitate, aut etiam exiſtentiâ, hoc ipſo, quòd per omnipotentiam ad ipſius comprehenſionem obiectiuè determinatur, non poteſt non ſimul determinari ad omnes creaturas tum poſſibiles, tum exiſtentes, quæ ad illam vt effectus pertinent, cognoſcendas: atque adeò non poteſt non eas omnes in ipsâ omnipotentiâ cognoſcerè. Quod erat probandum. Ex quo patet, omnipotentiam, etſi ſit medium phyſicè indifferens, vt coniungatur cum creaturis, vel cum earum negatione, atque etiam intentionaliter indifferens, vt cognoſcatur non comprehenſiuè, creaturis non cognitis: ſuppoſito tamen, quòd ſint creaturæ, non eſſe medium intentionaliter indifferens, vt cognoſcatur comprehenſiuè, creaturis non cognitis: quia, creaturis non cognitis, nequit comprehenſiuè cognoſci: atque adeò nec poteſt ad ſui cognitionem comprehenſiuam determinare, niſi determinando pariter ad cognitionem creaturarum. Vnde etiam clarè apparet diſcrimen inter Deum, & alios beatos clarè intuentes omnipotentiam: nam beati, vtpotè qui omnipotentiam comprehendere nequeunt, vi eius etiam clarè viſæ non determinantur ad cognoſcendas creaturas, vti determinatur Deus vi eius plenè comprehenſæ, vtpotè qui ſolus eam ita intueri poteſt.

Sed dicet aliquis. Caſu, quòd nulla creatura poſſibilis eſſet, omnipotentia non determinaret intellectum diuinum ad creaturas cognoſcendas; etſi ad ſui comprehenſionem determinaret. Ergo modò, non ſola omnipotentia, ſed coniunctum ex omnipotentiâ, & creaturis poſſibilibus, aut etiam exiſtentibus determinat ad earum cognitionem. Ergo creaturæ non cognoſcuntur à Deo in omnipotentiâ, ſed in ſe ipſis: quia illud in ſe ipſo cognoſci dicitur, quod ad ſui cognitionem determinat, ſiue per ſe ſolum, ſiue ſimul cum alio quopiam ad illam determinet. Reſpondeo primò, per hoc argumentum non excludi, creaturas in omnipotentiâ cognoſci; etſi probetur, non poſſe non etiam ſimul in ſe ipſis cognoſci: quia poſſibile eſt, vt idem obiectum ſimul in ſe, & in alio cognoſcatur, vt dicebamus diſput.23. quæſt.7. num.167. Verùm quia modò dumtaxat agimus de cognitione, qua vnicè in omnipotentiâ, & non in ſe ipſis creaturæ cognoſcuntur à Deo. Reſpondeo ſecundò, vt omnipotentia determinet Deum ad creaturarum cognitionem, neceſſarium quidem eſſe, quòd ſint creaturæ eâ ratione,

ne, qua cognoscendæ sunt, possibiles videlicet, aut existentes: ex hoc tamen non fit, creaturas per modum obiecti ad sui cognitionem determinare, sed tantùm esse conditiones, vt ad illam omnipotentia sola determinet. Concursus autem creaturarum ad huiusmodi determinationem per modum conditionis tantùm, non tollit eas vnicè in omnipotentia cognosci, & non in se ipsis. Itaque per talem cognitionem non ideo creaturæ tanguntur: quia in se sunt obiecta cognoscibilia; quod esset per modum obiecti determinare ad illam: sed quia semel positæ sunt quid ad omnipotentiam pertinens, & hæc propterea sine illis cognosci comptehensiuè non potest; quod non est determinare absolutè ad dictam cognitionem, sed requiri, vt omnipotentia ad illam determinet: quæ duo valde diuersa sunt. Hac eadem ratione dicemus infra disput.27. quæst.8. Deum per comprehensionem causæ lib eræ cognoscere in illà liberum actum eius, suppositò, quòd talis actus ab illà habet esse.

19 Sed objciet aliquis ex Herice disput.8.cap.2. Multæ sunt creaturæ, quæ non continentur adæquatè in omnipotentia Dei, sed in eà simul & in potentia causæ creatæ. Ergo istæ in solà omnipotentia cognosci nequeunt; sed in coniuncto ex omnipotentia, & potentia creatà. Nego consequentiam. Quia sat est, creaturam pertinere ad omnipotentiam, vt ad causam inadæquatam, vt sola omnipotentia determinet ad talis creaturæ cognitionem, determinando pariter ad cognitionem alterius concausæ talis creaturæ: quæ vtique etiam suo modo pertinet ad omnipotentiam vt adiutorium requisitum ad causandum creaturam ipsam. Per quæ omnia facilè quisque diluet, quæcunque contra doctrinam nostram opponit Ribaden. supra, præter spectantia ad adstruendam connexionem Dei cum creaturis, quæ supra iam à nobis disput.4. quæst. 2. diluta sunt.

Propositio 2.

20 **Deus in suà omnipotentià tanquam in causà obiectiuè determinante, non abstractiuè, sed plenè quiditatiuè, & intuitiuè cognoscit creaturas omnes, quas ipse facit, aut potest facere.**

Constat hæc propositio ex doctrinà traditâ supra disput.23. quæst.6. propos.2. & quæst.7. propos.2. & rursus disput.24. quæst.3. propos.2. Cùm enim iuxta ibi dicta intellectui diuino cognitio abstractiua repugnet, subindeque ille ad aliam cognitionem, præterquam ad perfectè intuitiuam, determinabilis non sit per vllum obiectum; conficitur, nec per omnipotentiam diuinam determinari posse ad cognitionem creaturarum, quæ intuitiua non sit: tametsi aliàs omnipotentia ad minùs perfectam creaturarum cognitionem esset ex se determinatiua. De quo modò non curo.

Propositio 3.

21 **Deus non cognoscit creaturas in se tanquam in speculo eo sensu, quo loquutus est Vazq. Nec in suà omnipotentià tanquam in causà eo sensu, quo loquutus est Arrubal; de quibus egimus supra num.14.**

Ratio prioris partis est. Quia, vt vidimus disput.23. quæst. 8. Deus non est ita vnicè obiectum formale suæ scientiæ, vt cætera omnia cognoscibilia obiecta materialia sint, quo fundat Vazq. suam sententiam. Sunt quippe creaturæ etiam obiectum formale respectu alicuius scientiæ, qua cognoscuntur à Deo, vt ibi probauimus. Vnde vniuersaliter non est verum, scientiam diuinam idcirco ad creaturas extendi: quia est scientia de Deo; ab eoque vt ab obiecto infinito haurit infinitatem. Quo curruit opinio Vazq. & suorum. Sed estò, fit totum hoc verum, quod illa supponit. Certè inde non fit, Deum in se aliquo proprio sensu creaturas cognoscere. Ex eo enim, quòd scientia, qua se Deus cognoscit, sit eo ipso scientia creaturarum, tantùm efficitur, ipsum per scientiam sui exprimere sibi creaturas, atque adeò illas per eamdem vt per speciem expressam cognoscere, non vero vt in specie, aut speculo.

Secunda etiam pars propositionis contra Arrubal ostenditur. Quia, siue detur in Deo species impressa loquendo propriè, siue secus: de quo egimus disput.23. quæst. 2. absque fundamento munus speciei impressæ tribuitur omnipotentiæ; quòd hæc est physicè causatiua creaturarum: nihil enim connexionis habet potentia causatiua cum potentia repræsentatiua, vt patet in causis creatis: neque quidquam ad talem connexionem videtur conferre infinitudo causæ primæ. Sed estò, sit omnipotentia formaliter species impressa ad creaturas cognoscendas. Inde profectò solum fiet, Deum cognoscere creaturas per suam omnipotentiam tanquam per speciem; non verò eas cognoscere in suà omnipotentià tanquam in causà, vt notum est. Nihil enim dici potest propriè cognosci in alio, quod non cognoscitur aliquo modo veluti contentum in illo, seu veluti insistens illi, siue ei annexum. Adhoc autem prorsus est necessarium, vt id, in quo aliud cognosci dicitur, & cognoscatur in se, & obiectiuè ducat, siue determinet ad cognoscendum aliud. 22

Ex quo patet, impropriè etiam eos loquutos esse, qui dixerunt apud Soar. supra num. 14. Deum cognoscere in se creaturas: quia illas cognoscit per suam essentiam, hoc est, per cognitionem secum identificatam, & extrinsecùs non acceptam. Hoc quippe non est cognoscere creaturas in se, sed per se. Vnde tandem concluditur, nullum esse alium modum, quo propriè dici possit Deus cognoscere creaturas in se, nisi illum, iuxta quem hactenus processimus: quo nimirum Deus determinatus obiectiuè à se ipso, siue à suà veritate obiectiuà ad cognoscendas creaturas transit. Crediderim tamen, apud antiquos rationem habitam non fuisse, vtrùm id, quod in alio cognosci dicitur, per eamdem cognitionem cum illo debeat attingi, an per distinctam possit. Imo illi sæpe videntur confundere, neque distinguere hoc, quod est, cognoscere vnum in alio, ac cognoscere ex alio. Tametsi Recentiores hos duos cognoscendi modos iure distinxerint, prout vidimus disput.23. quæst. 7. iuxta quam distinctionem processimus hactenus; deincepsque etiam procedemus. 23

mus. Restat igitur determinandum, an Deus in scientiâ, idæâ, vel amore creaturarum, aut in aliâ suâ formalitate ipsas creaturas cognoscat.

Propositio 4.

24 Qua ratione Deus in se ipso, siue in suâ omnipotentiâ præcisè quoad entitatem considerata cognoscit omnes creaturas, prout explicatum est; eâdem cognoscit illas in scientiâ, & in amore earum, in cæterisque formalitatibus suis consideratis pariter quoad entitatem, quam re ipsâ habent realiter identificatam cum ipso Deo.

Ratio est in promptu. Quia, vt constat ex doctrinâ statutâ disput. 24. quæst. 2. non potest vna Dei formalitas sumpta præcisè quoad entitatem ad aliquam Dei cognitionem aut de se ipsâ, aut etiam de alio quouis obiecto determinare, quia determinent ad eamdem reliquæ omnes formalitates Dei ab illâ, vel ab ipso Deo indistinctæ realiter; idque, etiam si in ordine ad alia munia tales formalitates re ipsâ sint inter se distinctæ virtualiter. Quia ex vnâ parte distinctio virtualis, quam habent formalitates aliquæ Dei in ordine ad subeunda sine contradictione alia munia, quæ exposcularent in creatis distinctionem re ipsâ formalem, nihil prodest ad subeundum sine contradictione munus determinandi, & simul non determinandi ad eamdem cognitionem; ex aliâ verò parte in ordine ad istud munus inter nullas formalitates Dei est admittenda distinctio virtualis: vel quia non est, quod cogat illam admittere; vel etiam quia est penitus impossibilis iuxta doctrinam suppositam loco citato, & traditam in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 11. Sublatâ autem distinctione virtuali, prorsus repugnat, quia stare sine contradictione non potest, quòd aliqua formalitas Dei ad aliquam cognitionem determinet, & non determinet ad eamdem alia formalitas realiter identificata cum illâ. Vnde concluditur, qua ratione Deus in se ipso, aut in suâ omnipotentiâ, aut in quauis aliâ formalitate sui cognoscit creaturas, non posse non eâdem ratione illas cognoscere in omnibus alijs formalitatibus suis identificatis cum illâ; prout propositio data fert.

25 Adde, in formalitatibus diuinis scientiæ, & volitionis creaturarum, sumptis quoad entitatem præcisè, præterquam titulo identitatis cum formalitate omnipotentiæ, alio insuper titulo cognosci creaturas à Deo: quia scilicet creaturæ aliquid sunt ad tales formalitates pertinens, quatenus de suo, siue, quantùm est ex se, & absolutè, prima repræsentatiua, secunda verò volitiua ipsarum creaturarum est: subindeque absque creaturis in se visis neutra earum potest à Deo perfectè comprehendi iuxta dicta in præcedentibus, & latiùs tradita de comprehensione Dei tom. 1. disput. 17. quæst. 6. sæpe citatâ.

Propositio 5.

Deus in scientiâ, quam habet de creaturis, consideratâ quoad denominationem, qua ipsum scientem illas denominat, tanquam in medio determinante cognoscit creaturas ipsas. 26

Hanc propositionem negant Vazq. Arrub. Alarc. & Hurt. vbi supra. Mouenturque ad illam negandam: quia opinantur, denominationem scientis creaturas in Deo per ipsas creaturas compleri tanquam per extrinsecum connotatum, atque ita illas in suo conceptu inuoluere altem obliquè: proindeque non posse esse medium, in quo, tanquam in aliquo à se distincto, dicantur creaturæ ipsæ cognosci. Sed primùm opinio, in qua fundantur, de complemento diuinorum actuum cognoscendi, & volendi per extrinseca connotata, falsa mihi est, vt sæpe in præcedentibus supposui, probaturus in tract. de Volunt. Deinde, eâ admissâ, non est, cur creaturæ non dicantur cognosci à Deo in suâ scientiâ, saltem, vt dici possunt cognosci in coniuncto ex Deo, & ex ipsis; & in Deo prout connotante ipsas iuxta dicenda posit. 8. & 9.

Negat etiam propositionem Herice: ex fundamento tamen valde diuerso. Ait enim disput. 5. citatâ cap. 3. etsi scientia Dei de creaturis possibilibus, etiam quoad entitatem à Deo indistinctam, intrinsecè sit connexa cum illis, vt ipse cap. 4. docet, in eâ nihilominùs Deum tales creaturas non cognoscere, cognoscens nihilominùs eas in suâ omnipotentiâ; quantumuis hæc quoad entitatem à Deo indistinctam ab illis absoluta sit, vt ipse etiam in eo cap. 3. tenet. Discrimen autem inter omnipotentiam, & scientiam reddit, quòd illa continet eminenter creaturas secundùm earum *esse* reale, scientia verò solùm secundùm *esse* earum intentionale: qui est modus continendi longè ignobilius, ac debilius priore. Quo fit, vt omnipotentia medium possit esse determinans ad cognitionem creaturarum, scientia verò non item. Sed displicet prorsus; nec consequenter videtur hìc philosophatus Herice. Quoniam, si scientia Dei de creaturis possibilibus intrinsecè est cum illis connexa, (idque non solùm quoad denominationem, vt omnes confiteri tenentur, sed insuper quoad entitatem, vt ipse concedit), quid refert eas in tali scientiâ quoad suum *esse* non contineri, vti in omnipotentiâ, adhoc, vt in illâ à Deo tanquam in medio determinante non queant cognosci? Quandoquidem, vt ipse Herice nobiscum docuit disput. 24. quæst. 3. etsi Deus neque quoad *esse* reale, neque quoad *esse* intentionale contineatur in creaturis, vti creaturæ continentur in omnipotentiâ, & in scientiâ, in illis nihilominùs à se ipso cognoscitur tanquam in medio determinante ex eo præcisè, quòd creaturæ cum Deo ipso intrinsecè connexæ sunt. 27

Probo igitur datam propositionem facilè. Quia ex vnâ parte Deus scientiam, quam de creaturis habet sumptis seorsim, per actum reflexum ab ipsa distinctum virtualiter potest cognoscere iuxta doctrinam statutam supra disput. 24. quæst. 1. ex aliâ verò parte talis scientia quoad denominationem spectata, vtpote vt sic vera essentialiter, cum ipsis creaturis metaphy- 28

sicè

ficè connexa est. Igitur nihil est, quod vetet, eam vt sic determinare intellectum Dei ad actum reflexum, quo ipsa in se, & creaturæ in ipsâ tanquam in medio determinante ab ipso Deo cognoscantur, secundùm generalem doctrinam datam disput. 23. quæst. 6. & 7. qua ostendimus, per quoduis obiectum cum alio connexum metaphysicè determinari Deum ad cognitionem, quæ prioris in se, & posterioris in priore tanquam in medio determinante cognitio sit,

29 Adde, per actum reflexum comprehensiuum scientiæ de creaturis quoad denominationem consideratæ eo insuper titulo cognoscere Deum creaturas in illâ iuxta doctrinam stabilitam circa propos. 1. quòd aliquid sunt ad illam pertinens, illiusque vt sic maximè proprium. Ex quibus quisque potest colligere, qualiter Deus cognoscat creaturas in earum ideis; siue consistant ideæ in essentiâ diuinâ, siue in scientiâ Dei practicâ de creaturis prout possibilibus, siue in obiectis huius scientiæ quatenùs talibus, iuxta diuersas Theologorum sententias. De quo nos inferiùs disput. 29.

Propositio 6.

30 **Deus in quauis suâ volitione de creaturis quoad denominationem consideratâ tanquam in medio obiectiuè determinante cognoscit creaturas ipsas.**

Quia talis volitio eâ, quam habet vt sic, veritate obiectiuâ intellectum diuinum determinat, præterquàm ad se, ad creaturas insuper cognoscendas per eamdem cognitionem; idque tum titulo connexionis, quam habet cum illis; tum quia sine illis cognitis, vtpotè ad se tanquam obiectis pertinentibus, perfectè comprehendi non potest, prout debet ab intellectu diuino. Quæ ex dictis in præcedentibus satis, superque nota sunt. Quomodò autem non abstractiuè, sed perfectè quiditatiuè, siue intuitiuè debeant necessariò cognosci à Deo in scientiâ, aut in volitione sui creaturæ, ex dictis propos. 2. compertum est.

Propositio 7.

31 **Deus in suo Verbo notionali, prout Verbum est creaturarum, siue repræsentatio earum per modum termini, in suoque Spiritu sancto notionali, prout pondus est, siue amor per modum termini creaturarum, ipsas cognoscit creaturas.**

Tum quia Verbum: & Spiritus sanctus vt sic connexionem cum creaturis habent; tum quia sine illis cognitis, vtpotè ad se pertinentibus tanquam obiectis, perfectè comprehendi non possunt; hisque proinde duobus titulis medium sunt aptum ad obiectiuè determinandum intellectum Dei, vt præterquam se, & ipsas creaturas per eamdem cognoscat cognitionem. Quæ ex dictis in præcedentibus satis sunt nota. Vnde etiam iam satis patet, talem creaturarum cognitionem in Verbo, & Spiritu sancto abstractiuam esse non posse, sed necessariò quiditatiuam, siue intuitiuam esse debere.

Propositio 8.

Deus in coniuncto ex se, & ex creaturis coalescente ipsas creaturas cognoscit. 32

Quoniam Deus in quouis toto cognoscit quamlibet eius partem, non solùm, quia omnis pars est intra totum, eoque sensu dici potest cognosci in toto per ipsam cognitionem totius, quia in ipso, siue intra ipsum est: sed quia totum indiuisim sumptum medium est determinans intellectum diuinum ad cognoscendam quamlibet partem sui seorsim, non solùm per intuitionem comprehensiuam sui, eoquòd quæuis pars sui aliquid est pertinens ad se, sed etiam per intuitionem non comprehensiuam; eoquòd cum quauis parte sui metaphysicè connexum est. Itaque hisce duobus titulis cognoscit Deus singulas partes cuiusuis totius seorsim ex vi cognoscendi totum ipsum indiuisim. Sicque in coniuncto ex se, & creaturis, quod totum quoddam est, cognoscit creaturas ipsas. Idque cognitione intuitiuâ, siue quiditatiuâ; vt constat.

Propositio 9.

Deus in se prout connotante creaturas ipsas creaturas cognoscit titulo connexionis, quam ipse prout connotans creaturas cum ipsis habet ab eisdem vt connotatis participatam extrinsecè. 33

Quomodò Deus se ipsum prout connotantem creaturas cognoscat, constat ex generali doctrinâ traditâ disput. 23. quæst. 4. num. 106. de cognitione, qua Deus vnumquodque obiectum cognoscit, prout subest alteri, seu prout connotans alterum. Qua positâ, dicimus, eo ipso, quòd Deus prout connotans creaturas sine ipsis creaturis stare non potest, ab ipsâ Dei entitate prout connotante creaturas determinari obiectiuè intellectum diuinum ad cognoscendas creaturas ipsas connotatas, ita quidem, vt obiectum determinans sola entitas Dei sit, creaturæ autem connotatæ conditio ad talem determinationem ex parte obiecti requisita. Nam, sicut respectu cognitionis Dei prout connotantis creaturas præcisè sumptæ, solus Deus est obiectum cognitum expresè, & formaliter, creaturæ autem non item, sed aliter per ipsam vt circunstantiæ quædam connotatæ, siue respectæ; vt ex doctrinâ datâ loco citato, notum est. Ita respectu determinationis, qua entitas Dei prout connotans creaturas determinat intellectum diuinum ad cognitionem tum sui, tum ipsarum creaturarum, sola entitas ipsa Dei est determinatiuum, quod determinat, creaturæ verò se habent vt mera conditio.

Vnde patet; qua ratione casus huius propositionis à casu præcedentis diuersus sit. In illo enim, hoc ipso, quòd coniunctum ex Deo, & creaturis indiuisim determinat ad cognoscendas ipsas creaturas seorsim, non possunt non ipsæ partialiter determinare ad talem cognitionem sui. In hoc verò, cùm non coniunctum, proindeque neque Deus, & creaturæ exæquò, sed Deus dumtaxat vt illas connotans determinet, 34

illæ

illæ vtique, non vt determinatiuum partiale, ſed vt conditio ad determinationem requiſita ſe habent.

35 Quoniam verò iuxta doctrinam generalem ſtatutam loco citato Deus non poteſt affirmatiuè iudicari expreſsè, & formaliter prout connotans creaturas, quin per tale iudicium, ſuppoſitâ apprehenſione ſimplici earum, ipſæ creaturæ tacitè, ſiue virtualiter affirmentur: ſcire opus eſt, Deum prout connotantem creaturas, aliàs ſimpliciter apprehenſas, ad duo iudicia diuerſa determinare poſſe, de factoque ſubinde dicendum eſſe determinare obiectiuè ſe ſolo intellectum ſuum, habentibus ſe creaturis vt merâ conditione obiectiuâ ad tales determinationes. Primùm videlicet ad iudicium, quod tam de creaturis, quàm de ipſo Deo expreſsâ, & formalis affirmatio ſit: & hoc eſt iudicium, per quod iuxta præſentem propoſitionem creaturæ cognoſcuntur in Deo prout ipſas connotante. Deinde ad iudicium, quod ſolius Dei ſit affirmatio expreſſa, & formalis, creaturarum verò, aliàs apprehenſarum ſimpliciter, dumtaxat virtualis. Quod iudicium rurſus mouet intellectum diuinum ad aliud de creaturis expreſſum, etiam & formale: & hoc eſt iudicium, per quod creaturæ dicuntur ex Deo prout ipſas connotante cognoſci iuxta doctrinam tradendam in ſeq. quæſt.

36 Ex dictis autem in totâ præſente colligitur, bifariam imprimis poſſe vnum obiectum determinare intellectum Dei ad cognoſcendum alterum. Primò; quia cum illo connexum eſt metaphyſicè. Secundò: quia ſine illo cognito comprehendi non poteſt. Connexio autem metaphyſica obiecti aut ipſi intrinſeca, eaque vel cum termino à ſe adæquatè diſtincto, vel cum parte ſui eſſe poteſt; aut ipſi ſemiextrinſecè prouenians à connotato, eaque cùm connotato ipſo. Iuxta quos quatuor determinandi modos poſſibiles in vno obiecto comparatione alterius totidem modis poteſt Deus cognoſcere vnum obiectum in altero, & creaturas in ſe ipſo, aut in aliquo pradicato ſui, prout conſtat ex dictis. Porro, quæcunque titulo connexionis cum alio ad illud cognoſcendum determinant, etiam determinant titulo comprehenſibilitatis, quatenus ſine tali termino cognito, vtpote ad ſe pertinente, comprehendi non poſſunt.

QVAESTIO III.

Vtrùm Deus ex ſe ipſo cognoſcat creaturas.

37 ID eſt, per cognitionem oriundam ex cognitione ſui, ab eâque diſtinctam aliquo modo, vt ſæpe in ſuperioribus explicauimus. Pro negatiuâ parte ſunt Recentiores, qui vniuerſaliter exiſtimant, cognitionem vnius ex alio imperfectionem præſeferre. Affirmatiuam verò tuentur Hericæ diſput. 5. de Scient. cap. 5. & alij.

Propoſitio 1.

38 Deus ex ſe ipſo cognoſcit creaturas tam exiſtentes, quam poſſibiles; ex ſe, inquam, non formaliter, ſed virtualiter.

Hæc propoſitio expreſſa videtur apud D. Dionyſium loco citato quæſt. præceden. propoſit. 1. Fauet ei etiam S. Tho. tum loco ibi citato ex lib. 1. contra Gent. dicens, Deum cognoſcere alia à ſe in eſſentiâ ſuâ viſa: tum 1. par. quæſt. 14. artic. 6. ad 2. dum ait, eſſentiam diuinam ducere ad cognitionem creaturæ. Nec refragatur artic. 7. dicens, Deum non per cauſam priùs cognitam, ſed in cauſâ cognoſcere effectus. Hic enim tantùm intendit remouere à Deo diſcurſum formalem, vt ex contextu conſtat. Fauent item verba Concilij Valentini relata num. 15. fine. Ratione etiam oſtenditur propoſitio. Quia, vt vniuerſaliter ſtatuimus diſput. 23. quæſt. 7. modus cognoſcendi vnum ex alio per virtuale quoddam genus diſcurſus nullatenus repugnat Deo; de factoque conſequenter datur in illo, quoties vnum obiectum vt cognitum, ſine mediâ ſui cognitione, ad cognitionem mouet alterius obiecti. Mouet autem, quoties primum medium eſt obiectiuè determinans ad cognoſcendum ſecundum, vel quia cum illo connexum eſt, vel quia ſine illo cognito comprehendi non poteſt. Sed Deus ratione ſuæ omnipotentiæ, cæterarumque ſubinde formalitatum ſuarum, ſi conſiderentur quoad entitatem; tum ratione ſuæ ſcientiæ, volitionis, Verbique ſui, & Spiritus ſancti, ſi conſiderentur quoad denominationem ad creaturas omnes tam exiſtentes, quàm poſſibiles reſpectiuam, medium eſt obiectiuè determinans ad cognoſcendas tales creaturas vel ob connexionem, quam habet cum illis, vel, quia ſine illis cognitis comprehendi non poteſt, vt ſatis conſtat ex dictis quæſt. præceden. Ergo Deus ex ſe ipſo, ex ſuâve omnipotentiâ, ex alijſque ſuis formalitatibus ſumptis quoad entitatem; tum ex ſua ſcientiâ, volitione, Verboque, & Spiritu ſancto prout reſpicientibus dictas creaturas, ipſas creaturas cognoſcit. Et confirmari poteſt. Quia, vt vidimus diſput. 24. quæſt. 4. Deus ſe ipſum ex creaturis cognoſcit. Ergo potiore iure creaturas cognoſcet ex ſe ipſo. Itaque Deus non ſolùm determinat ad comprehenſionem ſui, quæ indiuiſim creaturas etiam tangat, ſed etiam ad comprehenſionem ſui ex duplici actu coaleſcentem, quorum altero ipſe Deus ſolus, altero verò à primo virtualiter emanante creaturæ ſolæ tangantur iuxta doctrinam datam ſupra diſput. 24. quæſt. 5. num. 40. Et vniuerſè Deus cognoſcit creaturas ex omni obiecto; in quo iuxta dicta quæſt. præceden. cognoſcit illas: eoquòd omne medium idoneum comparatione Dei ad cognoſcendum aliud in ſe, eſt quoque idoneum ad cognoſcendum idem ex ſe; vt ſatis ex dictis notum eſt.

Vnde in hac re mihi non placet conſequentia P. Herice. Qui, cùm docuiſſet diſput. 4. cap. 3. 39
Deum ſe non cognoſcere ex creaturis, modò dicit, Deum creaturas ex ſe ipſo cognoſcere: diſcrimenque reddit: quia Deus medium nobiliſſimum, ac perfectiſſimum eſt reſpectu creaturarum; ſecus verò creaturæ reſpectu Dei. Sed malè: quia, ſi perfectio entitatiua medij, aut imperfectio eſſet ad propoſitum attendenda, neque in creaturis ſe ipſum cognoſceret Deus, contra id, quod ipſe Herice nobiſcum docuit eâdem diſput. 4. cap. 2. nam etiam ſunt creaturæ imperfectum medium reſpectu Dei cogniti in ipſis.

Maior

Maior igitur, aut minor perfectio medij entitatiua nihil refert, quominùs Deus in illo, vel ex illo perfectissimè cognoscat aliud obiectum; dummodò adhoc cognoscendum suâ naturâ tale medium obiectiuè determinet: maximè, cùm vis intellectiua Dei affatim supplere possit, quidquid defuerit ex parte talis determinationis, vt cognitio ex illâ procedens perfectissima euadat, vt satis ex hactenus dictis compertum est.

Propositio 2.

40 **Cognitio, qua Deus ex se ipso cognoscit creaturas non abstractiua, sed perfectissimè quiditatiua, siue intuitiua est.**

Quoniam intellectus diuinus ad cognitionem abstractiuam moueri non potest, sed tantùm ad perfectè quiditatiuam, siue intuitiuam, vt ex doctrinâ datâ disput. 23. quæst. 6. à num. 150. & aliàs sæpe repetitâ satis est notum.

41 Iam verò, quòd creaturæ à Deo distinctè, & in particulari, non verò confusè, & in communi cognoscantur, dum eas in se, & ex se cognoscit, certiùs est, quàm, vt in quæstionem vocari possit. Quia cognitio confusa, aut abstrahens rationem communem prorsus repugnat Deo, vt diximus disput. 23. quæst. 1. propos. 3. & satis ex se notum est. De quo latiùs tractat Ruiz disput. 12. de Scient.

QVAESTIO IV.

Vtrùm Deus vnam creaturam in aliâ; aut etiam ex aliâ cognoscat.

Propositio 1.

42 **Deus plurimas creaturas in alijs creaturis cognoscit tanquam in medio, vel obiecto determinante.**

Ita Ruiz disput. 12. de Scient. sect. 3. Ratio ex dictis in præcedentibus quæstionibus satis est nota. Quia multæ imprimis sunt creaturæ cum alijs connexæ metaphysicè. Ergo in illis non potest non cognoscere Deus eas, cum quibus connectuntur. Antecedens est certum. Consequentia ex sæpe dictis liquet. Quia connexio metaphysica sufficiens determinatiuum est, vt Deus in re connexâ terminum connexionis cognoscat. Nequit igitur eum non cognoscere. Deinde sæpe aliæ creaturæ ad alias pertinent vel tanquam effectus, vel tanquam affectiones, vel aliter, adeò, vt istæ sine illis cognitis comprehendi non possint; tametsi cum illis metaphysicè non connectantur. Ergo, dùm Deus huiusmodi creaturas, ad quas aliæ pertinent, perfectissimè comprehendit, nequit non in illis eas alias, quæ ad ipsas pertinent, cognoscere, vtpotè quæ ad posteriorum cognitionem, semel suppositò, quòd illæ sint, non potest non per priores determinari ad easdemmet comprehendendas perfectissimè. Antecedens huius discursus etiam est certum. Et consequentia ex superiùs dictis notissima. Per quam doctrinam concludemus disput. 27. quæst. 8. Deum, dum perfectissimè comprehendit voluntatem indifferentem, in ipsâ consensum liberum eius cognoscere, suppositò, quod ille sit. Præterea, Deum in quouis aggregato creaturarum indiuisim considerato cognoscere singulas, ex quibus constat, tanquam partes in toto. Nec non in quouis obiecto prout connotante alterum cognoscere connotatum tanquam terminum connexionis semiextrinsecæ connotantis; ex dictis etiam in præcedentibus palam est.

Propositio 2.

Deus eas omnes creaturas, quas cognoscit in alijs, ex eisdem etiam cognoscit diuersâ cognitione. 43

Ratio ex dictis etiam petenda est. Quia, quotiescúnque vnum obiectum ad aliud cognoscendum determinat, idoneum medium illud est, vt Deus aliud non solum in illo, sed etiam ex illo cognoscat. Aliundeque hic duplex cognoscendi modus est Deo possibilis, vt sæpe vidimus. Ergo. Quòd autem non abstractiuè, sed perfectissimè quiditatiuè, siue intuitiuè cognoscat Deus alias creaturas in alijs, & ex alijs; ex dictis etiam in præcedentibus satis, superque constat.

QVAESTIO V.

Vtrùm Deus cognoscat non entia. Et qua ratione.

NOn ens bifariam vsurpatur. Primò pro negatione, siue carentiâ cuiusuis entis positiui. Secundò pro chymæra impossibili: nam, licèt hæc ex suo conceptu obiectiuo sit quid positiuum; quia tamen neque existens est, neque potens existere, iure non ens dicenda venit; sumpto videlicet ente, prout plerunque solet, pro potente existere, aut etiam pro existente. Quidquid sit, si sumatur, vt sumi etiam potest, & solet, pro essente, aut pro potente esse id, quod vnumquodque seu possibile, seu impossibile de suo quiditatiuè est, iuxta dicenda postmodum. De vtroque ergo isto non entium genere agendum est in hac quæstione. 44

Pro cuius, aliarumque subsequentium resolutione multa sunt mihi supponenda summatim, ac breuissimè ex ijs, quæ latiùs scripta habeo in Pharo Scient. vbi per otium à Lectoribus legenda, recognoscendaque sunt pro exactâ, & plenâ intelligentiâ eorum, quæ scribemus in materiâ præsenti. Suppono ergo primò ex dictis in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. statum quiditatiuum rerum realiter distinctarum à Deo (qui nihilo differt à veritatibus obiectiuis quiditatiuis, ac prorsus necessarijs earumdem rerum) realiter quoque ab ipso Deo distinctum esse, vtpote identificatum realiter cum rebus ipsis. Quod cum communi præsertim antiquiorum latè probatum habeo ibi propos. 1. contra Recentiores quosdam putantes, eiusmodi rerum statum cum Deo esse identificatum realiter; atque ita Deum ipsum esse vnicum 45

veri-

veritatium reale earum omnium propositionum, quas necessarias, & æternæ veritatis appellant: quibus nimirum rebus, etiam à Deo distinctis, verè attribuuntur prædicata ipsis omnino necessaria, ac prorsus indefectibilia; vt homini, esse rationalem, esse risibilem, esse possibilem, &c. mendacio Dei, esse mendacium, esse peccatum, esse impossibile, &c. Itaque homo (quantumuis nunquam extiturus) ex suo conceptu obiectiuo, atque adeò de suo, siue de suâ essentiâ, prorsusque subinde indispansabiliter, & necessariò est reuerà rationalis, & risibilis, & possibilis, &c. Similiterque mendacium Dei ex suo conceptu obiectiuo est mendacium, & peccatum, & impossibile, &c. quin in huiusmodi veritatibus obiectiuis, quiditatiuis, & necessarijs vllatenus includatur entitas Dei: vtpote quarum necessitas non existentialis, vti diuina, sed merè quiditatiua est. Quod quia Recentiores præfati non aduerterunt, decepti haud dubiè sunt, (nisi ego decipior), putantes, præter absolutam necessitatem Dei in existendo, nullam aliam veram, & realem necessitatem esse. Cùm sit præterea necessitas absoluta in quauis re non existente essendi id, quod de suo quiditatiuè est; & necessitas conditionata ei annexa existendi sine contradictione ex hypothesi, quòd existat, quando res est possibilis; & existendi cum contradictione ex hypothesi, quòd existat, quando est impossibilis: aliæque huiusmodi.

46 Hinc secundò suppono ex dictis in eâdem Pharo Scient. tum loco citato, tum disput. 11. quæst. 1. possibilitatem primariam rerum possibilium vnum esse ex prædicatis quiditatiuis, ac prorsus necessarijs earum, consistens formaliter in eo, quòd sint simpliciter potentes ad existendum; fundamentaliter autem in eo, quòd earum essentiæ tales sint ex suo conceptu obiectiuo, vt ex hypothesi, quòd existant, nullam secum ferent contradictionem. Vnde possibilitas primaria rerum possibilium realiter distinctarum à Deo realiter quoque ab ipso Deo distincta est, vtpote identificata realiter cum rebus ipsis. Quod contra Recentiores supra commemoratos, & alios latè probatum, & explicatum reperies in locis citatis.

47 Tertiò suppono ex dictis in eâ disput. 11. Phari citatâ quæst. 2. impossibilitatem primariam rerum impossibilium vnum similiter esse ex prædicatis quiditatiuis, ac prorsus necessarijs earum consistens formaliter in eo, quòd sint impotentes simpliciter ad existendum; fundamentaliter autem in eo, quòd earum essentiæ tales sint ex suo conceptu obiectiuo, vt ex hypothesi, quòd existerent, aliquam ferrent secum contradictionem. Vnde sequitur primò, impossibilitatem primariam rerum impossibilium, quæ eo ipso non possunt non esse realiter distinctæ à Deo, realiter quoque esse distinctam ab ipso Deo, vtpote realiter identificatam cum ipsis rebus impossibilibus. Secundò sequitur, omnem rem impossibilem (quæ propterea chymærica, siue chymæra nuncupantur) necessario debere esse distinctam ex suo conceptu obiectiuo ab omni possibili: nec posse vllatenus constitui chimæram impossibilem per cognitionem siniſtram rei in se obiectiuè possibilis; aut, quod in idem recidit, rem aliàs possibilem ex suo conceptu obiectiuo per siniſtram sui cognitionem chymæram euadere impossibilem. Quæ omnia contra Recentiores sæpe citatos, & alios latè probata sunt, & exposita in dicta quæst. 2.

Quartò suppono ex dictis in eâdem quæst. 2. 48
propos. 3. pleraſque chymærarum impossibilium tam à cognoscentibus per proprias species, atque adeò à Deo, quàm à cognoscentibus per species alienas conceptibiles esse: nonnullas tamen à solis cognoscentibus per species alienas, atque adeò per aliena substituta, vti nos pro præsenti statu cognoscimus, esse conceptibiles. Huius posterioris generis sunt, quæ in suo conceptu obiectiuo inuoluunt identitatem consictam extremorum re ipsâ distinctorum, aut distinctionem consictam extremorum re ipsâ identificatorum; vt hircoceruus, pluralitas ficta attributorum Dei, &c. Posterioris verò generis sunt cæteræ fere omnes chymaræ, vt secundus Deus consictus, actio peccaminosa Dei, calefactio oriunda à frigore, vnio extremorum non vnibilium, aggregatum extremorum metaphysicè oppositorum, & similia. Vnde fit, hasce chymæras in se, atque adeò per species proprias conceptibiles, in se, & de suo habere veras essentias obiectiuas, veraſque passiones intra statum quiditatiuum, aut etiam intra existentialem conditionatum verè iudicabiles, & scibiles à quolibet intellectu etiam diuino: necnon veras earum negationes à parte rei dari, quatenus verè quoad existentiam à quouis etiam inrellectu negabiles sunt iuxta mox dicenda. Quod vtrumque alienum est ab illis chymæris, quæ non in se, sed in alienis substitutis, atque adeò per species alienas conceptibiles sunt. Quare quoties circa has aliquas nos propositiones veras proferimus, aut aliqua iudicia vera formamus, ea quidem non à veritate obiectiuâ, quam in se habeant tales chymæræ, euadunt vera, sed à veritate obiectiuâ aliorum obiectorum, quibus æquiualent, vel quæ supponunt. Quæ omnia loco citato latiùs etiam exposita, probataque videnda sunt.

Quintò suppono ex dictis in Pharo Scient. 40
disput. 9. quæst. 3. negationem entis neque consistere in aliquo suam qualemcunque essentiam habente ab omni ente positiuo distinctam, & obiectiuè veram, affirmatiuèque in se iudicabilem etiam à Deo, vt multorum opinio fert: neque consistere in impedimento positiuo entis negati ipsi essentialiter oppositio, vt putant aliqui Recentiores: neque in ipso ente negato in quantum proximè negabili, vt alij Recentiores autumant: sed reuerà in nihilo consistere, seu potiùs reuerà nihil esse extra intellectum humanum eam, ac si esset aliquid, concipientem; cum fundamento tamen ex parte rerum, quando cum veritate concipitur. Fundamentum autem ex parte rerum in eo stat, quòd verè non sit id, quod negatur: verè autem non esse id, quod negatur, non est dari aliquid, siue esse in rerum naturâ, sed potius non dari, siuè non esse. Vnde veritas negatiua nihil in rebus ponit, sed potius demit. Ex quo fit, vt, licèt nos apprehendentes negationem, ac si esset aliquid, de veritatibus negatiuis suaderi possimus per iudicia affirmatiua æquiualentia negatiuis, vt per hoc, *Negatio Petri existit*, æquiualens huic, *Petrus non existit*; & per hoc, *Petrus caret pecunijs*, æquiualens huic, *Petrus non habet pecunias*; per aliaque huiusmodi; Deum tamen, & alios cognoscentes intuitiuè, siue per proprias species iudicijs dumtaxat negatiuis suaderi posse de veritatibus negatiuis. Quæ quidem iudicia non tam ex parte obiectorum, quàm ex diuerso modo tendendi differunt ab af-

firmatiuis: quatenus idem ipsum, quod iudicium affirmatiuum ponit, negatiuum remouet, & vice versâ; tametsi veritas positiua ab oppositâ negatiuâ aliquo modo sit diuersa reuerâ; prout etiam latè à nobis expositum, probatumque est in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. propos. 3. & 4. Porrò veræ negationes, seu veritates negatiuæ, non solum dantur (qua ratione dari dicuntur) rerum possibilium, sed etiam earum chymærarum impossibilium, quæ veram essentiam, seu quiditatem in se conceptibilem habent iuxta dicta suppositione quartâ: quia non minùs est re ipsâ verum, istas chymaras non existere, quàm non existere res possibiles: imo negationes illarum necessariæ, harum verò contingentes suo modo sunt. Quomodò autem omnis vera negatio ad solum statum existentialem tum absolutum, tum conditionatum pertineat; nulla verò ad quiditatiuum. Quomodo item ad quemuis ex statibus rerum multæ obiectiuæ veritates, multaue obiecta in se ipsis vera pertineant; necnon alia quædam, quæ per aquiualentiam tantùm, aut aliter, quàm à veritate propriâ, veracensentur, in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 4. per totam videndum est. His igitur impræsentiarùm ita statutis, accedo iam ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

50 Deus perfectissimam scientiam habet omnium non entium; siue non entia appelles negationes, seu veritates negatiuas entium positiuorum; siue etiam positiuas chymæras ex suo conceptu impossibiles.

Arbitror, propositionem hanc secundùm fidem esse certam. Eam enim probant omnia loca Scripturæ, quæ Deo scientiam omnium attribuunt. ad Ephes. 4. *Domine, qui habes omnium scientiam.* Psalm. 138. *Tu cognouisti omnia.* ad Hebræ. 4. *Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis eius.* Particula enim *omnia* omnes veritates cognoscibiles complectitur citra omne dubium, non solùm positiuas, sed negatiuas, nec solùm possibiles, sed impossibiles. Expressiùs præterea videtur tradere, supponereve hanc veritatem Paul. ad Rom. 4. cùm dicit, *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt,* iuxta communem expositionem Patrum, & Scholasticorum in 1. distinct. 35. versùs finem. Eam etiam supponunt, aut exprimunt omnia Scripturæ loca, in quibus Deus inducitur cognoscens, aut videns nostras miserias, infirmitates, ignorantias, mortem, peccata, noctem, tenebras, & alia huiusmodi, quæ in negatione alicuius entis positiui consistunt. Ratio etiam naturalis eamdem veritatem manifestè demonstrat. Quia nihil, quod verè sit cognoscibile, aciem intellectus diuini subterfugere potest, vt notum est: aliàs Deus alicuius veritatis esset ignarus; quod prorsus repugnat. Sed non minùs est cognoscibile verè, non esse ea, quæ non sunt, quam esse ea, quæ sunt; tum non posse esse ea, quæ impossibilia sunt, quàm posse ea, quæ sunt possibilia, vt constat. Ergo Deus posteriora vera non minùs, quàm priora cognoscit. Quod est, non minùs cognoscere omnia non entia, quàm omnia entia. Deus ergo perfectissimè scit, aut actu non esse, aut posse non esse, quidquid non est, aut potest non esse; atque etiam non posse esse, quidquid esse non potest. Quod est, cognoscere omnes negationes entium, tum existentes, tum possibiles; atque etiam impossibilitatem omnium chymærarum in se ipsis cognoscibilium, quibus repugnat esse.

Sed obijciet aliquis. Quod non est, non 51
scitur iuxta Aristot. lib. 1. Post. cap. 2. Ergo Deus non scit non entia. Confirmatur primò. Quia aliàs sciret falsa; quòd ei repugnat: cùm propositio, atque adeò etiam cognitio ab eo, quòd res non est, dicatur falsa. Confirmatur secundò. Quia veritas est passio entis. Ergo non ens nequit esse verum; ac proinde nec cognoscibile verè. Confirmatur tertiò. Quia scientia dicit similitudinem positiuam cum obiecto. Sed talis similitudo cum non ente, siue cum nihilo esse non potest. Ergo. Confirmatur quartò. Quia non ens in se nihil est. Ergo Deus cognoscens non ens, cognoscit nihil. Sed nihil cognoscere, est non cognoscere. Ergo Deus non habet cognitionem non entis. Respondeo ad argumentum, quod non est, non sciri esse, sciri tamen non esse; & hoc non negat Aristot. Ad primam confirmationem dico, propositionem, & cognitionem affirmantem rem esse, ab eo quòd res non est, esse falsam: secus id negantem; quæ ab eo, quòd res non est, potiùs est vera: Deumque proinde cognoscentem, non esse rem, quæ verè non est, verissimam scientiam habere. Ad secundam confirmationem dico, veritatem positiuam esse passionem entis: hoc tamen non tollere, quòd non ens suam etiam veritatem habeat sibi proportionatam. Ad tertiam confirmationem dico, similitudinem positiuam intentionalem, qualis est similitudo scientiæ benè esse posse cum non ente iuxta dicenda postmodùm; licèt non possit physica. In quarta confirmatione est crassa æquiuocatio orta ex vulgari modo loquendi, iuxta quem, *nihil cognoscere*, non solùm negat obiectum, sed etiam actum, idemque sonat, ac non cognoscere. Vnde falsum est, in eo sensu Deum nihil cognoscere; cùm verè cognoscat non ens: tametsi non ens eatenus nihil sit, quatenus est defectus entis.

Oportet tamen explicare distinctiùs, qua- 52
liter Deus cognoscat negationes rerum tam impossibilium, quàm possibilium; & qualiter cognoscat res impossibiles, siue chymæras, quæ vtræque dicuntur non entia. Dico primò, veras negationes, seu veritates negatiuas, quibus omnes res tam impossibiles, quam possibiles excluduntur ab statu existentiali, seu non existunt, eatenus cognoscit Deus, quatenus per iudicia negatiua verè iudicat, ipsas res non existere; qualia ista sunt, *Petrus non existit; Secundus Deus non existit*; & similia. Quæ quidem iudicia non in aliud, quàm in res ipsas tendunt modo quodam recessiuo, siue exclusiuo; eoque iure vera sunt, quia intentionaliter excludunt ab statu existentiali eas res, quæ verè ab illo exclusæ, siue non existentes sunt. Possibilitatem autem huiusmodi existentialium negationum rerum non aliter iudicat Deus, quàm iudicando, posse res ipsas non existere: quippe possibilitas negationis cuiusuis rei aliud non est re ipsâ à potentiâ, quam ipsa res secum identificatam habet ad non existendum. Quo circa tales negationum possibilitates non per iudicia negatiua, sed per affirmatiua de quiditate ipsarum rerum, cum qua-

sunt

sunt idem, iudicat Deus. Circa veritates verò alias specie tenus negatiuas, quæ pertinent ad statum rerum quiditatiuum, vt sunt istæ, *Homo non est lapis*, *Secundus Deus non est possibilis*, & similes, nullum Deus habet iudicium negatiuum: quia nullæ sunt veræ negationes, seu veritates negatiuæ pertinentes re ipsâ ad statum quiditatiuum iuxta dicta suppositione quinta: tametsi à nobis prout cognoscentibus per species alienas multa spectantia ad eum statum negatiuè concipiantur, & iudicentur. Hæc enim iudicia nostra negatiua per æquiualentiam tantùm sunt vera; eoquòd affirmatiuis æquiualent de veritatibus positiuis ad dictum statum pertinentibus, quæ re ipsâ dantur: à Deoque, & ab alijs per species proprias cognoscentibus affirmatiuè iudicantur. Sic illud iudicium, *Homo non est lapis*, huic æquialet, *Homo est distinctus à lapide*; & illud, *Secundus Deus non est possibilis*, huic, *Secundus Deus talem quiditatem habet ex conceptu suo, vt, si existeret, contradictionem secum ferret*. Et in cæteris similibus pariter euenit.

53 Dico secundò, eas omnes chymæras impossibiles quæ quiditatem obiectiuam de suo habent in se, & per speciem propriam cognoscibilem, per iudicia affirmatiua in ipsasmet tendentia iudicat Deus, quibus earum positiuas quiditates, siue essentias cum omnibus suis metaphysicis proprietatibus penitissimè penetrat. Sic demendacio chymærico suo, sibique subinde penitus repugnante clarissimè, verissimèque iudicat Deus, esse illud ex suo conceptu mendacium, esse impossibile, esse dissonum rationi, siue peccatum, esse reprehensione dignum, &c. hæc enim omnia reuerà est de suo, siue ex conceptu suo quiditatiuo tale mendacium. Pariterque censendum est de chymæris similibus. Quas certè Deus eodem modo, ac creaturas possibiles, quoad suas quiditatiuas veritates cognoscere dicendus est. Aliæ verò chimæræ, quæ solùm per species alienas sunt conceptibiles; nullamque proinde quiditatem re ipsâ habent, etsi aliquam habeant suppositiuam à conteptione nostrâ oriundam, neutiquam cognoscuntur à Deo, vti nobis apparent: cognoscit tamen Deus clarissimè omnes veritates reales, in quibus fundantur, aut quibus æquiualent eæ veritates, quas nos in illis concipimus, aut illis tribuimus. E. g. veritas hæc à nobis tantùm sub istis conceptibus iudicabilis, *Hircocernus est impossibilis*, in hac à Deo, ab alijsque intuentibus iudicabili fundatur, *Hircus, & cernus necessariò sunt inter se distincti*. Et hæc prioris generis, *Si Angelus esset homo, esset visibilis*, in hac posterioris, *Omnis homo necessariò est visibilis*. Tantumdemque de similibus dicendum est. Recognoscatur doctrina vniuersalis Phari Scient. citata ex disput. 10. quæst. 4.

Propositio 2.

54 **Omnia non entia per se immediatè, & in se ipsis cognoscuntur à Deo propriâ, & speciali cognitione, qua ratione sunt in se ipsis obiectiuè vera. Quod est dicere, veritatem obiectiuam omnium non entium per se determinare intellectum Dei ad specialem actum scientiæ de se.**

Ita cum Vazq. docent Tann. 1. par. disput. 2. quæst. 8. dub. 8. Alarc. disput. 3. de Scient. cap. 4. Consentiuntque Herice disput. 8. de Scient. cap. 2. Gasp. Hurt. disput. 3. diff. 5. & alij Recentiores. Ab hac tamen propositione imprimis dissentiunt, quotquot docent, Deum non in ipsismet, sed in se ipso dumtaxat cognoscere creaturas: id enim potiori iure sentient de non entibus; citauimus autem eos quæst. 1. Deinde etiam dissentire videntur illi Thomistæ, & alij, qui de negationibus, & priuationibus entium specialiter censent, non per se, sed tantùm per habitus, hoc est, per res positiuas, quas remouent, cognosci à Deo; nec aliter cognoscibiles esse. Quo pacto docent etiam malum per bonum, quo priuat, tantùm cognosci à Deo. Ita Durand. Palat. Nauarrete, Zumel, & alij apud Fasol. quæst. 14. artic. 10. dubit. 2. quos ipse sequitur ibidem, & artic. 9. dubit. 1. item Arrub. disput. 34. 35. & 36. Albelda disput. 40. Granad. tract. 2. disput. 2. & 3. & alij. Cæterùm, vt apparebit ex dicendis, horum sententia, si benè intelligatur, neque à veritate erit aliena, neque à propositione nostrâ.

Quæ quidem inde probatur primò; quia non entia per se, & in se habent suo modo veritatem obiectiuam, terminatiuamque cognitionis veræ, præscindendo à quouis alio obiecto vero, vt constat ex se, & ex dictis. Ergo per se etiam valent mouere, siue determinare intellectum omnis veritatis cognoscitiuum, qualis est diuinus, ad sui cognitionem. Quod ipsum est, esse per se, & in se cognoscibilia. Secundò; quia non minùs est per se, & in se verum, secundum Mundum non existere, & secundum Deum esse impossibilem; quàm, existere hunc Mundum, & esse possibilem alium. Sed posteriores istæ veritates in se ipsis sunt cognoscibiles, de factoque cognoscuntur à Deo, vt probauimus quæst. 1. Ergo idem dicendum est de illis prioribus. Vniuersaliter enim omne obiectiuè verum, & consequenter cognoscibile per cognitionem veram, eo ipso, quòd cognitionis veræ de se per se terminatiuum est, nequit non esse etiam determinatiuum per se ad talem de se cognitionem eius intellectus, qui necessariò est cognoscitiuus omnis omnino obiecti veri; qualis est intellectus Dei. Quod ipsum est, per se, & in se à tali intellectu cognoscibile esse. Omne ergo non ens obiectiuè verum per se, & in se est cognoscibile, de factoque subinde cognitum ab intellectu Dei. 55

Obijciuntur tamen nobis D. Dionys. cap. 7. de Diuinis nominibus, & D. Thom. 1. par. quæst. 14. artic. 10. vbi apertè docere videntur, priuationem, siue negationem aliter non esse cognoscibilem, quàm per habitum, vel ex habitu, quem remouet. Ait enim S. Thom. in corp. art. *Sic autem est cognoscibile vnumquodque, secundùm quod est. Vnde, cùm hoc sit esse mali, quod est priuatio boni, per hoc ipsum, quòd Deus cognoscit bona, cognoscit etiam mala; sicut per lucem cognoscuntur tenebræ. Vnde dicit Dionysius 7. cap. de Diuinis nominibus, quòd Deus per se metipsum tenebrarum accipit visionem, non aliunde videns tenebras, quàm à lumine.* Respondeo S. Thom. duo docere in dicto artic. Primum, non posse bonum à Deo cognosci perfectè, hoc est, comprehensiuè, nisi cognoscatur malum priuatiuum, quo tale bonum remouetur, tanquam aliquid ad ipsum pertinens, siue ipsi accidens, eoque titulo malum ipsum per bonum, aut in bono cognosci. Hoc habet in corp. ante relata verba inquiens. *Respondeo dicendum, quòd, quicunque perfectè cognos-* 56

cit aliquid, oportet quod cognoscat omnia, quæ possunt illi accidere. Sunt autem quædam bona, quibus accidere potest, vt per mala corrumpantur. Vnde Deus non perfectè cognosceret bona, nisi etiam cognosceret mala. Hæc autem ipsa doctrina est, quam nos trademus propositione 3. Secundum, quod docet S. Thom. cum S. Dionys. est, priuationem, nisi per id, quo priuat, cognosci non posse. Hoc habet in verbis nobis obiectis. Quibus tamen dumtaxat volunt S. Thom. & S. Dionys. priuationem non posse cognosci, non cognito habitu, terminove, quo priuat. Quod est certissimum: cùm cognoscatur respectiuè ad illum quodam modo: nimirum à Deo, alijsque intuentibus, atque etiam plerunque à nobis per iudicium recessiuum, siue exclusiuum ipsius termini: à nobis autem insuper per modum cuiusdam positiui respectus ad ipsum terminum. Quo sensu si accipiatur, vera erit sententia eorum, qui docent, negationes, & priuationes per habitus tantùm, quos remouent, cognoscibiles esse. Cum quo nihilominùs stat, esse eas in se cognoscibiles, cognitasque de facto à Deo, quo pacto sunt obiectiuè veræ, determinante scilicet ad earum cognitionem ipsarum veritate obiectiuà. Quemadmodùm bene stat, quamlibet relationem esse cognoscibilem, de factoque cognosci à Deo in se ipsà: tametsi ea nequeat cognosci, non cognito suo termino, prout supra disput. 23. quæst. 6. & 7. statutum, atque explicatum est.

57 Deinde objicitur ex Arrub. disput. 36. cap. 2. Sola entia positiua mouere possunt ad sui cognitionem, vt apparet in sensibilibus. Ergo negationes entium non possunt: atque adeò neque cognosci in se. Respondeo, sola entia positiua posse mouere ad sui cognitionem physicè, imprimendo speciem sui potentiæ, vti mouent sensibilia: mouere tamen, intentionaliter determinando, quo pacto solùm mouent veritates cognoscibiles intellectum diuinum, etiam posse negationes entium, seu veritates negatiuas.

58 Prætereà objicitur. Non ens nequit esse obiectum formale alicuius cognitionis, nedum diuinæ. Ergo neque cognosci in se ipso. Nego antecedens. Quia omne obiectiuè verum, quale est etiam non ens, obiectum formale, siue motiuum potest esse, etiam cognitionis diuinæ; prout supra explicatum est, & probatum disp. 23. quæst. 8.

Propositio 3.

59 **Negationes, seu veritates negatiuæ in rebus, quas remouent, cognoscuntur à Deo per cognitionem plenè, & perfectè comprehensiuam earumdem rerum.**

Quoniam, vt benè vidit S. Thom. loco citato propos. 2. constat atque ex doctrinà de comprehensione tom. 1. disput. 17. quæst. 6. traditâ, nulla res potest perfectè comprehendi, nisi ex vi cognoscendi ipsam cognoscatur, quidquid quoquo modo ad ipsam pertinet, etiam accidentariè, ita, vt de illà verè enunciabile sit. Ergo, dum quiditas cuiusuis conceptus positiui Deum ad perfectam sui comprehensionem determinat, non potest non simul determinare illum ad cognitionem negationis, à qua talis conceptus habet, aut actu non esse, aut posse non esse, supposito, quòd vel actu non est, vel potest non esse. Ergo non potest non quæuis negatio in conceptu positiuo, quem remouet cognosci à Deo vi comprehensionis perfectæ talis conceptus. Recole doctrinam datam in simili supra quæst. 2. Quæ hic pariter locum habet.

Propositio 4.

Quot modis cognoscit Deus creaturas in se ipso, aut in alijs creaturis iuxta doctrinam datam quæst. 2. & 4. tot modis cognoscit non entia in se ipso, & in alijs entibus creatis, aut etiam in alijs non entibus. 60

Imprimis enim Deus cognoscit omnia non entia perinde, ac omnia entia, in suà omnipotentià, quatenus hæc perfectè comprehendi non potest, nisi sciatur pariter, quid non facit, & quid potest non facere, & quid non potest facere. Consequenterque cognoscit illa in omnibus formalitatibus suis prout identificatis realiter cum suà omnipotentià. Tum speciatim in actibus scientiæ, & volitionis, aut nolitionis talium non entium consideratis quoad entitatem, quatenus vt sic sunt, quantùm est ex se, cognoscitiui, volitiui, aut nolitiui ipsorum non entium; eoque iure sine illis cognitis, vtpote ad se pertinentibus tanquam obiectis, perfectè comprehendi non possunt. Deinde cognoscit Deus omnia non entia in suis de ipsis iudicijs, volitionibus, vel nolitionibus quoad denominationem consideratis; nec non in suo Verbo, & Spiritu sancto prout respectiuis ad illa quauis ratione. Quemadmodùm de creaturis positiuis, & possibilibus est dictum quæst. 2. Prætereà cognoscit Deus dicta non entia in alijs entibus, aut etiam in alijs non entibus, quæ aut cum illis connexa sunt, aut sine illis cognitis comprehendi non possunt iuxta doctrinam pro creaturis datam quæst. 4.

Ex quibus denique colligitur, Deum 61
omnia non entia etiam cognoscere ex se ipso, ex alijsque obiectis, in quibus ea cognoscit, perinde, atque cognoscit entia, iuxta doctrinam stabilitam quæst. 3. & 4. In quo ampliùs non oportet morari.

Vnum tamen est hic addendum: nempe, 62
quot actus scientiæ virtualiter inter se distinctos habet Deus circa entia iuxta doctrinam traditam supra disput. 23. quæst. 4. tot, suà proportione seruatà, habere insuper circa non entia. Vnde; quemadmodùm, quot sunt entia sumpta tum singulatim, tum collectim, omni eorum combinatione factà; quotque diuersis modis immunibus ab imperfectione vnumquodque eorum est cognoscibile; tot sunt in Deo circa illa actus scientiæ distincti inter se virtualiter; vt ibi à nobis probatum est. Ita similiter, quot sunt non entia sumpta tum singulatim, tum collectim, omni eorum combinatione factà; quotque diuersis modis immunibus ab imperfectione vnumquodque eorum est cognoscibile; tot insuper actus scientiæ distincti inter se virtualiter in Deo circa illa esse dicendi sunt. Id namque etiam probant argumenta facta ibidem; vtpote quæ pro veritatibus omnibus cognoscibilibus à Deo vniuersalia sunt.

Hìc quærunt aliqui, an Deus non entia 63
per assensum, vel potiùs per dissensum cognoscat.

Potest-

Poteſtque quæſtio eſſe de nomine. Dico, ſi nomen diſſenſus pro iudicio negatiuo, & nomen aſſenſus pro iudicio affirmatiuo accipiantur, vti accipiuntur ab Arrubal 1.par.diſput.34. cap.1. & ab alijs: videturque eſſe magis propria eorum acceptio; Deum per diſſenſum cognoſcere omnem veritatem negatiuam, per aſſenſum autem omnem poſitiuam quorumuis entium ſeu poſſibilium, ſeu impoſſibilium: ſiquidem omnem veritatem negatiuam per iudicium negatiuum, & omnem poſitiuam per affirmatiuum cognoſcit; vt ſatis, ſuperque conſtat ex dictis. Si verò quoduis iudicium, ſiue affirmatiuum ſit, ſiue negatiuum, reſpectu veritatis, quam intellectui perſuadet, dicatur aſſenſus, diſſenſuſque reſpectu oppoſitæ falſitatis; quo pacto à Vazq. 1.par. diſput.61. & ab alijs aſſenſus, & diſſenſus vſurpantur, vſurpatione fortaſſe non adeò propriâ. Compertum eſt, omne iudicium Dei reſpectu veritatis ſeu poſitiuæ, ſeu negatiuæ per ipſum iudicatæ aſſenſum, reſpectu autem falſitatis oppoſitæ diſſenſum venire nuncupandum. In quo ampliùs non oportet morari.

QVAESTIO VI.

Vtrùm Deus cognoſcat mala. Et quomodò.

64 TRiplex malorum genus diſtingui ſolet, naturæ videlicet, culpæ, & pœnæ. Malum naturæ appellatur, quod cuiuis naturæ eſt diſconueniens aut poſitiuè, vt calor aquæ, & febris homini, aut priuatiuè, vt cœcitas animali, & vniuerſim carentia cuiuſuis perfectionis naturæ debitæ. Malum culpæ eſt peccatum, cuius malitia aut eſt poſitiua diſſonantia ad naturam rationalem vt talem, aut priuatio rectitudinis debitæ iuxta diuerſas opiniones. Malum denique pœnæ ipſiſſimum eſt malum naturæ, addito ſolùm reſpectu punitionis alicuius delicti, in quam illud infligitur. Quo etiam pacto malum culpæ rationem pœnæ ſortiri poteſt.

65 Suppono ergo vt fide ſanctum, hæc omnia mala à Deo cognoſci. Conſtat id imprimis ex omnibus Scripturæ locis, quæ prædicant, omnia cognoſci à Deo, & nihil ab oculis eius abſcondi. Deinde ſpecialiter ex illo Sapient. 8. *Monſtra ſcit, antequam fiant.* ex illo Amos 5. *Cognoui ſcelera veſtra.* & ex illo Amos 3. *Si eſt malum in Ciuitate, quod non fecerit Dominus:* quodque ſubinde non cognouerit. In primo enim loco eſt ſermo de malo naturæ. In ſecundo de malo culpæ, & in tertio de malo pœnæ. Ratio etiam euidentiſſima ſuffragatur. Quia omnia prædicta mala obiecta vera ſunt, & cognoſcibilia. Quocirca non poſſunt vllo modo ignorari à Deo. Eſt tamen diſcrimen inter mala naturæ, & pœnæ ex vnâ parte, & mala culpæ ex alterâ; quòd illa ſcientiâ etiam approbationis cognoſcit Deus, hæc verò ſolùm notitiâ ſimplici. Ob idque ea neſcire dicitur in Scriptura, non quia ignorat, ſed quia non approbat, Abac. 1. *Mundi ſunt oculi tui, ne videas malum.*

66 Sed quomodò eiuſmodi mala cognoſcuntur à Deo? Certè id etiam ex dictis hactenus ſatis conſpicuum eſt. Nam vel mala ſunt poſitiua; & ſic eiſdem modis cognoſcuntur, ac cætera entia poſitiua, de quibus egimus quæſt.1.2.3.& 4. Vel ſunt mala priuatiua; & ſic inter non entia ſunt recenſenda, de quibus egimus quæſt.5. Sed controuertunt nihilominùs hic Theologi, an Deus cognoſcat mala immediatè per ſuam bonitatem, vel per bonitatem creatam, cui opponuntur. Zumel 1.par. quæſt.14. artic.10. concluſ.3. cum alijs à ſe relatis contendit, Deum per ſolam ſuam bonitatem nullo habito reſpectu ad creatam cognoſcere omnia mala. Communis tamen ſententia eſt, mala immediatè cognoſci à Deo per bonitatem creatam, qua priuant (ſermo enim eſt de malis priuatiuis) remotè autem per bonitatem Dei. Ita Faſol. 1.par. quæſt.14. artic.10. dubit.2. Vazq. diſput.62. cap.2. Herice diſput.8. cap.2.Gonzal.diſp.40.ſect.2.Soar.lib.3. de Attrib. cap.3.Gaſp. Hurt. diſp.3.de Scient.diff.6.& apud eos alij.

Ego in hac re breuiter cenſeo, mala omnia priuatiua eatenus ſolùm dicenda eſſe cognoſci immediatè per bonitatem creatam, quam remouent, quatenus non poſſunt non cognoſci quodammodò reſpectiuè ad illam, nec ipſa bonitas, illis non cognitis, poteſt perfectè comprehendi prout de negationibus in vniuerſùm quæſt.5. à num. 56. dictum eſt. Quo ſenſu accipio omnes Auctores, qui docent, huiuſmodi mala per bona, quæ remouent, à Deo cognoſci immediatè. Deinde exiſtimo, Deum per ſuam bonitatem bifariam cognoſcere mala. Primò mediatè, quatenus, dùm ſuam bonitatem perfectè comprehendit, in illa, & per illam cognoſcit bona creata; rurſuſque per huiuſmodi bona modo paulo ante dicto cognoſcit mala, quando ſunt priuatiua. Secundò, & propriùs, vniuerſaliùſque immediatè, quatenus comprehendendo perfectè ſuam bonitatem, non poteſt non etiam in illâ, & per illam cognoſcere omnia mala. Porrò, diuinam bonitatem perfectè à Deo comprehendi non poſſe, niſi vi talis comprehenſionis in illâ tanquam in medio determinante ab ipſo Deo omnia bona creata, omniaque mala cognoſcantur, ex doctrinâ ſæpè ſuppoſitâ de comptehenſione notum eſt. Nihil enim plenè, & perfectè comprehendi poteſt, vt ſæpe diximus, niſi ex vi cognitionis comprehenſiuæ eius cuncta ad illud quoquomodo ſpectantia, de eoque enunciabilia attingantur. Bona autem omnia, & mala aliquo modo ſpectant ad bonitatem Dei. Bona quidem: quia ab eâ deriuantur, vt quædam eius participationes. Mala verò: quia ab illâ aliqua ratione excluduntur, vt quid aduerſum ei, & oppoſitum, ab eiuſque infinitate, & puritate alienum. Mittoque alios modos cognoſcendi mala cæteris obiectis communes. 67

Sed dubitari hìc adhuc poteſt, an Deus mala culpæ æquè, ac cætera, in ſuâ omnipotentiâ cognoſcat, in cæteriſque ſubinde formalitatibus identificatis cum illâ. Ea enim cognoſcere in ſuâ ſcientiâ, in ſuâque nolitione, ſiue odio de illis, atque etiam in ſuo Verbo, & Spiritu ſancto, prout iſta ad illa ſunt reſpectiua, vnumquodque ſuo modo, ex dictis in præcedentibus ſatis eſt notum. Ratio autem dubitandi eſt: quia omnipotentiâ Dei nullo modo eſt cauſa horum malorum, ſicuti eſt aliorum. Reſpondeo tamen, mala etiam culpæ cognoſci à Deo in ſuâ omnipotentiâ, non vt quid factibile, vel factum ab illâ, ſed vt quid ei prorſus repugnans; ab eâque non factum, neque factibile; aut etiam vt quid per illam tum permiſſibile, tum impedibile. 68

Quo-

Quomodò autem omnia insuper mala in alijs entibus, aut secum connexis, aut sine se non comprehensibilibus cognoscantur à Deo. Quomodo item ex Deo, & ex alijs eisdem entibus cognoscibilia, atque cognita sint ab ipso; ex dictis in simili in præcedentibus quæstionibus satis notum est.

QVAESTIO VII.

Vtrùm Deus cognoscat enunciabilia. Et qualiter.

69 ENunciabilia dicuntur obiecta enunciationum, seu propositionum vocalium nostris iudicijs correspondentium, quæ subinde obiecta quoque sunt ipsorum iudiciorum. De quibus imprimis est certum, cognosci à Deo quoad veritates obiectiuas, quæ in eis continentur, aut supponuntur tanquam verificatiua realia enunciationum, & iudiciorum nostrorum, quorum ipsa sunt propria obiectiua, siue conceptus obiectiui. Cùm certum sit, vt satis constat ex hactenus dictis, nullam veritatem obiectiuam posse ignorari à Deo. Deinde est certum, talia enunciabilia, seu potiùs tales veritates obiectiuas non cognosci à Deo, sicut à nobis, per modum enunciabilium, hoc est, interueniente comparatione, qua vnus conceptus obiectiuus tanquam prædicatum alteri comparatur tanquam subiecto, aut componendo illud cum hoc per affirmationem, aut diuidendo illud ab hoc per negationem, iuxta doctrinam de natura iudicij nostri tum componentis, tum diuidentis traditam latè in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. Sed cognosci à Deo intuitiuo quodam iudicio simplici quodam modo inspiciente, ac penetrante, quidquid vnumquodque in se re ipsa aut est, aut non est, citra omnem comparationem vnius conceptus obiectiui cum altero per modum compositionis, aut diuisionis. In quo conueniunt Theologi cum S. Tho. 1. par. quæst. 14. art. 14. & alijs Patribus. Prout supra iam à nobis statutum est disput. 24. quæst. 3.

70 Porrò quot sunt diuersæ enunciationes, siue propositiones iuxta diuisiones earum datas à nobis in Pharo Scient. disput. 19. quæst. 1. tot sunt obiecta earum enunciabilia diuersa, quæ quoad veritates obiectiuas in eis contentas, vel suppositas cognoscuntur à Deo. Huiusmodi autem veritatum obiectiuarum aliæ sunt quiditatiuæ, aliæ existentiales, & vtraque vel absolutæ, vel conditionatæ, ad quas reducuntur disiunctiuæ. Existentialiumque rursus aliæ de præsenti sunt, aliæ de futuro, & aliæ de præterito, iuxta doctrinam vniuersalem de statibus rerum, ad quos hæ veritates spectant, & penes quorum diuersitatem discriminantur, traditam etiam à nobis in Pharo Scient. disput. 10. per totam, quæ ad rem videnda.

71 Quomodò autem enunciabilium, quæ nostrarum propositionum, & iudiciorum obiecta sunt, alia in se habeant, siue contineant veritatem obiectiuam non solùm à nobis, sed etiam à Deo, ab alijsque intuentibus, siue per species proprias cognoscentibus iudicabilem: alia verò catenus solùm cognoscantur vera, quatenus vel alijs in se veris æquiualent, vel aliorum veritatem obiectiuam supponunt: proindeque à nobis dumtaxat cognoscentibus per alienas species per se, & prout apparent, conceptibilia, atque adeo iudicabilia sint; non verò itidem à Deo, & ab alijs cognoscentibus per species proprias: ab hisque propterea dumtaxat iudicandæ veniant eæ veritates obiectiuæ, quibus æquiualent, vel quas supponunt, in eàdem disput. 10. quæst. 4. videndum est; ne, quæ ibi iam scripta sunt, frustra hìc repetantur.

Iam sequebatur hìc examinandum, vtrùm 72
Deus cognoscat entia rationis, & qualiter, & an illa faciat. Verùm quia tria hæc in eadem Pharo Scient. disput. 12. quæst. 5. ex professò examinata, ex proprijsque principijs dedimus resoluta, illuc remittimus Lectorem, & ad cætera pergimus.

DISPVTATIO 26.

De scientiâ Dei mere naturali.

PRæter ea, quæ scientiæ Dei naturali, & liberæ communia sunt, de quibus hactenus, alia quædam in speciali supersunt in hac disput. determinanda, & explicanda de scientiâ merè naturali, qua Deus obiecta metaphysicè necessaria cognoscit. Qualia sunt quoad existentiam absolutam Deus ipse, & negationes chymærarum suo modo: quoad quiditatem autem, aut etiam existentiam conditionatam cætera cuncta obiecta seu impossibilia, seu possibilia in se quiditatem, & consequenter veritatem obiectiuam habentia. Supponenda autem hìc iterum est, iterumque recolenda, atque recognoscenda tota doctrina de statibus rerum, deque possibilitate, atque impossibilitate earum, quam dedimus in Pharo Scient. disput. 10. & 11. vtpote à qua omnino dependent omnia fermè, quæ sunt dicenda in præsenti disput. 1

QVAESTIO I.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa creaturas possibiles. Et quibus actibus.

CÙm certum sit, omnem veritatem obiectiuam in se, seu per se cognoscibilem cognosci à Deo; certum quoque erit, Deum circa creaturas possibiles eas omnes veritates metaphysicè necessarias cognoscere, quæ in ipsis reuerà sunt, in se, seu per se cognoscibiles. Quænam autem eæ sint non discutiendum modò, sed supponendum à nobis est ex iam exploratis, & statutis in Pharo Scient. disput. 10. 2

Supponimus itaque ex ibi dictis primò, 3
Deum circa vnamquamque rem possibilem cognoscere omnes veritates quiditatiuas tam conditionatas, quàm absolutas ei necessariò conuenientes prout habenti esse in statu quiditatiuo tam conditionato, quàm absoluto: absolutas quidem, vt, *Petrus est potens existere, siue possibilis; Petrus est homo; est rationalis; est risibilis, &c. Actio est* conne-

connexa cum suo termino; Peccatum est oppositum gratiæ; & similes. Conditionatas vero; vt *Si Petrus est homo, est animal; Si Petrus est rationalis, est risibilis; Si actio est connexa cum suo termino, peccatum est oppositum gratiæ*. & cæteræ huiusmodi. Ad quæ duo genera veritatum reducenda sunt obiecta illa respectu nostri negatiua, quæ non à veris negationibus ad dictos status pertinentibus, sed à positiuis veritatibus ad eos spectantibus per quamdam æquiualentiam euadunt vera; vt *Petrus non est lapis; Si Petrus non esset rationalis, non esset risibilis; Actio non potest existere sine suo termino; Peccatum non potest coniungi in eodem subiecto cum gratiâ*; & aliæ huiusmodi. Veræ quippe negationes, seu veritates in se re ipsâ negatiuæ nullæ pertinent ad statum rerum quiditatiuum aut absolutum, aut conditionatum, vt loco citato ostensum est. Et ad veritates quidem re ipsâ simplices istorum duorum generum in singulis creaturis repertas complexæ eorumdem repertæ in aggregatis creaturarum reuocandæ etiam sunt.

4 Secundò supponimus ex dictis ibidem, Deum circa vnamquamque rem possibilem eas etiam veritates existentiales conditionatas necessarias cognoscere, quæ prædictis quiditatiuis annexæ sunt; vt *Si Petrus extiterit, sine contradictione existet; Si Petrus extiterit existentialiter erit homo; rationalis; risibilis, &c. Si extiterit actio, & eius terminus existet*. Quæ omnes, & similes positiuæ veritates sunt. Dantur tamen in isto genere multæ præterea veritates negatiuæ etiam comparatione Dei, (præter alias tantùm respectu nostri, atque adeo suppositiuè negatiuas ad positiuas reducendas); vt, *Si Petrus habuerit peccatum, non habebit gratiam; Si non extiterit terminus, non existet actio; Si Petrus non extiterit, non existet*; & similes.

5 Tertiò supponimus ex ibi etiam dictis, eas veritates necessarias specie tenus disiunctiuas, seu vagas, quæ à Deo per se, siue ratione sui cognoscuntur, æquiualenter dumtaxat esse tales, secus formaliter. Consistunt namque in complexo conditionatarum plurium, quibus quoduis ex extremis disiuncti determinatè ponitur, seu remouetur sub conditione negationis aliorum. Proindeque ad veritates conditionatas, seu quiditatiuas, seu existentiales iam memoratas reducuntur. Tales autem sunt istæ, *Aliquis homo est possibilis; Aliqua actio est requisita ad productionem talis effectus*; siue, *Talis effectus nequit existere siue hac, vel illâ, vel aliâ actione. Petrus existit, vel non existit*; & cæteræ similes. Ex quibus patet, omnes veritates necessarias cognoscibiles à Deo circa vnumquamque rem possibilem ad tria genera prædicta reduci, nempe ad veritates quiditatiuas absolutas, & conditionatas, & ad veritates existentiales conditionatas illis annexas. Quibus positis sit.

Propositio 1.

6 Omnes veritates cum vnaquaque re possibili identificatæ realiter, ad vnumque, & idem ex tribus prædictis generibus pertinentes, quas nos per distincta iudicia iudicare solemus, eodem iudicio omnimodis indiuisibili iudicantur à Deo.

Est certum. Quia, vt constat ex doctrinâ tradita disput. 24. quæst. 1. perfectio scientiæ diuinæ non patitur, vt ei diuersas formalitates attribuamus, adhuc per solam rationem nostram distinctas, penes diuersas formalitates realiter identificatas, & per nostram rationem, aut etiam virtualiter in obiecto eius distinctas: quia quæuis talium formalitatum scientia imperfecta esset, vtpote non tangens suum obiectum, vt debet, sicuti re ipsâ est in se. Itaque omnes has veritates *Petrus est homo; Petrus est animal, Petrus est rationalis; Petrus est risibilis; Petrus est possibilis*; & cæteras identificatas cum Petro, ad eumdemque ipsius statum quiditatiuum absolutum spectantes eodem omnino indiuisibili obtutu penetrat Deus, eodemve iudicat indiuisibili iudicio; vnicaque subinde sunt veritas obiectiua respectu eius; tametsi respectu nostri præscindentium formalitates distinctæ aliquo modo sint. Tantumdemque dicendum venit de veritatibus vniuscuiusque rei possibilis realiter identificatis, & per rationem nostram distinctis pertinentibus ad statum conditionatum quiditatiuum, aut ad statum conditionatum existentialem.

Propositio 2.

Circa vnamquamque rem possibilem 7
tres actus scientiæ habet Deus non solùm per rationem nostram, sed virtualiter in se distinctos pro cognoscendis tribus veritatibus talis rei metaphysicè necessarijs ad tres eius status diuersos paulò ante commemoratos spectantibus, scilicet ad quiditatiuum absolutum, ad quiditatiuum conditionatum, & ad existentialem conditionatum: e. g. pro tribus istis, *Petrus est rationalis; Si Petrus est rationalis, est risibilis; Si Petrus extiterit, existentialiter erit rationalis*.

Supposito enim, quòd tres istæ veritates in vnaquaque re possibili ratione trium diuersorum statuum eius diuersæ sunt, & cognoscibiles per actus diuersos ex modo tendendi, vt in dictâ disput. 10. Phari Scient. probatum est, non potest non habere Deus tres actus scientiæ circa illas, tum vt circa cognoscibilia diuersa, tum ex suo modo tendendi diuersos, atque adeò inter se distinctos, non solum per rationem nostram, sed etiam in se virtualiter iuxta generalem doctrinam traditam supra disput. 23. quæst. 4. quæ ad propositum recognoscenda, & applicanda est. In quo amplùs non opus est morari.

Addendum tamen est, quoties veritates 8
conditionatæ tam ex parte conditionis, quàm ex parte conditionati sunt idem realiter, vnicum tantùm dari in Deo pro omnibus illis actum scientiæ iuxta doctrinam propos. 1. quoties verò aut ex parte conditionis, aut ex parte conditionati realiter distinctæ sunt, tot actus scientiæ virtualiter inter se distinctos dari in Deo pro illis, quot illæ sunt, per doctrinam generalem statutam disput. 23. quæst. 4. sic quatuor istæ veritates metaphysicè necessariæ, *Si Deus decreuit existentiam Petri, existet Petrus; Si Deus produxerit Petrum, existet Petrus; Si Petrus extiterit, à Deo cognoscetur existens. Si Petrus extiterit, existentialiter*

ter erit dissimilis Deo; per totidem actus virtualiter inter se distinctos cognoscuntur à Deo. Et in cæteris pariter.

Propositio 3.

9 **Circa res possibiles nullam Deus veritatem re ipsà negatiuam, & metaphysicè necessariam cognoscit spectantem ad earum statum quiditatiuum aut conditionatum, aut absolutum. Cognoscit tamen multas spectantes ad statum earum existentialem conditionatum.**

Prior pars propositionis inde constat. Quia nullæ dantur veritates re ipsa negatiuæ, & metaphysicè necessariæ spectantes ad statum rerum quiditatiuum aut conditionatum, aut absolutum, quæ possint à Deo cognosci, vt suppositione primâ statutum est. Posterior autem pars probatur. Quia, vt etiam statutum est suppositione secundâ, aliquæ dantur veritates re ipsà negatiuæ, & metaphysicè necessariæ spectantes ad statum rerum existentialem conditionatum. Etenim, quotiescunque duo quæque extrema metaphysicè sunt opposita quoad existentiam, ex hypothesi existentiæ vnius cum metaphysicâ necessitate sequitur vera negatio existentiæ alterius. Et vniuersè ex hypothesi negationis cuiusuis rei possibilis cum metaphysicâ necessitate est vera ipsa negatio, vt constat. Quomodò autem omne iudicium Dei negatiuum ex modo sito tendendi ab omni affirmatiuo diuersum sit, ex doctrinâ datâ disp. 25. quæst. 5. suppositione quintâ constat.

Propositio 4.

10 **Circa creaturas possibiles nullam veritatem aut positiuam, aut negatiuam metaphysicè necessariam cognoscit Deus spectantem ad earum statum existentialem absolutum.**

Est clarum. Quia respectu status existentialis absoluti tam creaturæ possibiles, quàm earum negationes, atque adeò omnes veritates earum sunt contingentes; nullaque subinde est metaphysicè necessaria, quæ à Deo vt talis cognosci possit, vt est notum.

QVAESTIO II.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa chymæras impossibiles. Et qaibus actibus.

11 SVppono primò, sermonem non esse in præsenti de eis chymæris impossibilibus, quæ tantùm per species alienas, atque adeò suppositiuè sunt conceptibiles; nullamque proinde habent in se quiditatem, & consequenter nec veritatem obiectiuam, quæ per se possit cognosci à Deo: tametsi Deus nequeat non cognoscere eas veritates obiectiuas, à quibus eiusmodi chymeræ aliquas prædicationes sortiuntur veras per quamdam æquiualentiam respectu nostri, prout ostensum est in Pharo scient. disput. 11. & iterum suppositum supra disput. 25. quæst. 5. Sermo ergo est in præsenti de illis chymæris impossibilibus, quæ veram in se quiditatem habent, suasque proinde veritates obiectiuas cognoscibiles, etiam a Deo, iuxta dicta ibidem.

Circa quas suppono secundò idem ipsum, 12
quod circa creaturas possibiles suppositi nuper quæst. 1. quod attinet ad veritates metaphysicè necessarias tum quiditatiuas conditionatas, & absolutas tum existentiales conditionatas, ad earumdemque diuersos status: quia, quod attinet ad hæc tria genera veritatum, & statuum, res possibiles, & dictæ chymæræ impossibiles parem fortunam subeunt, vt ex dictis in Pharo Scient. disput. 10. & 11, satis conspicuum est.

Suppono tertiò, præter veritates metaphy- 13
sicè necessarias prædictas, in quibus eiusmodi chymæræ impossibiles cum rebus possibilibus conueniunt, alias insuper negatiuas, & sibi proprias, in quibus ab illis differunt, habere spectantes ad statum existentialem absolutum. Siquidem, absolutè non existere tales chymæras, metaphysicè est necessarium eo ipso, quòd eas absolutè existere metaphysicè est impossibile. Ob idque, præ rebus possibilibus, simpliciter sunt impossibiles.

Propositio 1.

**Omnes veritates cum vnaquaque chy- 14
mærâ impossibili identificatæ re ipsà, ad vnumque, & idem statum eius pertinentes, quas nos, vtpote per rationem nostram distinctas, seorsim per iudicia distincta iudicare solemus, eodem iudicio omnimodis indiuisibili iudicantur à Deo.**

Hæc propositio eamdem, quam propositio prima quæstionis præcedentis, vendicat sibi probationem. Quæ proinde non repetenda à nobis, sed à Lectore applicanda est.

Propositio 2.

**Circa vnamquamque chymæram im- 15
possibilem tres actus scientiæ habet Deus non solùm per rationem nostram, sed virtualiter in se distinctos pro cognoscendis tribus veritatibus talis chymæræ metaphysicè necessarijs ad tres status eius diuersos spectantes, scilicet ad quiditatiuum absolutum, ad quiditatiuum conditionatum, & ad existentialem conditionatum: e. g. pro tribus istis, *Mendacium impossibile Dei ex conceptu suo est peccatum; Si mendacium Dei est peccatum, reprehensione dignum est; Si existeret mendacium Dei, aliquod Dei peccatum existeret.***

Hæc item propositio, pariter, ac propositio secunda quæstionis præcedentis, probanda est. Hoc interim obseruato discrimine, quòd ex hypothesi existentiæ chymæræ impossibilis multa extrema mutuo sibi contradicentia necessariò sunt existentialiter simul vera, vt ex dictis

dictis in eâ disput. 11. Phari Scient. constat. Secus ex hypothesi existentiæ rei possibilis.

Propositio 3.

16 Circa chymæras impossibiles nullam Deus veritatem re ipsâ negatiuam, & metaphysicè necessariam cognoscit spectantem ad earum statum quiditatiuum aut conditionatum, aut absolutum. Cognoscit tamen multas spectantes ad statum earum existentialem conditionatum.

Huius etiam propositionis probatio eadem est, ac propositionis tertiæ quæstionis præcedentis. Addendo tamen pro secundâ eius parte, circa chymæras impossibiles multò plures esse veritates negatiuas existentiales conditionatas, & metaphysicè necessarias à Deo cognitas, quàm circa res possibiles, eo ipso, quòd ex hypothesi existentiæ cuiusuis chymæræ multa extrema mutuò sibi contradicentia necessariò sunt existentialiter simul vera, vt dictum proposit. 2. & ex duobus quibusque extremis existentialibus sibi contradicentibus non potest non esse alterum negatio alterius, vt est notum. Quod tamen hypothesis existentiæ rei possibilis secum non fert.

Propositio 4.

17 Quot sunt chymæræ impossibiles, de quibus agimus, tot sunt earum veræ negationes, seu veritates negatiuæ cognitæ à Deo spectantes ad statum existentialem absolutum, & metaphysicè necessariæ.

Quia vnaquæque talium chymærarum verè, & cum metaphysicâ necessitate est non existens absolutè. Hæc tamen metaphysica necessitas negationis siue non existentiæ absolutæ eius aliud non est re ipsâ ab intrinseca ipsius impossibilitate, siue repugnantiâ ad existendum, vt alibi dictum.

18 Rogabit hìc aliquis, an, sicut sunt chymæræ positiuæ, quas Deus cognoscit quoad earum veritates supradictas, sint etiam chymæræ negatiuæ, quas Deus cognoscat quoad earum aliquas veritates? Respondeo primò, nullam esse chymæram negatiuam à Deo cognoscibilem quoad aliquam sui quiditatiuam veritatem. Quia nulla negatio, quantumuis chymærica, habet in se quiditatem vllam, & consequenter neque vllam quiditatiuam veritatem ab intuentibus cognoscibilem. Cùm omnis negatio de suo sit nihil, vtpote consistens potiùs in non esse, quàm in esse, prout explicatum est in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. Vnde, siquas nos negatiuas chymæras cum aliquali quiditate excogitauerimus, ex genere illæ earum chymærarum erunt, quæ non per proprias, sed tantùm per alienas species, atque adeò supposititicè conceptibiles sunt, iuxta dicta suppositione primâ. Secundò respondeo, vnicam dumtaxat esse chymæram purè negatiuam, negationem scilicet veri Dei, quæ suo modo ab intuentibus, atque adeò etiam ab ipso Deo cognoscibilis est quoad aliquam sui veritatem existentialem conditionatam, & necessariam, nimirum quoad hanc, *Si Deus non existeret, Deus non existeret*. Esse autem vnicam chymæram purè negatiuam, negationem scilicet veri Dei, quoad aliquam sui veritatem existentialem conditionatam ab intuentibus cognoscibilem, inde constat. Quia omnis pura negatio quoad aliquam sui veritatem ab intuentibus cognoscibilis alicuius positiuæ quiditatis ab eisdem conceptibilis debet esse negatio; quæ quiditas, vt eius negatio sit impossibilis, necessaria debet esse quoad existentiam, qualis sola est quiditas Dei. Sola igitur negatio Dei est chymæra purè negatiua impossibilis. Dico autem *purè negatiua*. Quia chymæræ mixtæ ex negationibus, & ex quiditatibus positiuis, quarum aliquas veritates existentiales conditionatas cognoscit Deus, infinitæ sunt; nimirum omnia aggregata ex duobus quibusque extremis contradictionis collectiuè sumptis. Circa vnumquodque enim cognoscit Deus veritatem conditionatam existentialem, & necessariam; e. g. circa aggregatum ex Petro, & eius negatione cognoscit, Petrum extiturum simul, & non extiturum ex hypothesi, quòd Petrus simul existeret, & non existeret. Pariterque circa cætera omnia.

Insurget tamen aliquis contra hoc in hunc 19
modum. Non aliter cognoscit Deus negationem iuxta doctrinam nostram supra statutam, quàm per iudicium negatiuum tangens rem negatam, excludendo, seu remouendo illam, quod eo ipso nequit non esse oppositum affirmatiuo tangenti eamdem rem, ponendo, seu adstruendo illam. Ergo impossibile est, quòd Deus iudicet simul Petrum extiturum, & non extiturum, adhuc ex hypothesi, quòd Petrus simul existeret, & non existeret: haberet enim simul duo iudicia opposita, quorum altero poneret, & altero remoueret eamdem rem. Quod repugnat. Respondeo, Petrum existere simul, & non existere absolutè, impossibile esse; & consequenter impossibile esse, quòd Deus absolutè iudicet, siue per vnum, siue per duo iudicia, Petrum existere simul, & non existere: quia falleretur. At, Petrum extiturum simul, & non extiturum ex hypothesi, quòd simul existeret, & non existeret, neutiquam impossibile esse, sed necessarium; & consequenter necessarium quoque esse, quòd Deus conditionatè iudicet, Petrum extiturum simul, & non extiturum ex hypothesi, quòd simul existeret, & non existeret: quia hoc, vtpote verissimum, non potest non iudicari à Deo. Vnde, si Dei iudicia de existentiâ, & de non existentiâ Petri virtualiter sint duo propter diuersos, quos habent tendendi modos, (vt ego censeo consentaneè ad dicta supra disput. 23. quæst. 4.) si sint absoluta, opposita omnino, & incompatibilia erunt: Secus, si sint conditionata sub hypothesi necessariò inferente coniunctum ex ipsâ existentiâ, ex ipsâque non existentiâ Petri. Circa quod videantur, quæ scripsimus in Pharo Scient. disput. 3. quæst. 4. & disput. 9. quæst. 5. proposit. 1. & disput. 11. quæst. 2. à num. 69.

QVAESTIO III.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa se ipsum. Et quibus actibus.

20 SVppono vt certum, Deum per actum scientiæ absolutæ cognoscere se ipsum totum prout existentem absolutè, atque adeò quoad sui veritatem existentialem absolutam, & metaphysicè necessariam. Difficultas est, vtrùm Deus insuper se ipsum totum cognoscat per alios actus ab illo aliquo modo distinctos quoad alias sui veritates etiam metaphysicè necessarias, diuersalque ratione statuum ab existentiali absolutâ, vt sunt veritas quiditatiua absoluta, veritas quiditatiua conditionata, & veritas existentialis conditionata. Negant nonnulli Recentiores. Sed alij affirmant.

Propositio 1.

21 Præter actum scientiæ absolutæ, quo Deus se cognoscit vt existentem absolutè, tres alios insuper actus scientiæ habet circa se ipsum, non solùm per rationem nostram, sed etiam in se virtualiter ab illo, & inter se distinctos, quibus prædictas tres sui veritates metaphysicè necessarias cognoscit, nempe quiditatiuam absolutam, quiditatiuam conditionatam, & existentialem conditionatam.

Hæc propositio inde probanda venit. Quia quatuor istæ Dei veritates à diuersitate quatuor statuum, ad quos illæ pertinent, non possunt non esse inter se diuersæ, cognoscibilesque subinde per actus inter se diuersos ex suo ipso modo tendendi iuxta generalem doctrinam de statibus rerum traditam in Pharo Scient. disput. 10. quæ etiam in Deo locum habet, vt ibi statuimus. Ergo nec possunt non cognosci à Deo per actus virtualiter inter se re ipsâ, atque adeò & per rationem nostram distinctos iuxta generalem etiam doctrinam de distinctione actuum scientiæ diuinæ traditam supra disput. 23. quæst. 4. quæ ad rem recognoscenda est, & applicanda; ne actum agamus.

22 Confirmatur, & declaratur. Quia quatuor istæ veritates, *Si Deus habet voluntatem, etiam habet intellectum; Deus est de suo Sapiens, omnipotens, & bonus; Si Deus extiterit, sine contradictione existet; Deus absolutè est existens*; manifestè sunt in Deo æquè inter se diuersæ, ac sunt istæ quatuor in Petro; *Si Petrus est volitiuus, etiam est cognoscitiuus; Petrus de suo est rationalis, visibilis, & admiratiuus; Si Petrus extiterit, sine contradictione existet; Petrus absolutè est existens*. Sed certum apud omnes est, vltimam veritatem in Petro cognosci à Deo per scientiam visionis, tres autem priores per scientiam simplicis intelligentiæ, & has duas scientias non posse non esse saltem duos actus distinctos inter se omnibus modis, quibus possunt esse distincti actus diuini, iuxta diuersas opiniones. Ergo tantumdem dicendum est de scientiâ visionis, qua Deus se cognoscit quoad sui veritatem existentialem absolutam, & de scientiâ, qua se cognoscit quoad alias tres sui veritates. Posito autem, quòd circa eas omnes duo saltem actus scientiæ diuersi admittantur in Deo, non est, cur non admittantur quatuor. Sed negant Aduersarij consequentiam seu paritatem: quia, inquiunt, quiditas Petri indifferens est, vt existat, vel non existat absolutè, quiditas Dei non item; atque ita non benè infertur, habere Deum de suâ quiditate, & de suâ existentiâ absolutâ actus scientiæ distinctos, ex eo, quòd de quiditate, & de existentiâ absolutâ Petri actus scientiæ distinctos habeat. Contra tamen est. Quia, licèt discrimen istud conferat, vt possit Deus habere actum scientiæ de quiditate Petri purè possibilis absque actu scientiæ de existentiâ absolutâ eius, vtpote quam verè non habet; quin possit habere actum scientiæ de quiditate sui absque actu scientiæ de suâ existentiâ absolutâ, vtpote qua carere non potest. At nihil confert, vt possit Deus habere (sicuti verè habet iuxta omnium sententiam) duos actus scientiæ circa quiditatem, & existentiam absolutam Petri existentis absolutè; & non possit habere duos pariter circa quiditatem, & existentiam absolutam sui. Quandoquidem existentia absoluta Petri non minùs est idem realiter cum quiditate eius, quàm, existentia absoluta Dei est idem cum ipsius quiditate. Proindeque nec magis repugnat, cognosci quiditatem Dei per vnum actum, & existentiam ab eâ realiter indistinctam per alium, quàm, cognosci quiditatem Petri existentis absolutè per vnum actum, & existentiam ab eâ realiter indistinctam per alium. Esse enim veritatem quiditatis à veritate existentiæ absolutæ inseparabilem in Deo; secus in Petro, solùm arguit actum scientiæ de quiditate Dei ab alio actu de existentiâ absolutâ eiusdem inseparabilem esse; secus actum scientiæ de quiditate Petri ab alio actu de eiusdem existentiâ absolutâ. Quod neque interest ad rem.

Sed obijciunt Recentiores commotati. 23 Actus scientiæ de quiditate Dei, nisi sit etiam de Dei existentiâ, non erit perfectè penetratiuus ipsius quiditatis. Ergo actus scientiæ de quiditate Dei præscindens à Dei existentiâ non est Deo ipsi possibilis. Distinguo antecedens. Non est penetratiuus perfectè ipsius quiditatis quoad veritatem eius quiditatiuam præcisè; nego: quoad veritatem eius quiditatiuam simul, & existentialem transeat. Et nego consequentiam. Quia neque actus scientiæ præcisè de quiditate Petri existentis penetratiuus est talis quiditatis quoad eius veritatem quiditatiuam simul, & existentialem, sed tantùm quoad quiditatiuam; & nihilominùs conceditur Deo, tanquam ab omni imperfectione prorsus immunis. Etenim, quemadmodùm necesse non est adhoc, vt aliquis actus Dei sit immunis ab omni imperfectione, ob idque dignus, qui concedatur Deo, quòd tangat omnia entia ab ipso Deo cognoscibilia, sed sufficit, quòd relatè ad illud dumtaxat, cuius est actus, atque adeò intra proprium genus sit summè perfectus, vt constat ex generali, & certâ doctrinâ traditâ à nobis supra disput. 23. quæst. 4. ita neque necesse est, quòd tangat omnes veritates diuersas ratione diuersorum statuum eiusdem entis, sed sufficit, quòd sit summè perfectus relatè ad illam, quam tangit cum præcisione ab alijs. Ex quibus omnibus concluditur,

non

non solùm posse citra omnem imperfectionem, sed prorsus debere poni in Deo quatuor actus scientiæ re ipsâ virtualiter, atque adeò & per rationem nostram distinctos inter se pro quatuor veritatibus obiectiuis ipsius Dei supradictis, vtpote ratione diuersorum statuum diuersis, perque actus ex modo tendendi diuersos à quolibet intellectu cognoscibilibus.

24 Oportet tamen hic aduertere, quoties veritates conditionatæ, quas intrat Deus, habuerint aut conditiones, aut conditionata realiter distincta inter se, toties pro talibus veritatibus cognoscendis ponendos esse in Deo totidem actus scientiæ distinctos inter se virtualiter iuxta dicta in simili supra quæst. 1. num. 8. Adde, duas insuper habere necessariò Deum apprehensiones simplices de se ipso; alteram constituentem, & alteram non constituentem hypothesim; pro eis videlicet veritatibus cognoscendis, seu iudicandis, quæ sine Deo sic apprehenso iudicari non possunt iuxta doctrinam vniuersalem traditam supra disp. 23. quæst. 4. Tales autem apprehensiones simplices esse distinctas virtualiter tum inter se, tum à prædictis quatuor actibus iudicatiuis scientiæ, quos Deus de se habet, ex dictis ibidem notum est.

Propositio 2.

25 Vnusquisque prædictorum actuum scientiæ, quos Deus de se habet, suo, quem habet, peculiari modo tendendi, præterquam in entitatem diuinam, tum in se ipsum, tum in cæteros tendit quasi reflexè.

Ita enim & superfluitas actuum, & infinita reflexionum progressio, haud dubiè impossibilis, in scientiâ diuinâ vitatur iuxta ea, quæ dicebamus supra disput. 24. quæst. 1. num. 9.

DISPVTATIO 27.

De scientiâ Dei merè libera.

1 EX dictis disput. 23. quæst. 5. diuis. 2. constat, scientiam merè liberam appellari, quæ circa obiecta contingentia absoluta versatur. Quæ enim versatur circa obiecta contingentia conditionata, scientia media inter naturalem, & liberam vocatur à nostris Doctoribus, vt ibidem notauimus. Igitur de scientiâ absolutâ contingentium absolutorum aget hæc disputatio. In qua multæ difficultates propriæ huius scientiæ venient examinandæ, præter communes alijs scientijs, de quibus hactenus.

QVAESTIO I.

Quid sit, & quotuplex veritas obiectiua contingens.

2 VEritas obiectiua contingens dicitur vniuersè, quæ, qua ratione re ipsâ datur, ita datur, vt potuerit non dari. Vnde si ita datur absolutè, vt potuerit non dari absolutè, veritas obiectiua absoluta, siue absolutè contingens erit. Si tamen ita datur ex aliquâ factâ hypothesi, vt ex eâdem hypothesi potuerit non dari, veritas obiectiua contingens erit conditionata, siue conditionatè. Constat autem, omnem veritatem obiectiuam contingentem existentialem esse debere: quia nulla veritas obiectiua, quæ non existentialis, sed merè quiditatiua est, potest esse contingens, sed omnes prorsus sunt necessariæ; vt constat ex generali doctrinâ de statibus rerum traditâ in Pharo Scient. disput. 10. Cæterùm non omnes veritates obiectiuæ existentiales contingentes sunt, sed aliquæ earum dumtaxat. Nam omnis veritas existentialis positiua identificata cum Deo siue absoluta, siue conditionata, necessaria est: cùm sit necessarium, quòd Deus existat tum absolutè, tum etiam qualibet factâ hypothesi. Et omnis veritas existentialis negatiua siue absoluta, siue conditionata, qua excluditur ab statu existentiali renerâ quauis chymæra impossibilis, necessaria est: cùm sit necessarium, vt quæuis chymæra impossibilis non existat tum absolutè, tum etiam qualibet factâ hypothesi. Tum omnis veritas existentialis conditionata seu positiua, seu negatiua necessaria est, quoties conditio cum conditionato metaphysicè connexa est: quia ex hypothesi talis conditionis non potest non dari, atque adeò neque non esse verum re ipsâ conditionatum. Cæteræ autem veritates existentiales, præter istas, contingentes sunt. Nempe omnis veritas existentialis positiua absoluta cum quauis creaturâ existente identificata contingens est: quia nulla creatura existens est, quæ non potuerit non existere. Et omnis veritas negatiua absoluta excludens ab statu existentiali quamlibet creaturam possibilem contingens est: quia nulla creatura possibilis est non existens, quæ non potuerit esse existens. Tum omnis veritas existentialis conditionata seu positiua, seu negatiua de conditione non connexâ cum conditionato, aliàs absolutè contingente, siue non necessario, contingens est: quia ex hypothesi talis conditionis ita datur, seu verum est re ipsâ tale conditionatum, vt potuerit non dari, seu verum non esse. Indifferens quippe talis conditio est, vt possit sub hypothesi eius verum esse alterutrum contradictionis extremum, aliàs absolutè contingens, siue non necessarium.

Quoniam autem, quidquid existit, aut non existit, in tempore aliquo existat, aut non existat, necesse est, vt constat ex doctrinâ statutâ supra disput. 8. quæst. 6. tempusque aut præsens, aut præteritum, aut futurum esse potest, vt est notissimum. Consequitur, omnem veritatem obiectiuam contingentem, atque adeò existentialem, seu positiuam, seu negatiuam aut de præsenti, aut de præterito, aut de futuro talem esse; ad aliquemque subinde horum trium statuum præsentiæ, præteritionis, & futuritionis spectare, iuxta dicta de illis in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 3. & 4. 3

Porrò omnem veritatem obiectiuam contingentem, atque adeò existentialem ab aliquâ causâ liberâ prout tali suam originem trahere vel proximè, vel remotè, necesse est. Nam omnis veritas obiectiua contingens, titulo talis, ab alio tanquam à causâ pendere debet: siquidem quod non pendet ab alio tanquam à causâ, sed à 4

se ipso habet esse, qua ratione habet, eo ipso quoad tale esse non contingens, sed necessarium est. Cùmque omnis veritas obiectiua contingens ita sit, qua ratione est, vt potuerit non esse; necesse est, quòd aliqua ex causis, à quibus dependet, ita influat in illam electiuè determinando existentiam eius, vt potuerit in illam sic non influere; quod ipsum est, talem causam quoad talem influxum liberam esse; ab ipsàque subinde prout liberà talem veritatem obiectiuam pendere. Recognoscantur dicta ad rem in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 5. propositt. 27. & 28. Cum his autem stat, vt multæ veritates obiectiuæ respectiuè ad causas secundas immediatas, à quibus fiunt, non liberæ, sed necessariæ sint; etsi absolutè sint contingentes: quia à talibus causis non liberè, sed necessariò operantibus enascuntur. Cuiusmodi sunt omnes effectus naturales à causis merè naturalibus, & nullatenus liberis connaturaliter prodeuntes. Vtrùm autem effectus isti respectiuè ad causam primam cum causis naturalibus concurrentem per se immediatè liberi sint, alterius est considerationis, de qua suo loco. Id certùm est, non posse non illos ab aliquà causà saltem remotà prout liberè operante procedere. Nam si omnes causæ, à quibus procedunt, necessariæ essent in operando, & illi essent necessarij in existendo ab illis, atque adeò non contingentes contra suppositionem. Vnde tandem concluditur, ex veritatibus obiectiuis contingentibus alias esse liberas respectu causarum secundarum, à quibus sunt, vtpote actualiter dependentes ab earum libero arbitrio; alias verò non item, vtpote à causis secundis non liberè, sed necessariò operantibus actualiter dependentes. Liberarum autem aliæ sunt tales immediatè, scilicet actus, & omissiones liberæ cuiusuis voluntatis creatæ; aliæ verò mediatè, scilicet actus, & omissiones aliarum potentiarum, quæ cuiusvis voluntati creatæ subditæ in operando, atque etiam in omittendo sunt.

QVAESTIO II.

Quid sit in quauis re existente, esse præsentem, esse præteritam, & esse futuram. Quotuplexque sit præteritio, præsentia, & futuritio rerum.

5 EX ijs, quæ circa quæstionem istam latiùs scripta habemus in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 3. quantum sat fuerit ad institutum præsens, breuiter resumemus. Suppono primò, quidquid existit, in aliquo tempore indispensabiliter existere. Impossibile enim est, vt quidpiam existat, & nunquam, siue in nullo tempore existat; vt ex sententiâ communi ostendimus supra disput. 8. quæst. 6.

6 Suppono secundò ex dictis etiam, & comprobatis in eàdem disput. 8. quæst. 1. omnem rem existere in tempore, siue durare in illo per durationem sibi intrinsecam, affixamque suapte essentiâ tali tempori determinato præ alijs; eamque aut indistinctam à re durante, vt quando res durans per suam essentiam est alligata tempori, in quo durat; aut distinctam, & superadditam, vt quando res durans indifferens est ad durandum, & non durandum in tali tempore.

7 Suppono tertiò ex ibidem etiam scriptis quæst. 2. tempus, quod vocant imaginarium, re ipsâ capacitatem quamdam esse motus essentialiter successiui, & continui, qualem constituunt durationes creatæ seriatim, continuèque ordinatæ naturâ suâ quoad extensionem temporalem. Vnde tempus imaginarium à parte rei suum esse habet, non quidem existentiale, sed quiditatiuum, & merè possibile. Dicitur tamen imaginarium: quia à nobis ad instar motus actualiter, existentialiterque fluentis concipitur: cùm tamen re ipsâ, non quid existens, sed quid merè possibile sit. Series nimirum possibilium durationum continua, extensaque temporaliter, atque adeò successiua suapte essentiâ.

8 Suppono quartò ex dictis in Pharo Scient. disput. 3. quæst. 1. & 7. veritatem cognitionum, atque etiam propositionum vocalium, quam vocant formalem, in conformitate earum cum suis obiectis consistere: veritatem autem rerum, quam obiectiuam dicunt, in aptitudine, quam illæ habent, vt cognoscantur per cognitionem veram, vt conformenturve cum sui cognitione. Et quoniam res existentes non solùm, quo tempore existunt, sunt cognoscibiles per cognitionem veram, sed etiam in alijs temporibus; eoquòd cognitio non solùm id, quod sibi coexistit, sed etiam id, quod à se tempore est dissitum, repræsentare valet, atque adeò aut affirmare, aut negare; quemadmodùm & quod est dissitum loco: efficitur, vt res existentes veræ esse dicantur non solùm, quo tempore existunt, sed etiam in alijs temporibus, quatenus etiam in alijs temporibus sunt illæ cognoscibiles verè. Hoc sensu dicimus, hodie esse verum, & ab æterno verum fuisse, Antichristum extiturum in suâ differentia temporis: sicut etiam, hodie esse verum, & in æternum verum fore, Christum Dominum extitisse in hoc Mundo. Quo etiam iure Patres, & Philosophi dicere consueuerunt, veritatem rerum non solùm quiditatiuam, & necessariam, sed etiam existentialem, & contingentem æternam, & incommutabilem esse, vtpote carentem principio, & fine. Videantur Augustin. lib. 2. de Liber. arbit. cap. 8. & lib. 2. Soliloq. cap. 2. Anselm. in Dialog. de Verit. cap. 14. & in Monol. cap. 17. & Aristot. lib. 6. Ethic. cap. 6. Adde, spectatâ serie signorum siue naturæ, siue rationis in eodem tempore existentium, dici etiam posse non absurde, res veras esse in alijs itidem signis ab ijs, in quibus existunt.

9 Suppono quintò, futuritionem rei neque consistere in determinatione causæ determinatæ ad illam, vt voluerunt aliqui: neque in determinatione diuini decreti de illâ, vt alij dixerunt: neque in transitu rei ab *esse*, quod habet in suâ causâ, ad *esse*, quod habet in se, vt censuerunt alij: neque in aliquo præsente connexo cum eo, quòd postea sit res extitura, vt quidam alij opinati sunt. Quia conceptus futuritionis rei ab istis omnibus diuersus est, prout alij plerique, præsertim Recentiores, docent, & nos loco sæpe citato distinctè monstrauimus. Atque ex dicendis tum in præsenti, tum in sequenti quæstione conspicuum fiet.

Pro-

Propositio 1.

10 Rem esse præsentem, siue existentem de præsenti, nihil est aliud, quàm, illam habere iam nunc actuale *esse*, siue, illam iam nunc actu existere in rerum naturâ.

Hæc propositio ex terminis notissima est. Constat enim, rem iam nunc habere *esse* actuale, siue actu existere in rerum naturâ, & esse præsentem, seu de præsenti existere, idem omnino esse. Quid autem sit, rem iam nunc existere actu, seu iam nunc habere actuale *esse* in rerum naturâ, adeò est ex terminis conspicuum, vt amplius non sit explicabile. In scientijs quippe necesse est, vt quemadmodùm dantur principia, seu propositiones per se notæ non demonstrabiles per alias, ita dentur termini, siue conceptus obiectiui per se noti non explicabiles per alios notiores; vt alibi sæpe notaui. Huiusmodi autem est conceptus existentiæ rei iam nunc actualis, siue rei iam nunc actualiter, atque adeò de præsenti existentis. Hinc tempus præsens, seu potiùs pars temporis præsens à futuris, & à præteritis condistincta ea dicenda venit, quæ, qua ratione est, iam nunc præsentialiter est, scilicet actualiter, existentialiterve, si sit tempus reale, & possibiliter proximè, si sit imaginarium.

Propositio 2.

11 Rem esse futuram, aut præteritam, nihil est aliud ex cnnceptu suo, quàm, existere illam in tempore, quod posterius, aut prius est tempore præsente, in quo, vel ex quo dicitur illa futura, aut præterita.

Etenim, cum dico, *Antichristus erit*, quod iudicatiuè cognosco, est existentia Antichristi respondens tempori, quod præsente, in quo eam iudico, posterius est. Vnde per tale iudicium duo iudicantur, expresè existentia Antichristi in proprio eius tempore, tacitè autem, seu virtualiter, quòd tale tempus posterius præsente est, in quo extat iudicium. Quo fit, vt conceptus obiectiuus iudicij duo etiam complectatur, directè quidem ipsam Antichristi existentiam in proprio tempore, ex connotato autem alterum tempus, cui correspondet de præsente iudicium ipsum, & relatè ad quod dictæ existentiæ tempus posterius denominatur. Ex quo patet, futuritionem rei in eo stare, quòd res sit existens in tempore, quod est posterius præsente, in quo, vel ex quo dicitur illa esse futura, vti in propositione statuimus. Eodemque prorsus modo philosophandum est de præteritione; nisi quòd hæc existentiam rei importat in tempore, quod prius est præsente, in quo, siue ex quo dicitur illa esse præterita. Vnde futuritio, præteritioque rei directè dicunt in suo conceptu, prima existentiam rei in tempore posteriore, secunda in priore, quàm præsens; ex connotato verò vtraque præsens ipsum, qua tale.

12 Sed dicet aliquis, hæc propositio est vera, *Hodie est futurus Antichristus, & ab æterno fuit futurus*. Ergo futuritio Antichristi, quam illa enunciat, iam hodie est, & ab æterno fuit. Non ergo consistit in existentiâ Antichristi, quæ erit in tempore posteriore prout connotante tempus præsens anterius, in quo Antichristus futurus dicitur. Respondeo eiusmodi propositionem duplicem sensum habere posse. Primum æquiualentem huic, *Hodie est verum, & ab æterno fuit verum, Antichristum fore*. Secundum huic, *Hodie, & ab æterno Antichristus erit*. Et in priore quidem sensu, in quo vera est, non enunciat directam, & propriè dictam futuritionem Antichristi, de qua in propositione agimus, sed veritatem eius, quæ vt summùm quasi reflexa, minùsque propria dici potest futuritio Antichristi. A qua veritate eatenus dicitur hodie esse, & ab æterno fuisse verum, Antichristum fore, quatenus hodie est, & ab æterno fuit iudicabile iudicio vero, Antichristum fore, iuxta doctrinam vniuersalem in quartâ suppositione traditam. In posteriori autem sensu, in quo prædicta propositio directam, & propriam enunciat futuritionem Antichristi, tantum abest, vt vera sit, quòd potiùs in terminis ipsis inuoluit repugnantiam, vt constat.

Ex quibus infero primò contra plerosque 13
Auctores quintæ sententiæ ex indicatis num. 9. rem existentem in aliquo tempore, eoque titulo semper quoad talem existentiam posteriorem omnibus temporibus præcedentibus, & priorem sequentibus, non eo ipso esse semper futuram propriâ, & directâ futuritione respectu omnium illorum, & respectu omnium horum præteritam, sed respectu vniuscuiusque tunc solùm, quando illud est præsens. Ob id dixi, futuritionem, præteritionemque rei de connotato importare in conceptu suo tempus præsens, qua tale. Ratio est conspicua: quia conceptus proprius futuritionis rei ipsissimum est obiectum huius propositionis, *Res erit*. Præteritionis autem huius, *Res fuit*. Constat autem ex se, & ex dictis, obiectum primæ totum hoc expresè, aut tacitè complecti, *Res erit existens in tempore, quod tempore nunc præsente posterius naturâ suâ est*. Obiectum autem secundæ hoc, *Res fuit existens in tempore, quòd tempore nunc præsente anterius suâ naturâ est*. Ex quo patet, aduentum Christi neutiquam dici iam posse esse futurum directâ, & propriâ futuritione, estò addatur respectiuè ad tempus anterius, in quo Mundus incæpit. Sicut neque aduentus Antichristi dici potest præteritus adhuc respectiuè ad tempus posterius, in quo Mundus finietur.

Nihilominùs res existens in aliquo tempore 14
eatenus dici potest semper futura, respectu omnium temporum præcedentium, præteritaque respectu omnium sequentium futuritione, præteritioneque reflexâ, & minùs propriâ, quatenus directa, propriæque futuritionis eius veritas, hoc est, indicabilitas per verum iudicium, omni tempori antecedenti respondet; præteritionis autem omni sequenti. Quo iure dicimus toto tempore ante aduentum Christi verum fuisse, Christum esse venturum; & toto tempore post aduentum Christi aut fuisse aut esse, aut fore verum, Christum venisse. Similiter toto tempore ante aduentum Antichristi aut fuisse, aut esse, aut fore verum, Antichristum esse venturum; & toto tempore post aduentum Antichristi verum fore, Antichristum venisse. In quo tamen etiam interuenit, vt cernitur, futuritio, præsentia, præteri-

teritoque propria, & directa veritatis prædictæ asserta à nobis de præsenti, atque adeò dicens in conceptu suo de connotato tempus præsens, qua tale.

15 Secundò infero contra nonnullos etiam ex prædictis Auctoribus, vt aliqua res sit futura, necessariùm non esse, quòd detur eius negatio, in tempore, in quo futura dicitur: pleráque enim hodie existentia, quorum proinde negatio hodie non datur, etiam in temporibus sequentibus existentia erunt; verèque proinde dicuntur hodie fore, siue futura esse in illis. Ex quo patet, eamdem rem benè posse esse simul præsentem, & futuram. Ad cuius distinctionem, quæ non est præsens, quo tempore futura dicitur, purè futura nuncupabitur; sicut res possibilis non existens, purè possibilis nuncupatur ad distinctionem rei possibilis, & simul existentis. Eodemque pacto de præteritione rei poterimus philosophari. Tametsi frequentiùs solùm dici soleat præterita res, quæ iam non existit.

16 Tertiò infero, quoties res in eodem tempore existentes ordinem aliquem prioris, & posterioris habent siue secundùm naturam, siue secundum nostram rationem, eam, quæ in signo posteriori est, futuram appellari posse comparatione signi prioris, præteritamque vice versâ, quæ est in signo priori, respectu signi posterioris; idque tum reflexâ futuritione, & præteritione, iuxta doctrinam suppositam num. 8. fine, tum etiam directâ, quæ semper ad reflexam supponitur. Tametsi loquutio hæc translatitia, atque adeò impropria sit.

17 Iam pro secundâ parte quæstionis noto primò, futuritionem, præsentiam, atque præteritionem rerum aliam absolutam, aliam conditionatam esse. Quia omnis status existentialis siue conditionatus, siue absolutus rursus in statum futuritionis, præsentiæ, & præteritionis diuidendus venit: eoquòd quidquid quoquo modo existit, in aliquo tempore existat, necesse est, vt diximus num. 5. omne autem tempus vel futurum esse debet, vel præsens, vel præteritum.

18 Secundò, futuritio, præsentia, & præteritio rerum siue absoluta, siue conditionata alia contingens est, alia necessaria: quia non solùm, quæ contingenter, sed etiam, quæ necessariò existunt, eas tres differentias, statusve existendi subire possunt: siquidem prout existentia in tempore futuro dici possunt futura, & præsentia prout in præsente, & præterita prout in præterito.

19 Tertiò, futuritio, præsentia, & præteritio rerum aut positiua esse potest, aut negatiua. Erit positiua, si rei positiuæ conueniat; negatiua autem, si negatiuæ, seu negationi rei. De quo plura sunt dicta in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 4.

20 Quartò, futuritio, & præteritio rerum aut determinata, aut vaga potest esse; idque vel ex parte ipsarum rerum futurarum, & præteritarum, vel ex parte temporum, in quibus illæ sunt futuræ, aut præteritæ. Erit ex parte rerum determinata, si res futuræ, aut præteritæ determinatæ sint; vaga autem, si vagæ, iuxta dicta de rebus, siue de veritatibus rerum vagis in dicta disput. 10. Phari Scient. quæst. 2. Ex parte autem temporum determinata erit, si mensuræ temporum in quibus res dicuntur futuræ, aut præteritæ, determinatæ fuerint. vt cùm dicimus, *Vigesimo ab hinc die erit pluuia*; *Trigesimo ab hinc retro anno natus est Petrus*. Vaga verò, cùm tales mensuræ vagæ fuerint, vt si dicamus, *In aliquo subsequentium annorum nasciturus est Antichristus*; *In aliquo præcedentium annorum natus est Christus*. Pariterque in similibus.

Quomodò autem iudicia nostra de præsenti, de præterito, & de futuro suapte essentiâ sint diuersa; neque vnum in aliud vllatenus transire possit. Quomodò item, rem esse futuram, esse præsentem, & esse præteritam, diuersæ veritates sint obiectiuæ comparatione nostri intellectus diuersis iudicijs, successuque temporis iudicabiles verè, & non aliter, in loco citato latè expositum, probatumque videndum est. 21

QVAESTIO III.

Vtrùm propositiones singulares, & absolutæ de futuro contingente, earumque obiecta determinatam veritatem, vel falsitatem habeant.

SEntentia negatiua fuit Epicureorum, vt refert Cic. lib. de Fato. Eademque tribuitur Aristot. lib. 1. Periherm. cap. 8. Necnon Aureol. in 1. distinct. 39. par. 1. artic. 1. Catherin. in libell. de Verit. enunc. Bassol. in 1. distinct. 38. quæst. 1. artic. 3. Ægid. ibid. quæst. 3. & Argent. distinct. 4. quæst. vnic. artic. 3. Quibus ex modernioribus annuere videntur Molin. 1. par. quæst. 14 disput. 17. §. *Verumtamen*. Fonse. lib. 4. Metaph. cap. 7. circa textum, & lib. 3. Institut. cap. 6. Henr. in Sum. lib. vlt. de Fine homin. cap. 4. Bellar. lib. 4. de Grat. & liber. arbit. cap. 15. Tolet. in Logi. lib. 1. Periherm. cap. 8. fine, & Petaui. tom. 1. Theol. dogm. cap. 7. num. 11. Hi tamen posteriores, vt ex earum contextibus licet colligere, à communi Scholasticorum sententia affirmatiua neutiquam censendi sunt dissensisse. 22

Communis autem, affirmatiuaque sententia Scholasticorum absolutè pronunciat, propositiones singulares, & absolutæ de futuro contingente determinatè veras, vel determinatè falsas esse. Quod ita proximum fidei censet Ruiz disput. 23. de Scient. sect. 2. vt oppositum non careat erroris periculo. Fuisseque oppositam sententiam Romæ damnatam, testatur Brulefer in D. Bonau. in 1. distinct. 38. artic. 2. quæst. 1. Hæc tamen sententia communis bipartita est. Nam alij censent eiusmodi propositiones formaliter participare suam veritatem, aut falsitatem determinatam à decreto Dei efficaci, determinatèque connexo cum euentu futuro, ita, vt præscindendo à tali decreto nec veræ illæ, nec falsæ determinatè sint. Ita Aluarez lib. 2. de Auxil. disput. 7. & 13. Ioan. à S. Tho. 1. par. quæst. 14. disput. 19. artic. 2. Carmel. discalc. 1. par. disput. 7. dub. 2. Hieron. Vius nonissimè in tract. de Primatu diuinæ libertatis disput. 1. 10. & 18. Vbi cum alijs Thomistis latè etiam contendit, veritatem obiectiuam euentus futuri, & eius futuritionem per dictum decretum Dei constitui intrinsecè. Idem cum Scoto in 1. distinct. 39. quæst. vnic. §. *Viso de Contingentiâ*; & quodlib. 14. §. *Hic intelligendum est*. & cum alijs Scotistis tenet Theodorus Smising. tract. 3. de Deo vno disput. 2. quæst. 4. num. 73. & 129. Nisi quòd decretum Dei supradictum prædeterminatiuum ponitur à Thomistis; ab Scotistis verò non item. Quibus 23

omni-

omnibus concinunt Recentiores quidam ex nostris, quatenus asserunt, prædictas propositiones ab aliquo de præsenti existente, & determinatè connexo cum euentu futuro suam sortiri veritatem, aut falsitatem determinatam, sumptas verò cum præcisione ab eo connexo neque veras, neque falsas esse determinatè. Ita Anton. Perez in 1. par. disput. 3. de Scient. Dei cap. 4. §. 3. & 8. sæpeque alibi, & Gasp. de Ribadeneira tom. de Scient. disput. 13. Qui tamen ibid. & antea disput. 10. veritatem obiectiuam, futuritionemque euentus futuri per ipsum euentum postea extiturum, & negationem eius præsentem præscindendo à dicto connexo constituit cum communi Nostrorum. Cæteri verò Theologi communiter censent, supradictas propositiones determinatam habere veritatem, aut falsitatem præscindendo ab eo, quòd sit, aut non sit de præsenti, siue, quando ipsa existunt, decretum Dei, aut aliud quidpiam determinatè connexum cum euentu futuro. Ita Soar. in Opusc. lib. 1. de Scient. futur. cap. 2. Vazq. 1. par. disput. 66. Arrub. disput. 40. Fasol. 1. par. quæst. 14. artic. 13. Herice disput. 6. Ruiz vbi supra, Franc. de Lugo lib. 1. de Deo disput. 29. Bonrul disput. 1. de Scient. futur. Conimb. lib. 1. Periher. cap. 8. quæst. vnic. Pet. Hurta. disput. 9. de Anim. sect. 6. Arriag. disput. 14 Logi. sect. 5. Ouied. contro. 7. de Anim. punct. 5. Lynce lib. 10. Dialect. tract. 4. Carlet. disput. 40. Logi. & apud eos alij pene innumeri. Qui communiter aut supponunt, aut exprimunt, euentus futuros determinatam quoque veritatem obiectiuam, atque futuritionem habere re ipsa indistinctam ab existentia, quam habebunt in tempore posteriore; prout connotantem tempus anterius præsens, ex quo dicuntur fore, siue esse futuri, aut etiam suam negationem in ipso; atque adeò præscindendo ab eo, quòd in tali tempore anteriore sit, aut non sit quidpiam determinatè connexum cùm ipsa suâ existentia postea futurâ. Vtrùm autem Aristoteles supradictis propositionibus veritatem, aut falsitatem determinatam reuerà negauerit, sub controuersia est. Affirmant Soar. Vazq. Conimb. & alij. Negant plerique ex antiquioribus, vt Boet. Ricar. Mai. Och. Gabr. Scot. Lych. Aliac. Abul. Sot. Cord. Palat. imo & S. Tho. si attentè legatur in comm. Aristot. Quos refert, & sequitur Ruiz vbi supra sect. 5. interpretantes in bono sensu verba Philosophi.

Propositio 1.

24 Quæuis propositio singularis, & absoluta de futuro contingenti determinatè est vera, aut determinatè falsa. Neque possibile est, vt non sit eiusmodi.

Probatur hæc propositio primò auctoritate Patrum, qui aut illam exprimunt, aut planè indicant, vel supponunt. Hi sunt Ansel. in Monol. cap. 17. post medium, & in Dialog. de Verit. cap. 2. & 11. August. lib. 26. contra Faustum cap. 4. & 5. & lib. 2. de liber. arbit. cap. 12. versùs finem; atque etiam lib. 3. cap. 4. tum lib. de Verâ relig. cap. 20. Athanas. Serm. de passione, & cruce Domini circa principium. Hugo Vict. lib. 1. de Sacramentis par. 2. cap. 22. Boet. lib. 5. de Consol. prosa 5. & 6. & in comment. ad lib. 1. Periherm. Quorum testimonia habes apud Ruiz disput. 23. citatâ sect. 2. Eamdem veritatem supponunt omnes Patres, qui agentes de Scientiâ Dei docent, non ideo aliquid contingens esse futurum; quia Deus præsciuit, illud futurum esse; sed è conuersò, idcirco Deum præsciuisse, illud futurum esse; quia reuerà futurum erat. Hi sunt Iustinus, Athanasius, Chrysost. Cyrill. Alexan. Epiphan. Origenes, Eusebi. Cæsari. Damasc. Hieron. August. Leo mag. Beda, Gaudenti. & alij; quorum testimonia refert Ruiz disput. 36. de Scientiâ. Etenim, si Deus præsciuit ab æterno, rem esse futuram; quia ea in se futura erat; sequitur planè, eam à suis causis esse futuram determinatè, quando Deus, illam esse futuram, determinatè præsciuit.

Secundò probatur propositio ratione theologicâ, quam tetigit Anselmus lib. de Concordiâ præscientiæ cum libertate cap. 1. Deus habet præscientiam determinatam, certam, & infallibilem, qua ab æterno determinantè nouit, ex duobus contradictorijs contingentibus, & singularibus alterum determinatè futurum esse, alterum non esse futurum determinatè. Quod est certum secundum fidem, vt ostendetur quæst. 4. Ergo ab æterno ex ijs duobus contradictorijs alterum verè erat futurum determinatè, alterum determinatè etiam non erat futurum. Ergo propositiones significantes eam futuritionem, & non futuritionem veræ determinatè essent, quotiescunque ab aliquo proferrentur. Patet consequentia. Quia circa obiectum determinatè verum non potest non esse enunciatio determinatè vera, vt constat. Tum enunciatio respondens cognitioni determinatè veræ, qualis est scientia Dei, non potest non esse vera determinatè, vt satis etiam notum est. 25

Huius rationis vi coactus Aureolus vbi supra ausus est dicere, Deum non præsciuisse determinatè, alterum è duobus contradictorijs esse futurum, sed indifferenter, & disiunctim nouisse, fore vnum, vel alterum. Cæterùm, quàm sit contraria fidei doctrinæ hæc, atque etiam rationi naturali, benè obseruauit Boetius lib. de Consol. prosa 3. inter medium, & finem. Et verò, si Deus tantùm sub disiunctione ea duo contradictoria fore cognosceret, quæ esset præstantia scientiæ eius? Cùm rudis quisque homo euidenter sciat, ex duobus contradictori s vnum, aut alterum sub disiunctione necessariò futurum. Quinimo, cùm hoc obiectum disiunctum prorsus sit necessarium; eoquòd quodlibet necessariò aut est, aut non est iuxta commune axioma; qui solam talis disiuncti scientiam attribuit Deo, omnem præscientiam contingentium futurorum denegat illi, & solùm relinquit scientiam necessariorum. Quod planè est contra dogma fidei quæst. 4. stabiliendum. 26

Sed vrgeamus Aureolum, & confirmemus ampliùs nostram rationem. Deus per se, aut per suos Prophetas multa futura contingentia prædixit, determinatè, & sine vllâ disiunctione, vt passim cernitur in Scripturâ. Ergo non cognouit tantùm, illa fore, vel non fore sub disiunctione, sed fore determinatè. Alioquin Deus mendax esset apertè, determinatè pronuncians, id esse futurum, quod non iudicabat fore determinatè, sed disiunctim fore, vel non fore. Veluti, si ego, qui iudico sub disiunctione, vel morituram Petrum cras, vel non morituram, determinatè affirmarem, *Petrus cras morietur*. Deinde, cùm Deus dicit in Scripturâ, aliquid contingens esse futurum, aut est vera determinatè ea reuelatio; aut non est vera determinatè. Si primum; 27

mum ; habemus, quod intendimus ; cùm ea sit propositio de futuro contingenti. Si secundum ; duo sequuntur absurda. Primum est, verba Dei non esse vera absolutè, sed vera, vel falsa. Secundum est, ex vi eius reuelationis neque teneri, neque posse nos credere, id esse futurum, quod per eam dicitur fore; sed tantùm, id futurum esse, vel non futurum. Vt quid ergo fides? Cùm illud disiunctum ante omnem fidem euidentissimè sciamus. Quæ omnia quàm sint absurda, nemo non videt.

28 Respondet Catharinus citato opusculo, & cum eo alij, propositionem quidem de futuro contingenti esse veram determinatè, quatenus reuelata est à Deo, vel ab eo scita; eoquòd habeat illam Deus in suâ æternitate præsentem. Si verò referatur ad causam, ex qua futura res est, alteram partem contradictionis distinctè non esse veram, sed veram, vel falsam. Hæc tamen solutio parui momenti est, vt benè Vazq. supra num. 10. Primò; quia, quidquid determinatè est præsens Deo in æternitate, non potest non esse determinatè futurum in aliquo tempore. Ergo propositio, quæ affirmat, illud esse futurum, determinatè est vera, etiam relatè ad futuritionem, quam res à suis causis est habitura. Secundò; quia fieri nequit, vt illud, quod Deus cognouit in tempore futurum, non sit futurum, vndecunque proueniat ea futuritio. Ergo neque fieri potest, vt non sit vera determinatè enunciatio, quæ enunciat illud in tali tempore futurum. Iam verò, quòd à causis indifferentibus ea res sit futura, nihil refert, vt sit futura determinatè, vt constabit ex dicendis. Alioquin, si indifferentia causæ effectus impediret determinationem, neque posset sciri à Deo, aut affirmari, talem effectum futurum esse determinatè; (quod non audet Catharinus asserere). Quippe Deus nequit iudicare, aut dicere, esse determinatè futurum id, quod non est futurum determinatè: falleretur enim, & esset mendax, vt dicebamus. Accedit, quòd præsentia futurorum in æternitate nihil ad præscientiam Dei confert, prout supra disput. 9. quæst. 2. ostensum est.

29 Iam verò rationibus philosophicis agamus. Primùm sic. Hæc propositio, *Petrus peccabit*, determinate significat, affirmatque, peccatum Petri futurum esse, vt patet: non enim affirmat, peccaturum, vel non peccaturum Petrum sub disiunctione, sed peccaturum determinatè. Vel igitur peccatum Petri futurum est; vel non est futurum: inter hæc enim duo, cùm sint extrema contradictoria, non datur medium, vt sæpe docet Aristot. præsertim lib. 4. Metaph. textu 27. iuxta illud euidentissimum axioma, *Quodlibet est, vel non est*. Si est futurum; dicta propositio vera erit determinatè: si non est futurum; falsa erit determinatè. Ergo.

30 Dices, peccatum Petri futurum esse, vel non futurum, sub disiunctione; non tamen esse futurum determinatè, aut non futurum determinatè. Quemadmodùm necessarium sub disiunctione est, Petrum peccare modò, vel non peccare; neutrum tamen ex his contradictorijs determinatè est necessarium; cùm vtrumlibet sit contingens. Sed contra primò. Quia iam hoc est, admittere medium inter extrema contradictoria contra statutum, ac euidentissimum axioma. Contra secundò. Cùm dicis, *Peccatum Petri non esse futurum determinatè*, aut hæc tua assertio determinatè est vera, aut vera tantùm, vel falsa sub disiunctione. Si hoc secundum; inepta tua responsio est; quandoquidem tu ipse putas, eam non magis veram, quàm falsam esse. Si autem dicas primum. Ergo iam propositio singularis de futuro contingenti, qualis tua est, determinatè est vera. Etenim hæc tua propositio *Peccatum Petri non est futurum determinatè* eumdem sensum, idemque obiectum habet cum hac, quæ citra dubium est singularis de futuro contingenti, *Peccatum Petri non est futurum*; quia æquè per vtramque negatur futuritio determinata peccati Petri: neque particula *determinatè* adiecta priori sensum variat, hoc ipso, quòd posterior in actu exercito non vagam, sed determinatam futuritionem peccati negat, quod solùm præstat prior in actu signato per talem particulam. Confirmatur. Proferente me hanc enunciationem in sensu omnino determinato, *Petrus peccabit*, aut negas illam, aut concedis; (nulla quippe enunciatio est, quæ non possit aut concedi, aut negari, vt notum est Logicis). Si concedis; æquiualenter illam repetis. Ergo censes, esse veram in sensu determinato, quo à me profertur. Si negas: æquiualenter pronuncias suam contradictoriam; quam subinde in eodem sensu veram existimas; cùm tamen huius etiam obiectum sit futurum contingens. Ex duobus ergo contradictorijs contingentibus alteram determinatè veram, alteram determinatè falsam esse iam putas. Quod priùs negabas.

31 Deinde argumentor. Si ex duobus extremis contradictionis contingentibus neutrum est determinatè futurum; confestim sequitur, necessariò admittendas esse duas contradictorias simul falsas: consequenterque è medio auferendum principium illud euidentissimum. *Quodlibet est, vel non est*. Quod quidem & rationi naturali, & ipsi Aristoteli aduersatur. Id autem sequi, sic ostendo. Nam hæc enunciatio falsa erit *Peccatum Petri est futurum*; vtpote quæ affirmat, fore determinatè peccatum, quod non est determinatè futurum. Similiter hæc illius contradictoria falsa erit *Peccatum Petri non est futurum*; quia determinatè negat, fore peccatum, cuius negatio non est determinatè futura. Etenim, si neutrum eorum extremorum determinatè futurum est, non potest non falsum asserere, qui de quouis eorum affirmat, determinatè esse futurum. Sicut, quia neuter oculorum determinatè ad videndum est necessarius, sed tantùm vnus, vel alter sub disiunctione, non posset non falsum asserere, qui diceret de quouis eorum determinatè, esse ad videndum necessarium. Iam, positis simul falsis duobus contradictorijs, euelli penitus necesse est illud principium, *Quodlibet est, vel non est*. Nam, si falsum est dicere de aliquo, quòd est, atque etiam est falsum dicere, quòd non est, apertè sequitur, illud neque esse, neque non esse. Nequit enim falsa esse vtraque contradictoria enunciatio, nisi vtrumque contradictorium enunciatum re ipsâ desit; contra id, quod stabilitur per dictum principium vt prorsus certum, & notissimum.

32 Quod quàm sit contra Aristot. & Cicer. quos pro se aduocant Aduersarij, ex eorum verbis palam fiet. Ille enim lib. 1. Periherm. cap. 8. prope medium loquens de futuro contingenti ita habet, *Neque dicere quisquam potest, neutrum esse verum, veluti neque fore, neque non fore*. Et mox, *Si autem neque erit, neque non erit cras, non erit vtrumlibet, vt nauale bellum. Oportebit enim*

neque

neque fieri nauale bellum, neque non fieri. In quem locum ita Boetius, *Qui Aristotelem, arbitrati sunt, vtrasque propositiones in futuro falsas arbitrari; si hæc, quæ nunc dicit, diligentissimè perlegissent, nunquam tantis laberentur erroribus.* Cicero autem lib. de Fato inter medium & finem num.28. ait: *Ex his, necesse est, alterum verum esse, alterum falsum, vt sauciabitur Philoctetes, omnibus ante saculis verum fuit, non sauciabitur, falsum. Nisi forte volumus Epicureorum opinionem sequi, qui tales enunciationes nec veras, nec falsas esse dicunt: aut, cùm id pudet, illud tamen dicunt, quod est impudentius; veras esse ex contrarijs disiunctiones, sed quæ in his enunciata essent, eorum neutrum esse verum. O admirabilem licentiam, & miserabilem insitiam differendi? si enim aliquid in eloquendo nec verum, nec falsum est, certè id verum non est: quod autem verum non est, quì potest non falsum esse? aut quod falsum non est, quì potest non verum esse? Tenebitur id, quod à Chrysippo defenditur, omnem enuntiationem aut veram, aut falsam esse. Ratio ipsa cogit, & ex æternitate vera esse quædam, & ea non esse connexa causis æternis, & à fati necessitate esse libera.* En quàm egregiè Cicero argumentatur. Cum enim ex duobus contradictorijs non possit non alterum verum, & alterum falsum esse determinatè, vt constat ex supradicto principio, sæpeque docet Aristot. tanquam quid notissimum, vt videre est lib.1. Periherm. cap.6. & 8. lib.4. Metaph. textu 9. & 27. & lib.6. textu 20. & lib.3. de Ani. cap.6. alijsque in locis, si non est verum determinatè, Petrum peccaturum, consequitur planè, verum esse determinatè Petrum non peccaturum. Tum hoc determinatè esse falsum, si primum determinatè falsum non est. Certissimum siquidem est, Petrum peccaturum, & Petrum non peccaturum, contradictoria esse.

33 Præterea propositio nostra hoc argumento probari potest, quo vtitur ipse Aristot. dicto cap.8. *Si est album nunc, verum erat dicere priùs, quoniam erit album; quare semper verum fuit, dicere quodlibet eorum, quæ facta sunt, quoniam est, vel erit.* Si enim, verum est dicere hodie de Petro determinatè, *Petrus peccat*, quo pacto fiet, vt non fuerit etiam heri verum, *Petrus peccabit*? Esse autem verum de præsenti, aliquid, quantumuis contingens, determinatè esse, aut determinatè non esse, omnes supponunt tanquam certum cum Aristot. cap. citato sub initium. Ex quo sic argumentum premo. Non minùs est contingens, & indifferens ad vtrumlibet peccatum Petri in instanti præsenti pro eodem instanti præsenti, quàm pro instanti futuro. Ergo, si contingentia pro præsenti instanti non tollit, quin sit verum determinatè asserere, esse nunc, aut non esse peccatum Petri; neque contingentia pro instanti futuro tollet, quin determinatè sit verum, peccatum Petri fore, aut non fore. Consequentia est etudens. Nam ex solâ contingentiâ iuxta aduersam sententiam prouenit, vt non possit esse determinatè verus euentus contingens futurus: quandoquidem, euentum necessarium futurum non posse non esse verum determinatè, apud omnes est in confessò. Antecedens autem probatur. Quia rerum contingentia non oritur ex futuritione; aliàs nihil esset necessariò futurum, quod est absurdum; sed ex indifferentiâ causarum: ad indifferentiam autem causarum parum, vel nihil conducit futuritio. Quippe eiusmodi indifferentia in eo est, vt causa ad vtrumuis sit potens, ad producendum scilicet, & non producendum effectum: eiusmodi autem potentia ad vtrumuis non esset in causâ nunc pro tempore sequenti, nisi in eodem tempore sequenti esset quoque futura. Si enim causa, accedente instanti futuro, non est habitura indifferentiam ad operandum pro tunc, & non operandum; nec modò dici potest illam habere. Nam vnumquodque id tantùm dicitur præstare posse in tempore futuro, quod, eo tempore accedente, poterit de præsenti præstare: eoquòd potentia ad futurum remota est: potentia autem remota sine proximâ constare nequit, vt est notissimum. Esse autem remotam patet. Quia, posse Petrum peccare cras, non est posse proximè ex nunc committere peccatum crastinum, antequàm accedat crastinus dies: sed posse nunc cum crastino die coniungi, quo accedente, potentiam iam habebit proximam ad peccandum in illo. Hæc certa. Ergo. Cùm igitur peccatum Petri non sit minùs indifferens ad essendum, & non essendum in instanti præsenti, quàm in tempore futuro; quinimo indifferentia, quam habere dicitur modò, vt sit imposterùm, aut non sit, ipsissima sit, quam de præsenti habebit, quando futurum tempus præsens reddatur. Conficitur planè, eius indifferentiam ad fore, vel non fore nihilo magis obesse determinatæ veritati, vel falsitati huius enunciationis, *Petrus peccabit*, quàm indifferentia ad esse, vel non esse obest veritati, aut falsitati determinatæ huius, *Petrus peccat*. Atque idcirco, si hæc enunciatio non potest non esse vera, aut falsa determinatè vt fatentur omnes; neque illa poterit non esse determinatè vera, aut falsa. Accedit, quòd præteritum contingens determinatè est præteritum, vt Aduersarij confitentur; etiam si contingenter præterierit. Ergo futurum contingens determinatè erit futurum, etiamsi contingenter futurum sit. De vtroque enim, quod ad rem attinet, eadem ratio est; vt constat.

Insuper sic demonstrari potest veritas, quam 34
intendimus. Possibile est, hanc propositionem esse determinatè veram, *Petrus cras peccabit*. Ergo ex eo, quòd de facto sit vera, nihil sequitur impossibile. Consequentia est bona. Probo antecedens. Possibile est citra omne dubium, Petrum cras determinatè peccare. Ergo futuritio determinata peccati Petri crastini possibilis est. Sed talis futuritio est obiectum propositionis assignatæ. Ergo possibile est, eius obiectum determinatè fore; & consequenter eam determinatè veram esse. Quod erat probandum.

Confirmatur tota hæc doctrina. Primò; 35
quia nihil est indeterminatum quoad existentiam de præsenti, vt apud omnes est in confessò. Ergo nec de futuro. Nam id ipsum, quod est præsens, accedente suo tempore, antequàm illud accederet, erat futurum. Confirmatur secundò; nam indifferentia causæ non facit, esse indeterminatum effectum, et si faciat, esse eum liberum, vel contingentem: eoquòd effectus idem *esse* participat à suâ causâ, siue ea sit indifferens, siue determinata; hoc solùm interueniente discrimine, quòd causa indifferens producit effectum, potens eum non producere; determinata verò, non potens: quod existentiæ effectus extrinsecum est, & accidentarium, siue talis existentia præsens, siue futura sit. Confirmatur tertiò; quia propositio de futuro necessario determinatè est vera, aut falsa apud omnes. Ergo & de contingenti. Nam hoc discrimen oriundum ab indifferentiâ, vel determinatione causarum impertinens est ad obiectum

earum propositionum, quod pono esse præcisam existentiam effectus pro sua duratione. Tali enim existentiæ extrinseca est, vt nuper dicebam, & accessoria indifferentia, aut determinatio principij. Confirmatur quartò; quia propositio de præterito contingenti etiam est determinatè vera, vel falsa secundùm omnes. Ergo tantumdem est dicendum de propositione de futuro contingenti. Consequentia videtur bona. Siquidem ambarum propositionum obiectum & contingenter, & à causâ indifferente, & in tempore non præsente, sed à præsente distante habet suum *esse*; impertinensque prorsus videtur ad rem, quòd tale tempus sit præteritum, vel sit futurum. Confirmatur quintò; quia effectus contingens siue præsens, siue futurus, licèt antecedenter sit contingens; quia indifferenter à suis causis potest esse, & non esse: consequenter tamen est necessarius necessitate ex suppositione iuxta axioma Aristotelis cap. illo 8. sæpe citato. *Omne quod est, quando est, necesse est, esse.* Quidquid autem est necessarium etiam consequenter, non potest non esse cognoscibile, & verum iuxta Aduersariorum doctrinam. Nam, si apud eos necessitas antecedens orta ex determinatione causæ effectum etiam vt futurum facit determinatè verum, & cognoscibile; cùm tamen ea ipsi effectui extrinseca sit; quanto meliùs id præstabit necessitas consequens conueniens effectui intrinsecè à proprio *esse*, quod in se habet? Hæc satis pro veritate comperta iam fere apud omnes. Venio ad diluenda argumenta, quæ contra illam possunt opponi.

36 Sit primùm. Si propositio de futuro contingenti determinatè sit vera, necessariò erit vera: erit enim vera ab æterno; cùm non possit signari tempus, in quo cæperit esse vera. Quidquid autem ab æterno est, necessariò est. Ob id namque Philosophi solas necessarias propositiones æternæ veritatis appellant. Si autem enunciatio de futuro necessariò sit vera, nequibit prorsus, quod per eam enunciatur, non fore. Quo fiet, vt omnis libertas arbitrij corruat: frustreturque consultatio quælibet de futuris. Quidquid enim necessariò futurum est, arbitrio, & consultationi non est subiectum, vt patet. Respondeo, propositionem determinatè veram ab æterno esse veram, vt quæstione præcedenti explicuimus. Hinc tamen non sequitur, eam veritatem esse necessariam simpliciter, hoc est, necessitate antecedenti, sed tantùm secundùm quid necessitate consequente, siue ex suppositione: qua etiam ratione sunt necessaria decreta æterna Dei, quibus ab æterno, liberè tamen, decreuit creare Mundum, & vniuersas creaturas efficere. Cùmque necessitas consequens ab exercitio libero arbitrij dependeat; fit, vt per illam libertas nullo modo lædatur; neque consultatio circa contingentia frustretur. Et quamuis Philosophi communiter solùm propositiones necessarias soleant vocare æternæ veritatis, eoquòd nulla potentia potuerint non esse veræ ab æterno; non inde tollitur, propositiones contingentes æternam veritatem habere. De quo satis iam est dictum quæstione præcedente. Viderique possunt loca Augustini & Anselmi cita ad rem à nobis in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 3.

37 Secundò obijci potest. Si propositio de futuro contingente determinatè vera sit, hæc argumentatio erit bona. *Verum est dicere modò, Petrum cras peccaturum esse. Ergo Petrus cras peccabit.* Igitur impossibile est, vt Petrus cras non peccet. Si enim id esset possibile; fieri etiam posset, vt ex antecedente vero in bonâ consequentiâ deducatur consequens falsum. Quod est absurdum. Respondeo, in consequentiâ assignatâ non posse consequens falsum esse, quin etiam antecedens falsum reddatur, vt patet: quo cessat periculum, vt ex antecedente vero in consequentiâ bonâ consequens falsum deducatur. Simpliciter tamen manere possibile, quòd Petrus cras non peccet, adhuc suppositâ veritate tam antecedentis, quàm consequentis dictæ argumentationis. Nam tota impossibilitas negationis peccati crastini Petri consequens est, & ex suppositione, quòd ipse sponte suâ est peccaturus; atque adeò tantùm est necessitas secundùm quid cum libertate, & contingentia talis peccati compatibilis. Ex cuius etiam liberâ, futuràque suppositione nascitur, quòd verum sit asserere hodie, Petrum cras peccaturum.

Tertiò obijci potest. Possibile est, vt aliqua 38
duo sub disiunctione vera sint, quorum neutrum sit verum determinatè. Ergo fieri potest, vt, licèt verum sit sub disiunctione, futurum peccatum Petri, vel non futurum, neutrum eorum extremorum determinatè verum sit. Ergo non est, vnde repugnet, propositionem de futuro contingenti nec veram, nec falsam esse determinatè; cùm tamen sit vera, vel falsa sub disiunctione. Consequentiæ videntur bonæ. Antecedens autem probatur. Nam verum est sub disiunctione, dextrum, vel sinistrum oculum requiri ad videndum; de neutro tamen eorum determinatè est verum, quòd ad videndum requiratur. Similiter, suppositâ intentione efficaci finis, verum est, hanc, vel illam medij electionem necessariò sequendam esse; de nullâ tamen determinatè est verum sequendam esse necessariò. Quinimo ex duobus quibusque contradictorijs contingentibus alterutrum vagè, seu disiunctim acceptum simpliciter est necessarium; cùm tamen neutrum eorum determinatè simpliciter necessarium sit. Hoc argumentum, si quid probat, probat vtique, fieri posse, vt nulla propositio de obiecto contingenti siue futuro, siue præsenti, siue præterito sit vera, aut falsa determinatè. Quod nemo vnquam dixit. Quare nihil probat. Respondeo ergo, negando antecedens. Impossibile enim est, vt aliqua duo sub disiunctione vera sint, quorum neutrum determinatè sit verum. Nam ex hoc fieret, dari à parte rei aliquod ens indeterminatum. Quod planè repugnat. Neque exempla in probationem antecedentis adducta, & similia, quæ adduci possent, id probant. Nam illis vt summùm conficitur, dari verum, determinatumque respectum seu necessitatis, seu connexionis exposcentem vt proprium terminum vnum, vel alterum ex duobus extremis sub disiunctione, & neutrum determinatè. Non tamen, quòd huiusmodi extrema sint in se vera entia tantummodò sub disiunctione. Esse enim vnum, vel alterum oculorum requisitum ad videndum, cùm neuter determinatè sit ad id requisitus, nihil est aliud, quàm visionem vt sic cum alterutro oculorum esse connexam vagè, determinatè autem cum neutro. Similiter, sequendam ex intentione finis necessariò iftam, aut alteram electionem, aliud non est, quàm talem intentionem necessariò connexam esse cum alterutrâ earum electionum, quarum neutram poscit determinatè. Et vniuersim, esse alterutrum ex duobus cõtradictorijs contingentibus necessarium vagè, cùm neutrum sit tale determinatè, idem est, ac repugnare, vt vtrumque simul

mul desit; cùm tamen quodvis eorum benè possit deficere; quod est, necessitatem essendi ad alterutrum vage, ad neutrum autem determinatè terminari. Dixi, prædictis, & similibus exemplis vt summùm probari, dari verum respectum terminatum ad duo extrema tantùm simul sub disiunctione. Nam & hoc arbitror impossibile: æquè enim videtur mihi repugnare, quòd respectus verus re ipsâ ad ens indeterminatum se habeat, seu ad illud tanquam ad terminum terminetur, quàm, quòd à parte rei detur ens indeterminatum. Censeo ergo; quoties aliquid cum vno, vel altero ex duobus extremis sub disiunctione connecti dicitur, & cum neutro determinatè, vti in exemplis adductis, & in similibus contingit; eiusmodi connexionem reuerà non absolutam, & disiunctiuam ex parte termini, sed conditionatam esse, & determinat 1. Connecti enim intentionem finis cum hac, vel illâ electione medij sub disiunctione, reuerà nihil aliud est, quàm connecti determinatè cum vnâ sub conditione, quòd desit altera, & vice versâ. Pariterque in similibus. De quo plura videnda sunt scripta in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. Ex quibus patet solutio ad argumentum factum.

39 Denique obijcitur. Ab eo, quòd res est; vel non est, propositio dicitur vera, vel falsa. Sed futurum contingens non est, quando profertur propositio. Ergo nec talis propositio determinatè est vera. Hæc obiectio pugnat contra veritatem propositionis de obiecto præterito, & de futuro necessario; necnon contra veritatem scientiæ diuinæ præcedentis suum obiectum per æternitatem. Ex quo patet, eam nihil valere. Respondeo ergo propositionem veram, aut falsam esse ab eo, quòd res est, vel non est in tempore importato per eius verbum, non in alijs temporibus.

40 Ex quibus omnibus liquidò constat, obiecta etiam propositionum contingentium, de quibus agimus, vera determinatè, vel falsa esse. Nam veritas vel falsitas formalis enunciationum, siue cognitionum, & veritas, vel falsitas obiectiua rerum vicissim, & inseparabiliter referuntur; vt constat.

Propositio 2.

41 **Probabilius mihi est, nusquam Aristotelem voluisse, veritatem, aut falsitatem determinatam denegare enunciationibus singularibus de futuro contingenti; sed tantùm determinatam necessitatem.**

Moueor primò; quia Aristoteles lib. de Diuinatione per somnium apertè supponit, Deum determinatè præscire futura contingentia, multaque earum persæpe vera ab hominibus diuinari. Et lib. 3. de Historiâ animalium refert oraculum cuidam Lemnio exhibitum de quodam contingenti futuro. Et lib. 4. Rethor. ad Theodectem cap. 15. docet. *De futuris esse testes oraculorum interpretes.* Lib. autem de Mundo loquens de Parcis Lachesim norat præesse rebus futuris. Libroque de Admirabili auscultatione §. In Cuma contedit, fatidicam fuisse Sybillam. Præterea ex Cicerone lib. 1. de Diuinatione num. 49. constat, sensisse Aristotelem, oracula de futuris contingentibus esse vera. Secundò moueor; quia demonstrationes à nobis pro sententiâ verâ productæ proposit. 1. omnes nituntur principijs Aristotelicis traditis etiam in eo capite, vbi oppositam sententiam docere videtur. Neque credibile est, tantum virum tam apertè desciscere à suismet principijs.

Igitur Aristot. in dicto cap. 8. lib. 1. Periherm, 42
etsi videatur absolutè negare veritatem, & falsitatem determinatam propositionibus singularibus de futuro contingenti, non est censendus quamlibet veritatem, & falsitatem eis denegare, sed tantùm eam, quæ determinatè est necessaria absolutè, & simpliciter, hoc est necessitate antecedente. Quod non tam est, veritatem, & falsitatem determinatam, quàm necessitatem determinatam negare dictis enunciationibus. Ita eum interpretantur Auctores relati supra num. 23. Colligiturque non obscurè ex eodem textu. Nam versùs finem eius capitis ita habet. *Esse quidem, vel non esse omne necesse est, & futurum esse, vel non: non tamen diuidentem dicere alterum necessarium. Dico autem, & necesse est, futurum bellum nauale cras, vel non futurum esse; non tamen, fieri cras bellum nauale, necesse est, neque non fieri: fieri tamen, vel non fieri necesse est. Quare, cùm similiter orationes veræ sint, quemadmodùm & res; manifestum est, quòd quæcunque fie se habent, vt sunt, vtrumlibet contingit, & contraria suscipiant, ne esse est se habere, & contradictionem: quod contingit in ijs, quæ non semper sunt, vel non semper non sunt horum enim, necesse est, alteram partem contradictionis veram esse, vel falsam, non tamen hanc, vel illam, sed vtramlibet contingit.*

Itaque, inquit Aristot. ex duobus contra- 43
dictorijs contingentibus vnum, vel alterum esse, necessarium est disiunctim; neutrum tamen determinatè sumptum necessariò est. Quod planè est certissimum, loquendo de necessitate antecedente, quæ dicitur simpliciter, & absolutè necessitas. Ex quo euidenter sequitur, neutram ex enunciationibus contradictorijs determinatè sumptam necessariò esse veram necessitate antecedente. Tametsi altera determinatè vera, & altera determinate falsa sit necessariò necessitate consequente; qua vnumquodque ex supqositione, quòd est, aut non est, necessariò est, aut non est; vt constat ex se, & ex ipso Aristotele.

Propositio 3.

Ad veritatem, vel falsitatem determinatam propositionis singularis, & absolutæ de fururo contingente formaliter constituendam neque vllum decretum Dei prædefinitiuum, neque aliud quidpiam præsens est necessarium, quod cum tali futuro, vel cum eius contradictorio determinatè, & absolutè connexum sit. 44

Hæc propositio contra Thomistas, & Scotistas exigentes ad veritatem determinatam dictarum propositionum decretum Dei absolutè, determinatèque prædefinitiuum euentus futuri, probatur. Primò; quia tale decretum, si prædeterminatiuum sit, vti à Thomistis ponitur, respectu cuiusuis actus liberi voluntatis creatæ impossibile est, vtpote ipsius libertati aduersum, prout suo loco ostendemus. Si autem citra prædeterminationem aliam immediatè exequutiuum, & antecedens sit, quale plerique Scotistæ adstruunt, etiam opponitur libertati creatæ iuxta

ibidem dicenda; atque ita respectu actus futuri etiam est impossibile. Secundò; quia saltem est impossibile tale decretum, vt & ipsorum Auctorum permulti censent, respectu peccati: quod Deus multis ex titulis prædefinire non potest; & tamen Deus determinatè cognoscit, sæpeque determinatè reuelat peccatum futurum. Quod stare non posset, nisi futuritio peccati, atque adeò & propositio enuncians illam determinatè vera esset independenter à tali prædefinitione; vt probat argumentum theologicum factum pro primâ propositione à num. 25. Tertiò; quia respectu negationis contingentis futuræ nullâ opus est prædefinitione Dei; de factoque, plerunque saltem, censenda est non dari: & tamen Deus determinatè cognoscit, reuelareque potest omnem negationem contingentem futuram. Veraque proinde est determinatè vnaquæque earum, & propositio illam enuncians, iuxta idem argumentum theologicum.

45 Deinde contra eosdem Auctores, & cæteros num. 23. citatos exigentes ad veritatem determinatam prædictarum propositionum aliquid præsens connexum cum euentu futuro inde propositio nostra videtur citra dubium constare; quia, siue adsit, siue desit tale connexum, & præscindendo prorsus ab illo, non posse non esse determinatè veram, aut determinatè falsam hanc propositionem, *Petrus peccabit*, & similes, manifestè videntur probare argumenta philosophica facta pro primâ propositione à num. 29. Fundantur quippe in illo euidentissimo principio, *Quodlibet est, vel non est*. Iuxta quod inter duo quæuis extrema contradictionis impossibile est, dari medium, vt cum Aristot. tenent omnes. Planeque sunt contradictoria extrema, Petrum peccaturum posteà, & non peccaturum, siue adsit, siue non adsit de præsenti quidpiam connexum cum alterutro eorum. Atque ita non potest non in omni euentu alterum eorum verum, & alterum falsum esse determinatè. Vnde manifestè consequitur, ex his contradictorijs propositionibus terminatis ad illa, *Petrus peccabit*, *Petrus non peccabit*, non posse non etiam in omni euentu alteram veram, & alteram falsam esse determinatè.

46 Dicunt Recentiores citati dicto num. 23. secluso omni existente de præsenti connexo cum eo, quòd Petrus sit determinatè peccaturus, propositionem hanc nunc prolatam, *Petrus peccabit*, veram determinatè non esse ex defectu talis connexi, quantumuis Petrus determinatè peccaturus sit. Sicut neque falsam determinatè esse, quantumuis Petrus determinatè non sit peccaturus, secluso pariter omni connexo cum eo, quòd Petrus peccaturus non sit. Quia, inquiunt, præter peccatum Petri, vel eius defectum determinatè futurum, insuper requiritur dictum connexum ad veritatem, vel falsitatem determinatam talis propositionis. Sed verò philosophia hæc & à veritate ipsâ, & à communi, receptaque Philosophorum sententiâ videtur aliena. Nam omnes hactenus censuerunt, statueruntque tanquam certum, veritatem enunciationis præcisè consistere in conformitate eius cum obiecto enunciato, in eoque talem conformitatem stare, quòd sit in se re ipsâ obiectum, sicut per enunciationem esse affirmatur; vel non sit, sicut esse negatur. Ad talem autem conformitatem planè est impertinens, quòd adsit, aut desit aliud quidpiam connexum cum eo, quòd tale obiectum sit in se re ipsâ, aut non sit, vt est manifestum. Igitur, semel statuto, quod Petrus determinatè sit peccaturus, impossibile est, vt non sit suo obiecto conformis atque adeò vera determinatè enunciatio affirmans, Petrum esse peccaturum determinatè, qualis est illa, *Petrus peccabit*, siue adsit, siue desit aliud quidpiam connexum cum obiecto eius. Pariterque venit censendum de eiusdem enunciationis determinatâ falsitate; si semel statuatur, quòd Petrus re ipsâ peccaturus non est.

Id quod apertè confirmatur primò. Quia 47
veritas enunciationis de præsenti præcisè consistit in eius conformitate cum obiecto enunciato, vt confitentur Aduersarij. Proindeque enunciatio hæc, *Petrus est albus*, nequit non esse vera, supposito, quòd re ipsâ sit Petrus albus, sicut per ipsam affirmatur; quantumuis desit omne connexum cum hoc, quod est, Petrum album esse. Ergo tantumdem dicendum est de veritate enunciationis de futuro. Proindeque enunciatio hæc, *Petrus peccabit*, nequit non esse vera similiter, supposito, vt Aduersarij ipsi supponunt, quòd Petrus re ipsâ sit peccaturus, sicut per ipsam affirmatur; quantumuis desit omne connexum cum hoc, quod est, Petrum peccaturum esse.

Confirmatur secundò. Quia Thomistæ, Sco- 48
tistæ, & alij antiquiores requirentes ad veritatem determinatam propositionis de futuro contingente decretum Dei, aut aliud quid cum tali futuro connexum, idcirco id requirunt; quia putant, eo secluso, euentum contingentem non fore in se determinatè extiturum, proindeque nec esse in se determinatè cognoscibile adhuc à Deo; sed tantùm in eo decreto tanquam in medio ipsi præbente determinatam cognoscibilitatem, seu veritatem obiectiuam, absque qua veritas determinata formalis propositionis enunciantis illum stare non potest. Si namque putarent, vti putant Recentiores, cum quibus nunc agimus, euentum contingens, præscindendo ab omni connexo cum illo, esse in se determinatè extiturum, in seque proinde citra omne medium esse cognoscibile à Deo; haud dubiè assererent, esse illum in se obiectiuè verum determinatè; subindeque propositionem enunciantem illum determinatè veram esse, vtpote de ipso affirmantem id, quod ipse determinatè est in se habiturus reuerâ, secluso, aut præciso omni medio connexo cum illo.

Ex quo patet, Recentiores præfatos malè 49
se protegere auctoritate prædictorum Doctorum; cum quibus, licèt in conclusione conueniant, nequaquam conueniunt in probatione. Ipsi namque illam inde probant; quia arbitrantur, propositionem de euentu futuro nunc prolatam neutiquam dici posse, vti debet, esse nunc veram, nisi existentibus nunc omnibus fundamentis realibus, à quibus vera denominatur: cùmque eius veritas connexa sit cum existentiâ futurâ euentus; quia nequit propositio nunc esse vera, nisi euentus posteà extiturus sit: & existentia euentus futuri non adsit nunc; neque ipsa propositio per se præcisè cum tali existentiâ connexa sit; necesse est, inquiunt, vt adsit nunc aliud quidpiam connexum cum tali existentiâ, à quo propositio ipsa euadat nunc vera; per quodque eius veritas cum dictâ existentiâ futurâ euentus connexa intrinsicè constituatur. Vnde inferunt Recentiores isti, eodem modo philosophandum esse de veritatibus de præterito, ac de veritatibus de futuro: atque ita, vt sit vera determinatè propositio prolata nunc de euentu contingente præterito, necessarium itidem esse, quòd adsit nunc de præsenti aliquid connexum

xum cum existentiâ præteritâ talis euentus. Imo ex eorum fundamento sequitur planè, quantumuis euentus futurus, aut præteritus sit necessarius, propositionem enunciantem illum de præsenti absque aliquo existente de præsenti connexo cum illo determinatè veram esse non posse. Quæ duo aperte sunt contra Doctores commemoratos, & à prædictis Recentioribus citatos pro suâ opinione, vtpote qui solis propositionibus de futuro contingente denegant veritatem determinatam excludentem decretum Dei, aut aliud quid connexum cum ipso futuro: non verò item propositionibus de futuro necessario, aut de præterito tum necessario, tum contingente.

50 Verùm enim verò quàm sit falsa doctrina Recentiorum. Primò videtur inde constare; quia contra receptas definitiones Philosophorum, ac Theologorum veritatem propositionis non in conformitate eius cum obiecto, & falsitatem in disformitate, sed in coniuncto propositionis, & alicuius connexi cum obiecto, aut cum eius contradictorio per ipsam propositionem non tacti ponunt. Obiectumque ipsum subinde, & eius contradictorium à conceptu veritatis, atque falsitatis excludunt. Quæ sanè acceptio veritatis, & falsitatis abnsiua, & contra consensum communem esse videtur. Communiter quippe censetur, & dicitur propositio vera ex eo præcisè, quòd sit conformis cum suo obiecto, & falsa ex eo, quòd sit disformis, prout explicatum est. Et quidem veritatem, aut falsitatem de præterito per dictum connexum cum obiecto, aut cum eius contradictorio constitui, magis adhuc alienum est à communi consensu, vt iam tetigimus.

51 Secundò inde falsitas dictæ doctrinæ constare videtur; quia vniuersaliter supponit, nullam denominationem extrinsecam, aut semiextrinsecam posse de aliquo subiecto verificari per assertionem de præsenti, cuius omnia fundamenta realia non adsint de præsenti: atque ita, propositionem hanc hodie prolatam, *Antichristus peccabit*, non posse cum veritate dici, (vti de facto ab omnibus dicitur, & dici debet), hodie esse veram, ex eo præcisè, quod ipsa sit hodie existens, & peccatum Antichristi sit postea extiturum; requirique ad id proinde aliquid de præsenti existens connexum cum eo, quòd Antichristus postea sit peccaturus: per quod constituatur veritas, à qua ea de præsenti denominatur vera. Hoc tamen vniuersale suppositum omnino falsum esse, per exempla innumerabilium denominationum venit probandum; quæ quidem ab aliquibus fundamentis aut præteritis, aut futuris desumuntur formaliter, & tamen de suis subiectis verificantur de præsenti iuxta communem omnium consensum. Hodiernus enim dies cum veritate dicitur esse hodie prior, quàm crastinus, partim à se, partim ab ipso crastino die, qui hodie non est. Hodie item est reuerà Petrus maritus Mariæ à contractumatrimonij, qui iam præterijt. Hodie est Clemens nonus Papa à suâ electione præterità. Hodie est Petrus verè peccator, maculatus, dignusque pœnâ, & odio Dei à peccato, quod antea commisit, & nondum est remissum. Hodie Ioannes est dignus præmio, & laude ab actu honesto, quod antea patrauit. Hodie puer nascitur reuerà infectus peccato originali ab actu peccaminoso Adami, in quo vt in capite peccauit. Aliæque huiusmodi sunt sexcentæ denominationes, quæ de præsenti de subiectis verificantur; cùm tamen aliqua fundamenta intrinseca earum de præsenti non sint. Poterit igitur dici vera de præsenti cum veritate hæc propositio, *Antichristus peccabit*; tametsi à se & à peccato Antichristi postea extituro dumtaxat denominetur vera, ex ijsque duobus tantummodò realiter constituatur, seu componatur veritas eius citra omne aliud de præsenti existens connexum cum tali peccato.

Respondent Recentiores, eiusmodi denominationes, quo sensu de suis subiectis verificantur de præsenti, non desumi à cæteris fundamentis de præsenti non existentibus, neque constitui ex illis spectatis quoad existentiam realem, quam aut antea habuerunt, aut postea sunt habitura in se, sed spectatis tantùm quoad existentiam intentionalem, quam habent in scientiâ diuinâ de præsenti existenti. Quod aliud non est, quàm asserere, eiusmodi denominationes in suo reali præceptu nihil aliud verè, & realiter includere præter subiectum præsens, de quo dicuntur, & scientiam Dei etiam præsentem de cæteris earum fundamentis aut præteritis, aut futuris. Quæ quidem responsio alieniissima imprimis est à communi omnium consensu. Quia nemo haud dubie putauit hactenus, hodie esse Petrum maritum Mariæ à scientiâ, quam hodie habet Deus de eorum matrimonio præterito, non verò ab ipso matrimonio. Et hoc, quòd est, esse hodie Clementem nonum Papam, per scientiam Dei de electione eius præteritâ, & non per electionem ipsam constitui. Pariterque de cæteris. Deinde in aliquibus denominationibus videtur absurda. Nam absurdè profectò, nec satis tutò dici videtur, peccatorem non à peccato reali, quod antea commisit, sed à scientiâ, quam Deus hodie habet de illo, esse hodie, vt reuerà est, maculatum, & dignum pœnâ. Infantemque nasci infectum peccato originali non à peccato Adami prout capitis antea commisso, sed à scientiâ, quam Deus de illo habet, dum nascitur infans. Præscindendoque subinde à tali Dei scientiâ neque esse peccatorem illum maculatum, & dignum pœnâ, neque vllum infantem cum culpâ originali nasci, Atque ita fore per locum intrinsecum, vt omnis macula peccati; omneque peccatum originale reuerà deficeret, si in Deo dicta scientia deficeret. 52

Dicendum ergo omnino est, huiusmodi denominationes neutiquam per præsentem Dei scientiam de earum fundamentis aut præteritis, aut futuris, sed per ipsâ omnino fundamenta spectata quoad suum reale esse constitui, etiam, quo sensu de suis subiectis verificantur de præsenti. Quia tamen essentiæ quædam per accidens sunt, seu concreta adiectiua importantia in conceptu suo vnum dumtaxat ex suis realibus fundamentis directè, siue in recto, & cætera de connotato, siue in obliquo; vt de præsenti verificentur de suis subiectis, sat est, quòd sit de præsenti fundamentum directum, & cætera sint in eis mensuris, in quibus esse connotantur: quia solum fundamentum directum attribuit noster intellectus subiecto, de quo illas affirmat, connotatis tamen alijs, atque adeò tacitè, seu virtualiter per idem iudicium iudicatis quoad illud eorum *esse*, secundùm quod sunt connotata, quodcunque illud, & in quacunque mensura sit; prout constat ex vniuersali doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 7. quæ ad rem videnda. Itaque cum dicimus, *Petrus est hodie maritus Mariæ*, Sensus est, *Petrus est hodie, qui cum Mariâ etiam hodie existente matrimonium antea contraxit*, Vel, *Petrus coexistit hodie Mariæ, eorum matrimonio antea contracto*. Et cum dicimus, 53

Hodie

Hodie est homo peccator, & maculatus, & pœnæ dignus, Sensus est, *Hodie existit homo, qui antea peccauit, & nondum à peccato mundatus est*, Vel, *Hodie existit homo, patrato ab ipso antea peccato, necdum eius remissione existente*. Quæ omnes propositiones integrè sumptæ hodie sunt veræ, quia hodie sunt conformes cum suis obiectis; eoquòd omnia earum obiecta ita re ipsâ se habent pro suis mensuris, sicut per ipsas propositiones hodie enunciantur. Ex quibus patet, quomodò de hac propositione, *Antichristus peccabit*, cum veritate asseratur, quòd hodie est vera ab eo præcisè, quòd ea hodie sit existens, & Antichristi peccatum sit postea extiturum: quia sensus talis asserti est, hanc propositionem, *Antichristus peccabit*, hodie enunciare, quòd peccatum Antichristi existet, ipso peccato re ipsâ postea extituro. Quod est verissimum.

54 Ex quibus patet ad fundamentum Recentiorum, quomodò propositio enuncians euentum futurum sit vera de præsenti; tametsi euentus futurus obliquè, siue de connotato constituens veritatem eius non sit de præsenti. Quomodòque veritas ipsa sit connexa cum eoquòd sit euentus futurus, non, quòd includat aliquid de præsenti existens cum eo euentu connexum, sed, quòd ipse euentus futurus est vna ex partibus ipsius veritatis ipsam de connotato constituens; & omne totum cum quauis suarum partium connexum est.

55 Iam verò contra Thomistas, & alios suprà commemoratos, qui non solùm veritatem formalem propositionis singularis de futuro contingente absoluto, sed etiam veritatem obiectiuam ipsius futuri per decretum Dei prædefinitiuum constituunt, censentes, eiusmodi futurum per se præcisè consideratum nec obiectiuè verum, nec à Deo cognoscibile esse; euadere tamen verum, & cognoscibile à dicto decreto veluti à quadam formâ extrinsecâ. Quo iure dicunt, tale futurum nullatenus in se ipso, sed tantùm in tali decreto tanquam in medio posse cognosci à Deo. Contra istos, inquam, Auctores fere omnia illa militant argumenta, quibus in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. agentes de veritate aliorum entium distinctorum à Deo vniuersaliter ostendimus, prorsus esse impossibile, vt quidpiam non verum obiectiuè, atque adeò nec cognoscibile à Deo per se præcisè per aliud à se distinctum euadat tale. Quæ quidem argumenta oportuniùs applicabimus infra disput. 28. quæst. 7. à num. 225. ad probandum contra eosdem Auctores, contingentia conditionata nullatenus posse ab aliquo decreto Dei tanquam à quadam formâ extrinsecâ suam veritatem obiectiuam participare, atque ita ea neutiquam per tale decretum euadere posse vera obiectiuè, & cognoscibilia, si aliàs in se, & per se præcisè considerata non sunt obiectiuè vera, & cognoscibilia. Quare ne dicta argumenta nos bis repetamus, inde desumpta huc pariter poterit vnusquisque applicare. Vtrobique enim habent eumdem locum, vt innotescæt applicanti.

56 Quòd si quis talibus argumentis coactus dixerit, futurum contingens seu conditionatum, seu absolutum à prædefinitione Dei non tanquam à formâ, sed tanquam à causâ effectiuâ suam veritatem obiectiuam à suâ existentiâ indistinctam vnâ cum existentiâ ipsâ sortiri. Mox contra hunc manifestè sequitur inferendum, futurum contingens iam non solùm in suâ prædefinitione tanquam in medio, sed insuper in se ipso immediatè esse cognoscibile à Deo. Nam quidquid habens in se proprium *esse*, propriamque subinde obiectiuam veritatem indistinctam à tali *esse* in alio quopiam à se distincto, & secum connexo à Deo cognoscibile est, non potest non & in se quoque ipso ab ipso Deo cognoscibile esse. Quoniam omne obiectiuè verum veritate propriâ, per sequesubinde terminatiuum cognitionis veræ, eo ipso non potest non esse per se quoque determinatiuum ad sui cognitionem (determinatione scilicet intentionali, siue obiectiuâ) intellectum aliàs omnis omnino veri necessariò cognoscitiuum, qualis est diuinus. Quod ipsum est, non posse non à tali intellectu esse in se ipso cognoscibile iuxta definitiones datas suprà disput. 23. quæst. 7. de obiectis tum in se ipsis, tum in alijs cognoscibilibus. Itaque, quoties effectus à causâ secum connexâ accipit proprium *esse*, propriamque subinde veritatem obiectiuam indistinctam ab ipso *esse*, quemadmodùm causa à propriâ suâ veritate obiectiuâ habet esse determinatiuam intellectus Dei ad sui cognitionem, atque adeò esse in se ipsâ cognoscibilem à tali intellectu, ita quoque effectus à suâ propriâ veritate obiectiuâ tantumdem habet; tametsi hic non solùm in se sit cognoscibilis, sed insuper in eiusmodi causâ, quatenus ea non solùm valet titulo propriæ veritatis determinare intellectum Dei ad cognitionem sui, sed insuper ad cognitionem effectus titulo connexionis, quam habet cum illo. Et quidem quodlibet medium connexum cum euentu futuro ideo determinare valet intellectum Dei ad cognoscendum illum, vt constat ex doctrinâ tradita loco citato; quia sine illo esse non potest. Sed multo minùs euentus ipse potest esse sine se ipso. Ergo potiore iure valebit & ipse determinare intellectum Dei ad cognitionem sui. Ex quibus patet, dato etiam, & non concesso, quòd prædefinitio Thomistica necessaria sit ad dandum *esse* in genere causæ effectiuæ contingenti futuro, ad dandamque illi subinde veritatem obiectiuam indistinctam à tali *esse*, manere tamen illud nihilominùs in se ipso cognoscibile à Deo, atque adeò per cognitionem præscindentem à tali prædefinitione; & consequenter propositionem enuntiantem tale futurum independenter ab ipsâ prædefinitione, & præscindendo ab illâ determinatè veram esse, vt nostra propositio fert. Adde, prædefinitionem huiusmodi in ratione causæ solùm requiri posse ad effectum futurum prout existentem in eo tempore, in quo effectus futurus est: ad huius enim existentiam impertinens est, vt eius causa præextiterit in tempore anteriore; vt constat: (tametsi dicta prædefinitio titulo decreti Dei æterni de suo non possit non in omni tempore existere, si semel existit). Vnde patet, requiri non posse, quòd illa existat de præsenti, ad hoc, vt in ipsâ cognoscatur effectus futurus, si ad huius veritatem obiectiuam aliter requisita non est, quàm titulo causæ effectiuæ eius.

Verùm contra propositionem statutam non- 58
nulla nobis obijciunt Aduersarij. Et primò Aristot. cap. illo 8. suprà citato ex lib. 1. Periherm. Vbi negare videtur veritatem, & falsitatem determinatam propositionibus singularibus de futuro contingente. Ita Aluarez disput. 7. de Auxilijs num. 13. & disput. 13. conclus. 2. & alij. Cæterùm, aliam esse mentem Philosophi, satis, superque ostensum est propos. 2. Sed estò, neget ille dictis propositionibus veritatem, & falsitatem determinatam. Certè hoc potiùs Thomistis aduersatur; qui eam catholicè fatentur, tametsi non ante Dei decretum. Aristoteles quippe, si negauit, absolutè

nega-

negauit, existimans, eam cum libertate arbitrij constare non posse, quantumuis voluntas intrinsecè maneret indifferens ad effectum futurum. Tantum abest, vt decretum prædeterminatiuum Thomisticum è medio tollens omnem voluntatis indifferentiam de mente Aristotelis fuerit.

58 Secundò obijciunt. Ante decretum Dei non habent futura determinatam entitatem, quia nihil creatum potest habere esse independenter à decreto Dei. Ergo ante decretum Dei non habent futura determinatam veritatem. Tum. Ante decretum diuinæ voluntatis hæc propositio, *Antichristus erit*, non est determinatè vera ex naturâ subiecti; nam actualis existentia solùm Deo competit ex naturâ rei: neque est determinatè vera ex aliquâ causâ efficiente; nam ante Dei decretum nulla est possibilis causalitas causæ creatæ. Ergo. Hinc fit, eiusmodi propositiones neque esse determinatè falsas ante decretum: tum quia ante illud causa non est determinata ad non producendum futurum contingens: tum quia sequeretur, esse eas falsas ex naturâ rei, atque adeò à Deo fieri non posse, vt illæ sint veræ. Sicut nequit fieri, vt hæc sit vera, *Homo non est rationalis*. Ita Aluarez supra. Quo fere modo etiam arguunt Nauarrete tom.1.controu.5.6.5.2.& Curiel.controu.7.artic.3.à num.19.& alij.

59 Respondeo ad primum, futura positiua habere quidem veritatem, sicut & entitatem dependenter ab aliquo decreto Dei: tale tamen decretum, quodcunque esse ponatur, vt non constituit eorum determinatam entitatem, etsi eam causet affectiuè, ita neque constituere eorum determinatam veritatem, etsi eam causet effectiuè. Quo fit, vt tam ipsa futura, quàm propositiones illa enuntiantes determinatam veritatem habeant per se præcisè, quin illam ingrediatur formaliter ipsum decretum. Addo primò, quando futura sunt effectus liberi voluntatis creatæ, sat esse ad dandam eis existentiam decretum indiferens, quo Deus citra omnem determinationem offert tali voluntati concursum suum relinquens eam indifferentem ad vtrumuis, & in manu consilij sui; neque aliud genus decreti concurrendi antecedenter præfinitiui, nedum prædeterminatiui, est compatibile cum libertate, vt in tract. de Prouidentia Dei ex professo ostendemus. Certum est autem, per decretum Dei indifferens ad futurum liberum, & ad eius contradictorium neutrius veritatem determinatam constitui posse. Addo secundò, etsi decreta Dei de futuris (quæcunque ea sint) non possint non fuisse in Deo ab æterno; eoquòd Deus propter immutabilitatem suam non potest incipere velle aliquid in tempore; hac tamen eorum præcedentiâ futura ipsa per locum intrinsecum neque ad suam existentiam, neque ad suam cognoscibilitatem, siue obiectiuam veritatem egere. Nam casu, quòd in eadem mensurâ temporis, in qua illa existentiam accipiunt, conciperet denuò Deus eorum decreta, æquè illa nihilominùs & in tali tempore existerent, & in toto tempore antecedente, atque adeò ab æterno verè dicerentur futura: semperque proinde propositiones de eorum futuritione ante tale tempus prolatæ determinatam veritatem haberent. Vt hinc appareat contra Aduersarios, decreta, quæ Deus habet circa futura, non vt illa antecedenter sint determinatè futura, & vera, requisita esse, vti ipsi arbitrantur; sed, vt in suâ temporis mensurâ existentiam habeant, quam nisi Deo concurrente, habere non possunt; quod est valde diuersum. Atque hæc de futuris tantùm positiuis sunt dicta. Nam negationes ne in suâ quidem mensurâ temporis egent decreto Dei, vt existant, qua ratione existunt: subindeque independenter ab omni decreto possunt antecedenter ad illam esse futuræ, & veræ; tametsi non independenter à nutu voluntatis diuinæ liberè omittentis decreta cum illis incompatibilia. Nullum quipe est futurum contingens seu positiuum, seu negatiuum, quod non dependeat in suâ existentiâ, atque adeò etiam in suâ veritate ab arbitrio Dei aut positiuè decernentis aliquo modo existentiam eius, aut illam omissiuè non impedientis, cùm posset impedire. Ex quibus patet solutio ad argumentum secundum, & ad cætera, quæ opponebantur.

Tertiò obijci potest ex doctrinâ, quam latè 60
prosequitur Viues disput. 18. Hæc propositio, *Antichristus erit*, hodie vera est determinatè: hodieque etiam determinatè est verum, certumque insuper, & infallibile, Antichristum fore. Igitur tum determinata veritas propositionis, tum determinata veritas, certitudoque, & infallibilitas obiecti eius existunt hodie. Hodie autem nihil aliud existit, per quod illæ constitui possint, præter determinationem decreti Dei de existentiâ Antichristi in tempore posteriori futura. Per illam ergo constitui dicendæ sunt. Sed imprimis hoc argumentum eâdem vi contra Aduersarium, & suos planè retorquetur in simili. Cùm sit manifestum, non minùs esse hodie determinatè veram propositionem hanc, *Adamus fuit*, nec minùs esse hodie determinatè verum, certum, & infallibile, Adamum fuisse. Et nihilominùs illi non per decretum præsens Dei de existentiâ Adami præteritâ, sed per existentiam ipsam constituunt huius propositionis, obiectique eius determinatam veritatem, certitudinem, & infallibilitatem. Tantumdem igitur deberent consequenter præstare circa priorem propositionem, & eius obiectum. Et respondere ad argumentum. Ego pro omnibus respondeo ad illud ex vniuersali doctrinâ traditâ num.53. de denominationibus extrinsecis, & semiextrinsecis, quæ verè tribuuntur subiectis per verbum de præsenti; tametsi non omnia fundamenta, quibus re ipsâ constituuntur, sint de præsenti, iuxta ibi dicta. Cùm enim sint haud dubiè tales denominationes veri, certi, & infallibilis, benè illæ possunt prædictis propositionibus, & earum obiectis hodie cum veritate attribui; etsi hodie non adsint aliqua earum fundamenta, seu constitutiua præcipua: qualia sunt ipsa existentia Antichristi postea futura; & ipsa Adami existentia antea præterita, prout satis, superque constat ex dictis in totâ hac quæst.

Quartò obijcitur ex eodem Viues. Futu- 61
rum rigorosè est illud, quod certò, & infallibiliter existet. Sed tale esse nequit nisi habeat de præsenti determinationem actualem ad existendum postea. Ergo. Concessâ maiore: negatur minor. Quia certitudo formalis, (de qua sermo est), infallibilitasque futuri non ab aliquâ determinatione præsenti, sed ab ipsâ existentiâ determinatâ futurâ postea illius desumitur. Sicut in sententiâ Arguentis certitudo, infallibilitasque præteriti non desumitur ab aliquâ determinatione præsenti, sed ab ipsâ determinatâ existentiâ præteritâ illius.

Quintò obijcitur ex eodem. Futurum dis- 62
tinguitur à purè possibili, quòd hoc dicit indifferentiam ad existendum, & non existendum; illud

verò

verò determinationem ad existendum postea: quam tamen ab alio, quàm à decreto Dei præsente fortiri non potest. Idem contra se posset Arguens dicere de præterito. Respondeo, vtrumque, sicut & præsens, differre à purè possibili ratione determinatæ existentiæ, quam habet, vnumquodque in suo tempore, præterito, præsente, & futuro: cùm tamen in nullo habeat existentiam purè possibile.

63 Sextò obijcitur ex eodem. Futurum certum à futuro dubio discriminatur. Non aliunde, quàm à determinatione præsente de existentiâ futurâ. Ergo. Hoc itidem retorquendum venit contra Arguentem circa præteritum certum, & dubium. Respondeo, si sermo sit de certitudine formali consistente in necessitate veritatis, nullum à parte rei posse esse futurum non certum: quia ex suppositione, quòd quidlibet à parte rei futurum est, necessitatem consequentem habet essendi verum, atque adeò certitudinem formalem; quæ tamen non ab aliquâ determinatione præsente, sed ab ipsâ eius existentiâ futurâ præcisè desumitur. Certitudo autem subiectiua, aut dubietas futuri respectiuè tantùm ad nostrum intellectum enascitur à fundamentis, quæ habemus vel ad iudicandum sine formidine, vel ad dubitandum de illo. Quæ vtraque in nobis fiare potest non solùm absque præsente determinatione futuri; sed etiam absque ipsius veritate, vt constat. Quandoquidem non solùm dubium, sed etiam iudicium sine formidine habemus sæpe de obiecto, quæ verè non est. Mitto alia plura, quæ contra doctrinam nostram Auctor prædictus congerit. Ex dictisque nullo negotio ab vnoquoque possunt dilui.

64 Obijcioque postremò contra doctrinam nostram sic. Antichristus futurus nullum omnino hodie habet *esse* in se ipso. Ergo neque habet hodie vllam omnino veritatem obiectiuam in se ipso: quandoquidem veritas obiectiua rerum aliud non est ab ipsarum rerum *esse*, vt est notum. Igitur Antichristus hodie nec verè cognoscibilis, nec scibilis est in se ipso: quia, quod non est, non scitur: nec verè cognoscibile potest esse, quod veritatem obiectiuam non habet, vt est manifestum. Relinquitur ergo vt *esse*, quod Antichristus habebit postea, siue existentia futura eius in aliquo alio duntaxat hodie existente, & cum ea connexo scibilis hodie, & verè cognoscibilis sit. A quo proinde, & non à se ipsâ sortitur existentia Antichristi veritatem determinatam obiectiuam, quam hodie habet; & consequenter ab eodem sortitur quoque propositio talem existentiam enuncians suam, quam etiam habet hodie, veritatem determinatam formalem.

65 Respondeo primò, hoc argumentum manifestas instantias pati in futuris necessarijs, & in præteritis tum necessarijs, tum contingentibus. Quæ omnia, nemine refragante, hodie sunt determinatè vera, atque adeò verè cognoscibilia in se ipsis independenter ab omni medio cum eis connexo, & hodie existente, aut saltem præscindendo ab illo. Cùm tamen nullum eorum vllum *esse* hodie in se habeat. Ex quo patet, per tale argumentum nihil probari.

66 Respondeo secundò, casu, quòd existentia Antichristi non esset obiectiuè vera, & à Deo cognoscibilis in se ipsâ, neutiquam posse esse veram, & cognoscibilem à Deo in alio quopiam à se distincto tanquam in medio. Quia vniuersaliter est impossibile, vt verum sit, & à Deo cognoscibile in alio quopiam tanquam in medio id, quòd in se ipso non est verum, neque cognoscibile à Deo. Sicut vniuersaliter etiam est necessarium, quòd sit in se ipso verum, & cognoscibile à Deo id, quod in alio tanquam in medio verum, & à Deo cognoscibile est; prout argumentis commemoratis supra n. 55. & infra disp. 28. q. 7. exhibendis clarè ostendemus. Vbi etiam apparebit, vniuersaliter item impossibile esse, quòd detur aliquid reuerà connexum cum alio, ita, vt hoc in illo tanquam in medio titulo connexionis eius cognosci possit, casu quòd hoc aliud in se ipso non sit verum, & cognoscibile. Vnde planè consequitur, impossibile etiam esse, vt daretur hodie quidpiam reuerà connexum cum existentiâ Antichristi futurâ, si hæc in se ipsâ neque vera, neque cognoscibilis esset. Ex quibus omnibus rursus patet, per argumentum propositum nihil probari.

67 Illud igitur diluendo respondeo tertiò, veritatem obiectiuam Antichristi futuri materialiter quidem sumptam, quo pacto ab ipsius *esse* futuro nihilo differt, hodie non dari. Quia tamen illud ipsum *esse*, quod Antichristus habebit postea, per cognitionem hodiè existentem cognoscibile verè est: eoquòd cognitio hodie existens tam ad ea, quæ existent postea, quàm ad ea, quæ extiterunt antea, & hodie non existunt, potest extendi, prout supra quæst. 2. num. 8. dicebamus; idcirco illud ipsum *esse*, quod Antichristus habebit postea, à cognitione verâ sui hodiernâ possibili, dicitur verum esse hodie, seu verè cognoscibile. Idque non veritate alienâ, sed propriâ, quatenus non aliud pro illo, sed ipsummet est cognoscibile per talem cognitionem. Eo autem ipso, quòd *esse* Antichristi futurum cognitionem hodiernam sui terminare per se ipsum valet; (imo & debet, adhuc, quando in alio tanquam in medio mouente ad illam est cognoscendum; nam aliàs non ipsum, sed aliud pro ipso esset cognoscibile hodie; quod sine absurdo contra fidem dici non potest); quod est per se ipsum esse obiectiuè verum; nequit non valere etiam per se ipsum determinare intellectum Dei omnis veri necessariò cognoscitiuum ad eiusce modi sui cognitionem, vt supra num. 56. arguebamus; quod est, *esse* futurum Antichristi non solùm in alio quopiam hodie existente tanquam in medio, sed etiam in se ipso citra medium esse hodie cognoscibile à Deo. Quibus omnia, quæ in argumento obijciebantur, diluta manent.

68 Aduerto ad extremum, de propositionibus vniuersalibus de futuris contingentibus pariter, quod ad rem attinet, atque de singularibus, esse censendum ob easdem proportionales rationes. Etiamsi Aristot. loco sæpe citato aliter videatur de illis loquutus. Non verò tam clarè, vt nequeat putari idem de vtrisque iudicasse, vti sentit Arrub. 1. par. disput. 40. cap. 4. Quòd si Aristot. vt ei tribuitur, reuerà docuit, propositiones vniuersales de futuris contingentibus determinatè falsas esse, atque adeò veras particulares illis contradictoriè oppositas, de eis propositionibus vniuersalibus intelligendus est, circa quarum significatum adest necessitas moralis, vt non verificetur in omnibus singularibus, quæ complectuntur illæ, tametsi physicè in omnibus posset verificari. Nam quod moraliter est necessarium, etsi posset physicè non euenire, de facto tamen semper euenit, de factoque subinde semper est verum: sicut è contra, quod moraliter est impossibile, etsi physicè posset euenire, de facto tamen nunquam euenit, de factoque subinde nunquam est verum. Sic, quia

mora-

moraliter est necessarium, vt aliquis homo ex omnibus, qui sunt in Mundo, cras peccet mortaliter, iuxta illud Matth. 18. *Necesse est enim vt veniant scandala*; hæc propositio, *Nullus homo totius Mundi peccabit cras mortaliter*, iam hodie est determinatè falsa, & eius contradictoria vera, *Aliquis homo totius Mundi peccabit cras mortaliter*. Et quia è conuerso moraliter est impossibile, vt omnes homines totius Mundi cras peccent mortaliter; hæc quoque propositio, *Omnis homo totius Mundi peccabit cras mortaliter*, iam hodie est determinatè falsa, & eius contradictoria vera, *Aliquis homo totius Mundi non peccabit cras mortaliter*. Cæterùm quanquam propositiones vniuersales huiusce generis semper sint falsæ, & eius contradictoriæ veræ. In alijs verò tum vniuersalibus de futuris contingentibus, tum particularibus eis oppositis sæpe aliter eueniet. Hæc namque vniuersalis restricta ad aliquem Conuentum Religiosorum hodie vera est, *Nullus Religiosus huius Conuentus peccabit cras mortaliter*; & eius contradictoria falsa. Sicut & hæc est vera, *Omnis Religiosus huius Conuentus adimplebit cras præceptum audiendi Sacrum*; & falsa eius contradictoria. Pariterque in similibus.

QVAESTIO IV.

Vtrùm Deus certò cognoscat obiecta contingentia absoluta.

69 Cicero lib. 1. de Diuinatione, & lib. 2. de Naturâ Deorum circa finem certam præscientiam futurorum negauit Deo, quasi incompatibilem cum hominum libertate. *Atque ita* (inquit Augustinus illum sugillans lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 9. circa medium) *dum vult facere liberos, facit sacrilegos*. Eumdem errorem attribuunt Aristoteli nonnulli Patres, & Scholastici. Ab illo tamen eum vindicant alij non sine magno fundamento. Videantur Vazq. 1. par. disput. 64. cap. 1. & Ruiz disput. 22. de Scientiâ sect. 1. Alij verò omnes non solùm Catholici, sed etiam Hæretici vnanimi consensu tenent tanquam certùm secundùm fidem, Deum certissimè præscire omnia futura contingentia. Quanquam enim aliqui Hæretici, præsertim ex modernioribus, in Ciceronis errorem de incompatibilitate scientiæ diuinæ futurorum cum libertate creatâ impegerint; maluerunt tamen hanc libertatem, quàm illam scientiam denegare. Sed quàm fœdè illi decepti sint; quàmque benè inter se cohæreant scientia diuina de futuris contingentibus, & horum libertas, aperte demonstrant Theologi communiter in hoc tract. Mihi verò oportunius erit, de hoc puncto agere in tract. de Prouid. Dei postquam vniuersalem doctrinam de libertate cum suis principijs antea præmisserim. Interim videri ad rem poterunt Molin. 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 16. & in Concord. disput. 49. Vazq. disput. 68. Arrub. disput. 33. Moncæus in Select. disput. 3. Ruiz disput. 31. de Scient. Gasp. Hurt. diff. 3. de Scient. Arriag. 1. par. disput. 19. & 31. Martinon disput. 9. de Deo. Ribaden. disput. 17. & apud eos alij. Vtrùm verò ratione naturali sit demonstrabile, eiusmodi scientiam de futuris contingentibus in Deo dari, sublite est. Negat Herice 1. par. disput. 6. cap. 1. Affirmant Ruiz disput. 22. de Scient. sect. 2. & alij.

Propositio 1.

De fide est, Deum omnium omnino contingentium absolutorum certissimam scientiam habere. 70

Id namque passim est expressum in sacris Scripturis, Psal. 138. *Intellexisti cogitationes meas de longe; semitam meam, & funiculum meum inuestigasti, & omnes vias meas præuidisti. Tu cognouisti omnia nouissima & antiqua.* Ecclesiastici 23. *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super Solem circumspicientes omnes vias hominum, & profundum Abyssi, & hominum corda intuentes in abscónditas partes. Domino enim Deo, antequam crearentur, omnia sunt cognita. Sic & post perfectum respicit omnia.* & cap. 39. *Opera omnis carnis coram illo; & non est quidquam absconditum ab oculis eius. A sæculo, & vsque in sæculum respicit; & nihil est mirabile in conspectu eius.* Isaiæ 48. *Prædixi tibi ex tunc, antequam euenirent.* Daniel 13. *Qui nosti omnia, antequam fiant.* Ioan. 13. & 14. *Dixi vobis priùs, quàm fiat.* Ad Rom. 4. *Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, &c.* Eamdem veritatem comprobant omnes libri Prophetarum: nam vt scitè dixit Tertulianus lib. 2. contra Marcionem cap. 5. *Præscientia Dei tot habet testes, quos fecit Prophetas.* Quin etiam tota fidei nostræ firmitas, & certitudo à certitudine scientiæ diuinæ in oraculis Prophetarum imbibita ducit originem. Ob id D. Petrus fideles ab oraculis Prophetarum firmat in fide epist. 2. cap. 1. dicens, *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes quasi lucernæ lucenti in caliginoso loco.*

In eâdem quoque veritate constantes sunt Patres. Apostolus Petrus apud Clementem Romanum, Dionys. Irenæ. Gregor. Nisen. Damasc. Ambros. Hilar. Hieron. Augustin. Gregor. mag. Leo mag. Prosp. Fulgent. & alij. Quorum testimonia transcribere in re tam compertâ necessarium non est. Videri possunt apud Ruiz disput. 22. citatâ sect. 2. 71

Propositio 2.

Dari in Deo certam scientiam omnium contingentium, ratione naturali est demonstrabile, saltem demonstratione morali, cui nemo queat prudenter dissentire:

Id mihi probat imprimis Augustin. lib 5. de Ciuitate Dei cap 9. dum ait. *Nam & confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania est.* Non enim insania tam aperta esset, negare Deo futurorum præscientiam; si hanc in Deo dari non esset euidens, saltem euidentiâ morali, cui prudenter dissentiri non possit. Secundò id ipsum mihi compertum est propter rationes, quas ad probandam scientiam Dei vniuersè breuiter tetigi disput. 23. quæst. 1. propos. 1. & 3. Illæ enim manifestè demonstrant, dari in Deo scientiam non solùm aliorum scibilium, sed etiam futurorum contingentium; maximè, cùm & hæc quoque determinatè cognoscibilia, & vera esse, satis clarè etiam demonstretur, vt vidimus quæst. præceden. Supposità namque obiecti veritate, euidens est, non posse illud latere sapientiam infinitam Dei. Perfectissimam etiam Dei prouiden- 72

tiam sine præscientiâ futurorum constare non posse, non minùs est euidens. Accedit indubitatum dictamen ab ipsâ naturâ insitum humanis mentibus de præscientiâ futurorum cum diuinitate coniunctâ, quo tanqam indubitato principio ductæ omnes vbique nationes ad oracula diuina suis vnaquæque ritibus recurrunt, vt de futuris euentibus certiores reddantur. Accedunt & reliqua quæ loco citato indicaui. Demonstrationes item factæ disput. 1. quæst. 7. pro existentiâ Dei consequenter subseruiunt pro ipsius præscientiâ de futuris iuxta illud August. contra Cicer. cap. illo 9. citato sub finem. *Aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic dicit nihil aliud, quàm, quod ille dixit insipiens in corde suo. Non est Deus. Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est vtique Deus.* Ex quibus omnibus manifestè apparet, præscientiam Dei de futuris euentibus à nemine in dubium vocari posse saltem prudenter, atque adeò illam eo saltem demonstrationis genere demonstrabilem esse, cui nemo rationabiliter, & citra insaniæ notam dissentire possit. Effugia enim, quæ ad dissentiendum meditatur, & proponit Herice, adeò videntur improbabilia, vt nemo per illa se in fugam dare sine temeritate posset; vt quisque perpendens illa non obscurè perspiciet.

73 Dixi autem in propositione, prædicto saltem demonstrationis moralis genere esse demonstrabilem scientiam Dei de futuris; quia existimo, loquendo absolutè, physicè etiam demonstrabilem esse, ita, vt ne physicè quidem possit ei dissentire, quicunque maturè, considerate, atque collectiuè perpenderit fundamenta omnia, quæ eam notificant. Quòd si Cicero, aut quispiam alius quandoque reuerà, & non voce solùm tenus dissensit, ille profecto aut cuncta dicta fundamenta non aduertit, aut leuiter, & inconsideratè per ea pertransijt. Quomodò autem Deus obiecta contingentia absoluta cognoscat, in sequentibus est discutiendum.

QVAESTIO V.

Vtrùm obiecta contingentia absoluta in se ipsis cognoscantur à Deo.

74 TRifariam considerari possunt obiecta contingentia absoluta. Primò vt præsentia. Secundò vt præterita. Tertiò vt futura. Et considerata quidem vt præsentia, aut etiam vt præterita in se ipsis esse ea cognoscibilia, de factoque cognosci à Deo, communis videtur esse sententia Theologorum. Considerata tamen vt futura non esse illa cognoscibilia, proindeque neque de facto cognosci in se ipsis à Deo, sed tantùm in decreto, aut in alio quopiam medio cum illis prout futuris connexo, sententia eorum est, qui putant, secluso tali medio neque propositiones de futuris contingentibus, neque earum obiecta determinatam veritatem habere, quos citauimus quæst. 3. Quibus adde Caiet. Bannez Albeldam, Nazarium, Zumel, Cornejo, Marc. Serra, Ledesm. Gasp. Ram. & alios Thomistas recentiores apud Ribaden. disput. 13. de Scient. cap. 1. Opposita tamen sententia communior est. Quam tenent citati à nobis dicta quæst. 3. pro veritate determinata propositionum de futuris contingentibus, atque etiam ipsorum futurorum nullatenus constitutâ per aliquid præsens cum eis connexum. Insuperque Ruiz disput. 29 de Scient. Arrub. disput. 43. Arriaga disput. 20. Martin. disput. 11. Ribas disput. 5. Franc. de Lugo disput. 29. cap. 3. Ribaden. disput. 13. cap. 4. Borrul disp. 2. sect. vlt. Apud quos Soar. Vazq. Molin. Fonsec. Less. Albertin. Becan. & nostri communiter cum Scot. Fabr. Ocham. Gabr. & alijs antiquioribus.

Propositio 1.

Obiecta contingentia, non solùm quatenus præsentia, aut præterita, sed etiam quatenus futura sunt cognoscibilia, de factoque subinde cognoscuntur in se ipsis à Deo. 75

Hæc propositio sub vniuersaliore probata est iam supra disput. 25. præsertim quæst. 1. iunctis item, quæ de non entibus, & malis dicta sunt ibi quæst. 5. & 6. Ex dictisque etiam de veritate obiectiua, deque cognoscibilitate in se ipsis huiusmodi obiectorum in hac disput. quæst. 3. satis superque constat. Constat insuper propositio ex ijs, quæ de eorumdem obiectorum cognoscibilitate sunt dicta tom. 1. disput. 9. quæst. 2. prout memorabimus quæst. sequen. Quo circa in ijs omnibus repetendis, & applicandis in præsenti pro illâ comprobandâ, non est, cur moremur. Cùm facile quisque possit id, illa recolendo, præstare.

Propositio 2.

Si obiecta contingentia prædicta non essent in se ipsis cognoscibilia à Deo, neque in alio quopiam tanquam in medio essent ab ipso cognoscibilia. 76

Nam, vt in alio quopiam tanquam in medio à Deo cognoscibilia sint, necessarium omnino est, quòd per se, & in se habeant *esse* obiectiuè verum veritate obiectiuâ propriâ, & indistinctâ ab ipso *esse*; vt per argumenta commemorata supra quæst. 3. num. 55. & infra disput. 28. quæst. 7. exhibenda clarè ostendetur. Omne autem sic obiectiuè verum eo ipso est determinatiuum intellectus diuini, vtpote omnis veri necessariò cognoscitiui, ad cognitionem sui; quod ipsum est, esse illud in se ipso cognoscibile à Deo, vt ex sæpe dictis hactenus satis est notum. Ex quibus duobus planè concluditur, obiecta contingentia prædicta neutiquam fore in alio tanquam in medio cognoscibilia à Deo, nisi in se ipsis essent etiam ab ipso Deo cognoscibilia, vt propositio data fert.

* *
*

QVÆ-

QVAESTIO VI.

Vtrùm obiecta contingentia absoluta simul, & semper, atque adeò ab æterno, & in æternum præsentia physicè sint Æternitati Dei. Atque præsentiâ subinde habeant esse cognoscibilia; cognoscique à Deo in se ipsis simul, & semper, atque adeò ab æterno, & in æternum.

77 QVæstionem hanc tractatam iam relinquimus supra disput. 9. quæst. 2. Neque ibi dictis quidquam hìc addere necessarium est. Oportuit tamen eius hìc facere mentionem, remittereque hinc Lectorem ad dictam disputationem: eoquòd à plerisque Auctoribus solet hìc tractari; tametsi, me iudice, oportuniorem ea ibi sibi vindicet locum.

QVAESTIO VII.

An, & quomodò cognoscat Deus obiecta contingentia absoluta in se ipso, aut etiam ex se ipso, in aliquâve, aut ex aliquâ formalitate sui, vt omnipotentiâ, scientiâ, ideâ, aut volitione de obiectis ipsis.

78 SVppositâ vniuersali doctrinâ traditâ supra disput. 25. de cognitione, qua Deus in se, & ex se, in aliquâve, & ex aliquâ formalitate sui cunctas creaturas tam existentes, quàm possibiles, necnon omnia non entia, & mala cognoscit, atque adeò omnia obiecta cognoscibilia, necesse non est, vt in præsenti quidquam de obiectis contingentibus, quod ad rem attineat, per otium in speciali dicamus. Tametsi multi quæstionem hanc speciatim tractent de illis. Sat erit summatim, & breuissimè doctrinam vniuersalem traditam ibi obiectis contingentibus applicare.

79 Itaque Deus per scientiam comprehensiuam sui in suâ omnipotentiâ, in cæterisque suis formalitatibus sumptis quoad entitatem omnia obiecta contingentia cognoscit, quatenus nequit se comprehendere, nisi ex vi cognoscendi se cuncta, quæ ad se pertinent, etiam cognoscat: ad se autem varijs ex titulis pertinent contingentia. Cognoscit item in suâ entitate prout connotante contingentia omnia illa titulo connexionis semiextrinsecæ, quam ab illis vt sic participat. Secus ratione connexionis intrinsecæ, quam nullam cum eis habet. In coniuncto etiam ex se, & ex contingentibus resultante illa cognoscit titulo connexionis intrinsecæ, quam tale coniunctum cum eis habet tanquam totum quoddam cum suâ parte. In scientiâ item de illis sumptâ quoad denominationem cognoscit Deus contingentia per actum reflexum. Necnon in eorum ideis; in quocunque demum conceptu constiterat idea iuxta dicenda à nobis inferiùs disput. 29. Cognoscit præterea Deus contingentia in Verbo, & Spiritu sancto, prout ipsorum contingentium est Verbum, & Spiritus sanctus. Cognoscit insuper in quouis actu suæ voluntatis de contingentibus ipsis quoad denominationem accepto, vt sicque cum illis connexo. In quocunque autem tanquam in medio cum eis connexo cognoscit Deus contingentia titulo connexionis, etiam titulo comprehensibilitatis cognoscit per eius comprehensionem. Et, quæcunque contingentia Deus in se, aut in aliquo sui prædicato cognoscit; etiam ex se, & ex tali prædicato cognoscit per aliam cognitionem. Quæ omnia ex dictis vniuersaliùs, & comprobatis dictâ disput. 25. quæst. 2. & sequentibus conspicua erunt vnicuique illa recognoscenti, & ad propositum applicanti; vt facillimè poterit.

Cæterùm, quanquam hæc ita vniuersè, succinctèque dicta satis videbantur ad rem: quia tamen plerique multa speciatim hìc solent tangere de cognitione futurorum contingentium absolutorum in decretis diuinis, maioris abundantiæ gratia, &, vt omnibus morem geramus, nonnulla & nos de eiusmodi cognitione adijciemus. 80

Pro quo supponendum imprimìs est, decreta circa futura contingentia multa, & diuersa excogitari posse in Deo iuxta doctrinam de illis fusè tradendam in tract. de Prouidentia Dei. Etenim futurum contingens aut in se, aut in suâ causâ potest à Deo decerni efficaciter. In se quidem, si ipsum sit obiectum decreti. In causâ autem, si decretum ad causam solùm terminetur, ex qua illud infallibiliter sequendum est. Vtrumque autem istud decretum aut potest esse purè intentiuum, aut purè exequutiuum, aut mixtum. Purè intentiuum erit, si nequeat per se determinare omnipotentiam Dei ad exequutionem obiecti decreti; benè tamen voluntatem eius ad eligenda media efficacia pro tali exequutione. Purè autem exequutiuum, si omnipotentiam ad exequutionem obiecti determinare valeat; non item voluntatem ad media eligenda. Mixtum verò, si vtrumque præstare possit. Iam verò futurum contingens, circa quod est decretum, aut potest esse effectus solius Dei, aut Dei simul, & causæ creatæ, eiusque vel necessariæ, vel liberæ. Quo casu decretum in talem effectum tendens, aut potest esse specialis prædefinitio eius, aut decretum concursus generalis, quem Deus præstat causis creatis. 81

Deinde est supponendum, discussionem præsentem posse procedere aut iuxta sententiam Connotantium, qui decretum Dei per extrinsecum connotatum complent aliquo modo; aut iuxta sententiam non Connotantium, qui illud prorsus intrinsecum ipsi Deo constituunt. 82

Denique supponendum est, hìc non esse locum examinandi, quænam huiusmodi decretorum reperiantur in Deo. Id namque ad tractatum de Prouidentiâ diuinâ pertinet. Tametsi aliqui huc importunè huiusmodi examen intrudant, vt absolutè possint decernere in quibus decretis cognoscat Deus futura contingentia. Sed malè. Quia id est confundere materias diuersis subnixas principijs. Quare nos non absolutè, sed ex hypothesi, quòd dentur in Deo hæc, aut illa decreta, quomodò Deus possit, aut non possit in illis futura contingentia cognoscere, breuiter definiemus, vt sequitur. 83

Propositio 1.

Deus, vt certò cognoscat futura contingentia, nullo omnino decreto eget tanquam medio determinante ad eorum 84

cognitionem. Tametsi, vt illa sint futura, aliquod decretum Dei necessarium sit, quando sunt entia positiua.

Hæc propositio satis est communis inter Theologos. Constatque ex doctrinâ statutâ quæst. 3. & 5. tum de veritate obiectiuâ determinatâ huiusmodi futurorum, tum de eorum cognoscibilitate, à qua habent esse in se ipsis cognoscibilia à Deo. Itaque, vt supra num. 59. dicebamus, quamuis Deus nullum præhaberet decretum circa futura, dummodò illa, vt modò futura sunt, manerent futura, certissimè præscirentur à Deo: quia etiam in eo casu, æquè manerent illa determinatè vera, & cognoscibilia ratione propriæ entitatis, & existentiæ, quam in suâ temporis differentiâ habitura fuissent, vt ponimus. Quo fieret, vt aciem intellectus diuini nequirent subterfugere, qui vi, quam habet, infinitè cognoscitiuâ non potest non cognoscere, quidquid est verum. Ex quo patet, decretum Dei, si quod de facto versatur circa futura, vt medium mouens ad cognitionem eorum requisitum non esse. Tamersi requisitum sit, vt illa pro suo tempore existentiam habeant, quando sunt entia positiua; quæ sine aliquo decreto Dei existere nequeunt: tametsi, quando futura sunt libera, sat sit ad existentiam eorum decretum indifferens concurrendi cum voluntate creatâ ad eam partem, quam ipsa elegerit, prout latiùs dicemus in tract. de Prouidentiâ Dei. Quo iure P. Vazq. 1. par. disput. 66. cap. 2. & cum eo alij dixerunt, decretum Dei esse causam remotam certitudinis scientiæ diuinæ de futuris, quatenus est causa entitatis, atque adeò etiam veritatis ipsorum futurorum, à qua immediatè intellectus Dei ad eorum cognitionem certam determinatur. Cæterùm hoc solùm habet locum in futuris positiuis: nam negatiua, sicut non egent causa, vt sint, ita non egent decreto Dei, vt veritatem habeant à Deo certò cognoscibilem. Vnde rursus efficitur, si Deus suspenderet omne decretum, vt fortassè fuit ei possibile, mansuram nihilominùs in eo certissimam scientiam futurorum negatiuorum. Superest ergo definiendum, an, præter actum scientiæ, quo Deus futura contingentia in ipsis immediatè cognoscit, alium habeat, quo illa cognoscat tanquam in medio in aliquo ex decretis commemoratis.

Propositio 2.

85 **Stando in sententiâ non Connotantium, futura positiua, quæ à solo Deo causantur, in ipso decreto exequutiuo, quo causantur, cognoscuntur à Deo: idque vt in medio connexo cum ipsis futuris.**

Ab hac propositione nemo dissentit. Quia in sententiâ non Connotantium decretum Dei suâpte naturâ, & essentiâ est connexum cum suo obiecto tanquam cum termino sibi extrinseco. Ergo, cùm decretum, quo Deus decernit futurum à se solo causandum, sit decretum absolutum de existentiâ talis futuri, absolutè quoque, & determinatè est cum illo connexum. Atque adeò nihil ei deest, quominùs sit medium idoneum, vt Deus cognoscat in ipso tale futurum; vt ex doctrinâ sæpe in hoc tract. repetitâ satis est notum. Quòd si Deus de futuro etiam negatiuo simile decretum habuerit, idem de illo citra dubium dicendum est.

86 Hinc sequitur primò, stando in eâdem sententiâ, idem etiam dicendum esse de decreto, quo Deus cum causâ creatâ necessariâ concurrit ad eius effectum; nempe huiusmodi effectum in tali decreto tanquam in medio secum connexo cognosci à Deo. Deus quippe cum causis necessarijs per decretum absolutè exequutiuum, atque determinatè connexum cum earum effectibus concurrit, vt dicendum alibi.

87 Vnde secundò sequitur, si Deus etiam per simile decretum concurreret cum causis liberis, vt Thomistæ prædeterminatores affirmant, fore, vt in ipso earum effectus liberi eodem modo à Deo cognoscerentur. Id quod ijdem Thomistæ vno ore asseuerant. Nec refragarentur alij Theologi, si tale decretum admitterent. Cæterùm, quia illud prorsus à Deo reijciunt vt aduersum libertati creatæ, idcirco absolutè negant, futura libera in tali decreto cognosci à Deo. Vnde non quoad punctum præsentis difficultatis, sed quoad eius fundamentum ad aliam materiam spectans dissentiunt à Thomistis; nimirum quoad punctum de decreto, quod Deus habet concurrendi cum causis liberis. Quod certè stando in sententiâ non Connotantium nequit saluâ libertate creatâ esse absolutum, & determinatum, vti à Thomistis ponitur. Sed prorsus indifferens esse debet, siue conditionatum vt in tract. de Prouidentiâ Dei monstrauimus; quo videlicet Deus decernat concurrere cum causâ creatâ casu, quòd ipsa se ad agendum determinet; sicque suam omnipotentiam subdat eius arbitrio in ordine ad talem actionem.

88 Quo posito, sequitur tertiò, in huiusmodi decreto concurrendi Deum non cognoscere consensum voluntatis futurum tanquam in medio cum illo determinatè connexo vt cum termino extrinseco, vtpote quod æquè est indifferens naturâ suâ vt coniungatur cum consensu, vel cum eius carentiâ. Vtrùm verò aliter in tali decreto cognoscat Deus consensum futurum, ex dicendis quæstione sequente constabit.

89 Quartò sequitur, in decreto purè intentiuo prædefinitiuoque futuri contingentis non liberi oriundi vel à solo Deo, vel à Deo & causâ creatâ necessariâ cognoscere Deum ipsum futurum tanquam in medio cum eo connexo; si forsan Deus habet tale decretum, de quo modò non disputo. Et quidem, si huiusmodi decretum immediatè connexum est cum futuro prædefinito, in quod remotè tantum influit, (vt ego opinior, & latè ostendam agens de omni decreto Dei efficaci in tract. de Prouidentia), dubium non est, quin illud sit medium idoneum, in quo immediatè vi connexionis cognoscat Deus ipsum futurum. Si verò connexio talis decreti cum futuro non immediata sit, sed mediata, sicut est influxus, vt alij Theologi opinantur, nonnullam videtur habere casus difficultatem. Quia, cùm decretum intentiuum finis dumtaxat connectatur vagè cum hoc, aut illo medio efficaci ad obtinendum ipsum finem, si ista connexio cum medijs est immediata, cum fine autem remota, nequibit Deus cognoscere futurum intentum in decreto intentiuo eius, nisi cognoscendo immediate in illo medium efficax vagum, deindeque in tali medio vago futurum ipsum. Quod Deo videtur repugnare. Quia Deus neque videtur posse cognoscere obiectum vagum; cùm nullum ens detur vagum re ipsâ; nec medio illo in suo decreto aliud determinatum. Sed dicendum

endum tamen est, neutrum horum repugnare Deo. Quia Deus benè potest cognoscere obiectum æquiualenter vagum, seu disiunctiuum, quale est, quod in præsenti casu interuenit, vtpote quod re ipsâ datur; quia re ipsâ obiectum conditionatum determinatum est, iuxta doctrinam latè traditam in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. tradendamque infra disput. 28. Neque etiam potest medio illo cognoscere in suo decreto futurum determinatum. Quia non est cur Deus nequeat cognoscere remotè in alio id, quod connexionem eius remotam terminat. Si enim A connectitur cum B, & B cum C, A quidem determinabit ad cognoscendum B, & B ad cognoscendum C, atque ita per eamdem cognitionem vi talium determinationum oriundam ab intellectu diuino Deus cognoscet B in A, & C in B. Quo fiet, vt C remotè cognoscatur in A. Igitur prædicta duo benè coniungi poterunt in casu decreti, quem versamus: quia, quidquid Deus per plures cognitiones potest cognoscere, & per eamdem potest, vt ex doctrinâ generali tradita disput. 23. quæst. 4. & sæpe aliàs repetitâ constat. Poterit itaque Deus, supposito casu, per eamdem cognitionem in decreto prædefinitiuo cognoscere futurum hoc, aut illud medium sub disiunctione, & in disiuncto talium mediorum cognoscere etiam futurum obiectum decreti. Quo fiet, vt tale obiectum remotè in ipso decreto cognoscatur. Quemadmodùm, si decretum immediatè cum obiecto intento, remotè autem cum medijs connectitur, vt ego iudico, obiectum proximè in decreto, disiunctum autem mediorum proximè in obiecto, remotèque in decreto cognoscetur à Deo. Est autem hic sermo de medijs intrinsecè, & suâ natura efficacibus, qualia sufficiunt ad obtinendum futurum prædefinitum non liberum, de quo modò agimus. Nam circa media extrinsecè efficacia requisita ad futurum liberum alia quædam est difficultas, de qua propositione sequente.

Propositio 3.

90 **Stando etiam in sententiâ non Connotantium, in decreto purè intentiuo, ac prædefinitiuo actus liberi futurum actum ipsum cognoscit Deus tanquam in medio cum eo connexo; casu, quòd Deus habeat tale decretum.**

Sub hac conditione nemo est, qui ab hac propositione dissentiat. Nam, quotquot admittunt in Deo huiusmodi prædefinitiones, vnanimi consensu fatentur, Deum in illis tanquam in medio determinante cognoscere actus prædefinitos. Quotquot autem hoc negant, ob id solum negant, quia negant ipsas prædefinitiones, neutiquam aliàs negaturi, si eas admitterent. Quocirca ad rem præsentem neutros est opus recensere in speciali. Videantur apud Fasol. 1. par. quæst. 14. artic. 13. dub. 11. Herice disput. 6. cap. 3. Tann. disput. 2. quæst. 6. dub. 8. Ruiz disput. 25. de Scientiâ. Gasp. Hurt. disput. 4. de Scientiâ diff. 4. & apud alios Recentiores. Mitto etiam plurima testimonia Patrum, quibus in eâdem disput. 25. sect. 4. 5. & 6. contendit Ruiz probare absolutè, Deum in suo decreto prædefinitiuo cognoscere omnia futura etiam libera: tum quia ego in propositione conditionatè tantùm loquor, relinquens ad proprium locum controuersiam de existentiâ prædefinitionum: tum quia præfata testimonia ad rem non videntur efficacia; cùm eò solùm tendant, vt probent, Deum eo ipso, quòd cuncta fecit, vel disposuit, non potuisse non illa præscire. Quod potest intelligi vel de præscientiâ conditionatâ rerum præuiâ ad decretum dispositiuum earum, vel de absolutâ remotè oriundâ ex ipso decreto, quatenus ex hoc emanauit existentia rerum ipsarum cognita in se per talem scientiam. Probanda ergo est propositio. Quia prædefinitio absoluta, & efficax actus futuri nequit non esse determinatè connexa cum illo, prout satis est, vt in illâ vi connexionis ipse actus cognoscatur à Deo, vt constat ex doctrinâ datâ propos. 2. Idque, siue huiusmodi prædefinitio cum ipso actu immediatè connexa sit, vt ego credo, siue sit connexa remotè, vt alij arbitrantur, iuxta dicta num. præcedente. Tum, siue habeat hanc connexionem vi suâ præcisè, siue ratione scientiæ mediæ, quam essentialiter supponit iuxta varias sententias. Quocunque enim modo ponatur, si est prædefinitio absolutâ, & efficax, non potest non esse connexa cum actu prædefinito proximè, vel remotè, quod ad rem sufficit. Quomodò autem cum tali prædefinitione componatur libertas actus, vt liber in illâ videri possit, in tract. de Prouidentiâ ostendendum est.

Solùm superest difficultas, quam huc paulò ante remissimus. Cùm enim efficacia mediorum 91
ad obtinendum actum liberum prædefinitum à futuritione conditionatâ ipsius actus desumi debeat, vt modò etiam suppono ex tract. de Auxilijs; si prædefinitio cum medijs proximè, cum actu autem prædefinito remotè connexa est, non videtur actus ipse à Deo in ipsâ prædefinitione posse cognosci: ad hoc enim necessarium erit, vt per eamdem cognitionem tangantur prædefinitio, medium efficax, & actus prædefinitus. Et consequenter per eamdem cognitionem erit attingenda futuritio absoluta talis actus, & futuritio conditionata eiusdem, quæ inuoluitur in tali medio: atque ita eadem scientia Dei formaliter erit scientia conditionata, & absoluta eiusdem obiecti. Quod impossibile videtur. Respondeo tamen, esto impossibile sit, vt idem actus scientiæ Dei simul sit conditionatus, & absolutus comparatione eiusdem obiecti; hoc tamen impossibile ex nostrâ propositione non sequi. Quia, vt Deus in suo decreto remotè cognoscat actum liberum prædefinitum, non opus est, quòd per eamdem cognitionem cognoscat expressè, & formaliter futuritionem conditionatam eius; sed satis est, quòd illam connotet. Quod fiet, si medium efficax proximè in decreto cognoscendum non constitutiuè, sed denominatiuè tantùm spectatum cognoscatur: quo etiam pacto cum actu prædefinito connexum est; mediumque propterea idoneum, vt actus in illo cognoscatur. Ad cognoscendum enim tale medium denominatiuè spectatum, hoc est pro entitate physicâ, quam habet, prout connotante futuritionem conditionatam actus, siue prout subest illi, non est necesse, quòd per eamdem cognitionem ipsa futuritio cognoscatur expressè, & formaliter; sed satis est, quòd supponatur per aliam cognita, vt sicque connotetur, iuxta doctrinam vniuersalem, quam dedimus disput. 23. num. 106. de modo, quo cognoscit Deus vnum obiectum, vt subest alteri, siue vt connotans alterum.

Obijciunt tamen nonnulli contra propositio- 92
nem.

nem. Decretum prædefiniens actum futurum natura præcedit ipsum actum, vtpote causa eius. Ergo nequit in illo cognosci à Deo ipse actus futurus. Alioquin Deus actum cognosceret futurum, antequàm actus esset futurus. Quod est impossibile. Hoc argumentum æquè procedit contra cognitionem cuiusuis effectus in suâ causâ. Ex quo patet, illud fallax esse. Pro solutione suppono, particulam *ante* in præsenti aut posse sumi ex parte obiecti, aut ex parte cognitionis: tum futuritionem actus aut directè posse vsurpari pro existentiâ actus in tempore posteriori, aut quasi reflexè pro veritate eius iuxta doctrinam datam supra quæst. 2. Quo posito, ad argumentum respondeo, dum Deus cognoscit actum futurum in suo decreto siue priori, siue posteriori genere futuritionis, non cognoscere illum futurum, antequàm sit futurum, sumptâ particulâ *ante* ex parte obiecti: quia non cognoscit illum futurum in mensurâ anteriori, sed in eâdem, in qua reuerà est futurum, etiam si decretum, in quo cognoscit antecedat futuritionem eius. Quoniam cognoscere actum futurum in decreto, non est cognoscere actum futurum in mensurâ decreti, sed cognoscere illum futurum in propriâ ipsius mensurâ, determinante decreto ex suâ ad illius cognitionem. Sumptâ verò particula *ante* ex parte cognitionis. Aut est sermo de futuritione actus quasi reflexâ; & sic certum est, Deum non cognoscere actum futurum, antequam sit futurus: quia in eâdem mensurâ diuinæ cognitionis de actu futuro verum est, illum fore, quod est, esse illum tunc futurum quasi reflexè. Aut est sermo de futuritione actus directâ; & sic certum est etiam, Deum cognoscere actum futurum, antequàm sit futurum, antecedentiâ temporis, hoc est per cognitionem tempore præcedentem eius futuram existentiam. Vtrùm autem antecedentia etiam causalitatis saltem remotâ possit cognitio diuina futuri ipsum futurum antecedere, in tract. de Prouidentiâ Dei discutiendum à nobis est.

93 Aduertò hìc, nonnùllos Recentiores sequuti vt ipsi putant, Soar. duas futuritiones adstruere actus prædefiniti à Deo, alteram proximam seu formalem, qua actus in se ipso est futurus, alteram remotam, seu radicalem, qua futurus est in decreto, quatenus, decreto posito, non possunt non poni media efficacia, ex quibus actus infallibiliter sequendus est. Verùm futuritio hæc actus in decreto, cùm nihil sit ex parte obiecti distinctum à decreto, abusiua est, & impropria; ob idque reijcienda. Quia, esse decretum causam remotam actus prædefiniti connexam cum illo infallibiliter, vel determinatam ad illum, neutiquam est, actum ipsum esse futurum, vt supra quæst. 2. num. 9. suppositum ex sententiâ communi, etiam ipsorum Recentiorum.

94 Deinde aduerto, in quouis decreto efficaci, & absoluto de futuro contingente iuxta sententiam non Connotantium, in qua modò procedimus, non solùm vi connexionis ipsi intrinsecæ cognosci à Deo tale futurum; sed etiam vi comprehensionis. Imo & vi etiam connexionis sibi extrinsecæ in ipso non nudè sumpto, sed prout connotante futurum cognoscitur aliter illud, iuxta dicenda propositione sequenti.

Propositio 4.

Stando in sententiâ Connotantium, futura quæ à solo Deo causantur, in ipso decreto exequutiuo, quo causantur, cognoscuntur à Deo; non quidem vi connexionis decreti excludentis ipsa futura; sed vi connexionis tum illa connotantis, tum ex æquò includentis: insuperque vi comprehensionis. 95

Hæc propositio est contra Vazq. Ruiz, Fasol. Herice, Hurtado supra citatos, & contra alios, qui vniuersè negant, Deum cognoscere futura in suo decreto. Probatur tamen. Nam, cùm in sententiâ Connotantium decretum Dei sit ipse amor intrinsecus, quo Deus se amat, prout terminatus ad obiectum extrinsecum; eoquòd amor Dei ex se amor quoque absolutus est aliorum omnium amabilium, nihilo alio egens, vt in illa ferri dicatur, quàm, quòd illa reuerà sint eâ ratione, qua amanda sunt; efficitur, omnia futura amabilia à Deo ex suppositione, quòd sunt futura, non posse non esse aliquid pertinens ad amorem intrinsecum Dei tanquam ad id, per quod amantur, quodque suâpte naturâ amor est eorum absolutus. Ergo nequit Deus suum intrinsecum amorem perfectè comprehendere non cognitis ipsis futuris. Ergo non potest non in suo intrinseco amore, atque adeò in suo decreto quoad id, quod dicit directè, cognoscere vi comprehensionis ipsa futura. Antecedens huius discursus est ipsa Connotantium doctrina. Vtraque autem consequentia ex doctrinâ traditâ à nobis disput. 25. quæst. 2. & sequentibus est manifesta; in qua proinde ampliùs non est morandum.

Iam verò, quòd non solum vi comprehensionis, sed etiam per cognitionem non comprehensiuam cognoscat Deus in suo decreto dicta futura vi connexionis non excludentis, sed connotantis futura ipsa, ex doctrinâ traditâ eadem disput. 25. quæst. 2. propos. 9. constat. Ibi enim ostendimus, Deum in se vt coniuncto cum alio obiecto cognoscere illud citra sui comprehensionem vi connexionis, quam ipse Deus vt connotans tale obiectum cum illo habet, tametsi ab illo sit absolutus secundùm se præcisè. Ex quo fit, in decreto de futuris benè posse citra comprehensionem cognosci à Deo ipsa futura vi connexionis, qua Deus siue amor eius intrinsecus pront connotans eadem futura connectitur cum illis; tametsi ab illis sit absolutus secundùm se præcisè: quia decretum de futuris iuxta sententiam Connotantium, in qua procedimus, nihil est aliud, vt dicebam, quam amor intrinsecus Dei prout connotans ipsa futura. Vnde rursus efficitur, huiusmodi futura in tali decreto non cognosci vi connexionis excludentis futura ipsa; quia, cùm ea pertineant intrinsecè, tametsi indirectè, ad decretum, non potest decretum cum illis connecti vt cum termino extrinseco: Denique, cognosci insuper dicta futura in coniuncto exæquò includente tum ipsa, tum entitatem Dei siue eius amorem absolutum, qua ratione quæuis pars in suo toto cognosci potest, ex dictis etiam disput. 25. quæst. 2. propos. 8. compertum est. Quibus integra propositio probata manet. 96

Ex eâ autem sequitur primò, eisdem tribus modis cognosci à Deo futura siue necessaria, siue libe- 97

libera, quæ sunt effectus causæ creatæ, in decreto exequutiuo, quo Deus cum ipsâ causâ concurrit, casu, quòd hoc per ipsa futura vt per connotatum compleatur, vt in sententiâ Connotantium haud dubie dici debet, prout in tract. de Prouidentiâ monstrabo.

98 Secundò sequitur, idem etiam dicendum esse in sententiâ istâ de quibusuis alijs decretis siue eâ sint exequutiua, siue intentiua, siue sint prædefinitiua, siue sint comitantia: nimirum eorum obiecta, quibus tanquam connotatis complentur, in ipsis decretis cognosci modis prædictis. De omnibus enim eadem prorsus ratio est. Sine huiusmodi obiecta connotata sint actiones, quibus res fiunt, siue sint ipsæ res factæ: ad præsens enim institutum id nihil interest. Vnum tamen hìc est notandum, casu, quòd decretum per actionem compleatur, vt multi Connotantium putant, non solùm actionem cognosci in decreto modis in hac propositione statutis; sed alio insuper modo de quo egimus propos. 2. & 3. cognosci effectum in decreto ratione actionis, nempe vi connexionis, quam actio habet cum ipso effectu vt cum termino extrinseco. Neque id negat Arrubal disput. 43. cap. 2. vt quidam Recentiores putarunt. Quod autem addit hic Doctor cap. 4. Deum in decreto medij ordinati ad finem cognosci finem ipsum, etiam est verum, si vera est doctrina, quam supponit, quæque modò non est examinanda; nempe dictum decretum infallibiliter esse connexum cum tali fine vt cum termino extrinseco.

Propositio 5.

99 **In decreto, quo Deus decernit causam efficacem futuri vt talem, ipsum futurum cognoscit vi connexionis excludentis ipsum futurum.**

Sermo est de causâ efficaci infallibiliter inferente futurum: vel quia entitatiuè cum illo connexa est, qualiter in sententia Thomistica connectitur prædeterminatio physica cum humano consensu: vel quia inuoluit seu connotat futuritionem conditionatam ipsius futuri, ab eaque sumit efficaciam; prout in auxilio efficaci ad liberum consensum euenit iuxta sententiam Societatis. Etenim, si causa futuri à Deo decreta entitatiuè connectitur cum ipso futuro, nequit non mediatè cum eodem decretum talis causæ connecti, vt constat; cùm nequeat decretum non connecti cum entitate causæ decretâ, & hæc, vt ponimus, cum futuro connexa sit. Quo fit, vt non possit non Deus in decreto tanquam in medio remoto cognoscere futurum iuxta doctrinam datam supra propos. 2. Si verò causa futuri à futuritione conditionatâ eius habeat esse efficax, à Deoque vt efficax decernatur, id ipsum prorsus dicendum erit: quia neque huiusmodi efficacia stare potest sine futuro; neque decretum de causâ vt efficaci sine ipsâ efficaciâ, prout latiùs dicendum in tract. de Prouidentia, dum sermo sit de decreto collatiuo auxilij efficacis. Bifariam autem iuxta ibi etiam latiùs dicenda potest Deus decernere huiusmodi causam, auxilium scilicet nostrum efficax quatenus efficax. Primò decernendo entitatem cogitationis prout subest futuritioni conditionatæ consensus, à qua denominatur efficax. Secundò decernendo directè efficaciam, hoc est, coniunctum ex cogitatione, & futuritione consensus conditionatâ. Quo vtroque modo decretum nequibit non esse connexum suâpte naturâ mediante auxilio efficaci cum consensu futuro. Proindeque nequibit non esse medium idoneum, in quo Deus cognoscat consensum ipsum. Aliud erit, si Deus decernat auxilium efficax, aut aliam huiusmodi causam efficacem futuri quoad entitatem præcisè, nihil curando de efficaciâ, aut inefficaciâ. Tunc enim decretum non magis cum futuro erit connexum, quàm entitas causæ decreta, quæ quidem, vt supponimus, præcisè sumpta indifferens est ad vtrumuis, neque infallibiliter infert futurum ipsum. Ob id egi in propositione de decreto causæ efficacis vt efficacis. Vtrùm autem in decreto de entitate dictæ causæ præcisè effectus ab ipsâ futurus aliquo modo sit cognoscibilis à Deo ex dicendis quæst. 8. compertum fiet.

Propositio 6.

Deus in decreto, quo permittit peccatum, peccatum ipsum cognoscit tanquam in medio remotè cum illo connexo vt cum termino extrinseco. 100

In hanc propositionem consentiunt communiter Thomistæ Bannez, Zumel, Nauarrete, Cabrera, Nazarius, Rispolus, Gonzalez citati à nostro Fasol. 1 par. quæst. 14. art. 13. dub. 11. num. 142. Apud eosque certissima est. Cùm enim ipsi ita necessariam existiment prædeterminationem physicam ad non peccandum, vt sine illâ peccatum simpliciter à voluntate vitari non possit; planè consequitur, permissionem peccati ferentem secum carentiam prædeterminationis prædictæ non posse non connecti essentialiter cum peccato ipso: cum quo proinde remotè pariter connexum erit decretum permittendi peccatum. Quo fiet, vt tale decretum non possit non esse medium idoneum, in quo à Deo cognoscatur peccatum.

Ex nostris verò, qui huiusmodi prædeterminationes nequaquam admittunt, Soar. lib. 2. de Auxilijs cap. 5. à num. 16. & lib. 1. de Scientiâ futurorum cap. 6. à num. 15. quem sequitur Fasolus supra, propositionem datam negat casu, quòd decretum permissiuum peccati non præsupponat scientiam mediam: eâ tamen præsuppositâ, affirmat, ex scientiâ, & decreto infallibiliter inferri, atque adeò etiam cognosci peccatum futurum. Ruiz verò disput. 25. de Scientiâ sect. 3. absolutè nostram propositionem defendit. 101

Ego, vt eam probem explicatiùs, suppono primò, permissionem peccati consistere in collatione auxilij purè sufficientis ad non peccandum, prout coniuncti cum futuritione conditionatâ peccati sub hypothesi ipsius auxilij; siue prout connotantis illam. Tali enim futuritione conditionatâ peccati præcisâ, quidquid remanet in voluntate liberâ ad non peccandum, & ad peccandum ex parte actus primi, nequit non esse indifferens, vt sit, aut non sit permissio peccati: cùm sit indifferens, vt coniungatur cum peccato, vel eius omissione. Ex quo fit, Deum neutiquam dici posse permittere peccatum, nisi vt præuidentem per scientiam mediam, sequendum esse peccatum ipsum ex ijs, quibus voluntatem creatam instruit in actu primo. Cæterùm, quia hæc bifariam possunt decerni à Deo. Primò quo- 102

ad

ad entitatem præcisè. Secundò prout subsunt futuritioni conditionatæ peccati, à qua sortiuntur denominationem permissionis. Efficitur, decretum eorum duobus modis posse esse permissiuum peccati. Primò suâpte naturâ, & intrinsecè. Secundò per coexistentiam extrinsecam cum scientiâ mediâ de peccato. Quippe Deus decernens ea, ex quibus præuidet peccatum sequendum, peccatum permittere dicetur; siue quoad entitatem præcisè decernat illa ob bonitatem quam habent seclusâ denominatione permissionis; siue decernat, vt sunt formaliter permissio peccati, hoc est, vt subsunt futuritioni peccati conditionatæ. Quo pacto benè possunt decerni, nullatenus amato peccato, vt ostendam in tract. de Voluntate. Ex indicatisque sæpe in hoc tract. colligere est. Benè quippe potest voluntas amare aliquod bonum, vt subest alicui malo, quin amet ipsum malum; etiamsi talis actus amoris non possit non connotare illud.

103 Suppono secundò, Deum de facto sæpe permittere peccatum, volendo permissionem eius, non vtcunque, sed quia permissio est, hoc est, volendo entitatem permissionis non nudè sumptam, sed prout subest futuritioni conditionatæ peccati, à qua habet rationem permissionis. Hoc supponunt imprimis testimonia Scripturæ, & Patrum, quibus Deus dicitur permittere peccatum ex intentione pœnitentiæ, alteriusve virtutis ex peccato oriundæ. De quibus agemus in tract. de Prædestinatione. Deinde id ipsum indicant ea omnia loca, quibus actiones prauæ consilio, decreto, definitione, aut mandato Dei dicuntur fieri. Tum ea, quibus Deus mouere, aut incitare dicitur ad eiusmodi actiones. Necnon illa, quibus dicitur indurare cor, & excæcare. Cuncta enim hæc apertè videntur indicare, Deum suâ voluntate aliquid velle inferens peccatum infallibiliter prout illud inferens, qualis est permissio vt permissio. Plura ex commemoratis testimonijs reperies apud Ruiz loco nuper citato.

104 Ex his facilè constat propositio. Nam, si decretum permissiuum peccati est intrinsecè, & suâ naturâ permissiuum, vt sæpe de facto est iuxta dicta, eodem pacto erit connexum cum peccato, aptumque medium subinde ad cognoscendum illud, ac est connexum cum consensu, & medium ad eum cognoscendum decretum de auxilio efficaci vt tali iuxta doctrinam propos. 5. Si autem decretum extrinsecè permissiuum est à consortio scientiæ mediæ de peccato futuro, licèt secundùm se præcisè non sit connexum cum peccato, proindeque neque medium idoneum in quo peccatum cognosci possit vi talis connexionis; vt coniunctum tamen cum scientiâ mediâ de peccato, à qua sortitur rationem decreti permissiui, & connexum cum peccato, & medium cognoscendi illud erit. Repugnat enim, Deum præuidere conditionatè, ex entitate permissionis sequendum peccatum, talemque entitatem decerni a Deo, & peccatum ebsolutè non fore, vt constat. Quomodò autem decretum intrinsecè permissiuum actus praui, atque etiam decretum collatiuum auxilij efficacis ad actum bonum benè cohæreant cum libertate talium actuum, tametsi cum illis essentialiter connexa sint, prioraque illis remotè in statu absoluto in tract. de Prouid. explicandum est. Et hæc satis pro præsenti quæstione.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm Deus in causâ creatâ proximè liberâ cognoscat effectum futurum.

AFfirmant Thomistæ communiter. Quia, cùm compleant potentiam causæ creatæ etiam liberæ per physicam prædeterminationem connexam essentialiter cum effectu. Consequenter asserunt, in causâ liberâ prædeterminatâ non posse non vi talis connexionis ipsum effectum cognosci à Deo, Ita Bannez 1.par.quæst.14.artic.13.concluſ. 3.Machin.disput.32.Cornejo disput.2.dub.8.Aluarez lib.2.de Auxilijs disput.12. Ledes. lib.de Auxil.disput.de Scientiâ futurorum dub. 2. & alij. Reliqui verò Theologi, qui physicam prædeterminationem vt libertati aduersam reijciunt, vnanimi consensu asseuerant, in voluntate liberâ in actu primo neutiquam cognoscere Deum effectum futurum tanquam in medio metaphysicè connexo cum illo. Sunt tamen, qui putent, in voluntate moraliter tantùm prædeterminatâ ad consensum cognoscere Deum ipsum consensum futurum cum metaphysicâ certitudine. Ita cum Argentina, & Durando tenent Granad. 1.par. tract.de Scient. disput.4. sect.4. & alij. Cui sententiæ fauet Bellarminus lib.4.de Grat.& liber.arbit.cap.15. Tertia sententia est, Deum consensum nostrum liberum cognoscere in applicatione præuiâ, qua voluntas se ad illum liberè determinat absque vllâ sui præuiâ physicâ immutatione, sed summùm morali, aut virtuali. Ita cum Valent. 1. par. quæst.14.artic.13.Raynaud. in Disciplinâ morali, Salazar de Concept. Coninc. de Sacrament. tenet notissimè, licèt formidolosè, Franc. de Lugo 1.par.disput.32.cap.4.& 5.Quarta sententia est, in voluntate creatâ per super comprehensionem eius cognosci à Deo consensum liberum futurum, huius futuritione suppositâ. Sic Molina 1.par.quæst.14. art.13.disput.14. & 15. & in Concord.disput.49. & 50. Becan.1.par.cap.10.quæst.7. Et docti Recentiores. 105

Propositio 1.

Deus in voluntate creatâ proximè liberâ nequit effectum libere futurum cognoscere tanquam in medio cum eo connexo metaphysicâ connexione. 106

Quoniam huiusmodi connexio cum effectu futuro prorsus repugnat voluntati proximè liberæ. Vt enim contra Thomistas prædeterminantes suo loco monstrabimus, quoties potentia proxima voluntatis aliquid claudit, ratione cuius metaphysicè cum effectu ab eâ causando connexa est, omnino manet necessitata ad illum, nec libera potest existere respectu eius. De quo ibi plura.

Propositio 2.

Deus in causâ liberâ moraliter cum effectu connexâ non cognoscit vi talis connexionis effectum re ipsâ futurum. 107

Ratio est. Quia, cùm causa moraliter tantùm

tùm cum effectu connexa sit compatibilis metaphysicè cum negatione effectus, non potest non cognitio effectus nitens in tali connexione tanquam in medio determinante, esse quoque compatibilis metaphysicè cum negatione effectus, atque adeò fallibilis metaphysicè: qualis cognitio diuina esse non potest; sicuti potest nostra. Quo fit, vt, licèt nos per cognitionem huiusce modi connexionis causæ ad iudicandum, fore effectum, inducere possimus; Deus tamen non possit.

108 Dices. Etsi Deus ex præcisâ connexione morali causæ ad iudicandum effectum induci non possit: quia exponeretur metaphysico periculo deceptionis. Ast, suppositâ futuritione effectus, non est, cur non possit induci: quia iam cessat tale periculum. Respondeo, cognitionem effectus in causâ supponentem ipsius effectus futuritionem non esse cognitionem effectus in causâ titulo connexionis præcisè, quam habet causa cum effectu. De quo genere connexionis loquimur in propositione. Sed cognitionem effectus in causâ altero titulo aut comprehensionis causæ, aut connotationis effectus, de quibus postea. Itaque à prædeterminatione morali causæ ad effectum præcisè sumptâ titulo connexionis moralis, quam cum illo habet, non potest intellectus diuinus determinari ad cognoscendum effectum. Quia, si posset, talis prædeterminatio per se præcisè esset adæquatum, & sufficiens determinatiuum intellectus diuini ad cognitionem effectus: atque ita intellectus diuinus, vtpote potentia necessaria, cohiberi non posset, quominùs per illam semel existentem ad talem cognitionem determinaretur cum metaphysicâ necessitate. Quod esset, suppositâ existentiâ talis prædeterminationis metaphysicè compatibilis cum carentiâ effectus, necessitatum esse Deum metaphysicè ad habendam cognitionem de effectu metaphysicè compatibilem cum eius carentiâ, atque adeò metaphysicè fallibilem. Quod prorsus Deo repugnat.

109 Cum hoc tamen stat, suppositâ existentiâ eiusmodi prædeterminationis moralis causæ ad effectum, Deum cum metaphysicâ infallibilitate cognoscere, futuritionem talis effectus esse certam, siue infallibilem moraliter, seu, quod in idem recidit, esse moraliter necessarium, siue certum, siue infallibile, quod existet talis effectus. Nam hoc aliud non est, quàm, cognoscere Deum connexionem moralem, quam talis prædeterminatio suapte naturâ habet re ipsâ cum eo, quòd existat talis effectus. Ab eâ quippe connexione existentia ipsius effectus necessaria, certa, & infallibilis moraliter denominatur re ipsâ. Quod totum metaphysicè compati potest cum eo, quòd non existat effectus.

110 Ex his infertur, neque posse Deum in causâ necessariâ physicè, siue naturaliter determinatâ ad effectum, physicâque proinde, siue naturali connexione connexâ cum illo cognoscere effectum ipsum vi talis connexionis prout re ipsâ futurum. Quia talis etiam cognitio metaphysicè esset fallibilis; qualis Deo repugnat. Siquidem talis causa, etsi naturaliter, & citra miraculum non possit manere sine effectu, eiusmodi determinatione, atque connexione suppositâ, miraculosè tamen, atque adeò metaphysicè potest.

Propositio 3.

In præuiâ applicatione, siue determinatione liberâ voluntatis nostræ ad consensum Deus consensum ipsum neutiquam cognoscere potest; vti dicebant Auctores tertiæ sententiæ relatæ num. 105. 111

Quia eiusmodi determinatio libera præuia ad consensum, prout à suis Auctoribus ponitur, omnino chymærica est, vt suo loco contra eos ostendo: & in præsenti supponendum potiùs est, quàm probandum.

Propositio 4.

Deus in auxilio efficaci prout efficaci, atque adeò etiam in voluntate creatâ prout auxilio efficaci instructâ effectum vt absolutè futurum nosci vi connexionis, qua auxilium efficax prout efficax cum tali effectu connexum est. 112

Etenim, quanquam auxilium efficax apud nos physicè, & quoad intrinsecum præcisè spectatum, cogitatio quædam sit prorsus indifferens, vt coniungatur cum effectu, vel cum eius carentiâ; prout connotat tamen, seu inuoluit veritatem conditionatam talis effectus, à qua dicta cogitatio sortitur denominationem efficacis, nullatenus potest sine effectu consistere. Repugnat enim, esse verum conditionatè, extiturum effectum, si talis cogitatio daretur, &, eâ iam absolutè datâ, effectum non existere. Ex hoc autem fit, auxilium efficax prout efficax omnino infalliblliter esse connexum cum effectu, eo nimirum genere connexionis, quam multi logicam appellant. Quo rursus fit, vt illud sit medium idoneum, in quo Deus cognoscat effectum, prout dicitur in propositione. Quomodò autem per eamdem cognitionem auxilium efficax, & effectus absolutè futurus cognosci possint, prout opus est, vt in primo secundus cognoscatur, etiamsi efficacia auxilij per futuritionem conditionatam ipsius effectus constituatur, supra quæst. 7. num. 91. explicatum est.

Propositio 5.

In voluntate creatâ indifferente in actu primo atque adeò absolutâ prorsus à futuro consensu ipsum consensum cognoscit Deus, supposito, quòd ille est futurus, vi comprehensionis, qua talem voluntatem perfectissimè comprehendit. 113

Ita Molina, & sui citati num. 105. pro quartâ sententiâ. Constatque ex doctrinâ traditâ à nobis disput. 25. quæst. 2. Vbi statuimus, eatenus Deum in suâ omnipotentiâ cognoscere creaturas tum existentes, tum possibiles, suppositò, quòd illæ sint, quantumuis ab illis omnipotentia sit absoluta, quatenus, tali factâ suppositione, creaturæ quid pertinens sunt ad omnipotentiam tanquam ad causam, eoque iure omnipotentia perfectè sine illis cognitis comprehendi non potest. Quod ipsum locum habet pariter in consensu libe-

ro respectu voluntatis indifferentis, cuius effectus est. Et vniuersim in quouis effectu contingenti relatè ad suam causam, quantumuis hæc ab ipso effectu absoluta sit.

114 Ex quo patet, eodem etiam titulo cognoscere Deum futurum contingens in decreto indifferenti, quo iuxta sententiam non Connotantium concurrit cum voluntate creatâ, prout supra quæst. 5. num. 87. commemorauimus. Quia tale decretum, etsi omnino sit absolutum à tali futuro sine illo tamen, vtpote effectu ad se pertinente, perfectè comprehendi non potest. Vtrùm autem huiusmodi comprehensio Dei perfectissima, vi cuius non solùm effectus possibiles, sed etiam futuri in suâ causâ, aliàs indifferenti, cognoscuntur à Deo, super comprehensio vocari debeat, vt eam vocant Molina, & Recentiores supra citati, quæstio erit de nomine. Id mihi displicet in Moinâ, quod asserit locis supra relatis, non posse Deum citra iacturam suæ libertatis per similem suæ voluntatis comprehensionem cognoscere in illo sua decreta. Sed de hoc infra disput. 28. agam contra Molinam ipsum.

Propositio 6.

115 In voluntate indifferenti prout coniunctâ cum futuro consensu ipsum consensum futurum cognoscit etiam Deus.

Ea nimirum ratione qua disput. 25. quæst. 2. propos. 6. diximus, Deum in suâ omnipotentiâ vt coniunctâ cum creatura cognoscere creaturam ipsam; & vniuersim in quouis obiecto vt coniuncto cum alio, siue vt connotante illud cognoscere ipsum aliud. De quo etiam genere cognitionis egimus quæstione præcedente propos. 4. Recolantur ibi dicta, & applicentur ad rem præsentem.

116 Illud ad extremum adijcio. Ex omnibus illis obiectis cognoscere etiam Deum futura contingentia, in quibus illa cognoscere, diximus in præsenti quæstione. Quia, quidquid Deus cognoscit in alio, etiam cognoscit ex eodem per virtualem discursum, vt disput. 25. quæst. 4. & sæpe aliàs dictum est. Quòd autem non abstractiuè, sed intuitiuè cognoscat Deus futurum contingens, quando illud in alio obiecto, aut ex alio cognoscit, ex vniuersali doctrinâ traditâ à nobis disput. 23. quæst. 6. & 7. & sæpe repetitâ deinceps disput. 24. & 25. satis, superque notum est.

QVAESTIO IX.

Vtrùm Deus cognoscat sua decreta, vt futura.

117 NOnnulli tractant hic hanc quæstionem: ob id nos eam adiungimus. In qua solùm est sermo de decretis, quæ absolutè existunt in Deo, deque eorum absolutâ futuritione, & cognitione. Vtrùm enim Deus cognoscat aliqua sua decreta vt futura, siue vt existentia sub conditione, præscindendo ab eo, quòd illa existant absolutè, vel secus, alia quæstio est infra tractanda disp. 28. In præsenti autem quemadmodum de futuritione, ita & de præteritione decretorum Dei agi potest.

Suppono autem ex communi, decreta, quæ 118
Deus habet, æterna esse à parte ante, & à parte post. Quia fieri nequit, vt Deus in tempore incipiat, aut desinat aliquid velle. Idque siue decreta Dei per aliquod connotatum extrinsecum compleri dicantur, siue adæquatè Deo ipsi ponantur intrinseca iuxta diuersas opiniones. Itaque decreta Dei, quæ semel existunt, ab æterno, & in æternum, atque adeò semper, siue in omni tempore existunt.

Quo posito, duo sunt apud omnes certa, 119
loquendo de futuritione propriâ, qua in tempore præsente dicitur id esse futurum, quod in tempore posteriore extiturum est. Nempe nullum decretum Dei esse futurum purè: & omne decretum Dei esse futurum non purè. Quia iuxta doctrinam supra traditam quæst. 2. id dicitur futurum purè, quod ita extiturum est in tempore posteriori, vt non existat in præsenti. Id autem futurum non purè, quod ita extiturum est in tempore posteriori, vt etiam existat in præsenti. Constat autem ex suppositione factâ, omne decretum Dei, quod semel existit, semper, siue in omni tempore existere, atque adeò & in tempore præsenti existere, & in posteriori extiturum. Proindeque nullum esse decretum Dei ita in tempore posteriori extiturum, vt non existat in præsenti. Quod ipsum est, nullum decretum Dei esse futurum purè: &, omne decretum Dei esse futurum non purè, loquendo de futuritione propriâ, quæ respectiuè ad diuersa instantia temporis priora, & posteriora considerantur.

Hinc planè fit, certum quoque debere esse 120
apud omnes, Deum omnia decreta sua cognoscere vt futura non purè, & nullum eorum cognoscere vt purè futurum, loquendo de futuritione propriâ, quæ spectatur penes diuersa instantia temporis priora, & posteriora. Quia cognoscit illa, sicuti sunt re ipsâ, vt est notum: & omnia illa re ipsâ tali futuritione sunt futura non purè: nullum autem purè futurum, vt dictum est.

Et quoniam æquè certum est, (pari, pro- 121
portionalique modo, loquendo de præteritione, ac de futuritione temporaneâ iuxta dicta etiam quæst. 2.), nullum decretum Dei esse purè præteritum, quatenus nullum est, quod extiterit in tempore anteriori, & in præsenti non existat: & omne decretum Dei esse præteritum non purè, quatenus omne decretum Dei ita extitit in omni tempore antecedenti, vt etiam existat in præsenti. Rursus fit, certum quoque apud omnes esse debere, Deum omnia decreta sua cognoscere vt præterita non purè: & nullum cognoscere vt purè præteritum temporaneâ præteritione. Quia ita se se habent re ipsâ.

Quoniam item, vt in eadem quæst. 2. statu- 122
tum est, futuritio temporanea rerum (& idem est de præteritione) alia est directa, qua res dicitur esse futura, siue fore in tempore posteriori ad præsens: alia est reflexa, qua dicitur, verum esse, siue iudicabile verè in vno tempore rem fore, siue esse futuram in posteriori; planè item consequitur, certum præterea debere esse, omnia decreta Dei vtràque huiusmodi futuritione, ac præteritione futura non purè, præteritaque non purè esse: & nullum eorum tale esse purè. Vt sicque proinde cognosci à Deo.

His igitur tanquam certis statutis, solùm, 123
supereſt quæstio, an, loquendo de futuritione, atque præteritione impropriâ, quæ præcisè consi-

de-

siderátur respectiuè ad diuersa signa priora, & posteriora prioritate, & posterioritate non temporis, sed tantùm siue naturæ, siue rationis iuxta dicta quæst. 2. num. 16. aliqua decreta Dei futura, aut præterita sint, vt taliaque proinde cognoscatur ab ipso Deo. Affirmant alij. Et alij negant. Vt videre est apud Mœrat. tom. 1. disput. 28. sect. 6. Alarc. disput. 3. de Scient. cap. 1. Bernal disput. 18. de Incarnat. sect. 1. Ribas disput. 5. de Scient. cap. 10. Ribaden. disput. 11. de Scient. cap. 1. & alios Recentiores. Sed controuersia fere est de modo loquendi.

Propositio 1.

124 Futuritione quadam impropriâ benè possunt dici futura decreta Dei pro suo signo posteriori respectu signi prioris, in quo esse concipiuntur voluntas Dei, & cognitiones à quibus illa procedunt aliquo modo.

Certum est enim, voluntatem Dei prout instructam cognitione, qua mouetur ad decernendum, aliquo genere prioritatis siue naturæ, siue rationis præcedere suum decretum; atque ita duo signa considerari, alterum prius voluntati sic instructæ respondens, alterum posterius respondens ipsi decreto. Quemadmodum ergo res, quæ non existit in instanti temporis præsenti, existet tamen in alio posteriori, respectiuè ad instans præsens purè futura dicitur futuritione directa: reflexáque futuritione dicitur, esse in instanti præsenti verum, eam in posteriori fore, siue esse futuram. Ita analogicè decretum non existens in signo voluntatis, à qua procedit, sed in suo proprio posteriori respectiuè ad signum voluntatis potest dici futurum futuritione suo modo purâ, & directâ: reflexâ autem futuritione dici etiam potest, verum esse in signo voluntatis, fore, siue futurum esse decretum in suo signo posteriori.

125 Dices. In signo voluntatis diuinæ prout conferentis, vt in signo posteriori existat decretum, non potest dari iudicium de existentiâ decreti: quia solùm dantur in tali signo, quæ conferunt, vt existat decretum, & iudicium de existentiâ decreti nequit ad existentiam ipsam conferre; cùm potiùs eam supponat. Ergo in signo voluntatis diuinæ non potest esse iudicabile verè, atque adeò nec verum, decretum extiturum esse in suo signo posteriori. Quod est, existentiam decreti respectiuè ad signum præcedens voluntatis futuram non esse futuritione reflexâ: & consequenter neque directâ; cùm non iudicabile verè futurum eo ipso non sit futurum.

126 Vt vis huius obiectionis clariùs appareat, noto, benè posse dari in Deo decretum, ad cuius existentiam conducat conducentiâ remotâ scientia visionis de eâdem ipsius decreti existentiâ, prout constabit ex vniuersaliori doctrinâ tradendâ à nobis tract. de Prouidentiâ. Quo casu talis scientia de existentiâ decreti simul cum voluntate diuinâ erit in signo præcedente remotè signum ipsius existentiæ decreti. Quia tamen voluntas diuina per scientiam de existentiâ decreti ad ipsum decretum concipiendum, atque adeò ad dandum illi existentiam ipsam immediatè moueri nequit, vt satis ex se est notum, & ex dicendis latiùs in tract. de Prouidentiâ citato constabit ampliùs, idcirco scientia de existentiâ decreti ad ipsam existentiam ponendam nequit conducere immediatè, proindeque neque esse simul cum voluntate in signo conducentiæ proximæ immediatè præcedente signum ipsius existentiæ decreti. Quæ cùm ita sint, iam apparet obiectionem factam non inprimo casu, sed in secundo dumtaxat habere locum.

Ad quam nihilominùs etiam pro secundo 127
casu, in quo contra propositionem datam militat, respondendum est, vt decretum Dei dicatur futurum tum directâ, tum reflexâ futuritione in suo signo posteriori respectiuè ad signum anterius voluntatis diuinæ, sat esse, quod in signo voluntatis diuinæ verè iudicaretur, esse decretum extiturum in signo posteriori, ex hypothesi, quòd in signo voluntatis diuinæ esset iudicium de existentiâ posteriori decreti; sit, aut non sit possibilis talis hypothesis. Nam, vt aliquid sit futurum tum directâ, tum reflexâ futuritione, satis est, ita se se habere re ipsâ, vt, quantùm est ex parte sui, cum veritate sit iudicabile futurum, si aliunde non repugnet tale iudicium.

Ex dictis inferendum est, omnem futuri- 128
tionem, quam habent decreta Dei respectiuè ad omnia signa anteriora voluntatis diuinæ, saltem materialiter, siue fundamentaliter sumptam, qua ratione se se habet re ipsâ, cognosci à Deo. Nam Deus non potest non cognoscere, quæcunque sunt, qua ratione re ipsâ sunt. Quia tamen futurum formaliter vt futurum futuritione directâ solùm cognosci potest per iudicium existens in signo anteriori, ex quo illud cum veritate dicitur in posteriori futurum, iuxta doctrinam supra datam quæst. 2. Deus decreta sua ex ijs tantùm signis anterioribus potest cognoscere formaliter vt futura futuritione directâ, in quibus iudicium de existentiâ eorum in posterioribus potest existere; non verò item ex ijs, in quibus non potest, iuxta duos casus commemoratos num. 126. Futuritione verò reflexâ formaliter vt futura cognoscit Deus omnia decreta sua respectiuè ad omnia signa, respectu quorum sunt futura. Quia ad hoc satis est, iudicare, esse illa, quatenus est ex parte sui, ex talibus signis verè cognoscibilia vt futura, in quocunque demum signo existat tale iudicium. Quæ omnia ex doctrinâ expositâ supra quæst. 2. vnâ, cum traditâ in hac quæst. facilè constant.

Propositio 2.

Præteritione quadam impropriâ be- 129
nè possunt dici præterita decreta Dei pro aliquo suo signo priori respectu signi posterioris in quo creaturæ existunt ab illis oriundæ.

Hoc enim ipso, quòd signum causæ, & signum effectus eidem instanti temporis respondentium ordinem prioris, & posterioris habent secundùm naturam, eodem omnino titulo, quo effectus respectu signi anterioris causæ in suo posteriori dici potest esse futurus iuxta dicta propos. 1. causa respectu signi posterioris effectus in suo priori dici potest esse præterita, vt est manifestum. Quomodò autem Deus eiusmodi decretorum suorum impropriam præteritionem cognoscat, ex dictis circa propos. 1. potest quisque colligere. In his enim

explicandis minutiùs non oportet morari.

130 Duas quæstiones, quas hic Auctores solent tractare; alteram de concordia præscientiæ Dei cum libertate creatâ; alteram de influxu, siue causalitate eius in effectus creatos; ad tract. de Prouidentiâ differimus: quia ibi à nobis oportuniùs tractandæ venient.

DISPVTATIO 28.

De scientiâ Dei conditionatâ tum generaliter tum specialiter acceptâ.

1 DE scientiâ Dei conditionatâ in genere, atque etiam de speciebus eius est nobis in hac disputatione agendum. Cuius potissimus scopus est celebris illa controuersia, quæ non multis ab hinc annis inter Patres Dominicanos, & nostros exorta fuit circa scientiam, qua Deus cognoscit obiecta contingentia conditionata, dum circa efficaciam diuinæ gratiæ feruidè vtrinque pugnaretur. Nostri enim scientiam huiusmodi obiectorum vt necessariam ad prouidentiam auxiliorum gratiæ totis viribus adstruebant, ac modò etiam adstruunt in Deo. Illi verò refragabantur, prout videbimus in decursu disputationis. In qua quidem sermo non est futurus de scientiâ Dei conditionatâ ex parte actus, id est, quæ reuerâ in Deo non datur, daretur tamen si alia essent ab ijs, quæ sunt, cognoscibilia obiecta, quæ modò non sunt talia. Indubitatum enim est, Deum cognituram omnia obiecta, quæ modò non sunt cognoscibilia casu, quòd illa cognoscibilia essent, æquè, ac de facto cognoscit, quæcunque de facto cognoscibilia sunt. Sed erit sermo de scientiâ Dei conditionatâ tantùm ex parte obiecti, quæ ex parte actus absoluta est, de factoque reuerâ reperitur in Deo; & circa obiectum non absolutum, sed conditionatum versatur.

QVAESTIO I.

Quid sit obiectum conditionatum: quid scientia, siue notitia conditionata: & quid propositio, seu enunciatio conditionata correspondens tali obiecto, & notitiæ.

2 OBiectum conditionarum est, quod non cognoscitur esse absolutè, sed fore ex suppositione, quòd aliqua poneretur conditio. Posse autem vnum obiectum cognosci, seu iudicari sub conditione quod aliud sit, manifestum est: quia & potest sub eâdem conditione esse: & quidquid habet esse, qua ratione habet esse, eâdem ratione cognoscibile, siue iudicabile est. E. g. si poneretur ignis in hoc suggesto, reuerâ in eo esset calor. Igitur iudicabile est, fore hìc calorem ex hypothesi, quòd esset ignis. Itaque quoties aliquid conditionatè iudicatur, duo intercueniant ex parte obiecti, necesse est, nempe id, quod ponitur in hypothesi, & id, quod sub hypothesi iudicatur: primum appellatur conditio; secundum propriè obiectum conditionatum: (tametsi nonnulli quandoque nomine obiecti conditionati vtrumque comprehendant). Poni autem aliquid in hypothesi, nihil est aliud, quàm apprehendi simpliciter eo genere apprehensionis, quo res apprehensa ita concipitur, ac si esset, vt per talem conceptionem ponatur, seu supponatur esse in ordine ad iudicandum aliud, vt subest illi, seu sub hypothesi, quòd illa sit. Quam apprehensionem constituentem hypothesim vocauimus disput. 23. quæst. 3. eamque à cæteris non constituentibus hypothesim ex peculiari modo tendendi in rem apprehensam discriminauimus. Ex quo patet, obiectum conditionatum sine obiecto posito in hypothesi, quod conditionem appellant, constare non posse: quia, esse aliquid obiectum conditionatum, nihil est aliud, quàm, esse cognoscibile sub hypothesi, siue sub conditione alterius.

Hinc scientia, notitia, siue iudicium conditionatum, quale est iudicium, quo iudicatur conditionatum obiectum, non potest non essentialiter secum ferre simplicem apprehensionem ponentem in hypothesi obiectum alterum, quod vicem habeat conditionis, sub qua iudicetur obiectum ipsum conditionatum. Vnde iudicium conditionatum eo differt ab absoluto, quòd absolutum, nullâ alterius obiecti hypothesi factâ, tendit in suum obiectum; condirionatum verò ex factâ hypothesi alterius obiecti tendit in suum. Quo rursus fit, vt valde in modo tendendi differant: primum enim absolutè; secundum hypotheticè, siue conditionatè tendit. Iudicatur namque per primum absolutè esse obiectum: per secundum verò, non esse, sed fore casu, quòd poneretur, aut quòd ponatur aliud quidpiam; siue hoc absolutè sit ponendum, siue non sit ponendum. Priori modo iudico, cùm dico, cathedram hanc calidam esse. Posteriori autem, cùm dico, non calidam esse, sed fore calidam casu, quòd illi ignis admoueretur. Ex quibus patet, quid sit scientia, siue notitia conditionata; & quo differat ab absoluta. 3

Iam verò propositio conditionata, seu hypothetica propriè dicta ea est, quæ iudicio conditionato, eiusque hypothesi correspondet, obiectumque conditionatum, quod explicuimus, enunciat, ponendo videlicet vnum vt conditionem in hypothesi, & alterum enunciando sub hypothesi ipsâ: quod præstat per particulam *Si* præpositam, vt, cùm dicimus, *Si Petrus curreret, moueretur*. Vel per alteram æquiualentem, vt si dicamus. *Casu, quòd Petrus curreret*, vel, *Ex hypothesi, quòd Petrus curreret*, vel, *Posito, quòd Petrus curreret, moueretur*. Omnis enim propositio conditionata, seu hypothetica propriè sumpta, de qua in præsenti sermo est, duas partes debet habere, alteram respondentem hypothesi mentali, quæ oratio quædam est imperfecta non affirmans, aut negans, sed ponens pariter in hypothesi conditionem, præpositâ particulâ *Si*, vel aliâ æquiualente; alteram respondentem rem iudicio conditionato, qua enuncietur (seu affirmando, seu negando) sub ipsâ hypothesi, quod sub eâdem iudicatur per tale iudicium, in quaque subinde in rigore ratio conditionatæ enunciationis directè stare dicenda est: altera enim pars constituens hypothesim quasi præsuppositiuè spectat ad illam. 4

Ex

5 Ex quo apparet, particulam *si* tunc solùm facere propositionem propriè conditionatam, quando vsurpata in sensu hypothetico subseruit construendæ hypothesi, vt explicuimus: non item quando alijs modis accipitur, vt sæpe solet. Solet enim accipi primò optatiuè, vt sit idem quod *vtinam*, Virgilius. *Si nunc se nobis ille aureus arbore ramus ostendat*, id est, vtinam se ostendat. Secundò dubitatiuè, vt sit idem, quod *vtrùm*, Cicer. de Diuinat. *Dicito, Si pascuntur aues*, id est, vtrùm pascantur. Quibus duobus modis non adiungitur propositioni aliquid enuncianti, sed orationi imperfectæ suspensum sensum relinquenti. Tertiò accipitur in sensu absolutè assertiuo, supponendo scilicet vnum non per hypothesim, sed per absolutam assertionem, & inde aliud absolutè enunciando. Quod rursus tribus modis fit; illatiuè, causatiuè, & coniunctiuè, seu coexistenter, vt ita dicam, ita, vt particula *Si* æquiualeat particulis *ergo*, *quia*, *vnà*, *seu pariter*. Primo modo vsurpata est à Christo Domino Ioan. 15. cum dixit. *Si me persecuti sunt, & vos persequentur*. quæ est illiatio à maiore ad minus. Secundò modo vsurpatur, cum de homine, quem liberalem esse, noscimus, dicimus. *Si est liberalis, habebit amicos*. id est, *Quia est liberalis*. Tertiò modo capitur, quando ita loquimur. *Si Petrus est diues, ego sum nobilis. Si Petrus est Romæ, ego sum Matriti*. Qua phrasi paritatem solùm, coniunctionem, vel coexistentiam eorum obiectorum innuimus; idque assertiuè, & absolutè.

7 Cæterùm his eisdem tribus modis solet particula *Si* vsurpari, quando accipitur in sensu hypothetico, supponendo vnum per hypothesim, & inde aliud conditionatè enunciando: (qui solus est sensus faciens ad præsens institutum; nam cæteri absoluti ad scientiam pertinent absolutam). Illatiuè quidem, vt, cùm dicimus, *Si daretur effectus, daretur causa*. Causatiuè, vt, cùm dicimus. *Si daretur ignis, daretur calor*. Et coniunctiuè, vt, cùm dicimus. *Si gallus cantauerit, Turca conuertetur*. Qui modus vltimus disparatus vocari solet, eo quòd conditio, quæ ponitur in hypothesi, neque influit in conditionatum, ad illudve conducit aliquo modo, neque cum illo connexa est: cæteroquin modus est conditionati obiecti in alijs duobus imbibitus, & ab illis inseparabilis. Nam, licèt obiectum absolutum tum secundùm se præcisè, tum, quatenus subest alteri vt circunstantiæ, siue prout illud connotans iudicabile sit iuxta dicta disput. 23. quæst. 4. num. 106. ast obiectum conditionatum hoc ipso, quòd non absolutè, sed sub alterius hypothesi iudicabile est, non potest non vt subest illi, siue vt connotans illud, siue vt cum eo coniunctum hypotheticè iudicari. Quo fit, vt nulla propositio conditionalis excludat sensum coniunctiuum; etsi addat insuper illatiuum, aut causatiuum. Vnde conditionalis illatiua, & causatiua eo differunt à purè coniunctiua, quòd, præter coexistentiam, seu coniunctionem conditionati cum conditione, quam omnes enunciant ex hypothesi, quòd conditio ponatur, illatiua insuper tacitè saltem, seu virtualiter enunciat connexionem conditionis cum conditionato: causatiua autem influxum eius, siue conducentiam in illud. Quemadmodùm enim, cùm absolutè pronunciamus, *Effectus datur, ergo datur causa*, non solùm significamus, effectum connecti cum causâ, illamve inferre, sed absolutè causam existere simul cum effectu, siue illi coexistere. Tum, cùm pronunciamus, *Quia vocatus est, consensit*. non solùm significamus, vocationem esse causam consensus, sed absolutè dari consensum simul cum vocatione. Ita cùm conditionatè proferimus, *Si daretur effectus, daretur causa*, non solùm enunciamus connexionem, seu illationem, qua effectus infert causam, sed existentiam conditionatam, quam causa haberet simul cum effectu casu, quòd daretur effectus. Imo primum tacitè tantùm, indirectè, seu virtualiter, secundum expresè, directè, & formaliter enunciamus. Similiter, cùm dicimus in sensu causatiuo, *Si vocaretur, consentiret*, non solùm significamus, vocationem in tali hypotesi fore causam consensus, sed etiam, consensum verè extiturum simul cum vocatione, à qua causaretur. Potest autem eadem propositio omnes tres sensus simul sortiri, vt si dicamus, *Si daretur ignis, daretur calor*, significando simul illationem, & causationem caloris ex igne, & coexistentiam cum illo in hypothesi datâ. Sed de his conditionalium propositionum diuisionibus quæstione sequente dicemus plura. Viderique insuper poterunt quæ scripsimus in Pharo Scient. disput. 19. quæst. 1. sæpeque alibi.

Supereſt tamen in præsenti adnotandum primò, obiectum conditionatum & verum, & falsum esse posse. Vnde latiùs illud patet, quàm veritas conditionata obiectiua: quæ ab obiecto conditionato vero indistincta est. Quemadmodùm autem sub obiecto conditionato conditionem etiam comprehendunt aliqui, vt notabamus num. 2. ita etiam veritatem conditionatam vocare solent totum complexum ex conditione, & conditionato. Cùm tamen id solum, quod sub hypothesi conditionis est verum, veritas conditionata propriùs dicatur, quatenus id solum prout tale est iudicabile verè sub tali hypothesi per expressum, siue formale iudicium conditionatum. Conditio enim quatenus talis, siue in vi conditionis dumtaxat est supponibilis, siue ponibilis in hypothesi per simplicem apprehensionem ipsius hypothesis constitutiuam, ad ipsumque conditionatum iudicium prærequisitam. Dico tamen, *quatenus talis, siue in vi conditionis*: quoniam in vi conditionati obiecti etiam est iudicabilis verè conditio per expressum siue formale iudicium conditionatum, atque ita vera obiectiuè sub sui met hypothesi prætiâ; quatenus ex hypothesi, quòd quæuis conditio habeat aliquod *esse*, nequit non esse conditionatè verum, eam illud habere. Omne quippè obiectum seu positiuum, seu negatiuum per simplicem apprehensionem ponibile in hypothesi necessariò est conditionatè verum sub ipsâ sui hypothesi, atque adeò & iudicabile verè per expressum, siue formale iudicium conditionatum suapte naturâ supponens ipsam hypothesim. Quo iure omnes istæ conditionatæ propositiones veræ sunt, imo & necessariæ veritatis, *Si Petrus existeret, Petrus existeret. Si Petrus loquitur, Petrus loquitur, Si Deus vocabit Ioannem, Deus vocabit Ioannem. Si Petrus non existeret, Petrus non existeret. Si Petrus non loquitur, Petrus non loquitur. Si Deus non vocabit Ioannem, Deus non vocabit Ioannem.* Et cæteræ huiusmodi. Tantumdemque est de iudicijs illis correspondentibus. Vnde patet sub hypothesi cuiusuis conditionis imprimis esse ipsammet iudicabilem verè, deinde cætera, quæ sub eâdem hypothesi vera conditionatè sunt, scilicet per expressum, siue formale iudicium conditionatum. Quod semper addidi propter ea, quæ mox subijciam. 8

Dubi-

8 Dubitari enim hìc potest, an, vt iudicetur vnum obiectum sub hypothesi alterius, debeat iudicari hoc alterum sub hypothesi eadem sui vel per idem, vel per alterum præuium iudicium. E. g. an, vt iudicetur, *Si Petrus vocaretur, consentiret*, debeat iudicari, *Si Petrus vocaretur, vocaretur*. Ratio dubitandi est: quia ex vnà parte hoc ipso, quòd iudicium conditionatum suapte essentiâ supponit hypothesim conditionis, non potest per illud iudicari vnum obiectum sub conditione alterius, quin iudicetur prout subest illi, seu prout connotans illud, vt dicebamus num.6. ex aliâ verò parte per iudicium absolutum nequit iudicari esse vnum obiectum prout connotans alterum, nisi & hoc alterum aliquo modo iudicetur esse, qualiter connotatum est, iuxta doctrinam datam in Pharo Scient.disput.2.quæst.4.conf.5.supraque suppositam,& statutam disput.23.quæst.4. num.106.

9 Ad dubitationem hanc dico primò, iudicio affirmatiuo non posse affirmari expresè, siue formaliter vnum obiectum sub conditione, atque adeò sub hypothesi alterius, quin hoc alterum affirmetur tacitè, siue virtualiter sub eàdem hypothesi sui. Quia omne iudicium affirmatiuum expressum, siue formale de vno obiecto prout connotante alterum necessariò est tacitum, siue virtuale de altero, prout illud connotatum est; quia est iudicium adstruens connotationem, seu coniunctionem amborum, quæ sine ambobus esse non potest; prout ex doctrinâ latiùs tractatâ loco citato Phari constat: quæ ad rem recognoscenda est. Iudicium autem affirmatiuum de vno obiecto sub conditione, atque adeò sub hypothesi alterius eo ipso est iudicium expressum, siue formale de primo prout connotante secundum, vt nuper num.6. statuimus.

10 Dico secundò, iudicio negatiuo benè posse negari expresè, siue formaliter vnum obiectum sub conditione, atque adeò sub hypothesi alterius, quin hoc alterum negetur tacitè, siue virtualiter. Quia iudicium negatiuum expressum, siue formale de vno obiecto prout connotante alterum, non eo ipso est tacita, siue virtualis negatio de altero, prout illud connotatum est: quia est iudicium negans connotationem, siue coniunctionem amborum; quæ, vt, non deficiente obiecto connotato, potest deficere, ita, non negato obiecto connotato, sed solùm connotante, potest negari. Quod etiam constat ex dictis loco citato Phari.

11 Dico tertiò, etsi iudicium negatiuum absolutum de vno obiecto prout connotante alterum non solùm non sit negatio tacita, sed neque sit affirmatio tacita, atque adeo nullatenus sit iudicium tacitum de obiecto connotato, prout dicebamus tom.1.huius Operis disput.1.quæst.5.n.19. iudicium tamen negatiuum conditionatum æque, ac affirmatiuum, speciali titulo esse iudicium tacitum de conditione connotatâ per obiectum conditionatum. Quia omne iudicium conditionatum tendit in obiectum, suppositâ per hypothesim conditione, atque adeo, siue affirmatiuè, siue negatiuè tendat in illud, semper illam supponit, tacitèque proinde, seu virtualiter iudicat, ita illam sub tali hypothesi se habere re ipsâ, sicuti per ipsam hypothesim suppositum est. Hæc enim quatuor iudicia. *Si existeret vocatio, existeret consensus. Si existeret vocatio, non existeret consensus. Si non existeret vocatio, existeret consensus. Si non existeret vocatio, non existeret consensus.* his quatuor æquiualent. *Si existeret vocatio, ipsâ existente, existeret consensus. Si existeret vocatio, ipsâ existente, non existeret consensus. Si non existeret vocatio, ipsâ non existente, existeret consensus. Si non existeret vocatio, ipsâ non existente, non existeret consensus.* Constat autem per quatuor posteriora quasi indirectè, & virtualiter iudicari conditionem, qualiter per suam hypothesim supposita est. Tantumdem ergo censendum est, fieri tacitè per quatuor priora, Itaque iudicium expressum de conditionato, siue affirmatiuum, siue negatiuum respectu eius, semper est iudicium tacitum de conditione, affirmatiuum respectu eius, quando conditio est positiua, & negatiuum, quando est negatiua, vt cernitur in exemplis positis.

12 Ex dictis infertur, tribus modis posse se gerere intellectum circa obiectum conditionatum distinctum à conditione, sub qua conditionatum est. Primò, iudicando per iudicium expressum obiectum conditionatum solum, quod eo ipso est iudicium tacitum de conditione, prout explicatum est, vt, *Si existeret vocatio, existeret consensus*. Secundò, iudicando per duo iudicia expressa conditionatum, & conditionem. Idque aut sub vnâ, & eadem hypothesi conditionis, vt, *Si existeret vocatio, existeret vocatio, & existeret consensus*: aut sub duabus, vt, *Si existeret vocatio, existeret vocatio, & si existeret vocatio, existeret consensus*. Tertiò, iudicando per vnicum iudicium expressum indiuisim conditionatum, & conditionem sub hypothesi ipsius conditionis, vt, *Si existeret vocatio, vocatio simul, & consensus existerent*. Vtrum autem Deus his omnibus modis iudicet quodcuis obiectum conditionatum distinctum à conditione, sub qua iudicatur, inferiùs suo loco dicetur.

13 Secundò superest adnotandum, ad veritatem conditionatam impertinens esse, quòd sit purificanda conditio, vel secus, hoc est, quòd sit, aut non sit ponenda absolutè in rerum naturâ, sicut supponitur in hypothesi. Hypothesis quippe de suo indifferens est, vt sit, vel non sit absolutè id, quod in eâ supponitur; atque adeò etiam, vt sit, vel non sit absolutè verum id, quod sub illâ hypothetice verum est. Quo fit, vt alia sint vera conditionatè, quorum conditio nunquam purificanda est; quæque subinde nunquam sunt futura vera absolutè. Alia autem sunt vera conditionatè, quæ etiam absolutè futura sunt vera: quia conditio est purificanda. Imo nullum obiectum est verum absolutè, quod non fuerit verum conditionatè, vt contra Gonzalez oppositum docentem 1.par.disput.44.sect.3.num.38.verissimè, atque communiter docent alij Doctores, Bellarmin. lib.2.de Amissione gratiæ cap.17.ad 1.Fonsec. lib. 6.Metaph. cap.2.quæst.4.sect.8.Molin. 1 par.quæst. 14.artic.13 disput.15.§.*Iuxta ea*,Valent.punct.5. quæst.2.§.*Tertium*, Fasol.dubit.13.num.214.Soar. opusc.de Scient. Dei initio.Arrub. 1.par.disput.44. cap 1 & 3.Albarez lib.2.de Auxilijs disput.7.n.9. Zumel tom. 1.variarum fol.100.col.2. Machin.disput 34.sect.1.§.1.& alij. Ex quo patet, quàm sine fundamento Cabrera tom.1.in 3.par.quæst.1. artic.3 §.22.putauerit, obiectum scientiæ conditionatæ ex sententiâ nostrorum Doctorum solum esse futurum conditionatum, quod absolutè nunquam erit. Nostri enim cum communi, non solùm, quæ absolutè non erunt, sed, quæcunque absolutè erunt, priùs fuisse conditionatè vera, verissimè sentiunt. Etenim ex dictis manifestè sequitur, veritatem conditionatam cum suâ suppositâ,

sitâ, siue in hypothesi positâ conditione prioritate inconnexionis non mutuæ, in qua non valet subsistendi consequentia, præcedere veritatem absolutam, purificationemque conditionis, quando datur; atque adeò etiam eius negationem, quando non datur. Benè enim valet. Est verum absolutè. Ergo fuit verum conditionatè. Sed non è conuerso. Vnde prioritas hæc ad eam naturæ prioritatem spectat, quam definiuit Arist. lib. 5. Metaph. cap. 11. cùm dixit. *Quædam verò secundùm naturam, & substantiam*, (priora dicuntur), *quæcunque contingunt absque alijs esse, ista verò sine illis minimè*. Quod idem genus prioritatis naturæ posuit secundo loco in Post prædicam. cap. 12. de modis prioris dicens, *Secundò autem*, (alterum altero prius dicitur), *quod non conuertitur secundùm subsistendi consequentiam*. Videantur, quæ latè de prioritatibus scripsimus in Pharo Scient. disput. 15. per totam.

14 Tertiò adnotandum supereſt, conditionem, sub qua est iudicabilis quæuis conditionata veritas, eatenus dici posse figmentum rationis, dum ponitur ab intellectu in hypothesi, quatenus ab illo supponitur ita se habere, qualiter non se habet re ipsa aut absolutè, quia non est absolutè purificanda, aut pro eo signo antecedente ad suam purificationem. Quomodò autem nihilominùs conditionata veritas non dependeat à cognitione fingente conditionem in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 5. explicatum est.

15 Quartò denique supereſt adnotandum, veritates obiectiuas conditionatas rerum realiter distinctarum à Deo realiter quoque ab ipso Deo distincta esse, vtpote identificatas realiter cum rebus ipsis, æquè, ac veritates obiectiuæ absolutæ rerum realiter distinctarum à Deo realiter quoque ab ipso Deo distinctæ sunt, vtpotè cum ipsis rebus identificatæ realiter; vt contra quosdam Recentiores latè ostensum à nobis est in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. Quemadmodùm autem duo sunt genera veritatum obiectiuarum absolutarum. Aliud earum, quæ quiditatiuæ dicuntur, ad rerumque statum quiditatiuum pertinent, vt, *Petrus est homo. Petrus est risibilis*. Aliud earum, quæ dicuntur existentiales, & pertinent ad statum rerum existentialem, vt, *Petrus existit. Petrus loquitur*. Ita etiam duo sunt genera veritatum obiectiuarum conditionalium. Aliud quiditatiuarum, spectantiumque ad statum rerum quiditatiuum, vt, *Si Petrus est homo, Petrus est risibilis. Si actio est possibilis, & eius terminus est possibilis*. Aliud existentialium, spectantiumque ad statum rerum existentialem, vt, *Si extiterit actio, & eius terminus existet. Si Petrus vocatus fuerit, consentiet*. Vnde duplex imprimis est rerum status. Quiditatiuus, & existentialis. Et vterque rursus est duplex. Absolutus, & conditionatus. Qui quidem status rerum aliud non sunt reuerà ab earumdem rerum veritatibus obiectiuis; quiditatiuis, & existentialibus; absolutis, & conditionatis. Quæ omnia quæstione citatâ Phari latiùs à nobis sunt expositâ, & comprobata. Vbi etiam propos. 5. explicauimus, quomodò veritates obiectiuæ quiditatiuæ, & existentialis, absolutaque, & conditionata eidem omnino rei conuenientes, atque adeò inter se identificatæ realiter, diuersæ nihilominùs sunt, & sæpe re ipsâ separabiles ratione diuersorum statuum, quos tota ipsa res sortiri potest; & sæpe prout habens esse in vno à se ipsâ quadamtenus prout non habente esse in altero separari. De quo etiam nonnihil diximus supra disput. 23. quæst. 5. sub finem. Quisnam præterea sit status rerum vagus, seu disiunctiuus, & status præsentiæ, præteritionis, atque futuritionis earum, & quomodò differant, aut non differant à prædictis, in eadem disp. 10. Phari Scient. quæst. 2. & 3. exposuimus. Nonnullaque venient de eis dicenda in decursu huius disputationis.

QVAESTIO II.

Quotuplex sit obiectum conditionatum. Propositio conditionalis. Et scientia, siue notitia conditionata.

MVltifariam imprimis diuidi potest obiectum conditionatum ex multiplici comparatione 16
factâ inter ipsum, & conditionem. Primo enim conditio, & conditionatum aut mutuò, aut non mutuò possunt esse connexa. Deinde aut mutuò similiter, aut non mutuò possunt esse relata relatione non connexionis. Præterea possunt esse oppositа mutuò. Connexio autem, atque oppositio itidem aut metaphysica, seu essentialis, aut physica tantùm, seu naturalis, aut solùm moralis esse potest. Metaphysicè cum alio connectitur, quod sine illo nullâ potentiâ potest esse citra contradictionem. Physicè verò, quod citra miraculum nequit sine alio esse; posset tamen miraculosè. Moraliter denique, quod, vt eueniunt res communiter, sine alio esse nequit; quanuis nec metaphysicè, nec physicè repugnet, esse sine illo. Parique modo de oppositione philosophandum est. De quo videnda dicta à nobis in Pharo Scient. disput. 14. Secundò fieri potest, vt conditio influat in conditionatum, vel conditionatum è contra influat in conditionem, idque vel tanquam cau. vel tanquam conditio causandi. Huiusmodi autem influxus tot modis, quot causa in communi, atque alijs etiam insuper modis diuidi potest: qui innumeri propemodum sunt. Tertiò conditio, & conditionatum pene innumeris alijs modis possunt inter se comparari, factâ omni mixtione possibili ex terminis, seu proprietatibus prædictis. E. g. conditio potest influere in conditionatum, & simul connecti cum illo; idque vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter. Tum potest influere, & non connecti, vel connecti, & non influere, &c. Tantumdemque potest habere conditionatum respectu conditionis, aut etiam ambo mutuò, &c. factâ omni combinatione possibili ex omnibus terminis suprà dictis, & reliquis, qui sub eis continentur. Quartò conditio, & conditionatum omnibus numeratis respectibus connexionis, oppositionis, relationis, & influxus carere possunt. Quo casu solùm quoad coexistentiam, seu coniunctionem comparabuntur. Quintò denique omne conditionatum obiectum, quod ex hypothesi conditionis habet esse in tempore, per tria tempora est diuidendum. Aliud enim erit præsens, aliud præteritum, aliud futurum conditionatè. Tamesi vulgò quoduis conditionatè existens futurum conditionatum dici soleat: non tamen benè, vt ex se patet.

Præterea obiectum conditionatum aut necessarium, aut contingens, aut impossibile esse 17
potest, necessitate videlicet, contingentia, aut impossibi-

possibilitate conditionatà, quam illud habet sub hypothesi conditionis. Hæc namque potissimùm est, quæ spectat ad præsens propositùm; quidquid sit de necessitate, contingentiâ, aut impossibilitate absolutâ, quam conditionatum, & conditio aliàs habent secundùm se. Tunc autem vniuersaliter euadit conditionatum conditionatè necessarium ex vi conditionis, quando hæc cum illo connexa est: quia necesse est, vt sit conditionatum, si sit conditio, quæ sine illo esse non potest. Tunc vniuersaliter etiam euadit conditionatum conditionatè impossibile ex vi conditionis, quando hæc illi est opposita: quia impossibile est, vt sit conditionatum, si sit conditio, quæ cum illo esse non potest. Quando verò conditio neque est connexa, neque opposita conditionato, sed indifferens, vt cum illo, & cum eius contradictorio coniungi possit, tunc conditionatum conditionatè euadit contingens sub eius hypothesi; cùm illud aliàs absolutè contingens est: quia, adhuc eâ suppositâ, potest vel esse, vel non esse cum illâ. Cùm verò conditionatum aliàs absolutè est necessarium, aut impossibile, sub hypothesi conditionis indifferentis adhuc remanebit conditionatum necessarium, aut impossibile: quia per coniunctionem hypotheticam cum tali conditione nequit illud suam necessitatem, aut impossibilitatem exuere. Loquimur enim modò de necessitate, & impossibilitate, deque connexione, & oppositione metaphysicâ, quæ essentialis est, ex vullâque subinde hypothesi potest deficere à rebus, quibus conuenit, vt constat.

18 Porro, quando conditio connexa est cum conditionato, si conditionatum aliàs absolutè est necessarium, duplici titulo euadet conditionatè necessarium sub hypothesi talis conditionis. Primò; quia talis conditio illud infert. Secundò; quia ipsum nequit non esse in omni euentu. Si verò conditionatum aliàs absolutè est impossibile, conditio item, vtpote connexa cum impossibili, impossibilis erit. Atque ita ex eius hypothesi, præter duas contradictorias, quas fert semper secum omne impossibile iuxta doctrinam demonstratam in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 5. duas insuper conditionatum contradictorias subibit conditionatè: erit enim sub hypothesi talis conditionis necessarium, quia talis conditio infert illud, & simul impossibile; quia in nullo euentu potest ipsam suam impossibilitatem deponere. Si denique conditionatum, cum quo conditio connexa est, aliàs absolutè est contingens, solerter aduertendum est, num conditio ita ad conditionatum conducat, vt eius positio in causâ sit, vt habeat *esse* conditionatum: num verò ita ad illud nihil conducat, vt, tam eâ non positâ, quam positâ, æquè illud sit, aut non sit. Et in primo quidem casu semper erit conditionatum sub hypothesi talis conditionis necessarium, seu necessariò verum absque vlla contradictione: quia positio talis conditionis non solùm infert existentiam talis conditionati, sed facit, illud existere, dando illi existentiam ipsam, atque adeò facit, excludi contradictorium eius. Proindeque non solùm, quando absolutè existit conditionatum, sed etiam, quando absolutè non existit, est necessariò verum, extiturum illud sine contradictione, si existeret talis conditio. At in secundo casu, licèt sit necessariò verum, extiturum conditionatum sine contradictione, si existat conditio, quando est absolutè existens conditionatum; quando verò est absolutè non existens, sub hypothesi conditionis vtrumque extremum contradictionis est verum, extiturum scilicet, & simul non extiturum conditionatum: extiturum quidem; quia illius existentiam infert conditio titulo connexionis, quam habet cum illo: & non extiturum; quia positio conditionis nihil ad illud conducentis non faceret, illud existere, atque adeò non existens relinqueret, vti aliàs supponitur: hypothesisque subinde de conditione esset impossibili pro tali euentu; quia impossibile est, existere conditionem connexam cum existentiâ conditionati pro euentu, quo neque ab ipsâ conditione, neque aliunde habet esse existens conditionatum. Sic, suppositò, quòd hodie absolutè non existit peccatum Petri, facta hypothesi, (de conditione impossibili rebus vt nunc), quòd Deus reuelaret, existere hodie peccatum Petri, verum conditionatè est, existere illud, & non existere: existere; quia id infert reuelatio; & non existere; quia nunc non existit, & positio solius reuelationis non faceret, illud existere; siquidem nihil ad id conduceret; vti etiam supponimus. Quæ doctrina valde est notanda, & obseruanda: quia eximiè est vtilis pro varijs materijs, vt ampliùs constabit ex dicendis infra quæst. 4. & 5. susiùsque disput. 30. quæst. 5. Interimque videri possunt, quæ ad rem scripsimus in Pharo Scient. disput. 19. quæst. 3. sub initium. Nomine autem conditionis connexæ cum conditionato id totum, quod positum est ex parte hypothesis, comprehendimus impræsentiarùm; siue illi ratione totius, siue ratione alicuius partis inclusæ in ipso connexio cum conditionato conueniat iuxta dicenda inferiùs locis citatis.

Iam verò, quando conditio est opposita conditionato, eoque iure iuxta dicta illud reddit conditionatè impossibile, atque adeò necessariò falsum, & non iudicabile à Deo; cum contradictorio conditionati est connexa, vt est certum, illudque reddit conditionatè necessarium, atque adeò verum, & iudicabile à Deo, æquè, ac conditio connexa cum conditionato tale illud reddit, prout explicauimus. Quo circa, quæ de hac iam diximus respectiuè ad quoduis suum conditionatum, de illâ pariter respectiuè ad contradictorium cuiusuis sui conditionati dicta sunto; prætermissis oppositis vt inutilibus ad intentum, vtpote quæ non veritates à Deo iudicabiles, sed falsitates oppositas exhiberent. 19

Tandem quando conditio est indifferens comparatione conditionati, quas istud veritates fortiatur conditionatas, cùm est ipsum absolutè contingens, cùm est necessarium, & cùm est impossibile, iam sufficienter dictum est. 20

Atque hæc dicta sunt de casibus, in quibus interuenit necessitas, contingentia, aut impossibilitas, connexioque, aut oppositio, aut indifferentia conditionati, vel conditionis metaphysica, siue essentialis. Ex quibus facilè quisque colligere poterit, qualiter proportione seruatâ, philosophandum sit, quando tantùm physica, seu naturalis, & quando moralis interuenit. Quocirca in hisce etiam casibus discutiendis non expedit, vt immoremur. 21

Postremò conditio trifariam potest se habere comparatione conditionati. Primò enim potest esse connexa cum conditionato, idque vel metaphysicè, vel physicè, vel moraliter iuxta iam dicta. Quo casu veritas obiectiua conditionata illatiua vocari poterit iuxta mox dicenda. Et ad hunc casum reducimus alium, in quo conditio opposita conditionato est: quatenus tunc cum contradictorio conditionati est connexa. Secundò po- 22

test

test esse influxiua, siue influens in conditionatum, siue conducens aliquo modo, vt illud existat, vel tanquam causa, vel tanquam conditio causandi. Idque multipliciter iuxta multiplicem diuisionem causarum, & conditionum causandi. Quo casu veritas conditionata causalis appellanda veniet. Tertiò potest neque esse cum conditionato connexa, neque influens, aut vllo modo conducens, vt existat illud. Quo casu respectu talis conditionati vocari solet disparata. Veritas tamen conditionata purè coniunctiua dicetur. Fieri autem potest, vt simul sit connexa cum conditionato, & influens, seu conducens ad illud. Atque etiam, vt horum alterutrum sine altero habeat. Quo, præter purè coniunctiuam, tres veritates conditionatæ distinguendæ veniunt. Illatiua solùm; causalis solùm; illatiuaque, & causalis simul. Quas omnes esse insuper coniunctiuas, ex dictis quæst. 1. num. 6. moxque iterum repetendis liquidum est.

23 Ex quibus iam facile est, videre, quotuplex sit propositio conditionata. Tot enim modis diuidi potest, atque conditionatum obiectum. Sed illa imprimis diuisio celebris est in hac materiâ, & valde ad eam conducens, cuius & supra quæst. 1. num. 6. & nuper agentes de obiecto meminimus; qua videlicet propositio conditionata diuiditur in illatiuam solùm, causalem solùm, illatiuam simul atque causalem, & purè coniunctiuam. Dico autem purè coniunctiuam: quia nulla est propositio conditionata non habens sensum coniunctiuum; tametsi aliquæ supra hunc addant aut illatiuum solum, aut causatiuum solum, aut vtrumque simul, vt ibi notabam. Est dicere, nulla est propositio conditionata, quæ non enunciet conditionatum prout pypotheticè coniunctum cum conditione, seu prout connotans illam: tametsi aliquæ tacitè saltem, seu indirectè significent insuper, seu enuncient, conditionatum ex conditione inferri, siue hanc cum illo connexam esse, qui est sensus illatiuus; aliquæ verò, conditionem influere in conditionatum, siue ad eius existentiam conducere, qui est sensus causatiuus; & aliquæ simul vtrumque.

24 Modò igitur circa hanc diuisionem, præter dicta loco citato, notandum est primò, per propositionem illatiuam, præter coniunctionem conditionati cum conditione, triplicem illationem eius, seu connexionem conditionis cum ipso enunciari posse, metaphysicam scilicet, physicam, aut moralem. Quia tamen sola metaphysica ad scientiam illatiuam Dei deseruire potest, vt sæpe in hoc tractatu notamus, de solâ eâ, non item de physicâ, aut morali futurus nobis sermo est in totâ præsenti disput. quoties absolutè, & sine distinctione de connexione conditionis cum conditionato, de illatione fundata in illâ, deque propositione, veritate, aut cognitione illatiuâ loquuti fuerimus. Quod hinc vniuersaliter pro sequentibus suppositum volumus. Secundò est notandum, per propositionem causalem, præter eamdem coniunctionem, quamlibet omnino conducentiam conditionis in conditionatum significari, seu tacitè enunciari posse; siue ea sit causæ proximæ, vel remotæ, siue conditionis causandi cuiusuis generis; quò spectat conducentia termini connexionis, cum quo conditionatum connectitur, ita, vt sine illo esse nequeat, prout explicabimus infra quæst. 8. num 411. Ex quibus patet, quid ad rem sit dicendum de propositione mixtâ ex illatiuâ, & causali. Tertiò est notandum, ad hoc quadruplex genus propositionum reuocari omnia obiecta conditionata commemorata. Nam propositio illatiua pro obiecto habet illud conditionatum, cum quo connectitur conditio; causalis autem illud, ad quod conditio conducit; & mixta ex vtraque illud, cuius conditio, simul habet vtrumque; cætera autem obiecta recensita ad purè coniunctiuam pertinent; cuius conditio disparata vocari solet, vt iam aduertimus; eoquòd neque connectitur cum conditionato, neque ad illud vllo modo conducit. Est autem prorsus certum, in eamdem propositionem tres sensus prædictos conuenire posse, illatiuum scilicet, causatiuum, & coniunctiuum; & quidem verè: quia ex parte obiecti conditio sæpe est connexa cum conditionato, & simul influens, siue conducens, seu concurrens ad illud, & cum eo coniuncta, vt videre est, quando conditio est causa necessaria conditionati. Sæpe etiam sensus illatiuus, & causalis vicissim separantur; sicut connexio, & influxus conditionis in conditionatum ex parte obiecti sæpe sunt separata; nempe, quando conditio aut ita conducit, concurritve ad conditionatum, vt cum illo non connectatur, vti euenit in causis liberis respectu effectuum; aut ita connectitur cum illo, vt ad illud non conducat, siue concurrat, vti euenit in modis respectu subiectorum; in reuelatione, & actu fidei respectu obiecti reuelati, & crediti; in alijsque huiusmodi. Sæpe etiam sensus coniunctiuus absque alijs duobus reperitur. Sicut ex parte obiecti sæpe fit, vt conditio neque influat in conditionatum, neque cum eo connectatur. Sensus verò illatiuus, & causatiuus nunquam est sine coniunctiuo, vt sæpe iam statutum est; & infra quæstione sequenti ampliùs adhuc probabitur. Quomodò autem propositio purè coniunctiua, quantumuis sit disparata conditio eius comparatione conditionati, in sensu nihilominùs strictè conditionato vera esse possit, eiusque obiectum cognoscibile per scientiam reuerâ conditionatam, ex dicendis infra quæst. 8. compertum fiet. Quartò est notandum, etiam, quando conditio re ipsâ influit in conditionatum, aut cum illo connectitur, aut simul connectitur, & influit, posse propositionem conditionatam habere sensum purè coniunctiuum, de factoque sæpe habere: quia potest tantùm enuntiare, de factoque sæpe enuntiat conditionatum prout coniunctum cum conditione, seu prout connotans illam, ne tacitè quidem innuendo aut influxum conditionis in conditionatum, aut connexionem illius cum eo, sed prorsus ab ijs præscindendo. Postremò tandem est aduertendum, sensum coniunctiuum ab aliquibus enunciatiuum appellari. Sed non benè: quia etiam illatiuus, & causalis, & vniuersim omnis sensus propositionis enunciatiuus dici potest. Sicut & omnis propositio dicitur enunciatio,

Porrò propositio conditionata aut falsa, aut 25
vera potest esse. Ad videndum autem, vtrùm vera, vel falsa sit, sensum, in quo illa profertur, examinare, necesse est. Nam, si proferatur in sensu purè coniunctiuo, sat est ad eius veritatem, quòd conditionatum reuerâ sit, vti enunciatur, sub hypothesi conditionis; atque ita reuerâ sub eâdem hypothesi cum conditione coniunctum sit. Si verò proferatur in sensu illatiuo, opus est insuper, vt conditionatum verè ex conditione sequatur vt quid, cum quo conditio connexa est. Si denique in sensu causali, oportet præterea, vt conditio re ipsâ in conditionatum influat,

fluat, seu ad illud conducat. Cùm enim propositio illatiua, & causalis præter *esse* conditionati, quod sub hypothesi conditionis, atque adeò prout connotans illam expressè enunciant, enunciant insuper saltem tacitè, prima illationem obiectiuam, seu connexionem conditionis cum conditionato, secunda influxum, seu conducentiam realem conditionis in conditionatum, non possunt non illæ faliæ euadere, si alterutrum ex his duobus enunciatis re ipsâ deficiat. Hac de causâ vulgò docent Dialectici, ad assignandam contradictoriam propositionis conditionalis affirmatiuæ debere præponi negationem ante particulam *Si*, nec satis esse illam præponere ante conditionatum. E. g. contradictoriam huius, *Si Petrus ambulauerit, Paulus leget*, dicunt non esse hanc, *Si Petrus ambulauerit, Paulus non leget*. Sed hanc. *Non si Petrus ambulauerit, Paulus leget*. Perperam tamen hanc regulam vniuersalem faciunt: nam ea in illatiuis solùm, & causalibus, quæ propositiones complexæ re ipsâ sunt, non verò in purè coniunctiuis, quæ simplices sunt in suo genere, potest habere locum. Cùm enim purè coniunctiuæ dumtaxat affirment existentiam conditionati ex hypothesi conditionis, qui eamdem existentiam negat ex eadem hypothesi, plenè illis contradicit. Vnde, duæ priores propositiones in exemplum allatæ in sensu purè coniunctiuo non possunt non esse contradictoriæ: quia vt sic idem prorsus de eodem affirmant, & negant. Aliud est de illatiuis, atque causalibus affirmantibus insuper connexionem, & conducentiam conditionis in conditionatum: his enim vt contradicatur, negatio ante particulam *Si* præponenda est, vt sensus contradicentis sit non vtrumque, quod illæ affirmant, verum esse, sed alterutrum falsum. De quo plura videri possunt scripta in Pharo Scient. disput. 19. quæst. 3.

26 Ex dictis apparet, quot etiam modis scientia, siue notitia conditionata diuidi possit. Tot enim potest, quot sunt obiecta conditionata, atque etiam conditionales propositiones, nam scientiæ tum ex diuersitate obiectorum, tum ex diuersis modis tendendi in illa sumunt suam diuersitatem. Duæ tamen imprimis diuisiones præ oculis habendæ sunt. Altera, qua scientia conditionata, quemadmodum & propositio, in illatiuam solùm, causalem solùm, illatiuam simul, atque causalem, & purè coniunctiuam iuidi potest. Altera, qua in necessariam, & contingentem penes necessitatem, aut contingentiam conditionatam obiectorum diuiditur, prout est supra explicatum. De quarum diuisionum singulis membris distinctiùs, atque specialiùs est agendum quæstionibus sequentibus.

QVAESTIO III.

Vtrùm propositio conditionalis, non solùm in sensu illatiuo, sed etiam in coniunctiuo, & causali veritatem, aut falsitatem determinatam habeat.

27 NEgant Aluarez disput. 7. de Auxilijs num. 13. & 30. & disput. 13. concluf. 2. in eiusque probationibus, & corollarijs. Nauarrete tom. 1. controuers. 56 § 2. & 3. alijque ex Thomistis, qui scientiæ mediæ refragantur, asserentes, conditionalem non illatiuam de futuro contingenti nec veram, nec falsam esse determinatè ante decretum Dei connectens conditionem cum ipso futuro conditionato. Imo Curiel controuers. 7. artic. 5. num. 84. & 85. & Ledesma disput. 2. de Scientia futurorum contingentium dub. 2. post medium solutione 3. dicunt, huiusmodi propositiones ante dictum decretum nihil significare, nec subordinari alicui interno conceptui, sed perinde proferri ab hominibus, vt proferrentur à psittaco. Reliqui verò Doctores, quos recensere prolixum esset, vt certum statuunt, aut supponunt, propositionem conditionalem non illatiuam veram, aut falsam esse determinatè; quod docuit Sot. Thomista nobilis lib. 3. Summul. cap. 8. Lect. 3. neque ad id expostulant decretum, quod Thomistæ ponunt: potiùs plerique expressè reijciunt illud, vt postea videbimus.

Tanquam certum, vti reuerà est, supposui 28
vtràque quæstione præcedente, dari propositionem conditionalem non illatiuam, qua, nihil curando de illatione, dumtaxat enuncietur coniunctio hypothetica conditionati cum conditione, aut etiam influxus conditionis in conditionatum. Modò tamen id demonstrare oportet propter eos Thomistas, qui illud in dubium verterunt. Probatur autem primò. Quia per conditionalem illatiuam non solùm enunciatur illatio obiectiua, siue connexio antecedentis cum consequente, sed etiam coexistentia, siue coniunctio consequentis cum antecedente, imo hæc est potissimùm, quæ intenditur affirmari. Ergo nihil est, quod prohibeat, affirmare talem coexistentiam, siue coniunctionem præcisè, nihil curando de illatione, aut etiam illam positiuè excludendo. Consequentia est bona. Quia, cùm illa duo distincta obiecta sint, nihil vetat, quominùs vnum affirmetur, relicto alio. Antecedens autem etiam est certum. Quia, cùm ego dico, *Si existeret effectus, existeret causa*, potissimum, quod assero est, ipsam causam extituram ex hypothesi, quòd sit effectus, siue ei coextituram; tametsi pariter tacitè enunciem effectum inferre causam, siue cum eâ connecti. Confirmatur totum hoc in illatione absolutâ. Cùm enim dicimus, *Existit effectus. Ergo existit causa*, Compertum est, illationem obiectiuam tacitè solùm, expressè autem, & directè existentiam absolutam causæ, siue coexistentiam eius cum effectu affirmari: posseque hanc eamdem affirmari, omni circunscriptâ illatione; vt, siquis, præmissâ assertione de existentiâ absolutâ effectus, inbiungat, *Causa coexistit tali effectui*. Tantumdem ergo reperitur in illatione conditionali. Nam, sicut, præmisso iudicio, aut assertione de existentiâ effectus, bifariam possumus affirmare absolutè, causam illi coexistere: primò, inferendo existentiam causæ ex existentiâ effectus: secundò, eam non inferendo. Ita, præmissâ hypothesi de existentiâ effectus, bifariam possumus affirmare conditionatè causam illi coexistere: primò, inferendo existentiam conditionatam causæ ex existentiâ effectus positâ in tali hypothesi: secundò, eam non inferendo. Cuius doctrinæ ratio à priori est: quia diuersum quid est, significare connexionem conditionis cum conditionato, ac significare coniunctionem conditionati cum conditione ex hypothesi conditionis: significatioque posterior manifestè est separabilis à priore: non minùs, quàm earum ambæ sunt separabiles à significa-

tione

ciône influxus conditionis in conditionatum. Ergo, sicuti propter hanc separabilitatem secundam est dabilis citra omne dubium propositio conditionalis non causalis; ita propter illam primam dabilis quoque citra omne dubium dicenda est propositio conditionalis non illatiua; sed vel causalis citra illationem, vel purè coniunctiua.

39 Secundò id ipsum ab experientiâ ostenditur. Quia sæpe connexio conditionis cum conditionato, quando moralis est tantùm, siue probabilis, euidenter apparet; & tamen formidolosè proferimus conditionalem propositionem. Ergo eam, non solùm in sensu illatiuo talem connexionem enunciante, sed etiam in coniunctiuo minùs certo vsurpamus. Nec est, cur in solo sensu coniunctiuo, secluso illatiuo, eam vsurpare non possimus iuxta doctrinam numeri præcedentis. Et confirmari potest. Quia, quoties euentus conditionatus, purificatâ conditione, non sequitur, indubitatè asseueramus, conditionalem falsam fuisse. Ergo planè supponimus, eam, non solùm in sensu illatiuo; iuxta quem præcisè fuit vera ob veram connexionem moralem, aut probabilem re ipsâ ex parte obiecti repertam; sed etiam in sensu coniunctiuo, in quo fuit falsa, pronunciari.

30 Tertiò. Quoties conditio æquè est indifferens ad vtrumuis, euidens est, propositionem conditionalem in sensu illatiuo esse falsam; quia euidens est, conditionem nullatenus cum conditionato connexam esse, atque adeò conditionatum ex conditione non inferri: & tamen tunc absolutè dubitamus, & quærimus, an conditionalis sit vera, aut falsa; nec eam statim vt falsam damnamus. Imo verò, euentu sequuto, sæpe, eam veram fuisse, deprehendimus, & affirmamus. Ergo per huiusmodi propositionem non illatio, sed coniuncti conditionati cum conditione enunciabatur. Sunt huius casus exempla innumera. Apponamus vnum. Rogaris à fratre, *An superior sit concessurus talem licentiam, si ab eo petatur*. Et, cùm euidenter cognoscas, eiusmodi petitionem non magis cum licentiâ obtinendâ, quam cum eius negatione connecti, absolutè tamen respondes, te nescire. Ergo non accipis quæstionem in sensu illatiuo, in quo præcisè resolutio tibi erat euidens; sed in sensu coniunctiuo excludente illationem. Quòd si in eodem sensu respondeas, fore licentiam concedendam à Superiore, si petatur; sequutâ licentiâ, dicis alteri, *Non tibi dixi verum?* Similiaque passim occurrunt in humano conuictu. Ergo iuxta communem sensum, existimationemque hominum propositio conditionalis enunciatiua in sensu non illatiuo, sed coniunctiuo solùm possibilis est. Confirmatur. Quia sæpe in casu proposito ad conditionalem quæstionem respondemus. *Deus scit*. Sæpe etiam dicimus vt quid verissimum, *Dabit Superior, aut non dabit licentiam, si eam petieris*. Ergo manifestè supponimus posse in sensu non illatiuo affirmari, aut negari sub conditione petitionis concessio prædictæ licentiæ.

31 Quartò. Plurimæ sunt in sacrâ Scripturâ prædictiones conditionales, quarum conditio aut æquè est indifferens ad vtrumuis, aut magis videtur propendere in extremum oppositum, quàm in prædictum, aut certè cum hoc probabili tantùm, aut morali connexione connexa est, vt infra affatim ostendemus. Ergo illæ in sensu coniunctiuo, non illatiuo sunt prolatæ. Cùm enim sint omnino certæ, ac prorsus infallibiles, vtpote verba Dei, non possunt non sensum illatiuum excludere, in quo aut essent falsæ, aut saltem falsitati expositæ: quia connexio antecedentis cum consequente, quam sensus illatiuus enunciat, aut nulla in illis est, aut est talis, ex qua probabiliter tantùm, aut moraliter, non verò infallibiliter inferri potest consequens. Quod autem conditiones huiusmodi prædictionum non sortiantur à decreto Dei infallibilem connexionem cum conditionato prædicto, infra ostendemus quæst. 7. Mitto alia: quia in re tam certâ sufficiunt dicta.

Ex quibus primò infertur, non solùm dari 42
conditionales non illatiuas, quæ simul coniunctiuæ sint, & causales. Sed etiam, quæ purè sint coniunctiuæ, quas ob id de conditione disparatâ vocare solent: has enim esse possibiles manifestè comprobant argumenta facta. Dari autem conditionales simul coniunctiuas, & causales ex præcedentibus quæstionibus notum est. Nec de hoc quisquam dubitauit.

Secundò infertur id, quod iam sæpe quæst. 1. 33
& 2. notatum est, conditionales illatiuas simul coniunctiuas esse. Nunquam enim enunciatur sola connexio antecedentis cum consequente, quod pertinet ad sensum illatiuum. Sed præcipuè, & magis expresè enunciatur coexistentia, siue coniunctio consequentis cum antecedente, quod proprium est sensus coniunctiui. Imo enunciatio tacita connexionis propter expressam termini est: quemadmodùm in discursu mentali cognitio connexionis deseruit, vt vi eius eliciatur cognitio termini. Pari autem ratione conditionalis causalis simul est etiam coniunctiua, vt sæpe etiam aduerti. Non nego posse iudicari atque adeò etiam enunciari connexionem antecedentis cum consequente, quin iudicetur vi eius, aut enuncietur expresè consequens, præsertim quando talis connexio moralis tantùm est, aut probabilis. Sed hoc ordinariè non fit, præsertim in conditionalibus. Sicut nec enunciatur influxus antecedentis in consequens, non enunciato pariter consequente; estò etiam posset.

Tertiò infertur, impertinenter exposci decre- 34
tum Dei à Curiel, & Ledesmâ, vt prodositiones conditionales significatiuæ sint, & enunciatiuæ; estò ad earum veritatem tale decretum requireretur, de quo postea. Primò; quia significatio vocum à libera hominum impositione dependens non dependet à tali decreto: eo enim sublato, eodem pacto ex hominum arbitrio potest persistere, de factoque persistet; quia homines in eâ imponendâ ad huiusmodi decretum non attendent. Secundò; quia tale decretum solùm ponitur à Thomistis ad hoc, vt conditio, alias cum conditionato inconnexa, connexa euadat vi decreti. Sed hæc connexio ad sensum non illatiuum, quem conditionales, de quibus agimus, habere monstratimus, impertinens est. Ergo & decretum. Quinimo, etsi ad eas pertineret, non quidem, vt essent enunciatiuæ, sed, vt essent veræ, requireretur: quia nihil prohibet, falsò enunciari connexionem, quæ re ipsâ non est. Et sanè, cùm dicunt Thomistæ communiter, supradictas conditionales nec veras, nec falsas esse determinatè ante decretum, sed tantùm veras, vel falsas sub disiunctione, apertè supponunt, eas ante decretum esse propositiones conditionaliter aliquid enunciantes, vt talesque eas apprehendunt. Vt quid ergo isti duo contra apprehensionem communem eis negant ante decretum significationem? His

ita constitutis, pergo ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

35 **Propositio conditionalis illatiua veritatem, aut falsitatem determinatam habet.**

Ab hac propositione nemo dissentit. Nam, cùm conditionalis illatiua illationem obiectiuam enunciet, qua conditionatum ex conditione vt terminus connexionis eius inferri dicitur, aut sequi. Si talis illatio seu consequutio conditionati, talisque connexio conditionis cum ipso conditionato datur re ipsâ, conditionalis nequit non esse vera; sin minùs nequit non esse falsa. Ex quo patet, eam necessariò aut veram, aut falsam esse determinatè. Quod ampliùs ex dicendis constabit.

Propositio 2.

36 **Propositio conditionalis non illatiua non potest non etiam habere determinatam veritatem, aut falsitatem.**

Hæc propositio imprimis constat ex omnibus Scripturæ locis, quibus futura contingentia conditiona prædicuntur, quorum plura quæst. 6. referenda sunt, & ponderanda. Huiusmodi enim prædictiones non possunt non habere determinatam, imo & infallibilem veritatem: cùm sint verba Dei. Esse autem eas propositiones conditionales non illatiuas num. 31. notatum est, & ex dicendis loco citato plenius constabit. Vbi etiam, plurima Patrum testimonia pro eâdem veritate stare, ostendemus.

37 Deinde argumentor à ratione. Hæc conditionalis non illatiua, e. g. *Si Petrus cras vixerit, peccabit*. determinatè enunciat, fore peccatum Petri cras, si Petrus cras vixerit, vt ex dictis in hac quæstione liquidum est. Vel ergo, viuente cras Petro, futurum est peccatum eius, vel non futurum. (Inter hæc enim duo, cum sint contradictoria, non datur medium iuxta illud euidentissimum principium, *Quodlibet est, vel non est*). Si est futurum, enunciatio assignata determinatè est vera; si non est futurum, determinatè est falsa. Ergo. Dices, nec esse futurum, nec non futurum determinatè, sed futurum, vel non futurum sub disiunctione. Sed contra primò. Ergo conditionalis assignata, quæ enunciat determinatè illud futurum, determinatè est falsa, vt intendimus. Quo iure contradictoria eius determinatè enuncians oppositum etiam erit falsa determinatè; dabunturque duo contradictoria simul falsa contra principium euidentissimum statutum. Contra secundò. Quia iam contra idem principium inter duo prædicata contradictoria re ipsâ erit medium: nempe, alterutrum eorum fore sub disiunctione, cum neutrum sit futurum determinatè. A parteque rei dabitur aliquid existens vagè, siue in determinatè, ita, vt sit verum, illud neque existere, neque non existere determinatè; existere tamen, vel non existere sub disiunctione. Tum falsum erit, ex duobus enunciationibus contradictorijs alteram necessariò veram, & alteram necessariò falsam esse debere. Quæ omnia absurdissima sunt, & contra omnium Philosophorum mentem, vt ampliùs constat ex ijs, quæ fusiùs scripsimus supra disput. 27. quæst. 3. Quæ omnia hic possunt ad rem applicari.

Praterea. Propositio enuncians, aliquid absolutè fore, determinatè est vera, aut falsa, 38
vt ex sententiâ fere omnium apertè demonstrauimus loco citato. Ergo idem est dicendum de propositione enunciante aliquid fore, si aliqua ponatur conditio. Quia, quod ad rem attinet, eadem est omnino ratio vtriusque enunciationis. Nam, sicut est impossibile, vt hæc propositio absoluta, *Petrus cras peccabit*, non sit conformis, aut non conformis obiecto, quod enunciat determinatè; in quo consistit, esse eam determinatè veram, aut falsam; ita id ipsum est impossibile de hac conditionatâ, *Si Petrus cras vixerit, peccabit*. Æquè enim repugnat, vtramuis neque conformari re ipsâ, neque non conformari cum obiecto suo, vt est notissimum: cùm conformari, & non conformari cum obiecto, prædicata sint contradictoria, quæ à nullâ propositione possunt simul deficere, vt constat ex axiomate statuto, *Quodlibet est, vel non est*. Per quod euidentissimè cauetur vt quid impossibile, quòd ambo extrema contradictionis simul desint, neutrumque existat à parte rei. Et quidem, si indifferentia principiorum, à qua nascitur contingentia effectuum, non obstat, quominùs obiectum propositionis absolutæ, aut eius contradictorium futurum sit determinatè, vt loco citato clarè ostendimus, neque poterit illa obstare, quominùs etiam sit eiusmodi obiectum propositionis conditionatæ, aut eius contradictorium. Accedit, quòd propositio absoluta de præsenti, aut de præterito citra omne dubium est vera determinatè, aut falsa; quantumuis sit contingens, & à principijs indifferentibus oriundum obiectum eius, vt ibidem ex omnium sententiâ notauimus. Ergo saltem propositio conditionata de præsenti, aut de præterito citra dubium est asserenda vera determinatè, aut falsa; quantumuis eius obiectum sit contingens, & à principijs indifferentibus oriundum. A qua rursus validum capitur argumentum pro propositione de futuro.

Hæc argumenta æquè demonstrant, veritatem, aut falsitatem determinatam in qualibet 39
propositione conditionali non illatiuâ reperiri; siue ea causalis sit, siue sit purè coniunctiua, quam vocant de conditione disparatâ: istæ enim solùm differunt, vt aliàs dixi, quòd, præter coexistentiam conditionati cum conditione, quam expressè ambæ, atque determinatè enunciant, causalis insuper enunciat tacitè influxum, seu conducentiam conditionis in conditionatum, quod purè coniunctiua non facit.

Propositio 3.

Conditionalis non illatiua veritatem, 40
aut falsitatem determinatam habet independenter omnino à decreto Dei prædefinitiuo, & connectente conditionem, aliàs indifferentem, cum obiecto conditionato talis propositionis.

Probatur propositio primò omnibus argumentis factis pro præcedente. Ea enim manifestè videntur ostendere, conditionalem non illatiuam non posse non habere veritatem, aut falsitatem

tem determinatam; quantumuis eius conditio maneat indifferens, nec magis connexa cum conditionato, quàm cum eius contradictorio. Quo fit vt ad talem veritatem, aut falsitatem decretum Dei reddens connexam conditionem cum conditionato nullatenus necessarium sit.

41 Secundò probatur. Quia, quando obiectum conditionatum est aliquod peccatum non est possibile decretum Dei, quale ponitur ab Aduersarijs, connectens conditionem cum ipso: quia per tale decretum constitueretur Deus auctor, & amator peccati, alijsque repleretur imperfectionibus ei repugnantibus, vt in tract. de Prouidentiâ Dei solet ostendimus, cùm sermo fit de prædefinitione actionis materialis peccati. Adde, tale Aduersariorum decretum non solùm hoc titulo repugnare, sed alio sibi speciali: quia nimirum libertas futuri conditionati cum illo constare non potest: sicut nec libertas absoluti, vt sæpe in hac materiâ notauimus, & fusè ostendemus suo loco.

42 Tertiò. Id quod sub conditione enunciatur per conditionalem non illatiuam, per se ipsum determinatè terminat scientiam veram Dei. (Nam hic actus scientiæ, *Si Petrus vocaretur, consentiret*, manifestè tendit in ipsum determinatum consensum Petri, & non in solam connexionem vocationis cum illo, estò ea admittatur). Ergo per se ipsum, atque adeò independenter ab omni connexione conditionis cum illo, & consequenter ab omni decreto eam adferente est determinatè cognoscibile cognitione verâ, atque adeò determinatè verum. Ergo conditionalis non illatiua habens illud pro obiecto determinatè est vera independenter à prædicto decreto. Repugnat enim, vt non sit determinatè vera propositio, cuius obiectum determinatè est verum, vt constat. Dices, conditionatum prædictum esse quidem determinatè verum; hanc tamen veritatem sortiri à decreto Dei. Atque adeò independenter à tali decreto tale non esse. Contra tamen est, quòd iam illud non per se ipsum, vt argumentum probat, sed per decretum constitueretur in ratione veri determinatè. Quod quam impossibile sit, inferiùs ostendemus latè quæst. 7.

43 Quartò. Conditionalis non illatiua de præsenti, vel de præterito nullo decreto Dei prædefinitiuo eget ad suam determinatam veritatem, vel falsitatem. Ergo idem est etiam dicendum de conditionali de futuro. Antecedens à paritate propositionis absolutæ de præsenti, & de præterito contingenti probatur: quæ vera est determinatè iuxta sententiam omnium, præscindendo ab omni decreto præfinitiuo Dei; eoquòd eius obiectum determinatam veritatem habet in se, sicut & *esse* determinatum, quantumuis sint indifferentia principia, à quibus tale esse prouenit.

44 Quintò. Licèt obiectum conditionalis non illatiuæ non sit necessarium antecedenter, aut ex vi conditionis, sub cuius hypothesi est futurum: consequenter tamen, seu ex suppositione, quòd est futurum casu, quòd ponatur talis conditio, necessarium iam est. Ergo etiam est, non solùm verum, sed cognoscibile in se immediatè independenter ab alio quopiam secum connexo, atque adeò à decreto præfinitiuo sui. Patet consequentia. Nam si necessitas antecedens extrinsecè à conditione prouenies valet facere cognoscibile, & verum conditionatum, vt Aduersarij confitentur; quid ni id potiori iure præstabit necessitas ipsi conditionato intrinseca, qualis est consequens? Etenim, vt aliàs iam argumentati sumus in simili, medium connexum cum euentu contingenti futuro, ideo valet determinare intellectum ad cognoscendum illum, quia sine illo esse non potest, vt est certissimum. Sed multò minùs ipse euentus potest esse sine se ipso, vt magis adhuc certum est. Ergo, &c. De quibus rursus succedet sermo infra quæst. 7.

Sed obijciunt Thomistæ primò Aristot. lib. 1. Periherm. cap. 8. vbi negare videtur veritatem, aut falsitatem determinatam propositionibus singularibus de futuro contingente, quod potiori iure debet intelligi de conditionatis. Verum testimonium hoc potiùs aduersari Thomistis, satis monstraui supra disput. 27. quæst. 3. num. 57. 45

Deinde obijciunt, quæ ibi etiam proposui ex Aluarez, Nauarrete, & Curiel, ab ipsisque tam futuris contingentibus conditionatis, quàm absolutis applicantur. Nempe huiusmodi futura, sicut non habent determinatam entitatem, ita nec veritatem determinatam habere posse independenter à decreto Dei. Tum propositiones, quibus eorum existentia enunciatur, non esse veras, aut falsas determinatè ex naturâ subiecti; quia solus Deus habet existentiam à naturâ: neque ex determinatione causæ creatæ; quia hæc sine decreto Dei ad nihil potest determinari. Præterea, si ante decretum Dei tales propositiones veræ essent, aut falsæ determinatè, fore, vt Deus non maneret liber ad earum obiectum causandum, vel impediendum: quia Deus nequit immutare veritatem, aut falsitatem præcedentem suum decretum. 46

Respondeo consentaneè ad dicta loco citato, futurum contingens conditionatum, quemadmodùm & absolutum, egere quidem titulo entis creati aliquo decreto Dei, vt existentiam habeat, qua ratione illam est habiturum, quod decretum nusquam Doctores nostri negarunt, vt malè eis imponunt nonnulli Thomistæ. Cæterùm huiusmodi decretum imprimis non debet esse prædeterminatiuum, quale ponitur à Thomistis: hoc enim multis titulis est impossibile, vt sæpe tetigimus; nempe quia facit Deum auctorem, & amatorem peccati; quia euertit libertatem creatam, &c. Imo nec debet tale esse, quo connectatur necessariò conditio cum conditionato: quia sine tali connexione benè constare potest veritas non illatiua talis conditionati, vt vidimus. Sed, quando condicionatum est effectus liber causæ creatæ, sufficit decretum indifferens, quo Deus suum illi concursum offerat, relinquens eam indifferentem in actu primo; aut, si mauis, decretum determinatum comitans actum secundum, & à quadam scientiâ mediâ, siue contingente dependens, iuxta diuersas sententias de constitutione decreti Dei aut omnino ab intrinseco, aut per extrinseca connotata. De quo nos in tract. de Prouiden. 47

Quando verò conditionatum est effectus oriundus à solâ Dei libertate, etsi requiratur ad illud determinatum decretum, compertum est tale decretum neutiquam posse esse prædeterminatiuum diuinæ voluntatis. De quibus plura dicentur in sequentibus. Quoniam autem effectus conditionatus vt talis absolutè non accipit existentiam à causis, sed acciperet casu, quòd causæ existerent, idcirco decretum Dei, quo eget ad existendum, non opus est, quòd actu sit in Deo, sed sufficit, vel quòd ponatur in hypothesi cum alijs causis, vel quòd ex hypothesi illarum conditionatè esset futurum. Quo fit, vt ad veritatem

condi-

conditionatam huiusmodi effectuum nullum decretum Dei actu existens necessarium sit. Quemadmodum enim ad hanc veritatem conditionatam, *Si Petrus existeret, peccaret*, non est necesse quod Petrus actu existat; sed sat est, quòd supponatur in hypothesi existentia eius: tametsi peccatum essentialiter ab ipsâ existentiâ dependeat. Ita nec est necesse, quòd detur actu in Deo decretum essentialiter requisitum ad existentiam talis peccati, sed satis est, quòd illud pariter in hypothesi supponatur. Ex quo manifestè consequitur contra Aluarez, & suos, estò necessarium esset ad veritatem determinatam futuri conditionati decretum connectens conditionem cum illo, non debere huiusmodi decretum esse iam actu in Deo, prout ab eis adstruitur; sed sufficere, quòd illud supponeretur in hypothesi simul cum conditione. De quo plura dicenda infra quæst.7.

48 Ex quibus patet ad ea, quæ obijciebantur. Quo pacto conditionata contingentia titulo entium creatorum, subindeque veritas eorum possint à decreto Dei dependere, quin aliqua prædeterminatio ad illa ex parte causarum ponatur. Quomodò etiam propositiones, quibus eorum existentia enunciatur, veræ sint, aut falsæ determinatè independenter à connexione conditionis cum conditionato. Quomodò denique eorum veritas, vel falsitas non sit necessaria, sed contingens, atque adeò subiecta arbitrio Dei. Addo, quando huiusmodi conditionata sunt negatiua, nullo decreto Dei egere, sed tantùm omissione decreti impeditiuo illorum iuxta ea, quæ de absolutis dicebamus quæst.illa 3.citata.

49 Denique obijciunt S.Tho. opus.48.tract. de Enunciatione cap.14. post medium. Vbi docet, ad veritatem conditionalis propositionis requiri, quòd consequens necessariò sequatur ex antecedente. Id quod priùs tradiderat etiam Boetius in lib.3. Periherm. pag.5. in secundâ editione. Respondeo, hos Doctores dumtaxat loqui ibi, vt ex contextu constat, de conditionali illatiua, cuius potissimùm apud Dialecticos habetur ratio, vtpote quæ sola nobis in vsu est, dum scientias humanas acquirimus medio discursu. Vnde S.Tho. subiungit. *Et inde est, quòd omnis conditionalis vera est necessaria, & omnis falsa est impossibilis: quia, vt dictum est, terminus consequentis necessario sequitur terminum antecedentis.* Quod certè de conditionalibus futurorum contingentium, quas passim habet Scriptura, non diceret Doctor Angelicus· quia ista non possunt vocari necessariæ absolutè, nec earum contradictoriæ impossibiles. Cætera, quæ hic opponi possent, quæst.7.opponemus, & diluemus.

50 Ex dictis in hac quæstione constat, omne obiectum conditionatum seu necessarium, seu contingens, quod per propositionem conditionalem seu illatiuam, seu non illatiuam, eamque aut causalem, aut purè coniunctiuam enunciatur, determinatè verum, aut falsum esse citra omne decretum Dei actuale nectens cum ipso conditionato conditionem, sub qua enunciatur. Quia, quotiescunque propositio determinatè vera, vel falsa est veritate, aut falsitate formali, non potest non pariter eius obiectum verum, vel falsum esse veritate, aut falsitate obiectiuâ, vt constat. Sed enucleemus minutiùs veritatem hanc obiectiuam huiusmodi conditionatorum.

QVAESTIO IV.

Quid debeat poni ex parte conditionis, & quid ex parte conditionati, vt veritas obiectiua conditionata sit cognoscibilis à Deo.

VEritatem conditionatam obiectiuam, quemadmodùm & propositionem conditionatam, cui correspondet, in quatuor species diuidimus supra quæst.2. nempe in illatiuam solùm, causalem solùm, illatiuam simul, atque causalem, & purè coniunctiuam. De quibus singulis singillatim in hac quæst.agendum est; præsuppositis tamen nonnullis, quæ possunt omnibus quatuor esse communia. 51

Primò enim est supponendum, conditionem veritatis conditionatæ bifariam posse poni in hypothesi, siue apprehendi apprehensione constitutiua hypothesis. Primò per se seorsim. Secundò prout connotantem aliud quidpiam. Quemadmodùm obiectum bifariam potest iudicari. Primò per se seorsim. Secundò prout connotans aliud, iuxta doctrinam statutam supra disput.23.quæst.4.num. 106.& sæpe alias repetitam. Vnde fit, vt, sicut iudicium affirmatiuum expressum, siue formale de vno obiecto prout connotante alterum nequit non esse iudicium tacitum, siue virtuale de connotato, prout loco citato ostensum est, ita hypothesis positiua expressa, siue formalis de vno obiecto prout connotante alterum nequeat itidem non esse hypothesis tacita, siue virtualis de connotato. Nam sicut affirmare expressè per iudicium, existere A coniunctum cum B, est tacitè affirmare, etiam existere ipsum B; ita supponere expressè per hypothesim, existere A coniunctum cum B, est tacitè supponere pariter, existere ipsum B; vt satis per se notatum est. De hypothesi autem negatiua vnius obiecti prout connotantis alterum perinde itidem philosophandum est, ac de iudicio negatiuo vnius obiecti prout connotantis alterum locis citatis philosophati sumus. Applicet Lector huc doctrinam traditam ibi. 52

Hinc sequitur supponendum secundò, ad hypothesim veritatis conditionatæ omnia ea pertinere, quæ vel directè, atque adeò expressè, siue formaliter, vel de connotato, atque adeò tacitè, siue virtualiter supponuntur per illam. Sub eorum enim omnium hypothesi perinde venit iudicandum conditionatum, ac si ea omnia directè, expressèque, siue formaliter posita essent in ipsâ hypothesi. Tacitum quippe, & expressum, siue virtuale, & formale omnino sunt æquiualentia, quoad rem attinet, vt satis ex se est manifestum. Vnde sequitur, ea etiam omnia per conditionatum connotari, tacitèque subinde per iudicium de conditionato ipso affirmari; qua ratione diximus supra quæst.1. à num.8.per conditionatum connotari, per iudiciumque conditionati tacitè affirmari conditionem, sub cuius hypothesi est iudicabile, siue iudicandum venit conditionatum ipsum. 53

Tertiò sequitur supponendum, quando conditio veritatis conditionatæ cum alio quopiam connexa est, etsi nequeat ea poni in hypothesi, 54

quam

quin terminus connexionis eius aliquo modo cognoscatur, quatenus nulla relatio potest cognosci sine termino suo, nullatenus tamen debere talem terminum poni in hypothesi, adhuc tacitè, seu virtualiter, sed sat esse, quòd ille extra hypothesim apprehendatur simpliciter. Sicut ad iudicandam relationem connexionis non opus est, quòd iudicetur terminus eius, adhuc tacitè, seu virtualiter, sed sufficit, quòd apprehendatur simpliciter, vt supra disput. 23. quæst. 6. num. 143. & 144 ostendimus. Vbi discrimen attinens ad rem inter terminum relationis, & terminum connotationis exhibuimus, hìc à Lectore recognoscendum. Vnde fit, vt per iudicium de conditionato ne tacitè quidem affirmetur terminus connexionis conditionis; sicut affirmatur quinis terminus connotationis eius iuxta dicta suppositione præcedente.

55 Quartò ex doctrinis citatis sequitur supponendum, vt iudicetur conditionatum prout connexum cum aliquo obiecto non pertinente ad suam hypothesim, nullatenus tale obiectum debere iudicari, adhuc tacitè, seu virtualiter, sed sat esse, quòd illud apprehendatur simpliciter extra hypothesim. Si vero conditionatum prout connotans aliquod obiectum non pertinens ad suam hypothesim iudicetur affirmatiuè, tale iudicium tacitè erit affirmatio de tali connotato, vnde, vt sit verum, necesse erit, quòd ipsum connotatum re ipsâ sub eâdem hypothesi verum sit. Aliud est de iudicio negatiuo conditionati iuxta doctrinam generalem statutam disput. 23. quæst. 4. num. 106. iam citato.

56 Quintò est supponendum, conditionem bifariam inuper posse poni in hypothesi. Primò cum præcisione ab ambobus extremis cuiuslibet contradictionis. Secundò prout coniuncta cum altero eorum. Quanquam enim ambo cuiuslibet contradictionis extrema nequeant realiter simul deficere; cùm sit impossibile, quidpiam realiter neque esse, neque non esse, iuxta principium euidentissimum statutum in nostrâ Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 1. prorsusque propterea repugnet, vt aliquid realiter habeat *esse*, & tale *esse* non sit realiter coniunctum, siue associatum cum vno, vel altero ex extremis cuiuslibet contradictionis. At per intellectum siue creatum, siue diuinum benè potest quilibet quoad quoduis suum *esse* reale cum præcisione ab ambobus cuiuslibet contradictionis extremis concipi, atque adeò poni in hypothesi, aut etiam iudicari; per actum videlicet tendentem in illud præcisè, neque curantem de coniunctione reali eius cum vno, vel cum altero extremo talis contradictionis. Sic, licèt Petrus non possit realiter esse existens, quin sit realiter coexistens aut Ioanni, aut negationi Ioannis; benè tamen potest concipi aut per hypothesim, aut per iudicium existens; quin concipiatur merito talis actus coexistens aut Ioanni, aut negationi Ioannis. Pariterque de huiusmodi cæteris censendum est.

57 Sextò denique possumus hìc supponere ex dictis quæst. præcedente, dicendisque fusiùs inferiùs quæst. 7. ad veritatem conditionatam contingentem, quæ eo ipso non illatiua debet esse, nullum decretum Dei prædefinitiuum requiri, prout multi ex Thomistis prætendunt, quod aut existens actu, aut positum in hypothesi connectat conditionem, aliàs indifferentem, cum contingente conditionato. Vtrùm autem aliquod aliud alterius generis decretum Dei ad omnem veritatem conditionatam sit requisitum? & qua ratione, ex dicendis in hac quæstione constabit. Id prorsus certum est, aliunde, quàm à decreto prædefinitiuo Dei, habere multas conditiones cum suis conditionatis esse connexas: quia id habent per suas essentias, vt cernitur in his, *Si existeret vnio, existerent extrema vnita. Si existeret actio, existeret terminus eius*, & in alijs similibus. His positis, sit.

Propositio 1.

Ad veritatem conditionatam non est necesse, quòd conditio à conditionato distincta sit aliquo modo. 58

Hæc propositio mihi est certissima: nec video, quo pacto ab aliquo ea negari possit. Constatque apertè ex dictis supra quæst. 1. à num. 7. Vbi statuimus, quamlibet conditionem non solùm posse verè iudicari iudicio expresso sub suimet hypothesi, sed necessariò iudicari semper tacitè per iudicium expressum de suo conditionato. Vnde sequitur necessariò, quotiescunque iudicium conditionatum est verum, non posse non sub hypothesi conditionis vtrumque esse verum, conditionatum videlicet, & conditionem ipsam. Itaque cùm hæc oratio, *Si Petrus existeret, Petrus existeret*, propositio sit citra omne dubium affirmatiua, verissimèque enuncians, extiturum Petrum, si existeret: necesse est, vt obiectum eius veritas sit conditionata. In qua conditio, & conditionatum idem omnino, diuerso tamen modo conceptum est; ex parte videlicet hypothesis apprehensum suppositiuè, ex parte autem conditionati verissimè iudicatum, seu affirmatum. Quæ quidem veritas, etsi minus propriè sit illatiua, coniunctiua, & causalis; quia idem, propriè loquendo, nec secum connexum est, nec secum coniunctum, nec ad suum esse conducens; hæc tamen omnia suo modo habet, quatenus neque conditio sine conditionato esse potest, neque conditionatum potest à conditione separari, neque sine illâ potest existere. Quorum primum ad sensum illatiuum, secundum ad coniunctiuum, & tertium ad causalem reducitur.

Propositio 2.

Impossibilis est respectu Dei conditionata veritas, cuius conditio sit vna formalitas præcisè, conditionatum autem altera identificata cum primâ. Respectu verò nostri talis veritas possibilis est. 59

Ratio est. Quia, vt constat ex doctrinâ traditâ disput. 23. quæst. 6. num. 151. & postea sæpe repetita, Deus, vtpote perfectè intuitiuè cuncta conspiciens, nec per simplicem apprehensionem conditionis, nec per iudicium conditionati potest attingere cum præcisione vnam formalitatem, & non aliam; sicuti nos possumus, dum res cognoscimus abstractiuè. Apud Deum quippe vna, & indiuisibilis entitas vnica est, & indiuisibilis veritas: etsi apud nos abstractiuè cognoscentes multiplex formaliter esse possit.

Ex quo sequitur consentaneè ad doctrinam 60
elicitam ex isto principio disput. 24. quæst. 2. nec posse Deum conditionatè iudicare vnam ex suis relationibus personalibus sub hypothesi alterius

præ-

præcisè sumptæ ; sed oportere , vt tam ex parte hypothesis , quàm ex parte conditionati totus Deus repræsentetur adæquatè , si Deus se ipsum conditionatè iudicat , vti verè, mea quidem sententia, iudicat iuxta dicta disp. 26. quæst. 3. Vnde rursus efficitur , quidquid nos de eadem re indiuisà conditionatè iudicamus præscindendo formalitates , quarum aliæ ex parte conditionis , aliæ ex parte conditionati se habent , à Deo per vnicum prorsus iudicium conditionatum iudicari , positâ indiuisim re totâ tam ex parte hypothesis , quàm ex part e conditionati iuxta doctrinam propos. 1.

Propositio 3.

61 **Ad veritatem conditionatam illatiuam solùm , atque adeò non causalem, ea omnia , & sola debent ex parte hypothesis poni , quæ ad connexionem conditionis cum conditionato intrinsecè spectant.**

Nam , quemadmodùm ad inferendum consequens absolutum ex antecedente absoluto, non solùm prænosci debet ex parte antecedentis, ipsum habere *esse* , sed insuper, ipsum esse connexum cum consequente ; atque ita ex parte antecedentis poni debet , quidquid ipsum cum consequente facit connexum , prout supra disput. 23. quæst. 3. num. 78. tetigimus ex dictis latiùs in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 5. Ita ad inferendum consequens conditionatum ex antecedente posito in hypothesi, vt per propositionem conditionatam solum illatiuam infertur , conditio , quæ vicem antecedentis habet , non tantùm quoad suum *esse* , sed etiam quoad connexionem , quam habet cum conditionato, est concipienda ex parte hypothesis , seu per hypothesim supponenda , atque ita in ipsa hypothesi ponenda sunt , quæcunque huiusmodi connexionem intrinsecè constituunt . Quòd autem ea sola , & non alia poni debeant ex parte hypothesis , inde fit manifestum : quia , quemadmodùm sola connexio , atque adeò sola constitutiua eius absolutè posita inferunt connexionis terminum absolutè ; ita sola connexio , atque adeò sola constitutiua eius per hypothesim suppositа inferunt connexionis terminum conditionatè . Ad veritatem autem conditionatam solùm illatiuam dumtaxat spectat inferre sub hypothesi conditionis terminum connexionis eius , vt est notissimum .

62 Pro pleniore tamen intelligentiâ huius propositionis primò aduertendum est consentaneè ad dicta supra quæst. 2. num. 18. veritatem conditionatam solùm illatiuam duplicem esse. Alteram simpliciter talem. Alteram talem secundùm quid . Simpliciter talem appello , quando ita est verum conditionatum sub hypothesi conditionis inferentis illud , vt non sit etiam verum contradictorium eius . Quod euenit quoties conditionatum aliàs est absolutè verum . Secundùm quid autem talem dico , quando vtrumque contradictorium sub tali hypothesi verum est ; vti euenit , quoties conditionatum aliàs non est absolutè verum . Quibus duabus tertia veritas conditionata solùm illatiua est addenda præscindens ab vtraque; qualis interuenit quando ex hypothesi conditionis sumptæ præcisè verè indicatur conditionatum præscindendo ab eo , quòd sit , aut non sit etiam verum eius contradictorium . Quòd autem dentur istæ tres veritates ; tum ex dictis loco citato constat ; tum facile ostenditur . Quoad primam quidem : quia, quoties absolutè est verum , conditionatum habere *esse* , non potest non esse id etiam verum sub hypothesi conditionis connexæ cum illo , atque adeo non auferentis , sed potiùs supponentis tale *esse* , vt est manifestum . Quoad secundam autem : quia , quoties absolutè est verum , conditionatum non habere *esse* , sub hypothesi conditionis connexæ cum illo , & nullatenus influentis in illud , nequit non esse simul verum , & illud non habere *esse* ; quia in casu hypothesis conditio nullatenus influens in illud non daret illi *esse* , quod aliàs non habet ; & illud habere *esse* ; quia tale *esse* necessariò supponitur à connexione conditionis . Quo fit , vt pro tali casu conditio prorsus sit impossibilis . Vnde non mirum, quod sub eius hypothesi verificentur duo contradictoria simul, vti sub hypothesi cuiusuis chymæræ impossibilis semper verificantur , vt demonstrauimus in Pharo Scient. disput. 11. De quo, præter dicta supra quæst. 2. num. 18. & dicenda tum circa propos. 5. tum quæst. sequen. plura tradenda sunt inferiùs disput. 30. quæst. 5. Quoad tertiam denique veritatem inde ostenditur dari illam ; quia conditio cum conditionato connexa essentialiter supponit esse illud , quandocunque ea est . Ergo ex hypothesi , quòd sit illa præcisè , nequit non esse iudicabile verè , & illud esse etiam præcisè , hoc est , præscindendo ab eo , quòd sit etiam , aut non sit verum eius contradictorium. Cæterùm , quia præcisiones istæ per intellectum dumtaxat fiunt iuxta dicta suppositione quinta , non potest non esse hæc tertia veritas præcisiua coniuncta re ipsâ cum vnâ , vel alterâ duarum priorum : quia nequit esse conditionatum verum sub hypothesi conditionis , quin re ipsâ vel sit etiam , vel non sit verum eius contradictorium ; cùm sint hæc contradictoria extrema , quorum alterutrum dari debet re ipsâ . Est tamen notandum , diuisionem veritatis conditionatæ solùm illatiuæ in talem simpliciter , & talem secundùm quid in positiuâ tantùm veritate , non item in negatiuâ locum habere . Veritas quippe conditionata solùm illatiua , quanco est negatiua , semper est simpliciter talis , vt ex dicendis infra circa propos. 5. constabit . Quare de solâ positiuâ veniunt intelligenda , quæ in hoc § & num. 62. dicta sunt .

63 Secundò aduertendum est , licèt ad veritatem conditionatam solùm illatiuam sat sit , ex parte hypothesis poni id , quod connexionem conditionis cum conditionato constituit , ei tamen non obstare , quòd adijciantur aliqua alia , dummodò hæc non constituant causam efficaciter dantem *esse* conditionato ; nam hoc in casu veritas eius non solùm illatiua erit , sed simul illatiua , & causalis. E. g. hæc veritas est illatiua solùm , *Si Deus reuelaret peccatum Petri , Petrus peccaret* : atque etiam hæc , *Si gallus cantaret , & Paulus dormiret , & Deus reuelaret peccatum Petri , Petrus peccaret* . Tametsi secunda habeat ex parte hypothesis , præter integrum constitutiuum connexionis conditionis cum conditionato, quod tantùm habet prima , & est sola Dei reuelatio , galli cantum , & Pauli somnum : eoquòd conditio secundæ ex omnibus hisce tribus compacta perinde atque conditio primæ , quæ est sola reuelatio , ita infert conditionatum , vt nullo modo sit causa eius . Hæc tamen veritas , *Si Petrus tentaretur tentatione A , & Deus reuelaret peccatum eius , Petrus peccaret* . Et illatiua solùm , & illatiua simul , atque causa-

causalis esse potest. Erit illatiua solùm, si in casu hypothesis tentatio A non efficax, sed sufficiens tantùm causa foret peccati Petri; eoquòd Petrus per illam ad peccatum impulsus ei non succumberet, sed resisteret, & non peccaret. Illatiua autem simul, atque causatiua erit, si in casu hypothesis tentatio A causa efficax foret peccati Petri; eoquòd Petrus per illam ad peccandum impulsus, ei consentiret, & peccaret. Similiterque de alijs similibus philosophandum est.

64 Tertiò denique est aduertendum, si constitutiuo connexionis cum conditionato adiungatur ex parte hypothesis aliquid ipsi conditionato oppositum, fore vt sub tali hypothesi, vtpote conditionis chymæricæ, vtrumque contradictionis extremum sit illatiuè verum. Sic sub hypothesi quòd existeret reuelatio Dei de peccato Petri, & simul actus fidei supernaturalis de carentiâ talis peccati, quod coniunctum prorsus repugnat, verum conditionatè est, extiturum, & non extiturum simul ipsum Petri peccatum. Pariterque in similibus. Nonnulla alia de veritatibus conditionatis illatiuis venient dicenda inferiùs circa propos. 5.

Propositio 4.

65 **Ad veritatem conditionatam causalem solùm, atque adeò non illatiuam, non semper necesse est, quòd ponantur ex parte hypothesis omnia, quæ influunt, siue concorrunt ad existentiam conditionati: potest enim hoc plerunque iudicari verè sub hypothesi vnius, aut duorum, aut plurium illorum cum præcisione à reliquis. Interdum tamen, vt iudicetur verè, omnia illa simul ex parte hypothesis ponenda necessariò sunt.**

Prior pars huius propositionis contra aliquos Recentiores est, asserentes, quæcunque immediatè concurrunt ad causandum effectum siue vt causæ, siue vt conditiones causandi, ea omnia debere semper poni in hypothesi, vt verè iudicetur effectus conditionate in sensu causali: atque ita tacitè supponi, quotiescunque propositio causalis ea omnia non exprimit. Vnde, cùm dicimus, *Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret*, cætera omnia, quæ vnà cum vocatione A ad consensum Petri concurrerent, sub hypothesi talis propositionis subintelligenda esse, censent, vt illa sit vera. Ego verò, vt huius sententiæ falsitatem, & veritatem vtriusque partis meæ propositionis ostendam.

66 Suppono primò, hoc differre veritatem causalem ab illatiuâ, quòd in illatiuâ connexio, qua illatio nititur, ex parte phypothesis ponitur, vt vidimus propos. 3. In causali verò causalitas, à qua sumit appellationem, ponitur ex parte conditionati. Sensus enim huius causalis, *Si existeret ignis, existet calor*, est, si extiterit ignis, calor existet dependenter ab igne; seu, calor causabitur, siue dependebit ab igne; seu, ignis causabit calorem; seu, calor existet, simul & causalitas, siue dependentia eius ab igne. Quæ omnia in idem recidunt. Ex quo vnum valde notandum infertur. Conditionalem causalem à purè coniunctiua eo solùm differre, quòd in causali sub hypothesi conditionis duo ponuntur eidem conditioni coexistentia, effectus scilicet, & causalitas, qua effectus ipse dependet ab ipsâ conditione. In purè autem coniunctiua sub hypothesi conditionis aliud quidpiam à conditione independens ponitur eidem conditioni coexistens, siue coniunctum. Quæ sanè diuersitas materialis est, nec modum variat enunciationum conditionalium: cùm sit diuersitas orta solùm ex diuersitate naturæ eorum, quæ sub hypothesi conditionis ipsi conditioni coexistunt, siue cum illâ coniunguntur.

Suppono secundò ex doctrinâ traditâ supra disput. 23. quæst. 4. num. 106. idem obiectum prout subest alijs pluribus, seu prout connotans illa plures constituere veritates pluribus iudicijs iudicandis, etiam à Deo. Quod verum est, siue tale obiectum cum alijs, quæ connotat, connexum, siue ab eis absolutum sit. Distincta quippe veritas est, *Petrus coexistit Ioanni*, atque, *Petrus coexistit Paulo*. Similiter distinctæ veritates sunt istæ, *Actio A procedit à Deo*, siue, *Deus agit actione A*, ab istis, *Actio A procedit à creaturâ*, siue, *Creatura agit actione A*. Sicut & istæ, *Entitas A oritur ab agente*, &, *agens mediâ illâ agit*, distinctæ ab his sunt, *Entitas A recipitur in passo*, &, *passum mediâ illâ patitur*. Quarum omnium veritatum distinctio à solâ sumitur distinctione connotatorum. Quoniam autem omne obiectum conditionatum non aliter, quàm prout subest suæ conditioni, siue prout connotans illam sub ipsius hypothesi est iudicabile, vti supra quæst. 1. num. 6. dicebamus; consequens est, vt quotuis obiectum conditionatum tot valeat veritates conditionatas constituere, quot sunt conditiones, sub quarum hypothesi, atque adeò prout illas connotans vere illud iudicabile est. Est autem sæpe sæpius iudicabile verè tum sub hypothesi aggregati multorum aliorum obiectorum, tum sub hypothesi singulorum, aut aggregatorum minorum contentorum in illo. Pro cuius explicatione, quod attinet ad veritates conditionatas causales, de quibus modò sermo est. 67

Suppono tertiò, effectum conditionatum tunc esse conditionatè verum, non solùm sub hypothesi aggregati eorum omnium, quæ ad ipsum causandum concurrerent, sed etiam sub hypothesi singulorum, aut aggregatorum minorum contentorum in illo, quando sub hypothesi cuiusuis ex singulis, aut ex minoribus aggregatis cætera conditionatè sunt vera. Quando tamen è contra ita est effectus conditionatè verus sub hypothesi aggregati omnium ad ipsum concurrentium, vt sub nullius eorum, aut aggregati minoris hypothesi cætera sint vera conditionatè, tunc effectus sub vnicâ hypothesi totius dicti aggregati erit verus conditionatè, vnicamque subinde constituet veritatem causalem. Est autem sermo in vtroque casu de aggregato omnium ita ad effectum concurrentium, vt, eis omnibus existentibus, ille etiam existeret, &, quouis eorum deficiente, ille etiam deficeret. Explicemus hæc per exempla. Sit conditionatè verum, extiturum effectum A, si existerent causæ B C D E, & quauis earum deficiente, non extiturum; (v. g. extiturum actum amoris A, si existerent voluntas B, & cogitatio C, & habitus D, & decretum Dei concurrendi E, & non extiturum, deficiente quouis istorum). Dico primò, si sit etiam conditionatè verum, extituras causas C D E, si existeret causa B, non posse non esse quoque conditionatè verum, extiturum 68

effectum A, si existeret præcisè causa B. Est clarum. Quia, suppositò, quòd, existentibus B C D E, existeret A, &, existente B, existerent B C D E, necesse est, vt, existente B præcisè, existeret A. Ob eamdemque rationem verus erit effectus A sub hypothesi solius C, vel D, vel E, si sub eadem hypothesi sint veræ reliquæ causæ tres. Tum verus erit effectus A sub hypothesi aggregati ex B, & C, vel ex C, & D, vel ex B C D, cæterisque combinationibus, si sub eadem hypothesi fuerint veræ causæ residuæ. Vnde patet effectum A tot veritates conditionatas causales constituere posse à distinctione conditionum connotatarum distinctas inter se, atque adeò distinctis iudicijs iudicabiles, quot sunt possibiles hypotheses aut vnius, aut plurium, aut omnium suarum quatuor causarum, sub quibus tum ille, tum causæ residuæ veræ conditionatè sint. Iam sit rursus conditionatè verum, extiturum effectum A, si existerent causæ B C D E, &, quauis earum deficiente, non extiturum. Dico secundò, si sub nullius earum, aut aggregati minoris hypothesi sint conditionatè veræ causæ residuæ, sub nullius earum, aut aggregati minoris hypothesi esse conditionatè verum ipsum effectum. Est etiam clarum. Quia suppositò, quòd, deficiente quauis ex causis B C D E, non existeret effectus A; & ex hypothesi causæ B non sit verum, extituras reliquas tres, & consequenter verum sit, earum aliquam defecturam, necesse est, vt ex hypothesi causæ B non sit verum, extiturum effectum A, sed potius sit verum, non extiturum. Tantumdemque de cæteris comparationibus venit dicendum. Vnde patet, effectum A in hoc casu vnicam tantum veritatem conditionatam causalem constituere posse, qua sub hypothesi aggregati omnium dictarum quatuor causarum existentia eius vera est. Per quæ satis perspicuè manet probata vtraque pars propositionis: neque aliâ eget, probatione.

69 Modò ex dictis infertur primò, quoties multæ causæ ad existentiam effectus conditionati ita concurrunt, vt, eis omnibus existentibus, ille etiam existeret, &, quauis earum deficiente, ille etiam deficeret, eas, quæ sub hypothesi aliarum conditionatè veræ sunt, tum positas ex parte hypothesis, tum positas ex parte conditionati posse conferre ad veritates conditionatas talis effectus; eas verò, quæ sub hypothesi aliarū conditionatè non sunt veræ, positas tantùm ex parte hypothesis. Quæ autem ex parte conditionati ponibiles fuerint, tum simul cum effectu conditionato per idem iudicium, tum seorsim per diuersum iudicabiles erunt.

70 Secundò infertur, decretum Dei essentialiter requisitum ad existentiam tam conditionatam, quàm absolutam cuiusuis creaturæ, atque adeò inter causas cuiusuis effectus positiui necessariò connumerandum, tunc ad veritatem conditionatam eius tam ex parte hypothesis, quàm ex parte conditionati positum conferre posse, quando illud conditionatè est verum sub hypothesi vnius, aut plurium ex alijs causis, quæ simul cum illo concurrunt ad talem effectum: quando verò ex nullius earum hypothesi verum conditionatè est, positum dumtaxat ex parte hypothesis poterit ad veritatem conditionatam effectus deseruire.

71 Porro ad omnem veritatem conditionatam cuiuslibet entis creati esse essentialiter requisitum aliquod Dei decretum, certissima, & concors Theologorum sententia est; à qua nullus Nostrorum vnquam recesit; quidquid dixerint aliquando nonnulli Thomistarum. Dum enim Nostri decretum prædefinitiuum Thomisticum, aut etiam quoduis aliud actualiter, & absolutè existens ad eiusmodi veritates conditionatas, negant, requiri, neutiquam dicunt, aut censent, quidpiam creatum sine aliquo decreto Dei posse veram existentiam aut absolutam, aut conditionatam habere; censent tamen, & dicunt, ad veritatem existentiæ conditionatæ sat esse, quòd tale decretum aut ex parte hypothesis, aut ex parte conditionati aliquo ex prædictis modis ponatur: quin actualiter, & absolutè existens sit. Vti iuxta sententiam omnium euidenter euenit alijs causis; quæ, cùm actualiter, & absolutè existentes non sint perinde, ac decretum diuinum, requisitæ fæpe sunt essentialiter ad veritatem conditionatam entis creati. De quo plura dicenda venient infra quæst. 7. Quale autem debeat esse decretum Dei concurrendi cum causâ liberâ, vt huius libertas cum illo indemnis cohærere possit, aliaque incommoda vitentur, in tract. de Prouidentiâ Dei discutiendum à nobis est.

Duo supersunt aduertenda. Primum, Quæ 72
diximus de aggregato causarum ad eumdem effectum conditionatum concurrentium, pariter esse intelligenda de aggregato tum causarum tum conditionum causandi positiuarum, negatiuarumque, in quibus censentur negationes impedimentorum ex parte causarum requisitæ. Secundum. Requisitorum ad existentiam conditionati alia esse determinatè talia; sine quibus determinatè sumptis veritas talis existentiæ conditionatæ stare non potest. Alia esse talia vagè, siue sub disiunctione, quatenus existentia conditionati, atque adeò veritas conditionata eius ita ab his pendet, cum hisque stat, vt ab alijs similibus horum loco subrogatis pariter penderet, cum eisque pariter staret. E. g. ad existentiam peccati Petri, atque adeò ad veritatem conditionatam eius voluntas Petri determinata est requisita: secus tentatio determinata A: sed vel A, vel B, vel alterutra. Pariterque in similibus.

Propositio 5.

Ad veritatem conditionatam illatiuam simul, & causalem ex parte hypothesis 73
omnia illa poni vel debent, vel possunt, quæ vel debere, vel posse poni, diximus, tum ad veritatem conditionatam illatiuam solùm proposit. 3. tum ad veritatem conditionatam causalem solùm proposit. 4.

Hæc propositio, cùm ex duabus præcedentibus composita sit, per ea, quæ in ambarum probationem adduximus, simul sumpta sufficienter manet probata: nec alia indiget probatione. Siquidem, quæcunque probant, dari duas partes, ex quibus solis totum componitur, eo ipso probant, dari totum. Debent tamen pro pleniore intelligentiâ sensus huius propositionis adiungi etiam illi, suâ seruatâ proportione, quæcunque ei conuenerint ex adiunctis duabus præcedentibus. Quod facilè quisque præstare poterit.

Vnum præterea est adnotandum, conditionem veritatis conditionatæ illatiuæ simul, & causalis duplicem esse posse. Alteram, quæ secundùm idem *esse* aut totale, aut partiale sui & cau- 74

sæt

set conditionatum, & inferat illud. Alteram, quæ secundùm vnam partem sui causet conditionatum, & secundùm aliam ab illâ adæquatè distinctam inferat illud: atque ita in primo casu causa conditionati intrinsecè sit cum illo connexa, atque adeò suâ naturâ determinata ad illud causandum; in secundo verò causa conditionati absoluta sit à conditionato, atque adeò indifferens naturâ suâ ad illud causandum, vel non causandum. Exemplum prioris casus sit hæc veritas, *Si Petrus prædeterminaretur qualitate physicâ ad amandum, amaret*. Posterioris autem hæc, *Si Petrus induceretur ad amandum cogitatione A, & Deus reuelaret eius amorem, amaret*. Quomodò autem non possit effectus esse liber, quando causa immediata eius intrinsecè est connexa cum illo, inferiùs disput.30.quæst.5.probandum est.

75 Porro, cùm sermo in propositione sit de veritate conditionatâ, quæ simul sit causalis, & illatiua eiusdem conditionati; dubitari hìc potest, an sit etiam dabilis veritas conditionata, quæ sit causalis vnius ex extremis contradictionis, & illatiua alterius. Atque ita talis, vt ex eius hypothesi vtrumque extremum contradictionis sit simul verum; vti aliquando est ex hypothesi illatiuâ solùm, & non causali iuxta doctrinam supra statutam circa propositum.3.num.62.

76 Censeo, non esse dabilem veritatem conditionatam, quæ simul sit causalis vnius ex extremis contradictionis, & illatiua alterius, si extremum causandum sit positiuum, & inferendum negatiuum: benè tamen, si vice versâ extremum causandum sit negatiuum, & inferendum positiuum. Quod vtrumque vt ostendam, suppono duo principia latè mihi probanda inferiùs disput. 30. quæst. 5. Primum est. Quando actus positiuus causæ A cum actu seu positiuo, seu negatiuo causæ B connexus est, nequit causa A euadere proximè potens ad talem actum sine iuuamine, & influxu causæ B. Secundum est. Quando actus negatiuus causæ A cum actu negatiuo causæ B connexus est, (cum positiuo quippe nequit esse connexus), benè potest causa A euadere proximè potens ad talem actum sine iuuamine, & influxu causæ B. Quoniam scilicet veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus cum eo connexi, per quam iuxta dicenda ibidem completur in vtroque casu potentia proxima causæ A, in primo quidem ab influxu causæ B est dependens: in secundo verò non item.

77 Ex primo horum duorum principiorum probo priorem partem meæ assertionis. Quia, si quæ veritas conditionata causalis extremi contradictionis positiui, & illatiua negatiui dabilis esset, maximè ea, in qua vnâ cum causâ efficaci alicuius actionis poneretur ex parte hypothesis aliquid connexum cum negatione talis actionis. Sed hæc non. Ergo nulla. Cætera patent. Probo minorem. Sitque A causa, quæ ponitur esse efficax alicuius actionis connexumque cum negatione talis actionis, ponendum vnâ cum causâ A in hypothesi ad veritatem conditionatam, de qua tractamus, constituendam sit effectus, vel actio causæ B. Et arguo sic. Hoc ipso, quòd actio causæ B connectitur cum negatione, siue omissione actionis causæ A, ipsa actio causæ A connectitur cum omissione actionis causæ B, vt est certum. Ergo iuxta principium primum nequit esse causa A proximè potens ad suam actionem absque influxu causæ B media omissione suæ actionis præstando. Ergo ex hypothesi, quòd desit talis influxus causæ B, necesse est, quod desit talis potentia proxima causæ A. Ast hypothesis de existentiâ causæ A, & simul de existentiâ actionis causæ B alia non est ab hypothesi de existentiâ causæ A, & simul de defectu influxus causæ B præstandi mediâ omissione suæ actionis in complementum potentæ proximæ causæ A. Ergo ex hypothesi quod simul existant causa A, & actio causæ B, necesse est, quòd causa A existat sine potentiâ proximâ ad suam actionem, & consequenter impossibile, quòd talis actio à tali causâ sub tali hypothesi procedat. Vnde concluditur, ex hypothesi, quòd simul existant causa A, & actio causæ B, non posse esse verum conditionatè, extituram simul, & non extituram actionem causæ A, extituram quidem causaliter, & non extituram illatiuè. Repugnareque proinde vniuersè veritatem conditionatam, quæ simul sit causalis extremi contradictionis positiui, & illatiua negatiui.

Declaremus hoc per exemplum. Quanquam 78
enim hæc propositio sit causalis, & vera, *Si Petrus tentaretur, peccaret*; hæc non erit causalis simul, & illatiua, atque adeò vera quoad vtrumque contradictionis extremum; *Si Petrus tentaretur, & Deus reuelaret, eum non peccaturum, Petrus peccaret simul, & non peccaret*; sed quoad alterum erit falsa: atque adeò vera hæc, non tamen causalis, sed illatiua solùm, *Si Petrus tentaretur, & Deus reuelaret, eum non peccaturum, Petrus non peccaret*. Quoniam, vt prima propositio sit vera, & causalis, tentatio Petri immunis debet poni in hypothesi ab omni impedimento peccati; qualiter non ponitur in secundâ; eoquòd reuelatio Dei de negatione peccati, cum qua coniuncta ponitur, impedimentum est potentiæ proximæ Petri ad peccandum iuxta argumentationem factam, atque adeò & peccati. Quare secunda propositio in sensu simul causali, & illatiuo vera non est. Benè tamen tertia in solo illatiuo.

Probo iam secundam partem meæ assertio- 79
nis ex secundo principio. Iuxta quod, vt causa A reuerâ sit efficax, atque adeò proximè potens ad omissionem connexam cum omissione causæ B, nullo causæ B influxu indiget; plenèque proinde habet in potestate suâ tum suam omissionem, tum omissionem causæ B citra vllum huius influxum. Quo fit, vt ex suppositione, quòd causa A ad omissionem suam determinatur, vti adæquatè, & plenè potest, per nullam aliam causam fit impedibilis talis eius omissio, impossibileque consequenter fit omne cum ea incompatibile. Vnde rursus efficitur, vt, si simul cum causâ A (alioquin pro suæ plenitudine potestatis reuerâ omissiuâ) ponatur in hypothesi quidpiam inferens contradictorium omissionis, non possit non sub tali hypothesi vtrumque contradictorium esse conditionatè verum, omissionem scilicet veritate causali, & eius positiuum contradictorium veritate illatiuâ. Nec mirum, cùm in tali casu tale quid cum omissione incompatibile, & eius contradictorium inferens impossibile sit, vtpote nullatenus valens omissionem alias futuram impedire, aut (quod est idem) ad existentiam contradictorij eius quidpiam conferre.

Explicemus ampliùs etiam hoc per exem- 80
plum. Quoniam enim Petrus proximè potens ad non peccandum nequit non esse iuxta dictum

principium secundum plenè etiam potens ad impediendam reuelationem Dei de suo peccato citra vllum influxum ipsius Dei in omissionem talis reuelationis; casu, quòd Petrus eâ suâ plenitudine potestatis se se ad non peccandum determinet, consequenter fit impossibilis talis Dei reuelatio, vtpote mediâ qua nec potest Deus peccatum Petri, aliàs pro ipsius arbitrio non futurum, inducere, nec talis peccati omissionem, aliàs futuram, impedire. Vnde, si semel verum sit, Petrum sponte suâ non peccaturum ex hypothesi, quòd tentetur, etiamsi ex parte hypothesis adijciatur reuelatio Dei de peccato, manebit id verum; quia reuelatio adiecta nec dabit existentiam peccato, nec impediet carentiam eius in tali hypothesi; quia tamen illatiua peccati est, insuper verum erit sub tali hypothesi, Petrum peccaturum. Atque ita sub integrâ hypothesi (de conditione in tali casu reuerâ impossibili) vtrumque contradictionis extremum erit conditionatè verum, negatiuum quidem causaliter, & positiuum illatiuè. Quod erat ostendendum.

81 Hinc aduertendum sequitur, dixisse nos supra propos.t.3. num.62. tunc ex hypothesi conditionis connexæ cum conditionato, & nihil conducentis ad illud verificari duo contradictoria, quando aliàs illud absolutè verum non est: quia ibi tantùm agebamus de veritate conditionatâ illatiuâ solùm, & non causali: qua veritate tunc solùm sunt ambo extrema contradictionis vera, quando negatiuum aliàs est absolutè verum, & positiuum infertur ex conditione. Modò tamen agimus de veritate conditionatâ causali vnius, & simul illatiuâ alterius ex extremis contradictionis: qua veritate, etiam quando extremum negatiuum absolutè verum non est; quia causa efficax eius absolutè non extat; ambo nihilominùs erunt simul conditionatè vera sub hypothesi complectente tum causam efficacem negatiui, tum aliud quid connexum cum positiuo, atque adeo inferens illud, vt constat ex dictis circa secundam partem nostræ assertionis.

82 Ex dictis autem circa primam constat etiam, diuisionem loco citato adductam veritatis conditionatæ solùm illatiuæ in talem simpliciter, & talem secundùm quid, dumtaxat in veritate huiusmodi positiuâ, non item in negatiuâ locum habere, vt ibi etiam notauimus. Nam sub hypothesi conditionis inferentis conditionatum negatiuum in nullo euentu sunt simul vera ambo extrema contradictionis; vti sæpe sunt ex hypothesi conditionis inferentis conditionatum positiuum iuxta iam dicta. Etenim sub hypothesi, quòd Deus reuelaret, non extiturum peccatum Petri, semper est simpliciter verum, peccatum Petri non extiturum; siue existentia, siue non existentia eius sit aliàs absolutè vera; & siue ponantur, siue non ponantur ex parte hypothesis vnà cum tali reuelatione quæuis principia eius. Eò videlicet quòd (vt ex doctrinâ datâ constat) reuelatio de negatione peccati Petri impedimentum est tollens è medio omnem potentiam proximam ad tale peccatum. Certum est autem, ex hypothesi, quòd nulla potentia proxima ad tale peccatum daretur, verissimè illud atque simpliciter non extiturum. Videantur plura ad rem dicenda disp.30. quæst.5.

Propositio 6.

Ad veritatem conditionatam purè 83
coniunctiuam nihil ampliùs requiritur, quàm, quòd conditionatum hypotheticè coexistat, siue coniungatur conditioni: quæcunque demum sint conditio, & conditionatum.

Hæc propositio ex dictis hactenus est manifesta. Quia, quod prout coniunctum cum altero, siue prout connotans alterum sub ipsius hypothesi est conditionatè iudicabile, id verum conditionatè est in sensu purè coniunctiuo. Quilibet autem sub cuiuslibet hypothesi est conditionatè iudicabile, quando aliàs illud est absolutè verum, prout exponemus latè infra quæst.8. Vnde veritas conditionata purè coniunctiua per omnia, aliàs vera absolutè, seu positiua, seu negatiua diuagatur. Spectarique etiam subinde potest circa ea conditionata obiecta, quæ illatiuè etiam, aut causaliter vera sunt, præscindendo ab illatione, & causalitate, vt ex dictis in præcedentibus etiam est notum, magisque innotescet ex dicendis quæst.8.

Propositio 7.

Ad quoduis genus veritatis conditio- 84
natæ sola conditio debet poni in hypothesi; non item id, à qno conditio dependet vel tanquam à causâ, vel tanquam à termino connexionis: nam ab hoc hypothesis præscindit. Cùm quo stat, debere aliter apprehendi omne id, ad quod conditio relata est.

Hæc propositio ex suppositionibus præmissis principio quæstionis, ex alijsque dictis circa præcedentes propositiones satis, superque nota est. Neque aliâ eget probatione. Itaque ex parte hypothesis huius veritatis, *Si Petrus præueniretur cogitatione A, consentiret*; nec causæ cogitationis adhuc essentiales, nec alius quilibet terminus connexionis eius supponi debet. Vnde patet, nec decretum, nec scientiam, nec prouidentiam Dei, à qua talis cogitatio esset, aut esse posset, si daretur, ad hypothesim pertinere talis veritatis: ab eis enim omnibus hypothesis ipsa præscindit. Tantumdemque censendum est de cæteris veritatibus conditionatis. Ex qua doctrinâ facile soluemus suo loco sophisma quoddam, quòd à nonnullis fieri solet contra scientiam mediam.

Sed obijci potest contra illam. Cogitatio illa 85
A e.g. nullatenus potest re ipsâ existere sine aliquo decreto Dei, sine alijsque principijs sibi essentialibus. Ergo neque potest supponi re ipsâ existens, vti in hypothesi supponitur, quin pariter in eâdem hypothesi supponantur existentia dicta principia. Hac consequentiâ non parum vrgeri possunt, qui putant, Deum non posse absolutè iudicare, effectum existere, quin pariter eodem iudicio iudicet, existere causam, cum qua effectus essentialiter connexus est: nam, quod ad rem attinet, eadem est ratio de apprehensione ponente in hypothesi realem existentiam effectus, ac de iudicio absoluto eius, iuxta id, quod dice-

dicebamus in simili supra num. 52. Me verò dicta consequentia non premit, qui censeo, necesse non esse, quòd Deus per eumdem actum iudicet, aut aliter concipiat simul effectum, & causam essentialem eius iuxta doctrinam vniuersalem de cognitione relatiuorum, & connexorum, quam tradidi disput. 23. quæst. 6. & 7. Ex quo patet, nec per eumdem actum, quo effectus à Deo ponitur in hypothesi, debere causam etiam poni, quantumuis ea essentialis sit. Tametsi illa tanquam terminus connexionis effectus non possit non aut comitanter, aut antecedenter apprehendi extra hypothesim, per aliam scilicet apprehensionem simplicem non constitutiuam hypothesis, secundùm doctrinam etiam datam loco citato.

86 Cæterùm, quanquam nullus terminus connexionis titulo talis cum re connexâ, cuius est terminus, debeat simul poni in hypothesi eius veritatis conditionatæ, cuius res sola sine termino, siue seorsim ab illo potest esse conditio; hoc non tollit, quominùs res connexa, & terminus connexionis eius simul possint poni in hypothesi pro aliâ veritate conditionatâ constituendâ. Sicut res etiam non connexa modò sola, modò associata cum qualibet alia potest poni in hypothesi ad constituendas diuersas veritates conditionatas. Quòd si associata, aut in hypothesi expressè, & exæquò supponente vtramque rem indiuisim; aut in hypothesi supponente vnam earum expressè, & directè, & alteram ex connotato tacitè, siue virtualiter iuxta dicta suppositione primâ factâ supra n. 52.

QVAESTIO V.

Vtrùm Deus certò, & infallibiliter cognoscat obiecta conditionata necessaria. Et qua ratione.

87 SErmo est de obiectis conditionatis necessarijs necessitate conditionatâ contenieute ipsis ex hypothesi conditionis; siue illa aliàs absolutè sint necessaria, siue contingentia sint, siue impossibilia iuxta diuisiones factas supra quæst. 2. Agemus autem imprimis in hac quæstione de obiectis conditionatis conditionate necessarijs necessitate metaphysicâ. Nonnihil tamen deinde dicemus etiam de necessarijs necessitate solùm physicâ, vel morali. Tametsi hæc, vtpote metaphysicè, atque adeò simpliciter contingentia, ad sequentes potiùs quæstiones pertineant, quàm ad præsentem.

Propositio 1.

88 Omne obiectum conditionatum conditionatè necessarium necessitate metaphysicâ quatenus tale omnino certò, & infallibiliter, perque scientiam metaphysicè necessariam cognoscitur à Deo.

Ab hac propositione nemo dissentit. Quia omne obiectum metaphysicè necessarium quatenus tale eo ipso est necessitate metaphysicâ necessariò verum, atque adeò necessariò cognoscibile ab intellectu Dei, vtpote necessariò cognoscitiui omnis obiecti veri. Vnde fit, scientiam Dei de obiecto metaphysicè necessariò & metaphysicè necessariam esse quoad suam existentiam. Quia eo ipso, quòd Deus est metaphysicè necessitatus ad cognoscendum omne verum, (aliàs posset esse ignarus alicuius veri, quod ei repugnat), nequit non esse scientia Dei tam necessaria in suâ existentiâ, quàm eius obiectum in suo *esse*, atque adeò in suâ veritate obiectiuâ necessarium est.

Cæterùm, quia veritas conditionata obiecti 89
conditionati conditionatè necessarij aut tantùm illatiua, aut tantùm causalis, aut simul illatiua, & causalis, aut purè coniunctiua considerari potest iuxta diuisiones factas quæst. 2. & vberiùs explicatas quæst. 4. oportet, vt de singulis hisce membris, quod ad propositum attinet, singillatim dicamus. Et primò, si veritas conditionata necessaria sit tantùm illatiua; eoquòd conditio cum conditionato connexa est, nullo tamen modò influens in illud, aut in eius contradictorium, tres casus sunt possibiles. Primus, quando conditionatum est absolutè necessarium; vt, *Si creatura est existens, Deus est existens*. Quo casu veritas conditionata cognita à Deo duplici titulo est necessaria; scilicet propter necessitatem absolutam conditionati, & propter conditionatam oriundam ex necessariâ illatione conditionis. Secundus, quando conditionatum est absolutè impossibile, atque adeò & ipsâ quoque conditio cum eo connexa impossibilis est; vt, *Si Deus reuelaret, secundum Deum esse existentem, secundus Deus esset existens*. Quo casu necessariò venit à Deo cognoscenda omnis contradictio extremorum ex tali hypothesi necessariò sequuta. Tertius, quando conditionatum est absolutè contingens. Qui casus rursus in tres sub se contentos est diuidendus. Primum, cùm conditio, & conditionatum sunt res positiuæ. Secundum, cùm conditio & conditionatum sunt negationes. Tertium, cùm conditio est res, & conditionatum negatio. (Quartus quippe, in quo conditio sit negatio, & conditionatum res, non datur; eoquòd nulla negatio connexa est cum vlla re; quandoquidem, nullâ re existente, non posset non existens esse, quo pacto existens dici potest, omnis negatio). Et quidem in tribus istis casibus ex hypothesi conditionis semper, & necessariò est verum, atque adeò semper, & necessariò est à Deo cognitum conditionatum secundùm se præcisè consideratum; quia illud vt sic semper infert necessariò conditio. Quòd tamen illud solum, seiunctumque à suo contradictorio, vel associatum, coniunctumque cum illo sit verum, & à Deo cognitum, in primo trium dictorum casuum contingens est, vtpote ab arbitrio causæ dependens, à qua liberè conditionatum ipsum venit oriundum: in alijs verò duobus casibus non item. Etenim, quando conditionatum est res positiua, vti in primo dictorum casuum, si ea aliàs à suâ causâ liberâ absolutè extitura est, ex hypothesi conditionis cum ipsâ connexæ erit conditionatè verum, eam sine vlo contradictorio, atque adeò simpliciter extituram; si tamen ea aliàs à suâ causâ liberâ non est extitura absolutè, ex hypothesi conditionis cum ipsâ connexæ conditionatè erit verum, eam simul cum suo contradictorio extituram, seu, quod est idem, eam extituram simul, & non extituram: extituram; quia id suapte essentiâ supponeret talis conditio: & non extituram; quia aliàs ea non erat à suâ causâ extitura, & conditio, vtpote nullarenus causatiua eius, nihil ad existentiam eius conferret: quo fit, vt conditio pro tali casu prorsus sit impossibilis, ob idque ex hypothesi eius duo extre-

ma contradictionis sint simul vera. E. g. ex hypothesi quod Deus reuelaret, Petrum esse peccaturum, verum erit simpliciter, eum peccaturum, si absolutè peccaturus est; sin minùs, peccaturum simul, & non peccaturum. Quando verò conditionatum est negatio, vti in alijs duobus casibus, ex hypothesi conditionis connexæ cum illâ semper, & necessariò est ipsa vera simpliciter; atque ita nunquam est contingens, vt vel ea sola, vel ea simul & eius contradictorium sub tali hypothesi vera sint. Quæ omnia satis constant ex dictis quæstione præcedente, ampliùsque innotescent, compertaque fient ex dicendis infra disput.30.quæst.5.vbi multò plura ad rem sunt tradenda.

90 Percurro iam cætera membra diuisionis factæ num.89. & dico secundò, veritatem conditionatam tantùm causalem, & conditionatè necessariam nullam esse; (loquendo de veritate conditionatâ propriè causali, quidquid sit de reductiuè tali iuxta dicenda quæst.8.num.411.); atque ita pro secundo membro dictæ diuisionis nullum dari casum possibilem. Nulla enim datur eiusmodi veritas de conditionato absolutè necessariò. Quia nullum absolutè necessarium habet aliquam causam sui possibilem, vt cernere est in Deo, in negationibus chymæarum, & in veritatibus merè quiditatiuis, quæ solùm habent necessitatem absolutam. Sed neque concipi potest causa impossibilis, à qua sub hypothesi, quòd existeret, verè illud causaretur contingenter. Quia, quod est necessarium, sub nullâ hypothesi potest verè causari contingenter, vt constat. Si autem concipiatur causa impossibilis, à qua sub hypothesi, quòd existeret, verè, necessariò tamen causaretur id, quod absolutè est necessarium, veritas hæc conditionata iam non causalis tantùm, de qua modò agimus, sed causalis simul, & illatiua esset. Pariterque venit probandum, neque dabilem esse veritatem vllam conditionatam tantùm causalem, & conditionatè necessariam de conditionato absolutè impossibili; vt consideranti innotescet. Sed neque dabilis est de conditionato absolutè contingente. Quia sub hypothesi causæ non connexæ cum illo, qualis requiritur, vt eius conditionata veritas tantùm causalis sit, & non illatiua, adhuc manet ipsum contingens, atque ita veritas eius sub tali hypothesi non potest esse conditionatè necessaria.

91 Pergo igitur, & dico tertiò, si veritas conditionata necessaria sit simul illatiua, & causalis respectu eiusdem conditionati; eo quòd conditio & connexa est cum illo, & in illud influit aliquo modo, tres casus videntur habere locum. Primus est, quando conditionatum absolutè est contingens; vt, *Si Deus decernat efficaciter Petrum producere, Petrus erit productus*. Quo casu per scientiam conditionatam necessariam cognoscit Deus semper solum conditionatum sub hypothesi conditionis, vtpote semper simpliciter, atque adeò sine suo contradictorio verum sub illâ iuxta dicta quæst. 2. & 4. Secundus casus est, quando conditionatum est absolutè necessarium, concipiturque causa impossibilis, à qua sub hypothesi, quòd existeret, verè illud, & necessariò causaretur; tametsi etiam sit simul verum, quod non causaretur; (sub hypothesi siquidem impossibili ambo extrema contradictionis sunt sæpe simul vera iuxta doctrinam demonstratam in Pharo Scient. disput.11.). Tertius casus est, quando conditionatum est absolutè impossibile; concipiturque causa impossibilis, à qua sub hypothesi, quòd existeret, verè illud, & necessariò causaretur similiter.

Quartò, si veritas conditionata necessaria sit 92
simul illatiua vnius ex extremis contradictionis, & causatiua alterius, vnicus tantùm casus est possibilis. Nempe quando extrema contradictionis sunt absolutè contingentia, & vtrumque est conditionatè verum sub conditione (vtique in tali casu impossibili) causante extremum negatiuum, & inferente positiuum iuxta doctrinam traditam, & expositam nuper quæst.4.propos.5.Hæc tamen veritas, qua parte causalis est, non necessaria, sed contingens est, prout ex ibidem dictis constat. Quando enim vnum ex extremis contradictionis est absolutè necessarium, & consequenter alterum absolutè impossibile, neutrum potest esse verum conditionatè veritate tantùm causali iuxta dicta num.90. atque adeò neque vnum veritate causali, & alterum illatiua possunt simul esse conditionatè vera.

Quintò denique, si veritas conditionatè ne- 93
cessaria est purè coniunctiua; eo quòd conditio neque est cum conditionato connexa, neque in illud influit vllo modo, vnicus est item casus possibilis. Quando scilicet conditionatum est absolutè necessarium; vt, *Si Petrus loquitur, Paulus est animal rationale*. Quo casu subinde Deus scientiam conditionatam necessariam de tali veritate habet. Quippe conditionatum absolutè impossibile sub eiusmodi disparatâ conditione impossibile remanet, atque adeò falsum necessariò. Et conditionatum absolutè contingens sub illâ remanet contingens. Neutrumque proinde sub illâ constituit veritatem conditionatam necessariam à Deo cognoscibilem. Supponimus autem hìc, dari veritates conditionatas purè coniunctiuas, de conditione scilicet disparatâ, ex dicendis, & probandis infra quæst.8.

Hactenus de casibus, in quibus veritas con- 94
ditionata conditionatè necessaria possibilis est, quando conditionatum est aut necessarium, aut impossibile, aut contingens absolutè. Videamus modò quibus in casibus est illa possibilis, quando conditio pariter aut necessaria, aut impossibilis, aut contingens absolutè est. Et primò, si veritas conditionata necessaria sit tantùm illatiua, & conditio sit absolutè necessaria, vnus tantùm casus possibilis est, nempe quando conditionatum etiam est absolutè necessarium: quia conditio absolutè necessaria benè potest cum conditionato absolutè etiam necessariò connexa esse, vt illius illatiua sit, prout cernitur in hoc obiecto, *Si creatura est possibilis, Deus est existens*; secus cum conditionato aut absolutè impossibili, aut absolutè contingente; quia esset illa aut absolutè impossibilis, aut absolutè contingens contra suppositionem. Si verò conditio sit absolutè impossibilis tres casus possibiles sunt. Primus, quando conditionatum est etiam absolutè impossibile; vt, *Si Deus reuelaret, Secundum Deum esse existentem, Secundus Deus esset existens*. Secundus, quando conditionatum est absolutè necessarium; vt, *Si existeret peccatum chymæricum Dei veri, verus Deus existeret*. Tertius, quando conditionatum est absolutè contingens; vt, *Si existeret productio frigoris oriunda ab igne, existeret ignis*. Si denique conditio sit absolutè contingens duo imprimis casus sunt possibiles. Primus, quando conditionatum est absolutè necessarium; vt, *Si creatura est existens, Deus est existens*. Secundus, quando conditionatum est absolutè contingens. Qui rursus in tres

illos

illos venit subdividendus, in quos num. 89. subdimus est. Tertius enim casus de conditionato absolutè impossibili impossibilis est: quia conditio absolutè contingens cum conditionato absolutè impossibili nequit esse connexa; vt constat.

95 Secundò, veritatem conditionatam necessariam, & tantùm causalem propriè nullam dari de quocunque illa conditionato, & consequenter de quacunque etiam conditione excogitetur, ex dictis num. 90. notum est. Tertiò, si veritas conditionata necessaria sit simul illatiua, & causalis respectu eiusdem conditionati, & conditio sit absolutè necessaria, vnicus casus possibilis est; in quo scilicet sub hypothesi existentiæ Patris æterni conditionatè verum est, existere Filium ab eo necessariò productum: nam, licèt ista productio causatiò non sit; hæc tamen conditionata veritas ad eam venit reducenda, quam simul causalem & illatiuam appellamus. Alij autem duo casus de conditionato aut contingente, aut impossibili non sunt possibiles. Quia conditio absolutè necessaria nec potest esse illatiua conditionati contingentis; eo quòd nullum necessarium absolutè cum absolutè contingenti potest esse connexum: nec potest esse aut illatiua, aut causatiua conditionati absolutè impossibilis; quia neque necessarium potest connecti cum impossibili, neque causa in existendo necessaria, qualis est Deus solus, potest impossibile causare. Iam verò, si sit conditio absolutè impossibilis, tres sunt casus possibiles; duo de conditionato aut necessario, aut impossibili absolutè, quos dedimus num. 91. & tertius de conditionato absolutè contingente; vt, *Si existeret productio frigoris oriunda ab igne, existeret frigus*. Denique si conditio sit absolutè contingens, similiterque conditionatum, casus iste est possibilis; vt, *Si Deus decernat efficaciter Petrum producere, Petrus erit productus*. Nullus verò, si sit conditionatum aut necessarium, aut impossibile: quia contingens neque causare potest necessarium, aut impossibile, neque connecti cum impossibili. Quartò, si veritas conditionata necessaria sit simul illatiua vnius ex extremis contradictionis, & causatiua alterius nullus casus possibilis est, quando conditionatum est aut necessarium, aut impossibile absolutè: quando verò est absolutè contingens duo casus possibiles sunt; alter, si sit conditio absolutè contingens; (quæ tamen in tali casu impossibilis consequenter euadet); alter, si conditio sit absolutè impossibilis, talisque ex conceptu suo, vt vnius ex extremis contradictorijs contingentibus sit illatiua, & causatiua alterius. Quæ ex dictis num. 92. & partim ex se satis sunt nota. Quinto denique, si veritas conditionata necessaria sit purè coniunctiua, de conditione videlicet disparatâ, tres casus possibiles sunt, quando conditionatum est necessarium absolutè: nempe vnus, quando conditio est etiam necessaria absolutè; alter, quando est impossibilis; & tertius quando contingens est: quia conditionatum aliàs absolutè necessarium sub quauis conditione disparatâ remanet conditionatè necessarium. Quando verò conditionatum absolutè est aut impossibile, aut contingens, nullus casus possibilis est: quia conditionatum absolutè impossibile sub quauis conditione disparatâ remanet necessariò falsum; & conditionatum absolutè contingens sub quauis conditione disparatâ remanet contingenter aut verum, aut falsum. Quæ ex dictis etiam num. 93. nota sunt.

96 Ex quibus omnibus iam liquet, quibus in casibus, & quotnam veritatum conditionalium conditionatè, & metaphysicè necessariarum genera per scientiam sibi pariter metaphysicè necessariam, atque adeò prorsus indefectibilem cognoscat Deus. Est autem Deo necessaria, & indefectibilis scientia de obiecto conditionatè necessariò, etiam, quando illud absolutè contingens est: quia intellectus diuinus titulo cognoscitiui omnis veri naturaliter, atque adeò penitus necessariò habet factas hypotheses omnium omnino obiectorum à se conceptibilium per simplices apprehensiones hypotheseon constitutiuas, vt inde iudicare valeat, quæcunque sub vniuscuiusque obiecti hypothesi conditionatè vera sunt. Vnde fit consequenter, vt, quoties sub facta hypothesi conditionis est necessariò verum conditionatum, quidquid sit de veritate absolutâ eius seu contingente, seu necessariâ, absolutè sit Deus necessitatus ad iudicandum illud sub tali à se necessariò hypothesi facta: ipsique Deo proinde talis scientia conditionata naturalis, & necessaria, ac prorsus indefectibilis sit. Videamus iam, quot modis Deus prædictas veritates conditionatas metaphysicè necessarias possit cognoscere; de factoque subinde cognoscat.

Propositio 2.

Omne obiectum conditionatum conditionatè necessarium necessitate metaphysicâ, & verum veritate illatiuâ tribus modis iudicatur à Deo; nempe in se ipso, in conditione, & ex conditione. 97

Suppositis tribus modis cognoscendi obiectum absolutum in ipsomet, in alio, & ex alio, quos Deo competere, docuimus disput. 23. quæst. 7. & sæpe aliàs, propositio hæc satis videtur nota. Quoniam, sicut ad cognitionem obiecti absoluti bifariam determinatur Deus. Primò per *esse* absolutum, quod tale obiectum habet. Secundò per aliud quidpiam connexum cum illo. Idque vel immediatè, ita, vt obiectum connexum, & quod eius terminat connexionem eâdem cognitione tangantur; vel mediatè, ita, vt obiectum connexum, & quod eius terminat connexionem duabus tangantur cognitionibus, quarum secunda virtualiter ducat originem à prima, prout sæpe in hac materia explicuimus. Ita pariter ad cognitionem obiecti conditionati bifariam determinatur Deus. Primò per *esse* conditionatum, quod tale obiectum habet sub hypothesi conditionis. Secundò per connexionem conditionis cum conditionato. Idque vel immediatè, ita, vt ex hypothesi conditionis per idem conditionatum iudicium conditio in se, & conditionatum in conditione iudicentur; vel mediatè, ita, vt ex eâdem hypothesi per vnum iudicium conditio in se, & per alterum nascens ab illo virtualiter conditionatum iudicetur ex conditione. Ex quo patet, conditionatum, de quo agimus, tribus dictis modis cognosci à Deo, in se scilicet, in conditione, & ex conditione. In se quidem per iudicium coniunctiuum, quod omnibus, conditionatis commune est; in conditione autem, & ex conditione per duo iudicia explicata illatiua simul, & coniunctiua, quæ solis conditionatis necessarijs necessitate metaphysicâ, de quibus tractamus, conueniunt.

Pto-

Propositio 3.

98 Omne obiectum conditionatum conditionatè necessarium necessitate metaphysicà, & verum veritate non illatiuà, sed purè coniunctiua iuxta dicta num. 94. in se ipso cognoscitur à Deo. In conditione verò non comprehensà secus. Benè tamen in conditione comprehensà, quando ad ipsam conditionatum quid pertinens est. Atque etiam in conditione prout connotante conditionatum ipsum. Quæ omnia pariter dicenda veniunt de obiecto conditionato vero quauis veritate causali, qua parte veritas eius, non illatiua, sed præcisè causalis est.

Prima pars propositionis ex dictis in præcedentibus est satis nota. Iuxta quæ quouis ex dictis conditionatis non potest non in se ipso veritatem obiectiuam habere; atque adeò in se ipso à Deo cognoscibile esse. Secunda pars inde probatur; quia, vniuersaliter loquendo, nullum obiectum non connexum cum alio potest per se præcisè determinare intellectum ad cognoscendum aliud, quando ipsum aliter, quàm comprehensiuè cognoscendum est. Vti potest, quando ipsum est cognoscendum comprehensiuè, & aliud pertinet ad ipsum aliquo modò, prout ex vniuersale doctrinâ iam traditâ supra disput. 23. quæst. 6. & 7. & disput. 24. quæst. 3 & 4. & disp. 25. quæst. 1. & sequen. de cognitione diuinâ vnius obiecti in ipsomet, in alio, & ex alio satis, superque notum est. Vnde tertia etiam pars propositionis probata manet. Quarta denique pars probatur; quia conditio prout connotans conditionatum extrinsecè cum illo connectitur, vt sicque ad cognoscendum illud in se citra comprahensionem poterit determinare Deum iuxta modum cognoscendi vnum obiectum in alio prout connotante illud traditum etiam locis citatis. Qui modi cognoscendi vnum obiectum in alio ibi recognoscendi, & ad propositum applicandi sunt. Quibus etiam modis conditionatum de quo propos. it. 2. in conditione secum connexâ, præterquam vi connexionis, cognosci poterit à Deo; de factoque proinde cognoscetur, vt notum est. Quoticscunque autem conditionatum in conditione est cognoscibile à Deo modis prædictis, ex conditione item est cognoscibile; atque adeò de facto cognitum, vt satis etiam constat ex dictis locis citatis.

99 Hæc dicta de obiectis conditionatis conditionatè necessarijs necessitate metaphysica. Venio iam ad necessaria necessitate tantùm physicâ, & necessitate tantùm morali. In quibus totidem ferme casus suâ proportione seruatâ, atque in necessarijs necessitate metaphysica distingui possent. Hanc tamen distinctionem Lectori faciendam consentaneè ad dicta remitto; tum ne prolixiùs immorer; tum quia ista conditionata necessaria, vtpote simpliciter contingentia, sub multa dicenda in sequentibus de conditionatis contingentibus cadent; tum denique quia sat erit de casu eorum frequentiore, atque vniuersaliore tangere, quod ad præsentem quæstionem spectat, nempe de casu, in quo necessitas conditionati aut naturalis, aut moralis ex connexione aut naturali, aut morali prouenit, quam conditio cum illo habet; veritasque subinde eius aut naturaliter, aut moraliter illatiua est, siue sit simul causalis, siue non item. De huiusmodi ergo conditionatis erunt sequentes propositiones.

Propositio 4.

Obiectum conditionatum necessarium necessitate solùm physicâ, seu naturali certissimè cognoscitur à Deo. 100

Hæc propositio ab omnibus videtur absolutè concedi. Nemo enim adhuc Thomistarum, quem sciam, neganit, Deum certissimè cognoscere hæc, & similia conditionata, *Si fuerit ignis, erit calor; Si soloriatur, illuminabit hemisphærium.* In quibus conditio naturali solùm connexione connexa est cum conditionato, sine quo miraculosè benè posset existere. Et quidem loca Scripturæ, & Patrum quæstione sequente producenda, quæ probant, Deum certissimè cognoscere conditionata physicè contingentia, & libera, à fortiori stabunt etiam pro præsenti propositione. Cuius ratio est; quia dicta obiecta conditionata physicè necessaria veritatem habent citra omne dubium determinatam, & cognoscibilem. Ergo non possunt non citra omnem ambiguitatem certissimè cognosci à Deo.

Propositio 5.

Conditionatum necessarium necessitate solùm physicâ, seu naturali non cognoscitur à Deo vi connexionis, quam habet conditio cum illo; sed dumtaxat vi veritatis obiectiuæ, coniunctiuæque, quam ipsum habet in se se. 101

Hæc propositio mihi est certa. Quia per connexionem solùm physicam (qualem habet conditio cum conditionato, de quo agimus) non potest determinari Deus ad iudicandum terminum eius, quemadmodùm nec per connexionem solùm moralem. Exponeretur enim periculo concipiendi iudicium falsum, vt constat ex doctrinâ traditâ disp. 27. quæst. 8. propos. it. 2. quæ ad rem recognoscenda, & applicanda est.

Ex quo patet, conditionatum physicè solùm necessarium non cognosci in conditione, aut ex conditione vi connexionis, sicut cognoscitur necessarium metaphysicè, vt diximus propos. it. 2. Sed tantùm in se ipso. Dico *vi connexionis*; quia alijs titulis aut comprehensionis conditionis, aut connotationis conditionati benè illud poterit in ipsâ conditione, aut etiam ex ipsâ cognosci iuxta doctrinam datam in simili propos. it. 3. 102

Propositio 6.

Conditionatum necessarium necessitate solùm morali certissimè cognoscitur à Deo. Non quidem vi connexionis conditionis; sed vi propriæ ipsius conditionati obiectiuæ, coniunctiuæque veritatis. 103

Prior pars propositionis tota quæstione sequente probanda est. Nam conditionatum solùm moraliter necessarium ad conditionata pertinet contingen-

tingentia, de quibus ibi latè sumus acturi. Posterior autem propositionis pars ex dictis in præcedente est nota. Cuius corollarium positum n. 103. hîc etiam habet locum.

Propositio 7.

104 Quanuis Deus conditionata necessaria necessitate solùm physicâ, vel morali nullatenus iudicet illatiuè vi connexionis conditionis cum conditionato, vti diximus. Certissimè tamen cognoscit, & iudicat illationem, qua illa naturaliter, aut moraliter ex suis conditionibus sequuntur, seu potiùs connexionem aut naturalem, aut moralem, qua conditiones cum ipsis connexæ sunt.

Hæc propositio ex doctrinâ datâ quæst. illa 8. citatâ disput. 27. nota est. Nam, vt ibi arguebam in simili, Deus non potest non certissimè cognoscere omnem habitudinem, quam quodnis obiectum reuerâ habet ad aliud; cùm non possit non cognoscere certissimè, quidquid re ipsâ verum est. Cùm igitur, si reuerâ poneretur conditio naturaliter, vel moraliter, aut etiam probabiliter, vel coniecturaliter cum conditionato connexa, à parte rei daretur talis connexio, atque adeò à parte rei sit certum physicè, vel moraliter, aut probabile, vel verisimile, posita tali conditione, ponendum esse conditionatum; non potest non Deus certissimè scire, ex hypothesi eiusdem conditionis eam aliquo ex dictis modis fore cum conditionato connexam; atque adeò certum pariter, aut probabile esse, sequendum fore ex illâ conditionatum, sub eâdem hypothesi. Quod non est, cognoscere Deum conditionatum ipsum ex ipsâ conditione illatiuè; sed cognoscere vera fundamenta quibus nos ad illationem faciendam induci possumus, vtpote quibus nostra cognitio metaphysicè fallibilis non repugnat; ipse verò Deus non item, cui talis repugnat cognitio.

105 Ex quo manifestè consequitur, si Deus aliàs iudicio coniunctiuo in se ipsis non cognosceret conditionata, quibus cum conditio metaphysicè connexa non est, fore vtique, vt illa nullo modo cognosceret: quia cognoscere, ea naturaliter, moraliter, aut probabiliter futura esse ex hypothesi conditionis, (vti loquuntur aliqui, etiam ex nostris), non est cognoscere conditionata ipsa, sed cognoscere veram habitudinem, quam conditio haberet ad illa ex hypothesi, quòd daretur; ratione cuius habitudinis infallibile est naturaliter, aut moraliter, probabilevè, aut verisimile, tale conditionatum fore, si talis conditio poneretur. Idque, siue conditionatum aliquid determinatum sit, siue sit aliquid quauis ratione vagum. De quo latè disserit Ruiz tom. de Scientiâ disput. 80. per totam.

* * *

QVAESTIO VI.

Vtrùm Deus certò, & infallibiliter cognoscat obiecta conditionata contingentia. Et qua ratione.

SErmo est de obiectis conditionatis conditionatè contingentibus; ob idque ita habentibus esse sub hypothesi conditionis, vt sub eâdem retentâ possent non habere illud; eo quòd conditio cum illo connexa non est. Quoniam autem ea duplicia sunt. Alia de conditione influente in conditionatum, seu conducente ad illud, quæ propositionibus conditionatis causalibus correspondent. Alia de conditione nullatenus conducente ad conditionatum, quæ propterea respectu eius conditio disparatà appellatur, de prioribus solùm in hac, & in sequente quæstione tractandum nobis est, tractaturi quæst. 8. de posterioribus. Vnde in hac, & in sequente quæstione celebratissima illa, ac bipartita continebitur controuersia, quæ multis ab hinc annis excitata est, & adhuc non est omnino sedata inter Patres Dominicanos, & Nostros. 106

Cuius rei explicandæ gratiæ supponendum est primò, doctrinam de Scientiâ mediâ, deque Auxilijs diuinæ gratiæ, quam mirâ Doctorum suorum consensione Societas Iesv non sine speciali Dei prouidentiâ vbique, & semper complexa est, quò suas altiùs radices figeret, acriter sæpe à suis Aduersarijs fuisse impetitam, nec rarò de Pelagianismo, aut semipelagianismo notatam. A quibus tamen incursionibus semper incolumis, & prorsus illæsa permansit. Primùm enim dum eam Louanij docerent P. Leonardus Lessius & cæteri Nostri anno 1586. à Michaele Baio imprimis, ab alijsque eius discipulis, atque fautoribus Louanensibus adeò crudelis contra illam persequutio commota est, vt opus fuerit ad Sedem Apostolicam litem deferre. A qua, diligenter examinatâ causâ, feliciter sedata est, præsidente tunc in Ecclesiâ Dei Sixto V. Papa: doctrinâque Iesuitarum indemnis in suâ possessione permansit, prout refert ipse P. Lessius in apologeticâ disputatione de Gratiâ efficaci præfatione ad Lectorem, initioque capitis primi; & latiùs Paulus Leonardus in Responsionibus pro scientiâ mediâ 1. par. sect. 6. num. 26. & 3. par. sect. 9. per totam. Deinde circa annum 1589. cùm P. Ludouicus Molina primarius tunc in Eborensi Academia Theologiæ Professor typis pararet suam Concordiam, vbi prædictam doctrinam eximiè illustrauit, ea ad Sanctæ, & generalis Inquisitionis Regni Lusitaniæ Senatum semel, & iterum ante, & post sui impressionem delata est. Semelque, & iterum propterea Albertus Archidux S. R. E. Eminentissimus Cardinalis, qui Legati à latere, & Maximi Inquisitoris muneribus in eo Regno fungebatur, librum seuerè examinandum commisit hominibus doctissimis, præsertim Dominicanæ familiæ. A quibus, & nominatim à RR. PP. Bartholomæo Ferreira Theologiæ Magistro, ac Sanctæ Inquisitionis Deputato, librorumque Censore, & Ioanne de las Cueuas eiusdem Principis Confessario cùm doctrina P. Molinæ in eo suo libro contenta non solùm absolutè approbata, sed etiam honorificentissimè collau- 107

data esset, absolutissima ipsi licentia tum libri excudendi, tum postea euulgandi data est ab ipso Principe Archiduce, & toto eo suo Sanctæ Inquisitionis Senatu. Per idemque tempus post honorificam item approbationem grauium Castellæ, & Aragoniæ Theologorum priuilegium habuit etiam Molina à Rege Catholico suam Concordiam diuulgandi per illa Regna. Quo iure, in Additione ad illam factâ, & pariter tunc Olissiponæ impressâ, quantis modis, & quam acribus illius pronunciata ad purum excocta sint, narrat pagina 34. ipse Molina dicens, *Maximè verò, quia nostra omnia præuio diligenti, ac diuturno examine magnâ cum laude fuerunt approbata trium, vt vocant, Conciliorum auctoritate, nimirum Castellæ, Aragoniæ, & Sancti Officij Regni Lusitaniæ.* Vix autem in Castellam liber Concordiæ peruenerat, cùm iterum plures illius propositiones criminati sunt Aduersarij coram Inquisitoribus Vallisoletanis. Qui causam, qua solent maturitate, examinatam, & pro Molinâ dictam ad supremum generalis Inquisitionis Senatum vltimò decernendam retulerunt. Qui, Præsidente in eo D. Gaspare de Quiroga S.R.E. Cardinale, & Archiepiscopo Toletano, causam totam per otium rursus examinandam commisit maximis Hispaniæ Theologis; deque eâ Academias Complutensem, Salmanticensem, & Siguntinam consuluit; ac tandem post annum integrum in fauorem Molinæ, doctrinæque Societatis sententiam protulit. Quo Molinæ liber Galliam, Germaniam, Italiam, & aliàs Europæ prouincias feliciter appulit, magnâque omnium Theologorum expectatione, & plausu triplici continuò editione vulgatus est. Interim non quiescentibus Aduersarijs, quòd causa & magni momenti, & ad fidem pertinens videretur, Clemens VIII. Pont. Max. Romam ad Sedis Apostolicæ iudicium illam aduocare decreuit. Quo fine per suum in Hispania Nuncium Illustrissimum Camillum Patriarcham Alexandrinum Prouincialibus Religionum S. Dominici, & Societatis Iesv præcipiendum ordinauit, vt quique eorum in vnaquaque Prouincia Magistri, quid super materiâ exortæ controuersiæ sentirent, scripto mandarent; vtque tractatus super eâ exactè confectos Hispanicæ Inquisitioni traderent vnà cum cæteris omnibus super causâ scriptis ad se mittendos. Prout factum est, missis à Sacris Quæsitoribus eiusmodi scriptis die 23. Octobris anni 1597. ad Doctorem Ioannem de Hozes Procuratorem Inquisitionum Hispanicarum in Curiâ Romanâ. Qui se illa omnia integra recepisse, rescripsit die 28. Martij anni 1598. Ante quod tempus octo Censores studio Partium, & iussu Pontificis electi, conuenientesque coram Ludouico Madrucio, aut coram Pompæio Arigonio Congregationis Sancti Officij Eminentissimis Cardinalibus priuatis vndecim, atque secretis Congregationibus (quæ die 2. Ianuarij cæperunt, & die 13. Martij eiusdem anni 1598. finitæ sunt) de libro Molinæ censuerant, multisque eius propositionibus seuerè notatis, prohibendum illum, decreuerant. Verùm censura hæc (multis alioquin obnoxia exceptionibus) scriptis Hispanicis, & alijs accidentibus superuenientibus, silentij tenebris mansit oppressa. Optimus enim Pontifex Clemens VIII. omissâ interim, aut dissimulatâ causâ priuatâ libri Molinæ, publicam, communemque vtrique Ordini Dominicano, & Iesuitico controuersiam de Auxilijs gratiæ, & Scientiâ mediâ palam, & in publica luce tractatari, statuit. Vtque, quàm suauissimè fieri posset, super doctrinæ articulis amborum Ordinum Theologi conspirarent, indixit vtriusque Familiæ Præpositis generalibus vt cum tribus Sodalitij præstantissimis Magistris ad diem certum in ædes Eminentiss. Cardinalis Ludouici Madrucij conuenirent; & ibi, quibus in punctis conformabant, & in quibus opponebantur, exponerent. Cæterùm, cùm, multis huiusce modi conuentibus habitis, nihil, quod momenti esset, concluderetur, tandem ad publicas disputationes coram Summo Pontifice agitandas deuentum est. Quæ fuerunt 47. cæperuntque mense Martio anni 1602. sub Clemente VIII. & finitæ sunt mense Februario anni 1606. sub Paulo V. Qui post tam exactum, prolixumque examen, adhibitâ insuper diuturnâ consideratione, die 28. Augusti sequentis in Consilio Cardinalium, cum quibus sæpe arcanis in Congregationibus rē totam contulerat, & eis approbantibus declarauit, ordinauitque, vt tota doctrina tum Molinæ, tum Societatis nostræ de Auxilijs diuinæ gratiæ, Scientiâ mediâ, & Prædestinatione diuinâ indemnis omnino consisteret; tamque nostra, quàm Patrum Dominicanorum sententia in Catholicis Academijs, & vbique terrarum tutò, & impune doceri, defendique posset, donec aliud à Sancta Sede Apostolicâ decerneretur; eâ tamen lege, vt neutra à quoquam censuris, aut iniurijs carpatur. Hæc est summa breuis Historiæ longæ, quam fusè, distinctè, & cum suis omnibus circunstantijs conscriptam, fideliterque comprobatam habent P. Ioannes Martinez de Ripalda tom. 2. de Ente supernat. disput. 113 P. Franciscus Annatus in Opere de scientiâ mediâ disput. 4. cap. 1. Paulus Leonardus, & P. Gabriel Henao in suis Defensorijs historialibus pro Scientiâ mediâ, nouissimèque P. Petrus Possinus in Historia Controuersiarum nondum typis mandata. Qui manifestis argumentis ex certis testimonijs depromptis falsitatis conuincunt varias fabellas, quæ circa præsentem materiam vulgatæ sunt. Huiusmodi est illa de condemnatâ doctrinâ Societatis Romæ à triginta Censoribus Controuersiarum scripta primùm in Cursu Theologico Collegij Salmanticensis Carmelitarum discalceatorum, tom. 1. in 1. par. tract. 3. disput. 10. & postea confirmari tentata à P. Ioanne à S. Thomâ tom. 1. in 1. par. disput. 20. & (quod mirere magis) tertiò inculcata à F. Francisco Felice Franciscano in suo tract. de Scient. cap. 6. diff. 2. Huiusmodi est item illa alia de condemnatâ eâdem Societatis doctrinâ per Bullam à Paulo V. confectam, sed certis de causis non publicatam, quam iactat Libertus Fromondus celebris Ianseniſta in suâ Theriacâ editâ sub ficto nomine Vincentij Lenis anno 1647. & cum eo alij. (Cuius tamen fabellæ falsitas indubitabilis iam est post decretum prodens illam Innocentij X. datum die 27. Aprilis anni 1652. quod ad verbum transcriptum habet Annatus loco citato fine in secundâ Operis editione). Huiusmodi etiam sunt plura fabulosa commenta, quæ in suâ Quæstione historica furtim, & suppresso nomine editâ Tolosæ anno 1644. triginta Thesibus congessit Antonius Reginaldus Rauallius. Huiusmodi denique sunt alij aliorum errores, qui apud citatos Auctores, apud Henao præcipuè relati, & reiecti, dissectique videri possunt. Sat enim nobis est dicta omnia indicasse propter eos, qui veritatem ignorant, in primâ præsentis quæstionis suppositione.

Secundò supponendum est, quo tempore inter Patres Dominicanos, & Nostros controuerti cæpit de Conditionatorum Scientiâ, communem 108

in

in eorum schola sententiam fuisse, Deum conditionatorum contingentium, non certam, & infallibilem, sed coniecturalem tantùm scientiam habere, ita tamen, vt ambiguitas, & incertitudo non ex parte actus scientiæ diuinæ haberet se, sed ex parte obiecti. Dicebant itaque, Deum non cognoscere infallibiliter, an Petrus sit consensurus, vel non consensurus, si tali vocatione vocetur; sed solùm, quàm sit verisimile, vel probabile, aut etiam moraliter certum, spectatis omnibus circunstantijs, consensurum esse Petrum, aut non consensurum, si tali vocatione vocetur. Hanc sententiam tenuit Cabrera tom. 1. in 3. par. quæst. 1. art. 3. disput. 1. §. 22. & tom 2. quæst. 62. artic. 1. disp. 12. §. 6. Eamque fusè conatus est probare Petrus de Ledesma disput. 2. affini de scientiâ futurorum contingentium difficultate 2. vbi fol. 574. editionis Salmanticensis anni 1611. ait. *In hac difficultate sunt duæ oppositæ sententiæ inter Doctores. Prima sententia est affirmatiua; videlicet, quòd in Deo verè est scientia certa, & infallibilis futurorum conditionatorum.* Relatisque pro hac sententiâ nostris Molinâ, Valentiâ, Vazquez, & Soarez, prosequitur fol. 579. sic. *Secunda sententia est omnino huic opposita, quæ quidem docet, quòd in Deo non reperitur talis scientia conditionata istorum futurorum conditionatorum. Docet enim ista sententia, quòd potest Deus per coniecturas aliquo modo cognoscere, quid causa libera faceret, si in tali occasione cum illis, vel istis conditionibus constitueretur, non tamen posse infallibili scientiâ id cognoscere.* Pro qua sententia (quam ipse amplectitur fol. 590. conclusione 5. vocans illam certissimam, *taliter*, inquit, *vt opposita non sit mihi probabilis*) citat Caietanum, Ferrariensem, Catherinum, & Iansenium, statimque subiungit. *Hanc sententiam sequuntur omnes discipuli D. Thomæ, qui hac tempestate interpretantur illam, & omnes, qui sequuntur eius doctrinam in materiâ de auxilijs diuinæ gratiæ.* Eamdem sententiam tenuit Cabezudo 3. par. quæst. 62. negans absque vlla limitatione Deo certam, & infallibilem conditionatorum præscientiam, dumtaxatque concedens notitiam de dispositione causarum. Cui consentit Ripa 1. par quæst. 14. artic. 13. Eamdem similiter sententiam sequutus est quidam Anonymus, quem latè impugnant P. Annatus in suo Defensorio pro scientiâ mediâ disput. 2. & P. Martinon 1. par. disput. 6. de Scient. à sect. 10. & tanquam probabilem defenderunt Curiel lib. 1. Controuersiarum cõtrouers. 7. artic 1. & Cornejo 1. par. quæst 14. art. 13. disput. 3. dub. 2. Nauarrete verò 1 par. quæst. 13. artic. 14. controuers. 56. §. 2. ne Deo scientiam formaliter coniecturalem tribueret, periculosius ausus est affirmare, in Deo nullam esse scientiam formaliter conditionatorum contingentium, sed tantum eminenter. Vnde tom. 2. controuers. 31 §. 9. sub finem addit, veluti per metaphoram tribui Deo hanc scientiam conditionatorum. Et quidem verti in dubium non posse, quin multi Thomistæ eius temporis solam scientiam coniecturalem conditionatorum contingentium Deo attribuerint, tum ex testimonio Ledesmæ relato, tum ex alijs non solùm Nostrorum id contestantium, sed etiam Thomistarum est manifestum. Gonzalez enim 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 44. sect. 2. ait. *Prima sententia est aliquorum iuniorum Thomistarum, qui dicunt, quòd eiusmodi futura solùm cognoscuntur à Deo coniecturaliter, vel certitudine quadam morali, non autem certitudine logicâ, aut metaphysicâ excludente omne dubium ex parte rei cognitæ.* Et Ambrosius Machin 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 33. sect. 1. *In hac re,* inquit, *prima sententia est aliquorum Thomistarum asserentium, Deum non cognoscere futura conditionata libera, nisi solùm coniecturaliter, vel certitudine quadam morali non excludente omne dubium.* Similiaque habent Alfonsus Mendoza in Quodlibetis q. 7. scholastica, Zumel tom. 2. Variarum in 1. par. disput. 8. dub. 5. Auctor Cursus Carmelitani 1. par. tract. 3. de Scient. Dei disput. 9. dub. 2. Montepilos. 1. par. disput. 31. de Scient. artic. 1. & alij. Vt hinc deprehendas, quàm abs iure negare tentauerint Thomistæ aliqui ex iunioribus, vt Ioan. à S. Thoma 1. par. disput. 20. artic. 1. & nouissimè Hieron. Vtues in suo Opere de Primatu diuinæ libertatis disput. 19. antiquiorum Thomistarum fuisse sententiam, quæ solam scientiam coniecturalem conditionatorum contingentium attribuebat Deo. Maximè, cùm vel in controuersijs etiam Romanis habitis coram Summo Pontifice principiò disputari cæperit, vtrùm in Deo certa scientia, vel solùm coniecturalis daretur de contingentibus conditionatis, vt contra Felicem, & alios demonstrat Henao in suo Defensorio historiali supra citato Euentil. 2. donec Orator Dominicanus Thomas de Lemos præter communem expectationem noluit, vt de puncto isto contenderetur, sed potiùs supponeretur vt certum, Deum de eiusmodi conditionatis certissimam scientiam habere. Id quod deinceps meliora sapientes Recentiores omnes Dominicani confessi sunt. Secunda enim, & certa iam inter Theologos etiam Thomistas sententia est, Deum omnino certò, & infallibiliter, per scientiamque verè, & formaliter in se existentem cognoscere contingentia conditionata, de quibus in præsentiarùm agimus. Ita namque tenent omnes Nostri, & ex Externis plurimi, quos infra quæst. 7. referemus pro scientiâ mediâ. Præter innumeros antiquiores Theologos, qui in hac eadem veritate vnanimiter steterè, eam potiùs supponentem, quam disputantes. Quorum longum syllabum reperies apud nostrum Ruiz disput. 67. de Scientiâ per totam, vbi 70. fere Auctores pro sententiâ istâ congessit. Pro qua ex Thomistis stant etiam Sot. lib. 3. Summul. cap. 8. lect. 3. Aluarez eumdem Sotum referens lib. 1. Responsorum cap. 1. & lib. 2. de Auxil. disp. 7. Zumel vbi supra, Nazarius 1. par. quæst. 14. artic. 13. & ibid. Zanardus, Gonzalez, Machin, Cursus Carmel. Ioan. à S. Tho. Marcus Serra, Hier. Perez, & alij, Rispolis lib. 1. quæst. 1. & 2. Blasius Verdu Select. cont. scientiam med. Martinez del Prado controuers. 11. Metaph. artic. 6 Ioseph à S. Maria de liber. arbi. quæst. 4. artic. 3. Damila de Auxil. cap. 13. 22. & 27. Hier. Vtues disput. 19. paulò ante citatâ cum pluribus alijs à se relatis, omnesque Recentiores. Qui quidem, relictâ suorum Antiquiorum sententiâ de scientiâ tantùm coniecturali, Scripturæ, & Patrum testimonijs conuicti ad nostra castra se recipientes certam iam omnino & infallibilem scientiam conditionatorum contingentium concedunt vnanimiter Deo. Tametsi in modo eam explicandi valde adhuc à nobis dissideant, vt videbimus quæst. 7. Quocirca Gabriel Pennotus in Propugnaculo humanæ libertatis lib. 3. cap. 26. num. 2. de prædictis Thomistis dixit, *Inutio respondisse, futura conditionata à Deo coniecturaliter solùm cognosci, sed postea assiduâ concertatione certiores factos affirmasse, Deum illa certò, & infallibiliter cognoscere.*

Vnde tertiò sequitur supponendum, primæ- 109
uam illam cõtrouersiam Nostrorum cum Patribus Dominicanis de existentiâ, aut non existentiâ scientiæ diuinæ omnino certæ, & infallibilis circa contingentia conditionata omnino iam sedatam esse,

Adeòque sententiam illam, quæ solam scientiam coniecturalem circa prædicta conditionata tribuebat Deo, ab omnibus iam etiam Thomistis esse desertam, imo & à multis seueris notis iniustam, tanquam parum tutam, & sacris Litteris aduersantem, (e quorum numero sunt Zumel, ac Montepilos. vbi supra, & Thomas Pius disp. 3. de Scient.), vt nullus omnino iam sit Catholicorum Doctorum, qui oppositam nostram, communemque sententiam hac tempestate non sequatur, tribuentem videlicet Deo scientiam de contingentibus conditionatis omnino certam, & infallibilem. Ne tamen illa de scientiâ coniecturali opinio iam diu penitus sepulta futuris sæculis reuiuiscat, oportet adhuc contra illam agere, sententiamque oppositam nostram communemque, & iam ab omnibus complexam solidè adhuc comprobare, & firmiter stabilire. Quod est assumptum huius quæstionis. Quodque præstabimus, vt sequitur.

Propositio 1.

110 **Deus omnino certò, & infallibiliter cognoscit obiecta contingentia conditionata, de quibus modò sermo est iuxta diuisionem eorum factam n. 106.**

Hæc propositio contra scientiam coniecturalem de huiusmodi conditionatis priscorum Thomistarum militat. Quoniam autem ea longam sibi vendicat probationem, operæpretium erit hanc per quædam capita diuidere distinctionis gratiâ.

Probatur propositio ex sacrâ Scripturâ.

111 Plurima sunt loca, in quibus sacra Scriptura nobis proponit prædictiones, siue reuelationes factas à Deo de obiectis contingentibus conditionatis. Ex quibus manifestè concluditur, Deum huiusmodi obiectorum notitiam habere certissimam, ac prorsus infallibilem. Deus quippe nequit asseueranter affirmare id, quod eum omni certitudine non cognoscit, ne periculo mẽtiendi, falsumve affirmandi exponatur; quod ei repugnat; vt est notissimum.

112 Sit primus locus ex Gen. 11. Vbi primi illi homines dixerunt: *Venite faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad Cœlum, &c.* Deus autem dixit de illis: *Cœperunt hæc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur descendamus, & confundamus linguam eorum, &c.* Certissimè ergo nosebat Deus, quod hic prædixit, nempe eos homines ab opere incepto non destituros, ni eorum lingua confunderetur.

113 Secundus locus est Exodi 34. Vbi iubentur Iudæi, non accipere vxores filias Gentilium: *Ne postquam ipsæ fuerint fornicatæ, fornicari faciant & filios tuos in Deos suos.* Sciebat igitur Deus Hebræos in Idolatriam casuros, si vxores ducerent filias Gentilium. Quam scientiam conditionatam certissimam fuisse, expressiùs traditum est postea 3. Reg. 11. vbi prædictio ex Exodo allegata repetitur his verbis: *Super quibus dixit Dominus filijs Israel. Non ingrediemini ad eas, neque de illis ingredientur ad vestras: certissimè enim auertent corda vestra, vt sequamini Deos earum.* Quod & euentus comprobauit in Salomone. *Nam, cùm tam esset senex, depranatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur Deos alienos*, vt refertur in eodem cap. 11.

114 Tertius locus est 1. Reg. 23. Vbi, cùm Dauid in Ceilâ ciuitate Iudeæ percussisset Philisteos, & ipsam Ceilam liberasset, manens ibi resciuit, Saulem se velle odoriri. Deumque consuluit hac ratione: *Domine Deus Israel audiuit famam seruus tuus, quòd disponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me. Si tradent me viri Ceilæ in manus eius: & si descendet Saul, sicut audiuit seruus tuus? Domine Deus Israel indica seruo tuo. Et ait Dominus. Descendet. Dixitque Dauid. Si tradent me viri Ceilæ, & viros, qui sunt mecum, in manus Saul? Et dixit Dominus. Tradent. Surrexit ergo Dauid, &c.* Ecce duas veritates reuelauit Deus. Prima est, quòd descenderet Saul. Secunda, quòd Ceilitæ traditurі essent Dauid. Easque conditionatas. Quandoquidem, fugiente Dauid, neque descendit Saul absolutè; neque Ceilitæ tradiderunt in manus eius ipsum Dauid.

115 Quartus locus est 4. Reg. 2. Vbi efflagitanti Elisæo duplicatum spiritum Eliæ, respondit Elias: *Rem difficilem postulasti. Attamen, si videris me quando tollar à te, erit tibi quod petisti. Si autem non videris, non erit.* Quibus duas veritates conditionatas prophetico spiritu illi prædixit oriundo ex reuelatione Dei.

116 Quintus locus sit ex eodem lib. 4. Reg. cap. 13. Vbi Elisæus ex Dei reuelatione euentum conditionatum prædixit Regi Ioas ita loquens: *Percute iaculo terram. Et, cùm percussisset tribus vicibus, & stetisset, iratus est vir Dei contra eum, & ait. Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem.*

117 Sit sextus locus ille Sap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Hic enim supponitur, Deum præsciuisse peruersionem iusti futuram sub conditione, quòd amplius viueret, vt sæpe docet August. infra citandus. Nec minuit particula *ne* certitudinem mutationis conditionatè futuræ, potiùs eam significat, vt patet ex loco Exodi dato supra, & eius confirmatione ex 3. Reg. 11.

118 Septimus locus est Ieremiæ cap. 37. Vbi habetur. *Sed, etsi percusseritis omnem exercitum Chaldeorum, qui præliantur aduersum vos, & dereliqui fuerint ex eis aliqui vulnerati; singuli de tentorio suo consurgent, & incendent Ciuitatem hanc igni.* Hanc autem fuisse prædictionem conditionatam patet. Quia exercitus Chaldeorum non fuit percussus à Hierosolymitanis, sed potius victor euasit, & Ciuitatem euertit, vt constat ex sequentibus capitibus.

119 Octauus locus sit ex eodem Ieremia cap. 38. Vbi dicitur. *Et dixit Ieremias ad sedeciam. Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel. Si profectus exieris ad Principes regis Babylonis, viuet anima tua; & Ciuitas hæc non succendetur igni; & saluus eris tu, & domus tua. Si autem non exieris ad Principes regis Babylonis, tradetur ciuitas hæc in manus Chaldeorum, & succendent eam igni; & tu non effugies de manu eorum. Et dixit Rex Sedecias ad Ieremiam. Solicitus sum propter Iudæos qui transfugerunt ad Chaldeos, ne forte tradar in manus eorum, & illudant mihi* (videlicet, si & ego trasfugero.) *Respondit autem Ieremias. Non te tradent,*

dent, audi quæso vocem Domini. Vbi vides multa futura contingentia conditionata asseueranter prædicta à Deo per Prophetam. Ex quibus ea, quorum conditio est purificata ad vnguem ad impleta sunt. Ex capite enim sequenti constat, Sedaciam non exiuisse ad Principes regis Babylonis. Sicque filios eius cum omnibus nobilibus Iuda in oculis suis occisos fuisse, ipsum comprehensum, oculisque orbatum, domum succensam, muros Hierusalem subuersos. Ex quo patet, quàm certò oppositum, vt prædictum erat, accideret, si purificaretur conditio, sub qua fuit prædictum.

120 Nonus locus est Ezech. 3. Vbi Deus ita fatur. *Non enim ad populum profundi sermonis, & difficilis linguæ tu mitteris. Et, si ad illos mittereris, ipsi audirent te*. Mittò alia innumera similia loca ex veteri Testamento. Venio ad nouum.

121 Decimusque ordine locus, isque celeberrimus sit, quem habemus ex ore Christi domini Matth. 11. & Lucæ 10. ita exprobrantis duritiam cordis Iudæorum trium sequentium Ciuitatum. *Væ tibi Corozain, Væ tibi Bethsaida. Quia, si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent, &c. Et tu Capharnaum nunquid vsque in Cælum exaltaberis? Vsque in infernum descendes. Quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, forte mansissent vsque in hanc diem*. Vbi duo contingentia conditionata, eaque libera assertiuè prædixit Christus dominus.

122 Vndecimus locus est Lucæ 16. Vbi Diuiti auaro responsum fuit ab Abraham per prædictionem futuri conditionati liberi. *Si Moysen, & Prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent*.

123 Duodecimus locus est Lucæ 22. Vbi interrogatus Christus dominus à Iudæis. *Si tu es Christus, dic nobis; ait illis. Si vobis dixero, non credetis mihi. Si autem & interroganero, non responsebitis mihi, neque dimittetis*.

124 Decimus tertius locus Ioan. 4. *Si scires donum Dei, & quis est, qui dicit tibi; da mihi bibere; tu forsitan petijsses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam*.

125 Decimus quartus Ioan. 5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis*. Et rursus. *Si enim credideretis Moysi, crederetis forsitan & mihi*.

126 Decimus quintus Ioan. 6. *Iesus ergo cùm cognouisset, quia venturi essent, vt raperent eum & facerent eum regem, fugit iterum in montem ipse solus*.

127 Decimus sextus ad Rom. 9. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus*.

128 Decimus septimus 1. ad Corint. 2. *Si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent*. Mitto cætera omnia similia, quæ passim in Scripturis sanctis occurrunt.

129 Ad duo capita reuocantur solutiones, quibus Auctores propositioni nostræ aduersantes vim nostri argumenti à locis scripturæ petiti eleuare conati sunt. Primò enim dicunt, in huiusmodi locis non reuelare Deum, quid re ipsâ esset futurum conditionatè, sed quid tunc temporis esset in cognitione, & voluntate eorum, à quibus ille effectus futurus erat, qualisve erat iam tum dispositio, ac præparatio causarum ad talem effectum. Hoc sensu imprimis exponunt locum tertium à nobis adductum ex 1. Reg. 23. Expositionemque confirmant ex quadam lectione Chaldaicâ, atque etiam ex Interlineali. Cæterùm, quamquam hæc expositio in eum locum cadere posset, quod falsum est, vt planè demonstrant noster Ruiz disp. 63. de Scientiâ sect. 2. & Fasolus 1. p. q. 14. art. 13. à n. 223. At certè alijs locis conuenire non posset variis de causis, vt perpendenti singula notum fiet. Sed quoniam solutio hæc in secundam recidit, in illâ refutandâ non immoror. Pergo ad secundam.

Ea autem est, Deum in prædictis locis non 130
reuelare euentum contingentem secundùm se, sed quantùm coniecturaliter, probabiliter, aut cum morali certitudine ex præsenti dispositione causarum potest ille deduci. Ita Cabrera, Ledesma, Curiel, & alij pro primâ sententiâ de scientiâ Dei coniecturali supra relati. Qui suam expositionem confirmant primò. Quia sæpe additur in huiusmodi prædictionibus particula *forte*, vel *forsitan*, quæ, licèt nullam ambiguitatem denotent ex parte Dei dicentis, eam tamen denotant ex parte obiecti, quasi hoc non simpliciter fore dicatur, sed fore moraliter, aut probabiliter, prout eum, spectatis circumstantijs, inferunt causæ. Cum quo compati potest, vt reuerà non sit. Confirmant secundò. Quia hac ratione prædicta est mors Ezechiæ Isaiæ 38. & subuersio Niniuitarum Ionæ 3. Quæ ob id reipsâ non euenerunt absque vllâ iniuriâ prædictionis: quia non simpliciter; sed, quantùm erat ex vi dispositionis causarum, prædictæ sunt; quæ tamen postea sunt impeditæ, ne effectum sortirentur.

Sed primùm interpretatio hæc vel eo solùm 131
nomine reijcienda foret, quòd, cùm nullum pro se habeat ex Patribus patronum, tamen habet Caluinum, cui maximè placuit, vt consentanea ad eneruandum argumentum ex his prædictionibus desumptum pro libertate humanâ, vt testatur Stapletonius Antidoto in Matth. cap. 11. Qui addit, hanc interpretationem apertissimam esse verbi diuini corruptelam. Id quod probari potest. Primò; quia si reuelationes diuinæ conditionatæ non ad futuritionem euentus, quam expresè enunciant, sed ad probabilitatem, seu certitudinem moralem eius, quam secum fert præsens dispositio causarum, possent referri; eodem iure reuelationes absolutæ non ad euentum absolutè prædictum, sed ad eius probabilitatem, aut moralem infallibilitatem, attentâ causarum dispositione, referri possent; quo tota auctoritas diuinæ Scripturæ corrueret. Nihil enim ex verbo Dei possemus credere certò futurum; totaque nostra fides nutaret. Secundò; cùm diuersa veritas sit, euentum fore reipsâ, &, esse probabile, vel certum moraliter, illum ex tali causarum dispositione sequendum, vt est notissimum, non satis esset à Deo prouisum in Scripturis sanctis, si vtrumque sub eisdem vocibus confunderetur: ipseque Deus esset obnoxius, vt homines illi mendacium, aut deceptionem attribuerent videntes, rem aliquam non succedere, prout à Deo prædicta erat. Tertiò; vnicuique tutò liceret prophetare, atque prædicere asseueranter futura, neque esset signum, quo falsus Propheta posset discerni à vero, contra, id quod statuitur Deutheron. 18. *Hoc habebis signum. Quod in nomine domini Propheta ille prædixerit, & non euenerit, hoc Dominus non est loquutus, sed per tumorem animi sui Propheta confixit*. Quandoquidem benè potest non euenire, quidquid loquutus est Dominus, si illud quantùm ad moralem dumtaxat consequutionem ex dispositione causarum à Deo

præ-

prædictum asseratur. Quo sanè sensu à quolibet quodnis futurum prædici poterit. Nam, vt sapienter Augustl. lib. de vnitate Ecclesiæ cap. 9. *Hoc modo, quisquis voluerit, potest esse Propheta.* Quartò; verba sacræ Scripturæ, vt sonant, & cum omni proprietate accipienda sunt, nisi absurda inde sequenda ad translatitiam, aut minùs propriam acceptionem aliquando compellant, secundùm regulam Ticonij receptam ab Augustino lib. 3. de doctrinâ Christianâ cap. 10. & 11. Ergo, cùm prædictiones commemoratæ, & aliæ similes iuxta proprietatem sermonis apertè sonent, reipsâ futurum euentum, quem enunciant sub conditione; neque ex hoc sensu, quem præseferunt aliquid absurdi sequatur, perperam detorquentur ad connexionem moralem, atque fallibilem causarum, vnde tot sequuntur absurda: maximè, cùm sancti Patres communiter per huiusmodi oracula ipsam conditionatorum euentuum futuritionem certissimè prædictam censeant, atque testentur, vt iam ostendo.

132 Etenim D. Hieron. tom. 3. in Traditionibus Hæbraicis circa lib. 1. Reg. cap. 23. col penult. locum, quem ex eodem cap. nos tertium recitauimus num. 79. Sic exponit. *Si tradent me viri Ceilæ in manus eius: & si descendet Saul, &c. Et ait Dominus. Descendet. Ac si diceret. Si hìc steteris, descendet. Et quod ait. Si tradent me viri Ceilæ. Et Dominus ait. Tradent. Iste est sensus. Si descenderit Saul, & hìc te inuenerit, tradent.* Similiter Theodoretus in 1. Reg. q. 54 ad medium. *Scisciatus est*, inquit, *num eum essent dediturì. Et, cùm ex Deo didicisset, eos esse deditures, migrauit in altum locum.* Ecce Dauid ex mente horum Patrum non didicit ex diuino oraculo descensum Saulis, & suam traditionem esse probabilem iuxta causarum dispositionem, quod neque ipse interrogauerat; sed reuerà, & cum effectu fore casu, quòd ipse mansisset in Ciuitate Ceilæ.

133 D. Augustl. sæpe versans locum illum, quem sextum posuimus ex Sapientiæ 4. *Raptus est, &c.* certissimam Dei præscientiam cognoscit conditionatorum euentuum. Ita enim habet lib. de Correptione & gratiâ cap. 8. prope finem. *Respondeant*, inquit, *si possunt, cur illos Deus, cùm fideliter, & piè viuerent, non tunc de vitæ huius periculis rapuit, ne malitia mutaret intellectum eorum, & ne fictio deciperet animas eorum? Vtrùm hoc in potestate non habuit? an eorum mala futura nescìuit? Nempe nihil horum, nisi peruersissimè, & insanissimè, dicitur.* Quid ad rem pulchrius? Loqui autem Augustl. de scientiâ conditionatâ futurorum malorum, manifestum est. Nam loquitur de scientiâ, qua Deus posset homines à malis scitis liberare rapiendo illos ex hac vitâ, antequam talia mala obuenirent: qualis non potest esse scientia futuritionis absolutæ ipsorum malorum, vt satis, superque notum est. Consonat ipse Augustl. lib. de Dono perseuer. cap. 9. initio dicens. *Certè poterat illos Deus præscìens, esse lapsuros, antequam id fieret, auferre de hac vitâ.* Et lib. de Gratia, & liber. arbit. cap. 23. in principio, ad occulta Dei iudicia refert, *Illum baptizatum in hac vitâ relinqui, quem, præsciit Deus, impium futurum: istum verò baptizatum rapi ex hac vitâ, ne malitia mutet intellectum eius.* Similia habet eamdem præscientiam conditionatam supponens ex eodem loco Sapientiæ 4. lib. 1. de Peccatorum meritis, & remiss. cap. 21. ad finem. lib. de Dono perseu. cap. 13. in principio, epist. 105. col. penult. & 107. post medium, & sæpe aliàs. Ex quo facilè est videre, quàm frigidè Curiel supra num. 60. interpretatus sit Augustinum dicens, in istis locis non loqui eum ex sententiâ propriâ. De quo videatur Ruiz disp. 62. sect. 2. Cyrillus etiam Alex. lib. 3. contra Iulian. paulò post medium ait, *Deus autem sciens futurum sæpe numero præuenit, hos quidem propter pietatem adhuc adolescentes è vita eripiens; alios propter futuras in posterum illis pœnas; alios autem miserans, quos liberat ab immedicabilibus calamitatibus.* Et Greg. Nyssen. oratione de Infantibus, qui præmaturè abripiuntur, inter medium, & finem. *Verisimile est*, inquit, *cum, qui id, quod futurum est æquè, atque præteritum, cognouit, progressum vitæ infantis ad perfectionem prohibere, ne, quod vi præscià malum animaduersum est, in eo, qui ita victurus fuisset, perficiatur.* Similiaque habet paulò post. Vbi pondera, iuxta Nyssenum æquè certò cognoscere Deum futura conditionata, atque præterita. Ex quibus apperet contra Aluar. lib. 2. de Auxil. disp. 7. n. 24. & Ledesm. suprà, in isto loco Sap. 4. non solùm de periculis huius vitæ agi, quasi ob hæc solùm cauenda rapiatur homo, sed de peccatis reuerà ab ipso committendis, si amplius viueret, à Deoque subinde scientiâ certissimâ sub ea conditione præscitis. De quo plura Ruiz supra sect. 9.

Iam verò, vt cætera Patrum suffragia modò 134
præteream, non possum non eorum sententiam circa locum, quem decimum ex Euangelijs produximus, adnotare. Aug. lib. de Dono perseu. cap. 9. fine sic habet, *Nunquid possumus dicere, etiam Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent cum eis? Ipse Dominus attestatur, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum.* Et in Enchir. cap. 95. de beatitudine agens ait, *Tunc non latebit, quod nunc latet, cur apud quosdam non sunt factæ virtutes, quæ si factæ fuissent, egissent illi homines pœnitentiam, & factæ sunt apud eos, qui nunquam fuerant credituri. Apertissimè namque Dominus dicit, Væ tibi Corozain, &c.* Pondera verbum *apertissimè*. Item ad Excerpta Genuensium resp. 8. post medium de Tyris, & Sidonijs ita loquitur, *Quos etiam credituros fuisse, ipsa Veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt, virtutum signa vidissent.* Mitto alia testimonia Patrum, & Interpretum. Qui vnanimiter sentiunt ad istum locum, quem versamus, Christum dominum planè prædixisse Tyriorum, ac Sidoniorum pœnitentiam re ipsâ futuram, si apud illos factæ fuissent virtutes: certissimamque de illâ præscientiam sub eadem conditione habuisse. Equibus sunt Petrus Diaconus de Incarnatione, & graria Iesu Christi cap. 7. Origenes lib. 3. Periarch. cap. 1. col. 10. Chrysost. in Matth. cap. 11. homil. 38. post medium. Theoph. in Mar. cap. 10. & in Luc. cap. 10. Tertul. lib. de Pudicitiâ cap. 10. Remig. Math. 11. in Catena S. Thom. Ansel. ibid. Beda Lucæ 10. S. Thom. in Cat. ad cap. 11. Mat. & 10. Lucæ, & 3. p. q. 1. art. 5. ad 2. & proprio commentario in Math. Albertus Mag. ibid. S. Bonau. in Lucam cap. 10. Hugo Card. in Math. 11. & Luc. 10. Abulens Math. 11. q. 52. & 53. Dionys. Carth. ibid. art. 32. & Lucæ 10. art. 26. Ex Recentioribus idem sentiunt Salm. tom. 4. par. 3. tract. 14. Emanuel Sa Math. 11. & Lucæ 10. Maldo. Math. 11. Tolet. Lucæ 10. annotat. 18. Barradas tom. 3. lib. 2. cap. 11. & alij Expositores communiter.

Ex

Ex quibus omnibus liquidò apparet, quàm sit extorta, quàmque repugnans Patrum, atque Interpretum menti interpretatio, quam Aduersarij, cum quibus agimus, adhibuerunt locis Scripturæ commemoratis. Quam autem aliquibus saltem eorum dissentanea, & aduersa sit, estò alijs vtcunque posset aptari, ponderandum adhuc restat in speciali.

135 Enim verò interpretatio prædicta imprimis congruere non potest loco secundo supra adducto ex 3. Reg. 11. vbi certissimè euentura prædicitur peruersio Iudæorum conditionata ab alienigenis vxoribus efficienda, ibi. *Certissimè enim auertent corda vestra, &c.* Non ergo verisimiliter tantùm, siue moraliter, prout postulabat præsens dispositio causarum, vti Aduersarij volunt.

136 Deinde in tertio loco ex 1. Reg. 23 Dauid non exorauit Dominum, vt sibi indicaret aut animum, quem Saul habet at descendendi in Ceilam, aut verisimilitudinem aduentus eius, hæc enim iam ipse cognoscebat, cùm audiuisset, quòd Saul disponebat venire in Ceilam. Sed de ipsâ exequutione aduentus scisciatus est. Ergo, cùm Deus illi planè, & sine vllâ restrictione respondit, *Descendet*, descensum ipsum re ipsâ euenturum sub conditione prænunciauit, non eius probabilitatem, quam habebat in causâ. Nec hanc prædicere Deus potuit, quod attinet ad proditionem per Ceilitas faciendam: nam tunc temporis adeò erat Dauid benemeritus de ipsis Ceilitis, quos nuper à Philistæis liberauerat, vt non appareret probabile ex vi præsentis causarum dispositionis Dauid, & suos per Ceilitas fore tradendos. Dum ergo Deus absolutè respondit, *Tradent*, non traditionis probabilitatem, aut animum Ceilitarum præsentem, sed ipsam traditionem, variatis circunstantijs, faciendam, si Saul descenderet, prædixit.

137 Præterea in quarto, & quinto loco ex 4. Reg. 2. & 13 supra citatis interpretatio supradicta locum habere nequit. Nam, cùm euentus ibi sub conditione prædicti à voluntate Dei potissimùm liberè essent prouenturi casu, quòd poneretur conditio, non apparet vnde illorum probabilitas conijci posset tanquam à dispositione iam tum absolutè existente, & inferente euentus ipsos; nisi recurras ad decretum Dei conditionatum ex parte obiecti; quæ est alia solutio postea impugnanda, de qua modò non agimus. Et idem est, quoties conditionatum in Scripturâ prædictum à solâ voluntate Dei pendet, vt sæpe accidit.

138 Peruersio etiam iusti futura casu, quòd amplius viueret. Cuius scientiâ supponitur in sexto loco citato ex Sapien. 4. vt plurimum ex nullâ causarum præsenti dispositione potest probabiliter conijci, quo tempore homo per mortem rapitur. Non igitur scientia Dei, quæ istis in locis supponitur, de morali probabilitate, quam habent euentus conditionati in præsenti dispositione causarum, sed de ipsis euentibus est. Ad dispositionem autem conditionatè in causis futuram recurri non potest; nam reddet circa illam integra difficultas; cùm sit etiam obiectum contingens conditionatum.

139 Denique, vt cætera prætermittam, decimo loco relato ex Math. 11. & Lucæ 10. non magis benè aptari potest doctrina Aduersariorum. Nam, si præsens dispositio causarum attendenda erat, quando Christus Dominus pœnitentiam Tyriorum, Sidoniorum, Sodomitarumque prædixit, longè erat verisimilior, & probabilior conuersio Iudæorum, quàm eorum Gentilium, vtpote quorum scelera grauiora erant, nempe idolatria, Sodomia, veneficia, & alia relata à Paulo ad Roman. 1. quæ magis demerebantur diuinam gratiam, magisque arbitrij impediebant cooperationem. Tum Gentiles grauiter perosi erant Iudæorum nomen, vnde specialis foret difficultatis admittere eos in Deum, & Magistrum hominem è Iudæorum genere natum. Nullius etiam apud ipsos auctoritatis erant Scripturæ sacræ, quæ tantùm apud Iudæos pondus faciebant in ordine ad recipiendum Christum, & eius doctrinam. Non igitur Christus in prædicto loco, vt Iudæorum exprobraret duritiem, moralem probabilitatem conuersionis Gentilium longè minorem ex vi causarum, quàm ipsorum Iudæorum, sed ipsam conuersionem reuerà futuram sub datâ ibi conditione opposuit, ac prædixit. Alioquin inefficax etiam esset exprobatio. Possent enim Iudæi iure talem prædictionem negare: quandoquidem, stando in coniecturis, quæ ex causis præsentibus capi poterant, si Iudæi talibus factis virtutibus conuersi non sunt, certius videbatur, neque Gentiles cum similibus virtutibus conuertendos fore. Quòd autem Christus in isto loco non per exagerationem dumtaxat fuerit loquutus, vti quidam non sine censuræ periculo ausi sunt opinari, vt fertur, apertè sentiunt omnes Patres, & Interpretes; qui in verbis Christi non loquutionem hyperbolicam, sed veram, & seriam prædictionem cognoscunt.

Restat videre, quid momenti habeant, quæ 140
pro se afferebant Aduersarij. Et primùm, quod attinet ad particulam *forte*, vel *forsitan*, quæ in aliquibus ex prædictionibus sacræ Scripturæ reperitur, dico, per eam nihil ambiguitatis denotari in prædictione, aut eius obiecto; sed interdum apponi ad significandum id, quod prædicitur, non necessariò, sed liberè ab humanâ voluntate euenturum; interdum verò in signum maioris increpationis. Primum docent Patres communiter, quorum plura testimonia congerit Ruiz tom. de Scientiâ disput. 41. sect. 4. & rursus disput. 70. sect. 4. Indicabo nonnulla. Hier. ad illud Ierem. 26. *Noli subtrahere verbum, si forte audiant, Verbum*, inquit, *ambiguum forsitan maiestati Domini conuenire non potest; sed de nostro loquitur effectu, vel affectu, vt liberum homini seruet arbitrium, ne ex præscientiâ eius, quasi ex necessitate facere aliquid, vel non facere cogatur.* Et ad illud Lucæ 20. *Forsitan, cùm hunc viderint*, ait, *Vt ex ambiguitate sententiæ, & suspensione verborum liberum hominis monstraret arbitrium.* Theodoret. ad eumdem locum Ierem. *Dixit*, inquit, *fortassè, non quasi ignorans; nouerat enim illorum incredulitatem; sed ambiguâ dictione vsus est, ne sententiæ diuinæ attendentes desperarent de salute.* Theophilact. in Lucam cap. 20. sub initium ait, *Hæc proprietas sæpe in Scripturis inuenitur, vt, cùm dicitur, si forte audiant. Nec enim illic ignorans futurum ita dicit; sed, ne quidam præscientiam Dei necessariam obedientiæ causam esse dicant.* Eamdem doctrinam eradunt Chrys. in Math. homil. 69. col. 1. Euseb. lib. 6. de Præparatione Euang. cap. 9. post medium. Remigius. Hugo Card. Abulens. & alij citati à Ruiz supra. Secundum autem, nempe particulam *forte* increpationem indicare, dissertè tradidit Augustinus tract. 37. in Ioan. col. 2. dicens. *Ille, qui omnia scit, quando dicit, forsitan, non dubitat, sed increpat. Attende enim quomodo increpatiuè dicatur ipsum, forsitan, quod videtur esse verbum*

dubi-

dubitationis. Sed dubitationis verbum est, quando dicitur ab homine ideò dubitante, quia nesciente: cùm verò dicitur à Deo verbum dubitationis, cùm Deum nihil vtique lateat, illa dubitatione arguitur infidelitas, non opinatur Diuinitas. Id quod subiunctis exemplis explicat amplius Augustinus. Ex quibus patet, per particulam *forte* nihil omnino derogari certitudini etiam obiectiuæ prædictionis, & scientiæ Dei. Quod confirmatur primò; quia sæpe adiungitur hæc particula, vbi nullus est ambiguitatis locus adhuc ex parte obiecti, vt Ioan. 8. *Si me scietis, forsitan & Patrem meum scietis.* Quæ est illatio necessaria. Et Ierem. 5. *Et dixi, forsitan pauperes sunt, & stulti.* Quòd, cùm ad præsentem illorum hominum conditionem referatur, ad scientiamque subinde absolutam spectet, negari nequit citra errorem. Deo esse certissimum etiam ex parte obiecti. Secundò confirmatur; quia sæpe prædictio diuina eumdem sensum habet, posità, vel non posità particula *forte*. Vt patet ex eo, quòd Math 21. & Marci 12. dicitur. *Verebuntur filium meum*, sine *forsitan*, quæ tamen Lucæ 10. adiungitur eidem sententiæ. Tum Math. 11. eadem conuersio Gentilium sæpe prædicitur, adiectâ nunc particulâ *forte*, nunc verò non adiectâ. Tertiò confirmatur; quoniam dictioni *forte* in Græco respondet dictio *an*, quæ asseuerationis esse solet, vt dictio *vtique*. Vnde, cùm Psal. 54. num. 13. in Græco bis ponatur dictio *an*, Latinus interpres in primo loco vertit *vtique*, in posteriori *forsitan*. Ita enim habetur. *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem vtique. Et, si is, qui oderat me, super me magna loquutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo.* Quo factum est etiam, vt alijs in locis, vbi vna versio *forsitan*, alia habet *vtique*. Ex quo patet primum, quo se protegebant Aduersarij, prout diximus num. 130. nihil illis fauere.

141 Sed minùs fauet alterum de morte Ezechiæ, & subuersione Niniuitarum. Horum enim euentuum prædictiones comminatoriæ erant ferentes secum tacitam conditionem nempe, *Si non egerint pœnitentiam*. Sub qua conditione certissimè erat futura, & à Deo cognita mors Exechiæ, & Niniuitarum subuersio. Vnde ex his, & similibus comminationibus, quæ tacitè sunt conditionatæ, potiùs sumitur argumentum pro nobis. Sicut etiam ex promissionibus Dei conditionatis, quæ in Deo non possunt non secum ferre notitiam certam de futuritione conditionatâ effectus promissi.

142 Supererat impugnanda alia plurium Thomistarum solutio pro expositione locorum commemoratorum sacræ Scripturæ exhibita, petitaque à decreto Dei conditionatè prædefiniente contingentia, de quibus agimus. Sed hæc materiam tangit alienam à præsenti quæstione, & in sequenti examinandam. Nam, qui hac solutione vtuntur, iam, reiectâ suorum antiquiorum scientiâ coniecturali, certam scientiam concedunt Deo conditionatorum contingentium.

Probatur propositio ex Patribus.

143 Venio iam ad probandam propositionem ex communi consensu Patrum. Quanquam enim sufficere videri possent testimonia, quæ iam produxi ad vrgenda loca Scripturæ, non possum non indicare alia quædam, vt nullus superfit Aduersarijs subterfugiendi locus. Et primùm scire oportet, celebrem fuisse Patribus cum Hæreticis, præsertim Manichæis, & Marcionitis controuersiam. Cur Deus creauerit homines, & Angelos, quos præsciebat peccaturos. Et vniuersim. Cur ea, quæ patrauerit, ex quibus præuidebat malum exitum futurum malitiâ voluntatis creatæ. Cui quæstioni varijs modis respondent Patres, supponentes semper, aut concedentes, affirmantesque in Deo certam præscientiam huiusce modi euentuum sub conditione futurorum. Cùm tamen, si putarent, talem Deo præscientiam negari posse, expeditior, & magis obuia responsio erat. Ideo Deum homines, & Angelos, & cætera cuncta creasse; quia certò non præsciebat mala ex eorum creatione sequenda.

Augustinus igitur lib. 2. de Genesi contra Manichæos cap. 28 sub initium refert, eos solitos esse interrogare. *Quare fecit Deus hominem, quem peccaturum sciebat.* Et respondet. *Quia de peccante multa bona facere poterat.* Et paulo post idem ex eisdem refert circa diaboli creationem dicens. *Vel ipsum, inquiunt, non faceret Deus, si eum peccaturum esse sciebat.* Quibus respondet. *Imo quare non faceret, cùm per suam iustitiam, & prouidentiam multos de malitiâ diaboli corrigat.* Ecce Augustinus tacitè concedit præscientiam peccati futuri sub conditione creationis hominis, atque diaboli. Expressè autem illam adstruit lib. 11. de Genes. ad litt. cap. 6. fine inquiens. *Frustra dicitur, non crearet Deus, quos præsciebat malos futuros. Cur enim non crearet, quos præsciebat bonis profuturos?* & cap. 8. in principio docet, *esse melius creari, quem, sciebat, pro suâ iniquitate debere damnari.* Et paulo post. *Cur ergo non crearet Deus etiam, quos malos futuros esse præsciebat?* Et rursus cap. 9. *Præsciebat quid eorum factura esset voluntas mala, & quia falli non potest eius præscientia; ideo non ipsius, sed eorum est voluntas mala. Cur ergo eos creauit, quos tales futuros esse præsciebat? Quia, sicut præuidit, quid mali essent facturi, sic etiam præuidit de malis factis eorum, quid boni esset ipse facturus.* Et cap. 11. ad medium. *Cum eos vitijs proprijs malos futuros esse præsciret, non eos tamen creare destitit.* Et infra. *Præuidet bonos futuros, & creat: præuidet malos futuros, & creat.* Similia habet cap. 22. initio, & cap. 26. fine. Necnon lib. 3. de Liber. arbitr. cap. 5. post medium. & lib. 5. contra Iulianum cap. 8. in medio & lib. 1. de Animâ, & eius origine cap. 12. ad medium. & lib. 2. cap. 13. sub initium. & epist. 157. alijsque pluribus in locis. Illud verò non prætermittam ex lib. 11. de Ciuitate cap. 18. initio. *Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, sed vel hominum crearet, quem malum futurum esse præsciret, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret.* Hæc Augustinus. 144

Quo fere pacto super eâdem quæstione loquuntur alij Patres, supponentes, aut etiam expressè adstruentes præscientiam Dei de peccatis futuris sub conditione, quòd homines, aut Angeli crearentur. Tertull. lib. 2. aduersus Marcionem cap. 5. inter alia ad eius obiectionem respondet. *Omnium Auctor præscientiâ vniuersa disponendo præsciit, & præsciendo disposuit, certè ipsam transgressionem, quam, nisi præsciisset, nec cautionem eius delegasset sub metu mortis.* Iræneus ad eamdem quæstionem. *Secundum autem*, inquit, *prouidentiam sciuit hominem infirmitatem, & quæ ventura essent ex eâ.* Græg. autem Nyssen. orat. Catechet. cap. 8. respondens eidem quæstioni ait. *Quòd enim à* 145

bono

bono homo esset auertendus, Deus non ignorauit, qui omnia suo dominatu continet, suâ prouidenti virtute æquè intuens id, quod est deinceps futurum, atque id, quod præteritum. Similiaque habet oratione de Infantibus inter medium & finem. Item Cyrillus Alex.lib.1.in Gen.col.3. & lib.9. in Ioan. cap.10.post multa ad rem dicta subdit: *Quod homo corruptioni subijceretur, Creator omnium minimè ignorauit, imo verò id certò sciebat, & quo pacto peccatum solueret.* Consentit Hier.lib.3.contra Pelag.col.3.Theodor.in Genes.quæst.35.36. & 37. Chrys.homil.de Adam, & Eua col.2.& in homil.de Anathemate. Damasc.in Dialogo contra Manich. Amb.lib.de Paradis.cap.8.& 10.Gregor.lib.5. in 1.Reg.& alij: quorum testimonia refert Ruiz disput.65. de Scientia sect.1.& sequen. Audiamus Anselmum in Elucidario columna 5. dicentem. *Cum Deus præsciret, eos tales futures, quare creauit eos?* Et respondet. *Propter ornatum sui operis, &c.* Tum lib.2. *Cur Deus homo* cap.5. *Deum*, inquit, *non latuit, quid homo facturus erat, cùm eum fecit.* Et Moysen Barcepha Syrum in Comm.de Paradis.par.3.cap.4.docentem, *Deum, vt præsciuit peccaturum Adamum, lapsurumque priùs, quàm conderet, ita præsciuisse quoque, se olim venturum, redempturumque, &c.* Scientiam autem, de qua Patres isti loquuntur, esse conditionatam est manifestum: quia supponunt esse præscientiam de peccatis hominum, vel Angelorum, qua Deus ab eorum creatione retrahi posset: quæ subinde non potest non præcedere decretum eos creandi, & consequenter absolutam futuritionem talium peccatorum.

146 Accedunt Theodoretus quæst.50. in Genes. sub initium August. lib.15. de Ciuitate Dei cap. 23.Damas.in Dialogo contra Manich. tribus paginis ante finem.Tertull.lib.2. aduersùs Marcionem cap.23.& 24.& Moyses Barcepha de Paradiso par. 3. cap.2. apud Ruiz sect.2. docentes, ideirco in Deum pœnitentiam non posse cadere; quia, antequam quidquam faciat, præscit quidquid ex suo opere sequendum est: quæ scientia nequit non esse conditionata, vt patet. Itaque Theodoretus exponens illud Genes.7. *Pœnitet me fecisse hominem*. post multa de Deo ad rem dicta concludit. *Hinc fit, vt tanquam prævidens, & præsciens omnia dispenset. Quomodo ergo pœnitentia cadat in eum qui suâ præscientiâ regit vniuersa?* Damascenus autem ait. *Deus non ex pœnitentiâ vel præpostera cognitione, sed ex prænotione iudicat.* Et infra. *Non quòd Deum pœnituisset; (quid enim futurum erat antea norat); sed quòd, &c.* Denique Moyses inquit. *Rursus de pœnitentiâ, cuius accusat Deum Manes, dicimus illorum esse dolere, atque pœnitere, qui nescij rerum euentus ea faciunt, quorum exitus parum respondeat ipsorum commodis; at Deum, cùm præsciat omnia quem sint quæque habitura finem, prorsus pœnitere illius non posse, aut pigere.*

145

147 Deinde eamdem præscientiam conditionatam ponunt Patres in Deo, dum reddunt rationem, cur Deus dederit Angelis, & hominibus libertatem prævidens, eos peccaturos. Quâ de re sufficiat vnus Augustinus lib.22.de Ciuitate cap.1. ante medium. Vbi ait, *Deus liberum arbitrium intellectuali naturæ tribuit, vt, si vellet deserere Deum, continuò miseria esset sequutura. Qui, cùm præsciret, Angelos quosdam per elationem tanti boni desertores futuros, noneis ademit hanc potestatem.* Et paulò post. *Hominem similiter cùm prænaricatione legis Dei peccaturum esse, præsciret, neque illi ademit arbitrij potestatem; simul prævidens, quid boni da malo eius esset ipse facturus.* Vbi esse etiam sermonem de præscientiâ conditionatâ, compertissimum est: quia eâ solâ manebat Deus indifferens ad adimendam libertatem Angelo, & hominis; non scientiâ absolutâ de peccato ipsam libertatem supponente.

Præterea, dum reddunt Patres rationem, 148
cur Deus imposuit homini præceptum, quod prævidebat ab eo frangendum, eamdem scientiam conditionatam adstruunt. Videatur August.lib.2. de Peccatorum meritis, & remissione cap.16. & lib.1.contra Aduersarium Legis, & Prophetarum cap.14.& lib.22.contra Faustum cap.14.Chrysostomus humil.de Adam, & Eua. Vbi inter alia ad rem ait, *Deus æquè præsciens futurorum fecit hominem ad imaginem, & similitudinem suam dans ei præceptum prævidens de eius transgressione quanta bona facturus esset.* Nazian.orat.42.in Pascha prope finem ait, *Mandatum accepimus, vt eo seruato gloriam consequeremur, non quòd Deus id, quod futurum erat ignoraret, &c.* Moyses Barcepha supra. *Illud*, inquit, *etiam clarè præsciit, Adamum, quæ ipse imperaturus esset, ea non facturum. Nec tamen ideo non imperauit; quia illum pariturum non esse, præsciit.* Quos Patres, manifestum est, de scientiâ conditionatâ transgressionis præcepti loqui, quia scientia absoluta essentialiter supponit positum præceptum.

Ampliùs quærunt Patres, & Scholastici, 149
cur Deus permisit tentari hominem, quem peccaturum esse præsciebat? Scientiamque conditionalem peccati manifestè adstruunt, dum isti quæstioni respondent. Lege August.lib.11. de Genesi ad litt.cap.4.Bed.tom.4.in expositione Genes. cap. 3. ad illa verba. *Erant autem vterque nudi, &c.* Hugo. Victor. tract.3. Sum.cap.6.ad finem. Magist.in 2.distinct.23.initio S.Tho.2.2.quæst.165.artic.1.ad 2.S.Bonau. in 2.distinct.23. art.1.quæst.2. & alios. Vnum modò audi Ansel. in Elucidario col.9. dicentem, *Cur permisit Deus hominem tentari, cùm sciret, eum superari? Quia præsciuit, quanta bona de eius peccato esset facturus.* Pari ratione Theodoret. quæst.24. in Genes August. epist.105.col.penult.& lib.de Animâ cap.12.fine & S.Tho. 1.par. quæst.102.artic.2.arg.3. dum quærunt, cur Deus posuit Adamum in Paradiso, aut ab illo non eiecit, antequam peccaret, cùm prævidisset peccaturum, non minùs clarè scientiam conditionatam de eius peccato stabiliunt. Sicut etiam Nyssen.lib.de Opificio hominis cap.22. Damasc.lib 2.fidei cap.30.& lib.4.cap.25.& S.Tho. 1. par.quæst.92.artic.1.argum.3.dum quærunt, cur Deus dedit Adamo Sociam, quam prævidebat fore occasionem peccati eius. Simili modo eamdem scientiam adstruunt Patres, qui tractant, cur Deus elegit Iudam in Apostolatum, quem præsciebat fore proditorem, & Saulem in Regem, quem præsciebat fore impium. Hi sunt Hieron. & Ambros.supra relati Cyrill.Alexand.lib.9. in Ioan. cap.10.& August.ad illud Psal.55. *Omnes cogitationes eorum in malum.* Et lib.22. contra Faustum cap.14.lib.de Correpț & gratiâ cap.7. & aliàs sæpe. Pari ratione adstruunt eamdem scientiam, qui tractant, cur Christus venit ad Iudæos, & talia apud eos opera fecit, cùm præsciret, eos incredulos fore, &c. Ambros.supra Chrys.homil.45. & 70.in Math.circa medium, & homil.67.in Ioan. circa medium Theoph. in Ioan.cap.12.Eutim.ibid. & in illud Psal.73. *Vt quid Deus repulisti in finem.* August.lib.1.contra Crescen.grammaticum cap.8.

Lactantius lib.4. Diuinarum institutionum cap.26. post medium. Irænеus lib.4. aduersùs hæreses cap.48.& lib.5.cap.28. Quorum Patrum testimonia apud Ruiz disput.65. videri possunt.

150 Denique, præscire Deum conditionatè actus nostros seu bonos, seu malos sub varijs conditionibus, sæpe exprimunt Patres. Gregor. Mag. lib.33.Moral.cap.17. aliàs 23.ait, *Alia dispensatio iudiciorum Dei idcirco sæpe benè merentes vel minis impedit, vel flagellis premit, vel quibusdam super impositis oneribus grauat, vel laboriosis occupationibus implicat; quia mirà potentia præuidet, quòd se quieti, ac liberi in tranquillitate persistierent, tentationes ferre Aduersarij non valentes mentis prostrati vulneribus iacerent.* Bernard.serm.5. fine in Psal.90. *Qui habitat. Deus nos*, inquit, *ab aliquibus tentationibus citiùs liberat*, vt, *possimus in alijs, quas nobis vtiliores fore, præuidet, exercere.* Ambros.2. ad Tim.1.col.2. ait, *Præscius enim fuit Deus, quid futurum esset in homine, antequam faceret eum, & peccaret.* Chrysost. homil.31. in Math. prope initium loquens de vocatione Apostolorum ait, *Vocauitque, quando obtemperaturos sciebat.* Augustin. scientiam huiusmodi conditionatorum frequentissimè & expressissimè attribuit Deo. Videatur præsertim epist.49.quæst.2.dum tractat, Cur Incarnatio tali tempore facta sit. Vbi dicit, *Tunc voluisse in hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri.* Et rursus ibidem, *Quid mirum, si tam infidelibus plenum orbem terrarum Christus prioribus sæculis nouerat, vt eis prædicari meritò nollet, quos nec verbis, nec miraculis suis credituros esse præscibat?* Quæ loca postea refert, & repetit lib. de Prædest. Sanctorum cap.9. & lib. de Dono perseu. cap. etiam 9. multis ibi confirmans eamdem scientiam. Tantum abest, vt illam retractet, vti quidam ex Aduersarijs dixerunt. Audiamus id solum, quod scribit in eo cap. 9. de Prædestinat. Sanctorum. *Cernitis me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum hoc de præscientiâ Christi dicere voluisse, quod conuincendæ Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant quæstionem, sufficere videretur. Quid enim est verius, quàm præscisse Christum, qui, & quando, & in quibus locis in eum fuerant credituri?* Recolantur alia adducta supra ex S. Augustin.num.144.

151 Addo, præscientiam, quæ prædestinationem præcedit iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Quos præscisit, & prædestinauit*, ex mente Patrum tam Græcorum, quàm Latinorum ipsissimam esse scientiam conditionatam, quam nos adstruere contendimus, vt eruditè plurimis testimonijs adductis ostendit noster Ruiz disput.66.de Scientiâ à sect.3. Quæ omnia ego mitta facio: quia pudet iam in re tam aperta Patrum testimonia iterare. Cui enim, quæ produximus, satis non fuerint, nulla erunt satis. Ea enim tam clara, tamque multa sunt, vt iam de mente Patrum in hac re nemini fas sit dubitare.

152 Sed videamus, quid antiquiores illi Thomistæ, cum quibus agimus, ad testimonia eorum, quos ipsi viderunt, respondent. Prima solutio est. Patres dumtaxat tribuere Deo scientiam illam coniecturalem ex parte obiecti, quam ipsi tribuunt. Cæterùm, quàm sit alienum à mente Patrum, Deo talem scientiam futurorum contingentium adscribere, ex ipsis eorum verbis compertissimum est. Planè enim asseuerant, Deum futura ipsa præscire. Per scientiam autem illam coniecturalem non ipsa futura, sed eorum probabilitas, seu moralis infallibilitas ex causarum dispositione oriunda præscitur. Tum multi eorum dicunt, Deum præuidere, intueri, certò, aut infallibiliter præscire, æquè futura, atque præterita cognoscere; vt constat ex locis citatis. Qui modi loquendi omnem prorsus ambiguitatem etiam obiectiuam tollunt à scientiâ Dei. Et sanè, vt principio præsentis probationis notabam, si Patres putarent, Deum minùs certò cognouisse futura, de quibus ipsi agebant, in promptu haberent solutionem ad quæstiones quas agitabant. Nimirum Deum idcirco e.g. creasse homines, aut Angelos, qui creati peccarunt, quia cum non esset certum, vtrùm peccaturi essent, vel secus; nihil speciale ex parte eorum apparebat, quod ab eorum creatione retraheret magis, quàm à creatione aliorum, qui non peccarunt, & cæterarum creaturarum.

Nec dici potest, moraliter fuisse certum, 153
vt sicque cognitum à Deo, peccaturos fore Angelos, atque homines, qui de facto peccarunt; idque sufficere, vt Deus eorum peccatum præsciuisse dicatur; vtque dubitabile sit, cur præsciens illud hac ratione, ab ipsorum non detulerit creatione. Hoc, inquam, dici nequit: quia neque Angeli, neque primus homo (de quo potissimum loquuntur Patres) moraliter fuere ad peccandum prædeterminati, per talia videlicet principia, ex quibus cum morali certitudine eorum peccatum posset inferri. Angeli enim tum propter innatam perfectionem intellectus, & voluntatis, tum propter supernaturalia dona, quibus fuerant instructi, tum propter immunitatem à corporalibus passionibus, quibus carebant, quantùm est ex parte actus primi, longè propensiores erant ad benè agendum, quàm ad peccandum. Ob id enim *ægrè ad malum mobiles* appellat eos. Nazianzenus orat.de Christi Natiuitate versùs medium: quem sequitur Pantaleo Diaconus in Narratione miraculorum Archangeli Michaelis apud Surium die 29.Septembris. Ergo non fuerunt ad peccandum moraliter prædeterminati. Hæc enim prædeterminatio nihil est aliud, quàm longè maior propensio ex parte actus primi ad extremum culpabile, quàm ad oppositum. Deinde Angeli, qui peccarunt, & ex quibus alij ad supremam, alij ad mediam, alij ad infimam Hierarchiam spectabant, vt constans est sententia Doctorum in materiâ de Angelis, gratia physicè æquali præditi erant, æqualemque potestatem habebant ad non peccandum, atque alij, qui non peccarunt, vt expressè docet Anselmus in Dialogo de Casu diaboli cap.18. sub initium. Neque est, cur Deus ex se per dona gratiæ alios minùs, alios magis compotes, & expeditos ad benè agendum, & malum vitandum constituerit: maximè, cùm eis omnibus dona gratiæ iuxta mensuram, ac proportionem perfectionis naturalis distribuerit, vt docent Basil. lib. de Spiritu sancto cap.16. Damasc. lib.2. Fidei cap.3.& communiter Scholastici cum Magistro in 2.distinct.3.& S.Thom.1.par.quæst.62.artic.6. Pergo. Sed Angeli qui non peccarunt moraliter ad peccandum prædeterminati non fuerunt, vt notum est. Ergo nec, qui peccarunt. Et quidem alienum à diuinâ bonitate videtur, quòd Deus ex se, & citra vllam culpam Angelos, qui ceciderunt in eam peritiasim rerum, ac circunstantiarum conijceret, qua manerent ad peccandum moraliter prædeterminati, exemptis alijs, qui steterunt, à simili prædeterminatione. Si quando

do enim Deus permittit homines ita prædeterminari ad peccatum, id semper præstat in pœnam aliorum peccatorum. Præterea, si Angeli qui ceciderunt moraliter prædeterminati præextitissent, apertè ipsi cognouissent huiusmodi prædeterminationem, ex eâque cum certitudine morali cognoscerent sequendum peccatum perinde, ac cognoscebat Deus. Hoc autem est contra August. lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 17. & 23. & lib. de Correptione, & gratiâ cap. 11. Anselm. Dial. de casu diaboli cap. 21. Hug. Vict. 2. par. Sum. cap. 4. Mag. in 2. distinct. 4. & contra Scholasticos ibidem vnanimiter asserentes, Angelos non præcognouisse suum futurum casum. Alias, inquit Aug. infelices essent. Cùm tamen constet, eos in summâ felicitate possibili viatoribus creatos fuisse. Adde, aliud etiam absurdum inde sequutum iri, Deum videlicet non magis certò, quàm ipsos Angelos, eorum futurum casum præcognouisse.

154 Iam, quòd primus homo neutiquam fuerit ad peccandum prædeterminatus moraliter, non minùs certum est. Nam, vbi est magna, aut summa facilitas, atque potestas ad non peccandum, nequit esse moralis prædeterminatio ad peccandum, vt constat. Sed in primo homine, antequam ab statu Innocentiæ, Iustitiæque originalis caderet, magna, aut etiam summa erat facilitas, atque potestas ad non peccandum. Ergo nullam prædeterminationem moralem habuit in eo statu ad peccandum. Minor, quæ sola eget probatione, Augustini, & aliorum Patrum, atque omnium Scholasticorum est. Ille enim lib. 83. qq. quæst. 4. ait. *Deus ita optimè hominem fecit, vt, si vellet manere optimus, nullo resistente impediretur.* Et lib. 1. Retrac. cap. 15. longè post medium docet. *In Adamo fuisse summam potestatem abstinendi ab opere malo.* Et lib. 14. de Ciuitate Dei cap. 15. loquens de pœnâ peccati Adami ait. *Quisquis huiusmodi damnationem vel nimiam, vel iniustam putat, metiri profectò nescit, quanta fuerit iniquitas in peccando, vbi tanta erat non peccandi facilitas.* Similiaque habet alijs in locis. Vnde Scholastici communiter eamdem sententiam amplexi sunt cum Magistro in 2. distinct. 24. & 25. & S. Tho. 1. 2. quæst. 109. artic. 8. & 10. Magister enim, quem cæteri imitantur, sic habet cap. 7. *Hominem ante peccatum ad bonum nihil impediebat; ad malum nihil impellebat, tunc voluntas sine difficultate bonum appetere poterat.* Et sanè, si institutio voluntatis Adami in illo statu felici consideretur, potiùs ad bonum, quàm ad malum, videbitur ille pro tunc prædeterminatus moraliter. Ex quibus concluditur, scientiam, qua Deus à Patribus dicitur præscijsse peccata Angelorum, & primi hominis, antequam eos crearet, non de probabilitate, aut certitudine morali talium peccatorum, sed de peccatis ipsis fuisse. Idemque proinde dicendum esse de scientiâ, quam Deo attribuunt Patres cuiusuis alterius obiecti conditionati contingentis.

155 Propter hæc Curiel lib. 1. controuers. 7. artic. 2. num. 45. Ledesma disput. 2. de Scientia futurorum, & alij aliam ineunt viam, vt respondeant testimonijs Patrum. Dicunt enim, eos loqui de scientiâ, quam Deus habet de peccatis Angelorum, & hominum, non ante decretum eos creandi, sed ante exequutionem tantùm, & post decretum; quæ propterea non scientia conditionata, sed absolutâ dictorum peccatorum est. Cæterùm hæc solutio manifestè refellitur eo argumento, cuius non semel in superioribus mentionem fecimus. Patres quippe apertè loquuntur de scientiâ peccatorum, qua potuit Deus retardari, retrahique à creatione Angelorum, & hominum, nisi maioris boni ex ipsis peccatis sequendi rationes præponderarent, vt in eorum testimonijs cernere licet, & ad eorum institutum omnino necessarium erat. Ergo loquuntur de scientiâ præcedente decretum creationis, quæ alia à conditionatâ esse nequit, vt ipsi viderunt Aduersarij. Patet consequentia. Quia, suppositò decreto creationis, per nihil est impedibilis ipsa creatio. Confirmatur primò. Nam Patres frequentissimè docent, Deum motum esse ad creandum Angelos, & homines, non obstante, quòd erant peccaturi, propter alia bona, quæ præuidebat ex eorum peccatis sequenda. Ergo præscientia horum bonorum, atque adeò etiam peccatorum, propositio fuit motiui adæquati, quo nixum est decretum creationis; proindeque non potuit non antecedere ipsum decretum. Confirmatur secundò. Quia, si scientia talium peccatorum non anteiret decretum creationis prædictum, improuidè, aut saltem prouidentiâ minùs perfectâ conciperetur à Deo tale decretum. Quod dici non debet. Confirmatur tertiò. Nam valde ineptum esset, quærere, cur Deus creauit Angelos, aut homines præuidens eorum peccata absolutè futura; quandoquidem, tali scientiâ suppositâ, planè impossibile erat, eos non creare; & consequenter nec dubitabile, cur eos creauit. Perperam enim, & superuacaneè interrogaretur, cur Deus faceret id, quod non poterat non facere. Non igitur scientia absoluta de peccatis, sed conditionata est, quæ supponitur in eâ quæstione, & responsione Patrum. Sed quid immoror in re adeò certâ, & clarâ, vt necsit opus eam amplius confirmare, nec respondere ad argumenta, quibus se Aduersarij tuentur: quorum solutio ex dictis conspicua est. Videatur Ruiz disput. 65. sect. 7. Remitto ad quæstionem sequentem nouiorum Thomistarum expositionem, qui Patres interpretantur de scientiâ, qua Deus conditionata contingentia cognoscit non in se ipsis, sed in suo decreto aut prædefinitiuo eorum, aut permissiuo, nam isti iam scientiam certam, non verò solùm coniecturalem concedunt Deo, vt notabam supra.

Probatur propositio ex S. Thoma.

Ne falso pietatis, aut obseruantiæ titulo, 156
dum Thomistæ suum, & communem Magistrum defendere satagunt, cæteros Ecclesiæ Patres cogantur deserere, oportet in speciali ostendere, S. Tho. in re præsenti ne minimùm quidem discessisse à sententia Patrum, sed cum illis planè sensisse, Deum certò, & infallibiliter cognoscere futura contingentia conditionata. Imprimis enim, tacitè approbat, quod docet Magister de huiusmodi scientiâ, sæpe eam attribuens Deo in 1. distinct. 43. & in 2. distinct. 23. Deinde idem ipse docet expresè 2. 2. quæst. 165. artic. 1. ad 2. dicens. *Sicut Deus sciebat, quòd homo per tentationem in peccatum esset deijciendus, ita etiam sciebat, quòd per liberum arbitrium resistere poterat.* Loqui autem S. Tho. de scientiâ conditionatâ ex argumento sæpe repetito est manifestum: quia scilicet loquitur de præscientiâ peccati præuiâ ad decretum permittendi peccatum ipsum; vt constat ex argumento, ad quod respondet.

Præterea 1. par. quæst. 92. artic. 1. sic tertium

argumentum proponit. *Occasiones peccatorum sunt imputandæ. Sed Deus præscivit, quòd mulier esset futura viro in occasionem peccati. Ergo non debuit mulierem producere.* Vbi agi de scientiâ conditionatâ peccati, constat ex dictis nuper. Quam in responsione argumenti non negat S. Tho. quæ esset facilior, & magis obuia solutio, sed, eam supponendo, rationes adducit, cur nihilominùs expediens fuerit creatio Euæ. Eamdem supponit clare 1.par.quæst.23.art.5.in corp.quando impugnans sententiam dicentium, *Quòd merita sequentia prædestinationis effectum sunt ratio prædestinationis: vt intelligatur, quòd ideo Deus dat gratiam alicui, & præordinauit, se ei daturum; quia præscivit, eum benè vsurum gratiâ.* non negat id Deum præscivisse, quæ esset impugnatio obuia, & facilis; sed aliter raciocinatur contra talem sententiam. Vnde in responsione ad 1. ait. *Vsus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundum rationem causæ finalis.* Et rursus tractans eamdem rem quæst.6.de Veritate artic.1. pari ratione apertè sæpe supponit eamdem præscientiam vsus gratiæ, præsertim in responsione ad 1.& ad 7.

857 Insuper 3.par quæst.1.artic.5. ad 2 cum ex sententiâ Augustini lib.de Dono perseu.cap.11.dixisset S.Tho Tyrios, & Sidonios, Deo ipso testante, acturos pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum; ex eodem Augustino subdit, approbatque verba sequentia. *Sicut ait apostolus, non est volentis, nec currentis, sed miserentis Dei; qui bis, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subuenit: illis autem non subuenit, de quibus in suâ prædestinatione occultè quidem, sed aliud iustè iudicauit.* Vbi compertum est sermonem esse de scientiâ conditionatâ. In quæstione autem 24.de Veritate artic.14 in corp.ad finem ait S. Tho. *Omnes exteriores motus à diuinâ prouidentiâ moderantur secundùm, quòd ipse iudicat, aliquem esse excitandum ad bonum his, vel illis actionibus.* Ergo ante voluntatem Dei moderandi tales actiones videt Deus, esse aliquem ad bonum excitandum, si sic moderentur, quæ est scientia conditionata.

858 Denique S.Tho. 3.par.quæst.1.artic.3. ad 4. ait, *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.* Loquitur autem de præscientiâ etiam eorum futurorum, quæ sunt prædestinationis effectus, qualis est aliorum oratio ibi adducta in exemplum, vt ipse S.Tho.docuerat 1.par. quæst. 23.artic.8.quæ præscientia subinde non potest non esse conditionata. Qua item scientiâ esse quædam à Deo præscita, quæ ab ipso non sunt prædestinata, docet quæst.12.de Verit.artic.10. Et quidem, antequam Deus prædestinet hominem ad actus supernaturales, non potest non præscire tales actus à tali homine esse eliciendos, si conferantur ei talia media, aliàs eâco modo in huiusmodi prædestinatione procederet, expositusque periculo, vt ea frustraretur; quod longè alienum est à mente S.Thomæ, & à vera Theologiâ. Sed Deus iuxta S.Tho. non cognoscit conditionata hæc contingentia tantum coniecturaliter secundùm probabilitatem, aut etiam moralem certitudinem, qua inferuntur ex suis causis; sed certissimè secundùm verum *esse*, quod illa habent in se ipsis. Ergo sensit S.Tho. Deum certissimam scientiam habere conditionatorum contingentium. Minor ostenditur ex varijs locis Sancti Doctoris 1.par. quæst.14. artic.13. in corp. ait, *Vnde, quicunque cognoscit effectum contingentem in causâ suâ tantùm, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem. Deus autem cognoscit omnia contingentia non solùm, prout sunt in suis causis, sed etiam, prout vnumquodque eorum est actu in se ipso.* Eamdem doctrinam habet in 1. distinct. 38.quæst.vnica artic.5.in corpore & ad 5. Necnon quæst.1.de Veritate artic.12. in corp.& ad 9.& 1. contra Gent.cap.67. initio. & 2.2.quæst.171.artic. 6. ad 2. vbi ait, *Diuina præscientia respicit futura secundùm duo, scilicet secundùm, quòd sunt in se ipsis, in quantùm ipsa præsentialiter intuetur, & secundùm, quòd sunt in suis causis, in quantùm scilicet videt ordinem causarum ad effectus. Et quamuis contingentia futura, prout sunt in se ipsis, sint determinata ad vnum; tamen, prout sunt in suis causis, non sunt determinata, quin possint aliter euenire.* Idem repetit quæst.174.art.1. in corp. Itaque Deus duo cognoscit circa contingentia secundùm S. Tho. & probabilitatem, seu certitudinem moralem, quam illa habent in causis, & proprium *esse*, quod habent in se, siue hoc sit conditionatum, siue absolutum.

Ex quo patet primò, S.Tho. non attribuisse Deo scientiam tantùm coniecturalem contingentium conditionatorum, vt Thomistæ, quos impugnamus voluerunt; id quod etiam ex alijs testimonijs citatis constat. Ex quibus etiam argumenta desumi possent contra hanc illorum expositionem, quæ desumpsimus contra eamdem ex cæteris testimonijs aliorum Patrum. Secundò patet pro his, quæ dicemus quæst. 7. Deum futura conditionata contingentia iuxta S.Tho. non in decreto prædeterminatiuo, aut in prædeterminatione cognoscere vi necessariæ illationis, qua ex talibus principijs illa inferuntur, sed in se ipsis immediatè. Tum illa neutiquam prædefiniri, atque prædeterminari à Deo per tale decretum. Nam aliàs contra doctrinam S.Tho. non essent in suis causis indifferentia, ita, vt possent aliter euenire, sed prorsus determinata ad vnum, vt est manifestum. Quæ omnia præterea pluribus alijs testimonijs Doctoris Angelici venient infrà confirmanda dictâ quæst.7. à num.210. 159

Accedat huc Aristot.lib.7.Ethicorum ad Eudemum cap.17.& 18.tribuens bonæ fortunæ (quæ apud ipsum est Deus) felicitatem, quam homines ex electione liberâ sibi acquirunt medijs cogitationibus primis, ac prorsus indeliberatis, quas ab ipsâ bonâ fortunâ, siue Deo accipiunt. Hæc enim prouidentia Dei supponit ex mente Arist. scientiam conditionatam, eamque certissimam euentuum contingentium ex talibus cogitationibus prouenturorum, vt satis colligitur ex eius contextu. Cui consonant etiam cæteri Philosophi antiqui; imo & Poetæ, vt videre est apud Ciceronem lib.1.de Diuinatione prope medium num.59. Venio iam ad probandam à ratione doctrinam nostræ propositionis. 160

Probatur propositio à ratione.

Sitque ratio prima à priori, quæ ex fundamento iacto supra quæst. 3. manifestè conficitur. Ibi enim satis apertè demonstrauimus, propositionem conditionalem non illatiuam veram, aut falsam esse determinatè; & consequenter obiectum eius, quale est conditionatum contingens, de quo in præsentiarùm sermo est, non posse non 161

etiam

etiam habere veritatem, aut falsitatem determinatam. Ergo impossibile est, vt Deus certissimam scientiam non habeat de contingente conditionato, si est verum, aut, si est falsum, de eius contradictorio, quod eo ipso verum erit. Patet hæc consequentia. Quia Deus, vtpote infinitè, ac perfectissimè cognoscitiuus, non potest non certissimam scientiam habere de quolibet obiecto scibili, seu cognoscibili, quale citra omne dubium est omne obiectum verum.

162 Secunda ratio veluti à posteriori ex perfectione diuinæ prouidentiæ desumitur. Eo enim perfectior euadit prouidentia, quò certiùs præuidet Prouisor euentus ex rebus agendis conditionatè prouenturos, vt est notissimum. Ob id enim apud homines ille aptior ad gubernationem censetur, quis agaciore instinctu futura contingentia præsentit; quo & præcauere mala, & promouere bona possit. Sed Deus summè perfectam prouidentiam habet. Ergo non potest non habere præscientiam summè certam de euentibus conditionatè futuris. Confirmatur primò; nam Gubernanti sine certâ præscientiâ euentuum futurorum non possunt non plurima præter spem euenire, nec potest non sæpe cæco quodam modo veluti tentando procedere; quandoquidem sæpe dispositio rerum, & occurrentes circumstantiæ non plus ad vnum extremum, quàm ad oppositum coniectandum inclinant. Sæpe etiam propterea accidit, vt media adhibita frustentur à finis præintenti consequutione, aut saltem frustrationi euadant exposita; quæ omnia passim in conuictu humano cernuntur. Sed ea manifestam imperfectionem præseferunt indignam Deo. Ergo Deus non scientia coniecturali conditionatorum euentuum, qualem ei Aduersarij appingunt, sed prorsus certâ, & infallibili in Mundi gubernatione dirigitur. Ob id enim dicit Ecclesia in oratione dominicæ 7. post Pentecostem. *Deus cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur.* Confirmatur secundò; quia prædestinatio diuina, atque etiam reprobatio secundùm constantem Patrum, atque Theologorum sententiam fundatam in sacris Scripturis certissima est, & infallibilis; ita, vt sit prorsus impossibile in sensu composito, prædestinatum non saluari, & reprobum non damnari vt in Tract. de prædestinatione abundè monstrabimus. Sed huiusmodi certitudo sine omnimoda certitudine scientiæ conditionatorum euentuum stare non potest, vt ibidem etiam ostendemus. Ergò. Confirmatur tertiò; quia indignum prorsus est Deo, ab eiusque sapientiâ prorsus alienum, nescire, quantum sit beneficium, quod homini conferre decernit, dum illud decernit conferre. Nesciret autem si ante tale decretum non haberet scientiam de effectibus à tali dono collato oriundis sub hypothesi collationis eius; quandoquidem ab effectibus prouenturis ex dono conferendo venit potissimùm taxanda æstimabilitas, maioritasque, aut minoritas eius sumpti in ratione beneficij, vt est manifestum.

163 Tertia ratio sit ab absurdo. Quia, si Deus de conditionatis contingentibus certissimam scientiam non habet, sequitur, eum minorem notitiam eorum, quàm homines habere; imo potiùs nullam habere; cùm tamen homines sæpe aliquam habeant. Quorum vtrumque valdè absurdum; imo & contrarium fidei est. Id autem sequi, clarè ostenditur. Quia, cùm Deus ex connexione morali, aut probabili conditionis ad iudicandum conditionatum determinari non possit, sicuti possunt homines, vt supra quæst. 5. propos. 5. statuimus; quantumuis certiùs, quàm nos, talem connexionem cognoscat Deus, quando datur, ast de conditionato ipso plus nos scimus, quàm ipse; quandoquidem nos tale conditionatum fore, iudicio probabili, aut etiam certo moraliter iudicamus; qualiter Deus illud iudicare non potest. Accedit, quòd, quando deest dicta connexio, ita, vt conditio æqualiter sit indifferens ad vtrumuis, sicut nos neque coniectando possumus cognoscere conditionatum, ita Deus ne coniecturaliter quidem iuxta phrasim Aduersariorum poterit dici illud cognoscere. Quo fiet, vt illud absolutè ignorare dicendus sit. Quod est maius absurdum. Adde, impertinentem esse actionem gratiarum Deo factam, quòd hominem è vita rapuerit, ne malitia mutaret intellectum eius, si Deus non prænouit re ipsâ mutandum casu, quòd diutiùs viueret. Frustraneas preces, vt hoc, aut illud vitæ, vel status, vel muneris genus auertat Deus, quod præscit nociturum. Fucatam humilitatem, & falsam persuasionem, qua omnes sapientes, & insipientes naturæ ductu conditionatorum contingentium sibi ignorantiam, & Deo scientiam certam passim attribuunt, dicentes. Quid mihi in tali, vel tali casu accideret, nescio, Deus scit. Præterea, quis audeat asserere, Deum responsurum esse, *Nescio*, si quis de tali, vel tali statu amplectendo, vel reijciendo deliberans ipsi interrogaret, *Domine si hunc statum elegero, benè mihi electio succedet? an secus?* Quod vtique solum posset Deus respondere, nisi de bono, vel malo successu talis electionis ex hypothesi, quod illa fiat, certam scientiam haberet. Demum, nesciret Deus, quænam ex nostris opinionibus conditionatis probabilibus vera, & quænam falsa esset: proindeque neque controuersias nostras componere, vel decidere posset. Quæ omnia quàm sint absurda, nemo non videt.

Quarta ratio à simili desumi potest. Quia 164
fide sanctum est, Deum futura contingentia absoluta certissimè, & absque omni ambiguitate cognoscere, quantumuis sint indifferentia principia, à quibus illa absolutè futura sunt. Ergo certissimè quoque dicendus est cognoscere contingentia conditionata, quantumuis etiam sint indifferentia principia, à quibus illa futura sunt conditionatè. Si enim ad certam veritatem, cognoscibilitatemque priorum indifferentia principiorum non obest, neque ad certam veritatem, cognoscibilitatemque posteriorum obesse debet. Et, si ad priorum veritatem prædeterminatio aliqua principiorum est necessaria, ad veritatem quoque posteriorum necessaria erit, vt consequentiùs dixerunt alij Thomistæ quæstione sequente impugnandi.

Quinta ratio inconsequentiæ arguit Tho- 165
mistas, cum quibus modò pugno. Cùm enim ipsi censeant, futura contingentia à causis creatis oriunda neutiquam oriri posse ab illis non prædeterminatis physicè per qualitatem connexam cum ipsis futuris, inconsequenter abnegant Deo scientiam metaphysicè certam huiusmodi contingentium conditionatorum, concedentes solam coniecturalem. Nam si ex parte hypothesis eorum simul cum alijs causis indifferentibus physica prædeterminatio ponatur, iam illatio ab antecedente ad consequens infallibilis metaphysicè erit; quo fiet iuxta eorum principia, vt Deus

non

non possit non cognoscere consequens, quod est conditionatum contingens, per scientiam metaphysicè certam. Si verò ex parte hypothesis negatio prædeterminationis ponatur, quantumuis reliquæ causæ positæ in eadem hypothesi ad effectum conditonatum moraliter videantur inclinatæ, illatio ad illum omnino improbabilis erit; cùm ille à nulla dispositione causarum absque physicâ prædeterminatione possit vllo modo procedere: atque ita tantùm aberit, vt Deus ex tali hypothesi per scientiam coniecturalem cognoscat, effectum conditionatum moraliter tantùm, aut probabiliter futurum, quòd potiùs per scientiam omnino certam cognoscet certissimè, fore eius contradictorium. Quòd autem ex parte hyppothesis conditionati contingentis simul cum reliqua causarum congerie possit poni physica prædeterminatio, aut negatio eius indubitabile est. Ex quo patet, in istis saltem duobus casibus nullatenus iuxta principia Thomistica posse negari Deo scientiam metaphysicè certam, aut effectus conditionati, aut negationis eius. Est tamen tertius casus possibilis, in quo ex parte hypothesis contingentis conditionati tum à prædeterminatione physicâ tum ab eius negatione præscindatur iuxta doctrinam datam à nobis supra quæst. 4. Sed in hoc casu, quemadmodum vix ex causarum dispositione poterit colligi probabiliter, vtrùm Deus sit collaturus, aut negaturus prædeterminationem; (quia Deus ad eam conferendam, aut negandam causis liberis iuxta Aduersarios per earum præuiam dispositionem induci non solet); ita vix probabile erit, vtrùm effectus conditionatus, qui iuxta eosdem fine causæ prædeterminatione à parte rei esse non potest, ex tali hypothesi sit vnà cum prædeterminatione ipsâ futurus, vel secus. Quo ex alio capite non superest scientiæ coniecturali locus, prout constat ex dictis.

166 Restabat hìc, argumenta diluere, quæ contra statutam propositionem obijciunt Aduersarij. Verùm, quia ea aptiorem locum habebunt infra ad calcem quæstionis sequentis simul cum alijs, quæ contra scientiam mediam, quam nos circa prædicta contingentia conditionata adstruimus, solent opponi, idcirco illuc ea remitto.

Propositio 2.

167 **Scientia conditionatorum contingentium non eminenter, aut metaphoricè dumtaxat, sed verè, formaliter, & propriè reperitur in Deo.**

Hæc propositio directè est contra Nauarrete, qui oppositam contra omnes Theologos ausus est pronunciare, vt n. 168. notabamus. In quo vel à suis etiam reprehenditur, vt videre est apud Blasium Berdù Relectione contra scientiam mediam pag 13. Et meritò quidem. Quia, si Deus eminenter solùm, aut metaphoricè haberet scientiam conditionatorum contingentium, simpliciter, & absolutè dici posset ea non cognoscere. Quod planè Scripturæ, & Patribus, atque Theologis aduersatur. Quemadmodum simpliciter, & absolutè est verum, Deum non esse leonem, neque ignem: tametsi eminenter sit leo, & ignis; leoque etiam, & ignis per metaphoram dici possit. Deinde, rogo à Nauarrete. Quando Deus reuelauit Dauidi 1. Reg. 23. descensurum Saul in Ceilam, & ipsum tradendum esse à Ceilitis, ni fugeret, Aut iudicabat Deus, fore sub eâ conditione, quod respondebat. Aut non iudicabat. Si iudicabat. Ergo habebat scientiam formalem, & propriam illius contingentis conditionati: nam quid est formalis, & propria scientia, nisi iudicium, seu assensus obiecti? Si non iudicabat. Ergo nesciebat, quid diceret, temerèque se exponebat periculo mentiendi, affirmando, quod non sciebat. Quæ sunt immania absurda. Præterea, cùm dicat Nauarrete, eatenus Deum eminenter solùm, aut metaphoricè habere scientiam conditionati contingentis, quatenus cognoscit causas, aut effectus, ex quibus illud probabiliter potest inferri à nobis, omnemque nostræ cognitionis præhabet perfectionem, re quidem ipsâ non discedit à suis; audaciùs tamen, quàm illi, loquitur, denegans Deo omnem formalem, & propriè dictam scientiam conditionatorum contingentium; ne illam, quam reuerà concedit, coniecturalem scientiam eiusmodi obiectorum appellet, vti appellarunt reliqui. Quare argumenta omnia à nobis contra illos producta contra ipsum etiam militant Nauarrete. In eo tamen hic auctor parcendus est, quòd bene vidit, scientiam coniecturarum moraliter, aut probabiliter inferentium futurum conditionatum, quam solam ipse, & sui tribuunt Deo, reuerà non esse scientiam ipsius futuri, atque adeò iuxta suam, suorumque sententiam Deum reuerà nullam habere scientiam formalem talis futuri. Quod est absurdum sæpe ex sentiâ Thomisticâ à nobis illatum. Palam verò, & ex intentione ab vno ipso Nauarrete, cæteris omnibus refragantibus, deuoratum.

Propositio 3.

168 **Conditionata contingentia, de quibus hìc agimus, non scientiâ illatiuâ vi alicuius connexionis conditionis cum conditionato, atque adeò neque in conditione ipsâ, aut ex conditione; sed scientiâ coniunctiuâ, atque adeò in ipsismet cognoscit Deus.**

Quoniam conditionata contingentia, de quibus hìc agimus, de conditione sunt metaphysicè indifferente ad vtrumuis, atque adeò cum neutro eorum connexa metaphysicè. Constat autem ex doctrinâ datâ supra quæst. 5. & sæpe alias repetitâ, quando conditio indifferens est metaphysicè, neutiquam posse Deum illatiuè vi connexionis cognoscere in illâ, aut ex illa conditionatum, sed debere cognoscere illud coniunctiuè in ipsomet. Quomodò autem adhoc, vt Deus huiusmodi conditionata certò cognoscat, non opus sit aliquo ipsius decreto metaphysicè connectente conditionem, alias indifferentem, cum conditionatis ipsis, quæstione sequente monstrabimus contra Thomistas reliquos.

169 Dixi tamen vi connexionis alicuius conditionis cum conditionato non cognoscere Deum conditionata, de quibus agimus, in conditione, aut ex conditione, sed in ipsismet. Quia alijs titulis aut comprehensionis conditionis, aut connotationis conditionati, nihil est, quod vetet, Deum illa, præterquàm in ipsismet, insuper in conditione, aut etiam ex conditione cognoscere, iuxta doctri-

doctrinam suppositam quæst. 5. propositi. 3. & 5. ex dictis latiùs disp. 23. quæst. 4. 6. & 7. & disp. 27. quæst. 6. & 7. De qua iterum redibit sermo infra q. eq. n. 258.

QVAESTIO VII.

Vtrùm Deus cognoscat contingentia conditionata ante omne decretum actu existens suæ voluntatis. Aut etiam independenter à quouis alio decreto eorum prædefinitiuo.

170 STatutâ iam in Deo scientiâ omnino certâ, & infallibili conditionatorum contingentium contra Thomistas antiquiores, acris adhuc nobis superest cum notioribus controuersia. Hi enim conuicti testimonijs Scripturæ, & Patrum, rationibusque, quibus Nostrates rem hanc præmebant, auitam illam Suorum sententiam de scientiâ solùm coniecturali prorsus dereliquerunt, certamque iam, & infallibilem scientiam omnes attribuunt Deo huiusmodi futurorum conditionatorum. Addunt tamen, illa non in se ipsis cognosci à Deo, sed in decreto, quod Deus habet circa illa conditionatum ex parte obiecti, absolutum tamen ex parte actus. Quo nimirum Deus actu, & absolutè illa decernit, ac prædefinit, volens tamen, non vt sint absolutè, sed vt sint, si talis conditio posita fuerit. Ita docent Cabrera sibi non constans 3. p. quæst. 62. art. 1. disp. 13. §. &c. Aluarez, Zumel, Nazarius, Zanardus, Gonzalez, Machin, Cursus Carmelitanus, Ioannes à S. Thom. Marcus Serra, Hieronimus Perez, Rispolis, Verdu. Martinez del Prado, Iosephus à S. Mariâ, & Daulla citati supra n. 108. Allegatique pro hac sententiâ cum alijs vsque ad 70. & amplius à Hieronimo Vitles in suâ illâ disp. 19. de Primatu diuinæ libertatis. Quorum tamen multos falsò ab illo pro tali sententiâ allegari, distincte ostendit noster Borrull. disp. 5. de Scientiâ media sect. 3.

171 Scire autem oportet, decretum hoc, quod Thomistæ ponunt in Deo conditionatum ex parte obiecti prædeterminatiuum esse in suo genere, sicut est decretum absolutum, quo Deus in eorum sententiâ omnes actus humanos prædefinit; ac prædeterminat, & vniuersim omnes effectus causarum secundarum; decernendo scilicet, & prædeterminare causam per aliquid ei physicè impressum, ab ipsaque prorsus ineuitabile, atque essentialiter connexum cum actu secundo, & simul ad ipsum actum secundum cum illâ concurrere. Hoc enim ipsum censent decerni à Deo per dictum decretum conditionatum pro casu, quo ponetur conditio. Tale autem decretum ideircò ponitur à Thomistis vt necessarium in re præsenti; quia veritas conditionata cognoscenda à Deo (quæ apud ipsos in illatione necessaria consequentis ex antecedenti consistit) sine aliquo connectente necessariò antecedens cum consequente constare non potest: hanc autem connexionem ipsum decretum præstat. Quia posito, quòd Deus prædefinierit Tyriorum, ac Sidoniorum pœnitentiam sub conditione, quòd apud ipsos tales virtutes fierent, per necessariam consequentiam infertur, eos pœnitentiam acturos, si tales apud eos virtutes fierent: quandoquidem, positâ tali conditione, nullatenus decretum frustrari posset effectu suo prædefinito. Cæterùm, quia ad connexionem necessariam conditionis, alias indifferentis, cum actu contingenti conditionato satis est, quòd ex parte hypothesis simul cum conditione ipsâ ponatur obiectiuè decretum prædefinitiuum ipsius actus, ideo nonnulli ex relatis Thomistis arbitrati sunt, vt Deus cognoscat futurum contingens conditionatum, opus non esse, quòd habeat decretum actu existens, ac prædefiniens illud sub conditione, sed sufficere quod ex parte obiecti simile decretum ponatur. Ita Cabrera supra disp. 12. num. 169. vbi ait, *Veritas conditionalium non pendet à determinatione diuinæ voluntatis in re positâ, sed tantùm in esse obiectiuo sub conditione conceptâ.* Quod etiam docet num. 208. 209. & 290. Licèt postea disp. 3. §. 5. citato dicat, *quòd Deus cognoscit futura conditionata in prædeterminatione suæ voluntatis, quatenus illa prædeterminauit, ac decreuit, non vt sint, sed vt essent, si tales causæ, & conditiones apponerentur.* Consentit Rispolis quæstione illa 1. citatâ conel. 2. & Zumel tom. 1. Variarum pag. 102. & 140. dicens, *prædefinitio potest præsupponi, non in exercitio tanquam actus re ipsâ existens in Deo, sed solùm obiectiuè.* Quod ipsum tanquam probabile defendit Machin disp. 34. sect. 2. Estque sententia Dominici Bann. 1. p. quæst. 23. in posteriori edit. ad 3. §. *Ad motiua.* Negant præterea prædictum decretum actu existens in Deo, quotquot solam scientiam coniecturalem de prædictis conditionatis ipsi Deo attribuunt citati supra q. 6. n. 108. Reliqui verò indispensabiliter illud videntur requirere; quando in eo solo dicunt posse à Deo cognosci eiusmodi conditionata certò, & infallibiliter.

At Nostri omnes, vt ex Externis cæteri 172
non prædeterminantes prorsus reijciunt à Deo eiusmodi decreta. Constanterque docent, illa (estò citra dispendium libertatis possibilia forent, quod negant) neutiquam necessaria esse ad scientiam Dei conditionatam de obiectis contingentibus; quippè quæ in se sunt vera, & incognoscibilia independenter ab omni decreto prædefinitiuo, ac prædeterminatiuo eorum. Ita Bellarm. lib. 2. de Amissione gratiæ cap. 17. & sæpe alibi Fonse. lib. 6. Metaph. cap. 2. quæst. 4. sect. 8. & 9. Molin. 1. p. q. 14. art. 13. disp. 14. 15. 17. & 18. & in Concord. disp. 47. 48. 49. & 50. Valent. 1. p. quæst. 14. disp. 1. pun. 5. Soar. in Opusc. toto lib. 2. de Scient. condit. & tom. 1 in 3 p. disp. 5. sect. 1. & tom. 1. de Gratiâ Proleg. 2. sæpeque alibi, Lessius opusc. de Auxil. à cap. 18. Vazq. 1. p. disp. 67. Arrub. disp. 42. & 46. Becan tract. 1. cap. 10. q. 9. 11. & 12. Ruitz. tom. de Scient. disp. 70. & sequentibus. Fasol. 1. p. q. 14. art. 13 dubit. 13. & sequentibus. Henrie. tract. 1. de Scient. disp. 7. Gran. tract. 5. disp. 4. & 8. Mærat. disp. 28. Tann. disp. 2. q. 6. Alarc. tract. 2. disp. 4. Arriaga 1. p. disp. 21. Vekenus disp. 19. Carleton. disp. 14. Et cæteri Nostri, quos vsque ad 100. & amplius referunt Henao in suo Defensorio pro scientiâ mediâ Euentil. 17. & Borrull. disp. 5. de Scientiâ mediâ sect. 4. Præter innumeros ex externis, quos prolixum esset, & superuacaneum recensere, postquam longos eorum syllabos confecerunt Henao, & Borrull locis citatis, & ante eos noster Baeza tom. 3. in Euang. lib. 14. cap. 16. §. 35. Paulus Leonardus in suo Opere de Scientiâ mediâ tum alibi,

alibi, tum maximè 3. p. sect 10. & alij. Certè Henao ibid. 55. Doctores recenset, eosque grauissimos, & notissimos ex eorum Classe, qui post Molinam, eiusque Concordiam diuulgatam Societatis nostræ doctrinæ de scientiâ mediâ, & auxiliis, atque adeò nostris Doctoribus adhæserunt. Præter antiquiores, qui in eiusdem Societatis nostræ placitis ante Molinam steterunt, quorum vsque ad 28. ferme recenset Henao ipse in eadem Euentilat. 17. vbi videri poterunt. Huiusmodi autem Doctores sententiæ nostræ nequaquam negant, vt malè eis imponunt nonnulli Thomistæ, huiusmodi futura conditionata, quando ea sunt entia creata, & positiua, conditionatè dependere in suo esse ab aliquo decreto Dei, vt sicque dependentia cognoscit à Deo ipso. Aiunt tamen, tale decretum ex parte obiecti conditionati, non verò existens actu poni debere: illudque respectu effectuum liberorum voluntatis creatæ aliud non esse à decreto concurrendi cum illâ: quod longè abest in eorum sententiâ, vt sit prædeterminatiuum, quale à Thomistis ponitur. De quo præter notata iam supra q. 4. plura in tract. de Prouidentiâ dicenda sunt.

173 Alia præterea posset in hac quæstione sententia excogitari, quæ, retento eo fundamento Thomistico de connexione antecedentis cum sequente requisitâ ad veritatem conditionatam, poneret ad talem connexionem inducendam in conditionatis, de quibus agimus, decretum Dei prædefinitiuum eorum, non tamen prædeterminatiuum, ineuitabileque ab arbitrio creato, quale est Thomisticum, sed purè intentiuum, & euitabile, quale ab alijs Theologis citra iacturam libertatis admitti solet. Et hoc vel actu existens in Deo, tendensque in ipsa conditionata sub conditione, vel obiectiuè tantùm se habens ex parte hypothesis eorum. Quam quidem sententiam videtur sequutus Guillelmus Estius in 1. dist. 41. §. 6. collato cum §. 10. & 11.

Propositio 1.

174 **Deus obiecta contingentia conditionata certissimè cognoscit independenter ab omni decreto actu existente suæ voluntatis, quod sit prædefinitiuum sub conditione, ac prædeterminatiuum eorum.**

Hæc propositio directè est contra Thomistas paulò ante citatos. De cuius comparatione cum eorum sententiâ videantur, si placet, Annatus in suo Opere de Scientiâ mediâ disp. 4. cap. 4. Paulus Leonardus in suo Defensorio pro scientiâ mediâ p. 2. sect. 18. Et Gabriel Henao in suo Euent. 14. & 15. & in Appendice ipsi addito à P. Raynaudo. Nosque pergamus ad probandam propositionem, diuisâ distinctionis gratiâ probatione per quædam capita.

Probatur propositio ex Scripturâ.

175 Loca Scripturæ, quibus certam in Deo scientiam contingentium conditionatorum stabiliuimus quæst. 6. efficaciter etiam probant, huiusmodi scientiam independentem esse à decreto, quod adstruunt pro illâ Thomistæ. Primò enim est certum, stante scientiâ Dei, quam talia loca prædicant, illæsam prorsus manere libertatem arbitrij creati in ordine ad eos actus, qui per eamdem scientiam præsciuntur futuri. Sed decretum prædeterminatiuum Thomisticum tum per se, tum per prædeterminationem physicam, quam secum fert, prorsus euertit libertatem actus, quem prædefinit, vt latè à nostris Doctoribus probatur in tractatu de Auxilijs. De quo nos etiam agemus infra in tractatu de Prouidentia Dei. Ergo scientia Dei, quam prædicant loca Scripturæ, neutiquam supponit decretum, quod Thomistæ adstruunt.

Deinde ea loca, in quibus prædicitur peccatum aliquod sub aliqua conditione futurum, vt sunt secundus, tertius, sextus, & alij ex relatis quæst. 6. à num. 113. eo ipso respuunt decretum prædeterminatiuum futuri præcogniti à Deo; nam Deus nullatenus potest prædeterminare adhuc sub conditione peccatum futurum. Ergo scientia Dei, quam præseferunt huiusmodi loca, aliena est à tali decreto, ac prorsus independens ab illo. Quod autem Deus nec absolutè, nec sub conditione possit prædeterminare peccatum, non dico quod ad formalem malitiam solùm, id enim est de fide, sed neque quoad materialem actionem, cui malitia est annexa, modò probandum non est, sed supponendum. Probant id Nostri Doctores varijs in locis, ostendentes, ex tali prædeterminatiuo decreto multa, & ingentia absurda sequi aliena à sanâ doctrinâ, & indigna Deo, vt esse eum amatorem, auctoremque malitiæ peccati, & similia. Adde, decreta prædeterminatiua huiusmodi prauarum actionum specialem præseferre absurditatem in re præsenti. Nam, quòd Deus absolutè prædefiniat, ac prædeterminet actiones physicas peccatorum, quæ de facto fiunt, necessarium forsitan posset videri ad implendum murus causæ primæ, atque adeò excusabile, & honestum respectu Dei: at, quòd Deus ipse intra se anticipatè, & nullâ id causâ secundâ absolutè exigente, tot actiones pranas conditionatè decreto prædeterminatiuo decernat, quot sub conditione futuras videt in infinitis combinationibus hominum, negotiorum, circunstantiarum, Mundorum possibilium, &c. alienum prorsus est à perfectione, & sanctitate diuinæ voluntatis, & ei repugnans, vt ex se apparet. 176

Cæterùm, quia nonnulli ex relatis Thomistis huiusmodi prædeterminatiua decreta actionum prauarum formidant, easque concedere non audent, (satis profectò inconsequenter ad sua principia), ne cum reliquis in absurda, quæ ex illis inferuntur, cogantur; scire oportet, istos, dum ad præsentem quæstionem veniunt, neque inueniunt decreta prædeterminatiua, in quibus Deus peccata futura sub conditione cognoscat, ad decreta permissiua talium peccatorum confugere, in illisque asserere Deum cognoscere peccata ipsa. Verùm effugium hoc facilè eis præcludi potest. Nam decretum permissiuum peccati, quod ipsi ponunt, præterquàm quòd etiam tollit libertatem ad non peccandum, eadem fere absurda fert secum, ac decretum prædeterminatiuum, quod negant, vt suo loco ostenditur: cùm non possit non esse decretum denegandi prædeterminationem requisitam ad non peccandum, & eam conferendi ad peccandum: quod satis est, vt Deus sit amator, & auctor peccati; estò directè non prædefiniat actionem pranam. Accedit, quòd habere Deum actu decreta permittendi omnia peccata, quæ fierent in omnibus 177

Mun-

Mundis possibilibus, casu, quòd illi crearentur, ex se apparet absurdum.

178 Præterea, licet huiusmodi decreta conditionata possibilia sint Deo, in eo tamen absque necessitate, vel vtilitate aliqua non sunt adstruenda de facto, vt ponderabimus infra à num. 218. Sed sæpesæpius vt minimùm nulla apparet vtilitas ad adstruenda decreta conditionata de eis obiectis, quæ in Scripturâ reuelantur. Ergo non sunt asserenda in Deo talia decreta, atque adeò independenter ab illis dicendus est Deus cognoscere eiusmodi obiecta. Nec dici potest, ea saltem vtilia esse, vt fiat verum, & cognoscibile, quod alias sine illis tale non esset; nam iste non est sufficiens titulus ad multiplicanda decreta Dei: alias dici posset Deus absolutè decreuisse alios Mundos, vt intellectus diuinus haberet plura, quæ cognosceret: quod est absurdum. Quòd autem veritates, quas Scriptura reuelauit, sine talibus decretis constare possint, ex dictis hìc, & dicendis satis compertum fiet. Adde, sæpe repugnare Deo decreta de obiectis conditionatis, quæ Scriptura prædicit, vt infra etiam apparebit.

179 Denique, vt Deus cognoscat futura contingentia absoluta, quæ Scriptura sacra prædicit, nullo eget decreto predefinitiuo, nedum prædeterminatiuo, quod sit medium ipsum determinans ad certam cognitionem eorum, vt constat ex doctrinâ traditâ disputat. 27. quæst. 7. propositi. 1. Ergo nec simili decreto egebit ad cognoscenda contingentia conditionata, quæ Scriptura ipsa sacra prædicit.

180 Postremò, quoties conditionatum prædictum in sacrâ Scripturâ est actus voluntatis diuinæ, vt sæpe contingit, dici non potest, illud in decreto Thomistico præsciri à Deo: quia Deus non prædefinit suos actus, nedum ad illos prædeterminat suam voluntatem. Quòd si dicatur res inaudita, nempe Deum etiam suos actus prædefinire reflexè, circa ipsam reflexam prædefinitionem, quæ æquè ac directus actus est cognoscibilis conditionatè, reddit argumentatio, cuius vis sanè ne deuorato quidem infinito progressu reflexarum prædefinitionum declinatur, vt etiam ponderabimus infra.

181 Sed videamus iam in particulari quomodò prædicta decreta cum aliquibus Scripturæ locis ex ijs, quæ supra commemorauimus cohærere non possint. Sitque primus sextus ille num. 117. adductus ex cap. 4. Sapien. *Raptus est, &c.* Vbi scientia de mutatione, ac peruersione iusti sub conditione, quòd morte non præueniretur, sed ampliùs viueret, supponitur. Ex quo sic. Si Deus, antequam decerneret iustum è vita rapere, prædefiniisset quoad materiale lapsum eius futurum sub conditione, quòd ampliùs viueret, aut saltem, illum permittere ineuitabiliter, decreuisset; certè non diceret Scriptura absolutè. *Placita enim erat Deo anima illius. Propter hoc properauit, educere illum de medio iniquitatum.* Quo enim pacto dici posset properasse educere illum de medio iniquitatum, qui priùs conditionatè saltem decreuisset, illum inducere in periculum omnino certum, atque ineuitabile iniquitatis, qualis est prædeterminatio, vel permissio Thomistica? Et quomodò placita erat Deo absolutè anima, cui tantum malum anticipatè præparauerat sub conditione ab ipsâ non dependente? Satiùs profecto fuisset Iusto, & signum maioris amoris Dei, sublato decreto conditionato eum destinantè ad peccatum, & cum eo sublato periculo postea peccandi, diutiùs in vitâ conseruari, quàm præmaturè rapi ad euadendum ipsum periculum, in quo independenter à suâ voluntate à Deo ipso indeclinabiliter constitutus manebat. Adde, decretum hoc conditionatum circa lapsum iusti futurum malè cum eius prædestinatione cohærere, præsertim in Thomistarum sententiâ, qui prælectionem ad gloriam ponunt ante præuisa merita. Nam quo titulo decerneret Deus sub conditione longioris vitæ quidpiam connexum essentialiter cum lapsu, & impœnitentiâ finali eius, cui efficaciter decreuerat dare gloriam, cuius consequutioni repugnat ipsa finalis impœnitentia? Id enim, quod repugnat consequutioni finis præintenti efficaciter, sicut non potest absolutè decerni efficaciter; quia hæc duo decreta essentialiter opponuntur, vt constat; ita frustraneè, & impertinenter decernetur sub conditione, cuius purificatio est impossibilis, supposito priori decreto. Imo fortasse amor efficax obiecti conditionati sub conditione impossibili impossibilis est saltem in Deo, vt infra tangemus. Supposito autem decreto gloriæ obtinendæ per perseuerantiam finalem, decretum conditionatum de aliquo repugnanti tali perseuerantiæ, amor efficax esset obiecti conditionati sub conditione impossibili. Rursus adde, dum dicit Scriptura. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius*; apertè significare, periculum cadendi imminens iusto, si ampliùs viueret, imprimis nondum esse de præsenti, sed fore; deinde aliunde, quàm à Deo, prouenturum, nempe à malitia Mundi, & Diaboli; præterea, tale periculum ex se non inferre indefectibiliter lapsum, sed hunc contingenter prouenturum ab arbitrio illius hominis illecto tentationum vi, & energiâ. Ob id enim Augustinus exponens hunc locum sæpe dicit, Raptum esse hominem, *vt tentationum subtraheretur incerto*. Vt videre est lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 14. initio, & alibi. Sed, si Deus haberet decretum conditionatum Thomisticum connexum essentialiter cum lapsu hominis futuro, à Deo ipso crearetur homini periculum, iamque illud de præsenti adesset; nam quod maius periculum, quàm tale decretum? ex quo etiam certò, & infallibiliter lapsus inferretur futurus, si homo non raperetur ex hac vitâ; subindeque, ille non vt *incerto*, sed vt certo tentationum subtraheretur, à Deo rapi dici posset. Igitur locus Scripturæ, quem versamus, clarè significat, Deum neutiquam habere decretum, quod ei tribuunt Thomistæ. Denique adde, per huiusmodi decretum eximiè minui suauitatem prouidentiæ Dei, beneficentiæque eius magnitudinem erga Iustum, quam tantopere Scriptura toto illo cap. 4. Sapientiæ aduersus impiorum calumnias commendare conatur, vt satis ex se est notum. Quo fit, vt tale decretum ab intentione, & sensu Scripturæ in eo loco non possit non alienum esse.

Sit locus secundus ille celebris, quem decimum posuimus supra num. 121. ex Math. 11. & Lucæ 10. *Væ tibi Corozain, &c.* vbi certa scientia conditionata supponitur de pœnitentiâ Gentilium, si apud eos factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt apud Iudæos. Ex quo loco decretum Thomisticum efficaciter refutatur à nostris Doctoribus. Nam, si Deus decretum haberet prædeterminatiuum pœnitentiæ Gentilium sub conditione, quòd apud illos factæ fuissent virtutes, inanis, otiosa, & irrationabilis prorsus esset obiurgatio facta Iudæis à Christo Domino, quòd, visis talibus virtutibus, pœnitentiam non agerent; quan- 182

doquidem hi ad pœnitentiam nec erant prædeterminati, nec præordinati per decretum simile; potiùs ex oppositio decreto priuati exiitebant prædeterminatione ad pœnitentiam requisitâ. Quod enim exprobrandi, vel increpandi genus esset. Si Tyrij, & Sidonij has viderent virtutes, pœnitentiam agerent; quia ex decreto, quod ego iam habeo independenter ab eorum libertate, haberent illi tunc præmotionem physicam, cum qua incompatibilis esset: omissio pœnitentiæ & tamen vos Iudæi, eisdem visis virtutibus, pœnitentiam non agitis; cùm ego independenter etiam à vestrâ libertate decreuerim, vt similem præmotionem physicam non habeatis, cum quo decreto pœnitentia vestra incompatibilis est? Certè ab huiusmodi exprobratione facilè se purgare possent Iudæi respondentes. Quid mirum, si nos non prædeterminati pœnitentiam non agimus, quam illi agerent prædeterminati; quando ad agendam pœnitentiam, præter miracula, quæ videmus externa, interna insuper prædeterminatio diuinitus nobis, ac sine nostra industria infundenda omnino necessaria est? Etenim, vt increpatio petita à comparatione vim habeat, cætera paria debent esse, vt differtè, atque frequenter docet, supponitque Aristot. lib 3. & 6. Topic. tractans locum à comparatione.

183 Respondet Aluarez disput. illa 7. num. 22 & cum eo Ioan. à S. Tho. 1. par. disput. 10. artic. 5. & alij Thomistæ, iure Galilæos increpari; quia maiora impedimenta præstiterunt gratiæ, & magis indigni extiterunt, vtpote propriâ malitiâ obdurati, qualiter non fuerunt obdurati Tyrij, & Sidonij. Nam, licèt neutri proprijs viribus potuerint consequi auxilium gratiæ, aut ad illud disponi; potuerunt tamen se impedire magis, vel minùs, ne sibi donaretur à Deo iuxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantummodò in me auxilium tuum.* De quo multa S. Tho. lib. 3. contra Gent. cap. 149 & 160. Sed contra primò, quia exprobratio facta à Christo Domino non fuit de maioribus impedimentis gratiæ appositis à Iudæis, quàm a Gentilibus, sed de non facta à Iudæis pœnitentia, quam Gentiles facerent, si easdem virtutes viderent, vt manifestè apparet in textu Euangelico; vbi dicitur. *Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes eius; quia non egissent pœnitentiam. Væ tibi Corozain, &c.* Hæc autem exprobratio inefficax, & inanis esset, si Iudæi minùs essent potentes proximè ad pœnitentiam defectu prædeterminationis, atque ordinationis diuinæ, quàm forent Gentiles, quidquid sit de vtrorumque impedimentis, siue peccatis antecedentibus. Contra secundò; nam Gentiles, quos Christus opposuit Iudæis, plura absque dubio, & grauiora peccata commiserant, maioraque subinde præbuerant impedimenta gratiæ, si sermo sit de peccatis antecedentibus ad Euangelij prædicationem: quis id dubitet de hominibus Idololatris, Venenicis, Sodomiticis, &c. aut saltem de aliquibus eorum comparatis cum aliquibus ex Iudæis, qui restiterunt Euangelio? Id quod ipse Christus non obscurè suâ exprobratione significare videtur; dum ad exagerandam duritiem præsentem Iudæorum in reijciendâ suâ doctrinâ tot signis confirmatâ fidem, & pœnitentiam eorum Gentilium futuram sub eisdem signis opponit. Quasi dicat. Si homines adeò nequam, & perditi ad præsentiam talium virtutum emollirentur, vt crederent veritati, & pœnitentiam agerent; quanta est o Iudæi vestra duri-

ties, & nequitia præsens, qui, eisdem virtutibus visis, veritati resistitis? Adde, si ex minori gratiâ concessâ maiora impedimenta, maioremque indignitatem gratiæ licet arguere, malè ex hoc loco inferre Thomistas, Iudæos maiora impedimenta apposuisse, magisque indignos gratiæ extitisse, quàm Gentiles; quandoquidem Iudæi externam saltem gratiam prædicationis, internumque auxilium sufficiens eam comitans absolutè acceperunt, quæ duo Gentilibus absolutè negata sunt; tametsi verum foret, maiorem eos gratiam internam nempe efficacem habituros, si gratia externa prædicationis illis concederetur. Non igitur Christus Dominus increpauit Iudæos in comparatione Gentilium ob peccata præterita, quibus gratiæ efficaci ad conuersionem impedimentum opposuerunt præ ipsis gentilibus, sed ob incredulitatem, & impœnitentiam præsentem.

Sed estò. Exprobrauerit Christus Iudæis 184
impedimenta præstita gratiæ maiora per eos, quàm per Gentiles, eadem redoleret difficultas de inefficacia exprobrationis, stando in doctrinâ Thomisticâ. Nam Iudæi talia impedimenta non potuerunt non præstare iuxta Thomistas præuenti à Deo vel physicâ prædeterminatione, vel permissione ineuitabiliter connexâ cum ipsis impedimentis. Gentiles similiter, dum similia impedimenta vitarunt, physicè à Deo prædeterminati vitarunt illa. Igitur inefficax adhuc, & inanis remanet exprobratio. Iure enim possent Iudæi illam repellere dicentes. Quid nos reprehendis, quòd plura, quàm Gentiles, peccata commisimus; quandoquidem ex te, & independenter ab arbitrio tuum suo, tuâ nostro eis quidem qualitatem indidisti, cum qua nulla potentia poterant peccata coniungere, quæ nos commisimus; nobis verò talem qualitatem negasti, oppositamque infudisti, cum qua nullo pacto potuimus peccata ipsa excusare? Instrueres nos, quantùm ex te erat æqualiter, & tunc iure præ illis nos increpare posses, si plùs, quàm illos, inuenires, nos deliquisse. Idemque argumentum fieri potest de quibuslibet peccatis anterioribus vsque ad primum vitæ Iudæorum, quod non commiserint Gentiles.

Contra præterea argumentor quartò. Quòd 185
Deus negauerit Iudæis auxilium efficax internum ad pœnitendum, concessurus illud Gentilibus, si eædem apud illos virtutes fierent, argumento non est, Iudæos plùs se, quàm Gentiles fecisse indignos tali auxilio per peccata præterita. Ergo sine fundamento recurrunt Thomistæ pressi nostro argumento ad peccata præterita, vt dicant, Iudæos per illa plùs factos indignos, quàm gentiles, prædeterminationis physicæ ad pœnitendum idcirco in illorum comparatione obiurgari à Christo ob talem maiorem indignitatem, non ob impœnitentiam ipsam. Consequentia est bona: quia Thomistæ aliud fundamentum non habent maioris indignitatis Iudæorum, quàm, quòd his negata est gratia efficax ad pœnitendum, quæ fuerat concedenda Gentilibus. Probo ergo antecedens. Quia sæpe Deus maioribus peccatoribus, & indignioribus concedit gratiam efficacem ad pœnitendum, quàm minùs indignis non concedit, vt est certissimum. Alias nunquam maximi peccatores præ alijs minoribus conuerterentur, nec iusti caderent à gratia. Quod plùs, quàm falsum est.

Sed dicunt Thomistæ, in ipso Euangelio si- 186
gnificari, obiurgatos esse Iudæos ob maiora anti-

qua

qua peccata illis verbis, *Verumtamen dico vobis, Tyro, & Sidoni remissius erit in die Iudicij, quàm vobis.* Non tamen bene. Quia Iudæi ob contumaciam, qua restiterunt veritati tot virtutibus, ac signis confirmatæ, ob aliaque peccata grauissima, quæ inde manarunt, moiori pœnâ, quàm Gentiles facti sunt digni. Quod tantùm significat Christus; tametsi peccata Iudæorum prauia ad incredulitatem minora fuerint, quàm peccata Gentilium. Quod non interest ad rem.

187 Quintò contra præfatam solutionem adhuc insisto, & arguo non minùs vrgenter. Aut Iudæi ob omissionem fidei, atque pœnitentiæ præcisè erant obiurgatione digni. Aut non, nisi ob prauia impedimenta gratiæ ad credendum, & pœnitendum requisitæ. Si primum. Ergo Christus iure eos, non ob maiora impedimenta appositæ gratiæ, sed ob ipsam incredulitatem, & impœnitentiam increpauit in comparatione Gentilium; & redit integrè argumentum nostrum; nempe aut fuisse inanem increpationem, quod dici nequit, aut falsum esse, habituros Gentiles ex decreto Dei physicam præmotionem, quam non habuerunt Iudæi. Si autem dicatur secundum, duo ingentia absurda sequuntur. Primum est. Infidelitatem Iudæorum, cæteraque immania delicta ex illâ sequuta in machinatione, & exequutione mortis, atque passionis Christi in se non fuisse reprehensione digna, atque adeò nec culpabilia, sed tantùm in causâ, nempe in impedimentis gratiæ ad fidem requisitæ præstitis per præcedentia peccata. Imo verò neque in his tanquam in causâ fuissent ea mala imputabilia; quia non fuerunt prauisa: quandoquidem ante prædicationem Christi, qua fides ingerenda erat, nihil de infidelitate futurâ, aut de morte Christo infligendâ præcogitauerant Iudæi, & multò minùs de gratia Dei illis neganda ad credendum Christo ob peccata, quæ committebant. Adde, deuorato hoc absurdo, integram adhuc remanere difficultatem circa ea impedimenta, seu peccata præterita; quæ eadem de causâ non fuissent reprehensione digna defectu prædeterminationis ad ea vitanda requisitæ. Secundum absurdum, quod sequitur, est. Aliquid ex parte Dei fuisse denegatum Iudæis simpliciter requisitum ad credendum, & pœnitendum, & vniuersim ad non peccandum, videlicet physicam præmotionem, seu prædeterminationem. Contra id, quod dicit Deus ipse Isaiæ 5. loquens de Populo Iudaico. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci? An quòd expectaui, vt faceret vbas, & fecit labruscas?* Vbi nihil ex parte Dei defuisse, quominùs Iudæi debitum fructum dare possent fidei, atque virtutum, apertè definitum est; & vnanimiter confitentur Patres Basilius, Hieron. Cyrill. Chrysost. Theophil. & alij ad hunc locum Isaiæ, & ad illum Matth. 21. Mar. 12. Luc. 20. *Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, &c.*

188 Postremo. Illa alia exprobratio facta Iudæis ipsis à Christo Domino Matth. 12. quando dixit, *Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione istâ, & condemnabunt eam; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quam Ionas hic.* Hæc, inquam, exprobratio apertè significat, prædicationem Christi maioris fuisse efficacitatis, quàm prædicatio Ionæ, ad permouenda corda hominum ad pœnitentiam, vt benè expendunt Chrysost. Hila. & Euti. ad hunc locum. Ergo Iudæi, prædicante Christo, non solùm verbis externis, sed gratiâ internâ ea verba comitante plùs impellebantur ad credendum, quantùm est ex parte actus primi, quàm Niniuitæ, Iona prædicante; maximè, cùm auxilia interna eo validiora, maioraque esse soleant, quo validiora, & vrgentiora sunt externa, vt eruditè monstrat noster Ruiz disput. 62. de Scient. sect. 6. Ergo tantum abfuit, vt Iudæi aliquo requisito ad credendum ex ijs, quæ prouenirunt à Deo, caruerint, quo non caruerint Niniuitæ, vt potiùs validiùs, quàm illi exteriùs, & interiùs fuerint instructi ad fidem. Cùm quo nihilominùs factum est, vt Iudæi suâ culpâ increduli, credentibus Niniuitis, permanserint. Quo iure iustissimè in die iudicij exemplo Niniuitarum redarguti condemnabuntur. Pari ergo modo dicendum est, Tyrios, & Sidonios, auditâ prædicatione Christi, pœnitentiam acturos non magis instructos auxilijs gratiæ internis, quam fuerunt Iudæi impœnitentes culpâ suâ. Et consequenter, Deum nullum erga Tyrios, & Sidonios habuisse decretum prædeterminatiuum, quod non habuerit erga Iudæos, in quo præuiderit futuram pœnitentiam illorum.

Secundò ad nostrum argumentum respondent aliter Thomistæ, vt videre est apud Ioan. à S. Thom. disput. 20. sæpe citatâ artic. 5. Iudæos comparatione Tyriorum, & Sidoniorum iure à Christo increpari; quia æquales eis erant quantùm ad potestatem se conuertendi, quidquid sit de decreto prædeterminatiuo conuersionis, quod Tyrij, & Sidonij præ Iudæis haberent: quia tale decretum non requiritur ad posse conuerti, sed potestatem aliunde constitutam applicat infallibiliter ad actualem conuersionem. Sed contra primò. Quia, cùm tale decretum iuxta Thomisticam doctrinam sit essentialiter requisitum ad conuersionem, & non sit in potestate voluntatis creatæ illud sibi acquirere, impossibile est dari potestatem ad conuersionem in voluntate carente tali decreto, vt fusiùs suo loco ostendam. Atque adeò Iudæi illo carentes ne in potestate quidem ad conuersionem poterant esse æquales cum Tyrijs, & Sidonijs habentibus illud. Contra secundò. Quia æqualitas potestatis ad conuersionem nihil penitus præstat, vt iure reprehendi possit, qui non conuertitur comparatione conuersi, quando potestas conuersi tantò est melioris conditionis, quàm non conuersi, vt illa præ hac infallibiliter sit applicata per decretum prædeterminatiuum ad conuersionem, ad quam hæc præ illâ est infallibiliter impedita per carentiam talis decreti, & insuper per decretum oppositum; vti iuxta sententiam Thomisticam eueniret in casu nostro. Quemadmodum enim ridicula esset increpatio qua Petrus vinctus catenis increparetur, quod non curreret, currente Ioanne, non tantùm soluto à catenis, sed per vim impulso ad currendum, eo titulo, quòd præscindendo à catenis, & à vi impellente æqua in vtroque ad currendum diceretur esse potestas; ita omnino de nostro casu venit censendum. 189

Tertiò Gonzalez 1. par. disput. 45. num. 80. & alij respondent, ad exprobrationem Iudæis factam sat esse, quòd habuerint illi auxilium sufficiens ad conuersionem; tametsi Tyrijs, & Sidonijs quo ad cætera non fuerint æquales. Nam & reprobi longè inæquales Apostolis, & Martyribus quo ad gratiæ dona æquo nihilominùs iure in die iudicij venient carpendi comparatione illorum, quòd cum illi tam multa, & magna propter regnum Cælorum perfecerint, & toleraue- 190

rint, ipsi tamen longè pauciora, minoraque ad suam salutem requisita nec tolerauerint, nec fecerint. Sed contra est. Quòd, quando increpatio comparatiua versatur inter extrema æqualia, subsidia similiter æqualia debet supponere, vt sit rationabilis; quando verò versatur inter extrema inæqualia, sat est supponere eam subsidia proportionalia. Et quoniam increpatio facta Iudæis comparatiuè ad Tyrios, & Sidonios inter extrema æqualia versata est, increpati enim Iudæi sunt de non facta à se pœnitentia, quam Tyrij, & Sidonij, eisdem signis visis, facerent, ideo subsidia interna gratiæ vtrorumque æqualia esse debuerunt, vt illa fuerit rationabilis. Quod tamen cum doctrinâ Thomisticâ nequit stare, vt constat ex dictis. At increpatio facienda reprobis comparatiuè ad Apostolos, & Martyres inter extrema inæqualia est versanda; increpandi enim reprobi sunt, quòd tantò minora non præstiterint, vt salui fierent; cùm præstiterint Apostoli, & Martyres tantò maiora: ad quod satis est, quòd vtrique proportionalia subsidia habuerint; reprobi nimirum tam sufficientia ad ea minora, quæ omiserunt quam sufficientia habuerunt Apostoli, & Martyres ad ea maiora, quæ præstiterunt, qualia vtique habuisse reuerâ, vt certum tunc supponendum est. Ex quibus omnibus concluditur, ad argumentum à nobis sumptum ex loco sacræ Scripturæ ponderato, quod ex alijs pariter sumi potest, neutiquam hactenus satisfeciſſe, imo neque satisfacere posse Thomistas.

191 Sed opponunt tamen ipsi nobis, illud eamdem difficultatem habere in sententiâ nostrâ. Quia nos etiam concedimus, neque negare possumus, requiri gratiam efficacem ad credendum, & pœnitendum oriundam ex decreto Dei, talique gratia carere, qui incredulus, & impœnitens manet. Ergo, stante etiam sententia nostrâ fuit exprobratio Christi inefficax, & inanis. Quia possent adhuc respondere Iudæi. Quid mirum, quòd crederent Tyrij, & Sidonij; cùm illi gratiam congruam, & efficacem haberent, qua nos carenus. Da nobis illam, & credemus pariter. Cæterùm redargutio hæc leuissima erit cuicunque penetrauerit sententiam nostram. Nam, cùm efficacia apud nos nihil sit intrinsecum in gratiâ connexum indeclinabiliter cum consensu, quemadmodum apud Thomistas, sed denominatio desumpta ab ipso consensu prout conditionatè eliciendo à voluntate sponte suâ, & cum indifferentiâ operante; stando in nostrâ sententia, congrua se dat increpationis materia in pertinaciâ Iudæorum. Nimirum. O Iudæi proterui væ vobis; quia si Tyrij, & Sidonij eadem signa externa, quæ vos, viderent, eademque auxilia interna cum illis ingesta reciperent, quæ vobis communicata sunt, pœnitentiam vtique agerent in cilicio, & cinere, facientes, vt vacua, & inefficax in se non esset gratia, quæ in vobis vestrâ culpâ vacua, inefficaxque facta est.

192 Instant rursus Thomistæ. August. lib. 2. de Dono perseuerantiæ cap. 10. & 11. in Dei voluntatem, eiusque inscrutabilia iudicia refert, quòd alij præ alijs conuertantur, & viuant. Et cap. 14. id ipsum refert in prædestinationem, qua alij præ alijs à Deo prædestinati sunt. Patresque communiter, non ad arbitrium creatum, sed ad Dei misericordiam, ipsiusque beneplacitum reducunt, quòd alius gratiam efficacem ad consensum salutarem recipiat, alius verò non item, iuxta illud Pauli ad Roman. 9. *Igitur non volentis, neque curuentis, sed miserentis est Dei.* Et mox: *Ergo, cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat. Dicis itaque mihi. Quid adhuc quæritur? Voluntati eius qui resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo?* Vnde Prosper lib. 1. de Vocatione gentium cap. 25. ait, *Profunditas illius quæstionis, quam secundùm admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitri velle, vel nolle non soluitur.* Si igitur prædestinatio, voluntasque vocandi efficaciter, quam Deus misericorditer, ac prorsus gratiosè pro solo suo beneplacito præhabet erga eum, qui conuertitur, & non erga alium, qui non conuertitur, non obstat, quominùs hic respectiuè ad illum ob suam non conuersionem iure reprehendatur, & increpetur: neque obstabit vtique prædefinitio, prædeterminatioque conuersi, quominùs non conuersus, licèt ea carens, iure similiter reprehendatur, & increpetur comparatiuè ad illum. Et confirmari potest. Quia, vt constat ex Augustino lib. de Corrept. & gratiâ cap. 6. & 7. inferentibus Pelagianis ex eo, quòd perseuerantia in gratiâ donum Dei esse ponatur ab ipso Augustino, sequi, abs iure corripi eum, qui non perseuerat, vtpote qui tale donum non habet acceptum à Deo, vti habet, qui perseuerat. Respondet Augustinus ipse, iure vtique corripi eum, qui non perseuerat, & si carens perseuerantiæ dono; quia suâ nihilominùs culpâ non perseuerat. Igitur & argumentum à nobis contra Thomistas factum Pelagianum est, & ad illud iuxta Augustini responsionem pariter respondendum venit; iure vtique reprehendi, & increpari, etiam comparatione conuersi, eum, qui non conuertitur; tamersi non habeat, vt habet ille, donum prædeterminationis ad conuersionem; quia culpâ suâ nihilominùs non conuertitur, cum verè posset.

Verùm enim verò cuncta hæc neque contra 193
sententiam nostram vllam vim habent, neque vim argumenti nostri contra Thomisticam facti vllatenus minuunt. Nam cùm in sententiâ nostrâ optimè cohæreant hæc duo, & quòd is, qui conuertitur, pro mero beneplacito Dei, sit prædestinatus, atque efficaciter vocatus ad conuersionem, & quòd non habeat maiores vires physicas ad conuersionem exequendam, quàm habet alter, qui non conuertitur, & non est ita vocatus, neque prædestinatus; eo quòd ambo æqualibus quoad physicam entitatem auxilijs præuenti sunt; tametsi in primo auxilium eius à futuritione conditionatâ consensus efficax, & longè maius beneficium euadat. Optimè stat in sententiâ nostrâ, quòd secundus comparatiuè ad primum iure increpetur, quòd cùm æqualibus viribus exequutiuis conuersionis, illo se se conuertente, ipse non conuertatur, nihil obstante maiore beneficio præuiæ prædestinationis, ac efficacis vocationis, quo primus à Deo præ secundo pro mero ipsius Dei beneplacito donatus est. Vnde etiam stat optimè, quòd præuia prædestinationis, atque efficacis vocationis beneficentia à Deo facta primo præ secundo in solùm ipsius Dei beneplacitum, atque inscrutabile iudicium referenda veniat. Cùm tamen post collata ambobus prædicta auxilia, quòd secundus non conuertatur arbitrij eius culpa sit, quòd autem conuertatur primus tum eius arbitrij, tum maximè gratiæ ipsum præuenientis, & adiuuantis sit meritum. At verò cum sententiâ Thomisticâ neutiquam ista componi possunt. Nam iuxta illam is, qui conuertitur, physicas vires exequutrices conuersionis habet incomparabiliter

maio-

maiores, quàm is, qui non conuertitur, imo hic nullas habere videtur iuxta superiùs dicta; proindeque comparatiuè ad illum iure non potest increpari, quòd, illo se se conuertente, ipse non conuertatur. Totumque nostri argumenti robur contra Thomistas facti manet indemne. Patetque, solutionem Augustini ad argumentum Pelagianorum optimam esse, stando quoque in sententiâ nostrâ, quæ vel eo nomine censenda est Augustiniana. Quidquid sit de robore eius, quod idem fortasse est, atque nostri, contra sententiam Thomistarum.

194 Contra quam præterea aliqua alia loca Scripturæ breuiter ponderare non erit abs re. Sitque tertius ordine, quem supra num. 122. vndecimum posuimus ex Lucæ 16. de prædictione Abrahami factâ diuiti auaro. *Si Moysen, & Prophetas non audiunt; neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Quem locum suo etiam illo decreto, quod impugnamus, exponit Aluar. supra num. 26. Contra quod sic. Tria minimùm per ea verba intendit Abraham, vt notant Interpretes. Primum, retundere calumniam diuitis latenter se excusantis, quasi in doctrinâ Moysis, & Prophetarum non habuerit sufficiens credendi motiuum. Secundum, monstrare doctrinam Moysis, & Prophetarum non esse minoris efficacitatis, quàm foret mortui resurgentis. Tertium, ostendere, suam illorum obstinationem, non defectum doctrinæ, esse incredulitatis causam. Quorum profectò nihil idoneè præstaret Abraham suis verbis, si sensus eorum esset, *Neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent: quia Deus decreuit eos prædeterminare ad materialem incredulitatem, aut negare prædeterminationem requisitam ad fidem.* Non primum. Nam posset diues respondere. Mittatur ergo mortuus prædicaturus, nec neget Deus meis fratribus requisita ad credendum, & credent proculdubio. Aut certè, si ea requisita mihi etiam negata sunt, quid mirum, si non crediderim Moysi, & Prophetis? Non secundum. Quia posset etiam responderi Abrahamo. Quid mirum, si prædicatio mortui non sit plus profutura, quàm Prophetarum respectu eorum, qui non sunt habituri principia interna requisita ad credendum? Hoc certè non arguit, verba mortui resurgentis non habitura maiorem vim ad persuadendum, quam verba Prophetarum, vt constat. Denique non tertium. Quia vnusquisque posset dicere. Quòd illi homines non præberent fidem Prophetis, non in eorum proteruitatem, sed in defectum prædeterminationis ad fidem requisitæ debere refundi. Non igitur Deus in decreto prædeterminatiuo, sed in ipsomet cognoscit huiusmodi prædictionis obiectum.

195 Sit quartus locus, quem proposuimus duodecimum num. 123. ex Lucæ 22. *Si vobis dixero, non credetis mihi, &c.* Quibus verbis tacitè voluit Christus indicare, atque reprehendere Iudæorum obstinationem. Tum, se ad tacendum de suâ diuinitate moueri; quia illi spontaneè, & malitiosè non erant credituri. Quæ duo locum non haberent, si ad non credendum eos prædeterminatos ex decreto Dei præuideret; aut saltem destitutos prædeterminatione prorsus requisitâ ad credendum. Mitto alia Scripturæ loca similia. In quibus præter incommoda communia, quæ principio notauimus, multa alia specialia pullulant admisso decreto Thomistico.

196 Denique huc etiam aduocari possent ea omnia Scripturæ loca, in quibus electio, & optio datur voluntati creatæ, in eiusque manu, siue arbitratu relinquitur, vt alterutrum ex extremis, ad quæ est libera, prout sibi placuerit, amplectatur, vniusque subinde, vel alterius, prout sibi arriserit, existentiam sponte suâ determinet. Quorum profectò locorum sensus legitimus cum prædeterminatione Thomisticâ neutiquam consistere potest, vt cuique sincerè illa spectanti, & consideranti satis perspicuum fiet. Sit vnus pro omnibus ille Ecclesiastici 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui. Adiecit mandata, & præcepta sua. Si volueris mandata seruare, conseruabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere. Appositit tibi aquam, & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Etenim omnia verba ista manifestè supponunt in voluntate humanâ indifferentiam ad alterutrum ex extremis propositis omnino oppositam prædeterminationi eam ad vnum præ altero ineluctabiliter adigentem, qualis est prædeterminatio Thomistica. De quibus plura dicuntur à Nostris in Tract. de Auxilijs. Accedamus iam ad probandam statutam propositionem ex Patribus.

Probatur propositio ex Patribus.

Pergemus ad probandum ex Sanctorum Patrum oraculis, Deum futura contingentia conditionata independenter à decreto, quod Thomistæ ponunt, cognoscere. 197 Primum autem argumentum sumendum est ex responsis Patrum ad eas quæstiones, quas ipsis proponebant hæretici, vt vidimus quæst. 6. à num. 143. Cur scilicet Deus creauerit Angelos, & homines, quos præuidebat peccaturos, &c. contendentes, Deum creando illos cum tali præscientiâ non posse euadere notam auctoris peccati, malèque prouidi, aut crudelis gubernatoris. Patres quippe concedentes in Deo talem præscientiam, penitus illum à tali notâ liberabant: quia ipse ex se bonum dumtaxat dedit, malum autem libertas creata sibi adciuit: nam Angelus, & homo relictus fuit in manu consilij sui cum liberâ indifferentiâ ad acquirendam, vel amittendam felicitatem: eo quòd Angelus, & homo facillimè poterant perseuerare in gratiâ acceptâ, & vitare peccatum. Quæ rationes, & similes adductæ à Patribus relatis loco citato constare non possent, si Deus habuisset decretum prædeterminandi Angelos, & homines ad materialem actionem peccati, aut saltem negandi illis prædeterminationem omnino requisitam ad non peccandum. Cum neutro enim stat, fuisse bonum, quidquid venit à Deo; creaturam plenè in manu sui consilij fuisse relictam; & facilem fuisse illi perseuerantiam in gratiâ, & immunitatem à culpâ; vt satis ex se notum videtur, & in Tractatu de Auxilijs latè à Nostris ostenditur.

Deinde Patres eamdem scientiam adstruebant in Deo de peccatis conditionaliter futuris, 198 quam Marcion; Manichæi, & sequaces in suis quæstionibus supponebant. Sed isti hæretici non supponebant scientiam fundatam in decreto prædeterminatiuo ad materiale peccatorum, aut eorum indeclinabiliter permissiuo. Ergo Patres non adstruebant scientiam nitentem tali decreto. Maior est nota ex testimonijs Patrum relatis quæst. 6. à num. illo 143. Consequentia est legitima. Minor ostenditur. Quia, si hæretici agnouissent tale decretum, aut putarent, illud à Patribus admitti,

ti, acriùs fœuirent, vrgentiùs premerent, longèque difficiliorem quæstionem obijcerent. Cur videlicet Deus, creaturus Angelum, & hominem, eos per prauium, & irretrogabile decretum adegisset peccato præcæterminando illos ad actionem physicam eius, aut negando principium ad illud fugiendum necessarium. Cui quæstioni nec rationes adductæ à Patribus satisfacerent, nec facile esset alias inuenire, quibus ei satisfieret. Perse enim apparet, huiusmodi decretum multò difficiliùs cohærere cum bonitate, sapientiâ, & sanctitate Dei, quàm præscientiam de peccatis futuris sumptam præcisè. Cùm igitur nec hæretici, nec Patres vllam talis decreti mentionem fecerint, compertum est longissimè illud ab vtrorumque mente abfuisse.

199 Præterea, rationes, quibus respondent Patres ad alias quæstiones commemoratas quæst. 6. à num. 147. in quibus præscientia Dei de futuris conditionatis supponitur, apertè ostendunt, talem scientiam in decreto Thomistico non fundari: quia eiusmodi rationes aut non possunt cohærere cum tali decreto, aut, eo supposito, futiles sunt, & nullius roboris, vti legenti scripta Patrum, quos ibi citauimus, notum fiet. Igitur Patres vnanimiter supponebant, præscientiam Dei de contingentibus conditionatis alienam omnino esse à tali decreto. Videatur Ruiz disp. 71. de Scientia sect. 4. vbi speciatim discurrens per rationes Patrum assumptum huiusmodi argumenti persequitur; in quo nunc nobis immorari non vacat.

200 Ad hæc. Decretum Dei quoquo modo adigens, determinans, atque destinans ad actum peccati longè à sententia Patrum alienum fuit, (vt videre est apud Annat. um disp. 1. cap. 3. de quo mox tangemus nonnulla, aliàs dicturi plura suo loco), adeò, vt Prosper ad capit. Gallorum sententia 14. pronunciauerit. *Qui dicit, quòd, qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant; & quòd Deus ita præfinierit, vt quicumque non credunt, ex ipsius constitutione non credant, non est Catholicus.* Igitur, scientia, quam Patres de peccatis sub conditione futuris attribuunt Deo, longè est aliena & independens à tali decreto. Confirmatur primò. Quia Patres eximiæ gratiæ Dei vertunt, quòd homo præmatura à morte rapiatur, iuxta illud Sap. 4 *Raptus est, &c.* vt eripiatur à peccatis, in quibus præuisus est casurus, si viueret. Si autem homo ex decreto Dei indeclinabiliter erat peccaturus, si viueret, non quidem eximia, sed satis violenta gratia esset, ac quadam immixta crudelitate, adigere hominem ad peccatum pro vitâ sequente, & postea, ne in illud laberetur, eum vita priuare. Confirmatur secundò. Quia, sicut Deus multos rapit, quos præscit, fore peccaturos, si viuerent, ita etiam multos in vitâ conseruat præsciens peccaturos esse, si conseruentur, vt est certissimum, & docet August. lib. de Concept. & gratia cap 8. & lib. de Dono pers. cap. 9 alijsque in locis. Igitur, supposito suprà dicto decreto, sicut est verum, priores rapi à Deo ne cadant, ita etiam est verum posteriores conseruari, vt cadant; quod tamen valde absurdum est. Hoc autem ex tali decreto sequi, probatur; quia, suppositâ voluntate efficaci conditionatâ finis, qui purificat conditionem, virtualiter saltem ordinat eius purificationem ad talem finem; quatenus velle finem sub conditione, & simul velle, vt purificetur conditio, perinde est ac velle absolutè, vt existat finis. Adde, præscientiam Dei conditionatorum contingentium ex mente Patrum Græcorum, & Latinorum, quorum mentionem feci supra quæst. 6. n. 151. prædestinationem præcedere, & consequenter omne decretum spectans ad prouidentiam, quam Deus habet ergà prædestinatos, è quorum numero esse debet decretum Thomisticum, ne sit superfluum, & impertinens. Ergo ex mente Patrum huiusmodi præscientia non supponit tale decretum.

Venio ad ponderanda specialiter aliqua loca 201
Patrum. Ex quibus non obscurè colligitur præscientiam conditionalem, quam psi adscribunt Deo, omnino esse independentem à decreto prædeterminatiuo Thomistico. Sit primus Chrysost. qui homil. 31. in Math. prope initium ait, Christum Dominum vocasse Petrum, Ioannem, Matthæum, & Paulum sub ijs circumstantijs, & in eo tempore, *quando obtemperaturos, sciebat*. Si autem sub conditione vocationis eorum obedientia dicto decreto prædefinita esset, & in eo præscita, nec circumstantias, nec tempus opus esset expectare: quia ex huiusmodi prædefinitione, quocunque tempore vocarentur, esset eorum obedientia infallibilis; quod expresse negat ibi Chrysostomus. Clarius autem ad rem homil. 65. col. 5. loquens de omnibus Prædestinatis sub parabola operariorum inquirit. *Sed cur, inquies, non statim omnes conduxit?* Respondetque. *Omnes quidem ille ab initio conduxisse voluisset. Si verò non omnes eodem tempore paruerunt, à voluntate vocatorum hæc differentia resultauit. Idcirco alij mane, alij tertiâ, alij nonâ, alij undecimâ horâ vocantur: quia tunc obtemperaturi erant. Quod & Paulus apertè significat dicens. Quando autem acceptauit Deus, qui separauit me à ventre matris meæ? Quando porro Deus voluit? Quando certè obtemperaturus erat. Nam ipse à primis etiam incunabulis voluisset. Sed, quia, illum venturum, sciebat, tunc voluit, cùm animum ipsius penetraturam vocationem non ignorabat.* Ecce ab operariorum voluntate resultauit secundùm Chrysost. quòd tunc, & non alijs temporibus essent obtemperaturi. Ergo non à decreto Dei prædeterminatiuo, à quo vtique ea obedientia dicenda esset resultare, si daretur in Deo. Nec Deus, eo dato, dici posset voluisse, vt omnes ab initio parerent, vti dicit Chrysost. Tum Paulus non diceretur vocatus, quando vocatio præuisa est penetratura eius animum, & non quando præuisus est ipse ei restiturus; quandoquidem prædeterminatio non potest non semper animum penetrare, vt consentiat; neque ei per non consensum resisti potest. Similia habet Chrysost. homil. 4. de laudibus Pauli col. 1. & serm. 16. ad Rom. 9. col. 8. & 9. & sæpe alibi.

Pro eâdem doctrinâ stant Clemens Roman. 202
in epist. 3. dum ait, *Nihil esse, quod audientes fidem ad credendum determinet extra arbitrium eorum*. Item. *Si quid esset, quod ad credendum, vel non credendum determinaret, meritum, & libertas tolleretur*. Et Vgo Victor. in cap. 9. epist. ad Roman. sentiens ex duobus æqualiter gratiâ præuentis alterum consentire, & alterum dissentire. Alijque similia passim dicentes, quibus decretum prædeterminatiuum Thomisticum manifestè reijcitur.

Sed vnus pro omnibus in hac materiâ repu- 203
tandus est Augustinus. Qui quidem pro eâdem nostrâ doctrina multus est varijs in locis suorum operum. Primùm enim lib. 1. ad Simplicianum

quæst.

quæst. 2. circa medium explicans illud Apostoli ad Rom. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, eamdem difficultatem, quam contra sententiam nostram ex istis verbis nobis obtendunt Aduersarij, sic ibi proponit Augustinus. *Sed si vocatio ista ita est effectrix bonæ voluntatis, vt omnis eam vocatus sequatur, quomodò verum erit. Multi vocati, pauci electi. Quod si verum est, & non consequenter vocationi vocatus obtemperat, atque vt obtemperet in eius est positum voluntate, rectè etiam dici potest. Igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia misericordia vocantis non sufficit, nisi vocati obedientia consequatur.* Cui difficultati non respondet Augustinus, quod esset facile, stando in sententia Thomistica, vocationem efficacem diuersæ naturæ esse ab inefficaci, talemque, cui voluntas dissentire in sensu composito nequit. Subindeque solius Dei miserentis esse, quòd voluntas consentiat: quia solius Dei est, infundere vocationem prædeterminantem, cui prorsus repugnat manere sine consensu. Eos autem solos electos esse, qui tali vocatione vocantur; non item, qui vocantur inefficaciter. Hoc, inquam, non respondet Augustinus. Sed planè supponens in voluntatis potestate esse obtemperare, vel resistere cuilibet vocationi, atque ita fieri posse. *Vt, quamuis multi vno modo vocati sint*, (verba sunt eius); *tamen, quia non omnes vno modo affecti sunt, illi solùm sequantur vocationem, qui ei capiendæ reperiuntur idonei.* Concludit. *Verum est ergo, multi vocati, pauci verò electi. Illi enim electi, qui congruenter vocati, illi autem, qui non congruebant, neque contemperabantur vocationi, non electi; quia non secuti, quamuis vocati. Item verum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei: quia, etiam si multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quo modò eis vocari aptum est, vt sequantur. Falsum est autem si quis dicit. Igitur non miserentis Dei, sed volentis, atque currentis est hominis: quia nullius Deus frustra miseretur. Cuius autem misereatur, sic eum vocat, quomodò scit ei congruere, vt vocantem non respuat.* Et cùm statim proposuisset quæstionem. *Cur ergo Esau non sic est vocatus, vt vellet obedire?* post pauca præmissa concludit. *Cùm ergo alius sic, alius autem sic moueatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moueat, alio modo dicta non moueat; aliumque moueat, alium non moueat, quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret; voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* Eamdem doctrinam repetit Augustinus lib. de Spiritu, & litterâ cap. 34. epist. 107. ante medium lib. de Prædest. Sanctorum cap. 16. & sequentibus, & lib. de Dono persev. cap. 8. & 14. Vbi, postquam dixisset, Tyrios, & Sidonios credituros, si vidissent signa, &c. subiungit, *Ex quo apparet, habere quosdam in ipso ingenio diuinum naturaliter munus intelligentiæ, quo moueantur ad fidem, si congrua suis mentibus, vel audiant verba, vel signa conspiciant.* Ex quibus omnibus manifestè conspicitur, scientiam conditionatam, qua Deus præscit, vnum præ altero suæ vocationi consensurum, à decreto prædeterminante consensum illius nequaquam pendere iuxta Augustinum. Multisque ex causis ab eius mente in locis indicatis expresâ alienum esse tale decretum, vt cuique illa sincerè consideranti, & ponderanti clarè innotescat.

204 Subiungo aliud Augustini testimonium ex cap. 10. de Prædestinatione Sanctorum. Vbi clarè supponit, præscientiam decretum prædeterminatiuum non præsupponere. Ait enim, *Prædestinatio est, quæ sine præscientiâ non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præsentia. Prædestinatione quippe Deus ea præscinit, quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictum est: Fecit, quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non facit, sicut quæcunque peccata.* Et consequenter, quæ non prædefiniuit, vt fierent. Loqui autem Augustinum de præscientiâ conditionatâ, indè constat; quia loquitur de præscientiâ requisitâ ad prædestinationem, quæ apud ipsum est conditionata, vt ex toto libro de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ manifestè colligitur; prout inferiùs videbimus. Accedit, quòd in his libris, præsertim cap. 15. & 17. de Dono perseuerantiæ ex præscientiâ sumit argumentum contra hæreticos Augustinus ad probandum decretum Dei prædestinatiuum benè cohærere cum libertate, quod argumentum manifestè laboraret vitio petendi principium; si præscientia necessariò supponeret decretum aut æquè, aut magis connexum cum obiecto præscito; quale est decretum Thomisticum. De hoc enim rediret vrgentiùs eadem difficultas.

Præterea lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 10. omnem necessitatem, quæ non est in nostrâ potestate, excludit August. à nostris operibus honestis, & prauis. Necessitas autem, quam secum fert decretum prædeterminatiuum iuxta ipsos eius Auctores non est in nostrâ potestate. Et lib. 12. de Ciuit. cap. 6. docet, contingere, quòd, vno dissentiente, consentiat alter; cùm tamen ante consensum, & dissensum in ijs, quæ ad consentiendum iuuant, essent ambo per omnia æquales. Quod, certum est, stare non posse cum decreto prædeterminatiuo Thomistico. Et lib. 3. de Libero arbit. cap. 18. docet, cum libertate pugnare causam actus, cui liberum arbitrium nequit resistere: quale dictum decretum est. In cæterisque, quæ ex Patribus pro sententiâ nostrâ adduximus, & adducemus, potissimus Augustinus consentit, vt iure dubitari nequaquam possit, illum pro nostrâ sententiâ esse; quidquid Aduersarij contradicant. Vnde, ne indicasse quidem, aut vnquam somniasse Augustinum decretum prædeterminatiuum, censet Illustrissimus Episcopus, & Generalis Inquisitor D. Ferdinandus Mascarennas in suo Tractatu de Auxilijs disp. 2. p. 5. num. 5. Et Eugenius Philadelphus in Exercitatione scolasticâ tripartitâ cap. 3. §. 7. ait, *Quicumque Augustini familiares sunt, nunquam adduci potuerunt, vt, prædeterminationem illi aliquando venisse in mentem, suspicentur, ne dormienti quidem.* Didacus item Paiua vnus ex Patribus Concilij Tridentini lib. Orthodoxarum explicationum dixit, *Hanc Colonienſium causam* (quæ eadem Societatis erat) *tam esse cum Augustini causâ coniunctam, vt illorum hostis esse nullo modo possit, qui Augustino quoque bellum non indixerit.* De quo plura videnda sunt apud Arnatum, Leonardum, Henao in suis Defensorijs pro scientiâ mediâ, & apud alios Nostros.

205

Adde, Augustinum multum vbique esse 206
in reijciendâ omni prædefinitione Dei prædeterminante ad peccatum. Cuius tamen præscientiam conditionatam vbique etiam attribuit Deo, vt ex dictis in hac, & in præcedente quæst. satis est manifestum. Sentit igitur, talem scientiam ab omni eiusmodi prædefinitione independentem esse.

esse. Indicemus breuiter aliqua testimonia eius. Sitque primum illud, quod nuper nu. 204. commemorauimus ex cap. 10. de Prædest. Sanct. Vbi docet, Deum præscire quidem, quæ ipse non facit, vt peccata, non tamen illa prædestinare, subindeque nec prædefinire. Nam vt docet pariter ipse August. lib. 3. de Libero arbitr. cap. 4. *Deus omnia, quorum ipse auctor est, præscit: nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est.* In lib. autem de Spiritu, & littera cap. 31. ait. *Nusquam autem legimus in sanctis Scripturis, Non est voluntas nisi à Deo, & rectè non scriptum est; quia verum non est. Alioquin etiam peccatorum, quod absit, auctor est Deus, si non est voluntas nisi ab illo: quoniam mala voluntas iam sola peccatum est, etiamsi desit effectus,* & lib. 5. de Ciuitate Dei cap. 9. loquens de Deo. *Sicut enim,* inquit, *omnium naturarum creator est, ita omnium potestatum dator, non voluntatum. Malæ quippe voluntates ab illo non sunt; quoniam contra naturam sunt, quæ ab illo est.* Et cap. 10. *Neque enim ideo peccat homo; quia Deus illum peccaturum præscíuit: imo ideo non dubitatur ipsum peccare, cùm peccat; quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud,* (scilicet peccati illatiuum, quale esset prædefiniens decretum), *sed ipsum peccatum esse præscíuit,* (præscito nimirum peccato in se ipso). Et lib. 13. cap. 15. loquens de animâ ait, *Non enim deserta est, vt desereret, sed vt desereretur, deseruit; Ad malum quippe eius prior est voluntas eius; ad bonum verò eius prior est voluntas creatoris eius; siue vt eam faceret, quæ nulla erat; siue vt reficiat, quæ lapsa perierat.* Et in epist. ad Honoratum, quæ est 120 cap. 19. *Non omnia Deus, quæ prædicit, promittit: prædicit enim etiam illa, quæ non ipse facit; quia est omnium præscius futurorum. Prædicit ergo & peccata hominum, quæ potuit præscire, non facere. Promittit autem, quæ ipse facturus est, nec ea mala, sed bona.* Denique, si aliquam Augustinus prædefinitionem, prædeterminationemve ad peccatum in Deo agnouisset, ijs maximè in locis eam indicasset, quibus declarat indurationem, siue obstinationem Peccatorum, quæ Deo solet attribui in sacrâ Scripturâ. Oppositum tamen præstat vbique. In lib. quippe de Prædest. & grat. cap. 4. explicans illud Apostoli ad Roman. 9. *Quem vult indurat.* ait. *Non ita intelligendum est, quasi Deus in homine, ipsam, quæ non esset, duritiam cordis operetur.* Ex mox. *Indurare enim Deus dicitur eum, quem mollire noluerit. Sic enim excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit. Sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit.* Et Enarrat. in Psalm. 77. versùs finem loquens de obstinatione Ægyptiorum. *Hanc enim,* inquit, *iniquissimam, & malignissimam obstinationem Deus cùm facere dicitur, non instigando, & inspirando, sed deserendo facit.* Similiter que loquitur alijs in locis. Hæc satis modò circa Augustini mentem. De qua plura in sequentibus.

207 Porrò in eâdem nostrâ, & Augustini sententiâ sunt vnanimiter eius discipuli; atque etiam alij Patres communiter. Prosper enim ad Capitula Gallorum cap. 3. ait, *Sed ideo prædestinati non sunt: quia tales futuri voluntariâ prævaricatione præsciti sunt.* Et cap. 7. *Et quia hoc ipsos voluntariâ facturos defectione præuidit,* &c. Et cap. 12. *Si Deus hominem sibi obedientem à pietate deturbat, & benè currentem cadere facit. Ergo pro bonis mala retribuit, & iniustè punit, quod vt fiat, compellit. Quid tam peruersum, quid tam insanum dici, aut cogitari potest? Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in omnibus hoc esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cùm voluntas eius nunquam velit, nisi bona: præscientia autem & bona nouit, & mala: sed bona, quæ aut ipse faciat, aut etiam vt nos faciamus, imperat: mala autem, quæ omnino ipse non fecit, neque fieri suasit, aut impulit.* Et cap. 14. *Infidelitas non credentium Euangelio nequaquam ex Dei prædestinatione generatur,* &c. *Proinde infidelitas non credentium non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est.* Rursusque sententia 14. eidem cap. correspondente. *Qui dicit, quòd, qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædestinatione non credant, & quòd Deus ita præfinierit, vt quicunque non credant, ex ipsius constitutione non credant, non est Catholicus,* &c. Et cap. 15. *Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia. Prædestinatio autem sine præscientiâ esse non potest.* Et rursus sentent. 15. *In malis autem operibus nostris sola præscientia Dei intelligenda est. Quia, sicut præscíuit, & prædestinauit, quæ ipse facit, & vt faceremus dedit; ita præscíuit tantùm, non etiam prædestinauit, quæ nec ipse fecit, nec, vt faceremus, exegit.* Et ad obiectionem 5. Vincentianam. *Sicut prævaricatoribus Angelis non Deus indidit illam, quæ in veritate non stetit, voluntatem: ita nec hominibus hunc effectum, quo Diabolum imitarentur, inseruit.* Et ad 12. *Voluntate exierunt, voluntate ceciderant: & quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati.* Multaque alia alibi similia habet Prosper. Consentit Fulgentius toto lib. 1. ad Monimum latè offendens, peccatorum solam præscientiam esse in Deo; non item prædestinationem, seu prædefinitionem. Cuius verba, quia multa, omitto apud ipsum videnda.

Consentit pariter Damascenus lib. 2. de Fide cap. 30. dicens, *Illud scire interest, Deum omnia quidem præscire, sed non omnia præfinire. Præscit enim ea etiam, quæ in nostrâ potestate, atque arbitrio sita sunt: at non item ea præfinit. Neque enim vitium admitti vult; nec rursus virtuti vim offert.* Item Cyrill. lib. 11. in Ioannem ait, *Non autem omnia, quæ Deus nouit, aut vult, aut imperat.* Et Beda in lib. 9. Quæst. quæst. 13. *Quid? Ergo coegit nos Deus, vt mali sibi videremur ab æterno? absit. Nam potiùs nos coegimus eum, vt nos malos videret.* Consonat Concilium Arausic. 2. can. 23. dicens. *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id agunt, quod Deo displicet.* Et can. 25. circa medium. *Aliquos verò ad malum diuinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere velint, cum omni detestatione illis anathema dicimus.* Adde Leonem nonum in epist. ad Petrum episc. dicentem. *Credo Deum prædestinasse solummodò bona; præscíuisse autem bona, malaue.* Et Anselmum in Dialogo de casu Diaboli cap. 27. Vbi agens de Voluntate peccaminosa Diaboli, Discipulo interroganti, *Cur ergo voluit?* Respondet, *Non nisi quia voluit. Nam hæc voluntas nullam aliam habuit causam, quæ compelleretur aliquatenus, aut attraheretur:* (qualis haud dubie esset, prædeterminatio Dei, si daretur): *sed ipse sibi efficiens causa fuit, si dici potest, effectus.* Et lib. de Concordia prædestinationis, & gratiæ cap. 1. ait. *Deus præscit omnia, & multa fiunt ex liberâ voluntate, quæ ante quàm fiant, fieri potest, vt nunquam fiant.* Secus autem esset, si ex præuiâ Dei prædeterminatione procederent. 208

derent. Et infra, posito casu, quòd quis alicui minitaretur mortem, nisi mentiretur, dicit Anselmus, *Licèt enim necesse sit, aut vitam, aut rectitudinem relinquere, nulla tamen necessitas determinat, quam seruet, aut deserat. Nempe sola voluntas determinat ibi, quid teneat.* Ad neutrum igitur ex extremis prædeterminatur à Deo. Et cap.2. ait, *Deus mala, quæ non facit, dicitur facere; quia permittit. Nam dicitur hominem indurare, cùm non emollit: ac inducere in tentationem, cùm non liberat.* Non igitur quia prædeterminat. Demum Sedulius in Collectaneis epist. ad ad Rom. *Quos præscinit*, inquit, *credituros, hos & vocauit: vocatio enim volentes colligit.* idest, sponte illi obtemperantes, cum possent resistere. Quod à prædeterminatione est alienum. Quam eamdem doctrinam cæteri Patres, qui rem attigerunt, vnanimiter tenent. Negare autem eos omnes omnem Dei prædefinitionem prædeterminantem ad peccatum, non solum pro formali, sed etiam pro materiali sumptum, ex multis testimonijs illorum infertur clarissimè, per quæ veniunt intelligenda pariter cætera, quæ ad rem videntur minus clara. De quo plura traduntur à Nostris varijs in locis. Videatur ad rem speciatim Annatus disp.1.de Scientiâ mediâ cap.5. à num.84.

209 Denique pro nostrâ etiam sententiâ, & contra Thomisticam stant haud dubiè Chysost. Euthim. Hilar. Hieron. Theophil. Anselm. August. & alij Patres apud Ruiz disp.62. de Scient.sect.5. quatenus opponunt malè operantibus exemplum benè operantium, vt erubescant. Quod cum decreto Thomistico stare non potest iuxta argumentum factum à nobis supra à num. 182. circa illud Math.11. & Luc.10. *Væ tibi Corozain, &c.* Stant item dubio procul pro sententiâ nostrâ Clem.Rom. Clem.Alex. Dionys. Athan.Chys. Nazianz. Damasc. August. Bernard.& alij apud Paulum Leonardum 2. p. Defens. pro scientiâ mediâ cap. 1. quatenus Ethnicorum fatum impugnant, oriundum aut ab stellis secundùm quosdam, aut à diuinâ voluntate secundùm alios. Impugnant enim illud, vt libertati aduersum: (etiamsi eius Assertores assererent, illud neque naturæ, neque libertati humanæ aduersari, vt videre est apud Iulium Syrenum lib. 3. de Fato cap. 28.): eo quòd illud nihilominùs adstruebant omnino independens iu suâ existentiâ ab arbitrio creato, & semel existens inseparabile penitus ab actibus eius. Quæ sunt eædem conditiones, quas suis decretis prædeterminatiuis adscribunt Thomistæ. Tandem pro nostrâ sententiâ stare censendi sunt Origen. Iustin. Athan. Epiph. Chrysost. Damasc. Cyrill. Alex. Hieron. August. Beda, Boet. Hugo Vict. & alij plures apud Ruiz disp. 33. de Scient. sect.3. & 4. & apud Leonard. 2.p. Defens. sect.3. quatenus, vt scientiam Dei infallibilem de nostris actibus prout existentibus cum eorum libertate componant, constanter defendunt, non esse illam eorum causam, vti esse ponitur à suis Assertoribus decretum Thomisticum. Quo tacitè citra dubium sentiunt, hoc cum libertate nostrorum actuum componi non posse.

Probatur propositio ex S.Thomâ.

210. Iam verò S.Thomam æquè, ac alios Patres commemoratos, pro nobis stare, sentientem, eam contingentium conditionatorum præscientiam, quam prorsus certam, & infallibilem agnouit in Deo, vt vidimus supra quæst. 6. à num.156. omnino esse independentem à decreto prædeterminatiuo, quod eius Discipuli, contra quos agimus, excogitarunt, nunc ostendendum nobis est. Ostenditur autem primò ex eis omnibus locis, vbi docet Doctor Angelicus, potentiam liberam non à Deo, sed à se ipsâ determinari ad operandum: atque ita Deum circa actus eius nullum decretum prædeterminatiuum habere. Etenim in 2. dist. 39.quæst.1. art.1. in corp. ita habet, *Ipsa potentia, quantùm est in se, indifferens est ad plura; sed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel illum, non est ab alio determinante, sed ab ipsâ voluntate.* Quod rursus repetit ibidem. Et art.2. ait, *Ratio enim culpæ in actu deformi est ex eo, quòd procedit ab eo, qui habet dominium sui actus. Hoc autem est in homine secundùm illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsâ. Quod tantùm voluntati conuenit.* In eodem item 2. dist.25. quæst.1. art.1. *Et inde est*, iuquit, *quòd iudicium de actione propriâ est solùm in habentibus intellectum, quasi in potestate eorum constitutum sit, eligere hanc actionem, vel illam: vnde & dominium sui actus habere dicuntur. Et propter hoc in solùm intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur: non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus, sed à quibusdam alijs causis prioribus.* Et ibidem ad 3. *Ad tertium dicendum, quòd Deus operatur in omnibus, ita tamen, quòd in vnoquoque secundùm eius conditionem. Vnde in rebus naturalibus operatur sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret, &, ipso operante, liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur, vnde remanet sibi dominium sui actus.* Eo quomodò iuxta S. Thom. potentia libera non ab alio, sed à se ipsâ debet ad agendum determinari. Quod scientiæ mediæ liberorum actuum potissimum fundamentum est. Quo circa etiam ait S.Thom.1.p.quæst.19.art.8. in corp. effectibus liberis aptare Deum causas defectibiles in causando: qualis non est prædeterminatio, quam eis Aduersarij adiungunt, vt constat. Et quæst. 83. art.3. in corp. dicit, *Quòd proprium liberi arbitrij est electio. Ex hoc enim liberi arbitrij esse dicimur, quòd possumus vnum recipere, alio recusato, quod est eligere.* Id quod prædeterminati ad vnum, nequaquam possemus, vt est notum.

Secundò probatur idem ipsum; quia S.Thomas vbique cùm cæteris Ecclesiæ Patribus tenet, Deum nullatenus prædeterminare ad peccatum, quod tamen præscire conditionatè fatetur. Ait enim 1.p. quæst.19. art.9. in corp. *Malum culpæ, quod priuat ordinem ad bonum diuinum, Deus nullo modo vult.* Et 1.2.quæst.80. art.1.ad 3. *Ad tertium dicendum, quòd Deus est vniuersale principium omnis inferioris motus humani; sed quòd determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est ex voluntate humanâ.* Et in 1.dist. 46.quæst.1 art.4.in corp. *Vnde dicitur, quòd non vult mala fieri, sed vult permittere, mala fieri. Vult etiam bonum consequens, ex quo malum ordinatur. Ex quo sequitur, quòd velit mala facta ordinare, non autem quòd velit, ea fieri.* Et ibidem ad 1. *Ad primum dicendum, quòd decor diuinæ sapientiæ apparet in permissione malorum, & ordinatione, quorum vtrumque vult Deus, sed non, malum fieri.* Et ad 4. *Pœnam vult fieri, sed culpam* 211

non vult fieri. Et in 2.dist.37.quæst.2.art.1.ad 1. *Ad primum ergo dicendum, quòd Deus non eodem modo inclinat voluntatem in bonum, & in malum. Inclinat siquidem voluntatem in bonum administrando virtutem agendi, & directè mouendo ab bonum. Sed ad malum dicitur inclinare, in quatum gratiam non præbet, per quam quis à malo retraharetur, & non, quòd directè voluntatem in malum ordinet.* Et quæst. 3. art. 1. in corp. *Et ideo dicendum est, pœnas à Deo esse; nullo autem modo culpam à Deo esse.* Vnde 1. 2. q. 79. art. 1. ad 1. explicans illud ad Roman. 1. *Tradidit eos Deus in reprobum sensum. Dicitur*, inquit, *tradere eos in reprobum sensum, in quantùm non probibet eos, quin suum sensum reprobum sequantur. Sicut dicimur exponere eos, quos non tuemur.* Et consonat in idem cap. 1. ad Rom. lect. 7. dicens, *Deus non dicitur tradere homines in immunditiam directè inclinando affectum hominis ad malum. Sed indirectè tradit homines in peccatum, in quantum iustè subtrahit gratiam, per quam homines continebantur, ne peccarent. Sicut, si aliquis alicuius sustentaculum tolleret, diceretur facere casum eius.* Quid ad rem clariùs? Denique art. 3. dictæ quæst. 79. non minùs ad rem ait, *Respondeo dicendum, quod excæcatio, & obduratio duo important. Quorum vnum est motus animi humani inhærentis malo, & auersi à diuino lumine: & quantùm ad hoc Deus non est causa excæcationis, & obdurationis; sicut non est causa peccati. Aliud autem est subtractio gratiæ, ex qua sequitur, quòd mens diuinitùs non illuminetur ad rectè videndum, & cor hominis non emolliatur ad rectè viuendum: Et quantùm ad hoc Deus est causa excæcationis, & obdurationis.* Deus igitur iuxta S. Thom. non in decreto prædeterminante, vt Aduersarij volunt, sed in se ipsis præscit peccata conditionatè futura, atque adeò per scientiam mediam à tali decreto prorsus independentem. Negare autem S. Thom. sicut & alij Patres negant, prædeterminationem Dei ad peccatum non solùm pro formali, sed etiam pro materiali sumptum, ex ipsis eius verbis satis notescit. Præterquàm quòd Deus per scientiam conditionatam non solum materiale, sed etiam formale peccati præscit; & hoc iuxta Aduersariorum doctrinam per decretum de solo materiali (estò daretur) verum, & cognoscibile reddi non posset, si tale non esset in se.

212 Tertiò probatur; quia S. Thomas 1. p. q. 14. art. 13. in corp. sic docet, *Vnde quicunque cognoscit effectum contingentem in sua causa tantùm, non habet de eo nisi coniecturalem cognitionem, Deus autem cognoscit omnia contingentia non solùm prout sunt in suis causis, sed etiam prout vnumquodque eorum est actu in se ipso.* Eamdemque doctrinam habet in 1. dist. 38. quæst. vnica art. 5. in corp. & ad 5. Necnon quæst. 1. de Verit. art. 12. in corp. & ad 9. & lib. 1. contra Gent. cap. 67. initio, & 2. 2. quæst. 171. art. 6. ad 2. & quæst. 174. art. 1. in corp. prout supra etiam accebamus quæst. 6. num. 158. Ex eâ autem duo planè sequuntur. Primum est, Deum nullum decretum prædeterminans habere circa futura contingentia: nam aliàs illa in tali decreto, atque adeò in suis causis non coniecturaliter tantùm, sed prorsus certò, & infallibiliter essent cognoscibilia, vt constat, contra doctrinam S. Thomæ. Secundum est, iuxta illam contingentia conditionata, prout conditionatè sunt in se ipsis, atque adeò independenter à medio cum eis connexo cognosci à Deo. Quod ipsum est, cognosci à Deo per scientiam mediam, quam nos adstruimus ab omni ipsius prædefinitiuo, nedum prædeterminatiuo decreto prorsus independentem. Esse quippe doctrinam istam S. Thom. communem omnibus contingentibus seu conditionatis, seu absolutis, ex ipsius locis citatis tum interse collatis, tum benè perpensis, facilè quisque deprehendet.

Quartò probatur; quia, vt docet S. Thom. 213
q. 12. de Verit. art. 10. & 2. 2. quæst. 174. art. 1. aliqua contingentia sunt à Deo præscita, quæ ab ipso non sunt prædestinata; latiùsque propterea patet præscientia, quàm prædestinatio respectu contingentium. Ergo ex mente S. Thom. aliqua contingentia, eaque tum conditionata, tum absoluta, præsciuntur à Deo independenter à prædestinatione, atque adeò ab omni decreto prædefinitiuo sui.

Quintò probatur; quia dicit S. Thom. 3. p. 214
quæst. 1. art. 3. ad 4. *Prædestinatio præsupponit præscientiam futurorum.* Loquiturque, vt notabamus supra quæst. 6. num. 158. de præscientiâ etiam eorum futurorum, quæ sunt prædestinationis effectus, qualis est aliorum oratio ibi adducta in exemplum, vt ipse S. Thom. docuerat 1. par. quæst. 23. art. 8. quæ præscientia subinde non potest non esse conditionata: siquidem præscientia absoluta de defectibus decretorum Dei, in quibus consistit prædestinatio, potiùs subsequitur, quàm antecedat talia decreta, atque adeò prædestinationem ipsam, vt est notissimum. Igitur eiusmodi conditionata præscientia nulli præuio decreto prædefinienti obiectum eius subnixa est, prout Aduersarij volunt: eo quòd omne decretum prædefiniens quemuis prædestinationis effectum in ipsa prædestinatione includitur, vt est notissimum: atque ita non potest esse ptæuium ad præscientiam, quæ prædestinationem ipsam præcedit.

Sextò probatur; quia quando dicit S. Tho. 215
2. 2. quæst. 165. art. 1. ad 2. *Sicut Deus sciebat, quòd homo per tentationem in peccatum esset deiciendus, ita etiam sciebat, quod per liberum arbitrium resistere poterat.* planè supponit, nullum habuisse Deum decretum prædeterminatiuum hominis ad actum peccati: nam, tali decreto existente, nullatenus homo posset resistere; (cùm certum sit ex sacrâ Scripturâ sæpe id repetente, neminem resistere posse voluntati Dei efficaci); atque ita nec Deus sciret, quòd ille per liberum arbitrium resistere poterat; vt docet S. Thomas. Tautum ab est, vt talis scientia fundetur in tali decreto. 216

Iam verò quæ ab Aduersarijs nobis ex S. Thomâ opponuntur inferiùs à num. 286. diluemus. Quo clariùs adhuc apparebit, Doctorem Angelicum non pro illis stare, sed pro nobis.

Probatur propositio à ratione.

Prima ratio, eaque valde efficax, petitur ab 217
impossibilitate decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti, quod Thomistæ requirunt pro motiuo, seu fundamento scientiæ vndequaque certæ, & infallibilis conditionati contingentis, quam iam nobiscum confitentur in Deo. Imprimis enim istud decretum omnino euertit libertatem futuri conditionati, quod prædefinit, vt supra num. 41. sæpeque aliàs adnotauimus. Cæteraque inde sequentia incommoda secum

cum fert, quæ Nostri efficacissimè deducunt in Tractatu de Auxilijs ex prædeterminatione Thomisticâ; nempe meritum, & demeritum aufert; frustraneas reddit exhortationes, atque ita inutilem maiori ex parte facit prædicationem verbi Dei; vim contractuum humanorum prorsus eneruat; &, vbi deest, auxilium sufficiens ad bona agenda, & mala cauenda non adest; grauitati, & leuitati tentationum non relinquit locum; imo facit, vt quò grauior, & vehementior est tentatio, eò sit minùs periculosa; eòque certior sit operatio bona, quò remissiùs, segniùsque ad illam homo vocatus est; quatenus grauiùs tentatus ad malum, & segniùs concitatus ad bonum sine culpâ suâ certiùs sibi polliceri potest auxilium efficax prædeterminans à misericordia Dei, &c. De quibus in dicto Tractatu. Deinde, quando futurum conditionatum est aliquod peccatum, multis alijs titulis est impossibile prædictum decretum, vt etiam num.41. & aliàs sæpe notatum est. Facit enim Deum auctorem, & amatorem peccati, aliasque ei imperfectiones ipsi indignas apingit, vt in Tractatu de Prouidentiâ solet ostendi. Præterea, quando futurum conditionatum eiusmodi est, vt conditio in suâ positione à nullâ voluntate creatâ, sed à Deo solo dependeat, qualia sunt multa prædicta in sacrâ Scripturâ; e. g. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, &c.* ad Rom.9. tum quidem iuxta opinionem satis probabilem Deus tale futurum sub tali conditione decernere efficaciter nequit: eoquòd eiusmodi decreta inutilia, & irrationabilia videntur. De quo in Tractatu de Voluntate. Id quod de decretis de conditione impossibili absolutè dicendum est. Tametsi alia alterius generis conditionata decreta sint Deo possibilia; vt contra quosdam Theologos præsertim ex Connotantibus ibi monstrabo; qui contra communem sententiam vniuersaliter censent, omne decretum conditionatum ex parte obiecti, absolutumque ex parte actus esse Deo impossibile. Atque ex hoc insuper capite decretum Thomisticum, de quo nunc agimus, impugnant, sed non
218 efficaciter.

Secunda ergo efficax ratio ad illud reijciendum inde sumenda est, quòd, esto possibile esset, ad scientiam tamen Dei, de qua agimus, nullatenus est necessarium. Primò; quia contingens conditionatum independenter prorsus à tali decreto, imo & ab alio quopiam connectente conditionem cum ipso veritatem habet determinatam non illatiuam, vt supra quæst.3. propos.3. ostendimus. Igitur contingens conditionatum independenter à tali decreto certissimè est cognoscibile, de factoque cognitum à Deo; qui non potest non certò cognoscere, quidquid est verum, eâ ratione, qua verum est. Et confirmatur à paritate contingentis absoluti, quod independenter ab omni decreto prædefinitiuo sui tanquam à medio certissimè cognoscitur à Deo, prout disput.27.quæst.7.propos.1. monstratum est. Secundò; quia, quamuis veritas conditionata dictorum contingentium absque illatione necessariâ ortâ ex connexione conditionis cum conditionato constare non posset, vt Thomistæ prætendunt, adhuc decretum hoc absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti ad huiusmodi veritatem necessarium non esset, vt apparebit ex dicendis. Quo fit, vt neque ad scientiam diuinam de supra dictis contingentibus necessarium sit. Tertiò; decretum istud de quo agimus antecedenter ad existentiam sui absolutam non potest non à Deo cognosci conditionatè, vt ex dicendis quæst.9. de cognitione decretorum Dei constabit. Ad huiusmodi autem scientiam conditionatam talis decreti, quod contingens quoddam conditionatum est, simile aliud decretum in Deo non potest præcedere; nam adhoc secundum cognoscendum deberet pariter præcedere tertium, & sic deinceps; daretur que infinitus processus decretorum reflexorum actualiter existentium in Deo. Quod est absurdum. Ergo aliquod contingens conditionatum potest cognosci à Deo sine præuio decreto prædefinitiuo illius; & consequenter cætera omnia: quia de omnibus, quod ad rem attinet, eadem ratio est. Quòd siquis audacter deuorauerit progressum illum infinitum decretorum se se reflexè, conditionatèque prædefinientem, nec sic vim argumenti facti valebit effugere: nam tota collectio decretorum actu in Deo existentium, nullo prorsus excepto, est quoddam obiectum contingens conditionatè cognoscibile à Deo, idque sine decreto præuio, atque prædefinitiuo sui; cùm nullum extet extra se. Et quidem, cùm Deus cognoscat infinita decreta, quæ absolutè non habet, prout extitura sub hypothesibus infinitarum conditionum excogitabilium, vti, videbimus quæst. citatâ, infinitæ prædefinitiones reflexæ de talibus conditionatis decretis absolutè existentes essent ponendæ in Deo, si vera esset Aduersariorum sententia. Hoc autem quis non censeat absurdum penitus impossibile, saltem propter superfluitatem tot existentium decretorum iuxta dicenda statim.

Tertia enim ratio petenda est ab otiositate 219
infinities infinitorum decretorum Dei actualium, quæ inaniter, & sine fructu essent in Deo asserenda, si ad scientiam conditionatorum contingentium decretum Thomisticum, quod refellimus, necessarium esset. Negari enim non potest iuxta hactenus dicta, omnia omnino contingentia conditionata excogitabilia aut vera, aut falsa esse determinatè; atque ita aut illa, aut eorum contradictoria certissimè iudicari à Deo. Si igitur cuncta hæc illatiuè solùm sunt vera, atque ita iudicabilia à Deo ex vi decreti, quo ab ipso prædefinita sunt; necessarium erit asserere, nihil excogitabile esse, circa quod, aut circa eius contradictorium non habeat Deus infinita decreta conditionata iuxta infinitas combinationes, quibus vnumquodque sub infinitis conditionibus indifferentibus aut est futurum, aut non futurum. Quis autem credat, Deum in suâ æternitate in tot decretis concipiendis otiari? Quis credat, Deum (vt prætermittam cætera) ab æterno prædefiniisse sub omnibus conditionibus excogitabilibus singulos actus liberos omnium creaturarum rationalium, quæ in alijs infinitis Mundis possibilibus essent, casu, quòd illi crearentur; cùm tamen absolutè nec tales Mundi sint creandi, nec aliqua talium creaturarum vnquam sit extitura? Aut quis non videat, tam multa decreta otiosa esse, nihilque Deo perfectionis, aut vtilitatis adscisce re, & consequenter prorsus ei repugnare? Dici enim non potest, ea vtilia esse ad cognoscendas veritates conditionatas, eoque solùm sine fuisse concepta à Deo: nam, si, sublatis decretis, tales veritates cognoscibiles non manerent, nullus in Deo esset defectus, non cognoscere illas. In Deo enim nulla imperfectio est, non cognoscere, quod, sublato decreto suo libero, non manet cognoscibile; neque tenetur illud decernere ad hoc, vt co-

gnoscat: aliàs teneretur absolutè decernere omnia possibilia, vt illa cognosceret absolute futura, qualiter non cognoscit modò. Quod est absurdum. Quod autem dicunt nonnulli; sicut de ratione infiniti intellectus est, vt omne verum cognoscibile attingat, ita de ratione infinitæ voluntatis esse, vt attingat omne bonum amabile, qualia sunt contingentia conditionata; idem absurdum præsefert. Sequeretur enim, voluntatem diuinam debere etiam efficaciter velle omnia contingentia absoluta, atque ita cuncta possibilia creare. Quo facto, vt ad illa non creanda Deus liber non esset. Quod est hæreticum. Intellectus ergo diuinus idcirco non potest non cognoscere omne verum; quia, cùm sit potentia necessaria, si quid verum illum lateret, debilitati attribueretur, & imperfectioni potentiæ. Quod ita non sit in voluntate: quæ, cùm sit potentia libera, absque imperfectione cessare potest ab actibus amoris, quos liberè exercet, atque adeò non est necesse, quòd amet efficaciter omne amabile. Præterquamquòd, ignorare aliquid verum, præsefert imperfectionem, quam non præsefert non amare aliquod bonum. Iam, si infinitudo prædefinitionum absolutè existentium de infinitis creaturis, quas extituras sub conditione cognoscit Deus, titulo otiositatis est impossibilis: quanto potiore iure erit impossibilis eodem titulo infinitudo prædefinitionum reflexarum de infinitis decretis suis, quæ extitura sub conditione etiam cognoscit Deus, vt dicebamus num. præced.

220 Quarta ratio pro scientiâ conditionatorum contingentium independente à decreto Thomistico sic formari potest. Deus potest talem scientiam habere. Ergo de facto habet. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Nam aliàs voluntas creata non esset libera ad suos actus defectu potestatis constituentis libertatem ad illos, qualis est potestas ad faciendum quod illi existant. Potestas enim, quam voluntas creata omittens hodie actum (qui eo ipso nullo decreto est hodie prædefinitus à Deo) titulo libere omittentis habet ad faciendum, quòd talis actus existat hodie, nequit non esse potestas ad necessitandum intellectum diuinum, vt talem actum cognoscat tum absolutè, tum conditionatè existentem hodie; cùm sit impossibile, existere talem actum hodie, quin ita cognoscatur à Deo: tali que potestas necessitandi intellectum diuinum ad cognoscendum sic dictum actum media ipsius existentiâ stat in voluntate creatâ sine potestate necessitandi, determinandive voluntatem diuinam, vt de illo habeat prædefinitionem, quam de facto non habet: quia prædefinitiones diuinæ iuxta Thomistas nullatenus sunt in manu arbitrij creati, neque ab eius libero nutu sunt determinabiles quo ad existentiam. Igitur voluntas creata omittens hodie libere actum, eo ipso est potens necessitare intellectum diuinum, vt illum cognoscat tum absolutè, tum conditionatè existentem independenter ab omni decreto prædefinitiuo eius: quod stare nequit absque eo, quòd Deus ad illum sic cognoscendum sit potens, vt est notissimum. Concluditurque, aut Deum posse cognoscere tum absolutè, tum conditionatè existentes actus voluntatis creatæ independenter ab omni decreto prædefinitiuo eorum, aut voluntatem creatam ad tales actus non esse liberam. Quod erat ostendendum.

221 Quinta ratio à libertate decreti prædicti Thomistarum desumi potest. Hoc enim ipso, quòd illud est liberum, vt illi supponunt, potuit à Deo omitti. Asserere autem, casu, quòd Deus omisisset omne huiusmodi decretum, nullum omnino contingens conditionatum fore tunc verum, & cognoscibile, valde durum est, & contra argumenta facta supra quæst. 3. satis clarè ostendentia, ex duobus contradictorijs conditionatis non posse non alterum determinatè verum esse. Quòd autem Deus non sit necessitatus ad prædefiniendum alterutrum ex extremis contradictorijs conditionatis, sed circa vtrumque purè omissiuè se habere possit, in Tract. de Voluntate ostendemus. Sufficiat modò, sublata per possibile, aut impossibile omni prædefinitione Dei, non posse non alterutrum ex duobus contradictorijs conditionatis adhuc manere verum iuxta argumenta dicta; atque adeò ad eius veritatem decretum, quod impugnamus, necessarium non esse.

Quin imo illud ad eam esse impertinens, in de probandum venit, sitque sexta ratio. Quia, cùm veritas conditionata, præsertim contingens, prior sit secundùm naturam, quàm absoluta, indifferensque, vt transeat, vel non transeat in illam iuxta doctrinam traditam supra quæst. 1. num. 13. nihil prout actu, & absolute existens in natura rerum pertinet ad talem veritatem. In eâ enim, quidquid ex parte conditionis se habet, solùm debet poni in hypothesi, &, quidquid ex parte conditionati, sub tali hypothesi dumtaxat debet habere *esse*; quidquid sit de *esse* absoluto, quod conditio, & conditionatum aut habent, aut non habent re ipsâ: hoc enim impertinens est ad talem veritatem, vt ex se constat. Ex quo patet, decretum absolutum ex parte actus, quod Thomistæ ponunt, ad veritatem conditionatam illatiuam, quam ipsi intendunt, nullo modo spectare prout absolutè existens, quauis prout positum in hypothesi spectare possit; siue absolutè postea existat, siue non existat. Confirmatur. Quia purificatio aliarum conditionum ad veritatem conditionatam non pertinet, vt ipse Thomistæ supponunt. Ergo nec pertinet purificatio, hoc est, existentia absoluta decreti, quod secundùm eorum doctrinam ex parte conditionum se habet connectens eas cum conditionatis; vnaque subinde ex conditionibus censeri debet. Non nego, in supradicto decreto prout actu, & absolutè existente, si detur, posse obiectum conditionatum, cum quo connectitur, tanquam in medio cognosci à Deo. Affero tamen, veritatem conditionatam etiam illatiuam eiusdem obiecti per solam hypothesim eiusmodi decreti consistere ante eius existentiam absolutam, & independenter ab illâ. Id quod ex argumento sequente constabit amplius. 222

Sitque septima ratio. Quia prædictum decretum ineptum omnino est prout absolutè existens ad intentum, pro quo ponitur ab eius Auctoribus, nempe vt connectat conditionem, aliàs indifferentem, cum contingente conditionato, sicque hoc illatiuè verum euadat. Ergo longè abest, vt tale decretum ad tale intentum sit necessarium, prout ipsi volunt. Consequentia est euidens. Vt autem probem antecedens, suppono doctrinam vniuersalem, certissimamque in præsenti materia. Nimirum; ex eo, quòd aliquid sit absolutè existens, non sequi, debere illud existere nihilominùs in casu, quòd poneretur quauis conditio: imo è contrariò nullum ens contingens est absolutè existens, de quo non sit verum, non extitu- 223

rum,

tum, si conditio aliqua, aut etiam quæuis ex pluribus poneretur. Ita enim est modò absolutè existens actio, qua scribo hanc paginam, vt modò existens non esset, si modò ægrotarem, aut si essem in agro, aut si aliam quamuis ex innumeris possibilibus occupationem haberem. Ita hodie Petrus absolutè peccat, vt non peccaret, si tali, vel tali auxilio gratiæ, vel quouis simili ex innumeris possibilibus hodiè præditus esset. Et vniuersè nullum ex entibus creatis, quæ absolutè existunt, existeret, si Deus nullum de eorum existentiâ haberet decretum. Hæc cùm ita sint, pono deinde cum Aduersarijs, habuisse Deum decretum absolutè existens de pœnitentiâ Tyriorum sub conditione, quòd apud ipsos fierent Christi miracula: prætereàque pono casum iuxta dicta possibilem, quòd scilicet Deus tale decretum non habuisset, si apud Tyrios esset purificanda conditio miraculorum Christi, vti non habuit decretum de pœnitentiâ Iudæorum, apud quos ea purificata est. His positis arguo sic. In tali casu conditio miraculorum Christi nullatenus illatiua est pœnitentiæ Tyriorum: quia neque per se est connexa cum illâ, vt supponitur, neque, si existeret, per Dei decretum redderetur connexa; quandoquidem, si existeret, iam decretum Dei non existeret, quod absolutè existens ponitur. Ergo tale decretum prout absolutè existens omnino est ineptum ad connectendum talem conditionem, aliàs indifferentem, cum suo conditionato, sicque faciendum, vt illa sit illatiua eius. Quod erat antecedens probandum. Patet hæc consequentia. Quia, si tale decretum prout absolutè existens ad id esset aptum, cum in casu posito sit absolutè existens, non posset non in casu posito talem conditionem cum suo conditionato connectere, quantumuis sit verum, illud extiturum non fore, si existeret ipsa conditio. Quod tamen secus sit, vt ostendimus, & satis per se est notum. Concluditur igitur vniuersè, decretum Dei absolutè existens de contingente conditionato præcisè vt absolutè existens prorsus ineptum esse ad reddendum conditionem aliàs indifferentem cum suo conditionato connexam, sicque faciendum, vt illa ipsius conditionati illatiua sit. Ac proinde, vt talem præstet connexionem, necessariò debere illud esse positum ex parte hypothesis vnà cum ipsâ conditione intra statum conditionatum; quidquid sit de existentiâ, aut de non existentiâ eius in statu absoluto, quæ ad rem ineptа, ac prorsus impertinens est.

224 Octaua ratio quasi à priori confirmans præcedentes est. Quia decretum conditionatum ex parte obiecti, etsi absolutè existat, non absolutè, sed conditionatè connexum est cum obiecto ipso. Hoc autem aliud non est re ipsâ, quàm complexum ex tali decreto, & ex tali conditione esse connexum cum tali obiecto, vt est manifestum. Quo fit, vt ex tali complexo sumpto indiuisim, non item ex eius partibus sumptis seorsum ipsum obiectum inferatur. Vnde rursus fit, vt talis debeat esse partium coniunctio, qualis fuerit illatio; scilicet aut absolutè existens, quando est illatio absoluta, aut per hypothesim supposita, quando est illatio conditionata. Atque ita, sicut ex decreto, & conditione nequit inferri absolutè existentia absoluta obiecti, nisi purificetur conditio, ponaturque cum decreto coniuncta in statu absoluto; ita ex conditione, & decreto nequit inferri conditionatè existentia conditionata obiecti, nisi decretum per hypothesim supponatur coniunctum cum condtiione in statu conditionato. Et, sicut ad illationem absolutam dumtaxat confert conditio prout coniuncta cum decreto absolutè; ita ad illationem hypotheticam dumtaxat confert decretum prout coniunctum cum conditione hypotheticè. Cùmque, vt decretum sic coniungatur cum conditione, positum scilicet simul cum ipsâ conditione in hypothesi, impertinens sit, nihilque conferens, quòd illud insuper existat, aut non existat absolutè; vt est certissimum: concluditur tandem, ad illationem hypotheticam, siue conditionatam, & consequenter ad veritatem illatiuam contingentis conditionati, quam prætendunt Thomistæ, impertinens esse, nihilque conferens, quòd sit, aut non sit absolutè existens decretum, quod ab eisdem ponitur tanquam quid requisitum. Quæ omnia satis, superque videntur manifesta.

Nona ratio ex doctrinâ traditâ supra quæst. 4. propos. 4. sumenda est. Ex illâ enim constat, 225
vt conditionatum sit verum veritate causali, debere aut ex parte hypothesis, aut ex parte ipsius conditionati poni quamlibet causam ipsi essentialem, vtpote sine qua non existeret. Sed talis causa est decretum Thomisticum iuxta suos Auctores conditionati contingentis, Ergo, vt hoc sit verum veritate causali, (de qua agimus impræsentiarum), illud aut ex parte hypothesis, aut ex parte conditionati ponendum necessariò est. At nequit iuxta ipsos Auctores ex parte conditionati poni; quia relinqueret hypothesim non illatiuam ipsius conditionati sic, *Si apud Tyrios facta fuissent Christi miracula, Deus pœnitentiam eorum prædefiniisset, & ipsi pœnitentiam egissent.* Ergo debet poni ex parte hypothesis, vt reddat illam illatiuam, qualem exposcunt ipsi, sic, *Si apud Tyrios facta fuissent Christi miracula, & Deus pœnitentiam eorum prædefiniisset, ipsi pœnitentiam egissent.* Cùmque, sic posito tali decreto, non possit, non contingens conditionatum esse illatiuè verum, siue decretum ipsum sit insuper, siue non sit absolutè existens, vt est manifestum: consequitur planè, ad veritatem causalem simul & illatiuam contingentis conditionati, qualem dumtaxat agnoscunt Aduersarij, existentiam absolutam prædefinitionis eius, quam ipsi ponunt, omnino impertinentem esse; sicut in ipsorum, & omnium sententiâ est impertinens existentia absoluta cæterarum conditionum, ex quarum hypothesi est illud conditionatè verum. Vti iam tetigimus; & aliàs tangemus in sequentibus.

Alijs prætereà rationibus probatur *propositio*.

Ex sunt, quas huc remisimus supra disput. 226
27. quæst. 3. num. 35. Et quibus vniuersaliter venit probandum, neque decretum vllum Dei prædefinitiuum, neque aliud quidpiam absolutè existens, determinatèque connexum cum obiecto contingente conditionato requisitum esse, vt certò omnino, & infallibiliter tale obiectum cognoscatur à Deo. Quod vt ostendam, pono, me loqui de Petro purè possibili, & arguo sic. Ad veritatem hanc, *Si Petrus existeret, consentiret*, prædefinitio Dei absolutè existens de consensu Petri sub conditione existentiæ eius (idemque semper esto de quouis alio connexo cum tali consensu sub tali conditione) neque requiritur vt causa effectiua ipsius consensus; neque vt constitutiuum intrinsecum talis veritatis; neque vt medium cum illâ

con-

connexum, & necessarium, vt Deus in eo cognoscat ipsam. Ergo nullo modo requiritur. Consequentia est bona. Quia nullus alius est excogitabilis titulus, ob quem requiratur; vt & per se notum, & ab ipsis Aduersarijs tacitè saltem concessum est, prout apparebit ex dicendis. Probandum ergo est antecedens quoad tres partes, quas continet.

227 Et quidem quoad primam facilè satis, nec minus manifestè probatur. Quoniam ad existentiam conditionatam effectus, atque adeò ad veritatem existentialem conditionatam eius non est necessaria existentia absoluta aliarum causarum ipsius, quantumuis essentialium, siue essentialiter requisitarum ad illam; sed satis, superque est talium causarum existentia conditionata, siue suppositа per hypothesim, vt est certissimum. Ergo tantumdem est dicendum de decreto Dei prædefinitiuo consensus conditionati Petri, quantumuis illud ad existentiam talis effectus sit vna ex causis essentialiter requisitis, prout Aduersarij volunt. Vt enim hæ propositiones sunt veræ, *Si existeret ignis calefaceret; Si existeret Petrus consentiret.* non existente absolutè igne, & non existente absolutè Petro; cùm tamen existentia ignis ad existentiam suæ calefactionis, & existentia Petri ad existentiam sui consensus causæ sint essentialiter requisitæ. Ita hæ quoque propositiones, imo potiore iure, sunt veræ, *Si existeret ignis, & Deus prædefiniret calefactionem eius, calefaceret; Si existeret Petrus, & Deus prædefiniret consensum eius, consentiret.* quantumuis prædefinitio Dei sit itidem causa essentialiter requisita ad ignis calefactionem, & ad consensum Petri. Quis de hoc dubitet, stando etiam in principijs Aduersariorum? Adde, decretum ex parte obiecti conditionatum prout absolutè existens nihil efficere, quandiu non purificatur conditio, vt est certissimum. Tantum abest, vt illud prout absolutè existens sit requisitum in genere causæ effectiuæ ad sui obiecti veritatem. Adde rursus, negationes, seu veritates negatiuas nullâ indigere causâ sui, vt euidenter alibi ostenditur. Ergo ad veritatem conditionatam contingentium negatiuorum neutiquam prædefinitio eorum est requisita vt causa effectiua. Cognoscere autem Deum innumera contingentia conditionata negatiua æquè, ac positiua, atque adeò illa vera obiectiuè esse, omnino indubitabile est. Hæc satis pro primâ parte antecedentis propositi.

Venio ad probandam secundam, quæ sententiæ Aduersariorum è regione est oppositа, quatenus asserunt, conditionatum contingens per se præcisè verum obiectiuè non esse, atque adeò neque cognoscibile à Deo; sortiri tamen veritatem obiectiuam, atque ita & obiectiuè verum, & à Deo cognoscibile reddi per decretum Dei absolutè existens, ex parte tamen sui obiecti conditionatum: taleque decretum subinde vnum esse ex constitutiuis intrinsecis talis veritatis, siue (quod recidit in idem) huius complexi, *Conditionatum contingens obiectiuè verum.* Quod quàm sit à veritate alienum, imo penitus impossibile, probandum modò mihi est varijs rationibus, petitis potissimùm ex ijs, quæ in simili scripta dedi in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. propositi. 1. & 2. Sumitur autem hic (vti & ibi supposui) tam ab Aduersarijs, quàm à nobis veritas obiectiua, non formaliter pro denominatione extrinsecâ, vel semiextrinsecâ proueniente rebus à cognitione verâ, per quam sunt cognoscibiles, sed fundamentaliter pro ipso *esse*, quod rebus conuenit ante sui cognitionem, ratione cuius idoneæ euadunt, vt terminent cognitionem veram. Itaque contingens conditionatum neutiquam mutuare potest ab aliquo decreto Dei absolutè existente veluti à quadam formâ extrinsecâ eiusmodi veritatem obiectiuam, qua euadat obiectum idoneum scientiæ diuinæ, atque adeò cognoscibile à Deo, ita, vt, eo secluso decreto, tale non esset.

Probatur primò quasi à priori. Nulla res 229
potest reddi obiectiuè vera per aliquid à se distinctum realiter; sed per se necessariò est talis, quæcunque obiectiuè vera est. Ergo contingens conditionatum non potest reddi obiectiuè verum per decretum Dei, de quo agimus. Consequentia est euidens; cùm sit certissimum, tale decretum realiter esse distinctum à contingente conditionato. Antecedens autem vniuersaliter, & (ni fallor) satis apertè est demonstratum à me loco citato Phari Scient. num. 12. vbi demonstratio eius videnda est.

Hinc secundò probatur ab absurdo. Nullum 230
contingens conditionatum est obiectiuè verum intrinsecè, vt statuunt Aduersarij. Sed iuxta argumentum præcedens nec potest reddi obiectiuè verum extrinsecè per decretum Dei. Ergo simpliciter nullum est obiectiuè verum. Sed solùm obiectiuè vera sunt à Deo cognoscibilia. Ergo, stante Aduersariorum sententiâ, nullum contingens conditionatum à Deo cognoscibile est. Quod quàm sit absurdum, ex ijs, quæ dicta sunt hactenus, cunctis est manifestum.

Tertiò probatur. Aut contingens conditio- 231
natum, ad quod iuxta Aduersariorum sententiam terminatur decretum Dei, intrinsecè, & identicè est in se aliquid, siue habet aliquod *esse* à tali decreto condistinctum; vel in se nullum *esse* habet, siue prorsus est nihil. Si dicatur secundum. Ergo datur in Deo decretum, quo decernit nihil, volitioque, qua nihil vult. Quod est chymæricum; vt patet. Si autem dicatur primum. Ergo contingens conditionatum prout condistinctum à dicto decreto intrinsecè, & identicè in se est obiectiuè verum: siquidem de omni habente in se intrinsecè, & identicè aliquod *esse* est iudicabile verè, quòd habet illud; quod ipsum est, esse illud per se præcisè obiectiuè verum; vt est manifestum. Ergo contingens conditionatum neutiquam mutuatur à tali decreto velut à formâ quadam extrinsecâ suam veritatem obiectiuam, prout Aduersarij volunt. Quod confirmatur. Nam, vt illud intrinsecum *esse*, quod habet contingens conditionatum, est sufficiens terminare decretum, quod Aduersarij ponunt, per se præcisè, & independenter ab alio decreto; ita vtique per se præcisè, & independenter ab ipso decreto Aduersariorum est sufficiens terminare scientiam diuinam; prout nos censemus.

Dicet fortasse aliquis, contingens conditio- 232
natum habere quidem aliquod *esse* intrinsecum, ac penitus indistinctum à se; sed illud habere dependenter à prædicto decreto, aliàs non habiturum, si tale decretum deesset: taleque *esse* proinde nec independenter à tali decreto, nec aliter, quàm in decreto ipso esse cognoscibile à Deo. Cæterùm, si in hac responsione sit sermo de dependentiâ à decreto tanquam à causâ effectiuâ, ea vtique nec est ad casum præsentem, in quo solùm agimus de dependentiâ à decreto tanquam à formâ constituente: nec est vera; cùm iam relinquamus statutum satis apertè num. 224. contingens

con-

conditionatum quoad suum *esse* nequaquam esse necessariò dependens à decreto, de quo tractamus, vt à causâ effectiuâ. Si autem sit sermo de dependentiâ à decreto tanquam à formâ constitutiuâ, magis aperte est falsa dicta responsio: cùm euidenter sit impossibile, vt contingens conditionatum aliquod *esse* intrinsecum, ac penitus indistinctum à se formaliter, siue constitutiuè habeat ab aliquo distincto à se, quale est dictum decretum, aliàs illud non habiturum, si tale distinctum deficeret. Vnde euidenter etiam infertur, contingens conditionatum ab aliquo distincto à se neutiquam habere posse formaliter, & constitutiuè suam obiectiuam veritatem, quæ aliud non est à suo *esse* intrinseco, & secum identificato; & consequenter neque illam sic habere posse à prædicto decreto; prout num.226. arguebamus, latiùsque habemus demonstratum in Pharo Scient.disput.10. quæst.1.num.12.

233 Quòd si Aduersarij dicant cum Recentioribus à nobis in eâ quæst.1.propositi.1.& 2.fusè impugnatis id, quod reuerà sentiunt, & sæpe supponunt, contingens scilicet conditionatum in se nullum *esse* intrinsecum, nullamque subinde intrinsecam veritatem obiectiuam habere: denominari tamen illud nihilominùs extrinsecè à decreto existente sui tum volitum, tum obiectiuè verum; perinde, ac rosa in hyeme, quando in se nihil est, reuerà volita denominatur à volitione existente sui. Si hoc, inquam, Aduersarij dicant, præter iam facta, cætera fere omnia argumenta contra eos militabunt, quæ contra præfatos Recentiores congessimus loco citato. Quarto enim arguo sic contra eos. Hoc obectiuè verum, *Si Petrus existeret, existeret consensus eius*, iuxta expositam ipsorum doctrinam includit in se decretum Dei absolutè existens, & quidquid includit aliud, præter tale decretum, à parte rei prorsus est nihil. Ergo, dum Deus iudicat illud, dumtaxat iudicat existentiam decreti sui, apprehensâ vt summùm simpliciter existentiâ conditionatâ consensus Petri, quam decretum habet pro obiecto: hanc enim iudicare non potest; quia falleretur; cùm ea nullo modo detur à parte rei. Quemadmodum, dum Deus iudicat, velle Petrum, vt rosa existeret, quæ à parte rei existens non est, dumtaxat iudicat, existere volitionem Petri de existentiâ rosæ, ipsâ existentiâ rosæ non iudicatâ; quia falleretur; sed summùm apprehensâ simpliciter. Vnde vniuersaliter sequitur, Deum nullum contingens conditionatum iudicare, sed tantùm iudicare decreta sua, siquæ de illis habet; atque adeò nullum contingens conditionatum scire, contra doctrinam iam apud omnes prorsus certam ex sacrisque Scripturis, & Patribus quæst.6.stabilitam. Sciri quippe solùm dicitur, quod iudicatur; non item, quod apprehenditur tantùm simpliciter, vt est notissimum. Imo verò, quemadmodum, dum scitur à Deo, existere volitionem de existentiâ rosæ non existentis, tantum abest, vt sciatur simul ab eo, rosam existere, quòd potius scitur contradictorium, nempe, rosam non existere, vt constat. Ita iuxta doctrinam, quam impugnamus, dum scitur à Deo, existere decretum suum de existentiâ conditionatâ cuiusuis contingentis, tantum abest, vt sciatur simul ab eo, tale contingens conditionatè existere, quòd potius scitur contradictorium, nempe, tale contingens conditionatè non existere: siquidem iuxta dictam doctrinam tam non est à parte rei existentia conditionata cuiusuis contingentis prout condistincta à decreto Dei, quàm non est à parte rei existentia rosæ non existentis prout condistincta à sui volitione. Vnde rursus vniuersaliter sequitur, tam longè ab esse, vt Deus, præter decreta sua, insuper sciuerit, fore sub conditione ea omnia, quæ fore sub conditione, prædixit nobis in suis Scripturis, quòd potius sciuerit contradictorium, nempe ea non fore; cùm tamen testatus sit, fore. Quæ quàm immania absurda sint, ex dictâ Aduersariorum doctrinâ planè sequuta, nemo non videt.

Contra quam arguo quintò. Deus non solùm suum decretum, sed insuper ipsum contingens conditionatum prout condistinctum à tali decreto cognoscit, vt est certissimum ex statutis quæst. 6. Ergo vel dicta Aduersariorum doctrina omnino falsa est, vel fallitur Deus. Probo consequentiam. Quoniam contingens conditionatum terminans semel sui cognitionem vt condistinctum à decreto non potest non esse aliquid obiectiuè in mente illud cognoscentis vt condistinctum à decreto; (omne enim cognitum aliquod *esse* obiectiuum habet in mente illud cognoscentis, aut non erit cognitum, vt ponitur). At in se ipso vt condistinctum à decreto nihil est penitus iuxta Aduersarios. Igitur aliter se habet in mente cognoscentis, quàm se habet in se. Quod ipsum est, cognoscentem falli, quando cognitio iudicatiua est, vti supponimus. Vel ergo Aduersarij falluntur, vel fallitur Deus. 234

Sextò argumentor. Dum Aduersarij asserunt, sub conditione existentiæ Petri consensum eius nec existentiam, nec veritatem obiectiuam habere, sublato omni decreto Dei absolutè existente; vel est eorum assertio falsa, vel vera. Si falsa; habemus intentum. Si vera; non potest non esse verum eius obiectum, vt taleque cognosci à Deo, quem nullum potest latere verum. At tale obiectum vnum quoddam conditionatum contingens est: siquidem iuxta Aduersarios, posito vnà cum Dei decreto contradictorio vero eius, potuit deficere. Igitur, sublato omni decreto Dei absolutè existente, aliquod nihilominùs datur contingens conditionatum verum à Deoque cognitum contra Aduersariorum doctrinam. Quo iterum habemus intentum. Fitque, vt non possimus illo fraudari, siue ea falsa, siue vera esse dicatur. 235

Septimò. Hæc duo obiecta, *Si Petrus existeret, consentiret*, *Si Petrus existeret, non consentiret*; vel sunt contradictoriè opposita ante omne decretum Dei absolutè existens; vel non. Si sunt. Ergo ante omne decretum Dei absolutè existens, atque adeò intrinsecè alterum verum, & alterum falsum est; quo corruit Aduersariorum doctrina. Siquidem ex duobus extremis contradictoriè oppositis non potest non esse alterum verum, & alterum falsum iuxta principium euidentissimum receptum ab omnibus, à nobisque statutum in Pharo Scient.disput.9.quæst.5. propositi. 1. Si autem non sunt contradictoriè opposita. Ergo potuit Deus ambo illa simul decernere: quia nihil vetat, decernere Deum, vt sint simul ea, quæ vt à decreto condistincta inter se opposita non sunt. Consequenterque ambo simul poterunt per tale decretum & vera simul, & à Deo cognita euadere: cùm tamen alterum formalem negationem alterius includat in conceptu suo. Quod est chymæricum, vt ex se patet. 236

Octauò. Certum est iuxta existimationem omnium communem, multa contingentia conditionata quoad veritatem suam esse moraliter necessa- 237

cessaria; multa verò non item. Sed hanc differentiam inter se non haberent, si omnia formaliter à prædefinitione Dei vt à formâ extrinsecâ suam sortirentur veritatem: quia vt sic omnia quoad talem veritatem metaphysicè, & prorsus æqualiter necessaria essent, vt est notum. Ergo aliunde, quàm ab eiusmodi prædefinitione dicenda sunt suam veritatem habere.

237 Nonò. Omnia peccata conditionatè existentia inter contingentia conditionata recensenda veniunt cum totâ suâ malitiâ formali, vt est certissimum. Sed planè est absurdum, asserere malitiam formalem omnium eiusmodi peccatorum quatenus veram inadæquatè saltem esse indistinctam à decretis Dei seu prædefinitiuis, seu permissiuis eorum. Igitur neutiquam dicenda est ea intrinsecè in ratione veræ constituti per talia decreta, vt dici debet in Aduersariorum sententiâ. Imo verò, cùm iuxta hanc peccata conditionatè existentia cum totâ suâ malitiâ prout condistincta à decretis Dei nullam veritatem obiectiuam, nullumque penitus *esse* habeant, necessariò dicendum sequitur, totam eorum veritatem, totumque eorum *esse* adæquatè identificari cum ipsis decretis, neque vllo pacto ab eis distingui. Quod est longè maius absurdum.

238 Decimò denique. Nulla apparet proportio inter decretum Dei absolutè existens, & contingens conditionatum, vt hoc per illud formaliter verum obiectiuè reddatur, imo id videtur repugnare. Ergo absque fundamento; imo contra rationem asseritur, hoc per illud formaliter reddi obiectiuè verum. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Quia forma, & concretum, siue constitutum per formam in eodem statu esse debent, vtpote pars, & totum; neque per formam prout existentem in vno statu potest constitui totum, quod ea intrinsecè constituit, siue componit, prout existens in altero, vt satis ex se notum est. Ergo per veritatem absolutam decreti Dei prout existentis in statu absoluto nequit velut per quamdam formam constitui veritas conditionata contingentis conditiocati spectans ad statum conditionatum ab absoluto longè diuersum. Omitto alia, quæ ex pluribus datis loco citato Phari fortasse ad rem applicari possent.

239 Ex dictisque concludo, veritatem obiectiuam contingentis conditionati nullatenus constitui posse veluti per quamdam formam extrinsecam, aut per decretum Dei, quod Aduersarij ponunt, aut per aliud quidpiam absolutè existens, & cum tali contingente conditionato necessariò, determinatèque connexum. Vniuersaliterque impossibile esse, vt obiectum, aliàs in se intrinsecè, & identicè non verum obiectiuè, reddatur obiectiuè verum per aliud quid distinctum à se veluti per formam extrinsecam. Et consequenter, nec tale decretum, nec rale quid aliud absolutè existens, & connexum cum contingente conditionato posse esse requisitum, vt in eo tanquam in quodam constitutiuo veritatis obiectiuæ talis contingentis conditionati Deus cognoscat ipsum. Rursusque consequenter, omnia conditionata contingentia, quæ certissimè Deus cognoscit iuxta doctrinam certam statutam quæst. 6. in se ipsis esse vera obiectiuè per veritatem sibi intrinsecam, ac secum identificatam, nullatenusque per aliud quidpiam tanquam per formam extrinsecam constituram. Hæc enim omnia probant, me quidem iudice, efficaciter, argumenta facta.

240 Per quæ pariter probandum venit id, quod disput. 27. quæst. 3. num. 55. huc probandum remisi. Nempe, veritatem obiectiuam determinatam futuri contingentis absoluti neutiquam constitui posse veluti per formam extrinsecam per decretum Dei, aut per aliud quidpiam existens de præsenti, & necessariò, determinatèque connexum cum ipso contingente futuro; quasi hoc in se ipso, & intrinsecè nullam veritatem obiectiuam determinatam habeat. Et consequenter tale quid præsens requisitum esse non posse, vt Deus cognoscat in illo tale futurum tanquam in constitutiuo quodam veritatis obiectiuæ eius. Rursusque consequenter, omnia futura contingentia absoluta, quæ Deus iuxta certam fidem cognoscit, non per decretum Dei, aut per aliud quid præsens tanquam per extrinsecam formam, sed per se ipsa, perque veritatem sibi intrinsecam, & secum identificatam esse determinatè vera obiectiuè. Hæc enim omnia probant pariter argumenta prædicta, vt vnicuique illa ad propositum applicanti claré innotescet. In quibus proinde applicandis non opus est, quòd immoremur.

Restat, vt antecedentis propositi num. 226. 241
tertiam partem, quæ probanda supereſt, probemus. Scilicet, decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti, quod Aduersarij ponunt, aut aliud quid absolutè existens, & connexum cum contingente conditionato nullatenus requisitum esse, vt hoc in illo tanquam in medio secum connexo cognoscatur; quasi aliter, quam in tali medio nequeat à Deo cognosci. Id quod probatur argumento vniuersali iam aliàs tacto præsertim disput. 27. quæst. 3. num. 56. Quia nimirum, quoties obiectum quoduis aliquod *esse* proprium habet in se, propriamque subinde veritatem obiectiuam intrinsecam sibi, & secum identificatam, atque indistinctam à tali *esse*, (qualem iam hìc habere supponimus conditionatum contingens ex probationibus anteà factis), non potest non esse illud à Deo cognoscibile in se ipso, tametsi insuper in alio quouis obiecto secum connexo sit etiam cognoscibile tanquam in medio. Quia omne obiectiue verum veritate propriâ, per seque subinde terminatiuum cognitionis veræ, eo ipso non potest non esse per se quoque determinatiuum ad sui cognitionem (determinatione scilicet intentionali, siue obiectiuâ) intellectum aliàs omnis omnino veri necessariò cognoscitiuum, qualis est intellectus Dei. Quod ipsum est, non posse non à tali intellectu esse in se ipso cognoscibile iuxta definitiones ex communi supra statutas disput. 23. quæst. 7. de obiectis tum in se ipsis, tum in alijs cognoscibilibus. Nempe per illam cognitionem dicitur cognosci obiectum in se, ad quam ipsum per se determinat: per illam verò in alio, ad quam determinat aliud. Sæpeque fit, vt idem obiectum & in se, & in alio sit cognoscibile, de factoque cognoscatur à Deo, vt constat ex dictis tum ibidem tum tota disput. 26. atque etiam 27. Itaque contingens conditionatum hoc ipso, quòd intrinsecè, siue identicè in se est obiectiuè verum, vti hìc iam supponimus, nequit non esse in se ipso cognoscibile à Deo. Quo posito, manifestè consequitur, nullo illud medio indigere secum connexo præcisè eo titulo, vt cognoscatur; quasi aliter, quàm in tali medio, non esset cognoscibile: taleque medium subinde, vt illud cognoscatur à Deo, requisitum non esse. Quod erat probandum. Cum quo stat, contingens conditionatum non solùm in se ipso, sed in quouis alio medio secum connexo, si detur, cognoscibi-

scibile esse, de factoque cognosci à Deo, vti apparebit ex dicendis.

242 Ex quibus omnibus concluditur, decretum prædeterminatiuum de contingente conditionato, quod actu, & absolutè existens ponunt Thomistæ in Deo, nullatenus esse necessarium ad hoc, vt Deus certò, & infallibiliter cognoscat ipsum contingens conditionatum; dato etiam, quòd tale decretum esset possibile. Quod nos negamus; putantes, illud essentialiter esse oppositum eidem obiecti sui libertati, quam conatur adstruere; aliaque secum ferre inconmoda tum cum obiecto ipso, tum cum Deo incompatibilia. De quo latiùs in Tract. de Prouidentiâ Dei. Vbi etiam videbimus, quomodò pro contingentibus liberis tum conditionatis, tum absolutis nullum sit necessarium decretum Dei determinatè cum eis connexum, sed sufficiat decretum indifferens, quo Deus cum voluntate creatâ concurrere decernat ad eam partem, quam ipsa elegerit: illudque pro conditionatis non actu, & absolutè
241 existens, sed vel existens tantùm conditionatè, vel per hypothesim suppositum, siue in eâ positum iuxta ea, quæ tetigimus supra quæst. 4. propos. 4. & sæpiùs tangemus in sequentibus.

Propositio 2.

243 **Decretum conditionatum ex parte obiecti absolutè, & actu existens in Deo inconsequenter ad principia Thomistarum adstruitur vt necessarium ad hoc, vt Deus certò cognoscat conditionata contingentia.**

Hæc propositio mihi est certa. Quoniam Thomistæ plane fatentur, & asseuerant, (id quod nemo negare potest), quoties ex parte conditionis conditionati obiecti est aliquid connexum essentialiter cum conditionato ipso, tunc tale obiectum veritatem illatiuam habere omnino certò, & infallibiliter à Deo cognoscibilem. Sed, si ex parte conditionis simul cum alijs comprincipijs contingentis conditionati ponatur in hypothesi physica prædeterminatio, quam ad omnem effectum contingentem prærequirunt Thomistæ, aliquid erit ex parte conditionis conditionati obiecti connexum essentialiter cum conditionato ipso, vt est notum. Igitur tunc tale obiectum independenter ab omni decreto Dei actu, & absolutè existente veritatem obiectiuam habebit omnino certò, & infallibiliter à Deo ipso cognoscibilem. Proindeque Deus, vt eam sic cognoscat, nullo decreto absolutè existente egebit. Itaque enunciatio hæc apud Thomistas non potest non esse vera illatiuè, omni decreto Dei actu, & absolutè existente penitus circunscripto, *Si Deus prædeterminaret Petrum ad consentiendum, Petrus consentiret*. Vnde Deus non potest non, sublato omni decreto in se actu, & absolutè existente, talem veritatem certò cognoscere. Si quod enim decretum Dei insuper ad illam requiritur, ex parte etiam conditionis potest poni in hypothesi sic, *Si Deus decerneret consensum Petri, ad ipsumque prædeterminaret, Petrus consentiret*. Confirmatur. Quia hoc obiectum conditionatum, *Si Deus decerneret alterum Mundum, ipsumque produceret, alter Mundus existeret*, determinatè est verum, & certò cognoscibile à Deo independenter ab omni decreto absolutè, & actu existente de existentiâ alterius Mundi, vti Thomistæ, & omnes fatentur; eo quòd conditio essentialiter est connexa cum conditionato, atque adeò inferens illud prorsus infallibiliter. Sed æquè est connexa conditio cum conditionato, & illud inferens in hoc conditionato obiecto, *Si Deus decerneret consensum Petri, ad ipsumque prædeterminaret, Petrus consentiret*. Ergo, &c.

Dicet fortasse aliquis pro Thomistis, quos 244
impugnamus, ad hoc, vt Deus habeat scientiam liberam, contingentemve, seu defectibilem de contingentibus conditionatis, necesse esse, quòd talis scientia nitatur in decreto Dei absolutè, & actu existente tanquam in medio. Cùm enim tale decretum possit existere, vel non existere pro libertate Dei, scientia illi subnixa poterit consequenter vel esse in Deo, vel non esse. Scientiam enim de conditionato contingente nitentem præcisè in connexione essentiali cum conditionato ipso alicuius obiecti positi ex parte hypothesis simpliciter esse necessariam Deo, prorsusque indefectibilem: eo quòd intellectus diuinus nec potest carere hypothesi conferente sibi ad cognoscendum quoduis verum, nec, eâ semel factâ, potest non scire id, quod ex illâ necessariò conditionatè verum est; quale est, quod terminat connexionem essentialem obiecti positi in hypothesi; ex illoque subinde infertur illatione metaphysicè necessariâ. Negari quippe non posse, cognosci à Deo per scientiam omnino necessariam hanc veritatem, *Si existeret prædeterminatio ad consensum, existeret consensus*; perinde atque hanc, *Si existeret productio caloris, existeret calor*.

Sed contra hanc responsionem est primò; 245
quòd tanquam innegabile admittit, dari in Deo aliquam scientiam de conditionatis contingentibus omnino necessariam, independentemque ab omni decreto absolutè, & actu existente. Quod Thomistæ, cum quibus agimus, forsan non benè ferent: cùm videantur vbique pronunciare absolutè, non aliter Deum cognoscere eiusmodi conditionata, quàm in decreto, quod de illis habet, existentè absolutè. Quòd si vnam de illis scientiam à tali decreto independentem semel concedant, frustra iam iuxta principia sua videbuntur ponere alteram dependentem ab ipso eo solùm titulo, vt sit libera. Nam, cùm in eorum principijs tota Dei prouidentia circa effectus creaturarum, etiam liberarum, mediâ prædeterminatione physicâ cum illis connexâ peragatur; vti scientia simplicis intelligentiæ in Deo prorsus necessaria de eiusmodi prædeterminationis quiditate tali prouidentiæ subseruit, scientia pariter necessaria de ijs, quæ ex hypothesi ipsius prædeterminationis indefectibiliter sequentur, poterit similiter subseruire, quin vllâ de eisdem scientiâ liberâ sit opus ad prouidentiam ipsam. Secundò contra eamdem responsionem est; quòd existentia absoluta prædicti Aduersariorum decreti non solùm impertinens, sed prorsus inepta est ad veritatem illatiuam contingentis conditionati, quam ipsi prætendunt, vt supra num. 222. & sequentibus ostensum est; dumtaxatque proinde potest ad talem veritatem conferre prout positum in hypothesi vnà cum alijs conditionibus. Vt sic autem iam non scientiam liberam, sed scientiam omnino necessariam fundabit, vt constat ex nuper dictis, atque etiam ex se. Stat ergo semper, inconsequenter ad sua principia requirere Aduersa-

rios decretum absolutè existens ad scientiam Dei de contingentibus conditionatis, vt nostra propositio fert.

Propositio 3.

346 Vt Deus certissimè cognoscat contingentia conditionata, ne obiectiuè quidem debet, aut potest poni ex parte hypothesis decretum prædeterminatiuum eorum, aut physica prædeterminatio, quam illud secum fert.

Hæc propositio contra illos quosdam Thomistas est, qui tanquam quid necessarium, sufficiensque ad veritatem conditionati contingentis, ad certamque subinde scientiam, quam Deus de illo habet, obiectiuè dumtaxat ponunt ex parte hypothesis suum illud prædeterminatiuum decretum, prout dicebamus supra num. 171. Eam autem æquè efficaciter, ac primam, probant multa ex argumentis, quæ contra huiusmodi prædeterminatiuum decretum prout absolutè existens ex Scripturâ, & Patribus, & à ratione pro eâdem propositione primâ produximus; vt satis superque notum fiet cuilibet perpendenti, & applicanti illa ad propositum. In quibus subinde applicandis, & repetendis non opus est morari.

Propositio 4.

347 Vt Deus certissimè cognoscat contingentia conditionata nullâ alterius generis prædefinitione opus habet, qua cum ipsis conditionatis metaphysicè connectatur eorum conditio.

Est contra vltimam sententiam relatam num. 173. Constatque etiam ex plerisque argumentis adductis pro primâ propositione, ijs præsertim, quibus ostenditur, citra omnem metaphysicam connexionem conditionis cum conditionato habere hoc veritatem conditionatam certissimè a Deo cognoscibilem, atque adeò cognitam. Ex quibus etiam patet, ad talem veritatem, & cognitionem nihil aliud requisitum esse, quo metaphysicè connectatur conditio cum conditionato.

348 Non nego, suppositâ possibilitate prædefinitionis diuinæ compatibilis cum libertate creatâ, Deum sub hypothesi talis prædefinitionis, quæ essentialiter cum suo obiecto connexa est, posse actum prædefinitum cognoscere, iuxta doctrinam vniuersalem de scientiâ conditionati, aliàs absolutè in se contingentis, cuius conditio cum ipso connexa est essentialiter, traditam supra quæst. 4. & 5. Assero tamen, huiusmodi prædefinitionem, aut aliud quidpiam essentialiter connexum cum conditionato contingente neutiquam requiri, vt Deus certò valeat illud cognoscere. Cognoscit enim illud præterea sub hypothesi aliarum conditionum metaphysicè cum ipso non connexarum, atque adeò per scientiam mediam, vt iam iam ostendo.

Propositio 5.

Deus contingentia conditionata, de 249
quibus nunc agimus, certissimè cognoscit sub hypothesi solius conditionis metaphysicè indifferentis, siue non connexæ cum illis. Atque ita per scientiam sibi contingentem. Quam nostri iure optimo mediam appellant.

Tres habet partes propositio. Quarum prima ex dictis hactenus satis comperta est. Si enim ad veritatem conditionati contingentis, ad eiusque certissimam scientiam nihil requiritur, quod conditionem aliàs indifferentem metaphysicè cum conditionato connectat, vt ostendimus. Consequens est, vt tale conditionatum, vt subest præcisè conditioni indifferenti sit verum; subindeque per certam scientiam à Deo cognoscibile. Itaque in hac veritate certissimè cognitâ à Deo, *Si apud Tyrios facta fuissent Christi miracula, pœnitentiam egissent*, quidquid ex parte hypothesis ponitur, indifferens est naturâ suâ, vt coniungatur cum pœnitentiâ Tyriorum, aut cum eius contradictorio. Tantumdemque dicendum est de similibus veritatibus.

Secunda autem pars propositionis facilè ostenditur. Quia, quando conditio indifferens est ad vtrumuis, & cum vtrouis compatibilis, etiam post factam eius hypothesim, manet intellectus diuinus ad vtrumuis iudicandum indifferens: atque adeò, licèt non possit ille à tali hypothesi abstinere iuxta doctrinam à nobis traditam supra quæst. 2. potuit tamen non iudicare id, quod sub tali hypothesi de facto iudicat; quia potuit non id, quod iudicat, sed eius contradictorium sub ipsâ eâdem hypothesi verum esse. Quod est, contingentem esse scientiam, quam Deus de tali obiecto habet. Qualis esse nequit, quando conditio ita est connexa metaphysicè cum altero ex extremis contradictorijs, vt istud solum sub eius hypothesi possit esse verum; prout ex dictis quæst. illa 2. atque etiam nuper circa propos. 2. huius quæstionis notum est. 250

Ex quo patet, contingentiam scientiæ conditionatæ Dei non inde nasci, quòd eius obiectum simpliciter sit contingens, aut etiam liberum; sed inde, quòd sit illud contingens ex suppositione conditionis; eo quòd conditio tam cum illo, quàm cum eius contradictorio compatibilis est. Si enim ex suppositione conditionis nequit non esse conditionatum, nec poterit non esse in Deo scientia, qua illud sub talis conditionis hypothesi iudicatur, quæ scientia subinde in Deo non libera, siue contingens, sed prorsus naturalis, ac necessaria erit. 251

Iam verò circa tertiam quæstionis partem plus pulueris, quàm par esset, excitant Aduersarij perosi nomen scientiæ mediæ; quasi interesset multum post rem statutam, de nomenclaturâ altercari. Duo hactenus contra ipsos statuimus, super quibus controuersia de re, eaque grauissimâ erat. Primum, dari reuerà in Deo scientiam certissimam conditionatorum contingentium. Secundum, nullum hanc decretum Dei prædefitium, nedum prædeterminatiuum, supponere actu existens in Deo, imo nec requirere illud obiectiuè positum in hypothesi. Vtrùm autem huiusmodi scientia media dicenda sit inter scien- 252

tiam

tiam simplicis intelligentiæ, & visionis; aut inter naturalem, & liberam; vel potius sit comprehendenda sub altero eorum extremorum. Quæstio sanè est fere de nomine, & parui ponderis, in qua parum, aut nihil hærendum est.

253 Dixi iam disp. 23. quæst. 5. prædictam scientiam ab aliquibus reduci ad scientiam simplicis intelligentiæ; ab alijs verò ad scientiam visionis; ab alijs denique mediam poni inter hæc duo extrema, siue participantem de vtroque; eò videlicet, quòd præscindit ab existentiâ absolutâ obiecti, in quo conuenit cum scientiâ simplicis intelligentiæ; & supra possibilitatem obiecti addit aliquid, ad quod ipsa possibilitas erat indifferens, nempe existentiam conditionatam, in quo conuenit cum scientiâ visionis. Auctores hosce, atque sententias referunt, & illustrant Fasol. 1. p. quæst. 14. art. 13. dub. 20. & Ruiz disp. 76. de Scientiâ. Ego verò aptiùs, censui loco citato, diuidi imprimis scientiam Dei in simplicis intelligentiæ, & visionis; & rursus vtramque subdiuidi in conditionatam, & absolutam. De quo ibi.

254 Communiter tamen apud Nostrates appellatio à P. Molinâ oriunda est, qua scientia, de qua agimus, media vocatur inter naturalem, & liberam. Dicitur autem media inter hæc duo extrema; quia aliquid de vtroque participat, vt ibidem notabam; nempe nullum supponit decretum actu existens in Deo, atque adeò neque vllum exercitium absolutum libertatis diuinæ, in quo cum scientiâ merè naturali conspirat; & aliàs, cùm obiectum eius sit defectibile, ipsa quoque defectibilis, siuè contingens est; in quo conuenit cum scientiâ merè contingente, seu liberâ. Porrò scientiam naturalem, & liberam cum scientia simplicis intelligentiæ, & visionis nullatenus debere confundi, vt plerique Thomistæ, & multi etiam ex Nostris confundunt, iam loco citato notaui: nam scientia, qua Deus se videt, est visionis, & non est libera. Tum ex diuersis capitibus prouenium scientijs hæ differentiæ. Esse enim scientiam simplicis intelligentiæ, aut visionis ex obiecti diuersitate nascitur; cùm esse naturalem, vel liberam, nascatur ex modo, quo Deo conuenit, necessariò scilicet, aut contingenter.

255 Ex quo patet, iclam scientiam conditionatam de conditione in differente, atque adeò non illatiuam, quam nos contra Thomistas astruimus, posse vocari mediam inter naturalem, & liberam. Ea enim, quam ipsi astruunt illatiuam de conditione cum conditionato connexâ, aut erit dicenda merè naturalis, si nullum supponat decretum absolutè existens in Deo, sed tantùm illud, aut, quam fert secum, prædeterminatio obiecti ex parte hypotesis ponatur; qualem nonnulli eorum admittunt, vt supra notauimus; aut erit dicenda merè libera, si nitatur decreto prædefinitiuo actu existente in Deo, vt plerique censent. Obiectiones, quæ contra nomen scientiæ mediæ Aduersarij congerunt, inferiùs inter aliàs diluentur à num. 307.

Consectaria præcedentis doctrinæ.

256 Ex dictis imprimis ea quæstio resoluenda venit, quam hic nonnulli Auctores exagitant; quænam scilicet sit Deo ratio cognoscendi contingentia conditionata, de quibus in præsenti agimus. Et quidem ex parte diuini intellectus rationem quasi effectiuam esse infinitam vim eius cognoscitiuam, nemini dubium est. De ratione motiua, siue determinatiua ex parte obiecti se habentis est difficultas.

Dico primò. Deus nihilo eget, quo ad cognoscenda conditionata determinetur præter obiectiuam ipsorum veritatem ab ipsis indistinctam, ratione cuius & per se determinant Deum ad sui cognitionem, & in se ipsis cognoscuntur. Ita omnes Nostri, & ex Externis quotquot admittunt scientiam mediam. Quorum plures referunt, & sequuntur Fasolus 1. p. quæst. 4. art. 13. dub. 19. & Ruiz disp. 73. sect. 1. Constatque ex dictis in hac quæstione contra Thomistas exigentes pro motiuo necessario ad cognoscenda dicta conditionata decretum prædefinitiuum; & ex dicendis in sequentibus constabit ampliùs. Noto tamen primò, ab hac assertione hactenus inter Doctores nostros indubitatâ non parum incautè descisse Recentiores quosdam ex defendentibus scientiam mediam, prout scripsi in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 1. vbi proposit. 1. & 2. latè impugnaui eorum doctrinam; de qua iterum redibit sermo infra à num. 339. Secundò noto, qui ex Nostris censent, omnem scientiam diuinam habere pro obiecto formali diuinam essentiam, consequenter asserere, supradicta conditionata solùm mouere ad sui cognitionem tanquam obiecta materialia, atque ita etiam in se ipsis cognosci; ita Ruiz cum alijs loco citato. Nos verò, qui cum alijs censuimus oppositum disp. 23. quæst. 8. etiam vt obiecta formalia dicimus talia conditionata mouere ad cognitionem sui, & cognosci in se ipsis perinde, ac cætera obiecta cognoscibilia distincta à Deo. 257

Nihilominùs, quia Deus multifariam potest cognoscere, atque de facto cognoscit idem obiectum iuxta doctrinam vniuersalem traditam disp. 24. quæst. 4. quamuis sola veritas obiectiua conditionatorum contingentium ad sui perfectam cognitionem pro motiuo, seu determinatiuo sufficeret, tot ferè modis præterea, per totque media cognoscit Deus contingentia conditionata, per quot cognoscit contingentia absoluta, de quibus egimus disp. 27. quæst. 6. & 7. Itaque Deus contingentia conditionata cognoscit in suâ omnipotentiâ, & in aliâ qualibet formalitate sui, ad quam illa quoquomodo pertinent ex suppositione, quod sunt sub conditione existentia, vi perfectissimæ comprehensionis, qua talem comprehendit formalitatem. Huic assertioni consentit Ruiz cum alijs dicta disp. 73. sect. 2. Similiter vi perfectissimæ comprehensionis voluntatis, aut alterius causæ creatæ, ad quam pariter spectant dicta conditionata ex suppositione, quòd sint conditionatè existentia, in ipsâ voluntate, vel causâ quantumuis indifferente cognoscuntur à Deo, prout dicebamus quæst. illâ 7. de absolutis. Ita Molina ibi citatus contra Ruiz, & alios ab eo relatos sect. 3. & sequentibus: quiquidem de cognitione contingentium in causâ vi connexionis interprætandi sunt; qualiter in voluntate liberâ, aut aliâ causâ indifferente nequaquam illa cognosci possunt, vt nos cum sententiâ communi nostrorum Doctorum fatemur. Aliud quippe est de vi perfectissimæ comprehensionis causæ, vt ex dictis loco citato, & sæpe aliàs constat. Vnde etiam petenda est probatio harum assertionum. Denique, siquando Deus aliquod contingens conditionatum conditionatè prædefinit, in tali prædefinitione cognoscitur illud à Deo vi connexionis, qua cum illo ipsa prædefinitio etiam 258

conditionatè connectitur. Quemadmodùm item & in scientiâ conditionatâ sui, & in quouis alio medio secum connexo cognosci potest. Alijsque insuper fere omnibus modis loco citato commemoratis, quibus absoluta contingentia cognosci diximus, pariter conditionata cognosci poterunt, proportione seruatâ: in quo amplius non opus est morari.

259 Deinde ex dictis etiam colligitur, vt conditionata contingentia in se ipsis cognoscantur à Deo, opus non esse, quòd illa æternitati Dei ab æterno præsentia sint præsentiâ physicâ; talem enim præsentiam non habent etiam iudicio Thomistarum, qui contingentibus absolutis illam attribuunt, prout vidimus tom. 1. disput. 9. quæst. 2. sed estò eam haberent, adhuc necessaria non esset, vt in se ipsis à Deo cognoscerentur. Quemadmodùm, admissâ præsentiâ Thomisticâ in contingentibus absolutis, adhuc non esset necessaria, vt illa in se ipsis à Deo cognoscerentur, vt loco citato probauimus. Vtrùm autem contingentia conditionata dicenda sint præsentia in æternitate eâ præsentiâ obiectiuâ in actu primò, quam habent contingentia absoluta, iuxta phrasim S. Tho. & aliorum Patrum, prout ibidem tradidimus, dubitari posset. Affirmat Ruiz, multisque rationibus, ac Patrum testimonijs confirmat disput. 75. de Scientiâ per totam. Cui facilè consentio. Nam satis est, aliquos Patres hoc modo loquendi vsos esse, vt ei accommodemur; maximè, cùm ille satis rationabilis sit. Sat enim est, huiusmodi contingentia cognosci in se ipsis quoad existentiam, etsi conditionatam, vt antecedenter ad sui cognitionem iam iam dicantur esse in conspectu intellectus diuini, & intra spheram actuitatis eius, atque adeò illi præsentia in ordine ad sui cognitionem, prout de contingentibus absolutis in eâ quæstione philosophati sumus. Cuius doctrina recolenda, & contingentibus conditionatis applicanda est.

260 His ita statutis, solùm restat examinandum, quid momenti habeant ea, quæ plenâ manu congerunt Thomistæ, & alij ad nostram scientiam mediam labefactandam. Sed in cassùm tamen: quia veritas, quò plùs impetitur, plùs discutitur, & quò plùs discutitur, luculentiùs apparet. Cæterùm, quia multa sunt, quæ opponi solent, expediens fuerit, per quædam capita illa proponere, & diluere.

Obiectiones ex Scripturâ contra *Scientiam mediam*.

261 Primùm, & satis fidenter, obijciunt nobis celebrem illum locum Pauli 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Quo significat, docetque Apostolus, Deum suis donis gratuitis benè operantem à malè operante discernere; nullumque bonum habere hominem, quod non acceperit à Deo; neminemque propterea gloriari posse, quasi habentem à se ipso bonum aliquod, quod à Deo non acceperit. Vnde inferunt, Deum eo suo prædeterminatiuo decreto, de quo impræsentiarum sermo est, prædefinire quodlibet cuiusuis hominis opus bonum; in talique subinde decreto, & non aliter, quoduis opus bonum conditionatum ab ipso præsciri. Sed inferunt malè multis ex titulis.

Primò. Quia Apostolus nullatenus agit de operibus bonis conditionatis, sed tantùm de absolutis. Agit enim de bonis habitis, & acceptis à Deo; qualia non sunt merè conditionata, quæ non habentur, sed haberentur, si poneretur conditio aliqua nunquam ponenda. Agit de operibus, de quibus homo vt à se factis vanè gloriari potest: de operibus autem à se nec factis, nec faciendis, sed quæ faceret, si tales, aut tales conditiones existerent, nemo non penitus stultus gloriari valet; sicut neque ab alio ob talia merè conditionata opera laudari, vel vituperari: maximè, cùm quoad opera merè conditionata omnes homines sint æquales, quatenus quilibet, positis aliquibus conditionibus, faceret, quæcunque, aut eisdem, aut alijs positis, faceret alius. Agit de donis, quibus Deus re ipsâ discernit vnum hominem ab alio; qualia non sunt decreta conditionata ex parte obiecti, de quibus agimus, nèque eorum obiecta, quæ re ipsâ nihil ponunt in homine, quando non purificatur conditio: præterquamquòd penes huiusmodi decreta, & eorum obiecta merè conditionata nec iustus à peccatore, nec vllus homo ab alio discriminatur, adeòque nec discernitur: siquidem de quocunque dono conditionatè est verum, decretumque subinde à Deo iuxta Aduersarios, dandum fore alicui homini, si talis, aut talis conditio existeret; verum quoque est conditionatè, pariterque decretum, dandum fore cuiuis alteri homini, si existeret vel condirio eadem, vel aliqua alia ex infinitis possibilibus, vt consideranti innotescet. 262 263

Secundò. Nam, posito, quòd verba Apostoli non de statu rerum conditionato, sed tantùm de absoluto agunt, vt videtur clarum; si ad eorum sensum legitimum aliquâ prædefinitione Dei de bonis operibus opus esset, non vtique, quam Thomistæ ponunt prædeterminatiuam, & immediatè exequutiuam, malèque propterea cum libertate cohærentem, ponenda erat; sed, quam Nostrorum plerique ponunt purè intentiuam, atque ita benè cum libertate compositam: quæ, tantum abest, vt scientiam mediam de ipsis operibus prout conditionatè futuris excludat, quòd potiùs eam supponit.

Tertiò. Quia iuxta valde communem ex 264
positionem dumtaxat vult Paulus verbis relatis excludere discretionem, qua se se iustus à peccatore discernat ex solis viribus arbitrij, id quod indicant illa verba, *Quid gloriaris, quasi non acceperis?* ideſt, quasi nihil gratuitum acceperis, sed proprijs viribus discretus fueris. Non tamen negat, iustum ad suam discretionem simul cum gratiâ Dei cooperari; eique proinde prout gratiâ adiuto, & gratiæ cooperanti suam à peccatore discretionem aliquo modo posse attribui tanquam ad illam concurrenti, iuxta id, quod ipse Apostolus dicit 1. ad Corinth. 15. agens de suâ discretione in Apostolatum. *Gratiâ autem Dei sum id, quod sum, & gratia eius in me vacua non fuit; sed abundantiùs illis omnibus laborani; non ego autem, sed gratia Dei mecum.* Quasi dicat, non ego solus viribus proprijs, sed gratia mecum, & ego cum gratiâ. Quæ quidem verborum Pauli expositio & sacris Scripturis, & Concilijs est consentanea. Dicitur enim lib. 1. Esdræ cap. 6. *Filij Israel se separauerunt à coinquinatione Gentium.* & lib. 2. cap. 10. *Se separauerunt de populis terrarum ad legem Dei.* & 2. ad Corinth. 6. *Propter quod exite de medio eorum, & separamini, dicit Dominus.*

Quid

Quid autem est se saparare, nisi se discernere, cum gratiâ tamen Dei. Similiter ex Concilio Trident. sess. 6. cap. 5. & Senon. decret. 15. homo cum gratiâ Dei *conuertit se*; *præparat se*. ex 2. ad Timoth. 2. *emundat se*. ex 1. Ioan. 3. *castificat se*. ex Psal. 72. *iustificat se*. Ergo discernit se à non conuerso, à non præparato, à non mundo, à non casto, à non iusto. Eamdemque verborum Pauli expositionem approbat, sequitur, & sæpe repetit Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 3. cum Cypriano, cap. 4. & cap. 5. Iuxta quam ex illis tantùm inferri potest necessitas gratiæ Dei ad opera bona salutaria: secus vlla eorum prædefinitio, nedum prædeterminatiua, vt satis ex se notum est.

265 Quartò. Quia, vt Deus verissimè iuxta sententiam Pauli dicatur discernere nos, & nobis dare velle, & perficere; nosque subinde dicamur nihil habere boni, quod non acceperimus à Deo, non opus est, quòd Deus prædefiniat, nedum quòd prædeterminet opera nostra bona; sed sufficit, quòd det nobis suam gratiam congruenter, & opportunè, quomodò, & quando ipse per scientiam mediam præscit, nos tali gratiæ consensuros, & ei cooperaturos; (qualiter non dat illam eis, qui dissentiunt, & non operantur): Per talem enim gratiam cum tali efficaciâ præuisam vnicè imprimis discernit nos Deus ab illis, quibus non confert similem gratiam: quia ad talis gratiæ collationem nos non concurrimus. Deinde quatenus mediâ tali gratiâ dat etiam nobis Deus operationem, vtpote quam sine tali gratiâ non haberemus, per ipsam operationem, qua ratione donum suum est, discernit nos etiam Deus à non operantibus. Quia tamen operatio non solùm à gratiâ, sed etiam à volnntate nostrâ gratiæ cooperante, ac simul cum illâ concurrente habet *esse*; (nam alioquin non esset libera); idcirco operatio ipsa, discretioque per ipsam facta nobis simul, & gratiæ Dei potest, & solet, imo & debet attribui gratiæ quidem vt causæ principaliori, & nobis vt minùs principali. Tota hæc doctrina est S. Augustini multis in locis. Primò enim epist. 89. quæst. 2. ait, *Vnde etiam, qui iam continens est, non habet vtique continentiam, nisi adsit voluntas: sed nisi accepisset,* (scilicet gratiam), *quid haberet voluntas? Quid enim habes, inquit, quod non accepisti? Si autem accepisti, &c.* Et lib. de Spiritu, & littera cap. 34. *Visorum suasionibus agit Deus, vt velimus, & vt credamus; siue extrinsecùs per Euangelicas exhortationes; siue intrinsecùs, vbi nemo habet in potestate, quid ei veniat in mentem; sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est. His ergo modis quando Deus agit cum animâ rationali, vt ei credat; neque enim credere potest quolibet libero arbitrio, si nulla fit suasio, vel vocatio, cui credat; profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine; & in omnibus misericordia eius præuenit nos: consentire autem vocationi Dei, vel ab eâ dissentire, sicut dixi, propriæ voluntatis est. Quæ res non solùm non infirmat, quod dictum est: Quid enim habes, quod non accepisti? Verùm etiam confirmat. Accipere quippe, & habere animæ non potest dona, de quibus hoc audit, nisi consentiendo.* Et lib. 1. contra Pelag. & Cælest. de gratiâ Christi cap. 25. *Non solum enim Deus posse nostrum donauit, atque adiuuat; sed etiam velle, & operari operatur in nobis. Non quia nos non volumus, aut nos non agimus; sed quia sine ipsius adiutorio nec volumus aliquid boni, nec agimus.* Et lib. 83. qq. quæst. 68. *Et quoniam nec velle quispiam potest, nisi admonitus, & vocatus siue intrinsecùs, vbi nullus hominum videt, siue extrinsecùs per sermonem sonantem, aut per aliqua signa visibilia, efficitur, vt Deus etiam ipsum velle operetur in nobis.* Et mox. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quod venit vocatus; non sibi potest tribuere, quod vocatus est.* Et lib. de Ecclesiasticis dogmatibus cap. 21. *Initium ergo salutis nostræ, Deo miserante, habemus: vt acquiescamus salutiferæ inspirationi, nostræ potestatis est.* Et lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 3. ait, *Talibus occurrens cogitationibus bonus Doctor, Quid autem habes, inquit, quod non accepisti? A quo, nisi ab illo, qui te discernit ab alio, cui non donauit, quod donauit tibi.* Et infra in fine capitis. *Ipsa verò fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc, vbi dicitur, Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti? quisquis audet dicere; habeo ex me ipso fidem; non ergo accipi: profectò contradicit huic apertissimæ veritati: non quia credere, vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ; sed in electis præparatur voluntas à Domino. Ideo ad ipsam quoque fidem, quæ in voluntate est, pertinet, Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Mitto plura. Nam dicta sufficiunt, vt quisque ea sincerè considerans, ponderansque non obscurè dijudicet, vtrùm Paulus in loco proposito, & eius, quod ad rem attinet, interpres omnium potissimus Augustinus sint pro Aduersariorum doctrinâ, vel potiùs pro nostrâ.

Obijciunt deinde ea Scripturæ loca, in quibus Deus dicitur indurare homines, excæcare, tradere in desideria, aut in reprobum sensum. Vt sunt illa ad Rom. 9. *Ergo cuius vult miseretur, & quem vult indurat.* Ioan. 12. *Excæcauit oculos eorum, & indurauit cor eorum.* ad Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.* Et iterum ibid. *Propter quod tradidit illos Deus in passiones ignominiæ.* Et rursus. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum.* Quibus in locis putant Aduersarij, decreta Dei prædeterminatiua ad peccata pro materiali sumpta significari. Sed non benè. Quia oppositum censent S. August. & S. Thom. prout vidimus supra num. 206. & 211. & alij Expositores communiter; in ijs Scripturæ loquendi modis meram permissionem Dei de peccatis hominum recognoscentes. *Indurare enim Deus dicitur,* (ait August. ibi citatus), *quem mollire noluerit: sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminare noluerit.* Et S. Thom. *Indirectè tradit homines in peccatum, in quantùm iustè subtrahit gratiam, per quam homines continebantur, ne peccarent.* 266

Obijciunt præterea alia Scripturæ loca, in quibus pariter prædefinitiones Dei de operibus prauis significari videntur. Vt sunt illa Genes. 45. *Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc missus sum.* dixit Ioiephus fratribus suis, à quibus fuit venditus, & in Ægyptum missus. Act. 2. *Hunc definito consilio, & præscientiâ Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemistis.* Et cap. 4. *Conuenerunt enim verè in Ciuitate istâ aduersus sanctum puerum tuum* IESVM, *quem vnxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus, & populis Israel facere, quæ manus tua, & consilium tuum decreuerunt fieri.* Et 2. Reg. 16. *Dimittite eum, vt maledicat: Dominus enim præcepit ei, vt maledicat Dauid.* Et similia. Respondeo, per hæc testimonia, qua parte illa tangunt actiones hominum 267

num peccaminosas, æquali, imo potiore iure, quam per præcedentia, dicendum esse, significari dumtaxat permissiones, quibus Deus tales actiones citra omnem omnino earum prædefinitionem permisit. Quia tamen Deus ex peccatis hominum, quæ non vult, multa elicit bona, quæ vult, vt sæpe repetit August. idcirco in locis Scripturæ propositis vnà cum permissionibus peccatorum bona ex illis sequenda tribuuntur voluntati Dei: siue tales permissiones, & talia bona solùm concomitanter; siue etiam permissiones propter bona obtinenda velit Deus, iuxta diuersas Theologorum sententias. De quo in tract. de Prædestinatione. Vide loca ista, & alia plura sacræ Scripturæ ad hunc modum tum generatim, tum speciatim exposita ex communi doctrinâ Patrum apud Bellarminum lib. 2. de Amissione gratiæ, & statu peccati contra Zuinglium, Caluinum, & Bezam, eis abutentes ad sua tuenda dogmata de Dei decretis prædefinitiuis peccatorum, & apud Ruiz de re agentem tom. de Volunt. à disp. 27 vsque ad 44.

266 Vnum hic addo, in omnibus prædictis locis dumtaxat agi de statu rerum absoluto, non item de conditionato, vti ex ipsis apparet, Atque ita, tametsi ex illis aliqua decreta Dei prauarum actionum prædefinitiua absoluta non solùm ex parte actus, sed etiam ex parte obiecti colligi possent: at decreta ex parte obiecti conditionata, de quibus nunc agimus, nequaquam; vt satis ex se, & ex superiùs dictis est notum. Quo longiùs abest, vt loca ipsa ad præsens propositum conducant. Tum rursus, etiam si propter illa aliqua prauarum actionum prædefinitiua decreta essent in Deo ponenda, sufficerent sanè decreta merè intentiua non opposita scientiæ mediæ de actionibus prædefinitis, sed potiùs ei subnixa; reiectis penitus prædeterminatiuis, atque immediatè exequutiuis, quæ ponunt Aduersarij, propter longè plura, & maiora incommoda, quæ hæc præ illis secum ferunt, iuxta dicta, & dicenda.

Obiectiones ex Patribus contra *scientiam mediam*.

269 Vt luculentiùs, apertiùsque perspiciatur mens imprimis D. Augustini, deindeque etiam aliorum Patrum, quos contra scientiam mediam opponunt Aduersarij, tentantes, aut contendentes etiam, si Deo placet, eam in Semipelagianismum detrudere, præscire opus est, Semipelagianos, quorum præcipui fuerunt Doctores quidam Massilienses, in eo consensisse Pelagio, quòd asserent, homines per merita solius arbitrij disponi ad recipienda dona gratiæ, ac prædestinationis, eaque mereri: Deumque subinde ex præscientiâ talium meritorum moueri ad impertienda talia dona; atque idcirco hunc præ altero eligere, siue prædestinare; quia in vno à solo arbitrio oriunda merita, in altero demerita præuidebat. Cùmque Doctores isti præmerentur in paruulis decedentibus ante vsum rationis, sine quo neque esse potest meritum, neque demeritum; quorum nihilominùs alij Baptismum recipiunt, & saluantur, alij sine Baptismo moriuntur, & pereunt; ad merita eorum, vel demerita conditionata recurrebant, dicentes, propter opera bona, vel mala, quæ facerent, si diutiùs viuerent, iam tum dignos à Deo præuideri electione, aut reprobratione: atque ita alteri à Deo remedium Baptismi conferri, alteri negari; quia Deus alterum benè, alterum malè operaturum, si viuerent, suâ scientiâ prænoscebat. Quo fere pacto dicebant etiam, ijs hominibus concessisse Deum prædicationem Euangelij, quos viribus arbitrij sui credituros conditionatè præuidebat; ijs verò denegasse, quos præuidebat non credituros. Nec solum initium fidei, eiusque meritum arbitrij viribus tribuebant, sed etiam perseuerantiam in fide, in gratiâque, siue iustitiâ per fidei meritum acquisitâ à meritis solius arbitrij dependentem faciebant. Putabant enim, si totum negotium salutis hominum ab initio vsque ad finem à gratiâ Dei, atque adeò ab eius prædestinatione dependens esset, fore, vt libertas humana constare non posset, vtque locus non superesset exhortationibus, vel comminationibus, quibus passim verbo, & scripto homines promouentur ad bonum; omnisque hominum solicitudo de suâ conquirendâ, & conseruandâ salute cessare penitus deberet: nam neque non prædestinatus à Deo per præparationem gratiæ tum ad incipiendum, tum ad perseuerandum necessariæ posset saluari; nec per talem gratiæ præparationem prædestinatus posset damnari. Quæ incommoda vt vitarent, dicebant, negotium salutis, atque adeò prædestinationis diuinæ eatenus in potestate liberâ arbitrij humani positum esse, quatenus hoc meritis proprijs independentibus à gratia Dei, ab eiusque subinde præparatione, seu prædestinatione & illud inchoare, & in eo perseuerare vsque ad finem poterat. Atque ita fieri, vt ex præscientia meritorum solius arbitrij & prædestinatio saluandorum, & reprobatio damnandorum penderet: non verò vice versâ ex prædestinatione saluandorum omnium eorumdem meritorum præscientiam.

270 Itaque Semipelagiani præcisè per necessitatem diuinæ gratiæ ad omnia opera salutaria, siue conferentia ad salutem (quam antea S. Augustinus in suis operibus adstruxerat, & postea Concilium Arausicanum 2. tanquam certam secundùm fidem stabiliuit) destruu libertatem humanam arbitrabantur, quocunque tandem modo talis gratia efficax aut diceretur, aut poneretur. Quem errorem postea damnauit Concilium Senonense decreto 15. dicens. *Neque tamen tanta gratiæ necessitas libero præiudicat arbitrio; cùm illa semper sit in promptu, nec momentum quid prætereat, in quo Deus non stet ad ostium, & pulset: cui si quis aperuerit ianuam, intrabit ad illum.* Vnde S. Augustinus in lib. de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ de tali necessitate gratiæ præcisè eam confirmando, non item de ipsius gratiæ efficaciâ cum humanâ libertate conciliandâ contra ipsos disputauit. Ipsi autem Semipelagiani necessitatem ad salutem diuinæ gratiæ tam vniuersalem negantes, aliquaque subinde merita solius arbitrij conferentia ad gratiam ipsam obtinendam, & conseruandam adstruere curantes, præscientiâ Dei de talibus meritis dumtaxat abutebantur, plerunque quidem absolutâ, quando de meritis adultorum futuris absolutè erat sermo, interdum verò conditionatâ, quando loquebantur de meritis paruulorum conditionatis, aut etiam de meritis eorum adultorum, qui crediturі, aut non crediturі præsciebantur ex hypothesi, quòd illis Euangelium prædicaretur. Abutebantur, inquam, tali præscientiâ; tum quia ponebant illam in Deo, cum esset obiectum eius fictitium, scilicet merita solius arbitrij; tum quia dicebant, moueri ea Deum ad præparanda, conferendaque sua dona gratiæ, & consequenter ad eligen-

eligendos suos Prædestinatos, eosque separandos à Reprobris; eamque proinde ponebant præuiam, antecedentemque ad diuinam prædestinationem, quæ ipsissima est præparatio gratiæ iuxta Augustinum (cui contradicebant) dicentem lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 10. *Inter gratiam porro, & prædestinationem hoc tantùm interest, quòd prædestinatio est gratiæ præparatio: gratia verò iam ipsa donatio.* Præter istos autem duos abusus qui Præscientiæ meritorum solius arbitrij tum absolutæ, tum etiam conditionatæ communes erant; absurdiorem alium speciatim committebant circa conditionatam, quatenus vel confundebant illam cum absolutâ, vel certè circa obiectum purè conditionatum, & nunquam absolutè extiturum, præter ipsius scientiam conditionatam, aliam quamdam absolutam præscientiam prorsus confictam supponebant. Hoc enim ipso, quòd dicebant, propter opera purè conditionata bona, vel mala remunerari homines à Deo, vel puniri absolutè; eosque subinde dignos absolutè esse premio, aut supplicio; necessariò supponebant in Deo præscientiam absolutam huius confictæ dignitatis, qua & homines absolutè dignos, & opera non absoluta absolutè nihilominùs meritoria esse censebant. Id quod, antequam ab his Semipelagianis admitteretur, *absurdissimum, insulsissimum, dementissimum*, nuncupat Augustinus scribens contra duas epist. Pelag. lib. 2. cap. 7. Postea autem respondens Prospero, & Hilario lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 12. ait, *Iudicari autem quemquam non secundùm merita, quæ habuit, quandiu fuit in corpore, sed secundùm merita, quæ fuerat habiturus, si diutiùs fuisset in corpore; vnde opinari potuerint homines, quorum ingenia non esse contemptibilia, vestra indicant litteræ, mirans, & stupens reperire non possum: nec credere auderem, nisi vobis non credere non auderem.* Et rursus cap. 13. *Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est: ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt, & multò magis nec isti dicere debuerunt. Dici enim non potest, quam molestè ferens, quod viderunt Pelagiani esse falsissimum, & absurdissimum; hoc non vidisse istos, qui nobiscum errorem illorum hæreticorum catholicâ auctoritate condemnant.* Itaque futurorum, quæ non sunt futura, (vt sæpe loquitur Augustinus), ideſt operum futurorum sub conditione, quæ simpliciter, & absolutè non sunt futura, præter scientiam conditionatam reuerâ existentem in Deo, aliam absolutam conflictam supponebant Semipelagiani, qua Deus insuper præsciebat illa prout absolutè meritoria, siue prout absolutè reddentia homines dignos præmio, aut supplicio. Et hæc est, non illa, quam Augustinus reijcit, vbicunque attingat hoc punctum.

271 Nunquam tamen Semipelagiani, vt sæpe Aduersarij nostri pronunciant, vsi sunt scientiâ conditionatâ ad conciliandam efficaciam aut gratiæ, aut prædefinitionis, aut prædestinationis diuinæ cum libertate humanarum actionum: quia tantùm vsi sunt illâ, quando præscientiam absolutam de meritis solius arbitrij prout absolutè existentibus obtendere non poterant; in duobus scilicet casibus propositis; vbi de nullius actionis humanæ libertate conseruandâ agebatur; sed de concedendo à Deo, vel negando beneficio Baptismi paruulis in infantiâ decessuris secundùm opera bona, vel mala, quæ Deus ipse conditionatè præsciebat ab arbitrio eorum futura sub conditione, quòd diutiùs viuerent: de concedendâque pariter à Deo, vel negandâ prædicatione Euangelij his, aut illis adultis penes fidem, aut incredulitatem, quam Deus ipse conditionatè præsciebat ab arbitrio eorum futuram sub conditione talis prædicationis. Constant hæc omnia, quæ de Semipelagianorum doctrinis, seu potiùs erroribus retulimus ex libris August. de Prædestinat. Sanctor. & de Dono perseuer. ex epistolisque Prosperi, & Hilarij antepositis, quibus ipse in illis respondet; prout multis eorum verbis adductis, & ponderatis clarè demonstrat noster Annatus in suo Opere de Scientiâ mediâ disput. 3. cap. 3. & 4. Neque obscurè ex ipsis dictorum Patrum scriptis per se deprehendet, quisquis ea cum attentione debitâ, cum debitâque sinceritate perlegerit.

Quæ cùm ita sint, facile iam erit videre; 272
quomodò loca eorumdem Patrum, quæ nobis Aduersarij obijciunt, pro nostrâ potiùs, quàm pro suâ sententiâ sint. Sit ergo primus ille August. lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 14. dicentis, *Hæc est tota causa, cur dictum est, à quocunque sit dictum, Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius. Dictum est enim secundùm pericula vitæ huius, non secundùm præscientiam Dei; qui hoc præsciuit, quod futurum erat, ideſt, quòd ei mortem immaturam fuerat largiturus, vt tentationum subtraberetur incerto: non quòd peccaturus esset; qui mansurus in tentatione non esset.* Hoc loco vitur Nauarrete controuers. 56. §. 2. ad probandum, nullam dari in Deo scientiam formalem futuri contingentis conditionati. Id quod etiam re ipsâ videtur intendere, licèt non ita apertè, Cabrera 3. par. quæst. 62. artic. 1. disput. 12 §. 2. Aluarez verò disp. 7. de Auxil. num. 11. Nazari. 1. par. quæst. 14. artic. 13. controuers. 1. Gonzal. disp. 45. sect. 2. Cursus Carmel. disput. 9. num. 38. & disp. 10. num. 31. & alij eodem vtuntur ad probandum, non dari in Deo scientiam dicti futuri ante decretum prædefinitiuum, quod ipsi ponunt. Sed neutri quidpiam probant. Quod vt ostendam, suppono, Semipelagianos, teste Hilario in suâ epistolâ circa medium, & Augustino cap. 14. citato, vt non canonicam reiecisse illam Spiritus sancti sententiam ex Sapient. 4. *Raptus est, &c.* quòd viderent, eam minimè posse congruere cum suâ opinione; iuxta quam mors præmatura iusti ipsius beneficium esse non potest; qualiter esse supponitur in dictâ sententiâ. Nam vt egregiè sub finem eiusdem capitis argumentatur Augustinus. *Si iudicarentur homines pro meritis suæ vitæ, quæ non habuerunt morte præuenti, sed habituri essent, si viuerent, nihil prodesset ei, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius.* Et clariùs lib. 1. de Animâ, & eius origine cap. 12. *Nam si peccata*, inquit, *quæ, si homo viueret, commissurus esset, etiam non commissa damnantur in mortuo, nullum beneficium collatum est illi, qui raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; quandoquidem iudicabitur secundùm eam, quæ in illo fuerat futura, malitiam, non secundùm eam, quæ in illo inuenta est, innocentiam. Et de nullo mortuo baptizato poterit esse securitas: quia & post Baptismum non qualitercunque peccare, verùm etiam apostatare homines possunt. Quid si ergo, qui baptizatus hinc raptus est, apostata erat futurus, si viueret, nullum ne illi beneficium putabimus esse collatum, quòd raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius; & propter Dei præscientiam non sicut fidele membrum Christi, sed sicut apostatam iudicandum esse censebimus?* Igitur intendens pariter Augustinus in loco nobis obie-

obiecto ostendere iuxta prædicta verba Sapient. 4. esse beneficium eius, qui *raptus est, &c.* immaturam mortem; postquàm dixisset, *Perro, si quæratur à nobis, vtrùm, si tunc esset mortuus, quando erat iustus, pœnas esset inuenturus, an requiem, nunquid requiem respondere dubitauimus?* Subiungit, *Hæc est tota causa, &c.* Quasi dicat. Quia bonum est iusto præmaturè rapi, ne cadat, ideo dictum est, *Raptus est, &c.* Hæc enim sententia, etsi supponat, fore hominem implicandum, si viueret, periculis huius vitæ, & lapsurum, idque certissimè sciri à Deo; non tamen supponit, aut indicat præsciuisse Deum, aut peccaturum absolutè hominem, qui in tentatione absolutè mansurus non erat, aut fore eum absolutè dignum supplicio propter peccata, quæ committeret, si diutiùs viueret, re ipsà tamen, & absolutè non erat commissurus. Ex quo patet iuxta dicta vniuersè num. 270. Augustinum in loco, quem versamus, tantùm negare præscientiam absolutam de peccato, ac merito pœnæ ex peccato oriundo eius, qui præmaturè rapitur, non item scientiam conditionatam, quam *nisi perueršissimè, & insanissimè* negari non posse, alibi ipse testatus est, vt vidimus supra quæst. 6. num. 133. Id quod nobiscum contra suos alios Thomistas tenet Ioan. à S. Tho. 1. par. quæst. 14 disput. 20. artic. 2. Et quidem si de præscientia conditionatà, deque peccato eius, qui præmaturè rapitur, prout futuro sub conditione loqueretur Augustinus, cùm loquatur vniuersaliter, & absque vllà limitatione, omnem omnino præscientiam conditionatam de tali peccato remoueret à Deo, contra Thomistas ipsos, qui aliquam iam vnanimiter confitentur, neque negare possunt, vt ex dictis in præcedentibus constat. Vnde tandem apparet, quam abs iure allegent pro se locum Augustini relatum.

273 Sit secundus, quem etiam allegant Nauarr. Cabre. Aluar. Gonz & alij, vnusquisque pro suâ sententiâ, ex cap. illo 12 lib. 1. de Anima. Vbi post verba relata num. præceden. ait Augustinus. *Quid, quòd ipsa eximantur omnino præscientia, si quod præscitur non erit. Quomodò enim rectè dicitur præsciri, quod non est futurum?* Respondeo ex suprà dictis, loqui Augustinum de præscientiâ absolutâ meriti mali commentitij absolutè reddentis hominem dignum supplicio ob peccata, quæ committeret, si diutiùs viueret, absolutè tamen morte præuentus non erat commissurus. Vnde continuò subiungit, *Quomodò ergo puniuntur peccata, quæ nulla sunt, id est, quæ nec, vitâ ipsâ nondum incipiente, commissa sunt ante carnem, nec, morte præueniente, post carnem?* Quam expositionem clariorem adhuc faciunt illa verba Augustini quæ supra num. 270. retulimus ex lib. de Prædestinat. Sanctor. cap. 13. *Sed quia hominum futura, quæ non sunt futura, proculdubio nulla sunt merita, & hoc videre facillimum est: ideo nec Pelagiani hoc dicere potuerunt; & multo magis neque isti dicere debuerunt;* nimirum Massilienses. Est dicere. Quia opera futura conditionatè, quæ non sunt futura absolutè, nequaquam possunt reddere homines quidpiam merentes absolutè, & hoc est euidens: *ideo neque Pelagiani, &c.* Adde hìc contra Thomistas ponderationem num. præceden.

274 Eamdem mentem habent verba, quæ ex Epistolà Prosperi obijciunt nobis ijdem Thomistæ. Ait enim Prosper loquens de eisdem Massilienſibus, *In tantùm quibuscunque commentitijs meritis electionem Dei subijciunt, vt, quia præterita non extant, futura, quæ non sint futura, confingant, nouoque apud illos absurditatis genere & non agenda præscita sint, & præscita, non acta sint.* Loquitur enim Prosper de præscientiâ absolutâ commentitiorum meritorum, quemadmodum & Augustinus. Damascenus autem, qui etiam opponitur, dicens Dialogo contra Manichæos sub finem, *Si aliquem peccaturum præsciuisset, nec eum condidisset, præscientia hæc non esset, sed impostura*; apertè restringit nomen *præscientiæ* ad cognitionem absolutè futuri, quale non esset peccatum non conditi hominis. Subiungit enim; *Quemadmodùm enim cognitio est earum rerum, quæ sunt; sic & prænotio earum est, quæ certò futuræ sunt.* De quo videatur Ruiz disput. 65. de Scient. à num. 41. Quòd si de scientiâ conditionatâ hi Patres supponantur loquuti, non minùs eorum testimonia vrgebunt Thomistas, quàm nos, iuxta ponderationem factam num. 272. fine; quandoquidem & ipsi aliquam præscientiam conditionatorum contingentium concedunt, & tenentur concedere.

Quartò obijcit Aluarez Augustinum epist. 275
105. dicentem, *Ne quisquam existimaret credentes sic ad eius præscientiam pertinere, quomodò non credentes, id est, vt non eis fides ipsa desuper daretur, sed tantummodò voluntas eorum prænosceretur, mox adiecit, &c. Quibus verbis,* inquit Aluarez, *non obscurè docet ante decretum suæ voluntatis, quo statuit donare fidem credentibus, non præscire Deum, qui essent in eum credituri.* Sed contra primò. Ergo, cùm aliter non credentes pertineant ad Dei præscientiam iuxta Augustinum, hos saltem præsciet Deus non credituros ante decretum suæ voluntatis, atque adeò tale decretum ad cognoscendum tuturum contingens, quale est omissio fidei, aut positiua infidelitas, necessarium non erit. Contra secundò. Quia certius est loqui Augustinum de præscientiâ absolutâ Dei, vt constat ex textu. Contra tertiò. Quia, estò de conditionata loquatur, dumtaxat vult contra Pelagium, Deum non præscire in credentibus fidem oriundam ex solis viribus arbitrij sine auxilio gratiæ, quemadmodùm præscit infidelitatem in non credentibus. In quo nec leue quidem vestigium cernitur prædefinitionis, nedum prædeterminationis ad fidem.

Quintò obijcit eumdem August. cap. 17. de 276
Prædestinat. Sanctor. dicentem, *Hæc est immobilis veritas prædestinationis, & gratiæ. Nam quid est, quod ait Apostolus; sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem? Quod profectò, si propterea dictum est: quia præsciuit Deus credituros, non quia facturus fuerat ipse credentes, contra istam præscientiam loquitur Filius dicens. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos: cùm hoc potiùs præscierit Deus, quòd ipsi eum fuerant electuri, vt ab illo mercrentur eligi. Electi sunt itaque ante Mundi constitutionem eâ prædestinatione, in qua Deus sua futura facta præsciuit.* Verùm neque hæc sunt magis ad rem. Primò; quia loquitur Augustinus de præscientiâ absolutâ. Secundò; quia tantùm reijcit præscientiam meritorum arbitrij præuiam ad prædestinationem, quam Semipelagiani adstruebant, & nullus Catholicus potest admittere. Tertiò; quia prædestinatio, in qua, dicit, Deum sua futura facta præscire, non consistit in prædefinitione Thomisticâ, sed vel in aliâ benigniori tum gloriæ, tum mediorum gratiæ; vel in decreto dandi auxilia efficacia ad merita coniungenda cum gloriâ iuxta varias sententias. Quartò; quia certius est, Au-

gust.

gust. non velle, quòd in prædestinatione tanquam in medio cognoscat Deus eius effectus, sed tantùm quòd prædestinatio præcedat præscientiam eorum ea ratione, qua præcedit dona gratiæ, qualia sunt illi, & quorum ipsa est præparatio. Et quamuis id vellet, non negat, posse aliter in se ipsis eosdem effectus à Deo cognosci. Quo mens August. longissimè remota est à doctrinâ Thomisticâ. Quæ omnia tum ex præmissis à num. 269. tum ex contextu ipso sunt manifesta.

277 Sextò Gonzalez disput. 44. sect. 3. & disp. 45. sect. 1. & 2. enixè contendit, quæstionem hanc, vtrùm Deus cognoscat contingentia conditionata in suo decreto prædefinitiuo, vel ante decretum, nouam non esse, sed perantiquam, eam enim proposuisse Augustino Prosperum, & Hilarium. Prosperum quidem, dum circa finem suæ epistolæ rogat, *An per præscientiam Dei possit stare propositum; an verò præscientia quodam ordine sit subnixa proposito?* Hilarium autem, dum sub principium suæ loquens de Massilienſibus ait, *Dicunt, id præscientiæ esse diuinæ, vt eo tempore, ibi, & illis veritas annunciaretur, quando, & vbi præuoscebatur esse credenda*; subiungens, hoc probari à Massilienſibus ex doctrinâ ipsius Augustini, quam scripsit contra Porphyrium, haberturque in epist. 49. quæst. 2. Ad quam quæstionem dicit Gonzalez respondisse Augustinum cap. 9. 17. 18. & 19. de Prædestinat. Sanctor. & cap. 17. de Dono perseuerantiæ; docuisseque, ante præscientiam conditionatorum contingentium præcedere decretum Dei prædefinitiuum, cum dixit cap. 9. citato, seu potius 10. *Prædestinatione quippe Deus ea præscivit, quæ fuerat ipse facturus.* Et cap. 17. de Dono perseuerantiæ. *Hæc, inquam, Dei dona, si nulla est prædestinatio, quam defendimus, non præsciuntur à Deo. Præsciuntur autem. Hæc igitur est prædestinatio, quam defendimus.* Necnon, dum in eodem cap. 9. citato respondens ad id, quod ex opusculo contra Porphyrium pro se (teste Hilario) allegabant Semipelagiani, ita subdit. *Cernitis ne, me sine præiudicio latentis consilij Dei, aliarumque causarum hoc de præsentiâ Christi dicere voluisse, quod conuincenda Paganorum infidelitati, qui hanc obiecerant obiectionem sufficere videretur? Quid enim est verius, quàm præscijsse Christum, qui, & quando, & quibus locis in eum fuerant crediturí? Sed vtrùm, prædicato sibi Christo, à se ipsis habituri essent fidem, an, Deo donante, sumpturi; ideſt, vtrùm tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinauerit Deus, quærere ac differere tunc necessarium non putaui. Proinde quod dixi, tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicare doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant crediturí; posset etiam sic dici. Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam, quando sciebat, & vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante Mundi constitutionem.* Itaque his in locis, censet Gonzalez, pro suâ sententiâ definijsse Augustinum quæstionem, de qua modò tractamus, docendo expressè, præscientiam conditionatorum in Deo ante decretum prædefinitiuum, ac prædeterminatiuum eorum non reperiri. Consentiuntque Cursus Carmelit. 1. par. disput. 10. dub. 2. & Ioan. à S. Tho. disput. 20. artic. 3. & nouissimè Hieron. Vives in suo Opere de Primatu diuinæ libertatis contra scientiam mediam disput. 4. & sequentibus. Contra quos videndus Annatus disput. 3. de Scient. med. cap. 3. & disput. 4. cap. 2. Pergit Gonzalez disput. illâ 45. sect. 2. vtens insuper ad confirmandum suum assumptum primo, & secundo loco Augustini obiectis iam supra, & explicatis num. 272. & 273. adijciensque alium ex lib. 2. contra duas epistolas Pelagianorum cap. 7. vbi Augustinus confutans errorem Pelagianorum dicentium, electionem à Deo fieri iuxta merita creati arbitrij, ait, *Propter quod despitis, qui, dicente Veritate, non ex operibus, sed ex vocante dictum est, vos dicitis, ex futuris operibus, quæ Deus illum facturum esse præsciebat, Iacob fuisse dilectum.* Moxque, vt efficaciùs arguat, propositis geminis paruulis statim in primordio infantiæ morientibus, altero quidem cum Baptismo, altero sine illo, subiungit. *Propterea tales proposui, ne diceretis, Deum, sicut de Iacob, & Esau contra Apostolum dicitis, opera eorum futura præscijsse. Quomodò enim præsciuit ea futura, quæ, illis in infantiâ morituris, quia præscientia eius falli non potest, præsciuit potius non futura?* His, & alijs, quæ iam tetigimus, dicit Gonzalez, ab Augustino refutari apertè, expressè, & manifestè scientiam conditionatam Dei antecedentem decretum. *Et oppositum*, inquit, *suspicari in doctrinâ Augustini, est, solem in meridie occidere.* Adeò de suis argumentis præsumit hic Auctor. Quibus, & alijs eiusmodi non parum itidem fidunt cæteri Thomistæ citati. Sed quam abs iure, deprehendet sanè non obscurè, quicunque sincerè, & attentè perlegerit Augustinum, Prosperum, & Hilarium.

Etenim controuersia, de qua modò agimus, ne venit quidem in mentem istorum Patrum. Quibus totalis scopus erat, refellere merita solius arbitrij, eorumque præscientiam, quæ causam nostræ electionis, ac prædestinationis ponebant Pelagius, & eius Reliquiæ. Quocirca Prosper loco citato inter alia spectantia ad eiusmodi errorem id postulat ab Augustino, vt lucidissimis expositionibus dignetur aperire; num scilicet propositum Dei, quo nos prædestinat, & eligit, præscientiam nostrorum meritorum, prout Massilienses asserebant, supponat; vel potiùs contra præscientia nostrorum meritorum eatenus nitatur ipsi proposito, quatenus in nobis nihil prorsus meriti reperiatur, quod non sit donum gratiæ Dei oriundum ab eodem proposito. Subiungit enim Prosper ad verba relata. *Et, sicut nihil sit quorumcunque negotiorum, quod non scientia diuina præuenerit, ita nihil sit boni, quod in nostram participationem non, Deo auctore, defluxerit.* Ecce quæstionem Prosperi. In qua ne leue quidem vestigium est controuersiæ, de qua modò agimus, vt patet, & ampliùs ex dicendis patebit. Illi autem respondit Augustinus, quoties in lib. de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ docet, propositum, electionem, ac prædestinationem diuinam omnino gratuitam esse, nec meritum vllum bonum arbitrij nostri, aut eius præscientiam supponere; talisque boni meriti à solo arbitrio oriundi præscientiam in Deo nullam esse. Tametsi illè præscientiam habeat tum malorum, quæ nos committimus, tum bonorum meritorum, quæ ipse in nobis, & nobiscum mediâ suâ gratiâ operatur. Quemadmodum autem Massilienses, Prosper, & Hilarius ne meminerunt quidem propositi, siue decreti Dei conditionati, quale est, quod inducunt Thomistæ; cùm planè agerent de electione, siue prædestinatione, qua Deus homines absolutè elegit, & prædestinat. Ita Augustinus vbique, quoties propositi, electionis, aut prædestinationis mentionem facit, aperte loquitur de proposito, electione, aut prædestina-

278

tione absolutâ, de qua illi semper cum Pelagianis, ac Semipelagianis fuit controuersia. Cùm tamen quando Præscientiæ meminit, siue in pugnando illam, quam Semipelagiani adstruebant meritorum arbitrij, siue adstruendo illam, quæ verè datur in Deo meritorum gratiæ, ita indefinitè loquatur, vt, licèt de præscientia absolutâ plerunque veniat intelligendus, interdum verò de præscientiâ conditionatâ debeat intelligi, tum maximè, quando de præscientiâ requisitâ ad prædestinationem, aut ad conceptum eius spectantem sermonem habet. Quo casu satis clarè significat, talem præscientiam decretum prædestinatiuum præcedere, & illud dirigere; quæ nostra ipsissima sententia est. Audiamus aliqua eius loca.

379 Cap. 14. de Dono perseuerantiæ paulò post initium sic habet. *Hæc prædestinatio Sanctorum nihil aliud est, quàm præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Ecce ante præparationem in decreto Dei consistentem præscientiam ponit, vt quid ad prædestinationem spectans, quæ alia à scientiâ mediâ talis decreti directiua esse non potest. Cap autem 17. eiusdem libri sub initium dicit, *Ista igitur sua dona quibuscunque Deus donat proculdubio donaturum se esse, præsciuit, & in suâ præscientiâ præparauit.* Et statim. *Nam in suâ, quæ falli, mutarique non potest, præscientiâ opera sua futura disponere, id omnino, neque aliud quidpiam est prædestinare.* Certè præscientia, in qua Deus dona sua præparat, ac disponit alia à scientiâ mediâ præuiâ ad decretum ipsorum donorum, ipsumque dirigente esse non potest. In præscientiâ enim eorum absolutâ tale decretum subsequente dici non possunt præparari, disponique dona præscita, nec talis scientia ad prædestinationem dici potest spectare, vtpote, quia est scientia purè speculatiua talium donorum: scientia enim ad prædestinationem pertinens practica debet esse, quemadmodum & ipsa prædestinatio practica est. Itaque prædestinatio diuina ex duobus actibus coalescit, ex decreto prædestinatiuo, & ex scientiâ antecedente, ac dirigente tale decretum, quæ iuxta Augustinum est præscientia, in qua Deus sua dona præparat, ac disponit, nec alia à scientiâ mediâ esse potest. *Vnde* (ait ipse Augustinus cap. 18. sequente) *aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait Apostolus, non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit. Hoc quod ait præsciuit, non rectè intelligitur, nisi prædestinauit.* Et rursus cap. 19. *Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos Verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Quandoquidem scilicet prædestinatio ex connotato saltem inuoluit in suo conceptu præscientiam, puta conditionatam, seu mediam, vt explicatum est. De qua eadem censendus est loqui Augustinus cap. 10. de Prædestinatione Sanctorum; cùm explicans locum Paul. ad Ephes. 2. ait, *Quod autem sequitur. Quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus, prædestinatio est, quæ sine præscientiâ non potest esse: potest autem esse sine prædestinatione præscientia. Prædestinatione quippe Deus ea præscit, quæ fuerat ipse facturus. Vnde dictum est, fecit, quæ futura sunt. Præscire autem potens est etiam, quæ ipse non fecit, sicut quæcunque peccata.* Præscientia quippe sine qua prædestinatio esse nequit, & qua Deus dicitur prædestinatione præscire, conditionata est, quidquid sit de alijs, quas Augustinus commemorat in hoc loco. Concinit, & clariùs ad rem, illud lib. 6. Hypognost. cap. 2. *Propterea prædestinat, quia quale futurum sit præscit. Ideo & Apost. Nam quos præsciuit, inquit, & prædestinauit. Sed non omne, quod præscit, prædestinat: mala enim tantùm præscit, & non prædestinat: bona verò & præscit, & prædestinat.* Faciunt etiam ad rem, quæ supra ex Augusti. retulimus à num. 203.

Iam verò vt ad cætera, quæ obijciebantur, 280
redeamus. Hilarius certè aliud non facit in eo loco, quàm proponere Augustino, quod Massilienses asserebant de præscientiâ meritorum arbitrij. Ipse verò Augustinus optimè dicit cap. illo 17. de Dono perseueran. in fine, dona, quæ sunt prædestinationis effectus, de quibus ibi loquitur, à Deo non præsciri, (vtique absolutè), si nulla est prædestinatio, quam ipse defendit; quia, istâ sublatâ, effectus eius, qui præsciantur, esse non possunt. Benè etiam colligit ipsam dari; quia eius effectus præsciuntur. In alio autem loco ex cap. 9. de Prædestinat. Sanctor. sine vllo prorsus præiudicio sententiæ nostræ vindicat se Augustinus ab obiectione ex suo opusculo contra Porphyrium à Massilienfibus desumpta: ijs quippe verbis; *vtrùm tantummodò eos præscierit, an etiam prædestinauerit Deus*: planè loquitur de prædestinatione absolutâ, qualis est electio, per quam mox se explicat subdens; *vbi sciebat esse, qui electi fuerant in ipso ante Mundi constitutionem.* Longèque subinde abest à decreto conditionato Thomistico præuio ad scientiam conditionatam. Videatur Annatus loco citato latè id ibi confirmans. Denique in loco desumpto ex lib. 2. contra duas Epistolas Pelagianorum. Primùm quidem dumtaxat dicit Augustinus, Deum non elegisse Iacob, reprobato Esau, ex meritis arbitrij præuisis, vti Pelagiani dicebant, sed gratis, vt dicit Apostolus. In quo quid contra nos? Deinde, cùm ab exemplo geminorum infantium rem confirmat, solùm negat, vt sæpe aliàs, potuisse Deum præscire absolutè merita eorum, quæ absolutè non erant futura. Et quidem, si de præscientiâ conditionatâ loqueretur, cùm dicat, præsciuisse Deum, talia merita non futura, quod non minus est obiectum contingens, quàm, ea esse futura, nescio profectò, quo iure Gonzalez allegat pro se locum istum.

Ex quibus omnibus liquido constat, Au- 281
gust. (& idem est de alijs Patribus) ne minimùm quidem fauere sententiæ Thomistarum; sed potiùs eisdem in locis, quos ipsi allegant, pro nobis esse. Primò; quia solùm negat, præsciri à Deo merita commentitia, & chymærica Pelagij, & Reliquiarom eius; eo quòd à Deo, quod non est, præsciri non potest. Secundò; quia, quoties Dei præscientiam alligat prædestinationi, siue electioni, apertè loquitur de prædestinatione, siue electione omnino absolutâ. Nemo autem somniauit, ad præscientiam conditionatam decretum Dei omnino absolutum prærequisitum esse. Vnde tunc manifestè loquitur de præscientiâ absolutâ effectuum prædestinationis, siue electionis, quæ prædestinationem ipsam, siue electionem necessariò subsequitur. Tertiò; quia prædestinatio, siue electio apud Augustinum neutiquam est prædefinitio Thomistica; sed vel alia mitior, vel decretum solum conferendi auxilia efficacia, vt aliàs dixi. Quartò; quia Augustinus sæpe ponit præscientiam vt quid antecedenter requisitum ad decretum electiuum, seu prædestinatiuum, vt vidimus: quæ subinde alia esse non potest à scientiâ mediâ,

mediâ, qua præuidet Deus omnia media, modos, & vias, quibus prædestinandus cum effectu liberè curret, ac perueniet ad vitam æternam casu, quod ei præparentur, & conferantur.

282 Præterea tandem opponit Aluarez, præscientiâ conditionatâ vsos etiam fuisse Arrianos ad suum errorem comprobandum. Quo asserebant, Christum Dominum non per naturam esse Filium Dei, sed per gratiam ad eam dignitatem electum fuisse, quòd iamdiu victurus præcæteris præuisus esset. Constat id ex Epistola Alexandri Episcopi Alexandrini ad Alexandrum Episcopum Constantinopol. quæ habetur in Concilio Nicæno, vbi dicitur, *Aiunt, Deum eum, cùm præscientiâ, & præsensione prænouisset, neutiquam ipsum aspernaturum, idcirco ex omnibus elegisse.* Et mox. *Sed, cùm esset naturâ mutabili, & propter singularem invitâ, & moribus ritè instituendis diligentiam, ac studium non ad vitia deflecteret, Deum eum elegisse; adeò, vt si vel Paulus, vel Petrus in hæc obuiæ incubuisset, eodem modo fuissent Filij Dei, quo ille fuit.* Sed primùm, vnde probat Aluarez, de præscientiâ conditionali operum Christi loqui Arrianos? certè relata verba præscientiam potiùs absolutam præseferunt operum tum Christi Domini, tum Petri, & Pauli. Deinde, vnde constat, hæreticos loqui de præscientiâ operum Christi non supponente decretum, quam solam Aluarez impugnat? Sed estò, loquantur hæretici de scientiâ conditionatâ decretum non supponente. Inde nobis subsidium: quandoquidem Patres græci acerremi Arrianorum oppugnatores ne verbum quidem contra talem scientiam dixerunt, teste Ruiz disput.66. sect.9. num.21. Cùm tamen, eo fundamento sublato, facillimè commemoratum errorem labefactare possent, vt benè vidit ipse Aluarez. Præterquamquòd non ob id est scientia conditionata neganda; quia hæretici abutuntur illâ. Præscientiâ absolutâ abusus est Pelagius, cùm dixit, ob merita solius arbitrij absolutè præuisa eligi homines ad gloriam: eâdem abutuntur hæretici, qui ab illâ iumunt argumentum ad impugnandam libertatem creatam. Nunquid propterea quispiam Catholicus negabit præscientiam absolutam?

283 Denique Hieron. Viues in suo opere supra citato disput.7. à num.37. opponit nobis ea loca Augustini quibus aliqua Dei prædefinitio ad actum peccati videtur indicari. Nempe lib.5. contra Iulianum cap.3. vbi circa illud Pauli ad Rom. 1. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*; Et rursus, *Tradidit illos Deus in passiones ignominiæ*; docet Augustinum Deum non solùm per patientiam dereliquisse homines illos, sed per potentiam tradidisse operibus prauis. Et lib. de Gratiâ, & libero arbitrio cap.20. ait, *Operari Deum in cordibus hominum ad inclinandas eorum voluntates quòcunque voluerit, siue ad bona pro suâ misericordiâ, siue ad mala pro meritis eorum.* Et lib. de Correptione, & gratiâ cap.7. *Cùm itaque audimus. Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est? Illos debemus intelligere electos per misericordiam, illum per iudicium. Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum, illum verò ad effundendum sanguinem suum.* Scilicet Iudam.

284 Sed primùm, cùm Augustinus ijs in locis non de statu conditionato, sed de absoluto manifestè loquatur, ea vtique non sunt ad rem: quia dato, quòd Deus pro actibus prauis absolutè futuris haberet prædefinitionem absolutè existentem, non inde sequitur, debere eum illam etiam habere pro futuris tantùm conditionatè, prout eam Aduersarij requirunt ad scientiam conditionatam illorum. Sicut iuxta Aduersarios ipsos pro prioribus tantùm, non item pro posterioribus ponit Deus absolutè existentem physicam prædeterminationem. Deinde, estò propter modos loquendi Scripturæ, & Patrum aliqua prædefinitio prauorum actuum in Deo esset asserenda, ea sanè non prædeterminatiua Thomistica, sed alia mitior deberet esse, prout iam aliàs diximus.

Verùm enim verò, per eiusmodi loquendi 285
modos dumtaxat significari permissionem Dei de prauis hominum actionibus, aut etiam intentionem eorum bonorum, quæ Deus ex illis solet elicere, satis iam constat ex dictis supra num. 206. & 211. rursusque num.266. & 267. Vnde etiam patet, qualiter intelligenda sunt loca proposita Augustini. Scilicet qualiter S. Tho. illa intellexit tum locis citatis num. illo 211. tum insuper, cùm 1.2.quæst.79.artic.1.ad 1. dixit, *Dicitur ergo tradere eos in reprobum sensum, in quantum non prohibet eos, quin suum sensum reprobum sequantur; sicut dicimur exponere illos, quos non tuemur. Quod autem Augustinus dicit in libro de Gratiâ, & libero arbitrio, vnde sumpta est glossa, quòd Deus inclinat voluntates hominum in bonum, & malum, sic intelligendum est, quòd in bonum quidem directè inclinat voluntatem; in malum autem in quantùm non prohibet, sicut dictum est; & tamen hoc etiam contingit ex merito præcedentis peccati.* Rursusque in cap.1.Epist.ad Roman.lect.3.præmisso eodem Augustini loco, subiungit, *Aliter tamen ad bona inclinat hominum voluntates directè, & per se tanquam auctor bonorum: ad malum autem dicitur inclinare, vel suscitare homines occasionaliter, in quantùm scilicet Deus homini aliquid proponit vel interiùs, vel exteriùs, quod, quantum est de se est inductiuum ad bonum, sed homo propter suam malitiam peruersè vtitur ad malum.*

Obiectiones ex S. Thomâ contra *scientiam mediam.*

Duo sunt certa, in quibus Aduersarij, & 285
nos conuenimus. Primùm. S. Thomam in Deo scientiam certissimam contingentium conditionatorum recognouisse, & adstruxisse: idque supra ostendimus à num. 156. Secundùm. An talis scientia sit dependens, vel independens à decreto prædefinitiuo, aut etiam prædeterminatiuo obiecti sui actu, & absolutè existente in Deo, in quo stat controuersia præsens, nullibi à S. Tho. tractatum, aut disputatum esse ex professò. Dissidiumque proinde nostrum cum Aduersarijs dumtaxat esse, an S.Tho. alia tractans ita suamenti indicauerit circa quæstionem istam, vt iure censeri debeat stare pro Aduersariorum sententiâ, vel potiùs pro nostrâ. Stare illum pro nostrâ ex multis eius locis intulimus supra à num. 210. Restat videndum, an ita benè ex alijs, quæ allegant, inferant Aduersarij stare pro suâ.

Primus est ex 3.par.quæst.1.artic.5.ad 2.vbi 287
S.Tho.ita habet. *Ad 2.dicendum, quod Augustinus ad hoc respondet in libro de sex quæstionibus Paganorum quæst.2.quòd tunc voluit Christus hominibus apparere, & apud eos prædicari suam doctrinam, quando, & vbi sciebat esse, qui in eum fuerant credituri: his enim temporibus, & his in locis tales homines in eius prædicatione futuros esse præsciebat quales non quidem omnes, sed tamen multi in eius*

corporali præsentiâ fuerint, qui nec in eum, suscitatis ab eo mortuis, credere voluerunt. Sed hanc responsionem reprobans idem August. in lib. de Perseuerantiâ dicit. Nunquid possumus dicere Tyrios, & Sidonios talibus apud se virtutibus factis credere noluisse, aut credituros non fuisse, si fierent; cum ipse Deus attestetur eis, quòd acturi essent magnæ humilitatis pœnitentiam, si in eis facta essent diuinarum illa signa virtutum? Proinde, vt ipse soluens subdit, sicut Apostolus ait. Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei. Qui his, quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subuenit; alijs autem non subuenit; de quibus in suâ prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit. Ex his inferunt Aduersarij, S.Tho. cum August. reprobare scientiam mediam, quam ipse August. admisserat in lib. illo de sex quæstionibus Paganorum, hoc est, epist.49.quæst.2. adstruereque scientiam conditionatam subnixam prædestinationi eius verbis vltimis; *de quibus in suâ prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit.* Sed inferunt malè. Quia August. lib. de Dono perseuer. cap.9. & 11. vnde transcripsit S. Tho. verba relata, neque reprobat scientiam, qua quæst.illâ 2.epist.49. dixerat sciuisse Christum, quando, & vbi essent, qui in eum fuerant credituri, & qui non credituri, si apud illos prædicaretur sua doctrina; potiùs talem scientiam supponit, & aliâ simili de pœnitentiâ conditionatâ Tyriorum, & Sidoniorum tanquam prorsus indubitatè in Deo repertâ confirmat. Neque vllatenus indicat, eiusmodi conditionatas scientias supponere prædefinitionem de obiecto suo. Sed quoniam ipse August. respondens illi Paganorum quæstioni epist.49. significauerat, causam prædicati Euangelij in tali tempore, & in tali loco fuisse scientiam conditionatam de fide eorum, quibus est prædicatum; non prædicati autem scientiam conditionatam de perfidiâ eorum, quibus prædicatum non est; tametsi addiderit, se id respondere *sine præiudicio aliarum causarum, quas prudentes possunt inuestigare*: postea cap. 9. de Dono perseuer. se se explicans, & quodammodò corrigens ait, *Hæc certè de Tyro, & Sidone non possumus dicere*, (vtpote quibus Euangelium non est prædicatum, tametsi conditionatè præuisi fuerint crediturì), *& in eis cognoscimus, ad eas causas prædestinationis hæc diuina iudicia pertinere sine quarum causarum latentium præiudicio tunc ista respondere me dixi.* Post multaque interposita in principio cap.11. subdit, vt ait S.Tho. soluens supradictam quæstionem, *Proinde sicut ait Apostolus. Non est volentis, &c.* latèque prosequitur probans in sola occulta, inscrutabiliaque iudicia Dei referendum esse, quòd ex hominibus cum æqualitate præuisis alios prædestinet, alios secus. Id quod, & non aliud sibi volunt illa verba, *Qui his quos præuidit, si apud eos facta essent, suis miraculis credituros, quibus voluit subuenit; alijs autem non subuenit, de quibus in sua prædestinatione occultè quidem, sed iustè aliud iudicauit.* Ideſt, occultis ijs, sed iustis iudicijs, quibus ad alios prædestinandos, & alios non prædestinandos inductus est. Subiungit quippe August. *Non enim est iniquitas apud Deum: sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius: vniuersæ autem viæ Domini misericordia, & veritas. Inuestigabilis ergo est misericordia, qua, cuius vult, miseretur, nullis eius præcedentibus meritis: & inuestigabilis veritas, qua, quem vult, indurat, eius quidem præcedentibus meritis, sed cum eo, cuius miseretur, plerunque communibus. Sicut duorum geminorum, cuius vnus assumitur, alius relinquitur, dispar est exitus, merita communia.* Ex quibus omnibus satis liquido apparet, quantò propinquiùs pro nostrâ, quàm pro aduersâ sententiâ stent August.& S.Tho.locis relatis.

288 Et quidem nomine prædestinationis, neutiquam intelligere hos Patres prædestinationem conditionatam, quam Thomistæ prætendunt, videtur clarum. Tum quia, loqui eos de prædestinatione absolutâ, satis, superque ostendit ipse contextus. Tum maximè, quia dicunt, Deum eorum, de quibus fidem conditionatè præuidit, nempe *suis miraculis credituros, si apud eos facta essent*, alijs subuenisse, alijs secus; sicque aliud de his, aliud de illis in suâ prædestinatione occultè quidem, sed iustè iudicasse. Vnde manifestè conspicitur, apud August.& S.Tho.iudicia inter se diuersa de eiusmodi hominibus habita à Deo in suâ prædestinatione non posse non esse etiam diuersa à præuisione vtriusque communi de eorum conditionatâ fide sub conditione miraculorum apud ipsos factorum; hancque proinde conditionatam præuisionem non subsequentem, sed præuiam ad talem prædestinationem esse. Quæ ipsissima nostra doctrina est.

289 Secundus locus S.Tho. quem pro se allegant Aduersarij ex quæst.6.de Verit.artic.3.desumitur. Vbi certitudo absoluta prædestinationis probatur. Cùm enim contra talem certitudinem obijceretur, prædestinationem esse debere cum suppositione causæ secundæ, nempe voluntatis creatæ; & id,quod est ita certum, habere tantùm certitudinem conditionatam,qualem habet hoc obiectum, *Ista saluabitur, si præparabit se.* Sicut & hoc, *Sol causabit fructum in planta, si virtus generatiua plantæ fuerit bene disposita.* S. Tho.ita respondet. *Ad 4. dicendum, quòd causa secunda, quam oportet supponere ad inducendum prædestinationis effectum, etiam ordini prædestinationis subiacet: non autem est ita in virtutibus inferioribus respectu alicuius superioris virtutis agentis: & ideo ordo diuinæ prædestinationis quamuis sit cum suppositione voluntatis humanæ, nihilominus tamen absolutam habet certitudinem; etsi in exemplo adducto contrarium appareat.* Ex quibus verbis inferunt Aduersarij,pro se stare S. Tho. & scientiam mediam nostram prorsus euertere:quasi idem sit apud S.Tho. voluntatem humanam quoad actus suos subiacere ordini prædestinationis diuinæ, ac subiacere prædestinationi prædeterminatiuæ Thomisticæ.Sed non inferunt benè.

290 Primò; quia S. Tho. apertè loquitur de prædestinatione absolutâ, &, vt iam dixi sæpe, ex eo, quòd Deus prædefiniat actus voluntatis humanæ absolutè futuros, non benè infertur, prædefinire etiam conditionatè tantùm futuros, qui nunquam erunt, de quibus nihilominùs habet scientiam conditionatam.

291 Secundò; quia, vt sæpe etiam dixi in simili, estò S. Tho. sub ordine prædestinationis aliquam Dei prædefinitionem de humanis actibus comprehendat, ea vtique non prædeterminatiua præscientiæ mediæ eorumdem actuum aduersa, sed alia mitior debet intelligi cum tali præscientiâ compatibilis, aut etiam eam necessariò supponens.

292 Tertiò; quia S.Tho. in toto eo artic. potiùs pro nostrâ, quàm pro Aduersariorum sententiâ videtur esse. Dum enim ait verbis relatis. *Et ideo ordo diuinæ prædestinationis, quamuis sit cum suppo-*

suppositione voluntatis humanæ, nihilominùs tamen absolutam habet certitudinem; satis clarè indicat, eam suppositionem ab ipsius voluntatis liberâ determinatione oriundam esse, non ab aliquâ prædeterminatione diuinâ; vt talemque subindè à Deo per scientiam mediam, & non aliter fuisse præuisam antecedenter ad absolutam prædestinationem: quia tamen ipsa prædestinatio ipsius suppositionis liberæ conditionatè præuisæ conditionem purificat, nequit non ipsa prædestinatio habere certitudinem absolutam. Quia ex suppositione, quòd voluntas est consensura sub hypothesi, quòd illi detur auxilium A, decretum Dei absolutum ac prædestinatiuum de conferendo ei tali auxilio nequit non inferre cum absolutâ certitudine consensum voluntatis. Vnde idem est apud S.Tho. voluntatem humanam quoad suos actus prædestinationis ordini subiacere, ac per ipsam prædestinationem accipere virtutem auxiliorum gratiæ, ex quibus illi spontaneè, & liberè, sed prorsus infallibiliter, sequuturi sunt; eo quòd ita sequuturi sunt antea conditionatè præuisi. In quo prædestinatio, & voluntas in ordine ad vtriusque effectus, à Sole, & planta in ordine ad vtriusque effectus discriminantur. Sol namque, si alioquin planta arida sit, non tollit ab illâ ariditatem, atque ita non infert cum absolutâ certitudine fructus eius, sed cum conditionatâ, scilicet sub conditione, quòd ea virtutem habeat ad tales fructus benè dispositam. At prædestinatio voluntati, alioquin de suo aridæ ad actus salutares, virtutem auxiliorum gratiæ, ex qua illi cum effectu sequuturi sunt, præbet: ob idque non cum conditionatâ tantùm, sed cum absolutâ certitudine infert fructus tum talium actuum, tum salutis obtinendæ per illos.

393 Hæc proculdubio est S.Tho. germana doctrina; vt etiam ex ijs, quæ tradit in corpore ipsius articuli ad conciliandam certitudinem absolutam diuinæ prædestinationis cum libertate humanâ, licet colligere. Ait enim, *Liberum enim arbitrium deficere potest a salute: tamen in eo, quem Deus prædestinat tot alia adminicula præparat, quòd vel non cadat; vel si cadat, quòd resurgat: sicut exortationes, & suffragia orationum, donum gratiæ, & alia huiusmodi, quibus Deus adminiculatur homini ad salutem. Si ergo consideremus salutem respectu causæ proximæ, scilicet liberi arbitrii, non habet certitudinem, sed contingentiam. Respectu autem causæ primæ, quæ est prædestinatio habet certitudinem.* Quibus verbis planè videtur S.Tho. depinxisse sententiam nostram. Tum quia nullâ prorsus indicatione, nedum expressâ mentione factâ prædeterminationis Thomisticæ, (quæ sola ad suum intentum sufficeret), per varia adminicula ex se indifferentia, sed habitura tamen effectum, dicit, Deum homini prædestinato adminiculari ad salutem. Tum quia dicit, salutem ipsam respectu liberi arbitrij certitudinem non habere. Haberet autem citra omne dubium, si in ipso libero arbitrio posita esset prædeterminatio Thomistica metaphysicè, atque adeò certissimè inferens ipsam salutem. Pro nobis igitur potiùs, quàm pro Aduersarijs, censendus est esse S. Tho. in loco ab ipsismet allegato.

294 Tertius locus desumitur ab Aduersarijs ex quæst. 12. de Veritate artic. 10. Vbi examinans S.Tho: diuisionem Prophetiæ factam à Hieronymo in Prophetiam comminationis, præscientiæ, & prædestinationis, in responsione ad 8. dicit. *Quòd si Prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directè respicit, sic est absque omni conditione: absolutè enim est ita ordinatum esse in causis, vt hoc contingat. Si autem referatur ad euentum, quem respicit indirectè, sic intelligenda est sub conditione causæ.* In eo quippe ordine causarum, dicunt Aduersarij, contineri decretum suum prædeterminatiuum de euentu conditionatè futuro. Sed iterum non benè. Primùm quidem; quia S. Thomas tum in hoc artic. tum sæpe alibi per ordinem causarum ad effectum nullam Dei prædefinitionem intelligit; sed tantùm ipsam, quam causæ habent inclinationem, seu propensionem ad causandum effectum prout aliquo modo cum eo connexam. Quocirca dicit, effectum bifariam considerari, atque adeò etiam sciri, seu cognosci posse futurum (scilicet scientiâ absolutâ). Primò in ordine causarum; quomodò cognoscitur eclipsis ab Astrologo, & mors à Medico. Secundò in se ipso; quomodò cognoscitur à Deo, quidquid cum exequutione, & re ipsâ à causis suis extiturum est. Fierique posse, vt scientia absoluta de effectu prout futuro in ordine causarum vera sit; etiam si effectus non sequatur, nec re ipsâ ponatur; quia ab eius exequutione causæ impediuntur: eò videlicet, quòd per talem scientiam non tam effectus, quàm ipse causarum ordo cognoscitur prout connexus cum illo. Vnde addit S.Tho. huiusmodi scientiam potiùs esse rei præsentis, quàm rei futuræ; quia talis causarum ordo quid præsens est. Concluditque propterea verbis relatis, si prophetia comminationis referatur ad ordinem causarum, quem directè respicit, sic absque omni conditione esse: tametsi relata ad ipsum euentum censenda sit conditionata.

Sed estò, supponat prophetia comminationis iuxta S.Tho. prædefinitionem in Deo de euentu sub conditione futuro. Certè, cùm talis euentus aut semper, aut fere semper sit effectus solius Dei, ex eò, quòd Deus habeat de illo prædefinitionem conditionatam, non sequitur, quòd habeat etiam de effectibus voluntatis creatæ, præsertim prauis, de quorum conditionatâ scientiâ impræsentiarùm sermo est. Præterquamquòd, licèt circa hos etiam prædefinitio conditionata admittenda esset, ea vtique non prædeterminatiua Thomistica, sed alia alterius mitioris generis esse deberet, vt sæpe notauimus. 295

Deinde, quàm non pro Aduersarijs, sed potiùs pro nobis sit S. Thom. in hoc ipso artic. quem ipsi allegant, colligitur. Tum quia in eo docet, præscientiam excedere prædestinationem in malis; quatenus scilicet mala præsciuntur à Deo, sed non prædestinantur. Quod nostræ sententiæ conforme, & ab aduersâ alienum est. Tum quia docet, verum modum, & Dei proprium præsciendi futura independentem esse à cognitione causarum ordinatarum ad illa. Qualis certè non esset, si aliter illa, quàm in suâ prædefinitione à Deo cognoscibilia non essent, prout Aduersarij volunt. 296

Quartus locus sumitur ex 1.par.quæst.19.artic.7. ad 2. vbi ait S.Tho. *Deum vtrumque velle, scilicet, quod aliquid quandoque sit futurum secundùm causam inferiorem; quod tamen futurum non sit secundùm causam superiorem. Vel è conuersò.* Hinc enim inferunt Aduersarij, Deum secundùm S. Tho. voluntatem conditionatam habere circa id, quod dicitur velle; cùm tamen absolutè non sit re ipsâ extiturum. Sed quid inde? Nos non negamus, habere posse, de factoque habere Deum 297

ali-

aliquas voluntates ex parte obiecti conditionatas, eorum præsertim effectuum, qui ab ipso solo facien. i sunt, ex defectuque alicuius conditionis, quæ à creatura ponenda erat, absolutè non fiunt. Talis enim est iuxta sententiam communem voluntas illa, qua *Deus omnes homines vult saluos fieri*, 1.ad Timoth.2. Circa effectus verò causarum inferiorum, quæ non liberè sed necessariò operantur (de quibus agit S.Tho. verbis relatis) fortasse non habet Deus conditionatam voluntatem, etiam quando dicitur velle, quòd sint illi futuri secundùm ordinem talium causarum, & absolutè non fiunt, quia impedimentum ipsis apponitur. Nam, sicut tales effectus, non solùm conditionatè, sed absolutè etiam dicuntur futuri in tali causarum ordine iuxta phrasim S. Tho. vt constat ex dictis paulò ante; quatenus talis causarum ordo de suo inferens illos aut absolutè existens, aut absolutè extiturus est: ita Deus, volendo absolutè talem causarum ordinem prout connexum cum talibus effectibus, eorumque subinde illatiuum, velle ipsos effectus prout in tali ordine futuros dici potest citra omnem aliam voluntatem conditionatam tendentem immediatè in eos. Sed estò, habeat Deus etiam circa huiusmodi effectus voluntatem conditionatam. Hinc profectò non sequitur, debere quoque illam habere, circa effectus causarum inferiorum operantium liberè: de quorum potissimùm scientiâ conditionatâ agimus in præsenti. Sed demus insuper, circa horum item aliquos voluntatem conditionatam habere Deum. Certè hinc non sequitur, habere illam circa omnes, quos futuros conditionatè cognoscit, vtpote quorum multitudo infinities est infinita; & quorum proinde voluntates conditionatæ superuacaneæ prorsus, & otiosæ essent in Deo, vti diximus aliàs. Neque sequitur, huiusmodi voluntates conditionatas, si quas Deus habet, ad veritatem conditionatam suorum obiectorum prærequisitas esse; multòque minùs esse prædeterminatiuas eorum, vt Aduersarij volunt. Ex quibus omnibus planè constat, quàm distans sit à sententiâ ipsorum locus citatus S.Thomæ.

298 Pariterque constat, ab eâ similiter longè distare alium locum, qui allegari etiam solet ex 1. sent.distinct.46. quæst.1.artic.1. Vbi S.Thom. exponens illud 1.ad Timoth.2. *Deus omnes homines vult saluos fieri*, ait, *Voluntatem antecedentem dici posse conditionatam: nec tamen esse imperfectionem ex parte voluntatis diuinæ, sed ex parte voliti, quod non accipitur cum omnibus circunstantijs, quæ exiguntur ad rectum ordinem in salutem.* Circa quæ præter dicta num. præceden. nihil opus est addere.

299 Denique opponunt S.Tho.quæst.2.de Veritate artic.12. ad 9. dicentem, *Non est inconueniens, quòd ponatur, quòd Deus sciat aliquid futurum esse, quod non erit, in quantùm scilicet scit, aliquas causas esse inclinatas ad aliquem effectum, qui non producetur.* Cæterùm, S.Tho.his verbis nihil, quod Aduersariorum sententiæ fauere possit, indicare, satis, superque constat ex iam dictis in simili à num.294.

300 Postremò opponuntur ea loca, in quibus S.Tho. docet, scientiam Dei esse causam rerum adiunctâ voluntate. Tum ea, vbi significat, futura absoluta non esse cognoscibilia à Deo ante decretum suæ voluntatis. Tum ea, vbi tradit eos duos modos cognoscendi futurum, nempe in se ipso, & in suis causis. Falleret enim hic secundus in futuro conditionato cuius causæ sunt indifferentes, nisi accedat decretum.

Respondeo ad primum, voluntatem scientiæ adiungendam, vt sit causa rerum, non antecedentem ad scientiam, & dantem veritatem obiecto eius, (qualis ponitur prædefinitio Thomistica), sed subsequentem, directamque per ipsam scientiam debere esse secundùm S.Tho. Ait enim ipse 1.par.quæst.14.art.8.in corpore, *Respondeo dicendum, quòd scientia Dei est causa rerum. Sic enim scientia Dei se habet ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata.* Et est certum scientiam artificis non à voluntate antecedente, sed mediâ subsequente, ad quam dirigit, euadere artificiatorum causam. 301

Respondeo ad secundùm, si quando S.Tho. significat, futura absoluta non esse ante suum decretum cognoscibilia, dumtaxat loqui eum de decreto, quod est requisitum ad existentiam, & consequenter ad cognoscibilitatem, non solùm absolutè, sed etiam conditionatè futurorum: tametsi pro his non debeat esse absolutè existens, sed tantùm ex parte obiecti se habens iuxta iam dicta supra quæst.4.num.71. læpeque aliàs. 302

Respondeo ad tertiùm S.Tho. plerisque in locis, vbi tradit eos duos modos cognoscendi futurum in se ipso, & in suis causis, manifestè stare pro nobis, dum docet, futurum contingens in suis causis, vtpote indifferentibus ad vtrumlibet, non habere certitudinem; & ideo cognitionem eius in suis causis tantùm esse coniecturalem, tendentem scilicet, non tam in ipsum futurum, quàm in ordinem, quem causæ ipsæ habent ad illud. Quæ doctrina manifestè excludit à numero causarum futuri contingentis prædefinitionem Thomisticam, in qua iuxta suos Assertores cum omnimodâ certitudine, perque scientiam omnino certam est cognoscibile tale futurum. Videatur S.Tho.1.par.quæst.14.artic.13.in corp.& 2.2.quæst. 171.artic.6.ad 2.& quæst.174.art.1.in corp.Tum in 1.distinct.38.quæst.vnica artic.5.Necnon quæst. 12.de Veritate artic.12. in corp. & ad 9. & lib.1. contra Gentes cap.67.initio. Quæ loca potiore iure ego retorqueo in Aduersarios. Apud quos docentes, Deum in suâ prædefinitione, & non aliter, cognoscere contingentia conditionata, nequit non fallere doctrina S.Tho. quoad modum, quem tradit cognoscendi futura contingentia in se ipsis. 304

Sunt præterea, qui obijciant, S.Tho. 1.par. quæst.14.artic.9.& 3.par.quæst.10.art.2.& quæst. 13.artic.1. & sæpe alibi dumtaxat diuisisse scientiam Dei in naturalem, & liberam, in scientiamve simplicis intelligentiæ, & visionis; nec meminisse scientiæ mediæ, siue conditionatæ. Hæc tamen obiectio contra Thomistas est, qui admittunt, neque negare possunt scientiam conditionatam etiam de obiectis contingentibus. Respondeo igitur pro omnibus, S.Tho. tantùm fecisse diuisionem scientiæ diuinæ respectiuè ad obiectum consideratum aut prout in statu quiditatiuo, aut prout in existentiali; non tamen negasse, intra vnumquemque eorum statuum esse alias veritates conditionatas, & alias absolutas, per scientiam conditionatam, & absolutam cognoscendas à Deo, iuxta ea, quæ dicebamus supra disput.23. quæst.5. 305

Ad hæc reducuntur omnia, quæ Aduersarij colligere potuerunt contra scientiam mediam ex S Thomâ, & quæ, si benè perpendantur, potiùs pro illâ, quàm contra illam esse videntur, vt constat ex eorum traditis explicationibus. Quibus 306

bus proinde sic explicatis si adiungantur cætera, quæ ex eodem S. Thomâ in fauorem eiusdem scientiæ mediæ produximus supra à num.156. & rursus à num.210. non obscurè deprehendetur, doctrinam de scientiâ mediâ longè potiore iure, quàm oppositam Thomistarum, de mente S. Thomæ censendam esse.

Obiectiones à ratione contra *scientiam mediam*.

307 Incipio ab obiectionibus eorum, qui absolutè negant, conditionata contingentia certò cognosci à Deo. Sitque prima. Conditionata contingentia, quæ nunquam erunt, non habent *esse*, nisi in causis indifferentibus, & indeterminatis. Ergo non habent determinatam veritatem, atque adeò nec certò cognoscibilia sunt. Nego antecedens. Quia talia contingentia in se ipsis habent *esse* conditionatum. Ideſt, in se ipsis haberent *esse*, si purificaretur conditio: quo pacto in se ipsis etiam cognoscibilia sunt iuxta dicta num.237.

308 Secunda obiectio. Conditionata contingentia non sunt præsentia in æternitate. Ergo nec sunt in se ipsis cognoscibilia. In causis autem indifferentibus certò cognosci nequeunt. Ergo. Respondeo, conditionata contingentia, etsi non sint physicè in æternitate præsentia iuxta dicta n.259. neque in causis indifferentibus vi connexionis cognoscibilia, prout dictum num.258. esse nihilominùs in se ipsis cognoscibilia à Deo iuxta dicta num.257.

309 Tertia obiectio. Deus nullam habet formaliter voluntatem conditionatam ex parte obiecti. Ergo neque habet scientiam conditionatam formalem. Nego antecedens. De quo in tractatu de Voluntate. Tum, eo admisso, nego consequentiam. Quia, licèt de amabilitate obiecti conditionati vt talis nonnulli dubitauerint; at de cognoscibilitate eius nemini fas est dubitare; vt ex dictis in totâ hac disputatione conspicuum est. Adde, per hanc obiectionem, non solùm contingentium, sed necessariorum etiam conditionatorum scientiam, quam nemo negauit, oppugnari.

310 Quarta obiectio. Futura contingentia conditionata non sunt vera vi necessariæ illationis. Ergo simpliciter non sunt vera, atque adeò neque cognoscibilia. Quia omnis veritas conditionalis in necessariâ illatione posita est. Concesso antecedente. Nego consequentiam, & probationem. Quia etiam dantur veritates conditionatæ non illatiuæ; qualis est veritas, quam habent conditionata contingentia, vt ex sæpe dictis in totâ hac disputatione satis, superque notum est.

311 Quinta obiectio. Deus non cognoscit suos actus liberos vt futuros sub conditione. Ergo nec potest cognoscere actus liberos voluntatis creatæ vt futuros sub conditione. Nego antecedens, si sermo sit de futuritione conditionatâ impropriâ diuinorum actuum, quæ potiùs præsentia conditionata dici debet. De quo plura ex professò quæst.9.

312 Sexta obiectio. Scientia conditionata naturâ suâ est practica; & aliàs ex se non habet exequutionem operis. Ergo est imperfecta. Respondeo, scientiam conditionatam sæpe concurrere ad exequutionem operis. Et, quando non concurrit, etsi sit à naturâ practicâ, non esse imperfectam. Quia de ratione scientiæ practicæ non est actu ad praxim concurrere; sed, quantùm est ex se, ad illam dirigere; vt patet in scientiâ simplicis intelligentiæ purè possibilium; qua Deus, si vellet, ad illa exequuenda dirigi posset: & tamen ea de facto non concurrit ad praxim. His fere impetunt Naiarrete, & Cabrera omnem scientiam Dei formalem, & certam conditionatorum contingentium. Videamus modò, quo pacto alij, qui talem scientiam absolutè Deo negare non audent, contendunt, debere illam supponere decretum Dei prædefinitiuum; nostramque scientiam mediam à tali decreto independentem oppugnant.

Objicit primò Aluarez disput. illâ 7. de Auxiliâ num.12.& cum eo Cantarellus quæst.22.concluſ. 2. Deus ante omne decretum suæ voluntatis non scit, quot homines, vel Angelos esset productus, si crearet alium Mundum. Ergo similiter ante idem decretum non scit, quot actus, vel quales esset productus quilibet homo, si crearetur in tali ordine rerum. Antecedens supponit Aluarez concessum à quibusdam Nostrorum. Totusque est in probanda consequentia. Sed ego cum fere omnibus Nostris nego antecedens. De quo quæst.9. Quo tota argumentatio ruit. Deinde adiungit Aluarez locum Aristot. ex lib.1.Periherm.cap.8. De quo iam satis dixi supra quæst.3. propoſit.3. & antea disput.27.quæst.3. Vbi sufficienter etiam dilui alia quædam, quæ petunt Thomistæ ab indigentiâ, quam habent creaturæ alicuius decreti Dei, vt existant, non solùm in statu absoluto, sed etiam in conditionato. Ex quo capite Aluarez, Cabrera, Zumel, Ripa, Cantarellus, Gonzalez, & alij efficaciſſimè sibi videntur arguere. Nobis tamen leniſſimè. Quia, vt constat ex dictis tum locis citatis, tum in hac disput. quæst.4.propoſit.4.tum sæpe in præsente quæst.& satis ex se est notum, ad existentiam conditionatam creaturæ non absoluta sed hypothetica dumtaxat existentia causarum eius necessaria est. Atque adeò decretum Dei, quod est vna earum causarum ad talem existentiam non absolutè, sed hypotheticè existens necessarium est. Idque non prædeterminatiuum, quale à Thomistis ponitur, sed longè alterius generis. De quo ibidem. Per quam doctrinam facilè cuncta diluuntur, quæ inculcant Thomistæ ad propoſitum, varijsque modis versant præsertim Gonzalez. Nonnulla autem, quæ addunt spectantia ad controuersiam de concursu Dei cum creaturis per ea, quæ locis citatis tetigimus, dicturi latiùs in Tract. de Prouiden. facilè etiam ab vnoquoque expediri possunt. 313

Secundò igitur obijciunt ipse Aluarez. Cabrera, Ripa, & Cantarellus. Contingens conditionatum ante decretum Dei nullâ ratione est necessarium. Ergo ante decretum Dei non est scibile. Imprimis, dato antecedente, nego consequentiam. Quia, vt aliquid sit scibile, sat est quod habeat *esse*, etsi nullatenus tale *esse* necessarium sit. Contingens autem conditionatum ante decretum Dei actu existens habet *esse* conditionatum, vt ex superiùs dictis constat. Deinde nego antecedens. Quia contingens conditionatum ex suppoſitione, quòd est, qua ratione est, non potest non esse; atque ita ante decretum Dei actuale aliquo modo est necessarium necessitate consequente, siue ex suppoſitione. Nec manere posset liberum, si maiorem necessitatem haberet, vt prætendunt Thomistæ. 314

Tertiò

315 Tertiò obijciunt Cabrera, Verdu, & Zumel, sequi ex nostra sententia, scientiam conditionatorum contingentium prouenire Deo à casu, & ab extrinseco, si ante decretum suæ voluntatis ei prouenit. Quod est absurdum. Respondeo, scientiam Dei ab extrinseco obiecto non prouenire, nisi vt à conditione obiectiuè determinante diuinum intellectum ad sciendum. Vt sic autem scientiam ab obiecto pendere, nihil habet absurdi. Neque, quòd scientia sit Deo contingens ante decretum actuale, dicenda est illi casualis; cùm ex suppositione obiecti, quod sine nutu Dei non existeret, quando existeret, non possit non illa naturaliter concipi à diuino intellectu. Casuale enim non est, quòd naturaliter alicui prouenit ex suppositione alicuius ipsi non casualis. Hinc constat, non benè inculcare Verdu, Deum iuxta nostram sententiam vt indigum, & infelicem expectare, aut etiam emendicare scientiam à nostro arbitrio. Nam, quæ infelicitas, aut mendicitas est, non cognoscere obiectum non ponendum ab arbitrio creato, ponendumque ab illo cognoscere propriâ, & natiuâ perspicaciâ?

316 Quartò obijcitur ex Gonzal. Machin, & alijs. Futura absoluta non cognoscuntur à Deo ante decretum actu in Deo existens. Ergo nec conditionata. Nego consequentiam. Quia, vt diximus, vt aliquid sit conditionatè futurum, non opus est, quod causæ eius, in quibus numeratur decretum, existant absolutè, sed satis est, quòd hypothetice supponantur. Adde, decretum prærequisitum ad futura absoluta, quod ipsum pro conditionatis ponitur in hypothesi, nullatenus debere esse prædeterminatiuum, vt à Thomistis ponitur, sed alterius generis, vt sæpe etiam diximus.

317 Quintò obijcitur ex eodem Machin & Gonzalez. Sequi ex nostrâ sententiâ, esse aliquid prius futurum, quàm possibile, nempe vocationem congruam. Nam si ea priùs esset possibilis, quàm futura; ipsa vtique per scientiam simplicis intelligentiæ cognosceretur à Deo; cessaretque necessitas scientiæ mediæ, aut etiam eius obiectum; quod iuxta sententiam nostram est congruitas, seu efficacia cogitationis congruæ. Hæc obiectio non benè penetrat doctrinam nostram. Cùm enim dicamus congruitatem seu efficaciam cogitationes congruæ per futuritionem conditionatam consensus ex illa orundi compleri; compertum est, talem cogitationem in tribus statibus spectari posse. Primo prout potentem coniungi cum futuritione conditionatâ consensus, quo pacto possibiliter tantùm est congrua, & pertinet ad scientiam simplicis intelligentiæ. Secundò prout coniunctam hypothetice cum eâdem futuritione; qua ratione actualiter est congrua conditionatè, seu intra statum conditionatum, & pertinet ad scientiam mediam. Tertiò prout absolutè iam existentem, secumque ferentem denominationem congruæ desumptam tanquam à connotato à dicta futuritione conditionatâ; qua ratione iam spectat ad scientiam visionis, saltem quoad talis denominationis partem directam, quæ absolutè existens iam est.

318 Sextò obijcitur ex Aluarez, Cabrera, Verdu, & alijs. A causâ indifferente vt indifferente non exit determinatus effectus. Sed ante decretum diuinæ voluntatis creata voluntas est omnino indifferens ad oppositа. Ergo ante tale decretum non potest esse infallibiliter certum, quòd determinatè eliciet consensum potiùs, quàm dissensum, aut è contra. Hoc est potissimum fundamentum sententiæ Thomistarum. *Quod necessarium est*, inquit Aluarez, *& vtile sapiùs repetere, ne leue existimetur, vt dicit Prosper, quod non frequenter arguitur.* Et confirmatur primò. Quia, eadem causa in eodem instanti non potest esse simul indifferens, & determinata. Sed, si voluntas ante decretum Dei esset productiua consensus, indifferens maneret per se ipsam, & determinata per actum. Ergo. Confirmatur secundò. Quia, si voluntas absque decreto esset determinatiua sui ipsius, esset primum liberum. Sed nequit esse primum liberum; quia id est proprium Dei. Ergo. Respondeo facillimè, ad argumentum quidem, negando maiorem. Quoniam à causâ indifferente indifferentiâ libertatis non est, cur non possit exire effectus determinatus, vt potest in Deo, cuius voluntas determinatos effectus causat, quantumuis sit in se indifferens in actu primo, & non prædeterminata ad vnum, vt omnes fatentur. Vnde determinatio prouenies causæ ab actu secundo non obstat indifferentiæ actus primi eius, neque illi opponitur. Ex quo patet ad primam confirmationem. Ad secundam nego, voluntatem creatam esse primum liberum, quamuis se ipsam determinet per actum secundum. Quia de ratione secundi liberi non est, quòd prædeterminetur à primo; cùm potiùs talis prædeterminatio libertati aduersetur; sed quod dependeat ab illo quoad esse, & operari; qualiter voluntas creata dependet à Deo. Sed de his plura dicenda sunt nobis infra disput. 30. quæst. 9. & 10.

319 Septimò vrgentiùs, vt ipsi putant, obijciunt Ioan. à S. Tho. 1. par. disput. 20. artic. 4. Viues in Opere contra scientiam mediam disput. 9. à num. 52. & alij Thomistæ communiter. Sequi ex sententiâ nostrâ contra Concilia, & Patres, dari ex nobis causam, siue rationem prædestinationis? Quia iuxta sententiam nostram ideo Deus prædestinat Petrum; quia videt eum cum ijs cogitationibus consensurum, aliàs non prædestinaturus illum, si non consensurum præuideret. Quod est, moueri Deum ad prædestinandum ex meritis conditionatis, quæ Semipelagiani adstruebant. Respondeo, neutiquam sequi ex sententiâ nostrâ dari ex nobis causam moralem, seu aliquo modo meritoriam nostræ prædestinationis, prout Semipelagiani dicebant; contra quos egerunt Concilia, & Patres. Primò: quia Deus non mouetur ad prædestinandum vnum præ alio, eo quòd primus, non verò secundus conditionatè præuisus est habiturus merita, aut à solo arbitrio oriunda, qualia erant merita Massilienſium, aut etiam ab auxilijs gratiæ. Cùm certum sit, quemlibet etiam reprobum præuisum esse habiturum merita, & sæpe maiora, quàm prædestinatum, casu, quòd illi darentur talia, vel talia auxilia. Sicut è contra etiam prædestinatus æquè, ac reprobus, præuisus est habiturus demerita, casu, quòd ei permitterentur. Ex quo patet, opera bona, vel mala hominum sub conditione præuisa per scientiam mediam ne conditionem quidem esse, sine qua non, electionis, aut reprobationis eorum. Secundò; quia, quamuis Deus moueretur ad prædestinandum vnum præ alio ab operibus eorum conditionatè præuisis, si tamen hæc non mouerent vt merita, neque vt morales dispositiones, sed tantùm vt conditiones, aut circunstantiæ obiectiuæ obiecti prædestinationis reddentes illud amabilius, aut aliter amabile, nihil prorsus derogaretur electioni gratuitæ Dei ab omni nostro merito indepen-

denti;

denti; qualem Concilia, & Patres conantur adstruere contra Reliquias Pelagianorum, dum eorum merita arbitrij tum absoluta, tum conditionata refutant. Vnde, qui motiuum huiusce generis ex parte operum nostrorum tribueret electioni, seu prædestinationi Dei, nihil assereret alienum à sanâ doctrinâ. Tametsi de facto Deus ne istò quidem modo moueatur nostris operibus ad eligendum vnum præ alio, vt dicebamus. Cuius doctrinæ ratio comperta est. Quia, quòd bonitas collationis doni (ex quibusuis circunstantijs ea coalescat) moueat benefactorem ad sui amorem efficacem, nihil derogat gratiæ, & liberalitatis talis amoris, vt est notissimum; aliàs impossibile esset conferre aliquid liberaliter, cùm sit impossibile, vt ad illud conferendum bonitas collationis non moueat. Igitur, quando huiusmodi bonitas ex nostris operibus conditionate futuris vt ex circunstantijs coalescit, quòd ad motionem conferant talia opera liberalitati non obstat. Ecce quomodò futuritio conditionata consensus (aqua diuinum auxilium in nostrâ sententiâ sortitur rationem efficacis) mouet Deum præuisa per scientiam mediam ad conferendum hoc auxilium præ alio hìc, & nunc seu prædestinato, seu reprobo; quin aliquid de liberalitate minuatur collationis talis auxilij. Mouet enim, non per modum meriti per ipsum auxilium compensandi, sed per modum conditionis, seu circunstantiæ augentis bonitatem, & æstimabilitatem auxilij, atque ita complentis donum collatum; qua etiam ratione mouet entitas ipsa physica auxilij. Id quod etiam in sententiâ Thomisticâ fatendum est. Negari enim non potest, physicam prædeterminationem, (in qua iuxta eam sententiam auxilium efficax consistit), idcirco conferri à Deo hìc, & nunc, quia præuisa est habitura effectum, aliàs non conferendam, si per impossibile esset effectu caritura. Quod est, moueri Deum à futuritione conditionatâ consensus vt à circunstantiâ augente extrinsecè bonitatem, amabilitatemque prædeterminationis. Quæ quidem motio ad motionem causæ finalis reducitur: cùm sit motio, qua bonitas quædam coalescens ex entitate gratiæ, & ex eius bono vsu sub conditione præuiso mouet ad amorem sui, qua ratione bonitas finis præcognita mouet ad sui amorem. Mouere autem hoc pacto ad collationem, atque adeò ad prædestinationem gratiæ, vsum ipsius gratiæ præscitum, etsi non moueat per modum meriti, expresè docet S.Tho.1.par.quæst.23.artic.5. ad 1. sic, *Ad primum ergo dicendum, quòd vsus gratiæ præscitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundùm rationem causæ finalis*. De quo plura dicenda venient tract.de Prædestinat.

319

320 Octauò ob jcitur ex Aluarez, Gonzalez, & alijs. Si Deus ante decretum præsciuit, conuertendos fore Tyrios, casu, quòd eis prædicaretur Euangelium, duo sequuntur absurda. Primum, purificatâ eâ conditione, Tyrios viribus arbitrij conuertendos sine speciali gratiâ Dei, quæ erat hæresis Massilienssium. Secundum, etiam sine diuino concursu conuertendos fore, ita, vt nec de potentiâ absolutâ Deus posset eorum conuersionem, posita tali conditione, impedire. Quod est peius absurdum. Deus quippe impedire nequit, quominùs verum sit id, quod ante omne decretum suum, & independenter ab illo iam veritatem habet. Profectò Thomistæ, qui argumentantur ita, videntur nolle intelligere nostram doctrinam. Ex qua, luce clariùs est, neutrum ex dictis absurdis sequi. Deus enim non præsciuit conuertendos fore Tyrios independenter à suâ gratiâ, & à suo concursu, si eis Euangelium prædicaretur, sed prorsus dependenter. Præsciuit enim Tyriorum conuersionem futuram non à solâ externâ Euangelij prædicatione, casu, quòd ea daretur, sed à suâ etiam gratiâ interna eis hominibus communicandâ, & à decreto, quod ipse tunc haberet concurrendi cum illis. Quod quidem varijs modis præscire potuit, atque adeò præsciuit de facto iuxtà doctrinam vniuersalem datam à nobis supra quæst.4. nempe aut positâ ex parte hypothesis solâ prædicatione, & ex parte conditionati collatione gratiæ, decreto concurrendi, & consensu Tyriorum; aut positâ ex parte hypothesis prædicatione, & gratiâ, & ex parte conditionati decreto, & consensu; aut posito etiam ex parte hypothesis decreto, & ex parte conditionati solo consensu. Quouis quippe ex his modis potest intelligi veritas conditionata de conuersione Tyriorum prædicta à Christo in Euangelio. Ex quo patet, conuersionem Tyriorum conditionatam in nostrâ sententiâ non esse veram independenter ab omni decreto Dei, aut à diuinâ gratiâ; quamuis sit vera ante omne decretum actu, & absolutè existens in Deo, atque idcirco præscita etiam à Deo ante tale decretum. Quo fit, vt, purificatâ conditione prædicationis Euangelij præcisè, adhuc posset impediri à Deo talis conuersio, negatâ ab ipso gratiâ efficaci, aut suo concursu.

Nonò objcitur ex Gonzalez disput.45.sect.3. Quod est necessarium ad effectum absolutum in statu absoluto, est quoque necessarium ad effectum conditionatum in statu conditionato. Sed ad operandam, atque consequendam absolutè æternam salutem est necessaria in statu absoluto prædestinatio Dei, atque etiam gratia congrua vt congrua. Igitur ad eadem salutaria opera vt conditionatè futura necessaria quoque erit in statu conditionato prædestinatio ipsa, & gratia congrua in quantùm congrua; proindeque duo hæc ex parte hypothesis dictorum conditionatorum operum debebit præcedere. Quo tollitur obiectum scientiæ mediæ; quandoquidem prædestinatio Dei, & gratia efficax vt efficax per necessariam illationem inferunt ipsa opera. Maior syllogismi facti vt certa apud hunc Doctorem supponitur. Minor varijs Augustini testimonijs probatur ab illo. Ex maiori autem, & minore legitimè sequuntur cætera. Quæ rursus confirmari possunt ex eodem Auctore disput.70. sect.1. num.10. in hunc modum. Vel cogitatio, sub cuius hypothesi cognoscitur à Deo homo salubriter operaturus, concipitur in eo statu conditionato collata à Deo prouidè, vel improuidè; non enim datur medium. Si improuidè, appingitur Deo imperfectio ipsi repugnans. Si prouidè, ea prouidentia est prædestinatio supponens iuxta nos scientiam mediam. Quo & implicantur termini, suppositâ, sublatâque scientiâ mediâ; & abitur in infinitum. Cognoscere enim Deum; *Si dedero Petro prouidè talem cognitionem operabitur*; nihil est aliud, quàm cognoscere; *Si dedero Petro talem cognitionem præsciens illum cum eâ operaturum, si detur, operabitur*. Quod est obiectum non scientiæ mediæ, sed scientiæ merè naturalis, supponens aliam similem scientiam, quæ rursus eadem de causâ supponit tertiam, & sic in infinitum. Huic argumento concinit Viues disput.9.à num.127. 321

Respondeo, ad argumentum ex doctrinâ tradità supra quæst.4. propositi.4. licèt, quod est 322

necessarium ad effectum absolutum, sit necessarium al quo modo ad conditionatum; non tamen debere illud poni in statu conditionato ex parte hypothesis; sed sat esse, quòd illud sit conditionatè verum, sub eadem conditione, sub qua est verus effectus: sicque sub conditione solius cogitationis indifferentis potest esse verum, atque adeò cognoscibile à Deo per scientiam mediam, & fore effectum, & fore cuncta, quæ ad existentiam absolutam eius requisita sunt. Quo corruit totum argumentum. Ad confirmationem autem respondeo ex dictis quæst. citatâ propos. 7. solam cogitationem indifferentem cum præcisione ab omni prouidentiâ Dei poni ex parte hypothesis; sub eâque præcisè verum conditionatè esse, operationem liberam extituram, atque adeò & cognoscibile à Deo per scientiam mediam absque vllo inconueniente. Vide hæc eadem paulò latiùs expositа infra disput. 37. quæst. 4. à num. 63.

323 Decimò obijcitur ex Gonzal. sect. 6. & ex Verdu. Contingens conditionatum v. g. consensus à duabus causis se conformantibus, & inter se conuenientibus nascitur, à Deo scilicet, & à voluntate creatâ. Vel ergo illæ conueniunt à casu, & fortuitò, vel ex intentione. A casu est impossibile; quia talis modus concurrendi est expositus frustrationi, aliasque imperfectiones habet indignas Deo. Si ex intentione. Vel ea est Dei, vel creaturæ. Non creaturæ; quia creatura nescit, quid facturus sit Deus. Ergo ex intentione Dei. Ergo consensus conditionatus etiam in statu conditionato procedit à diuino decreto, à specialique Dei prouidentiâ; quo auferetur locus scientiæ mediæ. Hic vertitur iterum difficultas de concursu Dei cum creaturâ liberâ. Circa quam respondeo, neque Deum, neque creaturam à casu, & fortuitò procedere. Non creaturam. Quia hæc ex intentione elicit suum actum, iuuante Deo, prout de potentiâ ordinariâ non potest non iuuare. Quod satis est, vt illa non operetur à casu. Non Deum. Quia Deus ex intentione etiam aut ponit in manu creaturæ suam omnipotentiam per decretum indifferens antecedens, quo supposito naturaliter omnipotentia sequitur nutum creaturæ, vt ego cum plerisque opinor. Aut, vt alij putant, per decretum determinatum comitans tunc illam iuuare decernit, cuando præscit, eam operaturam, si ipse iuuauerit. Quo fit, vt nec Deus concurrat à casu, nec decretum concurrendi, quodcunque sit ex dictis, obiectiuè conceptum obiecto scientiæ mediæ præiudicet. De quo videnda, quæ supra diximus quæst. 4. & aliàs etiam repetiuimus.

324 Vndecimò obijcitur ex Cantarello, Gonzalez, & alijs, scientiam mediam neque esse necessariam, neque vtilem ad negotium prædestinationis, reprobationis, aut generalis prouidentiæ; cùm potiùs illis aduersetur iuxta argumenta ipsorum hactenus facta. Et consequenter frustraneè, & perperam illam induci in scholas. Respondeo, esto ad aliud scientia media non esset vtilis, ni si ad cognoscendam veritatem à Deo cognoscibilem, qualis est, quam habet pro obiecto, vt constat ex hactenus dictis, fas non esse, illam negare Deo. Addo tamen, non solùm vtilem, sed prorsus necessariam esse ad prædestinationis negotium, prout latè ostendam in Tract. de Prouidentiâ.

325 Duodecimò obijciunt. Repugnat, aliquid esse contingens, aut liberum ex parte voluntatis creatæ, & non esse liberum ex parte Dei: cùm omnis libertas creata participatio quædam sit diuinæ. Sed ante decretum diuinæ voluntatis nihil potest esse liberum ex parte Dei. Ergo ante decretum diuinæ voluntatis, nihil potest esse liberum, aut contingens, atque adeò nec verum, & cognoscibile ex parte voluntatis creatæ. Mirum, quàm variè Aduersarij eamdem versant difficultatem. Sæpe fassus sum, quidquid existit à causâ creatâ, qua ratione existit, à Deo etiam debere existere, atque adeò ab aliquo eius decreto libero: hoc tamen non requiri absolutè existens, quando existentia effectus creati dumtaxat est conditionata; sed sat esse, quòd ex parte obiecti ponatur in hypothesi, aut hypotheticè fore noscatur. Vnde patet, ante decretum actu, & absolutè existens diuinæ voluntatis benè posse esse conditionatè verum effectum contingentem, seu liberum hypotheticè dependentem tum ab arbitrio creato tum à decreto Dei libero concurrendi cum illo; quod, licèt absolutè non detur, daretur tamen in eâ hypothesi, vt sæpe explicauimus.

Decimotertiò obijciunt potius contra nomen 326
scientiæ mediæ, quàm contra rem ipsam. Primò sic. Inter necessarium, & liberum non datur medium; quia sunt contradictoria. Ergo inter scientiam necessariam, & liberam non potest dari scientia media. Esset quippe illa simul naturalis, & non naturalis, simul libera, & non libera; quod est chymæricum. Secundò. Aut antecedit ista scientia omnem determinationem liberam diuinæ voluntatis; aut non antecedit. Si antecedit; est scientia simplicis intelligentiæ, seu naturalis. Si non antecedit; est scientia visionis, seu libera. Ergo non media. Et confirmatur quia inter possibile simpliciter, & futurum non datur medium. Ergo neque inter scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Tertiò. Hæc scientia est ante omne decretum Dei actu existens. Ergo à decreto nullam habet actualem libertatem. Sed neque eam habet ab obiecto. Ergo non est media inter naturalem, & liberam. Probatur minor. Quia ab obiecto nequit aliam libertatem habere, nisi quam ipsum obiectum habet. Sed obiectum non est liberum, sed esset. Ergo scientia ratione obiecti non est libera, sed esset. Et confirmatur. Quia libertas actus diuini neutiquam potest causari ab obiecto creato. Aliàs libertas diuina participatio esset creatæ: nec Deus esset primum liberum. Tum Deus, sicut intellectus creatus, scientiam emendicaret à rebus; in ancipitique expectaret, quid esset factura creata voluntas. Quæ valde absurda sunt. Ergo scientia Dei per ordinem ad obiectum creatum non potest esse libera. Quartò chymæra est dicere, aliquid esse futurum ante determinationem liberam diuinæ voluntatis. Ergo, quidquid est futurum, illam subsequitur; & consequenter cognoscitur per scientiam prorsus liberam. Quidquid autem antecedit merè est possibile cognitum per scientiam naturalem. Ergo non est locus scientiæ mediæ. Hæc ferme sunt quæ opponunt Cabrera, Nauarrete, Zumel, Rispol. & alij. Prætermitto Blasium Verdu, qui pag. 16. inquit. *Dum mediam dant scientiam, videntur non dare integram. Nomen igitur media non nihil auaritiæ, & parcitatis notare videtur erga Deum.* Cætera enim, quæ hic Auctor objicit, fere huiusmodi sunt.

Respondeo ad primum, inter necessarium 327
& liberum absolutè accepta non dari medium. Inter necessarium verò, & liberum prout compara-

rata

rata ad plura capita, vnde illis prouenit necessitas, & libertas, optimè posse medium dari. Quo pacto inter scientiam necessariam, & liberam tam ex parte subiecti, quàm ex parte obiecti optimè vocatur media illa, quæ ex parte obiecti dumtaxat libera est; cùm tamen necessaria sit, quantùm est ex parte subiecti. Qualis est scientia conditionata, quam nos mediam vocamus. Quæ subinde, absolutè loquendo, non est dicenda libera, & non libera; naturalis, & non naturalis: sed libera simpliciter, siue contingens eatenus vocari poterit, quatenus simpliciter potuit in Deo non esse. Tametsi absolutè etiam satis congruè vocetur media ob rationem dictam. Ad secundum respondeo, etsi huiusmodi scientia antecedat actualem determinationem diuinæ voluntatis, non esse tamen scientiam simplicis intelligentiæ: quia non versatur circa possibilitatem, aut quiditatem rerum, sed circa futuritionem contingentem, ac conditionatam earum, quæ media est inter possibilitatem, & absolutam futuritionem. Ex quo patet ad confirmationem. Ad tertium dico, etsi conditionatum contingens non sit actu liberum, sed esset, scientiam tamen actu tendentem in illud actu liberam esse, quatenus actu potuit non esse in Deo, hoc ipso, quòd eius obiectum conditionatè potuit non fore. Scientia quippe actualis de conditionato obiecto nequit non esse defectibilis actualiter, quando ipsum obiectum est defectibile ex hypothesi conditionis. Ad confirmationem autem respondeo, scientiam Dei, eiusque libertatem, seu contingentiam neutiquam posse originem ducere ab obiecto creato tanquam à principio influente; bene tamen tanquam à conditione extrinsecè, & obiectiuè determinante diuinum intellectum ad sciendum, vt iam alias dixi; & latiùs iterum dicam infrà. Quod non est satis, vt libertas diuina dicatur participatio creatæ, aut Deus non dicatur primum liberum, aut dicatur, scientiam à rebus mendicare, aut in ancipiti expectare effectum creaturæ. Quem tamen vt cognoscat, non potest non in omnium sententiâ expectare, loquendo in bono sensu; quatenus, nisi ille futurus esset, futurum non cognosceret. Ad quartum denique nego, esse chymæram dicere, esse aliquid futurum conditionatè ante decretum actu existens voluntatis diuinæ. Cùm potiùs sit id veritas ipsa hactenus satis comprobata: qua positâ, euanescit obiectio.

328 Denique Cabrera, Zumel, Ripa, Nazarius, Cantarellus, & alij apud nostrum Fasolum dubit. 20. num. 500. seuerè notant, & condemnant nouitatem scientiæ mediæ, varijsque probris, atque conuitijs carpunt; quasi ea nouum figmentum sit à nostris Auctoribus in scholas inuectum. Cùm tamen Gaspar Ram apud Ruiz disput. 76. sect. 6. Auctores nostros reprehendat, quòd se iactent, inuenisse conditionalem scientiam; cùm sit antiquissima. Et ipse Gonzalez contendat, hanc de eâdem scientiâ quæstionem iam tempore Augustini agitari, vt vidimus supra num. 277. Deinde Zumel, & Aluarez apud Ruiz loco citato vt suspectam improbant facilitatem, qua per scientiam mediam conciliatur libertas cum gratiâ, & prædestinatione, hactenus in tali concordiâ insudantibus Patribus, & Theologis. Cùm tamen ijdem alijs in locis ab eodem Ruiz relatis cum Cabrera, & Ledesma ex aduerso iam conentur probare, per scientiam mediam augeri difficultatem dictæ concordiæ, imo & eam impossibilem reddi. Respondeo ad primum, id ipsum contra Aduersarios retorqueri posse, (exceptis probris, & conuitijs, quæ vetat modestia retorquere). Rogo enim, in quonam Doctore ante Bannez, & eius Asseclas physicam prædeterminationem legerunt, aut prædefinitionem peccati quoad materiale? Quis dixit ex antiquioribus, futura conditionata cognosci tantùm in decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte obiecti? Et tamen in eis non est vitium, hæc in scholas inuexisse. Quia videlicet, inquit Aluarez apud Fasolum supra, *Scholastici antiqui nihil omnino de hac scientiâ sub conditione disputarunt, aut meminerunt. Vnde non mirum, quòd nullam fecerint mentionem diuini decreti conditionati*. Item Cabrera ibidem ait, *D. Thomam ex professò non disputasse de cognitione futurorum conditionatorum*. Cur ergo in nobis, pro quibus eadem ratio militat, vitio vertitur, quod in ipsis reputatur laudabile? Certè ex nouitas suspecta, atque adeò exosa esse debet, quæ contradicit antiquitati. Quæ verò veritatem ab antiquis non tactam in lucem prodit: aut, quam ipsi implicitè, & magis supponendo, quàm exponendo, tradiderunt, explicatiùs exhibet, atque luculentiùs illustrat, eximijs laudibus digna est. Istæ profectò, non vituperia, debentur Nostratibus, qui scientiam mediam in sacris litteris, & Patrum monumentis planè contentam, & suppositam, vt ex superiùs dictis liquet, explicatiùs exposuerunt, luceque manifestiore donarunt. Per quam difficultas conciliandi libertatem creatam cum gratiâ, & prædestinatione diuinâ, si non penitus est sublata, certè multò mitior est reddita. Ego autem non capio, cur sit minùs æstimanda, aut etiam repudianda doctrina, quòd per illam veritas catholica, aliàs ex necessitate credenda, facilior intellectu reddatur. Ex quo patet ad secundum, quod nobis ab Aduersarijs apponebatur.

Aliæ obiectiones à ratione contra *scientiam mediam*.

Sit primo loco argumentum illud, cuius vim eximiè exaggerat Tuisius Caluinianus apud Annatum disput. 1. de Scientiâ mediâ cap. 2. & quo vsus est etiam Ioan. à S. Tho. 1. par. disput. 20. art. 4. potestque in hunc modum formari. Quidquid ab statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis transiuit, non potest non huiusmodi transitus aliquam causam præ se ferre. Sed quoduis contingens conditionatè futurum (e. g. pœnitentia Tyriorum sub conditione prædicationis Christi) ab statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis transiuit. Ergo aliquam præsupponit causam huiusmodi transitus. Aſt hæc alia esse non potest, nisi decretum Dei existens actu, & absolutè: siquidem veritas, ad quam transitur, vtpote cognoscibilis absolutè, siue per scientiam absolutè existentem, de facto, & absolutè est, & non est suspensa, neque dependens à conditione in ratione veritatis, (sicuti existentia ipsa talis futuri); causamque proinde de facto, & absolutè existentem debet habere. Igitur necessariò dicendum est, ab eiusmodi decreto, & non aliter, posse contingens quoduis transferri à veritate meræ possibilis ad veritatem conditionatè futuri; hancque subinde veritatem à tali decreto omnino dependentem esse. 329

Respondeo, transitum cuiusuis contingentis ab statu meræ possibilitatis ad statum futuritionis 330

tionis conditionatæ indigere quidem causâ, non tamen, quæ absolutè sit, sed, quæ conditionatè esset sub eâdem hypothesi, sub qua est conditionatè futurum tale contingens. Vt enim illud per eiusmodi transitum non accipit absolutè existentiam, sed acciperet sub hypothesi talis, aut talis conditionis; ita eius causa non dat absolutè, sed daret ei existentiam ipsam sub eâdem hypothesi; ad quod satis, superque est, quòd ea existeret tunc, neque est necessarium, imo est impertinens, quòd iam existat nunc. Vniuersaliter enim ad existentiam conditionatam effectus existentia causæ pariter conditionata est sufficiens, nullatenusque est requisita, sed potiùs impertinens absoluta; vt ex sæpe dictis in præcedentibus manifestum est. Itaque pœnitentia Tyriorum à merâ possibilitate extracta, futuraque sub conditione prædicationis Christi fuit per hoc præcisè, quòd omnes eius causæ (voluntas scilicet eorum instructa gratiâ, & Dei decretum concurrendi cum illâ) sub eâdem conditione futuræ fuerunt, quin vllum de tali pœnitentiâ decretum absolutè existens præcesserit. Vnde vniuersaliter concluditur, ad veritatem conditionatam conditionatorum contingentium nullatenus esse necessarium decretum Thomisticum existens actu, & absolutè.

331 Id autem, quod additur in argumento facto, eiusmodi conditionatorum veritatem quâ talem, vtpote absolutè cognoscibilem, de facto, & absolutè esse, nec manere suspensam, aut dependentem à conditione, cautè accipiendum, ac distinguendum est, ne decepiat. Aliud enim est, veritatem conditionatam esse in se quidpiam absolutum. Aliud, veritatem conditionatam esse absolutè cognoscibilem, hoc est, per scientiam absolutè existentem. Primum est falsum. Quia veritas conditionata (scilicet obiectiua de qua sermo est) in se non est aliud ab ipso *esse* conditionato conditionati obiecti. Secundum autem est verum. Quia intellectus per actus absolutè existentes cognoscit, non solùm, quæ absolutè habent *esse*, sed etiam, quæ haberent, si talis, aut talis poneretur conditio. Vnde, quando de aliquo obiecto conditionato dicimus, absolutè esse verum, si sensus sit, per cognitionem absolutè existentem esse illud cognoscibile verè, loquutio erit vera. Falsa autem, si sensus sit, habere illud verum *esse* absolutè. Ex quo tandem apparet, veritatem obiectiuam conditionatam quoad cognosci per cognitionem veram nec manere suspensam nec dependentem à conditione; quatenus adhoc, vt sic cognoscatur, opus non est quod aliqua ponatur conditio: quoad suum verò intrinsecum *esse* eatenus manere suspensam, ac dependentem à conditione, quatenus absolutè non erit, nisi purificetur conditio. Per quam doctrinam facile erit vnicuique diluere cætera, quæ loco citato congerit Ioan. à S. Thom.

332 Sed instabit forsan nonnemo pro argumento facto. Talem existentiam vt minimùm debet habere causa requisita ad effectum, qualem effectus ipse habet, vt est notissimum. Ergo, vt effectus sit extiturus conditionatè, causa ad eum requisita vt minimùm debet etiam esse conditionatè extitura. Est certum. Sed in hoc obiecto, *Si apud Tyrios prædicaretur Euangelium, Deusque dercerneret cum eis concurrere conuerterentur*, decretum Dei, licèt sit conditio, non est conditionatè extiturum sub aliâ conditione, quia pro hac requisita esset alia, & pro hac alia, & abiretur in infinitum; quod est impossibile. Ergo neque Tyrium conuersio est conditionatè extitura, nisi decretum Dei requisitum ad illam iam absolutè existens sit. Tantumdemque venit dicendum de cæteris conditionatis huiusmodi.

Verùm argumentum hoc ab Aduersarijs 333
etiam soluendum est. Apud quos, estò decretum de conuersione conditionatâ Tyriorum sit absolutè existens, cæteræ causæ ad eam requisitæ sunt conditiones positæ ex parte hypothesis hoc modo. *Si apud Tyrios prædicaretur Euangelium, eisque daretur gratia efficax conuerterentur*. Pro quibus causis subinde recurrit argumentum.

Respondeo ergo ad illud pro omnibus ex 334
vniuersali doctrinâ traditâ supra quæst. 1. à num. 7. & rursus quæst. 4. propos. 1. quamlibet conditionem cuiusuis obiecti conditionati non posse non esse conditionatè veram imprimis sub suimet hypothesi. Atque ita in obiectis propositis prædicatio Euangelij, decretum de concursu Dei, & gratia efficax ita sunt conditiones, sub quarum hypothesi extitura erat conuersio Tyriorum, vt & ipsæ imprimis sub eâdem suimet hypothesi extituræ erant. Quo nihil desideratur, vt sub ipsâ eâdem hypothesi causæ existentiæ conuersionis extituræ essent. Et cessat argumentum.

Secundò ex Ioan. à S. Thom. vbi supra, ex Vi- 335
ues disput. 9. à num. 72. & ex alijs obijci potest. Ponamus, scire Deum per scientiam mediam, Petrum ex hypothesi talis tentationis cum talibus circunstantijs peccaturum esse. Ponamus rursus, purificari conditionem, esseque iam existentem in statu absoluto in signo aliquo antecedente ad existentiam absolutam peccati Petri. Quibus positis, arguitur sic. Aut potest Deus in eo signo impedire peccatum Petri. Aut non potest. Si dicatur posse; sequitur, posse Deum reddere falsam suam scientiam mediam; quod est ingens absurdum. Quandoquidem, si, conditione purificatâ absolutè, impediretur peccatum Petri, falsum fuisset conditionatè, sub talis conditionis hypothesi Petrum esse peccaturum; quod erat obiectum scientiæ mediæ: ipsaque proinde scientia falsa redderetur. Si autem dicatur, non posse Deum in eo signo impedire peccatum Petri, plura absurda sequuntur. Primum est, Deum non esse omnipotentem: siquidem præstare non potest aliquid, quod est ex se possibile, & bonum. Secundum est, Deum non habere plenum dominium actionum creaturæ: quandoquidem earum aliquam impedire non valet. Tertium est, aliquid bonum posse creaturam præstare, quod non potest præstare Deus. Petrus siquidem, cùm in prædicto signo sit liber ad peccandum, & non peccandum, in eo est potens ad impediendum non peccando peccatum suum.

Hoc argumentum vrgentius, quàm contra 336
nos, fieri potest contra Aduersarios. Apud quos certum est, Deum per scientiam conditionatam cognoscere Petrum ex hypothesi prædeterminationis ad actum peccati peccaturum esse. Ponatur ergo purificata hæc conditio in signo aliquo antecedente ad existentiam absolutam peccati. Vrgentiùsque haud dubie in hoc casu; quàm in illo nostro, current eædem consequentiæ argumenti facti, vt cuique applicanti innotescet.

Ad illud igitur respondeo, si in signo illo an- 337
tecedente tentationis Petri præuisæ efficacis ad peccandum ipsius efficacia includatur, in sensu composito talis signi nec à Petro, nec à Deo posse impediri peccatum; quia id esset coniungere carentiam

tiam peccati cum tentatione prout ferente secum peccatum : atque adeò coniungere duo extrema contradictionis, quod constat impossibile esse. Si verò signum illud ab efficaciâ tentationis præscindat, solùmque includat potentiam proximam Petri ad peccandum, vel non peccandum constituam, præterquàm per cætera, per decretum Dei concurrendi indifferenter cum illo ad eam partem, quam ipse elegerit; tunc in sensu compositio ipsius signi Deus, & Petrus simul habent potentiam impediendi peccatum; quæ quidem non est potentia falsificandi scientiamm media, sed eam impediendi vnà cum efficacia tentationis quam pro obiecto habet. Rursusque Deus antecedenter ad tale signum teorsim est absolutè potens impedire Petri peccatum, vel impediendo eam tentationem, vel dando Petro maiorem gratiam ad ipsam vincendam, vel omittendo decretum cum illo concurrrendi, vel aliter. Quò cessant omnia absurda, quæ inferebantur in argumento. Sed de his multò plura dicenda sunt infra disput. 30. de Libertate.

338 Tertiò obijci potest illud vulgare, quod longe maiore vi venit aduersæ sententiæ obijciendum; scilicet, per scientiam mediam libertatem actus præsciti labefactari; eo quòd & illum antecedit, & purificatâ conditione, illum infert metaphysicâ necessitate: omnisque necessitas antecedens opposita libertati est. Sed respondetur, quidquid remotè tantùm antecedit, vti scientia media, actum liberum, quantumuis necessariò illum inferat ob connexionem, quam cum eo habet, aut per se præcisè aut aliqua conditione positâ, ipsius libertati nihil obesse, vtpote quod neque eam necessitatem simpliciter antecedentem inducit, quæ libertati opposita est, vt pluribus ostendemus inferiùs disput. 30. vbi ad rem etiam plura.

339 Quartò obijcitur. Intellectus diuinus indifferens est ad habendum de quouis contingente conditionato vel actum scientiæ affirmatiuum, vel negatiuum: quia & ipsum contingens est indifferens, vt sub hypothesi conditionis suæ vel habeat, vel non habeat *esse* re ipsâ; atque ita vel affirmatiuè, vel negatiuè sit à Deo scibile verè. E. g. de consensu Petri sub hypothesi vocationis A Deus potest habere vel hunc actum scientiæ affirmatiuum; *Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret*; vel hunc negatiuum; *Si Petrus vocaretur vocatione A, non consentiret*. Neque possibile est, vt careat vtroque actu simul. Igitur, cùm intellectus Dei per se non sit potentia libera, siue electiua inter suos actus, vt constat; aliquid aliud debet dari re ipsâ, per quod ad vnum eorum actuum præ altero determinetur. Sed nihil tale excogitabile est præter decretum Dei absolutè existens vel de consensu, vel de negatione consensus Petri sub hypothesi vocationis A. Igitur eiusmodi decretum ad id muneris necessariò asserendum est. Cætera patent. Solaque minor probanda supereſt. Pro cuius probatione ponamus, habere Deum de facto actum affirmatiuum scientiæ de consensu Petri sub conditione vocationis A, & arguitur sic. Determinatiuum ad talem actum non potuit esse aliquid necessarium: quia omnia necessaria indifferentia sunt, vt coniungantur cum tali actu, vel cum eius opposito. Ergo debuit esse aliquid contingens. Non creatum: quia siquod, maximè consensus conditionatus Petri; & hic esse non potuit. Ergo diuinum: quale est quoduis decretum Dei, & nullum ad rem potius, quàm supradictum. Iam, consensum conditionatum Petri non potuisse esse determinatiuum ad talem actum, (quod solum restat probandum; nam cætera sunt certa, & clara), probatur sic. Id, quod nullum habet *esse* absolutè, sed tantùm haberet, si aliqua poneretur conditio, nihilque subinde est, sed esset, nullatenus potest præstare quidpiam absolutè, estò posset, si esset: quia repugnat, aliquod munus exercere id, quod prorsus est nihil: cum omnis muneris exercitium necessariò supponat esse aliquid id, quod illud exercet. Sed consensus conditionatus Petri nullum habet *esse* absolutè; sed tantùm haberet, si poneretur vocatio A. Ergo consensus conditionatus Petri non potest determinare intellectum Dei absolutè, vt prodeat in aliquem actum scientiæ absolutè existentem: id namque esset exercere aliquod munus absolutè id, quod absolutè non habet *esse*, sed prorsus est nihil. Nequit igitur talis consensus esse determinatiuum ad illum actum scientiæ, per quem absolutè existentem cognoscit Deus, consensum ipsum extiturum sub hypothesi vocationis A. Et confirmari potest primò. Quia meritum, quod non est, sed esset, non potest mouere voluntatem Dei absolutè ad sui remunerationem; vt sæpe statuit tanquam prorsus certum, & euidens Augustin. disputans contra Pelagium, & Cineres eius. Ergo neque consensus, qui non est, sed esset, potest mouere intellectum Dei absolutè ad sui cognitionem. Secundò confirmari potest. Quia existentia, quam haberet consensus Petri ex hyponhesi vocationis A, non esset ab æterno, sed tantùm in aliquo tempore, vt supponitur. Ergo eo etiam titulo est inepta ad determinandam existentiam æternæ scientiæ Dei. Repugnat enim, quidpiam influere retrorsum in existentias, quæ antequam illud esset, iam erant. Nam aliàs daretur in eo potentia ad præteritum contra receptum ab omnibus, ac prorsus certum eximia.

Solutio huius argumenti, mihi profecto, & 340
omnibus fermè Nostris facillima, tantum facessit negotij nonnullis Recenrioribus ex defendentibus scientiam mediam, (ob prauam haud dubiè, atque inidoneam apprehensionem terminorum), vt eos in exoticas, imo & absurdas cogitationes, atque expositiones impulerit; quibus doctrinam de scientiâ mediâ, alioquin clarissimam, implexam sibi, & intellectu difficilem reddiderunt, non sine ipsius doctrinæ iniuriâ non leui. Supponunt enim ij Recentiores, obiectum scientiæ mediæ nullum *esse* intrinsecum, secumve identificatum habere vllo modo re ipsâ, & extra Deum; & consequenter, nullam pariter intrinsecam veritatem obiectiuam fundamentaliter, siue materialiter sumptam habere distinctam à Deo, & secum ipso adæquatè identificatam, ratione cuius sit in se verè, siue per cognitionem veram cognoscibile, seu iudicabile. Sed extrinsecè reddi obiectiuè verum, atque adeò iudicabile verè per ipsam scientiam mediam sui identificatam cum Deo tanquam per quamdam formam extrinsecam. Quo sanè semel supposito, quidquid addatur pro retinendâ scientiâ mediâ non potest non esse inintelligibile, imo & prorsus chymæricum.

Primò enim, prorsus esse impossibile, quòd 341
obiectum nullum *esse* intrinsecum, nullamque subinde intrinsecam obiectiuam veritatem habens in se per aliquid extrinsecum à se distinctum tanquam per extrinsecam formam reddatur obiecti-

uè

uè verum, atque adeò verè cognoscibile, vniuersaliter est à Nobis monstratum in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. Vnde argumentis inde desumptis supra à num. 226. ostendimus, per decretum, quod Thomistæ ponunt in Deo, neutiquam posse contingens conditionatum tanquam per quamdam formam extrinsecam reddi obiectiuè verum, atque adeò cognoscibile verè. Quæ quidem argumenta longe euidentiùs probant contra commemoratos Recentiores, contingens conditionatum nullatenùs posse extrinsecè reddi obiectiuè verum, atque adeò verè cognoscibile per ipsam scientiam mediam, quam Deus habet de ipso, si aliàs ipsum intrinsecè, & identicè in se tale non est independenter à tali scientiâ, vti Recentiores ipsi arbitrantur. Sed, ijs argumentis suppositis, atque etiam impugnationibus, quibus eorumdem Recentiorum solutiones exhibitas ad argumentum de determinatiua scientiæ mediæ, quod modò versamus, loco citato Phari Scient. impugnaui; quæ omnia ibidem videri possunt. Operæ pretium erit, solutiones aliàs dicti argumenti, quas posteà legi scriptas in illorum scriptis, breuiter impræsentiarùm refellere, antequam legitimam, & veram, communemque ipsius argumenti solutionem exhibeam.

342 Supponunt itaque Recentiores isti id, quod verissimum est, à nemineque odegari potest, scilicet, intellectum diuinum ex vnâ parte potentiam indifferentem esse ad habendum alterutrum ex his duobus actibus inter se oppositis scientiæ mediæ determinatè sumptum. *Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret. Si Petrus vocaretur vocatione A, non consentiret.* Tametsi necessitata sit ad habendum vnum, vel alterum sub disiunctione, quia ambobus simul carere nequit. Ex aliâ verò parte, non esse potentiam liberam, siue electiuam, ita vt à se ipso sponte suâ, & pro mero suo arbitratu determinari possit, vt habeat vnum dictorum actuum potiùs, quàm alterum; quemadmodùm voluntas, potentia libera cùm sit, sponte, & pro arbitratu suo se se determinat ad vnum potiùs, quàm ad alterum eorum extremorum inter se oppositorum, respectu quorum indifferentiam, & libertatem habet. Vnde consequenter supponunt, (id quod pariter est verissimum), intellectum diuinum aliter, quàm interueniente electione alicuius potentiæ liberæ ad vnum prædictorum actuum scientiæ præ altero neutiquam determinari posse. Cùmque apud eos electio hæc nequeat esse voluntatis diuinæ medio decreto aliquo facta; vtpote qui omne decretum Dei præuium ad scientiam mediam reijciunt. Aliundeque neque in voluntate creatâ Petri, neque in electione liberâ eius, hoc est in eius consensu futuro in tali tempore sub conditione vocationis A, vllum recognoscunt *esse* reale realiter condistinctum à Deo, & indistinctum ab eis; ad *esse*, quod in essentiâ Dei ab æterno habere dicuntur, aut eminentiale tanquam in causâ primâ, aut intentionale tanquam in specie expressâ, seu scientiâ sui, recurrunt.

343 Itaque dicunt, voluntatem Petri secundùm *esse*, quod ab æterno habet in Deo tum eminentiale vt in causâ, tum intentionale vt in cognoscente, sufficienter posse, de factoque ab æterno concurrere, vt intellectus diuinus determinetur ab æterno ad habendam scientiam mediam de consensu futuro sub conditione vocationis A potiùs, quàm scientiam mediam oppositam de carentiâ eius; ita quidem, vt talis determinatio respectu voluntatis Petri libera, & electiua sit, respectu verò intellectus Dei nequaquam, sed tantùm naturalis, ad eum modum, quo voluntas Petri in tempore determinat habitum infusum, vt secum comitanter concurrat ad actum supernaturalem, & determinatio hæc respectu solius voluntatis Petri est electiua, & libera, respectu verò habitus non item, sed tantùm naturalis.

Sed primùm, dicere, quòd voluntas Petri 344
secundùm *esse* eminentiale, quod habet in Deo tanquam in causâ, concurrit electiuè cum intellectu diuino, vt potiùs de consensu conditionato, quàm de carentiâ conditionatâ eius, concipiat scientiam ab æterno; aliud non est, quàm sub fallacibus verbis dogma falsissimum pronunciare. Nam *esse* eminentiale, quod voluntas Petri in Deo dicitur habere tanquam in causâ, nihil aliud est, quàm ipsissima entitas Dei potens voluntatem Petri causare, vt apud omnes Theologos est in confesso. Sed entitas Dei cum intellectu diuino à se realiter indistincto nequit electiuè concurrere, vt potiùs de consensu conditionato Petri, quàm de carentiâ conditionatâ eius scientiam concipiat; quia id esset, ipsum intellectum diuinum cum Dei entitate identificatum per se solum talem scientiam eligere, potentiamque subinde electiuam, atque adeò liberam esse respectu eius; quod est absurdum ab Aduersarijs ipsis reiectum. Igitur voluntas Petri secundùm *esse* eminentiale, quod dicitur habere in Deo tanquam in causâ, nullatenùs cum intellectu diuino potest electiuè concurrere, vt potiùs de consensu conditionato, quàm de carentiâ eius conditionatâ scientiam concipiat. Id quod ampliùs adhuc constabit ex mox dicendis.

Etenim, neque posse voluntatem Petri libe- 345
rè, & electiuè concurrere ad scientiam prædictam secundum *esse* intentionale, quod in Deo tanquam in cognoscente dicitur habere ab æterno, probatur clarè. Primò; quia *esse* intentionale, quod voluntas Petri in Deo tanquam in cognoscente dicitur habere ab æterno, non est reuerâ intrinsecum & proprium *esse* ipsius voluntatis, sed extrinsecum, & metaphoricum: cùm aliud non sit reuerâ, voluntatem Petri esse intentionaliter, siue obiectiuè in Deo ab æterno, quàm voluntatem Petri à Deo cognosci ab æterno; quod rursus non est aliud reuerâ, quàm esse ab æterno cognitionem de voluntate Petri identificatam cum Deo. Vt ergo certissimum est, ab hac cognitione non posse vt à potentiâ liberâ, & electiuâ determinari intellectum Dei ad concipiendam scientiam de consensu conditionato Petri; ita quoque debet esse certissimum, neque posse à voluntate Petri secundùm *esse* intentionale, quod dicitur habere in Deo; vtpote cuius integrum fundamentum reale sola dicta cognitio est, quàm Deus à se indistinctam habet de voluntate ipsâ.

Secundò probatur; quia voluntas Petri non 346
aliter, quàm medio suo consensu liberè electo potest determinare electiuè intellectum Dei ad scientiam de consensu ipso ab ipsomet consensu distinctam, vt est notissimum. (In quo determinatio istâ difert ab eâ, qua voluntas determinat habitum, vt secum ipsâ concurrat ad vtriusque eamdem actionem). Sed voluntas Petri non eligit liberè suum consensum ab æterno per *esse* intentionale, quod ab æterno habet in Deo, sed in tempore per *esse* physicum, quod in tempore habet in se; vt est certissimum. (Nam, aliàs ab æterno

no haberet meritum, vel demeritum, idque absolutè iuxta Aduersariorum doctrinam, adhuc, quando consensus, aut etiam voluntas nullum *esse* absolutum, sed tantùm conditionatum habebunt in tempore: quod est plus quam absurdum). Ergo voluntas Petri nullatenus potest electiuè determinare intellectum Dei ab æterno ad scientiam de suo consensu per *esse* intentionale, quod ab æterno habet in Deo.

347 Tertiò probatur; quia voluntas Petri non causat per se immediatè existentiam intentionalem, quam suus consensus æternaliter habet in mente Dei, sed tantùm physicam, quam temporaliter habet in se: per hanc enim (vt ex dicendis planè constabit) mouetur intellectus diuinus ad ponendam illam per se immediatè, quatenus mouetur ad ponendam scientiam, à qua formaliter habet consensus ipse existere intentionaliter in mente Dei; cùm aliud non sit, eum ibi intentionaliter, seu obiectiuè, seu repræsentatiuè existere, quàm per talem scientiam cognosci. Igitur voluntas Petri non determinat per existentiam intentionalem sui consensus scientiam Dei; sed potiùs intellectus diuinus per scientiam suam determinat existentiam intentionalem ipsius consensus. Cùmque hæc intellectus determinatio ad talem scientiam non sit electiua, seu libera respectu ipsius intellectus, vti omnes supponimus, alibi determinatio electiua, & libera quærenda est, nimirum in existentiâ physicâ dicti consensus in tempore conditionatè, & liberè ab ipsâ voluntate Petri futurâ; prout apparebit ex dicendis. Et confirmantur hæc efficaciter. Quoniam voluntas Petri non dat per se immediatè consensui suo absolutam existentiam, sed tantum conditionatam, vt in casu, quem versamus, supponitur. At existentia intentionalis, quam talis consensus habet in mente Dei absoluta est; quia per scientiam absolutè existentem est ille cognitus, mentique Dei repræsentatus; in quo existentia intentionalis eius consistit. Ergo existentia intentionalis dicti consensus ab intellectu diuino immediatè venit oriunda per scientiam dictam, remotè autem dumtaxat à voluntate Petri; quatenus hæc per existentiam conditionatam consensus sui physicè à se, & liberè oriundam in tempore determinat intellectum Dei ad concipiendum absolutè scientiam de eâdem, faciendumque consequenter per talem scientiam, vt physica ipsa, conditionataque existentia consensus, quæ obiectum est eius, existentiam intentionalem absolutam sortiatur in mente diuinâ.

348 Quartò probatur; nam *esse* merè intentionale, quod tum Petrus, tum consensus eius habent in mente Dei ab æterno, indifferens est tam ad negatiuam, quàm ad affirmatiuam scientiam conditionatam de consensu ipso: quia cum vtrauis est compatibile: imo non potest non esse coniunctum cum vtrauis. Ergo ad neutrius existentiam præ alterius determinare valet. Consequentia est euidens. Antecedens autem ostenditur. Quia siue Deus habeat hunc actum scientiæ, *Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret*; siue hunc oppositum, *Si Petrus vocaretur vocatione A, non consentiret*: nequit non in vtroque casu concipere, atque adeo sibi repræsentatum, mentaliterque præsentem habere tum Petrum, tum eius consensum, vt est manifestum. Petrum quidem positum in hypothesi, consensum autem eius aut affirmatum, aut negatum. Quod ipsum est; tam Petrum, quàm eius consensum habere, imo non posse non habere in vtroque casu *esse* intentionale in mente Dei; quod erat probandum. Quòd si dicatur *esse* intentionale consensus Petri oriundum ab apprehensione simplici, quale est quod habetur in mente Dei in casu scientiæ negatiuæ prædictæ, non sufficere ad determinandam scientiam affirmatiuam, sed requiri *esse* intentionale alterius casus oriundum ab ipsâ scientiâ affirmatiuâ. Contra hoc est. Primò; quòd tale *esse* intentionale consensus constituitur formaliter per ipsam scientiam iuxta iam dicta, atque ita nequit ad eam determinare, quin ipsâ ad se ipsam determinet; quod tamen iuxta iam etiam dicta prorsus repugnat. Secundò; quòd talis scientia, & consequenter *esse* intentionale consensus constitutum per ipsam stare non possunt in Deo ab æterno, nisi *esse* physicum conditionatum ipsius consensus stet in suo tempore à parte rei; indeque subinde concurrat ad ipsius scientiæ determinationem æternam contra doctrinam Aduersariorum, vt iam iam ostendo.

Quintò enim sic arguo. Per hunc actum 349
scientiæ, *Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret*; directè affirmat Deus, non existentiam intentionalem, quam habet consensus Petri æternaliter in mente Dei medio ipsomet actu, (quidquid sit de affirmatione talis existentiæ reflexâ), sed existentiam physicam conditionatam, quam haberet consensus Petri temporaliter in se sub conditione, quòd daretur vocatio A: affirmat enim, extiturum physicè à parte rei consensum Petri in tali tempore, si in tali tempore à parte rei physicè extiteret vocatio A. Hoc est indubitabile. Pergo. Sed talis affirmatio essentialiter vera est; quia repugnat Deo affirmatio falsa. Ergo essentialiter est connexa cum obiecto suo, scilicet cum existentiâ physicâ conditionatâ consensus Petri in tali tempore: quia nequit stare affirmationis veritas, quin sit in se re ipsâ obiectum, qualiter re ipsâ esse affirmatur, vt est notissimum. Ergo talis affirmatio non potuit esse in Deo ab æterno, quin esset futura in suo tempore re ipsâ existentia physica conditionata consensus Petri. Hinc autem duo planè sequuntur contra Aduersarios. Primum. Consensum Petri *esse* existentiale conditionatum à se ipso penitus indistinctum, physicumque, & obiectiuè verum habere in suo tempore independenter à scientiâ conditionatâ diuinâ de se. Secundum. Consensum Petri per eiusmodi suum *esse* physicum, & obiectiuè verum non potuisse non aliquo modo concurrisse ex tempore suo, vt existeret in Deo ab æterno scientia conditionata de se; vtpote quæ sine illo futuro in suo tempore nullatenus ab æterno potuit existere. Vnde præterea sequitur, & potuisse per tale *esse* ex tempore suo determinare intellectum Dei, vt talem de se ab æterno scientiam conciperet: prout amplius explicabimus infra, dum nostram, communemque ad argumentum factum exhibeamus solutionem.

Alij Recentiores, qui non solùm scientiæ con- 350
ditionatæ, sed etiam absolutæ de futuris contingentibus æternum determinatiuum quærunt; quasi ad neutram earum possit intellectus Dei per eius obiectum futurum in tempore determinari ab æterno; ad quasdam negationes æternas confugiunt. Idque bifariam. Primò enim supponunt, negationem entis aliquando existentis nunquam existere; vti nullibi existit negatio entis alicubi existentis; ens enim in aliquo tempore existens à cæteris temporibus non per negationem

sui,

sui, sed per negationes suarum durationum eis temporibus correspondentium deesse; vt ens existens in aliquo loco, à cæteris locis deest non per negationem sui, sed per negationes suarum præsentiarum eis locis correspondentium. Qua suppositâ doctrinâ, dicunt, quando ab æterno datur negatio alicuius entis contingentis, nunquam illud esse futurum; atque ita per negationem eius æternam determinari intellectum Dei ad iudicandum, nunquam illud esse futurum. Quando verò ab æterno deficit negatio alicuius entis contingentis, eo quòd illud in tempore aliquo futurum est, ipso negationis defectu determinari ab æterno intellectum Dei ad iudicandum tale ens esse in suo tempore futurum. Quo pacto censent, æternum sui determinatiuum habere quemlibet actum scientiæ de quouis futuro contingente repertum in Deo.

351 Cæterùm iste dicendi modus facillimè explo-
ditur. Primò; quia doctrina, quam supponit, de defectu in omni tempore negationis entis aliquando existentis, plùs quàm falsa est, vt efficaciter ostendimus tom. 1. disput. 8. quæst. 7. propos. 5. Secundò; quia, adhuc, eâ doctrinâ suppositâ, falsum est, per defectum negationis entis aliquando existentis posse intellectum Dei determinari ab æterno ad cognoscendum illud in suo tempore futurum: eo quòd talis defectus negationis indifferens ab æterno est, vt tale ens sit extiturum in qualibet ex omnibus partibus totius temporis futuri; siquidem iuxta dictam doctrinam defectus negationis entis aliquando extituri non potest non eodem modo se se habere ab æterno, siue tale ens sit extiturum in parte A futuri temporis, siue in parte B posteriore, siue in parte C, siue in qualibet aliâ, vt est notissimum: atque adeò determinare nequit ab æterno intellectum Dei ad cognoscendum tale ens extiturum in eâ parte determinatâ temporis, in qua re ipsa extiturum est: sed summùm ad cognoscendum tale ens extiturum in aliqua parte totius temporis vagè, seu disiunctiuè sumptâ. Cùm tamen certissimum sit, Deum non solùm cognoscere ab æterno extiturum quoduis contingens in aliqua parte futuri temporis vagè, seu disiunctiuè sumptâ; sed etiam cognoscere extiturum illud in eâ parte determinatâ, in qua de facto extiturum est. Tertiò; quia per suppositam doctrinam non occurritur difficultati de determinatione intellectus Dei ad scientiam contingentem conditionatam, quam obtendit argumentum supra propositum, quidquid sit de determinatione ad absolutam. Nam difficultas non solùm stat in eo, quòd per aliquid temporale non videatur posse fieri determinatio æterna; sed etiam in eo, quòd per aliquid conditionatum, quod nullum habet *esse*, sed haberet, quale est obiectum dictæ scientiæ, non videatur posse fieri determinatio, quæ iam absolutè habet *esse*, qualis est iam facta ad scientiam ipsam. Iuxta suppositam autem doctrinam negatio absoluta æterna entis nunquam absolutè extituri ad neutram ex plerisque scientijs inter se oppositis, vel de existentiâ, vel de non existentiâ conditionatâ eius determinare valet; cùm sit indifferens ad vtramuis, vt est notissimum. Et idem est de defectu absoluto æterno negationis entis aliquando extituri. Negatio verò conditionata entis conditionatè non extituri, cùm ab æterno non sit absolutè, sed esset, secundam propositæ difficultatis partem relinquit intactam. Tantumdemque euenit defectui conditionato negationis entis conditionatè extituri. Præterquàm quòd iste defectus aliunde ob suam indifferentiam ad omnia tempora ineptus est ad determinandam scientiam de existentiâ entis in suo determinato tempore, vt constat ex dictis. Ex quibus omnibus palam est, quàm male à commemoratis Recentioribus tentetur dissolui argumentum, de quo tractamus, per primum istud genus negationum, aut non negationum æternarum entium in tempore non existentium, aut existentium.

Propterea secundò aliter supponunt alij, dari 352
ab æterno carentias, seu negationes quasdam entium contingentium intrinsecè inter se, & essentialiter diuersas pro diuersitate status eorum realiterque distinctas à Deo: ita quidem, vt entis purè possibilis detur vna negatio; entis autem absolutè futuri alia, in qua æterna, & absoluta eius futuritio consistit; entis denique conditionatè futuri alia, in qua consistit futuritio eius conditionata, & æterna. Has autem negationes, in quibus consistunt futuritiones entium tum absolutè, tum conditionatè futurorum, ab æterno, dicunt, per se resultare, seu pullulare contingenter absque vllâ æternâ causâ sui, eo ipso, quòd entia, quorum sunt negationes, contingenter sunt extitura in tempore aut absolutè, aut conditionatè. Per easque determinari ab æterno intellectum diuinum ad actus scientiæ, quibus cognoscit talia entia, aut absolutè, aut conditionatè fore in suis temporibus extitura. Cæterùm opinatio hæc commentum proculdubio est multis scatens difficultatibus longè maioribus illâ, pro qua euadenda excogitatum est.

Primò enim supponit negationes rerum ali- 353
quas essentias habere. Quod quàm sit falsum, latè ostendimus in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. Secundò supponit, eas per se resultare seu pullulare absque vllâ causâ sui. Quod iunctum cum priore suppositione de ipsarum essentiâ, planè est absurdum. Tertiò supponit, eiusdem entis multas, imo infinitas dari negationes diuersas inter se, quatenus idem ens contingens infinitas futuritiones conditionatas sub infinitis conditionibus habet, aut etiam infinitas absolutas penes infinitas partes temporis, per quod absolutè est futurum. Quod quàm sit etiam falsum, ex dictis loco citato Phari Scient. constat. Quartò supponit, futuritiones rerum tum absoluras, tum conditionatas in earum negationibus consistere. Quod quàm sit à veritate alienum ex dictis à nobis in præcedentibus est manifestum, de absolutis quidem disput. 27. quæst. 2. de conditionatis autem in præsenti disput. quæst. 1. atque sequen. Tandemque post tot expensas imaginarias, & chymæricas præcipuam difficultatem indemnem, integramque relinquit; seu potiùs in locum difficultatis leuioris grauiorem inducit. Siquidem longè est intellectu difficilius, quòd per entis existentiam aut absolutam, aut conditionatam futuram in suo tempore determinetur ab æterno existentia negationis eiusdem entis à nullâ causâ sui oriundâ, quàm quod determinetur existentia scientiæ de eodem oriunda suo modo ab infinitâ vi intellectiuâ intellectus Dei.

Igitur prædictis omnibus iure reiectis, quæ 354
pro soluendo argumento num. 339. proposito excogitarunt Recentiores commemorati, malè profectò meriti de scientiâ mediâ, quam affectant, Vt illius claram, facilem, veram, & nostris Doctoribus communem solutionem exhibeam, suppono primò vt apud omnes certum, hunc actum scien-

tiæ,

tiæ, *Si Petrus vocaretur vocatione A, consentiret*; obiectum habere à se distinctum, ad quod reuerà terminatur, respicitque suapte naturâ, & essentiâ; illudque esse physicam existentiam, quam verè, & realiter in tali determinato tempore haberet consensus Petri, si realiter in eodem tempore existeret vocatio A. Suppono secundò etiam, vt apud omnes certum, dictum actum scientiæ ita essentialiter esse verum, vt prorsus repugnet ei esse falsum: nam aliàs posset Deus falli; quod est pluſquàm absurdum. Tertiò suppono contra præfatos Recentiores, obiectum talis actus scientiæ aliquod *esse* physicum, & reale intrinsecum, siue indistinctum à se, distinctumque ab actu ipso scientiæ, quem terminat, aliquamque subinde veritatem obiectiuam fundamentaliter sumptam pro eodem *esse* habere à parte rei; habere, inquam, non absolutè, sed conditionatè, independenterque à tali scientiâ, & aliquo modo antecedenter ad illam. Id quod varijs argumentis ostensum à nobis est in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 1. quorum aliqua repetiuimus supra à num. 226. Ex duabusque suppositionibus prioribus, in quibus conuenimus omnes, videtur euidenter sequi, Nam, si prædictus actus scientiæ ad aliquod obiectum à se distinctum reuerà terminatur iuxta suppositionem primam. Ergo aliquid reuerà est tale obiectum. Alioquin actus ipse scientiæ terminaretur ad nihil, seu (quod in idem recidit) non terminaretur ad aliquid à se distinctum contra suppositionem ipsam. Et si idem actus scientiæ essentialiter verus est iuxta suppositionem secundam. Ergo obiectum eius realiter habet illud ipsum *esse* in se se, quod repræsentatiuè habet in scientiâ ipsâ. In hoc enim secundùm omnes consistit, scientiam esse veram. Aliàs si veritas cognitionis posset cum eo componi, quòd obiectum non se haberet in se realiter, sicut obiectiuè se habet in cognitione, nulla cognitio daretur falsa: siquidem tunc solùm dicimus cognitionem falsam, quando obiectum non ita se habet in se, sicut in cognitione. Denique ex dictis sequitur supponendum quartò, supradictum actum scientiæ diuinæ ita essentialiter esse cum suo obiecto connexum, vt nullatenus potuisset existere ab æterno in Deo, si tale obiectum non esset realiter in suo tempore futurum; hoc est, si consensus Petri non esset extiturum realiter in tali determinato tempore ex hypothesi, quòd in eodem realiter existeret vocatio A.

355 His positis ad argumentum factum num. 339. respondeo, per ipsam physicam existentiam, quam in tali determinato tempore realiter habiturus erat consensus Petri ex hypothesi, quòd in eodem existeret vocatio A, determinatum esse ab æterno intellectum diuinum ad concipiendum dictum actum scientiæ de eadem physicâ, conditionatâque existentiâ. Tali enim determinationi imprimis non obstat, quòd consensus Petri in tali tempore non sit existens absolutè, sed esset tantùm ex eâ hypothesi; proindeque absolutè sit nihil; quasi, quod absolutè est nihil, nullum munus absolutè præstare, seu exercere valeat. Nam sicut consensus Petri non per id, quod absolutè est, (fatemur enim, absolutè esse nihil, loquendo existentialiter), sed per id, quod esset, si existeret vocatio A, exercet absolute munus terminandi prædictam scientiam absolutè existentem, absolutèque subinde terminatam ad ipsum, vtpote per quam absolutè cognoscit Deus non id, quod absolutè est, sed id, quod absolutè esset ipse consensus ex hypothesi vocationis A. Ita pariter potuit exercere absolutè munus determinandi ad eamdem scientiam intellectum diuinum per id, quod esset ex tali hypothesi; etsi absolutè nihil sit. Deinde neque obstat tali determinationi, quòd consensus Petri in tempore tantum sit existens conditionatè modo dicto, non verò ab æterno; quasi id, quod est posterius tempore, conducere nequeat, vt aliud in tempore anteriore, aut ab æterno fiat existens. Nam, quemadmodùm existentia conditionata consensus Petri in suo tempore posteriore per modum termini connexionis est requisita iuxta suppositionem quartam, atque ita conducens, vt ab æterno existat scientia de se. Sic per modum conditionis poterit esse requisita, atque ita conducens, vt ab æterno determinetur intellectus diuinus ad scientiam ipsam concipiendam. Itaque consensus Petri per existentiam, quam haberet in tali determinato tempore ex hypothesi, quòd in eodem existeret vocatio A, optimè potuit determinare, de factoque determinauit intellectum diuinum, vt absolutè conciperet ab æterno actum scientiæ de eâdem ipsius consensus conditionatâ existentiâ.

Id quod apertè confirmatur, ac declaratur 356
primò. Quia, intellectus diuinus à suâ infinitâ perspicaciâ, immunitateque à deceptione habet necessitatum esse ad iudicandum omne obiectum verum, eius veritate tantùm suppositâ. Quæ proinde necessitas ante positionem veritatis obiecti, seu præscindendo ab illâ, quasi conditionata est, sub conditione videlicet quòd illa ponatur; transit autem in absolutam per illius positionem. Quo fit, vt positio veritatis obiecti complementum sit necessitatis absolutæ, quam, eâ tantùm suppositâ, intellectus diuinus habet ad iudicandum illud, atque adeò ad concipiendam scientiam iudicatiuam eius. Vnde rursus fit, vt per positionem veritatis obiecti iure dicatur intellectus diuinus determinari ad concipiendam scientiam iudicatiuam eius, eo ipso, quòd per illam præcisè tanquam per quoddam complementum redditur necessitatus absolutè ad talem scientiam concipiendam; ad talemque subinde necessitatem transit ex præuiâ, quam habebat, indifferentiâ: hoc enim est determinari. Porro obiecti veritas aliud non est ab ipsius *esse* iudicabili verè, quando est positiua, & ab ipsius *non esse*, quando est negatiua. Hæc certa & clara. Pergo. Cùm igitur ab infinitâ perspicaciâ intellectus diuini sint iudicabilia verè ab æterno non tantùm ea, quæ ab æterno, sed ea, quæ in quouis temporæ æternitate posteriore vel absolutè habent, vel conditionatè haberent *esse*, aut *non esse*. Conficitur præcisè per illud ipsum *esse*, aut *non esse*, quod ea cuncta vel absolutè habent, vel conditionatè haberent, siue ab æterno, siue in quouis tempore æternitate posteriore tanquam per quoddam complementum posse ipsum intellectum diuinum reddi absolutè necessitatum ad iudicandum ipsa ab æterno, subindeque determinatum ad concipiendum ab æterno scientiam de ipsis iudicatiuam.

Secundò confirmatur, & declaratur idem 357
ipsum. Quia, vt demonstrabimus vniuersaliter infra disput. 30. quæst. 5. quotiescunque vnum extremum quoad existentiam cum altero metaphysicè connexum est; siue pertineant ad diuersa tempora, qualiter fides hodierna de Antichristo futuro cum eius existentiâ futurâ connexa est; siue ad idem tempus; siue pertineant ad diuersos status, qualiter scientia Dei absolutè existens de

consensu conditionato Petri connectitur cum eius existentiâ conditionatâ; siue ad eumdem statum; siue pertineant ad diuersa loca, siue ad eumdem, siue ad diuersa subiecta, siue ad idem, &c. In his, inquam, omnibus casibus causa effectiua extremi connexi proximè potens ad illud causandum constituitur per terminum connexionis eius, tanquam per quamdam conditionem. Eo enim ipso, quòd tale extremum impotens est ad existendum sine tali termino, non potest non & causa eius impotens sine eodem termino esse ad dandum existentiam illi; ipsoque proinde termino egere, vt cæteris requisitis suppositis, per illum constituatur potens tanquam per conditionem quamdam completiuam potentiæ eius. Quo fit, vt, quando causa effectiua extremi connexi non est libera, per terminum connexionis eius præcisè tanquam per quoddam complementum potentiæ suæ possit in actu primo necessitata, atque adeò determinata ad illud efficiendum euadere. Ex qua doctrinâ fusiùs tradendâ, & explicandâ loco citato sequitur, intellectum diuinum, qui veluti causa effectiua non libera suorum actuum scientiæ, quod ad rem attinet, se habet, præsertim in meâ sententiâ supra disput. 23. quæst. 2. proposit. 3. statuta, per obiecta præcise, quæ termini sunt connexionis ipsorum actuum tanquam per quasdam conditiones posse compleri in actu primo, constituique proximè potens, atque ita necessitari, determinarique ab æterno ad concipiendos actus ipsos, siue ad illis dandam suo modo æternam, & absolutam existentiam; in quocunque demum tempore, aut statu talia obiecta futura sint, eâ ratione, qua dicta quæst. 5. proposit. 6. & 9. explicandum est.

358 Dixi semper, per veritatem obiectorum præcisè, in quocunque sit ea tempore, vel statu, posse intellectum diuinum determinari ab æterno ad concipiendam scientiam eius: quia veritas obiecti præcisè respectu intellectus diuini est determinatiuum sufficiens ad aliquem actum scientiæ de se; de factoque subinde determinat illum ad talem actum: tametsi per alia insuper determinatiua possit determinari, de factoque etiam determinatur ipse intellectus ad alios actus scientiæ de eâdem veritate obiectiuâ iuxta doctrinam indicatam num. 258. & antea vniuersaliùs, latiùsque traditam tum disput. 23. quæst. 4. 6. & 7. tum disp. 27. quæst. 6, & 7.

359 Quomodò autem verum sit, ad præteritum non dari potentiam, tametsi causa obiecti temporanei scientiæ diuinæ possit ponendo illud in tempore concurrere aliquo modo iuxta dicta medio illo, vt scientia ipsa præ extiterit ab æterno; potuisset que, si libera esset, mediâ illius omissione impedire æternam ipsius scientiæ existentiam, latè explicatum est à nobis in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 4. proposit. 7. quæ ad rem videnda. Per quæ iam ad argumentum propositum n. 339. ad eiusque confirmationem secundam patet responsio.

360 Ad primam autem respondetur, meritum quidem conditionatum, quod non est, sed esset, non posse mouere voluntatem Dei absolutè ad sui remunerationem. Quia omnis remuneratio absolutè existens manifestè supponit suopte conceptu meritum absolutè existens. At non omnis scientia absolutè existens supponit absolutè existens obiectum suum: cùm sit planè scibile, non tantùm, quod absolutè est, sed etiam, quod ex aliquâ datâ hypothesi esset. Quare consensus Petri qui absolutè non est, esset tamen, si daretur vocatio A, benè potest mouere intellectum Dei absolutè ad cognitionem sui.

Restabat, aliqua argumenta diluere, quibus inducti sunt Recentiores, de quibus fecimus mentionem, ad negandum obiecto scientiæ mediæ omne *esse* intrinsecum, omnemque veritatem obiectiuam identificatam cum illo. Sed id præstitimus abundè in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 1. vbi & argumenta, (haud dubie sophistica), & eorum solutiones videri possunt. Præterquàm quòd ex dictis in totâ hac quæst. facile ab vnoquoque dissolui poterunt. 361

Singularis sententia Caramuelis contra scientiam conditionatorum contingentium proponitur, & confutatur.

Illustrissimus Dominus Ioannes Caramuel in suâ Theologiâ fundamentali lib. 1. fundam. 1. Thes. 6. de Scient. Dei, quæ habetur pag. 46. edit. Romanæ post quædam præmissa sequentia Theoremata statuit num. 116. 362

Primum. *Non datur scientia media. Nempe illa, quam PP. Iesuitæ tuentur.* 363

Secundum. *Non dantur physicæ prædeterminationes. Nam necessitantes tollere libertatem videntur; & infallibilitantes aut sunt impossibiles, aut superfluæ.* 364

Tertium. *Non dantur decreta in Deo conditionalia, quæ actus hominum liberos prædefiniant; qualia ponuntur à Thomistis.* 365

Quartum. *Futura libera conditionata, nempe illa, quæ ab alio futuro absoluto non inferuntur infallibiliter, aut necessariò, nec habent determinatam veritatem, nec falsitatem.* 366

Quintum. *Futura conditionata imperata, quæ ab alio futuro absoluto necessariò, aut infallibiliter oriuntur, habent determinatam veritatem, nimirum in futuro absoluto, ita, vt istud cognoscens, illa non possit ignorare.* 367

Sextum. *Ad hanc vltimam classem pertinent futura omnia conditionata, quæ in Scripturâ sacrâ reuelantur: adeòque diuinæ illæ reuelationes tam formaliter, quàm obiectiuè sumptæ habent certitudinem, & infallibilitatem veram realem in omni rigore metaphysico.* 368

His exprimit Caramuel totam suam sententiam. Statimque subdit, *Et quidem hæc Theoremata nullo alio meliore modo propugnare poterimus, quàm dissoluendo singulas obiectiones, quæ possunt contra nostram doctrinam adduci.* Proponensque mox aliqua ex sacræ Scripturæ locis, quæ scientiam Dei conditionatam præseferunt, ad suam illa sententiam conatur trahere; nullaque aliâ adductâ pro eâ probatione, ad aliâ transit. 369

Porro sententia hæc Caramuelis suâ se singularitate videtur à Theologorum fide subtrahere. Sicut & altera, quam paulò ante in eodem libro à num. 31. sub hoc titulo persuadendam aggreditur, *Theses Theologicæ de gratiâ, & libero arbitrio. In quibus demonstratur, doctrinam Illustrissimi Patris Didaci Aluarez Archiepiscopi Tranensis, & Salpensis ex doctissimo ordine PP. Dominicanorum assumpti esse eamdam, quam hodie solent in scholis defendere Patres Iesuitæ.* Quis enim Theologorum cum hoc Doctore credat, vel suspicetur, tot annorum controuersias super materiâ istâ PP. Dominicanorum, & Iesuitarum non de re ipsâ, sed 370

sed tantùm de modo loquendi esse? Et has duas scholas, (vt suspicari se dicit num.24.), non sententiarum, sed linguarum varietate, & difficultate laborare. Sed, hoc prætermisso, contra propositam de conditionatorum scientiâ sententiam; tametsi iam ea satis fortasse videri possit impugnata apud Mathiam Borull de Scientiâ media disput.vlt.& apud Alfonsum Antonitum de Sarasa de Arte semper gaudendi tract.5.in Appendice; iuvabamus & impugnationes nostras, ne eas hìc Lector desideret.

371 Sit prima contra expositionem, qua loca sacræ Scripturæ commemorata, & à nobis relata supra quæst.6. à nu.113.accommodare conatur ad suam sententiam Caramuel. Fatetur itaque primò, cùm Deus reuelauit 1.Reg.23.Descensurum Saul contra Ceilam, si maneret ibi Dauid: & hunc à Ceilitis in manus illius fore tradendum: cognitas quidem fuisse à Deo scientiâ certissimâ has duas veritates conditionatas; non tamen in se ipsis aut in decretis eius; sed in decretis humanis iam tum existentibus, quibus & Saul decreuerat descendere in Ceilam, si ibi esset Dauid; & Ceilitæ decreuerant tradere Dauid in manus Saul, si descenderet, & ab eis peteret. Secundò similiter dicit, certissimè potuisse scire Deum, Hebræos in Idololatriam casuros, si vxores ducerent filias Gentilium iuxta reuelationem à se factam 3.Reg.11. in voluntate absolutè existente ex parte Hebræorum concedendi vxoribus, quod primum peterent; & ex parte Ethnicarum petendi Idololatriæ propagationem: has enim duas voluntates infallibiliter inferre illam conditionatam veritatem. Tertiò circa illud Math. 11. *Væ tibi Corozain, &c.* ait, Tyrios, & Sidonios piam affectionem erga miracula, & voluntatem religionis, quæ illis confirmaretur, habuisse absolutè, in talique voluntate cognouisse Deum certò, & infallibiliter eorum conuersionem conditionatam sub conditione miraculorum. Quartò denique circa illud Sapien.4. *Raptus est ne malitia mutaret intellectum eius*; (vbi scientiam Dei conditionatam, & certam de casu iusti futuro, si diutiùs viueret, recognoscunt Th ologi), ita philosophatur. *Possumus*, inquit, *dicere, siue ille locus intelligatur de Enoch, siue de quocunque alio iusto, sæpe contingere, quòd scientiâ suâ visionis Deus cognoscat aliquod decretum humanæ libertatis perseueraturum v. g. per duos dies & respecturum obiecta secundùm se indifferentia, quæ primâ die sint bona extrinsecus propter adiacentes aliquas circunstantias, postridie mala propter aliquas circunstantias superuenientes. Poterit ergo Deus, intacto hominis libero arbitrio, illas secundas circunstantias impedire, aut etiam hominem eripere è loco, in quem illæ concurrent, neque ad hoc egebit scientiâ mediâ.*

372 Ecce, quo pacto consentaneè ad reuelationes conditionatas in sacrâ Scripturâ contentas scientiam certam de earum obiectis componit in Deo Caramuel; quin ea sic vel scientia media, qualem nos ponimus, vel scientia subnixa decreto Dei prædefinitiuo, qualem ponunt Thomistæ.

373 Est tamen contra doctrinam istam Illustrissimi Præsulis primò; quòd absque fundamento reperto in locis Scripturæ explicaris, aut alibi supponit decreta, siue voluntates humanas, in quibus tanquam in medijs absolutè existentibus potuerit cognoscere Deus veritates conditionatas ipsis in locis reuelatas, vt bene notauit P. Soar. in Opuscul.lib.2.de Scientiâ conditionatorum cap.1. num.3.vbi cum præuidisset, & scientiæ mediæ opposuisset ipsissimam Caramuelis doctrinam, ait, *Hæc responsio habet aliquid subtilitatis; imprimis tamen omnino voluntariè est conficta sine fundamento in Scripturâ.* Varijsque deinde argumentis refutat illam, quæ apud ipsum videri possunt.

Secundò contra eamdem doctrinam est: quòd 374
potiùs videtur colligi ex ipsis Scripturæ locis, & eorum contextu, tales humanas voluntates, quales ea supponit, absolutè non extitisse. Nam, quod attinet ad locum primum, credibile certè non est, Ceilitas paulò ante à Dauid liberatos grauissimâ Philistinorum obsidione, tantoque perdendi omnia bona cum vitâ, vel libertate absolutos periculo, benefactorem suum per summam proditionem inimico capitali iam tum absoluto decreto tradere statuisse: quidquid sit de conditionato, quod haberent, multis variatis circunstantijs, vt latè ponderat Sarasa vbi supra à num.15. Multòque incredibiliùs est, quod attinet ad secundum locum, tum integrum Hebræorum populum habuisse absolutè voluntatem concedendi Ethnicis vxoribus, si forte eas ducerent, quod primum peterent; maximè cùm talis voluntas illicita foret in adultis; & infantibus sub prædictione Dei comprehensis penitus erat impossibilis: tum Ethnicas ipsas decreuisse absolutè primum à suis maritis petere, si forte eos haberent, Idololatriæ propagationem; vt benè probat idem Sarasa à num.24. Quàm autem gratis dictum sit circa tertium locum, Tyrios, & Sidonios habuisse affectum ad miracula, ad Religionemque miraculis confirmandam, nemo non videt. Præterquam quòd in tali affectu pœnitentia eorum cum circunstantiâ cilicij, & cineris, qualiter prædicta est, præsciri non potuit, vt ex se patet. Similemque affectum etiam Sodomitis tribuere, diuinatio non solùm nimia, sed irrationabilis forsitan videretur. De quibus tamen similis est prædictio in eodem cap. Euangelij. *Quia, si in Sodomis factæ fuissent virtutes, &c.* Iam quis non reputet violenta, quæ inducuntur pro quarto loco ad aucupandam voluntatem humanam, in qua præsciatur veritas conditionata in illo suppositâ? certè ne violentè quidem talis voluntas potest in paruulo diuinari. De quo tamen intelligit Augustin. locum ipsum dum lib. de Gratiâ, & liber. arbitr. cap. 23. loquens de paruulis ait, *Illum baptizatum in hac vitâ relinquit, quem præsciuit Deus impium futurum: istum vero baptizatum rapi ex hac vitâ, ne malitia mutet intellectum eius.* De quibus plura videri possunt apud Sarasam à num. 30.

Ego enim pergo, tertiòque oppono contra 375
doctrinam Caramuelis alia Scripturæ loca, quæ ipse non tetigit, vbi nullus datur locus decreto, seu voluntati humanæ absolutè existenti, in qua vt in medio cognoscat Deus veritates conditionatas eisdem in locis prædictas. Talia enim sunt citra omne dubium, quæ sequuntur, vt consideranti innotescet, & multa alia illis similia, quibus sacra Scriptura scatet. 4.Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consumationem.* De quo supra quæst.6. num.116. Ieremiæ 37. *Sed si percusseritis, &c.* vt ibi num.118. Ezech.3. *Non enim ad populum profundi sermonis, & difficilis linguæ tu mitteris. Et si ad illos mittereris, ipsi audirent te.* Lucæ 16. *Si Moysen, & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Ioan.5. *Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Ad

Roman. 9. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes fuissemus.* Hæc satis pro exemplo.

376 Sed esto, detur decretum humanum, quod exigit Caramuel, absolutè existens, vbicunque Scriptura sacra prædicit contingens aliquod conditionatum. Certe illud nequit esse medium idoneum, in quo Deus tale contingens conditionatum valeat cognoscere cum infallibilitate metaphysicâ, qualis debet esse diuina, & qualis ab ipso Caramuel supponitur esse. Quoniam propter voluntatis humanæ inconstantiam, ac mutabilitatem decretum eius neque est metaphysicè connexum cum sua futurâ duratione, neque cum existentiâ conditionatâ, aut sui, aut alterius actus eiusdem voluntatis; neutrumque subinde cum metaphysicâ infallibilitate potest inferri ex eius existentiâ absolutâ. Etenim in primo casu supra proposito ex 1. Reg. 23. quantumuis firmum concepissent decretum Saul quidem descendendi in Ceilam, & Ceilitæ tradendi Dauid, si hic ibi persisteret, illud mutare poterant tum ante purificatam conditionem, tum maximè post purificatam; atque ita existentia absoluta talis decreti non inferebat cum metaphysicâ necessitate, & consequenter neque cum metaphysicâ infallibilitate existentiam conditionatam aut descensus Saul in Ceilam, aut traditionis Ceilitarum: quare nec potuit à Deo cum tali infallibilitate talis conditionata existentia in tali decreto cognosci. Cùm igitur ea cum tali infallibilitate sit cognita à Deo, vti fatemur omnes, concluditur, eam non in tali decreto, sed immediatè in se ipsâ cognitam esse, atque adeò per scientiam mediam. Tantumdemque de cæteris eiusmodi casibus venit dicendum.

377 Venio iam ad secundam impugnationem doctrinæ Illustrissimi Caramuelis, quæ vel eò titulo penitus deserenda est, quòd nimis, & contra communem sententiam Sanctorum Patrum coarctat scientiam conditionatam Dei. Dato enim, quòd per illam scientia conditionata Dei, quæ in sacrâ Scripturâ supponitur, saluari posset; at ea, quæ insuper supponitur à Sanctis Patribus saluari nequit, vtpotè pro qua ne vel vmbra quidem vllius decreti, siue voluntatis humanæ, cui tanquam medio subnitatur, excogitabilis est. Talis est scientia conditionata, qua Deus præsciuit, ex hypothesi, quòd crearet Angelos, quosdam eorum peccaturos, quosdam non item. Tum qua præsciuit, primum hominem, & multos ex eius descendentibus peccaturos ex hypothesi, quòd eos crearet. Tum qua præsciuit, multos Angelos, multosque homines peccaturos ex hypothesi, quòd illis daret libertatem. Tum qua præsciuit Adamum peccaturum ex hypothesi, quòd ei præceptum imponeretur, & quòd permitteretur tentari. Et vniuersim scientia, qua Deus vniuersaliter præsciuit, quid ex quolibet suo opere, si ab ipso fieret, sequendum erat, atque etiam scientia, qua vniuersalissimè scit omnes euentus, qui contingenter accidèrent ex hypothesi, quòd ipse faceret infinita alia, quæ facere potest, & nunquam faciet. Videantur ad rem testimonia Patrum data supra quæst. 6. à num. 143.

378 Tertiò impugnatur eadem doctrina. Quia, cum illâ negotium prædestinationis hominum componi non potest in Deo. Cùm enim ex vna parte eius Auctor omnem physicam prædeterminationem reijciat, & consequenter non possit non ponere auxilia gratiæ entitatiuè indifferentia: ex aliâ verò parte pleraque auxiliorum gratiæ, quæ à Deo hominibus conferuntur ad operandum liberè, aut saltem ea, quæ in vnoquoque negotio sunt prima, nullum decretum, siue actum humanum supponant, (alias non essent prima), in quo possit Deus præuidere, num illa sint sortitura effectum, vel secus: consequitur planè, Deum pleraque auxilia, aut saltem in vnoquoque negotio prima debere hominibus conferre cæco modo, hoc est, sine notitiâ præuiâ de consensibus hominum obtinendis medijs talibus auxilijs, si eis conferantur, atque adeò sine certitudine consequendi per talia media tales consensus. Quod est, non posse Deum, stante dicta doctrina, habere circa homines prouidentiam; quæ sit *præparatio mediorum, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Qualis prædestinatio est iuxta definitionem Augustini receptam ab omnibus.

379 Confirmatur, & declaratur. Nam, dato, quòd ex effectibus prædestinationis, qui sunt actus liberi prædestinati, alij vt absolutè existentes inferant alios prout conditionatè extituros, non potest non in quauis eorum serie dari vnus primus ita inferens alium subsequentem, vt à nullo præcedente inferatur: nam alias daretur regressus in infinitum manifestè impossibilis. Vel ergo Deus, quando prouidit illum primum medio auxilio indifferente, præuidit ipsum sub hypothesi talis auxilij sequuturum, siue extiturum esse. Vel non præuidit. Si præuidit. Ergo præuidit quid determinatè verum sub conditione indifferente; atque adeò per scientiam mediam. Pariterque subinde dici poterit cæteros omnes præuidisse. Si autem non præuidit. Ergo cæco modo, & quasi tentando præbuit auxilium, ex quo ille sequutus est, nesciens, an esset ille ex tali auxilio re ipsâ sequuturus, vel secus; & consequenter absque certitudine de efficaciâ medij à se electi in finem prædestinationis. Quod iterum est contra conceptum prædestinationis; cuius est pars, vti supponitur, prouidentia talis auxilij, & actus ex illo sequuti.

380 Quartò Caramuelis doctrina penè omnibus argumentis impugnanda venit, quibus in præsente quæst. à num. 218. & sententiam eorum Thomistarum impugnauimus, qui scientiam conditionatorum contingentium subnixam decreto prædefinitiuo ponunt in Deo; & nostram de scientiâ mediâ eorumdem conditionatorum adstruximus independente omnino à tali decreto. Per ea siquidem argumenta vniuersaliter manet probatum, contingens conditionatum veritatem obiectiuam determinatam vel positiuam, vel negatiuam habere in se ipso independenter ab alio quopiam secum connexo: ratione cuius veritatis independenter ab alio quopiam secum connexo in se ipso immediatè, atque adeò per scientiam mediam à Deo cognoscibile est. Nihilque aliud propterea cum contingente conditionato connexum, vt illud obiectiuè verum, & à Deo cognoscibile euadat, requisitum esse, non solùm vt constitutiuum intrinsecum ipsius veritatis obiectiuæ; (hoc quippe prorsus est impossibile); sed ne vt medium quidem extrinsecum, in quo necessariò talis veritas cognosci debeat, ita, vt in se ipsâ immediatè cognosci non possit. Dato autem, quòd tale quidpiam cum contingente conditionato connexum ad eius veritatem, cognoscibilitatemque obiectiuam requireretur; id certè requisitum non iri prout iam existentialiter positum in statu absoluto, sed prout suppositum dumtaxat in statu conditionato. Quæ omnia cùm manifestè

aduer-

aduersentur doctrinæ Caramuelis requirentis aliquod decretum humanum absolutè existens, connexumque cum contingente conditionato, vt hoc determinatè verum, & à Deo cognoscibile euadat, concluditur planè, per omnia argumenta, quibus ea loco citato abundè manent stabilita, ipsam Caramuelis doctrinam abundè manere impugnatam.

Nonnulla alia, quæ pro præsentis *quæstionis complemento adjicienda restant.*

381 Suppono primò ex dictis supra quæst. 2. num. 17. obiectum conditionatum aut necessarium, aut contingens, aut impossibile esse posse, necessitate scilicet, contingentia, aut impossibilitate conditionatâ, quam illud habet sub hypothesi conditionis.

382 Suppono secundò ex dictis in eâdem quæst. num. 22. veritatem conditionatam aut posse esse illatiuam solùm, aut causalem solùm, aut illatiuam, & causalem simul, aut purè coniunctiuam. Quid autem ad vnamquamque harum veritatum aut ex parte conditionis, aut etiam ex parte conditionati sit requisitum quæst. 4. latè explicatum, atque monstratum est. Recognoscantur omnia dicta locis citatis.

383 Suppono tertiò, postquàm de obiecto conditionato necessariò latè etiam supra tractauimus quæst 5. sigillatimque recensuimus casus, in quibus illud veritatem conditionatam necessariam, proindeque à Deo necessariò cognoscibilem habere potest, multò latiùs tractandum nobis fuisse de obiecto conditionato contingente, deque eius conditionatâ veritate. Et quoniam hoc est duplex: alterum de conditione influente in conditionatum: alterum de non influente: de priore agendum nobis primò fuit; quod præstitimus quæst. 6. præcedente, & quæst. 7. præsente; acturi mox de posteriore quæst. 8. sequente. Statuimus autem hactenus, obiectum conditionatum contingens de conditione influente in conditionatum, quæ causalis dicitur, sub conditione ipsa prorsus inferente prout tali citra omne decretum Dei, aut aliud quidpiam ipsam cum conditionato connectens habere veritatem à Deo in se ipsâ cognoscibilem, atque adeò per scientiam mediam, prout fusè hucusque probatum, atque explicatum est. Restat modo determinandum, quibus in casibus huiusmodi veritas conditionata contingens sub conditione causali, & indifferente dabilis sit. Ijs scilicet omnibus consideratis, in quibus vel conditio, vel conditionatum, vel ambo simul aut contingentia, aut necessaria, aut impossibilia sunt absolutè, omni facta combinatione.

384 Et primùm, quantùm est ex parte conditionati, quoties est illud absolutè contingens, talem veritatem dari posse indubitabile est. Insuper tamen in vno quodam casu censemus illam dari posse, quando conditionatum est absolutè impossibile ex eo præcisè, quòd cum chymærâ impossibili connexum est, vti euenit multis actibus Dei iuxta inferiùs dicenda: in quo eodem casu negatio talis conditionati est absolutè necessaria. Et nihilominùs sub hypothesi, quòd existeret chymæra terminans connexionem conditionati, ipsum, & negatio eius contingentia euadunt conditionatè, amissâ videlicet vt sic impossibilitate prioris, & necessitate posterioris; prout ex dicendis in sequentibus innotescet.

Ex parte verò conditionis tres casus veniunt 385
considerandi. Primùs, quando conditio est absolutè contingens. Secundùs, quando conditio est absolutè necessaria. Tertiùs, quando conditio est absolutè impossibilis. Et in primò casu quando conditio, & conditionatum sunt absolutè contingentia, suppositâ resolutione præsentis quæstionis, certissimum est, dari veritates contingentes conditionatas; imo pleraſque earum, quæ dantur, ad talem casum pertinere, vtpote quæ non solùm de conditionatis, sed etiam de conditionibus absolutè contingentibus sunt, vt cernitur in exemplis, quæ in totâ hac quæst. atque etiam in præcedente posuimus.

In secundò etiam casu, quando conditio est 386
absolutè necessaria, & conditionatum absolutè contingens, certum mihi est, quidquid in oppositum sentiant nonnulli Recentiores, dari veritates conditionatas contingentes. Quia, vt constat ex doctrinâ latiùs in simili contra eos tradita supra disput. 26. quæst. 3. nihil vetat, sub hypothesi conditionis aliàs necessariæ absolutè esse verum conditionatè, antecedenterque subinde ad statum absolutum id, quod ex tali conditione contingenter oriundum est, vtpote quæ in existentiam eius aliquo modo est influxura. Tales quippe sunt istæ veritates conditionatæ, *Si Deus extiterit cras, producet Petrum. Si Petrus fuerit possibilis, Deus eius possibilitate motus producet ipsum. Si secundus Deus non extiterit, Deus per eius negationem mouebitur, ad testandum, se vnicum Deum esse.* Et cæteræ huiusmodi. Quæ quidem, sicut & cæteræ veritates conditionatæ contingentes causales, per scientiam mediam cognoscuntur à Deo. De quo, suppositis etiam hactenus dictis, nullum est dubium. Porro inter contingentia conditionata de conditione contingente, & contingentia conditionata de conditione necessaria hoc est discrimen; quòd ex prioribus multa sunt vera conditionatè, quæ absolutè vera non sunt; eo quòd conditio non est purificanda, seu ponenda absolutè; ex posterioribus verò nullum est verum conditionatè, quòd non sit etiam verum absolutè; idque necessariò ex suppositione veritatis conditionatæ; quia ex vnâ parte conditio necessaria absolutè eo ipso est necessariò purificata, seu posita absolutè; ex aliâ verò parte iuxta principium cunctis notum, & aliàs repetitum, quidquid conditionatè est verum, non potest non, conditione purificatâ, euadere absolutè verum. Itaque quanquam hoc obiectum conditionatum verum, *Si Deus extiterit cras, producet Petrum*; potuit non esse verum; quia veritas conditionata eius contingens est: ex suppositione tamen, quod est conditionatè verum, non potest non esse quoque absolutè verum: quia conditio eius, quæ est existentia crastina Dei, necessariò purificanda est. Adde, in duobus casibus dictis, si conditionatum sit aut impossibile, aut necessarium absolutè, veritatem conditionatam contingentem nequaquam illud habere posse. Nam sub hypothesi conditionis aut contingentis, aut necessariæ absolutè id, quod absolutè est impossibile, remanet impossibile; & id, quod absolutè est necessarium, remanet necessarium, vt satis ex se constat.

In tertiò verò casu difficultas est non leui in- 387
digens examine. Num scilicet obiectum condi-

tiona-

tionatum de conditione absolutè impossibili, & causali, siue influente veritatem conditionatam contingentem habere possit. Idque seu contingens, seu necessarium, seu impossibile absolutè conditionatum sit. Ribaden. disput. 23. de Scient. cap. 4. huic difficulrati respondet, ex hypothesi impossibili quatenus impossibili nihil contingenter posse euenire; nullamque proinde dabilem esse veritatem conditionatam contingentem à Deo cognoscibilem sub conditione impossibili. Benè tamen sub conditione impossibili quoad partem possibilem, quam includit. Primùm probat. Quia, ex hypothesi impossibili vt tali necessariò, vt opinatur ipse, sequitur quodlibet, atque adeò nihil potest sequi contingenter. Secundùm. Quia, pars possibilis inclusa, iuxta sententiam eius, in quouis impossibili benè potest esse indifferens ad euentus oppositos; benèque proinde potest ex eius hypothesi contingenter sequi vnus, vel alter.

388 Ego imprimis contra hunc Auctorem, & alios suæ factionis censui, ostendique in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 6. à num. 156. ex hypothesi impossibili neutiquam sequi quodlibet necessariò: clarissimèque, ni fallor, dilui ibi argumenta, quibus oppositum tentabatur probari. Quare fundamentum, quo Ribaden. in præsenti primam partem suæ assertionis fundat, nullatenus subsistit. Aliundeque subinde foret illa probanda, si vera esset. De quo ego postmodùm. Deinde in eàdem disput. 11. Phari Scient. quæst. 2. latè contra ipsum Ribaden. & alios probaui, multas esse chymæras ex suo conceptu obiectiuo purè impossibiles, hoc est, nihil includentes in eo, quod sit possibile: tametsi sint aliæ non purè impossibiles, id est, aliquid in conceptu suo includentes, quod sumptum seorsim possibile est. Vnde nec benè in præsenti supponit Ribaden. ad probandam secundam partem suæ assertionis, de conceptu chymæræ impossibilis esse includere partem possibilem.

389 His ita positis, pro resolutione propositæ difficultatis suppono deinde ex doctrinâ, quam sæpe tetigi tom. 1. disp. 4. quæst. 2. Deum ab omnimoda infinitate suæ perfectionis habere, esse cognitiuum, volitiuum, & productiuum non solùm eorum omnium, quæ sunt cognoscibilia, volibilia, & producibilia absolutè, sed etiam eorum omnium, quæ talia essent sub quauis hypothesi data seu possibili, seu impossibili. Et quidem de ijs, quæ sub hypothesi possibili talia essent, id prorsus indubitabile est. De ijs verò, quæ talia essent sub hypothesi impossibili, id ostendendum venit primò; quia maior haud dubiè, atque adeò perfectior est vis cognitiua, volitiua, & productiua, quæ extenditur ad ea etiam, quæ sub hypothesi impossibili essent cognoscibilia, volibilia, & producibilia, quàm, quæ non extenditur ad ea. Ergo illa, non hæc, tribuenda est Deo, vtpote enti, quo maius aliud, aut perfectius excogitabile non est, iuxta dicta à nobis tom. 1. disput. 16. quæst. 3. Secundò; quia, cùm sit verum, sub hypothesi, quòd existerent chymæræ impossibiles, eæ saltem, quæ existentiæ Dei non opponuntur, Deum nihilominùs permansurum tam perfectum, quàm modò est, ex vna parte, ex aliâ autem multa tunc fore cognoscibilia, volibilia, & producibilia, quæ modò non sunt talia: si Deus tunc omnium eorum non esset cognitiuus, volitiuus, & productiuus, & consequenter ab eorum cognoscibilitate, volibilitate, & producibilitate non euaderet proximè potens ad cognoscenda, volenda, atque producenda ea omnia; Deus tunc, quantùm ex se est, nec esset omniscius, nec omnipotens; atque adeò nec talis, quantùm ex se est, esset nunc. Quod sine ingenti absurdo dici non potest. Stet ergo, ex hypothesi, quòd existerent prædictæ chymæræ, Deum proximè potentem fore ad cognoscendum, volendum, & producendum ea omnia, quæ tunc essent cognoscibilia, volibilia, & producibilia, & modò non sunt talia: & consequenter actus cognoscendi, volendi, & producendi omnia illa, possibiles tunc fore Deo sub tali hypothesi; tametsi illi modò, & absolutè impossibiles sint; eo quòd cum existentiâ chymærarum impossibilium connexi sunt suopte conceptu.

Vnde sequitur primò, impossibilitatem ab- 390
solutam, quam habent eiusmodi actus Dei non adæquate intrinsecam, siue identificatam, sed semiextrinsecam ipsis esse; partim videlicet desumptam à negatione necessariâ termini connexionis eorum. Quo proinde termino posito per hypothesim impossibilem de existentiâ dictarum chymærarum, cessat talis impossibilitas, atque ita possibiles illi euadunt sub tali hypothesi.

Ex quo rursus sequitur, præter contradictio- 391
nem vnam, aut plures, quas secum fert hypothesis de existentiâ chymæræ iuxta vniuersalem doctrinam de impossibilibus datam à nobis in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 2. & 5. ex existentiâ dictorum actuum Dei sub eadem hypothesi nullam aliam nouam contradictionem sequi, sed simpliciter esse eos sub tali hypothesi veros, quin vera sint simul contradictoria eorum; siue eorum veritas sub ipsâ hypothesi necessaria, siue contingens sit. Itaque, cùm sub hypothesi, quòd chymæra existeret, ita sit verum, eam extituram, vt etiam sit verum, eam simul non extituram, iuxta dicta, & demonstrata locis citatis; attamen sub eadem hypothesi ita verum est cogniturum Deum coniunctum ex existentiâ, & non existentiâ chymæræ, vt non sit etiam verum, Deum non cogniturum tale coniunctum; tum ita etiam potest esse verum, habiturum Deum gaudium liberum de tali coniuncto, vt non sit etiam verum, Deum tale gaudium non habiturum.

Verùm contra doctrinam hanc sic primò 392
obijci potest. Quilibet ex ipsis actibus Dei absolutè est impossibilis, & consequenter quædam chymæra. Ergo ex hypothesi quod existeret, simul existeret, & non existeret; sicut aliæ chymæræ, iuxta doctrinam vniuersalem de illis ex Pharo Scient. suppositam. Distinguo antecedens. Quilibet ex illis actibus Dei absolutè est impossibilis ex eo præcise, quòd est connexus cum termino absolutè impossibili, atque adeò impossibilitate non retentâ, sed deficiente sub hypothesi existentiæ talis termini iuxta dicta num. 390. concedo. Absolutè est impossibilis aliter: nego. Et nego consequentiam: & paritatem aliarum chymærarum, de quibus est doctrina supposita ex Pharo Scient. Eæ enim sunt, quæ sub suæ existentiæ hypothesi suam impossibilitatem retinent; eo quòd etiam sub tali hypothesi persistunt talis impossibilitatis integra fundamenta.

Aliter contra eamdem doctrinam sic potest 393
obijci secundò. Quilibet ex illis actibus Dei cum coniuncto ex chymærâ, & ex eius contradictorio est connexus. Ergo est connexus cum contradictorio chymæræ. Sed chymæra est opposita suo contradictorio. Ergo est mediatè opposita actui Dei

(quan-

(quandoquidem oppositum termino connexionis mediatè est oppositum connexioni, vt patet ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disput.14. quæst. 4.) Ergo chymæra infert negationem actus Dei. (Siquidem quoduis ex extremis oppositis infert negationem alterius, vt constat ex se, & ex demonstratis ibidem). Ergo sub hypothesi, quòd existeret chymæra, existeret negatio actus Dei. Aliundeque ponitur, quòd ipse actus existeret. Ergo existeret, & simul non existeret sub tali hypothesi. Falsa igitur est dicta doctrina statuta num.391. Concesso primo enthymemate, distinguo subsumptam, & consequens ex eâ illatum, chymæra est opposita suo contradictorio, & consequenter actui Dei connexo cum illo oppositione exercita tantùm in statu absoluto, non verò item in conditionato sub hypothesi existentiæ ipsius chymæræ; concedo. Aliter nego. Et nego cæteras consequentias. Quo pacto enim extrema opposita simul existunt, (quod est, suam oppositionem non exercere), vt neutrum alterum excludit, sic neutrum infert negationem alterius. Quo corruit facta obiectio. Recognosce doctrinam datam in Pharo Scient disp.11.quæst.2. à num.72.

394 Ex dictis venit iam resoluenda difficultas, sine quæstio proposita num.387. Assero ergo primò, obiectum conditionatum de conditione purè impossibili, & causali veritatem conditionatam contingentem habere posse, sæpeque habere. Quoniam ex hypothesi, quòd existeret chymæra pure impossibilis, necessariò iudicaret Deus eam existere cum suo contradictorio coniunctam: quia tunc id foret verum, atque adeò verè, & necessario iudicatum à Deo. Quo iudicio instructa diuina voluntas proximè potens esset ad habendum, vel omittendum plurimos actus dependenter ab existentia aut talis chymæræ, aut coniuncti ex eâ, & ex eius contradictorio tanquam à motiuo, vel conditione, vel circunstantiâ obiectiuâ ipsâque subinde existentia aut chymæræ, aut coniuncti intentionaliter, siue obiectiuè influente in existentiam talium actuum, vel omissionum. Qui actus, vel omissiones propterea sub hypothesi existentiæ dictæ chymæræ veritatem conditionatam causalem, & contingentem habere possunt. De factoque habent: siquidem Deus ductus prædicto iudicio, & eius obiecto non potest non de facto eligere liberè vel tales actus, vel omissiones eorum. Apponamus exempla. Sub hypothesi, quod extiteret prædicta chymæra conditionatè, causaliterque verum est, veritate quidem necessariâ habiturum Deum iudicium de illius existentiâ; veritatibus autem contingentibus, Deum per tale iudicium, perque obiectum eius inductum habiturum, vel non habiturum liberè gaudium de obiecto ipso; producturum, vel non producturum liberè tales, aut tales creaturas, vt ipsi chymæræ coexisterent, vel non coexisterent, illiusve existentiam taliter, aut taliter connotarent, vel non connotarent; positurum, vel non positurum chymæram ipsam in tali, aut tali loco; ipsamque tali, aut tali modo affecturum, vel non affecturum; aliaque huiusmodi sexcenta sub dicta hypothesi vera sunt proculdubio veritate conditionatâ contingente, & causali: eaque de conditionato vel impossibili, vel necessario absolutè; transeunte tamen in contingens sub hypothesi impossibili suprà dictæ chymæræ.

395 Sed rogabis primò. Vtrùm sub hypothesi, quòd existeret chymæra purè impossibilis, aliqua creatura rationalis similes actus posset habere circa illius existentiam; qui proinde modò veritate conditionatâ contingenti, & causali sub conditione purè impossibili veri sint. Censeo, respondendum, non posse, si tales actus, perinde ac diuini commemorati, cum existentiâ talis chymæræ connexi sint, atque adeò impossibiles absolutè. Primò; quia potestas ad actus absolutè impossibiles pro casu, quo possibiles forent, solius Dei videtur propria, vtpote sublimior, quàm, vt creaturæ conuenire possit. Secundò; quia, cùm omnis creatura sit perfectibilis per suos actus, potestas ad actus in creaturâ propter ipsos actus est. Repugnat autem, vt sit propter actus absolutè impossibiles; quia essentialiter esset superflua prout ordinata ad illos. Aliter euenit in Deo, qui per suos actus accessorios non est perfectibilis; atque ita non propter illos, sed propter se habet ad illos potestatem, cui proinde non obstat absoluta illorum impossibilitas. Tertiò; quia fortasse est omnis potentia creaturæ cum possibilitate suorum actuum connexa entitatiuè: atque adeò ad actus impossibiles nulla potest in creaturâ dari potentia. Cum tamen in Deo cum possibilitate suorum actuum accessoriorum nulla entitatiua connexio detur, vt ostendimus tom.1.disput.4.quæst.2. Quòd si verò actus creaturæ rationalis cum existentiâ dictæ chymæræ connexi non sint, atque adeò nec sint impossibiles, sed possibiles absolutè, sub hypothesi existentiæ ipsius chymæræ benè posset creatura ipsa rationalis eos habere circa illius existentiam. Qui proinde modò veritate conditionatâ contingenti, & causali sub conditione purè impossibili veri erunt. Essent autem dicti actus eiusmodi, si sub hypothesi, quòd existeret dicta chymæra, de ipsius existentia haberet dicta creatura notitiam fallibilem conceptam per alienas species, per eamque, perque ipsius obiectum suo modo induceretur ad eliciendos aliquos actus liberos. Omnes quippe isti actus, vtpote cum existentia dictæ chymæræ metaphysicè non connexi, absolutè possibiles, atque etiam contingentes de suo sunt; sub hypothesique impossibili veritatem conditionatam contingentem, suoque etiam modo causalem in isto casu habebunt.

Secundò rogabis. An sub hypothesi, quòd existeret secundus Deus, qui ex chymæris purè impossibilibus est, aliqui actus physicè, & liberè ab ipso oriundi veritatem conditionatam causalem, & contingentem habere possint. Respondeo, non posse. Quia, cùm omnis actus physicè oriundus à causâ supponat existentiam eius, quæ ratione causa est impossibilis, eâdem & actus eius sunt impossibiles. Secundus autem Deus ex genere est earum chymærarum, quæ non solùm absolutè sunt impossibiles, sed etiam sub hypothesi existentiæ suæ suam impossibilitatem retinent; eo quòd adhuc sub tali hypothesi persistunt talis possibilitatis integra fundamenta. Vnde actus secundi Dei etiam sub hypothesi, quòd ille existeret, manerent impossibiles: proindeque sub tali hypothesi contingentes, ab ipsoque liberè oriundi esse non possunt. 396

Sed dices. Secundus Deus chymæricus omnino similis concipitur vero Deo, numericèque dumtaxat distinctus ab ipso. Ergo secundus Deus chymæricus ex suo conceptu obiectiuo libera causa est; sicut verus Deus. Ergo ex hypothesi, quòd existeret, liberè posset operari, actusque subinde contingentes, ab ipsoque liberè oriundi sub tali hypothesi possunt esse. Concesso antecedente. 397

tei

te ; distinguo primum consequens. Ergo secundus Deus chymæricus ex suo conceptu obiectiuo libera causa est ; sicut verus Deus ; libertate quasi remota : admitto. Libertate proxima : nego. Et nego secundam consequentiam. Libertas quippe quasi remota aliud non est ab ipsa entitate causa liberæ : libertas verò proxima, præter entitatem causæ possibilitatem actus, ad quem est libertas includit insuper intrinsecè in suo conceptu reali iuxta doctrinam generalem à nobis statutam in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 5. propos. 5. tradendamque iterum inferiùs disput. 30. quæst. 5. Vnde, quanuis Deus chymæricus, conceptus quoad entitatem omnino similis Deo vero, esset eo titulo liber libertate quasi remotâ ; quali liber est verus Deus per suam entitatem præcise ; (quod tamen etiam falsum est, & ideo à me non concessum in distinctione facta, sed tantum admissum) ; libertate verò proximâ liber ille, sicut Deus verus, esse non potest ; eo quòd actus eius, vt diximus, impossibiles sunt ; eamque proinde possibilitatem non habent, per quam libertas proxima ad ipsos erat constituenda, vti habent actus veri Dei. Dico autem, falsum esse, libertate quasi remotâ esse liberum Deum chymæricum : quia hæc supponit potentiam ad existendum, quam ille non habet. Et sicut omnimoda similitudo entitatiuâ inter Deum chymæricùm, & Deum verum non obstat, quominùs hic sit possibilis, ille impossibilis, prout latè expossuimus tom. 1. disput. 12. quæst. 6. propos. 1. ita neque obstat, quominùs hic libertatem quasi remotam habeat, ille verò non item.

398 Venio iam ad chymæras non purè impossibiles, vtpote includentes aliquid in conceptu suo, quod sumptum seorsim possibile est ; quæ proinde complexæ, siue compositæ ex partibus esse debent, comprehendendo nomine partium etiam vniones. Et hæ, vt habemus disput. 11. Phari Scient. supra citatâ num. 84. in duplici sunt differentia. Aliæ enim sunt, quarum omnes partes, nullâ demptâ, seorsim acceptæ sunt possibiles ; totaque subinde impossibilitas earum fiat in coniuncto talium partium : cuiusmodi sunt complexa ex extremis seorsim possibilibus, oppositis tamen inter se siue contradictoriâ, siue contrariâ oppositione. Aliæ sunt ; quarum aliqua, aut aliquæ partes sunt possibiles, reliquæ autem impossibiles ; eæque siue habentes, siue non habentes inter se oppositionem.

399 Agendo igitur imprimis de priorum genere, assero secundò, sub hypothesi complexi ex duobus extremis contradictorijs seorsim possibilibus veritatem conditionatam causalem, & contingentem benè esse posse. Quoties enim est verum, sub hypothesi existentiæ Petri ipsum operaturum liberè, etiam est verum, sub hypothesi existentiæ simul, & non existentiæ Petri ipsum operaturum liberè. Quia, sicut secunda hypothesis nihil tollit de veritate conditionatâ existentiæ Petri, tametsi adiungat illi aliam de non existentiâ ; ita nihil tollit de verirate conditionatâ operationis liberæ illius. Manente siquidem sub secundâ hypothesi existentiâ Petri cum totâ suâ libertate actus primi, cum cæterisque circunstantijs, cum quibus ille liberè erat operaturus sub primâ, impertinens est ad talem libertatem, talemque operationem liberam etiam sub secundâ exercendam, quòd adiungatur ipsi Petro sub eâ alia conditionata veritas de suâ non existentiâ.

400 Dices, neutiquam id esse impertinens. Quia, cùm negatio existentiæ Petri necessariò inferat negationem operationis eius, secunda hypothesis necessariò inferens vnà cum existentiâ Petri ipsius negationem, mediatè ratione huius infert necessariò similiter negationem operationis eius. Sub eâ autem hypothesi, sub qua negatio operationis est necessaria, compertum est, esse impossibilem operationem ipsam, contingentemque proinde, seu liberam esse non posse. Contra tamen est ; quòd negatio existentiæ Petri tunc solùm infert necessariò negationem operationis eius, quando simpliciter excludit ipsam Petri existentiam, vti euenit in statu absoluto ; non verò item, quando eam non excludit simpliciter, vti euenit in casu nostro status conditionati : eo videlicet, quòd tunc solùm necesse est deficere operationem Petri, quando deficit existentia Petri : secus verò, quando non deficit : & in casu nostro status conditionati sub hypothesi, quòd existeret complexum ex Petro, & ex sui negatione, Petri existentia non deficeret, sed adesset ; cùm sit necesse, vt sub tali hypothesi Petrus, & eius negatio simul existant. Vnde, licèt talis hypothesis necessariò inferat vnà cum existentiâ Petri ipsius negationem, nullatenus tamen infert adhuc mediatè negationem operationis eius : quo locus supereſt, vt sub tali hypothesi tam operatio, quàm ipsius negatio contingentes persistant ; Petrusque subinde persistat liber ad alterutram eligendam. Impertinens igitur est ad talem libertatem, & electionem sub tali hypothesi exercendam, quòd ferat secum hypothesis ipsa vnà cum existentiâ Petri ipsius negationem. Quo, & obiectio facta diluta, & nostra assertio firma manent.

Tertiò assero, sub hypothesi complexi ex 401
duobus extremis contrarijs veritatem conditionatam causalem, & contingentem benè esse posse. Quoties enim est verum, Petrum operaturum liberè sub hypothesi suæ existentiæ, etiam est verum, Petrum operaturum liberè sub hypothesi complexi ex suâ existentiâ, & diuinâ reuelatione de suâ non existentiâ, quæ extrema sunt contrariè oppositæ. Quoniam reuelatio de non existentiâ Petri eatenus solùm posset obstare existentiæ operationis liberæ eius in casu posito, quatenus infert negationem existentiæ ipsius Petri, sine qua operatio eius libera stare non potest. Sed eo titulo non obstat. Ergo nullo. Cætera patent. Et minor ostenditur. Quia reuelatio de non existentiâ Petri ita negationem existentiæ eius infert in casu posito, vt per illam non excludat talem existentiam, sed potiùs illam cum tali existentiâ coniungat : siquidem sub hypothesi, quòd simul existerent Petrus, & reuelatio de eius non existentiâ, Petrus, & eius negatio simul existerent : Petrus quidem ; quia id per hypothesim supponitur ; negatio autem eius ; quia illam infert reuelatio, quæ sub tali hypothesi existeret simul cum Petro. Concluditur ergo ; quemadmodùm in casu præcedentis assertionis negatio existentiæ Petri coniuncta cum ipsâ existentiâ sub hypothesi ambarum Petri operationem liberam, alias ab ipso oriundam, non impedit, vti statuimus ; ita neque impedire in casu præsentis negationem existentiæ Petri coniunctam cum ipsâ existentiâ sub hypothesi existentiæ eiusdem, & reuelationis inferentis negationem eamdem.

Quartò assero, sub hypothesi complexi ex 402
duobus extremis, quorum alterum purè impossibile, & alterum possibile est, siue ea sint inter se oppositа, siue non sint oppositа, benè posse esse, veri-

veritatem conditionatam causalem, & contingentem, oriundam quidem ab extremo possibili, atque etiam in aliquibus casibus ab extremo purè impossibili. Hæc assertio ex dictis circa tres præcedentes est manifesta; nec nouâ aliâ, præter adductas pro illis, indiget probatione. Quod autem dicitur de complexo duorum extremorum, de complexo etiam plurium pariter venit intelligendum.

403 Porro, quoties in casibus prædictis sub hypothesi chymeræ aut purè, aut non purè impossibilis veritas conditionata causalis, atque contingens reuerà datur, debere eam à Deo cognosci per scientiam mediam, suppositâ doctrinâ de illâ, quam hactenus stabilituimus, indubitabile est.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm contingentia conditionata de conditione, quam vocant disparatam, à Deo cognoscantur. Et qua ratione.

404 PEr ea, quæ scripta dedimus quæst. 6 & 7. satis videtur stabilitum contra Aduersarios, Deum certissimè, independenterque ab omni suo prædefinitiuo decreto, aut etiam à quouis alio medio cum eis connexo cognoscere contingentia conditionata de conditione indifferente, influente tamen, seu conducente aliquo modo ad existentiam ipsorum conditionatorum. Vtrùm autem Deus pari ratione cognoscat contingentia conditionata de conditione indifferente, nullo tamen modo influente, seu conducente ad existentiam ipsorum conditionatorum, quæ idcirco conditio disparata vocari soler; quia neque est cum conditionato connexa, neque ad ipsum vllo modo conducit; modo venit examinandum.

405 Circa quam quæstionem duæ sunt præcipuæ sententiæ. Prima negat, eiusmodi conditionata cognosci à Deo, vtpote quæ nullam veritatem scibilem habent: fallas enim esse propositiones conditionales, quibus illa respondent, vt, *Si gallus cantauerit, Turca conuertetur*; *Si Turca dormiat, Papa loquetur*; & similes. Huius sententiæ sunt Vazq. 1. par. disput. 67. cap. 4. Lessius de Auxil. cap. 29. Turrian. in Opusc. disp. 21. de Scient. futur. condition. dub. 7. Fasol. 1. par. quæst. 14. artic. 13. dub. 13. Arrub. disput. 45. cap. 4. Moncæus disput. 3. Theolog. cap. 16. Raynad. in Theolog. natur. disput. 8. artic. 2. Carlet. 1. par. disput. 24. sect. 8. & Thomistæ communiter. Pro oppositâ tamen sententiâ affirmatiuâ stant Soar. in Opusc. lib. 2. de Scientiâ conditionatorum cap. 6. num. 4. & cap. 7. num. 5. & 13. Fonseca lib. 6. Metaph. cap. 2. quæst. 4. sect. 10. Curiel lib. 1. controuer. 7. artic. 3. Granad. 1. par. disput. 3. de Scientiâ, Herice tract. 1. disp. 7. cap. 10. Ruiz disput. 78. de Scient. sect. 2. Ribas disp. 6. cap. 7. Arriaga disput. 12. sect. 7. Quiros disput. 51. sect. 4. Vekenus disput. 19. cap. 7. Ribaden. disp. 23. cap. 2. & 3. Borull disput. 3. de Scient. med. sect. vlti. & alij.

406 Pro exactâ, & clarâ huius quæstionis resolutione suppono primò, duas has sententias commemoratas facillimè, quod ad rem ipsam attinet, venire inter se conciliandas, quidquid sit de mente Auctorum citatorum pro illis. Si enim propositio conditionalis de conditione disparatâ accipiatur in sensu illatiuo, aut in sensu causali, prout solent communiter vsurpari conditionales propositiones, non potest non ea falsa esse: atque ita eius obiectum in eodem sensu sumptum nec potest esse verum, nec à Deo cognoscibile vt tale. Cùm non possit non esse falsum, conditionem disparatam aut connecti cum conditionato, prout denotat propositio illatiua, aut aliquo modo in illud influere, siue ad illud conducere, prout significat propositio causalis: vtrumque siquidem est contra quiditatem conditionis disparatæ iuxta definitionem eius statutam num. 404. Vnde, si hoc solum velint Auctores primæ sententiæ, neque dissentiunt, neque dissentire possunt ab illis Auctores secundæ. Cæterùm, quia propositiones conditionales & semper possunt, & aliquando etiam solent in sensu purè coniunctiuo vsurpari, prout constat ex latè dictis supra quæst. 1. 2. & 3. quod tenet secunda sententia, eiusque Auctores debent intendere, est, propositionem conditionatam de conditione disparatâ in sensu purè coniunctiuo vsurpatam sæpissime veram, atque ita & eius obiectum sæpissimè pariter verum, à Deoque subinde vt tale certissimè cognoscibile esse. In quo fortasse non dissentiunt multi ex Auctoribus sententiæ primæ. Oportet tamen cautè legere vtrosque. Quia nonnulli tam ex citatis pro secundâ, quàm pro primâ sententiâ sensum coniunctiuum conditionatum aut cum absoluto confundunt, aut certè in absolutum detorquent, asserentes, hanc propositionem e. g. *Si Turca dormiat, Papa loquetur*, posse esse veram, vtpote æquiualentem huic, *Quando Turca dormiat, Papa loquetur*, siue huic, *Somnus Turcæ, & Papæ loquutio simul existent*. Hoc tamen est, à præsente controuersiâ recedere, transeundo ab statu conditionato, & ab obiecto scientiæ conditionatæ, de quibus nunc agimus, ad statum absolutum, & ad obiectùm scientiæ absolutæ, de quibus non agimus. Dicere itaque debent, quotquot secundam sententiam affirmatiuam sequi voluerint in præsenti quæstione; quemadmodum dantur veritates purè coniunctiuæ, siue purè connotatiuæ absolutæ pertinentes ad statum absolutum, & cognoscibiles per scientiam absolutam, quarum connotatum neque connectitur cum connotante, neque ad illud conducit; qualis est hæc, *Loquutio Papæ somno existenti Turcæ coexistet*, & cæteræ similes; ita quoque dari veritates purè coniunctiuas, siue purè connotatiuas conditionatas, siue hypotheticas pertinentes ad statum conditionatum antecedentem, & præuium ad absolutum, atque præscindentem ab illo, & cognoscibiles per scientiam conditionatam antecedentem, & præuiam ad absolutam, atque præscindentem ab illâ, quarum connotatum, quod est conditio posita in hypothesi, neque connectitur cum connotante, quod est conditionatum, neque ad illud conducit; qualis est hæc, *Si Turca dormiat, Papa loquetur*, seu, (quæ eadem est), *Si somnus Turcæ existat, illi loquutio Papæ coexistet*, & cæteræ eiusmodi. Et hæ sunt veritates conditionatæ correspondentes propositionibus conditionatis de conditione disparatâ; de quibus in præsenti quæstione agimus.

Suppono secundò, aliquas propositiones 407
conditionatas, quæ specie tenus videntur de conditione disparatâ, eoquòd conditio nullo modo

physico conducit ad conditionatum, tales non esse; quia conducit aliquo modo intentionali, siue obiectiuo. Sic hæc non de disparatâ, sed de conducente conditione est, *Si Petrus videret, lugeret Paulus*, casu, quod Paulus esset mouendus ad luctum ex visu Petri. Huius generis sunt haud dubie aliquæ propositiones in sacrâ Scripturâ contentæ, vt illa Eliæi ad Regem Ioas. 4. Reg. 13. *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem*. Mouendus enim erat Deus ad decernendam Syriæ consummationem ex eò percussionum numero, vel iam sub eius conditione decreuerat. Similiterque illa Eliæ ad Elisæum. 4. Reg. 2. *si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petisti. Si autem non videris, non erit*. Quippe mouendus erat ex illâ visione Elisæi tanquam ex conditione, sine qua non aut Elias ad impetrandum, aut Deus ad concedendum duplicatum spiritum, quem Elisæus petiuerat. Pariterque de similibus theologizandum est.

408 Suppono tertiò, conditionem, aliàs non connexam cum conditionato, quantumuis sit influxiua, seu potens influere in illud, disparatam nihilominùs esse respectu illius, quoties de facto in illud non est influxura ex hypothesi, quòd ponatur. Quia, quando conditio de facto non influit in conditionatum, respectu huius impertinens est, quòd illa de suo sit influxiua, vel non sit influxiua in illud, vt ex se est manifestum. Sic hæc propositio, *Si extiterit ignis A, existet calor B*, de conditione disparatâ est, quando ex hypothesi, quòd existat ignis A, non est ille producturus de facto calorem B, licèt aliàs sit productiuus eius, seu potens eum producere. Hinc sequitur contra id, quod docere videtur Ribaden. vbi supra, conditionem non propterea desinere esse disparatam, quòd sit exclusiua alicuius, quòd est impedimentum conditionati: aliquin nulla conditio positiua esset disparata respectu conditionati positiui; quod ab omnium mente est alienum, & videtur absurdum. Ait enim ipse loco citato num. 19. conditionem huius propositionis, *Si Turca dormiat conuertetur Ioannes*, disparatam non esse; quia excludit decretum hoc Dei, *Decerno, quòd neque dormiat Turca, neque conuertatur Ioannes*; quod impedimentum est conuersionis Ioannis, vtpote connexum essentialiter cum ipsius Ioannis non conuersione. Tantumdemque consequenter dicere debet de qualibet conditione positiua cuiuslibet conditionati positiui. Cùm certum sit, duas quaslibet negationes duorum entium positiuorum indiuisim posse decerni à Deo; eo quod nullæ negationes sunt oppositæ, seu incompatibiles inter se; siquidem omnes simul extiterunt suo modo ab æterno, antequam produceret Deus vllum ens positiuum. Dicendum itaque est iuxta doctrinam vniuersalem huius suppositionis, (id quod non videtur aduertisse Ribaden.), aliud esse conditionem esse exclusiuam alicuius, quod est impedimentum conditionati, aliud de facto illud excludere. Atque ita, licèt, quando excludit de facto, desinat esse disparata, quatenus conducit, vt ponatur negatio talis impedimenti requisita ad existentiam conditionati, mediatèque subinde conducit ad existentiam ipsam. At non desinit esse disparatâ ex eo præcisè, quòd illius sit exclusiua. Vnde, licèt decretum Dei possibile de non existentiâ cuiuslibet tum conditionis tum conditionati indiuisim impedimentum sit essentiale existentiæ conditionati; existentiaque conditionis, vtpote tali decreto opposita, semper talis impedimenti sit exclusiua: rarò tamen, aut nunquam propterea desinit esse disparata; quia rarò, aut nunquam illud de facto excludit; eoquòd rarò, aut nunquam est in causâ, cur Deus omittat tale decretum, sed aliàs Deus illud omittit pro nutu suo, omissurus itidem, etsi deesset ipsa existentia.

Dices. Existentia conditionis sine decreto 409
Dei de se stare nequit. Sed decretum de existentiâ conditionis semper excludit de facto omne decretum sibi oppositum de non existentiâ: ad hancque exclusionem non potest non iuuare ipsa existentia conditionis, vtpote terminus connexionis decreti de se essentialiter requisitus ad existentiam eius. Ergo existentia conditionis vnà cum decreto de se semper excludit de facto decretum de non existentiâ tum sui, tum conditionati; semperque proinde iuxta dicta desinit disparata esse respectu talis conditionati.

Concessâ maiore. Nego primam partem 410
minoris, scilicet, decretum de existentiâ conditionis excludere semper de facto omne decretum sibi oppositum de non existentiâ. Primò; quia meâ sententiâ Deus per omissionem puram potest omittere sua decreta: atque ita per omissionem puram potest omittere decretum de non existentiâ conditionis independenter à decreto de existentiâ eius, quo casu per hoc illud nequaquam excluderetur de facto. Secundò; quia, stando etiam in sententiâ non concedente Deo possibiles omissiones puras suorum decretorum, potest haud dubie Deus per decretum quasi reflexum imperare omissionem decreti de non existentiâ conditionis independenter à decreto oppositio de existentiâ: imo & amborum simul omissiones imperare valet; eo quòd nullo titulo tenetur alterutrum habere: nam, licèt existentia, & non existentia conditionis, vtpote extrema contradictoria, simul deficere non possint; at non existentia ad suam non deficientiam, seu veritatem negatiuam nullo eget decreto Dei, cum reuerà sit nihil; alioqueque non est, cur teneatur Deus ad habendum decretum de non existentiâ, cum careat decreto de existentiâ: poterit ergo vtroque simul carere. Siue autem careat simul vtroque, siue careat tantùm decreto de non existentiâ ex vi decreti quasi reflexi imperantis talem carentiam, compertum est, in neutro casu decretum de non existentiâ per decretum de existentiâ excludi de facto; cùm independenter ab illo excludatur in vtroque dumtaxat per dictum decretum quasi reflexum. Tertiò; quia vt demonstrabo inferiùs disput. 30. quæst. 6. voluntas libera libertate contrarietatis nequit non habere libertatem proximam tam ad omissiones actuum oppositorum, quàm ad ipsos actus: qualem proinde necessariò debet habere voluntas diuina tum ad decretum de existentiâ conditionis, tum ad omissionem decreti oppositi de non existentiâ. Poterit ergo omissio hæc immediatè nasci à libertate voluntatis, quin decretum illud vllatenus concurrat ad eam. Vnde patet ad secundam partem minoris argumenti propositi, quomodò existentia conditionis non semper, imo rarò, aut nunquam conducat ad exclusionem supradicti decreti impeditiui conditionati: multòque subinde plures sint conditiones disparatæ, quàm Ribaden. putabat ductus dicto argumento.

Suppono quartò, terminum connexionis me- 411
taphysicæ cuiusuis rei prout habentem *esse* in-

statu,

statû, in quo terminat illam, ex parteque rei est requisitus ad ipsius existentiam, nullatenus in hanc influere causatiuè; tametsi ad eam aliter conducat per modum termini connexionis, quatenus sine illo vt sic res nequit existere. At verò prout habentem *esse* in statu conditionato anteriore, in quo verum est, fore illum sine contradictione ex hypothesi quòd existat res cum illo connexa, influere vtique causatiuè in existentiam talis rei vnà cum causâ eius per modum cuiusdam conditionis causandi. Veritas quippe conditionata de existentiâ sine contradictione termini connexionis sub conditione existentiæ rei connexæ cum illo conditio quædam causandi est ex parte causæ talis rei requisita ad causandam illam, vtpote complens, constituensque potentiam proximam ipsius causæ ad causationem ipsius rei, adeò, vt, deficiente dumtaxat tali veritate conditionatâ, etsi permaneant cætera cuncta, non possit non in dictâ causâ deficere potentia proxima ad dictam rem causandam. Doctrina huius suppositionis quoad vtramque eius partem ex professò, & latè est à nobis explicanda, & probanda inferiùs disput. 30. quæst. 5. Oportuit tamen, illam in præsenti supponere. Primùm quidem, vt sciatur, terminum connexionis conditionati duobus titulis non posse esse conditionem disparatam respectu eius. Primò; quia prout in vno statu conducit ad illud per modum termini requisiti. Secundò; quia prout in alio statu anteriori influit in illud per modum conditionis causandi. Deinde, vt sciatur, terminum etiam connexionis conditionis non disparatæ comparatione conditionati duobus similiter dictis modis immediatè conducere ad conditionis existentiam, & consequenter mediatè ad existentiam conditionati: atque adeò nec posse esse conditionem disparatam respectu ipsius conditionati. Hinc fit, vt terminus connexionis positus in hypothesi propter secundum modum, quem habet, influendi in conditionatum conditio sit causalis propriè respectu eius; tametsi propter primum præcisè, (qui sine secundo stare non potest; eo quòd status absolutus necessariò supponit conditionatum), conditio reductiuè causalis dicenda veniat, vt à conditionibus pure illatiua, & disparatâ discriminetur.

412 Suppono quinto, conditionem neque illatiuam, neque causalem, de qua agimus in præsenti quæstione non ideo disparatam dici, quia impertinenter se habeat ad veritatem purè coniunctiuam, quam habet conditionatum sub eius hypothesi; (ad hanc enim per se pertinet, & requiritur vt connotatum, cui conditionatum verè coexistit hypotheticè, eo ipso, quòd omnis conditionata veritas connotatiua est conditionis iuxta doctrinam statutam quæst. 1. num. 6. sæpeque alibi suppositam); sed quia ad existentiam conditionati præcisè, & secundùm se sumptam nihil omnino confert, quatenus neque eam infert, prout conditio illatiua, neque ad eam conducit vllatenus, prout conditio causalis.

413 Vnde colligo, non benè Ribaden. vbi supra num. 16. tanquam sibi certum asserere, quoties sub hypothesi conditionis coexistentia conditionati cum ipsâ conditione affirmatur, propositionem conditionatam non de conditione disparatâ esse, sed de conducente; cùm valde existentia conditionis conducat ad coexistentiam sui, & conditionati, vtpote intrinseca pars ipsius coexistentiæ, sine qua hæc nullatenus stare potest; atque ita in tali casu propositionem conditionatam, æquè, ac omnes cæteras de conditione non disparatâ, sed conducente, posse esse veram. Hoc, inquam, non benè assertum est. Quia sequeretur inde, nullam omnino propositionem conditionatam esse de conditione disparatâ contra sententiam omnium. Quandoquidem iuxta doctrinam statutam loco nuper citato omnis omnino propositio conditionata connotatiua est conditionis, hoc est enuncians conditionatum prout connotans conditionem, atque adeò prout ei coexistens, siue alio quoquo modo coniunctum. Quanquam igitur sub hypothesi conditionis coexistentia conditionati cum ipsâ conditione affirmetur, propositio conditionata nihilominùs est dicenda absolutè de conditione disparatâ, quoties hæc nec infert conditionati existentiam, nec vllo modo influit in illam, sic enim absolutè, & apud omnes de conditione disparatâ dicitur esse, verèque est hæc propositio; *Si Turca dormiat, Papa loquetur*; seu (que in eadem recidit), *Si somnus Turcæ existat, illi loquutio Papæ coexistet*. Quia; licèt coexistentia conditionati, & conditionis sine conditione stare non potest; conditio tamen nec infert conditionatum, nec illud vllo modo causat; impertinenterque proinde se habet ad existentiam eius; adeò, vt, si semel loquutio Papæ extitura est sub hypothesi somni Turcæ, æquè extitura sit nihilominùs sub hypothesi negationis eius: verumque propterea sit, coextituram loquutionem Papæ negationi somni Turcæ, si Turca non dormiat, æquè, ac est verum, coextituram loquutionem Papæ somno Turcæ, si Turca dormiat. De quo plura dicentia infra propos. 3. His positis sit.

Propositio 1.

Conditionata contingentia de conditione disparatâ certissimè cognoscuntur à Deo. 414

Vt probent hanc propositionem Recentiores quidam boni nominis toti sunt in quærendâ conducentiâ in conditionata earum conditionum, quæ vulgò disparæ censentur, qua desinant esse disparatæ. Eam autem illis attribuunt medio decreto Dei, non quod absolutè sit, sed quod esset ex talium conditionum hypothesi, ad quod nimirum conditiones ipsæ mouerent, & ipsum deinde influeret in conditionata. E. g. hoc conditionatum, *Si creauero hominem, tot donis illum exornabo*, idcirco, dicunt, cognosci à Deo, quia cognoscit Deus, si talis conditio ponatur, se ex indigentiâ hominis mouendum esse ad ei decernenda talia dona: quo pacto creatio hominis iam non est conditio disparata, sed causalis talis conditionati. De alijs verò conditionibus, quæ magis disparatæ videntur, in quibus subinde non apparet ratio motiua ad decernenda conditionata, vt, *Si gallus cantauerit, Turca morietur*, dicunt per concomitantiam saltem mouere Deum ad decernenda conditionata. Quia, cùm quælibet creatura non solùm secundùm se sit amabilis à Deo, sed etiam vt coexistit alteri, aut illi subest quoquo modo, quidlibet ad decernendum quodlibet mouere potest vt terminus, seu circunstantia, cui subest illud. Hoc ergo modo, dicunt, cognoscere Deum illud conditionatum, *Si gallus cantauerit, Turca morietur*: quia cognoscit, si gallus cantauerit, ego decernam mortem Tur-

cæ vt coexistentem cantui galli. Pariterque similia.

415 Cæterùm Doctores isti quæstionem intrudunt alienam à præsenti proposito. Modò enim non quærimus, an cuncta ita sint decreto Dei colligata, aut essent colliganda, vt nihil comparatione alterius conditio disparata esse possit. Sed, posito, quòd multæ conditiones respectu conditionatorum sunt disparatæ, an Deus talia conditionata sub hypothesi talium conditionum cognoscat. Affirmatiuèque respondemus per propositionem datam. Deinde, etsi quidlibet vt connotans quidlibet aliud, illudve tanquam circunstantiam supponens possit decerni à Deo; de facto tamen non decernitur, neque decerneretur sub datâ hypothesi, vt ostendemus in Tract. de Volunt. Hæc enim decreta libera sunt in Deo; & Deus non habet, neque sub hypothesi haberet omnia decreta libera, quæ sibi possibilia sunt. Perperam igitur asseritur, omnem conditionem, aliàs disparatam, per decretum, quod Deus dependenter ab illâ conciperet, cum conditionato colligari; atque ita Deum tale conditionatum sub tali conditione iam non disparatâ cognoscere. Neque est, quod cogat ad tantum sumptum decretorum; quandoquidem, si conditionata de conditione disparatâ absque huiuscemodi decretis non sunt cognoscibilia à Deo, vt Recentiores supponunt, quòd Deus illa non cognoscat, nulla erit imperfectio. Sicut non est, non cognoscere cætera, quæ non sunt cognoscibilia; forent tamen si Deus illa decerneret.

416 Alij igitur ex ijs, qui nobiscum tenent, Deum cognoscere conditionata de conditione disparatâ, manente disparatâ, propositionem datam probant ex illis Scripturæ locis, quibus contingentia conditionata de conditione disparatâ videntur reuelari: qualis est illa 4. Reg. 2. Vbi Elisæo duplicatum spiritum petenti respondit Elias, *Si videris me, quando tollar à te, erit tibi, quod petiisti*. Et illa 4. Reg. 13. Vbi ipse Elisæus dixit Regi Ioas, *Si percussisses quinquies, aut sexies, siue septies, percussisses Syriam vsque ad consummationem*. Hac probatione vtitur Ruiz vbi supra. Verùm ego illi parum fido. Quia in huiusmodi conditionatis conditio aut definit esse disparatâ ratione promissionis diuinæ, vt censuit Vazquez vbi supra; aut ratione decreti absoluti ex parte actus, & conditionati ex parte obiecti, vt putauit Arrubal; aut certè ratione decreti conditionati ex parte actus, quod Deus haberet, purificatâ conditione, connexum cum conditionato, conceptumque cum dependentiâ à conditione ipsâ, iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 407. Et quidem in reuelatione Elisæi secundo loco adducta necessariò tale decretum, aut aliquid aliud reddens conditionem illam non disparatam sub intelligi debet. Nam, cùm percussio Syriæ vsque ad consummationem non extiterit absolutè, non potest illa reuelatio esse vera sub conditione disparatâ præcisè iuxta doctrinam tradendam proposit. 3. Vbi statuemus, nihil posse esse conditionatè verum sub conditione disparatâ, quod non sit verum absolutè in signo posteriori.

417 P. Didacus Ruiz vbi supra, quem Recentiores imitantur, rursus probat propositionem. Quia, si conditionatum disparatum non sciretur à Deo, pleraque etiam non disparatâ non scirentur, ea nimirum, in quibus ex parte conditionis non omnia, quæ ad conditionatum concurrunt, sed aliquod dumtaxat eorum ponitur ad cætera disparatè se habens. Exemplo sit hoc conditionatum, *Si Deus iniecerit Petro cogitationem A, nauigabit ad Indos*. Ponamus enim Petrum non nauigaturum, nisi, mortuo Patre, & amisso patrimonio, & inuitante apud Indos Episcopo consanguineo; ad quæ cogitatio A disparatè se habeat. Certè cogitatio ipsa nequit præsciri in talem nauigationem influxura, nisi præsciatur coniungenda cum cæteris, sine quibus nauigatio non erit, & respectu quorum ea disparatè se habet. Ergo, vt Deus sub conditione talis cogitationis talem nauigationem futuram cognoscat, sub eâdem cognoscere debet alia conditionata, respectu quorum est illa conditio disparatâ. Quod est, non posse Deum conditionatum cognoscere non disparatum, nisi pariter cognoscendo conditionata disparata. Tantumdemque venit dicendum de cæteris similibus casibus.

Nec dici potest, ea omnia, quæ ad effectum 418
concurrunt, & inter se comparata disparatè se habent, debere poni ex parte hypothesis ad hoc, vt effectus conditionatè cognoscatur futurus. Quo ruit argumentum factum. Id, inquam, dici nequit primò; quia vt ostendi quæst. 4. propos. 4. sub hypothesi vnius ex causis, quæ ad effectum concurrunt cùm præcisione à reliquis potest ille conditionatè futurus cognosci à Deo, quando sub tali hypothesi reuerà est futurus, vt accidit, cùm sub eâdem pariter sunt futura cætera, sine quibus effectus non foret, atque etiam, cùm ab eâ solâ causâ æquè foret effectus ipse in casu, quòd, eâ positâ, defficerent cæteræ. Secundò; quia sæpe in Scripturâ sacrâ prædicitur effectus futurus sub hypothesi vnius ex causis eius præcisè, ita, vt ne tacitè quidem reliquæ comprehendi possint sub ipsâ hypothesi; quia esset prædictio nugatoria, & inutilis, & contra intentionem Prædicentis. E. g. quando Deus 1. Reg. 23. prædixit, Saulem descensurum in Ceilam, & Dauid in manus eius per Ceilitas fore tradendum, si ipse perseueraret ibi, certum est, non solam perseuerantiam Dauid in Ceilâ, sed multa etiam alia influxura tum in descensum Saulis, tum in traditionem Ceilitarum; nempe negationes omnium circunstantiarum rerum, negotiorum, auxiliorum Dei, incursionum aliorum hostium, &c. quæ si adessent, perseuerante Dauid in Ceilâ, tum animum Saulis à descensu, tum Ceilitarum à traditione auocarent. Huiusmodi autem negationes (respectu quarum perseuerantia Dauid in Ceilâ disparatè se haberet) neutiquam fuisse positas in hypothesi supradictæ reuelationis, seu prædictionis, est manifestum. Faceret enim hunc sensum reuelatio facta Dauid, *Si perseueraueris in Ceilâ, & nihil occurrerit, quod auertat Saulum à descensu, & Ceilitas à traditione, descendet, & tradent*. Quis autem non videat, inutilem, & nugatoriam fore ad propositum, atque etiam indignam Deo prædictionem huiusmodi? Volenti enim Dauid scire, an se perseuerantem in Ceilâ esset Saul impeturus, & Ceilitas tradituros, quæ responsio esset, asserere, *Si perseueraueris in Ceilâ, & nihil sit, quo cum effectu retardentur aut impediantur Saul, & Ceilitæ, ille à descensu, hi à traditione, ille descendet, & hi te tradent*? Certè ad noscendam hanc veritatem nulla Dauid egebat reuelatione, longèque alia est, quàm ipse quæsiuit à Deo, & Deus intendit ei reuelare, nempe descensurum Saulem, & eum Ceilitas tradituros, si perseueraret in Ceilâ, & consequenter nihil fore, quo talis descensus, & traditio impe-

impederetur. Quod est prædictas negationes ex parte conditionati, non ex parte hypothesis sub-intelligi.

419 Habemus igitur ex Scripturâ, sæpe Deum contingentia conditionata cognoscere ex hypothesi vnius causæ eorum, & non cæterarum, ad quas ea, quæ ponitur in hypothesi disparatè se habet. Atque adeò ex hac parte solidum manere argumentum pro datâ propositione factum à P. Ruiz. Aliunde tamen poterit quispiam eius vim enervare, interponendo decretum Dei conditionatum ex parte actus, quo causa, ex cuius hypothesi prædicitur, cognosciturque conditionatum, desinat esse disparatâ respectu aliarum, à quibus in tali hypothesi præscinditur, vt sic ex eius etiam hypothesi ipsæ aliæ causæ cognosci valeant, iuxta doctrinam Recentiorum commemoratam num. 414. Cæterùm quia huiusmodi decretorum asylum tutum
418 non est pro omnibus casibus, in quibus necessariò fatendum est, cognosci à Deo conditionata multa sub disparatâ conditione, vt ex dictis num. 415. satis est notum, idcirco argumentum factum efficax reputo absolutè.

420 Efficaciùs tamen probanda venit propositio à priori. Quia videlicet conditionata contingentia etiam de conditione disparatâ vera obiectiuè sunt, & cognoscibilia in sensu purè coniunctiuo. Ergo non possunt non cognosci certissimè à Deo. Consequentia est bona. Quia nullum obiectiuè verum, & cognoscibile potest Deum latere. Antecedens autem probatur. Quia, propositionem conditionalem in sensu purè coniunctiuo vsurpari posse, præterquàm quòd est manifestum ex doctrina latè tradita supra quæst. 1. 2. & 3. per id etiam, quod notaui quæst. 4. num. 66. clarè innotescit: nimirum, conditionalem causalem, quam omnes admittunt, ex parte materiæ dumtaxat, non item ex modo enunciandi, differre à purè coniunctiuâ. Semel autem statuto in propositione conditionali sensu purè coniunctiuo, compertum est, eam posse esse veram, quantumuis eius conditio sit disparata. Id enim planè probant argumenta facta dicta quæst. 3. præsertim propos. 2. Quorum summa est; quia ex duobus extremis contradictorijs non potest non alterum coexistere conditioni disparatæ ex hypothesi, quòd illa detur. Quod subinde sub tali hypothesi non poterit non vere enunciari in sensu purè coniunctiuo, atque ita etiam obiectiuè verum, siue verè cognoscibile esse. Recognoscantur dicta ibi.

421 Accedunt insuper nonnulla ex argumentis factis pro scientiâ mediâ quæst. præceden. Quæ illam etiam abs dubio probant circa contingentia conditionata de conditione disparatâ, vt perpendenti notum fiet. In quibus proinde repetendis, & applicandis non oportet morari. Vnum tamen pro faciliori applicatione documentum non prætermittam ex certâ doctrinâ supra statutâ quæst. 1. num. 6. sæpeque alibi vel repetitâ, vel suppositâ. Nimirum, in omni propositione conditionatâ de obiecto contingenti sensum præcipuum, expressum, atque directum esse coniunctiuum: quo videlicet enunciatur coexistentia conditionati cum conditione sub hypothesi, quòd existat conditio: tametsi huic sensui, omnibus propositionibus conditionatis communi, præcipueque, expresè, & directè ab illis intento quasi per accidens adiungatur in propositionibus quidem causalibus sensus causalis; quo tacitè ac veluti indirectè enunciatur insuper, conditionatum sub hypothesi conditionis ab ipsâ fore causandum aliquo modo; in illatiuis autem sensus illatiuus; quo pariter enunciatur, conditionatum sub hypothesi conditionis ex ipsâ necessariò inferri ob connexionem, quam conditio cum illo habet. Quæ cùm ita sint, manifestè consequitur, omnia argumenta, quæ probant propositionem conditionatam de obiecto contingente non posse non esse determinatè veram, aut falsam in sensu coniunctiuo præcisè, quatenus non potest non verum esse, sub hypothesi conditionis coextiturum illi, aut non coextiturum conditionatum, atque adeò nec potest non cognoscere Deus aut coextiturum illi per scientiam mediam affirmatiuam, aut non coextiturum per negatiuam; omnia, inquam, ista argumenta æquè id probare, siue propositiones, obiectaque earum conditionata sint de conditione disparatâ, siue sint de non disparatâ: quandoquidem, vt dictum est, sensus coniunctiuus præcisè æquè in vtrisque reperitur.

Obiici tamen contra propositionem solet à 422
nonnullis Thomistis. Si hoc contingens conditionatum de conditione disparatâ, *Si gallus cantauerit, Antichristus nascetur*, ante decretum diuinæ voluntatis verum esset, non esset Deus liber ad producendum, & non producendum Antichristum. At hoc valde est absurdum. Ergo. Quod argumentum cæteris omnibus conditionatis contingentibus non solùm de disparatâ, sed etiam de non disparatâ conditione applicari potest, & solet. Respondeo ad illud, vt aliàs in simili iam non semel in præcedentibus respondi, Antichristum nasciturum quidem sub eâ hypothesi non independenter, sed dependenter à decreto libero Dei, non tamen absolutè præsuppositò ante tale obiectum conditionatum, sed sub eâdem eius hypothesi conditionatè ponendo. Quod satis est, vt Antichristus liberè sit producendus à Deo potente illum non producere. De quo decreto generaliter requisito ad omnia contingentia conditionata positiua seu non disparata, seu disparata plura in præcedentibus dixi, quæ recolenda sunt. Vnum hìc addo, tale decretum requisitum ad existentiam conditionati in disparatis ex parte hypothesis poni non posse: (vti sæpe potest in non disparatis iuxta dicta quæst. 4. propos. 4.): quia desinerent esse disparata ratione illius, vtpote quod est causa conditionati: sed ex parte conditionati venire ponendum, idque independenter à conditione, vt conditio etiam respectu eius disparatâ permaneat, sic; *Si gallus cantauerit, Deus independenter ab eo cantu decernet, vt Antichristus nascatur, & ipse nascetur.*

Propositio 2.

Conditionata contingentia de conditione disparatâ per scientiam mediam cognoscuntur à Deo. 423

Ita Doctores nostræ sententiæ. Constatque ex dictis quæst. 7. circa propos. 5. Quia nimirum scientia huiusmodi conditionatorum ex vnâ parte est independens ab omni decreto actu existente in Deo prout tali; in quo cum scientiâ merè naturali, aut etiam simplicis intelligentiæ conspirat. Ex aliâ verò parte est Deo contingens ratione obiecti, in cuius existentiam conditionatam tendit: in quo cum scientiâ merè liberâ, aut etiam visionis conuenit. Quod est, eam esse mediam

diam inter vtramque. De quo videnda plura dicta loco citato.

Propositio 3.

424 Conditionatum contingens de conditione disparatà nunquam est conditionatè verum in suo signo antecedente status conditionati, nisi, quando in signo subsequente status absoluti absolutè etiam verum est.

Ita cum doctis Recentioribus docui in Phoro Scient. disput. 19. quæst. 3. num. 70. Ratio ibi adducta conspicua est. Quia nimirum eo ipso, quòd conditio nullatenus influit, conducitve, vt conditionatum sit, æquè est semper verum, illud fore, siue ponatur, siue non ponatur conditio, vt satis ex se est notum. Si enim nihil penitus conducente galli cantu ad Turcæ conuersionem, verum est, Turcam esse conuertendum, si gallus cantauerit; æquè erit id ipsum verum, etiam si gallus non cantauerit. Atque ita vniuersaliter quoties conditionatum est verum sub hypothesi conditionis disparatæ, pariter item verum est sub hypothesi contradictorij talis conditionis. Hinc autem manifestè consequitur, debere esse quoque illud absolutè verum. Quia ex vnà parte ex duabus conditionibus contradictorijs non potest non altera esse absolutè purificata, vt constat: siquidem ambo extrema contradictionis ab statu absoluto simul deesse, est impossibile iuxta notissimum principium in eadem Pharo stabilitum disput. 9 quæst. 5. propos. 1. Ex alia verò parte omne verum conditionatè, cuius conditio purificatur, etiam est absolutè verum iuxta aliud principium etiam notissimum in Pharo ipsà disput. 10. quæst. 5. propos. 4. statutum.

425 Dicet aliquis, firmum non videri fundamentum, quod in argumento nostro supponitur; nempe, quoties conditionatum est verum sub hypothesi conditionis disparatæ, pariter item esse verum sub hypothesi contradictorij talis conditionis. Nam, cùm in exemplo proposito æquè ponatur Turca liber ad conuersionem, & ad non conuersionem, seu cantet, seu non cantet gallus, vt se ad conuersionem determinaret, cantante gallo, posset se ad non conuersionem determinare, si gallus non cantaret. Quia, licèt galli cantus, aut eius negatio comitanter solùm, & prorsus disparatè se habeant in ordine ad conuersionem Turcæ, vel non conuersionem: attamen casus diuersos videntur nihilominùs constituere, ex quorum altero ad alterum non licèt arguere. Videtur enim non benè inferri. Turca, gallo cantante, conuertitur. Ergo etiam, non cantante, conuerteretur. Sicut non benè infertur. Turca peccat in instante A. Ergo etiam peccabit in instante B. Tametsi in vtroque instanti eàdem omnino principia habeat ad peccandum, & non peccandum.

426 Respondeo, fundamentum in argumento nostro suppositum satis firmum videri. Nam in ordine ad existentiam, vel non existentiam euentus per variationem conditionis, seu circunstantiæ omnino disparatæ, nihilque penitus conducentis ad talem existentiam, vel non existentiam reuerà non variatur casus. Vt enim talis circunstantia respectu talis existentiæ, vel non existentiæ perinde se habet, ac si non adesset, cùm adest; ita talis circunstantiæ variatio respectu talis existentiæ, vel non existentiæ perinde se habet, ac si non daretur, cùm datur. Quare; sicut, nullà omnino circunstantià variatà, existere, & non existere euentum, manifestè repugnat, vtpote quæ sunt extrema contradictoria; ita variatà solùm impertinente circunstantià, existere, & non existere euentum, repugnat pariter, vtpote quæ pariter sunt contradictoria extrema; posito, quòd solius circunstantiæ impertinentis variatio perinde ad rem se habet, ac si non esset. Concluditur ergo, si semel Turca est conuertendus, gallo cantante, æquè repugnare, eum non esse conuertendum, gallo non cantante, ac repugnat, esse eum, gallo cantante, conuertendum, & non conuertendum. Benè que inferri subinde. Turca, gallo cantante, conuertitur. Ergo etiam, non cantante, conuerteretur. Tametsi non benè inferatur, Turca peccat in instanti A. Ergo etiam peccabit in instanti B: eo quòd circunstantia instantis non est impertinens ad euentum, vt circunstantia cantus galli. Cùm enim causa physica, nisi in eodem instanti, in quo est, nequeat operari, vt est notum, duratio causæ in eodem instanti, in quo est ab ipsà causandus effectus, aut non causandus, intrinsecè requisita est ad potentiam proximam causæ respectu talis causationis vt vnum ex constitutiuis intrinsecis eius: qua proinde duratione variatà per transitum causæ ad aliud instans, non quidem disparata, sed valde conducens circunstantia, siue conditio variata manet. Vnde benè potest contingere, quòd causa operans in instanti A non sit operatura in instanti B, vel vice versâ: tametsi præter vnam causæ durationem cætera cuncta in vtroque instanti persistant inuariata.

Porro doctrina ista, vt etiam notaui dictà 427
disputat. 19. Phari Scient. quæst. 3. num. 71. non solùm habet locum in conditionibus disparatis, sed etiam suo modo in illatiuis nihil ad conditionatum conducentibus, qualis est scientia visionis, aut reuelatio, aut actus fidei de existentia creaturæ. Argumentum enim factum vniuersaliter probat, quoties conditio nihil ad conditionatum conducit, si illud est verum sub hypothesi conditionis, etiam esse verum sub hypothesi contradictorij conditionis; & consequenter absolutè. Posse autem conditionem esse illatiuam, vtpote cum conditionato connexam, & nihil ad illius *esse* conducere, in exemplis positis, alijsque eiusmodi palam est. Vnde manifestè consequitur, quoties conditionatum absolutè non est verum, sub hypothesi conditionis connexæ cum illo, & nihil conducentis ad illud, tum illud, tum eius contradictorium, atque adeò duo simul extrema contradictoria esse vera; qualiter vera esse solent sub hypothesi impossibili. In tali enim casu conditio posita in hypothesi impossibilis consequenter; siue ex suppositione est. Sic supposito, quòd hodie Petrus absolutè non est peccaturus, sub hypothesi quòd Deus reuelaret, Petrum hodie peccaturum esse, verum conditionatè est, peccaturum illum simul, & non peccaturum: peccaturum; quia reuelatio sine peccato stare non posset, vtpote connexa cum illo: & non peccaturum; quia ille sponte suâ non est peccaturus, & reuelatio posita non magis, quàm non posita, conferret ad tale peccatum, vt ponimus. Quam doctrinam valde notandam supra etiam quæst. 2. num. 18. tetigimus, & rursus quæst. 4. & 5. tradituri illam, explicaturi, & comprobaturi fusiùs

sius inferiùs disput.30. quæst. 5.

428 Statutâ iam generatim veritate contingentium conditionatorum de conditione disparatâ, restat, vt consentaneè ad id, quod præstitimus quæst.præceden.à num.381. circa veritatem contingentium conditionatorum de conditione causasali, speciatim determinemus, quibus in casibus illa dabilis sit. Ijs scilicet omnibus consideratis, in quibus vel conditio, vel conditionatum, vel ambo simul aut contingentia, aut necessaria, aut impossibilia sunt absolutè, omni factâ combinatione.

429 Et primùm, quantùm est ex parte conditionati, vnus dumtaxat casus possibilis est, nempe, quando conditionatum est absolutè contingens. Quando enim conditionatum est absolutè aut necessarium, aut impossibile, sub nullâ conditione disparatâ potest illud esse conditionatè verum veritate contingente, de qua hic tractamus. Quia, quod absolutè est necessarium, aut impossibile, sub nullâ conditione disparatâ potest euadere contingens, sed sub quauis remanet aut necessarium, aut impossibile etiam conditionatè: eo quòd quæuis conditio ad illud disparatè se habens de illius necessitate aut impossibilitate nihil immutat, vt ex se notum est. Quomodò autem sub conditione disparatâ conditionatum absolutè necessarium tres veritates conditionatas necessarias subire possit; nullam verò conditionatum absolutè impossibile superius quæst.5. diximus n. 95.sub finem.

430 Ex parte verò conditionis, suppositâ contingentia absolutâ conditionati, tres casus veniunt considerandi. Primus, quando conditio est absolutè contingens. Secundus, quando conditio est absolutè necessaria. Tertius, quando conditio est absolutè impossibilis. Et in primo quidem casu suppositâ resolutione præsentis quæstionis, certum est dari veritates conditionatas, de quibus agimus, vt in exemplis superiùs propositis, in cæterisque similibus cernitur. In secundo, etiam casu non minùs mihi certum est, eiusmodi veritates conditionatas dari. Quia nihil vetat, sub hypothesi conditionis, aliàs necessariæ absolutè, verum conditionatè esse quoduis contingens, respectu cuius illa disparatè se habeat, vt in his exemplis apparet. *Si Petrus fuerit rationalis, Turca loquetur, si chymæra non extiterit, Antichristus existet*, & in alijs similibus. Huiusmodi autem vtriusque casus veritates à Deo per scientiam mediam cognoici, ex proposit. 2. supra statutâ constat.

431 In tertiò verò casu aliqualis est difficultas, quandoquidem Ruiz disput.78. de Scientiâ supra citatâ sect.3.& alij docti Recentiores cum illo censent, conditionata contingentia de conditione disparatâ, & absolutè impossibili, non per scientiam mediam, sed per scientiam simplicis intelligentiæ cognosci à Deo. Imo ab hominibus etiam euidenter cognosci, vtpote quæ, si sint affirmatiua, omnia sunt falsa; si verò sint negatiua omnia sunt vera. Quasi propositiones eis respondentes de obiecto sint, vt aiunt, non supponente, quarum est proprium esse falsas, si sint affirmatiuæ, & veras, si sint negatiuæ, iuxta doctrinam communem à nobis latè expositam, & probatam in Pharo Scient.disput.2.quæst.4.consect.5.

432 Dicendum tamen omnino est, conditionata contingentia de conditione disparatâ, & absolutè impossibili tam affirmatiua, quàm negatiua sapissimè esse vera, à Deoque cognoscibilia per scientiam mediam: imo semper esse ea vera conditionatè per talemque subinde scientiam cognoscibilia à Deo, quando vera sunt absolutè, iuxta doctrinam stabilitam proposit.3. Cuius ratio conspicua est. Quia, quòd conditio disparata sit impossibilis, vel possibilis, nihil penitus interest ad hoc, vt sit verum conditionatè, coextituram illi, aut non coextituram loquutionem Petri sub hypothesi, quòd illa existeret. Siue ergo sit possibilis, siue impossibilis, sub hypothesi, quòd illa existeret, verum conditionatè erit coextituram illi loquutionem Petri, si aliàs Petrus est loquuturus, aut non coextituram, si Petrus aliàs loquuturus non est; vt satis superque constat ex dictis in totâ præsenti quæstione.

Dicunt, eo ipso, quòd chymæra non potest existere, nec posse loquutionem Petri illi coexistere; atque adeò semper esse falsum, talem loquutionem tali chymæræ coextituram. Sed malè. Nam quid refert, non posse chymæram existere absolutè, vt verum sit conditionatè, sub hypothesi, quod illa existeret, coextiturum illi reuerà, quidquid tunc verè existeret; tunc enim & ipsa chymæra existeret verè: cum vera sit hæc propositio in omni sententiâ, *Si chymæra existeret, existeret*. Itaque, datâ hypothesi impossibili, quòd existeret quæuis chymæra ad cætera, quæ tunc existerent, disparatè se habens, & ipsâ existeret reuerà, & cætera illi coexisterent, contingentia quidem contingenter, & necessaria necessariò. Vnde patet primò contra Aduersarios, contingentia hypotheticè coextitura tali chymæræ per scientiam mediam cognosci à Deo. Secundò, à nobis certè illa cognosci non posse, quoties certò non scimus, vtrùm illa sint extitura, vel secus, vti plerunque euenit. 433

Sed instabit aliquis. Ex hypothesi, quòd existeret quæuis chymæra, existeret ea simul, & non existeret. Ergo non est verum, loquutionem Petri, aliàs tunc extituram, tali chymæræ coextituram. Coexisteret enim tunc negationi chymæræ; quod ipsum est, non coexistere chymæræ. Respondeo, ex hypothesi, quòd existeret quæuis chymæra, extituram quidem eam simul, & non extituram; & consequenter loquutionem Petri, aliàs tunc extituram, coextituram etiam simul chymæræ, & negationi chymæræ; verumque proinde esse, loquutionem Petri sub tali hypothesi chymæræ coextituram; tametsi etiam sit simul verum, illius negationi coextituram. Ex quo patet, sub tali hypothesi coexistere loquutionem negationi chymæræ, idem non esse, ac non coexistere chymæræ: siquidem sub tali hypothesi, vt chymæra, & eius negatio verè simul existerent, ita loquutio, aliàs existens, chymæræ, & eius negationi verè simul coexisteret. Circa quod plura à nobis dicta contra Recentiores quosdam in Pharo Scient. disp.3.quæst.4.& disp.11.q.2. & 6.videnda sunt. 434

QVAESTIO IX.

Vtrùm Deus cognoscat sua decreta vt conditionatè futura. Et qua ratione.

NAuarrete controuer.56.§.5. Aluarez disput. 7. de Auxil. à num.12. & disput.13. ad 5. 435

Zumel tom.2.Variarum pag.142.& 154.& alij ex Thomistis negantibus scientiam mediam absolutè negant, cognoscere Deum sua decreta vt conditionatè futura, ante quam illa absolute existentia videat. Pro qua sententiâ refert solet Molinâ 1.par. quæst.14. artic.13. disput.17. & 18. Qui tamen, vt ipse se explicuit in noviori editione Antuerpiensi Concordiæ quæst.14. artic.13.disput.52 *S.Illud hoc loco*; cunctaxat negat, cognoscere Deum sua decreta vt conditionatè futura per scientiam mediam, & antecedentem omnem determinationem liberam suæ voluntatis actu, & absolutè existentem, vti cognoscit actus liberos voluntis creatæ: ratus, cognoscere illa per scientiam supponentem decretum, quo vniuersaliter deliberat, quæcunque ipse sub quauis hypothesi facturus esset. Cui sententiæ putat se adhærere Quiros, dum tom.1.de Deo disput.52.sect.6. nouissimè docet, nullam Deo abesse volitionem, quam in aliqua hypothesi habiturus foret; pro qua cognoscendâ subinde aliquâ indigeat scientiâ conditionatâ; licèt plures sint illi purè possibiles, quæ nunquam erunt nec absolutè, nec conditionatè, nempe contradictoriæ his, quas de facto habet. Decernere quippe ipsum cuncta, quæ decernit, per decreta actualia conditionata ex parte obiecti, quæ, purificata conditione, non solùm effectiuè, sed affectiuè transeunt in absoluta: atque ita benè cum hoc stare, vt nihil absolutè faciat, nisi per decretum absolutum. Quam doctrinam rursus habet, & latiùs probat disput.75. sect. 2. Communis tamen sententia Doctorum in Deo adstruentium scientiam mediam respectu actuum liberorum voluntatis creatæ, similem scientiam mediam adstruit in illo respectu actuum liberorum voluntatis ipsius prout futurorum sub conditione. Ita Soar. lib.2. de Scientiâ contingentium cap.8.& proleg.2.de Gratiâ cap.4.& 8. Fonseca lib.3. Metaph. cap.2. quæst.4. sect.10.Vazq. 1.par. disput.67. num.23.Arrub.disput.46.cap.9. Diotalleuius pag.226.& 247.Fasol.1.par quæst.14. art.13.num.260.& 450.Ruiz disput.77.de Scient. Vekenus disput.19.de Deo cap.8.Ribaden.disp.23. de Scientiâ cap.1.Carleton.disp.24 de Deo sect.9.& alij communiter.

436 Pro exactâ quæstionis resolutione suppono primò, cùm dicunt Auctores, Deum cognoscere sua decreta vt conditionate futura, impropriam esse, seu minùs propriam loquutionem. Non enim volunt significare, si talis, aut talis poneretur conditio habiturum Deum in tempore futuro decreta, quæ non habuisset ab æterno. Cùm certum apud omnes sit, Deum in tempore non posse aliquid decernere, quod ab æterno non decreuerit; vt videbimus in tract. de Volunt. sed ea decreta vocant sub conditione futura, quæ ab æterno, & semper forent in Deo, si talis, aut talis poneretur conditio: meliùs profectò seu propriùs loquuturi, si talia decreta vocarent, non sub conditione futura, sed sub conditione existentia, scilicet in omni tempore præterito, præsenti, & futuro. Re tamen semel incellectâ, vt omnibus morem geramus, cum omnibus etiam, & nos loquemur.

437 Secundò suppono, quod omnes communiter Theologi supponunt proculdubio contra singularem Quiros opinionem paulò ante relatam, fore videlicet in voluntate diuinâ multos actus liberos sub hypothesi, quòd ponerentur tales, aut tales conditiones, qui tamen non sunt: quia tales, aut tales conditiones non sunt ponendæ. Id quod adeò mihi videtur certum, vt qualiter oppositum sustineri possit, non videam. Et primùm, quot modo sunt in Deo decreta, totidem, quæ modò non sunt, conditionatè fore sub conditione illatiuâ, eaque proinde cognosci à Deo per scientiam conditionatam necessariam, prout conditionatè extitura sub tali conditione, manifestè ostendi videtur contra Quiros, supposita sententia communi, quam ipse tenet, & latè defendit disput.67. negante Deo puram omissionem liberam, atque adeò ponente ipsum necessitatum ad positiuè decernendum quoduis obiectum, vel negationem eius, siue ad habendum circa quoduis obiectum vel volitionem, vel oppositam nolitionem. Hac enim sententiâ supposità, euidens est, sub hypothesi, quòd Deus non haberet decreta, quæ absolute habet, habiturum ipsum opposita, quæ absolutè non habet, atque adeò illa conditionatè esse extitura sub tali conditione. Ex quo apertè conspicitur, quam male Quiros locis citatis docet, nullam Deo abesse volitionem, quam in aliqua hypothesi habiturus foret; oppositasque volitiones his, quas de facto habet, purè possibiles illi esse, non verò aut absolutè, aut conditionatè futuras.

Deinde, si deessent motiua decretorum, 438
quæ Deus de facto habet, decreta ipsa deessent, & Deus haberet actus oppositos, quos de facto non habet. Ergo tales actus conditionatè sunt futuri sub conditione defectus talium motiuorum. E.g. si Iudas non peccasset, Deus non haberet decretum, quod habet, eum puniendi, & haberet oppositum, quod non habet, eum non puniendi.

Dicet fortasse aliquis pro opinione Quiros, 439
circa punitionem Iudæ, & eius carentiam duo simul concepisse Deum decreta conditionata ex parte obiecti, quæ vt sic opposita non sunt, alterum de punitione sub conditione peccati, alterum de carentiâ punitionis sub conditione carentiæ peccati; ex quibus primum per purificationem suæ conditionis transiuisse in absolutum, secundum autem conditionatum permansisse; vtrumque tamen absolute existere in Deo: quinsit in tali casu, & consequenter in similibus vllus actus Dei, qui non existens absolutè foret sub conditione extiturus.

Sed contra primò; quia nullus est excogita- 440
bilis titulus, ob quem fuerit Deus necessitatus ad concipiendum simul illa duo decreta conditionata ex parte obiecti, alterum de punitione Iudæ sub conditione peccati, alterum de carentiâ punitionis sub conditione carentiæ peccati. Si autem Deus ad id necessitatus non fuit, potuit habere decretum de solâ punitione. Persistitque in toto suo robore argumentum à nobis factum, vt constat.

Contra secundò; quia si Deus titulo aliquo 441
ad habenda dicta duo conditionata decreta circa punitionem Iudæ, & eius carentiam necessitatus esset; eodem vtique necessitatus esset ad habenda similia circa duo quæque contradictoria extrema seorsim possibilia. Hinc autem fieret, vt necessariò haberet Deus infinities infinita decreta otiosa prorsus, & inutilia, atque adeò etiam irrationalia, penitusque imprudentia; quod ei planè repugnat. Deberet siquidem decreuisse efficaciter, vt nullæ existerent creaturæ earum, quas de facto produxit sub hypothesi, quòd deessent motiua, aut conditiones aliæ, quibus ad illas producendas inductus est: tum, vt existerent infinitæ creaturæ, quas reliquæ purè possibiles, sub

sub hypothesi, quòd deessent pariter motiua, aliæve conditiones, quibus est motus ad illas sic relinquendas. Tanta enim infinitudo decretorum efficacium, conditionaliumque ex parte obiecti ineo, qui clarè sciebat, nullam eorum conditionem absolutè ponendam esse, otiosa proculdubio, & inutilis, irrationabiliſque subinde esset, ac prorsus imprudens. Imo multa huiusmodi decretorum speciales alias dissonantias haberent. Quis enim non censeat speciatim dissonum decretum efficax, & absolutè existens Dei de æternâ damnatione Virginis Matris sub conditione, quòd in peccato graui decederet; quando ipsa tam longè distans à tali periculo videbatur? Quis non similiter censeat speciatim dissona alia huiusmodi decreta de similibus conditionibus moraliter impossibilibus? Et tamen conditionatè est verum, damnandam fore Virginem Matrem, si in graui peccato decederet: aliaque pariter sub talibus conditionibus conditionata fore: & consequenter fore tunc etiam decreta diuina de illis.

442 Contra tertiò; quia per opinionem istam Quiros præsentis quæstionis difficultas non subterfugitur: cùm adhuc restet determinandum, 438 an decreta etiam, quæ Deus habet in statu absoluto, in signo anteriore fuerint conditionatè vera, vt sicque per scientiam conditionatam à Deo ipso cognoscibilia: quemadmodùm actus liberi voluntatis creatæ etiam absolutè existentes antecedenter fuerunt conditionatè verè extituri, vt sicque à Deo cogniti per scientiam conditionatam iuxta sententiam omnium. De quibus omnibus 439 plura dicenda venient in Tract. de Volunt. Iam verò hanc Quiros opinionem longè ab opinione Molinæ abesse, ex huius contextu supra citato constat satis. Vbi non negat Molina, habiturum Deum multa decreta, quæ absolutè non habet, sub hypothesi, quòd ponerentur tales, aut tales conditiones; sed tantùm negat, cognosci illa à Deo ante decretum quasi reflexum, quod absolutè habet de illis, deque eorum obiectis prout conditionatè extituris. Stet itaque, iuxta communem Theologorum sententiam innumeros, imo infinitos actus liberos fore conditionatè in Deo sub hypothesi, quòd ponerentur tales, 440 aut tales conditiones; qui tamen absolutè nec sunt in illo, nec vnquam erunt; quia eiusmodi conditiones ponendæ non sunt absolutè; (quidquid singulariter in oppositum excogitauerit Quiros). De quibus inquirimus in præsenti, an, & quomodò cognoscantur à Deo prout conditionatè extituri.

443 Attamen non de illis solis est præsens quæstio, (sitque hæc suppositio tertia), sed insuper de ijs, quos absolutè Deus habet prout conditionatè extituris in signo anteriori 441 status conditionati ipsorum. Vniuersaliter enim, quidquid absolutè est verum, & cognoscibile in statu absoluto, priùs fuisse conditionatè verum, & cognoscibile in statu anteriori conditionato, apud omnes est in confesso, & ex vniuersali doctrinâ, sæpe in præcedentibus tactâ, de varijs statibus rerum traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 10. constat satis, superque. His positis sit.

Propositio 1.

Deus per scientiam conditionatam certissimam cognoscit sua decreta, quæ sub quauis omnino hypothesi haberet, aut habet. 444

Hæc propositio per ea Scripturæ loca potest primò probari, quibus prædicitur aliquid faciendum à Deo sub datâ aliquâ conditione. Quanquam enim multa huiuscemodi locorum per decretum absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti possint fortasse exponi, prout illa exponunt multi Thomistæ, & nonnulli etiam ex nostris; dicendo nimirum, videre quidem Deum conditionata prædicta conditionatè dependentia à suo decreto, non quod esset, si purificaretur conditio; sed quod iam absolutè est, tendens in illa conditionatè, per scientiamque absolutam cognoscitur. Atque ita per scientiam conditionatam talibus prædictionibus respondentem nullum suum decretum conditionatum ex parte actus Deum cognoscere. Verùmtamen hæc expositio imprimis non videtur quadrare posse ijs locis, in quibus sub conditione prædicitur pœna infligenda à Deo. Nam, vt omnium est Patrum, atque Theologorum sententia, de qua in Tract. de Prædestinat. Deus ante præuisa absolutè peccata hominum non decernit ea punire adhuc decreto ex parte obiecti conditionato. Quod certè eximiæ, quam habet erga homines, beneuolentiæ valdè consentaneum est. Dum ergo dicit Psal.88. *Si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint, visitabo in virga iniquitates eorum, &c.* & Ioan.13. *Si non lauero te, non habebis partem mecum*; & sæpe alibi similia; decretum vtique punitionis, non, quod iam habet, sed, quod haberet sub datâ hypothesi, cognoscit. Deinde prædicta expositio ijs locis conuenire non potest, in quibus, quod sub conditione reuelatur, atque adeò à Deo reuelante cognoscitur, non est effectus Dei ad extra, sed actus ipse, siue decretum voluntatis diuinæ. Qualia sunt Ieremiæ 18. *Si pœnitentiam egerit gens illa, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei*; & infra, *Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam, pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, vt facerem ei*. Pœnitentia quippe aliquem significat actum voluntatis diuinæ, sicut etiam dimissio; de qua dicitur Math.6. & Marc.11. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cælestis delicta vestra*. Imo & præparatio, de qua 1.Reg.13. *Quòd si non fecisses, iam nunc præparasset Dominus regnum tuum super Israel in sempiternum*. Præterea, etsi decreta absoluta ex parte actus, & conditionata ex parte obiecti sint possibilia Deo; (quod aliqui negant); de facto tamen non sunt ei sine aliqua vtilitate adscribenda: qualis profectò non inuenietur in decretis earum rerum, quas Deus à se faciendas prædicit. Quas subinde non à decreto, quod actu habet, sed à decreto, quod haberet, si poneretur conditio futuras præuidet. Demum ex argumentis factis supra quæst.7. propos.1. constat, multa prædicere Deum in Scripturâ, atque adeò præscire vt conditionatè futura à causis creatis; quin aliquod circa illa decretum habeat actu existens. Ergo, cùm illa sine aliquo Dei decreto

nequeant esse futura, nequit non ipse aliquod suum decretum concipere, quod absolutè non existat. Vel ergo iudicat illud per scientiam mediam vnà cum effectu conditionato conditionatè fore: & habemus intentum. Vel apprehendit in hypothesi: & sic per scientiam necessariam debet iudicare, fore illud conditionatè sub suimet hypothesi: & iterum intentum habemus.

445 Secundò simili argumentandi formà posset probari propositio ex multis testimonijs Patrum asserentium passim, Deum cognoscere, quid ipse faceret, atque adeò etiam quid decerneret, tali, vel tali hypothesi datà. Quod nominatim exprimunt, aut supponunt circa illam celebrem quæstionem. An Christus Dominus veniret in Mundum, si primus Homo non peccaret, &c. In quibus testimonijs citandis, vtpote obuijs, non est morandum. Ponderationes autem eorum similes præcedentibus sunt.

446 Tertiò probatur propositio eisdem omnibus rationibus, quibus probauimus in superioribus quæstionibus, cætera obiecta conditionata certissimè cognosci à Deo. Et primùm, quando conditio, sub cuius hypothesi est cognoscendum diuinum decretum, cum eo essentialiter est connexa, vt sæpe, saluà eius libertate, potest accidere, compertum debet esse apud omnes, etiam Thomistas, non posse non Deum tale decretum sub tali conditione per scientiam conditionatam cognoscere, vtpote quod in tali casu veritatem illatiuam habebit, qualem esse à Deo cognoscibilem per scientiam conditionatam, nemo est, qui neget; nec tutò negari potest, loquendo vniuersè. Has ergo, & similes veritates illatiuas in omnium sententiâ est fatendum cognosci à Deo, *Si ego crearem secundum Mundum, decretum haberem illum creandi. Si ego intuitiuè viderem decreta, quæ non habeo, illa haberem, Si decreuissem dare gloriam Reprobis in præmium, decreuissem quoque, vt cum effectu haberent meritum, Si haberem decretum saluandi Iudam, illud vtique haberem.* Vt hinc perspicias, qua cautelâ, & qua consequentiâ pauci illi Thomistæ, qui nostræ propositioni aduersantur, vniuersaliter negent, Deum cognoscere conditionatè sua decreta. Cùm tamen veritatem conditionatam agnoscant, & fateantur, vbicunque à conditione ad conditionatum est necessaria illatio.

447 Quando verò conditio, sub cuius hypothesi est cognoscendum decretum Dei, connexa cum illo non est; illudque proinde sub tali hypothesi, vtpote non illatiuà, omnimodis contingens manet, atque adeò contingenter, ac liberè oriundum à voluntate diuinà; tunc etiam cognosci illud à Deo nihilominùs per scientiam conditionatam certissimam; eisdem venit argumentis probandum, quibus tantumdem probauimus supra quæst. 6. de quouis alio contingente conditionato, contingenter pariter, ac liberè oriundo à quauis voluntate creatâ. Quoniam eadem est omnino ratio, quod ad rem attinet, de diuinis decretis, ac de cæteris conditionatis contingentibus. Cùm non minùs sit verum, & cognoscibile, habiturum Deum tale, aut tale decretum, si talis, aut talis poneretur conditio, quàm, habiturum hominem, aut Angelum talem, aut talem actum voluntatis, si talis quoque, vel talis conditio poneretur. Recolantur illa argumenta, quæ quisque vrgere poterit circa decreta Dei in speciali; quin opus sit, vt modò immoremur in eis repetendis.

Dixi autem in propositione, Deum conditionatè cognoscere decreta, *quæ haberet, aut habet*, vt denotarem, Deum non solùm cognoscere per scientiam conditionatam ea decreta, quæ absolutè non habet, haberet tamen, si aliqua poneretur conditio, sed etiam ea, quæ absolutè habet. Hæc namque etiam cognoscit conditionatè priùs, quàm cognoscat absolute, eo genere prioritatis, qua veritas conditionata præcedit absolutam, iuxta doctrinam statutam suppositione tertiâ num. 443. In hoc enim diuina decreta cum cæteris conditionatis conueniunt, quæ, purificatâ conditione, ab statu conditionato transeunt ad absolutum. Nec in illis, quod adhoc attinet, est specialis difficultas. 448

Sed objcit tamen Nauarrete controuer. 56. §. 5. contra propositionem primò. Scientia conditionata de diuinis decretis neque est vtilis ad ipsa decreta dirigenda, neque ad productionem creaturarum, neque ad aliud quidpiam. Ergo non est in Deo adstruenda. Respondeo primò, etsi ad nihil aliud esset vtilis, præterquàm ad cognoscendam veritatem conditionatam ipsorum decretorum, eo solùm titulo debere illam concedi Deo. Respondeo secundò, estò etiam talis scientia non sit vtilis ad dirigenda immediatè decreta, quæ habet pro obiecto; esse tamen vtilem ad prouidentiam aliorum obiectorum. E. g. ad prouidentiam, qua Deus creauit Adamum, multum conduxit, præscisse Deum; si creauero Adamum peccabit, & ego occasione talis peccati hæc, & illa decernam eximiæ meam gloriam exaltatura, &c. Similiter ad permittendum peccatum Iudæ potuit multum conducere, præscisse Deum, quæ bona ipse esset per sua decreta ex tali peccato capturus, &c. 449

Secundò objcit Nauarrete ex quo Gonzalez. Decretum primum absolutè existens in Deo est primus actus liber. Ergo ante illud non est possibilis alius actus liber. Sed talis esset scientia conditionata primi decreti. Ergo hæc non est possibilis. Respondeo, decretum primum absolutè existens in Deo esse primum actum liberum Dei libertate propriâ; libertate verò extrinsecè ab obiecto participatâ bene posse Deum habere actum liberum antecedentem primum decretum. Et talis est actus scientiæ conditionatæ, quem Deus habet de quouis suo decreto etiam existente absolutè in signo anteriori status ipsius conditionati. 450

Propositio 2.

Deus per scientiam mediam antecedentem omnem determinationem liberam suæ voluntatis absolutè existentem cognoscit ea sua decreta, quæ sub quauis hypothesi de conditione indifferente, atque adeò non illatiuà, haberet, aut habet. 451

Hæc propositio est contra Thomistas negantes scientiam mediam etiam circa actus contingentes creatos; insuperque contra Molinam illam adstruentem circa creatos, & negantem circa diuinos, vt vidimus num. 435. Tenent tamen illam communiter cæteri scientiæ mediæ Assertores. Dico autem in eâ, sicut in primâ, *quæ haberet,*

beret, aut habet, vt indicem, Deum per scientiam mediam cognoscere tum decreta, quæ absolutè non habet, haberet tamen, si talis, aut talis poneretur conditio, tum decreta, quæ absolutè habet; sed priùs tamen vera sunt, cognoscibliaque conditionatè, quàm sint talia absolutè.

452 Venit autem propositio probanda ijs ferme argumentis, quibus supra quæst. 7. propos. 1. probauimus, Deum independenter ab omni suo decreto absolutè existente, siue antecedenter ad illud, atque adeò per scientiam mediam cognoscere contingentia conditionata, subindeque actus sub conditione, & liberè oriundos ab omni creatâ voluntate. Quia, vt ex mox dicendis patebit, non est, cur sit conditionatè verum, atque ita cognoscibile ante omne decretum Dei absolutè existens, liberè voliturum voluntatem creatam, si talis ponatur conditio; & non sit pariter conditionatè verum, atque ita cogoscibile ante omne decretum Dei absolutè existens, liberè volituram voluntatem diuinam, si talis ponatur conditio. Necesse est igitur, vt argumenta, quæ probant primum, pariter comprobent secundum. Recognoscantur illa à Lectore, &, quod erit factu facillimum, ad propositum applicentur, ne nos actum agamus.

453 Vnum in præsenti materiâ contra Thomistas, & Molinam est speciale argumentum. Pro quo supono, quod ipsi, & omnes Theologi docent, loquendo de actibus liberis voluntatis creatæ, qui absolutè sunt extituri, nullum scilicet esse, qui non cognoscatur à Deo priùs per scientiam conditionatam prout extiturus conditionatè, quàm per scientiam absolutam prout extiturus absolutè: quia nullus est, qui non sit priùs conditionatè, quàm absolutè verus, & cognoscibilis. Sicut nullus est, qui non sit priùs possibilis, atque ita cognitus à Deo per scientiam simplicis intelligentiæ, quàm sit futurus, atque ita cognitus à Deo per scientiam visionis. Debent igitur dicti Auctores tantumdem docere, loquendo de actibus liberis voluntatis diuinæ, qui absolutè sunt existentes, neque id possunt consequenter negare, vt est manifestum. Hac communi, certaque doctrinâ suppositâ, sic arguo contra illos. Decretum illud reflexum, quod ipsi ponunt absolutè existens in Deo, tendensque in alia decreta, quæ sub quauis datâ hypothesi Deus haberet, vt hæc in illo tanquam in medio cognoscantur prout conditionatè extitura, vnum est ex decretis, quæ priùs sunt vera, cognoscibiliaque, atque adeò cognita à Deo conditionatè, quàm absolutè. Sed non cognoscitur illud prout conditionatè extiturum in alio prætio de se absolutè existente: quia hoc deberet itidem cognosci in alio; & hoc similiter in alio; progrederetur que in infinitum: quod est absurdum. Ergo cognoscitur in se ipso; atque adeò per scientiam mediam. Tantumdemque proinde de cæteris diuinis decretis prout conditionatè extituris veriet dicendum. Recognoscantur insuper, & ad propositum applicentur specialia argumenta, quibus eiusmodi decreta conditionata ex parte obiecti circa contingentia creata reiecimus loco citato.

454 Sed obijcit tamen Molina 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 17. & 18. & est præcipuum fundamentum sententiæ suæ, ex quo sumpserunt Verdu, & Gonzalez. Si Deus cognoceret conditionatè sua decreta ante omnem determinationem liberam suæ voluntatis actu, & absolutè existentem, talis scientia naturalis esset ex vna parte; ex aliâ verò omnino infallibilis. Ergo tolleret libertatem decretorum Dei. Probatur consequentia. Quia titulo infallibilitatis, existente in Deo tali scientiâ, non possent non existere quoque decreta, quæ haberet pro obiecto: & titulo naturalitatis necessariò illa inesset Deo. Quo nullus supereset locus contingentiæ, seu libertati decretorum.

Confirmatur primò. Existente tali scientiâ, 455
voluntas diuina neque in sensu composito potest omittere decretum; quia essentialiter illa cum ipso decreto connexa est, vtpote quod prorsus infalliibiliter repræsentat. Neque in sensu diuiso potest omittere; cùm nequeat facere, vt non existat scientia conueniens Deo naturaliter ante omne exercitium suæ libertatis. Ergo, existente tali scientiâ, nullam voluntas diuina potentiam habet ad omittendum decretum. Quod est, esse ad illud necessitatam.

Confirmatur secundò. Nequit esse indiffe- 456
rentia ad operandum, vel non operandum in voluntate, quando non supponitur indifferentia ex parte intellectus. Sed, si ponatur prædicta scientia ante omnem actum diuinæ voluntatis, non supponetur indifferentia ex parte intellectus: quia talis scientia non est indifferens ad existentiam, & non existentiam actuum diuinæ voluntatis. Ergo.

Confirmatur tertiò. Deus non potest abso- 457
lutè, & efficaciter velle, quod certò scit à se non obtinendum, vt constat; (quidquid sit de creaturâ). Ergo, si præscit, se tale, aut tale decretum habiturum, nequit absolutè, & efficaciter velle illud non habere; sicut nec è conuerso velle poterit, vt illud sit, si præscit, illud non futurum. Quod est necessitatum esse ad illud habendum, vel ad non habendum.

Respondeo ad argumentum; prædictam 458
scientiam esse quidem naturalem, atque adeò necessariam, quantùm est ex parte subiecti; ratione tamen obiecti esse contingentem, & liberam, atque adeò mediam, vtpote dependentem in sua existentiâ ab arbitrio diuinæ voluntatis, cuius est actus tale obiectum. Quo fit, vt libertati eius nihil nocere possit. Etenim, si diuina voluntas, suppositis meritis Petri, e. g. non decerneret illi gloriam, vt potuit, non præscitisset Deus, se decreturum Petro gloriam, si haberet merita. Quemadmodùm in sententiâ ipsius Molinæ, aliorumque scientiæ mediæ Assertorum circa actus creatos Deus non præscitisset, me tali cogitationi consensurum sub hypothesi, quòd illam haberem, si ego pro arbitrio meo non essem illi consensurus, vt liberè possem. Adde, estò scientia conditionata decreti omnino sit naturalis, & necessaria Deo; quales sunt actus commemorati num. 446. eam nihilominùs nihil nocere ipsius decreti libertati, quando purificatio conditionis ab eius libertate dependet. Quia scientia conditionata decreti non infert necessariò decretum, nisi vt coniuncta cum conditione purificatâ. Hoc autem coniunctum, vt libertatem tollat, ex nulla parte debet pendere in suâ existentiâ ab exercitio libertatis: imo proximè secundùm vtramque partem debet influere in actum, cuius libertatem sublaturum est, vt constabit ex principijs vniuersalibus de libertate à nobis tradendis infra disput. 30. Quod valde est animaduertendum pro ijs, quibus priori argumenti so-

lutione purant se sufficienter protegere libertatem decreti ab omni scientia conditionatà eius.

459 Hinc ad primam confirmationem respondeo; existente in Deo prædictà scientià, & purificatione conditionis, sub cuius hypothesi terminatur ad diuinum decretum, etsi Deus in sensu composito talis coniuncti tale decretum nequeat omittere; posse tamen in sensu diuiso, faciens, vel vt non præextiterit scientia ipsa, vel vt non præextiterit purificatio conditionis. Quemadmodùm ego modò possum non consentiendo tacere, vt non præextiterit scientia de meo consensu.

460 Ad secundam confirmationem respondeo; ad libertatem voluntatis requiri indifferentiam ex parte intellectus in ijs cognitionibus, per quas actus liber voluntatis regulandus est; non item in alijs, per quas non est regulandus. Harum enim determinatio libertati talis actus non obest; (præsertim quando supponunt vt obiectum actum ipsum vt liberum); quantumuis simul existant cum alijs, quibus ipse actus regulatur. Patet id in scientia infusa, qua Christus Dominus præuidebat actus suos liberos; & in scientia visionis absolutà, qua Deus videt sua decreta. Quæ, licèt determinatæ sint ad tales actus, seu connexæ cum illis, eorum libertatem non lædunt. Quoniam igitur diuina decreta ab aliâ scientiâ indifferente, non verò à scientia conditionatà sui regulantur; quantumuis hæc, purificatà conditione, ad talia decreta determinata sit, seu connexa cum illis; simulque existat in Deo cum aliâ scientiâ, eorum libertati non nocet: nocitura aliàs, si decreta ipsa per se dirigeret, & conditio purificata in ipsa quoque decreta proximè influeret, iuxta principia de libertate nuper commemorata, tradendaque disput. 30. Ex quo hìc etiam colligo; etsi scientia conditionata decreti per se immediatè ad ipsum dirigeret, siue in ipsum influeret, fore nihilominùs, vt libertas decreti prorsus maneret illæsa; dummodò conditio pariter immediatè in ipsum non influeret; quo casu hæc in suâ purificatione non posset non ab eius libertate pendere. Recognoscatur doctrina dictà disput. 30 tradendà quæst. 5.

461 Ad tertiam denique confirmationem respondeo pariter; Deum quidem, quod scit à se non obtinendum, non posse absolutè, & efficaciter velle, dirigente ad volitionem scientiâ, qua id scit, benè tamen dirigente aliâ, qua illud concipit à se consequibile. Vel aliter; Deum quidem, qua ratione scit aliquid à se non obtinendum, eadem non posse illud efficaciter velle; benè tamen aliâ ratione. Id est, si scit, non obtinendum ex defectu potentiæ antecedentis, ne antecedenter quidem poterit velle illud: si verò ex defectu potentiæ consequentis, consequenter nequibit velle; benè tamen antecedenter. Et quoniam scientia de existentiâ decreti, quæ ad eligendum eius contradictorium dirigere nequit, alteri scientiæ ad id valenti dirigere non aduersatur, vi huius, illa non obstante, poterit Deus velle efficaciter omittere tale decretum: quod si vellet, vt potest, nec decretum existeret, nec scientia de existentiâ eius. Tum per scientiam de existentiâ decreti solùm supponitur sublata potentia consequens ad volendum oppositum; non item potentia antecedens. Atque ita, licèt, tali scientia suppositâ, benè inferatur, Deum non posse velle efficaciter omissionem decreti consequenter, siue ex suppositione decreti, non benè infertur, non posse eam velle antecedenter, præscindendo ab ea suppositione. Quod satis est, vt, eâ scientiâ non obstante, plenè sit liber Deus ad decretum, & ad omissionem decreti. Et quidem hæc argumenti confirmatio, si quid probaret, probaret vtique, Deum scientiam visionis absolutam de suis decretis non habere, quod est contra fidem, vtpote ex cuius suppositione, siue in cuius sensu composito iam non habet Deus potestatem ad omittenda ea decreta, quæ per talem scientiam videt se habere. Cæterùm, quia hæc impotentia consequens est, libertatem antecedentem relinquit in Deo tum ad omittenda talia decreta, tum ad impediendam talem scientiam mediâ tali omissione. De quo plura dicenda venient in Tract. de Prouidentiâ.

462 Secundò obijcit Molina; quod est alterum fundamentum suæ sententiæ. Conditionata contingentia, qualia sunt diuina decreta, non sunt in se cognoscibilia; sed tantùm vel in suâ causâ; idque non vi connexionis, quam causa cum illis non habet; sed vi supercomprehensionis ipsius causæ; vel in aliquo diuino decreto prætio de illis. At Deus suam voluntatem supercomprehendere nequit; quia supercomprehensio supra rem comprehensam infinitum excessum debet habere. Ergo Deus sua decreta vt conditionatè existentia nequit in suâ voluntate tanquam in eorum causâ cognoscere. Restat igitur vt eà cognoscat in aliquo suo decreto, reflexoque de illis. Hoc argumentum tum in maiori, tum in minori peccat. In maiori quidem. Quia satis, superque ostensum est in superioribus quæstionibus, conditionata contingentia in se ipsis esse cognoscibilia à Deo ratione determinatæ veritatis, quam in se habent. Vnde Deus non eget ad illa cognoscenda supercomprehensione causæ. In minori verò. Quia, licet egeret illâ, benè posset Deus in suâ voluntate supercomprehensâ, siue perfectè comprehensâ cognoscere sua decreta. Ad huiusmodi enim supercomprehensionem, siue perfectam comprehensionem, vi cuius in voluntate cognoscantur actus liberi eius, non est cur requiratur excessus aliquis entitatiuus, nedum infinitus, inter supercomprehensionem, siue perfectam comprehensionem, & rem comprehensam; vt constat ex doctrinâ tradità à nobis supra disput. 2. quæst 2. propos. 1. & disput. 27. quæst. 8. propos. 3. Iam verò cætera, quæ contra nostram propositionem obijci possunt, præsertim à Thomistis, aut sunt communia cum illis, quæ scientiam mediam impugnant in vniuersùm; & iam supra quæst. 7. satis diluta manent; aut facilè ex dictis tum ibi, tum in præsenti ab vnoquoque dilui possunt.

Propositio 3.

463 Etiam sub conditionibus disparatis cognoscit Deus per scientiam mediam sua decreta prout conditionatè futura.

Ex dictis, sæpeque repetitis in præcedentibus quæstionibus constat, conditiones, sub quibus conditionata vera, & cognoscibilia esse possunt, alias esse illatiuas solùm, alias causales solùm, alias illatiuas, & causales simul, alias disparatas, vtpote neque illatiuas, neque causales vllo modo. Igitur, cognoscere Deum sua decreta,

creta prout conditionatè extitura, siue existentia sub conditionibus illatiuis, (siue illæ sint illatiuæ solùm, siue simul illatiuæ, & causales), ex dictis obiter in hac quæstione proposit. 1. & ex doctrinâ generali tradita supra quæst. 5. constat; à nemineque negari potest. Nam decreta Dei prout conditionatè existentia sub conditionibus illatiuis habent veritates conditionatas necessarias, de quibus certum est apud omnes, per scientiam conditionatam necessariam cognosci à Deo. Cognoscere item Deum sua decreta prout conditionatè extitura, siue existentia sub conditionibus solùm causalibus, indifferentibus scilicet, & influentibus in illa, & consequenter per scientiam mediam, assumptum fuit propositionis secundæ. Restant igitur conditiones disparatæ, indifferentes videlicet respectu conditionatorum nec vllo modo in illa influentes, sub quibus etiam prout conditionatè existentia cognoscere Deum decreta sua per scientiam mediam, præsentis propositionis assumptum est.

464 Cuius probatio ex doctrinâ generali datâ quæstione 8. nullo negotio sumenda venit. Posito enim, quòd contingentia conditionata de conditione disparatâ vera, & cognoscibilia, atque adeò cognita à Deo sint, idque per scientiam mediam, prout ostendimus in eâ quæst. manifestè consequitur, decreta diuina sub conditione disparatâ vera, & cognoscibilia, cognitaque à Deo esse per scientiam mediam, vtpote quæ vt sic specialia quædam contingentia conditionata sunt de conditione disparatâ, quibus doctrina generalis tradita ibi nequit non conuenire. Quocirca in illâ eis applicandâ non est, cur in præsenti moremur. Id solùm aduertimus iuxta dicta propos. 3. Deum ea tantùm decreta, quæ absolutè habet, cognoscere conditionatè sub conditione disparatâ, non verò item alia, quæ absolutè non habet, tametsi conditionatè sit verum, fore, vt haberet illa, si poneretur alia conditio vel illatiua, vel causalis.

465 Restabat, vt recenseremus hìc casus omnes, in quibus decreta diuina conditionatè vera esse possunt aut necessaria, aut contingente veritate. Sed neque in hoc immorari necesse est. Cùm ex doctrinis vniuersalibus ad propositum in præcedentibus traditis de obiectis conditionatis in genere facilè cuique constare possit, quibus in casibus decreta diuina prout conditionatè extitura, quæ vt sic specialia quædam obiecta conditionata sunt, veritatem conditionatam aut necessariam, aut contingentem habere possint. Recognoscantur ergo a Lectore, & huc applicentur doctrinæ generales superiùs traditæ, de veritatibus quidem conditionatis conditionatè necessarijs, ijsque tum illatiuis, tum causalibus, tum mixtis, tum purè coniunctiuis quæst. 5. à num. 89. De veritatibus autem conditionatis conditionatè contingentibus, & causalibus quæst. 7. à num. 381. Et de veritatibus conditionatis conditionatè contingentibus, purèque coniunctiuis quæst. 8. à num. 428.

466 Supererat hìc examinandum. An Deus cognoscat obiecta vaga, seu disiunctiua. Et qua ratione. Circa quam quæstionem multa profectò scitu digna à nobis in præsentiarùm scribenda forent, nisi iam illa scripsissemus in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 2. agentes de statu rerum vago, seu disiunctiuo, atque adeò de veritatibus obiectiuis vagis, seu disiunctiuis ad talem statum pertinentibus. Quia tamen ex vna parte certissimum iuxta, atque euidentissimum est, constansque ex hactenus dictis in præsenti Tractatu, omnes veritates obiectiuas per eos actus scientiæ in suo genere perfectissimos cognosci à Deo, per quos illæ sicuti sunt in se, atque adeò per proprias species, vt aiunt, sunt cognoscibiles. Ex aliâ verò parte in eâ quæst. Phari Scient. citata latè explicauimus, & ostendimus, quot sint veritatum disiunctiuarum genera, & quænam earum, sicuti sunt in se, atque adeò per proprias species sint cognoscibiles, perque quos actus scientiæ; quænam vero prout disiunctiuæ tantùm cognoscibiles sint per species alienas; eo quòd in se, & reipsâ tales non sunt, vt concipiuntur. Idcirco in præsenti necesse non est, quidpiam adijcere. Vnusquisque enim legens quæstionem illam facilè ex ibi scriptis colliget, quænam veritates disiunctiuæ, perque quos actus scientiæ cognoscantur à Deo; & quænam ab ipso cognosci queant quatenus disiunctiuæ.

DISPVTATIO 29.

De Ideis diuinis.

MAteria huius disputationis materiæ cæterarum huius Tractatus de Scientiâ Dei annexa est. Propterea eam illis adijcimus veluti ipsarum appendicem.

QVAESTIO I.

Quidnam idea sit. Et an in Deo sint Ideæ.

IDea Græcis idem est, quod Latinis *Forma* iuxta August. lib. 83. quæstion. quæst. 46. non quidem qualiscunque, sed prototypi, siue exemplaris, *In quod respiciens artifex operatur*; vt ait Aristot. lib. 1. Metaph. cap. 7. Deriuatur enim *Idea* à Verbo græco *Ideo*, quod latinè est *inspicio*. Vnde idea, & exemplar, ad cuius instar aliquid fieri dicitur, pro eodem communiter vsurpantur. Perhibetur autem, teste August. loco citato, Plato primus fuisse, qui nomine *Idea* vsus est; licèt primus non fuerit, qui disputauerit de re significatâ per illud. Nam, vt scribit Eusebius lib. 11. de Præparat. Euangel. cap. 1. Socrates primus de Ideis disseruit, à quo Plato accepit. Aut potiùs, vt testatur Iustinus in Orat. parænet. ad Gent. accepit à Moyse. Cùm Dominus dixit Exodi 25. *Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Oportet tamen obseruare, quamquam exemplar duplex distingui soleat; aliud externum, vt est imago, vel scriptura oculis obiecta, quæ imitanda proponitur; aliud internum, quod animo, seu mente formatur, ideam tamen pro solo interno exemplari solere communiter vsurpari. Vnde Clemens Alexandrinus lib. 4. Stromat. sub finem absolutè dixit, *Mentem esse locum idearum*. 1

Hac igitur suppositâ *Idea* acceptione constans non solùm Patrum, & Theologorum, sed etiam Philosophorum sententia ideas creaturarum 2

ponit

posit in mente diuinâ. Ita Plato in Timæo, vt affirmat Augustin. lib. 12. de Ciuitate Dei cap. 26. Quocirca, inquit Vazq. 1. par. disput. 71. cap. 1. aut Aristot. Platonem non intellexit, aut ipsi malignè interpretatus est, vt liberiùs impugnaret, asserens posuisse ideas vniuersales quasdam naturas separatas, & per se subsistentes, quarum participatione singularia producerentur. A qua doctrina tanquam ab impositione Aristotelis vindicat etiam Platonem Scot. in 1. distinct. 35. quæst. vnica §. *Istud videtur*, & in 4. distinct. 50. quæst. 3. §. *Respondeo*, dicit, *Augustinum loquutum de ideis, sicut Plato loquebatur, Platonem autem posuisse eas in mente diuinâ*. Vnde Augustin. lib. 1. Retract. cap. 3. ait, Mundum intelligibilem, quem posuit Plato, esse rationem sempiternam, atque incommutabilem, qua fecit Deus sensibilem Mundum. *Quam*, inquit, *qui negat esse, sequitur, vt dicat, Deum irrationabiliter fecisse, quæ fecit*. Stat item pro Platone Seneca Epistolâ 65. egregiè exponens doctrinam eius. Ibi enim, post cæteras quatuor causas enumeratas ita prosequitur. *His quintam Plato dicit exemplar, quam ipse ideam vocat. Hoc est enim, ad quod respiciens artifex id, quod destinabat, efficit. Nihil autem ad rem pertinet, vtrum foris habeat exemplar, ad quod referat oculos, an intus, quod sibi ipse concepit & posuit. Hæc exemplaria rerum omnium Deus intra se habet, numerosque vniuersorum, quæ agenda sunt, & modos mente complexus est, plenus his figuris est, quas Plato ideas appellat immortales, immutabiles, infatigabiles. Itaque homines quidem pereunt, ipsa autem humanitas, ad quam homo effingitur, permanet, & hominibus laborantibus, intereuntibus, illa nihil patitur*. Hæc Seneca.

3 Addit Augustin. quæst. 46. citatâ, verisimile non esse, quòd sapientes, qui ante Platonem extiterunt, eiusmodi ideas non intellexerint, aut eas ignorauerint, *Siquidem*, inquit, *tanta in eis vis constituitur, vt nisi his intellectis, sapiens esse nemo possit*. Meminit præterea Augustin. earum lib. 14. de Ciuit. cap. 25. lib. 5. de Genesi ad litter. cap. 13. & 14. lib. 65. quæstion. quæst. 26. Epist. 115. ad Nebridium, & Tract. 1. in Ioan. ad illud, *Quod factum est, in ipso vita erat*, ita exponens, vt sensus sit, quidquid Deus fecit in tempore, in mente ipsius per sui ideam vitam ab æterno habuisse, siue vitali modò extitisse. Quam expositionem sequuntur Beda, Rupertus, S. Tho. & alij; sed probabiliter tantùm. Nam ille locus aliis modis legitur, & exponitur, etiam probabiliter. Tam certum autem censet Augustin. ideas, quas *rerum creandarum, creatarumve rationes* appellat, in diuinâ mente contineri, quàm certùm est, Deum non irrationabiliter Mundum hunc, & omnia contenta in eo creasse. Id quod pulchrè cecinit Boet. lib. 3. de Consol. metr. 9. dicens.

Tu cuncta superno
Ducis ab exemplo pulchrum pulcherrimus ipse
Mundum mente gerens.

Posuerunt item ideas in mente diuinâ Dionysius cap. 5. de Diuin. nomin. Iustin. & Clemen. Alexand. vbi supra, Didim. apud Euseb. lib. 11. de Præparat. Euangel. cap. 11. S. Tho 1. par. quæst. 15. sæpeque alibi; scribensque super illud ad Hebr. 11. *Fide intelligimus aptata esse sæcula Verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent*. Ita exponit, *vt ex rationibus idealibus in Verbo Dei omnis creatura fieret*. Cui expositioni consonat Anselm. ibidem dicens. *Ex inuisibilibus facta sunt visibilia, id est, ex intellectuali Mundo visibilis. Inuisibilis enim Mundus in sapientiâ Dei erat, & ad illius imitationem factus est iste visibilis*. Eo nimirum loquendi modo, quo Aristot. lib. 7. Metaph. text. 22. dixit, *Sanitatem, quæ est in materiâ, esse à sanitate, quæ est in animâ Medici*. Quo etiam pacto loquitur lib 12. text. 24. Stat itaque certum apud Philosophos, Patres, & Scholasticos, diuinas existere ideas; easque quales describit Augustin. lib. 83. quæstion. quæst. 46. iam citatâ dicens, *Sunt namque ideæ principales formæ quædam, vel rationes rerum stabiles, atque incommutabiles, quæ ipsæ formatæ non sunt, ac per hoc æternæ, ac semper eodem modo se se habentes, quæ in diuinâ intelligentiâ continentur. Et, cùm ipsæ neque oriantur, neque intereant, secundùm eas tamen formari dicitur omne, quod oritur, & interit potest, & omne, quod oritur, & interit*. In quo verò consistant istæ diuinæ ideæ, non ita certum, sed sub controuersiâ inter Scholasticos est. Pro quo sit.

QVAESTIO II.

In quonam consistant ideæ diuinæ.

4 IN hoc omnes conſentiunt, ideas diuinas non esse quidpiam extra Deum positum, ad quod ipse respiciens operetur, qua ratione artifex creatus sæpe operatur respiciens ad exemplar externum, vt ipsum imitetur opere suo. Sed esse aliquid omnino positum intra Deum, suamque sedem habens in mente diuinâ. Id quod sibi vult Augustin. lib. 83. quæstion. quæst. 46. dum ait, *Has autem rationes vbi arbitrandum est esse, nisi in ipsâ mente Creatoris? Non enim extra se quisquam positum intuebatur, vt secundùm id constitueret, quod constituebat: nam, hoc opinari, sacrilegum est*. Cæterùm, quia in mente artificis secundùm artem operaturi duo sunt ab ipsâ mente concepta, obiectum scilicet, quod sibi proponit imitandum, exprimendumve per opus externum, quod molitur, & cognitio, qua illud sibi proponit: ex quibus secundum dicitur conceptus formalis; existensque est in ipsâ mente, à qua concipitur, existentiâ physicâ: primum autem dicitur conceptus obiectiuus; existensque est quatenus talis in ipsâ mente, à qua concipitur, existentiâ dumtaxat intentionali, siue obiectiuâ. Tota difficultas huius quæstionis stat in determinando, an idea existens in mente Dei veluti Artificis supremi omnium rerum creatarum, & creabilium consistat in conceptu obiectiuo per ipsarum creationem imitando, siue exprimendo, vel in conceptu formali eius, vel in vtroque. Quòd si in obiectiuo; an istud cum ipsâ essentia Dei, vel potiùs cum creaturis ipsis sit identificatum realiter; & qua ratione.

5 Prima sententia ideas diuinas creaturarum in ipsis creaturis prout obiectiuè existentibus in mente Dei secundùm suum *esse* possibile consistere, docet. Ita Scot. in 1. distinct. 35. quæst. vnic. Ocham. ibid. quæst. 5. Gabriel. quæst. 5. artic. 2. Durand. distinct. 36. quæst. 3. Arriag. 1. par. disp. 23. sect. 4. & alij.

6 Secunda sententia longè communior ideas diuinas

uinas creaturarum in ipsâ essentiâ Dei prout aliquo modo relatâ, seu comparatâ ad creaturas consistere dicit. Quod tamen variè à varijs exponitur. Alij enim ponunt rationem ideæ creaturarum in essentiâ diuinâ, in quantùm hæc quædam similitudo est illarum ab eis imitabilis. Sic S.Tho.1.par.quæst.15. artic.1. & 2. Et Thomistæ communiter. Quorum multi similitudinem physicam intelligunt, quam creaturæ censentur habere cum essentiâ diuinâ titulo continentiæ eminentialis, qua secundùm totam suam perfectionem continentur in illâ. Alij rationem ideæ creaturarum ponunt in essentiâ diuinâ, in quantùm eare ipsâ est illarum cognitio, atque adeò similitudo expressa non physica, sed intentionalis. Ita Soar.disput.25. Metaph.sect.1.& lib.3. de Attrib. cap.5.Vazq.1.par.disput.72.cap.2. Tann.disput.2. quæst.9.dubit.1.Gran.tract.7. de Scient. disput.1. Martinon disput.12.de Scient.sect.4. & alij. Quæ quidem sententia scientiæ diuinæ de creaturis ab essentiâ Dei indistinctæ tanquam exemplari obiectiuo aliquo modo reflexè cognito, vt sicque à creaturis imitabili rationem ideæ attribuit: non verò tanquam meræ propositioni alterius obiectiui exemplaris. Alij denique rationem ideæ creaturarum ponunt in essentiâ diuinâ, quatenus eaobiectum infinitum est ducens in cognitionem omnium factibilium à Deo, eoque modo repræsentans, seu faciens per cognitionem ipsam repræsentari creaturas intellectui diuino. Ita Smising. tract.3.de De vno disput.2.quæst.7.& Quiros cum alijs tom.1. de Deo in comment. quæst. S. Tho. quæst.15.artic.1.num.8. Et sanè diuinas ideas in ipsâ essentiâ, siue entitate Dei aliquo modo sumptâ ponendas esse, concors Sanctorum Patrumsententia est, vt testantur, multisque adductis testimonijs comprobant Ruiz disput.82.de Scient. sect.2. & Petauius lib.4. Theolog. dogm. cap.10. & 11.

7 Tertia sententia, ideas diuinas ex conceptibus formalibus simul, & obiectiuis in menteDei existentibus coalescere, censet, ex intellectionibus scilicet, quibus Deus cognoscit creaturas à se factibiles prout tales, & ex creaturis ipsis prout obiectiuè existentibus in mente diuinâ medijs eiusmodi intellectionibus. Ita Vekenus tom.de Deo disput.20. de Scient. cap.3. Carleton tom.1. Theolog. disput.25. sect.2. Ouiedo controuer.11. Physic.punct.3.Lynce lib 4.Physic.tract.11.cap.2. & alij. Qui, quatenus in intellectionibus, quas Deus à se realiter indistinctas habet de creaturis possibilibus, rationem ideæ ponunt, cum Auctoribus secundæ sententiæ prout illam ponentibus in essentiâ Dei, censent, se conuenire: cumAuctoribus autem primæ, quatenus insuper ponunt illam in obiectis talium intellectionum: sicque omnes omnium sententias quadamtenus conciliare. Ponunt autem hi Auctores rationem ideæ in intellectionibus diuinis de creaturis factibilibus, non, vt in exemplari obiectiuo, vti ponebant Soar. Vazq. & alij relati num. 6. pro secundo modo dicendi, sed, vt in exemplari formali, cuius munus dumtaxat est menti proponere obiectiuum; putantes, ex vtroque componendum venire exemplar integrum, & totale. Quid autem in hac controuersiâ ego dicendum censeam, sequentibus propositionibus exhibeo.

Propositio 1.

8 Cùm Deus efficit creaturam, cognitio diuina de creaturâ prout factibili, & ipsa creatura ad talem effectionem concurrunt mouendo, seu inducendo, seu dirigendo ad illam, vnaquæque suo modo; cognitio quidem per *esse* physicum, creatura autem per *esse* intentionale, siue obiectiuum, quod habent in mente diuinâ. Nihil autem est, quod vetet asserere, concursum creaturæ in sui effectionem causæ exemplaris concursum esse. Vtrùm autem concursus cognitionis etiam causæ exemplaris, vel conditionis causandi dicendus sit, quæstio est fermè de modo loquendi.

Prima pars huius propositionis certa est apud omnes. Quia nemo negat, neque negare potest, Deum per cognitionem, quam habet de creaturis prout possibilibus, atque adeò prout à se factibilibus, dirigi, induci, mouerique ad eas efficaciter decernendas, atque adeò efficiendas; ipsamque proinde cognitionem in earumeffectionem influere. Nemo similiter negat, neque negare potest, eiusmodi influxum cognitionis principaliùs deriuari ab eius obiecto; atque itaobiectum cognitionis esse, quod principaliùs, suotamen modo, & media cognitione sui dirigit, inducit, & mouet ad sui effectionem, sicque ineam influit. Quandoquidem Deus impulsus, attractusque à bonitate, quam cognoscit increaturâ, ad illam volendam efficaciter, & consequenter efficiendam se se determinat. Quod ipsum est, creaturam à bonitate suâ indistinctampersui cognitionem mouere Deum ad sui effectionem, sicque in illam influere. Stat itaque certum, cùm Deus efficit creaturam, cognitionem diuinam de creaturâ prout factibili, & ipsam creaturam ad talem effectionem concurrere, siue in eam influere. Quæ est prima pars propositionis.

9 Ex quo probanda venit secunda. Quia, quemadmodùm bonitas creaturæ prout cognitaà Deo, atque adeò per *esse* obiectiuum, quodhabet in mente diuinâ, concurrit ad sui effectionem, atque adeò ad *esse* existentiale, quod postea habet à parte rei concursu proprio causæ finalis. Ita forma, siue structura creaturæ prout cognitaà Deo, atque adeò per *esse* obiectiuum, quodhabet in mente diuinâ, potest concurrere ad sui effectionem, atque adeò ad *esse* existentiale, quod postea habet à parte rei, concursu proprio causæ exemplaris. Quia, sicut facere rem taliter bonam; quâ propter talem bonitatem præintenta est, indicat causalitatem causæ finalis. Itafacere rem taliter formatam, vel structam, quiacum tali formâ, vel structurâ est præconcepta, causalitatem indicat causæ exemplaris. Quòd si creaturis secundùm *esse* obiectiuum, quod habentin mente diuinâ, ratio, seu quiditas causæ exemplaris conuenire potest, de factoque subindeconuenire censenda est respectiuè ad *esse* existentiale, quod accipiunt à parte rei, quando àDeo efficiuntur; eodem pacto ratio, seu quiditasideæ venit eis adscribenda: quia idea, & causa exem-

exemplaris in idem recidunt, vt constat ex dictis quæst. 1.

10 Id quod confirmatur primò ex ipsâ etymologiâ ideæ, quæ formam exemplarem sonat iuxta dicta ibidem. Munus autem formæ exemplaris potiùs obiecto cognito conuenit, quàm cognitioni. Secundò confirmatur testimonijs recitatis quæst. 1. Senecæ referentis sententiam Platonis, & S. Anselmi exponentis locum Pauli ad Hebr. 11. A quibus ideæ diuinæ clarè ponuntur non in actibus scientiæ Dei de creaturis, sed in eorum obiectis. Quibus videtur consentire August. dum loco relato ibidem ait, ideas in diuinâ intelligentiâ contineri: siquidem, quod continetur in intelligentiâ, non ipsa intelligentia est, sed eius obiectum.

11 Sed contra hanc propositionis partem objicitur primò ex Soar. disput. 25. Metaph. sect. 1. supra citatâ num. 21. Idem non potest esse causa sui ipsius, sed idea diuina est causa exemplaris creaturæ. Ergo idea diuina non potest esse idem cum creaturâ prout obiectiuè existente in mente diuinâ. Distinguo maiorem. Idem secundùm *esse* physicum non potest esse causa physica sui ipsius quoad idem *esse* physicum; concedo maiorem. Idem secundùm *esse* intentionale non potest esse causa intentionalis sui ipsius quoad *esse* physicum; nego maiorem. Et concessa minore. Nego consequentiam. Vide id in fine; qui secundùm *esse* intentionale, quod habet in mente illum cognoscentis, & prætendentis, causa intentionalis est sui quoad *esse* physicum iuxta sententiam omnium. Nec potest ad rem dari idonea disparatas inter causam exemplarem, & causam finalem, vt tandem animaduertit ipse Soar. postquàm æperat illam dare ibidem num. 22.

12 Secundò obijcitur ex Vazq. 1. par. disput. 71. cap. 2. Causa exemplaris est illa, ad cuius instar, ad cuiusve similitudinem effectus fit. Ergo de ratione causæ exemplaris est distingui ab effectu, quem causat: quia nihil dici potest fieri ad instar sui, aut ad similitudinem sui. Atqui obiectum scientiæ, quam Deus habet de creaturâ, ipsissima creatura est: cognoscit enim illam clarissimè, sicuti est in se, illaque proinde idem omnino est obiectiuè in scientiâ diuinâ, quod est re ipsâ in se. Ergo obiectum scientiæ, quam Deus habet de creaturâ, causa exemplaris ipsius creaturæ esse non potest, atque adeò nec idea eius.

13 Hoc argumento ductus Vazq singulariter in re præsenti aliter de Deo, & aliter de creato artifice philosophatur, attribuens quiditatem, & munùs causæ exemplaris in mente quidem artificis creati conceptui obiectiuo; in mente verò Dei conceptui formali. Eo videlicet, quòd artifex creatus, vt ipse supponit, nunquam præconcipit eamdem rem artificiosam, quam intendit efficere, sed aliam sibi effingit adsimilem illi, ad cuius normam illam facit. Quo locus supereſt, vt conceptus obiectiuus eius, ad quem solùm, non ad formalem, respiciens operatur, vtpote distinctus à re faciendâ, ipsius possit esse, de factoque fit causa exemplaris. At verò in Deo supremo artifice, qua conceptus obiectiuus, quem format de creaturâ titulo identitatis cum illâ non potest esse exemplar eius, aliud est quærendum, quod tale sit: nihil autem aptiùs quàm essentia diuina, prout est cognitio, atque adeò repræsentatio creaturæ; quo titulo à creaturâ imitabilis est; ac proinde cognita à Deo ipsum inducit, siue dirigit, vt, ad similitudinem sui creaturam efformet.

Multa tamen in hac Vazq. doctrinâ mihi non placent. Censeo enim primo cum cæteris Theologis, non aliter impræsentiarùm de artifice increato, quàm de creato, philosophandum esse. Quia non est, cur causa exemplaris in increato sit alterius rationis, alteriusve essentiæ, quàm in creato; tamque diuersæ, vt in increato consistat in ipsius cognitione prout cognitâ simili rei efficiendæ similitudine dumtaxat intentionali, quæ minùs propria, ad remque inepta videtur esse iuxta postea dicenda; in creato verò consistat in obiecto eius prout cognito simili rei efficiendæ similitudine physicâ, quæ magis propria, & ad propositum citra omne dictum apta est. 14

Secundò censeo, falsum esse, quòd artifex creatus nunquam præconcipiat eamdem rem artificiosam, quam intendit efficere, sed aliam ei adsimilem. Nam, si sermo sit de artifice creato cognoscente per species alienas, vti nos homines pro statu præsenti concipimus cuncta obiecta insensata; estò sit verum, conceptum ab illo formatum de re efficiendâ distinctum, diuersumque ab ipsâ re esse, vtpote formatum medio phantasmate sensibili subrogato pro illâ iuxta doctrinam latè à nobis expositam in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. falsum tamen est, illum sub tali substituto conceptu non cognoscere rem eamdem, quam intendit efficere, sed aliam; quia pro eadem re à se efficiendâ, non pro aliâ, subrogat intellectus eius tale phantasma, eo quòd eadem ipsa est, & non alia, quam medio tali substituto cognoscere intendit. Quemadmodùm, quando credimus Angelum Gabrielem Beatissimam Mariam Virginem salutasse, ipsummet Gabrielem, non alium Angelum concipimus, atque cognoscimus; tametsi illum sub phantasmate substituto cuiusdam pulcherrimi iuuenis concipiamus. Recognosce totam doctrinam datam loco citato. Iam verò, si sermo sit de artifice creato cognoscente per species proprias, vti Angeli, & Beati cognoscunt pleraque eorum, quæ cognoscunt, tenendum procul dubio est, illum eamdem rem artificiosam, quam facere intendit, non aliam, prout factibilem à se præconcipere proprio conceptu: ipsamquemet subinde prout in mente talis artificis causam sui exemplaris esse prout existentis à parte rei. Vniuersaliter enim omnis artifex idem ipsum, quod ad extra manibus efformare prætendit, priùs ad intra mente suâ prætendit efformare, non aliud. Quod adeò verum est, vt etiam, quando vtitur exemplari exteriori, vt eo iuuetur ad formandum aliquid illi simile, quemadmodùm eo non iuuatur ad formandum manibus ipsummet, sed illud ei simile, quod prætendit; ita neque iuuatur eo ad vltimatè formandum mente ipsummet, sed illud ei simile, quòd prætendit, vt tandem manibus exprimat ad extra idem ipsum, quod mente habet præconceptum ad intra. 15

Hinc censeo tertiò, falsum esse, quod tanquam principium supponit Vazquez, totam doctrinam suam fundans in illo: nimirum, esse de ratione exemplaris obiectiui distingui ab effectu causando ab illo. Hoc namque dumtaxat est verum de exemplari obiectiuo exteriori, de interiori verò non item; sed potiùs oppositum; identificari videlicet cum effectu ab illo causando, quantum patitur modus cognoscendi, quem artifex illo vsurus habet. Nec obstat, quod dici communiter soleat effectus exemplaris obiectiui 16

ad

ad instar illius, siue ad illius similitudinem fieri; quasi denotetur per id distinctio inter exemplar, & effectum. Primò; quia vt talis modus loquendi cum sufficiente rigore verificetur, sat est distinctio, siue diuersitas status, quos eadem res habet prout exemplar, & prout effectus sui: cùm sit exemplar prout in statu obiectiuo mentis artificis, effectus autem prout in statu existentiali reali. Secundò; quia vox *similitudo* in vsu satis communi non recusat identitatem realem: cùm dicant Theologi, Verbum diuinum procedere à Patre in similitudinem naturæ; tametsi eadem sit natura Patris, & Verbi: vulgòque dici soleat, nihil esse cuilibet rei magis simile, quam ipsa sibi. Tertiò; quia prædictus modus loquendi fortasse introductus est circa exemplar externum, quod à suo effectu distinctum est, indeque minùs cautè extensus etiam ad internum. Certè Plato, Seneca, & Aristoteles hoc definientes nullam inter ipsum, & effectum indicant distinctionem. Cùm dicat Seneca ex Platone, vt vidimus quæst. 1. *His quintam Plato adjecit exemplar, quam ipse ideam vocat. Hoc est enim, ad quod respiciens artifex id, quod destinabat efficit.* Et Aristoteles, exemplar esse, *In quod respiciens artifex operatur.* Ex quibus patet, quid respondendum sit ad obiectionem factam ex Vazq. num. 12. Quomodò autem etiam sit falsum, quod ipse, & alij cum eo citati num. 6. dicunt; scientiam videlicet diuinam de creaturis exemplar obiectiuum earum esse, ex infra dicendis proposit. 3. constabit.

17 Tertia denique pars præsentis propositionis inde probanda venit; quia, semel statuto, quòd scientia diuina de creaturis prout factibilibus, & obiectum eius prout tale ad causalitatem causæ exemplaris concurrunt, imo, quòd concursus obiecti mediâ scientiâ ipsâ præstatur, hac videlicet concurrente per suum *esse* physicum, obiecto autem per *esse* intentionale, seu obiectiuum, quod in mente Dei habet, quatenus repræsentatum, atque adeò præsens ibi factum per scientiam: hoc, inquam, toto de re ipsâ semel statuto, vtrùm integra causa exemplaris ex scientiâ, & obiecto componi dicenda sit; vel solùm obiectum appellandum sit causa exemplaris, scientia autem conditio causandi non parum habere videtur quæstionis de nomine. Circa quam nos loquentes cum plerisque, vt oportet, rationem causæ exemplaris, atque adeò ideæ non soli obiecto, sed scientiæ simul adscribemus proposit. 5. modo ibi explicando.

Propositio 2.

18 Essentia Dei neutiquam est, aut esse potest idea obiectiua creaturarum prout ipsis creaturis physicè similis.

Est contra Thomistas illos, quos supra num. 6. pro primo dicendo modo commemorauimus. Probaturque facile. Quia de ratione ideæ obiectiuæ aut est identitas cum effectu ab ipsâ causando, quantùm modus cognoscendi artificis patitur, iuxta dicta circa propositionem primam: aut saltem est exacta similitudo cum ipso effectu, talis vt minimùm, qualis inter individua eiusdem speciei reperiri solet; perperam siquidem ad depingendam figuram hominis assumeret quispiam pro exemplari figuram equi, aut arboris, aut lapidis; perperamque diceret quispiam, Deum pro ideâ obiectiuâ à se præconceptâ habuisse naturam aut equi, aut arboris, aut lapidis ad formandam naturam hominis, vt est notissimum. Sed essentia Dei longè est dissimilior physicè creaturis, quàm sunt dissimiles inter se quæuis creaturæ specie diuersæ, vt non minùs est notum; longissimèque proinde abest, vt exactam similitudinem physicam cum illis habeat. Ergo essentia Dei neutiquam est, aut esse potest idea obiectiua creaturarum prout ipsis creaturis physicè similis. Continentiam autem eminentialem, qua creaturæ dicuntur contineri in essentiâ diuinâ tanquam in causâ, nullam eis similitudinem physicam cum illâ præbere, æquè cunctis est notum. Quia continentia eminentialis effectus in suâ causâ æquiuocâ, qualis est essentia diuina respectu creaturarum, potiùs supponit dissimilitudinem inter talem effectum, & talem causam, quàm eis præbet similitudinem.

Sed obijci solet illud Genes. 1. *Faciamus* 19
hominem ad imaginem, & similitudinem nostram. Quasi per id significetur, essentiam diuinam esse ideam hominis. Respondeo primò, licèt ita esset, non inde sequi, essentiam diuinam ideam esse cæterarum creaturarum. Respondeo secundò, non ita esse. Quia per eam sententiam tantùm intenditur significari, præstantiùs assimilari hominem Deo, quam assimilantur cæteræ creaturæ inferiores cum illo creatæ, præsertim in gradu intellectiui, rationalis, & liberi. Non verò significari intenditur tam exacta similitudo inter hominem, & essentiam diuinam, quàm opus erat, vt hæc illius esset idea propriè, & strictè sumpta. De qua in præsenti sermo est.

Quomodò autem S. Tho. citatus etiam num. 20
6. longè diuerso titulo, quàm similitudinis physicæ cum creaturis, velit, essentiam diuinam esse ideam creaturarum, ex dicendis infra proposit. 5. constabit.

Propositio 3.

Essentia diuina neque est, neque esse 21
potest idea obiectiua creaturarum titulo similitudinis intentionalis, quam dicitur habere cum illis, in quantùm Dei sapientia, siue scientia de ipsis prout factibilibus est.

Hæc propositio est contra Soar. Vazq., & alios citatos supra num. 6. pro secundo modo dicendi. Moueor autem ad illam primò; quia de ratione exemplaris obiectiui, si non identitas iuxta dicta circa propositionem primam, saltem exacta similitudo physica cum suo effectu videtur esse: qualis haud dubiè reperitur de facto in omnibus exemplaribus, quæ artifices creati vsurpant ad sua artificiosa opera fabricanda: non enim poterit effectus dici cum veritate, prout debet, factus ad instar, ad similitudinemque exemplaris, si hoc sit illi physicè valde dissimile, atque adeò specie, aut etiam genere diuersum, vt satis ex se videtur notum. Sed similitudo intentionalis, quam scientia Dei de creaturis habet cum illis, tam magnam secum compatitur physicam dissimilitudinem cum eisdem, vt scientia, & creaturæ non solùm specie, sed etiam genere sint diuersæ inter se, vt est certum, Ergo scientia Dei de creaturis titulo similitudinis

intentionalis, quam cum eis habet, exemplar obiectiuum, siue idea obiectiua earum esse non potest.

22 Secundò moueor; quia similitudo intentionalis, quæ tribui solet cognitioni respectu obiecti, reuerà nulla est: tribuitur enim a non benè apprehendentibus repræsentationem obiecti, quam importat cognitio, per modum repræsentationis in similitudine physicâ consistentis, qua imago externa materialis repræsentare dicitur suum prototypum: cum tamen repræsentatio cognitionis, seu potiùs præsentatio aliud non sit, quàm tractio quædam intentionalis, qua cognitio ad mentem cognoscentis obiectum trahit, illudque ipsi præsentat, seu præsens ponit: in quo nihil prorsus similitudinis cognitionis cum obiecto interuenit.

23 Tertiò; quia, siqua similitudo sufficiens ad rationem ideæ obiectiuæ inter cognitionem, & eius obiectum interueniret, cognitio quæuis creata idea obiectiua Dei esse posset ad eius obiectum efficiendum. Quod tamen à nemine dictum est; & videtur absurdum.

24 Quartò; quia, si cognitio titulo repræsentationis, seu notificationis, qua cognoscenti repræsentat, seu notificat suum obiectum, posset cognoscenti deseruire pro ideâ obiectiuâ ad ipsum obiectum efficiendum, etiam signum externum, siue vocale, siue scriptum, quod suo etiam modo repræsentat, siue notificat cognoscenti obiectum à se significatum, ad tale obiectum efficiendum posset pariter cognoscenti deseruire pro ideâ obiectiuâ. Quis autem non videt, quàm sit impossibile, vt nomen hominis siue scriptum, siue prolatum exemplar obiectiuum sit ad ipsum hominem efformandum. Stet ergo, essentiam diuinam, prout scientia de creaturis est, titulo similitudinis intentionalis, quam cum illis habere dicitur, ideam obiectiuam earum esse non posse, vt nostra propositio fert.

Propositio 4.

25 **Essentia diuina neque est, neque esse potest idea obiectiua creaturarum, quatenus est obiectum infinitum ducens in cognitionem omnium factibilium à Deo, prout dicunt Auctores pro quarto modo dicendi citati supra num. 6.**

Est clarum; suppositâ doctrinâ statutâ propos. 3. Si enim essentia diuina, prout est cognitio, atque adeò repræsentatio actualis creaturarum, idea obiectiua earum esse non potest, iuxta ibi dicta, multò minùs poterit esse talis titulo obiecti inducentis, siue determinantis ad ipsam cognitionem. Etenim, estò cognitio de creaturis idea obiectiua earum esset, adhuc essentia diuina quatenus obiectiuè determinans ad talem cognitionem, vt sicque obiectiuè causans illam, causatiuè vt summùm, non formaliter, creaturarum idea vocari posset. At, posito, quòd dicta cognitio non sit idea creaturarum, sicuti propos. 3. statutum est, essentia diuina prout obiectiuè ad illam determinans ne causatiua quidem idea creaturarum poterit dici, vt constat; siue determinet ad illam ob connexionem cum creaturis, vt opinantur aliqui, siue ob continentiam eminentialem earum, vt alij putant, siue vt nos censemus prout ab intellectu diuino comprehensibilis iuxta latè exposita supra disput. 25. quæst. 2.

Propositio 5.

Essentia diuina, in quantùm est sapientia, siue scientia, siue cognitio actualis de creaturis prout factibilibus, idea formalis earum dicenda est, constituens nimirum simul cum obiecto suo, quatenus eius est propositio, tanquam cum ideâ obiectiuâ integram ideam diuinam ipsarum creaturarum.

Consentio in hac propositione cum Auctoribus tertiæ sententiæ relatæ supra num. 7. Arbitrorque secundùm illam interpretandos, ad ipsamque trahendos Patres, S. Thomas, & alij Theologi, qui essentiæ diuinæ prout ad creaturas factibiles comparatæ; sapientiæve Dei, seu scientiæ de illis rationem ideæ creaturarum attribuunt. 26
Probari autem potest huius propositionis doctrina primò ex August. Qui dum lib. 83. Quæstion. quæst. 46. sæpeque alibi docet, ideas formas quasdam, vel rationes rerum creandarum esse in mente Creatoris existentes, illam videtur indicare; quatenus per formas obiecta, per rationes autem tum ipsa obiecta, tum actus diuinæ scientiæ de illis videtur intelligere: siquidem ratio tum pro cognitione, tum pro obiecto cognito solet communiter vtrurpari; pro cognitione quidem, vt, cùm dicimus, operari aliquem secundùm dictamen rationis; pro obiecto autem, vt, cùm addimus, posse illum de operatione suâ rationem reddere. Quod vtrumque videtur coniunxisse August. cum dixit loco citato. *Restat, vt omnia ratione sint condita; nec eâdem ratione homo, qua æquus: hoc enim absurdum est existimare. Singula igitur propriis creata sunt rationibus.* Distinctio siquidem rationum, quibus singula facta à Deo sunt, non ab actibus scientiæ diuinæ, quire ipsa sunt idem, sed ab obiectis eorum factibilibus desumenda venit; vt constat. Eamdem doctrinam planè supponit August. tract. 1. in Ioan. dum illud, *Quod factum est, in ipso vita erat*, per diuinas explicat ideas, iungens in illis cum vitâ diuinarum cognitionum earum obiecta prout in illis existentia obiectiuè; idque declarans ab exemplo artificis creati facientis arcam visibilem ad instar arcæ inuisibilis, quam habet in mente. Ait itaque, *Faber facit arcam. Primò in arte habet arcam: si enim in arte arcam non haberet, non esset, vnde fabricando illam proferret. Attendite ergo arcam in arte, & arcam in opere. Arca in opere non est vita; arca in arte vita est; quia viuit animâ artificis; vbi sunt ista omnia antequam proferantur. Sic ergo fratres charissimi, quia sapientiâ Dei, per quam facta sunt omnia, secundùm artem continet omnia, antequam fabricet omnia: hæc, quæ fiunt per ipsam artem, non continuò vita sunt; sed, quidquid factum est, vita in illo est. Terram vides; est in arte terra. Cælum vides; est in arte cælum. Solem, & Lunam vides; sunt & ista in arte. Sed foris corpora sunt, in arte vita sunt.*

Secundò eadem doctrina propositionis ex S. Tho. probari potest, quatenus 1. par. quæst. 15. supra citatâ ex vnâ parte ideas diuinas creaturarum sæpe ponit in essentiâ diuinâ prout respiciente ipsas creaturas; ex aliâ verò parte idearum pluraritatem desumit à pluraritate ipsarum creatura- 27

turarum quatenus intellectarum à Deo. Quo diuinas ideas ex duobus videtur componere, nempe ex Dei essentiâ, in quantùm est intellectio creaturarum, & ex ipsis creaturis, in quantùm obiectiuè sunt in ipsâ Dei intellectione. Dicit itaque artic.2.in corp. postquàm statuisset vt certum, in mente diuinâ esse plures ideas. *Hoc autem quomodò diuinæ simplicitati non repugnet, facile est videre, si quis consideret, ideam operati esse in mente operantis, sicut, quod intelligitur, non autem sicut species, qua intelligitur, quæ est forma faciens intellectum in actu. Forma enim domus in mente ædificatoris est aliquid ab eo intellectum, ad cuius similitudinem domum in materiâ format. Non est autem contra simplicitatem diuini intellectus, quòd multa intelligat; sed contra simplicitatem eius esset, si per plures species eius intellectus formaretur. Vnde plures ideæ sunt in mente diuina vt intellectæ ab ipso.*

28 Tertiò probanda ratione est propositionis nostræ doctrina. Et primùm, quòd ideæ obiectiuæ creaturarum sint ipsæ creaturæ secundum *esse* obiectiuùm, quod habent in mente diuinâ mediâ scientiâ, qua prout factibiles cognoscuntur à Deo, per ea, quæ diximus circa propos. 1. manet sufficienter probatum. Insuperque confirmari potest ex communi doctrinâ multorum Patrum, atque Philosophorum, quorum testimonia refert Petauius lib.4.Theolog.dogm.cap.10.& 11. duplicem Mundum cognoscentium, Cœlumque duplex, ac Terram duplicem, & cætera proinde duplicia: alterum intelligibile, & sub aspectum non cadens, scilicet quantum ad *esse* obiectiuum, quod habet in mente diuinâ; alterum externum, & aspectabile, quantùm ad *esse* videlicet existentiale, & physicum, quod habet à parte rei. Quo planè supponunt, Mundum illum intelligibilem, partesque eius intelligibiles ideas obiectiuas esse, quibus Deus ad istum visibilem Mundum cum suis partibus fabricandum directus est.

29 Deinde, quòd actus scientiæ diuinæ ad creaturas, prout factibiles terminati sint ideæ formales ita, vt ex eis, & ex obiectiuis integræ totalesque creaturarum resultent ideæ, probatur. Quia, proprium munus integræ, & totalis ideæ est dirigere artificem ad conformandum suam operationem, & opus cum ideâ ipsâ. Sed talis directio tum ab obiecto, quod proponitur imitandum, siue exprimendum per opus externum artificiosè factum, tum à cognitione, per quam proponitur, præfatur; a cognitione quidem proponendo, & quasi mentaliter formando id, quod per opus externum imitandum, seu exprimendum est; ab obiecto autem sese imitabile, seu expressibile obijciendo, siue præbendo. Igitur integra, & totalis idea ex obiecto imitabili, seu expressibili, ex cognitioneque illud proponente coalescit tanquam ex duabus ideis partialibus alterâ obiectiua, & alterâ formali. Et consequenter actus scientiæ diuinæ ad creaturas prout factibiles terminati ita sunt formales ideæ, vt ex eis, & ex obiectiuis integræ, totalesque creaturarum resultent ideæ. Quod erat probandum.

30 Dices. Id solum dicitur exemplar, atque adeò & idea, quod artifex intendit imitari. At non intendit imitari conceptum formalem, sed tantùm obiectiuum. Ergo solus hic exemplar, atque adeò & idea venit dicendus. Distinguo maiorem. Quod artifex intendit imitari tum per opus artificiosum, tum per ipsius effectionem; concedo: per solùm opus artificiosum; nego. Deinde minorem. At non intendit imitari conceptum formalem per opus artificiosum; concedo: per ipsius effectionem; nego. Et nego consequentiam. Itaque, quemadmodùm exequens, quod præscribit lex, aut dictamen rationis, non solùm conformiter ad opus præscriptum, sed etiam conformiter ad legem, aut dictamen dicitur operari; quatenus id ipsum exequitur, quod dictat, siue præscribit lex, aut dictamen. Ita, qui facit opus artificiosum, non solùm exemplari obiectiuo, quod ars proponit, siue præscribit, sed ipsi arti dicitur conformari; secundùm artemque, siue secundùm regulas artis operari, quatenus id ipsum exequitur, quod ars, siue artis regulæ, quæ cognitiones sunt operis artificiosi efficiendi, dictant, siue præscribunt.

Sed dices rursus. Causa finalis integra solùm bonum propositum per cognitionem est; non verò aggregatum ex ipso bono, & cognitione: hæc enim tantùm est conditio causandi; tametsi bonum aliter, quàm mediâ illâ tanquam applicatione quadam sui ad causandum, finaliter causare non possit. Igitur causa etiam exemplaris solum exemplar obiectiuum propositum per cognitionem est; non verò aggregatum ex ipso exemplari, & cognitione: hæc enim tantùm erit conditio causandi; tametsi exemplar aliter, quàm mediâ illâ tanquam applicatione quadam sui ad causandum, exemplariter nequeat causare. Non desunt qui negent antecedens, putantes, causam etiam finalem ex bono voluntari proposito, & ex cognitione proponente ipsum conflari. Ita enim docet Lynce in sua Physicâ tract.10.cap 2.Sed ego, concesso antecedente. Nego consequentiam. Est enim discrimen ad rem inter causam finalem, & exemplarem: quòd causa finalis mouet per modum cuiusdam consequibilis ab operante propter ipsam. Solum autem bonum propositum est consequibile ab illo, non item eius propositio, quæ iam habetur. At causa exemplaris mouet per modum cuiusdam imitabilis ab operante secundùm ipsam. Non autem solum exemplar obiectiuum, sed eius etiam propositio suo modo est imitabilis ab illo; prout explicatum est. 31

QVAESTIO III.

Quænam alia circa diuinas ideas determinanda restent.

Dico, quæ per quæstiunculas sequentes proponentur, & definientur. 32

Quæritur enim primò. Vtrùm in Deo sint plures ideæ. Dicendum est, esse plures. Id enim docent August. verbis relatis supra num.26.& alij Patres; S.Thom.loco citato num.27.& cæteri Theologi. Quorum, qui censent in solis actibus scientiæ Dei diuinas ideas consistere, communiter ponunt eas inter se distinctas, & plures dumtaxat per rationem. Deberent tamen illas ponere realiter inter se distinctas, & plures, qui ex ijs actus diuinos complent per connotata extrinseca, vt Vazq. & alij: Siquidem iuxta horum sententiam actus scientiæ de creaturis prout possibilibus, in quibus ideas ponunt, præter diuinas formalitates realiter identificatas cum Dei essentiâ, & inter se, ipsas creaturas possibiles claudunt de con- 33

notato in suo conceptu reali : à quarum proinde reali distinctione non possunt non euadere illi inter se distincti realiter. Apud nos verò, qui ideas obiectiuas ponimus ab ipsis creaturis possibilibus re ipsâ indistinctas, constituentesque simul cum actibus scientiæ Dei, qui sunt ideæ formales, integras, & totales ideas creaturarum, non possunt non tam ipsæ ideæ obiectiuæ, quàm ideæ integræ, & totales realiter esse inter se distinctæ à distinctione reali creaturarum possibilium, quas secundùm *esse* obiectiuum includunt in se. Quomodò autem ideæ formales, siue actus scientiæ de creaturis ipsis sumpti seorsim non solùm per rationem, sed etiam à parte rei virtualiter distincti inter se sint iuxta sententiam nostram, ex generali doctrinâ de distinctione actuum scientiæ diuinæ traditâ supra disput. 24. quæst. 4. constat.

34 Secundò quæritur. Vtrùm Deus habeat ideas vniuersalium prout talium, vel tantùm singularium. Dicendum omnino, Deum non habere ideas vniuersalium prout talium, sed tantùm singularium. Tum quia Deus non cognoscit vniuersalia prout talia: nam id est proprium cognoscentium confusè, & per species alienas, vt constat ex doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. & disput. 17. quæst. 6. qui cognoscendi modus longè à Deo abest. Tum quia ideæ diuinæ dumtaxat sunt de factibilibus à Deo. Nullum autem vniuersale prout tale est factibile à Deo; sed tantùm singularia. Actiones enim sunt singularium. Loquor autem de vniuersalibus prout talibus, qualia dumtaxat sunt obiectiuè in intellectu eorum, qui concipiunt vt vnum ea, quæ in se sunt plura. Quoad suam enim realitatem vniuersalia aliud non sunt à singularibus, quæ sola sunt à parte rei. Ex quo rursus constat, Deum, qui cuncta cognoscit, vt sunt in se, de solis singularibus habere ideas: sicut de solis singularibus habet scientiam. Vnde patet, non benè asserere Quiros in comment. artic. 3. quæst 15. S. Tho. num. 20. dari in Deo ideas tam vniuersalium, quàm singularium: quia, licèt vniuersalium vt distinctorum a singularibus non detur idea; at idea de singularibus imbibit omnia prædicata singularium, quorum plura sunt vniuersalia, siue alijs communia. Non benè, inquam, id asseritur. Nam singularia, vt sunt realiter in se, nulla habent prædicata diuersa, & consequenter neque respectu scientiæ Dei: & ex ijs, quæ habent respectu nostri, nullum est vniuersale, siue alijs commune; sed cuncta sunt prorsus singularia: licèt aliqua sint alijs similia, ob idque præbentia fundamentum, vt in vnum conceptum vniuersalem, pluribusque communem per intellectum nostrum coeant, quod est valde diuersum.

35 Tertiò quæritur. Quarum rerum Deus habeat ideas. Dicendumque est cum communi, habere eum ideas omnium earum rerum, quas ipsemet causare potest. Habet autem pro singulis rebus realiter inter se distinctis etiam partialibus, & accidentalibus ideas singulas inter se distinctas iuxta dicta num. 33. tametsi ex ideis omnium partium, & accidentium eiusdem entis vna totalis idea talis entis dici possit esse composita. Formalitatum autem eiusdem entis per solam rationem distinctarum plures ideæ in Deo non dantur; sicut nec plures actus scientiæ adhuc per rationem solam distincti, prout supra disput. 23. quæst. 4. num. 101. ostendimus.

Ex huius quæstiunculæ resolutione sequitur 36 primò, Deum non habere ideam peccati: quia Deus peccati causa esse non potest. Addit Granad. tract. 7. de Scient. disput. 4. ne materialis quidem peccati Deum habere ideam. Cui ego consentio, si sermo sit de materiali peccato, qua tali, qualis est actio peccaminosa prout prouenit à creaturâ: cum quo stat, habere Deum ideam de illâ, prout prouenit à se; qua ratione ne materialiter quidem peccaminosa est. De errore item, de habitu vitioso, & similibus eatenus dicendus est Deus ideam habere, quatenus eorum causa esse potuerit. De quibus omnibus plura suo loco. De chymæris autem impossibilibus Deus non habet ideas: quia absolutè non sunt factibiles ab ipso.

Quartò quæritur. Vtrùm Deus habeat ideas 37 negationum. Negat Granad. loco nuper citato: quia nullam habent negationes entitatem circa quam exerceri possit causalitas exemplaris. Ob id enim dicunt omnes, Deum non habere ideas entium rationis. Affirmat Carlet. cum alijs disput. 25. supra citatâ sect. 3. quia Deus aliquo modo potest esse causa negationum: siquidem Deus in Ægypto, & moriente Christo, destruendo lucem causauit tenebras, & in diluuio vniuersali homines, & animalia tollendo, eorum negationes etiam causauit. Ego censeo, ideas negationum non dari in Deo. Tum quia illæ non sunt à Deo causabiles positiuè, sed tantùm permissiuè, vt alibi expono. Tum maximè quia idea importat conceptum positiuum per positiuam cognitionem obiectum menti Dei, ad quem respiciens operetur. Deus autem de negationibus (vtpote nullam entitatem, seu quidditatem habentibus iuxta doctrinam de illis traditam in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3.) nullum format positiuum conceptum: earumque proinde veritates negatiuas iudicat, non quidpiam ponendo iudicio affirmatiuo; sed entia, quæ illæ negant, remouendo iudicio negatiuo. De entibus autem rationis fictis alia de causa Deus non habet ideas: tametsi illa faciat, qua ratione sunt factibilia, prout docuimus in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 5. Quia nimirum facit per ipsam cognitionem, qua primo illa concipit; quin vllus eorum præiuerit idealis conceptus.

Quintò quæritur. Vtrùm de ratione ideæ 38 sit, quòd artifex illâ vsurus sit agens liberum respectu operis per eam causandi. Affirmatiuam partem tenet S. Tho. quæst. 3. de Verit. artic. 1. in corp. Vbi de ratione ideæ censet esse, vt quis, dum eâ vtitur, ex consilio operetur, & liberè sibi finem præscribat. Id quod videtur etiam supponere S. Dionys. cap. 5. de Diuinis nomin. dum ideas vocat *prædestinationes, & bonas voluntates*. Quæ quidem acceptio ideæ omnino videtur retinenda, vtpote conformis vsui communi loquendi, sentiendique de ideis. (Quidquid nonnulli contradicant putantes, sat esse ad rationem ideæ, quòd agens cognoscitiuum per illam dirigatur ad operandum, siue libera, siue necessaria sit operatio eius). Etenim iuxta communem vsum loquendi nullus dicitur secundùm artem operari, atque adeò per ideam, nisi, quando ex consilio, & cum libertate operatur. Alioquin bruta animalia, quæ cognitione etiam ducuntur ad operandum, secundùm artem, & per ideam dicenda essent operari. Quod à communi loquendi vsu prorsus alienum est. Ob id S. Augustin. vbique ideas diuinas rationes vocat; indeque probat eas

in

in Deo esse ; quia Deus cum ratione , siue rationabiliter , siue non irrationabiliter cuncta creauit, vt constat ex testimonijs eius relatis supra quæst.1.Qui modi loquendi planè præseferunt idearum vsui libertatem annexam esse.Vnde sequitur , fore , vt Deus non diceretur,propriè loquendo, ideas habere, si ex necessitate naturæ,& non liberè operaretur .

39 Sextò quæritur . Vtrùm Deus habeat ideas Verbi diuini , & Spiritus sancti . Sententia negatiua est communis inter Theologos , atque etiam inter Patres attribuentes ideas Deo respectiuè dumtaxat ad productionem creaturarum.Non posse autem ipsi attribui respectu productionis Verbi, & Spiritus sancti sine temeritate, vel etiam forte sine errore, censent Bann.1.par.quæst.15.artic.1.conclus.5. & Zumel quæst.2.conclus.7. quasi idea ex conceptu suo denoter causam , qualem fas non est ponere in diuinis ad intra , sed tantùm principium . Videtur tamen censura rigida : quia potest facilè negari , ideam denotare causam , etsi deposcat productionem termini cum præcisione ab eo , quòd sit aut à principio , aut à causà . Sed, quidquid de hoc sit , ob aliam insuper rationem venit negandum , productionem Verbi, & Spiritus sancti nasci ab ideà ; quia videlicet non sunt productiones liberæ , sed necessariæ , quibus repugnat, ab ideà nasci iuxta doctrinam statutam num.præced.

Septimò quæritur . Quot in Deo sint ideæ . 40
Dicendum est , infinitas esse . Quia tot sunt , quot creaturæ possibiles , iuxta dicta num.33. & 35. Creaturæ autem possibiles infinitæ sunt ; vt ostendimus tom.1. huius Operis disput.13. quæst.3.

Octauò quæritur . Quomodò inter se differant *idea* , & *exemplar* . 41
Respondeo , *exemplar* frequentiùs pro obiectiuo , quàm pro formali , aut pro coalescente ex vtroque videri vsurpari : cùm tamen *idea* tam pro formali , quàm pro obiectiuà , quàm pro compositâ ex vtràque videatur sumi communiter . Aliam differentiam videtur ponere S.Tho.1.par.quæst.15.artic.3.inter *exemplar* , & *idea* ; quòd scilicet *exemplar* propriùs dicatur respectu creaturarum, quæ de facto fiunt à Deo ; *idea* vero respectu omnium possibilium , quæ à Deo fieri possunt . Et hæc de diuinis ideis . Deque diuinâ scientiâ dicta sint satis .

TRACTA-

TRACTATVS X.

DE VOLVNTATE DEI.

ANTEQVAM de voluntate Dei particulatim sumptà tractetur, de voluntate sumptà vniuersè videbatur in præsenti tractandum iuxta methodum, quam insequimur. Cæterùm, quia pleraque eorum, quæ generatim de voluntate tractari possunt, eiusmodi sunt, vt de illis ad propositum nostrum peculiares instituere disputationes non videatur expedire; cùm in ipsis de Voluntate Dei disputationibus possit commodiùs inseri, quidquid de illis dicere oporteat; vnum tantùm selegimus in primâ disputatione huius Tractatus ex professò tractandum, quod & ad selectiorem Metaphysicam pertinet, & doctrinam continet non solùm oportunam, sed necessariam pro multis, quæ deinceps discutienda sequuntur tum in præsenti, tum in sequentibus Tractatibus; punctum videlicet de Libertate voluntatis in genere.

Continebit itaque Tractus hic disputationes sex. Prima, & iuxta totius Operis ordinem trigesſima, erit de Libertate voluntatis in genere. Secunda de naturâ, & proprietatibus voluntatis Dei in communi. Tertia de obiecto eius sumpto vniersè. Quarta de obiectis eiusdem acceptis in particulari. Quinta de varietate actuum ipsius. Sexta denique de eorumdem actuum moralitate.

DISPVTATIO 30.

De libertate voluntatis in genere.

1 TRiplex distinguitur libertas à S. Bernardo lib. de Grat. & liber. arbit. & à Petro Lombardo lib. 2. Sent. distinct. 25. nempe, libertas à necessitate, libertas à peccato, libertas à miseriâ. Prima dicitur libertas naturæ. Secunda libertas gratiæ. Tertia libertas gloriæ. De primâ scribit Apostol. 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem, sed potestatem habens suæ voluntatis.* De secundâ ad Rom. 6. *Liberati à peccato servi facti estis iustitiæ.* De tertiâ ad Roman. 8. *Tunc & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem gloriæ Filiorum Dei.*

2 Prætermissis autem libertatibus gratiæ, & gloriæ, quæ latiori quodam modo libertates dicuntur, libertas naturæ rursus diuidi solet iuxta doctrinam Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 4. & 5. in libertatem à coactione, & libertatem à necessitate. Libertas à coactione dicitur illa, ratione cuius causa sponte suâ, voluntariè, atque libenter operatur, estò non possit non operari; qua ratione operantur bruta, dum sponte, & sine vllâ sibi illatâ violentiâ mouentur in id, quod sibi arridet. Et hoc libertatis genere liberum vocant (spontaneum scilicet, & non coactum, neque violentum) amorem, quo se Deus necessariò amat, Scot. Alex. Capreol. Basol. Mayr. Argent. & alij apud Ruiz disput. 4. de Voluntate sect. 1. liberamque similiter dicunt (hoc est, spontaneam, & non coactam, neque violentam) productionem Spiritus sancti, quantumuis ea sit necessaria, & penitus indefectibilis, vti reuerà est. Libertas verò à necessitate est ea, ratione cuius causa ita habet in suâ potestate siue dominio suam operationem, vt possit aut operari, aut non operari, eligendo pro nutu suo vel in operationem prodire, vel ab illâ abstinere. Quæ proinde libertas indifferentiæ appellatur, libertasque dominatiua, siue electiua, dominijve, siue electionis dici potest, & solet. Cæterùm libertas à coactione non propria, sed metaphorica libertas est, aut certè libertas quædam secundùm quid, quæ sola ad meritum, vel demeritum, ad imputabilitatemve operationis nihil planè prodest. Propria enim, & absolutè dicta libertas est libertas à necessitate, sine qua causa, quantumuis à coactione expedita, nec potest esse proximè libera propriè, & absolutè loquendo, nec potest esse subinde proximè potens ad merendum, vel demerendum, siue ad imputabiliter operandum; vt contra Nouatores hæreticos iam sæpe ab Ecclesiâ est definitum; nouissimèque contra Iansenistas ab Innocentio X. rursusque ab Alexandro VII. De quo videri possunt Bellarm. tom. 4. lib. 3. de Grat. & liber. arbit. cap. 5. Ripalda tom. 3. de Ente supern. præsertim à disp. 14. Perault. tom. 3. Theolog. dogm. lib. 4. Annatus in omnibus Opusculis, quæ edidit contra Baianos, & Iansenistas. Descamps de Hæresi Iansseniana. Moraine in suo Anti-Iansenio, & alij.

3 His positis de libertate voluntatis à necessitate operandi, aut non operandi, quæ sola, vt diximus, propria est, strictèque, & absolutè dicta liber-

libertas, agendum nobis est in præsenti disput. Et consequenter de necessitate etiam eiusmodi libertati opposita, quæ propria similiter est, & stricta necessitas. Quidquid sit de necessitate coactionis, quæ, sicut libertas, cui opponitur, neque propria, neque stricta necessitas est.

QVAESTIO I.

Quid sit causa libera. Quid necessaria. Et quænam operatio libera, quænam necessaria dicatur.

4 CAusa libera sic fere solet definiri. *Est illa, quæ, positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari.* Quam definitionem aut eisdem, aut æquivalentibus verbis tradunt omnes Philosophi, atque Theologi tum antiqui tum recentiores; quorum perplures recensent Didacus Ruiz tom. de Scientiâ Dei disput. 49. & 50. Soar. Prolegom. 1. de Gratia cap. 3. Ouiedo controuer. 12. de Animâ punct. 2. & alij. A quorum communi consensu pauci quidam Thomistæ moderni discedunt, aut expresè quidem, aut saltem implicitè; dum aiunt voluntatem creatam physicâ quadam præmotione, seu prædeterminatione egere ad operandum liberè, qua tamen positâ, non potest non sequi operatio. Ex qua sententiâ planè sequi videtur, posito aliquo requisito ad operandum ex parte causæ liberæ, illam, absolutè loquendo, non posse non operari: quod est contra definitionem datam. Quo iure eam nonnulli ex ijs Thomistis reijciunt: alij eam in quodam sensu sibi accommodato amplectuntur; de quo infra. Cæterùm, quia & hi ijdem Thomistæ cum reliquâ Sapientum turbâ, nec sapientes solùm, & in scholis versati, sed quique etiam rudes homines velut è communissimâ notione à naturâ infitâ confitentur, id esse de ratione potentiæ, siue causæ liberæ, quòd sui sit iuris, & dominæ operationis suæ, hanc habens in suo dominio, seu potestate; & consequenter, quòd sit indifferens ad eliciendam operationem, & ad eam cohibendam: atque adeò, quòd ad vtrumque potens sit, scilicet ad operandum, & non operandum. Ex quo fit, vt operatio elicita à tali potentiâ euadat imputabilis, seu bona, vel mala in genere moris, vtpote digna laude, vel vituperio, aut etiam præmio, vel supplicio. Quia, inquam, hæc omnia potentiæ, vel causæ liberæ conuenire, nemini dubium, & absque omni controuersia est; idcirco causa libera in vniuersùm iuxta omnium sententiam, & sensum ita videtur definienda. *Causa libera est, quæ ita operari potest, vt etiam possit non operari, absolutè loquendo.* Vel hac ratione. *Causa libera est, quæ duas potentias proximas habet, alteram ad operandum, alteram ad non operandum.* Quippe id habet potentiam proximam, siue immediatam ad actum, quod absolutè, & simpliciter dicitur posse illum, quin aliud quidpiam desideret ad tale *posse* iuxta dicta in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 3. diuis. 6. de potentiâ proximâ, & remotâ; quæ ad rem videnda. Ab his autem definitionibus nemo profectò sanæ mentis videtur disentire posse, nisi indifferentiam causæ liberæ, eiusque dominium, & potestatem ad vtrumlibet abneget: quæ à nemine, vt diximus, negata sunt. Quomodò autem definitiones istæ cum primâ, & communi consipirent, inferiùs contra Thomistas probabitur.

Omnibus porro notum est, causam liberam ita habere potentiam ad operandum, & ad non operandum, vt non possit vtrumque simul præstare: id enim impossibile est; cùm operatio, & non operatio extrema contradictoria sint, & simul coniungi non possint. Habet quidem causa libera duas potentias proximas, alteram ad operandum, alteram ad non operandum; actus verò harum potentiarum simul habere nequit, sed disiunctiuè. Ex quo patet, quomodò definitiones prædictæ intelligendæ sint. 5

Iam verò causa necessaria communiter sic definitur. *Est illa, quæ, positis omnibus requisitis ad operandum, non potest non operari.* Vel, si mauis consentaneè ad ea, quæ diximus de causâ liberâ, sic definì. *Causa necessaria est, quæ ita operari potest, vt non possit non operari, absolutè loquendo.* Vel alter. *Quæ habet potentiam proximam ad operandum, secus verò ad non operandum.* Rogabis; cur causa, quæ non potest operari, non dicitur causa necessaria respectu carentiæ operationis; sicut, quæ non potest non operari, dicitur causa necessaria operationis; quandoquidem causa libera, non solùm dicitur talis respectu operationis, sed etiam respectu non operationis? Respondeo; quia causa necessaria nullâ ratione est causa non operationis, siue carentiæ operationis, atque adeò nequit dici causa necessaria eius; at verò causa libera, non solùm operationis, sed etiam carentiæ operationis dicitur causa, vt infra latiùs explicabo; proindeque respectu vtriusque contradictorij dicitur causa libera. Cæterùm, quanuis causa, quæ nequit operari, non dicatur causa necessaria carentiæ operationis; dicitur tamen determinata, seu necessitata, vt sic dicam, ad carendum operatione, & consequenter dici potest habere necessitatem actus primi ad non operandum, seu ad carendum operatione. 6

At hìc oportet animaduertere, in supradictis definitionibus sermonem esse de causâ liberâ, prout iam iam est in potentiâ proximâ ad operandum, & ad non operandum, & de causâ necessariâ, prout est in potentiâ proximâ solùm ad operandum: quoniam in eo statu dumtaxat causa dicitur libera, vel necessaria respectu operationis, absolutè loquendo: eo quòd, esse causam liberam, nihil est aliud, quàm esse potentem ad vtrumlibet, seu vtrumlibet posse, esse autem necessariam, posse alterum tantùm. Atque adeò, quemadmodum causa non dicitur absolutè posse, donec in potentiâ proximâ sit; nam potentia remota non absoluta, sed veluti conditionata est iuxta dicta loco citato: sic nec dicitur absolutè libera, vel necessaria, donec sit in potentiâ proximâ aut ad vtrumuis, aut ad alterum tantum. Cæterùm, sicut potentia vniuersim diuidi solet in potentiam proximam, & remotam, sic libertas, ac necessitas causæ in proximam, & remotam diuidi potest. Omissis autem reliquis potentijs remotis, quæ multæ possunt considerari iuxta ea, quæ de potentiâ in vniuersùm tradidimus totâ illâ disput. 8. Phari Scient. citatâ, de illis remotis potentijs, quæ in nudis earum substantijs, siue entitatibus constituunt, potentiæque omnium remotissimæ vocari possunt, rursus est animaduertendum, illam dumtaxat potentiam liberam remotam esse, quæ talem naturâ suâ 7

radi-

radicalem indifferentiam dominatiuam, seu electiuam suorum actuum habet, vt, adiunctis alijs, libera proximè, & formaliter respectu eorum possit euadere. Cuiusmodi est nuda entitas nostræ voluntatis. Illa verò dumtaxat vocari consueuit potentia necessaria remota, quæ per nulla sibi adiuncta potest reddi proximè libera, qualis est substantia ignis, aut arboris. Tametsi potentia remotè libera remotè necessaria possit itidem esse; vti est voluntas nostra: quæ quidem potest coniungi cum requisitis ad operandum, & de facto operari non liberè, sed necessariò; eoque iure entitas eius nudè sumpta potentia remotissima necessaria vocari potest, non minùs, quàm potentia remotissima libera. Ex quo fit, aliam esse potentiam remotissimam purè necessariam, quæ ad potentiam proximam liberam nequit accedere, vt substantia ignis. Aliam esse potentiam remotissimam & liberam, & necessariam; quæ ad vtramque potentiam proximam deuenire potest; vti voluntas nostra. Vtrùm verò sit possibilis tertia potentia remotissima purè libera, quæ ad solam potentiam proximam liberam reduci possit, neque vllâ ratione possit necessariò operari, suam quæstionem habet infra tractandam. Et hæc de causâ liberâ, & necessariâ in vniersùm. Venio ad causarum operationes.

8 *Operatio libera est, quæ prouenit à causâ liberâ vt liberâ.* Id est, à causâ ita operante, & consequenter, ita potente proximè operari, vt etiam sit potens proximè non operari. *Operatio autem necessaria est, quæ prouenit à causâ necessariâ vt necessariâ.* Ideſt, à causâ ita operante, & consequenter ita potente proximè operari, vt non sit potens proximè non operari. In has definitiones conueniunt omnes. Quippe ea operatio dicitur libera secundùm omnes, quæ prouenit à causâ operante liberè, hoc est iuxta iam dicta, cum duplici potentiâ proximâ, alterâ ad operationem ipsam, alterâ ad eiusdem carentiam, siue omissionem. Et ea operatio dicitur necessaria etiam secundùm omnes, quæ prouenit à causâ operante necessariò, hoc est iuxta iam item dicta, cum solâ potentiâ proximâ ad ipsam operationem, & sine potentiâ ad omissionem, seu carentiam eiusdem. Porro, quemadmodùm operatio causæ potentis simul tum operari, tum non operari libera est; & operatio causæ potentis tantùm operari absque potentiâ non operandi est necessaria modo dicto. Ita pariter omissio, siue carentia operationis causæ potentis simul tum omittere, tum non omittere operationem, seu (quod est idem) tum non operari, tum operari libera est; & omissio, siue carentia operationis causæ potentis tantùm non operari, seu operatione carere absque potentiâ non carendi illâ, seu operandi necessaria est. Exemplum operationis liberæ sit consensus elicitus à voluntate potente ipsum non elicere. Operationis autem necessariæ calefactio elicita ab igne impotente ad illam non eliciendam. Exemplum carentiæ liberæ operationis sit carentia consensus in voluntate potente consentire. Carentiæ autem necessariæ carentia calefactionis in aquâ non potente calefacere. Quæ omnia apud omnes tum notissima, tum inconfessò sunt.

9 Et quoniam omnis operatio, & omnis carentia operationis actus secundus iure appellatur, operatio quidem positiuus, carentia autem negatiuus; & omnis potentia tum ad operandum, tum ad carendum operatione iure itidem vocatur actus primus iuxta doctrinam vniuersalem de potentia, & actu à nobis suppositam supra disput. 23. quæst. 2. num. 25. & latiùs expositam in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & tota quæst. 8. id circo libertas causæ libertas actus primi venit dicenda, sicque communiter nuncupatur, vtpote consistens in duplici potentiâ proximâ causæ, alterâ ad operandum, & alterâ ad non operandum, siue (quod idem est) altera ad non carendum, & altera ad carendum operatione, prout statuimus. Libertas autem tum operationis, tum carentiæ operationis libertas actus secundi venit dicenda, communiterque de facto dicitur, vtpote consistens in contingentiâ cuiuis earum tum attributa, tum verè conueniente, eo ipso, quòd prouenit à causâ liberâ in actu primo, atque adeò indifferente ad vtramuis. Pariterque appellanda venit, de factoque communiter appellatur, necessitas quidem causæ aut ad operandum, aut ad carendum operatione necessitas actus primi: necessitas verò ipsius operationis, aut carentiæ eius necessitas actus secundi. De quibus duabus libertatibus multa in sequentibus singillatim examinanda sunt; & consequenter multa item de duabus necessitatibus illis oppositis.

QVAESTIO II.

In quo consistat libertas actus primi. Et quid sit liberum arbitrium.

PRo resolutione primæ partis quæstionis sup- 10
pono primò, sermonem esse in eâ de libertate actus primi, ratione cuius causa absolutè dicitur libera, proximèque indifferens ad opposita. Constat autem ex quæst. præced. causam tunc esse liberam absolutè, quando ita operari proximè potest, vt etiam proximè possit non operari. Ex quo fit, vt libertas actus primi, de qua agimus, tunc sit in causâ, quando in eâ duplex potentia proxima inest, altera ad operandum, altera ad omittendam operationem.

Suppono secundò, eiusmodi potentias pro- 11
ximas causæ liberæ plerunque compleri per aliqua extrinseca distincta ab entitate ipsius causæ iuxta ea, quæ de potentiâ in vniuersùm diximus in Pharo Scient. disput. illâ 8. sæpe citatâ. Cernitur que in voluntate nostrâ, quæ per se præcisè non est proximè potens operari, & non operari, donec adsint cogitationes sufficientes, decretum Dei concurrendi cum illâ, cæteràque conprincipia, conditionesque seu positiuæ, seu negatiuæ, quæ vt illa euadat proximè potens operari, & non operari, sunt requisitæ. Ex quo fit, vt libertas actus primi in dictis potentijs consistens, plerunque sit in causâ liberâ denominatio semiextrinseca iuxta dicta in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3. alijsque in locis ibi citatis de denominatione vniuersè, deque eius diuisione in intrinsecam aut per identitatem, aut per adhæsionem, extrinsecamque, & semiextrinsecam, quæ ad rem videnda. Quomodò autem in causâ liberâ, non solùm potentia ad operationem, sed etiam potentia ad carentiam operationis sit positiua, constat, ex dictis vniuersim in supra dicta disput. 8. Phari quæst. 3. diuis. 7.

Suppono tertiò, siquæ causa possibilis per 12
suam

suam entitatem præcisè sit proximè potens operari, & non operari, atque adeò libera, libertatem eius à parte rei in solâ ipsâ entitate talis causæ consistere. Si quæ verò causa possibilis per aliquam formam sibi inhærentem reddatur libera, aut in ipsâ formâ, aut certè in aggregato ex entitate causæ, & formæ consistet à parte rei talis causæ libertas. Quibus in casibus denominatio liberæ cuiuis ex dictis causis erit intrinseca; priori quidem per identitatem; posteriori autem per adhæsionem iuxta denominationum doctrinam datam locis citatis.

13 Difficultas igitur superest, an quando denominatio liberæ in causâ, cui conuenit, est semiextrinseca, libertas in solâ entitate causæ, an potiùs in aggregato omnium, quæ ad talem denominationem concurrunt consistat realiter. Primum tenere debent Connotatores, qui in huiusmodi denominationibus formam denominantem cum subiecto denominato identificant, extrinsecè tantùm cætera requirentes ad hoc, vt tale subiectum denominetur per talem formam. Quibus consentire videtur Petr. Hurt. disput. 15. de Animâ sect. 3. dum ait, libertatem voluntatis cum ipsâ voluntate idem esse, cogitationes autem, & cætera extrinsecè tantùm requiri, vt voluntas euadat libera. Secundum autem tenent cæteri Doctores communiter, qui sententiam dictam de connotatis vnanimi consensu reijciunt. Cum quibus impræsentiarùm sentit Oniedo controuer. 12. de Animâ punct. 4. docens, in conceptu reali libertatis non solam entitatem voluntatis, sed cætera omnia requisita, vt voluntas euadat libera, intrinsecè claudi. Quid autem importet libertas actus primi sumpta formaliter tum in abstracto, tum in concreto, sub eam communem quæstionem de huiusmodi denominationibus cadit, quam tractauimus in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3.

Propositio 1.

14 Quæcunque ad libertatem actus primi, siue ad denominationem, qua causa denominatur libera, ita sunt requisita, vt, deficiente præcisè quouis eorum, libertas ipsa, siue denominatio deficeret, in conceptu reali talis libertatis, talisve denominationis clauduntur intrinsecè tanquam eius constitutiua, quantumuis ea entitati talis causæ extrinseca, & accesoria sint.

Hæc propositio sub vniuersaliore, in qua continetur, est demonstrata à nobis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 19. Recognoscatur demonstratio facta ibi, & huc applicetur, ne actum agamus. Vbi etiam apparebit legenti, quomodò per ipsam demonstrationem sententia illa commemorata de connotatis vniuersè, & demonstratiuè manet reiecta.

Propositio 2.

15 Libertas actus primi sumpta formaliter, prout à nobis concipitur, tum in abstracto, tum in concreto non potest non importare secum aliquod ens rationis, non fictum, sed suppositicium.

Hæc etiam propositio sub vniuersaliore manet probata in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3. supra citatâ. Quæ ad rem videnda.

Ex dictis inferendum est, in quonam necessitas actus primi consistat. Cùm enim causa tunc 16
sit in actu primo ad actum secundum necessitata, quando ita in hunc prodire potest, vt nequeat in ipsum non prodire, fit sanè, necessitatem actus primi duo dicere, potentiam scilicet proximam ad actum secundum, & defectum potentiæ proximæ ad eius contradictorium. Ex quo rursus fit, vt necessitas actus primi plerunque sit denominatio semiextrinseca includens in suo conceptu reali omnia fundamenta, ex quibus desumitur; in suo autem conceptu formali aliquod ens rationis, non fictum, sed suppositicium, iuxta dicta de libertate oppositâ proposit. 1. & 2. Erit tamen necessitas actus primi denominatio intrinseca aut per identitatem, aut per adhæsionem, si quando causa aut per solam suam entitatem, aut per solam formam sibi inhærentem fuerit ad actum secundum necessitata, iuxta dicta de libertate actus primi suppositione tertiâ.

Venio iam ad secundam quæstionis partem. Et dico breuiter, has voces *liberum arbitrium* duobus imprimis modis solere vsurpari. Primo pro nudâ entitate voluntatis radicaliter indifferentis, siue remotissimè liberæ aptæve ad operandum liberè, si accedant alia requisita; iuxta quam acceptionem solemus dicere, hominem liberum arbitrium habere, etiam, dum caret vsu rationis, videlicet in infantiâ, in amentiâ, in ebrietate, in somno. Secundo pro voluntate iam absolutè liberâ, siue instructâ omnibus requisitis ad liberè operandum. Quo pacto, dum homo caret vsu rationis, quandoque libero arbitrio carere dicitur; quia caret libertate actus primi. Et quoniam voluntas siue increata, siue creata sine ductu rationis seu intellectus non operatur, ideò nomine liberi arbitrij ratio etiam aliquo modo videtur connotari in quauis acceptione ex dictis. Videantur latiùs differentes de acceptionibus liberi arbitrij, deque constitutiuis eius Bellarm. tom. 4. lib. 3. de Grat. & liber. arbitr. Soarez disput. 19. Metaph. sect. 5. & Proleg. 1. de Grat. cap. 1. Oniedo controu. 12. de Animâ punct. 4. & alij.

QVAESTIO III.

Quotuplex sit libertas actus primi. Quotuplex itidem necessitas.

QVanuis libertas actus primi, eiusdemque opposita necessitas in hac quæstione potissimùm diuidenda sit. Obiter tamen etiam videbimus, num libertas, & necessitas actus secundi, quæ ab actu primo deriuatur, suas quoque habet species, in quas diuidi possit. 18

Diuisio 1.

19 **Primò diuiditur celebri diuisione libertas in libertatem quoad exercitium, & libertatem quoad specificationem.**

Cuius diuisionis mentionem faciunt S. Tho. 1.2. quæst. 13. artic. 6. & ibi Caiet. Conrad. & Vazq. Soar. in Metaph. d sput. 19. sect. 4 num. 9. Mol. 1. par. quæst. 14. disput. 2. Bellarm. de Gratia, & liber. arbitr. l b. 3. cap. 3. & alij communiter. Libertas quoad exercitium est illa, qua causa est libera ad operandum, & ad non operandum. Libertas quoad specificationem, qua causa est libera, seu indifferens ad eligendum hunc actum præ alio ex ijs, quos potest exercere specie inter se differentes.

20 Hactenus autem quæst. 1. & 2. de solà libertate quoad exercitium sermonem fecimus, eamque solam definiuimus iuxta communem morem: quia ea est præcipua libertas, & sine qua nulla aliarum potest subsistere, vt patebit ex dicendis in hac quæst. Similiter necessitas, alia est necessitas quoad exercitium; alia quoad specificationem. Necessitas quoad exercitium est illa, ratione cuius causa non potest non exerceri per aliquem actum. Necessitas quoad specificationem est, quando causa benè potest per actum non exerceri; casu tamen, quòd exerceatur, per actum huius speciei exercenda est; non enim potest per alium diuersum exerceri. V. g. voluntas circa obiectum bonum quoad exercitium necessitatur, quando non potest non amare illud; quoad specificationem verò, quando benè potest in illud obiectum non ferri per actum vllum; casu tamen, quòd in illud feratur, per amorem, & non per odium ferenda est. Porrò necessitas quoad exercitium opponitur libertati quoad exercitium; necessitas autem quoad specificationem libertati quoad specificationem. Et hæc de primâ diuisione libertatis quæ communiter traditur.

Diuisio 2.

21 **Secundò diuiditur vulgò libertas in libertatem contradictionis, & libertatem contrarietatis.**

Libertas contradictionis est illa, qua causa redditur proximè indifferens respectu extremorum, quæ contradictorie opponuntur: qualis est libertas actus primi, qua voluntas potest amare, & non amare idem obiectum. Libertas contrarietatis est indifferentia proxima causæ respectu extremorum, quæ opponuntur contrariè: huiusmodi est libertas, quam habet voluntas ad amandum, & odio habendum idem obiectum; qui sunt actus voluntatis contrarij. Cæterùm hisce duabus diuisionibus, prout vulgò circumferri solent, non diuiditur adequatè libertas actus primi. Ob id nouus diuidendi ordo tentandus nobis est.

Diuisio 3.

22 **Tertiò igitur libertas actus primi alitèr, & in extrema multò plura est diuidenda à nobis, vt sequitur.**

Quod vt exactè, & clarè fiat, prænotare primùm oportet, per potentiam proximam ad operandum, & ad non operandum (quæ potissima libertas est actus primi, vulgòque libertas quoad exercitium, atque etiam libertas contradictionis vocari solet) reddi causam proximè indifferentem ad alterum ex duobus extremis, nempe ad actum, & ad carentiam, seu omissionem actus. Vnde iure optimo effectum est, vt omnis proxima indifferentia causæ ad alterum ex duobus extremis libertas actus primi dicatur, cuiusuis demum rationis ea extrema sint. Quocirca libertas actus primi vniuersalissimè accepta, prout omnes libertates amplectitur, sic potest sanè definiri. *Est proxima causæ indifferentia ad alterum ex duobus extremis.* Seu, *Est potentia proxima ad vnum, & ad alterum extremum sub disiunctione.* Pariterque necessitas actus primi vniuersè sic potest definiri. *Est determinatio ad alterum ex duobus extremis.* Seu, *Est potentia proxima ad vnum ex duobus extremis, quin sit ad alterum.*

Igitur vel vtrumque extremum est positiuum; & sic libertas actus primi respectu illorum potest dici libertas positiua. Vel vtrumque extremum est negatiuum; & sic libertas respectu illorum potest vocari libertas negatiua. Vel alterum extremum est positiuum, alterum negatiuum, & sic libertas respectu illorum dicetur mixta. Ex quo patet, libertatem vniuersalissimè acceptam in hæc primùm tria membra diuidendam esse, in libertatem positiuam, negatiuam, & mixtam. Quibus totidem respondent necessitates actus primi. Positiua, negatiua, & mixta. 23

Rursus, quia duo extrema positiua aut possunt esse contraria, aut non contraria, fit, vt libertas positiua alia sit libertas positiua contrarietatis, alia sit libertas positiua non contrarietatis. Eodemque pacto libertas negatiua alia erit libertas negatiua contrarietatis, quæ versatur circa negationes contrarias, alia negatiua non contrarietatis, quæ versatur circa negationes non contrarias. Simili modo, quia, cùm ex duobus extremis alterum est quid positiuum, alterum est negatio, aut possunt hæc duo esse contradictoria, aut non contradictoria, fiet, vt libertas mixta diuidi possit in libertatem mixtam contradictionis, (quæ omnium præcipua est, vt diximus), & in libertatem mixtam non contradictionis. Quibus singulis, singulæ quoque respondent necessitates. 24

Et quoniam de ratione cuiusuis libertatis actus primi est, vt per eam causa possit assumere quoduis ex extremis, circa quæ versatur, relicto altero, non potest non quæuis libertas esse electiua alterutrius ex talibus extremis præ altero. Sed est tamen duplex. Altera purè electiua, quando causa necessariò debet assumere vnum ex extremis, & relinquere alterum, impotens vel ad assumendum vtrumque simul, vel ad relinquendum vtrumque simul. Et talis est libertas, quæ versatur circa extrema oppositа citra medium, qualia sunt omnia contradictoria, & ex contrarijs ea, quæ medium recusant, iuxta doctrinam oppositorum, quam dedimus in Phæro Scient. disput. 14. quæst. 3. Eò videlicet quòd vtraque ita inter se oppositа sunt, vt etiam eorum 25

rum contradictoria opposita sint inter se. Altera est libertas electiua simul, & collectiua, quando causa ita potest assumere vnum ex extremis, & relinquere alterum, vt etiam possit vel assumere, vel relinquere vtrumque simul. Vnde hæc rursus est triplex. Prima, quando potest assumere simul vtrumque, non tamen relinquere. Secunda, quando vice versa vtrumque simul potest relinquere, non tamen assumere. Tertia, quando vtrumque simul & assumere, & relinquere potest. Prima est, quæ versatur circa extrema non opposita, quorum tamen contradictoria opposita sunt inter se. Secunda, quæ versatur circa extrema opposita non recusantia medium, quorum scilicet contradictoria inter se opposita non sunt. Tertia, quæ versatur circa extrema non opposita, quorum contradictoria itidem inter se opposita non sunt. Porro cùm opposita extrema aut metaphysicè, aut physicè, aut moraliter sint opposita iuxta doctrinam etiam traditam loco citato, vnaquæque omnium dictarum libertatum, præter vltimam, in tria præterea membra diuidenda venit iuxta triplex istud genus oppositorum extremorum.

26 Iam verò, cùm sit certum, circa extrema mutuò connexa inter se comparata libertatem actus primi dari non posse, quatenus non est dabilis potestas assumendi vnum præ altero, vel vice versa; dubitari tamen potest, an circa extrema connexa non mutuò potestas dabilis assumendi vnum præ altero, licèt non vice versa, libertas actus primi vocari possit. Arbitror, posse cum quadam restrictione. Dici enim potest libertas dimidiata, compositaque ex semielectiua, & semicollectiua, quatenus potestas est ad eligendum vel vnum ex extremis, vel collectionem amborum. Loquutus autem sum de extremis connexis inter se comparatis. Nam circa aggregatum eorum comparatum cum alio extremo, aut ipsi opposito, aut non opposito, dubium non est, quin perinde, ac circa quæuis alia extrema, possit dari libertas iuxta dicenda statim.

27 Pergo enim diuidendo, & dico præterea, extrema, circa quæ versatur libertas, aut posse esse eiusdem speciei, aut diuersæ. Tum aut quodlibet ex extremis est vnus actus, vel vna negatio singularis; aut est aggregatum ex pluribus. Si ex pluribus, aut ex pluribus actibus positiuis; aut ex pluribus negationibus; aut ex actibus, & ex negationibus simul. Si ex pluribus puris actibus, ex pluribusve puris negationibus, aut diuersis inter se specie, aut eiusdem speciei inter se. Vel tandem alterum extremum est singulare negatiuum, vel positiuum; alterum aggregatum aliquod ex prædictis. Totidem ergo modis libertas venit diuidenda.

28 Quibus profecto diuisionibus libertas actus primi vniuersè in omnia membra possibilia scientificè dissecta videtur. Singulis autem libertatibus dictis singulæ necessitates respondent, vt dictum est.

29 Superest modò, vt demonstremus quomodò libertas potissima contradictionis necessariò reliquas comitetur, adeò, vt sine illà nulla aliarum possit subsistere. Omnis enim libertas aut est positiua, aut negatiua, aut mixta, vt constat ex diuisione data num. 23. Si sit mixta; aut est ipsissima libertas contradictionis, quæ sine se ipsà non potest esse; aut est non contradictionis. De qua ostendo, non posse esse sine libertate contradictionis. Nam, si causa tali libertate libera potest assumere extremum positiuum A, relicto extremo negatiuo B, & è contra. Ergo potest assumere, & relinquere extremum A: itemque assumere, & relinquere extremum B. Quæ sunt duæ libertates contradictionis. Simili modo idem monstratur de libertate positiua, atque etiam de negatiua. Cum vtraque enim reperitur duplex libertas contradictionis; altera, qua potest assumi, & relinqui vnum extremum; altera, qua potest assumi, & relinqui alterum extremum. Quòd si verò aliqua ex his libertatibus sit dimidiata iuxta dicta num. 26. vnam vt minimùm feret secum libertatem contradictionis. Si enim causa potest assumere extremum A, relicto extremo B; sed non è conuersò; quia B nequit assumi sine A; saltem erit vna libertas contradictionis, qua extremum B, poterit relinqui, & assumi. Ex quo infertur, non posse esse libertatem, quam vulgò vocant quoad specificationem sine libertate quoad exercitium. Quia libertas quoad exercitium non distinguitur à libertate contradictionis.

Similiter nulla est necessitas actus primi, 30
quam non debeat comitari necessitas contradictionis. Si enim causa ex duobus extremis A B non potest non assumere A. Ergo non est libera ad assumendum, & relinquendum ipsum A. Ergo est necessitata ad A necessitate contradictionis. Ex quo patet, necessitatem, quam vulgò vocant quoad specificationem, aliquam secum ferre necessitatem quoad exercitium. Si enim voluntas casu, quo tendat in obiectum bonum, debet tendere per amorem, & per odium tendere nequit. Ergo est necessitata quoad exercitium omissis odij.

Hæc de libertate actus primi, eiusque mem- 31
bris. Quæ omnia si quis ad vniuersaliores, atque etiam ad vulgares diuisiones velit reducere, dicat primò, libertatem actus primi facultatem esse ad eligendum inter extrema vel opposita, vel non opposita. Si opposita; vel contradictoriè, & ea est libertas contradictionis; vel contrariè; & ea est libertas contrarietatis, (omnis quippe oppositio extremorum sub hisce duabus continetur, vt ostendimus in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 3.). Si non opposita; ea erit libertas anonyma: nam apud Auctores, vtpote in hac partitione ab eis prætermissa, nondum sortita nomen est. Itaque omnis libertas actus primi aut est contradictionis, aut contrarietatis, aut anonyma. Secundò dicat, quod ad alteram partitionem vulgarem attinet, solam libertatem contradictionis esse libertatem quoad exercitium; cæteras autem, præter illam, sub libertatem quoad specificationem comprehendendas venire.

Ex dictis infertur, quot modis libertas 32
etiam actus secundi diuidenda veniat. Cùm enim ea per respectum ad libertatem actus primi accipiatur, imo plerunque saltem sit quædam denominatio extrinseca ab illà desumpta, quot modis diuisa est à nobis libertas actus primi, totidem sanè libertas actus secundi diuidi potest. Id quod, quia facillimum factu est, Lectori faciendum relinquimus. Id solùm oportebit aduertere, quemadmodùm inter libertates actus primi libertas contradictionis, siue quoad exercitium, adeò est potissima, vt sine illà nulla aliarum subsistere possit, vt ostendimus; ita inter libertates actus secundi eam, quæ respectiuè ad illam

conuenit ipsi actui secundo, consistitque in contingentia eius essendi, vel non essendi à causa quoad exercitium liberà, ita esse potissimam, vt sine illà nulla aliarum possit consistere.

Diuisio 4.

33 **Libertas actus primi prætereà in metaphysicam, physicam, & moralem diuidenda est.**

Nam coalescit, vt constat ex dictis, ex duabus potentijs proximis, quibus causa potens redditur ad ea duo extrema disiunctim, respectu quorum est libertas. Et potentia sumpta vniuersim in eadem diuiditur membra; vt statuimus in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 3. diuis. 5. Libertas itaque metaphysica est illa, qua causa ita potest alterutrum ex duobus extremis, vt ex neutro posito sequatur contradictio. Libertas physica est, qua causa ita potest alterutrum ex duobus extremis, vt ex neutro posito sequatur aliquid contra iura naturæ. Libertas denique moralis est, qua causa ita potest alterutrum ex duabus extremis, vt illius positio non sit nimium difficilis, aut non sit ex numero eorum, quæ nunquam, aut rarò solent accidere. Inter quas libertates hic ordo est. Quòd moralis sine physicà, & metaphysicà, & physica sine metaphysica subsistere nequeant. At vice versà metaphysica sine physicà, & morali; physica autem sine morali benè possunt existere.

34 Pari ratione diuidenda est necessitas actus primi in metaphysicam, physicam, & moralem. Tunc causa est determinata, seu necessitata metaphysice ad actum, vel ad omissionem, quando implicat contradictionem in actum non prodire, vel eum nó omittere. Tunc physicè est determinata, quando nequit actum non elicere, vel eum non omittere, quin ius aliquod, aut debitum naturale frangatur. Tunc denique moraliter, quando operari, vel omittere nimis difficile est, & rarò, aut nunquam vsitatum cum talibus, aut cum similibus circunstantijs.

35 Hinc constat, libertatem actus secundi eodem modò diuidendam esse in metaphysicam, physicam, & moralem; pariterque eiusdem actus necessitatem. Nam actus secundus aut est contingens metaphysicè, aut physicè, aut moraliter respectu ad causam proximam, à qua est; aut necessarius totidem modis. In qua contingentia eius libertas; & in qua necessitate eius necessitas consistit.

36 Vnum hìc ad extremum animaduerto, non solùm actum, per quem causa immediatè exercetur, liberum esse libertate actus secundi, sed etiam liberum esse simili libertate effectum per actum productum, & quidquid actum, aut effectum necessariò consequitur, quando cuncta hæc à causa liberà in actu primo formaliter quatenus liberà proueniunt, prout inferiùs suo loco explicabitur. Vbi pariter debitâ proportione seruatâ, de necessitate actus secundi, & eorum, quæ necessariò sequuntur ex illo, veniet philosophandum.

QVAESTIO IV.

In quibus potentijs, seu in quibus rebus libertas actus primi esse possit.

QVia in plerisque difficultatibus deinceps excitandis, & decidendis circa libertatem actus primi eadem est ratio de libertate contradictionis, quæ omnium potissima est, atque de reliquis commemoratis quæst. 3. Idcirco compendij gratiâ de solâ libertate contradictionis agam deinceps in speciali: quidquid autem circa hanc dicetur, pariter de reliquis intelligendum erit, seruatâ cuiusque proportione: quoties expressè discrimen aliquod non fuerit adnotatum. Ergo in præsenti dubitari potest primò; an solis potentijs, seu rebus causatiuis dicta libertas competere possit; an verò rebus etiam non causatiuis, quæ posse aliquid dicuntur quouis potentiæ genere. Quòd si solis causis libertas conuenire potest; secundò quæritur, an omnibus omnino causis, an causis dumtaxat certi generis conuenire queat. 37

Pro resolutione suppono primò id, quod iam dixi, libertatem actus primi constari ex duplici potentiâ proximâ, qua redditur subiectum proximè indifferens ad actum, & ad actus negationem. Est autem potentia proxima illa, per quam subiectum immediatè respicit actum, illumque absolutè, & simpliciter dicitur posse, quin aliud quidpiam desideretur, vt subiectum in actum prodeat, præter actum ipsum, iuxta vniuersè dicta in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 3. diuis. 6. 38

Suppono secundò, quoties plura subiecta ad eumdem actum concurrunt, non posse vnum ad talem actum potentiam proximam habere, quin reliqua simul ad eumdem habeant potentiam proximam. Ostensum est id disput. 8. citatâ Phari quæst. 5. propos. 4. Ex quo planè sequitur, quoties simul cum eâ re, quæ dicitur libera, aliæ non liberæ ad eumdem actum concurrunt, non posse non omnes omnino indifferentes proximè esse, scilicet potentes proximè respectu talis actus, & negationis eius, vti est indifferens, potensque proximè ad vtrumuis res ipsa libera. Vnde rursus sequitur manifestè, ad hoc, vt aliqua res sit libera libertate actus primi, non satis esse, quòd habeat illa quamlibet indifferentiam proximam respectu actus secundi, & negationis eius, sed aliud quidpiam præterea requisitum esse. 39

Quid ergo hoc? Sanè, quòd res, quæ libera appellatur respectu alicuius actus secundi, suapte naturâ & essentiâ, præ reliquis, quæ cum eâ concurrunt, domina sit, seu dominatiua, seu electiua talis actus, vel negationis eius, determinatiuaque subinde existentiæ aut vnius, aut alterius, atque adeò tractiua cæteras res, quæ secum concurrunt ad eam partem, quam ipsa elegerit. Demus vnum exemplum. Ad eumdem actum liberum charitatis supernaturalis concurrunt effectiuè voluntas, & habitus infusus, atque adeò tam voluntas, quàm habitus proximè sunt potentes ad concurrendum, & ad non concurren- 40

currendum: ad concurrendum; quia de facto concurrunt; ad non concurrendum verò; quia possunt non concurrere, vt ponimus. Ecce hic vtraque ex his entitatibus in actu primo indifferens est proximè ad actum, & ad negationem actus. Et tamen certum est, voluntatem solam esse liberam respectu eius. Cur sic? Quia solius voluntatis potentia, non verò itidem potentia habitus, est respectu talis actus dominatiua, seu electiua, seu determinatiua, atque adeò secum tractiua potentiæ habitus ad ipsius actus elicientiam, quando eam sponte suâ eligit, seu determinat; aut ad oppositam omissionem, siue carentiam, quando sponte pariter suâ eligit, determinatve ipso actu carere. Quòd si adhuc quæras, quid sit in voluntate, præ habitu, esse dominatiuam, electiuam, seu determinatiuam alterius ex extremis, ad quæ ambæ entitates indifferentes, & potentes proximè sunt, ad quorumque alterum ambæ simul concurrunt, se se per illud exercendo tanquam per actum vtrique communem. Respondeo id aliud non esse ab specialitate naturæ, siue essentiali differentiâ, quam habet voluntas, præ habitu; ratione cuius aliter voluntas, & aliter habitus ad eumdem actum comparantur, siue per illum exercentur; voluntas quidem illum eligendo, & determinando; habitus verò eiusmodi electionem, ac determinationem sequendo: actusque ipse subinde diuerso modo, atque habitum, respicit voluntatem suapte naturâ, & è conuersò. Quemadmodùm in entitatibus causæ effectiuæ, & materialis esse priorem effectiuam, & posteriorem receptiuam respectu eiusdem entitatis actus, aliud non est ab earum essentijs specie inter se differentibus, ratione quarum diuersimodè comparantur ad talem actum; prior quidem efficiendo per illum, posterior recipiendo: ipseque actus respectu prioris est actio; respectu posterioris passio: diuersoque modo subinde respicit vnam, atque alteram suapte naturâ. Multaque alia præterea possent adferri exempla similia.

41 Itaque, quotics complexum plurium entitatum, seu rerum proximè indifferens est respectu alicuius actus secundi, ad quem omnes possunt concurrere; si qua earum sola, præ reliquis, respectu talis actus, & eius carentiæ dominatiua, electiua, seu determinatiua est, vti explicuimus; ea sola est entitas libera; reliquæ non item. Vnde illi soli imputatur positio, vel omissio actus, non verò reliquis. Tum ea sola dicitur determinare se ad actum, reliquæ verò ab illa determinari, & trahi. Consequenterque quanuis omnes ad actum concurrant, neque actus vllo pacto esse possit sine concursu omnium; at sola entitas libera dicitur determinatiuè, siue electiuè ad actum concurrere; subindeque causa esse, cur actus sit.

42 Ex quo sequitur; si in aliquo complexu plurium entitatum proximè indifferentium respectu vnius actus, ad quem concurrunt, non vna dumtaxat, sed plures entitates sint liberæ suapte naturâ, quemadmodùm explicatum est; tum sanè positionem, aut non positionem actus non vni soli venire imputandam, sed illis omnibus, à quibus æquè prouenerit eius electio, siue determinatio. Ex istis autem nulla dicitur aliam determinare, aut trahere, sed quæuis determinabit se ipsam; quælibetque dicetur causare actum determinatiuè; atque adeò causa esse, cur actus sit. De hoc tamen casu plura inferiùs suo loco dicenda sunt.

Quæ cum ita sint, consequitur planè, duplicem esse indifferentiam proximam rei respectu actus secundi; aliam rei liberæ, aliam rei non liberæ simul cum liberâ concurrentis ad eumdem actum. Ex quibus sola prior est libertas actus primi hactenus definita, & exposita; secus verò posterior. In exemplo enim nuper dato de voluntate, & habitu sola voluntas dicitur libera in actu primo; habitus verò non ita: tametsi hic proximè indifferens sit etiam respectu actus, proximève potens ad illum, & ad carentiam eius. Igitur indifferentiam proximam entitatis liberæ indifferentiam appellabimus libertatis; alteram verò entitatis non liberæ vocabimus indifferentiam indeterminationis. Sed præter has duas, quæ proximæ sunt, alia remota indifferentia solet in rebus reperiri respectu suorum actuum, quæ indifferentia incompletionis rectè dicetur: quia ortum habet ex defectu alicuius complementi requisiti, vt res in suum actum prodeat, siue ad illum determinetur; qua ratione intellectus nudatus speciebus indifferens dicitur esse ad cognoscendum hoc, aut illud obiectum, donec, accedente specie, determinatur ad hoc potiùs cognoscendum, quàm ad aliud. Pariterque in similibus. Iam ad resolutionem veniamus præsentis quæstionis. 43

Propositio 1.

Libertas actus primi in entitatibus non causatiuis reperiri non potest. 44

Hæc propositio certissima est apud omnes. Et probari potest primò; quia entitas non causatiua, tametsi per actum, cuius subiectum est, quodammodò exerceri dicatur, illum verò non ponit in naturâ rerum. Ergo talis actus nequit esse contingens respectu talis entitatis. Cùm enim contingentia actus in eo consistat, vt possit esse, & non esse in naturâ rerum; sequitur planè, actum non posse esse contingentem respectu eius entitatis, à qua nequit poni, & non poni in naturâ rerum: cuiusmodi est entitas non causatiua. Ergo actus neque potest esse liber libertate propriâ actus secundi respectu entitatis non causatiuæ; quia libertas actus secundi sine contingentiâ eius nequit constare. Ergo entitas non causatiua non potest esse libera in actu primo. Libertas enim actus primi, & actus secundi vicissim colligatæ sunt, vt constat. Secundò. Entitas libera in actu primo eius naturæ debet esse, vt sit electiua, seu determinatiua existentiæ, vel non existentiæ sui actus, atque adeò potens ponere, vel non ponere illum in rerum naturâ, prout ex dictis in præcedentibus constat. Sed entitas non causatiua sui actus non potest esse huiusmodi, vt est manifestum; cum ipsa nullo pacto possit facere, vt actus existat, vel non existat in naturâ rerum. Ergo entitas non causatiua nequaquam potest esse libera respectu actus, cuius potentia, siue subiectum est. Et quidem, si entitas non causatiua posset esse libera, posset, quin aliquid causaret, euadere digna laude, vel vituperio. Quod sanè quàm absurdum sit, ex terminis ipsis est cunctis ratione vtentibus euidens. Mitto alia, ne detineat in re comperta.

Itaque, etsi entitas non causatiua possit in actu 45

actu suo primo indifferens esse respectu actus secundi indifferentia indeterminationis, aut incompletionis ab aliqua causa eiusdem actus determinandæ, neut quam tamen potest esse indifferens indifferentia libertatis. Vnde concluditur, libertatem actus primi solis causis posse competere. Sed quibus causis?

Propositio 2.

46 Causæ intrinsecè componentes (si tamen eæ causæ propriè dicendæ sint) non possunt vllo pacto esse liberæ respectu actus, seu effectus, cuius causæ dicuntur.

Est clarum. Quia pars, quæ cum alia parte media vnione componit totum, non potest esse libera respectu vnionis iuxta doctrinam statutam propos. 1. eo quòd quatenus pars præcisè non est causatiua vnionis, per quam, vt per proprium actum vniri dicitur. Nec potest esse libera respectu totius, cuius causa dicitur. Cùm hoc non aliter causet, quàm communicando se vel præbendo se illi mediante vnione, in quo libertas esse non potest: quia in huiusmodi communicatione nil aliud intrat præter vnionem, quæ parti vnitæ non est libera, vt diximus, & præter entitatem partis, quæ sibi ipsi nequit esse libera, vt patet. Igitur pars componens totum, quæ causa intrinseca eius vocatur, non potest esse libera in esse talis causæ vllo modo.

Propositio 3.

47 Causæ purè morales, quæ sine interuentu alicuius influxus physici sui se ipsis moraliter causant, nullatenus possunt liberæ esse in huiusmodi causatione.

Ratio est. Quia huiusmodi causæ non aliter causant effectum, quàm mouendo, seu excitando potentiam physicam motione quadam, seu excitatione metaphoricà omnino ab ipsis causis inebitabili; cum eam præsent per suam propriam essentiam, seu entitatem. Ergo nequeunt esse indifferentes, atque adeò neque liberæ respectu talis motionis; & consequenter neque respectu effectus. Confirmatur, & declaratur particulari exemplo cognitionis alicuius obiecti, quam pono ex sententia magis communi non physicè, sed moraliter tantùm causare actum amoris, quatenus scilicet se ipsa excitat, inclinat, seu mouet voluntatem ad talem actum, quem deinde voluntas sola per physicam actionem elicit. Tum sic. Huiusmodi excitatio quasi in actu primo antecedens ipsum actum amoris nihil inditinctum à cognitione, & à voluntate ipsa claudit. Ergo, posita cognitione, & voluntate, impossibile est, vt cognitio non excitet, seu moueat voluntatem ad actum amoris. Ergo talis excitatio, seu motio, quæ se habet ex parte actus primi, non potest esse libera cognitioni. Sed neque causatio amoris in actu secundo potest illi libera esse; quia ad hanc nihil præstat cognitio præter illam motionem seu excitationem actus primi omnino sibi necessariam: eà enim posita excitatione, quidquid physicè fit, à solà voluntate fit: ab actione autem voluntatis extrinsecè denominatur cognitio causans moraliter eumdem effectum; eo quòd se ipsa voluntatem excitauit ad illum excitatione dicta actus primi. Ex quo patet, causationem moralem respectu cognitionis esse denominationem semiextrinsecam, cuius cognitio nihil liberè ponit, quia non ponit se ipsam liberè, nec voluntatem, nec actionem physicam voluntatis, quæ sunt fundamentum adæquatum huius denominationis. Vnde tandem concluditur, hoc, quod est, causare moraliter amorem, non posse esse liberum cognitioni: quia impossibile est, vt sit subiecto libera denominatio, cuius subiectum ipsum nihil ponit libere. Qua autem ratione de cognitione philosophati sumus, eadem de obiecto cognitionis philosophandum est: hoc enim etiam est causa moralis simul cum cognitione, seu mediâ cognitione respectu amoris.

Ex quibus planè sequitur, neque causam finalem, neque causam exemplarem posse esse potentias liberas respectu effectuum, quorum dicuntur causæ: quia ad illum tantùm concurrunt purè moraliter modo explicato. Supersunt igitur dumtaxat causa physica efficiens, & materialis etiam physica. De quibus restat examinandum, num possint esse liberæ. Et qua ratione. 48

Propositio 4.

49 Libertas actus primi neutiquam competere potest causæ materiali, siue potentiæ passiuæ, qua passiua est.

Hanc propositionem docent Bellarm. lib. 3. de Grat. & liber. cap. 10. Soar. in Metaph. disput. 19. sect. 2. à num. 19. & tom. 1. de Grat. prolegom. 1. cap. 2. & Opusc. 1. de Concursu Dei cap. 2. Hurt. disp. 15. de Anima sect. 1. Ouiedo controuer. 12. de Anim. punct. 2. videturque esse de communi sensu Doctorum. Ab eà tamen dissentit Arriag. disput. 8. de Anim. sect. 1. & rursus tom. 1. in 1. 2. disput. 7. sect. 1. Vbi satis improprie distinguit duas potentias passiuas. Vnam, quæ præcisè recipiat formam, nullo modo eam causando, sicut materia, inquit, recipit animam rationalem, nimirum mediâ vnione. Aliam, quæ in se non solùm recipit formam, sed verè eam causat, per passionem videlicet indistinctam ab actione causæ efficientis. Et primam quidem potentiam passiuam non causatiuam, dicit, non posse esse liberam, benè tamen secundam. In quo directè opponitur propositioni nostræ, & communi Doctorum sententiæ.

Quæ quidem imprimis probari potest ex 50 Trident. sess. 6. cant. 4. vbi, vt libertatem adstruat Concilium arbitrij humani, definit, eum merè passiuè non se habere; sed Deo vocanti cooperari. Quo apertè indicat, libertatem arbitrij sine effectiuo eius concursu subsistere non posse. Id quod etiam supponunt hæretici, quos Concilium damnat in hoc canone; fingentes voluntatem nostram merè passiuè se habere, vt consequenter possint asserere, eam non esse liberam in actibus suis. Respondet Arriaga, Concilium intelligi posse de potentia illà passiuà non causatiua à, quam ipse fatetur non posse liberam esse, non verò de potentia passiuà, quæ causatiua est. Verùm interpretatio hæc non satis tuta esse videtur, Ob idque in eam inuehitur Ouiedo supra. Quoniam

Con-

Concilium de eâ potentiâ passiuâ loquitur, quæ talis vocatur communiter à Philosophis. Hæc autem est, quæ mediâ passione recipit effectum ab agente; eoque iure dicitur causare illum; quia recipiendo, & veluti sustentando actionem agentis ad productionem iuuat talis effectus. Alia verò potentia passiua non causatiua aut prorsus est commentitia, aut valde impropriè dicitur potentia passiua. Materia enim, dum animæ rationali vnitur, valde impropriè dicitur ab Arriaga recipere animam ipsam mediâ vnione: quis enim hactenus vnionem passionem appellauit? Tum, sicut anima materiæ vnitur, sic materia vnitur animæ eâdem vnione. Ergo æquè dicetur materia recipi in anima per vnionem, ac dicitur anima recipi in materiâ. Quod tamen inauditum est. Stet ergo, Concilium de potentiâ propriè passiuâ loqui, quæ causa est effectus in se recepti, de hacque supponere in dicto canone, non posse esse liberam respectu effectus, quem in se patitur, seu recipit ab alio agente.

51 Secundò probatur propositio auctoritate Philosophorum præsertim Aristotelis, qui per potestatem agendi, & non agendi libertatem declarant. Ait enim Aristot. lib. 1. Magn. Moral. cap. 9. in nostro arbitrio esse bona, malaque facere. Quod latè prosequitur lib. 3. Ethic. sed specialiter cap. 5. Sentit ergo, in solâ potentiâ actiuâ posse esse libertatem. Deinde id ipsum confirmat fusè Soar. supra ex Scripturâ, & Patribus. Quæ probatio apud eum videri potest.

52 Venio ad rationem. Quæ quidem non facilè assignabilis est; cùm propositio, de qua agimus, potiùs sit per se nota, quàm per aliud quidpiam probabilis. Nam incapacitas libertatis proprietas est immediata potentiæ passiuæ, quam is dumtaxat plenè assequi potest, cui natura potentiæ passiuæ probè perspecta est. Ea tamen, quoad eius fieri potest, probatur primò. Quoniam ex vnâ parte passum nil sine concursu agentis præstare potest ad effectum, vt notum est. Ex aliâ parte concursus agentis prior est ex suo conceptu, quam concursus passi. Ergo impossibile est, vt agens per passum determinetur ad operandum: potiùs passum suapte naturâ determinatur ab agente. Ergo passum nequit esse potentia libera respectu passionis. Quia de ratione potentiæ liberæ est, vt determinetur à se, determinetque reliqua comprincipia; nec potest ab aliquo eorum determinari iuxta dicta num. 40. Dico autem, concursum agentis esse priorem ex suo conceptu concursu passi, non quidem prioritate reali; (quia quæ sunt realiter idem, vt sunt actio, & passio, nullum ordinem realem habere possunt); sed prioritate rationis cum fundamento in ipsâ re, per quam apprimè natura eius notificatur. Actio namque priùs concipitur egredi ab agente, quàm recipiatur in passo; sicut omnis datio priùs esse concipitur, quàm acceptio, siue receptio: nec vice versâ concipi possunt, nisi prorsus temerè, & gratis. Vnde constat, passionem vt talem talis esse naturæ, vt nequeat cum fundamento concipi vt determinatiuum agentis; adeòque nequeat esse libera comparatione passi.

53 Secundò. Passio ex conceptu suo non egreditur à passo; sed potiùs illi aduenit ab extrinseco, nempe ab agente; eatenusque à passo causari dicitur, quatenus in ipso recipitur, & quasi sustinetur. Ergo intelligibile non est, quòd passum cohibeat se à patiendo, atque ita impediat actionem agentis, aliàs de suo, seu, quantùm est ex se, in actu primo determinati ad agendum. Quia nihil potest cohibere, & quasi intra se retinere id, quod ab illo non egreditur, sed aliunde aduenit. Ergo non est in potestate passi pati, aut non pati: atque adeò neque in illo potest esse libertas. Nec dici potest, passum non per modum cohibentis passionem, sed per modum resistentis illam, seu prohibentis, posse actionem agentis impedire. Quia prohibitio, aut resistentia non datur, nisi vbi adest extremorum oppositio, seu incompossibilitas. Constat autem substantiam passi non esse oppositam actioni, cùm sit indifferens ad illam.

Tertiò. Quamuis supra actiones alterius 54
potentiæ possit in aliqua entitate dominium esse, vti est in nostrâ voluntate respectu actionum potentiæ locomotiuæ; ast supra passiones ab extrinseco prouenientes neutiquam videtur posse dominium esse, vti in nobis non est de facto; qui licèt possimus prohibere per actum voluntatis, ne corpus motum agat, & moueatur; at nequaquam prohibere possumus, ne corpus ab extrinseco impellente patiatur motum. Igitur, licèt possit esse entitas habens dominium supra proprias actiones; non tamen videtur possibilis entitas, quæ habeat dominium supra passiones impressas ab agente extrinseco, vel ab ipso imprimendas.

Quartò. Passum perinde causat effectum 55
mediâ passione recipiendo, & sustentando illum, veluti ne cadat in nihilum, atque vnum corpus aliud graue sustentat, ne cadat in profundum. (Per hoc enim phasma sensibile proprius conceptus passi eiusque causalitatis exprimitur). Sed impossibile prorsus est, vt corpus vnum sit liberum præcisè ad sustinendum aliud, vel non sustinendum pro nutu suo, vt ex se patet. Ergo etiam est impossibile, vt passum sit liberum præcisè ad patiendum, & non patiendum effectum. Mitto alia. Nam, si quis benè percalleat naturam passi, & naturam libertatis, clarè concipiet, non posse passum liberum esse, vt dicebam supra; sin minùs nullis argumentis conuinci poterit. Quæ in hac materiâ euidentiora non sunt, quàm, quæ exhibuimus.

Obijci potest pro sententiâ oppositâ. Cau- 56
sa materialis est verè causa in effectum influens, adeò, vt effectus non minùs impediri possit defectu influxus causæ materialis, quàm defectu influxus efficientis. Ergo ea potest esse libera, sicut efficiens. Nego consequentiam. Quia causa materialis magis imperfecta causa est, quàm, vt libera possit esse. Efficiens verò, cùm sit longè perfectior, optimè potest esse libera. Quod vel exinde etiam apparet; quia fieri potest, vt efficiens aliquod sine subiecto causet per creationem: at passum sine efficiente causare, impossibile omnino est. Quo fit, vt passum ex genere suo velut iuuamen quoddam sit efficientis; non verò vice versâ. Vnde magis etiam liquet, passum non posse esse liberum, sicut efficiens. Nec refert, posse impediri effectum defectu passi. Quia etiam potest impediri effectus defectu subiecti cuius est modus; tum defectu conditionum requisitarum. Cùm tamen his effectus non possit esse liber; eo quòd non sunt causæ eius.

Pro-

Propositio 5.

57 **Libertas actus primi in solà causà efficiente physicà reperiri potest.**

Hæc propositio constat ex dictis. Certum enim est, imo de fide, libertatem alicui entitati competere, nempe voluntati humanæ, angelicæ, & diuinæ; quas, infra ostendemus, esse entitates liberas. Sed nulla alia entitas potest libera esse, præterquàm causæ efficientis physicæ, vt hactenus probatum est. Ergo sola entitas causæ efficientis physicæ potest esse libera.

58 Objices. Voluntas diuina non est efficiens causa respectu amoris liberi Dei. Ergo de ratione entitatis liberæ non est esse causam efficientem. Respondeo primò, si voluntas diuina nullatenus est causa efficiens amoris liberi, multò minùs esse causam eius in alio genere. Vnde argumentum, si quid probat, probat quidem libertatem entitati nullà ratione causatiuæ posse competere. Quod est absurdum, & à nemine admissum. Respondeo secundò, amorem liberum Dei sine aliqua causalitate effectiuà non posse consistere, vt infra disput. 31. ostendemus. Quod vel ex doctrinà huius quæstionis confirmandum erit non leuiter.

50 Cæterùm, quia causa efficiens varias sub se continet species, videndum superest, an intra quamlibet earum possint causæ liberæ reperiri. Duplex imprimis est causa efficiens. Alia intentionalis. Alia non intentionalis. Intentionalem voco illam, cuius effectus est actus aut cognoscendi, aut appetendi, qui actus dici solent intentionales. Non intentionalis est ea, cuius effectus est aliud quidpiam. Ergo intra genus causæ intentionalis certum est causam appetitiuam, quæ cognitione ducitur ad operandum, posse esse liberam, vt patet in voluntate humanà, angelicà, & diuina. Restat examinandum, an sit possibilis causa efficiens cognoscitiua libera per se in cognoscendo. Tum etiam causa non intentionalis.

Propositio 6.

61 **Existimo, causam cognoscitiuam per se liberam in cognoscendo non esse impossibilem.**

Cuius sententiæ est Arriaga disput. 8. de Animà sect. 2. subsect. 3. licèt oppositam videatur docere Soar. disput. 19. Metaph. sect. 5. à num. 11. Probatur propositio primò. Quia, quemadmodùm causa appetitiua per cognitionem redditur proximè libera ad appetendum, vel non appetendum obiectum propositum: ita causa cognoscitiua per vnam cognitionem potest reddi proximè indifferens ad eliciendam aliam circa obiectum propositum; adeòque possibile est, vt sit radicaliter libera. Secundò. Intellectus noster iudicat liberè multa obiecta, circa quæ euidentiam non habet, libertate à voluntate participatà, vt apud omnes certum est. Ergo est possibilis intellectus, qui simili modo iudicet liberè ex libertate proprià. Sicut enim intellectus noster à voluntate determinatur, vt obiecto credibili sibi proposito aut assentiatur per actum fidei, aut non assentiatur: (ob idque ad actum fidei diuinæ expoſcitur à Theologis pius voluntatis affectus, qui liber est, & meritorius): sic etiam dari poterit intellectus, qui pari ratione à se ipso liberè determinari possit ad assentiendum, vel non assentiendum alicui obiecto sibi proposito. Tertiò. Sicut voluntas per præuiam obiecti propositionem partim inducitur ad actum circa tale obiectum eliciendum, & partim retrahitur ab illo, vt explicabitur inferius; ob idque est libera in actu primo. Ita intellectus obscurè, & abstractiuè cognoscens per obiecti propositionem præuiam potest partim induci ad iudicandum illud, & partim retrahi à iudicio. Ergo potest pari ratione liber esse. Porrò intellectum aliquem posse partim induci partim retrahi à iudicio manifestum est. Id enim de facto experimur in intellectu nostro; tametsi hic non à se, sed à voluntate determinetur.

Hæc probant, posse dari intellectum liberum respectu cognitionis obscuræ. Quoniam cognitio, respectu cuius datur fundamentum vnum alliciens, alterumque retrahens intellectum non potest non esse obscura iuxta ea quæ latiùs tradita sunt in Pharo Scient. disput. 4 & sequentibus. Talia enim fundamenta, cum sint opposita, vt supponimus, viciſſim se impediunt, obtundunt que, quod attinet ad gignendam euidentiam: & quæ seiuncta progignerent euidentia iudicia, coniuncta nullatenus queunt. Superest igitur difficultas, an possit dari intellectus liber respectu cognitionis euidentis, ad quam determinatè inclinetur, quantùm est ex parte obiecti, siue fundamentorum, ipse verò ex naturà suà indifferens sit ad eliciendam illam, aut non eliciendam. Censeo talem intellectum impossibilem esse. Quia non potest causa vlla per suam entitatem præcisè manere indifferentem atque adeò liberam ad vtrumuis, quando per aliquid præuium, & sibi adiunctum reddita est in actu primo determinata ad vnum. Ob id enim voluntas nostra, etsi alioquin sit in se causa libera, manere non potest libera ad id, ad quod per aliquid sibi adiunctum determinata redditur in actu primo; prout ex dicendis in sequentibus apparebit. 61

Hoc vnum modò circa datam propositionem animaduerto, libertatem, quam adscribimus intellectui possibili, posse esse libertatem perfectam, hoc est, sufficientem ad meritum, & demeritum, seu ad imputationem actus; eo quòd talis intellectus cum cognitione, & aduertentiâ ad actus moralitatem poterit operari, prout ad talem libertatem requisitum est, & sufficiens iuxta doctrinam, quam trademus circa propositionem sequentem. 61

Verùm contra præsentem obijci potest ex Soar. Quamuis idem obiectum voluntatis possit esse bonum, & malum secundùm diuersas rationes, siue respectus: attamen idem obiectum intellectus non potest esse verum, & falsum: quia veritas (secus ac bonitas) consistit in indiuisibili. Ergo, quamuis voluntas possit esse libera propter eam indifferentiam obiectiuam, quæ nascitur ex bonitate, & malitiâ obiecti proposita: intellectus tamen non poterit vllo modo esse liber: quia deest illi indifferentia obiecti. Respondeo; etsi re ipsâ non possit esse obiectum verum, & falsum, posse tamen ab intellectu apprehendi sub fundamentis oppositis, quorum vnum inclinet ad iudicandum, id esse verum, alterum autem inclinet ad iudicandum, id esse falsum: 63

falsum: quod quidem de facto contingit in intellectu nostro, estque sufficiens ad libertatem iudicij, siue ea ex libertate propria intellectus proueniat, vt nos contendimus, esse possibile, siue ex libertate potentiæ alterius imperantis, vt accidit in nobis de facto.

64 Secundo obijcitur. Actus intellectus non potest esse voluntarius prout ab intellectu. Ergo nec, prout ab illo est, potest esse liber. Hæc dissensio est de nomine. Si voluntarium sonat, quod est à voluntate, siue à potentiâ volitiuâ, fateor, actum intellectus non posse esse voluntarium respectu intellectus. Hoc tamen non obstat, quominus possit esse liber. Si tamen voluntarium sonet spontaneum, siue ortum à principio se se ipsum determinante, actus intellectus hoc ipso, quòd sit liber, voluntarius erit hoc sensu.

65 Tertiò obijci potest. Si intellectus potest formaliter esse liber. Ergo talis erit de facto intellectus noster aut spectatus præcisè, & secundùm se, aut vt coniunctus cum voluntate. Quæ fuit sententia Durandi in 2. distinct. 24. quæst. 3. reiecta ab omnibus Theologis. Nego consequentiam. Quia, non quidquid est possibile, confestim existit de facto. De facto autem intellectum nostrum non esse liberum ex se, imprimis constat propter auctoritatem omnium id contra Durandum attestantium. Deinde videtur constare experientiâ ipsâ, communique hominum sensu: qui, dum interrogantur, cur iudicant ea, quæ liberè iudicant, respondent, se illa iudicare, quia volunt. Qua responsione insinuatur, libertatem iudicij liberi à voluntate promanare, non ab ipso intellectu. Tum experiri in nobis videmur, nos actibus voluntatis iuuare intellectum, vt iudicet ea, quæ obscurè proponuntur: qui actus superfluè interuenirent, si intellectus in se esset liber, & à se ipso posset ad iudicium determinari. Præterea soli voluntati tribuitur in Scriptura libertas 1. ad Corinth. 7. *Non habens necessitatem sed potestatem habens suæ voluntatis*. Ratio item meriti omnis, & demeriti voluntati attribuitur. Et Trident. sess. 6. cap. 5. docet, hominem se moueri ad iustitiam *liberâ suâ voluntate*. Patres etiam antiqui totam libertatem arbitrij nostri in voluntate ponunt, dum eam solam vocant potentiam liberam, vt videri potest in August. lib. 3. de Liber. arbitr. cap. 1. & sequen. & lib. 5. de Ciuitate cap. 9. Ambros. lib. 2. de Fide cap. 3. Damasc. lib. 2. de Fide cap. 25. Denique, si intellectus noster esset liber, non opus esset pio voluntatis affectu ad credendum. Quod est contra omnes Theologos, & contra plures Patres talem affectum adstruentes vt quid ad credendum necessarium. Qualiter etiam videtur adstrui in Concilio Arausicano can. 5. vt latiùs traditur in materiâ de fide. Quæ quidem omnia satis abundè monstrant, intellectum nostrum non esse liberum per se. Necunde tamen videtur constare posse, esse impossibilem aliquem intellectum, qui per se, siue ratione sui sit liber.

Propositio 7.

66 Causa non cognoscitiua non potest esse libera libertate perfectâ, hoc est, libertate sufficiente ad meritum, aut demeritum, siue ad imputabilitatem moralem actus.

Ratio est. Quia sine cognitione moralitatis actus nequit ipse euadere moralis, siue moraliter imputabilis, hoc est, moraliter bonus, vel malus, dignusque subinde laude, vel vituperio. Ob id enim, qui opus efficit, aliàs ex specie suâ prauum, nec tamen ad prauitatem aduertit, vel illam ignorat, non peccat, nec dignus efficitur vituperio, etiam si libera sit illi substantia operis. Idemque est de opere bono liberè præstito, cuius bonitas ignoratur; vt latiùs traditur à Theologis in materiâ de bonitate, & malitiâ. Etenim, vt actus sit moraliter imputabilis causæ, non satis est, vt sit liber quoad entitatem physicam, sed requiritur, vt etiam sit liber quoad moralitatem. Quoad hanc autem non aliter dicitur liber esse, nisi quia procedit liberè à causâ cognoscente, & aduertente eiusmodi moralitatem. Tanti autem interest ad actus imputabilitem moralem hæc moralitatis veluti reflexa cognitio, vt qualis cognoscitur ab operante actus, qui fit, in esse moris, talis omnino euadat re ipsâ, siue cognitio sit vera, siue sit falsa. Vnde, si ego putem, esse peccatum id, quod liberè præsto, reus peccati fio, & vituperio dignus; tametsi opus meum ex specie suâ potiùs sit virtus digna laude. Similiter dignus efficior laude, & præmio efficiens opus, aliàs vituperabile, & prauum, si ego delusus existimem, illud bonum esse, & laudabile.

Hinc sequitur, non quamlibet causam quomodolibet cognoscitiuam posse esse liberam hac libertate perfectâ, quam explicuimus, sed eam dumtaxat, quæ ratione ducitur, seu cognitione rationali. Porrò enim ratio, siue rationalis cognitio in eo potissimùm consistit, vt per eam attingatur actuum moralitas, hoc est, bonitas, aut malitia moralis, prout oportet ad earum imputationem. Ex quo rursus efficitur, bruta animalia, tametsi sint entia cognoscitiua, neutiquam posse esse libera huiusmodi libertate perfectâ; nimirum, quia non sunt rationalia, vtpote inepta prorsus ad cognoscendam moralitatem actuum. Vnde præterea colligi potest, cur pueri ante vsum rationis, tum etiam somniantes, & amentes peccare non possint, aut aliquid laude dignum præstare: cùm tamen negari non posse videatur, eos aliquem vsum libertatis habere. Huius, inquam, ratio ea est, quia pueri, amentes, & dormientes nequeunt moralitatem suorum actuum animaduertere, prout oportet ad moralem eorum imputationem: etiam si probè interdum percipiant physicas rerum conuenientias, atque disconuenientias. Et ideo, dum sunt in eo statu, vsum rationis impeditum habere dicuntur: quia dictam actuum moralitatem percipere nequeunt, eâ saltem perfectione, quæ ad eius imputationem requiritur: atque adeò non sunt liberi libertate perfectâ dictâ. Cæteroquin libertate imperfectâ non sufficiente ad moralem imputationem, qua sola physica operatio, secus moralitas eius, libera euadit, non videntur omnino destituti. Quis enim dicat, puerum ante septenium (quousque ad vitium, & ad virtutem ineptus est) nullam omnino actionem liberam exercere? Cùm tamen constet, illum multa ante id tempus ex electione agredi, ex præuiâque consultatione, tum etiam in eâ tenerâ ætate sæpe consilio duci, exhortatione, comminatione, promissione, repre- 67

hersione, quæ manifesta libertatis indicia sunt. Atque ita doctrinam hanc de pueris, & amentibus perspicue tradit P. Molina 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 2. §. *Quo loco*, pro qua etiam refert Victoriam.

68 Aduerte hìc, libertatem, quam perfectam vocamus, communiter appellari libertatem moralem; eo quòd versatur etiam circa moralitatem actus, ad illi usque imputabilitatem conducit. Altera verò libertas imperfectior dicitur libertas purè physica: quia respicit dumtaxat physicam actus entitatem; ad eiusque proinde moralitatem, siue imputabilitatem moralem satis non est. Quæ sunt appellationes diuersæ ab alijs, quas supra posuimus num. 33. dum libertatem vniuersè partiti sumus in metaphysicam, physicam, & moralem. Ob id, ne æquiuocatio terminorum confusionem pariat deinceps, ex hisce duabus libertatibus primam vocabimus libertatem aptam imputationi morali; secundam verò eidem ineptam.

69 Constat itaque libertatem aptam imputationi morali in solis causis rationalibus reperiri posse. An verò in causis cognoscitiuis non rationalibus libertas imputationi morali inepta inueniri queat, suam habet dubitationem. Censeo esse possibilem causam cognoscitiuam non rationalem liberam ea libertate. Quoniam talis libertas à causa cognoscitiua non rationali non videtur aliena. Vt enim in pueris, & amentibus, estò non sint rationales pro eo statu; eo quòd non possunt vti vsu rationis, optimè nihilominus concipitur huiusmodi libertas imputatione morali inepta iuxta ea, quæ dicebamus nuper; ita etiam in causis, quæ absolutè, & in omni statu rationales non sunt, optimè poterit concipi libertas dicta. Nihil enim videtur interesse, vtrùm ineptitudo ad ratiocinandum oriatur ex impedimentis extrinsecis, vti accidit in pueris, & in amentibus, vtrùm verò ex ipsa natura rei: quandoquidem ad exercitium prædictæ libertatis actualis ratiocinatio necessaria non est. Quomodò autem in brutis, quæ causæ sunt cognoscitiuæ non rationales, nulla, ne inepta quidem imputationi morali, reperiatur libertas, vt fert communis Theologorum, atque Philosophorum sententia inferiùs à num. 76. exponemus. Modò vero examinandum supereſt, an causa nullo modo cognoscitiua possit aliquo modo libera esse.

Propositio 8.

70 **Existimo causam nullo modo cognoscitiuam nullam libertatem, adhuc imputationi morali ineptam, habere posse.**

Ita tenet, vt certumque supponit Bellarm. lib. 3. de Grat. & liber arbitr. cap. 15. Probari autem potest primò; quia libertas quæcunque ea sit, perfectius quid videtur esse, quàm vt causæ non cognoscitiuæ conuenire possit. Nec satis benè videtur percipi, quo pacto causa, quæ nulla cognitione ducatur ad operandum, possit in suâ potestate habere operationem ita, vt à se ipsa, sponteque suâ valeat ad operationem ipsam, vel ad omissionem eius determinari, prout ad libertatem requiritur.

71 Secundò; quia, vt constat ex dictis principio huius quæstionis, de conceptu causæ liberæ est, esse electiuam inter extrema, respectu quorum libera est. Electio autem suapte naturâ, & essentiâ præsupponit in eligente, à quo fit, cognitionem eorum extremorum, inter quæ fit, vt latis, superque est per se notum. Igitur causa non cognoscitiua nequit esse electiua; & consequenter neque potest libera esse.

Tertiò; nam, etiam si voluntas de suo sit causa libera, respectu eorum, quæ citra omnem sui cognitionem ab ipsa proueniunt, nullam exercet libertatem: ob id enim quando elicit actum re ipsa malum ignorans, eum malum esse, malitia actus ei non est libera, nec imputabilis iuxta dicta circa propos. 7. &, quando ex actu ipsi libero sequitur necessariò effectus nullatenus ab ipsa præcognitus, talis effectus non est ei liber, vti esset, si præcognitus esset: sic liberè proijcienti sagittam, per quam re ipsa fit homicidium, liberum hoc est, & imputabile, si ex sagittæ suæ actu sequuturum prænouit, si verò non prænouit, nequaquam. Igitur ea dumtaxat cadunt sub libertatem causæ, quæ cadunt sub illius cognitionem: nihilque proinde potest liberè nasci à causa nihil cognoscente. Quod est, causam non cognoscitiuam non posse esse liberam. 72

Quartò; quia ad libertatem actus primi necessarium est procul dubio, vt causa partim inducatur ad actum secundum, & partim retrahatur ab illo; ob id enim motus primò primi voluntati nostræ non sunt liberi; quia non est, quod pro tunc eam retrahat ab illis. Induci autem, & retrahi simul causam in actu primo ad eumdem actum secundum, nullatenus per aliud quidpiam fieri posse videtur, quàm per cognitiones repræsentantes partim bonum, & partim non bonum ipsum actum secundum. Itaque per ista omnia simul sumpta satis videtur comprobari, causam nullo modo cognoscitiuam nullâ libertate posse esse liberam, vt propositio nostra fert. 73

Ex dictis igitur in tota hac quæst. concluditur, libertatem actus primi in solis causis effectiuis physicis, ijsque aliquo modo cognoscitiuis reperiri posse. Secus in causis nullatenus cognoscitiuis, quantumuis sint illæ causæ effectiuæ physicæ. Ex cognoscitiuis autem solæ rationales possunt habere libertatem perfectam aptam morali imputationi. Libertas verò minus perfecta morali imputationi inepta, qualis reperitur in pueris, & in amentibus carentibus vsu rationis, in causis etiam non rationalibus, cognoscitiuis tamen, reperiri valet, iuxta dicta circa propos. 7. Vnde sequitur, præter causas effectiuas cognoscitiuas, cæteras omnes eo ipso non liberas, sed necessarias prorsus esse debere, ita, vt illis repugnet penitus, liberè suos effectus causare. 74

Sed obseruandum tamen est ad extremum huius quæstionis primò; libertatem perfectam, siue aptam morali imputationi de facto reperiri in Deo, in Angelis, & in hominibus. Quod & certum secundùm fidem, & secundùm rationem naturalem perspicuum est, vt suis in locis monstrant Theologi. Videantur dicenda à nobis de Libertate Dei infra disput. 31. quæst. 3. De libertate autem Angelorum, quæ docet S. Tho. 1. par. quæst. 59. artic. 3. ibique eius Expositores. Soar. lib. 3. de Angelis cap. 2. & alij in Tract. de Angelis. Et de libertate hominum, quæ tradunt Soar. disput. 19. Metaph. sect. 2. Bellarm. lib. 3. de Grat. & liber. arbitr. cap. 15. & lib. 4. à cap. 5. Ouied. controuer. 12. de Anim. punct. 1. 75

Carle-

Carleton. 1. par. disput. 85. per totam, & alij ab eis citati.

76 Secundò obseruandum est; licèt ex causis cognoscitiuis non rationalibus aliquæ possibiles sint liberæ libertate imperfectâ, siue morali imputationi ineptâ, vt diximus num. 69. aliquas tamen esse etiam possibiles non liberas, sed prorsus necessarias. Nam, tales causæ sunt de facto bruta animalia. Quæ, cùm cognoscitiua sint, nullatenus libera sunt, vt docent Aristot. lib. 3. de Anim. text. 157. & lib. 7. Politic. cap. 13. Greg. Nyssen. lib. 1. de Philosoph. cap. 1. & lib. 5. cap. 4. omnesque Theologi atque Philosophi, testante Bellarm. lib. 3. de Grat. & liber. arbitr. cap. 15. nuper citato. Id quod ex Scripturâ sacrâ colligitur dicente Psal. 31. *Nolite fieri, sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* Scilicet vti est in hominibus arbitrio coniunctus. Et Psal. 48. *Comparatus est iumentis insipientibus.* Videlicet propter defectum electionis cordatæ in operando; quam quia non habent iumenta defectu rationis, & libertatis, insipientia dicuntur.

77 Et quidem, non esse in brutis libertatem aptam imputationi morali defectu rationalitatis, iam diximus num. 67. Deduciturque manifestè ex principijs fidei. Nam, si eiusmodi libertate potirentur, vitij, & virtutis capacia essent, atque adeò meriti, & demeriti. Quod cum Catholicâ fide nullatenus cohærere potest. Sed neque est, cur illis libertas aliqua imputationi morali inepta tribuatur. Quoniam, quæcunque in operationibus brutorum sub experientiam cadunt, sine vllo genere libertatis exerceri possunt. Quanuis enim appetitus eorum ad multa indifferens videatur, eoque titulo speciem quamdam, ac veluti vmbram libertatis videantur præ se ferre: tamen eiusmodi indifferentia per naturalem sensuum cognitionem, perque natiuum eorum instinctum necessariò determinatur. Quo fit, vt omnia animantia eiusdem generis, quæ eodem subinde gaudent instinctu naturæ, semper eodem modo operentur. Itaque perfectio libertatis nulli enti de facto sine idoneo fundamento tribuenda est. Ad tribuendam autem bestijs aliquam quantumuis minimam libertatem, nullum est fundamentum idoneum.

78 Nec mirum, quòd intra genus causarum cognoscitiuarum non rationalium possibiles censeantur a nobis iuxta dicta aliæ liberæ, aliæ non liberæ: cum ratione differentiarum ita possint esse perfectione inæquales, vt alijs perfectio libertatis conueniat, alijs non item: etsi vtræque in operando cognitione ducantur. Possibile enim haud dubie est, quòd aliæ talis sint naturæ, vt, stante qualibet sufficiente propositione obiecti, à suo instinctu, siue natiua inclinatione ita necessariò in illud ferantur, vt non possint non ferri. Aliæ verò talis naturæ sint, vt, stante pariter qualibet sufficiente propositione obiecti, ita indifferenter ferantur in illud, vt possint non ferri pro nutu suo.

79 Tertiò obseruandum est, iuxta sententiam magis communem neutiquam esse possibilem causam cognoscitiuam rationalem, quæ libera non sit. Quod sentit Damasc. dum lib. 2. de Fide cap. 3. inde probat, Angelos arbitrij libertate præditos esse, quia rationales sunt. Vniuersaliterque subiungit, *Id omne quod ratione vtitur, libertate quoque præditum est.* Et infra cap. 18. ait, *Omni rationali naturæ omnino insita est liberæ potestatis voluntas. Ad quid enim haberet rationale, si non liberè vteretur?* Et consentire videtur Gregor. Nyssen. lib. de Oratione domin. orat. 4. dum ait, Deum effecisse, *vt animi libero quodam arbitrio, atque proposito regatur, quidquid ratione pariter, ac mente honoratum est.* Atque id ipsum insinuant multi alij Patres, quando liberum Angelorum arbitrium adstruunt. Tenet autem hanc sententiam expresse Soar. lib. 3. de Angelis cap. 2. Pro eademque tacitè saltem videntur stare, quotquot censent, impossibilem esse naturam intellectiuam, quæ non sit volitiua; quos infrà disput. 31. quæst. 1. referemus. Sunt tamen, qui putent apud Soar. ibi num. 6. naturam intellectiuam non liberam possibilem esse. Pro qua sententia stabunt haud dubie, qui censent, esse possibilem naturam intellectiuam, quæ non sit volitiua. Quod tenet, & latè defendit Arriaga disput. 2. de Anim. sect. 4.

Ego arbitror primò, si *rationale* strictè su- 80
matur, ens rationale non liberum planè esse impossibile. Quia *rationale* strictè sumptum capacitatem denotat proculdubio operandi consentaneè ad rationem cum imputabilitate morali, atque adeò benè moraliter, quod sine libertate subiecti, quod rationale dicitur, nullatenus stare potest, vt ex se, & ex dictis est manifestum. Et fusè suo loco explicabitur. Et hoc sensu accipio testimonia Patrum commemorata. In quo citra omne dubium verissima sunt. Præterquàm quòd illi fortasse dumtaxat loquuntur de facto. Certumque est, nullum rationale esse de facto, quod non sit liberum.

Arbitror secundò, si *rationale* latiùs sumatur 81
pro eodem ac *intellectiuum*, non videri impossibile ens rationale, siue intellectiuum non liberum. (Idque, supposito etiam cum communi, intellectiuum non volitiuum impossibile esse). Primò quidem; quia natura intellectiua non libera nullam videtur secum ferre contradictionem: nec eam efficaciter probant argumenta, quæ ad id inducit Soar. vbi supra, vt consideranti innotescet, Ergo neque videtur esse, cur impossibilis censeatur. Secundò; quia de facto datur appetitus brutorum non liber, etsi in operando ducatur ille per cognitionem sensitiuam. Ergo de possibili dari poterit voluntas non libera, etsi in operando ducatur illa per cognitionem intellectiuam. Quod ipsum erit, dari naturam intellectiuam non liberam. Quanquam enim per intellectum non possint non sæpe proponi voluntati oppositа obiecta, nihil vetat, quòd ea talis naturæ sit, vt ferri nullatenus possit, nisi in efficaciùs propositum, in efficaciùs autem propositum non possit non ferri, in nullumque consequenter liberè ferri possit. Appetitui quippe brutorum sæpe etiam citra dubium proponuntur obiecta opposita, & tamen sine libertate fertur semper in id, quod fertur; quia ferri nequit, nisi in propositum efficaciùs, & in illud nequit non ferri. Tertiò; quia, stantibus in nobis quibusuis intellectionibus, alias, quantùm est ex se, idoneis ad libertatem cuiusuis actus, possibile est nihilominùs, quòd voluntas nostra per aliquid aliud sibi adiunctum, seu positiuum, seu negatiuum, fit ad talem actum, aut ad eius omissionem necessitata, vt est certum. Sed est possibilis voluntas habens per suam essentiam, quod per aliquid sibi adiunctum haberet in tali casu voluntas nostra. Ergo est possibilis voluntas necessitata per suam essentiam ad quemuis actum, aut omissionem eius, stantibus quibusuis intellectionibus

bus, aliàs; quantùm est ex se, idoneis ad talis actus libertatem. Quod ipsum est, possibilem esse naturam intellectiuam, & volitiuam, & nihilominùs per suam essentiam ad nullum actum liberam.

82 Quartò obseruandum est, eas causas absolutè liberas dici, quæ liberè operari possunt per aliquos actus, etsi possint etiam per alios necessariò operari. Cuiusmodi sunt causæ liberæ, quæ de facto dantur. Eas verò causas dici absolutè necessarias, quæ liberè operari nequeunt per vllum actum. Quales sunt causæ naturales de facto item existentes. Vnde patet, posibiles esse causas, quæ tum liberè tum necessariò operari possunt. Et causas, quæ necessariò tantùm operari valent, secus liberè. Superestque dubitandum subinde, an è conuerso sint posibiles causæ, quæ liberè tantùm operari valeant, secus necessariò. Circa quod dubium certum est, non esse posibilem causam, quæ tam per actum negatiuum, quàm per positiuum debeat se liberè exercere, nec necessariò posit. Cùm enim omnis causa posibilis ad se exercendum per actum positiuum egeat concursu Dei, & Deus illi talem concursum negare posit, quo negato, ad actum negatiuum oppositum manebit illa necessitata, consequens est, vt nulla sit causa posibilis, quæ se non posit necessariò exercere per actum negatiuum; atque adeò, quæ non posit libertate carere ad actum positiuum. An verò casu, quòd per actum positiuum se exerceat, debeat id liberè præstare, nec necessariò posit, rursus est dubitabile. Arbitror, talem causam posibilem esse. Quia posibiles sunt actus positiui intrinsecè, & essentialiter liberi, vt infra quæst. 17. ostendemus. Neque est, cur repugnet causa, quæ per solos actus intrinsecè liberos, & non per alios, posit se positiuè exerceri. Quæ proinde aliter, quàm liberè, nequibit positiuè operari, siue per positiuum actum se exercere.

QVAESTIO V.

Quænam in vniuersùm sint requisita ad libertatem actus primi.

83 QVæstio hæc disputationis præsentis potissima est, vtpote in qua potissima, vniuersalissimaque de libertate principia stabilienda mihi sunt. Quoniam autem ad illa maximè conferunt, quæ in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 5. statui de requisitis ad actum primum, siue potentiam proximam generatim, pleraque eorum imprimis ad hanc quæstionem iunt transferenda, & ad propositum applicanda; deinde autem plura alia propriora addenda. Curabo autem, quoad fieri poterit, & quantum ipsa materia tulerit, vt pleraque saltem, quæ tradentur, aut sint per se euidenter nota, aut ex principijs euidentibus demonstrata. Quo fiet, vt quæstio hæc, si non adæquatè, maiore saltem ex parte, pro eà subroganda veniat, quam in singulis disputationibus metaphysicis huius Operis solemus tradere coalescentem ex propositionibus euidentibus, aut aliàs certis, seu per se notis, seu demonstratis, quæ ex terminis talis disputationis componuntur potissimùm.

84 Ad rem ergo suppono primò ex sæpe iam in præcedentibus statutà doctrinà, libertatem actus primi (contradictionis scilicet, de qua potissimè est agendum) consistere in duplici potentiâ proximâ, quam habet causa libera, alterâ ad operandum, alterâ ad omittendam operationem; dicique potentiam proximam ad operandum, vel ad non operandum, quæ immediatè respicit operationem, vel omissionem eius, &, qua posità, nihil iam desideratur ex parte causæ, vt se se exerceat in actu secundo per operationem ipsam, vel per omissionem operationis, vtque absolutè, & simpliciter dicatur posse operari. Operatio quippe actus secundus positiuus, & eius omissio, siue carentia actus secundus negatiuus dicuntur oppositi contradictoriè inter se. Dico autem, libertatem actus primi consistere in duplici potentiâ proximâ. Quia potentia ad operandum, & potentia ad non operandum duæ potentiæ sunt saltem formaliter, seu per rationem nostram; eo quòd ex conceptibus proprijs terminos respiciunt distinctos inter se à parte rei, operationem scilicet, & eius carentiam, siue actus secundos positiuum, & negatiuum: quidquid sit de illarum aut distinctione, aut identitatè reali. De qua in decursu quæstionis succedet sermo.

85 Secundò suppono ex dictis etiam iam quæst. 2. eiusmodi potentias proximas causæ liberæ aut semper, aut plerunque saltem compleri per aliqua extrinseca distincta ab entitate ipsius causæ. Quo fit, vt libertas actus primi in dictis potentijs consistens aut semper, aut plerunque saltem denominatio sit ipsi causæ liberæ semiextrinseca, complectensque multa inter se distincta realiter in suo conceptu, siue in suâ essentiâ reali; (quidquid sit de conceptu formali eius, de quo modò non est curandum); ea omnia nimirum, ex quibus denominatio ipsa dicitur sumi, &, quorum quolibet deficiente, ipsa deficeret. Ista enim omnia in talis denominationis conceptu, siue essentiâ reali intrinsecè claudi tanquam constitutiua intrinseca eius dicta quæst. 2. propos. 1. statutum est demonstratiuè, postmodùmque iterum statuetur. Quanquam enim conceptus realis huiusce denominationis, sicut & aliarum similium, non omnia, ex quibus à parte rei coalescit, importet exæquò, & directè, sed pleraque indirectè, siue in obliquo, vt constat ex dictis à nobis in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. & disput. 8. quæst. 3. sæpeque aliàs; hæc tamen, quæ in obliquo, siue de connotato importantur, non ob id desinunt ad illum pertinere intrinsecè tanquam quædam constitutiua essentiæ eius. Ea quippe est talis conceptus essentia, dicere aliquid, aut aliqua tantùm in recto, & cætera in obliquo. Quo iure essentia per accidens, ensque per accidens appellatur, prout in eadem Pharo expositimus disp. 9. quæst. 2.

86 Tertiò suppono, intrinsecè requisita dici ad libertatem actus primi, quæcunque conceptum, siue essentiam realem eius intrinsecè modo dicto constituunt. Extrinsecè autem ad talem libertatem, talemve ipsius essentiam requiri dicetur id, cum quo illa iam adæquate constituta tanquam cum termino extra se posito connexa est. Cætera verò, quæ neque ipsam constituunt, neque ipsius terminant connexionem, ad ipsam nullo modo requisita esse dicentur. Potest autem dicta libertas, siue realis eius essentia cum alie

quo-

quopiam extra se posito connexa esse aut ratione sui totius in diuisim, aut ratione alicuius partis sui: totum siquidem cum quauis parte sui est connexum, & consequenter cum eo, cum quo est connexa quæuis pars sui, vt constat. Est autem, & erit semper in tota hac quæstione sermo de connexione metaphysica, deque requisitis simpliciter in ea fundatis, quæ requisita essent ialiter dici solent aut intrinsecè, quando sunt essentiæ constitutiua, aut extrinsecè, quando sunt termini extrinseci connexionis metaphysicæ eius. Porro idem est, requiri aliquid modo dicto intrinsecè, vel extrinsecè ad libertatem actus primi, siue ad eius essentiam, atque requiri ad duas potentias proximas causæ, in quibus ea consistit, aut ad quamlibet earum, vt est notissimum. Et quoniam, stantibus omnibus requisitis intrinsecè ad eas ambas potentias, non potest non stare libertas, &, deficiente quolibet requisito intrinsecè ad earum quamlibet, non potest non libertas deficere, vt non minùs est notum: examinare imprimis vniuersaliter oportet, quænam sint constitutiua intrinseca cuiusuis potentiæ proximæ causæ ad quemlibet actum secundum, atque adeò intrinsecè requisita ad talem potentiam, & quænam ad illam sint extrinsecè requisita, & quænam nullo modo. Pro quo sit.

Propositio 1.

87 **Id, quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, deficit quæuis potentia proxima causæ ad quemlibet actum secundum, aut est ipsa potentia proxima, aut aliqua pars eius ipsam intrinsecè constituens.**

Hæc propositio, præterquam quòd ex terminis ipsis est satis euidens, sub vniuersaliore idem ipsum pronunciante de essentia in communi demonstrata à nobis est in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 19 cùm nequeat non esse essentia aliqua contenta sub essentia in communi potentia causæ, de qua agit, vt est manifestum. Videatur ergo demonstratio facta ibi, & huc applicetur.

88 Quòd si propositio eiusdem sensus formetur sic. Id, quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus per possibile, aut impossibile permanentibus, causa non est absolutè, & simpliciter, atque adeò proximè potens ad actum, ad potentiam proximam talis causæ ad talem actum intrinsecè requisitum est. Ex disp. 8. eiusdem Phari quæst. 5. propos. 1. demonstratio eius specialiter desumi poterit.

89 Sub easdemque demonstrationes pariter cadet similis propositio formata, non quidem de quauis potentia proxima causæ, sed de ipsa cuiusuis causæ liberæ libertate actus primi, vt vnicuique eas legenti, & applicanti conspicuum fiet.

Propositio 2.

90 **Nulla potentia proxima causæ includit in suo conceptu reali prout existentem, siue exercitum actum, ad quem potentia proxima est. Nullusque subinde actus in quantùm existens, siue exercitus ad conceptum realem potentiæ proximæ, à qua procedit, est intrinsecè requisitus.**

Hæc propositio non minùs certa, & euidens est, quàm præcedens. Primò; quia, quando causa respectu actus est libera, aut aliter quoquomodo proximè indifferens respectu eius, proximè potens manere potest talis causa respectu talis actus; quin ipse sit existens, vt constat: siquidem id ipsum est, esse eam proximè indifferentem respectu eius. Igitur in potentia proxima talis causæ ad talem actum neutiquam actus ipse prout existens potest esse incluſus, atque adeò nec requisitus ad illam intrinsecè vt quædam pars constitutiua eius. Alioquin posset totum manere sine aliqua parte sui. Quod repugnat euidentissimè.

Secundò; quia nullus actus prout existens 91
potest immediatè, & per se causare ipsam eamdem existentiam, quam habet: cùm euidentissimum sit, non posse quidpiam immediatè per ipsum *esse*, quod iam habet, dare sibi denuò ipsummet *esse*, siue per ipsum *esse*, quod iam in rerum natura est positum, ipsummet *esse* denuò ponere in rerum natura. Sed, si in potentia proxima, quam causa habet ad quemuis actum, ipse actus prout existens includeretur, ipsemet prout existens vna cum cæteris incluſis in tali potentia immediatè, & per se causaret ipsam eamdem existentiam, quam habet: cùm sit certissimum, actum causæ ab integra potentia proxima, quam causa ad ipsum habet, procedere. Ergo, &c.

Tertiò; quia impossibile est, vt idem prius, 92
aut posterius natura se ipso sit, vt demonstratum est à nobis in Pharo Scient. disput. 15. quæst. 7. propos. 4. Sed, si actus prout existens in potentia proxima, quam sua causa habet ad ipsum, includeretur, prior, & posterior natura esset ipso prout existens: cùm sit certissimum, actum prout existentem posteriorem natura esse potentia proxima, à qua procedit, & consequenter omnibus constitutiuis essentiæ eius, & hæc priora ipso actu prout existente. Ergo, &c. Hæc satis pro propositione indubitabili vel ex terminis ipsis.

Propositio 3.

Quæcunque ex parte causæ ad exercendum actum sunt requisita, intrinsecè requisita sunt, vt illa proximè potens ad actum reddatur: secus, quæ ex parte causæ ad exercitium actus non requiruntur. 93

Vtraque pars propositionis est certa. Prima autem ostenditur. Quia, deficiente aliquo ex parte causæ requisito ad exercitium actus, nequit intelligi causa absolutè, & simpliciter, atque adeò proximè potens ad exercendum actum: siquidem ad exercitium actus id dicitur ex parte causæ requiri, quod per modum conditionis, vel comprincipij, vel aliter complet facultatem eius, aut quoquo modo expeditam, promptamque reddit ad tale exercitium; & satis, superque constat ex se, quousque facultas causæ ad exercendum

dum actum completa est, & expedita, neutiquam posse illam intelligi potentem proximè ad exercendum actum ipsum. Sed id, quo præcisè deficiente, causa non est proximè potens ad exercendum actum, ad potentiam proximam talis causæ ad talem actum intrinsecè requisitum est iuxta propoſit. 1. Ergo, &c.

94 Secunda autem pars inde constat. Quia semel completa, & expedita facultate causæ per ea omnia, quæ ex parte eius ad exercitium actus sunt requisita, (quæcunque demum alia desint), nihil desideratur, quominùs sit causa proximè potens ad ipsum actum: siquidem, esse illam proximè potentem ad actum, & habere iam illam omnia, quæ ex parte ipsius sunt requisita ad exercendum actum, in idem recidit, vt satis ex se notum est. Porrò trifariam potest esse aliquid requisitum ex parte causæ, vt ea reddatur proximè potens ad exercendum, siue ad exequendum physicè suum actum. Primò tanquam comprincipium, siue concausa physicè ad eumdem actum concurrens. Secundò tanquam causa moralis aliquo modo excitans, inclinans, seu mouens ipsam causam physicam ad exercitium talis actus. Tertiò tanquam conditio aliquo etiam modo applicans, approximansve vel causam ad actum, vel actum ad causam. Ad hæc enim tria capita reducitur omnis modus concurrendi immediatè ad actum simul cum causa physica eius.

Propositio 4.

95 **Quoties plures causæ physicè ad eumdem actum concurrunt, nequit vna ad talem actum potentiam proximam habere, quin reliquæ simul ad eumdem habeant potentiam proximam.**

Hæc etiam propositio est certa. Probatur enim aperte primò; quia nulla eiusmodi causarum potest se sola talem actum elicere, hoc ipso, quòd ille indiuisim est actus omnium, vt est notum. Ergo, quousque omnes possint proximè, nulla proximè potest.

96 Secundò; quia nulla talium causarum, deficientibus reliquis, est proximè potens elicere actum, vt constat. Ergo neque erit, eis non habentibus potentiam proximam ad ipsum. Deficiente enim potentia proxima earum, perinde se habent, ac si non existerent, in ordine ad exercitium actus; siquidem hoc non minùs cum earum potentia proxima, quàm cum earum existentia, connexum est iuxta propoſit. 3. demonstratam in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 4.

97 Tertiò; quia actus non est possibilis proximè, donec omnes causæ physicæ, atque adeò essentiales eius, proximè sint potentes illum elicere, vt patet: aliàs, si ante potentiam proximam alicuius proximè esset actus possibilis, talis etiam esset ante potentiam proximam omnium: quod constat falsum esse: eo quòd non est maior ratio vnius, quàm aliarum; cùm æquè dependeat ab omnibus. Ergo neque aliqua talium causarum est proximè potens ad talem actum, donec sint reliquæ. Potentia enim proxima causæ, & possibilitas proxima actus viciſſim referuntur.

98 Quartò; quia omnes prædictæ causæ cum suis requisitis componunt adæquatam virtutem, à qua immediatè procedit actus. Ergo potentia proxima cuiuslibet adeò ad potentiam proximam reliquarum requiritur, vt omnes vicissim se se includant in conceptu reali vnius potentiæ proximæ totalis, à qua omnes, & singulæ denominantur potentes proximè talem actum.

Quintò; quia approximatio agentis ad passum intrinsecè est requisita ad potentiam proximam agentis, vt iure apud omnes est inconfessò: siquidem, deficiente approximatione, agens absolutè, & simpliciter non est potens agere in passo. Ergo multò magis erit ad illam intrinsecè requisitum passum ipsum, propter quod agens approximationem exposcit. Sed non passum nudum, qua ratione nequit iuuare agens. Ergo vestitum omnibus requisitis, vt proximè potens dicatur ad illud iuuandum. Et quidem, si quæuis conditio ex parte causæ requisita ad causandum ad potentiam proximam causæ spectat intrinsecè, vt apud omnes est certum, & ex doctrinâ generali propoſit. 3. constat; quanto magis concausa physica ad eamdem potentiam proximtm spectabit intrinsecè, cuius iuuamine non minùs, imo magis indiget causa, quàm iuuamine conditionis, vt satis ex se est notum. 99

Doctrinâ tamen huius propositionis intelligenda est de potentiâ proximâ, quàm ad ponendum eumdem actum absolutè, & simpliciter antecedenter omnino ad positionem eius habent plures causæ indiuisim. Insuper enim in singulis illarum seorsim resultat altera potentia proxima vnicuique propria ad ponendum actum præcisè prout à se completa per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actus à reliquis, si extiterit ab ipsâ, quando talis veritas adest. Quod vt intelligatur, suppono primò ex doctrinâ ostendendâ postmodùm propoſit. 9. quando duo actus duarum causarum A B sunt mutuò connexi, potentiam proximam vniuscuiusque earum ad suum actum intrinsecè compleri per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actus alterius, si extiterit suum. Et quoniam quando aliæ duæ causæ A B ad eumdem actum concurrunt, A ponere illum, & B ponere illum, diuersæ sunt veritates mutuò connexæ propter diuersa connotata, quæ includunt, prout sæpe aliàs dictum est. Suppono secundò, pariter esse in hoc casu philosophandum: atque adeò dicendum, suppositâ potentiâ proximâ, quam habent A, & B indiuisim ad ponendum actum simpliciter independenter omnino ab ipsius actus existentiâ, quando est conditionatè verum, extiturum sine contradictione actum, à B, si extiterit ab A, alteram potentiam proximam accrescere ipsi A propriam ipsius ad ponendum actum prout à se. Tantumdemque dicendum est vice versâ de potentiâ proximâ similiter accrescente ipsi B propriâ ipsius. Quippe, licèt A, & B indiuisim potentiâ proximâ vtrique communi possint simpliciter actum ponere: tamen nec A potest ponere actum, prout est à B, nec B, prout est ab A: proindeque vnaquæque eget alterâ potentiâ proximâ sibi propriâ ad ponendum actum prout à se; sine quibus omnibus potentijs actus nequit existere. Quæ vt clariora fiant, explicemus, qualiter euenire possint in singulis casibus possibilibus. 100

Sint itaque primò ambæ causæ A B liberæ respectu actus, habeantque iam omnia intrinsecè requi- 101

requisita ad potentiam proximam vtrique communem, ab omnique exercitio actus independentem. Dico. Si sit conditionatè verum, extiturum sine contradictione actum à B, si extiterit ab A, tunc A proximè potens, atque adeò proximè, & plenè libera erit ad ponendum actum prout à se. Tantumdemque eueniet ipsi B, si & ipsi acfuerit similis veritas de existentiâ sine contradictione actus ab A, si extiterit à B. Quo casu ambæ causæ omnimodis erunt proximè liberæ ad ponendum actum; &, si posuerint, vtrique imputabitur positio eius. Si verò alterutri tantùm earum defuerit dicta veritas, impotens illa proximè erit ad ponendum actum prout à se: omissioque actus proinde illi, cui dicta veritas deest, necessaria, alteri verò, cui adest, libera erit. Vtrique autem simul talis veritas deesse nequit, vt ex dicendis in simili proposit. 14. num. 209. constabit. Secundò sit respectu actus libera alterutra dictarum causarum, & altera necessaria necessitate indifferente, determinabilique per liberam; qualis est habitus infusus respectu actus supernaturalis voluntatis: habeantque iam omnia intrinsecè requisita ad potentiam proximam vtrique communem ab omnique exercitio actus independentem. Dico. Si sit conditionatè verum, extiturum sine contradictione actum à causa liberâ, si extiterit à necessariâ; tunc causa necessaria potentiam proximam sibi propriam sortietur per talem veritatem completam ad ponendum actum prout à se, absolutè determinatam, siue necessitatam ad talem actus positionem: qui proinde iam infallibiliter existet à causa quidem necessariâ necessariò, & à liberâ liberè: quia causa necessaria necessitata erit ad purificandam conditionem veritatis conditionatæ de existentiâ liberâ actus à causâ liberâ. Pro complemento autem potentiæ proximæ propriæ causæ liberæ ad ponendum actum prout à se nunquam illi deesse potest veritas conditionata de existentiâ sine contradictione actus à causâ necessariâ, si extiterit à liberâ: quia veritas hæc omnino necessaria est, suppositâ potentiâ proximâ communi vtrique causæ. Tertiò, si sit libera de suo respectu actus alterutra dictarum causarum, & altera necessaria necessitate determinatâ ad talem actum absolutè, & simpliciter; qualis est prædeterminatio physica, & decretum Dei immediatè exequutiuum antecedens, determinatum, & absolutum; tunc non potest non è medio tolli libertas causæ liberæ: eoquòd talis necessitas includitur in potentiâ proximâ communi vtrique causæ, & omnimodis independente ab exercitio actus: atque ita nequit non vtramque causam ad actum ipsum necessitare. Quo posito neutri earum deesse potest veritas illa conditionata completiua potentiæ proximæ propriæ eius ponendi actum prout à se; vt est notum. Vnde patet, idem dicendum in quarto casu, quòd ambæ causæ eiusdem actus sint necessariæ isto necessitatis genere. In quinto denique casu, quòd ambæ sint necessariæ genere priore necessitatis, dicendum est, cùm primùm illæ habeant omnia constitutiua potentiæ proximæ ad actum vtrique communis, non posse non vnamquamque habere & alteram sibi propriam: quia neutri potest deesse veritas completiua illius: cùm nequeat non esse conditionatè verum, extiturum sine contradictione actum ab vnaquaque, si extiterit ab alterâ. Quæ tota doctrina sedulò est obseruanda pro multis dicendis deinceps spectantibus ad libertatem.

Propositio 5.

Vnum ex requisitis intrinsecè ad potentiam proximam causæ ad quemuis suum actum ipsius actus possibilitas est; siue sit, siue non sit entitas causæ cum tali possibilitate connexa. 102

Et primùm, casu, quòd talis connexio desit, vt secundùm pleroſque deest in causâ primâ, & secundùm plures etiam in causis secundis, propositio mihi certa est, quidquid in oppositum sentiat Ouiedo controuer. 7. Physic. punct. 2. Nam, sublatâ solâ possibilitate actus, nullatenus potest intelligi causa absolutè, & simpliciter, atque adeò proximè potens ad exercendum actum, vt est notissimum: quia ad impossibile non datur potentia absoluta, & proxima, vt constat. Sed id, quo solo sublato, causa non est proximè potens ad exercendum actum, ad potentiam proximam talis causæ ad talem actum, intrinsecè requisitum est iuxta proposit. 1. Igitur possibilitas actus intrinsecè requisita est ad potentiam proximam causæ eius. Vel aliter. Vt causa euadat absolutè, & proximè potens ad exercendum actum, citra controuersiam indiget aliquo modo possibilitate ipsius actus. Sed non indiget illâ tanquam termino extrinseco connexionis, vti supponimus. Ergo indiget illâ tanquam constitutiuo intrinseco. Quia quoties quæuis essentia indiget aliquo ad existendum, & non vt termino extrinseco alicuius connexionis, quam cum eo habeat, non potest non indigere illo vt constitutiuo intrinseco sui, vt vniuersè demonstrauimus in Pharo Scient. disp. 9. quæst. 5. proposit. 19. num. 134.

Confirmatur primò. Quia, si deficeret possibilitas alicuius creaturæ, Deus non esset proximè potens illam causare, sicut modò non est proximè potens causare chymæram; & tamen in tali casu nihil de intrinsecâ virtute diuinæ omnipotentiæ deficeret iuxta sententiam, in qua procedimus. Similiter si chymæra aliqua redderetur possibilis, confestim absque accremento virtutis intrinsecæ esset Deus iuxta eamdem sententiam æquè potens illam causare, ac potens est causare modò quamuis creaturam. Ergo præcisus defectus possibilitatis creaturæ facit, vt in Deo non sit potentia proxima ad eam causandam, præcisaque talis possibilitatis positio facit, vt sit. Quod est, eiusmodi possibilitatem ad talem potentiam proximam intrinsecè requisitam esse iuxta doctrinam stabilitam proposit. 1. Iam quòd Deus modò neutiquam habeat potentiam proximam simpliciter, & absolutè talem, de qua tractamus, ad causandam chymæram; (quidquid sit de potentiâ quasi conditionatâ, quam ab aliquibus habere dicitur ad eam causandam casu quòd possibilis esset); subindeque neque eam haberet ad causandam creaturam redditam impossibilem, indubitabile prorsus est: alioquin plenam libertatem haberet Deus modò ad decernendam absolutè, & efficaciter existentiam chymæræ; ipsique esset imputabile, quòd non decerneret de facto. Quod est ridiculum. 103

Confirmatur secundò. Quia communi existima- 104

stimatione, sicut denominatio visi includit visionem actualem, ita denominatio visibilis includit visionem possibilem: eo videlicet, quòd obiectum visum neque connectitur per suam essentiam cum possibilitate visionis; neque sine possibilitate visionis potest visibile esse, seu potens videri absolute. Ergo, posito, vt ponimus, quod causa cum possibilitate sui actus connexa non sit, non potest non in eius potentiâ proximâ ad talem actum talis possibilitas claudi; quandoquidem sine tali possibilitate actus talis causæ potentia proximâ neutiquam esset, vt est certum.

105 Hinc pergo ad probandam propositionem, etiam pro casu, quòd entitas causæ cum possibilitate sui actus connexa sit, contra eumdem Quiedo supra, necnon contra Petr. Hurt. & Arriaga sentientes pro tali casu oppositum: illum disput.8. Physic. sect.2. subsect.2. hunc disput. 7. Physic. sect.2. subsect. 2. Probo autem primò; quia, licèt entitas causæ connexa sit cum possibilitate sui actus, semper manet per locum intrinsecum verum, defficiente solâ possibilitate actus, & persistente nihilominùs per impossibile entitate causæ, non fore illam potentem proximè ad talem actum. Quod sufficit, vt possibilitas actus ad talem potentiam proximam causæ intrinsecè, & necessariò pertinere dicatur iuxta doctrinam sæpe citatam posit. 1. Quomodò autem ex hypothesi impossibili non sequatur per locum intrinsecum vtrumque cuiusuis contradictionis extremum, vtiliterque subinde sæpe ex illâ arguatur, (vti nos in præsenti), ad rerum essentias perscrutandas, in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 6. explicatum à nobis est.

106 Secundò probo; quia, quoties aliqua denominatio ex genere suo est semiextrinseca, includens scilicet in suo conceptu reali aliquid subiecto denominato extrinsecum, non definit talis esse, neque illud includere; tametsi in aliquo casu subiectum cum tali extrinseco connexum sit, vt patet in denominatione dissimilis, qua denominatur creatura dissimilis Deo, nec minùs in suo conceptu reali includit ipsum Deum, quàm, si creatura cum ipso connexa non esset. Sed denominatio potentis proximè actum semiextrinseca causæ est, actusque possibilitatem includit in suo conceptu reali, quando cum tali possibilitate causa non est connexa, vt paulò antea probatum est. Ergo tantumdem est dicendum, etiam si ponatur connexa, vt modò contendimus.

107 Denique probari potest propositio vniuersè. Quia, quoties duo quæuis subiecta per eumdem actum exercentur, potentia proxima vnius subiecti ad talem actum nequit constare sine potentiâ proximâ alterius, imo illam imbibit in se, vt posit.4. statutum est. Sed causa, & effectus exercentur per eumdem actum, quo causa causat, & effectus causatur. Ergo causa nequit esse proximè potens causare effectum, quin effectus sit proximè potens causari à causâ: tum potentia proxima causæ claudit potentiam proximam effectus, & vice versâ. Ast possibilitas effectus ad potentiam proximam eius intrinsecè pertinet; quia posse causari cadit supra possibile, vt constat. Ergo possibilitas effectus intrinsecè etiam pertinet ad potentiam proximam causæ. Idemque argumentum effici potest circa possibilitatem ipsius causationis. Quia causa ob eamdem rationem nequit exercere causationem effectus, donec causatio posit à causâ exerceri: causatio autem exerceri nequit à causâ, donec sit possibilis, vt est notum.

Dicet aliquis. Causatio effectus actualis 108
absque potentiâ proximâ causæ actualiter existente consistere nequit. Ergo potentia proxima causæ per possibilitatem causationis, quæ non est aliquid actu existens, nequit constitui. Repugnat enim actu existere aliquod totum, cuius omniâ constitutiua non sunt actu existentia. Respondo, vt potentia proxima causæ, quæ denominatio quædam est semiextrinseca, dicatur actu existere, sat esse, quòd existat actu id, quod conceptus eius realis dicit in recto, quin opus sit, quòd existant omnia, quæ dicit in obliquo, è quorum numero est possibilitas causationis. Quod alijs huiusmodi denominationibus commune est, vt ostendimus in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. posit. 7. Neque est necesse, vt omnia, quæ quoquo modo iuuant causam physicam ad exercitium causationis, intrinsecèque subinde pertinent ad potentiam proximam eius, actu existentia sint absolutè, dum actus causandi absolutè existit. Sunt enim aliqua, quæ citra absolutam existentiam è suo statu iuuare possunt aut per modum causæ intentionalis, quo pacto iuuant finis, & alia obiecta, aut per modum conditionis, quo pacto iuuant possibilitas actus, negatio impedimenti ad ipsum, quæ nihil est existens, & alia huiusmodi, quæ instar quarumdam approximationum se habent actus ad causam, aut causæ ad actum. De quo plura suo loco.

Ex dictis infero primò, omnipotentiam di- 109
uinam prout existentem intrinsecè requisitam esse ad potentiam proximam cuiusuis actus: tum quia nequit non esse ea vna ex causis ad eum concurrentibus; tum quia in possibilitate proximâ eius intrinsecè clauditur. Secundò infero, non solam possibilitatem actus remotam, sed etiam proximam, quæ, præter omnipotentiam, claudit in suo conceptu reali decretum Dei de existentia actus, in huius potentiâ intrinsecè claudi; quia causa nequit esse potens proximè actum, donec actus proximè possibilis sit. Tertiò infero, ad potentiam proximam actus prout exercendi in aliquo temporis instanti determinato insuper requiri possibilitatem proximam durationis actus pro tali instanti, quæ meâ quidem sententiâ, donec ipsum instans accedat, non adest: quia consistit in existentiâ sine contradictione conditionatâ talis durationis, quæ, sicut & existentia ipsius durationis absoluta, tali instanti per essentiam affixa est iuxta doctrinam de durationibus vberiùs traditam tom. 1. huius Operis disput.8.

Propositio 6.

Ex eo, quòd aliquid sit requisitum 110
ex parte actus vt terminus connexionis eius, non fit, esse illud requisitum intrinsecè ad causæ potentiam proximam ad talem actum. Vnde hæc plenè constituta, & existens potest intelligi independenter ab existentiâ absolutâ eiusmodi termini.

Hæc propositio potissimum fundamentum est

est doctrinæ de libertate à nobis deinceps exhibendæ. Quare veritas eius sedulò est animaduertenda, & diligenter obseruanda. Probatur autem primò; quia effectus per actionem productus essentialiter est requisitus ex parte actionis vt terminus connexionis eius; siquidem actio sine effectu per eam producto nullatenùs potest existere, vt apud omnes in confesso, & satis ex se euidens est: & tamen certissimum etiam est apud omnes, effectum per actionem productum ad potentiam proximam, qua causa talem actionem potest elicere, intrinsecè non pertinere. Alioquin nullus effectus fuisset ab aliquâ causâ liberè producibilis: quia in nullâ causâ potentia proxima ad producendum effectum esset compatibilis cum carentiâ effectus, prout ad eius libertatem requiritur. Tum effectus simul esset prior, & posterior naturâ suâ productione, & se ipso secundùm idem *esse* physicum, & in eâdem serie originis. Quæ manifesta absurda sunt contra doctrinam demonstratam in Pharo Scient. disput. 15. quæst. 7. Igitur terminus connexionis actus requisitus ad existentiam eius, non eo ipso est requisitus intrinsecè ad causæ potentiam proximam ad talem actum. 111

Secundò. Nihil magis est requisitum ad existentiam cuiusuis actus, quàm ipsemet: cùm prorsus repugnet actum existere sine se ipso. Et tamen nullus actus ad potentiam proximam suæ causæ spectat intrinsecè, actumque liberum speciatim extra conceptum eius esse, certò certiùs est, vt statuimus propos. 2. Ergo titulo requisiti ad existentiam actus præcisè nihil est, quod ad potentiam proximam causæ ipsius actus intrinsecè 113 pertineat.

Tertiò. Ponamus causam proximè liberam ad duos actus vicissim inter se connexos. Quod citra dubium est possibile. Compertum est, alterum eorum actuum ad potentiam proximam alterius intrinsecè non pertinere. Alioquin causa ad neutrum maneret libera contra suppositionem: quia potentia proxima ad alterutrum connexa esset cum illo ratione alterius, quo constitueretur intrinsecè. Tum, si alteruter eorum actuum includeretur in potentiâ proximâ alterius, sequeretur primò, eos mutuò se ipsos causare secundùm existentiam physicam in eodem genere causæ. Quod constat impossibile esse. Secundò sequeretur, potentiam proximam ad coniunctum vtriusque actus ipsum coniunctum claudere in suo conceptu. Quod etiam repugnat: quia omnis potentia, præsertim libera, adæquatè debet esse distincta ab actu cuius est potentia, vt dicebamus nuper. Tertiò sequerecur, coniunctum vtriusque actus non fore possibile proximè, donec existeret: quia neuter eorum ante existentiam alterius proximè possibilis esset. Quod etiam est absurdum. Simile argumentum conficies, si ponas, actum liberum vnius causæ cum actu libero alterius connecti mutuò, aut saltem non mutuò, prout sæpe euenit de facto, vt cernere est in prædefinitione Dei liberâ de actu humano, in actu fidei libero de eodem, in alijsque huiusmodi.

Quartò. Si requisitum ad existentiam actus eo ipso pertineret intrinsecè ad potentiam proximam causæ eius, contradictorium actus oppositi pariter pertineret: quia ad existentiam actus non minùs est requisitum contradictorium actus oppositi, quàm est quilibet alius terminus connexionis eius, vt constant. Hinc autem planè fieret, vt tolleretur è medio omnis libertas contrarietatis tam à diuinâ, quàm à creatâ voluntate: quia nulla voluntas posset esse proximè libera ad eliciendam volitionem, vel nolitionem oppositam pro arbitrio suo. Quod est absurdum. Probo conspicuè. Quia potentia proxima ad volitionem, & potentia proxima ad nolitionem, in quibus consistit ea libertas, absque negatione nolitionis, qua constitueretur prima, & absque negatione volitionis, qua constitueretur secunda, consistere non possent, vt constat. Quo fieret, vt, dum voluntas eliceret volitionem, non posset non defectu negationis huius carere potentiâ proximâ ad nolitionem, & vice versâ, dum eliceret nolitionem, non posset non carere pariter potentiâ proximâ ad volitionem. Nunquamque subinde eliceret volitionem potens elicere nolitionem, vel è conuersò. Quod est, in nullo euentu fore illam proximè liberam ad eligendum pro arbitratu volitionem, vel nolitionem. Clariùs. Potestas, siue libertas proxima ad eligendum inter volitionem, & nolitionem absque omissione, seu negatione amborum actuum simul in voluntate existente constare non posset iuxta dicta. Ergo casu, quòd voluntas alterutrum eorum eliceret, tali libertate careret; & consequenter etiam casu, quòd omitteret ambos: quia eo etiam casu non haberet potentiam proximam ad vtrumuis compatibilem cum vtrouis; qualis debet esse libertas ad eligendum inter illos, vt est notissimum.

Vlteriùs. Si ad potentiam proximam causæ actus intrinsecè esset requisita negatio actus oppositi, alia insuper non minora sequeretur absurda. Primùm. Dum Deus elicit volitionem, nullatenus esse ipsi liberam negationem nolitionis oppositæ. Nequit enim esse ipsi libera libertate mediatâ, scilicet mediâ volitione, quam elicit; siquidem hanc naturæ prioritate præcedit, vtpote pertinens intrinsecè ad potentiam proximam eius. Sed neque libertate immediatâ: siquidem ad nolitionem cuius ea negatio est, Deus in eo casu potentiam proximam non habet defectu negationis volitionis intrinsecè requisitæ ad talem potentiam; subindeque ad impediendam illam per ipsam nolitionem impotens est. Si dicatur, posse Deum liberè omittere volitionem, quam elicit, sicque per eius omissionem constituere potentiam proximam ad nolitionem, quæ sibi deerat; alia inde absurda proueniunt. Vel enim omittit purè volitionem, non elicitâ nolitione contrariâ; vel, hac elicitâ, non purè. Si hoc secundum. Ergo omittit liberè volitionem sine libertate ad eam omittendam, qua nequit non in tali casu carere defectu negationis nolitionis ad illam intrinsecè requisitæ. Si autem dicatur primum. Ergo Deus liberè simul, & non liberè omittit simul vtrumque actum. Liberè: quia supponitur, omissionem volitionis liberam esse: per eamque reddi etiam liberam omissionem nolitionis oppositæ. Non liberè verò: quia repugnat, liberè nasci à voluntate omissionem ratione libertatis ab omissione ipsâ oriundæ, post ipsamque exercitam aduenientis. Casu autem, quòd Deus omitteret vtrumque actum liberè, omissio volitionis constitueret voluntatem diuinam proximè liberam ad omissionem nolitionis; & vice versâ omissio nolitionis ad omissionem volitionis. Quæ-uisque talium omissionum priùs naturâ esset, quàm esset in voluntate suâ libertas constituta per alteram: atque ita vtrauis ratione libertatis à se oriundæ, & post se exercitam aduenientis libera esset. Tum mutuò se vicissim causarent: 114

liberè quidem ; quia libertas constituta per vnam præcederet alteram : & simul non libere ; quia alterutram antecedenter exercitam sequeretur eius libertas . Quæ omnia contradictionibus sunt plena . Eademque pariter absurda in voluntate creata possunt inferri , dum ea sufficiente cogitatione non caret ad eliciendos actus oppositos, vti nunquam caret diuina .

115 Quintò denique probatur propositio à priori . Quia , quod ex parte actus ad existentiam eius est requisitum , non eo ipso est requisitum ex parte causæ ad ipsum actum exercendum. Fieri enim potest , vt aliquid ex parte actus requiratur ad existentiam eius , quin requiratur ex parte causæ ad actus exercitium . Id autem , quod ex parte causæ ad exercitium actus requisitum non est , neque, vt cuadat causa proximè potens ad actum , est intrinsecè requisitum , vt statuimus proposit.3. sine illoque existente proinde potentiam proximam ad actum adæquatè constitutam, & existentem causa potest habere . Stat itaque certum , terminum connexionis actus requisitum ad existentiam eius , benè posse ad potentiam proximam causæ ad actum intrinsecè requisitum non esse , ita , vt potentia proxima causæ non minùs possit intelligi constituta , & existens ante existentiam talis termini , quàm ante existentiam ipsius actus cum ipso termino connexi .

Propositio 7.

116 **Ex eo , quòd aliquid sit connexum cum actu , non sequitur , debere illud intrinsecè includi in causæ potentià proximà ad talem actum.**

Est certissimum . Quia , si connexum cum actu titulo connexionis deberet in ipsum actum aliquo modo influere causatiuè , vti influunt omnia intrinsece inclusa in causæ potentià proximà ad actum : eodem titulo omne connexum cum alio deberet pariter influere in terminum suæ connexionis, vt constat . Hoc autem euidentissimè est falsum . Quia infinita sunt entia connexa cum alijs , quæ in terminos suæ connexionis neque influunt , neque influere possunt vllo modo . Sic omnis creatura connectitur cum existentià Dei; in quam nequit influere: sic omnis actio connectitur cum suà causà ; in quam influere nequit : sic reuelatio Dei , fides diuina , scientia visionis cum existentià sui obiecti: sic alia sexcenta cum alijs terminis connectuntur ; in quos nullatenus causatiuè influunt , aut influere possunt .

Propositio 8.

117 **Vt causa actus sit proximè potens respectu actus , non est necesse , quòd causa termini , cum quo actus connectitur , sit etiam proximè potens respectu termini ; sed sufficit , quòd sit possibilis potentia proxima , sine qua terminus esse nequit .**

Nam causa actus , vt sit ad illum proximè potens , non magis eget potentià proximà ad terminum , cum quo actus connectitur , quàm termino ipso ; cùm propter terminum dumtaxat poscat potentiam proximam eius . Sed non eget termino vt existente , sed vt possibili, prout opus est , vt actus cum eo connexus sit possibilis , vt ex dictis in præcedentibus liquidum est . Ergo neque eget potentià proxima ad terminum vt existente , sed vt possibili . Patet id in actu imperante connexo cum actu imperato tanquam cum quodam termino . Nam causa imperans proximè potens est respectu actus imperantis , antequàm causa , cui imperat , sit proximè potens respectu actus imperati : siquidem potentia proxima ad actum imperatum per ipsum imperantem completur . Et vniuersim , quoties potentia proxima ad terminum dependet in suà existentià ab actu connexo cum termino , potentia proxima ad actum benè constare potest independenter ab existentià potentiæ proximæ ad terminum . Ponamus enim , causam actus illum liberè omittere ; tunc certè non existet potentia proxima ad terminum constituenda per existentiam actus , & tamen existet potentia proxima ad actum constituens libertatem proximam ad actum , & omissionem eius. Quòd si potentia proxima ad actum sine potentià proximà ad terminum constare potest , quando hæc per actum ipsum completur, ab eoque subinde dependet , etiam quando non dependet , constare poterit ; quia potentia proxima ad actum non magis requirit potentiam proximam ad terminum pro vno casu, quam pro alijs; sicut non magis requirit terminum ipsum , vtpote cum quo æquè pro omnibus casibus connectitur actus , vt supponimus . Igitur , quia terminus, de quo loquimur, tantùm requiritur propter actum , & potentia proxima ad terminum propter ipsum terminum ; sicut ad potentiam proximam actus non existentia , sed possibilitas actus requiritur ; ita ad eamdem potentiam non existentia , sed possibilitas requiritur tum termini , tum potentiæ eius. Hoc tamen discrimine , quòd possibilitas actus intrinsecè pertinet ad potentiam proximam eius, vt proposit.5.statuimus; possibilitas verò termini, & potentiæ eius tantùm requiritur ad illam extrinsecè , quatenus pariter requiritur ad possibilitatem actus vt terminus connexionis eius .

118 Sed notare tamen oportet hìc obiter , actum posse connecti cum termino vel prout existente in eadem mensura temporis , in qua existit ipse actus , vel prout existente in diuersa siue præterità , siue futurà . Tum vel prout existente in eodem signo naturæ secundùm ordinem originis , siue causalitatis , vel prout existente in diuerso seu priore , seu posteriore . Tum denique vel prout existente in eodem statu cum actu, vel prout in diuerso iuxta varietatem statuum rerum exhibitam , & explicatam à nobis in Pharo Scient.disput.10. De qua connexionum varietate plura etiam diximus in eadem Pharo disput.14.

119 Opponet tamen aliquis contra propositionem . Vt causa sit proximè potens respectu actus, necesse est,quòd omnes causæ physicæ ad eumdem actum concurrentes sint quoque proximè potentes ad illum iuxta doctrinam stabilitam propos. 4.Ergo,vt causa actus sit proximè potens ad actum necesse etiam erit , quòd causa termini, cum quo actus connectitur , sit proximè potens ad terminum. Nego consequentiam . Quia potentia proxima concurrentis requiritur ex parte causæ ad exercitium talis actus, ipsiusque subinde complet potentiam proximam

ximam ad illum communem vtrique: potentia verò proxima termini, cum quo actus connectitur, non requiritur ex parte causæ, sed ex parte ipsius actus, sicut requiritur ipse terminus. Vnde, sicut potentia proxima ad actum non claudit in se terminum, vt proposit. 6. ostensum est; ita nec claudit potentiam proximam ad terminum. Deinde, quando plures causæ influunt in eumdem actum, omnes se vicissim adiuuant ad illum eliciendum: causa verò termini, cum quo actus connectitur, non magis influit in actum, quàm ipse terminus, atque adeò causam actus ad actum eliciendum per se non iuuat. Ex quibus omnibus apparet, de potentiâ proximâ ad terminum, cum quo actus connectitur, de reliquisque ab ipso termino requisitis eodem modo philosophandum esse in ordine ad potentiam proximam actus: omnia enim hæc cum ipso termino extra conceptum realem talis potentiæ sunt, sicut & actus ipse.

Propositio 9.

120 **Vt causa actus euadat proximè potens respectu actus, intrinsecè requisitum est, quòd sit verum conditionatè, extiturum sine contradictione terminum connexionis actus, si existat actus ipse.**

Hæc propositio eximij est momenti ad doctrinam, in qua versamur, de libertate. Itaque, licèt existentia absoluta termini connexionis actus ad potentiam proximam actus intrinsecè requisita non sit, prout euicimus proposit. 6. attamen conditionata veritas de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus omnino est intrinsecè requisita ad ipsam potentiam proximam actus; adeò, vt tali veritate sublatâ, neutiquam manere possit causa actus proximè potens respectu eius. Hoc enim ipso, quòd actus nequit existere sine termino, causa actus, quantumuis sit cæteris omnibus requisitis instructa, dumtaxat est potens exequi actum veluti sub conditione, quòd causa termini exequatur terminum. Quod ipsum est, causam actus non habere potentiam absolutam, & proximam respectu actus, quousque sit verum, extiturum sine contradictione terminum, si existat actus; per talemque subinde veritatem conditionatam talem eius potentiam proximam ad talem actum intrinsecè compleri.

121 Probemus id exempli, & claritatis gratiâ in causis liberis actus, & termini. Primò; quia eo ipso, quòd nequit actus sine termino existere, independenter à nutu causæ liberæ termini actus à suâ causa poni non potest; atque adeò hæc absolutum dominium actus non habet, & consequenter neque absolutam, seu proximam potentiam ad illum, quousque in suâ manu habet nutum causæ termini, qualiter habere censetur, cumprimùm est verum, ponendum à suâ causa sine contradictione terminum, si ponatur actus à suâ.

122 Secundò; quia, si causa termini liberè omittat, illum ponere, quo casu causa actus erat ponitura actum, si poneretur terminus, causæ actus nullo modo est imputabilis omissio actus: quia in tali casu non stat per ipsam, quod actus non ponatur. Ergo in tali casu causa actus non habet absolutum dominium, atque adeò neque absolutam, seu proximam potentiam actus; alioquin ei imputaretur actus omissio. Si verò è contra verum sit, ponendum sine contradictione à suâ causa terminum, si ponatur actus à suâ, & hæc nihilominùs actum omittat; tunc actus omissio soli imputabitur causæ actus: quia in tali casu per ipsam solam stat, quòd actus non ponatur. Igitur per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini, cum quo actus connectitur, sub conditione existentiæ actus completur in causâ actus absolutum dominium, & consequenter absoluta potentia proxima eius.

Tertiò. Tunc censetur quis habere in suâ 123
absolutâ potestate consequutionem finis, cùm verum est, præstanda cum effectu ab alijs cætera ad illam necessaria, casu, quòd ille præstet omnia, quæ dependent ab ipso. Tunc verò secus; quando id non est verum, vt constat. Ergo tunc causa libera actus in suâ absolutâ potestate habet eius exequutionem; cùm verum est, ponendum sine contradictione ab aliâ terminum necessarium ad actum, casu, quòd actus ipse ponatur à suâ.

Quartò. Cùm terminus connexionis actus 124
à solâ causâ actus dependet, (vti dependet effectus à solâ causâ actionis, mediâ qua fit), idcirco talis causa proximè est potens ponere actum, quantumuis hic sine termino poni non possit: quia positio actus infallibiliter fert secum positionem termini; alioquin certè non futura proximè potens, si positio actus infallibiliter secum non ferret possitionem termini. Sed hoc ipso, quòd est verum, ponendum sine contradictione terminum, si ponatur actus, positio actus infallibiliter fert secum positionem termini, à quacunque causâ ille ponendus sit: secus si id verum non est. Ergo veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus absolutè, & proximè potentem constituit causam actus ad ipsum ponendum. Imo verò causa etiam se sola ponens actum, & medio ipso terminum, ideo antequàm actum ponat, est potens proximè illum ponere: quia, licèt actus nequeat sine termino existere, talis tamen ille est ex suo conceptu, vt, si ponatur, necessariò feret secum terminum ipsum. Quod ipsum est, talem etiam causam constitui proximè potentem ponere talem actum per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione eius.

Quintò. Sublatâ dictâ veritate solâ, & cæ- 125
teris omnibus permanentibus, causa actus sumpta seorsim simpliciter, & absolutè est impotens ponere actum. Ergo potentia reddens causam simpliciter, & absolutè potentem ponere actum, qualis est potentia proxima ad ipsum, intrinsecè ad suam constitutionem requirit talem veritatem. Consequentia est euidens ex doctrinâ demonstratâ proposit. 1. Antecedens autem probatur clarè. Quia causa simpliciter, & absolutè est impotens ad ponendam chymæram. Sed positio actus, dictâ veritate sublatâ, est chymæra: quia si, eâ veritate sublatâ, existeret actus, actu existente, aut non existeret terminus connexionis eius, aut non existeret sine contradictione; quorum vtrumque est chymæra, vt constat. Ergo, &c.

Hinc sextò à priori. Quia, sicut possibili- 126
tas actus ita est conditio ex parte causæ requisita ad actum ponendum, vt potentia proxi-

mam eius constituat intrinsecè, vti propositione 5. probatum est, sic veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini connexionis actus sub conditione existentiæ actus ita est conditio ex parte causæ requisita ad actum ponendum, vt proximam quoque potentiam eius constituat intrinsecè. Quandoquidem, tali veritate sublatâ, non minùs redditur actus respectu suæ causæ impossibilis, quàm, sublatâ possibilitate ipsius actus, redderetur. Iam verò, quòd potentia proxima causæ ad actum per prædictam veritatem conditionatam, etsi hæc nihil absolutè ponat in esse, constitui possit, maiorem difficultatem non habet, quàm, quòd per possibilitatem actus in quadam etiam veritate conditionatâ consistentem possit constitui. De quo iam actum est propos. 5. citatâ.

127 Stet ergo firmum, & certum, (id quod argumenta facta planè demonstrant), potentiam proximam causæ ad actum connexum cum aliquo termino intrinsecè constitui, & compleri per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus. Dico, *sine contradictione*. Quia ex hypothesi, quòd existat actus connexus cum termino, semper, & necessariò sequitur, atque adeò semper, & necessariò est verum, existere terminum. Quòd tamen sub tali hypothesi sit verum, existere terminum sine contradictione, aut cum illâ, dependet ex determinatione, aut non determinatione causæ, à qua terminus est oriundus. Quando enim terminus aliàs à suâ causâ ponendus non est; & positio actus in positionem termini nullatenus est influxura, sub hypothesi, quòd existat actus, verum conditionatè erit, extiturum, & simul non extiturum terminum; extiturum; quia id necessariò infert hypothesis actus; & non extiturum; quia aliàs non erat ipse extiturus à causâ suâ, & existentia actus ad existentiam eius nihil penitus conferret in tali hypothesi. Quo fit, vt in tali casu hypothesis de existentiâ actus hypothesis sit de obiecto impossibili. Vnde non mirum, quòd sub illâ sint simul duo contradictoria conditionatè vera, vt semper sunt sub hypothesi de obiecto impossibili iuxta doctrinam vniuersalem, quam dedimus in Pharo Scient. disput. 11. Quando verò terminus connexionis actus aliàs à suâ causâ extiturus est, vel eius existentiam est causatura existentia actus, tunc verum simpliciter, atque adeò sine contradictione erit, extiturum terminum ex hypothesi, quòd existat actus: causaque actus per hanc veritatem conditionatam euadet absolutè, & proximè potens ad ipsum actum. Doctrina autem de huiusmodi veritatibus conditionatis, quam hìc supponimus, tradita iam à nobis superiùs disput. 28. quæst. 4. & 5. ex dicendis in sequentibus magis conspicua fiet.

128 Ad extremum huius propositionis adnotare oportet, quæ diximus hactenus, imprimis intelligenda esse de potentia proximâ omnino requisitâ ad actum, sine qua actus nullo modo potest à suâ causâ exerceri. Fieri tamen etiam posse, vt actus procedat à potentiâ proximâ causæ, quæ nec sibi, nec causæ sit requisita, eo quòd causa per aliam potentiam proximam in eumdem omnino actum posset prodire. E.g. quando voluntas mota, & impulsa, adiutaque actu imperante elicit actum imperatum, quem eumdem posset elicere sine iuuamine imperantis, tunc potentia proxima, à qua actus imperatus procedit, & ad quam actus imperans intrinsecè pertinet, absolutè non est requisita ad elicientiam ipsius actus imperati: actus verò imperans ad hanc potentiam non requisitam intrinsecè erit requisitus, vtpote intrinsecè pertinens ad conceptum realem eius. Quoniam verò huiusmodi potentia proxima non requisita ad actum aliter, quàm per causam moralem motiuam causæ physicæ, & non requisitam respectu actus, constitui non potest; eo quòd omnis concausa physica actus non potest non requisita esse respectu eius: & influxus causæ moralis semel adiunctæ causæ physicæ, consistens iuxta dicenda alibi in coexistentiâ eius cum actu, non est euitabilis, casu, quòd causa physica prodeat in actum ipsum; efficitur, vt talis potentia proxima non requisita ad actum, eatenus tantùm non sit requisita, quatenus causa moralis, qua constituitur, requisita non est, hac tamen semel posità, iam requisita dici potest, quatenus causa physica, etsi sit libera, nequit non vti tali potentiâ ad elicientiam actus, atque adeò aliam potentiam proximam præter illam non habet ad eliciendum actum, esto haberet, si auferretur ipsi causa moralis, qua talis potentia constituitur.

Propositio 10.

Quænam ad libertatem actus primi causæ liberæ sint intrinsecè requisita, & quænam non item, speciatim recensere, atque determinare. 129

Vt probè sciatur, quando in causâ liberâ adsit libertas actus primi comparatione actus secundi; quando verò non adsit; qui est potissimus præsentis disputationis finis: præscire opus est specciatim, quænam sint intrinsecè requisita ad talis libertatis essentiam constituendam, quænam verò secus. Hoc namque semel benè intellecto, illud quoque benè intelligere, promptissimum erit. Igitur, quod per propositionem datam faciendum proponitur, tum applicando ad libertatem actus primi, quæ in præcedentibus sunt statuta, tum alia quædam adijciendo, præstandum nobis est.

Pro quo suppono primò, quod aliàs suppo- 130
situm, atque statutum est supra num. 84. libertatem actus primi (contradictionis scilicet, de qua nunc agimus) consistere in duabus potentijs proximis causæ liberæ, alterâ ad operandum, & alterâ ad non operandum, siue omittendum operationem, seu, quod est idem, alterâ ad actum positiuum, & alterâ ad actum negatiuum contradictorium: quæ subinde duæ potentiæ si sint in causâ liberâ, nequibit non esse in eâ libertas actus primi; sicut è contra nequibit esse, si desit alterutra; quidquid aliud in vtroque casu vel adsit, vel desit. Siquidem nec potest non adesse res, vbi adest eius essentia; nec potest non deesse, vnde deest aliqua pars essentiæ eius; quidquid aliud in vtroque casu vel adsit, vel desit, vt est notissimum: & essentia libertatis actus primi aliud non est ab aggregato dictarum duarum potentiarum, vt ex antea iam stabilitis, atque demonstratis supponimus.

Secundò suppono, inter actum positiuum, 131
& negatiuum contradictorium hoc esse discrimen. Quòd actus positiuus indiget ad existendum influxu causæ dantis illi *esse*: quia est essentialiter

liter ens ab alio, hoc est, ens habens suam positiuam entitatem, & existentiam ab alio receptam, ab alioque sibi communicatam per illius positiuum influxum, seu positiuam productionem. Actus verò negatiuus, cum sit negatio, atque adeò reuerà nihil iuxta doctrinam de negationibus traditam in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. nullo causæ influxu, nullaque subinde causà eget ad existendum, (eà nimirum ratione, qua suo modo existere dicitur), vt in eâdem disput. 9. quæst. 5. propos. 3. demonstraui. Indeque patet: quia ex hypothesi, quòd nullum ens, nullaque subinde causa negationum existeret, ipsæ nihilominùs omnes existerent. De quo plura scripta ibi videnda sunt. Ex hoc istorum actuum descrimine nascitur primò, quòd in causà liberà potentia proxima ad actum positiuum virtus quædam in eum influxiua esse debet eo influxu, quem exposuimus: potentia verò proxima ad actum negatiuum tantùm est quædam compatibilitas cum existentiâ eius. Vnde secundò nascitur, quòd in causà liberà non necessitatà aliunde ad actum positiuum potentia proxima ad actum negatiuum deesse non possit; siue habeat illa, siue non habeat potentiam proximam ad actum positiuum: imò quando non habet potentiam proximam ad actum positiuum, eo ipso non solùm proximè potens, sed proximè necessitata manet ad actum negatiuum. Ex quo nascitur tertiò, vt, quidquid tollere, siue impedire valet potentiam proximam causæ liberæ ad actum positiuum, eo ipso, siue per idem ipsum valeat necessitare illam ad actum negatiuum. Quartò indidem nascitur, vt actus negatiuus non influxiuè sed permissiuè dumtaxat causabilis sit à suâ causâ liberâ, hac videlicet non impediente illius existentiam, cùm possit, ponendo actum positiuum, vel eius existentiam continuando. Bifariam quippe causa libera hoc permissiuo causandi genere potest actum suum negatiuum causare: primò, non dando denuo existentiam actui positiuo, cùm possit, sicque permittendo, vt actus negatiuus in suâ qualiquali existentiâ conseruetur, seu perseueret: secundò, non continuando cum posset existentiam antea datam actui positiuo, siue cessando ab illâ, sicque permittendo, vt actus negatiuus quasi recuperet per se ipsum existentiam antea sibi sublatam. Neutro autem ex his modis potest causa necessitata suum actum negatiuum causare; nam, si est necessitata ad ipsum actum negatiuum, nec dici potest dare existentiam illi, quam ipse à se præhabet, nec dici potest existentiam illi permittere, cùm nequeat illam per actum positiuum oppositum impedire: si autem est necessitata ad actum positiuum, multò minùs potest actui negatiuo dare, aut permittere existentiam, vt patet. Aliter tamen causa necessitata ad suum actum negatiuum potest ad existentiam eius concurrere iuxta statim dicenda. Etenim actus negatiuus, & vniuersè quælibet contingens negatio alio modo causabilis est à causâ tum necessariâ tum liberâ: quatenus scilicet causa seu necessaria, seu libera medio effectu aliquo à se causato, oppositoque enti negato huius existentiam impedire, siue tollere, sicque negationem eius causare potest. Quoties enim causa seu libera, seu necessaria, vel producendo, vel conseruando aliquem suum effectum, medio illo dicitur vel destruere, vel impedire existentiam alicuius entis oppositi, negationem talis entis causare dicitur, faciendo medio effectu suo, vt illa vel recuperet existentiam amissam, vel in præhabitâ perseueret. Sic ignis, producendo in passo calorem, corrumpere dicitur medio illo frigus oppositum, atque ita talis frigoris negationem causare, faciendo, vt illa incipiat existere: & conseruando postea calorem productum, impedire dicitur medio illo frigus oppositum, sicque causare talis frigoris negationem, faciendo, vt illa in suâ existentiâ perseueret. Sic etiam causa libera, applicando ignem ad passum, ea omnia magis mediatè dicitur liberè præstare, siue causare. Sic etiam homo mortaliter peccans gratiam habitualem, quam habebat, dicitur destruere, seu corrumpere, atque ita causare in se negationem, seu priuationem eius. Pariterque in similibus. Cæterùm, vt per impedimentum entis negati censeatur causari de facto negatio eius, verum debet esse, eam aliàs ab aliâ causâ non extituram, si tale impedimentum non poneretur: si enim independenter à positione, vel non positione talis impedimenti causanda nihilominùs ab aliâ causâ supponatur negatio, tunc tale impedimentum ad existentiam eius nihil censebitur conferre. Dico tamen, *ab aliâ causâ*. Quia, quando impedimentum est in ipsâ causâ entis negati defectus potentiæ proximæ ad illud causandum, necessitasque subinde ad negationem eius, etiam si sit verum, quando talis causa libera est, causandam nihilominùs negationem à libertate eius, tali impedimento non stante, adhuc ea per ipsum impedimentum causari dicetur de facto: quia impedimentum auferens potentiam proximam causæ ad effectum eo ipso censetur ipsum effectum impedire, atque adeò negationem eius causare de facto. Quæ cùm ita sint, colligitur primò, negationem entis bifariam causabilem esse: permissiuè scilicet à causâ liberâ proximè potente ponere ens negatum, & illud non ponente; & impeditiuè à quauis causâ ponente impedimentum de facto impediens ens negatum. Hoc autem secundo modo causa ponens impedimentum mediatè tantùm causat negationem per illud: ipsum verò impedimentum per se immediatè. Secundò colligitur, quamlibet causam necessitatam ad negationem sui actus, etsi eam non causet influxiuè, nec permissiuè, causare tamen semper impeditiuè, quatenus necessitas ab illâ auferens potentiam ad actum semper censetur ipsum actum consequenter auferre, sicque ipsius actus negationem causare. Idque siue talis necessitas proueniat ab aliâ causâ, siue ab ipsâ necessitatâ, vt quando voluntas per imperium quasi reflexum necessitat se ad negationem actus directi. Hæc autem omnia dicta sunt de negationibus contingentibus entium possibilium. Nam negationes necessariæ chymærarum impossibilium nullo ex prædictis modis causabiles sunt ab vllâ causâ. Quia nulla causa efficere potest vllo ex prædictis modis, vt illæ existentiam suam, vtpote inamissibilem, vel aliàs amissam recuperent, vel aliàs amittendam conseruent; quorum alterutrum necessarium erat, vt illæ aliquo ex dictis modis à tali causâ causarentur, vt constat. Iuxta doctrinam autem hic traditam intelligenda sunt, aut etiam corrigenda nonnihil, quæ diximus in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 40. His ita positis.

132 Dico primò. Ad libertatem actus primi causæ liberæ neutrum ex actibus secundis contradictoriè oppositis, ad quos ea est libertas, prout existens, siue exercitus intrinsecè requisitus

tus est. Est certum. Quia ad nullam potentiam proximam requiritur sic actus secundus, ad quem ea est potentia proxima, vt proposit. 2. supra num. 90. statuta demonstratum est.

133 Dico secundò. Quæcunque ex parte causæ liberæ ad exercendum actum tum positiuum, tum negatiuum contradictorium sunt requisita, ad eius libertatem proximam requiruntur intrinsecè. Secus, quæ ex parte causæ liberæ ad exercendum tales actus non requiruntur. Constat id ex propos. 3. statutâ num. 93. Solùm est aduertendum ex doctrinâ suppositionis secundæ factæ num. 131. etsi ad exercendum actum positiuum multa ex parte causæ liberæ sint requisita, vti videbimus; ad exercendum tamen actum negatiuum dumtaxat requiri, quòd ipsa causa compatibilis sit cum illo, siue illi opposita non sit.

134 Dico tertiò. Quoties ad eumdem actum causæ liberæ seu positiuum, seu negatiuum plures causæ concurrunt, intrinsecè requisitum est ad libertatem proximam eius, quòd omnes illæ ad talem actum sint proximè potentes. Constat hoc ex propos. 4. statutâ num. 95.

135 Dico quartò. Ad libertatem proximam causæ liberæ intrinsecè requisita est possibilitas tum actus positiui eius, tum negatiui contradictorij. Constat hoc ex propos. 5. statutâ num. 102.

136 Dico quintò. Ex eo, quòd aliquid sit requisitum ex parte actus secundi seu positiui, seu negatiui ad existentiam eius vt terminus connexionis ipsius, non sequitur, esse illud requisitum intrinsecè ad causæ libertatem proximam ad tales actus. Quæ proinde libertas adæquatè constituta, & existens potest intelligi independenter ab existentiâ absolutâ eiusmodi termini. Constat ex propositione 6. statutâ num. 110.

137 Dico sextò. Libertas proxima causæ liberæ benè potest, sicut & alia quæuis essentia composita, cum alio quopiam esse connexa, idque vel ratione sui totius, vel ratione alicuius partis constitutiuæ sui, quin illud ad suam intrinsecam constitutionem pertineat intrinsecè: quodque proinde ad existentiam eius non intrinsecè, sed extrinsecè sit requisitum. Suppositum est hoc iam à nobis supra num. 86. Estque principium per se euidens, ac prorsus certum. Vnde manifestè venit ex illo refutandus Franc. Alfons. disput. 10. Physic. sect. 5. num. 101. dicens, principia conseruatiua causæ ad actum primum proximum eius intrinsecè spectare vt conditiones requisitæ ad causandum: quia non minùs, inquit, est necessarium, vt causa producat effectum, quòd ipsa conseruetur à suis principijs, quàm, quòd sit approximata ad passum, instructaque cæteris conditionibus, sine quibus causare nequit. Iuxta quam doctrinam non solùm principia conseruatiua causæ liberæ, sed cætera quæque sine quibus ea, vel eius libertas proxima nequeunt existere ob connexionem, quam cum illis habent, ad ipsam proximam libertatem pertinebunt intrinsecè vt partes constitutiuæ eius. Quod quàm falsum sit, tum ex statuto principio constat; tum ex absurdis, quæ sequerentur inde, sit magis euidens. Primò enim sequeretur, Deum cum suo decreto conseruatiuo voluntatis creatæ in peccatum eius influere tanquam vnum ex constitutiuis intrinsecis potentiæ proximæ ad peccandum ipsius voluntatis. Secundò sequeretur, effectum causæ necessariæ in se ipsum immediatè, & physicè influere, vtpote inclusum in potentiâ proximâ causæ, à qua fit, titulo connexionis, qua talis causa cum illo connexa est. Tertiò sequeretur, nullum principium ex requisitis ad existentiam causæ, remotum iudicio omnium respectu effectus, remotum esse: siquidem inclusum in potentiâ proximâ causæ immediatæ eius non posset non immediatè influere. Hæc satis in re certâ.

Dico septimò. Ex eo, quòd aliquid sit 138
connexum cum actu secundo causæ liberæ seu positiuo, seu negatiuo, non sequitur, debere illud intrinsecè includi in illius libertate proximâ ad tales actus. Constat ex propos. 7. statutâ num. 116.

Dico octauò. Vt causa sit proximè libera 139
ad suos actus positiuum, & negatiuum contradictorium, non est necesse, quòd causa termini, cum quo connectitur quiuis eorum, ad talem terminum ponendum sit iam proximè potens: sed sufficit, potentiam proximam eius possibilem esse. Constat ex propos. 8. statutâ num. 117.

Dico nonò. Vt causa euadat proximè libe- 140
ra ad actus suos positiuum, & negatiuum contradictorium, intrinsecè requisitum est, quòd sit verum conditionatè, extiturum sine contradictione terminum connexionis cuiusuis dictorum actuum, si existat actus ipse. Constat ex propos. 9. statutâ num. 120. nec aliâ indiget probatione, præter adductas ibi.

Dico decimò. Vt causa rationalis, siue vo- 141
luntas (quæ sola de facto est causa libera iuxta dicta supra quæst. 4. à num. 75.) euadat proximè libera ad suum actum positiuum vel volitionis, vel nolitionis, & ad negatiuum contradictorium, intrinsecè requisita est cogitatio, seu cognitio intellectus vna vel multiplex, qua dirigatur, seu inducatur, seu moueatur cum indifferentiâ ad eligendum alterutrum dictorum actuum, siue ad se per vnum, vel alterum exercendum. Hoc & ex se euidens, & apud omnes certum est. Qualis verò cognitio ista vna, vel multiplex, & cuius obiecti esse debeat, aut possit, minutiùs est tractandum infra suo loco.

Dico vndecimò. Vt voluntas ad suos actus 142
positiuum, & negatiuum sit proximè libera, in manu suâ, siue in potestate suâ debet habere concursum comitantem Dei. Quia nulla causa operari potest sine concursu Dei comitante, vt tenent omnes Theologi contra Durandum, de quo suo loco. Et causa libera proximam, adæquatamque libertatem habere nequit, donec in suâ manu, seu potestate habeat talem concursum, vt apparebit ex dicendis. Qualiter autem illum in suâ manu, seù potestate possit habere, tum insequentibus tangetur, tum in tract. de Prouid. ex professò tractabitur.

Dico duodecimò. Contradictorium eius, quod 143
necessitat causam liberam ad alterum ex duobus ipsius actibus contradictorijs, ad talis causæ libertatem proximam ad tales actus intrinsecè requisitum est. Supponit hæc assertio, quod est certissimum, causam scilicet de suo liberam ad actum tam positiuum, quàm negatiuum posse necessitatam esse. Voluntas enim Beatorum per visionem Dei ad eius amorem positiuum necessitatur. Et nostra pasim defectu aduertentiæ ad positiuos actus, quos vocant primò primos. Frequentius autem quæuis voluntas ad actus negatiuos necessitata est defectu requisitorum ad eliciendos positiuos oppositos. Quo posito, vt demonstretur assertio, principia quæ-

dam

dam certa, & valde in hac materiâ notanda præmittenda sunt.

144 Sit primum. Necessitas, qua causa libera ad quemuis suum actum necessitata est, in connexione consistit, qua talis causa cum tali actu connexa est: quæ connexio annexam fert secum in ipsâ causâ impotentiam, siue defectum potentiæ proximæ ad actum contradictorium. Constat hoc ex vniuersali doctrinâ de necessitate traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 4. atque etiam ex demonstratis in eadem Pharo disput. 8. quæst. 4.

145 Sit secundum. Necessitas causæ liberæ ad actum potentiam proximam eiusdem causæ ad eumdem actum supponit, cum eâque connectitur; quia connectitur cum actu connexo cum tali potentiâ, sine qua neque causa exercere actum, nec ipse actus esse potest. Principium hoc tum ex se est satis euidens, tum dictâ quæst. 4. disput. 8. Phari sub terminis vniuersalioribus demonstratum est.

146 Si tertium. Necessitas causæ liberæ ad actum ipsissima connexio est, qua potentia proxima eius ad actum connectitur cum actu. Quia causa libera nequit necessitari ad actum, nisi prout potens proximè ad illum, iuxta principium secundum. Ergo per eamdem potentiam proximam, per quam fit ad actum proximè potens, venit necessitanda ad actum, quando talis potentia cum actu est connexa, atque adeò ad ipsum actum necessitata; & non aliter. Consequentia hæc, alioquin euidens, declaratur amplius. Quia causa libera nondum proximè potens ad actum, tantum abest, vt possit esse necessitata ad actum, quòd potiùs non potest non esse vt sic impossibilitata ad illum. Ergo per id tantùm, per quod redditur ad actum proximè potens, reddi potest necessitata ad actum, casu, quòd id ad actum ipsum necessitatum sit. Pone, vt hoc clarè cernas, causam liberam A; (de qua certum est, per suam entitatem præcisè cum neutro ex duobus quibusque actibus contradictorijs, respectu quorum potest euadere proximè libera, connexam esse, ad neutrumque eorum subinde per suam entitatem præcisè esse necessitatam; nam aliàs non esset libera respectiuè ad illos, vt ponitur); pone, inquam, dictam causam liberam A bifariam posse reddi potentem proximè ad aliquem actum positiuum per alias entitates adiunctas sibi. Primò per entitates B C D, quarum neutra sit connexa cum tali actu: quo casu tota potentia proxima causæ A ad talem actum cum actu negatiuo contradictorio compatibilis erit: sicque causa A ad vtrumque actum erit proximè libera, ad neutrumque subinde necessitata iuxta doctrinam assertionis sequentis num. 151. ponendæ. Secundò per entitates B C D, quarum E cum dicto actu positiuo connexa sit: quo casu potentia proxima causæ A ad talem actum connexa cum illo erit ratione connexionis vnius ex partibus constitutiuis sui, scilicet ipsius E; (cùm sit necesse, quoduis totum esse connexum cum termino, cum quo est connexa quæuis pars eius, vt patet ex se, & ex dicendis circa propos. 11. amplius patebit); consequenterque ad ipsum actum erit necessitata iuxta principium primum. Igitur, quòd in isto casu sit causa A necessitata ad actum prædictum positiuum eâdem omninò necessitate potentiæ suæ proximæ ad illum, & non aliter, manifestum est. Et primùm, quòd sit necessitata: quia non est libera aut per suam entitatem præcisè, aut prout coniuncta cum entitatibus B C: cùm vt sic adhuc non habeat potentiam proximam ad dictum actum, sine qua libertas ad illum, & ad contradictorium stare nequit: neque est libera prout coniuncta cum entitatibus B C E: quia vt sic ita est iam proximè potens ad dictum actum, vt sit impotens ad existendum sine illo, atque adeò sine potentiâ ad contradictorium, sine qua similiter libertas ad eos non potest stare. Deinde, quòd eâdem necessitate potentiæ suæ proximæ ad actum dictum sit ad ipsum necessitata, & non aliter, est clarum. Quia nulla hìc interuenit alia connexio, cum tali actu, per quam causa A euadat necessitata ad illum, præter illam, quam habet entitas E, & mediâ illâ dicta potentia proxima per ipsam entitatem E constituta, & completa. Quod autem euenit in casu isto adducto in exemplum in cæteris excogitabilibus ad propositum eueniet pariter, vt consideranti innotescet. Quo firmum manet tertium principium, quod statuimus; nimirum. Necessitatem causæ liberæ ad actum ipsissimam connexionem esse, qua potentia proxima eius ad actum connectitur cum actu.

Sit ergo iam quartum. Causa libera per 147
contradictorium cuiuslibet constitutiui potentiæ suæ proximæ requisitæ ad actum positiuum necessitatur ad negatiuum. Est clarum. Quia, deficiente in causâ liberâ quouis constitutiuo potentiæ suæ proximæ requisitæ ad actum positiuum per positionem contradictorij illius, manet impotens causa libera ad actum positiuum, & consequenter necessitata ad negatiuum: siquidem quidquid est impotens ad vnum ex extremis contradictorijs, est necessitatum ad alterum, vt constat ex se, & ex demonstratis in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 4. Hinc sequitur, contradictorium cuiuslibet constitutiui potentiæ proximæ actus positiui constitutiuum esse alicuius potentiæ proximæ actus negatiui, eius nimirum, per cuius necessitatem euadit causa necessitata ad ipsum actum negatiuum iuxta principium tertium. Dico *alicuius*: quia respectu actus negatiui, vtpote nullâ causâ sui indigentis ad existendum iuxta doctrinam statutam num. 131. quæcunque compatibilia sunt cum ipso, sufficientem potentiam proximam ad ipsum constituunt. Loquutus sum item in hoc principio de contradictorio constitutiui potentiæ proximæ requisitæ ad actum positiuum: quia, si sit sermo de potentiâ proximâ ad eum non requisitâ iuxta diuisionem factam supra num. 128. fieri poterit, vt contradictorium alicuius constitutiui eius non necessitet ad actum negatiuum; eo quòd, tali constitutiuo per suum contradictorium sublato, adhuc manet sufficiens potentia proxima ad positiuum, vt ex dictis ibi colligitur. Vtrùm autem causa libera non solùm per defectum potentiæ proximæ requisitæ ad actum positiuum necessitetur ad negatiuum, sed etiam per aliud quidpiam cum ipso actu negatiuo connexum possit necessitari inferiùs propos. 11. determinandum est. His positis.

Iam assertio proposita num. 143. demon- 148
stranda est. Primò sic. Per solam positionem eius, quod necessitat causam liberam ad vnum ex suis actibus contradictorijs, deficit in eâ potentia proxima ad alterum: siquidem necessitas ad vnum ex actibus contradictorijs annexam

fert

fert secum impotentiam ad alterum iuxta principium primum. Sed positio illius defectus formalis est sui contradictorij. Ergo per solum defectum contradictorij eius, quod necessitat causam liberam ad vnum ex suis actibus contradictorijs defecit in ea potentia proxima ad alterum. Ast id, ex cuius solo defectu quæuis potentia proxima deficit, constitutiuum intrinsecum talis potentiæ est, iuxta propos.1. statutam, ac demonstratam supra num. 87. Ergo contradictorium eius, quod necessitat causam liberam ad vnum ex suis actibus contradictorijs, potentiæ proximæ ad alterum constitutiuum intrinsecum est; & consequenter libertatis proximæ ad illum. Quod erat demonstrandum. Vel aliter sic. Si contradictorium necessitantis ad vnum ex actibus contradictorijs non constitueret potentiam proximam ad alterum, sublato præcisè tali contradictorio per positionem ipsius necessitantis, talis potentia proxima non auferretur. Atque ita fieret, vt simul cum necessitate ad vnum ex actibus contradictorijs maneret in causa potentia proxima ad alterum, & consequenter potentia proxima ad vtrumque, atque adeò & libertas. Quæ contradictione sunt plena, vt constat.

149 Secundò demonstratur. Quia causa libera per idem ipsum, per quod necessitata redditur ad vnum ex suis actibus contradictorijs, redditur incompatibilis cum altero, siue ipsi opposita. Ergo per idem ipsum, quo tollitur formaliter talis necessitas, (quod est contradictorium illius, per quod illa inducitur, siue ponitur), tollitur formaliter talis incompatibilitas, ponitur que subinde formaliter compatibilitas opposita. Ergo contradictorium constitutiui intrinseci illius necessitatis, intrinsecum constitutiuum huius compatibilitatis est. Omnia hucusque sunt euidentia. Pergo. Sed de conceptu intrinseco potentiæ proximæ causæ liberæ ad quemuis suum actum est eius cum illo compatibilitas, vt etiam est euidens. Ergo de primo ad vltimum contradictorium constitutiui intrinseci necessitatis causæ liberæ ad vnum ex suis actibus contradictorijs constitutiuum intrinsecum est potentiæ proximæ ipsius ad alterum, & consequenter libertatis proximæ ad illum. Quod erat demonstrandum. Vel aliter sic breuiùs. Sublato præcisè per positionem sui contradictorij eo, quo causa necessitata redditur ad vnum actum, & nihilo alio posito, redditur illa ad alterum proximè potens. Ergo illud contradictorium huius potentiæ constitutiuum est. Consequentia est euidens. Et antecedens constat. Quia, sicut defectus potentiæ ad vnum ex actibus contradictorijs euidenter nequit stare sine necessitate ad alterum: ita defectus necessitatis ad vnum nequit stare sine potentiâ ad alterum, propter vniuersam, notissimamque connexionem, quam habent contradictoria extremorum inter se connexorum: de qua in Pharo Scient. disput.14. quæst. 4. posit.7.

150 Est tamen aduertendum; licèt contradictorium necessitantis causam liberam ad vnum ex actibus contradictorijs sit constitutiuum potentiæ proximæ eius ad alterum, ita, vt ablatio necessitatis ad vnum sine positione potentiæ proximæ ad alterum stare non possit; hinc tamen non sequi, vt ablatio necessitatis ad vnum stare nequeat sine positione libertatis proximæ ad vtrumque. Fieri enim potest, vt per ablationem necessitatis ad vnum vnà cum potentiâ proximâ ad alterum necessitas ad ipsum ponatur, sicque adhuc desit talis libertas. Cernitur id in exemplo posito num. 146. causæ liberæ A, quæ per entitates B C sibi adiunctas adhuc non erit proximè potens ad aliquem actum suum positiuum; erit tamen si insuper adiungatur E, sed potentiâ necessitatâ ad talem actum propter connexionem, quam E habet cum ipso. Ecce in hoc casu causa A per entitatem E erit ad dictum actum necessitata, & tamen per ablationem ipsius E præcisè, etsi reddatur proximè potens ad actum negatiuum oppositum, non reddetur libera ad vtrumque defectu potentiæ proximæ ad actum positiuum, quæ per E complebatur, Eque proinde deficiente, deficiet: quare potentia ad actum negatiuum per ablationem ipsius E acquisita necessitata ad ipsum erit, vti erat antea potentia ad actum positiuum. Vnde, vt causa A reddatur proximè libera ad dictos actus, non satis est auferre ab illâ entitatem E, sed insuper necesse est adiungere entitatem D complentem potentiam proximam ad actum positiuum sine vllâ connexione cum illo; sicque libertatem proximam ad illum, & ad oppositum constituentem. Idem eueniet semper, quoties id, quod necessitat ad actum positiuum, mutuò cum illo connexum est. Tunc enim eius defectus inducet semper defectum potentiæ proximæ ad talem actum positiuum, & consequenter necessitatem ad negatiuum. Ex quibus omnibus concluditur, contradictorium eius, quod necessitat causam liberam ad alterum ex duobus suis actibus contradictorijs, semper, & necessariò constituere potentiam proximam ad oppositum: libertatem verò ad vtrumque non item; sed tantùm, quando talis potentia ad oppositum libera ad vtrumque est. Circa quod videantur plura dicenda infra quæst.10. à num.482.

151 Dico decimotertiò. Quotiescunque causa libera habet potentiam proximam ad actum positiuum compatibilem, seu coniungibilem cum actu negatiuo contradictorio, non potest non habere libertatem proximam ad vtrumque actum. Quia, cùm actus negatiuus ad existentiam suam influxu causæ immediatæ sui non indigeat, sed solâ permissione, sola compatibilitas cum illo integræ potentiæ proximæ talis causæ ad actum positiuum est necessariò potentia ipsius proxima ad actum negatiuum; vt constat ex doctrinâ statutâ num. 131. Quia nimirum, stante in causâ potentiâ proximâ ad actum positiuum compatibili cum negatiuo, nequit non esse ea proximè potens vel ad eliciendum actum positiuum, vel ad se sistendum, non eliciendo illum, sicque permittendo, vt sit existens negatiuus. Quod ipsum est, eam habere libertatem proximam ad vtrumuis.

152 Sed obijciet aliquis. Postquam voluntas habet potentiam proximam ad actum positiuum compatibilem cum negatiuo, potest per actum quasi reflexum velle efficaciter, atque ita imperare sibi actum negatiuum. Quo casu ad hunc manebit proximè necessitata per tale imperium, atque adeò non libera proximè ad vtrumque actum. Igitur libertas proxima causæ ad vtrumque actum non consistit in eo, quòd habeat potentiam proximam ad actum positiuum compatibilem cum negatiuo. Respondeo, casu, quòd imperium efficax de actu negatiuo necessitet voluntatem ad ipsum, falsò in obiectione supponi, simul cum tali imperio esse in voluntate potentiam

tiam proximam ad actum positiuum. Deest siquidem in tali casu vnum ex constitutiuis intrinsecis eius, scilicet negatio talis imperij, vt constat ex assertione statutâ num. 143. Vtrùm autem imperium efficax de actu negatiuo aut semper, aut aliquando necessitet voluntatem ad ipsum actum negatiuum, inferius quæst. 12. examinandum nobis est. Stat igitur primum assertum nostrum, libertatem scilicet proximam non posse deesse causæ liberæ, quoties habuerit potentiam proximam ad actum positiuum compatibilem cum negatiuo.

153 Ex quo sequitur inferendum, duas potentias proximas causæ liberæ, in quibus, vt diximus sæpe, consistit libertas proxima eius, per solam rationem nostram duas esse. Nam à parte rei prorsus sunt idem: cùm potentia proxima ad actum negatiuum aliud non sit realiter ab ipsâ potentiâ proximâ ad actum positiuum coniungibili naturâ suâ cum actu negatiuo. Et quidem de ratione libertatis actus primi esse, quòd duæ potentiæ proximæ, altera ad actum secundum positiuum, & altera ad negatiuum contradictorium, in quibus ea consistit, realiter sint vnum, & idem, aliunde ostenditur à priori. Quia nimirum libertas actus primi indifferentia proxima, dominium, potestasque electiua est conueniens vni, & eidem causæ indiuisim respectiuè ad dictos actus, non pluribus: cùm per se sit euidens, in duabus causis, alterâ proximè potente ad solum actum positiuum, & alterâ ad solum negatiuum, eiusmodi libertatem non esse. Duæ autem potentiæ proximæ realiter inter se distinctæ, adhuc inadæquatè, altera ad solum actum positiuum, & altera ad solum negatiuum, duæ causæ sunt reuerâ respectu illorum, vbicunque illæ reperiantur. Nequeunt igitur, adhuc in eâdem entitate causæ coniunctæ, siue ei simul conuenientes, libertatem eius proximam constituere. Quod clarè ab absurdo confirmatur. Quia, si in duabus potentijs proximis realiter inter se distinctis inadæquatè, & in eâdem causâ repertis, altera ad actum positiuum, & altera ad negatiuum contradictorium, posset libertas talis causæ consistere; quantumuis voluntas prædeterminaretur ad actum positiuum per prædeterminationem constituentem, & connectentem essentialiter cum illo potentiam proximam voluntatis ad ipsum; libera nihilominùs maneret voluntas ad ipsum actum positiuum, & ad negatiuum contradictorium: quod est ingens absurdum. Quia haberet duas potentias proximas inadæquatè distinctas realiter: alteram ad actum positiuum includentem prædeterminationem dictam; & alteram ad negatiuum includentem, prædeterminatione exceptâ, cætera omnia compatibilia cum ipso. Ex quibus concluditur, libertatem proximam causæ vnam, & eamdem realitatem esse debere proximè indifferentem ad vtrumque prædictum actum, reddentemque causam, cui conuenit, potentem proxime ad vtrumque, tametsi per rationem nostram in duas potentias proximas talis causæ ad tales actus propter eorum distinctionem diuidi soleat.

154 Contra hoc tamen obijci potest. Quando voluntas proximè libera constituitur per duas cogitationes, quarum altera illam inclinat ad actum positiuum, altera ad oppositum negatiuum, sola cogitatio inclinans ad actum positiuum potest in eum influere, atque adeò ad eius potentiam proximam pertinere, non altera, quæ potiùs ab illo retrahit, inclinando ab oppositum: pariterque sola cogitatio inclinans ad actum negatiuum, non altera, potest in eum influere, eiusque subinde potentiam proximam constituere. Igitur libertas proxima voluntatis in tali casu ex duabus potentijs proximis à parte rei inter se distinctis inadæquatè ratione dictarum cogitationum coalescit, contra id, quod statuimus. Respondeo, in casu posito ambas dictas cogitationes in ambos dictos actus esse simul influxiuas, vnamquamque suo modo, de factoque influere in eum, quem voluntas eligit, quicunque eorum sit: quatenus scilicet vnaquæque earum alterius inclinationem, atque adeo alterius influxum temperat, & moderatur; atque ita ambas pertinere intrinsecè ad potentiam proximam realiter vnam, ambobusque actibus communem; in qua libertas proxima voluntatis ad eos consistit: secus ad potentias proximas realiter duas, diuisimque illos respicientes à parte rei. Quo cesat obiectio. Constat manifestè hæc doctrina, quando, perseuerante vnâ dictarum cogitationum, variatur altera; siquidem quò maior est in secundâ vis retrahendi, eò minor in primâ euadit vis inclinandi in actu primo, minorique cum impetu, siue conatu concurrendi ad actum secundum; & vice versâ: quòd si secunda prorsus tollatur, iam prima non inclinat solùm, sed rapit, necessitatque ad actum secundùm. Igitur, cùm istæ cogitationes, vtpote causæ quædam morales, per suas entitates formaliter præstent hæc munia, compertum est, quando adsunt ambæ, & voluntatem reddunt proximè liberam ad actus contradictoriè oppositos, ambas simul ad eorum quemuis à voluntate electum concurrere, vnaquæque suo modo, atque adeò ambas simul ad vnam, eamdemque à parte rei potentiam proximam amborum actuum intrinsecè spectare.

Dico decimoquartò. Ex duobus tantùm capitibus prouenire potest, quòd desit causæ liberæ libertas proxima ad suos actus contradictorios. Nempe, vel quia deest illi aliquod ex intrinsecè requisitis ad constituendam potentiam ipsius proximam ad actum positiuum: vel quia potentia proxima, quam habet ad actum positiuum compatibilis, seu coniugibilis non est cum actu negatiuo. Assertio hæc manifestè sequitur ex præcedente posita num. 151. Si enim nequit deesse causæ liberæ libertas proxima ad suos actus contradictorios, quoties habet potentiam proximam ad actum positiuum compatibilem cum negatiuo, vt ibi statuimus: planè consequitur, dumtaxat posse deesse illi, quando vel non habet potentiam proximam ad actum positiuum defectu alicuius intrinsecè requisiti ad talis potentiæ constitutionem; vel, si habet, compatibilis ea non est cum actu negatiuo. Porrò autem, potentiam proximam ad actum positiuum non esse compatibilem cum negatiuo, aliunde prouenire non potest, nisi, quia ea cum actu ipso positiuo suapte essentiâ connexa est, idque vel ratione sui totius, vel ratione alicuius ex partibus suis cum actu ipso positiuo connexæ. Quod demonstratur. Quia, non esse talem potentiam compatibilem, seu coniugibilem cum actu negatiuo, &, esse illi oppositam, in idem prorsus recidit, vt est notum. Constat autem ex se, & ex demonstratis à nobis in Pharo Scient. disp. 14. quæst. 4. quidquid vni ex extremis contradictorijs oppositum est, cum altero esse eo ipso connexum; & vice versâ. 155

Igitur potentia oppoſita actui negatiuo cum poſitiuo contradictorio connexa neceſſario eſt: imo ex hac connexione prouenit illa oppoſitio, vt ex latè traditis diſputatâ de naturâ oppoſitionis, & connexionis quiſque poteſt colligere.

156 Dico decimoquintò. Capita duo, ex quibus tantùm prouenire poteſt, quòd deſit cauſæ liberæ libertas proxima ad ſuos actus contradictorios iuxta aſſertionem præcedentem, ad vnum poſſunt reuocari, nempe ad defectum alterius ex duabus potentijs proximis, in quibus conſiſtit talis libertas, vt ſæpe dictum eſt. Nam vel deeſt potentia proxima ad actum poſitiuum, quia deeſt aliquod ex conſtitutiuis eius intrinſecis, & ſic iam datur defectus vnius ex duabus: vel ea, ſi adeſt, non eſt compatibilis cum actu negatiuo; & ſic iam deeſt potentia proxima ad hunc, daturque defectus alterius. Etenim contradictorium eius, quod reddit potentiam proximam actus poſitiui connexam cum ipſo, atque adeò incompatibilem cum negatiuo, vnum eſt ex conſtitutiuis intrinſecis potentiæ proximæ ipſius negatiui. Quia eſt contradictorium eius, quod per eiuſmodi connexionem reddit cauſam neceſſitatam ad actum poſitiuum, eoque titulo eſt conſtitutiuum potentiæ proximæ negatiui iuxta doctrinam ſtabilitam num. 143. & ſequentibus.

Propoſitio 11.

157 **Id, quod ad potentiam proximam actus intrinſecè pertinet, eamve intrinſecè conſtituit, & cum actu ipſo connexum eſt ſiue immediatâ, ſiue mediatâ connexione omnino tollit libertatem ad talem actum.**

Suppono primò, ſermonem in hac propoſitione eſſe de potentiâ proximâ actus, à qua de facto actus procedit, ſiue ea ad actum ipſum ſit requiſita, ſiue non requiſita iuxta diuiſionem potentiæ proximæ traditam ſupra num. 128.

128 Suppono ſecundò, quoties aliquid incluſum in potentiâ proximâ actus eſt connexum cum actu, conſequenter ipſam potentiam cum ipſo actu connexam eſſe: quia totum quoduis cum quauis ſuâ parte connexum eſt; atque adeò nequit non connecti mediatè cum eo, cum quo connectitur quæuis ſua pars. Eſt autem pars potentiæ proximæ ad actum, quidquid in eâ incluſum eſt. Vnde perinde ad rem eſt, connecti cum actu aliquid incluſum in potentiâ proximâ actus, ſiue aliquid intrinſecè pertinens ad illam, intrinſeceve conſtituens illam, atque connecti cum actu ipſam potentiam proximam actus.

159 Suppono tertiò, id connecti cum actu immediatâ connexione, quod per ſe citra omne medium à ſe diſtinctum cum actu ipſo connexum eſt; id verò connexione mediatâ, quod connectitur cum alio quopiam connexo cum actu. Poteſt autem connexio mediata multos gradus habere; quia ſeries connexorum in infinitum poteſt extendi; cum tamen connexio immediata vnum dumtaxat gradum habeat. Si enim A connectitur cum B, & B cum C, & C cum D, & D cum E, & ſic deinceps, A erit immediatè connexum dumtaxat cum B, mediatè autem cum C, & magis mediatè cum D, & magis medietè cum E, & ita deinceps. Ad rem autem nihil refert, quòd connexio potentiæ proximæ actus cum actu ipſo ſit immediata, vel ſit mediata in quouis gradu; quia, quæcunque ea ſit, talis potentia nequibit exiſtere ſine actu, actuique contradictoriè oppoſito oppoſita erit, ſiue cum eo incompatibilis; (quod ſolum ad rem facit); vt conſtat ex ſe, & ex demonſtratione facta in Pharo Scient. diſput. 14. quæſt. 4. propoſit. 22. Iam autem aduerti ſuperiùs, in præſenti materiâ ſemper nos loqui de connexione metaphyſicâ, niſi aliud exprimatur. Quoniam autem id, cum quo connectitur potentia proxima actus tanquam cum parte ſuâ, intrinſecè requiſitum ad illam dicitur, extrinſecè autem requiſitum id, cum quo ipſa connectitur tanquam cum termino extra ſe poſito; propoſitio data, huic eſt æquiualens, ***Libertas cauſæ ad actum nullatenus ſtare poteſt cum eo, quòd aliquid requiſitum, ſiue intrinſecè, ſiue extrinſecè ad potentiam proximam actus cum ipſo actu connexum ſit.*** Quod aduerto, vt per probationes, quas datæ propoſitioni adhibebimus, hæc, & cæteræ æquiualentes cenſeantur probatæ.

Iam ergo probatur illa primò. Quia, quoties 160
principium immediatum, à quo præcedit actus, non eſt indifferens ad actum, & ad eius contradictorium, ita, vt tam poſſit proximè in contradictorium actus, quàm in actum ipſum prodire, nullatenus actus ipſe poteſt liber euadere; cùm non procedat à principio proximè indifferenti ad vtrumuis proximâ illâ indifferentiâ, in qua conſiſtit libertas actus primi iuxta ſæpe in præcedentibus dicta. Sed, quoties aliquid incluſum in potentiâ proximâ actus cum ipſo actu connexum eſt, principium immediatum, à quo actus procedit, à tali potentiâ indiſtinctum ad actum, & ad eius contradictorium non eſt indifferens, cùm ſit connexum cum actu ipſo ratione eius, quod in ſe includit, iuxta ſuppoſitionem factam num. 158. Ergo, quoties aliquid incluſum in potentiâ proximâ actus cum ipſo actu connexum eſt, actus liber eſſe non poteſt, & conſequenter neque principium eius vt tale.

Secundò probatur. Quia neceſſitas ante- 161
cedens orta ex aliquo antecedente exercitium cauſæ prioritate naturæ omnino excludit libertatem, vt vnanimiter docent Patres, & Doctores, quorum plures refert Ruiz tom. de Scient. diſp. 33. & ſatis ex ſe apparet: cùm ſit certum, libertatem per aliquam neceſſitatem tolli; neque alia ad id muneris aptior, quàm antecedens poſſit excogitari. Ergo neceſſitas orta ex ſuppoſitione alicuius connexi cum actu in ipſum actum immediatè influentis, ob idque intrinſecè pertinentis ad potentiam proximam eius non poteſt non tollere libertatem ad talem actum, vtpote neceſſitas immediatè antecedens illum. De hac enim, vt minimùm loquuntur Patres, & Doctores. Quidquid ſit de neceſſitate remotè antecedente, ortâ ex aliquo principio remoto actus connexo cum illo: de qua eſt inter Doctores controuerſia, an libertatem tollat, vt videbimus q. 8.

Tertiò probatur. Quia duæ potentiæ pro- 162
ximæ cauſæ ad duos actus contradictorios, in quibus libertas cauſæ ad ipſos conſiſtit, vt ſæpe in præcedentibus eſt repetitum, vna, eademque realitas neceſſariò eſſe debent, vt num. 153. ſtatuimus. Sed, quando altera dictarum potentiarum cum ſuo actu connexa eſt, realitas eius, vtpote alteri actui contradictorio oppoſita, incompatibiliſque cum ipſo, potentia proxima ad 16
ipſum eſſe non poteſt, vt conſtat. Ergo, quando

alte-

altera dictarum potentiarum cum suo actu connexa est, non dantur in causâ duæ potentiæ proximæ ad dictos duos actus, in quibus libertas ad ipsos consistit; ad neutrumque eorum subinde causa libera est.

163 Quartò. Esse causam necessitatam ad aliquem suum actum, aliud non est, quàm eius potentiam proximam ad talem actum cum ipso actu connexam esse; vt constat ex principio statuto, ac demonstrato supra num. 146. Ergo, quoties potentia proxima causæ ad actum cum ipso actu connexa est, causa ad talem actum necessitata manet; atque adeò ad ipsum, & ad suum contradictorium proximè libera non est.

164 Quintò. Contradictorium eius, quod potentiam proximam causæ ad vnum ex ipsius actibus contradictorijs reddit connexam cum actu ipso, intrinsecum constitutiuum est potentiæ proximæ eiusdem causæ ad alterum actum, vt ex doctrinâ demonstratâ supra num. 143. & sequentibus manifestè deducitur. Ergo, quando potentia proxima causæ ad vnum ex ipsius actibus contradictorijs ratione alicuius partis suæ cum ipso actu connexa est, necessariò deest in tali causâ potentia proxima ad alterum actum defectu contradictorij dictæ partis, per quod erat illa constituenda. Ergo & necessariò deest libertas consistens in duabus potentijs proximis ad suos actus contradictorios, prout sæpe dictum est.

165 Sextò. Si causa habens potentiam proximam ad vnum ex suis actibus contradictorijs cum ipso actu connexam esset nihilominùs proximè libera ad vtrumque, non posset non per talem causæ potentiam proximam eiusmodi proxima libertas ipsius causæ constitui intrinsecè; cùm sit manifestum ex se, & ex sæpe in præcedentibus repetitis, potentiam proximam causæ ad quemuis ex duobus suis actibus contradictorijs ipsius libertatem proximam ad vtrumque constituere intrinsecè, quando ea ad vtrumque est proximè libera. Hinc autem sequeretur primò, libertatem proximam causæ ad ambos suos actus contradictorios ratione vnius ex partibus sui, scilicet potentiæ proximæ prædictæ, cum altero eorumdem actuum esse connexam. Secundò sequeretur, eam alteri eorum actuum, ad quos est libertas, oppositam, incompatibilemque subinde cum ipso esse: cùm nequeat non esse oppositum vni ex extremis contradictorijs id, quod cum altero connexum est. Tertiò sequeretur, causam prout talem libertatem habentem alterum eorum actuum, ad quos ea esset libertas, habere non posse, & altero non posse carere; sicque proinde causam respectu eorum liberam esse, vt alterutrum præ altero non posset eligere: neque in potestate, arbitrioque suo positum esset, assumere quemlibet eorum, relicto altero, vel quemlibet eorum relinquere, altero assumpto. Quartò sequeretur, alterum dictorum actuum ita tali causæ fore liberum dum existeret, vt non foret illi contingens: alterum verò ita tali causæ fore liberum, si existeret, vt liber illi sine ipsius libertate foret, vtpote cum eâ incompatibilis. Quæ omnia cùm manifestè sint contradictionibus plena, manifestè concluditur, causam, cuius potentia proxima ad vnum ex suis actibus contradictorijs cum ipso actu connexa est, libertatem proximam ad ambos actus nullatenus habere posse.

166 Septimò. Si causa habens potentiam proximam ad vnum ex suis actibus contradictorijs connexam cum illo haberet nihilominùs libertatem proximam ad vtrumque, necessariò haberet cum tali libertate coniunctam potestatem ad ponendum omne requisitum ad existentiam talium actuum aliunde non positum. Sed talis potestas cum tali libertate nullatenus coniungi potest. Ergo talis causa talem libertatem non haberet. Maior est certa. Quia cum sit impossibile, existere actum sine requisito ad suam existentiam, repugnat in causâ potestas libera ad dandam existentiam actui sine potestate ponendi tale requisitum, si aliunde illud non sit positum. Consequentia est legitima. Minor, quæ sola probanda restat, probatur. Quia, si causa habens potentiam proximam ad vnum ex suis actibus contradictorijs connexam cum illo haberet nihilominùs libertatem proximam ad vtrumque, talis libertas, vtpote per talem potentiam proximam constituta, cum eodem actu esset etiam connexa iuxta dicta num. præceden. atque adeò propter inuersam, notissimamque connexionem, quam habent contradictoria extremorum inter se connexorum, actus contradictorius cum carentiâ talis libertatis connexus esset; sicque carentia talis libertatis ad existentiam ipsius actus contradictorij esset requisita. At cum tali libertate nullatenus potest coniungi in causâ potestas ponendi carentiam ipsius libertatis aliunde non positam, vt constat. Ergo cum tali libertate nullatenus potest coniungi potestas ad ponendum omne requisitum ad existentiam talium actuum aliunde non positum. Quæ erat minor probanda.

Octauò denique probatur propositio. Quia ex suppositione entis connexi cum actu in ipsumque immediatè influentis non est potestas in causâ ad actum contradictorium; vt patet ex naturâ connexionis. Sed hæc suppositio ab arbitrio causæ per talem actum exercendo non pendet: quia causa respectu talis actus non habet arbitrium; cùm non habeat potentiam proximam indifferentem ad vtrumuis, in qua illud consistit, vt satis superque constat ex dictis. Ergo absolutè, dum per tale ens potentia proxima causæ ad actum intrinsecè constituta est, causa ad actum contradictorium potentiam proximam non habet; atque adeò nec libertatem proximam ad vtrumuis. 167

Obijci tamen potest contra propositionem. Quando ens connexum cum actu, immediatèque influens in illum ad existentiam eius non est requisitum, potentiamque subinde proximam actus ad actum ipsum non requisitam componit iuxta diuisionem factam supra num. 128. tali ente præciso, datur in causâ alia potentia proxima sufficiens ad talem actum, & indifferens ad oppositum. Ergo datur in causâ libertas ad vtrumque actum, quantumuis potentia proxima de facto influens in actum, siue ad illum concurrens ratione dicti entis, quo constituitur, sit connexa cum ipso. Non ergo est vniuersaliter verum, id, quod ad potentiam proximam actus seu positiui, seu negatiui intrinsecè pertinet, & cum ipso actu connexum est, tollere libertatem ad tales actus, vt propositio data fert. Respondeo ex doctrinâ iam indicatâ loco citato, in casu argumenti vnicam dumtaxat dari in causâ potentiam proximam ad actum constitutam per dictum ens, atque ideò cum actu ipso connexam; & consequenter nullatenus in eâ dari proximam libertatem ad actum. Nam altera potentia, quæ in causâ cum præcisione à tali ente concipitur, esto esset sufficiens 168

potentia proxima ad eumdem actum, si tale ens non existeret, in eoque casu, vtpote ad actum etiam oppositum indifferens, constitueret libertatem causæ proximam ad vtrumque, (de quo mox); in consortio tamen talis entis non est potentia causæ proxima ad ipsum actum; eo quòd causa nequit ea ratione vti ad eliciendum illum, impediendo concursum talis entis, potentiæque per id constitutæ, atque ad actum necessitatæ, hoc ipso, quòd tale ens semel existens non potest non influere in actum ipsum, vti supponimus ex dicendis suo loco. Quo obiectio facta cessat.

169 Addo, totum id, quod in causâ cum præcisione à prædicto ente concipitur quasi potentia proxima sufficiens ad elicientiam actus, talem reuerà non esse, non solum in præsentia talis entis, sed etiam in absentiâ, nisi absentia ipsa, siue negatio illius adiungatur vt vnum ex constitutiuis intrinsecis eius. Ratio est conspicua. Quia id præcisè, quod, existente tali ente, potentia proxima sufficiens ad actum non est suopte conceptu, & essentiâ, repugnat, quòd sit potentia proxima insufficiens ad actum, tali ente non existente; cùm repugnet, vt mutet suam essentiam, eamdemque non habeat in vno eorum casuum, quam habeat in altero. Itaque totum id, quod, tali ente existente, prout condistinctum ab illo non est in causâ potentia proxima ad actum sufficiens, nec esset tali ente non existente. Cum hoc tamen stat esse verum, sublato tali ente, & nihilo alio addito, habituram causam potentiam proximam sufficientem ad actum: quatenus ex cæteris, quæ modò habet, & ex negatione talis entis, quam tunc insuper haberet, potentia proxima ad actum sufficiens constitueretur.

170 Nihilominùs tamen veritas nostræ propositionis, & argumentorum vis, quibus eam probauimus, clariùs apparent, quando ens connexum cum actu, & ad potentiam proximam actus intrinsecè pertinens omnino requisitum est ad existentiam actus, potentiamque proximam subinde constituit omnino requisitam ad talem actum. Nam, tali ente posito, potentia proxima ad actum non est indifferens ad vtrumuis, &, eo sublato, non est potentia proxima ad actum: atque ita siue illud adsit, siue desit, nulla est in causâ libertas proxima ad talem actum. De quo plura sunt nobis dicenda infra quæst. 10. contra Prædeterminatores. Quibus & præsens propositio firmabitur amplius.

Propositio 12.

171 **Per aliquid non pertinens intrinsecè ad potentiam proximam actus, eamve intrinsecè non constituens libertas ad talem actum nullatenus auferri potest, quantumuis illud cum actu ipso connexum sit siue immediatà, siue mediatà connexione.**

Probatur primo à priori. Quia potentia proxima ad actum nihil intrinsecè continens cum actu connexum eo ipso est absoluta ab actu suapte naturâ, & essentiâ, atque adeò indifferens ad talem actum, & ad eius contradictorium. Ergo, quantumuis ei adiungatur aliquid cum actu connexum, sicut non potest per illud essentiâ suâ spoliari, ita nec potest spoliari indifferentiâ sibi intrinsecâ ad vtrumque actum. Ergo causa talem potentiam proximam habens, non potest libertate carere in eâ ipsâ talis potentiæ indifferentiâ essentialiter consistente.

Dices, etsi potentia proxima actus intrinsecè non connexa cum illo non possit non ab intrinseco esse ab ipso absoluta, atque adeò indifferens ad vtrumuis; quia id habet per suam essentiam: posse tamen illam per aliquid sibi adiunctum extrinsecè reddi cum actu ipso connexam, atque adeò amittere indifferentiam requisitam ad libertatem. Sicut voluntas instructa duplici cogitatione boni, & mali indifferens est ad vtrumuis intrinsecè; & tamen per prædeterminationem adiunctam extrinsecè determinata manet ad vnum, & sine libertate. Sed contra. Quia, reddi potentiam proximam extrinsecè connexam cum actu per aliquid sibi adiunctum cum ipso actu connexum, nihil est aliud, quàm potentiam proximam prout coniunctam cum tali additamento cum actu esse connexam, atque adeò incompatibilem cum eius contradictorio. Hoc autem nihil derogare libertati, si potentia proxima secundùm se intrinsecè manet indifferens, manifestum est. Cùm certum sit, voluntatem, alias intrinsecè, & proximè indifferentem, liberè amare, & liberè omittere odium, etiam si prout coniuncta cum ipso amore, aut cum actu fidei, vel scientiâ Dei de existentiâ amoris non sit indifferens ad vtrumuis; quia vt sic neque est coniungibilis cum odio, neque cum negatione amoris. Et idem est, si coniungatur cum quolibet alio ente connexo cum suo actu, & ad potentiam proximam eius intrinsecè non pertinente. Exemplum autem, quod opponebatur de voluntate cum duplici cogitatione, & prædeterminatione ad vnctâ, non est ad rem: quia voluntas cum duplici cogitatione non habet proximam indifferentiam respectu actus, ad quem prædeterminatur, & eius oppositum; eo quòd potentia proxima ad talem actum per prædeterminationem ipsam completur intrinsecè: atque adeò, etsi indifferentia remota, quam habet voluntas cum duplici cogitatione, per prædeterminationem non auferatur, vt vere non auferatur, voluntas nihilominus non manet libera; quia proxima potentia eius ad actum per prædeterminationem completa non est indifferens ad vtrumuis, prout requirebatur ad libertatem, sed ad vnum determinata. Aliter res se habet in nostro casu: vbi indifferentia, quæ manet, proxima est; cum sit indifferentia potentiæ proximæ, atque adeò ipsissima, in qua consistit libertas actus primi. Hæc enim non in quauis indifferentiâ, sed in solâ proximâ consistit, vt ex sæpe dictis est notum. 172

Secundò probatur propositio. Quia, si aliquid connexum cum actu titulo talis connexionis necessitaret ad illum, quantumuis non pertinens intrinsecè ad potentiam proximam eius, omne connexum cum actu, vtpote eumdem connexionis titulum habens, necessitaret ad illum, vt est notissimum. Hinc autem planè sequeretur, reuelationem diuinam de aliquo actu voluntaris creatæ, & scientiam visionis de omnibus ob connexionem, quam cum eis habent, necessitare ad illos. Quod est contra fidem. 173

Tertiò probatur in hunc modum. Si id, quod connectitur cum actu, eo ipso necessitaret ad illum, quantumuis intrinsecè non pertinens ad potentiam proximam actus, sequeretur contra-

pro-

posit. 6. statutam, ac demonstratam supra num. 110. & sequentibus, id, quod requiritur ex parte actus vt terminus connexionis eius, eo ipso esse requisitum intrinsecè ad potentiam proximam talis actus. Demonstratur sequela. Quia propter inuersam connexionem conuenientem contradictorijs extremorum inter se connexorum, contradictorium requisiti ex parte vnius ex actibus contradictorijs vt terminus connexionis eius cum altero actu connexum est. Cùm ergo iuxta assertionem demonstratam supra num. 143. & sequentibus contradictorium necessitantis ad vnum ex actibus contradictorijs, nequeat non esse requisitum intrinsecè ad potentiam proximam alterius, consequitur planè, si id, quod connectitur cum vno ex actibus contradictorijs, eo ipso ad illum necessitat, contradictorium eius, quod est requisitum ex parte alterius, eo ipso esse requisitum intrinsecè ad potentiam proximam eius. Quod erat demonstrandum.

175 Quartò. Ponamus ens connexum cum vno ex actibus contradictorijs, & non inclusum in potentiâ proximâ eius mutuam habere connexionem cum illo: quo casu contradictorium talis entis mutuam similiter connexionem habebit cum altero actu, Tum, sic. Ens dictum necessitat ad actum, cum quo connectitur. Ergo contradictorium eius eodem titulo necessitat quoque ad alterum actum, cum quo connectitur. Sed nequit quidpiam necessitare ad vnum ex dictis actibus, quin eius contradictorium includatur in potentiâ proximâ alterius iuxta assertionem demonstratam superiùs, citatamque num. præcedent. Ergo ens prædictum ex vnâ parte non includitur in potentiâ proximâ actus, cum quo connectitur; quia id supponimus: ex aliâ autem includitur; quia est contradictorium eius quod necessitat ad alterum actum. Quæ manifesta est contradictio.

176 Quintò. Possibile citra dubium est, vt duo actus liberi siue ab eadem siue à distinctis causis liberis oriundi mutuò sint connexi inter se. Quibus suppositis, arguitur sic. Ideò ex illis actibus mutuò connexis neuter tollit libertatem alterius: quia neuter pertinet intrinsecè ad potentiam proximam alterius. Ergo ens connexum cum actu, & ad potentiam proximam eius intrinsecè non pertinens non tollit eius libertatem. De facto item actus amoris cum carentiâ odij sibi oppositi non mutuò saltem connexus est: & tamen eius libertatem immediatam neutiquam tollit: quia ad potentiam proximam talis carentiæ neutiquam potest pertinere, vt inferiùs quæst. 6. non obscurè monstrabitur.

177 Sextò. Si ens connexum cum actu, & non inclusum in potentiâ proximâ actus tolleret libertatem ens etiam oppositum actui, & non inclusum in potentiâ proximâ actus tolleret libertatem. Est clarum. Quia dictum ens connexum cum actu ob id dumtaxat dici potest tollere libertatem; quia non est indifferens ad ambos actus contradictorios, circa quos versanda erat libertas, eo quòd sine vno eorum non potest esse, & cum altero non potest compati. Sed dictum ens oppositum actui similiter non est indifferens ad ambos actus contradictorios; eo quòd pariter, licèt vice versâ, cum vno eorum non potest compati, & sine altero non potest esse. Ergo, &c. Iam si dicatur ens oppositum actui perinde, ac ens connexum cum actu, tollere libertatem; sequitur planè, hominem habentem gratiam habitualem, quæ peccato graui opposita est, libertatem ad peccandum grauiter non habere. Quod est contra fidem. Dices, ideo gratiam habitualem non tollere libertatem ad peccandum grauiter: quia conseruatur à Deo dependenter à libertate hominis liberi ad grauiter peccandum. Bene. Ergo similiter ens quoduis connexum cum actu non tollit libertatem: quia producitur, vel conseruatur à Deo dependenter à libertate voluntatis liberæ ad talem actum exercendum. Ego autem ostendam posmodùm, ens quoduis vel connexum cum actu, vel oppositum actui, & ad potentiam proximam actus intrinsecè non pertinens nullatenus posse produci, vel conseruari independenter à libertate causæ liberæ talis actus, in nulloque euentu proinde posse illud libertatem ad talem actum tollere. Quod daræ propositionis intentum est.

Quæ septimò probanda venit. Quia iuxta 178
principium supra num. 146. statutum, esse causam necessitatam ad aliquem suum actum, aliud non est, quàm eius potentiam proximam ad talem actum cum ipso actu connexam esse. Sed per ens non inclusum in potentiâ proximâ causæ liberæ ad suum actum non potest talis potentia cum tali actu connexa reddi, vt ex se, & ex dictis satis est notum. Ergo per ens non inclusum in potentiâ proximâ causæ liberæ ad suum actum non potest talis causa ad talem actum necessitari, quantumuis tale ens cum tali actu connexum sit.

Octauò denique probatur. Quia nequit 179
concipi, ens aliquod tollere libertatem causæ, nisi concipiatur quasi impellens, vel trahens vi quadam inuincibili causam ipsam ad actum, vt satis ex terminis videtur notum. Sed nequit concipi ens aliquod ita trahens, aut impellens causam ad actum, quin concipiatur aliquo modo influere. Ergo neque est conceptibile, tollere libertatem causæ ens, quod cum illâ nullo modo influit in actum. Quale est ens non pertinens intrinsecè ad potentiam proximam actus, quantumuis cum actu ipso connexum sit. Confirmatur, & declaratur. Quia non potest causa libera reddi inclinata, aut magis inclinata ad vnum ex suis actibus, aut ita inclinata, vt sit ad illum necessitata moraliter, nisi per aliquid, quod in talem actum sit simul cum ipsâ causâ liberâ immediatè influxiuum vel per modum conditionis, vel per modum causæ moralis, vel aliter, atque adeò intrinsecè pertinens ad potentiam proximam talis causæ liberæ respectu talis actus. Ergo multò minùs poterit causa libera impelli, adigi, atque necessitari metaphysicè, siue simpliciter ad vnum ex suis actibus, nisi per aliquid, quod in talem actum sit simul cum ipsâ causâ immediatè influxiuum aliquo ex dictis modis, atque adeò intrinsecè pertinens ad ipsius potentiam proximam ad talem actum.

Ex dictis inferendum est obiter, quoties 180
ens aliquod connexum cum vno ex actibus contradictorij ad potentiam proximam eius intrinsecè non pertinet, nec posse contradictorium talis entis ad potentiam proximam alterius actus intrinsecè requisitum esse. Fieret enim inde contra nostram propositionem, vt per positionem talis entis libertas ad vtrumque actum tolleretur, sublatâ potentiâ proximâ ad alterum per ipsius entis contradictorium constituenda.

Obijci tamen potest contra propositionem 181
ipsam primò. Si Deus independenter à libertate causæ ponat ens connexum cum actu, & ad potentiam proximam actus intrinsecè non pertinens,

nens, non poterit à causâ impediri existentia actus. Ergo saltem in tali casu per positionem talis entis tolletur talis causæ libertas. Ita opinati sunt Recentiores aliqui. Sed ego censeo, non magis posse poni prædictum ens independenter à libertate causæ, si hæc aliàs sit proximè indifferens ad vtrumuis, quam actus ipse poni potest. Vnde, sicut, eâ indifferentiâ proximâ causæ suppositâ, in qua libertatis eius essentia consistit, repugnat, Deum ponere actum independenter à libertate causæ, ita repugnat, ponere prædictum ens. Etenim, sicut repugnat, poni actum à causâ proximè liberâ, & non poni dependenter ab eius libertate, ab eiusque nutu, & arbitrio; ita repugnat, poni id, quod cum tali actu connectitur, & non poni dependenter medio actu ipso ab eadem libertate, nutu, & arbitrio: cùm sit necesse, vt id, quod sine actu nequit existere, sine eo consequenter existere nequeat, sine quo actus ipse nequit existere, & actus, suppositâ libertate proximâ causæ suæ, sine eius nutu, arbitrio, ac determinatione spontaneâ existere nequit. De quo in sequentibus propositionibus plura dicenda nobis sunt. Vbi etiam videbimus, quomodò ens connexum cum actu seu positiuo, seu negatiuo causæ liberæ vt talis, & non constituens potentiam proximam eius, independenter ab ipsius nutu, & arbitrio non possit existere: benè tamen possit negatio entis connexa cum actu negatiuo; non quidem, quia talis negatio per se formaliter necessitet ad talem actum, sed quia causa eius aliquod ex constitutiuis libertatis proximæ ad ipsum auferre, siue impedire potest. Qua ratione autem de ente connexo cum actu, & non constituente potentiam proximam eius philosophati sumus, de ente opposito actui, & non constituente potentiam proximam actus contradictorij philosophandum est. Quia pro ambobus, quod ad rem attinet, stat ratio eadem, licèt inuerso modo; eo quòd ens connexum cum vno ex actibus contradictorijs alteri opponitur, & ens oppositum vni ex actibus contradictorijs cum altero connectitur.

182 Secundò obijci potest. Homo vinctus catenis non est liber ad ambulandum, & tamen illud impedimentum connexum cum carentiâ ambulationis non se habet ex parte actus primi constituens potentiam proximam ad aliquem actum. Et vniuersim quoduis impedimentum incompatibile cum actu secundo positum ab extrinseco, & sine nutu causæ liberæ, vt sæpe fit, libertatem eius tollit ad actum secundum; & tamen illud non se habet ex parte actus primi, siue actus secundus impeditus sit proprius causæ liberæ, siue sit actus alterius potentiæ, seu causæ subditæ causæ liberæ. Igitur propositio data vera non est. Hìc tangitur difficultas eorum casuum, vbi inter actus causæ liberæ, & actus aliarum causarum connexio interuenit aut mutua, aut non mutua, siue immediata, siue mediata, de quibus casibus agendum nobis est distinctè in sequentibus. Interim tamen pro factâ obiectione dico vniuersè, causam actus, quæcunque ea sit, per nullum impedimentum eius posse formaliter ad actum contradictorium necessitari, nisi illud pertineat intrinsecè ad potentiam proximam talis contradictorij, vt ex dictis circa præsentem propositionem satis, superque constat. Vnde, quando ad positionem impedimenti actus, quod potentiam proximam non constituit alterius actus contradictorij, ad ipsum contradictorium causa necessitata manet, talis necessitas non est à dicto impedimento formaliter, sed à defectu per positionem eius inducto alicuius constitutiui potentiæ proximæ actus impediti. Certum quippe est, causam bifariam necessitari ad suum actum, nempe vel quia ponitur aliquid connexum cum illo, in illumque immediate influens, vel quia tollitur aliquod constitutiuum potentiæ proximæ actus oppositi. Iam si causa necessitata ad vnum ex suis actibus contradictorijs quouis ex dictis duobus modis libera in se non sit, sed aliqua ex subiectis, siue subdictis causæ liberæ quoad talium actuum exercitium, per talem necessitatem extrahitur à subiectione, dominioque illius, perinde manet respectu eius, ac cæteræ causæ suâpte naturâ tali causæ liberæ non subiectæ; vnde non mirum, quòd causa libera nihil in illam, siue per illam præstare possit libere. Si verò causa libera sit, & impedimentum, per cuius positionem necessitatur ad vnum ex suis actibus contradictorijs, potentiam proximam ad alterum non constituit, non primo, sed secundo ex prædictis modis necessitabitur ad talem actum; videlicet, non per ipsum impedimentum formaliter, sed per defectum alicuius constitutiui potentiæ proximæ actus oppositi inducti à causâ ponente dictum impedimentum. Quod in quibus casibus specialibus euenire possit, & in quibus non item, & qualiter, infra proposit. 14. specialiter, atque distinctè determinandum est.

183 Tertiò obijci potest. Si Deus decernat concurrere cum causâ liberâ sub conditione quod existat ens connexum cum actu, & ad eius potentiam proximam intrinsecè non pertinens, actus non erit liber; & tamen libertas non auferetur per decretum; quia hoc ante purificationem conditionis non est absolutè connexum cum actu. Ergo auferetur per positionem dicti entis intrinsecè non constitutiui potentiam proximam actus. Respondeo, si tale decretum ponatur exequutiuum, non posse non coniunctum ex decreto, & ex dicto ente, vtpote complente efficaciam eius, intrare potentiam proximam actus, atque ita eam ad actum necessitare iuxta doctrinam propositionis præcedentis. Si verò tale decretum ponatur purè intentiuum, adsitque aliud exequutiuum indifferens, sicque completiuum libertatis proximæ causæ, tunc coniunctum ex tali decreto intentiuo, & ex dicto ente nihil libertati causæ nocebit, sed potiùs quoad existentiam suam pendebit ab illâ iuxta doctrinam propositionis præsentis. De quo latiùs agendum veniet in Tract. de Prouid.

184 Quartò denique potest obijci. Præceptum impositum Christo Domino necessitat eius voluntatem ad actum præceptum, quatenus facit, vt omissio eius sit peccatum, ad quod Christus non habet libertatem. Ergo aliquid non pertinens intrinsecè ad potentiam proximam actus libertatem eius potest auferre. Distinguo antecedens. Præceptum impositum Christo Domino necessitat ad actum præceptum præcisè prout physicè existens; nego. Prout cognitum à Christo; concedo. Et nego consequentiam. Est dicere; cognitio, qua cognoscit Christus malitiam omissionis actus præcepti ab ipso præcepto prouenientem, quæ intrinsecè clauditur in potentiâ proximâ, à qua procedit actus præceptus, ea est, quæ iuncta cum vnione hypostaticâ, vel visione beatificâ impellit, cogit, & prædeterminat

volun-

voluntatem Christi Domini ad actum præceptum: quidquid sit de entitate physicâ ipsius præcepti. Procedunt autem hæc in casu, quòd obligatio præcepti fuerit Christo imposita independenter ab ipsius libertate. Fortasse enim imponi potuit dependenter varijs modis. De quo alibi. Alia, quæ contra nostram propositionem opponi possunt, ex dictis, & ex dicendis facilè quisque diluet.

185 Ex eius autem, atque præcedentis doctrinâ concluditur, id solum, quod intrinsecè pertinet ad potentiam proximam actus, & cum ipso actu connexum est siue immediatâ connexione, siue mediatâ, posse per se formaliter impedire, siue tollere libertatem ad talem actum. Cætera verò, quæ extra conceptum realem talis potentiæ sunt, neutiquam posse per se formaliter officere libertati ad actum, quantumuis sint cum ipso connexa. Dico *per se formaliter* primò; quia, si aliquid connexum cum actu extrinsecè sit requisitum ad potentiam proximam eius, id etiam tollet libertatem, non tamen per se, sed per aliud inclusum in tali potentiâ connexumque cum actu ipso medio illo mediatâ connexione. Secundò; quia fieri potest, sæpeque fiet, vt causa connexi cum actu, & non constituentis potentiam proximam actus, per eius conditionatam causationem impediat aliquod constitutiuum talis potentiæ, & cum eo pariter impediat non formaliter, sed effectiuè libertatem ad actum, prout ex dicendis insequentibus innotescet. Concluditur insuper ex prædictâ doctrinâ, præter ea, quæ ad potentiam proximam actus intrinsecè, vel extrinsecè requisita sunt, cætera omnia cum actu quouis modo connexa non posse non in suâ positione, siue existentiâ dependere à libertate causæ immediatæ actus, quando hæc aliàs proximè potens ad vtrumuis, proximèque subinde libera est. Quænam autem ad potentiam proximam actus intrinsecè spectent, & quæ non item, ex dictis in præcedentibus præsertim posit. 10. satis notum est. Porrò, quæcunque dicimus de connexis cum actu, pariter, licèt inuerso modo, de oppositis actui veniunt intelligenda; quandoquidem, vt iam aduertimus, omne connexum cum vno ex actibus contradictorijs est oppositum alteri; & omne oppositum vni cum altero connexum est; vt constat ex se, & ex demonstrationibus factis in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 4.

186 Præterea sequitur ex dictis, principium quoduis remotum actus ad potentiam proximam actus non requisitum neque intrinsecè; quia proximè in actum non influit; neque extrinsecè; quia nihil proximè influens connectitur cum illo, neutiquam tollere posse libertatem ad talem actum, quantumuis cum actu ipso connexum sit. Atque adeò illud independenter à libertate poni non posse, quando aliàs causa proxima actus indifferentiam proximam ad vtrumuis, atque adeò libertatem proximam habet. De quo plura dicenda sunt in Tract. de Prouiden.

187 Postremò iterum aduerto, quod iam in præcedentibus aliàs, quotiescunque in hac materiâ sermo est de connexione tollente, vel non tollente libertatem, (& idem est de oppositione), dumtaxat agi de connexione metaphysicâ, seu essentiali, non verò de physicâ seu naturali, vel de morali, iuxta diuisionem earum expositam in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 2. Etenim connexio causæ cum suo actu physica tantùm, seu naturalis, (qualem habet cum combustione ignis approximatus ad passum dispositum), in causâ liberâ locum non habet. Nascitur enim hæc connexio ex naturali iure, quo causa exigit concursum Dei, postquàm habet cætera requisita ad agendum. Ijs namque positis, sicut citra miraculum nequit negari causæ concursus, ita citra miraculum nequit causa sine effectu manere, quæ est connexio tantùm naturalis. Vnde connexio huiusmodi immediatè terminatur ad concursum Dei, mediatè autem ad effectum cum quo concursus Dei connexus est metaphysicâ connexione. Vel ergo concursus Dei, quem causa naturaliter exigit, est antecedens ad suam actionem, vel simultaneus; (de quo est varietas opinionum, appellamusque concursum Dei, vt moris est, decretum concurrendi). Si antecedens; nequit ille non esse indifferens respectu causæ liberæ, connexusque tantùm cum actu eius sub conditione, quòd ipsa se ad illum determinet. Si simultaneus, siue comitans; illum non poscit causa libera absolutè, sed sub conditione, quòd ipsa se ad agendum determinet. Igitur causa libera medio concursu Dei, quem exigit suapte naturâ, quando iam habet cætera ad operandum liberè requisita, nequit absolutè connecti cum actu: vti connectitur causa necessaria; eo quòd hæc, quandò iam cætera requisita ad suam operationem habet, naturali iure petit concursum determinatum ad illam, si sit ille antecedens; si autem sit simultaneus illum non conditionatè petit, sed absolutè. Quo fit, vt medio concursu absolutè, & determinatè sit cum suo actu connexa connexione physicâ, seu naturali. Iam verò de connexione morali causæ liberæ cum suo actu certum est, non tollere libertatem eius absolutè, & simpliciter. Tollit tamen libertatem moralem: quia causa prædeterminata, siue necessitata moraliter ad operandum, etsi possit physicè, & metaphysicè non operari, moraliter tamen non potest.

Propositio 13.

Quando causa libera libertatem proximam habet ad suum actum, impossibile est, quòd eum eliciat, quin se se ipsam sponte suâ determinet ad eum eliciendum. 188

Hæc propositio principium est in hac materiâ ex ipsis terminis mihi euidens, & prorsus certum. Quod hìc inferere, opus fuit, vt ad sequentem propositionem clariùs, efficaciùsque comprobandam, ad cæteraque, quæ sequentur meliùs intelligenda seruire possit. Venit autem veritas eius declaranda non nihil ampliùs primò. Quia planè repugnat, elici actum à causâ proximè ad eum liberâ, & hunc in existentiâ suâ non dependere ab illius libertate, atque adeò ab illius nutu, electione, ac determinatione. Quod ipsum est, talem causam non posse talem actum elicere; quin se se ipsam sponte suâ determinet ad eum eliciendum. Secundò. Quia causa proximè libera ad suum actum eo ipso habet illum veluti in manu suâ, sub suo dominio, & in suâ potestate electiuâ. Ergo talis actus neutiquam egredi potest à tali causâ citra eius nutum, electionem, ac determinationem. Tertiò. Quia

eo

eo ipso, quòd causa elicit actum cum proxima libertate ad ipsum, nequit talis actus tali causæ non imputari tanquam ortus ab arbitrio, atque determinatione eius. Quartò denique. Quia aliud non est, causam elicere suum actum sponte suâ, ex proprio nutu, ex propriaque determinatione, quàm, illum elicere, quando pro suo arbitratu poterat non elicere, seu, quando in suâ potestate, in suoque arbitrio positum erat, elicere illum, vel non elicere; ad illumque proinde eliciendum, vel omittendum proximam libertatem habebat.

189 Ex hoc principio manifestè sequitur primò, quando causa libera libertatem proximam habet ad suum actum, tali in eâ libertate retentâ, per nullam aliam causam, per nihilque omnino posse eam trahi, siue cogi, siue necessitari ad talem actum eliciendum. Fieret enim inde, vt ipsa talem actum eliceret liberè simul, & necessariò, sponte simul, & non sponte suâ, pro nutu, seu arbitratu, & simul non pro nutu, seu arbitratu suo, se ipsam determinando, & simul non se ipsam determinando ad illum. Quæ sunt contradictoria extrema. Ex quibus primum iuxta principium statutum à suâ proximâ libertate retentâ, secundum autem à necessitate aliunde sibi illatâ non posset non talis causa simul habere. Quod tamen impossibile est, vt constat.

190 Secundò sequitur, quando causa libera libertatem proximam habet ad suum actum, impossibile esse, vt aliquid cum tali actu connexum in rerum naturâ ponatur, tali libertate retentâ, & quòd ponatur independenter à nutu, arbitrio, ac determinatione talis causæ, prout iam in præcedentibus tetigi. Est certum. Quia connexum cum actu sine actu, atque adeò independenter ab existentiâ eius nequit existere, & actus in tali casu existere nequit independenter à nutu, arbitrio, ac determinatione suæ causæ, vt constat ex dictis. Vnde de primo ad vltimum neque connexum cum actu independenter à tali nutu, arbitrio, ac determinatione existere poterit.

191 Tertiò sequitur, quando causa proximè libera ad suum actum illum de facto pro nutu, & arbitratu suo omissura est, sub hypothesi, quòd existeret aliquid cum tali actu connexum, & nihil penitus conducens ad existentiam eius, (e. g. reuelatio, actus fidei, aut scientia visionis de actu ipso), duo simul contradictoria esse conditionatè vera; extiturum scilicet actum; quia eius existentiam infert hypothesis connexi cum actu; & simul non extiturum; quia aliàs ille non est à suâ causâ extiturus, & tale connexum, vt ponitur, nihil omnino conferret ad existentiam eius in tali hypothesi. Vnde tunc solùm sub hypothesi talis connexi erit conditionatè verum extiturum talem actum sine contradictione, atque adeò simpliciter, quando aliàs ille à suâ causâ absolutè existurus est. Statuimus iam iterum doctrinam hanc supra num. 127. & antea non semel alijs in locis ibi indicatis.

192 Quartò sequitur, quando causa B libera proximam habet libertatem ad suum actum, & actus causæ A etiam liberæ cum actu causæ B est connexus, potentiam proximam causæ A ad suum actum, & consequenter proximam eius libertatem ad illum in suâ existentiâ dependere à nutu, arbitrio, ac determinatione causæ B. Quia potentia proxima, atque adeò libertas proxima causæ A ad suum actum in tali casu constituenda est per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actus causæ B, qui est terminus connexionis actus causæ A, sub hypothesi existentiæ ipsius actus causæ A iuxta doctrinam stabilitam supra propos. 9. iunctâ eius applicatione ad libertatem proximam causæ liberæ tactâ num. 140. Quòd autem sit verum conditionatè, extiturum sine contradictione actum causæ B sub hypothesi, quòd existat actus causæ A, à nutu, arbitrio, ac determinatione causæ B dependet iuxta dicta circa præsentem propositionem. Et consequenter, quòd per talem veritatem conditionatam ad suum actum reddatur proximè libera causa A.

Verum enim verò, quia causæ liberæ A, & 193
B multifariam comparari possunt penes connexionem suorum actuum positiuorum, & negatiuorum, omnes, quod ad rem attinet, casus possibiles determinare oportet per sequentem propositionem. In qua quidquid de causis liberis A, & B dictum fuerit, de cæteris quibusque causis liberis comparatis inter se veniet intelligendum. Ex doctrinaque tradendâ circa illam (valde quidem notandâ) quid etiam ad rem causis necessarijs aut inter se, aut cum liberis comparatis possit conuenire, eliciemus.

Propositio 14.

Quando actus positiuus causæ A cum 194
actu positiuo, seu negatiuo causæ B connexus est, nequit causa A euadere proximè potens ad talem actum sine nutu, ac determinatione, atque adeò influxu causæ B. Quando verò actus negatiuus causæ A cum actu negatiuo causæ B connexus est, (cum positiuo quippe nequit per se esse connexus), benè potest causa A euadere proximè potens ad talem actum sine nutu, ac determinatione, atque adeò influxu causæ B. Quoniam scilicet veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus cum eo connexi, per quam iuxta propos. 9. complenda est in his tribus casibus potentia proxima causæ A, in duobus quidem primis à nutu, ac determinatione, atque adeò influxu causæ B est dependens, in tertio verò non item.

Ad hanc propositionem probandum suppo- 195
nendi imprimis sunt omnes casus possibiles in quibus actus causæ A, & actus causæ B penes connexionem sunt inter se comparabiles. Primus est, quando actus positiuus causæ A non mutuo est connexus cum actu positiuo causæ B, ita vt nequeat primus existere sine secundo; benè tamen secundus sine primo. Quo casu actus negatiuus contradictorius causæ B erit itidem non mutuò connexus cum actu negatiuo contradictorio causæ A. Secundus est, quando è conuersò actus positiuus causæ B non mutuò est connexus cum actu positiuo causæ A. Quo casu pariter è conuersò actus negatiuus causæ A erit non mutuò connexus cum actu negatiuo causæ B. Tertius est, quando actus positiuus causæ A, & actus positiuus causæ B sunt mutuò

conne-

connexi inter se, ita, vt nec primus sine secundo, nec secundus sine primo possit existere. Quo casu actus itidem negatiui contradictorij ipsarum causarum A, & B mutuò inter se connexi erunt. Quartus est, quando actus positiuus causæ A cum actu negatiuo causæ B non mutuò est connexus. Quo casu & actus positiuus causæ B erit connexus non mutuò cum actu negatiuo causæ A. Supererant ad adæquatam combinationem quatuor alij casus, in quibus actus negatiuus alterutrius causæ cum actu positiuo alterius esset connexus aut mutuò, aut non mutuò. Sed omnes tamen sunt impossibiles. Quia nulla negatio per se cum vllo ente positiuo potest esse connexa: siquidem ex hypothesi, quòd nullum existeret ens, non posset non manere existens omnis negatio: cùm idem formaliter sit, omnem negationem entis existere, atque, omne ens non existere, seu nullum ens existere. Tota doctrina huius suppositionis, quæ certissima est, constat ex demonstratis à nobis in Pharo Scient. disput. 14. quæst. 4. Loquor autem de actu negatiuo, siue de negatione *per se*: quia negatio prout coniuncta cum aliquo ente positiuo benè potest cum alio connexa esse: de quo nullum est dubium.

193

194

196 Deinde supponendum est, tam causam A, quàm causam B, de quibus agit propositio, habere iam cætera omnia intrinsecè requisita ad libertatem proximam ad vtrumque suum actum, positiuum scilicet, & negatiuum contradictorium, præter veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus; quæ vnum est ex intrinsecè requisitis ad talem libertatem, quando aliquis talium actuum cum aliquo termino connexus est, iuxta doctrinam statutam propos. 9. A qua veritate conditionatâ præscinditur, donec esse probetur, vbi ad dictam causæ libertatem complendam necessaria fuerit. Causa autem indigens illâ ad suam plenam, & adæquatam libertatem prout instructa cæteris omnibus requisitis, præterquàm illâ, inadæquatam libertatem habere dicetur, aut certè inadæquatam potestatem ad eum actum, pro quo illa indiguerit.

197 Præterea est supponendum, seu potius recognoscendum, recolendum, ad præsensque propositum aduocandum, & attentè notandum, quod iam suppositum reliquimus supra num. 131. de differentiâ, quæ reperitur inter actum positiuum, & negatiuum contradictorium eius. Quibus omnibus ita suppositis pergo iam ad probandam propositionem.

198 Eamque probo primò in primo casu ex recensitis num. 195. quando scilicet actus positiuus causæ A non mutuò est connexus cum actu positiuo causæ B, & consequenter vice versâ actus negatiuus contradictorius causæ B pariter est connexus non mutuò cum actu negatiuo contradictorio causæ A. Quia in tali casu causa B proximè est potens atque adeò proximè libera ad vtrumque suum actum. Ergo causa A nequit euadere proximè potens ad suum actum positiuum sine nutu, ac determinatione, atque adeò influxu causæ B. Quæ est vna ex partibus propositionis. Consequentia constat ex consectario quartò proposit. 13. statuto num. 192. Antecedens autem probatur. Et primùm, quòd causa B in casu posito sit proximè potens ad suum actum positiuum, idque potentiâ nullatenus connexâ cum illo, atque adeò non necessitatâ ad illum, indubitabile est. Imprimis enim talis actus cum nullo actu causæ A est connexus; (supponiturque non connexus cum termino alio non pertinente ad casum); vnde potentia proxima causæ B ad talem actum nullâ eget veritate conditionatâ de existentiâ sine contradictione alicuius termini eius sub hypothesi existentiæ ipsius: aliundeque ex num. 196. supponuntur cætera cuncta intrinsecè requisita ad talem potentiam proximam constituendam nullatenus cum suo actu connexam, nullatenusque subinde ad illum necessitatam; quin obstet huic suppositioni, quòd actus causæ A connexus ponatur non mutuò cum actu causæ B; quasi ille titulo talis connexionis deberet intrinsecè includi in potentiâ proximâ causæ B ad suum actum, sicque eam cum eo connectere: relinquimus siquidem oppositum demonstratum proposit. 7. Igitur causa B in casu posito citra omne dubium habet potentiam proximam ad suum actum positiuum nullatenus connexam cum illo, nullatenusque subinde ad illum necessitatam. Deinde, quòd ipsa causa B habeat etiam potentiam proximam ad suum actum negatiuum, eamque independentem à nutu, & influxu causæ A, licèt ille in posito casu cum actu negatiuo causæ A sit connexus; quæ est alia ex partibus propositionis; ex doctrinâ suppositâ num. 131. commemorataque num. 197. ostenditur. Inde enim constat primò, causam B, vtpote non necessitatam ad suum actum positiuum, compatibilem esse cum opposito negatiuo, ad eumque proinde potentiam proximam habere. Constat secundo, talem potentiam proximam causæ B ad suum actum negatiuum, vtpote ablatiuam positiui oppositi, consequenter esse impeditiuam potentiæ proximæ causæ A ad suum actum positiuum. Hæc enim, vt dictum est ex consectario statuto num. 192. in suâ existentiâ dependet à nutu, & influxu causæ B. Quod est, causam B per potentiam ad suum actum positiuum posse eam ponere, & per potentiam ad suum actum negatiuum posse eam impedire. Ex quo fit, vt potentia proxima causæ B ad suum actum negatiuum eo ipso sit potentia ad necessitandum causam A ad suum etiam negatiuum per impeditionem potentiæ proximæ eius ad positiuum. Vnde concluditur, causam B in suâ manu, in suâve potestate habere veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actus negatiui causæ A sub hypothesi existentiæ actus sui negatiui completiuam potentiæ suæ proximæ ad ipsum. Atque adeo talem habere potentiam proximam independentem à nutu, & influxu causæ A. Quod erat probandum. Eodemque pacto probandæ veniunt eædem duæ partes propositionis in secundo casu ex recensitis num 195. quando scilicet è conuersò actus positiuus causæ B non mutuò est connexus cum actu positiuo causæ A, & consequenter actus negatiuus causæ A pariter est connexus non mutuò cum negatiuo causæ B. Quæ omnia ex dicendis circa tertium casum à num. 202. ampliùs manebunt confirmata.

199 Modò ex dictis circa primum de connexione non mutuâ actus positiui causæ A cum actu positiuo causæ B infertur primò, causam B independenter à nutu, & influxu causæ A posse esse proximè liberam ad vtrumque suum actum contradictorium. Causam vero A non itidem ad vtrumque suum independenter à nutu, & influxu causæ B, sed dumtaxat dependenter ab

illo. Tunc autem causa A proximè libera euadet ad vtrumque suum actum, quando verum fuerit conditionatè, extiturum sine contradictione actum positiuum causæ B, si extiterit actus positiuus causæ A: per talem enim veritatem completur potentia proxima causæ A ad suum actum positiuum connexum cum actu positiuo causæ B iuxta doctrinam stabilitam propos. 9. (stantibus scilicet cæteris omnibus intrinsecè requisitis ad talem potentiam constituendam, quod semper supponimus iuxta nu. 196.). Semel autem completa per dictam veritatem conditionatam potentia proxima causæ A ad suum actum positiuum, potentia proxima ad negatiuum, & consequenter libertas proxima ad vtrumque nequit illi deesse; quia ex vna parte actus negatiuus causæ A in casu posito cum nullo termino est connexus, nullaque subinde veritate conditionata de existentia termini eget potentia proxima eius ad sui constitutionem; ex alia verò parte potentia proxima ipsius causæ A iam completa ad actum positiuum cum ipso connexa non est, sed indifferens ad vtrumque, proindeque compatibilis cum negatiuo; quod satis est, vt vna, & eadem eius realitas potentia proxima sit, atque adeò libertas proxima ad vtrumque iuxta doctrinam stabilitam num. 131. atque etiam num. 151. Porro potentiam proximam causæ A iam completam ad actum positiuum cum ipso connexam non esse, sed indifferentem ad vtrumque, manifestum est. Quia non connectit illam aliud ex suis constitutiuis, vti supponitur. Sed neque connectit supradicta conditionata veritas, quæ eorum est vltimum. Ergo nullum. Compertum est enim, existentiam conditionatam actus positiui causæ B, in qua consistit illa veritas, cum actu positiuo causæ A, cum quo absolutè non est connexa, vt casus supponit, necunde posse connexam esse, vt suâ connexione connexam redderet cum eodem termino potentiam, quam constituit.

200 Secundò infertur, (supponendo, vt supponimus, actum positiuum causæ A in actum positiuum causæ B nullatenus esse influxiuum, vti reuelatio diuina de peccato Petri nullatenus in tale peccatum influxiua est), tunc solùm adesse supradictam veritatem conditionatam completiuam potentiæ proximæ causæ A ad suum actum positiuum, quando actus positiuus causæ B ab ipsâ est absolutè extiturus; secus verò, quando absolutè extiturus non est iuxta doctrinam statutam num. 191. & sæpe aliàs, quæ ad rem videnda.

201 Tertiò infertur, quando adest prædicta conditionata veritas, si causa A omittat suum actum positiuum, vt potest, ipsi omissionem imputari; quia tunc liberè omittit, cùm sit ad actum omissum proximè potens. Quando tamen dicta veritas deest, tunc causæ A omissio actus positiui non est imputabilis defectu potentiæ proximæ ad ipsum actum, atque adeò libertatis. Causæ verò B semper imputatur vel actus, si agit, vel omissio, si omittit; insuperque venit ei imputanda mediatè omissio causæ A, quando illam causat mediâ suâ: censetur autem causare illam, quando, si ipsa non omitteret, sed poneret suum actum, causa quoque A, facta sic ad suum proximè potens, illum quoque poneret; consentaneè ad doctrinam de causatione negationum traditam supra num. 131. Hæc autem, quæ intulimus ex dictis circa primum casum de connexione non mutuâ actus positiui causæ A cum actu positiuo causæ B, pariter inferuntur ex similibus dicendis circa secundum casum de connexione non mutuâ actus positiui causæ B cum actu positiuo causæ A, vt constat. Prosequor iam probationem propositionis.

Secundòque eam probo quoad easdem duas 202
partes eius probatas num. 198. in tertio casu ex recensitis num. 195. quando scilicet actus positiuus causæ A, & actus positiuus causæ B sunt mutuò connexi inter se: consequenterque etiam actus negatiui contradictorij mutuò inter se connexi sunt. In tali enim casu vnaquæque dictarum causarum, vt euadat proximè, & adæquatè potens ad suum actum positiuum, nutu, & influxu alterius indiget; secus vt euadat proximè, & adæquatè potens ad suum actum negatiuum. Quæ sunt duæ partes propositionis probatæ in duobus casibus præcedentibus, & probandæ in tertio præsenti. Imprimis enim iuxta doctrinam stabilitam supra propos. 9. potentia proxima ad actum positiuum cuiusuis dictarum causarum completur per veritatem conditionatam de existentia sine contradictione actus alterius sub conditione existentiæ actus proprij, quando talis veritas adest. Deinde talis veritas non connectit potentiam, quam constituit, cum ipsius actu, atque adeò neque eam necessitat ad illum: quia, licèt existentia absoluta actus causæ B sit connexa cum existentia absoluta actus causæ A, existentia tamen conditionata actus causæ B, sicut cum existentia absoluta eiusdem connexa non est; (eo quod veritas conditionata absolutam sibi correspondentem non infert, antequam sit purificata conditio, vt est notissimum); ita neque est connexa cum existentia absoluta actus causæ A: sicque, postquam conditionatè verum est, actum causæ B sine contradictione extiturum, si existat actus causæ A, potest causa A, non purificando conditionem per positionem actus sui, sed eum absolutè omittendo, facere vt neuter talium actuum existat absolutè. Iam verò actum causæ B titulo termini connexionis requisiti ad existentiam actus causæ A ad huius potentiam proximam intrinsecè non pertinere secundùm existentiam sui absolutam, ex doctrina demonstratâ supra propos. 6. constat. Quo ab hac etiam parte cessat periculum, vt potentia proxima causæ A medio actu causæ B sit connexa cum suo. Causa igitur A, suppositâ veritate conditionatâ prædictâ, potentiam proximam completam habet ad actum positiuum ex nullo capite cum eo connexam, atque adeò cum negatiuo contradictorio compatibilem, quod est, habere eam potentiam proximam, libertatemque subinde proximam ad vtrumque iuxta doctrinam statutam supra num. 131. & 151. Hanc autem potentiam proximam habere causam A dependenter à nutu, & influxu causæ B, scilicet conditionato, inde constat; quia, cùm omnis existentia absoluta præsupponat conditionatam eiusdem entis, ex hypothesi, quòd actus causæ A existeret absolutè, iam ab eiusdem actus præuiâ existentiâ conditionatâ fuisset causa B reddita proximè potens, atque adeò proximè libera ad suum actum. Vnde quòd modò sit conditionatè verum, actum causæ B sine contradictione extiturum ex hypothesi, quòd existeret actus causæ A, à libertate dependet, quam ex eâdem hypothesi haberet causa B,

pro

pro cuius subinde arbitratu potuit esse verum oppositum, fuissetque, si, vt fuit determinatio eius conditionata ad actum, fuisset ad amissionem, vt potuit. Itaque veritas conditionata de existentia sine contradictione actus causæ B sub hypothesi, quòd existat actus causæ A, & consequenter potentia proxima causæ A ad suum actum constituta per illam à libero nutu, influxuque conditionato causæ B dependens est, vt dicebamus. Pariterque ad rem per omnia philosophandum venit de causâ B comparatâ cum causâ A, atque philosophati sumus de causâ A comparatâ cum causâ B. Ex quibus omnibus subinde non obscurè manet ostensa prima pars propositionis in casu, quem versamus, probanda, nempe, vnamquamque harum causarum nutu, & influxu indigere alterius, vt euadat proximè potens ad suum actum positiuum; idque potentiâ non connexâ cum ipso, sed compatibili cum opposito negatiuo, atque adeò indifferente ad vtramque. Restat probanda pars secunda. Neutram videlicet earumdem causarum indigere nutu, & influxu alterius, vt euadat proximè potens ad suum actum negatiuum.

203 Quod probo primò. Nam, vt arguebam in simili num. 198. postquam causa A per veritatem conditionatam supradictam reddita est proximè potens ad actum positiuum potentiâ compatibili cum negatiuo, quæ eadem subinde potentia est proxima ad ipsum negatiuum, vt num. præced. probatum est, talis potentia causæ A ad suum actum negatiuum eo ipso est potentia ad necessitandam causam B ad suum etiam negatiuum per impeditionem potentiæ proximæ eius ad positiuum. In suaque proinde manu habet causa A existentiam actus negatiui causæ B, cum quo actus negatiuus suus est connexus, & consequenter existentiam amborum independenter à nutu, & influxu causæ B, supposito aliunde, quòd actus negatiuus causæ B nullo ipsius influxu eget ad existendum, vt eget positiuus, ob magnam, quam illi habent inter se differentiam suppositam, & expositam supra num. 131. Secundò idem ipsum clariùs ostendo, suppositis duobus modis possibilibus necessitandi causam liberam ad aliquem suum actum supra num. 182. commemoratis, primo per positionem alicuius constitutiui potentiæ proximæ actus connexum cum actu; secundo per ablationem alicuius constitutiui potentiæ proximæ actus oppositi. Etenim causa A aliud ad rem præstare nequit, vti supponitur, præterquàm dare existentiam vel conditionatam, vel absolutam actibus suis mutuò connexis cum actibus causæ B; per quam existentiam primo ex dictis duobus modis nequit causam B ad vllum ex suis actibus necessitare. Ostendimus enim num. præced. existentiam conditionatam actus positiui causæ A, etsi constituat potentiam proximam causæ B ad suum actum positiuum, nullatenus tamen eam necessitare ad illum, existentiam autem absolutam non constituere; ob idque neque necessitare; quæ duo propter easdem rationes adductas ibi non possunt non pariter conuenire existentiæ conditionatæ, & absolutæ actus negatiui causæ A, vt innotescet applicanti. Secundo autem ex dictis duobus modis etsi causa A mediâ aliqua suorum actuum existentia non possit necessitare causam B ad suum actum positiuum, ad negatiuum tamen potest propter discrimen citato num. 131. explicatum, quod inter se habent actus positiuus, & negatiuus, & consequenter etiam potentiæ proximæ eorum. Quoniam enim causa B multis indiget, vt reddatur proximè potens ad suum actum positiuum, quorum vnum est veritas conditionata sæpe commemorata actus positiui causæ A, causa quidem A tollendo dictam veritatem per liberam omissionem sui actus positiui potentiam proximam causæ B ad suum actum positiuum tollere potest, sicque relinquere illam necessitatam ad oppositum negatiuum. E contra verò quia causa B nihilo eget præter suam nudam entitatem, vt euadat proximè potens ad suum actum negatiuum, nequit per ablationem cuiuspiam potentia proxima ad illum spoliari, vt ita redderetur necessitata ad actum positiuum; solùmque proinde spoliari tali potentiâ potest per positionem alicuius necessitantis ad actum positiuum iuxta primum necessitandi modum. Cùm igitur causa A ponendo suum actum positiuum nihil ponat, vt dictum est, necessitans causam B ad suum actum positiuum, tollensque subinde eâ viâ potentiam proximam eius ad negatiuum; omittendo autem talem actum potius firmet istam potentiam necessitans causam B ad actum negatiuum per ablationem constitutiui potentiæ proximæ eius ad positiuum, vt etiam dictum est; concluditur, causam A pro suo libero nutu causam B necessitare posse ad suum actum negatiuum, ad positiuum verò nequaquam. Eademque philosophia est de causâ B comparatâ vice versâ cum causâ A, vt constat. Per quæ omnia satis clarè, nec parum pulchrè manet probata vtraque pars propositionis, quam à num. 202. probandam assumpsimus in casu tertio de mutuâ connexione amborum actuum vniuscuiusque dictarum causarum cum ambobus alterius; nimirum, vnamquamque earum, vt euadat proximè potens ad suum actum positiuum, nutu, & influxu alterius indigere; secus, vt euadat proximè potens ad suum actum negatiuum.

Ex quibus omnibus infertur primò, vnam- 204
quamque dictarum causarum, præscindendo à iuuamine alterius, inadæquatam dumtaxat, siue incompletam potestatem habere ad suum actum positiuum: ad negatiuum verò adæquatam, siue completam.

Secundò infertur, quamlibet dictarum cau- 205
sarum pro solo suo nutu, & arbitrio posse impedire actum positiuum alterius, aliàs ab eâ ponendum: actum verò negatiuum, aliàs ab eâ ponendum, minimè.

Tertiò infertur, necessarium esse, vt in statu 206
absoluto vel ambæ simul dictæ duæ causæ ponant suos actus positiuos, vel ambæ simul eos omittant, seu ponant negatiuos. Quia propter mutuam eiusmodi actuum connexionem impossibile est, vt alterutra earum ponat suum actum positiuum, altera non ponente suum, aut illum omittat, altera suum non omittente.

Quartò infertur, quando ambæ dictæ causæ 207
absolutè ponunt suos actus positiuos, non posse non antecedenter esse conditionatè verum, extiturum sine contradictione actum causæ B, si existeret actus causæ A, & extiturum sine contradictione actum causæ A, si existeret actus causæ B. Quia non potest non in tali casu vnaquæque earum causarum habere potentiam proximam ad suum actum, & prima talium veritatum intrinsecè requisita est ad potentiam

proximam causæ A, secunda autem ad potentiam proximam causæ B. Tum quia per principium vniuersalius, ac prorsus certum id venit demonstrandum. Nimirum. Quotiescunque duo quæque extrema absolutè sunt vera, non potuit non quoduis eorum fuisse conditionatè verum sub conditione alterius. Si enim existentibus absolutè A, & B, non fuisset conditionatè verum, extiturum B, si existeret A, fuisset verum contradictorium eius, nempe, non extiturum B, si existeret A; qua veritate suppositâ, & eius conditione purificatâ, vti supponitur, per absolutam existentiam ipsius A, non posset non esse absolutè verum, non existere B, contra priorem suppositionem, qua A simul, & B absolutè ponebantur existere. Pariterque demonstrandum venit, conditionatè verum fuisse in casu posito, extiturum A, si existeret B.

208 Quintò infertur, quando ambæ dictæ causæ absolutè ponunt suos actus positiuos, vnicuique earum esse imputabilem actum suum. Quia vnaquæque earum habet proximam, & adæquatam libertatem ad illum eo ipso, quòd per prædictam veritatem conditionatam sibi correspondentem constitutam, integrèque completam habet potentiam proximam ad illum cum actu negatiuo oppositò compatibilem.

209 Sextò infertur, quando ambæ dictæ causæ absolutè omittunt suos actus positiuos, seu ponunt negatiuos, bifariam id euenire posse. Primò ita, vt adsit præuia conditionata veritas, qua completur potentia proxima causæ A ad suum actum positiuum, desit tamen altera, qua potentia proxima causæ B ad suum erat complenda, Quo casu soli causæ A imputabiles erunt amborum actuum omissiones: quia sola causa A cum proximâ, & adæquata libertate omittet actum suum, mediàque tali omissione coget, necessitabitque causam B ad suum omittendum, sicque huius quoque omissionis erit mediatè causa libera. Secundò ita, vt vice versâ veritas conditionata completiua potentiæ proximæ causæ B adsit, desit autem altera completiua potentiæ proximæ causæ A. Quo casu pariter, & ob eamdem rationem amborum actuum omissiones soli causæ B imputabiles erunt. Alij verò duo casus, qui ad adæquatam combinationem desiderantur, impossibiles sunt. Nempe, quòd ambæ causæ omittant liberè suos actus, & quod ambæ omittant necessariò: altera enim liberè, & altera necessariò debent omittere, quando ambæ absolutè eos omittunt. Quia, si causa A omittat liberè suum actum, nequit non esse conditionatè verum, extitura simul duo contradictoria, si poneret suum causa B; eo quòd actus causæ B in eæ hypothesi actum causæ A non causaret, vti supponitur, atque adeò nec eius omissionem, aliàs extituram, impediret: verumque proinde esset, ex hypothesi, quòd existeret actus causæ B, actum causæ A & extiturum, quia id fert hypothesis, & simul non extiturum pro nutu libero causæ A. Vnde causa B in tali casu ex defectu veritatis conditionatæ completiuæ suæ libertatis non esset libera; atque ita non liberè, sed necessariò omitteret suum actum. Necesse est ergo, vt, si causa A liberè omittit suum actum, necessariò omittat suum causa B. Ob eamdemque rationem est necesse, vt, si causa B liberè suum actum omittit, necessariò omittat suum causa A. Iam verò si causa A suum actum necessariò omittat, id ex defectu veritatis completiuæ libertatis eius eueniet: verumque subinde erit, extitura simul duo contradictoria, si existeret actus causæ A: quod tantùm potest esse verum iuxta dicta, quando pro suo libero nutu omissura est suum causa B. Necesse est ergo, vt, si omissio causæ A sit necessaria, omissio causæ B sit libera. Et ob eamdem rationem, vt, si sit necessaria omissio causæ B, sit libera omissio causæ A. Concluditurque, quod erat probandum, quando ambæ causæ omittunt suos actus, alterius omissionem liberam, & alterius necessariam esse debere: nec posse, vel ambas liberas, vel ambas necessarias esse.

Pergo, & probo iam tertiam, quæ restat, 210
propositionis partem in quarto casu ex recensitis num. 195. quando scilicèt actus positiuus causæ A cum actu negatiuo causæ B non mutuo est connexus; & consequenter actus quoque positiuus causæ B non mutuo est connexus cum actu negatiuo causæ A. In tali enim casu neutra dictarum causarum euadere potest proximè potens ad suum actum positiuum sine nutu, & influxu alterius iuxta dicta in propositione tametsi vtraque sine illo ad suum actum negatiuum talis possit euadere. Quæ quidem pars in casu præsenti diuersam, ac cæteræ in præcedentibus, vendicat sibi probationem; eo quòd in præcedentibus actus positiui causæ A, & causæ B connexionem inter se habent aut non mutuam, aut mutuam, & actus negatiui similiter: in præsenti autem actus positiui causæ A, & causæ B oppositionem inter se habent, (quæ suâ naturâ semper est mutua, vt in Pharo Scient. disp. 14. quæst. 4. monstratum est), actus verò negatiui inter se nec habent oppositionem, nec connexionem. Hinc autem nascitur primò, vt veritas conditionata, qua in casibus præcedentibus diximus compleri potentiam proximam ad actum positiuum vnius dictarum causarum dependenter à libero nutu, & influxu conditionato alterius in præsenti non queat habere locum; nam ex hypothesi, quòd existeret actus positiuus causæ A, non esset libertati causæ B subiectum, fore, aut non fore sine contradictione, extiturum actum negatiuum eius, cum quo ipse causæ A positiuus connexus est: quia ex hypothesi, quòd existeret actus positiuus causæ A, causa B non maneret libera ad suum actum negatiuum, sed prorsus necessitata ad illum, vtpote impotens ad positiuum propter oppositionem, qua opponitur illi actus positiuus causæ A; ex cuius suppositione per hypothesim facta nequit non ille reddi impossibilis causæ B, vt ex dictis in præcedentibus colligi potest; & ex dicendis in sequentibus ampliùs patebit. Vnde secundò nascitur, vt veritas conditionata de existentia sine contradictione actus negatiui causæ B sub conditione, quòd existat actus positiuus causæ A cum illo connexus, (quæ iuxta doctrinam vniuersalem statutam supra propos. 9. vnum est ex constitutiuis potentiæ proximæ causæ A ad ipsum actum positiuum), tam sit in potestate ipsius causæ A, quàm est ipse actus positiuus, vtpote quæ ex eius hypothesi necessaria veritas est: quare ex defectu huius veritatis veluti à libertate aliena pendentis, per eamque auferibilis non deest in causa A proxima, & adæquata potentia ad suum actum positiuum independens à nutu, & influxu causæ B. Et quæ de causa A comparata cum B dicta sunt, omnimodis dicenda sunt pariter de causa B comparata cum A,

quia

quia vtrique conueniunt prorsus eadem, vt patet ex casus constructione.

211 Vnde ergo prouenit, quòd neque causa A sine nutu, & influxu causæ B, neque causa B sine nutu, & influxu causæ A proximè, & adæquatè potentes sint ad duos actus oppositos? Dico, inde prouenire, quòd sunt duæ causæ æqualiter omnino potentes (vti supponitur) ad actus oppositos, sicque, quàm potens est causa A ad suum actum ponendum, tam potens est causa B ad illum impediendum per positionem sui, & è conuersò: quo fit, vt neutra sit plenè potens ad suum actum ponendum pro nutu suo, donec altera veluti cedat iuri potestatis, quam ad ponendum suum habet, illumque liberè omittendo, alteri locum præbeat, quo plenè iam sit potens ad suum pro suo arbitratu ponendum. Sed quando causa A censebitur plenam istam potestatem ad suum actum ex nutu causæ B comparasse? Dico, quando causa B aliàs sit omissura suum actum, etsi nihil adsit necessitans ad talem omissionem: siue, quod recidit in idem, quando sit conditionatè verum, causam B suum actum omissuram ex hypothesi, quòd suum omitteret causa A: (supponuntur enim cætera cuncta ad libertatem causæ B requisita). Nam, vt dicebamus in simili num. 203. cùm omnis veritas absoluta præsupponat conditionatam sibi correspondentem, ex hypothesi, quòd causa A absolutè omitteret suum actum, iam ab eiusdem omissionis præuiâ veritate conditionatâ fuisset causa B reddita proximè potens ad suum, atque adeò proximè libera ad ipsum, ad ipsiusque omissionem. Vnde, quòd modò sit conditionatè verum, causam B omissuram suum actum ex hypothesi, quòd suum omitteret, causa A, à libertate dependet, quam ex eâdem hypothesi haberet causa B; pro cuius subinde arbitratu potuit esse verum oppositum; fuissetque, si, vt fuit determinatio eius conditionata ad omissionem, fuisset ad actum, vti potuit. Itaque veritas conditionata de omissione, qua causa B liberè suum actum omitteret ex hypothesi, quòd causa A omitteret suum, vltimum complementum est, quo causa A redditur in casu præsenti proximè potens ad suum actum positiuum, atque adeò proximè libera ad ipsum, & ad ipsius omissionem. Tantumdemque dicendum est de causâ B comparatâ cum causâ A.

212 Ex quibus infertur primò differentia huius casus à Præcedentibus. In illis enim veritas conditionata completiua libertatis proximæ causæ A de existentiâ sine contradictione termini connexionis sui actus sub hypothesi existentiæ ipsius actus est: in hoc verò de existentiâ termini connexionis sui actus, non sub hypothesi ipsius actus, sed sub hypothesi omissionis eius. Quippe in casibus Præcedentibus sub hypotesi actus causæ A libera proximè euaderet causa B ad terminum connexionis illius; ab eiusque proinde nutu penderet, quòd esset verum, sub tali hypothesi extiturum talem terminum, aut simpliciter, seu sine contradictione, quia ab ipsâ esset ponendus; aut cum contradictione, quia ab ipsâ non esset ponendus ex vnâ parte, ex alterâ verò hypothesis illum inferret. In casu verò præsenti sub hypothesis actus causæ A causa B non libera, sed prorsus necessitata euaderet ad terminum connexionis illius, prout diximus num. 210. euaderet tamen ad illum proximè libera sub hypothesi omissionis actus causæ A: ab eiusque proinde nutu penderet, quòd esset verum, sub tali hypothesi aut extiturum, aut non extiturum simpliciter talem terminum: (hìc namque locum non habet contradictio, eo quòd conditio posita in hypothesi conditionatum non infert). Atque idcirco in casu præsenti veritas conditionata complens libertatem proximam causæ A ad actum suum non est de termino connexionis eius sub hypothesi eiusdem; (sicut in casibus præcedentibus); sed de termino connexionis eius sub hypothesi omissionis ipsius.

Sed dicet aliquis, eiusmodi veritatem con- 213
ditionatam idoneam non videri ad propositum. Nam, vt causa libera terminum connexionis sui actus ab aliâ causâ liberâ orirundum habeat in manu suâ, non satis est, quòd ille sit conditionatè verus sub quauis hypothesi; sed requiritur, quòd sit conditionatè verus sub hypothesi ipsius actus: hoc enim pacto, & non aliter, potestas causæ liberæ ad suum actum est potestas ad purificandam hypothesim, sicque faciendum, vt absolutè sit verum, quod sub illâ fuerat verum conditionatè: quod ipsum est, habere causam in manu suâ vnà cum existentiâ absolutâ sui actus existentiam absolutam termini connexionis eius. Igitur veritas conditionata ponens in manu causæ A terminum connexionis sui actus, sicque illam ad talem actum reddens proximè liberam ipsum actum debet pro conditione habere, non aliud quidpiam. Respondeo, veritatem conditionatam, quam in præsenti casu assignamus pro complenda libertate proximâ causæ A, imprimis pro conditione habere actum negatiuum ipsius causæ, medio quo saltem iam habet illa in manu suâ facere, vt sit absolutè verum, quod fuerat verum conditionatè sub eius hypothesi. Deinde, cùm sub hypothesi actus positiui causæ A sit necessariò verus conditionatè terminus connexionis eius, si sit etiam contingenter verus conditionatè sub hypothesi actus negatiui contradictorij, non poterit non esse iam absolutè verus: quia, cùm ex duobus contradictorijs alterum necessariò sit absolutè purificatum, quod sub hypothesi amborum est verum conditionatè, necessario est etiam verum absolutè. Vnde, positâ veritate conditionatâ necessariâ de existentiâ termini connexionis actus sub hypothesi ipsius actus, & alterâ contingente de existentiâ eiusdem termini sub hypothesi omissionis actus, nequibit iam causa A non habere in suâ manu existentiam absolutam talis termini: quandoquidem illa iam deesse non potest, siue causa A ponat actum, siue illum omittat. Quare per duas saltem dictas veritates conditionatas simul sumptas dicenda est compleri libertas proxima causæ A ad actum suum ponendum, vel omittendum. Quia tamen prima veritas necessaria, vtpote quæ pariter etiam adest pro causa B, sufficiens non est, vt causa A maiorem potestatem, quàm B ex ipsius B libero nutu nomparatam habere possit, prout ad nostrum casum requiritur, nisi accedat secunda veritas contingens; idcirco à nobis benè assertum, atque statutum est, talem veritatem contingentem vltimum complementum esse libertatis proximæ causæ A ad suum actum, & omissionem. Quod autem dictum est de causâ A comparatâ cum B, pariter est etiam dicendum de causâ B comparatâ cum A.

Quæ cum ita sint, iam infertur secundò, 214
necessarium esse, vt in statu absoluto, vel ambæ dictæ causæ omittant simul suos actus, vel alterutra

rutra omittat suum, & altera suum ponat: ambæ enim nequeunt eos simul ponere, cùm sint inter se oppositi.

215 Tertiò infertur, quando ambæ simul omittunt suos actus, necessariò fuisse conditionatè verum iuxta principium vniuersale statutum, & demonstratum num. 207. vnamquamque earum omissuram, si omitteret altera.

216 Quartò infertur, quando causa A omittit suum actum, & causa B ponit suum, necessariò fuisse conditionatè verum iuxta idem principium, posituram causam B suum actum, si omitteret suum causa A, & causam A suum actum omissuram, si poneret suum causa B. Tantumdemque vicè versà dicendum venit, quando causa B absolutè omittit suum actum, & suum ponit causa A.

217 Quintò infertur, quando ambæ dictæ causæ omittunt suos actus vnicuique earum esse liberam, & imputabilem sui actus omissionem: quia vnicuique earum adest veritas illa conditionata, quæ libertatis eius proximæ ad suum actum, & omissionem vltimum complementum est iuxta dicta: siquidem de vnaquaque earum verum est, si ipsa suum omiserit actum, & alteram fore omissuram suum. Dices, hanc illationem falsam esse. Quia, si vnaquæque talium causarum in dato casu ad suum actum, & omissionem esset proximè libera, quàm potens esset vnaquæque ad ponendum suum actum, tam potens esset altera ad impediendum illum per positionem sui. Cumquo neutrius proxima libertas stare potest iuxta doctrinam supra positam num. 211. Respondeo, potentiam proximam, quam in dato casu habet vnaquæque talium causarum ad ponendum, & omittendum suum actum, nullatenus esse potentiam ad impediendum actum alterius: quia supponit ex proprio conceptu, illum aliunde non ponendum pro nutu libero causæ suæ. Quo fit, vt in dato casu proximæ libertates ambarum causarum nec se impediant vicissim, nec opponantur inter se. Aliud est in casu doctrinæ suppositæ num. 211. vbi potentiæ æquales ad actus oppositos, quæ in dictis causis supponuntur, independentes sunt ab ambarum libero nutu, neque vllatenus constitutæ per illum. Itaque vnaquæque dictarum causarum ex libertate, quam habet in casu præsenti, potuit, (seorsim scilicet, & diuisiuè ab alia, non verò collectiuè cum illa), vt se determinauit ad omissionem, se determinare ad actum, sed variaretur tamen casus; esset que vnus ex alijs duobus commemoratis. De quibus iam.

218 Sextò infertur, quando vna dictarum causarum omittit suum actum, & altera ponit suum, non posse non esse liberam hanc positionem, & necessariam illam omissionem. Omittat enim suum actum causa A, & ponat suum causa B: hoc posito casu, non potuit non fuisse conditionatè verum, causam A omissuram suum actum, si omitteret suum causa B: nam si hæc veritas conditionata deesset, deesset in causa B potentia proxima ad ponendum suum actum; ipsumque proinde non poneret: stante autem tali veritate, iam non potest non esse libera positio eius. Et quoniam in casu isto similis veritas non adest pro causa A; quia non fuit verum, si causa A omitteret, & causam B fore omissuram; ideo in casu isto causa A non est proximè libera; atque ita nec libera, nec imputabilis est ipsi eius omissio. Quæ omnia ex dictis in præcedentibus comperta sunt. Stat igitur, quando causa A omittit suum actum, & causa B ponit suum, non posse non hanc positionem esse liberam, & necessariam illam omissionem. Nec obstat hoc, quominùs causa B dicatur in casu isto euadere proximè libera dependenter à nutu libero causæ A; nam hoc est intelligendum de nutu causæ A conditionato, non de absoluto: conditionatum autem liberum est, etsi absolutum non sit liberum, in casu, quem versamus. Etenim ex hypothesi, quòd causa B omitteret suum actum, libera esset causa A ad ponendum, & omittendum suum; vnde, si omitteret, liberè omitteret: &, quia causa B proximè euadit libera ex eo, quòd verum conditionatè est, omissuram causam A, si omitteret B, ideo causa B proximè euadit libera dependenter à nutu libero conditionato causæ A. Quæ tamen idcirco in casu nostro libera absolutè non est; quia conditio, sub qua conditionatè erat libera, nimirum omissio causæ B, non est purificata absolutè, sed opposita, nimirum actus ipsius B. Vnde causa B, liberè ponendo suum actum, eatenus necessitat causam A ad omissionem sui, quatenus tollit, siue impedit veritatem conditionatam de existentiâ omissionis suæ sub conditione existentiæ omissionis ipsius A; per quam veritatem ipsius A libertas complenda erat, vt constat ex dictis.

Septimò denique infertur, quæcunque di- 219
ximus pro casu, quo causa A absolutè omittit suum actum, & causa B ponit suum, pariter, sed modo inuerso, dicenda esse pro casu, quo versà vice causa B absolutè omittit suum actum, & causa A ponit suum, vt saris superque ex se notum est.

Porro doctrina hucusque tradita à nu. 210. 220
circa vltimum propositionis casum, quando scilicet actus positiui causæ A, & causæ B sint inter se oppositi, atque adeò actus positiuus alterutrius cum actu negatiuo alterius connexus est, ex suppositione facta num. 211. procedit, quòd causa A, & causa B æqualiter omnino potentes sint ad suos actus positiuos causandos; atque ita, quàm potens est quæuis earum ad suum actum ponendum, tam potens est altera ad impediendum illum per positionem sui. Si enim altera earum potentior, quàm altera fit, vt planè videtur possibile, quæ fuerit potentior, independenter à nutu alterius debilioris poterit suum actum ponere, illam nimirum per talem positionem necessitando ad omissionem sui: sicque potentior independenter à nutu libero debilioris plenè libera ad suum actum poterit esse; sed non vice versà debilior independenter à nutu libero potentioris. De quo, suppositis, quæ dicta sunt hactenus, nullum videtur posse esse dubium. Quod autem causæ liberæ actuum metaphysicè inter se oppositorum, de quibus hìc agimus, inæqualem vim effectiuam ad eos causandum habere possint, tum ex se satis videtur notum; tum inde probatur; quia ad actus physicè oppositos eiusmodi causas inæquales dari de facto, ipsà experientiâ constat. Siquidem causa productiua caloris sæpe vincit causam productiuam frigoris oppositi, eamque ad illud non causandum necessitat maiore suâ effectiuâ vi. Quo posito, cùm voluntas diuina potentior citrà dubium sit ad suum actum positiuum, quàm voluntas creata ad suum, quando tales actus

sunt

sunt oppositi; consequitur, in tali casu voluntatem diuinam suum actum ponere posse independer à nutu libero voluntatis creatæ: secus voluntatem creatam suum independenter à nutu libero voluntatis diuinæ. Quod pro dicendis disp. 39. de prædefinitionibus Dei obseruatum esto.

221 Per quæ omnia integrè iam manet probata quoad omnes suas partes propos. 14. data num. 194. Circa quam aduerto, quæcunque in eâ statuta sunt de actibus duarum causarum liberarum habentibus inter se connexionem, perinde esse vera, siue talis connexio sit mediata, siue sit immediata; vt consideranti innotescet. Quod pro varijs casibus specialibus, qui occurrere possunt est obseruandum. Ex ijs autem, quæ circa duas causas liberas, quarum actus inter se connexionem habent, statuta relinquimus, non difficile inferri potest, quid sit statuendum circa duas causas vel ambas necessarias, vel alteram necessariam, & alteram liberam; quarum actus similiter inter se connexionem habent. Pro quo, suppositis duobus principijs, generales aliquas regulas exhibebimus, quæ ad casus speciales ab vnoquoque facilè possint applicari.

222 Primum principium est. Impossibile est, vt causa necessaria non exerceat actum, ad quem habet potentiam proximam. Demonstratur hoc. Quia causa necessaria ex vnâ parte ad vnum tantùm ex suis actibus contradictorijs potest habere potentiam proximam; namsi, ad vtrumque haberet, iam non esset necessaria, sed libera, vt ex sæpe dictis in præcedentibus constat: ex aliâ verò parte non potest non illa vnum ex suis actibus contradictorijs exercere de facto; nam ambo extrema contradictionis nequeunt simul deesse: actus autem exercitus solus ille esse potest, ad quem in causâ datur potentia proxima, vtpote qui eam essentialiter præsupponit: ob id namque ab actu ad potentiam est necessaria consequentia. Igitur necessarium est, vt ex duobus actibus contradictorijs, ille, ad quem causa necessaria habet potentiam proximam, ab ipsâ exerceatur de facto; siue, quod recidit in idem, impossibile est, vt causa necessaria non exerceat actum, ad quem habet potentiam proximam. Quod erat principium demonstrandum. Circa quod duo sunt notanda. Primum, quando actus causæ creatæ positiuus est, vnum ex requisitis intrinsecis ad potentiam proximam eius esse decretum Dei concurrendi cum illâ. Secundum, quando actus est negatiuus, dato etiam, quòd causa necessaria nullam in eo exerceret causalitatem immediatam, de quo quid sit dicendum, decreuimus supra num. 131. id non obstare, quòminùs ille impræsentiarùm sub dato principio comprehenderetur, vtpotè in quo vniuersaliter est sermo de quouis actu, quem exercere concipitur causa necessaria quolibet modo, etiam citra causalitatem. Secundum principium est. Si actus causæ A cum actu causæ B sit connexus, tunc causa A potentiam proximam ad suum actum habebit, quando, stantibus cæteris cunctis ad talem potentiam requisitis intrinsecè, steterit insuper conditionata veritas talis potentiæ proximæ completiua, iuxta doctrinam in præcedentibus traditam: de quo, doctrinâ ipsâ suppositâ, nullum potest esse dubium.

223 His positis, sit prima regula pro casu, quòd ambæ causæ A, & B sint necessariæ, & actus causæ A cum actu causæ B sit connexus, siue non mutuò siue mutuò, vel è conuerso. Nimirum. Si vnâ cum cæteris omnibus constitutiuis potentiæ proximæ causæ A ad suum actum adsit conditionata veritas talis potentiæ proximæ completiua, nequibit causa A talem actum non exercere. Quia est impossibile, vt causa necessaria, qualis ponitur esse A, non exerceat actum, ad quem habet potentiam proximam iuxta principium primum. Et in dato casu causa A potentiam proximam habebit ad dictum actum iuxta principium secundum. Tantumdemque venit dicendum inuerso pacto de causâ B comparatâ cum causâ A. Secunda regula pro casu, quòd causa A sit necessaria, & causa B sit libera, actusque causæ A sit connexus cum actu causæ B siue non mutuò, siue mutuò eadem prorsus est, ac præcedens ex parte causæ A cum B comparatæ. Quia causa A, vtpote necessaria, nequibit non exercere suum actum, si habeat ad illum potentiam proximam per prædictam veritatem conditionatam, & cæteris omnibus requisitis integrè constitutam. Comparatio autem causæ B cum A pertinet ad casum sequentem. Sit ergo tertia, & vltima regula pro casu, quòd causa A libera sit, & causa B sit necessaria, actusque causæ A sit connexus cum actu causæ B siue non mutuò, siue mutuò. Applicandam scilicet esse ad hunc casum, suâ seruatâ proportione, & quantum ad ipsum opus sit, doctrinam circa propositionem traditam latè pro casu, quod ambæ dictæ causæ sint liberæ. Quam applicationem, quòd non difficile à Lectore effici potest, ne prolixus sim, prætermitto.

Quemadmodùm etiam prætermitto plurima consectaria, quæ ex doctrinâ vniuersalissimâ in hac quæst. stabilitâ possent inferri pro illis omnibus specialioribus materijs, in quibus de libertate sermo incidit, vel inseritur; quæ quidem pleræque sunt Theologicæ. Sat fuerit, hìc statuisse, firmasseque vniuersalissima, nec parum notanda principia, ex quibus ibi nullo negotio innumeræ propemodùm quæstiones resolui possint; prout nos in residuo huius Operis ipsâ praxi ostendemus. 224

QVAESTIO VI.

Quænam ad libertatem contrarietatis, atque ad libertatem anonymam sint requisita.

POst varias exhibitas diuisiones libertatis actus primi supra quæst. 3. ad tria vniuersaliora capita reduximus illam num. 31. nempe ad libertatem contradictionis, quæ versatur circa extrema contradictoriè opposita; ad libertatem contrarietatis, quæ versatur circa extrema opposita contrariè; & ad libertatem anonymam, quæ versatur circa extrema non opposita. Ex quibus libertas contradictionis potissima est: quia sine eâ neutra aliarum potest subsistere, vt ibi demonstratum est num. 29. clariùsque ex hìc dicendis constabit. Cùm tamen illa benè sine alijs stare possit, vt etiam patebit ex hìc dicendis. Ob id de requisitis ad libertatem contradictionis latè tractatum est tota quæst. præced. Nonnulla tamen dicenda restant de requisitis ad libertatem contrarietatis, atque etiam ad libertatem 225

tatem anonymam, de quibus in præsenti longè breuiùs agendum est.

226 Suppono autem primò, omnia, quæ ad libertatem contradictionis diximus esse requisita vel intrinsecè, vel extrinsecè, necessariò dicenda esse pariter requisita ad libertatem contrarietatis, atque etiam ad anonymam, eo ipso, quòd neutra harum sine illâ constare potest: imo vnaquæque harum ex duabus libertatibus contradictionis coalescit, seu composita est; prout ex demonstratione factâ loco citato satis est notum, & ex hic dicendis ampliùs notescet. Itaque quæcunque de libertate contradictionis quæst. præced. sunt statuta, pro dicendis in præsenti supposita sunto.

227 Suppono secundò alteram diuisionem libertatis actus primi traditam etiam quæst. 3. citata num. 25. in libertatem purè electiuam, & libertatem electiuam simul, & collectiuam. Quorum membrorum explicatio aliæque eorum subdiuisiones ibi videri possunt. His positis, difficultates aliquot, quæ ad hanc quæstionem, aut spectant, aut reduci possunt, per aliquot propositiones resoluam, notatâ in singulis, si qua fuerit varietate opinionum.

Propositio 1.

228 **Possibile est, vt in causâ liberâ sola libertas contradictionis absque vllâ libertate contrarietatis, & absque vllâ libertate anonymâ reperiatur.**

Doctrinam huius propositionis tenet Arriaga tom. 1. in 1. 2. disp. 7. sect. 4. num. 27. Contra eam tamen stat Soar. disp. 19. Metaph. sect. 4. num. 9. quatenus ait, quoties voluntas est libera ad aliquem actum, & eius carentiam, per alium actum reflexum posse etiam velle talem carentiam: quod est, voluntatem simul cum libertate contradictionis habere libertatem contrarietatis ad duos actus inter se oppositos. Stat etiam contra propositionem Ouiedo controuers. 12. de Anim. punct. 6. num. 6. docens, circa obiectum amabile, & odibile nullam in voluntate esse libertatem contradictionis, quæ non includat essentialiter libertatem contrarietatis.

229 Probatur tamen propositio nostra primò contrà Soar. Quia bene potest voluntas esse libera libertate contradictionis ad actum, & eius carentiam, quin sit potens ad actum reflexum de tali carentiâ. Ergo titulo huius actus reflexi illi directo contrariè oppositi non debet habere voluntas libertatem contrarietatis coniunctam cum eâ libertate contradictionis. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Quia, vt voluntas sit libera libertate contradictionis ad actum, & eius carentiam, sat est illi, cognitionem habere monstrantem in obiecto actus aliquid ad eum inuitans, & aliquid ab eo retrahens, quin vllam cognitionem habeat vel de actu ipso, vel de carentiâ eius. At sine cognitione de carentiâ actus potentia ad actum reflexum de illâ stare in voluntate non potest: quia nihil volitum, quin præcognitum. Ergo vt voluntas sit libera prædictâ libertate contradictionis, non opus est, quod sit etiam libera prædicta libertate contrarietatis.

230 Secundò probatur contra Ouiedo. Quia, vt voluntas sit libera ad amandum, & non amandum obiectum, necesse non est, quòd in obiecto, vel in eius amore appareat aliqua ratio mali inclinans ad odium oppositum: sed sufficit, quòd obiecti bonitas appareat finita, & limitata limitatione videlicet valente quidem ab amore retrahere, sed non valente inclinare ad odium oppositum; eo quòd malitia non est. Vnde, vt voluntas sit libera ad amorem, necesse non est, quòd simul sit etiam libera ad odium oppositum: quo corruit totum fundamentum, in quo nitebatur Ouiedo. Poterit igitur voluntas habere libertatem contradictionis; quin simul habeat libertatem vllam contrarietatis.

231 Tertiò probatur. Quia, postquàm voluntas habet cætera cuncta requisita ad amandum, & non amandum, Deus potest citra omne dubium illi præparare suum concursum ad solum actum amoris, quin præparet ad vllum alium actum. Quo casu subinde libertatem contradictionis habebit illa ad amandum, & non amandum absque vllâ libertate contrarietatis, vt patet.

232 Quartò. Sit amor causæ A connexus cum actu causæ B, habeatque causa A cætera cuncta requisita ad libertatem tum dicti amoris, tum odij oppositi, præter veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actus causæ B sub hypothesi existentiæ amoris causæ A, quæ vnum est ex constitutiuis libertatis causæ A ad talem amorem iuxta doctrinam vniuersalem statutam quæst. 5. propos. 9. Certè in tali casu defectu talis veritatis causa A libera non erit ad amorem, cùm libera sit ad odium oppositum. Quod est, eam in tali casu libertatem contradictionis ad odium, & carentiam eius habere sine libertate contrarietis ad amorem, & odium.

233 Quintò probatur à priori. Quia multò minor vis requiritur citra omne dubium ex parte obiecti, & cognitionis eius, vt voluntas retrahatur ab eius amore, & illum omittat, quàm, vt inducatur ad eius oppositum odium, & illud eliciat. Ergo fieri poterit, vt vis sufficiens ex parte obiecti, & cognitionis eius pro reddendâ liberâ voluntate libertate contradictionis ad ipsum obiectum amandum, & non amandum, sufficiens non sit pro reddenda eâ liberâ libertate contrarietatis ad ipsum obiectum amandum, & odio habendum. Adde, cùm sit certissimum, esse Deum liberum ad dandam, vel non dandam existentiam creaturæ, & consequenter ad volendum, vel non volendum efficaciter creaturæ existentiam, quæ est libertas contradictionis; valde dubitabile esse, an sit Deus liber libertate contrarietatis ad efficaciter volendam, vel nolendam positiuè existentiam ipsam. Nam, cùm nullâ positiuâ causâ opus sit, vt creatura non existat, nolitio positiua de existentiâ creaturæ eo solùm fine concepta, vt creatura non existat, superflua prorsus, atque adeò Deo impossibilis videtur. De quo agemus suo loco.

234 Quod si libertas contradictionis absque vllâ libertate contrarietatis dari potest in causâ liberâ, vt probatum est, multò meliùs poterit dari absque vllâ libertate anonymâ. Quia multò est certius, libertatem ad amorem sine libertate ad actum amori non oppositum stare posse, quàm stare posse sine libertate ad actum oppositum amori, vt satis ex se notum est.

235 Adnotare tamen oportet, doctrinam propositionis ad eos casus non extendi, in quibus libertas contrarietatis, aut anonyma purè electiua sit; eo

eo quòd causa ad alterutrum ex duobus actibus seu oppositis, seu nõ oppositis necessitata est, dum taxat que libera ad eligendum inter illos vel vnum, vel alterum. Tunc enim certum est, neutram ex duabus libertatibus contradictionis, quæ interueniunt sine libertate aut contrarietatis, aut anonymà stare posse. Est ergo sermo in propositione de libertate contrarietatis, aut anonymà electiuà simul, & collectiuà, qua videlicet (quando adest) ita potest causa ex duobus actibus aut oppositis, aut non oppositis vnum eligere, vt ambo simul possit omittere. Huiusce enim generis est libertas contrarietatis, aut anonyma, quæ longè frequentiùs, quàm illa altera, solet in causis liberis inueniri.

Propositio 2.

236 **Impossibile est, vt voluntas immediatè sit libera ad duos actus oppositos vnà libertate contrarietatis, quin sit etiam immediatè libera ad ipsos, & omissiones eorum duabus libertatibus contradictionis.**

Huic propositioni aduersantur Ouiedo controuer.9. de Anim. punct.4. à num.15. Arriaga tom.1.in 1.2.disput.4.sect.1.subsect.2.& alij, dum asserunt, quando voluntas liberè eligit amorem præ odio contrario, carentiam odij non esse ipsi immediatè liberam, sed medio amore, quo illam causat. Quod est, voluntatem non esse liberam immediatè ad actus, & eorum carentias, sed tantùm ad actus, & medio vnoquoque eorum ad carentiam oppositi, contra nostram propositionem. Pro qua tamen stant Petr.Hurt.2.2. disput.136. sect.2. subsect.4. Ripalda de Ente supernat.disput.68. sect.2. & alij, quatenus asserunt, voluntatem, dum eligit amorem præ odio, non medio amore, mediàque libertate eius esse causam carentiæ odij, sed per se, perque immediatam libertatem, quam habet in illam: duasque proinde exercere immediatas libertates, alteram circa amorem, & alteram circa carentiam odij. Sed est tertia sententia veluti complectens duas prædictas asserentium, in arbitrio voluntatis liberæ ad amorem, & odium positum esse, dum eligit amorem, vel medio amore, ac libertate mediatà, vel per se libertate immediatà causare carentiam odij. Quam etiam sententiam, perinde ac primam, falsam esse ex probatione propositionis nostræ, cæterisque adiungendis constabit.

237 Suppono autem ad probationem, sermonem in eà esse de voluntate ita immediatè liberà ad duos actus contrariè oppositos, vt ad neutrum eorum habeat vllam libertatem mediatam: eo quòd integram libertatem immediatam ad illos aliunde habet, quàm ab vllo suo exercitio libero; vt fere semper euenit. Quo posito, probo propositionem primò. Quia impossibile est, vt voluntas sit immediatè, siue proximè libera ad amorem, & odium, quin sit proximè potens non solùm ad amorem, & odium, sed etiam ad omissionem amoris, & ad omissionem odij. Ergo, quin habeat duas proximas, siue immediatas libertates contradictionis, alteram ad amorem, & omissionem eius, alteram ad odium, & omissionem eius, simul cum vnà proximà, siue immediatà libertate contrarietatis ad ipsum amorem, & odium. Consequentia est euidens. Quia' vt ex doctrinà statutà, sæpeque repetità quæst.5. constat, libertas proxima contradictionis ad amorem, & omissionem eius in duabus potentijs proximis voluntatis, alterà ad amorem, alterà ad omissionem eius consistit; similiterque libertas proxima contradictionis ad odium, & eius omissionem. Probatur igitur antecedens. Quia, si voluntas proximè potens ad amorem non esset etiam proximè potens ad omissionem eius, eo ipso esset proximè necessitata ad talem amorem: cùm sit certissimum ex se, & ex doctrinà vniuersali demonstratà in Pharo Scient.disput.8.quæst.4. qua ratione est voluntas impotens ad vnum ex duobus actibus contradictorijs, eàdem esse eam ad alterum necessitatam. Cùmque aliunde ex suppositione præmissà neque vllam talis voluntas ad talem amorem habeat libertatem mediatam, omnino, & simpliciter esset ea necessitata ad ipsum. Si autem voluntas simpliciter esset necessitata ad amorem, neutiquam maneret in eà libertas contrarietatis ad amorem, & odium, vt non minùs est manifestum ex eo, quòd, quidquid ad vnum ex extremis oppositis, etiam contrariè, necessitatum est, ad alterum impotens est; vti etiam constat ex se, & ex demonstratis in eàdem Pharo tum loco citato, tum disput.14. quæst.4. Manet igitur probatum satis apertè, impossibile esse, vt detur in voluntate libertas proxima contrarietatis ad duos actus oppositos, quin dentur ad singulos, & omissiones eorum duæ etiam proximè libertates contradictionis.

Id quod aliter probatur secundò non minùs 238
clarè contra Auctores primæ sententiæ relatæ num.236. Quia, si voluntas non aliter, quàm medio amore, posset causare carentiam odij, & consequenter carentiam amoris non aliter, quàm medio odio, potentia proxima voluntatis ad carendum odio per amorem necessariò constitueretur intrinsecè, similiterque constitueretur per odium potentia proxima ad carendum amore: vnde voluntas non esset proximè potens ad carendum odio, donec haberet amorem; neque esset proximè potens ad carendum amore, donec haberet odium. Hæc planè sequuntur ex hypothesi prædictæ sententiæ. Ex eis autem rursus sequitur manifestè, dum voluntas elicit amorem, non liberè, sed omnino necessariò elicere illum. Quia non elicit illum liberè libertate immediatà, vtpote carens potentiâ proximà ad omissionem eius per odium necessariò complendà, quod tunc non adest. Sed neque libertate mediatà: quia nullum ex influentibus immediatè in amorem ab aliâ libertate ipsius voluntatis dependet in existentiâ suâ; vt suppositum est. Tantumdemque venit dicendum vice versâ de elicientiâ odij, quando voluntas elicit odium. Repugnat ergo, vt voluntas libera proximè sit ad actus amoris, & odij, nisi per se antecedenter, atque independenter ab illis ad eorum omissiones sit proximè potens; & consequenter proximè libera ad actum amoris, & omissionem eius, ad actumque similiter odij, & eius omissionem. Quod erat probandum.

Tertiò probatur etiam clarè. Quia, quan- 239
do voluntas est proximè libeta ad amorem, & odium, vel potentia proxima, quam habet ad amorem, est compatibilis cum omissione amoris; vel non est compatibilis. Si non est compatibilis. Ergo voluntas per illam est necessitata ad amorem, atque adeò non libera ad amorem, &

odium, vt ponebatur. Si est compatibilis. Ergo voluntas per illam proximè est libera ad amorem, & omissionem amoris libertate contradictionis; pariterque ob argumentum idem ad odium, & omissionem odij per potentiam proximam ad odium. Quod est intentum nostrum. Nam, vt constat ex doctrinâ statutâ supra quæst. 5. num. 151. voluntas habens potentiam proximam ad actum compatibilem cum omissione actus eo ipso habet libertatem proximam ad talem actum, & omissionem. Et confirmari potest. Quia, quam libertatem habet voluntas ad amorem, quando non est simul libera ad odium iuxta doctrinam propos. 1. eamdem proculdubio habet, quando etiam est simul libera ad odium. Sed libertas, quam habet in primo casu, libertas est immediata contradictionis. Ergo &, quam habet in secundo. Tantumdemque est de libertate, quam habet ad odium, quando est simul libera ad amorem.

240 Quartò probatur propositio. Quia libertas proxima voluntatis ad amorem, & odium non est purè electiua, sed electiua simul, & collectiua. Cùm certum sit, voluntatem non solùm omittere posse alterutrum talium actuum seorsim, sed etiam omittere posse simul vtrumque. Ergo voluntas tali libertate proximè libera potentias proximas habet ad amborum actuum omissiones simul causandas. Quod stare non posset, si potentia proxima ad omissionem vnius per alterum constitueretur intrinsecè, sicque respectu voluntatis non immediata esset, sed mediata, vt est notissimum. Per se igitur, & immediatè, antecedenterque ad dictos actus est voluntas proximè potens ad eorum omissiones; proximèque subinde libera ad actus, & ad omissiones duabus contradictionis libertatibus. Quod erat probandum.

241 Dicent, qui puram omissionem liberam possibilem negant, posse quidem voluntatem liberam ad amorem, & odium vtrumque actum simul omittere, non tamen potestate immediatâ, sed medio actu positiuo reflexè imperante omissiones ipsas: qui actus proinde potentiam proximam ad omissionem amoris complebit loco actus odij, & potentiam proximam ad omissionem odij loco actus amoris. Sed contra primò. Quia, vt arguebam in simili num. 219. voluntas solius obiecti cognitione instructa potest libera esse ad ipsum amandum, vel odio habendum, vel ad simul omittendum vtrumque actum, quin vllam cognitionem habeat de talibus actibus, aut omissionibus, & consequenter, quin vllam habeat libertatem ad ipsas omissiones imperandas actu reflexo. Ergo in tali casu potestas, libertasque voluntatis ad tales omissiones immediata, & proxima erit, ab omnique actu positiuo ipsius voluntatis penitus independens. Contra secundò. Quia, quando voluntas libera ad amorem, & odium de facto elicit amorem, nec habet odium, nec imperium de omissione amoris, nec alium actum per quem reddatur proximè potens ad ipsam amoris omissionem. Vel ergo per se, immediatè, & proximè est potens ad talem omissionem: atque ita libertatem proximam contradictionis habet ad amorem & omissionem eius, quod est nostrum intentum. Vel elicit amorem sine potentiâ proximâ ad illum omittendum, atque adeò non liberè, sed necessariò. Quod est absurdum inferens alia contra suppositionem ipsam iuxta argumenta facta num. 237. & 238. quæ ad præsens propositum recurrunt. Contra denique tertiò. Quia, vt ostendemus quæst. 7. pura omissio libera non solùm voluntati est possibilis, sed sæpe in eâ datur de facto. Quo & necessitas imperij reflexi omittendi cessat, & euasio obiecta præcluditur. Firmumque stat, libertatem immediatam, seu proximam contrarietatis sine duabus libertatibus immediatis, seu proximis contradictionis stare nullo pacto posse.

Vnde fit gradus ad ostendendum contra 242
sententiam tertiam relatam num. 236. voluntatem liberam ad amorem, & odium, dum elicit amorem, per se dumtaxat libertate immediatâ posse carentiam odij causare; non verò pro arbitratu suo vel per amorem libertate mediatâ, vel per se immediatâ. Id autem ostenditur primò. Quia, cùm causatio permissiua, qua sola carentia odij est immediatè causabilis à voluntate iuxta doctrinam supra statutam quæst. 5. num. 131. in eo præcisè consistat, prout ex ibidem dictis constat, quòd voluntas omittat, siue non ponat odium proximè potens ad illud ponendum, impossibile omnino est, existere in voluntate carentiam odij, dum elicit amorem, cum potentiâ proximâ ad ipsum odium, vti supponitur, & voluntatem non causare carentiam odij per se libertate immediatâ. Non ergo in arbitrio eius positum est, vel ita, vel medio amore mediatâ libertate causare. Secundò ostenditur. Quia, vt constat ex generali, & certâ doctrinâ traditâ etiam dictâ quæst. 5. vt amor tanquam impedimentum odij carentiam ipsius odij causaret, potentiam proximam voluntatis ad ipsam odij carentiam deberet intrinsecè constituere. At talis potentia independenter à tali amore est adæquatè constituta vt ostendimus, supponiturque etiam in sententiâ, quam modò refellimus. Ergo, &c. Tertiò ostenditur. Quia, vt etiam constat ex ibi dictis, quando impedimentum actus causæ liberæ huius potentiam proximam ad actus carentiam non constituit, ita in existentiâ suâ dependet à nutu talis causæ, vt talem carentiam ab eo causatam necessariò supponat; tantum abest, vt causet illam. Igitur in casu nostro tantum abest, vt amor causet carentiam odij, vt potius existere nequeat aliter, quàm supponendo illam causatam à nutu immediato voluntatis. Quartò ostenditur. Quia in materiâ, de qua tractamus, nihil excogitabile est, per quod casus varientur, ità, vt in vno dicatur carentia odij causari ab amore, in altero à voluntate immediatè: siquidem, præter voluntatem cum potentiâ proximâ ad odium, & ad eius carentiam, præter amoremque, & ipsam carentiam odij, nihil rationabiliter assignari potest existens pro vno ex dictis duobus casibus, quod non sit existens pro alio. Igitur alter eorum dumtaxat est censendus voluntati possibilis, non vterque. At primus solus non est possibilis illi, vt ostendimus. Ergo secundus solus dicendus est illi possibilis.

Concluditur ergo ex dictis omnibus; neque 243
esse possibile, vt voluntas sit proximè libera vnâ libertate contrarietatis ad amorem, & odium, quin sit etiam proximè libera duabus libertatibus contradictionis, alterâ ad amorem, & carentiam amoris, alterâ ad odium, & carentiam odij; neque esse possibile, vt exerceat primam eligendo amorem, vel odium aliter, quàm exercendo simul duas secundas, alteram circa amorem, & alteram circa carentiam odij, quando eligit amorem præ odio, vel alteram circa odium,

& alte-

& alteram circa carentiam amoris, quando eligit odium præ amore. Vnde etiam apparet, dictam libertatem contrarietatis, & duas dictas libertates contradictionis simul acceptas realiter idem omnino esse.

244 Sed est adnotandum, hucusque egisse nos dumtaxat de libertate contrarietatis electiuâ simul, & collectiuâ, qua videlicet voluntas ita ex duobus actibus contrariè oppositis potest vnum eligere, vt vtrumque simul possit omittere. Restatque determinandum proinde, an propositio, doctrinaque circa illam data etiam habeat locum, quando libertas contrarietatis purè electiua est; qua scilicet voluntas ita ex duobus actibus contrariè oppositis potest vnum eligere, vt nequeat vtrumque simul omittere; eo quòd ad eligendum vnum, vel alterum sub disiunctione necessitata est; vti erit ad eligendum alterutrum ex duobus medijs oppositis, suppositâ intentione efficaci finis per illa tantùm consequibilis; similiterque iuxta sententiam communem ad eligendum alterutrum ex duobus actibus oppositis, supposito imperio efficaci, atque disiunctiuo de illis; & in alijs huiusmodi casibus. Dico, propositionem datam vniuersalem esse tam pro casibus, vbi libertas contrarietatis est purè electiua, quàm pro casibus, vbi est electiua simul, & collectiua. Id enim planè ostendunt pleraque saltem ex argumentis factis pro illâ, vt cuique recognoscenti innotescet. Sed de casibus, vbi libertas est purè electiua, multò plura venient dicenda infra quæst. 11. quæ ad rem videnda.

Propositio 3.

345 **Impossibile est, vt voluntas sit proximè libera ad eligendum vnum, vel alterum ex duobus actibus non oppositis vnà libertate anonymà, quin sit etiam proximè libera ad ipsos, & omissiones eorum duabus libertatibus contradictionis.**

Hæc propositio ex dictis circa præcedentem est manifesta. Quæ enim illam probant, potiore iure probant hanc, vt applicanti erit notissimum; maximè, cùm in præsenti voluntas non possit medio vno dictorum actuum causare carentiam alterius, hoc ipso, quòd illi ponuntur esse non oppositi respectu voluntatis, atque adeò sic compatibiles inter se, vt possit voluntas vtrumque simul elicere. Dummodò tamen voluntas sit proximè potens ad eliciendum seorsim quemuis eorum, omisso altero, non potest non propositio esse vera; vt est manifestum: siue possit illa omittere etiam simul vtrumque; siue non possit; sed necessariò debeat elicere alterutrum.

QVAESTIO VII.

Vtrùm voluntas proximè libera in actu primo per puram omissionem actus secundi suam libertatem exercere possit. Et qualiter.

246 QVæstio hæc eadem est cum illâ satis communi. An sit possibilis voluntati pura omissio libera. Cuius decisio impræsenti visa est opportuna ad maiorem intelligentiam, atque confirmationem eorum, quæ in præcedentibus statuta sunt. Circa eam autem est supponendum primò, puram omissionem dici communiter in præsenti, quæ nulli actui coexistit cum ipsâ connexo, oppositoque subinde, siue inconiungibili actui per ipsam omisso; quidquid sit de ipsius coexistentiâ cum alijs quibusque actibus actui omisso non oppositis, atque adeò neque connexis cum omissione ipsâ. Sed est aduertendum, idcirco ab Auctoribus dici omissionem puram, quæ nulli actui coexistit cum ipsâ connexo; quia supponunt, quando adest talis actus, omissionem ab eo causari, ab eiusque proinde libertate mediatè euadere illam liberam, quando libera est. Cæteroquin, si semel statuatur, omissionem liberam nec causari, nec participare suam libertatem ab actu connexo cum ipsâ, vt ego in casibus datis quæst. præced. statui, nihil erit, quod vetet, eam puram dici, quod attinet ad propositum præsentis quæstionis; quantumuis ea eiusmodi actui quasi per accidens coexistat.

Secundò est supponendum, in hac quæstione 247
non solùm esse sermonem de omissionibus actuum voluntatis, qui immediatam libertatem à voluntate ipsâ possunt habere; sed etiam de omissionibus actuum aliarum facultatum, quæ voluntati subditæ sunt, qui actus propterea liberi etiam à voluntate, mediatâ tamen libertate, possunt euadere: talium quippe actuum omissiones etiam possunt euadere, sæpeque euadunt à voluntate mediatè liberæ, vt omissio audiendi sacrum, omissio dandi eleemosynam, omissio ludendi, &c. Quæriturque de his etiam, an possint esse puræ, & liberæ. Imo verò ad carentias etiam actuum aliarum causarum distinctarum à causâ liberâ, quatenus sub huius libertatem cadere possunt, tametsi omissiones eius dici non soleant, potest, & debet extendi quæstio: e. g. ad carentiam combustionis domus, quam homo liberè potest comburere, & non comburit; ad carentiam vulneris animalis, quod homo liberè potest vulnerare, & non vulnerat; ad aliasque huiusmodi. Igitur de omnibus hisce suo ordine in hac quæstione agendum est.

Circa quam prima sententia quorundam 248
Recentiorum fuit, omissionem puram, aliàs possibilem, eo ipso, quòd pura sit, nec liberam, nec imputabilem esse posse. Pro qua sententiâ allegari solet Caiet. 1. par. quæst. 63. artic. 5. fine. Sed ibi tantùm dicit, Angelum in primo instanti, etsi potuerit omittere, non tamen potuisse incurrere peccatum omissionis: quia hoc actum voluntatis non rectum fert secum necessariò annexum. Quod etiam approbauit Gabriel in 2. distinct. 41. quæst. vnicâ artic. 3. dub. 3. & quidam Neotericus, teste Salas 1. 2. tract. 12. disput. 2. sect. 5. num. 84. Ipse verò Salas reprobat tanquam minus tutum, & parum consonum sacræ Scripturæ. Cæterùm sententiam propositam, cuiuscunque ea fuerit, probabilem conatur facere Petrus Hurt. disput. 62. de Incarnat. sect. 3. latè eam defendens, contendensque, voluntatem proximè liberam ad amorem posse quidem illum purè omittere absque vllo actu positiuo, talem tamen puram omissionem nec fore voluntati liberam, nec necessariam, requirique proinde, vt ea voluntati sit libera, quòd per actum positiuum ab ipsâ voluntate causetur.

Secunda sententia absolutè negat, possibi- 249

em esse puram omissionem liberam. Ita Montesinos 1.2.tom.2.disput.2.quæst.1. Esparza lib.3.de Actibus humanis quæst. 15. & alij Recentiores. Quam etiam se tenuisse in Tract. de Actibus humanis testatur Cardin. de Lugo tom.de Pœniten. disput.15.sect.10.num.246. Pro eâdem referri solent Vazq.1.2.disput.92.Valent.disput.6. quæst.1. punct.4 & alij. Qui tamen non docent, esse simpliciter impossibilem puram omissionem liberam, sed tantùm, voluntatem nostram parum in ea posse durare, & ideo nunquam dari in nobis peccatum puræ omissionis; quia præcepta affirmatiua non obligant pro tam paruo temporis interuallo. Imo Vazq. disput.92. citatâ num.8. non solùm adstruit puram omissionem pro breui tempore, sed addit, nisi ea esset voluntati possibilis, fore vt tolleretur libertas eius quoad exercitium: quod est valde notandum. Videantur cæteri pariter explicati apud Salas sect. illâ nuper citatâ.

250 Tertia sententia absolutè affirmat, possibilem esse puram omissionem liberam. Eam tenent S.Tho.1.2.quæst.6.artic.3.& quæst.71.art.5. ad 2. Salas dicta sect.5. Molina 1.par.quæst.14.artic.13. disput.12.Soar.disput.19.Metaph.sect.4.Tann.1.2. disput.4.quæst.4.dub.1. Ruiz de Prouid. disp.37. sect.1.& disput.42.sect.7.Ripalda disput.70. de Ente supernat.Arriaga disput.8. de Animâ sect.6. & 1.2.tom.1.disput.7.sect.4. Gaspar Hurt.1.2.disput.3.de Peccatis diffic.17.Oniedo contron.10.de Animâ punct.1.§.3.Carleton disp.26.de Animâ, & apud eos alij plures.

Propositio 1.

251 Sententia relata num.248.eiusque defensio facta ab Hurtado citato ibidem omnino reijcienda est.

Primò. Quia, vt benè notat Salas Scripturæ sacræ aduersa videtur, quatenus in eâ absolutè, & absque limitatione damnantur sæpè tantò quam rei culpæ, quicunque scienter omittunt, siue non faciunt, quæ debebant facere. Vt videre est Math.3.10. & cap.7.19. & cap.25.4. Lucæ 12.47. Iacobi 4.17. & alibi. Dici enim nequit, nisi temerè, & contra communem omnium intelligentiam, Scripturam loqui dumtaxat de volentibus positiuè omittere, non verò de purè omittentibus, vt est manifestum.

252 Secundò. Quia, omittere adimpletionem præcepti cum proximâ potestate adimplendi illud, id ipsum est peccare contra præceptum, quantumuis sit pura talis omissio, vt est manifestum. At peccare contra præceptum nequit non esse peccanti liberum, vt constat. Igitur, omittere adimpletionem præcepti cum proximâ potestate adimplendi illud, nequit non esse omittenti liberum, quantumuis sit pura talis omissio.

253 Tertiò. Quia, absurdissimum esset dicere, filium relinquentem suum Patrem fame perire, cùm posset ei facilè succurrere, ideo non esse reprehensione dignum, quia positiuè non dicebat, nollo illi succurrere. Ergo & absurdissimum est dicere, puram talis filij omissionem in tali casu non fore liberam: siquidem id solum est reprehensione dignum, quod liberum est.

254 Quartò. Quia, quicunque potens impedire id, quod impedire tenetur, illud permittit, etiam per puram omissionem, manifestè peccat; atque adeò manifestè permittit liberè. Ergo pura eius omissio, per quam talis permissio euenit, nequit non esse libera.

255 Quintò. Quia, si vera esset dicta sententia, omnia præcepta affirmatiua possent ab omnibus eludi; frangique impunè. Posset enim vnusquisque dicere, se illa sine culpa transgredi per puram omissionem. Quod est absurdissimum.

256 Sextò, Quia sequeretur etiam, præcepta negatiua non obligare. Nam solùm possumus obligari ad exercitia libera, quales non sunt puræ omissiones, quas solùm præscribunt talia præcepta, dum actus oppositos prohibent. Tum, nullam libertatem exercendo, possemus eiusmodi præcepta per puras omissiones implere. Quæ etiam valde absurda sunt.

257 Septimò. Quia præceptum haud dubiè possibile de actu libero solâ libertate contradictionis & esset obligatorium; quia de actu libero: & non esset obligatorium; quia non posset esse culpabilis transgressio eius. Quod est chymæricum.

258 Octauò, Quia non minùs est chymæricum, dari in voluntate libertatem contradictionis ad actum positiuum, & non dari ad puram omissionem eius. Quandoquidem talis libertas in potentiâ proximâ voluntatis ad ipsum actum, & ad ipsam omissionem consistit secundùm omnes; sicque nequit ea esse libertas respectu actus, quin sit etiam libertas respectu omissionis. Etenim secundùm definitionem notissimam, & receptam ab omnibus libertas contradictionis est potestas voluntatis ad operandum, & ad non operandum; seu, quod est idem, potestas ad operandum, & ad omittendam operationem; seu, quod rursus est idem, potestas ad omittendam, & ad non omittendam operationem. Ergo, sicut voluntas, dum operatur potens non operari, nequit non operari liberè; ita, dum omittit operationem potens non omittere, nequit non omittere liberè: &, sicut illi sic operanti non potest non esse imputabilis operatio; ita illi sic omittenti non potest non esse imputabilis omissio operationis.

259 Nonò. Quia clariùs adhuc est chymæricum, omissionem puram nec esse liberam, nec necessariam voluntati. Nam necessitas, & libertas clarè opponuntur contradictoriè, quatenus necessitas potentiam ad oppositum remouet, quam libertas fert secum; clarissimumque est, ambo contradictionis extrema simul deficere non posse. Sed quorsum in re tam compertâ, tamque tam apud omnes certâ immoror tam prolixè?

260 Arguitur tamen nihilominùs pro sententiâ reiectâ primò. Omissio reuerâ est nihil, atque adeò metaphoricè solùm, seu logicè attribuitur voluntati vt actus eius. Ergo in voluntate non datur vera, & propria potentia ad omissionem, sed metaphorica dumtaxat, siue logica. Ergo neque datur vera, & propria libertas, quæ sine verâ, & propriâ potentiâ stare non potest. Respondeo, omissionem reuerâ esse nihil positiuum, habere tamen reuerâ suam veritatem negatiuam, secundùm quam verè, physicè, & absque vllâ metaphorâ conuenit voluntati, negatiuè loquendo; quatenus absque vllâ metaphorâ verum est, voluntatem physicè non operari, quando omittit

ope-

operationem : quo solùm modo negatiuo est enuntiabilis, seu iudicabilis omnis veritas negatiua, siue omnis vera negatio à cognoscentibus per species proprias iuxta doctrinam de negationibus datam à nobis in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. sæpeque alibi repetitam. Et quamuis nos cognoscentes per alienas species sæpissimè concipiamus negationes per modum actuum positiuorum, easque vt sic per affirmatiua iudicia attribuamus subiectis, (in quo concipiendi modo non potest non interuenire ens quoddam rationis supposititium iuxta doctrinam etiam vniuersalem de entibus rationis traditam in Pharo Scient. disp. 12.), vt, quando dicimus, voluntas caret operatione, siue omittit operationem: quia tamen affirmatiua ista iudicia omnino æquiualent negatiuis quoad veritatem iudicatam; cùm prorsus recidat in idem, voluntatem omittere operationem, & voluntatem non operari; ne in illis quidem dicendum est vllam metaphoram interuenire, aut illorum obiectum esse quid logicum, propter ens rationis suppositium, quod noster modus concipiendi fert secum. Alioquin metaphoricum, aut logicum esset dicendum obiectum illius propositionis Lucæ 1. *Missus est Angelus Gabriel à Deo*, propter ens rationis suppositium à nobis concipientibus Gabrielem per modum iuuenis interpositum. Quod planè est absurdum. Ex quibus patet, voluntatem non metaphoricam tantùm, aut logicam, sed veram, physicam, & propriam potentiam habere ad omittendum operationem, seu, quod idem est, ad non operandum, idoneamque proinde ad constituendam veram, physicam, & propriam libertatem, quam habet ad talem non operationem, siue omissionem operationis.

261 Secundò arguitur. Si omissio pura libera esset, aliter se haberet voluntas per illam in signo posteriori actus secundi, quàm in anteriori actus primi. Sed non se habet aliter. Ergo non est libera. Maior est certa; & consequentia bona. Minor autem probatur. Quia tam non est operatio omisa in signo anteriori, quàm non est in signo posteriori prædictis; & omissio pura consistit in ipso non esse operationis. Hoc argumentum sophisma est subnixum æquiuocationi termini *non est* vsurpati æquiuocè. Etenim non esse operationem in signo actus primi, significat, non constitui per illam actum primum, siue potentiam, à qua procedit actus secundus: quod est verum, etiam quando operatio existit in rerum naturâ: at non esse operationem in signo actus secundi significat saltem consequenter non existere eam in rerum naturâ: quia si existeret, in signo actus secundi esset; cùm ipsa sit quidam actus secundus. Igitur omissio operationis non consistit in illo non esse operationis priori, sed in hoc posteriori: cùm aliud non sit à negatione existentiæ eius. Et quoniam hæc item negatio deest ab actu primo voluntatis non minùs, quàm operatio, quam negat; quatenus neque ea constituit illum; aliundeque quidam actus secundus est, aliter per illam, quando existit, se habet voluntas in signo posteriori actus secundi, quàm in anteriori actus primi. Patetque iam tum fallatia argumenti, tum falsitas illius minoris, in qua nitebatur.

262 Tertiò arguitur. Omnis actus liber voluntatis debet esse operabilis. Sed omissio non est operabilis. Ergo non est libera. Respondeo primò, *si operabilis* sumatur strictè, negando maiorem: quia libertas non tantùm est ad operandum, sed etiam ad non operandum, iuxta definitionem eius receptam ab omnibus. Non operari autem, & operationem omittere, à parte rei prorsus est idem. Respondeo secundò, *si operabilis* sumatur latè pro *causabilis* distinguendo minorem. Omissio non est causabilis influxiuè, seu positiuè; concedo. Non est causabilis permissiuè; nego. Et nego consequentiam. Quia, vt omissio quoad suam qualem qualem existentiam sub dominium, atque adeò sub libertatem voluntatis cadere possit, sat est, eam esse à voluntate permissiuè causabilem. Recognoscatur doctrina tradita supra q. 5. n. 131.

Quartò arguitur. Omissio non potest esse 263
voluntaria. Ergo nec libera. Consequentia est bona. Quia de conceptu liberi est esse voluntarium. Antecedens autem probatur. Primò; quia, cùm omissio sit negatio quædam actus voluntatis, non indiget, voluntate ad existendum, imò securius existeret, si non existeret voluntas. Sed in eo casu non esset talis negatio voluntaria. Ergo nec est voluntaria, voluntate existente. Secundò; quia omissio non est exercitium voluntatis vitale. Ergo nec voluntaria. Tertiò; quia cum latiùs pateat voluntarium, quàm liberum, si omissio libera esset voluntaria, etiam omissio necessaria esset voluntaria. Quod tamen est falsum. Respondeo, omissionem esse quidem non solum liberam, sed etiam voluntariam. Cui non obstat primò, quòd talis non foret, si non existeret voluntas: quia tunc existentia eius à voluntate, prout illam permittente pendere non posset, vti potest, quando voluntas existens est. Neque obstat secundò, quòd non sit actus vitalis; quia non est de ratione voluntarij, quòd sit actus vitalis, vt patet in alijs effectibus à voluntate oriundis, ideoque voluntarijs, qui vitales actus non sunt. Nec obstat tertiò, quòd omissio necessaria voluntaria non sit: id enim nascitur ex eo, quòd, eius causatio non est influxiua, sed permissiua à solâ causâ liberâ oriunda. Vnde necesse non est, quòd in omissionibus latiùs pateat voluntarium, quàm liberum: quidquid sit de effectibus positiuis.

Propositio 2.

Pura omissio actus voluntatis libera libertate immediatâ simpliciter possibilis est. 264

Probatur hæc propositio primò ex doctrinâ stabilitâ quæst. 6. propos. 1. Vbi ostensum est, solam libertatem contradictionis absque vllâ libertate contrarietatis posse in causâ liberâ reperiri. Libertas enim causæ liberæ in tali casu nequit non esse libertas ad puram omissionem, vt est manifestum. Siquidem libertas contradictionis absque vllâ libertate contrarietatis potentiam proximam importat ad omissionem seiunctam ab omni actu contrario actui omisso, & cum omissione ipsâ connexo, quæ eo ipso est omissio pura. Potentia autem proxima ad omissionem puram possibilitatem eius supponit, vt constat. Confirmatur, & declaratur. Quia in omnibus casibus commemoratis ibi à num. 229. possibilis est voluntati omissio libera sui actus, quin sit ei possibilis alius actus cum omissione ipsâ connexus. Hoc autem est, esse in omnibus dictis casibus

volun-

voluntati possibilem omissionem liberam puram, vt patet apertè, eius definitione suppositâ.

265 Secundò probatur ex doctrinâ stabilitâ etiam quæst. 6. propos. 2. Vbi ostensum est, repugnare, vt voluntas immediatè sit libera ad duos actus oppositos vnâ libertate contrarietatis, quin sit etiam immediatè libera ad ipsos, & omissiones eorum duabus libertatibus contradictionis. Eo enim ipso, quòd voluntas libera ad amorem, & odium immediatam libertatem habet ad eorum omissiones, nequit non habere potentiam proximam ad omissionem puram, omissioque pura subinde nequit non illi esse possibilis. Nam vel erit proximè potens ad omittendos simul ambos eos actus, quando libertas ad eos non est purè electiua, idque per duas puras omissiones iuxta ibi dicta à num. 240. Vel, licèt alterum eorum tantùm possit omittere; eo quòd libertas ad eos purè electiua est, eius omissio nihilominùs, quod ad propositum attinet, pura dicenda veniet, vtpote non ab actu secum connexo, sed immediatè à voluntate proueniens, iuxta notationem præmissam num. 246.

266 Tertiò probatur. Quia certum est, voluntati iam instructæ cæteris cunctis requisitis ad liberè amandum negari posse à Deo concursum ad omnes actus positiuos, quo casu necessitata illa manebit ad omittendum omnes. Ergo certum quoque esse debet, negari posse à Deo concursum ad cæteros, præterquam ad actum amoris; (hoc namque non est vnde repugnet, supposito, quòd actus amoris sine cæteris potest existere); quo casu libera manebit voluntas ad amandum, & non amandum vnicâ libertate contradictionis iuxta iterum dicta supra num. 231. Quæ libertas ad purè omittendum talem amorem erit libertas; possibilitatemque subinde feret secum puræ omissionis, vt satis, superque ex se, & ex dictis est manifestum.

267 Quartò probatur. Quia, vt vniuersaliter docent Theologi, præcepta sola negatiua obligant semper, & pro semper; affirmatiua verò non item. Hoc autem falsum esset, si esset pura omissio impossibilis: quia, tali impossibilitate suppositâ, nunquam obligaret vllum præceptum negatiuum de non ponendo quouis actu, quin simul obligaret præceptum affirmatiuum de ponendo actu opposito, sine quo posito ille nequit omitti. Vtque descendamus ad specialia, ponamus hominem liberum ad duos tantùm actus amoris Dei, & odij oppositi: qui casus planè est possibilis, etiam apud Aduersarios: quia fieri potest, vt homo pro solâ libertate ad eos duos actus, & non ad alios, habeat sufficientes cognitiones. Pariterque potest poni homo liber dumtaxat ad odium, amoremque oppositum peccati. Certè durum videtur, alienumque à persuasione communi, teneri hominem in primo casu, non solùm ad non habendum odio Deum, sed etiam ad positiuè illum amandum; & in secundo, non solùm ad non amandum peccatum, sed etiam ad positiuè illud odio habendum. Durum etiam videtur, alienumque à persuasione communi, in ambobus casibus dictis esse hominem necessitatum ad amplectendum alterutrum eorum actuum, nec posse Deum illi præcipere, vt vtrumque simul omittat. Quæ omnia in aduersâ sententiâ necessariò dicenda sunt, vt Auctores eius fatentur, deuorantes illa vel inuiti, quasi nullius sint incommodi.

268 Quintò probatur. Quia sæpe homo liber, non solùm ad amandum, sed etiam ad volendum reflexè amare actum amoris directum dumtaxat elicit, vltro omittendo illum reflexum, & omnem alium, vt satis superque experientiâ constare videtur. Igitur sæpe talis actus reflexi exercet homo puram, & liberam omissionem.

Sextò probatur. Quia in aduersâ sententiâ 269
libertas contradictionis cum libertate contrarietatis confunditur contra consensum omnium: vel certè sola libertas contrarietatis sine libertate contradictionis cum maiori absurdo relinquitur: libertas quippe contrarietatis sine libertate contradictionis omnino chymærica est. Quod vt ostendam, suppono ex sententiâ communi à me propugnatâ in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3. negationem entis in non esse ipsius entis consistere, non verò in esse positiuo alterius entis illi oppositi, atque ita negationem entis veritatem quamdam negatiuam esse ab omni ente positiuo re ipsâ distinctam suo modo. Quo posito, arguo sic ad propositum. Quando voluntas elicit amorem, vel habet potentiam proximam dumtaxat ad positiuum actum amori oppositum; vel insuper habet potentiam proximam ad negationem, seu omissionem amoris. Si dicatur primum; (quod certè Aduersarij tenentur dicere); sequitur, voluntatem necessariò elicere amorem, nullamque proinde ad illum libertatem aut contradictionis, aut contrarietatis habere: qua ratione dictum, probatumque relinquimus supra quæst. 6. num. 237. qui ad rem recognoscendus est. Si autem dicatur secundum; sequitur, voluntatem per se immediatè, independenterque subinde ab actu oppositio amori, atque adeò per omissionem puram posse omittere amorem. Debere autem ab Aduersarijs dici, voluntatem elicientem amorem non habere potentiam proximam ad omissionem amoris, est clarum: quia non habet actum amori oppositum, per quem in eorum sententiâ potentia proxima ad omissionem amoris debet necessariò constitui, hoc ipso, quòd in eorum sententiâ voluntas talem omissionem aliter, quàm medio tali actu, causare nequit. Quo fit, vt, dum puram omissionem voluntati negant possibilem, non solùm libertatem contradictionis, sed etiam libertatem contrarietatis ab illâ tollant, vt ostendimus.

Vnde aliter propositio venit probanda sep- 270
timò. Nam, dum voluntas elicit amorem, vel potentia proxima, quam ad amorem habet, est compatibilis cum eius carentiâ; vel non. Si non est compatibilis. Voluntas necessariò eliciet amorem; quia eliciet amorem impotens ad carendum illo. Vnde nec contradictionis, nec contrarietatis libertatem ad illum habebit. Si autem est compatibilis. Eo ipso erit etiam potentia proxima ad talem carentiam, voluntasque libertatem contradictionis immediatam habebit ad amorem, & omissionem eius iuxta doctrinam stabilitam supra quæst. 5. num. 151. Hinc autem primò sequitur, voluntatem per se immediatè, atque adeò per puram omissionem posse amorem omittere iuxta dicta num. præceden. Secundò sequitur, facilè contingere posse, vt voluntas eliciens amorem potentiam proximam habeat ad omissionem eius sine potentiâ proximâ ad vllum actum positiuum amori oppositum; (quo casu non poterit non esse talis potentia ad puram omissionem, vt constat); eo quòd ad potentiam proximam omittendi, quæ tantùm permissiua

missiua est, in solâque compatibilitate causæ cum omissione consistit, multò minùs requiritur, quàm ad potentiam proximam agendi, quæ influxiua esse debet, virtutemque influxiuam, & alias conditiones ex parte causæ ad producendum actum requirit, vt notum est.

271 Octauò probatur. Quia sæpe elicimus actum minus intensum, cùm possumus intensiorem elicere. Ergo sæpe habemus puram, & liberam omissionem actus intensioris omissi; in quocunque demum consistat ea maior actus intensio. Asserere enim, dari semper in nobis vel actum reflexum de tali omissione, vel alium illam inferentem, effugium est ab experientiâ ipsâ alienum.

272 Nonò probatur à priori. Quia nulla libertas potest dari in voluntate absque libertate contradictionis immediatâ. Sed libertas contradictionis immediata libertas est suopte conceptu ad purè omittendum. Ergo nulla libertas potest dari in voluntate absque libertate ad purè omittendum. Omnia hæc ex dictis, probatisque in præcedentibus constant. Ex eis autem sequitur, de conceptu cuiusuis libertatis esse necessariò, ferre secum potentiam ad purè omittendum, atque ita nullam causam posse vllam libertatem habere, quin simul ad purè omittendum potentiam habeat. Quod est valde notandum. Supposito tamen, quòd pura omissio nuncupetur, quæcunque immediatè est libera voluntati; tametsi interdum quasi per accidens alicui actui secum connexo coexistens sit, iuxta notationem præmissam num. 246.

273 Decimò denique venit probanda propositio. Quia nullum est argumentum sufficiens ad negandum posibilitatem puræ omissionis, de qua tractatur, vt ex solutione eorum, quæ possunt objici constabit. Igitur neutiquam illa neganda est.

274 Objicitur itaque primò. De conceptu actus primi liberi est, quòd sit facultas, siue potestas dominatiua, atque electiua inter extrema, circa quæ versatur eius libertas. Ergo de conceptu actus secundi liberi est, quòd sit electio vnius dictorum extremorum præ alio. Sed pura omissio non potest esse electio sui: quia de conceptu electionis est, quòd sit actus positiuus voluntatis. Ergo pura omissio non potest esse actus secundus liber. Respondeo, electionem bifariam sumi. Primò strictiùs pro actu quo voluntas volendo vnum præ alijs ex obiectis sibi propositis, illud secernere ab alijs, illudve assumere præ alijs, atque ita illud præ alijs eligere dicitur. Secundò latiùs pro quouis actu oriundo à causâ liberâ quoquo modo, cum posset ab eâ non oriri. Nam, sicut voluntas ex obiectis sibi propositis eligere dicitur, quod suâ volitione assumit præ alijs potens non illud, sed aliud velle. Ita causa libera ex actibus, circa quos est libera, eligere dicitur, quem suâ causatione assumit præ alijs potens non illum, sed alium causare. Et hoc secundo, latiorique eligendi modo, quo solo debet esse electiua quælibet causa libera, non minùs dici ea potest eligere puram omissionem, dum eam causat potens non causare, nec minùs ipsa pura omissio, quàm actus positiuus, potest vocari electio sui, seu de se facta à tali causâ. Tametsi causatio puræ omissionis sit permissiua, & causatio actus positiui influxiua, quæ differentia nihil interest ad rem.

275 Secundò objicitur. Repugnat, eligere efficaciter vnum extremum, & simul velle efficaciter extremum contradictorium, vt constat. Sed id non repugnaret, si esset possibilis pura omissio libera: quia purè omittens liberè, sicque eligens efficaciter carentiam actus per ipsammet, posset simul velle efficaciter habere ipsum actum; sicut potest velle efficaciter habere actum, qui aliàs necessitatus est ad carendum illo. Ergo pura omissio libera non est possibilis. Respondeo, qui liberè omittit actum, non posse simul velle efficaciter habere illum: quia talis volitio, vtpote connexa cum actu omisso, mediatè est opposita omissioni, & nequit voluntas amplecti simul efficaciter, & liberè duo extrema opposita: tametsi possit efficaciter velle actum, cuius carentiam aliunde patitur necessariò, conando videlicet illam à se per actum abijcere, vel impedire. Vnde patet, nullam ad rem paritatem esse inter carentiam actus necessariam, & liberam.

276 Tertiò objicitur. Propositis vtrinque intellectui fundamentis sufficientibus ad affirmandum, vel negandum obiectum, nequit anima determinare illum ad vnum eorum extremorum, nisi per positiuum affectum eligentem vnum præ altero; ob id enim requiritur ad fidem pius affectus positiuus. Ergo propositis vtrinque voluntati cognitionibus sufficientibus ad volendum, vel non volendum obiectum, nequit anima determinare illam ad vnum eorum extremorum, nisi per positiuum affectum eligentem vnum præ altero. Ergo per puram omissionem nequit vnquam determinari indifferentia voluntatis. Multifariam peccat hoc argumentum. Primò quidem; quia, si inter intellectum, & voluntatem esset ad rem omnimoda paritas, sicut intellectus ad actum suum positiuum per alium actum imperantem illum debet necessariò determinari: ita voluntas ad suum actum positiuum per alium actum imperantem illum deberet determinari necessariò. Quod tamen plusquàm falsum est, & anemine assertum. Secundò; quia, licèt intellectus ad actum determinari nequeat, nisi per actum; ad omissionem tamen actus benè potest per omissionem actus determinari. Ergo id etiam voluntas poterit multò potiore iure. Tertiò; quia, cùm intellectus non sit potentia libera, quando est indifferens ad extrema diuersa, non à se, sed ab aliâ potentiâ determinabilis est. At voluntas, cùm sit potentia libera, à se ipsâ est determinabilis, quando ad diuersa extrema est indifferens. Vnde inter determinationes liberas intellectus, & voluntatis vnum vt minimùm est inæquitabile discrimen; quòd illæ necessariò debent esse mediatæ, mediatèque subinde oriundæ à libertate alterius potentiæ: hæ verò ordinariè sunt immediatæ, ac proinde immediatè oriundæ à libertate ipsius voluntatis. Quartò; quia, isto semper inteueniente discrimine, determinationes liberæ intellectus, & voluntatis in reliquis pari passu currunt; atque ita paritas ab intellectu desumenda potius stat pro nobis, quàm contra nos. Pone enim primò intellectum indifferentem ad duos actus oppositos, & ad carentiam vtriusque, pariterque voluntatem indifferentem ad duos actus oppositos, & ad carentiam vtriusque. Certè, vt voluntas immediatè potest determinari à se ipsâ, vel ad vnum eorum actuum per ipsum actum, vel ad puram omissionem vtriusque per ipsam omissionem ita intellectus mediatè potest determinari à voluntate vel ad

vnum

vnum eorum actuum per imperium ipsius voluntatis, vel ad carentiam vtriusque per puram omissionem talis imperij. Pone secundò intellectum indifferentem ad vnum solum ex dictis actibus, & eius carentiam, vt est possibile; similiterque voluntatem. Pariterque perspicies: vt voluntas à se immediatè determinari potest vel ad suum actum, vel ad puram carentiam eius; ita intellectum à voluntate mediatè determinari posse vel ad suum actum per voluntatis ipsius imperium, vel per hujus puram carentiam ad carentiam sui actus.

277 Quartò objicitur. Si omissio pura absque electione ipsius positiuâ potest nobis libera esse eo solùm, quòd illam non tollimus, aut impedimus per actum oppositum, cum possemus: sequitur, omnes alios actus quarumlibet facultatum, non solum nostros, sed alienos, quos non tollimus, aut impedimus, cum possemus, nobis liberos esse. Quod videtur absurdum. Respondeo primò, certum esse, omnes actus tam alienos, quàm nostros, quos non impedimus, cum possemus, imputabiles nobis ad culpam, & consequuntur liberos esse, quando obligationem habemus impediendi illos, vti sæpe euenit: quare tunc saltem esse nobis liberam omissionem puram, quando obligationem habemus eam impediendi, indubitabile est. Respondeo secundò, etiam si actus in suâ existentiâ dependentes à libertate alienâ non sint dicendi nobis voluntarij, atque adeò nec liberi eo titulo, quòd potentes impedire illos non impedimus, quando ad impediendum eos obligati non sumus; in quo sunt variæ Auctorum sententiæ, & fermè de modo solo loquendi controuersia est; actus tamen seu positiuos, seu negatiuos à solâ nostrâ libertate dependentes in existentiâ suâ voluntarios nobis, & liberos absolutè dicendos esse, quando potentes eos impedire non impedimus, licèt nullam ad impediendos eos obligationem habeamus. Ratio autem discriminis inter alienos, & nostros actus est; quòd, dum permittimus nostros, interpretatiuè, & moraliter censemur velle, vt illi existant; non verò itidem, dum alienos permittimus. Quo fit, vt, licèt concursus, quem in existentiam nostrorum, eos permittendo, præbemus, permissiuus tantùm, & indirectus formaliter, & physicè sit, interpretatiuè tamen, & moraliter sit influxiuus, & directus: cùm tamen concursus, quem præbemus pariter in existentiam alienorum omnimodis maneat indirectus tantùm, & permissiuus. Vnde fit rursus, vt primus ad rationem voluntarij, & liberi simpliciter dicti sufficiat: secundus verò minimè. Sed de his plura suo loco.

278 Quintò objicitur. Ad negationem non datur potentia. Sed omissio est negatio actus omissi. Ergo ad omissionem non datur potentia, & consequenter neque libertas, quæ in suo conceptu concludit potentiam. Ouiedo, & Carleton citati supra respondent, ad negationem non dari potentiam, quando subiectum per illam denominatum impotens est ad actum oppositum; dari tamen quando est potens. In lapide enim, inquiunt, non datur potentia ad non videndum; quia est impotens videre, aliudque est, lapidem non posse videre, aliud, lapidem posse non videre; quorum primum est verum, secundum falsum. In homine verò datur potentia ad non amandum; quia potens est amare. Et quoniam omissio, de qua agitur, est negatio actus in subiecto potente ad illum, ideo in tali subiecto ad eam & potentia, & libertas datur. Cæterùm Auctores isti aut prorsus falsè, aut malè, & abusiuè loquuntur; nec rem satis explicant. Aliud enim est in subiecto carente actu non dari potentiam causatiuam permissiuè talis carentiæ, seu negationis, quando illud est impotens ad talem actum. Aliud, non dari in illo ad talem carentiam, seu negationem potentiam vllam. Primum est verum. Quia negatio actus solùm est causabilis permissiuè à subiecto suo, quando hoc per positionem actus negati potest eam impedire, iuxta dicta supra quæst. 5. num. 131. Secundum autem falsum est. Quia, præter potentias causatiuas permissiuè, innumeræ aliæ dantur potentiæ aut aliter, aut nullo modo causatiuæ. Quinimo nullus est excogitabilis actus seu positiuus, seu negatiuus cuiusuis generis, cui necessariò non correspondeat sua potentia: indè enim natum illud certissimum, euidentissimumque axioma, *Ab actu ad potentiam necessaria est consequentia*. Itaque, quàm necessariò est verum. Homo amat. Ergo potest amare. Homo non amat. Ergo potest non amare, seu, quod est idem. Homo caret amore. Ergo post carere illo, &c. Tam necessariò est verum. Lapis non videt. Ergo potest non videre, seu, quod est idem. Lapis caret visione. Ergo potest carere illâ. Extrema vniuntur. Ergo possunt vniri. Paries videtur. Ergo potest videri, &c.

Sextò objicitur. Non potest omissio libera esse, nisi voluntas ab obiecto mouearur ad omittendum. Sed voluntas ab obiecto non potest moueri ad omittendum, nisi medio actu positiuo. Ergo omissio non potest esse libera, nisi medio actu positiuo. Quod est, non posse esse liberam omissionem puram. Confirmatur primò. Cùm libertas voluntatis ex duabus inclinationibus oppositis oriundis ab oppositis motiuis constet, nequit se per actum secundum determinare, nisi sequendo vnam, & resistendo alteri, eamque vincendo. Hæc autem munia omissioni, quæ reuerà est nihil, conuenire non possunt: quia nec amicus adiri, nec inimicus superari, vincique potest, nihil agendo. Ergo. Confirmatur secundò. Nullum principium inclinatur, mouetur que ad purum nihil, qualis est pura omissio: quia omnis inclinatio est ad bonum; & purum nihil est expers omnis boni. Ergo voluntas inclinari, mouerique ad puram omissionem non potest; & consequenter neque per eam liberè exerceri. Confirmatur tertiò. Sæpe occurrunt plura motiua ad omittendum opposita inter se, vt quando omissio auditionis missæ proponitur vtilis tum ad ludendum, tum ad rusticandum, tum ad alia quæuis negotia. Sed tunc voluntas nequit moueri ad omittendum ab omnibus motiuis simul: quia non potest intendere simul extrema inter se opposita. Ab vno autem, vel ab aliquibus præ reliquis moueri nequit, nisi medio actu positiuo: quia omissio per se æquè est indifferens ad omnia; nullumque proinde præ alijs potest per se respicere. Ergo, &c. 279

Respondeo ad argumentum, hoc ipso, quòd voluntas est libera ad actum, & eius omissionem, non posse non habere proposita per cognitionem duo motiua, alterum inuitans ad actum, alterum retrahens ab illo, & consequenter inuitans ad omissionem eius. Sicut ergo, quando voluntas se ad actum determinat inducta per præuiam illam inuitationem, omnes fatentur, eam moueri 280

ad

ad talem actum ab eo motiuo, quo inuitabatur ad illum: ita, quando se determinat ad omissionem inducta pariter per præuiam illam inuitationem, nemo iure negare potest, moueri eam ad talem omissionem ab eo motiuo, quo inuitabatur ad illam. Hoc interest discrimen, quòd actus intrinseco, & essentiali respectu connexionis solet respicere motiuum, à quo procedit, prout actu repræsentatum voluntati, sicque illam mouens ad agendum; aliterque proinde existere nequit, quàm, procedendo ab illo. Omissio verò motiuum, à quo procedit, prout actu repræsentatum voluntati, sicque eam mouens ad omittendum, non respicit respectu connexionis: quia negatio, qualis omissio est, cum nullo ente prout existente connectitur, vt aliàs diximus, & satis est notum. Hoc tamen non obstat, quominùs voluntas libera ad actum, & omissionem eius per tale motiuum moueatur ad omissionem de facto, quando de facto omittit; ipsaque omissio procedat, seu causetur de facto à tali motiuo. Quæ quidem causatio in coexistentiâ omissionis cum tali motiuo consistit re ipsâ, seu potiùs in coexistentiâ omissionis cum voluntate prout sic liberâ. Ad primam confirmationem respondeo, voluntatem benè posse suo modo sequi per puram omissionem alteram oppositarum inclinationum, ex quibus constat eius libertas, & alteri resistere, eamque vincere, vt latiùs explicabitur infra quæst. 17. atque adeò, vt ea munia præstando se per actum secundum determinet, non opus esse, quòd talis actus sit positiuus, sed purè negatiuus potest esse. Ad secundam confirmationem respondeo, in negatione entis, qualis est pura omissio, sufficientem bonitatem reperiri posse, vt terminet inclinationem principij, à quo ea est causabilis, vt constat ex vniuersali doctrinâ de bonitate negationum traditâ tom. 1. disput. 15. quæst. 9. propos. 2. Quod & Aduersarij fateri tenentur; cùm dicant, omissionem per volitionem sui esse causabilem à voluntate; quæ velle non potest, nisi bonum.

281 Ad tertiam confirmationem respondeo primò, exemplum pro illâ adductum de omissione auditionis missæ oriundâ à motiuis ludendi, rusticandi, aliaque agendi prout vtili ad illa omnia tanquam ad fines non esse ad rem. Quia nulla omissio causata à fine vt medium vtile ad illum potest esse pura. Eo quòd finis qua talis nullum medium vtile ad se causare potest, nisi interuenientibus tum intentione sui vel efficaci, vel simplici, tum electione formali, & efficaci talis medij, vt inferius suo loco ostendemus. Omissio autem quæuis per electionem formalem electam, atque adeò volitam efficaciter, eo ipso pura non est, vt constat. Vnde patet, malè ad confirmationem propositam responderi ab Arriaga, & Ouiedo vbi supra; tum quia exemplum dictum admittunt, & explicare conantur; tum quia alia dicunt aliena à doctrinâ nostrâ mox exhibendâ, vt apud ipsos videri potest.

282 Respondeo enim secundò, quando plura motiua idonea secundùm se præcisè ad purè omittendum simul occurrunt, seu proponuntur voluntati, illa de facto mouere, concurrereque ad omissionem, quæ talem naturam, talesque circunstantias habent, vt iure censeri debeat voluntas ab illis, & non ab alijs, ad talem omissionem moueri. Nam eo ipso, quòd voluntas, dum purè omittit liberè, interpretatiuè, & moraliter censetur velle, vt existat talis omissio, iuxta doctrinam tactam, atque suppositam num. 277. consequens est, vt in ijs circunstantijs, in quibus id velle censetur, censeatur id velle ex tali, vel talibus motiuis, & non ex alijs. Ea autem, ex quibus solis iure censeri debet, spectatis omnibus, id velle, sunt, & non alia, quæ de facto mouent ad omissionem ipsam reuera. Quando autem motiua, quæ sic de facto mouent, sunt plura, neutiquam possunt ea esse opposita in ordine ad talem motionem; quia mouent per existentiam intentionalem, quam habent in sui cognitione, secundùm quam repugnat oppositas esse, dum sibi mutuò sunt coexistentia, vti sunt, cùm cognoscuntur simul, simulque per sui cognitionem proposita sunt voluntati: quidquid sit de oppositione, vel non oppositione eorum quoad existentiam physicam. Explicemus hæc per exemplum idoneum ad puram omissionem tum actus interni voluntatis, tum externi alterius potentiæ.

Concipiat quis vociferationem sibi possibilem tum laboriosam, tum indecentem respectu 283
sui, tum molestam respectu aliorum duorum, qui præsentes adsunt. En ille quatuor motiua habebit sibi proposita ipsius retractiua de suo à tali vociferatione, inclinantiaque subinde ad omittendum tum illam, tum volitionem efficacem eius: nimirum quatuor malitias, siue incommoda talis vociferationis, totidemque consequenter bonitates, siue commoda omissionis illius. Deinde diuidentes exemplum istud in duos casus; ponamus primò, hominem illum vel habitualiter auersum omni labori, omnique indecentiæ sui, vel actualem circa vtrumque simplicem displicentiam habentem; tum vel habitualiter auersum omni molestiæ eorum, qui adstant, vtpote valde à se dilectorum, vel actualiter displicens de molestiâ eiusmodi simplici displicentiâ. Certè in tali casu homo ille, purè omittens prædictam vociferationem, & volitionem efficacem eius, ab omnibus dictis quatuor motiuis dicendus est re ipsâ moueri ad tales omissiones: quia iure debet censeri ille in tali casu interpretatiuè, & moraliter velle illas ob omnia dicta quatuor incommoda vitanda, oppositaque commoda habenda. Ponamus secundò hominem illum ad omnem laborem suum propensum, auersum tamen ab omni suâ indecentiâ; tum ad omnem molestiam vnius ex illis adstantibus, vtpote inimici, propensum, auersum autem ab omni molestiâ alterius, vtpote amici, idque seu habitualibus, seu actualibus, simplicibusque propensionibus, & auersionibus. Profectò in tali casu iam ille homo non ab omnibus dictis quatuor motiuis, sed à duobus eorum tantùm venit dicendus moueri ad dictas omissiones, vt scilicet vitet indecentiam sui, & amici molestiam; non item, vt vitet suum laborem, molestiamque inimici; quia in tali casu iure debet censeri velle ille interpretatiuè, & moraliter eiusmodi omissiones, non propter vitandum suum laborem, molestiamque inimici, sed tantùm propter vitandam sui indecentiam, & amici molestiam. Porrò motiua, quæ, omnibus circunstantijs spectatis, censentur non mouere voluntatem de facto ad purè omittendum in actu secundo, consequenter censentur etiam neque eam inclinare de facto, inuitareve in actu primo ad talem omissionem; enerutâ videlicet à circunstantijs præsentibus vi inclinatiuâ, quam illa aliàs de suo habent. Si enim de facto inclinarent in actu primo, non possent non mouere

etiam in actu secundo, iuxta doctrinam tradendam infra quæst.12. præsertim num.622. quæ ad rem videnda. Ex quibus omnibus iam apparet, quomodò ad argumentum oppositum num. 279. ad eiusque confirmationem sit respondendum; & quando, qualiterque motiua moueant de facto, concurrantque ad puras, & liberas omissiones.

284 Septimò obijcitur. Si pura omissio libera possibilis esset, pura omissio meritoria possibiles esset. Sed non est possibilis meritoria. Ergo nec libera. Respondeo primò, etiam si ex possibilitate libertatis puræ omissionis benè inferretur possibilitas meriti eius, non ob id talem possibilitatem debere reijci tanquam absurdam. Quandoquidem P. Ripalda disput.70. de Ente supernat. cum alijs tanquam consonum Scripturæ, Sanctis Patribus, & rationi satis probabiliter adstruit, defendirque meritum puræ omissionis liberæ, etiam præmij supernaturalis: præmij autem naturalis posse eam esse meritoriam docet etiam P.Ruiz disput.37.de Prouident.sect.1. Sed, quidquid sit de merito puræ omissionis. Respondeo secundò, cum multo latiùs pateat libertas, quàm meritum, estò pura omissio meritoria esse non possit, nullatenus inde sequi, non posse eam liberam esse, vt expressè tenet S.Tho. & cum eo alij ex citatis à nobis supra num.250.Omitto alia quædam, quæ tam in fauorem puræ omissionis liberæ, quàm contra illam solent afferri: quia minoris momenti sunt, quàm, vt in eis adiungendis oporteat ampliùs immorari.

Hæc propositio est contra Ruiz disput. 42. de Prouiden. sect. 7. asserentem, dum intellectus intelligit, & ratio vigilat, voluntatem teneri ad eligendum ex actibus, quos ibi ipse recenset, vnum, vel alterum, vel alterum sub disiunctione, quamuis ad nullum eorum determinatè necessitata sit, sed singulos seorsim sumptos possit omittere. Stat verò pro nostrâ propositione Quiedo controuer.10. de Animâ punct.2. cum Gasp.Hurt. 1.2.disput.3. de Peccatis difficult.17. Cuius probatio inde sumenda venit; quia ex vnâ parte nullum adest fundamentum sufficiens ad asserendum, voluntatem vel à naturâ, vel aliunde necessitatam esse ad eligendum aliquem actum eorum, quos sigillatim potest liberè eligere: ex aliâ verò parte pleraque argumenta, quibus probauimus, dari posse in voluntate omissionem puram, & liberam singulorum actuum, circa quos immediatè est libera, consequenter probant, dari etiam posse omnium eorum simul: sublatis autem à voluntate per omissionem omnibus actibus, circa quos ea immediatè est libera, nullus in eâ potest remanere actus liber, vt constat. Iam verò fundamenta, quibus Ruiz sententiam suam nostræ propositioni oppositam stabilire conatur, latè refert, & refutat Quiedo vbi supra. Quo circa ab eo labore ego in præsenti abstinendum censui; tum quia sufficienter refutata ibi videri possunt; tum maximè quia ex doctrinâ traditâ à nobis in totâ hac quæstione facillimè possunt ab vnoquoque refutari.

Propositio 3.

285 **Non solum simpliciter, seu physicè, sed etiam moraliter est possibilis pura omissio libera.**

Est dicere, non solùm rarò, & pro breuissimo tempore, sed etiam frequenter, pro temporeque multò longiore potest voluntas suos actus purè, & liberè omittere. Hæc propositio est contra Vazq. Valent. & alios commemoratos num.249. Qui, licèt puram, & liberam omissionem esse physicè possibilem censeant, eatenus tamen censent, eam esse moraliter impossibilem, quatenus putant, vel valde rarò eam posse euenire, vel valde parum, si forte euenerit, posse eam durare. Ego verò datæ propositioni assentior; tum quia ad oppositum sentiendum nullum video fundamentum idoneum; tum maximè quia sermo mihi est in præsenti disput. de Voluntate liberâ in genere. Atque ita, estò doctrina propositionis iure reputanda esset falsa circa voluntatem nostram pro statu præsenti; circa voluntatem tamen Angelorum, & Beatorum haud dubiè est reputanda vera; atque etiam circa Dei voluntatem, si Deus potest purè, & liberè omittere, vt ego opinor, & probabo suo loco.

Propositio 4.

286 **Quando voluntas ad plures actus sigillatim libera est, non solùm singulos eorum seorsim, sed etiam integram ipsorum collectionem potest purè, & liberè omittere.**

Propositio 5.

Pura, & libera omissio actus potentiæ à voluntate diuersæ, & ipsi voluntati subditæ possibilis est. 287

Hæc propositio videtur esse contra Vazq. 1.2.disput.92. cap.2. & alios aut asserentes, aut supponentes, omissionem actus externi potentiæ subditæ voluntati semper procedere tanquam à causâ ab aliquo alio actu externo incompatibili cum actu omissio, e. g. omissionem auditionis missæ ab actu scribendi, ludendi, cubandi, alibi existendi, &c. Omissio quippe libera actus externi, vt pura sit, non mediâ vllâ causâ positiuâ, sed mediâ dumtaxat omissione puræ actus voluntatis interni debet à voluntate ipsâ causari, iuxta definitionem puræ omissionis suppositam in principio quæstionis. Stant verò haud dubiè pro nostrâ propositione communiter cæteri, qui vniuersaliter pronunciant, omissionem puram, & liberam esse possibilem; tametsi speciatim, & expressè non agant de omissione puræ actuum aliarum potentiarum à voluntate.

288 Probatur autem propositio primò circa intellectum, quatenus ille voluntati subiectus est. Quando enim intellectus ad iudicandum de obiecto proposito pro vtraque parte contradictionis habet fundamenta tantùm probabilia, siue ad iudicium tantùm probabile inclinantia, imperio voluntatis eget, vt alteram præ alterâ iudicet. Quod imperium si voluntas per omissionem puram circa vtramque partem suspendat, vt liberè potest, duas quoque omissiones puras habebit circa vtramque intellectus duorum iudiciorum; quin sit in eo vllus alius actus vllius illorum impeditiuus, siue cum illo incompatibi-

tibilis, vt est manifestum.

289 Secundò probatur circa potentiam loco motiuam, ad quam reducuntur omnes actus externi nostri voluntati nostræ subiecti. Nam, estò nullius actus talis potentiæ detur omissio, quæ non sit de facto coexistens alteri actui incompatibili cum actu omissio, & consequenter connexo cum ipsâ omissione; hæc tamen sæpe non causatur per talem actum, nec libertatem ab eo participat, qua libera est, sed ab aliquâ purâ omissione actus interni voluntatis causanda venit, ab eiusque libertate immediatâ euadit libera mediatè. Quod satis est, vt ea pura etiam omissio actus externi dici possit, & debeat iuxta notationem præmissam supra num. 246. Aut certè saltem satis est, vt falsa sit sententia Vasq. & aliorum dicentium vniuersè, omissionem actus externi semper causari per alium actum cum actu omisso incompatibilem. Iam verò, omissionem actus externi sæpe non causari per alium actum externum, neque ab eo libertatem participare, facilè ostenditur per exemplum. Facilè quippe euenire potest, sæpeque eueniet, vt homo sedens, postquam sessionem inchoauit, omnem actum voluntatis circa illam suspendat, (quia nullus, vt ea conseruetur, necessarius est), cogitansque de ambulatione sibi possibili, volitionem efficacem ambulandi per puram omissionem simul omittat. Quo casu omissio ambulationis ab omissione volitionis de se efficacis causabitur, & euadet libera; non à sessione incompatibili cum ipsâ ambulatione. Quæ sessio vel non erit libera, si homo pro tunc nihil de illâ cogitat, vel, si sit libera, ab ipsâ omissione ambulationis participabit libertatem: (tantum ab est, vt omissioni ambulationis sessio libertatem communicet). Nam in casu posito sessio eatenus tantùm potest homini libera esse, quatenus liberè eam non impedit, seu non tollit per ambulationem, cùm posset. Est enim in casu posito sessionis conseruatio euentus non aliunde sequutus liberè, quàm ex omissione liberâ ambulationis. Pariterque passim continget citra dubium in similibus casibus.

290 Vnde tandem colligendum venit, quomodò etiam dari possint omissiones, seu potius negationes puræ, & liberæ actuum aliarum causarum, ab illâ, respectu cuius liberæ sunt. Ex omissione siquidem purâ, & liberâ actus potentiæ meæ locomotiuæ procedere potest negatio motus lapidis, quem ego per talem actum causare possem, lapidem aliò proijciendo. Similiter ex omissione purâ, & liberâ alterius actus potentiæ meæ locomotiuæ procedere potest negatio combustionis domus, quam causare ego possem, applicando ipsi domui ignem per talem actum. Similiter rursus ex omissione purâ, & liberâ exhortationis, qua possem ego exhortare Petrum ad eleemosynam faciendam, negatio eleemosynæ faciendæ à Petro potest enasci. Quæ quidem negationes actuum aliarum causarum tunc saltem forent mihi liberæ, & imputabiles iuxta doctrinam tactam supra num. 277. quando obligationem haberem eas impediendi, causando actus eis oppositos per actus meos; scilicet quando obligationem haberem proijciendi lapidem aliò, applicandi ignem domui ad eam comburendam, & exhortandi Petrum ad dandam eleemosynam. Quibus in casibus eiusmodi negationes non solùm liberæ, sed puræ etiam essent; quia à solis omissionibus puris, & liberis meorum actuum liberè causarentur.

QVAESTIO VIII.

Quænam necessitas opponatur libertati actus primi.

PRo exactâ resolutione suppono primò ex dictis in Pharo Scient. disp. 11. quæst. 4. necessarium dici posse vniuersè id, quod ad quemuis actum necessitatum, atque adeò ad actum contradictorium impotens est. Ad actum autem id est necessitatum, quod cum eo est connexum. Vnde necessitas aliud non est à connexione, qua quoduis ens cum quouis actu connexum est. Ex hac autem connexione, in qua stat necessitatis essentia, nascitur vt eius proprietas in ente necessitato ad vnum actum impotentia ad actum contradictorium, eò scilicet, quòd connexum cum vno ex extremis contradictionis eo ipso est alteri oppositum, atque adeò impotens, vt coniungatur cum illo iuxta doctrinam demonstratam in eâdem Pharo disp. 14. quæst. 4. Cæterùm iuxta frequentiorem loquendi vsum solum ens connexum cum actu existendi, impotensque subinde ad non existendum, aut etiam ens connexum cum actu essendi id, quod est, solet vocari necessarium; ens verò connexum cum quouis alio actu necessitatum potiùs ad illum dici solet communiter. 291

Suppono secundò, in præsenti solùm esse sermonem de necessitate, connexioneque metaphysicâ, qua ita simpliciter ens necessitatur ad actum, vt implicet contradictionem sine illo esse. Ex dicendis enim circa illam facile erit vnicuique colligere, quid ad rem de necessitate physicâ, deque morali veniat dicendum, suppositâ diuisione notissimâ necessitatis, ac connexionis in metaphysicam, physicam, & moralem. Dequa nos in Pharo Scient. disp. 11. q. 4. & disp. 14. q. 2. sæpeque aliàs. 292

Suppono tertiò celebrem diuisionem necessitatis in antecedentem, & consequentem. Necessitas antecedens est, quæ antecedit actum, ad quem est necessitas, vtpote conueniens enti, quod antecedens, siue prius ipso actu est. Necessitas autem consequens, quæ actum, ad quem necessitas est, consequitur, vtpote conueniens enti, quod consequens, siue posterius est ipso actu. Deest tamen huic diuisioni, quò adæquata sit, tertium membrum necessitatis comitantis, seu simultaneæ, conuenientis scilicet enti, quod cum actu, ad quem illa est necessitas, simul est in eâ serie, intra quam comparantur. Ex pertinentibus siquidem ad quamlibet seriem prioris, & posterioris quædam vt priora, & posteriora, quædam verò vt simultanea se habent intra illam. Quamuis autem necessitas ad quemuis actum orta ex suppositione ipsius actus simultanea videbatur dicenda; quatenus nihil magis simultaneum cuilibet enti, quàm ipsum sibi: quia tamen communis vsus inualuit, vt dicatur consequens, sic & nos eam appellabimus, cum de eâ occurrerit sermo. Iam verò, quoniam variæ sunt series prioris, & posterioris, vt scientificè, vniuersaliterque resoluatur hæc quæstio, eas in præsentiâ distinguere, commemorareque opus est. 293

Pro quo quartò supponenda hìc, recogno- 294

scendaque est à Lectore tota doctrina de ordinatione entium tradita à nobis in Pharo Scient. disp. 15. Circa quam semel suppositam, atque recognitam modò sat fuerit adnotare, ad præsens propositum solùm facere ordinationem entium secundùm seriem prioris, & posterioris prioritate, ac posterioritate absoluta. Penes quam alia sunt ordinata suapte natura, & essentiâ, quæ propterea priora, aut posteriora dicuntur prioritate, aut posterioritate naturæ; similiterque simultanea. Alia sunt ordinata dumtaxat ex accidente, quæ tantùm accidentarie propterea priora, vel simultanea dicenda veniunt. Ordinatorum autem penes prioritatem, posterioritatemque absolutam siue suapte naturâ, & essentiâ, siue tantùm ex accidente quatuor sunt species. Nimirum durationis, originis, connexionis, & dignitatis. Ex quibus quarta prætermissa, quæ ad rem non facit, supersunt aliæ tres ad propositum vnà cum mixtionibus, quæ ex ijs possunt fieri, quarum combinationem omittimus, ne multitudo terminorum aliquam pariat confusionem: sufficiet enim, siqua earum occurrerit, illam tunc explicare.

295 Suppono quintò, priora, vel posteriora alijs in qualibet dictarum serierum alia immediatè, siue proximè, alia mediatè, siue remotè talia esse. Componuntur enim istæ series ex gradibus, quorum vnicuique vnus tantùm, seu prior, seu posterior, illo est immediatus, siue proximus; multi verò mediati, siue remoti, sed inæqualiter, penes maiorem scilicet, vel minorem numerum eorum, qui intermedij sunt. Hinc sequitur, necessitatem antecedentem penes aliquam dictarum serierum, aut immediatâ, aut mediatâ antecedentiâ, seu prioritate posse esse talem. Pariterque necessitatem consequentem aut immediatâ, aut mediatâ consequentia, seu posterioritate.

296 Suppono sextò, necessitatem antecedentem antecedentiâ, seu prioritate naturæ spectante ad seriem connexionis impossibilem esse. Quia solùm antecedit alterum in hac serie, quod terminans connexionem eius, cum eo tamen vicissim connexum non est: & nequit habere necessitatem ad alterum, quod cum illo non est connexum, vt constat ex dictis. Possibilis tamen est necessitas tum consequens, tum comitans naturâ suâ ad hanc seriem pertinens. Quia connexum cum altero, atque adeò necessitatum ad illud, si connexio non mutua sit, illo posterius erit, si autem mutua cum illo erit simultaneum.

297 Suppono septimò, necessitatem antecedentem, & consequentem prioritate, & posterioritate naturæ in serie durationis præcisè vt tali locum non habere, sicut neque necessitatem comitantem. Nam durationes rerum ex conceptu durationis præcisè non habent inter se connexionem. Quia tamen earum aliquæ, quatenus tales talium subiectorum sunt durationes, illam habere possunt, quæcunque cum aliâ connexa fuerit, necessitatem habebit ad illam, aut comitantem, aut consequentem spectantem ad seriem connexionis iuxta dicta num. præced. aut antecedentem spectantem ad seriem originis, si ad illam causandam etiam concurrat, vt fieri potest, sæpeque fit.

298 Suppono octauò, necessitatem antecedentem prioritate naturæ dumtaxat esse possibilem intra seriem originis. Quia non est possibilis intra series aut connexionis, aut durationis quatenus tales, vt suppositione sextâ, septimâque statutum est: solaque restat series originis, intra quam esse illa possit, prout constat ex dictis. Id autem, quod naturâ suâ necessitatem antecedentem habet ad aliud pertinentem ad seriem originis, aliam necessitatem ad illud, aut consequentem, aut comitantem ad alias series pertinentem naturâ etiam suâ habere non potest. Quia, vt ostendimus disp. 15. Phari citatâ quæst. 2. & 4. prioritas naturæ pertinens ad seriem originis semper omnino præualet, naturæque posterioritates, & comitantias ad alias series pertinentes prorsus excludit, siue absorbet.

Suppono nonò, aliter de necessitate antece- 299
dente antecedentiâ, seu prioritate ex accidente philosophandum esse. Nam hæc non solum intra seriem originis, sed etiam intra alias duas possibilis est. Cùm enim, vt disputatione illâ 15. Phari quæst. 7. proposit. 7. & 8. monstrauimus, quod altero est posterius naturâ, eodem prius ex accidente, & vice versâ possit esse tum in eâdem serie, tum in diuersis; nihil prohibet, necessitatem consequentem, siue posteriorem naturâ antecedentem, siue priorem ex accidente esse respectu eiusdem tum in eâdem serie, eiusdemve nomenclaturæ, tum in diuersis. Recole scripta loco citato, vbi inuenies exempla.

Suppono decimò, causam necessitatam ad 300
negationem actus alioquin contingentem, licèt nec influxiuè, nec permissiuè causet illam, concurrere tamen ad existentiam eius impeditiuè, quatenus impotentiâ, quam habet ad actum, impedimentum est de facto excludens actum ipsum iuxta doctrinam, quam statuimus supra quæst. 5. num. 131. Vnde causa necessitata ad negationem actus quatenus talis prior naturâ est negatione ipsâ prioritate originis, seu causalitatis.

Suppono vndecimò vt prorsus certum, 301
aliquam esse necessitatem oppositam libertati actus primi. Quoniam libertas actus primi non aliter, quam per necessitatem sibi oppositam excluditur, seu impeditur; quæ subinde necessitas etiam actus primi venit dicenda. Opponuntur autem huiusmodi libertas, atque necessitas omnino citra medium: quia impossibile omnino est, vt causa, aliàs de suo libera, non sit vel proximè libera in actu primo ad vtrumque sinum actum secundum contradictorium, vel proximè necessitata in actu primo ad illorum alterutrum, vt manifestum est. Vnde rursus fit manifestum, oppositionem istam necessitatis, & libertatis actus primi aut esse contradictoriam, aut certè mixtam, siue compositam ex contradictoria, & ex contraria citra medium. Cùm enim libertas actus primi (contradictionis scilicet, de qua tractamus) consistat in duabus potentijs proximis causæ, alterâ ad actum positiuum, alterâ ad negatiuum contradictorium, vt ex sæpe repetitis in præcedentibus est notissimum; necessitas autem illi opposita iuxta dicta supra num. 291. consistat in vnicâ potentiâ proximâ ad vnum tantùm ex dictis duobus actibus contradictorijs connexa cum illo, atque adeò ferente secum negationem potentiæ proximæ ad alterum: consequitur planè, eiusmodi necessitatem, ac libertatem & esse contradictoriè oppositas, quatenus prima importat negationem vnius ex constitutiuis secundæ, & esse etiam contrariè oppositas, quatenus potentia connexa cum vno ex actibus contradictorijs, quam dicit prima, contraria est potentiæ indifferenti ad vtrumque, quam dicit secunda.

Sup-

302 Suppono duodecimò etiam vt prorsus certum, aliquas esse necessitates non oppositas libertati actus primi. Talis enim est necessitas, quam habet actus secundus ad existendum ex suppositione, quòd existit; necnon quæuis alia necessitas ex eâdem suppositione dependens in existentiâ suâ; & vniuersim omnis necessitas, quæ in suâ existentiâ ab exercitio libertatis, hoc est, ab actu secundo prout liberè exercito dependens quoquo modo est. Compertum est enim non posse esse libertatis exclusiuam, atque adeò nec ei oppositam eam necessitatem, quæ à libertate ipsâ est dependens in existentiâ suâ. Sequitur iam, vt sigillatim determinemus, quæ necessitas sit opposita libertati actus primi, & quæ non item.

Propositio 1.

303 **Necessitas antecedens actum antecedentiâ naturæ immediatâ, siue proximâ in serie originis, siue causalitatis libertati causæ talis actus ad actum ipsum opposita est, ipsamque penitus excludit.**

Hanc propositionem imprimis probatam habes apud nostrum Didac. Ruiz tom. de Scient. disp. 33. multis, illustribusque testimonijs Philosophorum, sanctorum Patrum, ac Theologorum tum antiquiorum, tum recentium. Quorum plerique, licèt indistinctè loquantur de necessitate antecedente, de eâ omino intelligendi sunt, de qua agit propositio. Necessitas quippe antecedens, de qua loquuntur, ea est, vt constat ex eorum loquendi modis, quæ inducitur per aliquid ita præueniens libertatem causæ liberæ, vt nullatenus ab eius arbitrio, ab alioquo ve exercitio libero eius dependens sit in existentiâ suâ; qualis sola est necessitas antecedens actum secundum, ad quem necessitat, antecedentiâ naturæ immediatâ in serie originis, seu causalitatis, vt apparebit ex dicendis. Omissis ergo testimonijs prædictis; quæ hìc non oportet repetere; quia loco citato videri possunt; à ratione probanda à nobis est propositio.

304 Probatur autem primò. Quia nequit non esse aliqua necessitas libertati actus primi opposita, ipsamque excludens, vt tanquam prorsus certum statuimus num. 301. Nulla autem inter omnes necessitates est aptior ad eam oppositionem habendam, vt satis ex se apparet, quàm necessitas antecedens immediata, de qua sermo est, vtpote quæ ex parte actus primi, siue potentiæ proximæ causæ se habet, vbi libertas futura erat.

305 Secundò distinctiùs, & clariùs. Quia, vt constat ex dictis ibidem, necessitas libertati opposita ea est, quæ excludit potentiam proximam causæ ad alterum ex suis duobus actibus contradictorijs, per quam libertas causæ ad vtrumque constituenda erat. Potentia autem proxima causæ ad alterum ex suis duobus actibus contradictorijs non per aliud excluditur, quam per potentiam proximam ipsius causæ ad residuum connexam cum illo, atque adeò necessitantem ad illum, vt est notissimum. Ergo necessitas, quam secum fert talis potentia, est ea, quæ opponitur libertati. At ipsamet est necessitas, de qua agimus, vt ex se patet. Ergo.

306 Tertiò probatur. Quia, vt multis monstrauimus quæst. 5. propos. 11. connexum cum actu constituensque intrinsecè potentiam proximam causæ ad actum omnino tollit libertatem, necessitatque subinde causam ad talem actum. Sed necessitas, quam à se indistinctam secum fert id, quod constituit intrinsecè potentiam proximam causæ ad actum, necessitas est antecedens actum antecedentiâ naturæ immediatâ in serie originis, de qua tractamus, vt est notum. Igitur necessitas ista libertati opposita est, ipsamque penitus excludit. Recognosce argumenta omnia, quibus probanimus eam propos. 11. quorum pleraque ad præsentem etiam probandam facilè poteris applicare.

In qua quidem, sicut & in illâ, sermo est de 307
necessitate inductâ per omne omnino, quod constituit intrinsecè potentiam proximam, à qua de facto procedit actus, & cum actu ipso connexum est, siue illud sit requisitum ad existentiam actus, eo quòd actus ab aliâ potentiâ proximâ, præterquàm à constitutâ per illud, causari non potest: siue non sit requisitum; quia, eo sublato, ab aliâ potentiâ proximâ, quæ supereſſet, posset actus causari. Tum, siue illud sit connexum cum actu connexione immediatâ, seu proxima: siue sit connexum cum actu connexione mediatâ, seu remotâ, quatenus connexum est cum alio quopiam connexo cum actu; idque siue inter ipsum, & actum in serie connexionis vnus tantùm gradus sit intermedius, siue sint plures in quouis numero. In istis enim omnibus casibus connexum cum actu, includumque in potentiâ proximâ, à qua nascitur actus, necessitatam reddit ad actum ipsam potentiam proximam necessitate antecedente libertati oppositâ, de qua sermo est in præsenti, vt ex dictis tum hìc, tum circa illam propos. 11. satis, superque notum est.

Propositio 2.

Necessitas antecedens actum antecedentiâ naturæ mediatâ tantùm, siue remota in serie originis; seu causalitatis, vtpote orta ab aliquo principio remoto actus cum ipso actu connexo, & non requisito ad potentiam proximam eius, nullatenus opposita est libertati causæ immediatæ talis actus ad actum ipsum; nullatenusque proinde talem libertatem excludit. 308

Hæc propositio planè sequitur ex doctrinâ supra statutâ, & latè probatâ quæst. 5. propos. 12. Ex eâ enim manifestè, vniuersaliterque deduximus num. 186. principium remotum actus cum actu ipso connexum, & ad potentiam proximam actus non requisitum nullatenus libertati causæ proximæ talis actus ad actum ipsum aduersari. Quod ipsum est, necessitatem antecedentem mediatè, quam inducit tale principium, nullatenus tali libertati oppositam esse. Debet autem talè principium ad potentiam proximam actus requisitum non esse, vt indemnis maneat talis libertas: quia, si ad potentiam proximam actus requisitum sit, cum illo connexa erit talis potentia, & consequenter medio illo connexa quoque erit cum ipso actu connexione mediatâ; sicque iam non solùm dabitur necessitas antecedens actum mediatè inducta per dictum principium, sed etiam necessitas antecedens actum immediatè inducta per potentiam ipsius actus. Ex quibus duabus necessitatibus licèt prima per se præcisè non opponatur libertati, secunda tamen opponitur

per

per doctrinam propoſit. 1. iuxta ea, quæ dicebamus num. 307,

309 Vnde manifeſtè colligitur, non omnem neceſſitatem antecedentem antecedentiâ, ſeu prioritate naturæ oppoſitam eſſe libertati, ſed eam tantùm, quæ immediatè antecedit actum. In quo forſaſſe multi falluntur ducti communi, vulgarique modo loquendi quoad punctum hoc ſine diſtinctione. De quo plura dicenda venient infra quæſt. 19.

Propoſitio 3.

310 **Præter neceſſitatem naturâ antecedentem actum, de qua propoſit. 1. nulla alia neceſſitas ſiue antecedens, ſiue comitans, ſiue conſequens naturâ actum in quauis ſerie ſeu originis, ſeu connexionis, ſeu durationis oppoſita eſt libertati cauſæ talis actus ad actum ipſum.**

Hæc propoſitio manifeſtè ſequitur ex doctrinâ ſtabilitâ ſupra quæſt. 5. propoſit. 11. & 12. Nam, vt inferebamus ibi num. 185. ſolùm, quod conſtituit intrinſecè potentiam proximam cauſæ ad actum, & cum ipſo actu connexum eſt, connexamque ſubinde reddit cum illo potentiam, quam conſtituit, poteſt per ſe formaliter impedire, ſeu tollere libertatem ad talem actum, & conſequenter inducere neceſſitatem oppoſitam tali libertati; cætera verò, quæ extra conceptum realem talis potentiæ ſunt, neutiquam poſſunt per ſe formaliter officere libertati ad actum, quantumuis ſint cum actu connexa, aliquamque proinde neceſſitatem ad actum ipſum inducentia. Sed id ſolùm, quod conſtituit intrinſecè potentiam proximam cauſæ ad actum, & cum actu ipſo connexum eſt, connexamque ſubinde reddit cum illo potentiam, quam conſtituit, poteſt per ſe formaliter inducere neceſſitatem antecedentem actum antecedentiâ naturæ proximâ in ſerie originis, de qua prop. 1, quia iſta neceſſitas aliud non eſt reuerâ ab ipsâ potentiâ proximâ cauſæ ad actum connexâ cum actu, atque adeò neceſſitatâ ad ipſum, vt ex ſe, & ex dictis eſt manifeſtum. Ergo ſola neceſſitas, de qua propoſit. 1. nulla verò alia eſt oppoſita libertati cauſæ actus ad actum ipſum. Quod erat probandum.

311 Hactenus de neceſſitate ad actum inductâ per aliquid, quod intra ſeries originis, connexionis, & durationis cum illo comparabile ſit tanquàm prius, aut poſterius, aut ſimultaneum ſuapte naturâ. Agamus iam de neceſſitate ad actum inductâ per aliquid, quod intra eaſdem ſeries ſit comparabile cum illo tanquàm prius, aut poſterius, aut ſimultaneum ex accidente iuxta ſuperiùs dicta.

Propoſitio 4.

312 **Si detur neceſſitas antecedens actum antecedentiâ ex accidente immediatâ, ſiue proximâ in ſerie originis, libertati cauſæ ad talem actum oppoſita erit, atque adeò ipſius excluſiua.**

Pono hanc propoſitionem conditionatam: quia de poſſibilitate conditionis non opus eſt in præſentiarùm decernere; tametſi ego cenſeam eam eſſe poſſibilem. Poſſibile quippe haud dubie videtur, vt voluntas aliqua per iudicium infallibile de exiſtentiâ alicuius entis connexi cum aliquo ſuo actu ad ipſum actum eliciendum moueatur. Quo caſu tale ens (quemcunque demum habeat naturæ ordinem ſecundùm ſuum *eſſe* phyſicum cum tali actu aut prioris, aut poſterioris, aut ſimultanei) ex accidente erit prius tali actu in ſerie originis prioritate immediatâ ſecundùm *eſſe* intentionale, ſeu obiectiuum, quod ex accidente habebit in dicto iudicio, quatenus prout obiectiuè exiſtens in illo, obiectiuè, in eoque genere immediatè concurrit ad elicientiam ipſius actus. Cùmque iudicium, titulo ſuæ infallibilitatis connexum cum ente connexo cum actu, mediatè ſubinde cum actu ipſo connexum ſit, atque adeò inducens neceſſitatem ad illum; ens participans *eſſe* intentionale à tali iudicio, & connexionem cum actu participabit; ſicque non ſolum ſecundùm *eſſe* phyſicum, ſed etiam ſecundùm *eſſe* intentionale cum actu connexum, inducenſque ſubinde neceſſitatem ad ipſum erit. Igitur neceſſitatem ad actum inductam per tale ens ſecundùm *eſſe* intentionale, quod habet in tali iudicio, (quæ reuerâ, & phyſicè alia non eſt à neceſſitate ad actum inducta per ipſum iudicium), libertati cauſæ ad talem actum oppoſitam eſſe, atque adeò ipſius excluſiuam, id eſt, quod per propoſitionem datam aſſeritur: quia ea eſt neceſſitas antecedens actum antecedentia ex accidente immediatâ in ſerie originis.

Talem autem neceſſitatem ad actum liber- 313
tati cauſæ ad ipſum actum oppoſitam eſſe, ex dictis, ſuppoſitiſque circa propoſit. 1. eſt manifeſtum: quia, vt conſtat ex caſus propoſiti conſtructione, eſt neceſſitas inducta per aliquid connexum cum actu, conſtituenſque intrinſecè potentiam proximam ad actum, de qua eſſe oppoſitam libertati ad actum, ibi monſtratum eſt.

Propoſitio 5.

Si detur neceſſitas antecedens actum 314
antecedentiâ ex accidente mediatâ tantùm, ſiue remotâ in ſerie originis, ea libertati cauſæ ad actum non erit oppoſita, atque adeò neque ipſius excluſiua.

Vt, ſi Deus ex præuiſione alicuius entis connexi cum actu voluntatis moueatur ad præbendam voluntati eam potentiam proximam ad talem actum, cuius nullum conſtitutiuum intrinſecum cum actu ipſo connexum ſit vel immediatè, vel mediatè. In tali enim caſu dictum ens ſecundùm *eſſe* intentionale, quod habet in cognitione diuinâ, neceſſitatem inducet antecedentem dictum actum antecedentiâ ex accidente mediatâ tantùm, ſiue remota in ſerie originis, vt ex dictis circa caſum præcedentis propoſitionis ſatis, ſuperque notum eſt. Igitur eiuſmodi neceſſitatem libertati voluntatis ad talem actum non eſſe oppoſitam, atque adeò nec ipſius excluſiuam, per doctrinam ſtatutam circa propoſit. 2. conſtat, vtpote qua vniuerſaliter oſtenſum eſt, principium remotum actus cum actu ipſo connexum, & ad potentiam proximam actus non requiſitum, atque adeò relinquens illam omnino inconnexam cum actu ipſo, libertati cauſæ proximæ

ximæ talis actus ad actum ipsum non aduersari.

Propositio 6.

315 Præter necessitatem ex accidente antecedentem actum, de qua propos. 4, nulla alia necessitas siue antecedens, siue comitans, siue consequens ex accidente actum in quauis serie seu originis, seu connexionis, seu durationis opposita est libertati causæ talis actus ad actum ipsum.

Quia sola illa inducitur per aliquid constituens intrinsecè potentiam proximam ad actum; prout opus est, vt sit necessitas opposita libertati ad actum iuxta doctrinam statutam circa propos. 3. sæpeque alias repetitam.

316 Adnotare tamen oportet ad extremum huius quæstionis; tametsi necessitas antecedens actum in serie durationis siue antecedentia naturæ, siue antecedentia ex accidente sub statutis propositionibus comprehendatur; constetque proinde per earum doctrinam, nullatenus illam esse oppositam libertati ad actum, quando potentiam proximam ad talem actum relinquit inconnexam cum illo, vti plerunque fit; specialem nihilominùs difficultatem esse in explicando, quo pacto talis necessitas libertati ad actum non aduersetur. Quia tamen difficultatem istam speciatim versant Auctores circa necessitatem, quam inducit præscientia Dei ab æterno existens ad actum in tempore futurum, quem habet pro obiecto, quando de concordia talis præscientiæ cum libertate creatâ agunt: ideò & nos illam remittimus tractandam ad Tract. de Prouid. Vbi de dictâ concordia agendum nobis est.

QVAESTIO IX.

Vtrùm omnis causa secunda titulo talis egeat per præuium aliquem Dei concursum præmoueri, siue prædeterminari ad causandum.

317 PRopter ea, quæ in sequentibus tractanda sunt, quæstionem hanc præmittere, & huc inferre, opus fuit. In qua suppono primò cum communi Doctorum, causam secundam effectiuam (de qua nobis est sermo) non solùm in esse, & conseruari, sed etiam in operari, siue agere ita pendere à Deo, vt nullum omnino effectum ea possit efficere, quin Deus cum eâ immediatè, simulque concurrat ad eundem effectum efficiendum. Quod adeò certum est, vt sententia opposita reijciens tamquam non necessarium à causis creatis concursum simultaneum Dei à multis appellaretur hæretica tempore Alberti Magni, vt ipse testatur in 2. distinct. 35. art. 7. Eamque S. Thomas in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. proximam esse censet duobus erroribus, alteri ponenti duo prima Principia rerum, alteri neganti, esse Deum causam omnium vniuersalem: & rursus lib. 3. contra gent. cap. 89. tanquam euidenter Scripturæ aduersantem condemnat in Origene. Eademque fuit sententia Pelagianorum, teste Hieronymo lib. 1. aduersus Pelagianos, & in epistolâ ad Ctesiphontem, ob quam illos impios, & sacrilegos ibi nominat, vt notauit Bellarm. lib. 4. de Gratiâ, & liber. arbitr. cap. 4. Quam nihilominùs sententiam amplexus est postea Durandus in 2. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. grauiter ob id notatus ab alijs Scholasticis communiter. Bellarm. enim loco citato sententiam eius vocat errorem. Erroneamque eam censeri à plurimis testatur Molina in Concord. quæst. 14. art. 13. disp. 25. & 1. p. quæst. 14. art. 13. disp. 5. censens ipse, vt minimùm esse falsam, & minùs tutam. Vasq. autem 1. 2. disp. 129. cap. 3. ait, Durandi sententiam erroris nomine ab omnibus Scholasticis iam diu censeri. Soar. verò disp. 22. Metaph. sect. 1. num. 7. *Primùm itaque*, inquit, *dicimus, tam esse certum, Deum influere immediatè, & per se in omnem actionem creaturæ, vt id negare, erroneum sit in fide.* Et in Opusc. lib. 1. de concursu Dei cap. 4. ait. *Principiò statuimus vt certum, voluntatem nostram pendere à Deo non solùm in fieri, & conseruari, vt aiunt, sed etiam in omni actione suâ. In qua re ab omnibus probatis Theologis non solùm reprehenditur, sed etiam vt error in fide reijcitur sententia Durandi.* Similiaque habet tom. 2. de Grat. lib. 3. cap. 25. Et alij similiter censent de dictâ sententiâ. Vnde mirum videtur, quòd illam nouissimè suscitare, defendereque conatus sit Ludouicus à Dola in suâ Disputatione quadripartita. Contra quem latè agens potest videri Ouiedo contr. 10. Physic. punct. 1. §. 4.

Et quidem veritas suppositionis nostræ satis, superque exprimitur in sacrâ Scripturâ iuxta communem intelligentiam Patrum, & Theologorum, dum dicitur Isaiæ 26. *Omnia enim opera nostra operatus es nobis.* Ioan. 5. *Pater meus vsque modò operatur, & ego operor.* Actor. 17. *In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus.* 1. ad Corinth. 12. *Deus operatur omnia in omnibus.* Matth. 6. *Si autem fœnum agri Deus sic vestit.* Psal. 146. *Qui producit in montibus fœnum.* 1. ad Corint. 15. *Et quod seminas non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum, vt puta tritici; Deus autem dat illi corpus, sicut vult, & vnicuique seminum proprium corpus.* Sæpeque alibi similiter. Nec valet, quod respondebat Pelagius, teste August. in lib. de Gratia Christi cap. 5. Et postea Durandus vbi supra, Deum scilicet dici omnia operari; quia virtutes operatiuas rebus attribuit, non verò quia simul cum illis ad effectus immediatè concurrit. Id namque tanquam à sensu Scripturæ alienum refutat ipse August. epist. 146. vbi quæst. 2. dicit. *Quomodò negare poterimus, Deum etiam nunc operari cuncta, quæ fiunt; cùm Dominus dicat, Pater meus vsque modò operatur.* Refutant & alij Patres communiter, à quibus quoad sacræ Scripturæ intelligentiam recedere non licet. Videantur Hieron. vbi supra. Chrysost. homil. 5. in Genes. Anselm. lib. de Concordia cap. 1. Gregor. lib. 16. Moral. cap. 18. Prosper. sent. 281. Rursusque August. lib. 4. de Genes. ad litter. cap. 12. & lib. 5. cap. 20. & seqq. & lib. 9. cap. 15. & lib. 3. de Trinit. cap. 4. & lib. 22. de Ciuit. cap. 24. Ac demum reliqui Patres, vbicunque agunt de Prouidentiâ Dei. 318

Rationibus item varijs probari solet eadem veritas, quarum nonnullis, vtpotè minus efficacibus, prætermissis, ego eam probo. Primò; 319

quia

quia vt tom. 1. huius Operis disp. 1. num. 146. dicebam, causa adæquata effectiua dans adæquatè esse effectui totam perfectionem, quam illi dat, debet in se præcontinere tali eminentiâ, vt tam perfecta sit se solâ, quàm simul cum effectu producto: alioquin daret, quod non haberet; & ditaretur donatione; fieretque, vt Vniuersitas rerum per bonum necunde asportatum, sed veluti ex nihilo pullulans ditior euaderet. Quæ sunt absurda. Si enim coniunctum ex effectu, & causâ adæquatâ perfectius, æstimabiliusque esset, quàm causa sola, excesius ille perfectionis & oriretur ex causâ, vt ponitur, & ex causa oriri non posset: quia in causâ non erat contentum. Tum & daretur effectui à causâ, & à causâ, vtpote illud non præhabente, dari non posset. Tum causa dando effectui, quod non haberet, sibi, Vniuersitatique rerum aliquid necunde comparatum acquireret. Quæ omnia implicatoria sunt. Est igitur de conceptu causæ adæquatæ, vt eminentiori quodam modo contineat, retineatque in se totam omnino perfectionem, quam dat formaliter effectui, adeò, vt producere talem causam suum effectum bonum, non tam sit nouam bonitatem, siue perfectionem ei dare, quàm sub nouo quodam essendi modo extendere ad illum formaliter eamdem, quam in se præhabet, retinetque eminenter. Qui est proprius modus, quem Deus habet communicandi suam bonitatem creaturis per earum productionem iuxta communem Theologorum sententiam, doctrinamque D. Dionysij, & aliorum Patrum. Vnde manifestè consequitur, nullam creaturam posse se sola dare *esse* immediatè effectui tanquam causa adæquata eius, sed necessariò debere Deum cum quauis creaturâ ad quemuis effectum producendum immediatè concurrere, cum illâque subinde causam adæquatam talis effectus constituere: quia solus Deus potest propter suam infinitatem præcontinere in se, ac retinere totam perfectionem effectus eâ eminentiâ, qua, ostendimus, debere eam præcontineri, & retineri in suâ causâ adæquatâ, vt satis ex se compertum est.

320 Secundò probo; quia causa creata in conseruatione sui *esse* ab influxu Dei est dependens; vt nemo negat, & est de fide, prout ostenditur ex Scriptura, & Patribus à Soar. disp. 21. Metaph. sect. 1. Sed difficilius est citra dubium dare *esse* alteri enti per ipsius effectionem, quam *esse* per sui effectionem acceptum retinere. Ergo causa creata in dando *esse* alteri enti per ipsius effectionem non potest non esse dependens ab influxu Dei, concurrentis scilicet simul cum illâ ad ad talem effectum.

321 Tertiò probo; quia, cùm modus operandi sequatur modum essendi, vt commune axioma fert, non potest non esse causa creata ens per participationem in operando, eo ipso, quòd est ens per participationem in essendo. Ergo nec potest non dependere à Dei influxu in operando, sicut dependet in essendo.

322 Quartò probo; quia, nisi Deus cum omnibus causis creatis ad earum effectus efficiendos immediatè concurreret; nec esset reuerà causa omnium creaturarum vniuersalis, vti sæpe in Scriptura dicitur esse; nec cum proprietate dici possit factor omnium visibilium, & inuisibilium, vt dicitur in Symbolo Nicæno; eo quòd sola causa dans esse effectui, qualis est immediatâ, dicitur absolutè, & propriè loquendo, causa eius, effectrix eius, siue efficiens ipsum; non item illa, à qua tantùm remotè effectus trahit suam originem.

323 Quintò probo; quia ad perfectionem supremi dominij Dei pertinet citra omne dubium habere immediatè subiectam arbitrio suo non solùm existentiam omnium causarum, sed etiam existentiam omnium earum operationum. Qualiter non haberet quidem, si concursus eius immediatus ad tales operationes requisitus non esset. Sublatâ si quidem talis concursus necessitate, nequiret Deus immediatè impedire per illius subtractionem dictas operationes, sed tantùm eas posset impedire mediatè, tollendo videlicet earum causas, aut aliquod eis impedimentum apponendo, ne possent operari.

324 Sextò probo; quia sæpe Deus impediuit miraculosè operationes causarum naturalium, nec sublatis ipsis causis, nec vllo appositio illis impedimento; vti euenit in igne Babilonico non concremante pueros, quos intra se habebat. Ergo impediuit per meram subtractionem concursus simultanei sui ad tales operationes requisiti.

325 Septimò denique comprobant eamdem veritatem satis apertè mirabiles operationes causarum naturalium; quas non earum solùm, sed alterius insuper occultioris, longissimèque præstatioris causæ operationes esse, manifestum profectò est. Quis enim considerans, quomodò planta ex eodem alimento à terra per occultas vias attracto partem conuertit in corticem, partem in solidiorem ligni substantiam, partem distribuit ad efficienda folia, partem ad flores compingendos, partim ad fructus efformandos, suo etiam semine instructos pro dilatanda specie, &c. quis, inquam, hæc considerans non deprehendit manifestè, eiusmodi tam varias, tam ordinatas, tamque electiuas operationes à solâ virtute effectiuâ plantæ nasci non posse, sed necessariò adesse ibi aliquam insuper earum concausam non solùm plantâ nobiliorem, sed sapientissimam, ac potentissimam, à qua illæ simul nascuntur, & diriguntur, & ordinantur? Ecquid dicam de artificiosissimis operibus apum, formicarum, bombicum, aranearum, aliorumque huiusmodi animalculorum? Cum quibus Deum prouidentissimè cooperari, haud dubitabile sane est. Hæc pro veritae adeò certâ satis, superque sunt.

326 Suppono secundò etiam ex communi Doctorum, quando Deus, & causa secunda eumdem effectum simul producunt, per vnicam, & eamdem actionem concurrere indiuisim ad producendum illum. Ita tenet expresè S. Thom. 1. p. quæst. 105. art. 5. ad 2. & lib. 3. contra Gent. cap. 70. & cum eo omnes Theologi, atque Philosophi communiter, quos opus non est recensere. Ratio autem est. Quia actio, qua causa secunda producit effectum, necessariò debet pendere à Deo titulo entis participati, & ab alio, iuxta doctrinam stabilitam suppositione primâ. Sed non dependet à Deo per aliam veluti resexam actionem: quia vel talis actio actionis impossibilis est; vel, estò possibilis sit, eiusmodi multiplicatio actionum superflua esset; cùm manifestè sit possibilis actio per se immediatè dependens simul à creaturâ, & à Deo. Ergo dependet à Deo per se ipsam immediatè; atque ità per se immediatè ac indiuisim à Deo simul, & à causâ secundâ egreditur. Quod ipsum est, Deum, & causam secundam per talem vnicam actio-

actionem concurrere simul ad talem eumdem effectum indiuisim agendum. Vtrùm autem propterea Deus, & causa secunda dicendæ sint causæ partiales eiusdem effectus, quæstio est de modo loquendi. Circa quam videri potest Soar. tom. 2. de Gratia lib. 3. cap. 27.

327 Est tamen adnotandum primò, quando effectus causæ secundæ essentialiter non dependet ab eâ, vti plerunque fit, à solo Deo posse illum causari absque concursu causæ secundæ. De facto tamen non sic causatur, quando causatur simul à Deo, & à causâ ecundâ; quia causatio eius à solo Deo oriunda pro tempore, quo datur alia oriunda simul à Deo, & à causâ secundâ, supernacanea esset. Sæpe tamen contingit, vt effectus à Deo simul, & à causâ secundâ productus, hac deficiente, siue remotâ, à solo Deo conseruetur: quæ proinde conseruatio, vtpote oriunda à solo Deo, nequit non esse actio diuersa à primâ talis effectus productione, vtpote oriundâ à Deo simul, & à causâ secundâ.

328 Secundò est adnotandum, etsi plerique effectus causarum secundarum essentialiter non dependeant ab illis, quatenus vel à solo Deo, vel ab alijs causis secundis, à Deoque cum eis cooperante effici possunt, omnes tamen omnino effectus, & actiones titulo entium participatorum à Deo dependere essentialiter, quatenus nullatenus effici possunt sine influxu aliquo Dei, prout constat ex dictis. Vt tamen effectus dicatur à Deo dependere essentialiter, necesse non est, quòd ille vel per actionem à se realiter indistinctam, vel per hanc determinatam actionem fiat à Deo; sed sat est, quòd ille essentialiter exposcat, à Deo fieri per aliquam actionem, quæcunque ea sit; hoc est, siue ea sit actio realiter ab effectu distincta, siue sit actio cum illo realiter identificata; tum, siue sit actio solius Dei simul, & alicuius causæ creatæ. Vnde collige, falsam esse quorumdam sententiam, qui asserebant, omne ens ab alio titulo essentialis dependentiæ, quam habet à Deo, ab ipso immediatè per actionem identificatam secum debere semper fieri: atque ita omnem effectum per superadditam actionem oriundam à causâ secundâ duas necessariò dependentias habere à Deo, alteram mediâ actione causæ secundæ, & Deo communi, alteram mediâ actione à se indistinctâ, & propria solius Dei. Itaque ad essentialem creaturæ dependentiam à Deo actio cum illâ identificata, à Deoque immediatè oriunda necessaria non est.

329 His ita positis, quod in præsenti quæst. quæritur est; an, præter concursum simultaneum, quem exposuimus, & quem Doctores omnes communiter confitentur, prout dictum est, sit necessarius alius prævius consistens in qualitate aliquâ physicâ à Deo impressâ causæ secundæ tum liberæ, tum necessariæ antecedenter ad eius operationem, qua Deus causam ipsam ad operandum præmoueat, atque prædeterminet physicè.

330 Affirmant multi ex nouioribus Thomistis; quorum primus videtur fuisse Dominicus Bannes 1. p. quæst. 14. art. 13. & quæst. 23. art. 3. alijsque in locis docens, nullam causam secundam posse operari, nisi prædeterminatam à primâ. Sequuntur Aluarez. de Auxil. disp. 18. 19. 23. & alibi sæpe. Nauarrete tom. 2. controu. 13. 14. 15. 19. 20. & 21. Zumel 1. p. quæst. 14. art. 13. & tom. 1. Opuscul. disp. 5. sect. 1. 2. sæpeque alias. Cabrera 3. p. quæst. 18. art. 4. disp. 2. & 6. Cabezudo 3. p. quæst. 62. art. 2. & 5. Trigosus quæst. 18. art. 4. dub. 3. Franc. Auila de Auxilijs cap. 7. 9. & 22. Ledesma de Auxilijs varijs in locis, Verdu Relect. contra scient. med. Gaspar Ramon Tract. de Diuinis præmotionibus, Nazarius 1. p. quæst. 22. art. 4. controu. 2. Medina 1. 2. quæst. 109. art. 10. Ripa 1. p. quæst. 19. art. 8. dub. 2. Ioan. à S. Thoma 1. p. disp. 20. & 1. 2. tom. 1. disp. 5. & tom. 2. disp. 24. & in Physica quæst. 25. Cursus Theol. Carmel. Discalceat. 1. p. disp. 9. & Cursus Complut. in Physica disp. 11. quæst. 3. Ioseph. à S. Maria Tract. de Liber. arb. quæst. 4. disp. 4. Hieron. Viues in Opere de Primatu diuinæ libertatis, Ioan. Bapt. Gonet. tom. 7. disp. 6. & alij.

Qui tamen in explicandâ naturâ eiusmodi 331
prævij conuersus, seu physicæ prædeterminationis non satis inter se coharent. Primò enim pertinere eam ad actum primum, siue potentiam operatiuam causæ secundæ, eiusque complementum esse, tenere videntur Bann. & Nauarr. supra, Cabez. art. 2. quæst. sua 2. Gasp. Ramon. in Appendice ad 6. Relect. Berdu p. 2. tit. *Procedit Auctor*, Aluar. disp. 19. num. 10. & disp. 23. num. 27. Esseque sententiam istam doctissimorum Thomistarum, testatur Ledes. art. 6. §. *In hac difficultate*. Cui & ipse consentire videtur art. 22. concl. 3. Tametsi ipsemet postea, & Aluar. censeant, non esse requisitam ad posse, sed ad ipsum operari causæ secundæ: atque ita, esse veluti medium inter eius actum primum, & actum secundum. In quo illis consentire videtur Ioan. à S. Thom. 1. p. disp. 20. art. 5. Cabez. verò art. 5. quæst. sua 2. concl. 3. contra id, quod dixerat antea, videtur negare, prædeterminationem ad actum primum causæ spectare, asserens, pertinere ad actum secundum. Id quod etiam tenet Nazar. supra. Imò addunt aliqui, prædeterminationem non realiter, sed per rationem solùm distingui ab actione causæ secundæ: è quibus sunt Ledes. quæst. vnica de Auxil. art. 6. 7. 8. & 10. Zumel in Opusc. disp. 4. & 1. 2. quæst. 111. art. 3. disp. 4. & alij Recentiores. Quod probabile censet Cabr. supra disp. 6. dub. 10. n. 7.

Secundò plerique Auctorum relatorum con- 332
stanter docent, nullatenus esse in potestate causæ creatæ, quantumuis liberæ, habere, vel non habere physicam prædeterminationem, siue eam acquirere, vel repudiare. Sic Bann. quæst. 23. citatâ art. 3. dub. 3. Nauarr. contr. 11. & 19. Aluar. disp. 18. num. 20. & disp. 105. Cabr. disp. 3. dub. 3. & disp. 4. à num. 43. & alij. Cum tamen oppositum videantur docere ipse Aluar. disp. 23. num. 31. & Cabr. disp. 2. num. 157. & disp. 8. à num. 50. In quo eis consentiunt Auila supra cap. 7. Zumel in Opusc. disp. 4. sect. 2. concl. 5. Idemque in Lecturâ publicâ tradidit Petrus de Herrera primarius olim Salmanticæ Theologiæ Professor. Et alij Recentiores sequuntur.

Tertiò in fundamento ad adstruendam phy- 333
sicam prædeterminationem non concordant inter se prædicti Thomistæ. Nam Bann. art. illo 3. Aluar. disp. 18. num. 3. & 48. Nauarr. contr. 21. §. 2. & 5. & alij plerique firmiter asserunt, esse eam requisitam ad saluandam subordinationem causæ secundæ ad causam primam. Consequenterque affirmant, nullam causam secundam posse non prædeterminatam à primâ vllam elicere, siue exercere operationem. Negant verò esse ex hoc fundamento requisitam prædeterminationem Ledes. art. 3. concl. 2. & 5. Et quotquot negant, Deum prædeterminare voluntatem creatam

ad actionem materialem peccati. Quorum plures refert Paulus Leonard. in lib. Responsionum pro scientiâ mediâ p. 1. n. 49. 50. & 52. & p. 2. n. 13. Qui apud ipsum videri possunt.

334 Quartò est dissensio inter illos, an prædeterminatio in causis liberis sit speciatim requisita propter indifferentiam, quam illæ habent ad operandum. Affirmant Aluar. disp. 24. num. 10. Ledesm. art. 18. concl. 3. Nauar. controu. 25. concl. 7. Bann. & alij plerique locis citatis. Negant tamen Berdu p. 2. fol. 54. Nazar. supra concl. 3. & omnes commemorati, qui negant prædeterminationem ad actionem materialem peccati.

335 In hoc vnum conuenire videntur omnes Prædeterminatores citati. Ita nimirum esse prædeterminationem, quam adstruunt, essentialiter connexam cum actione causæ secundæ, ad quam prædeterminat, vt prorsus repugnet, etiam de potentia Dei absolutâ, prædeterminationem existere sine actione, ad quam prædeterminat, existentialiterve coniungi cum negatione, siue carentiâ eius.

336 Porrò eiusmodi physicæ prædeterminationis primum Auctorem, atque assertorem fuisse Dominicum Bannes, multi sunt, qui asseuerant, licèt nonnulli contradicant, vt videre est apud Ripaldam tom. 2. de Ente supern. disp. 113. sect. 4. apud Paulum Leonard. supra p. 2. num. 54. & apud Quiedo contr. 10. Phys. punct. 3. Indeque videtur constare; quia nec S. Thomas, nec antiquiores eius discipuli prædeterminationem physicam agnouerunt, vt nos ostendemus paulò inferiùs.

337 Præter Thomistas verò commemoratos cæteri omnes Philosophi, atque Theologi communiter vnanimi consensu tenent, causam secundam nullâ præmotione, seu prædeterminatione physicâ præuiâ ad concursum Dei simultaneum egere ad operandum; sed solo concursu Dei simultaneo ad quamlibet suam operationem sufficientissimè iuuari. Ita Molina in Concord. disp. 29. 33. & 34. Fonsec. lib. 5. Metaph. cap. 2. quæst. 9. sect. 5. & lib. 6. cap. 2. quæst. 4. sect. 8. Soar. disp. 22. Metaph. sect. 2. & in Opuscul. lib. 1. de concursu Dei à cap. 5. & tom. 2. de Gratiâ lib. 3. à cap. 35. latissimè. Vasq. 1. p. disp. 98. cap. 5. & disp. 99. cap. 4. Lessius tract. de Gratiâ effic. cap. 6. Valent. 1. 2. disp. 8. quæst. 3. & in Controu. lib. de Diuinâ gratiâ p. 2. cap. 3. Bellar. lib. 1. de Gratiâ, & liber. arbit. cap. 12. Salas 1. 2. tract. 13. disp. 10. Becan. tom. 1. Opusc. opusc. 5. Fasol. 1. p. q. 14. art. 13. dub. 17. Heric. disp. 7. cap. 7. & disp. 23. cap. 9. Granad. 1. p. controu. 2. tract. 5. disp. 2. & 3. Ruiz tom. de Scient. à disp. 38. vsque ad 60. & tom. de Volunt. à disp. 27. vsque ad 51. & tom. de Prouid. disp. 35. Conimbr. lib. 2. Phys. cap. 7. quæst. 13. Petr. Hurt. disp. 10. Phys. Arriag. disp. 10. Phys. Quied. contr. 10. Phys. Ripalda tom. 1. de Ente supern. disp. 113. sect. 5. Tann. tom. 1. disp. 2. quæst. 11. & tom. 2. disp. 6. quæst. 2. Raynaud. in Theol. nat. disp. 8. quæst. 5. art. 5. Ribad. disp. 14. de Act. hum. Requesen. 1. 2. disp. 12. sect. 2. Carlet. disp. 30. Phys. sect. 1. Francisc. Soar. Lusit. in suo Cursu Philosoph. tract. 6. de Animâ disp. 2. sect. 4. vbi pro hac sententiâ citat. 69. Auctores. Omnesque nostræ Societatis eam vnanimiter sunt sequuti. Nullus enim oppositæ sententiæ adhæsit, vt contra Martinez de Prado, & alios probat noster Henao Opusc. de Scientiâ mediâ historicè propugnatâ Euentil. 5. Apud quem Euentil. 17. apud Paulum Leonardum supra p. 3. sect. 10. & 11. apud Baezam to. 3. in Euangelia lib. 14. cap. 16. & apud Matthiam Borrull. Tract. de Scientiâ mediâ disp. 5. longissimi præterea catalogi Scriptorum videri possunt, qui physicis prædeterminationibus aduersati sunt. Quos propterea non opus est hìc recensere. Tamesi nonnullorum verba postmodùm exhibere oportebit.

Tertiam sententiam adijciunt in præsenti 338
nonnulli quorumdam Scotistarum, qui vnà cum Scoto suo sentire videntur, Deum prædeterminare causas secundas ad operandum, non quidem per aliquid eis intrinsecè impressum, sedper decretum suum extrinsecum, quo decernit cum eis concurrere. De hac tamen sententiâ inferiùs est nobis agendum in Tract. de Prouid. vbi de decretis, quæ Deus concipit ad concurrendum cum causis secundis, sit sermo. Modò enim dumtaxat agimus de ipso concursu, seu iuuamine externo, quod illis præstat extra se. Circa quod intra se pugnant duæ propositæ sententiæ in præsenti quidem iam à nobis resoluendâ per sequentes propositiones.

Propositio 1.

Concursus præuius consistens in physicâ prædeterminatione, prout adstruitur 339
à Thomistis citatis num. 330. à mente S. Thomæ est alienus: neque cum eius doctrinâ cohærere potest.

Quia iuxta doctrinam, quam sæpe repetit S. Thomas, voluntas creata titulo causæ liberæ se ipsam debet determinare ad agendum: nec, salua libertate, potest ab alio prædeterminata operari. Primùm enim sic scribit in 2. Sentent. distinct. 25. quæst. vnica art. 1. in corp. *In solis intellectum habentibus liberum arbitrium inuenitur; non autem in illis, quorum actiones non determinantur ab ipsis agentibus; sed à quibusdam aliis causis prioribus.* Et ad 1. dicit, in Deo reperire electionem liberam, *quantùm ad hoc, quòd determinatio sui actus non est sibi ab alio, sed à se ipso: vnde ipse verissimè sui operis dominus est.* Et ad 3. *Dicendum, quòd Deus operatur in omnibus; ita tamen, quòd in vnoquoque secundùm eius conditionem: vnde in rebus naturalibus operatur sicut ministrans virtutem agendi, & sicut determinans naturam ad talem actionem. In libero autem arbitrio hoc modo agit, vt virtutem agendi sibi ministret, &, ipso operante, liberum arbitrium agat; sed tamen determinatio actionis, & finis in potestate liberi arbitrij constituitur: vnde remanet sibi dominium sui actus.* Et dist. 28. art. 1. in corp. *Non enim esset homo liberi arbitrij, nisi ad eum determinatio sui operis pertineret, vt ex proprio iudicio eligeret hoc, aut illud.* Et paulo post. *Liberum arbitrium ad nullum obiectum determinatum est.* Et dist. 34. art. 3. ad 4. *Voluntas autem non est determinata ad vnum, sed se ipsam determinat, secundùm quòd huic, vel illi adhæret.* Et dist. 39. quæst. 1. art. 1. in corpore, *Ipsa enim potentia voluntatis, quantùm in se est, indifferens est ad plura; sed quòd determinatè exeat in hunc actum, vel in illum, non est ab alio determinante; sed ab ipsâ voluntate. Sed in naturalibus actus progreditur ab agente: sed tamen determinatio ad hunc actum non est ab agente; sed ab eo, qui agenti talem naturam dedit, per quam ad hunc actum determinatum est. Et ideo propriissimè actus voluntatis à voluntate esse dicitur.*

Deinde in Disputatis quæst. 1. de Potentiâ 340
art. 4. ad 3. sic habet. *Dicendum, quòd, licèt causa prima maximè influat in effectum, tamen eius influen-*

tia

tia per causam proximam determinatur. Et quæst. 3. de Potentia artic. 7. ad 12. *Dicendum, quòd Deus non dicitur hominem dereliquisse in manu consilij sui, quin in voluntate operetur: sed quia voluntati hominis dedit dominium sui actus, vt non esset obligata ad alteram partem contradictionis. Quod quidem dominium naturæ non dedit; cùm per suam formam sit determinata ad vnum*. Et ibidem ad 13. *Dicendum, quòd voluntas dicitur habere dominium sui actus, non per exclusionem causæ primæ: sed quia causa prima non ita agit in voluntate, vt eam de necessitate ad vnum determinet; sicut determinat naturam: & ideo determinatio actus relinquitur in potestate rationis, & voluntatis*. Et ad 14. *Dicendum, quòd non quælibet causa excludit libertatem, sed solùm causa cogens. Sic autem Deus non est causa operationis nostræ*. Et quæst. 3. de Malo artic. 3. ad 5. *Dicendum, quòd voluntas, cùm sit ad vtrumlibet, per aliquid determinatur ad vnum, scilicet per consilium rationis: nec oportet, hoc esse per aliquod agens extrinsecum*. Et quæst. 6. de Malo, quæ est de electione, artic. vnic. in corp. *Quantum ergo ad exercitium actus primò quidem manifestum est, quòd voluntas mouetur à se ipsâ. Sicut enim mouet alias potentias, ita & se ipsam mouet*. Et quæst. 22. de Veritate artic. 5. postquàm statuisset, repugnare voluntati, vt rationalis est, esse determinatam ad vnum, ait ad 5. *Voluntas in quantùm rationalis ad opposita se habet*. Et in fine artic. *Hoc est proprium voluntatis in quantùm voluntas, quòd sit domina suorum actuum*. Et artic. 6. in corp. *Ex hoc dicitur aliquid esse necessarium, quòd est immutabiliter determinatum ad vnum*. Et artic. 9. ad 1. *Voluntas potest se ipsam immutare respectu aliquorum directè, cùm sit domina suorum actuum*. Et quæst. 24. de Veritate artic. 1. ad 14. *Non oportet, quòd mentes humanæ sint determinatæ ad aliquos effectus: sed respectu multorum efficaciam habens, ratione cuius conuenit eis libertas*. Adde illud ex lib. 1. contra Gent. cap. 68. *Dominium, quod habet voluntas supra suos actus, per quod in eius est potestate velle, vel non velle, excludit determinationem virtutis ad vnum, & violentiam causæ exterius agentis: non autem excludit influentiam superioris causæ, à qua est ei esse, & operari: & sic remanet causabilitas in causâ primâ, quæ est Deus, respectu motuum voluntatis*. Videatur in super, quod dicit lib. 3. contra Gent. cap. 73.

341 Prætereà in Summâ 1. par. quæst. 19. art. 12. ad 3. ait, *Dicendum, quòd creatura rationalis est domina sui: & ideo circa ipsam specialia quædam signa diuinæ voluntatis assignantur, in quantùm rationalem creaturam Deus ordinat ad agendum voluntariè, & per se. Sed aliæ creaturæ non agunt, nisi motæ ex operatione diuinâ*. Et quæst. 22. artic. 2. ad 4. *Dicendum, quòd in hoc, quod dicitur Deum hominem sibi reliquisse, (scilicet, in manu consilij sui. Ecclesiast. 15.), non excluditur à diuinâ prouidentiâ: sed ostenditur, quòd non præfigitur ei virtus operatiua determinata ad vnum, sicut rebus naturalibus, quæ aguntur tantùm, quasi ab altero directæ in finem: non autem se ipsa agunt, quasi se dirigentia in finem, vt creaturæ rationales per liberum arbitrium, quo consiliantur, & eligunt*. Et 1. 2. quæst. 2. artic. 2. in corp. *Ad hoc, quòd agens determinatum effectum producat, necesse est, quòd determinetur ad aliquid certum, quod habeat rationem finis. Hæc autem determinatio, sicut in rationali naturâ per rationalem fit appetitum, qui dicitur voluntas: ita in alijs fit per inclinationem naturalem, quæ dicitur appetitus naturalis. Tamen considerandum est, quòd aliquid suâ actione, vel motu tendit ad finem dupliciter. Vno modo, sicut se ipsum ad finem mouens, vt homo. Alio modo, sicut ab alio motum ad finem, sicut sagitta, &c. Illa ergo, quæ rationem habent se ipsa mouent ad finem: quia habent dominum suorum actuum per liberum arbitrium, &c. Et ideo proprium est naturæ rationalis, vt tendat in finem, quasi se agens, vel ducens ad finem. Naturæ verò irrationalis, quasi ab alio acta, vel ducta*. Et quæst. 9. artic. 3. ad 1. *Voluntas, in quantùm actu vult finem, reducit se de potentiâ ad actum respectu eorum, quæ sunt ad finem*. Et artic. 6. ad 3. *Dicendum, quòd Deus mouet voluntatem hominis, sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum. Et sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle. Sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum*. Et quæst. 10. artic. 4. in corp. *Dicendum, quòd sicut Dionysius dicit 4. cap. de Diuin. nomin. Ad prouidentiam diuinam non pertinet, naturam rerum corrumpere, sed seruare. Vnde omnia mouet secundùm eorum conditionem; ita quòd ex causis necessarijs per motionem diuinam consequuntur effectus ex necessitate: ex causis autem contingentibus sequuntur effectus contingenter. Quia igitur voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa: sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur*. Et quæst. 15. artic. 2 in corp. *Consensus importat applicationem appetitiui motus ad aliquid agendum. Eius autem est applicare appetitiuum motum ad aliquid agendum, in cuius potestate est appetitiuus motus*. Vnde concludit. *Propriè dicitur consentire solùm rationalis natura, quæ habet in potestate suâ appetitiuum motum, & potest ipsum applicare, vel non applicare ad hoc, vel ad illud*. Et quæst. 80. art. 1. ad 3. *Deus est vniuersale principium omnis interioris motus humani. Sed, quòd determinetur ad malum consilium voluntas humana, hoc directè quidem est à voluntate humanâ*. Et 3. par. quæst. 18. artic. 4. ad 3. *Dicendum, quòd voluntas Christi, licèt sit determinata ad bonum, non tamen est determinata ad hoc, vel illud bonum: & ideo pertinet ad Christum eligere per liberum arbitrium*.

Tam clara sunt ad conuincendum, quod per 342
propositionem datam intendimus, testimonia S. Thomæ hucusque relata, vt nullum opus fuerit eis ponderationem adijcere. Imo mirabile profectò videtur, quòd Prædeterminatores Thomistæ, pro se esse S. Thomam, serio contendant: cùm mentem suam Doctor Angelicus tot, tamque expressis testimonijs in oppositum declarauerit. Præter alia innumera eiusdem haud dubie sensus, quæ prætermitto; tum quia minùs clara; tum quia, cui recitata sat non fuerint, nulla sufficient.

Addendum tamen nihilominùs est. Primò, 343
non semel docere S. Thomam, voluntatem creatam motioni diuinæ posse resistere, eiusque effectum impedire siue euitare. Quod secus esset, si motio diuina in prædeterminatione consisteret essentialiter cum suo effectu connexa: qualis ponitur à Thomistis citatis. Ita enim loquitur in quodlib. 1. artic. 7. ad 2. *Deus mouet omnia secun-*

dùm modum eorum : & ideo diuina motio à quibusdam participatur cum necessitate : à naturâ autem rationali cum libertate propter hoc, quòd virtus rationalis se habet ad opposita : & ideo sic Deus mouet mentem humanam ad bonum, quòd potest huic motioni resistere. Et quæst.6. de Malo artic.vnic. ad 15. *Dicendum, quòd non omnis causa ex necessitate inducit effectum, etiam si sit causa sufficiens : eo quòd causa potest impediri, vt quandoque effectum suum non consequatur, &c. Sic ergo illa causa, quæ facit, voluntatem aliquid velle, non oportet, quòd ex necessitate hoc faciat : quia potest per ipsam voluntatem impedimentum præstari.* Alioquin libertas, & meritum voluntatis stare non posset. Dixerat enim ibidem in corp. *Non esse meritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, quòd vitare non potest.*

344 Secundò est addendum, non semel docere S.Thomam, motionem, qua Deus mouet voluntatem creatam mediâ gratiâ ad benè operandum, ideo libertatem eius non lædere ; quia in potestate voluntatis est, vti, vel non vti tali gratiâ. Indeque item nasci, vt æqualem gratiam recipientes eâ possint vti inæqualiter. Quod nequaquam cohæret cum doctrinâ de prædeterminatione ; vtpote qua semel positâ vti, vel non vti, aut magis, vel minus vti nequaquam est in potestate voluntatis iuxta eius Auctores. Audiamus S.Thomam sic loquentem 1.par.quæst 62.artic.3. ad 2. *Dicendum, quòd omnis forma inclinat suum subiectum secundùm modum naturæ eius. Modus autem naturalis intellectualis naturæ est, vt liberè feratur in ea, quæ vult. Et ideo inclinatio gratiæ non imponit necessitatem ; sed habens gratiam potest eâ non vti, & peccare.* Et 1.2.quæst.106. artic.2. ad 2. *Gratia noui Testamenti, etsi adiuuet hominem ad non peccandum, non tamen ita confirmat in bono, vt homo peccare non possit. Et ideo, si quis post acceptam gratiam noui Testamenti peccauerit, maiori pœnâ est dignus, tanquam maioribus beneficijs ingratus, & auxilio sibi dato non vtens.* Et quæst.108.artic.1.ad 2. *Ille liberè aliquid agit, qui ex se ipso agit : quod autem homo agit ex habitu suæ naturæ conuenienti, ex se ipso agit, &c. Quia igitur gratia Spiritus sancti est, sicut interior habitus nobis infusus inclinans nos ad rectè operandum, facit nos liberè operari.* Quia nimirum vtimur eâ potentes non vti, sicut habitibus. Et 3. par. quæst.69. artic.8. ad 2. de inæqualiter operantibus cum gratiâ æquali ait, *Etiam si æqualem gratiam percipiant, non æqualiter eâ vtuntur : sed vnus studiosiùs in eâ proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest,* Et lib. 3. contr. Gent. cap. 70. fine docet, quòd *bona Spiritus sancti, quantùm est de se, tantam habent virtutem, quòd hominem sine peccato conseruare possunt ; neque homo peccare potest secundùm ea viuens : potest tamen contra ea agere, & ab eis discedendo peccare.*

345 Tertiò denique addendum est, apud S.Thomam necessitatem absolutam, atque adeò libertati oppositam esse, quæ oritur ex causâ, vel dispositione, quam voluntas remouere non potest ; qualis est necessitas ad operandum, quæ oritur ex prædeterminatione iuxta Prædeterminatorum doctrinam. Ait enim Doctor Angelicus in lib.2. Physic. lect.15. sub initium. *Necessitas, quæ dependet ex causis prioribus est necessitas absoluta.* Et postmodùm. *Quod habet necessitatem ex causâ efficiente, est necessarium absolutè.* Et lib.2.contra Gent. cap. 30. prope finem, *Si igitur talis dispositio, secundùm quam de necessitate sequitur effectus, fuerit necessaria, & absolutæ in agente, & patiente, erit necessitas absoluta in causâ agente, sicut in ijs, quæ agunt ex necessitate, & semper. Si autem non fuerit absolutè necessaria, sed possibilis remoueri, non erit necessitas ex causâ agente, nisi ex suppositione dispositionis.*

Per quæ omnia satis efficaciter videtur ma- 346
nere probatum, prædeterminationem Thomisticam, de qua est in propositione sermo, & à mente S.Thomæ prorsus alienam, & cum doctrinâ eius nullatenus compatibilem esse, vt propositio ipsa fert. Quod ex solutione etiam argumentorum, quæ contra solent fieri, magis constabit.

Primò enim obijcitur, quòd S.Tho. 1. par. 347
quæst.105.artic.4. & 5. & 1.2.quæst.6. artic.1. & quæst.109. artic.2. & quæst.111. artic.2.& lib.3. contr.Gent.cap.66.67.& 70.& quæst.3. de Potentiâ artic.7.& in 2.distinct.37.quæst.2.artic.2.sæpeque alibi docet, causas secundas à causâ primâ moueri, & applicari ad operandum, sicuti mouentur, & applicantur instrumenta à causis principalibus, atque ita causas secundas in virtute, seu per virtutem causæ primæ agere, quasi instrumenta eius. Quibus loquendi modis præuius concursus significari videtur, quo causa prima causas secundas præmouet, & applicat, atque adeò prædeterminat ad suas actiones antecedenter ad concursum simultaneum, quo illas ad agendum adiuuat. Ita enim applicat, & mouet artifex securim ad scindendum medio impulsu illi impresso antecedenter ad scindendi actionem.

Respondeo primò, estò causa prima ap- 348
plicaret, & moueret causas secundas ad agendum per aliquid illis impressum antecedenter ad earum actionem ex mente S.Thomæ, non inde inferri, ita per illud debere causas secundas prædeterminari ad agendum, vt illo posito, repugnaret, eas non agere, vti Prædeterminatores volunt : siquidem per cognitionem obiecti dicitur voluntas applicari, mouerique ad illud amandum, quin ad id prædeterminetur, sed adhuc indifferens, tali cognitione positâ, maneat ad talem amorem ponendum, vel omittendum. Itaque præmotio latiùs patet, quàm prædeterminatio, sicut animal latiùs, quàm homo : potest enim præmotio aut prædeterminatiua, aut non prædeterminatiua esse, sicut animal aut rationale, aut non rationale. Vnde, etiam si apud S. Thomam idem esset motio, ac præmotio, adhuc non inferretur benè, eum prædeterminationem adstruere : maximè cùm iuxta ipsius doctrinam, & veritatem benè componi possit in causis liberis, quòd moueantur ab alio, & nihilominùs etiam moueatur à se : secus verò, quòd prædeterminentur ab alio, & nihilominùs determinentur etiam à se. Ait enim S.Thomas dicta quæst. 105. artic.4. ad 2. *Dicendum, quòd moueri voluntariè est moueri ex se, ideſt, à principio intrinseco : sed illud principium intrinsecum potest esse ab alio principio extrinseco. Et sic moueri ex se, non repugnat ei, quod mouetur ab alio :* Et rursus ad 3. *Dicendum, quòd, si voluntas ita moueretur ab alio, quòd ex se nullatenus moueretur, opera voluntatis non imputarentur ad meritum, vel demeritum : sed, quia per hoc, quòd mouetur ab alio, non excluditur, quin moueatur ex se, &c.* Excludi verò, quòd voluntas determinaretur à se per hoc, quòd illa prædeterminaretur ab alio, planè supponit S.Thomas in multis

ex

ex locis paulò antea relatis, & satis exprimit in aliquibus, vt illa attentè recognoscenti clarè innotescet. Id quod etiam à ratione non obscurè suadetur. Quia impræsentiarùm, causam determinari ad vnum ex pluribus, ad quæ erat indifferens, aliud non est, quàm transferri eam ex illa indifferentia, quam habebat ad plura, ad connexionem, siue coniunctionem cum eorum vno præ reliquis. Repugnat autem, vt causa per principium aliud antea translata ab indifferentia, quam habebat ad plura, ad connexionem, siue coniunctionem cum vno, iterum postea per se ipsam transferatur ab eadem indifferentia, quam iam non habet, ad eamdem connexionem, siue coniunctionem cum eodem vno, quam præhabet, vt satis superque ex se notum est. Itaque causam determinare se ipsam ad vnum in actu secundo indifferentiam proximam sui ad plura supponit, siue connotat essentialiter in actu primo, vt cunctis ex terminis ipsis notissimum est. Repugnat ergo, vt voluntas iam non indifferens in actu primo, sed ad vnum determinata, se ipsam iterum determinet ad idemmet in actu secundo. Alioquin quælibet causa necessaria, quantumuis determinata ad vnum in actu primo, se ipsam determinare nihilominùs in actu secundo, dum operatur, dicenda esset. Quod planè est contra S. Thomam locis citatis, & contra omnes. Vnde malè asserit Aluarez disput. 21. 22. & 89. de Auxil. Voluntatem prædeterminatam à Deo in actu primo rursus se ipsam determinare in actu secundo. Quomodò verò, causam moueri ab alio, atque etiam à se benè cohæreant ex mox dicendis apparebit.

349 Respondeo enim secundò ad obiectionem factam, quatuor ex titulis dici Deum, secundùm S. Thomam mouere causas secundas tum necessarias tum liberas ad operandum. Primò; quia dat illis virtutem operatricem. Secundò; quia virtutem ipsam in eis conseruat, dum operantur. Tertiò; quia virtutem eamdem applicat ad operationem; vti ad operationem artis solet applicari instrumentum. Quartò; quia sic agit simul cum illis tanquam causa principalis, vt illæ eius virtute dicantur agere, sicut instrumentum agere dicitur virtute agentis principalis. Quibus eisdem quatuor titulis dicitur etiam Deus agere in causis secundis, siue cum causis secundis, actionisque earum causam esse. Tradit hæc S. Tho. tum sæpe alibi, tum maximè lib. 3. contra Gent. cap. 66. & 67. & 1. par. quæst. 105. citatâ artic. 3. 4. & 5. & quæst. 3. de Potentiâ etiam citatâ artic. 7. vbi in corp. post latè expositâ ea ita concludit. *Sic ergo Deus est causa actionis cuiuslibet, in quantùm dat virtutem agendi, & in quantùm conseruat eam, & in quantùm applicat actioni, & in quantùm eius virtute omnis alia virtus agit. Et, cùm coniunxerimus bis, quòd Deus sit sua virtus; & quòd sit intra rem quamlibet, non vt pars essentiæ, sed vt tenens rem in esse, sequitur, quòd ipse in quolibet operante immediatè operetur.* Quam immediationem magis explicat dicens in solutione ad 3. *Ipsa naturæ operatio est etiam operatio virtutis diuinæ, sicut operatio instrumenti est per virtutem agentis principalis.* Et in solut. ad 4. *Dicendum, quòd tam Deus, quàm natura immediatè operantur, licèt ordinentur secundum priùs, & posteriùs.* Et artic. 5. citato ex 1. par. ad 2. *Nihil prohibet, quin vna, & eadem actio procedat à primo, & secundo agente.* Quatenus autem Deus dat virtutem agendi causis necessarijs, non solùm dicitur secundùm S. Tho. mouere illas, sed etiam determinare ad agendum; eo quòd virtus, quam illis præbet, determinata ad vnum est, suapte naturâ: cùm tamen causas liberas quatenus liberas etsi eo titulo dicatur etiam mouere, non tamen dicitur vllatenus determinare: eo quòd virtus, quam illis confert, non determinata ad vnum, sed indifferens ad opposita est. Exprimit hoc S. Tho. sæpe tum in plerisque locis à nobis citatis, tum multis in alijs. Vnde patet, latiùs ad rem patere apud ipsum, mouere, quàm determinare. Dixi *quatenus liberas*; quia iuxta S. Thomam quæst. 2. de Potent. artic. 2. quæst. 6. de Malo art. vnic. quæst. 22. de Verit. artic. 5. & 6. & 1. par. quæst. 19. artic. 3 & 10. quæst. 82. art. 1. quæst. 109. artic. 4. & 1. 2. quæst. 1. artic. 2. quæst. 9. artic. 3. 4. & 6. sæpeque alibi voluntatem etiam determinat Deus prædicto titulo ad actum ipsi non liberum, sed naturalem, & necessarium; qualis est amor, seu complacentia beatitudinis, siue boni in communi: ad actus verò liberos minimè, vt dictum est.

Quibus suppositis, dico primò, in locis commemoratis S. Thomæ ne vestigium quidem reperiri physicæ prædeterminationis, de qua tractamus. Certum enim est, nullatenus eam intervenire in primo, & secundo modo, quibus Deus dicitur mouere causam secundam ad agendum, quatenus ei dat, & conseruat virtutem actiuam realiter ab ipsâ causâ indistinctam: quia nihil aliud interuenit, præter actionem, qua Deus producit, vel conseruat causam, ipsamque causam, & eius actionem, vt constat. Sed neque interuenit in tertio modo, quo Deus dicitur mouere causam secundam applicando virtutem eius ad agendum. Quia bifariam dici potest Deus applicare causam secundam ad agendum. Primò per aliquid ei adiunctum ex parte actus primi requisitum ad eius actionem, vt est in causis cognoscitiuis species impressa obiecti cognoscendi; in appetitiuis cognitio obiecti appetendi, & in alijs approximatio localis ad passum, vel ablatio impedimenti, & in omnibus decretum diuinum iuuandi illas concursu simultaneo. Secundò per ipsum concursum simultaneum, quatenus per illum (quantumuis realiter indistinctum ab actione causæ secundæ) priùs, quàm ipsa, dicitur Deus agere in effectum causatum iuxta doctrinam, quam S. Thomas tradit locis citatis. Nimirum tum prioritate maioris vniuersalitatis, quatenus titulo causæ vniuersalissimæ Deo potiùs, quàm causæ creatæ tribuitur prædicatum vniuersalissimum essendi, siue entis omnes formalitates effectus transcendens. (Quo etiam titulo dicitur Deus per suum concursum profundiùs ingredi in effectum). Tum prioritate eminentiali; quatenus titulo causæ primæ Deus eminenter præcontinet in se solo totam perfectionem effectus, & actionis, qua ille indiuisim procedit à causâ secundâ, & ab ipso Deo: ipseque Deus proinde talem actionem tali causæ secundæ & cum ipsius *esse*, & per se immediatè censetur dare. (Quo etiam titulo dicitur Deus per suum concursum simultaneum multo efficaciùs agere in effectum, quàm causa secunda). Tum prioritate independentiæ non mutuæ qua Deus in munere causandi effectum prior est, quàm causa secunda; quatenus Deus, loquendo absolutè, (quidquid sit respectiuè ad talem determinatam actionem) sine concursu causæ secundæ potest talem

350

lem effectum causare ; causa verò secunda sine concursu Dei non item. Tum denique prioritate causæ præbentis ordinationem in finem ; quatenus talis actio, quæ simul est Dei, & causæ secundæ, à Deo venit ordinata in suum finem per prævios ipsius actus intellectus, & voluntatis.

351 Itaque seu priore, seu posteriore ex duobus modis prædictis dicatur Deus (vt potest, imo & debet haud dubiè iuxta doctrinam S.Tho.) applicare ad agendum causam secundam, compertum est, in tali applicatione neutiquam interuenire prædeterminationem, de qua agimus. Multòque minùs interuenit in quarto modo, quo dicitur Deus mouere causam secundam ad agendum, quatenus simul cum illâ agit, vt causa principalis cum instrumento : quia modus hic solùm importat actionem causæ secundæ simul, & Dei prout artificiosam, hoc est, prout prouenientem ab arte existente in mente diuinâ, siue, quod recidit in idem, prout prouenientem à Deo quatenus illam ordinante, atque dirigente in suum finem. Porro mouere Deum voluntatem ad agendum per solum concursum simultaneum sine vllo prævio additamento distincto à cognitione, apertè docet S. Tho. quæst. 22. de Verit. artic. 8. in corp. dum ait, *Deus immutat voluntatem dupliciter : vno modo mouendo tantùm, quando scilicet voluntatem monet ad aliquid volendum sine hoc, quòd aliquam formam imprimat voluntati ; sicut sine appositione alicuius habitus, &c.* Quo sanè necessitas prædeterminationis obiter ex S.Thomæ mente prorsus manet excluſa.

352 Pro quorum omnium maiore explicatione dico secundò, non omnes quatuor prædictos motionis modos esse apud S.Thomam distinctos inter se realiter quoad directum eorum significatum, sed aliquando solùm distingui penes diuersas connotationes, siue denominationes extrinsecas cadentes supra idem. Nimirum motio primi, & motio secundi modi sæpe important directè eamdem actionem Dei, qua primo producendo causam secundam virtutem agendi ab eius entitate indistinctam dicitur ipsi dare ; & postea eamdem causam cum suâ virtute conseruare, additâ solùm connotatione extrinsecâ existentiæ eius in tempore iam præterito. In tertio similiter motionis modo, quatenus dicit applicationem causæ ad agendum per aliquid additum illi ex parte actus primi, eadem duplex denominatio primò applicantis, & postea applicationem conseruantis potest cadere supra eamdem actionem Dei primò productiuam, & postea conseruatiuam talis additamenti : quatenus verò dicit applicationem per ipsum concursum simultaneum, eamdem realitatem important directè iste tertius modus, & quartus, variatis dumtaxat extrinsecis connotationibus. Dicitur enim Deus per suum concursum indistinctum ab actione causæ secundæ eam applicare, applicandoque mouere ad agendum eisdem titulis iam explicatis, quibus dicitur per illum priùs, quàm illa agere : mouere verò illam dicitur per eumdem concursum ad actionem artificiosam, siue simul cum illâ agere vt causa principalis cum instrumento, quatenus talis concursus cum tali actione identificatus ab arte existente in mente diuinâ, atque adeò à virtute Dei artifice venit oriundus.

353 Hinc dico tertiò. Quamuis S.Thomas sæpe dicat, operari Deum cum causâ secundâ, sicut operatur artifex cum instrumento ; mouereque Deum siue applicare causam secundam ad agendum, vti artifex mouet, & applicat securim ad scindendum, causasque subinde secundas esse instrumenta causæ primæ ; vt videre est, tum in citatis locis, tum in alijs pluribus, vt 1. 2. quæst. 6. artic. 1. ad 3. & lib. 2. contr. Gent. cap. 21. & lib. 3. cap. 70. & 100. & quæst. 3. de Potent. citatâ, præterquàm toto artic. 7. artic. 9. ad 21. & in Opusc. de Regim. Princ. lib. 3. cap. 8. Quamuis, inquam, hoc ita sit, non tamen censendus est S. Thomas velle contra communem Scholasticorum sententiam, vt causæ secundæ cum omni proprietate, & rigore sint instrumenta causæ primæ, prout ratio instrumenti rationi causæ principalis opponitur. Quia definiens ipse causam principalem, & instrumentalem 3. par. quæst. 62. artic. 1. in corp. ait, *Duplex est causa agens ; principalis, & instrumentalis. Principalis quidem operatur per virtutem suæ formæ, cui assimilatur effectus, &c. Causa verò instrumentalis non agit per virtutem suæ formæ, sed solùm per motum, quo mouetur à principali agente. Vnde effectus non assimilatur instrumento, sed principali agenti : sicut lectus non assimilatur fabro, sed arti, quæ est in mente artificis.* Et iterum quæst. 4. de Malo artic. 3. in corp. *Causa autem est duplex, scilicet instrumentalis, & principalis. In principali quidem causa est aliquid secundùm similitudinem formæ vel eiusdem speciei, si sit causa vniuoca, puta, cùm homo generat hominem, vel ignis ignem ; vel secundùm aliquam excellentiorem formam, si sit agens non vniuocum : sicut sol generat hominem. In causâ autem instrumentali est aliquis effectus secundùm virtutem, quam recipit instrumentum à causâ principali, in quantùm mouetur ab eâ.* Ex his enim planè sequitur, Solem, & hominem prout generant hominem, & ignem, prout generat ignem, atque adeò cæteras causas secundas, prout suos effectus connaturales producunt, causas esse principales secundùm S. Thomam ; (eo scilicet quòd operantur per virtutes suarum formarum, quibus assimilantur effectus, siue formaliter, si sint causæ vniuocæ, siue eminentialiter, si sint æquiuocæ) ; & consequenter non esse instrumenta causæ primæ cum omni proprietate, & rigore. Verum quidem est, causam primam longè excellentiori modo esse causam principalem, quàm causas secundas : ob idque illam simpliciter, has verò secundùm quid causas principales posse appellari, vti appellauit S.Tho. quæst. 24. de Verit. artic. 1. ad 4. inquiens, *Causa prima dicitur esse principalis simpliciter loquendo propter hoc, quòd magis influit in effectum : sed causa secunda secundùm quid principalis est : in quantùm effectus ei magis conformatur.* Sed hoc est satis, vt causa secunda, non cum omni proprietate, sed minùs propriè dicatur instrumentum primæ.

Adde, inter causas secundas, quæ liberæ 354
sunt, minùs aduc propriè, quàm, quæ sunt necessariæ, venire dicendas alio titulo vt instrumenta causæ primæ operari, prout constat ex ipso S.Tho. eâdem quæst. 24. de Verit. artic. 1. ad 5. dicente, *Instrumentum dupliciter dicitur. Vno modo propriè, quando scilicet aliquid ita ab altero mouetur, quòd non confertur à mouente aliquod principium talis motus ; sicut ferrum mouetur à carpentario : & tale instrumentum est expers libertatis. Alio modo dicitur instrumentum magis communiter, quidquid est mouens ab alio motum, siue sit in ipso principium sui motus, siue non. Et sic ab instrumento non oportet, quòd excludatur omnino ratio libertatis ;*

tis; quia aliquid potest esse ab alio motum; quod tamen se ipsum mouet; & ita est de mente humanâ. Imò lib. 3. contr. Gent. cap. 112. creaturis irrationalibus, quæ à Deo tantùm aguntur, rationem instrumenti, rationalibus verò, quæ per se agunt, rationem causæ principalis attribuit absolutè, dum ait: *Quod enim ab altero tantùm agitur, rationem instrumenti habet: quod verò per se agit habet rationem principalis agentis.* Quibus etiam consonans quæ docet 1. 2. quæst. 1. art. 2. in corp. & q. 21. art. 4. ad 2.

355 Ex his sequitur, similitudinem causæ secundæ cum instrumento strictè sumpto non debere tenere in omnibus secundùm S. Thom. Vnde, licèt hoc semper à suâ causâ principali præmoueretur ad agendum per aliquid prævium superadditum, non propterea causa secunda, præsertim libera, titulo instrumenti causæ primæ debet ab hac pariter præmoueri. Sed estò, debeat præmoueri aliquo modo, vt similitudo instrumenti exactiùs seruetur: iam sufficientissimè ad rem dici potest præmoueri iuxta doctrinam S. Thomæ in præcedentibus exhibitam, tum quatenus per sui productionem, atque conseruationem accipit virtutem actiuam à se indistinctam, tum maximè, quatenus additamenta accipit ad agendum prærequisita, vt sunt in causâ cognoscitiua species impressa, in appetitiua cognitio, & in cæteris approximatio, vel impedimenti ablatio, vel quid huiusmodi, & in omnibus decretum insuper concurrendi. Quo pro physica prædeterminatione, quam Aduersarij prætendunt, nullus locus relinquitur. Addo tamen, instrumenta propriè dicta sæpe operari absque vllâ prævia sui motione facta per aliquid superadditum. Fieri enim potest, sæpeque fit, vt instrumenta artis; quæ propriora sunt, non præmota operentur, vt quando serra prorsus fixa tabulam circa se tractam scindit, & cos prorsus immota cultrum supra se motum acuit, &c. Instrumenta etiam naturalia, qualia sunt semina viuentium, & supernaturalia, qualia sunt creaturæ, quibus Deus vtitur ad effectus supernaturales patrandos, per nihil superadditum præmota, nedum prædeterminata faciunt suos effectus; priora quidem media virtute à se indistincta, quam acceperunt à suis causis; posteriora verò mediâ eleuatione præstitâ à Deo per concursum simultaneum ipsis indebitum. Vnde, licèt causæ secundæ propriissimè essent causæ primæ instrumenta, adhuc non deberent eo titulo per quid superadditum ab eâ præmotæ, nedum prædeterminatæ, operari. Per quæ omnia obiectioni factæ num. 347. abundè satisfactum est.

356 Sed vrgent, obijciuntque Aduersarij, & valde fidenter, vt videre est apud Ioan. à S. Thom. quæst. 25. Physic. art. 2. & apud Martinez de Prado lib. 2. Physic. quæst. 14. §. 3. locum celebrem S. Thom. ex quæst. 3. de Potent. sæpe citatâ art. 7. ad 7. vbi sic habet Doctor Angelicus: *Dicendum, quòd virtus naturalis, quæ est in rebus naturalibus, in suâ constitutione collata ineft eis vt quædam forma habens esse ratum, & firmum in naturâ. Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est vt intentio sola habens esse quoddam incompletum per modum, quo colores sunt in aere, & virtus artis in instrumento artificis.* Quo clarè videtur ponere in causis secundis præter virtutem permanentem, cum qua producuntur, aliquid superadditum transiens, quo ad actualiter agendum præmouentur, ac prædeterminantur. Sed primùm non possum non mirari, quòd Aduersarij non aduertant, multa tradi à S. Thomâ in ipso eodem art. quæ suæ physicæ Prædeterminationi manifestè aduersantur; qualia sunt præsertim, quæ nos supra num. 340. notauimus ex solut. ad 12. ad 13. & ad 14. Tum, quòd velint esse prædeterminationem physicam id, quod ponit S. Thomas in causis per modum solius intentionis; cùm sit in eius doctrinâ constans, & clarum, per solas intentiones nihil physicum poni in rebus, quibus attribuuntur.

Deinde igitur respondeo primò, estò aliquid superadditum causis secundis, quo præmouerentur ad agendum poneret S. Thomas verbis relatis, non propterea dicendum id prædeterminatiuum esse, maximè in causis liberis: hoc enim planè repugnat doctrinæ, quam ipse satis clarè tradit alijs in locis, vt dicebam supra in simili num. 348. 357

Secundò respondeo, intentionem apud S. Thomam aliud non esse à denominatione extrinsecè rei, cui tribuitur, proueniente ab aliquo actu intellectus, nihilque prorsus physicum, & reale ponente in ipsa re denominatâ. Docet id ipse in 1. dist. 33. quæst. 1. art. 1. ad 2. dum ait: *In omnibus intentionibus hoc communiter verum est, quòd intentiones ipsæ non sunt in rebus, sed in animâ tantùm. Sed habent aliquid in re respondens, scilicet naturam, cui intellectus huiusmodi intentiones attribuit: sicut intentio generis non est in asino, sed naturâ animalis, cui per intellectum hæc intentio attribuitur.* Et paulò post. *Quòd dicitur in Deo est idem habens, & quod habetur, intelligitur de illis, quæ habentur per modum rerum, non autem de illis, quæ habentur per modum intentionis: sicut non possumus dicere, quòd Deus sit nomen, quatenus nomen habeat; sed quòd Deus est bonitas, quia bonitatem habet.* Ob idque dicit 1. p. quæst. 67. art. 3. in corp. *Intentiones non causant transmutationes naturales.* Et in 2. dist. 13. quæst. vnic. art. 3. in corp. *Per illud, quod habet esse intentionis tantùm, non sequitur transmutatio, nisi secundùm operationem animæ.* Et in 4. dist. 1. art. 4. quæstiunc. 2. rursusque 3. p. quæst. 62. art. 4. dum docet, Sacramentum esse causam instrumentalem gratiæ, in eo esse dicit per modum intentionis habentis ibi esse quoddam transiens, & incompletum virtutem agentis principalis, scilicet Dei, in quo ea suum esse permanens, atque completum habet. Vnde in responsione ad 4. dictæ quæstiunc. 2. ait. *Dicendum, quòd in re corporali non potest esse virtus spiritualis secundùm esse completum; potest tamen ibi esse per modum intentionis; sicut in instrumentis motis ab artifice est virtus artis.* Vtque constaret, non ob aliud dici virtutem artis esse per modum intentionis in instrumento moto ab artifice, nisi, quia hoc extrinsecè denominatur artificiosè agens ab arte in mente artificis existente, clariùs id significauit S. Thom. in prædicto art. 4. quæst. 62. 3. p. respondens ad idem argumentum, quod ibi posuit primo loco. *Ad primum ergo*, inquit, *dicendum, quòd virtus spiritualis non potest esse in re corporeâ per modum virtutis permanentis, & completæ, sicut ratio probat. Nihil tamen prohibet in corpore esse virtutem spiritualem instrumentaliter; in quantùm scilicet corpus potest moueri ab aliqua substantiâ spirituali ad aliquem effectum spiritualem inducendum.* Itaque ex eò solùm, quòd sacramentum per concursum Dei simultaneum indebitum sibi eleuatum producit gratiam, à virtute spirituali existente in Deo dicitur 358

nasci

nasci talis productio, per eamdemque virtutem quadam extrinsecâ denominatione sacramentum ipsum dicitur agere. Hocque, & non aliud, est iuxta S. Thomam eamdem virtutem spiritualem in Deo realiter, completè, & permanenter existentem esse in sacramento instrumentaliter, intentionaliter, transeunter, & incompletè; quemadmodùm etiam, & non aliter, apud ipsum virtus cuiusuis alterius causæ principalis quatenus talis in ipsius instrumento est, dum eo vtitur ad agendum, siue, dum id ad agendum mouet, siue, dum instrumentum ipsum in virtute, seu per virtutem ipsius causæ agit, quæ omnia recidunt in idem.

359 Quæ omnia cùm ita sint, iam manifestè constat, quid sibi velit S. Thomas in loco ab Aduersarijs obiecto per illa verba, *Sed id, quod à Deo fit in re naturali, quo actualiter agat, est vt intentio sola, habens esse quoddam incompletum.* Sensus enim est. Postquam Deus dedit causæ secundæ virtutem agendi, insuper per suam virtutem dat ei immediatè concursum simultaneum, quo actualiter agat; ratione cuius prout à virtute Dei tanquam à causâ principalissimâ oriundi illa virtute Dei agere dicitur, & ipsa Dei virtus in illâ dicitur esse non quidem realiter, sed intentionaliter, seu denominatiuè, *per modum*, (prosequitur S. Thomæ textus id magis explicans), *quo colores sunt in aere*, (intentionaliter, seu denominatiuè, quatenus in aere sunt species repræsentatiuæ colorum), *& virtus artis in instrumento artificis*, (intentionaliter, seu denominatiuè similiter quatenus à tali virtute tale instrumentum artificiosè agens euadit, ac denominatur extrinsecè). *Sic ergo securi per artem dari potuit acumen, vt esset forma in eâ permanens, non autem dari ei potuit, quod vis artis esset in eâ quasi quædam forma permanens, nisi haberet intellectum*; (bene tamen, quod vis artis esset in eâ tanquam intentio transiens, vtpote reddens, denominasque ipsam extrinsecè artificiosè agentem); *ita rei naturali potuit conferri virtus propria, vt forma in ipsâ permanens, non tamen vis, qua agit ad esse vt instrumentum primæ causæ*, (quæ ipsius causæ primæ vis est), *nisi daretur ei, quòd esset vniuersale essendi principium.* (Quæ tamen vis nihilominùs per modum cuiusdam intentionis, seu formæ extrinsecè denominantis eatenus tribuitur rei naturali, quatenus per concursum simultaneum ab ipsâ vi oriundum res ipsa naturalis agit). *Vnde sicut instrumento artificis conferri non non potuit, quòd operaretur absque motu artis; ita rei naturali conferri non potuit, quòd operaretur absque operatione diuinâ*; (ab ipsa scilicet operatione rei naturalis indistincta). Perquæ iam satis apertè apparet, quæ sit in loco nobis obiecto mens S. Thomæ; & quàm longè sit illa distans à mente Prædeterminatorum.

360 Tertiò obijciunt ea loca, in quibus S. Thomas Deo attribuit prædeterminationes, ac prædefinitiones; docetque, cuncta, quæ fiunt, siue eueniunt, à Deo esse prædeterminata, seu prædefinita, seu præordinata. De quo videndus 1. p. quæst. 25. art. 5. & quæst. 116. art. 1. 3. & 4. & quodlib. 12. quæst. 1. art. 4. & coment. in D. Dionys. cap. 5. lect. 3. Respondeo vno verbo, loca ista ad rem præsentem nihil prorsus præstare. Vtpote in quibus prædeterminationes, prædefinitiones, siue præordinationes diuinæ aliud non sunt ab actibus voluntatis Dei spectantibus ad prouidentiam eius, qua cuncta, quæ in tempore eueniunt, ipse ab æterno prouidit, ac præordinauit. Ait enim S. Tho. lect. 3. citatâ. *Quæ quidem prædeterminationes, seu voluntates sunt distinctiuæ entium, & effectiuæ ipsorum.* Et quodl. 12. quæst. 1. art. 4. citato. *A prouidentiâ Dei omnia sunt prædeterminata, & ordinata.* Et dicta quæst. 25. art. 5. ad 1, *Fieri non posse, vt Deus aliqua faciat, quæ non præscierit, & præordinauerit se facturum.* Qualis verò naturæ, ac conditionis sint eiusmodi voluntates, quibus constat prouidentia eius præterna, in Tract. de Prouid. disquirunt Theologi. De quo nos ibidem.

Quartò obijcitur. S. Thom. 1. p. quæst. 19. 361
art. 3. Vbi, cùm quinto loco sibi opposuisset, *Ab eo, quod est ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio inclinetur ad vnum, vt dicit Commen. in 2. Physic. &c.* Respondet, *Quòd causa, quæ est ex se contingens, oportet, quòd determinetur ab aliquo exteriori ad effectum. Sed voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam.* Sentit ergo S. Thomas, voluntatem creatam non posse operari nisi determinatam à Deo: tametsi diuina possit determinata à se. Respondeo, solutionem hanc à S. Thoma succinctè datam argumento proposito per eam, quæ eidem argumento præbet ipsemet latiùs lib. 1. contr. Gent. cap. 82. esse explicandam, iunctâ etiam doctrinâ, quam habet in corpore præsentis articuli, & alibi sæpe. Dicit itaque in illo cap. 82. indifferentiam causæ ad vtrumlibet aliam nasci ex imperfectione causæ, vt, quam habet intellectus dubius de obiecto ad illud affirmandum, vel negandum ex defectu fundamenti, quo complendus erat ad alterutrum; aliam perfectionem potius causæ arguere, vt, quam habet voluntas libera ad volendum, vel non volendum; quarum priorem indifferentiam incompletionis, posteriorem indifferentiam libertatis nos supra quæst. 4. num. 43. appellauimus. In corpore autem præsentis articuli, alijsque in locis commemoratis à nobis supra num. 349. fine docet, voluntatem Dei ad volendum bonitatem diuinam necessitatam, atque adeò determinatam esse; sicut voluntas creata ad volendum beatitudinem in communi necessitata, atque determinata est: vtramque verò manere liberam, atque adeò indifferentem ad volendum, vel non volendum cætera bona ad eos fines non necessaria. Est tamen inter voluntatem diuinam & creatam duplex ad rem discrimen. Alterum, quòd prima, cum sit infinitè perfecta, nullam differentiam incompletionis habere potest, vt potest habere secunda. Alterum, quòd prima, cùm sit ens à se, à se habet vnà cum suâ naturâ determinationem ad volitionem illam necessariam bonitatis diuinæ: secunda verò, cùm sit ens ab alio, ab alio accipit vnà cum suâ naturâ determinationem ad volitionem illam necessariam beatitudinis in communi. Igitur, quod vult S. Thomas in loco nobis obiecto est, causam creatam titulo entis ab alio, & capacis imperfectionis, ab alio quoque debere habere determinationem tum necessitatis ad actus sibi necessarios, tum completionis potestatis ad quemuis suum actum: quam vtramque determinationem voluntas diuina habet à se titulo entis à se, imperfectionisque incapacis. Cæterùm ad actus liberos, sicut voluntas diuina à se ipsâ determinatur, ita voluntatem humanam à se ipsâ, & non ab alio determinari, nec aliter libertatem eius posse consistere, sæpissime expressit S. Thomas, vt ex ipsius testi-

monijs

monijs à nobis supra citatis à num. 339. compertissimum est.

362 Quintò obijcitur, quòd S. Tho. 1. par. quæst. 105. artic. 1. ad tertium dicit, *Hoc ipsum, quòd causæ secundæ determinantur ad determinatos effectus, est illis à Deo.* Sæpeque pronunciat vniuersim, omnes operationes etiam liberas causarum secundarum in Deum tanquam in causam primam debere reduci. Igitur ex mente S. Thomæ Deus ad omnes earum operationes prædeterminat omnes causas secundas. Mala consequentia. Vidimus enim iam non semel in præcedentibus, præsertimque locis citatis num. 349. quibus titulis S. Thomas omnes operationes etiam liberas causarum secundarum reducit in Deum citra omne penitus prædeterminationis vestigium. Sed videamus insuper illum idem ipsum præstantem in 2. distinct. 37. quæst. 1. artic. 2. ad 5. quo contendebatur, operationes agentium liberorum, quæ per se ipsa, & cum dominio suorum actuum agunt, in Deum reduci non posse. Respondet autem sic, *Dicendum, quòd operatio illius agentis, qui per se agit, oportet, vt in primum agens, sicut in causam reducatur: quanuis enim huiusmodi entia per se agant; quia per propriam naturam, & proprium iudicium actus suos determinant; non tamen à se habent, quòd agant; sed à primo agente, quod eis & esse, & posse, & agere confert.* Quibus verbis ad rem clarissimis rursus, quæ hucusque sunt dicta, non parum confirmantur.

363 Cætera autem, quæ contra nostram propositionem opponi possunt, aut etiam solent, leuiora sunt, & quæ, suppositis iam dictis, facilè ab vnoquoque explicari, & dissolui possunt. Ex quibus omnibus satis clarè concluditur, nisi ego fallor, concursum præuium in physicâ prædeterminatione consistentem, qualem nouiores Thomistæ inuexerunt, & à mente S. Thomæ alienum esse, & cum eius doctrinâ minimè cohærere posse, vt propositio nostra fert. Videamus iam qualiter etiam cum mente, & doctrinâ antiquiorum Thomistarum se habeat.

Propositio 2.

364 **Concursus præuius consistens in physicâ prædeterminatione prout adstruitur à Thomistis citatis num. 330. à mente antiquorum Thomistarum alienus est; neque cum eorum doctrinâ potest cohærere.**

Quoniam iuxta eorum doctrinam (quæ eadem sui Magistri procul dubio censenda est iuxta regulas de verâ intelligentiâ, veroque discipulatu S. Thomæ præscriptas à M. Ioanne Thomasio in suo tractatu præuio ad 1. par. disput. 2. artic. 5.) vnluntas creata titulo causæ liberæ se ipsam debet determinare ad agendum, nec, saluâ libertate, potest ab alio prædeterminata operari, vt ex ipsorum scriptis satis clarè innotescit. Proferamus in medium nonnulla eorumdem testimonia ex pluribus, quæ possent proferri. Et incipiamus ab antiquioribus.

365 Ægidius Romanus S. Thomæ auditor, & eius doctrinæ defensor acerrimus, qui anno 1290. florebat, in 2. Sent. distinct. 25. quæst. 1. art. 3. dub. literali 2. via 2. postquàm dixerat, voluntatem necessitari ad volendum obiectum sibi propositum sub omni ratione boni, subiungit, *Sed quoties obiectum offertur sub vnâ ratione boni, & aliâ mali, voluntas poterit illud velle sub ratione, qua bonum, & nolle sub ratione, qua malum. Hic ergo voluntas potest se determinare vel, vt velit sequi legem Dei, prætermittendo fornicationem; vel, vt velit sequi bonum delectabile, prætermittendo legem Dei.*

Raynerus etiam ex prioribus S. Thomæ discipulis, qui viuebat anno 1300. in Pantheologo. verbo *Liberum arbitrium* cap. 1. 2. 8. 10. 11. 14. 15. 16. & 26. alijsque in locis multas habet sparsim propositiones ad libertatem pertinentes, quæ physicæ prædeterminationi, de qua agimus, manifestè repugnant, eamque penitus excludunt. 366

Herueus Natalis, qui florebat anno 1320. Quodlib. 1. quæst. 1. *S Quantum ad primum.* sic liberum arbitrium definit. *Liberum arbitrium est principium, quo possumus actiuè per se primò, & immediatè in aliquem actum, vel in eius oppositum contrariè, vel contradictoriè.* Postmodumque subiungit, *Dico autem in aliquem actum, vel in eius oppositum: quia per principium necessariò determinatum ad alterum òppositorum non habemus dominium actuum nostrorum: nec per consequens tale principium est liberum arbitrium.* Et infra § *Nunc restat mouere dubia*, septimum sic proponit. *Septimum dubium est, per quid determinabitur illud indifferens principium ad alterum oppositorum: aut scilicet per se, aut per aliud. Non per se, quia est indifferens: indifferens autem vt sic non est determinatum ad alterum. Si autem per aliud; sequitur, quòd non sit in potestate nostrâ, nos determinare per ipsum: quod est inconueniens.* Sicque respondet paulò inferiùs. *Ad septimum dicendum, quòd determinans magis ad vnam partem quàm ad aliam est; quia hoc concluditur magis eligendum, quàm aliud. Vnde autem hoc contingit: dico, quòd non est dare vnam causam per se necessariam, & determinatam; sed potest esse ex multis causis indifferenter ad hoc concurrentibus;* (recensitisque varijs, quæ possunt voluntatem inclinare magis ad vnam partem, quàm ad aliam, prosequitur); *quorum tamen nullum habuit necessariam habitudinem ad determinationem faciendam. Nec tamen ex hoc sequitur, quin illa determinatio non sit sequuta: quia non sequitur, quòd si aliquid non necessariò determinet, quòd absolutè non determinet.* Et paulò post. *Possum dicere de eo, quod pono liberum arbitrium esse: quòd non est quærenda alia causa, quare determinatur adhoc plùs, quàm ad illud; nisi quia principium est potens se determinare ad hoc, vel ad illud.* 367

Petrus Paludanus item, qui viuebat anno 1330. in 3. Sent. distinct. 18. art. 1. 2. & 3. doctrinas habet planè aduersantes physicæ prædeterminationi, vt in ipso videri potest. 368

Robertus Holkoth, qui anno 1349. florebat, apertè est aduersus physicæ prædeterminationi in 1. Sent. totâ fere quæst. 3. sed præsertim artic. 2. 8. & 9. Et in 2. quæst. 1. artic. 4. expresse tradit sententiam nostram ex diametro oppositam sententiæ Prædeterminatorum de decreto, quod Deus concipit ad concurrendum cum causis secundis; determinato quidem & absoluto cum necessarijs; indifferente autem, seu conditionato cum liberis. Ita enim habet, *Deus dicitur aliquid velle dupliciter. Vno modo absolutè: alio modo ex conditione, vel ex quadam conuentione cum*

creaturâ rationali. Primo modo concurrit ad agendum cum omni naturâ agente naturaliter voluntariè. Illo etiam modo facit quidquid facit præcisè per se ipsum. Et ideo omne tale est ab eo absolutè volitum, & ex electione. Secundo modo concurrit Deus voluntariè ad coagendum cum naturâ rationali liberâ, cui tales leges statuit, quòd, quidquid ipsa velit, placet sibi coagere ad illam volitionem, licèt non simpliciter placeret sibi agere, sicut per illam volitionem denotatur. Ita quòd, si Sortes vult peccare, placet Deo coagere secum in hac volitione, & non impedire eum.

370 Ioannes Capreolus diligentissimus indagator mentis S. Thomæ, acerrimusque propugnator doctrinæ eius, qui floruit sub annum 1410. innumera habet in suis scriptis, quibus physica prædeterminatio, de qua agimus, apertissimè labefactatur. Transcribamus nonnulla. In 1. distinct. 1. quæst. 2. artic. 1. concluſ. 5. ait, *Sola natura rationalis habet in suâ potestate motum appetitiuum, & potest ipsum applicare, & non applicare ad hoc, vel ad illud.* Et quæst. 3. artic. 1. post concluſ. 3. *Voluntas non necessariò exit in actum respectu alicuius obiecti, præsertim hìc in viâ, sic, quòd, quolibet obiecto proposito, in potestate suâ est, nullum actum habere respectu illius.* Et distinct. 38. quæst. 1. artic. 2. dum respondet ad 1. controu. 1. concluſ. ait, *Quantumcunque cognoscatur natura humanæ voluntatis, non tamen ex hoc scitur, an producet actum suum, vel non. Ipsa ènim potest se impedire, vt ita loquar, quantumcunque sit ad eliciendam volitionem inclinata, ne producat.* Et post pauca dicit cum S. Tho. ibid. quæst. 1. artic. 5. *Cognitâ voluntate, & quibuscunque causis ad actum volitionis concurrentibus, non potest certitudinaliter cognosci, an ipsa producet illum actum, vel non producet: quia nullo modo est magis determinata ad producendum, quam ad non producendum. Et ideo ad hoc, quòd actus eius futurus certitudinaliter cognoscatur, oportet, quòd videatur in se.* Et distinct. 45. quæst. vnic. ad 4. controuer. 3. concluſ. *Voluntas, quantum ad exercitium actus, scilicet vt velit, vel non velit, determinatur à se ipsâ: & illud quo se ad hoc determinat est actus eius determinatus.* Et in 2. distinct. 24. quæst. vnic. artic. 3. inter medium, & finem. *Voluntas, quantùm est de suâ naturâ, est ad opposita. Ipsa tamen ratione suæ libertatis se determinat ad id, quod vult: & ita non indiget alio determinante.* Et dist. 25. q. vnic. art. 3. *Actus elicitus, & imperatus à voluntate contingenter, & euitabiliter euenit, & producitur à causâ de se indeterminatâ, quæ tamen potest se ipsam determinare, scilicet à voluntate.* Hæc satis; quia satis ad rem clara.

371 Quæ eadem ferme, aut valde similia possemus huc transferre ex Deza perpetuo Capreoli sectatore. Sed non prætermittamus omnia. Dicit itaque Deza in 2. distinct. 24. quæst. vnic. artic 4. ad 15. *Quæ necessaria non sunt ad consequendum finem, etsi sint vtilia, non se habent ad mouendum voluntatem determinatè, & necessariè, sicut finis. Et ad ista volenda voluntas se ipsam determinat, cùm posset ad ea volenda non se determinarè, & illa non appetere.* Et distinct. 34. quæst. 2. artic. 3. notab. 4. agens de peccato. *Ipsa voluntas secundùm se considerata illius defectus est causa, cum sit domina sui actus, ac per hoc ad vtrumlibet libera. Vnde ipsa se ipsam determinare potest, & huic, vel illi, ideſt, bono, vel malo adhærere.* Et distinct. 37. quæst. vnic. artic. 2. sic proponit secundum argumentum principale contra secundam conclusionem. *Si Deus coagit actui voluntatis, aut hoc est, quia sequitur determinationem voluntatis in illo actu, sic, quòd voluntas priùs naturâ determinat se ad actum illum, & ex hoc Deus coagit voluntati determinatæ. Aut è contra, priùs Deus determinat se ad agendum, & voluntas nostra sequitur determinationem eius.* Cui argumento artic. 4. respondet his verbis. *Ad secundum principale dicitur, quòd Deus coagit voluntati primo modo diuisionis.*

S. Antoninus Florentinus, qui florebat anno 1450. ait 1. par. tit. 4. cap. 2. §. 2. *Ad libertatem arbitrij pertinet, vt actionem aliquam facere, vel non facere possit, & ita habere vim ad opposita; quia potest velle hoc, & non velle.* Et §. 9. *Immutatur voluntas à se ipsâ, cùm modò vult vnum, modò aliud. Vnde Augustinus. Nihil tam est in nostrâ potestate, quàm voluntas ipsa.* Et cap. 4. §. 2. prope initium, postquàm dixerat, actum voluntatis esse à Deo, subiungit. *Neque tamen inde sequitur, quòd, cùm homo vult malum, Deus moueat voluntatem eius ad illud malum: quia ipse est motor, & vniuersale obiectum voluntatis. Quoniam secundùm S. Th. 1. 2. q. 9. art. 6 Deus mouet voluntatem hominis sicut vniuersalis motor ad vniuersale obiectum voluntatis, quod est bonum.* Et sine hac vniuersali motione homo non potest aliquid velle: sed homo per rationem determinat se ad volendum hoc, vel illud, quod est verè bonum, vel apparens bonum, &c. Et paulo inferiùs addit. *Intellectus mouet voluntatem sicut repræsentans ei obiectum suum. Mouetur etiam voluntas ad actum suum à se ipsâ. Cùm enim sit domina sui actus, & ipsius sit velle, & non velle: quod non esset, si non haberet in potestate suâ mouere se ipsam: sequitur quòd à se ipsâ mouetur. Vnde dicitur Ecclesiastici 15. Posuit Deus ante illum bonum, & malum, ad quod voluerit, extendat manum suam.* Et ibidem §. 3. circa finem tractans, quomodò Deus vt vniuersalis motor moueat voluntatem, dicit cum S. Thomâ 1. 2. quæst. 10. artic. 4. *Quia voluntas est principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa, sit Deus eam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat; sed manet eius motus contingens; & non necessarius nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.* Multaque præterea habet alia similia, quæ cum prædeterminatione physicâ neutiquam componi possunt. 372

Conradus Koellin, qui viuebat anno 1500. 373
1. 2. quæst. 1. artic. 2. commen. 1. ait, *Homo se ipsum determinat ad finem.* Et commen. 2. dicit, *Agens ratione determinari ad aliquid certum per voluntatem, sicut per proximum determinatiuum ad actionem; licèt primum determinatiuum sit apprehensio.* Et notab. 3. iungit, *Tunc homo agit actionem humanam libaram, quando ad eam habet absolutè indifferentiam sic, quòd potest eam agere, & non agere, & potest velle, & agere hoc, vel illud.* Et quæst. 9. artic. 3. ait, *In potestate voluntatis, stante generali influentiâ, est se mouere ad exercitium, vel non mouere: neque ad hoc concurrit aliquid aliud actiuè completiuè.* Et artic. 6. *Voluntas per innatam libertatem potest sub istâ motione Dei se determinare ad hoc, vel illud bonum.* Et quæst. 74. artic. 1. negat motionem præuiam Dei ad actus vuluntaris naturales. Et postquàm docuerat, primam causam concurrere ad effectum intimiùs, quàm secundam, subdit. *Talis effectus non habet necessariam habitudinem ad causam primam, sed contingentem: quia fit ab eâ secundùm conditionem voluntatis, & causæ secundæ, quæ*

quæ est contingens. Vnde habet motionem cooperatiuam propriæ actioni creaturæ, & secundùm modum eius. Vnde, si Deus ageret ex necessitate naturæ, staret nihilominùs contingentia rerum propter defectibilitatem, & libertatem causarum secundarum. Et quæst. 80. artic. 1. ad 3. *Intellectus, & voluntas virtute huiusmodi principij naturaliter, & primò tendunt in verum, & bonum in communi. Sed ad particulare bonum voluntas se ipsam per consilium rationis determinat.* Mitto alia.

374 Thomas de Vio Caietanus, qui etiam viuebat anno 1500. 1. par. quæst. 14. artic. 13. §. *Nec sustinendus* contendens contra Scotum, effectus causæ liberæ adhuc fore contingentes, & liberos, etiam si Deus operaretur necessariò, imprimis apertè supponit, Deum cum causis secundis per solum concursum simultaneum concurrere, per illumque mouere illas ad operandum. Indeque probat, operationem causæ secundæ adhuc fore contingentem, estò Deus talem concursum, talemque motionem præstaret necessariò, id est naturaliter, & citra propriam libertatem. *Quia motio causæ prioris modificatur in causâ secundâ secundùm modum ipsius causæ secundæ.* Et rursus paulò post. *Quoniam causa cooperans intrinsecè cooperatur vnicuique secundùm modum eius, cui cooperatur. Talis est autem cooperatio primæ causæ.* Subditque, primam causam solùm dici attingere effectum priùs, quàm secunda; *quia independentiùs, & immediatiùs immediatione virtutis attingit; in eodem tamen instanti naturæ effectus ab vtràque attingitur. Nec propterea sequitur, ergo simul suscipit necessitatem, & contingentiam: quia non attingitur à primâ secundùm se, & seorsim, sed modificata in secundâ. Sed sequitur, ergo suscipit contingentiam à duabus causis simul, necessariâ, & contingente.* Idem ipsum, & ad rem nostram adhuc clariùs, docet quæst. 19. artic. 8. à §. *Primo distinguendo.* Vbi sic habet. *Non enim oportet, cùm aliquis vult aliquid, seu cùm Sol illuminat, primam causam præuiâ motione cooperari, sed sufficit, & exigitur, eam intrinsecè cooperari tali electioni, vel illuminationi: & hoc, quia cooperatio in vno quoque est secundùm naturam vnuscuiusque, sic enim disponit omnia suauiter. Vnde, siue necessariò, siue liberè cooperetur Deus, nihilominùs creata voluntas liberè vtitur illâ cooperatione.* Rursusque in fine negans, causam primam respicere effectum in aliquo instanti naturæ priore eo, in quo secunda respicit illum, concludit. *Attingit enim prima causa effectum secundæ independentiùs, & intimiùs, quàm secunda, vt patet in principio libri de Causis, & propterea dicitur respicere priùs.* Et quæst. 22. artic. 4. §. *In responsione ad primum. Desficile non est saluare naturam causæ liberæ cum prædictâ infallibilitate diuinæ prouidentiæ: eo quòd eiusmodi infallibilitas nihil dat, vel aufert causæ ad vtrumlibet: sed cum ipsâ stat, quòd causa habeat potentiam indifferentem ad illud infallibile, & ad eius oppositum: & propter hoc diuina prouidentia non adimit contingentiam à rebus.* Et quæst. 41. artic. 2. cum S. Tho. docet, differentiam causæ liberæ à necessariâ esse, quòd libera *non est determinata ad vnum, sed est indeterminata ad vtrumlibet, & sublatis omnibus impedimentis, est principium eorum effectuum, qui possunt fieri, vel aliter esse.* Et quæst. 83. artic. 1. cum S. Thomâ libertatem arbitrij ponit in indifferentiâ, siue indeterminatione eius ad oppositâ repugnante determinationi ad vnum. Et 1. 2. quæst. 9. artic. 4. §. *Ad euidentiam* ait, *Voluntatem mouere se.* Et paulo infra. *Non quandoque, sed semper, cùm voluntas mouet se, vtitur se ipsâ, applicando se ad volendum, vel nolendum.* Et infra §. *Ad id verò*, loquens de primo actu voluntatis, ad quem non à se, sed à Deo mouetur voluntas, iungit. *Et propterea hic actus, licèt sit velle, & voluntatis, & à voluntate vt eliciente actum; non tamen est voluntarius; quia non est à voluntate vt applicante se ad volendum, sed naturalis; quia Dator naturæ applicat ipsam mediante inclinatione datâ ad volendum.* Et quæst. 10. artic. 1. §. *In responsione* ait, *Voluntas non est talis causa, qualis est natura. Hæc enim est causa; quia est; ac per hoc est causa determinata ad vnum. Illa verò causa, quia vult; ac per hoc est causa libera ad vtrumlibet.* Nullumque adiungens commentarium ad artic. 4. eiusdem quæst. 10. planè significat Caietanus, exploratam, & sine controuersiâ esse conclusionem illam S. Thomæ positam in corpore articuli. *Quia igitur voluntas est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa; sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus eius contingens, & non necessarius, nisi in his, ad quæ naturaliter mouetur.*

Franciscus Ferrariensis, qui eodem anno 375
1500. viuebat in lib. 1. cont. Gent. cap. 67. §. *Ad euidentiam secundi dubij*, similiter atque Caiet. vbi supra, docet, contingentes fore nihilominùs causæ secundæ liberæ effectus, etiam si Deus operaretur necessariò: supponitque haud dubiè, sicut Caietanus, Deum per solum concursum simultaneum concurrere cum tali causâ secundâ, sic enim concludit. *Vnde non oportet, vt effectus in aliquo priori instanti habeat necessitatem à primâ causâ, sed simul productus à causâ necessariâ, & contingente propter causæ secundæ contingentiam, & ipse contingentiam habet.* Cap. autem 81. 82. & 88. apertè docet, de conceptu libertatis causæ liberæ esse, vt ea sit indifferens ad vtrumlibet, & non determinata ad vnum. Et lib. 3. cap. 89. §. *Ad omnia ista*, docet. *Quòd voluntas habet perfectè in suâ potestate volitionem suam: quia potest producere effectum, & non producere, supposità primâ causâ, & à nullâ causâ ad producendum, aut ad non producendum necessitatur.* Et cap. 159. circa medium ait, *Quia diuina prouidentia vnumquodque secundùm naturæ suæ conditionem gubernat, & mouet; homo autem est liberi arbitrij, potestque diuinam motionem sequi, & non sequi: inde est, quòd aliqui diuinam motionem sequentes se ad Gratiam præparant; aliqui verò ipsam non sequentes non se præparant.* Et lib. 4. cap. 22. §. *Ad huius euidentiam*, manifestè docet, ita nos à Deo moueri, siue inclinari ad agendum, vt non determinemur ab ipso. Eius verba. *Si autem actio non determinetur sibi ab altero, sed sic quidem moueatur ab altero, siue inclinetur ad agendum, quòd tamen in potestate suâ sit agere, & non agere, siue agere hoc, aut illo modo; tale dicitur agi non simpliciter, sed secundum quid, quia non determinatur sibi actio ab extrinseco ad vnum; sed ipsum se determinat: sed aliqualiter inclinatur ad agendum ab extrinseco. Quia ergo sic Spiritus sanctus nos ad agendum inclinat, quòd liberè tamen operamur, & ex proprio arbitrio tanquam habentes in nostrâ potestate sequi, aut non sequi Spiritus sancti inclinationem, & motionem; ideo dicimur ab ipso agi non simpliciter, sed secundùm quid.*

Dominicus Sotus, qui Concilio Tridentino 367

interfuit anno 1545. lib. 1. de Naturâ, & gratiâ cap. 15. ait, hominem hoc differre à brutis; *quòd habeat intellectum ratiocinatiuum in vtramque partem, eâdem ratione voluntatem, quæ in neutram fit determinata, sed in alterutram libera.* Et cap. 16. *Quidquid Deus vult voluntate absolutâ, &, quæ dicitur beneplaciti, fit. Quando autem cum libero homine concurrit, non vult illud fieri, nisi saluâ humanâ naturâ, & liberâ voluntate: quæ idcirco resistere Deo potest.* Vnde paulo post subdit, *Illo tunc temporis momento, quo Deus mecum concurrit, sum liber, vt tunc agere renuam. Etenim, dùm liberè moueor, possum in sensu diuiso non agere, & tunc cessabit concursus Dei.* Quæ & alia tradita ab ipso in eis cap. 15. 16. 17. & 18. clarè aduersantur physicæ prædeterminationi. Sed audiamus illum in Additionibus appositis in fine Operis super lib. 4. sent. scilicet distinct. 50. quæst. vnicâ artic. 6. à §. *Opus ergo.* Vbi confirmans, & magis explicans, quod docuerat lib. 1. de Nat. & grat. cap. 15. ait, *Cùm Deus paratissimus sit quemcumque conuertere, præsentissimusque misericordiâ ex duobus vtrumque aspiret; cur iste conuertatur, & non ille, reddi non potest causa, nisi quia vnus præbet assensum, alter verò minimè.* Quæ ipsissima doctrina est Negantium physicam prædeterminationem, vt disertè fatetur, imo ex professò tradit Aluarez disput. 120. de Auxilijs à num. 3. Vnde immediatè subiungit Sotus, *Quidam verò hoc taxare voluerunt, dicentes, quòd nimium tribuerim libero arbitrio in iustificationis causâ. Et tamen, saluâ semper catholicæ Ecclesiæ censurâ, arbitror necessariò sic dicendum.* Quo satis se declarauit aduersum Prædeterminatorum doctrinæ.

377 Denique Sonsinas lib. 9. Metaph. quæst. 17. ait, *Positis quibuscunque in voluntate creatâ, etiam in eodem instanti, quo vult, si consideretur vt naturâ prior, quatenus actus primus prior naturâ est, quàm secundus, est omnino indeterminata, & nihil est, quod eam prædeterminet ad velle: secus liberum non foret, sed necessarium.*

378 Omnes hi discipuli S. Thomæ, quorum testimonia produximus, præter vnum Ægidium Romanum positum primo loco, ex sacrâ fuerunt Patrum Dominicanorum Familiâ. Quos solos in causâ præsente, sat fuerit, testes aduocare, vt per eorum testimonia constet, concursum prævium, seu prædeterminationem physicam, de qua tractamus, à doctrinâ S. Thomæ, ab eiusque Scholâ longè abfuisse, donec in eam à tempore Dominici Bannes, ipsoque Auctore inuehi cæpit. Nec solùm primores Thomistæ quos recensuimus, sed omnes communiter Scholastici antiquitate suppares, qui ante dictum tempus scripserunt, ab eiusmodi physicâ prædeterminatione prorsus fuerunt alieni, aut etiam illi clarè aduersi, vt constat ex multis testimonijs eorum, quos afferunt nostri Doctores, præsertim eruditissimus Ruiz tom. de Scient. disput. 49. & 50. sparsimque in alijs disputationibus à 38. vsque 60. & tom. de Voluntate disput. 39. sparsimque in alijs à 27. vsque ad 51. Certè Gabriel Henao Opusc. de Scientiâ mediâ historicè propugnatâ Euentil. 17. ex Doctoribus, qui ante Dominicum Bannes, & Ludouicum Molinam scripserunt, plures, quàm 70. refert, qui vt minimùm doctrinas habent cum physicâ prædeterminatione prædictâ prorsus incompatibiles. Ex Auctoribus verò, qui scripserunt post Bannes, & Molinam plures, quam 150. citat, qui eamdem prædeterminationem physicam vel reiecerunt, vel impugnarunt, quorum 100. fermè sunt è Societate Iesu; reliqui verò externi.

Adde, multos grauissimos, ac sapientissimos Magistros ex ipsâ sacrâ Dominicanâ Familiâ, qui post Bannes sacram Theologiam aut publicè legerunt, aut etiam typis mandarunt, physicam prædeterminationem, quam cæteri sunt amplexi, deseruisse. Eam enim validissimè impugnarunt in Academiâ Salmanticensi duo illi insignes, ac celebratissimi viri M. Mantius, & M. Ioannes Vincentius, vt refert Doctor Ioannes Garcia Coronel Primarius Vallisoleti Theologiæ Professor apud Paulum Leonardum par. 1. sect. 11. num. 46. Et de M. quidem Ioanne Vincentio (qui tum Salmanticæ, tum Romæ in Minerua docuit Theologiam, totiusque Prædicatorum Ordinis Procurator Generalis, atque Vicarius fuit) acrem physicæ prædeterminationis impugnatorem extitisse, testantur insuper Ledesma sæpe in Tract. de Auxilijs. Soar. tom. 2. de Grat. lib. 5. cap. 10. num. 1. & Basilius Legionensis vt ocularis testis 1. par. variar. quæst. 9. cap. 3. vbi addit, *alios postea eadem Dominicanâ Familiâ ab opinione de prædeterminatione physicâ discessisse.* Aquâ etiam in Complutensi Academiâ tres alij præstantissimi Magistri Dominicani primariæ cathedræ Theologiæ discesserunt, prout videre est apud Quiedo controu. 10. Physic. punct. 3. Primus fuit M. Ioannes Gonzalez Albelda, quem in 1. par. disput. 58. prædeterminationem physicam infectantem videre licèt. Secundus M. Laurentius Gutrierrez, vir quidem præditus insigni ingenio, insigniterque à prædeterminatione dictâ abhorrente. Tertius M. Antonius Viezma Episcopus Petrensis, & postea de Almeria. Referuntur item à Paulo Leonardo par. 2. sect. 15. num. 75. inter desertores physicæ prædeterminationis ex Prædicatorum Familiâ M. Gaspar de Cordoua Philippi Secundi Confessarius. M. Ioannes de Cuellar Confessarius Alberti Archiducis, & postea Episcopus Abulensis, M. Cuello Regens Collegij Hispalensis, Balthasar Bucchnerus Doctor Theologus Academiæ Herbipolensis, & alij. Denique Illustrissimus M. Franciscus Araujo ex primaria Salmanticensi Theologicæ cathedrâ ad Segouiensem Episcopatum assumptus tom. 2. in 1. 2. quæst. 111. art. 5. dub. 6. nouissimè reijcit physicam prædeterminationem tanquam aduersam libertati, & alienam à doctrinâ S. Thomæ. Quam propterea vocat prolem expositam ad fores Scholæ Thomistæ, vt à Thomistis vel inuitis, velut ab extraneis parentibus, aleretur: non secus, inquit num. 36. *Atque infans foribus Ecclesiæ exponitur, vt ab ipsâ volente, nolenteve in curam, & tutelam recipiatur.* Quam malè autem M. Ioannes Martinez de Prado par. 2. Metaph. controuer. 12. artic. 3. §. 2. auctoritatem Sapientissimi Præsulis tentauit subterfugere, adscribens alteri eam partem operis eius, vbi physicam prædeterminationem impugnat, apud Henao Opusc. supra citato Euentilat. 6. videri potest ponderatum.

379

Præterea Eugenius Philadelphus in Exercitatione tripartitâ Scholasticâ cap. 2. §. 5. narrat, à RR. Patribus S. Dominici *propugnatas Auenione Theses, quibus negabantur physicæ Prædeterminationes causarum liberarum: idque coram Prouinciali, & Inquisitore Fidei, atque ipso totius Prouinciæ Capitulo.* Cui disputationi se præsentem adfuisse anno 1606. die 12. Augusti, testatur P. Theophylus Raynaudus in Hoplotheca contra

380

ictum

ictum calumniæ sect. 2. serie 2. cap. 9. pag. 277. vbi Thesim ipsam negantem prædeterminationes adscribit. Narrat item Henao Euent. 7. num. 42. M. Reuerendissimum Thomam Turcum Sacri Ordinis Prædicatorum Generalem Priorem, quando visitabat Hispaniam, quantum sibi displicerent physicæ prædeterminationes significasse: dixisseque in publicis conclusionibus Valentiæ habitis, dum ibi celebraretur Generale Capitulum, *aberrare longè à S. Thomâ Prædeterminatores Physicos*. Tam verò multos eorum, qui prædeterminationes asserunt pro actibus bonis, eas negare, ac detestari (haud satis quidem consequenter) pro actibus malis, adhuc pro materiali, indubitatum est. De quo videri possunt Ruiz disp. 27. de Volunt. Paulus Leonardus p. 1. sect. 12. num. 50. & sect. 13. num. 52. & p. 2. sect. 3. num. 13. & Henao Euent. 7. num. 43. His positis, accedamus iam propiùs ad resolutionem quæstionis.

Propositio 3.

381 **Concursus præuius in physicâ prædeterminatione consistens, de quo propos. 1. & 2. nullatenus admittendus, sed reijciendus omnino est.**

Probationes huius propositionis ad tria capita reducuntur. Primum est: quia eiusmodi concursus præuius nullo titulo est necessarius, vt causæ secundæ operentur, vti eius Assertores existimant. Secundùm: quia in causis liberis cum earum libertate componi non potest, sed illam penitus excludit. Tertium: quia alia fert secum insuper multa incommoda, quæ nequeunt sustineri. Secundum tamen & tertium horum capitum remittimus ad sequentem quæstionem: quia præsens primi dumtaxat est proprius locus. Quoniam verò necessitatis concursus prænij varios allegant titulos Aduersarij, vt eos distinctiùs, atque commodiùs refellamus, per totidem propositiones procedere oportebit, vt sequitur.

Propositio 4.

382 **Ex actualitate operationis non benè inferunt Aduersarij necessitatem prædeterminationis causæ secundæ superadditæ.**

Hæc propositio refellendo argumenta, atque illationes eorum potissimùm probanda est. Primùm arguunt sic. Causa secunda tribuit effectui vltimam actualitatem, & *esse*, quod habet. Sed hoc præstare non potest, nisi compleatur in suâ virtute actiuâ per præmotionem primi agentis. Ergo. Minor probatur. Nam omnis virtus operatiua creata est actus admixtus potentiæ, atque adeò non habet secundùm se tam perfectam actualitatem, quàm habet operatio, quæ est actus secundus. Ergo non potest esse principium actiuum talis operationis quantùm ad suam vltimam actualitatem, nisi priùs naturâ compleatur in suâ virtute operatiuâ per actualem motionem primi agentis. Principium enim efficiens non debet habere minorem actualitatem, quàm habet effectus: cùm vnumquodque operetur, in quantùm est actu. Ita Aluarez disp. 18. num. 12. & alij.

Retorqueo primùm argumentum in Aduersarios. Prædeterminatio physica est virtus operatiua creata, seu complementum virtutis creatum. Ergo est actus admixtus potentiæ, non habens adeò perfectam actualitatem, atque actus secundus. Ergo eget aliâ prædeterminatione; & hæc pariter egebit aliâ; daturque processus in infinitum. Quod est absurdum. Respondent, etsi præmotio habeat aliquam potentialitatem complebilem per actum secundum, non tamen habere potentialitatem in causando complebilem per alium actum primum: quia est actiua tanquam vltimus actus primus, ac proinde participatio diuinæ virtutis. Contra tamen primò. Causa creata ideo per te eget eâ prædeterminatione; quia est actus admixtus potentiæ, eo ipso, quod est virtus creata. Sed prædeterminatio est actus admixtus potentiæ: cùm sit etiam virtus creata. Ergo aliâ etiam egebit prædeterminatione: redditque rursus idem absurdum. Contra secundò. Non repugnat virtus creata, quæ sit vltimus actus primus, ac proinde participatio diuinæ virtutis, qualis est tua præmotio. Ergo non repugnabit causa creata, quæ se ipsâ sit vltimus actus primus, atque participatio diuinæ virtutis sine indigentiâ complementi. Probatur consequentia. Quia nec repugnat ex conceptu causæ siue virtutis, neque ex conceptu creatæ, vtrumque enim reperitur in tuâ præmotione. Quòd si est possibilis virtus creata se ipsâ completa in esse creatæ virtutis: abs iure asseritur, non esse eiusmodi omnes causas. Contra tertiò. Aut præmotio habet tam perfectam actualitatem, quàm actus secundus in lineâ suâ actus primi. Aut non habet tam perfectam actualitatem. Si primum. Ergo in lineâ actus primi est possibilis tam perfecta actualitas, quàm in lineâ actus secundi. Ergo poterit aliqua causa sine præmotione habere tam perfectam actualitatem, quàm actus secundus; subindeque ad aliciendum illum nullâ præmotione indigebit. Ergo non erit, cur negetur, tales esse de facto omnes causas creatas. Si verò præmotio non habet tam perfectam actualitatem, quàm actus secundus. Ergo indigebit alterâ præmotione; & iterum processus infinitus recurrit. 383

Deinde positiuè argumentor. Aut causa debet esse eiusdem naturæ cum effectu quoad omnia prædicata: Aut non. Si primum. Ergo intellectus nequit causare intellectionem; cùm non sit intellectio: & Deus nequit efficere hominem, aut lapidem; cùm non sit homo, neque lapis. Si secundum. Ergo causa non debet habere actualitatem actus secundi, hoc est, non debet formaliter continere prædicatum actus secundi. Est certum. Quia Deus non continet in se formaliter prædicatum creationis; quæ est proprius actus secundus eius. Ergo ex eo, quòd causa non habeat actualitatem actus secundi, non eget præmotione ad causandum. Dices, id verum esse. Quia certum est, causam non debere esse formaliter actum secundum. Oportere tamen, quòd actualitas causæ sit perfectior, aut saltem æquè perfecta, ac actualitas actus secundi. Benè. Ergo possibilis est actualitas diuersi generis ab actualitate actus secundi, quæ sit perfectior, aut æquè perfecta, ac est actualitas actus secundi: (talem fateris esse actualitatem tuæ præmotionis). Ergo possibilis est causa, cuius actualitas sit perfectior, quàm actualitas actus secundi independenter à præmotione: quæ proinde sine 384

præ-

prædeterminatione. Quia vt instrumentum attingat effectum principalis agentis, necesse est, vt ab illo moueatur prævià motione.

præmotione possit prodire in actum secundum. Cur ergo omnes causæ de facto non erunt huiusmodi?

385 Imò verò probo huiusmodi esse. Nam actualitas cuiusuis causæ loquendo realiter, perfectior haud dubie est, quàm actualitas sui actus secundi. Primùm enim omnis actus secundus causæ accidens quoddam est; cùm tamen causæ creatæ sæpe sint substantiæ. Quis autem dubitet, actualitatem substantialem perfectiorem esse reipsà, quàm actualitatem accidentalem? Quando autem causæ creatæ sunt accidentia; eæ quidem ex conceptu accidentium neque cum suo actu secundo, neque cum alio quopiam ente sunt essentialiter connexæ quoad existentiam: cùm tamen actus secundus causæ ex conceptu suo essentialiter sit connexus tum cum causà, tum cum effectu. Ex quo fit, causas etiam accidentales quà tales minùs indigas, minùsque dependentes esse ab alijs entibus, quàm actus secundi. Ergo sunt ex genere suo perfectiora entia, quam illi: nam ex minori indigentià, atque dependentià maior perfectio entis optimè arguitur. Non igitur est, cur ex actualitate actus secundi præmotio superaddita necessaria causæ in actu primo inferatur.

386 Præterea. Actus secundus efficientis non habet necessariam connexionem cum præmotione suæ causæ ex prædicato actus secundi: non ex prædicato actus secundi causatiui: non ex prædicato specialis actionis. Ergo nullatenus necessariò infert præmotionis existentiam. Et quidem ex prædicato vniuersaliori actus secundi, certum est, actionem cum præmotione non connecti; nam multi sunt actus secundi, quorum potentiæ non præmouentur citra omne dubium; videlicet actus secundi non causatiui. Neque connectitur cum præmotione ex prædicato causatiui: nam passio causatiua est; & tamen in materià, cuius est actus, non præsupponit præmotionem, vt omnes Prædeterminatores supponunt, vno, vel altero iuniore excepto, qui in omnia genera causarum importunè præmotiones inuexit. Neque connectitur actio cum præmotione causæ ex prædicato actionis: quia eiusmodi connexionis nullum reperitur vestigium: nam actualitas, ob quam exposcitur præmotio à suis Assertoribus, potiùs competit actioni ob prædicatum commune actus secundi, quàm ob prædicatum actionis: neque ea, vndecunque proueniat, est argumentum præmotionis in causà, vt probatum est. Igitur nihil est in actu secundo causæ efficientis, ratione cuius is cum præmotione ipsius causæ connexus sit. Ergo ex naturà actus secundi non benè infertur præmotio causæ.

387 Arguunt secundò. *Esse* est actus vniuersalissimus, & proprius effectus solius Dei, vt docet S. Thom. lib. 3. contr. Gent. cap. 66. & alibi sæpe. Ergo causa secunda non potest influere *esse* in effectum, nisi prædeterminata à Deo? Cùm enim in suà virtute non contineat rationem entis vniuersalissimi, quæ reperitur in effectu, oportet eam præmoueri à Deo, vt ratione prævię motionis contineat in virtute Dei ipsum *esse*, siue rationem entis effectus. Hoc argumentum, dicunt Thomistæ quidam recentiores, esse basim suæ doctrinæ. Addit Aluarez supra. Ex eo, quòd *esse* sit effectus proprius solius Dei, causas secundas, quatenus attingunt *esse* suorum effectuum, formaliter esse instrumenta Dei, vt docet S. Thom. quæst. 3. de Potentià art. 7. & sæpe alias: ac proinde egere prædeterminatione. Quia vt

388 Hoc argumentum eodem modo, ac præcedens, in arguentem retorquetur. *Esse* est effectus solius Dei. Ergo non potest contineri in virtute præmotionis; cùm hæc sit aliquid creatum. Vel, si non obstat in præmotione ratio creaturæ, quominùs contineat in suà virtute rationem entis, seu ipsum *esse*; cur id obstabit in efficiente ipso creato? Dices, præmotionem esse participationem diuinæ virtutis, atque adeò *esse* effectus non tam in virtute præmotionis, quàm in virtute Dei mediâ ipsà dicendum esse contineri. Sit ita. Sed cur non dicemus eodem iure, imo potiori, ipsam causam respectu actus essendi effectus esse participationem diuinæ virtutis, ipsumque *esse* mediâ causà contineri in virtute Dei: sicque vt superfluam relegabimus præmotionem? Iam, quod dicitur de instumento, pari ratione retorquetur. Nam vel præmotio est causa principalis respectu *esse* effectus; tametsi sit aliquid creatum; & sic, idem de causà ipsà, seclusà præmotione, affirmari poterit æquo iure. Vel promotio est instrumentum Dei; & sic egebit aliâ præmotione abibimusque in infinitum.

389 Dico ergo dato, quòd *esse*, seu ratio entis communissima in solà diuinà virtute contineatur; de quo agam inferius; inde potiùs debere inferri, non posse causam creatam producere effectum, ni iecum immediatè causa prima concurrat absque interuentu præmotionis: quod enim solius virtutis diuinæ proprium est, nequit creaturæ communicari, sed per ipsam diuinam virtutem immediatè præstari debet. Tantum ab est, vt ex doctrinà illà, quæ adducitur ex S. Thomà, præmotio intermedia inferatur. De mente Doctoris Angelici inferiùs etiam agam. Iam quo pacto iuxta S. Thomam causæ secundæ veniunt dicendæ instrumenta Dei: & qualiter inde nulla necessitas præmotionis, seu prædeterminationis earum inferatur vllatenus, abundè relinquimus iam explicatum atque probatum supra à num. 353. per plures sequentes. Recognoscantur.

390 Tertiò arguunt sic. Nulla causa creata est actus purus in agendo. Ergo quæuis causa creata habet virtutem actiuam permixtam cum passiuà. Ergo agit vt mota ab alio. Antecedens probatur. Quia, si causa creata esset actus purus in agendo, non distingueretur realiter ab actu secundo. Consequentia verò probatur. Nam vnumquodque agit secundùm, quòd est in actu, & agitur, secundùm quòd est in potentià. Ergo causa non purè actiua, quæ potentiam passiuam admixtam habet, agit & mouet, in quantùm ipsa mouetur ab alio.

391 O quot hìc inuoluuntur. Retorqueo, vt soleo. Causa cum præmotione non est actus purus in agendo. Quia coniunctum ex præmotione, & causà adæquatè distinguitur ab actu secundo. Ergo causa cum promotione, siue præmotio ipsa, habet virtutem actiuam admixtam cum passiuà. Ergo concurrit vt mota ab alio. Et sic abitur sine fine. Deinde, vnum quodque agit, in quantùm est in actu; & agitur, in quantùm est in potentià. Sed præmotio habet virtutem actiuam admixtam passiuæ. Ergo eatenus mouetur ad effectum, quatenus ipsa mouetur ab aliâ præ-

præmotione. Et sic sine fine. Iam, si illa causa dicitur actus purus in agendo, quæ non distinguitur realiter à suo actu secundo; sequitur planè, Deum non esse actum purum in agendo: quia verè distinguitur ab actu secundo, quo ad extra agit. Vide modò tuam consequentiam. Ergo Deus habet virtutem actiuam admixtam passiuæ. Ergo agit, in quantùm agitur, seu in quantùm ab alio mouetur. Quo quid absurdius? Dicendum est igitur, nullam causam etiam increatam esse actum purum in agendo. Quia nulla est suus actus secundus à parte rei. (Loquor de ijs causis, quæ de facto dantur). Ex hoc tamen tantùm infertur, eas esse potentias ad actum, non quidem passiuas, sed actiuas. Quo totùm argumentum cassatur. Videantur ad rem, quæ de potentia, & actu latè scripsimus in Pharo Scient. totâ disp. 8. & quæ in hoc Opere tom.1.disp.1.quæst.12. diximus de actu puro, & non puro. Illud verò exioma, Vnumquodque agit, in quantùm est in actu, &c. commodiùs explicabitur infra propos.t.6.

392 Quartò arguitur. Actus secundus ex naturâ suâ perfectior est actu primo, vt docet S. Tho. 1.p.quæst.25.art.1.ad 2. & quæst.105. art.5. in corp. & 1.2.quæst.71.art.3.in corp. Ergo nullum agens creatum in suo ordine est vltimatè potens producere actum secundùm, nisi recipiat à primo aliquam actualitatem, vel motionem. Antecedens probatur. Quia actus secundus habet magis de actualitate, quàm primus; & hic magis de potentialitate. Tum actus primus realiter actuatur per secundum, atque adeò habet rationem potentiæ perfectibilis per illum. Id autem, quod perficitur per aliud non potest non esse imperfectius illo. Hoc argumentum coincidit cum primo, & retorqueri potest pariter in præmotione. Respondeo, vti respondebam ad illud, actum primum, loquendo realiter perfectiorem esse plerunque, quàm actum secundum, præsertim in genere efficientis: compertum enim est, causam efficientem aut semper, aut fere semper esse ens longè perfectius, quàm est actio, qua agit. Nec refert, actum primum esse perfectiorem actu secundo, vt per illum perfici possit. Falsum quippe est, non posse perfici magis perfectum per minùs perfectum: cùm sit certissimum, substantiam per accidentia longè se imperfectiora perfici; tum essentiam per suas passiones, &c. S. Thomas autem locis citatis dumtaxat vult cum Arist. quando potentia ordinatur ad suum actum tanquam ad finem, eam sumptam præcisè in quantum medium, solâ scilicet consideratâ vtilitate eius ad talem finem, minùs bonam, minusve æstimabilem esse, quàm ipsum finem. Id namque proprium est mediorum præcisè vt vtilium ad finem, à quo vt sic suam participant bonitatem: quia propter quod vnumquodque tale, & illud magis, vt fert axioma commune. Quod non tollit, media realiter considerata sæpe esse entia longè perfectiora, quàm est finis, ad quem ordinantur. Sed verò, estò causa secunda titulo potentiæ ordinatæ ad suum actum absolutè esset minùs perfecta, quàm actus ipse; profectò iste defectus nullatenus per prædeterminationem adiunctam ipsi causæ suppleri posset, vtpote spectantem ad lineam potentiæ vt complementum, ex quo, & ex causâ coalesceret integra potentia ad actum. Solùmque proinde suppleri posset talis defectus per omnipotentiam diuinam iuuantem causam ad agendum medio concursu simultaneo. Ex quibus omnibus apparet, nihil, quod ad intentum Aduersariorum prodesse possit, per argumentum factum probari.

Propositio 5.

Ex prioritate, & independentiâ causæ primæ non benè infertur physica prædeterminatio causæ secundæ. 393

Hæc propositio sicut præcedens probanda est: nempe enernando argumenta, quibus ab hoc latere se instruunt Prædeterminatores. Argumentantur primò. Deus operatur vt causa prima. Ergo cum prioritate naturæ. Debet enim operari vt causa prima in ratione causæ; quod fieri non potest, nisi priùs naturâ influat, quàm causa secunda. Ergo datur præmotio præuia, qua causa prima secundam præmouet ad effectum. Retorqueo argumentum. Deus operatur vt causa prima in ratione causæ concursu simultaneo. Ergo concursus simultaneus, prout est à Deo, prior est prioritate naturæ, quàm operatio causæ secundæ: cum tamen sit idem cum illâ. Ergo, positâ præmotione eadem remanet difficultas. Respondent aliqui, Deum non constituì causam primam in operando ratione concursus simultanei: quia in hoc non minùs dependet Deus à creaturâ; quàm creatura à Deo; eo quòd Deus se solo nequit hunc concursum elicere. Atque adeò, vt Deus tanquàm causa prima operetur, necessarium omnino esse concursum præuium, quo Deus ipse præmoueat causam secundam. Sed primùm euasio hæc doctrinæ S. Thomæ non consonat. Docet enim Doctor Angelicus quæst.3. de Potentiâ art. 7. & 1.p. quæst.105. art.5. & alibi, afferens id ex lib. de Causis, actum essendi esse communissimum effectum, primumque, & interiorem omnibus effectibus, & ideo, causare *esse* in rebus, primæ causæ, vtpote vniuersalissimæ, proprium esse: & quia inter omnia, quæ reperiuntur in effectu, *esse* ipsum est magis intimum, internumque, idcirco Deum suo concursu simultaneo vehementiùs, & intimiùs ingredi in causatum. Ergo ex sententiâ S.Thom. Deus per concursum simultaneum operatur vt causa prima, aliterque hic concursus à Deo, & aliter à creaturâ dependet. Imò ex hac doctrinâ infert S. Thom. concursum ipsum Dei simultaneum, prout tendit in *esse* formaliter, quod est primum, & vniuersalissimum prædicatum effectus, non posse non esse priorem operatione creaturæ, videlicet prioritate maioris vniuersalitatis, quæ hîc non realis, sed rationis prioritas est cum fundamento in ipsa re; aut etiam alijs prioritatibus, prout supra latiùs explicuimus num.349. & seqq. qui ad rem recognoscendi.

Deinde. Vel prioritas influxus diuini, quam conantur adstruere respectu influxus creaturæ, est prioritas immediata: vel est prioritas mediata. Si immediata. Ergo Deus per vnam actionem immediatè agit aliam actionem, videlicet actionem creaturæ, quæ simul est actio ipsius Dei. Quod est inauditum: quia vnius actionis non datur alia actio immediata, saltem de facto: cùm quæuis actio se ipsâ fiat sufficienter. Si autem illa prioritas mediata est: (quod sane dicunt Prædeterminatores). Ergo eatenus Deus operatur effectum priùs naturâ, quàm causa secunda, quatenus huic per concursum præuium imprimit additamentum aliquod, quod vocant 394

præ-

prædeterminationem, & complementum actus primi: quodque simul cum causâ influit in actum secundum. Sed Deus independenter ab hoc additamento dici potest priùs naturâ influere in effectum prioritate mediatâ, quatenus producit ipsam causam secundam, siue conseruat; quatenus eam applicat, & complet ad operationem, causando, vel conseruando omnia prærequisita ad illam, quæ propria munia sunt causæ primæ: (præter alias prioritates, quas insuper per concursum simultaneum exercet). Ergo ad saluandam prioritatem causæ primæ respectu operationis secundæ superfluè prorsus adstruitur supradicta præmotio.

395 Porrò quatuor ex titulis dici causam primam mouere secundam ad agendum, in ipsàque, siue cum ipsa agere, ipsiusque actionis causam esse. Primò, quia dat illi *esse*; Secundò; quia conseruat. Tertiò; quia applicat ad operationem tum per collationem prærequisitorum ad agendum, tum per concursum simultaneum. Quartò; quia cum illâ agit vt causa principalis cum instrumento. Doctrina est expressa S. Thomæ in locis relatis à nobis supra num. 349. In qua, vt ex adiunctis à nobis in eo num. & in seqq. constat, ne vestigium quidem vllum est physicæ prædeterminationis, de qua tractamus. Cùm igitur vel propter omnes dictos titulos, vel propter plerosque nequeat non dici Deus munus causæ primæ exercere, dum concurrit cum causâ secundâ, priùsque, quàm illa, variis prioritatibus operari, vt etiam à nobis est explicatum loco citato, planè concluditur, ex modo, quem Deus habet operandi vt causa prima, dum concurrit cum causâ secundâ, huius prædeterminationem, qualis ab Aduersarijs ponitur nullatenus venire inferendam.

396 Ex quibus ad argumentum factum patet primò, quomodò Deus multis ex titulis & priùs, quàm causa secunda operatur, & munus causæ primæ perfectissimè exercet, dum ad operationem eius concurrit, quin illam vllatenus prædeterminet, prout Aduersarij volunt. Secundò patet, falsum esse, quod aliqui eorum dicebant, Deum scilicet non constitui causam primam in operando ratione concursus simultanei. Nam, licèt hic per se immediatè æqualiter eodemque modo penderet à causâ creatâ, & à Deo; (quod ita non est iuxta S. Thomam, cùm Deus longè efficatiùs, & intimiùs influat per illum in effectum, quàm causa creata); absolutè tamen magis pendet à Deo, quatenus & ipsa causa creata pendet à Deo, & applicatio ipsius ad agendum per præuia requisita. Quocirca, licèt Deus sine consortio causæ creatæ non valeat hunc concursum elicere, vtpote modum ipsius causæ cum eâ necessariò connexum, ab eâque necessariò oriundum; longè tamen minùs pendet Deus à creaturâ in elicientiâ huius concursus, quàm creatura à Deo; cùm hæc dependeat etiam quoad *esse*, sine quo non est operatio, & quoad prædictam applicationem. Deusque præterea respectu effectus omnino sit independens à causâ creatâ; hæc verò à Deo non item; eo quòd Deus talem effectum se solo per actionem sibi propriam potest efficere; causa verò creata minimè.

397 Adde, in productione prædeterminationis essentialiter connexæ cum actu secundo, qualiter à Prædeterminatoribus ponitur, non minùs dependere Deum ab operatione causæ creatæ, quàm in concursu simultaneo ipsius actus secundi; quia non minùs repugnat, poni in naturâ rerum prædeterminationem, causâ secundâ non operante, quàm poni in naturâ rerum concursum simultaneum, causa secunda non operante. Ergo non magis, nec meliùs adstruitur munus causæ primæ per productionem prædeterminationis, quàm per concursum simultaneum, ab eis, qui putant, tali muneri obstare, quòd operatio Dei sit dependens ab influxu causæ secundæ. Hæc dicta sunt in vniuersùm de actionibus, & effectibus causæ secundæ physicè, & absolutè spectatis. Nam actio materialis peccati præcisè, seu respectiuè sumpta, prout est à creaturâ, qua ratione fundat malitiam moralem, nullatenus potest attribui Deo vt causæ: quia fieret Deus auctor peccati: quod est hæreticum. De quo infra redibit sermo præpositus. 7.

Secundò arguunt. Operatio causæ secundæ, 398
vt est ab ipsâ causâ secundâ, producitur à Deo, Ergo Deus non solo concursu simultaneo concurrit, sed etiam præuio. Consequentia constat. Quia per solum concursum simultaneum operatio causæ secundæ, prout est à causâ secundâ non reducitur in Deum, nisi remotè, quatenus dat esse ipsi causæ secundæ. Antecedens autem probatur. Quia operatio causæ secundæ spectata sub eâ ratione, qua ab illâ procedit, est ens in rerum naturâ contingenter existens. Omne autem tale necessariò est à Deo. Et confirmatur. Quia, si actio prout à causâ secundâ non penderet à Deo, Deus non attingeret entitatem actionis causæ secundæ secundùm omnem modum realem existentem in illâ; cùm non attingeret dependentiam eius à causâ secundâ.

Suas quoque instantias patitur hoc argu- 399
mentum. Nam, positâ prædeterminatione in causâ secundâ, operatio, prout est à prædeterminatione, non est à Deo immediatè, sed tantùm mediatè, quatenus prædeterminationem produxit, à qua procedit operatio. Ergo pari ratione, omni prædeterminatione sublatâ, poterit dici, operationem causæ secundæ, prout est ab ipsâ causâ, esse etiam à Deo mediatè, quatenus causam produxit, & conseruat, atque etiam applicat ad operandum. Dices, discrimen esse inter causam, & prædeterminationem; quòd causa non connectitur essentialiter cum operatione, sicut connectitur prædeterminatio, atque adeò, qui ponit causam, non ita dicitur facere, vt sit operatio ab ipsâ causâ, sicut, qui ponit prædeterminationem. Sed contra primò. Quia, estò prædeterminatio sit necessariò connexa cum operatione, eius beneficio non efficitur, vt operatio, prout est à causâ secundâ, ab ipsâque prædeterminatione, sit immediatè à Deo, sed tantùm mediatè. Quod per instantiam prætendebam. Contra secundò. Ergo, si detur causa essentialiter connexa cum suâ operatione, hæc titulo causæ secundæ nullâ præmotione indigebit. Sed tales sunt omnes causæ non liberæ, postquàm habent omnia requisita ad operandum, in promptuque iam est concursus simultaneus Dei propter decretum, quod Deus habet concurrendi cum illis, omni aliâ præmotione seclusâ. Ergo saltem in causis necessarijs non erit necessaria præmotio, vt earum operatio, prout ab ipsis est, à Deo quoque sit vt à causâ primâ. De operationibus autem liberis prout sunt à causâ suâ, infra constabit, non posse semper attribui Deo, vt earum auctori, ne Deus fiat auctor peccati.

Instio

400 Instò secundò. Operatio causæ secundæ, prout est à causâ materiali, & prout est à causâ finali, est aliquid creatum in rerum naturâ existens. Ergo, vt sit à causâ primâ sub eis respectibus, causa quoque materialis, & finalis debent à Deo præmoueri, atque à Deo tres, aut quatuor præmotiones erunt necessariæ ad quamlibet operationem pro quatuor generibus causarum; quod semper apud Aduersarios inauditum penitus fuerat vsque ad nescio quem Recentiorem eas admittentem. Vide ergo vim tuæ argumentationis. Imò, vt apertiùs videas, sic vrgeo. Datâ prædeterminatione ex parte materiæ, adhuc operatio prout à materiâ non potest referri in Deum, vt in causam primam. Ergo argumentum tuum, si quid probat, probat quidem, esse aliquem conceptum creatum, & existentem, ad quem Deus non concurrat vt causa prima. Probo antecedens. Prædeterminatio posita ex parte materiæ non potest illam prædeterminare ad efficiendam operationem, sed tantùm ad recipiendam illam: quoniam materia non efficiendo, sed recipiendo causat operationem. Ergo Deus per eam prædeterminationem non potest efficere, vt operatio fiat à materiâ, sed tantùm, vt recipiatur in materia. Ergo Deus per eam prædeterminationem nullatenus potest esse principium efficiens operationis, prout operatio est à materiâ. Patet consequentia. Quia Deus virtute præmotionis mediatè tantùm concurrit ad effectum. Ergo tunc tantùm concurrit effectiuè, quando præmouet causam ad efficiendum: secus quando illam præmouet ad recipiendum. Si enim operatio (datâ hypothesi impossibili) à solâ materiâ causaretur per receptionem sine vllo principio efficiente immediato, ex eo, quòd Deus præmoueret materiam ad illam causandam, non diceretur operationem efficere adhuc remotè, sed tantùm illam causare aliter, quàm in genere efficientis. (Ni velis admittere, Deum illam causare materialiter, quod ego vti absurdum, non pronuncio). Stet ergo, admissâ prædeterminatione ex parte materiæ operationis, adhuc non posse operationem prout à materiâ referri in Deum, vt in principium primum efficiens. Sed neque ratione concursus simultanei operatio prout à materiâ est à Deo vt causâ primâ. Nam, si prout ab efficiente creato non est à Deo ratione concursus simultanei iuxta tuum argumentum, multò minùs erit à Deo prout à materiâ ex vi dicti concursus. Ergo operatio prout à materiâ nulla ratione est à Deo vt à causâ efficiente primâ. Sed operatio prout à materia est aliquid creatum existens. Ergo aliquid creatum existens nullo modo est à Deo vt à causâ prima efficiente. Ecce tuas consequentias.

401 Ex his igitur absurdis gradus sese offert facilis ad solutionem argumenti. Etenim causa prima, & causa secunda eâdem actione indiuisibiliter operantur: ponimus enim concursum simultaneum Dei non esse realiter distinctum à concursu creaturæ. Quo fit, vt tota ea actio, quæ simul est actio Dei, & actio creaturæ se ipsâ immediatè pendeat à Deo vt à causâ primâ. Nullum est enim prædicatum, nullus est modus, non dico realiter, sed ne formaliter quidem distinctus ab entitate eius actionis, qui se ipso non dependet à Deo vt à causâ primâ, pariterque à creaturâ vt à causâ secundâ. Impossibile enim est, vnam formalitatem realiter ab aliquâ causâ pendere, & non pendere ab eâdem aliam formalitatem identificatam priori, vt est certissimum: tametsi quandoque ex pluribus formalitatibus, quas habet effectus, alia vni causæ, alia alteri per nostram rationem soleat attribui. De quo suo loco. Cæterùm, quia eiusmodi actio reuerà est actio duarum causarum, ambæque causæ realiter eliciunt illam, non possunt non duæ denominationes, duæve veritates resultare ex dualitate causarum, quoties ea actio cum illis comparatur, vt cum distinctis connotatis. Vbi enim sunt plura connotata, plures veritates sunt obiectiuæ: quantumuis sit vnica, & eadem res, quæ connotat illa, iuxta doctrinam vniuersalem datam à nobis in Pharo Scient. disp. 2. quæst. 4. & supra etiam commemoratam disp. 23. q. 4 num. 106. Hinc, Deum causare, & creaturam casare non est eadem veritas; tametsi causatio sit eadem: quia Deus, & creatura non sunt idem. Similiter, actionem pendere à Deo, non est idem, ac, actionem pendere à creaturâ; etsi sit eadem actio: quia Deus, & creatura distinguuntur. Vnde rursus efficitur, vt verè dicatur, actionem, prout est à creaturâ, non esse à Deo, &, prout est à Deo, non esse à creaturâ; etiamsi nihil prorsus sit in actione, quod non sit à creaturâ; eo videlicet quòd Deus, & creatura non sunt idem. Vide hoc ipsum in actione, quæ realiter est actio, & passio: ea enim, prout est ab efficiente, non est à materiâ, &, prout recipitur in materia, non est ab efficiente: tum prout est ab efficiente non est passio, sed actio; & prout recipitur in materiâ, non est actio, sed passio; & tamen nihil reale est in entitate eius actionis, quod non sit ab efficiente, nihil, quod non recipiatur in materiâ. Fatemur igitur, actionem creaturæ, prout est à creaturâ, immediatè non esse à Deo, &, prout est à Deo, non esse à creaturâ. Hoc tamen loquendi more nihil aliud asseritur, quàm, eam entitatem pendere à creaturâ, & à Deo, & Deum non esse creaturam. Dum autem vrgent. Actio prout est à creaturâ est ens contingenter existens. Ergo, prout est à creaturâ, est à Deo. Cauenda est æquiuocatio. Distinguo antecedens. Actio, prout est à creaturâ, est ens contingenter existens à creaturâ; concedo. Contingenter existens à Deo, vel absolutè; nego. Et nego consequentiam. Instabunt. Ergo aliquid contingenter existens non est à Deo. Respondeo. Aliquid contingenter existens à creaturâ, prout ab ipsâ non est à Deo; concedo. Non est à Deo absolutè nego. Sat autem est, esse absolutè à Deo, quidquid quoquo modo est contingenter existens. Tametsi cum eo addito diminuente, *prout à creaturâ*, non sit à Deo; sicuti neque, prout est à Deo, est à creaturâ. Ex quibus patet argumenti supra facti solutio. Quam adeò latè explicare oportuit: quia in æquiuocatione istâ latitat bona pars sententiæ contrariæ. Iam verò, qui concedi non possit, esse à Deo, prout est à creatura, actionem peccaminosam; quin cadatur in absurdum faciendi Deum auctorem peccati, inferiùs tangendum nobis est.

Tertiò arguit Aluarez disp. 18. num. 14. 402
Id, quod non habet esse à se, non habet à se operari, sed totum hoc accipit ab alio, à quo habet esse, vt docet S. Thom. in 2. dist. 37. quæst. 2. art. 2. Vnde Concilium Florentinum in Decreto fidei catholic. ex eo probat, Verbum habere à Patre esse principium Spiritus sancti; quia à Patre habet esse. Ipsaque Veritas Ioan. 7. dicit, *Doctrina*

mea non est mea, sed eius, qui misit me, Patris. Et iterum Ioan. 5. *Filius non potest à se facere quidquam.* Sed voluntas creata non habet esse à se, sed à Deo. Ergo non habet à se operari, sed hoc accipit à Deo. Respondeo, concedendo totum. Assero tamen, vt voluntas creata dicatur, habere à Deo operari, satis esse, quòd habeat ab illo virtutem operatiuam à se indistinctam cum cæteris ad operationem prærequisitis, & quòd Deus cum eâ concurrat concursu simultaneo. Id quod & Aduersarij tenentur dicere: neque aliud sanè dicunt. Nisi quòd inter illa ad operationem prærequisita ipsi suam numerant prædeterminationem. Quam tamen nos vt impertinentem, imò vt noxiam voluntati abnegamus. Quod autem in argumento facto adducitur ex Florent. pro nobis est. Siquidem Verbum solam virtutem spiratiuam à suo *esse* indistinctam absque vllâ aliâ superadditâ præmotione habet à Patre, vt simul cum illo Spiritum Sanctum spirare possit. Ex verbis verò Christi Domini adiunctis nihil contra nos posse colligi, manifestum est.

403 Quartò idem Aluarez ibidem. Fieri non potest, etiam per potentiam absolutam, vt Deus producat actionem vitalem creatam, nisi mediante potentiâ vitali. Ergo impossibile est, Deum cum potentia vitali influere in actionem vitalem, nisi prius naturâ influat in ipsam causam vitalem per præmotionem. Nego consequentiam. Nec video, quo pacto inferat ex eo, quòd Deus sine potentiâ vitali nequeat causare actum vitalem, debere præmoueri à Deo potentiam ipsam. Cùm aliàs passim vice versâ soleant Prædeterminatores inferre ex eo, quòd potentia creata nequeat causare sine Deo, eam à Deo debere prædeterminari.

404 Quintò Cabezudo in 3. p. quæst. 62. art. 5. quæst. 2. §. *Et confirmatur*. Sic arguit. Ego non possum causare totum hoc complexum, quod est me operari: Siquidem ego ipse in illo sum inclusus, & non possum causare me ipsum. Ergo tota illa veritas complexa causatur à Deo, atque adeò præcedit motio diuina. Mirabilis argumentatio. Cuius assumptum vt summùm probat, meam entitatem causari à Deo: quidquid sit de meâ operatione, vt est notum.

Propositio 6.

405 **Neque ex subordinatione causæ secundæ respectu primæ; neque ex indifferentiâ voluntatis creatæ infertur benè physica prædeterminatio.**

Eadem methodo procedam in probatione huius propositionis, opposita confutando argumenta. Primum sic format Aluarez disp. 18. num. 14. & disp. 24. num. 24. Repugnat, respectu eiusdem actionis esse duo prima principia. Sed si non datur prædeterminatio in causâ creatâ, erunt duo prima principia respectu eiusdem actionis. Ergo. Maior est certa. Minor probatur primò ex D. Thom. in 2. disp. 37. quæst. 2. art. 2. vbi ex oppositâ sententiâ infert, danda esse duo prima principia. Secundò: quia primum principium est, quod potest agere sine dependentiâ ab agente priori. Sed, si causa creata producit absque prædeterminatione, operatur sine dependentiâ, & sine necessitate influxus prauij. Ergo. Nec refert, si dicatur, indigere causam creatam causâ primâ, vt det illi virtutem, & simul concurrat. Nam hanc solutionem expræsè impugnat S. Thom. inquiens, *Quamuis per hanc responsionem euitaretur, quòd voluntas humana, & quæcunque alia causa secunda non esset primum ens simpliciter, non tamen videtur posse euitari, quin esset primum agens, si eius actio in aliquod prius agens non reduceretur sicuti in causam.* Concessâ maiore argumenti; nego minorem. Ad probationem ex S. Thom. respondeo, alienum esse Doctorem Angelicum ab scopo Arguentis. Refutabat S. Thom. opinionem relatam à Magistro aliquorum, qui putabant, actum peccati, etiam quatenus actus est in genere entis, non procedere à Deo. Contra quos infert, esse duo prima principia: siquidem humana voluntas erat principium illius actionis sine dependentiâ ab alio. Nec sufficit, inquit, si dicatur, habere virtutem ab alio: quia per hoc euitaretur, quòd esset primum ens simpliciter; non autem, quòd esset primum agens; cum actio eius non dependeret ab alio priori. Hic non agitur de præmotione physicâ, sed de concursu simultaneo, quem negabant illi Doctores. Ad alteram probationem respondeo, negando, causam creatam operari sine dependentia a primâ, si non prædeterminata operetur. Dependet enim in *esse*, in applicatione per requisita prævia, & in concursu simultaneo; quod satis, superque est. Adde, complexum ex prædeterminatione physicâ, & causâ esse aliquid creatum, quod sine alio prauo influxu Dei operatur. Et tamen non sequitur, esse duo prima principia operationis. Cur igitur id sequetur, si causa creata sine prauâ præmotione operetur? Rursus. Finge, me admittere prædeterminationem; negare tamen concursum simultaneum, vti negabant Doctores illi. Certè in hac hypothesi causa creata esset primum agens iuxta argumentum S. Thom. tametsi ab alio priori haberet *esse*, & virtutem agendi. Prædeterminatio ergo impertinens est ad statuendum vnum primum principium.

Aliter presiùs in causis liberis potest vrgeri 406
argumentum sic. Voluntas, dum actu operatur, re ipsâ determinatur ad actum, ad quem suapte naturâ indifferens erat. Vel ergo determinatur à Deo. Vel à se ipsâ. Si à Deo; habetur intentum. Si a se ipsâ; ergo voluntas est principium primum suæ determinationis. Nec valet dicere, ad hanc determinationem requiri concursum simultaneum Dei. Quia non est contra rationem primi principij, egere cooperatione alterius causæ; vt videre est in Deo respectu operationis nostræ. Ergo, si voluntas se ad operationem determinat, licèt indigeat cooperatione Dei, erit primum principium suæ determinationis.

Hic magnâ solertiâ opus est ad æquiuoca- 407
tiones vitandas. Duplex est indifferentia causæ, atque adeò etiam duplex determinatio ad actum, vt iam non semel in præcedentibus notauimus. Prima est indifferentia incompletionis orta ex defectu alicuius requisiti ad exercitium actus. Cùm enim causæ deest aliquid requisitum ad operandum, hoc ipso, quod est indifferens ad habendum illud, vel non habendum, consequenter est indifferens ad actum, & ad carentiam actus. Quæ indifferentia cum suâ determinatione propriâ est causarum naturalium, quæ sine libertate operantur, & talis determinatio fit ab extrinseco, videlicet ab eo principio, quod ponit in causâ id, quod in eâ ad exercitium actus requirebatur; &

quo

quo posito, adeò determinata manet, vt non possit non in actum prodire. Alia est indifferentia libertatis, siue dominij, quam habent causæ liberæ, postquàm iam habent omnia requisita, vt possint in actum exire: cuius indifferentiæ determinationem, repugnat, ab extrinseco fieri; sed per ipsam causam liberam facienda est, fitque, dum pro suo nutu prodit in actum; cùm posset in illum non prodire. Itaque determinatio huiusmodi per ipsum actum causæ liberæ fit, prout hic à causa libera prodit. Vnde, estò ad talem actum aliæ causæ non liberè, sed naturaliter concurrant veluti tractæ ad eum concursum per nutum causæ liberæ, istæ non dicuntur ad dictum actum vllo modo determinare aut se ipsas, aut causam liberam, sed sola causa libera se, & reliquas ad actum determinat hoc ipso, quòd pro arbitratu suo in illum exit, secumque pertrahit causas alias. Exemplum est in voluntate operante liberè actum supernaturalem simul cum habitu infuso, quo ad eum mouatur, quemque trahit secum ad operandum.

408 Hæc cùm ita sint, impossibile est, voluntatem creatam determinari à Deo ad actum liberum: nam si determinaretur à Deo ad actum, hoc ipso actus prout ab ipsa non euaderet liber, vt fusè ostendemus quæst. 10. Actum enim liberè exire à voluntate, & voluntatem pro suo nutu se flectere in illum, seu se determinare ad illum, idem omnino est. Cum quo tamen benè componitur, ad huiusmodi determinationem egere voluntatem concursu simultaneo Dei, sicut eget concursu habitus infusi, vt se determinet ad actum supernaturalem. Actus tamen a voluntate procedens, simulque à Deo, & ab ipso habitu dumtaxat est determinatio voluntatis, ipsique liber, prout ab ipsa procedit, non vero prout procedit à Deo, vel ab habitu infuso; sicut idem actus dumtaxat est vitalis prout à voluntate, non prout à Deo, nec prout ab habitu. Sicuti ergo, etsi voluntas sola viuat per illum actum, non est causa prima suæ vitæ: eo quod à Deo accepit virtutem completam viuendi, & sine Dei cooperatione non viuit. Sic, etsi voluntas sola se determinet ad talem actum, non est causa prima suæ determinationis; eo quòd à Deo accipit virtutem completam ad talem determinationem, & sine Dei cooperatione non se determinat, Deus autem hanc virtutem indidit voluntati, dum illam fecit indifferentem, & dominam suarum actionum, relinquens illam in manu consilij sui, vt dicitur Ecclesiastici 15. ad neutram partem contradictionis obligatam, expositore S. Tho. quæst. 3. de Pot. art. 7. ad 12. Quo Deus liberrimè, ac liberaliter veluti se submisit voluntatis arbitrio, vt ad operandum cum illà pro nutu eius traheretur, quoties ipsa vellet. Quod non est contra munus causæ primæ, sed potiùs summa eius perfectio. Ex quibus patet solutio ad argumentum factum. Illud autem, quod addebatur, non esse contra munus causæ primæ, egere cooperatione alterius causæ, non vrget. Nam id dumtaxat verum est, quando altera causa minus principaliter concurrit, videlicet per virtutem à causa prima communicatam, & per concursum minùs validum, & minùs intimum respectu effectus. Voluntas verò eget concursu Dei, vt causæ longè principalioris, à qua totam virtutem agendi accipit, quæque ipso concursu simulnaneo intimiùs, & efficaciùs tangit effectum iuxta doctrinam S. Tho. traditam supra num. 350. & rursus num. 393. Vnde cum hac indigentia alieni concursus primatus causæ in voluntate componi non potest. Vti componitur cum altera primatus Dei.

Secundò arguunt. Ab eo, quod se habet 409
ad vtrumlibet, non sequitur aliqua actio, nisi ab aliquo alio moueatur in hoc potiùs, quam in illud, vt ait S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 3. ad 5. Ergo à voluntate indifferenti, & non prædeterminata non potest oriri actio determinata. Antecedens probatur: quia à principio indifferenti vt tali, non est ratio, cur hoc potiùs fiat, quam aliud. Expressit id S. Tho. 1. 2. quæst. 9. art. 4. in corp. & 1. p. quæst. 2. art. 3. Vbi docuit, omne, quod quandoque est agens actu, quandoque in potentia, indigere, vt moueatur ab aliquo, quod sit purus actus. Ita Aluarez disp. 18. num. 13. cum alijs pluribus. Nec sat est dicere, voluntatem, vtpote liberam in actu primo, habere vim se determinandi ad vtrumlibet. Quoniam voluntas ex vi suæ naturæ non potest habere, vt se determinet potiùs ad hunc actum, quàm ad illum. Si enim ex vi suæ naturæ vt liberæ in actu primo id haberet, ex vi sùæ naturæ connecteretur cum hac determinatione; atque adeò non posset non se determinare; quo fieret, vt determinatio hæc in actu secundo non esset libera: quia determinatio hæc, vtpote naturalis, non posset deficere. Ita Aluarez lib. 1. Respons. cap. 1. num. 11. Confirmatur. Ponamus, inquiunt, duos homines Petrum, & Ioannem æque indifferentes, & eodem modo applicatos in actu primo: consentiatque Petrus, dissentiat Ioannes. Hæc diuersitas non potest oriri ex parte principij; quia vterque æquè est indifferens: neque ex parte obiectorum; quia hæc eo eam modo proponuntur. Ergo vel debet oriri ex aliquo extrinseco creato, scilicet, constellatione, aut influxu cælesti: vel à Deo promouente, & determinante. Si fiat ex aliquo extrinseco creato, impeditur libertas. Ergo debet oriri à Deo fortiter, & suauiter faciente, vt voluntas liberè se determinet.

Hoc argumentum, si quid probaret, proba- 410
ret vtique, Deum non posse quidquam liberè operari, nisi ab alio quopiam extrinseco præmoueretur. Quod est absurdum. Dum enim liberè operatur, ad vtrumlibet se habet, vt notum est. Respondeo igitur, id, quod est indifferens ad vtrumlibet indifferentia incompletionis, egere determinatione ab extrinseco, qua compleatur in actu primo, vt proximè possit operari, secus verò, quod est indifferens indifferentia dominij, seu libertatis. Hoc enim iam supponitur completum in actu primo, & à se ipso, prout libet, determinatur ad actum secundum: neque possibile est, vt ab extrinseco determinetur, illæsa libertate. S. Thom. autem in locis allegatis planè loquitur de indifferenti ad vtrumlibet indifferentia incompletionis, quæ nascitur ex defectu alicuius requisiti ad actum primum. Recognosce, quæ ad rem scripsimus supra de mente S. Thomæ num. 361. & quæ ad solutionem argumenti oppositi satis superque erant.

Ad vberiorem tamen euidentiam nota in- 411
super in præsenti, secundùm phrasim Aristotelis, & S. Thomæ, vnumquodque constitui in actu per formam: vnde agere quodlibet, in quantùm est in actu, quòd millies repetit S. Thom. nihil aliud sonat, quàm agere, in quantùm habet formam, qua in actu primo completur ad agendum: quo iure sæpissimè vocat S. Tho. intellectum in actu, & sensum in actu eum, qui iam est informatus specie

intelligibili, vel sensibili, intellectum autem, & sensum in potentiâ vocat eum, qui caret specie. Sic 1.p.quæst.14.art.2. in corp. & quæst.55. art.1. in corp. & ad 2. aliisque in locis. Habet hanc doctrinam D. Angelicus ad 3. Physic. text. 17. lect. 4. vbi loquutus de formis tum substantialibus, tum accidentalibus, addit. *Huiusmodi enim formæ sunt causæ, & principia motuum; cùm omne agens moueat secundùm formam. Omne enim agens agit, in quantùm est in actu, sicut actu homo facit ex homine in potentiâ hominum in actu. Vnde, cùm vnumquodque sit actu per formam, sequitur, quòd forma erit principium mouens. Et sic moueri competit alicui in quantùm habet formam, per quam est in actu.* Hinc illud dumtaxat iuxta hunc loquendi morem quandoque est in actu, quandoque in potentiâ respectu operationis, quod quandoque habet formam, qua completur ad operandum in actu primo, quandoque eâ formâ caret: talis est intellectus noster, qui interdum caret specie impressâ, & dicitur à S. Thomâ intellectus in potentiâ; interdum habet illam, & dicitur intellectus in actu. Sicut igitur intellectus indiget moueri ab extrinseco per receptionem speciei impressæ, vt fiat intellectus, siue intellectiuus in actu. Sic etiam omne, quod quandoque est agens actu, quandoque in potentiâ, indiget quod moueatur ab aliquo, vt fiat agens, siue actuum in actu per receptionem complementi ad operandum requisiti. Ecce quod vult S. Thom. 1.p.quæst.2.art.3. & 1. 2. quæst.9. art.4. citatis eo communi loquendi modo: quo, non motio ad actum secundum, sed ad complendum actum primum expostulatur. Et quidem S. Thom. dicto art. 4. in corp. dum exposcit nixus supra dicto principio, quòd voluntas moueatur ab extrinseco in ordine ad primum actum, qui est circa finem, præceditque consilium, siue deliberationem rationis, nimirum per impressionem primæ cogitationis, qua voluntas moueri incipit ad operandum, & quæ non potest non ducere originem ab extrinsecâ causâ: post hæc, inquam, expressè docet, voluntatem se ipsam mouere ad electionem mediorum: quod & art. præcedente expressè docuerat.

412 Ex quibus duo, me quidem iudice, manifestè inferuntur. Primum, S. Thom. ibi non loqui de motione per prædeterminationem. Nam hæc non solùm ad primum actum voluntatis, qui est intentio finis, sed etiam ad reliquos, qui sunt electiones, exposcitur à suis Assertoribus: cùm voluntas respectu omnium actuum sit causa secunda egens concursu primæ &c. Secundum, S. Tho. clarè Prædeterminatoribus refragari. Qui docent voluntatem à Deo semper determinari: ex quo sequitur non determinari à se ipsâ, vt ostendimus num. 348. S. Thom. verò in plerisque actibus, qui à consilio sequuntur, (quique soli subinde liberi sunt), à se ipsâ, & non ab alio docet moueri; quod est à se ipsâ, & non ab alio determinari, vt sæpe docuit alijs in locis à nobis relatis à num. 339. Quomodò autem ex mente S. Thomæ omnis intentio finis præueniens consilium intellectus sit actus necessarius, in solisque electionibus reperiatur libertas, suo loco expressò tractandum est. Iam, quid sibi velit S. Tho. 1.p.quæst.19.art.3. ad 5. dicens causam creatam, vtpote contingentem, debere determinari ab alio; voluntatem verò diuinam, vtpote necessariam, determinare se ipsam, clarè expositum est à nobis supra num. illo 361. citato consentaneè ad doctrinam Doctoris Angelici tum ibi, tum in præsenti commemoratam.

Replica autem, quam subiungit Aluarez, 413
momenti non est: æquèque pugnat contra diuinam libertatem. Respondeo ad eam, voluntatem cum omnibus requisitis in actu primo suâ naturâ esse liberam, suâque naturâ id habere, vt possit ad vtrumlibet determinari: atque adeò determinationem eius esse naturalem, quatenus est à potentiâ naturaliter voluntati conueniente; non verò, quatenus naturale sonat determinationem ad vnum in potentiâ, à qua actus egreditur: hoc enim longè abest à voluntate; cùm sit indifferens, tamque potens ad non operandum, quàm ad operandum, atque adeò ad eligendum ex his duobus extremis, quod sibi arriserit.

Ad confirmationem desumptam ab illis 414
duobus hominibus. Respondeo, ex parte actus primi totam causam, quare vnus dissentiat, consentiat alter, esse vniuscuiusque libertatem, & dominium, quod habent suorum affectuum. Quæ quidem causa hoc ipso, quod est libera, & æquè indifferens, pro ratione illatiuâ consensus, vel dissensus afferri nequit. Atque adeò effectuum liberorum vel ipsum dominium, à quo procedunt, vel causam formalem dumtaxat pro ratione solemus reddere, quando ex parte principij indifferentis æquabilis cernitur propensio ad vtrumque extremum. Sic, si rogemur, cur Petrus hoc intendit, aut facit, solemus respondere: quia vult. Sic etiam in præsenti dico. Petrus consensit; quia voluit: Ioannes dissensit; quia sibi placuit; queis fuit pro ratione voluntas. De quo iterum redibit sermo quæst. 13. num. 652.

Argumentantur tertiò. Deus est verus do- 415
minus omnium causarum secundarum. Ergo vtitur illis; quia vult, & quomodò vult; easque applicat ad suas operationes: quoniam, vt docet S. Thom. 1. 2. quæst. 16 art. 1. vsus alicuius rei nihil est aliud, quàm applicatio eius ad aliquam operationem. Nec solùm entitas voluntatis est sub dominio Dei, sed etiam ipsa eius determinatio. Ergo Deus pro suo libito potest ponere, vel non ponere determinationem voluntatis. Quod sine præuiâ motione non potest fieri. Confirmatur. Quia vsus dominij Dei est, quòd suo imperio aliquid fiat per causam secundam etiam liberam: quia aliàs operatio libera non esset sub dominio Dei. Ergo nulla est operatio libera, quæ non supponat aliquod imperium Dei ad illam. Quod necessariò erit prædeterminatio, Ita Aluarez varijs in locis, vide illum disp. 117. à num. 5. & lib. 2. Resp. cap. 1. à num. 14.

Ego contrario modo arguerem. Liberum 416
hominis arbitrium habet dominium sui actus, vt confitetur ipse Aluarez disp. 117. num. 5. Ergo non prædeterminatur ad actum: quia, positâ prædeterminatione, homo iam non est dominus actus; cùm non possit illum omittere. Tale ergo debet esse dominium Dei, vt dominium hominis non tollatur. Respondeo ergo, Deum esse supremum dominum nostrarum actionum, eo tamen dominio, quod dominio proximo voluntatis nostræ non opponatur. Placuit enim bonitati diuinæ, relinquere hominem in manu consilij sui, & cum dominio suarum actionum. Vnde dominium Dei in eo stat, quòd pro suo nutu confert voluntati nostræ virtutem ad operandum; eamque ad opus applicat per illustrationes, inspira-

tionei-

tionesque intellectus, ac demum concursu simultaneo illam iuuat. Sicque, cùm vult actu libero voluntatis vti, illam in actu primo disponit, prout videt liberè operaturam: cùm autem vult eius actum impedire, mille modis potest id facere; tollendo cogitationes congruas; negando concursum; aut aliter. Se enim gerit Deus respectu nostri, sicut dominus serui ciuilis: qui exhortationibus, consilijs, præceptis, prout vult, operâ seruj vtitur: qui tamen liberè annuendo domino paret. Ad confirmationem respondeo, vsum dominij Dei nullum præ se ferre genus imperij, quod physicè prædeterminet voluntatem ad operandum; nam, quidquid Deus præmittit ad obtinendum consensum voluntatis, physicam relinquit in voluntate indifferentiam, vt possit non operari, si velit: aliàs non relinqueret illam cum dominio immediato sui actus.

417 Arguunt quartò. Si Deus non determinat voluntatem, vt faciat, sed ipsa se determinat ad hoc potiùs, quàm ad illud. Ergo Deus expectat, quid factura sit, vel non voluntas, vt concurrat, cùm illâ, vel non concurrat. Quod est absurdum. Ex eo enim sequeretur, voluntatem sine concursu Dei saltem posse conari ad opus, sicut, cùm aliquis absque alterius ope nequit saxum mouere, eo nullatenus concurrente, vel adiuuante, conari potest ad mouendum saxum.

418 Respondeo, Deum non expectare determinationem voluntatis, vt, eâ absolutè præuisâ, ipse concurrat. Hoc enim est impossibile: quia determinatio voluntatis, & concursus Dei generalis est eadem indiuisibilis actio, quæ non potest præuideri absolutè existens prout à voluntate, quin præuideatur absolutè existens in se: per præuisionem autem eius prout absolutè existentis nequit Deus moueri ad dandum illi concursu suo existentiam, quam iam videt habere. Potest tamen Deus nihilominùs in sano quodam sensu dici, expectare determinationem voluntatis ad concurrendum cum illâ, quatenus ipse non festinat, & anteuertit eius operationem, sed veluti trahitur per illam ad concurrendum: vel quia decreto quodam indifferenti Deus antecedenter subdidit voluntati creatæ suam omnipotentiam, vt voluntas pro suo arbitratu eius cooperatione vti possit, ad eum modum, quo vtitur cooperatione habitus infusi ad actum supernaturalem: vel quia Deus decernit concurrere cum voluntate postquàm per scientiam conditionatam præuidit, illam in tali rerum peristasi se determinaturam liberè ad operandum, si Deus illi non deficiat generali concursu. In hoc enim varij sunt modi apud Nostros philosophandi, de quo nos agemus suo loco. Nego autem ante actualem operationem posse esse in voluntate conatum à Deo independentem: quia voluntas nisi per operationem aliquam conari non potest: omnis autem voluntatis operatio pendet à Deo. Neque est simile exemplum conantis mouere lapidem, quem solus mouere non potest: quia, qui sic conatur verè exercet operationem tum voluntatis, qua intendit lapidem mouere, tum potentiæ executiuæ, qua aliquem imprimit lapidi impulsum, insufficientem tamen ad vincendam resistentiam lapidis; ad quas operationes à Deo vt à causâ primâ adiuuatur. Supersunt quædam argumenta sumpta à prouidentiâ diuinâ, & à determinatione, qua Deus determinat actus causæ creatæ quoad indiuiduationem. Pro quibus sit propositio sequens.

Propositio 7.

Ex prouidentiâ Dei, & determinatione ad indiuiduationem actus non inferenda, imo reijcienda potiùs venit physica prædeterminatio. 419

Oppositum conantur probare Prædeterminatores, quorum argumenta si cassa fuerint, firma manebit, & solida propositio nostra. Sit primum argumentum. Si non detur physica prædeterminatio, Deus in incertum tendet, quando concurrit cum voluntate creatâ, nempe in id, quod voluntas creata voluerit eligere: Ergo non tendet prouidè. Antecedens probatur. Quia in illo signo, in quo Deus concurrit, nescit, quid, vel quale futurum sit. Concurrit enim priùs ratione, quàm videat, quid voluntas creata eligat. Ergo concurrit priùs ratione, quàm sciat, ad quid concurrit. Hoc argumento fortiùs præmuntur Aduersarij, nisi in maius elabantur absurdum. Posita prædeterminatione, est in voluntate potestas ad eligendum, quod sibi placuerit. Ergo, cùm Deus se determinat ad concurrendum cum illâ concursu simultaneo, nescit adhuc quid voluntas sit electura. Igitur fertur in incertum. Dicunt, in physicâ prædeterminatione videre Deum determinatè, quid sit voluntas operatura. Benè. Ergo, positâ physicâ prædeterminatione, impossibile est, vt voluntas non operetur id, quod, Deus videt, operaturam. Ergo, positâ physicâ prædeterminatione, non potest voluntas se flectere ad alteram partem. Ergo non habet potestatem ad eligendum. Ergo non est liberâ. Ecce peiùs absurdum, in quod eos acriùs vrgebo, quæst. sequenti.

Respondeo ergo ad argumentum, antequàm 420
Deus decernat iuuare voluntatem concursu simultaneo, per scientiam conditionatam clarè intueri, quid sit voluntas operatura liberè casu, quod ipse decernat iuuare illam: qua scientia præeunte, decernit Deus illam iuuare aut per decretum indifferens, quo ponit in manu voluntatis suam omnipotentiam, aut per decretum determinatum, quo decernit concurrere cum voluntate ad eam determinatam operationem, quam Deus ipse sub conditione vidit futuram iuxta diuersas nostræ Scholæ sententias. Vnde Deus non cæco modo, & in incertum, sed ex certissimâ scientiâ, & in actum determinatum tendit, atque adeò prouidentissimè. Naturam horum decretorum, & scientiæ, à qua sunt, explicabo in Tract. de Prouid. Vbi, quis ex his duobus modis concurrendi sit præferendus alteri; &, an vterque sit possibilis, examinabo.

Secundò arguunt. Quoties duæ causæ simul 421
concurrunt, necesse est, vt vel vna possit alteram secum trahere, vti voluntas trahit habitum, vel saltem sciat, quando est altera operatura, vt tunc suam illi conferat cooperationem: aliàs casu solùm, & contingenter coniungentur. Sed Deus non potest præuidere, quando est operatura voluntas, nisi illam prædeterminet. Ergo non poterit suum concursum adhibere certò, & infallibiliter, sed casualiter, & fortuitò. Hoc argumentum iam est solutum in præcedente. Concessâ maiori; nego minorem, & consequentiam. Quia Deus per scientiam conditionatam probè scit,

quan-

quando est operatura voluntas, vt illam, decernat, adiuuare.

422 Tertiò. Si diuina prouidentia non determinat actiones hominum in particulari, erit prouidentia indeterminata, confusa, & vaga. Hoc dici nequit. Ergo dicendum est, singulas actiones humanas à Deo prædeterminari. Confirmatur. Prudentissimus quisque dux, aut Paterfamilias, si posset prouidere exercitui, vel domui definiendo omnes, & singulas res, & particularia media ad finem intentum, id vtique præstaret; in eâque gubernandi ratione splendesceret maximè. Ergo, cùm Deus id possit efficere, faciet haud dubiè.

423 Respondeo, aliud esse prædeterminare, prædeterminatiuâque subinde prædefinitione prædefinire actiones humanas. Aliud aliter eas decernere, in illasque tendere determinatè, & indiuiduè, non in communi, & vagè, seu in confuso. Primum negamus prouidentiæ Dei, vtpote oppositum nostræ libertati. Secundum expresè concedimus. Deus enim, dum illâ suâ scientiâ ductus decernit iuuare voluntatem, non decernit concursum vagum, & indeterminatum, sed singularem, determinatum, & indiuiduum, vt mox amplius explicabimus. Dux autem ille, vel Paterfamilias duobus modis posset intendere consequi finem medijs actionibus subditorum. Primò sine eorum libertate, & merito. Secundò cum eorum merito, & libertate. Si primo modo intenderet; sit ita, quod illos ad singulas actiones prædeterminaret, si posset. Si verò secundo modo, optimo genere prouidentiæ vteretur, præscribendo, vel permittendo illis actiones non confusè, & in communi, sed determinatè, & in singulari, prout viderentur expedire ad intentum finem. Deus hoc secundo modo prouidet de rebus nostris, atque adeò optimo genere prouidentiæ.

424 Instabit aliquis contra dicta. Quando Deus videt scientiâ conditionatâ futurum hunc actum ex suppositione, quòd Deus applicet suum concursum, vel videt ex suppositione, quod applicet prouidè; vel ex suppositione quod applicet non prouidè. Si non prouidè; suppositio est impossibilis, & indigna Deo. Si prouidè; cùm scientia conditionata ad prouidentiam spectet, ipsa in suppositione inuoluetur: idemque erit, scire, consensum futurum à voluntate ex hypothesi, quòd Deus prouidè applicet suum concursum, ac scire futurum consensum ex hypothesi, quòd Deus cognoscens consensum futurum, applicet suum concursum: quæ est scientia necessaria, & prorsus inutilis ad rem. Tum processum infinitum claudit, vt consideranti patebit. Respondeo, scientiam conditionatam, quæ Deo deseruit ad prouidentiam actuum liberorum, in hypothesi collationis auxilij, & applicationis sui concursus præscindere à prouidentiâ, & à negatione prouidentiæ: quia in eâ hypothesi tantùm ponitur, quod immediatè influit in actum, quale est auxilium, & decretum concurrendi iuxta ea, quæ iam diximus supra in Tract. de Scient. disput. 38. quæst. 7. num. 321. & 322. & iterum dicemus infra in Tract. de Prouid. disput. 4. fine. quæst. 37. Ex quo constat argumenti solutio.

425 Quartò arguitur. Illud euenit casu, quod euenit præter intentionem agentis. Sed, si Deus non prædeterminat nostras actiones in particulari, euenient præter eius intentionem. Ergo. Minor cernitur in actionibus prauis, quas Deus vt tales non amat, neque intendit, atque adeò, si Deus non prædeterminat ad illas, non possunt non esse fortuitæ respectu diuinæ voluntatis. Hoc argumentum circa actiones honestas voluntatis nostræ nil præstat: quia has verè Deus vult, & intendit siue efficaciter, siue inefficaciter, (de quo alibi); & ex hac intentione apponit media, quæ, certissimè nouit, effectum fortitura; quin vlla prædeterminatio interueniat: Vnde nullatenus præter eius intentionem eueniunt. Idem est de actionibus naturalibus, siue non liberis causarum. Circa actiones autem malas moraliter imprimis non omnes Prædeterminatores admittunt prædeterminationem, vt supra vidimus: atque ita apud eos, qui eam negant, integrum manet argumentum. Imo verò, admissâ prædeterminatione actionis prauæ, totum suum retinet robur; (si tamen robur habet). Ostendo clarè. Deus non confert prædeterminationem ex intentione, vt homo peccet, vt omnes catholici debemus fateri, sed ex diuerso fine honesto. Ergo, quod homo peccet est præter intentionem Dei. Ergo peccare hominem casu accidit, fortuitumque est respectu diuinæ voluntatis. Dicunt Prædeterminatores, Deum reuerà intendere, & prædefinire actionem materialem peccati, etiam prout est à voluntate creatâ: atque ita talem actionem Deo casualem non esse. Contra tamen est primò; quòd id non tollet peccatum integrum includens præter materialem actionem malitiam formalem, esse casuale respectu Dei: siquidem, vt fatentur catholicè, Deus peccatum integrum nec intendit, nec intendere potest. Contra est secundò; quòd prorsus repugnat intendere Deum actionem materialem peccati, prout est à voluntate creatâ; quin intendat peccatum integrum, atque adeò malitiam eius. Reciditurque in maius absurdum; vt benè vrgent alij Doctores in Tract. de Prouidentiâ Dei.

Respondeo ergo ad argumentum factum, 426
actionem prauam vt talem idcircò non esse dicendam casualem, & fortuitam respectu Dei; quia, licèt sit præter intentionem eius volitiuam, non est præter intentionem eius permissiuam. Est dicere. Deus ex se non intendit, vt sit actio prauâ; intendit tamen illam permittere. Permittere autem nihil est aliud, quàm, illam non impedire, cùm posset, aut auferendo aliquid requisitum antecedenter ad libertatem voluntatis in actu primo, aut subtrahendo concursum simultaneum, quem præbet determinatus, & veluti tractus à voluntate liberè se ad peccatum denerminante. Dices, Deus causat actionem prauam voluntatis creatæ. Ergo vult illam causare. Ergo intendit intentione volitiuâ, & non solùm intentione permissiuâ. Distinguo antecedens. Deus causat actionem prauam voluntatis creatæ, prout est à voluntate creatâ; (quo solùm pacto mala est); nego. Causat illam prout est à se; (quo pacto est honestissima), idque tractus siue determinatus ab ipsâ voluntate creatâ; concedo. Ergo vult illam causare, prout est à se modo dicto; concedo pariter. Ergo intendit illam intentione volitiua tendente in illam absolutè, & prout est à voluntate creatâ; nego. Tendente in illam prout est à se; idque cum dependentiâ à determinatione voluntatis creatæ; concedo. Hoc autem totum aliud non est, quàm Deum permittere voluntati creatæ, vt prauè operetur; interimque suum munus causæ primæ honestissimè implere, subijciendo concursum suum voluntaris

tatis arbitrio, vt ipsa possit illo vtendo operari.

427 Vnde inferendum venit, Deum neque esse causam immediatam actionis prauæ, prout est à voluntate creatâ, iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 401. neque esse causam mediatam eius vt sic: quia eam vt sic nec vult, nec intendit, nec media apponit, vt à voluntate creatâ illam obtineat. Quippe ita se gerens amator haud dubiè, atque etiam auctor peccati esset. Quod bonitati eius prorsus repugnat. Ex quo rursus patet discrimen inter actionem malam, & bonam. Quia respectu actionis bonæ, etsi Deus non sit causa immediata præcisè prout est à voluntate creatâ, iuxta doctrinam vniuersalem expositam latè loco citato. Est tamen causa mediata etiam sub eo respectu; quia vult, intenditque, vt voluntas eam actionem bonam eliciat, seque determinet ad illam liberè, & ponit media, quibus certissimè consequitur id, quod intendit.

428 Quintò arguitur. Causa creata non potest se determinare ad indiuiduationem actus. Quia nec habet à naturâ, esse determinatam ad hanc indiuidualem actionem præ reliquis sibi possibilibus, quando est causa necessaria. Nec ipsa per se potest discernere, aut eligere inter actiones sibi possibiles solo numero differentes vnam præ reliquis, quando est causa libera, vt est certum. Ergo debet determinari à Deo. Respondeo, debere à Deo determinari: non tamen prædeterminari. Quæ duo valdè diuersa sunt. Absque eo enim, quòd Deus prædeterminet causam creatam ad agendum eo genere concursus prævij, de quo actum est in totâ præsenti quæstione, potest facillimè per suum concursum simultaneum determinare illam ad talem indiuidualem actionem præ reliquis eius speciei, intra quam est operatura, decernendo scilicet cum eâ concurrere ad talem determinatam actionem, & non ad vllam aliam reliquarum. De quo iterum recurret sermo, pluraque dicemus in Tract. de Prouiden.

429 Sextò denique argumentatur Aluarez disput. 117. num. 5. Omnes actus liberi in indiuiduo, & secundùm omnes bonas circunstantias subiacent prouidentiæ diuinæ. Ergo, ante quàm voluntas creata deliberet de aliquo actu, præsupponitur, quòd Deus præordinauerit, quòd ipsum arbitrium creatum deliberet de tali actu, & vtatur suâ facultate ad eumdem actum producendum. Aliàs liberum arbitrium creatum esset simpliciter primum liberum, & primum deliberans circa talem actionem. Cuius contrarium probat S. Tho. 1. 2. quæst. 9. art. 4. Ita ille. Confirmo vrgentiùs. Voluntas creata per nos tantum abest, quòd determinetur à Deo ad exercitium actus, vt potiùs ipsa se se determinando determinet Deum ipsum, vt secum concurrat. Ergo voluntas creata priùs deliberat, quàm Deus de suo actu libero. Ergo est primum liberum respectu eius. Quod est

430 absurdum.

Respondeo, hoc ipso, quòd actus nostræ voluntatis à duplici voluntate liberâ pendet, nempe à diuinâ, & ab humanâ, à duplici quoque deliberatione pendere, diuinâ, & humanâ. Diuina autem multis modis præcedit deliberationem humanam. Primò, quatenus Deus liberè confert homini voluntatem liberam, & indifferentem suapte naturâ. Secundò, quatenus eam conseruat pro tempore, quo operatura liberè est. Tertiò, quatenus eam complet, siue instruit in actu primo, applicatque ad operandum liberè per cogitationes indifferentes, à quibus, videt certissimè, operationem eius esse sequuturam. Quæ munera satis, superque sunt, vt Deus dicatur primum liberum respectu voluntatis creatæ. Accedit decretum concurrendi. Quod si ponatur indifferens, vt à plerisque ex Nostris ponitur, eius libertas etiam exercetur à Deo antecedenter, & independenter à libertate creatâ. Vnde iuxta hanc viam omne exercitium libertatis diuinæ priùs naturâ est, quàm exercitium libertatis creatæ. Nam actualis Dei concursus, accedente deliberatione creatâ, necessariò oritur à Deo ex suppositione decreti indifferentis priùs liberè positi, voluntasque creata sola est vnicum liberum, siue determinans immediatum respectu actus ab ipsâ simul, & à Deo emanantis: proindeque vt sic præcisè non potest dici primum liberum; cùm eâ ratione non sit aliud secundum. Si verò decretum concurrendi determinatum sit, vt alijs placet, quadantenus illud erit posteriùs determinatione voluntatis, videlicet quatenus habetur à Deo præuidente hìc, & nunc, voluntatem se determinaturam ad consentiendum, si Deus ipse suo generali concursu non desit illi. Hoc tamen non tollit, quin Deus sit primum liberum respectu talis actus absolutè, & simpliciter: quandoquidem ex se, & ante libertatem creatam ea omnia liberè posuit, & conseruauit, ex quibus certissimè nouit, eum actum fore sequuturum. Esse autem Deum quoad immediatam deliberationem, siue determinationem actus secundum quid posteriorem voluntate creatâ, nil derogat diuinæ Maiestati, potiùs plurimum defert eius bonitati. Qui, vt iura libertatis creatæ seruet illæsa, illi se vult accommodare, eiusque sequi determinationem, vt explicatum est. Si enim Deus ante omnem determinationem creatam, vt volunt Prædeterminatores absolutè prædefiniret actum, seque pariter, & voluntatem creatam determinaret ad exercitium eius; quis posset vltra superesse locus creatæ deliberationi, seu libertati? Profectò nullus; vt constabit ex dicendis quæstione sequente. Ex quibus patet solutio ad argumentum Aluarez, &, ad nostram confirmationem.

Concludimusque tandem, concursum prævium consistentem in prædeterminatione physicâ, qualis ponitur ab Auctoribus citatis num. 330. nullo titulo esse aut necessarium, aut vtilem, vt causæ secundæ operentur, atque adeò vel ex hoc capite omnino reijciendum esse. Sequitur iam examinandum, an ille cum libertate causarum liberarum cohærere possit. 431

QVAESTIO X.

Vtrùm concursus Dei prævius in physicâ prædeterminatione consistens, qualis ponitur ab Auctoribus citatis supra quæst. 9. num. 330. cum libertate causæ secundæ componi possit.

AFfirmant ijdem Auctores. Sed negant cæteri, qui talem concursum non admit- 432

mittunt, citati etiam atque commemorati ibidem num. 337.

433 Pro resolutione suppono primò, me in his quæstionibus merè philosophice tantùm agere de physicâ prædeterminatione, quam ipsius Auctores requirunt, vt Deus concurrat cum causis secundis tam necessarijs, quam liberis ad earum actus naturales. Vtrùm enim in simili prædeterminatione auxilium efficax gratiæ ei ad actus supernaturales, salutaresve, aut meritorios possit consistere; vel secus. Et qualiter illud poni debeat, vt benè cohæreat cum libertate. Aliæ quæstiones sunt, eæque ex grauioribus Theologiæ. A quibus ego penitus abstraho; nam sanctè de illis, ac religiosè tacendum est, donec per Sedem Apostolicam loqui liceat.

434 Sunt quippe tria decreta à Summis Pontificibus data; primum à Paulo V. anno 1613. secundum ab Vrbano VIII. anno 1625. tertium referens, & innouans duo priora ab eodem Vrbano anno 1641. *Quibus districtè præcipitur, & mandatur omnibus, & singulis, vt in posterùm non audeant imprimere, vel quoquo modo in lucem edere libros, tractatus, seu compositiones ex professò, vel incidenter vllo prætextu, occasione, vel modo de materia Diuinorum Auxiliorum, seu de Gratiâ, & libero arbitrio tractantes, &c.* Quæ tandem decreta insuper Alexander VII. anno 1657. *quatenus opus sit, denuò confirmat, & inuiolabiliter obseruari mandat sub censuris, & pœnis in eisdem contentis*, in Indice librorum prohibitorum suo iussu edito anno 1664. Decreto 66. fine.

435 Verùm Tractationem de physicâ prædeterminatione, qualem ego in præsentia exhibeo abstrahentem prorsus à materiâ de Auxilijs non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad modum, nullatenus prohiberi per ista Decreta, ex multis capitibus videtur manifestè constare. Primò; quia post decreta edita sic de physicâ prædeterminatione (imo interdum magis diffusè, aut minùs cautè, quàm ego) tractarunt in suis Scriptis prælo datis plerique eorum Doctorum, quos tum pro illâ, tum contra illam, ferme vsque ad 90. retuli supra quæst. 9. num. 330. & 337. vt apud ipsos videri potest locis ibi citatis. Compertum est autem, tot viros doctos, & religiosos non potuisse non iudicare, se dictis decretis nullatenus contrauenire. Agere igitur in libris impressis post edita dicta decreta de physicâ prædeterminatione prædicto modo, & cum abstractione prædictâ, secundùm tot, tantorumque Doctorum iudicium licitum est.

436 Secundò; quia præter cæteros, qui id esse licitum, in suis scriptis planè supponunt, expressis verbis docent id ipsum Requesenius 1. 2. disput. 12. sect. 2. Pellizarius in Manuali Regularium tom. 1. tract. 6. cap. 4. quæst. 23. cum Lezana à se citato, Franciscus Soares Lusitanus tom. 3. suæ Philosophiæ tract. 6. de Animâ disput. 2. sect. 5. & Ioan. à S. Tho. 1. 2. tom. 1. quæst. 8. artic. 4. vbi incipiens tractare à num. 29. de physicâ Dei præmotione ait, [Non pertinet ista difficultas ad eam, quæ in materiâ de Auxilijs agitata est, an efficacia gratiæ in prædeterminatione consistat. De hac enim controuersiâ Apostolicæ Sedis mandato silere in libris cautum est. Sed tamen aliud est, si efficacia gratiæ, & auxiliorum diuinorum in aliquâ tali prædeterminatione, & impressione physicâ consistat. Aliud, an reuerà causa prima ita operetur in omnibus causis, & in ipsâ voluntate, quòd eam moueat, & determinet. Benè enim stare potest, quòd ita Deus operetur ex ratione generali causæ primæ; nec tamen in hoc consistat efficacia gratiæ, sed in aliquo nobis occulto. Nam, vt dicit August. libro de Prædestinatione Sanctorum. *Nimis gratia ista occulta est: gratiam verò esse, quis ambigat?* Et ideo prohibitio, quæ vetat, nihil tractare de hac quæstione in materiâ diuinorum auxiliorum, (id est supernaturalium ordinis gratiæ), nihil nobis indicit de hac generalitate diuinæ efficientiæ respectu voluntatis, abstrahendo ab omni diuino, & supernaturali auxilio, vel naturali.] Hæc ibi Ioan. à S. Thom. & optimè.

Tertiò. Prædictus Franciscus Soares sect. il- 437
la 5. citata §. 1. 2. & 3. ex professò edisserit, quæ sint prohibita per supradicta Pontificia Decreta; & quæ non item. Supponitque imprimis, ac determinat, satis solidè, & eruditè, quid sibi velit, *Tractare de materia diuinorum Auxiliorum*; seu, (quod est idem) *de gratiâ & libero arbitrio ex professò, vel incidenter*, (quod solum vetant talia Decreta), retentâ verborum proprietate; prout retineri debet in omni lege odiosa, qualis est contenta in dictis Decretis, vtpote præceptiua, & pœnalis: quæ omnia sunt certa. Ex hoc autem supposito benè stabilito infert primò, nomine *Materia diuinorum Auxiliorum* non venire materiam de Scientiâ Dei; in qua tractatur de scientiâ necessariâ, liberâ, & mediâ: neque materias de Voluntate, Prouidentiâ, & Prædestinatione Dei; in quibus tractatur de diuinis decretis absolutis, conditionatis, comitantibus, ac prædefinitiuis quorumuis actuum voluntariis creatæ, deque horum cohærentiâ, vel repugnantiâ cum libertate actuum prædefinitorum per ipsa; sicut neque venire materiam de Concursu generali Dei cum causis creatis etiam liberis, de qua tractarunt Aristotelis, & alij Philosophi, diuinorum auxiliorum prorsus ignari: & ad quam spectant quæstiones de necessitate præmotionis, seu prædeterminationis physicæ ad quosuis actus causæ creatæ generatim, deque eius cohærentiâ, vel repugnantiâ cum actibus liberis sumptis etiam in genere. Quoniam nulla istarum materiarum apud Sanctos Patres, & Scholasticos vocatur materia de Auxilijs, retentâ proprietate verborum, sed ea solùm, de qua olim fuit controuersia Romæ inter Patres Prædicatores, & Patres nostræ Societatis. Et quæ communiter tractatur in Scholis sub nomine *Materia de Auxilijs*. Secundò infert, neque esse contra Decreta prædicta, supponere, præmittere, leuiterque, & obiter explicare suam, vel alienam sententiam in materiâ de Auxilijs, ad intelligentiam eorum de quibus in alijs materijs tractatur. Quia hoc, loquendo propriè, non est tractare materiam de Auxilijs. Vt benè ostendit monstrans, quid requiratur, vt quis dicatur tractare propriè materiam quamlibet. Idque vel *ex professò*, id est, ex primariâ intentione, siue instituto; vel *incidenter*, hoc est, non ex professò, sed, capta occasione ab eo, quod ex instituto tractatur. Ex quibus omnibus concluditur, longè me abesse in his quæstionibus à tractando de materia Auxiliorum: atque adeò à contraueniendo dictis Decretis.

Quartò. Quamuis in Tractatibus de Scien- 438
tiâ mediâ, de Diuinis prædefinitionibus, ac præmotionibus, seu prædeterminationibus physicis statuantur principia, ex quibus promptum sit elicere conclusiones pertinentes ad Tractatum de

Auxi-

Auxilijs: scientiaque subinde de his quasi subalternata sit scientiæ de illis. Decreta tamen prohibentia tractatum de Auxilijs non prohibere tractatus illos priores, quibus iste subalternatur, (vti per prohibitionem Medicinæ subalternatæ Philosophiæ nullatenus censeretur ipsa Philosophia prohibita), benè docet idem Franciscus Soares vbi supra, Franciscus Annatus in Admonitione ad Lectorem Operis sui de Scientiâ mediâ approbati à sancta Inquisitione Romanâ. Boroull cum Patribus Excalceatis, Ioanne à S. Thoma, & Hieronymo Viues à se relatis in Admonitione ad Lectorem Tractatus sui de Scientiâ mediâ, & Gabriel Henao in Præfatione ad Lectorem num. 3. Operis sui secundò editi de Scientiâ mediâ historicè propugnatâ. Iuxta quos proinde quæstiones nostræ de præuio concursu, seu prædeterminatione physicâ sub Pontificiam prohibitionem minimè cadunt.

439 Quintò. Cum Patres Reuisores Generales Societatis nostræ, quibus reuisio huius mei Libri à P. N. Generali commissa fuit, has quæstiones accuratè reuiserint, & inoffenso pede transcurrerint; ab eis petiui, vt pro maiori satisfactione suum de hac materiâ iudicium scriptum, subscriptumque in schedâ mihi darent. Dederunt. Eidemque etiam subscripserunt Patres Professores Theologiæ Collegij Romani. Schedæ autem transcripta ad litteram talis est. [Nos infrascripti Reuisores Generales Societatis Iesu censemus, per Decreta Pontificia prohibitam non esse Tractationem materiæ de physica prædeterminatione; cùm præcisè agitur de libertate arbitrij, abstrahendo ab auxilijs diuinæ gratiæ. Adeòque eiusmodi Tractatus impressionem tutâ conscientiâ permitti posse. In Collegio Romano 6. Ian. 1668. Franciscus de Roy. Franciscus Dunellus. Martinus de Esparza. Nicolaus Martinez in Collegio Romano Sanctæ Theologiæ Lector. Nicolaus Maria Pallauicinus in Coll. Rom. S. Theol. Lect. Syluester Maurus in Coll. Rom. Sac. Theol. Lect.]

440 Sextò. Lezana tom. 1. qq. Regular. cap. 10. n. 24. explicans Decretum Pontificium ait. [Non tamen videtur prohiberi per illud imprimi libros tractantes de aliquo puncto, difficultate, seu quæstione de Auxilijs. Aliud enim est materia de Auxilijs; aliud verò punctus aliquis, seu difficultas prædictæ materiæ. Quod rationi, & intentioni Summi Pontificis congruè videtur. Aliàs necesse esset, materias alias Theologicas, quæ cum materiâ de Auxilijs connexionem habent, non nisi imperfectè, truncatè, & defectuosè imprimi]. Cum Lezanâ autem idem tenent Pellizarius loco citato num. 436. & cum vtroque Franciscus Bonæ spei tom. 2. suæ Theologiæ in Præfatione ad Lectorem. Ego verò adhuc non vtor istâ, quam secundùm hos Auctores præbet Decretum, indulgentiâ. Quia punctum, quod tracto non est de Auxilijs, sed de materiâ diuersâ, prorsusque abstractâ ab illis.

441 Septimò. Laxiùs adhuc interpretatur Pontificia Decreta Thomas Hurtado tom. 2. Resolutionum moralium Resolut. 7. à pag. 527. Vbi docet, latèque probare contendit, post illa edita adhuc licere tractare de Diuinis Auxilijs, dummodò tractetur de illis *occasionaliter*; captâ videlicet occasione à materijs, de quibus agitur connexis cum illis. Non enim esse de mente Pontificum, hunc modum tractandi de Auxilijs prohibere Decretis suis. Penes quem modum à transgressione illorum immunes facit Ioannem à S. Thoma, & Carmelitas discalceatos, quos inter tractandum materias alias reuerâ de Auxilijs tractasse, ipse Hurtado supponit. Et quidem Ioannes à S. Thoma 1. 2. tom. 2. quæst. 111. potissimam de efficaciâ Auxilij quæstionem late tractatam habet disp. 24. per totam. Tametsi ab hac tractatione fortasse ille excusari potest: quia tomus hic, vt fertur, posthumus est. Affert autem Thomas Hurtado doctrinæ suæ duo fundamenta potissima. Primum. Quòd mens Legislatoris colligitur ex modo, quo obseruatur lex eius. Inueterata autem obseruatio istorum Decretorum tulit, vt in aliarum materiarum Tractatibus tractatio de Auxilijs occasionaliter inseretur, vt cernitur in multis libris mandatis typis post decreta. Secundum. Quòd finis vnicus huius legis est, scandala, & dissensiones vitare ex editione Tractatuum de Auxilijs oriunda, iuxta verba Decreti vltimi Pap. Vrbani sic incipientis. *Alias fel. record. Paulus Papa V. ad tollenda scandala, & dissensiones, &c.* Cessat autem hic finis, & cum eo obligatio legis, quando cum omni modestiâ, vt par est, tractatio de Auxilijs in alijs Tractatibus occasionaliter inseritur.

Verùm enim verò interpretatio hæc, vt ni- 442
mium laxa nullatenus videtur sustinenda, vtpote quæ Pontificia Decreta eneruare prorsus, & cassa reddere videtur. Scio, multos Auctores doctos, & graues post illa edita tractationem de Auxilijs, aut eius quæstionem potissimam de efficaciâ auxilij diuini in libris suis inseruisse. Quas verò rationes ad id habuerint, ipsi viderint. Ad me solùm attinet, à tali quopiam facto longissimè abesse. Vti reuerâ impræsentiarùm absum, prout ea, quæ adduxi simul sumpta planè videntur demonstrare. Quæ quidem hic summatim inferere, operæ pretium duxi: ne quis fortasse, physicæ prædeterminationis, & libertatis auditis vocibus, ad transgrediendum limites ab Ecclesiâ præfixos nonnihil saltem me, putaret, accedere. De quo iam, vt reor, securus redeo ad quæstionem.

Et supponò secundò iuxta iam supra præ- 443
missa quæst. 1. causam liberam sic communiter definiri. *Est illa, quæ, positis omnibus requisitis ad operandum, potest operari, & non operari.* Quam definitionem nihilominùs vt minùs consentaneam suæ opinioni reiciunt Aluarez de Auxil. disp. 115. num 1. & 5. Ledesma de Auxil. art. 10. conclu. 7. §. *Primum fundamentum*. Et Nugnus Cabezudo in 3. p. quæst. 62. art. 5. quæst. sua 2. §. *Afferunt etiam Bellarminum*. Dicentes, (quod est mirabilius), talem definitionem nec apud Arist. nec apud Magist. nec apud S. Thom. nec apud alios Theologos antiquos, & graues reperiri, sed solùm apud aliquos Nominales, & apud aliquos Modernos. Cùm tamen eam aut eisdem, aut æquiualentibus verbis manifestè sint amplexati Arist. S. Thom. Scot. Ocham. Henric. Dionys. Cisterc. Adam. Maior, Marsil. Gabr. Gregor. Angest. Guillelm. de Rubion. Ruard. Tapper. Stunica. Et ex Thomistis Holkot. Capreol. Deza, Conrad. Herue. Caiet. Ferrar. Sot. cæterique Antiquiores communiter, omnesque pene Recentiores etiam Thomistæ, vt Bann. Cabrer. Zumel. Nazar. Medina, & alij. Prout multis eorum testimonijs relatis demonstrant Soar. tom. 1. de Gratiâ proleg. 1. cap. 3. Ruiz tom. de Scient. disp. 50. cap. 4. & seqq. Raynaud. in Discipl. moral. dist. 2 quæst. 3. art. 1. Ripal. tom. 3. de Ente supern. contra Baium

disp. 15. sect. 12. & Paulus Leonard. Pro Scient. med. p. 2. sect. 3. à num. 15. Vnde Soar. num. 4. ait. *Existimo ante nuperas controuersias circa auxilium efficax gratiæ exortas descriptionem illam fuisse à Doctoribus in Scholis communiter probatam, vt affirmat Victoria. Eamdemque tanquam communem & receptam* ponunt Valentia, & Coronba apud ipsum ibidem. Et apud Leonard. loc. cit. *Sic definiri causam liberam ab vniuersis Theologis*, dicit Medina. Et Hugo Cauellus, præfatam *definitionem potentiæ liberæ esse communem consensum Doctorum.* Et Curiel, *esse iuxta communem omnium Philosophorum, & Theologorum sententiam.*

444 Est autem in eiusmodi definitione sermo imprimis de requisitis intrinsecè ad constituendam in causâ liberâ potentiam proximam operandi; & consequenter de requisitis etiam extrinsecè ad talem potentiam; quæ non possunt non ponita esse, si talis potentia cum suis intrinsecis constitutiuis posita sit, eo ipso, quòd hæc sine illis nequeunt existere; quod ipsum est, illa ad existentiam horum requisita esse. Quænam autem sint intrinsecè requisita ad constituendam in causâ potentiam proximam operandi, abundè explicatum, atque monstratum est à nobis tum generatim, tum speciatim supra quæst. 5. Extrinsecè verò requisita ad talem potentiam dicuntur, vt ibi etiam notauimus, ea, cum quibus potentia ipsa, aut aliquod ex eius constitutiuis intrinsecis connexum est. Igitur, quoties, positis omnibus requisitis intrinsecè, vt causa euadat proximè potens ad operandum, (& consequenter, quæ ad existentiam eorum requiruntur extrinsecè), ita ea potest operari, vt etiam possit non operari; eo scilicèt quòd integra potentia proxima eius ad operandum indifferens est, vt coniungatur, non solùm cum operatione, sed etiam cum carentiâ eius; tunc talis causa in actu primo, eoque proximo libera est ad operandum, & ad non operandum. Et quoniam, vt in eâdem quæst. 5. vniuersaliter ostendimus, ad existentiam operationis potest esse aliquid requisitum, quod ad potentiam proximam operandi requisitum non sit; prout cernitur in termino actionis requisito, vt existat actio, & non requisito, vt existat potentia proxima agendi; idcirco per requisita ad operandum posita in prædicta definitione non cuncta requisita ad existentiam operationis veniunt intelligenda, sed ea dumtaxat, quæ sunt requisita, vt existat in causâ potentia proxima operandi, vti dictum est, sicque intelligunt ipsam definitionem omnes Auctores commemorati; prout multi eorum eam explicantes declarant. Quo pacto accepta eadem est cum illâ, quam nos ex communi omnium sensu tradidimus quæst. 1. nempe, *Causa libera est, quæ duas potentias proximas habet, alteram ad operandum, alteram ad non operandum.* Duas, inquam, potentias proximas, non quidem realiter, sed tantùm per rationem nostram distinctas inter se, prout exposuimus, & ostendimus dicta q. 5. n. 153.

445 Suppono tertiò tanquam principium cunctis euidens, impossibile esse, quòd causa sit libera ad operandum, & non operandum, quando deest aliquid requisitum ad existentiam operationis, & in potestate causæ non est acquirere illud, seu facere, quòd illud ponatur. Est clarum. Quia non potest esse imputabile, atque adeò neque liberum causæ, quòd non operatur, quando operatio est ei absolutè impossibilis; vt constat. Est autem operatio absolutè causæ impossibilis, quando neque adest, neque à causâ potest acquiri id, sine quo operatio ipsa nullatenus existere potest, vt etiam constat. Sic homini non habenti equum, neque potenti illum acquirere, impossibilis est equitatio, vtpote quæ sine equo existere nequit: atque adeò neque imputabile, neque liberum esse potest tali homini, quòd non equitet. Sic homini vincto catenis, neque potenti se à vinculo catenarum absoluere, impossibilis est deambulatio per vrbem, vtpote quæ neque cum tali catenarum vinculo componi, neque sine absolutione ab illo existere potest: vnde, quòd per vrbem non deambulet talis homo, nec ipsi liberum, nec imputabile potest esse. Pariterque in similibus.

Ex hoc principio manifestè sequitur primò, 446
quoties causa proxima est impotens operari ex defectu alicuius ad operandum requisiti, quod ipsa non potest acquirere, non posse non tale requisitum ex genere eorum esse, quæ ad potentiam proximam operandi requisita sunt, iuxta diuisionem requisitorum ad operandum factam n. 444. Si enim esset ex genere aliorum, quæ ita sunt ad operationem requisita, vt ad potentiam proximam operandi requisita non sint, posset, illo non existente, existere in causâ potentia proxima operandi iuxta ibi dicta. Vnde fieret, vt in tali casu, illo non existente, & esset causa proximè impotens operari; quia id supponitur, & non esset proxime impotens; quia haberet potentiam proximam operandi. Quod est chymæricum.

Secundò manifestè etiam sequitur, ex defe- 447
ctu alicuius ita requisiti ad operationem, vt ad potentiam proximam operandi requisitum non sit, nunquam deesse posse in causâ potentiam proximam operandi; vti nunquam deesse potest ex ipsius operationis defectu; quæ tamen magis ad seipsam, quam quilibet aliud est requisita. Quia non potest quidpiam deficere ex defectu eius, quod ad existentiam suam non est requisitum, vt est notissimum. Vnde rursus manifestè consequitur, quoties, deficiente tali requisito ad operationem adest in causâ, vt est possibile, potentia proxima ad operationem ipsam, non posse non adesse quoque in causâ potentia proxima ad acquirendum, siue ad faciendum, quod existat, ponaturve requisitum ipsum. Siquidem, deficiente requisito ad operationem, quod causa non potest acquirere, non potest non deficere in causâ potentia proxima ad ipsam operationem, vtpote in tali casu causæ impossibilem, iuxta principium statutum n. 445.

Suppono quartò, concursum prævium, seu 448
physicam prædeterminationem, de qua tractamus, tres conditiones, siue proprietates habere iuxta plerosque Auctores eius. Prima, quòd ita est ad omnem operationem cuiusuis causæ secundæ requisita, vt nulla operatio vllius causæ creatæ vllatenus sine illa possit existere. Secunda, quòd ita est connexa cum operatione, ad quam prædeterminat, vt nullâ potentiâ possit existere sine illâ. Tertia, quòd in potestate causæ secundæ nullatenus positum sit, illam habere, vel non habere; adeò, vt causa secunda nec possit eam impedire, abijcereve, quando habet; nec possit eam comparare, acquirereve, quando non habet.

His positis duo nobis potissimùm proban- 449
da sunt in præsenti quæstione. Primum. Voluntatem creatam, quando adest illi prædeterminatio physica ad operandum, nullatenus posse esse libe-

liberam ad non operandum. Secundum. Voluntatem creatam, quando illi deest prædeterminatio ad operandum, nullatenus ad operandum posse liberam esse. Quoniam verò nonnulli Prædeterminatores pressi argumentis sibi oppositis, à suaque præuiâ opinione discisentes dixerunt, in potestate, arbitrioque voluntatis creatæ positum esse, habere, vel non habere à Deo prædeterminationem physicam ad operandum: quod varijs modis explicare conati sunt. Tertium à nobis probandum erit. Assertum huiusmodi cum doctrinâ de physicâ prædeterminatione cohærere non posse. Posteaque, Aduersariorum argumentis solutis, nonnulla inferemus consectaria, quibus doctrina eousque tradita magis, ac magis confirmetur.

Propositio 1.

450 **Voluntas creata per concursum Dei præuium prædeterminata physicè ad operandum nullatenus potest manere libera ad non operandum.**

Hæc propositio primò venit probanda per argumenta, quibus monstrauimus quæst. 5. propos. 11. quoduis constitutiuum potentiæ proximæ actus connexum cum actu omninò tollere libertatem ad talem actum, atque adeò & ad eius contradictorium. Siquidem prædeterminatio physica iuxta plerosque Auctores eius complementum est, atque adeò constitutiuum potentiæ proximæ voluntatis ad actum, ad quem prædeterminat, (taleque esse debet iuxta omnes, vt ostendemus propos. 2.); cum ipsoque actu est connexa essentiali, seu metaphysica connexione. Recognoscantur dicta argumenta, & ad propositum applicentur.

451 Secundò probatur propositio ex definitione causæ liberæ nuper statutæ. Iuxta quam causa libera est, quæ, positis omnibus requisitis ad agendum, potest non agere. Sed voluntas, posità prædeterminatione, (quæ vnum est ex requisitis ad agendum, vt ex Aduersarijs supponitur), non potest non agere. Ergo voluntas, posità prædeterminatione, non est causa libera. Maior ex dictis num. 443. supponitur certa. Et consequentia euidenter legitima est. Minor autem inde etiam fit euidens: quia, posità prædeterminatione ad agendum, prorsus repugnat, poni carentiam actionis, cui prædeterminatio essentialiter opposita est, vt etiam ex Aduersarijs supponitur. Et confirmari potest. Nam idcirco ignis non est causa libera: quia posita in eo prædeterminatione cum cæteris requisitis ad agendum non potest non agere. Tantumdem ergo de voluntate prædeterminatâ ad agendum dicendum est.

452 Respondent **Aduersarij communiter**, posità in voluntate prædeterminatione cum cæteris requisitis ad agendum, eam vtique non posse non agere in sensu composito talium requisitorum; quia voluntas non potest componere siue coniungere carentiam actionis cum prædeterminatione, quæ est vnum ex ipsis requisitis; est namque talis coniunctio omnino impossibilis. Posse tamen non agere in sensu diuiso talium requisitorum; quia voluntas benè potest ponere carentiam actionis diuisam, siue seiunctam à prædeterminatione: quod satis est ad libertatem non agendi. Quemadmodum, inquiunt, vt voluntas libera sit, quando actu amat, ad odium oppositum, non est necesse, quod possit componere, siue coniungere odium cum amore, quem habet, hoc enim impossibile est propter eorum oppositionem, sed satis est, quod possit ponere odium diuisum, siue seiunctum ab amore. Et hoc pacto censent, venire intelligendam definitionem causæ liberæ num. 434. ex communi statutam. Causam enim liberam esse, quæ, positis omnibus requisitis ad agendum, in sensu diuiso eorum potest non agere; tametsi non possit non agere in sensu composito.

Sed contra primò. Nam hæc explicatio de- 453
finitionis communis causæ liberæ aperte est contra mentem Doctorum, qui eam tradunt, & amplectuntur, vt ex eorum verbis constat, quorum multa refert Ruiz disp. 50. de Scient. sect. 4. supra citatâ. Omnes enim aut supponunt, aut exprimunt, de ratione causæ liberæ esse, vt, positis omnibus requisitis ad agendum, cum illis possit ea componere, siue coniungere carentiam actionis. Id quod ablatiuum absolutum, *positis omnibus requisitis*, planè præfefert, vt latè probat Ruiz ibi sect. 5. Et quidem, debere illud eodem modo referri ad potentiam non operandi, atque ad potentiam operandi, vt definitio sit exacta, manifestum est. Sed causa libera habet potentiam ad operandum cum omnibus requisitis in sensu composito. Ergo cum eisdem habet in eodem sensu potentiam ad non operandum iuxta definitionem. Alioquin ita potiùs deberet definitio compingi. *Causa libera est, quæ positis omnibus requisitis ad operandum potest operari; & aliquo eorum sublato potest non operari.* Vt sic autem pessima definitio esset: quia non minùs causæ necessariæ, quàm liberæ, conueniret.

Contra secundo. Nam causam necessariam 454
sic omnes definiunt. *Est ea, quæ, positis omnibus requisitis ad operandum, non potest non operari.* Vndè sic arguitur. Hæc definitio exæquò opponitur definitioni causæ liberæ, adeò, vt, quod per illam affirmatur, per hanc negetur. Sed per hanc negatur causæ necessariæ potentia ad non operandum, positis omnibus requisitis ad operandum, in sensu composito. Ergo per illam adscribitur causæ liberæ potentia ad non operandum, positis eisdem requisitis in sensu composito. Sola minor indiget probatione, seu potiùs declaratione. Causa necessaria, positis omnibus requisitis ad operandum, habet potentiam ad non operandum in sensu diuiso eodem pacto, ac Aduersarij dicunt, illam habere causam liberam: siquidem causa necessaria carere operatione potest, diuiso, siue seiuncto ab illâ aliquo ex requisitis ad operandum. Igitur definitio causæ necessariæ non negat illi potentiam ad non operandum, positis omnibus requisitis in sensu diuiso; (falsò enim in hoc sensu negaret); sed in sensu composito. In eodem ergo affirmatur de causa libera potentia ad non operandum, positis omnibus ad operandum requisitis.

Vnde contra Aduersarios tertiò arguo sic. 455
Si sensus diuisus, quem ipsi intrudunt, in istis definitionibus habet locum, sequitur planè, definitionem causæ liberæ causæ etiam necessariæ quadrare: definitionem autem causæ necessariæ nulli causæ conuenire. Aſt hoc valde absurdum est. Ergo, &c. Id autem sequi, sic ostendo. Ipsi dicunt, causam liberam instructam omnibus requisitis ad operandum eatenus solùm posse non ope-

rari, quatenus, diuiso, siue seiuncto aliquo ex dictis requisitis, potest cum ipsâ causâ coniungi carentia operationis; sicque definitionem explicant. At hac ratione æquè benè potest causa necessaria non operari positis omnibus requisitis ad operandum: quia potest carentia operationis coniungi causæ necessariæ, diuiso ab illâ, siue seiuncto aliquo ex dictis requisitis: ignis enim, diuisâ ab illo, siue seiunctâ approximatione ad passum, quæ est vnum ex requisitis ad comburendum, optimè potest non comburere. Definitio igitur causæ liberæ æquè conuenit causæ necessariæ secundùm sensum diuisum dictum. Iam verò quia nulla est omnino causa, quæ sublato aliquo ex requisitis ad operandum operari possit: ac proinde nulla est, quæ non possit non operari requisito sublato: si definitio causæ necessariæ in sensu diuiso explicato accipienda sit, sequitur, eam nulli causæ posse conuenire: nulla enim est, quæ non possit non operari, diuiso à se, siue seiuncto aliquo ex requisitis ad operandum.

456 Contra denique quartò. Quia, quoties requisitum ad agendum connexum cum actione à potestate causæ non pendet in existentiâ suâ, vti euenit in nostro proposito, eo semel posito, in nullo sensu siue composito, siue diuiso est causa absolutè potens ad non operandum; nullatenusque subinde libera manet, vt ostendemus argumento sequente. Vnde obiter deprehendes, quam extra rem sit exemplum de voluntate actu amante, & libera nihilominùs ad odium oppositum: pendet siquidem existentia amoris à potestate voluntatis; atque ita, vt est absolutè potens omittere amorem, dum actu amat, ita est absolutè potens ponere odium in sensu diuiso ipsius amoris. De quo etiam plura postmodùm.

457 Tertiò probatur propositio. Voluntas prædeterminata ad agendum nullam omnino habet potentiam ad non agendum. Ergo neque habet libertatem ad agendum, vel non agendum. Consequentia est prorsus euidens. Antecedens probatur. Voluntas prædeterminata ad agendum nullam omnino habet potentiam ad ponendam à parte rei carentiam actionis. Ergo nullam omnino habet potentiam ad non agendum. Iterum est prorsus euidens consequentia. Antecedens autem rursus probatur. Voluntas prædeterminata ad agendum nullam habet potentiam ad ponendam à parte rei carentiam actionis compositam, siue coniunctam cum prædeterminatione, (hoc est in sensu composito prædeterminationis); quia talis compositio, siue coniunctio chymærica est iuxta Aduersarios, & ad ponendam chymæram à parte rei, nulla potentia dari potest, vt constat. Sed neque voluntas prædeterminata ad agendum habet vllam potentiam ad ponendam à parte rei carentiam actionis diuisam, siue seiunctam à prædeterminatione, (hoc est in sensu diuiso prædeterminationis), prout Aduersarij volunt. Ergo voluntas prædeterminata ad agendum nullam omnino habet potentiam ad ponendam à parte rei carentiam actionis. Quod erat probandum. Maior huius syllogismi ipsissima est Aduersariorum doctrina. Consequentia autem prorsus est euidens, & ab ipsis suppositâ. Nam, cùm sit necesse, existere à parte rei vel prædeterminationem, vel eius carentiam citra medium, repugnat, poni à parte rei carentiam actionis aliter, quàm vel coniunctam cum prædeterminatione, vel cum eius carentiâ, sicque ab ipsâ prædeterminatione seiunctam, vt est manifestum. Restat ergo solùm probanda minor. Nempe, voluntatem prædeterminatam ad agendum nullam habere potentiam ad ponendam à parte rei carentiam actionis diuisam, siue seiunctam à prædeterminatione.

Id autem probatur efficaciter. Quia, cùm 458
manifestè sit impossibile poni à parte rei carentiam actionis seiunctam à prædeterminatione, ipsâ prædeterminatione existente; manifestè repugnat, voluntatem prædeterminatam potentiam habere ad ponendam à parte rei carentiam actionis seiunctam à prædeterminatione, nisi habendo simul potentiam ad abijciendam à se, vel impediendam prædeterminationis existentiam. Aſt voluntas secundam hanc potentiam non habet iuxta doctrinam Aduersariorum suppositam num. 448. Ergo nec habet illam primam. Confirmatur primò. Quia ponere à parte rei carentiam actionis diuisam, siue seiunctam à prædeterminatione, & ponere eam coniunctam cum carentiâ prædeterminationis, idem omnino est, vt constat. Repugnat autem manifestè, poni à parte rei coniunctum ex ambabus carentijs, quin ambæ ponantur, quando neutra posita est, vti euenit, quando prædeterminatio adest. Ergo voluntas prædeterminata impotens iuxta Aduersarios ad ponendam carentiam prædeterminationis, planè est quoque impotens ad ponendum dictum coniunctum, siue ad ponendam carentiam actionis coniunctam cum carentiâ prædeterminationis, siue ad ponendam carentiam actionis diuisam, disiunctamve à prædeterminatione: quæ omnia in idem recidunt. Certè, qui nequit ponere omnes partes totius, euidenter nequit ponere totum, quando ea pars, quam nequit ponere, aliunde posita non supponitur. Voluntas ergo impotens ponere carentiam prædeterminationis, quando hæc aliunde posita non supponitur, sed potiùs per prædeterminationem ipsam sublatâ, euidenter nequit ponere totum ex carentiâ prædeterminationis, & ex carentiâ actionis coalescens: quod est, non posse eam ponere carentiam actionis cum carentiâ prædeterminationis coniunctam, seu, quod idem est, diuisam, seiunctamve à prædeterminatione ipsâ. Confirmatur secundò idem ipsum. Quia iuxta principium euidens statutum num. 445. impossibile est, vt causa ponat quidpiam existens à parte rei, quando deest aliquid requisitum ad existentiam eius, quod ipsa non potest acquirere. Sed, quando voluntas est prædeterminata ad agendum, deest carentia prædeterminationis, quam ipsa acquirere non potest, & quæ ad existentiam carentiæ actionis omnino requisita est. Ergo impossibile est, vt voluntas prædeterminata ad agendum ponat à parte rei existentem carentiam actionis. Nullam ergo potentiam habet ad non agendum in vllo sensu seu composito, seu diuiso. Confirmatur tertiò. Quia qui nequit tollere vnum ex extremis essentialiter inter se oppositis, nequit ponere alterum. Ergo voluntas, quæ nequit tollere prædeterminationem essentialiter oppositam carentiæ actionis, nequit ponere carentiam actionis. Tum, impotens tollere impedimentum essentiale alicuius, & hoc ponere est impotens. Sed prædeterminatio impedimentum est essentiale carentiæ actionis. Ergo, &c. 460

Confirmatur quartò. Cui est ineuitabilis 461
existentia alicuius rei, ineuitabile est id, quod fert secum essentialiter talis res. Sed voluntati prædeterminatæ ad agendum ineuitabilis est exi-

existentia talis prædeterminationis. Ergo & eius coniunctio, seu coexistentia cum actione ipsi prædeterminationi essentialis est voluntati ineuitabilis, & consequenter impossibilis positio carentiæ ipsius actionis. Confirmatur quintò. Voluntati prædeterminatæ ad agendum nec liberum est, quòd talis prædeterminatio existat, nec, quòd existat sine actione. Ergo vtrumque est ei necessarium, & consequenter impossibilis carentia vtriusque. Confirmatur sextò. Necessitatus ad coexistendum entitati A connexæ essentialiter cum entitate B, necessitatus quoque est ad coexistendum entitati B. Ergo voluntas necessitata ad coexistendum prædeterminationi, quam habet, connexæ essentialiter cum actione, necessitata quoque est ad coexistendum actioni; & consequenter impotens ad carentiam actionis. Confirmatur septimò. Impotens impedire causam necessariam effectus, impotens est impedire effectum. Ergo voluntas impotens impedire prædeterminationem ad actionem, impotens est impedire actionem. Confirmatur octauò. Ponere actionem, non impeditâ prædeterminatione, est formalissimè coniungere actionem cum prædeterminatione; quæ coniunctio est chymæra. Sed potentia ad ponendam actionem sine potentia ad impediendam prædeterminationem eo ipso est potentia ad ponendam actionem, non impeditâ prædeterminatione. Igitur est potentia ad chymæram, atque adeò chymærica. Confirmatur nonò. Cui vnum ex extremis oppositis necessarium est, alterum impossibile est, vt constat. Sed voluntati prædeterminatæ ad actionem necessaria est prædeterminatio; cùm nequeat eam à se pellere, vel impedire. Ergo carentia actionis opposita prædeterminationi voluntati est impossibilis. Confirmatur decimò. Ponere carentiam actionis est ponere impedimentum prædeterminationis, atque adeò illam impedire. Ergo potentia ad ponendum carentiam actionis ipsissima est potentia ad impediendum prædeterminationem. Ergo voluntas habens potentiam ad ponendum carentiam actionis eo ipso habet potentiam ad impediendum prædeterminationem. Vel, si non habet potentiam ad secundum, neque habet ad primum. Confirmatur vndecimò. Tollere casum, in quo res vnicè potest existere, est rei existentiam impedire. Sed ponere carentiam actionis, est tollere casum consortij actionis, & prædeterminationis, in quo vnicè potest prædeterminatio existere. Ergo ponere carentiam actionis, est impedire prædeterminationem. Ergo potentia ad ponendum carentiam actionis, non impeditâ prædeterminatione, potentia ad chymæram, adeoque chymærica est. Duodecimò denique confirmatur exemplo illo sæpe repetendo de homine vincto catenis, atque adeò proximè impotente ad deambulandum, adhuc in sensu diuiso eius vinculi; eo quòd absolutio ab illo ad deambulandum requisita in suâ potestate non est.

460 Nonnulli Prædeterminatorum dixerunt, voluntatem prædeterminatam ad agendum, etsi nequeat prædeterminationem abijcere, siue impedire, potentiam nihilominùs habere ad non agendum in sensu diuiso prædeterminationis, quatenus potentiam habet ad carendum actione, si prædeterminatio non sit, siue pro casu, quòd prædeterminatio non sit. Hæc tamen explicatio sensus diuisi à cæteris omnibus Theologis, etiam Prædeterminatoribus, prorsus reijcitur tanquam ad rem valde impertinens, imo nociua, & absurdis plena. Et meritò quidem. Primò; quia potentia voluntati attributa ad carendum actione, si non sit, siue pro casu, quòd non sit prædeterminatio, non est potentia proxima ad carendum actione actu, & absolutè existens in voluntate, sed quæ existeret sub conditione, quòd prædeterminatio deesset. Ergo non est potentia constituens voluntatem actu, & absolutè liberam ad carendum actione, sed quæ talem illam constitueret, si prædeterminatio deesset. Vel, si mauis, potentia remota est, eaque passiua, quam habet voluntas ad accipiendam à Deo carentiam prædeterminationis completiuam potentiæ proximæ ad carendum actione: quæ euidentiùs adhuc est inepta ad constituendam voluntatem actu, & absolutè liberam ad carendum actione. Secundò; quia, si in voluntate prædeterminata ad agendum sufficeret ad libertatem potentia ad non agendum pro casu, quo prædeterminatio deesset, omnis causa necessaria proximè potens, atque adeò prædeterminata ad agendum libera esset: quod est absurdum. Quia omnis vnâ cum potentiâ proximâ determinatâ ad agendum habet potentiam ad non agendum pro casu, quo desit ea determinatio per defectum alicuius constitutiui talis potentiæ proximæ, vt est manifestum. Tertiò; quia, si potentia, quam voluntas prædeterminata ad amandum habet ad non amandum pro casu, quòd ea prædeterminatio deesset, sufficeret ad libertatem; nulla voluntas, imo nulla omnino causa posset in vllo euentu non esse libera. Quia nulla causa est, quæ semel existens in quouis euentu non habeat potentiam proximam ad exercendum eum actum seu positiuum, seu negatiuum, quem exercet de facto; & simul potentiam ad exercendum contradictorium pro casu, quo sibi omnia requisita ad exercendum illum adessent. Vnde fieret, vt infans recenter natus, vel homo amens, seu dormiens, seu carens omni cognitione, ad quemuis actum, quem omittit, liber existeret: quia vnâ cum potentiâ proximâ, quam habet ad illum omittendum, potentiam habet ad eliciendum illum pro casu, quo sibi cuncta requisita ad talem elicientiam adessent. Sic ego ad infinitos actus mihi possibiles, quos nunc de facto omitto, liber nunc essem, imo omnis causa necessaria ad infinitas operationes sibi possibiles, quibus de facto caret, libera existeret ob eamdem rationem. Quæ omnia ingentia absurda sunt. Sed quid immoror in re certissimâ, & clarissimâ?

Propterea alij Prædeterminatores communiter dicunt, voluntatem prædeterminatam ad agendum, non solùm sub conditione, quòd prædeterminatio deesset, sed absolutè habere potentiam ad non agendum in sensu diuiso prædeterminationis: quia ad hoc satis est, quòd sit possibile absolutè, vt est reuerà, quòd existat carentia actionis seiuncta à prædeterminatione, eo ipso, quòd absolutè quoque possibile est, quòd prædeterminatio non existat. Quemadmodùm voluntas habens amorem, potentiam absolutam habet ad ponendum odium oppositum in sensu diuiso ipsius amoris: quia absolutè possibile est, existere odium seiunctum ab amore, eo ipso, quòd etiam est absolutè possibile, non existere amorem. 461

Verùm contra doctrinam hanc militant apertè omnia argumenta facta à num. 458. Quorum vim vt penitùs calleas, eaque Aduersarios iterum vrgeas, caue æquiuocationem, cuius occasio modò adiungitur. Etenim, vt aliqua causa 462

sa habeat absolutè potentiam ad aliquid causandum non satis est, quòd illud sit absolutè possibile; sed requiritur, quòd sit absolutè possibile respectu talis causæ, ab eâve absolutè causabile: ignis enim non habet absolutè potentiam ad causandum frigus; quod tamen absolutè est possibile, atque etiam ab alijs causis absolutè causabile. Vnde deprehendes, licèt carentia prædeterminationis sit absolutè possibilis, causabilisque à Deo, voluntatem prædeterminatam nullam habere nihilominùs potentiam ad talem carentiam causandam, siue ponendam: quia, vt ex ipsis Aduersarijs supponitur, non est in potestate voluntatis abijcere ab se prædeterminationem, siue illam impedire. Ex quo fit, voluntatem prædeterminatam nullam habere potentiam ad ponendum coniunctum ex carentiâ prædeterminationis, & carentiâ actionis, atque adeò neque ad ponendam carentiam actionis coniunctam cum carentiâ prædeterminationis, seu, quod est idem, seiunctam, diuisamve à prædeterminatione. Recurruntque argumenta facta à dicto num. 458. Exemplum autem de voluntate amante, potenteque absolutè ponere odium in sensu diuiso amoris, non est ad rem, vt supra iam diximus: quia carentia amoris aliter, quàm carentia prædeterminationis, non solùm est absolutè possibilis, sed etiam à voluntate causabilis; voluntasque subinde potentiam habet ad eam ponendam, & consequenter ad ponendum coniunctum ex eâ, & ex odio, atque adeò ad ponendum odium cum eâ coniunctum, disiunctumve, siue diuisum ab oppositio amore.

463 Sed confirmemus omnia dicta præterea exemplo Beati, qui ex omnium sententiâ neque in sensu compositio, neque in sensu diuiso visionis Dei habet potentiam ad Deum non amandum; ob idque eum non liberè, sed necessariò amat. Quia nimirum nec potest carentiam amoris cum visione coniungere; nec potest visionem à se abijcere, siue impedire. Sed prædeterminatus ad agendum nec potest carentiam actionis cum prædeterminatione coniungere; nec potest prædeterminationem à se abijcere, siue impedire iuxta suppositam doctrinam Aduersariorum. Ergo pariter prædeterminatus ad agendum neque in sensu compositio, neque in sensu diuiso prædeterminationis habet potentiam ad non agendum: proindeque non liberè sed necessariò agit. Idem argumentum sumi potest ab alio exemplo humanitatis Christi omnino impotentis peccare vi vnionis hypostaticæ; eo quòd neque ad coniungendum peccatum cum vnione, neque ad separandam à se, siue impediendam vnionem vllam potentiam habet.

464 Ad vtrumque exemplum respondet Aluarez lib. 2. Respons. cap. 4. num. 20, Respondensque ad primum duas reddit disparitates. Prima est, quòd in Beato non relinquitur iudicium indifferens ad amandum, vel non amandum Deum: quia scilicet, suppositâ visione beatificâ, nihil Beato repræsentatur ex parte obiecti, quod possit ipsum ab amore obiecti retrahere. At in prædeterminato ad agendum cum prædeterminatione componitur cognitio indifferenter ei repræsentans in ipsâ actione, vel in obiecto, ad quod tendit, rationes boni, & mali, quarum prima ad agendum inuitat, secunda retrahit ab agendo. Quo fit, vt cum prædeterminatione ad agendum libertas ad non agendum benè cohæreat. Secus cum visione beatificâ libertas ad non amandum Deum. Opinatur enim Aluarez, contenditque multis in locis, maximè verò disput. 116. de Auxil. n. 4. & 9. & lib. 4. Respons. toto capite 3. repugnare omnino, vt voluntas non feratur liberè in obiectum indifferenter sibi propositum iudicio indifferente; atque ita neà Deo quidem posse illam, stante tali iudicio, circà tale obiectum necessitari. Id quod alij etiam Prædeterminatores communiter tenent. Secunda disparitas est, quòd visio beatifica non est separabilis à Beato; sicut prædeterminatio est separabilis à prædeterminato. Formæ autem inseparabiles à subiecto nunquam admittunt sensum diuisum respectu extremi sibi oppositi, sicuti formæ separabiles, vt tanquam principium certum supponit S. Th. 1. par. quæst. 14. art. 13. ad 3. & quæst. 2. de Verit. art. 12 ad 4.

Impugno priorem solutionem cum doctrinâ, 465
quam continet, alijs etiam Prædeterminatoribus, vt dictum est, familiari. Primò quidem; quia indifferentia cognitionis inuitantis de suo voluntatem ad eligendum inter extrema oppositа nihil ad eius libertatem prodesse potest, quando adiungitur aliud eam indifferentiam tollens, siue prorsus eneruans, quale est, quidquid voluntatem prædeterminat ad alterum eorum extremorum. Quemadmodùm enim voluntas, non obstante indifferentiâ ad vtrumuis, quam habet per suam entitatem præcisè, potest per aliquid adiunctum prædeterminari, atque necessitari ad vnum, vt patet in voluntate Beati ad amorem Dei necessitatâ per eius visionem. Ita quoque voluntas, non obstante indifferentiâ ad vtrumuis, quam habet vt coniuncta cum cognitione indifferente, potest per aliquid adiunctum prædeterminari, atque necessitari ad vnum, vti euenit etiam in voluntate Beati necessitatâ ad non peccandum per visionem beatificam; & in voluntate Christi necessitatâ similiter ad non peccandum per vnionem hypostaticam.

Vnde sumitur secunda impugnatio dictæ 466
prioris solutionis, atque doctrinæ eius. Etenim, tametsi visio beatifica cognitionem excludat de obiecto suo indifferentem, hoc est, cum indifferentiâ inuitantem voluntatem Beati ad illud amandum, vel non amandum; at de alijs obiectis nequaquam talem cognitionem excludit: cùm certum sit, voluntatem Beati circa alia plura obiecta versari liberè per suos actus volitionis, vel nolitionis; vti versatur etiam voluntas humana Christi Domini. Quo posito, certum quoque est, obiecta mala in genere moris, qualia sunt actus tum positiui, tum negatiui per præcepta siue naturalia, siue positiua prohibiti, voluntati tum Beati, tum humanitatis Christi repræsentari perinde, ac nostræ, per cognitionem indifferentem sufficientem, quantùm ex se est, ad talia obiecta fugienda, vel amplectenda: siquidem Beatus, & Christi humanitas non ignorant, neque ignorare possunt, in eiusmodi obiectis, actibusve prohibitis & esse rationem mali moralis inclinantem ad eos fugiendos, & esse rationem boni aut delectabilis, aut vtilis ad finem bonum inclinantem ad eos amandos. Et tamen, quia Beatus à visione beatificâ, & Christi humanitas ab vnione hypostaticâ euadunt impeccabiles, voluntas seu Beati, seu Christi nequaquam est libera ad talia obiecta amanda, vel non amanda, sed prorsus ad non amanda illa necessitata est, non obstantibus cognitionibus indifferentibus, quas habet circa illa. Cognitio igitur indifferens ad vtrumuis, aliàs ad libertatem sufficiens, nihil omnino ad illam prodesse, siue conferre potest, quando aliquid voluntа-

Iuntati adiungitur prædeterminans illam, siue necessitans ad vnum. Et quidem ad extremum negatiuum posse voluntatem necessitari, quantumuis instructam indifferente cognitione, ex defectu concursus Dei, aut alterius requisiti ad existentiam extremi positiui, indubitabile est. Cur ergo ad hoc etiam necessitari non poterit per aliquid voluntatem ipsam adigens ad illud? De quo plura videri possunt apud Soar. Prolegom. 1. de Grat. cap. 4 & 5. & apud Ruiz totâ disput. 53. de Scient. Sat enim est nobis hæc indicasse contra doctrinam de sufficientiâ ad libertatem iudicij indifferentis. Nam cætera cuncta, quæ probant physicam prædeterminationem libertati aduersari, consequenter probant, indifferentiam iudicij ad libertatem sufficientem non esse. Malè igitur Aluarez cum alijs, per discrimen cognitionis indifferentis in prædeterminato repertæ, non vero in Beato argumentum à nobis factum solui, putauit. 465

467 Quæ eadem eius solutio tertiò impugnatur à priori. Nam, quidquid sit de cognitione indifferente seu reperta, seu non reperta in voluntate, idcirco voluntas Beati est necessitata tum ad Deum amandum, tum ad non peccandum; quia nec potest coniungere carentiam amoris, aut peccatum cum visione beatificâ, nec ipsam visionem beatificam potest à se abijcere, siue impedire. Sed voluntas prædeterminati ad agendum pariter non potest coniungere cum prædeterminatione carentiam actionis, nec ipsam prædeterminationem abijcere à se, siue impedire, vt Aduersarij confitentur. Ergo voluntas prædeterminati similiter est necessitata ad agendum.

468 Venio ad secundam solutionem, quam nostro argumento exhibet Aluarez, prout num 464. retulimus. Quam impugno primò; quia absolutè, & comparatione potentiæ Dei æquè est separabilis visio beatifica à voluntate Beati, ac est separabilis prædeterminatio à voluntate prædeterminati; comparatione verò ipsius voluntatis seu Beati, seu prædeterminati æquè est vtraque inseparabilis. Nulla igitur est ad rem disparitas inter vtramque. Secundò; nam, licet visio possit auferri à Deo, vel non dari homini per illam beato: quia tamen ipse homo nec potest illam à se abijcere, vel impedire; nec potest cum illâ componere carentiam amoris Dei, aut peccatum; per illam euadit necessitatus ad Dei amorem, & ad carentiam peccati. Sed homo prædeterminatus ad agendum similiter nec potest abijcere à se, vel impedire prædeterminationem, nec potest cum illâ carentiam actionis componere. Ergo pariter euadit per illam necessitatus ad agendum, quantumuis ipsi possit illa à Deo auferri, vel non dari. Tertiò; quia iuxta principium ibidem adductum ex S. Thomâ, qua ratione forma est inseparabilis à subiecto, eâdem non admittit sensum diuisum respectu extremi sibi oppositi. Sed prædeterminatio ad agendum inseparabilis est à prædeterminato comparatione ipsius potestatis; quia ipse illam à se separare non potest. Ergo prædeterminatio ad agendum non admittit sensum diuisum comparatione potestatis prædeterminati respectu extremi sibi oppositi, quale est carentia actionis. Quod ipsum est, prædeterminatum ad agendum potentiam non habere ad ponendam carentiam actionis in sensu diuiso prædeterminationis. Cùmque nec habeat in sensu composito, nequit non esse ad agendum necessitatus.

469 Iam verò ad aliud exemplum desumptum ex humanitate Christi necessitatâ ad non peccandum vi vnionis hypostaticæ, adductumque à nobis contra aduersam sententiam num. 463. nihil aliud respondet Aluarez loco citato, nisi, *quòd humanitas Christi, suppositâ vnione hypostaticâ, nec in sensu diuiso, nec in sensu composito potest peccare moraliter, aut se determinare ad actum intrinsecè malum, licèt posset, quantùm est ex parte motionis efficacis prædeterminantis ad piè operandum*. Hoc tamen aliud non est profectò, quàm suam conclusionem repetere. Instauro argumentum. Ideò humanitas Christi, suppositâ vnione hypostaticâ, nec in sensu diuiso, nec in sensu composito potest peccare: quia nec potest vnionem à se separare, nec cum eâ peccatum coniungere. Sed quæuis voluntas prædeterminata ad agendum, suppositâ prædeterminatione, nec potest eam à se separare, nec cum eâ carentiam actionis coniungere, vt ex ipsis Aduersarijs supponimus. Ergo nec in sensu diuiso, nec in sensu composito potest non agere. Atque adeò æquè est necessitata ad agendum; ac Christi humanitas ad non peccandum.

Denique Recentiores quidam acuti pressi argumentis nostris nouam quamdam, vt fertur, solutionem inuehere conati sunt, dicences, licèt voluntas prædeterminata ad agendum neque habeat potentiam ad non agendum in sensu composito coniunctiuo, seu coniungente carentiam actionis cum prædeterminatione; neque habeat potentiam ad non agendum in sensu diuiso excluſiuo, seu excludente prædeterminationem per carentiam actionis, vt argumenta facta probant; habere tamen eam nihilominùs potentiam ad non agendum in sensu diuiso præcisiuo, seu respiciente carentiam actionis secundum se præcisè, siue in statu præcisiuo ab eo, quòd prædeterminatio existat, vel non existat in voluntate. Et hanc potentiam ad non agendum in sensu diuiso præcisiuo sufficientem esse in voluntate prædeterminatâ ad agendum, vt ea nihilominùs maneat libera ad agendum, vel non agendum. 470

Cæterùm solutio hæc, me quidem iudice, non minùs clarè est falsa, quàm præcedentes. Ostendo id primò; quia libertas vera, & realis voluntatis ad agendum, vel non agendum necessariò debet consistere in potentiâ verâ, & reali causandi realiter, & verè, siue ponendi à parte rei actionem, vel carentiam actionis, vt est manifestum. Talis autem non est, sed prorsus imaginaria, & chymærica potentia ad carentiam actionis prout re ipsâ existentem cum dictâ præcisione, in dictoue statu præcisiuo. Quippe præcisiones eiusmodi merè sunt intellectuales, neque à parte rei sunt possibiles. Quamuis enim nihil sit, quod vetet, concipi ab intellectu solam carentiam actionis, non conceptâ prædeterminatione, neque carentiâ eius; atque adeò solam carentiam actionis intellectualiter, seu obiectiuè existere in mente concipientis illam absque consortio prædeterminationis, & carentiæ eius, sicque statum præcisiuum ab vtroque extremo contradictionis habere purè mentalem. Ast impossibile omnino est, solam carentiam actionis existere à parte rei absque consortio prædeterminationis, & carentiæ eius; sicque statum præcisiuum ab vtroque extremo contradictionis habere realem. Cuius ratio demonstrans est; quia, cùm sit necessarium, vt ex duobus quibusque extremis contradictionis alterutrum à parte rei sit existens iuxta illud euidentissimum principium, *Quodlibet est, vel non est*: necessarium quoque 471

est,

est, vt, quidquid à parte rei est existens, alterutri ex duobus quibusque extremis contradictionis coexistens sit; & consequenter impossibile, vt sit existens absque amborum consortio, sicque præcisum ab ambobus. Cùm igitur sit impossibile, vt carentia actionis existat neque cum prædeterminatione, neque cum carentiâ eius coniuncta, subindeque ab vtraque præcisa: concluditur, in voluntate prædeterminatâ ad agendum neutiquam dari potentiam ad ponendam à parte rei carentiam actionis cum tali præcisione; quia ad impossibile potentia non datur. Sed nec datur ad eam ponendam sine ipsâ præcisione, coniunctam scilicet cum prædeterminatione, vel cum carentiâ eius, vt satis superque in præcedentibus manet probatum. Ergo absolutè in voluntate prædeterminatâ ad agendum nulla omnino datur potentia ad ponendam à parte rei carentiam actionis. Quod est, esse eam ad agendum necessitatam, vt constat.

472 Secundò ostendo id ipsum; quia si voluntas prædeterminati ad agendum; quantumuis impotens ad ponendum carentiam actionis aut cum prædeterminatione, aut cum carentiâ prædeterminationis coniunctam; haberet potentiam ad ponendam illam præcisam ab eis ambobus contradictionis extremis sufficientem ad libertatem agendi, & non agendi; voluntas quoque Beati impotens ad ponendum peccatum coniunctum aut cum visione beatificâ, aut cum carentiâ eius haberet similiter potentiam ad ponendum peccatum præcisum ab vtroque extremo sufficientem ad libertatem non peccandi, & peccandi: & voluntas humanitatis Christi potentiam pariter haberet ad ponendum peccatum præcisum ab vnione hypostatica, & à carentia eius sufficientem ad libertatem peccandi, & non peccandi. Nulla quippe ad rem disparitas excogitabilis est, vt satis ex se apparet. Atque ita Beatus, & Christi humanitas libertatem ad peccandum, & ad non peccandum haberent contra certam Theologorum sententiam. Quod est absurdum. Homo itidem catenis vinctus, impotensque ad ambulandum cum eo vinculo, atque etiam ad se absoluendum ab illo, liber nihilominùs existeret ad ambulandum: quia haberet potentiam ad ponendam ambulationem præcisam ab eo vinculo, & a carentiâ eius. Quod itidem absurdum est.

473 Tertiò ostendo; quia sequeretur etiam, causas omnes necessarias, quotiescunque potentiam proximam habent ad operandum, non posse non liberas esse; quod est ingens absurdum. Ignis enim habens iam potentiam proximam ad agendum prorsus connexam cum actione, tametsi sit impotens ad non agendum in sensu composito cum tali potentiâ coniunctiuo, atque etiam in sensu diuiso talem potentiam excluſiuo, vt ex dictis in præcedentibus constat: at iuxta doctrinam, quam impugnamus, non potest non habere potentiam ad non agendum in sensu diuiso præciſiuo, vt satis ex se apparet. Atque ita, positis omnibus requisitis ad agendum, & potest agere, & potest non agere: quod est esse liberum iuxta definitionem causæ liberæ supra statutam. Absurdum, quod erat probandum.

474 Cæterum; exoticâ istâ solutione sensus diuisi præciſiui, à supradictis Recentioribus excogitatâ nouiter, prorsus explosâ; standoque in aliâ solutione communi sensus excluſiui, quam hactenus argumentis nostris omnes Prædeterminatores communiter adhibuerunt; do illis gratis id, quod prætendunt, & quod falsum esse probaui: voluntatem scilicet prædeterminatam ad agendum potentiam habere ad non agendum in sensu diuiso. Et probo quartò, hoc adhuc dato, voluntatem prædeterminatam ad agendum nullatenus posse iuxta ipsorum doctrinam liberam esse ad agendum, & non agendum. Quoniam potentia ad non agendum in sensu diuiso admissa in voluntate prædeterminatâ ad agendum nequit esse reducibilis ad actum cum eâ indifferentiâ, quæ requiritur, vt voluntas ipsa existat libera ad agendum, & non agendum. Quod ita probo. Talis potentia ad non agendum in sensu diuiso admissa in voluntate prædeterminatâ ad agendum solùm est reducibilis ad actum diuisum, siue seiunctum à prædeterminatione, hoc est existentem à parte rei in eâ temporis mensurâ, in qua prædeterminatio existens non sit: id namque fert secum necessariò sensus diuisus dictus; vt est notissimum. Sed in eâ temporis mensurâ, in qua prædeterminatio existens non sit, nequit voluntas esse indifferens, seu proximè potens ad agendum, & non agendum, prout opus est, vt ad agendum, & non agendum existat libera; quia in eâ temporis mensurâ deest ei prædeterminatio omnino requisita ad agendum, & ab ipsâ non acquisibilis iuxta Aduersariorum doctrinam: & consequenter deest illi potentia proxima ad agendum. Ergo talis potentia ad non agendum in sensu diuiso admissa in voluntate prædeterminatâ ad agendum nequit esse reducibilis ad actum cum eâ indifferentiâ, quæ requiritur, vt voluntas ipsa existat libera ad agendum, & non agendum. Talis igitur potentia gratis admissa in voluntate prædeterminatâ ad agendum adhuc non sufficit, vt in eâ seruetur libertas ad agendum, & non agendum, stando in doctrinâ Aduersariorum.

Confirmatur, & declaratur ampliùs. Potentia, quam in voluntate prædeterminatâ ad agendum gratis admittimus ad non agendum, siue ad exercendam carentiam actionis in sensu diuiso, non est potentia ad exercendam carentiam actionis liberè, sed ad exercendam necessariò. Igitur tali potentiâ admissâ, & suppositâ, adhuc non est in voluntate libertas ad agendum, & non agendum. Consequentia est euidens. Quia libertas ad agendum, & non agendum aliud non est in voluntate à potentiâ proximâ, quam ea habet ad exercendam pro arbitratu suo atque adeò liberè vel actionem, vel carentiam actionis, vt est notissimum. Probo ergo antecedens. Carentia actionis exercita à voluntate non prædeterminatâ ad actionem est carentia actionis exercita à voluntate non potente agere defectu alicuius omnino requisiti ad agendum. Ergo est carentia actionis exercita à voluntate, quæ solùm habet potentiam ad non agendum sine potentiâ ad agendum. Ergo est carentia actionis exercita à voluntate necessitatâ ad non agendum; atque adeò non liberè, sed necessariò exercita à voluntate. Omnes consequentiæ sunt firmæ. Sed carentia actionis exercenda à supradictâ potentiâ veluti proprius actus eius est carentia actionis exercenda pro eâ duntaxat mensurâ temporis, in qua non sit prædeterminatio, vt statutum iam est. Ergo est carentia actionis exercenda à voluntate non prædeterminatâ, atque adeò impotens ad agendum. Ergo exercenda necessariò, non liberè. Ergo potentia, quam in voluntate præ- 475 477

prædeterminatà ad agendum admittimus ad non agendum, ad exercendamve carentiam actionis in sensu diuiso, nequit esse potentia ad eam exercendam liberè, sed tantùm ad exercendam necessariò. Proindeque, etiam si talis potentia in voluntate prædeterminatà daretur, nihil ad eius libertatem præstaret, stando in Aduersariorum doctrinà. Quod erat probandum.

476 Pergo, & probo quintò propositionem alio argumento à præcedente non diuerso secundùm substantiam, sed tantùm quoad modum. Pro quo suppono quatuor certissima principia. Primum est. Libertas actus secundi seu positiui, seu negatiui nullatenus existere potest, quin simul cum illà existat in eius causa libertas actus primi: cùm idem sit, actum secundum esse liberum, & nasci à causà, quæ respectu eius existit libera. Secundum. Impossibile est, quòd causa existens libera aliquem eorum actuum, respectu quorum libera existit, ponat à parte rei, & quòd ille non euadat liber: siquidem, actum esse liberum, non est, aliud quàm poni, siue nasci à causà, quæ respectu eius existit libera, vt dictum est. Tertium. Impossibile est, quòd causa existat libera ad agendum, & non agendum, quin eius libertas sit ad agendum, & non agendum liberè. Hoc constat ex secundo. Iuxta quod repugnat, non euadere liberum actum seu positiuum agendi, seu negatiuum non agendi nascentem à causà, quæ libera existit respectu eius. Quartum. De conceptu essentiali libertatis actus primi, qua causa existit libera ad agendum, & non agendum, est, quòd ea integra tam cum actione, quàm cum carentiâ actionis, respectu quarum est libertas, sit coniungibilis à parte rei. Si enim non esset coniungibilis cum actione, posset actio nasci à causà libera, quin euaderet libera, contra principium secundum; quandoquidem libertas actus secundi in actione existere nequit, quin simul cum illà existat in causà actionis libertas actus primi iuxta principium primum. Vnde etiam fieret, vt posset causa existere libera ad agendum, quin esset eius libertas ad agendum liberè contra principium tertium. Tantumdemque sequitur, si libertas integra causæ cum carentiâ actionis à parte rei non esset coniungibilis; vt est notum. Et quidem euidentissimè est de conceptu dominij, posse coniungi cum actibus, qui sub dominium cadere possunt. Libertas autem actus primi in causà libera, & eius dominium in eos actus, respectu quorum libera est, idem omnino sunt, vt constat. Ex his manifestis principijs sequitur planè, voluntatem prædeterminatam ad agendum neutiquam existere liberam ad agendum, & non agendum. Quia talis prædeterminatio ad talem libertatem omnino requisita iuxta Aduersarios nullatenus est coniungibilis cum carentiâ actionis iuxta eosdem. Et planè repugnat, id, quod sine prædeterminatione existere nequit, posse coniungi à parte rei cum eo, cum quo nequit prædeterminatio coniungi. Siquidem, vt à nobis est demonstratum in Pharo Scient. disp. 14. quæst. 4. propos. 24. ex seque etiam est satis notum, quoties vnum extremum cum altero connexum est, omnibus alijs, quibus illud fuerit oppositum, oppositum est.

477 Confirmatur primò. Voluntas prædeterminata ad agendum potentiam non habet ad ponendam à parte rei carentiam actionis liberam in actu secundo: quia potentiam non habet ad coniungendam carentiam actionis cum prædeterminatione; & consequenter neque ad coniungendam eam cum libertate actus primi impote existere sine prædeterminatione iuxta dicta; sine qua coniunctione nequit ea libera esse in actu secundo iuxta principium primum. Ergo voluntas prædeterminata libertatem non habet ad ponendum à parte rei carentiam actionis. Quia nequit habere libertatem ad eam ponendam à parte rei, quæ non sit libertas, atque adeò potentia ad eam ponendam liberam in actu secundo, iuxta principium tertium.

Confirmatur secundò. Si voluntas prædeterminata ad agendum libera esset ad non agendum, libera esset ad peccandum per carentiam actionis, quando actio præcepta est, vt est certissimum, & Aduersarij confitentur. Sed nequit esse libera ad peccandum per carentiam actionis, nisi sit libera ad ponendam carentiam actionis cum libertate actus secundi, vtpote, quæ ad peccandum est requisita; & ad hoc non est libera iuxta n. præced. Ergo, &c. 478

Sed dicet aliquis, in hoc, & præcedente argumento, atque in eorum confirmationibus supponi ex Aduersariorum doctrinà prædeterminationem ad libertatem voluntatis requisitam esse; quod tamen eorum aliqui negare videntur, cùm dicunt, illam non ad posse voluntatis, sed ad operari eius requiri. Respondeo, id quidem supponi. Cæterùm argumenta, & eorum confirmationes imprimis militant contra plerosque, qui prædeterminationem ad posse voluntatis requirunt, dum illam ponunt vt complementum potentiæ operatiuæ ipsius. Deinde contra omnes etiam militabunt, postquàm propos. 2. probauerimus, in eorum doctrinà impossibile omnino esse, vt prædeterminatio non sit requisita ad posse voluntatis, proindeque ad libertatem eius. 479

Sextò probatur propositio. Voluntas prædeterminata ad agendum non aliter agit, quàm componendo suam actionem cum prædeterminatione. Sed non componit liberè. Ergo neque agit liberè. Cætera constat. Probo minorem. Non potest non componere. Ergo non componit liberè. Consequentia est clara. Probo antecedens. Voluntatem non componere, seu non coniungere suam actionem cum prædeterminatione, aliud non est, quàm, voluntatem facere, vt non existat à parte rei coniunctum ex prædeterminatione, & actione, vt constat: hoc autem tribus dumtaxat modis excogitari potest factibile, vt certissimum iuxta, atque euidentissimum est; faciendo scilicet, vel quòd ambæ partes coniuncti non existant, vel quòd sola prædeterminatio non existat, vel quòd sola actio non existat. Sed voluntas nec potest facere, quòd ambæ partes coniuncti non existant; quia facere, quòd prædeterminatio non existat, in eius potestate non est, vt supponitur ex Aduersarijs; nec potest facere, quòd sola prædeterminatio non existat, tum ob rationem dictam, tum, quia actio sola sine prædeterminatione nequit existens remanere iuxta eorum doctrinam; nec potest facere quod sola actio non existat, quia id esset componere, siue coniungere cum prædeterminatione carentiam actionis; quod in doctrinà eorundem chymæricum est. Ergo voluntas prædeterminata ad agendum nullo excogitabili modo potest facere, quòd non existat à parte rei coniunctum ex prædeterminatione, & suà actione: quod est, eam nullo excogitabili modo posse non componere 480

ſuam actionem cum prædeterminatione : atque adeò, dum de facto componit illam, non liberè, ſed neceſſariò componere. Quod erat probandum.

481 Non deſunt Prædeterminatores quidam moderni, qui contra communem ſuorum doctrinam in voluntate prædeterminatâ ad agendum potentiam ad non agendum in ſenſu compoſito concedunt, dicentes, voluntatem prædeterminatam ad agendum poſſe quidem potentiâ abſolutâ coniungere cum prædeterminatione carentiam actionis; non verò poſſe potentiâ infallibilitatis, hoc eſt, potentiâ, quæ cum effectu ſit vnquam reducenda ad actum: quia, poſitâ in voluntate prædeterminatione ad agendum, omnino infallibiliter ſequitur ſemper actio, etſi abſolutè poſſit non ſequi. Cæterùm Recentiores iſti duo citra dubium coniungunt contradictoriè oppoſita, dum ex vnâ parte dicunt, poſſe coniungi carentiam actionis cum prædeterminatione; ex aliâ verò parte ſupponunt cum ſuis, aut etiam expreſsè concedunt, eſſe prædeterminationem cum actione ipsâ connexam. Hæc namque duo ſibi contradicunt apertè. Etenim, eſſe prædeterminationem cum actione connexam, eſt, ipſam ſine actione non poſſe exiſtere: poſſe autem coniungi cum carentiâ actionis, eſt, poſſe exiſtere ſine actione: quæ ſunt formaliter contradictoria. Dicent, connexionem prædeterminationis cum actione referri ad illam vt infallibiliter extituram, potentiam verò ad carentiam actionis eſſe abſolutam, neque reſpicere illam vt futuram infallibiliter. Hæc ſunt pura verba. Quidquid connectitur cum alio quoad exiſtentiam connexione metaphyſicâ, de qua hìc eſt ſermo, reſpicit terminum connexionis vt infallibiliter extiturum: quia repugnat, exiitere connexum cum alio, quin exiſtat aliud. Vnde quoad hoc nihil peculiare habet prædeterminatio connexa quoad exiſtentiam cum actione, ad quam prædeterminat. Quod contendo, eſt, non poſſe cum prædeterminatione ad actionem componi potentiam illam abſolutam ad coniungendam carentiam actionis cum prædeterminatione ipsâ. Quia, quanuis coniunctio hæc nunquam futura ſit de facto, potentiaque ad eam ſubinde potentia non infallibilitatis à dictis Auctoribus dicatur: at, vt aliqua ad eam potentia detur, poſſibilis metaphyſicè debet eſſe: quia ad metaphyſicè impoſſibile, quod eſt chymæra, nulla potentia datur, vt conſtat. Aſt talis coniunctio metaphyſicè impoſſibilis eſt: quia metaphyſicè eſt impoſſibile, vt prædeterminatio connexa metaphyſicè cum actione exiſtat ſine illâ, atque adeò cum carentiâ actionis coniuncta. Igitur ad talem coniunctionem nulla omnino potentia datur. Illa ergo potentia abſoluta, quam in voluntate prædeterminata ad actionem ponunt Auctores dicti ad coniungendam carentiam actionis cum ipsâ prædeterminatione, chymærica omnino, atque adeò confícta eſt.

482 Sed dicent aliter fortaſſe aut illi, aut pro eis alij. Poſſibilis eſt prædeterminatio infallibiliter ferens ſecum actionem, ad quam prædeterminat, quin cum eâ metaphyſicè connexa ſit. Talis ergo ſi ponatur in voluntate, & erit actio a voluntate infallibiliter extitura, & erit nihilominùs in voluntate potentia abſoluta ad coniungendam carentiam actionis cum ipsâ prædeterminatione: quo cuncta videntur componi. Talis ergo prædeterminatio cenſenda eſt in voluntate poni, quando ad agendum prædeterminatur a Deo. Sed primùm eiuſmodi prædeterminatio diuerſa eſt ab illâ, quam ponunt Prædeterminatores communiter, connexam vtique metaphyſicè cum actione, ad quam prædeterminat. Deinde, eſſe eam implicatoriam, & chymæricam, probatur clarè. Nam prorſus repugnat ferre prædeterminationem ſecum infallibiliter (infallibilitate videlicet metaphyſicâ, de qua impræſentiarùm eſt ſermo) actionem, ad quam prædeterminat, & non eſſe metaphyſicè connexam cum illâ. Etenim, ferre prædeterminationem ſecum infallibiliter actionem, aliud non eſt, quam eſſe impoſſibile, vt, exiſtente prædeterminatione, fallatur intellectus iudicans, actionem quoque exiſtere. Ad hoc autem manifeſtè requiritur, quod etiam impoſſibile ſit, vt, exiſtente prædeterminatione, non exiſtat actio: ſi enim poſſibile eſſet, vt, exiſtente prædeterminatione, non exiſteret actio, etiam eſſet poſſibile, vt, exiſtente prædeterminatione, falleretur intellectus iudicans, actionem quoque exiſtere, vt eſt manifeſtum. At eſſe poſſibile, vt, exiſtente prædeterminatione, non exiſtat actio, hoc ipſum eſt, prædeterminationem cum actione connexam eſſe. Ergo prorſus repugnat, ferre prædeterminationem ſecum infallibiliter (infallibilitate metaphyſicâ) actionem, ad quam prædeterminat, & non eſſe metaphyſicè connexam cum illâ.

Quam quidem doctrinam ſolerter oportet notare. Quia Aluarez, & alij Prædeterminatores ſæpiſſimè vtuntur his vocibus, *infallibile*, *infallibilitas*, *infallibiliter*, fugientes illas aut eiuſdem, aut inſeparabilis ſignificati, *neceſſarium*, *neceſſitas*, *neceſſariò*: quaſi poſſit aliquid eſſe infallibile, quin ſit neceſſarium eâ ratione, qua infallibile eſt. Quod eſſe falſum, planè colligitur ex argumento facto. Itaque, eſſe infallibile exiitere B, ſi exiſtit A, & eſſe neceſſarium, exiſtere B, ſi exiſtit A, aut in idem recidunt, aut primum ſine ſecundo ſtare non poteſt. Quia ſi, exiſtente A, poſſet non exiſtere B, intellectus inferens exiſtentiam B ex exiſtentiâ A falli poſſet: ſicque infallibile non eſſet, exiſtere B, ſi exiſtit A. Vnde concluditur, euidentiſſimè repugnare, quòd prædeterminatio infallibiliter metaphyſicè inferat actionem; ob idque hæc in illâ iuxta Prædeterminatores omnes ſcientiâ infallibili cognoſcatur à Deo; &, quòd non inferat illam metaphyſicè neceſſariò; ſitque proinde impoſſibile metaphyſicè, prædeterminationem ſine actione, atque adeò coniunctam cum carentiâ actionis exiſtere. Suppoſitâ autem huius coniunctionis metaphyſicâ impoſſibilitate, æquè euidens eſt, nullam omnino poſſe ad illam dari in voluntate potentiam. 483

Septimò probatur propoſitio argumento illo in hac materiâ communiſſimo. Omnis neceſſitas ita antecedens actum voluntatis, vt non ſit in poteſtate voluntatis, eam impedire, ſiue euitare, libertati ipſius voluntatis ad talem actum oppoſita eſt, vt ex ſententiâ omnium communi oſtendimus quæſt. 8. propoſit. 1. Sed prædeterminatio, de qua tractamus, talem ſert ſecum neceſſitatem à ſe ipsâ indiſtinctam reſpectu actus, ad quem prædeterminat voluntatem. Ergo prædeterminatio, de qua tractamus, libertati ad talem actum oppoſita eſt. Minor, quæ ſola indiget probatione, ſeu potiùs explicatione, inde conſtat: quia eiuſmodi prædeterminatio iuxta eius Auctores neceſſitas quædam eſt ad actum voluntatis, vtpote connexa cum illo, eaque ita antecedens talem actum, vtpote alio quo modo concurrens ad exiſtentiam eius, vt 484

non

non sit in potestate voluntatis illam impedire, siue euitare. Quo nihil desideratur, vt sit necessitas antecedens oppositа libertati voluntatis ad talem actum iuxta doctrinam receptam ab omnibus, & latè traditam à D. Anselmo lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. & lib. de Concord. liber. arbit. cum prædest. & grat. cap. 1. & 2. alijsque in locis.

485 Respondet Aluarez disput. 22. de Auxil. num. 41. & lib. 4. Respons. cap. 8. num. 13. Necessitatem, quam secum fert prædeterminatio, non esse antecedentem, sed consequentem, quia sequitur determinationem liberam voluntatis diuinæ, quæ magis influit, & fortiùs in effectum, quàm voluntas creata. Sed hæc solutio neque communi Doctorum sensui, neque rationi congruit. Omnes enim necessitatem antecedentem oppositam libertati voluntatis ad actum appellant eam, quæ inducitur per aliquid suâ naturâ antecedens actum, in ipsumque influens immediatè, atque adeò à voluntate ipsâ non impedibile; siue illud sit posterius respectu alterius causæ, siue secus. Hoc enim quid ad rem? Ergo, cùm prædeterminatio necessitatem inducat respectu actus voluntatis, ipsumque naturâ suâ præcedat immediatè, atque inimpedibiliter, vtpotè immediatè influens in illum simul cum ipsâ voluntate: quid præstat, eam esse posteriorem determinatione liberâ voluntatis diuinæ? Id quidem refert, ne per illam diuina libertas tolli possit. At nostra cur inde non tollitur? An ne, quia Deus est liber, causa omnis creata, quam ipse liberè producit, & ad operationem instruit, libera erit? Hoc planè sequi videtur ex tuâ solutione. Probo. Vbi non est necessitas libertati oppositа, ibi necessariò est libertas; quoniam libertas non potest aliter impediri, quàm per oppositam sibi necessitatem. Sed sola necessitas antecedens opponitur libertati ex sententiâ communi, quam admittis. Ergo, vbi non est necessitas antecedens, ibi non potest non esse libertas. At secundùm tuam doctrinam in nullâ causâ creatâ est necessitas antecedens respectu sui actus; quia omnis causa creata sequitur determinationem liberam voluntatis diuinæ. Ergo nulla est causa creata non libera; imo neque esse potest. Quod est ingens absurdum. Deinde, Deus liberè potest impedire libertatem humanam injiciendo somnum, amentiam, aut aliud quoduis eius impedimentum. Sed libertas non tollitur, nisi per necessitatem oppositam sibi, qualis est antecedens. Ergo necessitas libertati oppositа, antecedensque respectu actus voluntatis creatæ benè potest oriri ex aliquo subsequente respectu voluntatis diuinæ. Hæc igitur subsequutio nil refert, quominùs ex prædeterminatione oriatur.

486 Addit Aluaraz, ideo esse consequentem supradictam necessitatem; quia Deus efficit ipsam per voluntatem creatam liberè se determinantem. Sed malè. Quia Deus non efficit eam necessitatem nisi per positionem prædeterminationis, quæ est ante exercitium voluntatis. Rursus addit, necessitatem istam neque esse priùs tempore, neque antecedere omnino prioritate naturæ: quia, cùm prædeterminatio detur ad actionem liberam, iam in se continet virtualiter actionem liberam; proindeque non est prior illâ saltem virtualiter sumpta. Sed verò primum non est ad rem; quia necessitas libertati oppositа non debet tempore præcedere, vt ex dicendis quæst. 14. compertum fiet. In secundo principium petitur. Nos enim contendimus, in prædeterminatione non posse contineri virtualiter actionem liberam: quia, positâ prædeterminatione, antequàm sit actio, necesse est esse. Adde, si necessitas orta ex causâ non est antecedens ob continentiam virtualem effectus, nulla erit necessitas antecedens: quia nullus est effectus, qui non contineatur virtualiter in suâ causâ, vt constat. Iam verò, quàm sit aliena à mente Anselmi interpretatio, quam Aluarez illi adhibet, legenti vtrumque clarè apparebit.

Parum differt à præcedente alia solutio, 487
quam adhibent argumento facto. Dicunt, suppositionem antecedentem se habentem ex parte causæ creatæ, & inducentem necessitatem tollere libertatem; secus verò, quæ se habet ex parte Dei, vt se habet prædeterminatio: quia Deus non solùm potest applicare voluntatem ad actum quantùm ad substantiam, sed etiam quantùm admodum libertatis. Ita Aluarez dicta disput. 22. num. 39. & alij. Confirmatque exemplo negationis Petri, quæ, suppositâ reuelatione sui, non potuit non esse, & tamen fuit libera. Nihilo magis proficit hæc solutio. Quia Deus, supposito, quod decernat producere aliquam rem, non potest velle impedire id, quod essentialiter sequitur ex positione talis rei. Tum Deus non potest aliquid efficaciter tanquam finem intendere, & postea eligere medium, quod essentialiter destruit finem. Sed ex prædeterminatione, de qua agimus, vt probauimus hactenus, essentialiter sequitur necessitas oppositа libertati; atque adeò illa medium est essentialiter destruens libertatem ipsam. Ergo Decernens prædeterminare voluntatem non potest velle, vt non sequatur inde necessitas libertati oppositа: tum ex fine actus liberi nequit assumere vt medium prædeterminationem. Atque adeò impossibile est, vt Deus mediâ prædeterminatione velit applicare voluntatem ad actum quantùm ad modum libertatis. Iam exemplo negationis Petri nihil à re magis alienum. Quia reuelatio negationis, quemadmodùm & scientia visionis, qua Deus futuram negationem videbat, supponunt existentiam futuram ipsius negationis, atque idcirco non inducunt necessitatem antecedentem secundùm naturam, sed consequentem, vt sæpe exprimit Anselmus locis citatis; vnde nec tollunt libertatem. At prædeterminatio non supponit existentiam actus, sed supponitur ad illam prioritate causalitatis immediatâ, atque adeò necessitatem infert antecedentem libertati ad actum oppositum. Mitto alias solutiones, quæ facilè ex dictis reuinci possunt. Viderique possunt refutatæ apud Ruiz tom. de Scient. disput. 33. & 34.

Octauò probatur sic propositio. Causæ ha- 488
benti ab extrinseco impedimentum necessariò oppositum actui, quod ipsa remouere non potest, non est imputabilis carentia actus. Sed voluntas prædeterminata ad consensum habet impedimentum necessariò oppositum dissensui, quod ipsa remouere non potest. Ergo voluntati prædeterminatæ ad consensum non est imputabilis carentia dissensus: & consequenter non est ei liberum non dissentire, sed necessarium: quia, quod non est imputabile, non est liberum. Maior est euidens. Nam, si causa non potest suum actum coniungere cum illo impedimento, neque in eius est potestate impedimentum tollere, compertum planè est, non posse illi verti vitio, aut virtuti,

quòd in talem actum non prodeat. Quis enim adeò vecors erit, vt rixetur cum famulo, illumque feriò, & seuerè puniat, quòd se non comitatur ad forum, dum famulus ferreâ catenâ domi tenetur vinctus, à qua se nullâ ratione expedire potest? Quis non admitteret vt iustam famuli excusationem dicentis; non pergo tecum here mi; quia vinctus hac catenâ detineor, neque illam à me abijcere possum vllâ ratione. Stat ergo firmum, qui habet ab extrinseco impedimentum actui oppositum, neutiquam pœnâ esse dignum, si omittat actum, atque adeò omissionem actus ei imputabilem non esse casu, quòd nequeat à se remouere, repellereve tale impedimentum. Cum ergo prædeterminatio ad consensum sit necessarium impedimentum, cum quo neque negatio consensus, neque dissensus oppositus componi potest vllo pacto; & ex aliâ parte voluntas huiusmodi impedimentum tollere nequeat; conficitur planè, non posse imputari voluntati prædeterminatæ ad consensum, quòd à consensu non cesset, vel quod non dissentiat; & consequenter nec liberum, sed necessarium illi esse consentire, & non dissentire.

489 Et quidem exemplum de homine catenâ vincto, adeòque simpliciter impote ad fugiendum, valde sensibiliter premit semper in præsenti materiâ. Nam inter hominem catenâ vinctum, à qua se nequit expedire, & voluntatem prædetarmin ationeaffectam, quam à se non potest excutere, nullum profectò ad rem apparet discrimen. Tam enim est voluntati impossibile, coniungere cum prædeterminatione dissensum, quàm est ei homini impossibile, cum vinculis coniungere fugam, imo illud primum plùs repugnat, quàm hoc secundum. Deinde tam est impossibile voluntati, prædeterminationem arcere, quàm vincto arcere catenam illam. Ergo, sicut ille obstrictus est ad manendum, nec potest pro arbitratu fugere, sic voluntas obstricta est ad consentiendum, nec potest pro arbitratu non consentire, vel dissentire.

490 Recentiores quidam duplex discrimen excogitarunt. Primum, quòd potentia progressiua non est præcisiua, sicut voluntas, vtpote quia est materialis: vnde, si non potest elicere motum cum illis vinculis, non potest secundùm se, sicut voluntas secundùm se potest elicere dissensum. Secundum, quòd illa vinculorum suppositio non est iuxta naturam potentiæ liberæ, seu cuius effectus sit liber, vti est suppositio prædeterminationis respectu voluntatis. Ambo tamen ista discrimina non amplius, quàm pura verba, videntur continere. Examinemus primum. Sicut voluntas prædeterminata potest secundùm se dissentire; non tamen potest coniungere cum prædeterminatione dissensum; ita potentia progressiua potest secundùm se moueri: cum vinculis tamen nequit motum coniungere. Ergo neutra est magis præcisiua, quàm altera. Deinde, quia, non sublato impedimento, repugnat motus, potentia progressiua, quæ non potest tollere impedimentum, simpliciter non potest moueri; nec illi imputari potest negatio motus. Sed, non sublatâ prædeterminatione, repugnat dissensus. Ergo voluntas, quæ non potest illam tollere, simpliciter non potest dissentire; nec illi potest imputari negatio dissensus. Tum, sicut prædicata motus potentiæ progressiuæ secundùm se sunt possibilia; prout coniunctæ tamen cum vinculis repugnant illi; ita prædicata dissensus voluntati secundùm se sunt possibilia; prout coniunctæ tamen cum prædeterminatione prorsus illi repugnant. Quod ergo assignatur discrimen? Aut cur voluntas est præcisiua; potentia progressiua non, item? Iam in secundo discrimine apertè petitur principium. Contendimus, non posse esse effectum prædeterminationis assensum liberum: quia non relinquit potentiam ad dissentiendum; sicut catena non relinquit potentiam ad fugiendum; & dicunt suppositionem catenæ non habere pro effectu actum liberum; sicut habet prædeterminatio. De hoc est controuersia. In qua nos ita argumentamur. Quia fuga nequit cum vinculis componi, & homo nequit vincula abijcere, defectus fugæ homini non est liber, neque aliqua ratione imputabilis. Ergo, quia dissensus nequit cum prædeterminatione componi, & voluntas nequit prædeterminationem abijcere, defectus dissensus voluntati liber non est, nec imputabilis vllo modo. Ad hoc quod discrimen assignant? Profecto nullum.

Nonò probanda est propositio, suppositum 491
primùm tanquam principio omnino certo, quoties argumentatio est legitima, & antecedens est necessarium, consequens quoque esse necessarium. Quod tradidit Aristot. lib. 1. Poster. cap. 6. dicens, *Si necessariæ sunt sumptiones, & conclusionem esse necessariam oportet: sicut ex veris nihil vnquam, nisi verum, efficitur.* Ex illoque S. Tho. 1. pär. quæst. 14. artic. 13. in argum. 2. desumpsit sic, *Ex principijs necessarijs non sequitur conclusio, nisi necessaria.* Vnde illud sequitur æquè certum, Quoties alicui causæ est necessarium, siue ineuitabile antecedens, non posse non esse eidem necessarium, siue ineuitabile consequens ex tali antecedente necessariò, ineuitabiliterque sequutum. Suppono deinde, voluntatem A prædeterminatam esse ad agendum, & formo hunc Syllogismum legitimè concludentem in *Dari*. Omnis voluntas prædeterminata ad agendum agit. Voluntas A est prædeterminata ad agendum. Ergo voluntas A agit. Quibus omnibus suppositis, argumentor ita. Voluntati A prædeterminatæ ad agendum necessarium, & ineuitabile est antecedens Syllogismi formati: siquidem ea nec potest tollere veritatem maioris faciendo, vt aliqua voluntas prædeterminata ad agendum non agat; quia hoc est simpliciter impossibile: nec potest tollere veritatem minoris reddendo se imprædeterminatam ad agendum: quia hoc in eius potestate non est. Ergo iuxta principia præmissa voluntati A prædeterminatæ ad agendum necessarium, & ineuitabile est consequens ipsius syllogismi, nimirum ipsam agere. Quod ipsum est, esse eam ad agendum necessitatam, ad non agendumque subinde non liberam. Quod erat probandum.

Ex dictis circa ltaturam propositionem Au- 492
ctores nostræ sententiæ, præsertim Recentiores, communiter inferunt, carentiam physicæ prædeterminationis, de qua in illâ est sermo, intrinsecè includi in libertate voluntaris ad agendum, & non agendum tanquam vnum ex requisitis constitutiuis eius. Multumque laborant in diluendis argumentis, quæ contra hanc suam illationem obijciunt sibi, vt videre est apud Ribadeneiram Tract. de Actibus humanis disput. 14. cap. 5. Nec mirum; cùm ea, prout ab ipsis adstruitur, omnino falsa sit. Cùm enim eiusmodi prædeterminatio mutuo sit connexa cum actione, ad quam prædeterminat, iuxta eius Auctores; nequit non esse talis actio iuxta sententiam nostram essentialiter necessaria, similiter atque carentia eius.

Quan-

Quandoquidem non potest non esse talis actio, cùm prædeterminatio adest; nec potest non esse carentia eius, cùm prædeterminatio deest. Quo fit, vt ad agendum, & non agendum tali actione nulla possibilis sit in voluntate libertas, quæ per carentiam talis prædeterminationis intrinsecè constitui possit. Ad libertatem autem agendi, & non agendi per alias actiones à tali prædeterminatione non dependentes impertinenter se habent tum prædeterminatio ipsa, tum eius carentia, vt satis, superque ex se notum est. Talisque carentia proinde ad nullam voluntatis libertatem potest intrinsecè pertinere tanquam vnum ex requisitis constitutiuis eius contra præfatam illationem nostrorum Recentiorum. Tametsi pertineat intrinsecè ad potentiam proximam non quidem liberam, sed necessariam carentiæ actionis prædictæ. Quod est valde diuersum.

493 Quæ est luculentiùs exponam; suppono primò, duplicem posse prædeterminationem excogitari. Alteram mutuò connexam cum actione voluntatis, ad quam prædeterminat, atque adeò sic requisitam ad existentiam eius, vt essentialiter exposcat talis actio à tali prædeterminatione procedere, nec sine illâ possit existere; & huius generis est prædeterminatio Thomistica, quam impugnauimus. Alteram connexam non mutuò cum actione voluntatis, ad quam prædeterminat, ad eiusque proinde existentiam sic non requisitam, vt benè possit talis actio à voluntate nasci, tali prædeterminatione non existente; ad eum modum, quo imperium efficax sic prædeterminat voluntatem ad actum imperatum, vt idem actus imperatus benè possit à voluntate nasci, tali imperio non existente, iuxta ea, quæ dicemus infra quæst. 12.

494 Secundò suppono, apud plerosque Recentiores nostræ sententiæ, è quibus est Ribaden. vbi supra num. 41. prædeterminationem prioris generis semper tollere libertatem voluntatis ad actionem, ad quam prædeterminat; prædeterminationem verò posterioris generis non semper, sed tunc solùm, cùm confertur à Deo independenter ab existentiâ actionis; secus, cùm confertur (vt fieri potest) ex præuisione ipsius existentiæ, atque adeò dependenter ab illâ. Vnde ad rem præsentem deducunt, negationem prædeterminationis prioris generis intrinsecè requisitam esse ad libertatem voluntatis vt vnum ex eius constitutiuis; negationem verò prædeterminationis posterioris generis secundùm se sumptam non item; benè tamen negationem decreti dandi illam independenter ab existentiâ actionis. Ego verò censeo, vtramque dictam prædeterminationem semper tollere libertatem voluntatis ad actionem, ad quam de suo prædeterminat; siue conferatur à Deo ex præuisione existentiæ ipsius actionis, atque adeò dependenter ab illâ dependentiâ intentionali; siue conferatur absque eiusmodi dependentiâ. Quod modò suppono probandum inferiùs in hac quæst. num. 524. & rursus latiùs alijs in locis ibi citandis. Eo autem supposito.

495 Dico primò ad præsens propositum, negationem prædeterminationis ad actionem prioris generis esse quidem intrinsecè requisitam ad potentiam proximam carentiæ talis actionis vt vnum ex eius constitutiuis: secus verò ad voluntatis libertatem agendi, vel non agendi aut ipsâ eâdem actione, aut aliâ. Prior pars huius assertionis constat ex doctrinâ datâ supra quæst. 5. à n. 143. vsque 150. vbi vniuersaliter est demonstratum, contradictorium eius, quod necessitat causam liberam ad alterum ex duobus ipsius actibus contradictorijs, intrinsecè requisitum esse ad potentiam proximam alterius. Secunda autem pars constat argumento facto nuper num. 492.

Dico secundò, negationem prædeterminationis ad actionem posterioris generis intrinsecè 496
requisitam esse vt vnum ex eius constitutiuis ad potentiam proximam carentiæ talis actionis iuxta doctrinam vniuersalem num. præceden. citatam, & consequenter ad libertatem, quam voluntas habere potest agendi, vel non agendi per talem actionem: siquidem absque tali prædeterminatione potentia proxima ad talem actionem, & eius carentiam, atque adeò libertas potest in voluntate esse, vt constat ex talis actionis naturâ suppositâ, includens tamen necessariò carentiam ipsius prædeterminationis.

Opponi tamen potest contra hanc secundam 497
partem assertî. Conceptâ in voluntate cognitione indifferente, præparatione concursus Dei indifferente, & cæteris ex parte eius requisitis ad agendum cum præcisione à tali prædeterminatione, & ab eius carentiâ, concipitur in voluntate potentia proxima ad talem actionem compatibilis cum carentiâ eius. Ergo concipitur libertas. Vtpote quæ in potentiâ proximâ ad actum positiuum compatibili cum negatiuo consistit iuxta doctrinam supra statutam quæst. 5. num. 151. Ergo carentia talis prædeterminationis non est intrinsecè requisita vt vnum ex eius constitutiuis ad libertatem, quam voluntas habere potest agendi, vel non agendi per talem actionem. Respondeo negando antecedens. Quia cognitio iuuans voluntatem ad agendum (vt cætera omittam comprincipia) bifariam tantùm potest se habere realiter ex parte actus primi; vel per modum inuitantis cum indifferentiâ; vel per modum impellentis cum determinatione ad actionem: alius enim realis modus se habendi possibilis non est, vt patet. Neutrum autem eorum habet secundùm se præcisè considerata: quia vt sic indifferens est ad vtrumuis: sed secundum habet vt coniuncta cum prædeterminatione; primum verò vt coniuncta cum carentiâ eius. Vnde nisi vt coniuncta cum alterutrâ potentiam proximam voluntatis ad agendum nequit reuerà constituere. Ex quo tandem fit, vt voluntas nequeat concipi proximè potens ad agendum donec concipiatur vel coniuncta cum prædeterminatione, quo casu potentia proxima eius, vtpote incompatibilis cum carentiâ actionis, ad actionem erit necessitata; vel coniuncta cum carentiâ prædeterminationis, quo casu potentia proxima eius, vtpote cum carentiâ actionis compatibilis libera erit. Cessatque argumentum oppositum. Itaque, sicut cognitio retractiua ab actione, & illius carentiâ vim cognitionis attractiuæ ad ipsam actionem determinat, altera vt sit vis inuitans, altera vt sit vis impellens ad talem actionem; constitutiuæque proinde illæ sunt altera liberæ, altera necessariæ potentiæ proximæ ad agendum, iuxta dicta in simili supra quæst. 5. num. 154. ita in præsenti de prædeterminatione, & eius carentiâ philosophandum est. De quo videantur dicenda insuper inferiùs quæst. 15. à num. 713. Quibus obiter stabilitis, pergamus iam in resolutione nostræ quæstionis.

Propositio 2.

498 **Voluntas creata per concursum Dei prævium non prædeterminata ad agendum (qualis existit, quæ de facto non agit) nullatenus ad agendum existit libera, stando in Prædeterminatorum doctrinâ; quantumuis illa cæteris omnibus ad agendum requisitis, præterquam prædeterminatione, existat instructa.**

Probatur hæc propositio primò: quia iuxta principium certum statutum supra num. 445. impossibile est, vt causa existat libera ad agendum, & non agendum, quando deest illi aliquid requisitum ad existentiam actionis, quod ipsa non potest acquirere. Sed voluntati creatæ non prædeterminatæ ad agendum deest aliquid requisitum ad existentiam actionis, quod ipsa non potest acquirere, iuxta Prædeterminatorum doctrinam num. 448. suppositam. Ergo voluntas non prædeterminata ad agendum, stando in Prædeterminatorum doctrinâ, nullatenus ad agendum existit libera.

499 Responsio illorum communis est, prædeterminationem non ad potentiam agendi, sed ad ipsum agere requisitam esse; atque ita ex defectu prædeterminationis non sequi in voluntate defectum potentiæ ad agendum, atque adeò nequedefectum libertatis ad agendum, & non agendum, sed tantùm defectum actionis; voluntatemque proiude non prædeterminatam potentem agere nihilominùs, atque adeò liberam ad agendum, & non agendum existere; tametsi quandiu prædeterminata non est, nunquam aget de facto. Explicant exemplo habentis potentiam visiuam, per quam præcisè dicitur absolutè, & simpliciter potens videre in actu primo; tametsi, vt videat in actu secundo, insuper requirantur lumen, applicatio obiecti, & alia. Ita Aluarez disput. 23. de Auxilijs num. 32. & disput. 79. num. 2. & 5. & lib. 3. Respons. cap. 5. num. 5. sæpeque alibi. Auila lib. de Auxil. cap. 7. & alij.

500 Hæc tamen solutio efficaciter impugnatur primò; quia, vt generatim est demonstratum supra num. 446. quoties causa est proximè impotens ad agendum, atque adeò non libera ad agendum ex defectu alicuius requisiti ad existentiam actionis, quod ipsa non potest acquirere, iuxta principium commemoratum, non potest non tale requisitum ex genere eorum esse, quæ ad potentiam proximam agendi requisita sunt. Cùm ergo prædeterminatio voluntatis iuxta Aduersarios ita ad existentiam actionis sit requisita, vt, quando deest, à voluntate ipsâ nullatenus possit acquiri: repugnat, eam esse requisitam ad existentiam actionis, quin sit quoque requisita ad potentiam proximam agendi, & consequenter ad libertatem, quæ sine potentiâ proximâ agendi in voluntate dari non potest, vt ex se, & ex dictis hactenus notissimum est, & apud omnes certum. Itaque, supposito, quòd prædeterminationem acquirere in potestate voluntatis non est, euidenter, me quidem iudice, repugnat, esse eam requisitam, vt voluntas agat in actu secundo, & non esse requisitam, vt sit in actu primo proximè potens ad agendum. Fieret enim inde, vt voluntas carens prædeterminatione proximè potens ad agendum posset existere: & simul non posset; quia iuxta præcitatum principium repugnat, vt causa proximè potens ad agendum existat, quandiu caret requisito ad actionem, quòd ipsa non potest acquirere.

Vnde secundò impugnatur dicta solutio; 501
quia causæ carenti requisito ad actionem, quod ipsa non potest acquirere, non est imputabile, & consequenter neque liberum, quòd non agat, vt patet in homine carente alis ad volandum, neque potente eas acquirere, cui, quòd non volet, neque imputabile, neque liberum est. Sed voluntas non prædeterminata ad agendum causa est carens requisito ad actionem, quod ipsa non potest acquirere, iuxta Aduersariorum doctrinam. Ergo voluntati non prædeterminatæ ad agendum neque est imputabile, neque liberum, quòd non agat; sed necessariò non agit; vtpote quia potentiâ proximâ ad agendum penitus destituta est.

Tertiò impugnatur; quia secundùm Aduer- 502
sariorum doctrinam nuper citatam non aliter voluntas carens prædeterminatione ad agendum est potens agere, quam homo habens potentiam visiuam, carens tamen lumine, aut applicatione obiecti, & neutrum horum potens acquirere, est potens videre. Sed talis homo dumtaxat habet potentiam ad videndum remotam, potentiâque ad videndum proximâ, qualis ad libertatem, & imputationem requiritur, omnino destitutus est, vt est manifestum. Ergo voluntas carens prædeterminatione ad agendum dumtaxat habet potentiam ad agendum remotam, potentiâque ad agendum proximâ, qualis ad libertatem, & imputationem requiritur omnino destituta est. Confirmatur, & declaratur primò; nam Sacerdoti carcere incluso, omniquelumine, atque breuiaro carenti, & neutrum eorum potenti acquirere neutiquam esset culpabile, atque adeò nec liberum, quòd horas canonicas non legeret, vt est certissimum: idque defectu potentiæ proximæ ad eas legendas, quidquid sit de remotâ. Sed non aliter iuxta Aduersariorum doctrinam voluntas non prædeterminata ad agendum est potens agere, quàm ille Sacerdos est potens legere horas canonicas. Ergo similiter neque culpabile, neque liberum potest ei esse, quòd non agat. Confirmatur secundò; quia præceptum de legendo aliquo libro non obligat hominem non habentem talem librum, neque potentem illum comparare; vt est notum; eo quòd talis homo ad talem lectionem potentiam proximam non habet, atque adeò nec libertatem. Ergo præceptum de agendo aliquo effectu non obligat voluntatem non habentem prædeterminationem ad agendum eum, neque illam potentem comparare, ex defectu pariter potentiæ proximæ atque adeò libertatis ad talem actionem. Quandoquidem iuxta Aduersarios non minùs requisita est talis prædeterminatio ad talem actionem, quàm est requisitus talis liber ad talem lectionem. Vnde obiter ex eorum doctrinâ sequitur vniuersè inferendum, nullum hominem omittentem de facto quamlibet actionem præceptam aut esse obligatum ad eam non omittendam, aut in eius omissione peccare; quia defectu prædeterminationis à se non acquisibilis, & ad talem actionem requisitæ, qua caret, nec proximè potens, nec liber ad illam ponendam existit. Quod est ingens absurdum. Confirmatur tertiò; quia homo ille neque habens librum, neque potens illum acquirere legitimam excu-

excusationem haberet, quòd eum non legeret; perperamque reprehenderetur, atque tyrannicè puniretur ob omissionem talis lectionis. Ergo tantundem venit dicendum iuxta Aduersarios de quouis homine omittente quamlibet actionem præceptam, vtpote neque habente, neque potente acquirere prædeterminationem ad talem actionem requisitam. Quod æquale est absurdum.

503 Ex dictis iam satis clarè constat, prædeterminationem ad agendum, stando in doctrinâ Aduersariorum, non posse non esse requisitam ad potentiam proximam agendi, sine qua non datur libertas, hoc ipso, quòd requisita est ad existentiam actionis, & independens à voluntatis potestate quoad existentiam suam. Quòd autem non vtcunque, sed intrinsecè sit requisita ad talem potentiam proximam, & consequenter ad libertatem voluntatis vt vnum ex eius intrinsecis constitutiuis, ex principio demonstrato supra quæst. 5. propos. 1. sequitur clarè. Nam iuxta illud nequit non esse constitutiuum intrinsecum potentiæ proximæ id, quo solo deficiente, deficit illa. Constatque ex dictis, solâ prædeterminatione deficiente, dictam potentiam proximam voluntatis deficere.

504 Pergo, & probo iam propositionem secundò sic. Voluntas non prædeterminata ad agendum, stando in Prædeterminatorum doctrinâ, nec potest reddere existentem actionem absque modo existendi ipsi essentiali; quia id esset reddere existentem chymæram; ad quod nulla est potentia, vt constat. Nec potest reddere existentem actionem cum modo existendi ipsi essentiali, scilicet cum coexistentiâ prædeterminationis ad ipsam essentialiter requisitæ; quia voluntas non potest dare prædeterminationi existentiam, quam aliunde non habet, & sine qua coexistentia actionis cum illâ stare non potest. Nullaque alia excogitabilis est in voluntate potentia ad reddendam existentem actionem, præterquam vel cum modo existendi ipsi essentiali, vel sine illo, vt notum est; quia non datur medium. Ergo voluntas non prædeterminata ad agendum nullam omnino potentiam habet ad reddendam existentem actionem; nullatenusque subinde ad agendum existit libera, stando in Prædeterminatorum doctrinâ. Quod erat probandum.

505 Hinc deprehendes, falsam esse distinctionem, quam in præsenti solent Aduersarij adhibere dicentes, voluntatem non prædeterminatam ad agendum habere quidem nihilominùs potentiam ad agendum; non tamen habere potentiam ad agendum sine prædeterminatione. Nam, supposito, quòd non habet potentiam ad agendum sine prædeterminatione, vt concedunt; si quam haberet potentiam ad agendum, necessariò deberet ea esse potentia ad agendum cum prædeterminatione: quia inter agere sine prædeterminatione, & agere cum prædeterminatione nullum est à parte rei possibile medium; vt constat. At voluntas non prædeterminata potentiam non habet ad agendum cum prædeterminatione, quam neque habet, neque comparare potest, vt satis, superque tum ex se, tum ex dictis in præcedentibus notum est. Ergo falsum est, voluntatem non prædeterminatam ad agendum vllam nihilominùs ad agendum potentiam habere. Quod confirmari potest sic. Ideo dicta voluntas potentiam non habet ad agendum sine prædeterminatione per se: quia impossibile est ipsi coniungere suam actionem cum carentiâ prædeterminationis. Sed etiam est ipsi impossibile coniungere suam actionem cum prædeterminatione, vtpote quam neque habet, neque potest acquirere. Ergo neque habet potentiam ad agendum cum prædeterminatione. Et consequenter nullam omnino potentiam ad agendum habet: siquidem impossibile est realiter agere aliter, quàm vel sine prædeterminatione, vel cum prædeterminatione.

Tertiò probatur propositio; quia non minùs est necessarium iuxta Aduersarios ad hoc, vt voluntas amet obiectum, quòd physicè præmoueatur à Deo mediâ prædeterminatione, quàm est necessarium iuxta omnes, quòd intentionaliter præmoueatur ab obiecto mediâ ipsius cognitione. Sed quando voluntas talem cognitionem non habet, neque eam comparare potest, nullatenùs existit libera ad amandum tale obiectum, vti fatentur omnes. Ergo neque existit libera ad illud amandum, quando non habet talem prædeterminationem, nec potest eam acquirere. 506

Quartò probatur; quia, cui non est liberum ponere medium aliunde non positum, & vnicè necessarium ad obtinendum finem, nec liberum est obtinere finem, vt est manifestum: ob id enim non est mihi liberum tangere Cælum; quia mihi liberum non est ponere approximationem aliunde non positam, & ad id vnicè requisitam. Sed voluntati non prædeterminatæ ad agendum liberum non est ponere prædeterminationem aliunde non positam, & vnicè necessariam ad obtinendam existentiam actionis. Ergo nec liberum ipsi est, talem existentiam obtinere: quod idem est, atque eam ad agendum non esse liberam, vt constat. 507

Quintò probatur; quia nequit voluntas libera existere ad agendum, & non agendum, quandiu illi deest vnum ex requisitis intrinsecè ad talem eius libertatem constituendam, vt constat. Sed prædeterminatio ad agendum, stando in Aduersariorum sententiâ, nequit non esse vnum ex requisitis intrinsecè ad constituendam in voluntate potentiam proximam agendi, & consequenter libertatem eius ad agendum, & non agendum, vt per ea, quæ sunt dicta à num. 500. vsque ad num. 503. satis, superque manet monstratum. Ergo nequit voluntas libera existere ad agendum, & non agendum, quamdiu illi deest prædeterminatio ad agendum. 508

Sextò denique venit probanda propositio eisdem argumentis, quibus præcedens probata est; quia eadem illa ad præsentem possunt, inuersis terminis, applicari, eo ipso, quòd non possunt non esse mutuò inter se connexæ carentia actionis, & carentia prædeterminationis, vti prædeterminatio, & actio mutuò inter se connexæ sunt; nec potest non esse carentia prædeterminationis independens in existentiâ suâ à potestate voluntatis, vti est in suâ prædeterminatio independens. Hæc enim cùm ita se habeant, quemadmodùm probatum est, voluntatem prædeterminatam ad agendum neque in sensu composito, neque in sensu diuiso posse non agere: quia nec potest coniungere carentiam actionis cum prædeterminatione, nec prædeterminationem tollere, siue impedire; Sic venit probandum, voluntatem non prædeterminatam ad agendum neque in sensu composito, neque in sensu diuiso posse agere; quia nec potest coniungere actionem cum carentia 509

tiâ prædeterminationis, nec carentiam prædeterminationis tollere, siue impedire acquirendo prædeterminationem. Quare huc facilè veniunt accommodanda, mutatis mutandis, quæcunque contra distinctionem sensus compositi, & diuisi circa argumentum secundum, & tertium scripsimus pro præcedente propositione à num. 452. vsque ad num. 475. Nec minùs facilè argumenta cætera, quæ ad illam propositionem probandam adduximus à num. 476. vsque ad num. 491. ad præsentem quoque probandam, mutatis mutandis, suo proportionali modo accommodari poterunt.

Propositio 3.

510 **Impossibile est, stando in Prædeterminatorum doctrinâ, quòd physica prædeterminatio quoad suam vel existentiam, vel non existentiam à voluntatis arbitrio dependens sit.**

Nonnulli ex Prædeterminatoribus pressi argumentis pro primâ, & secundâ propositione factis dixerunt, in arbitrio voluntatis positum esse, habere physicam prædeterminationem, vel non habere: atque ita voluntatem prædeterminatam ad agendum libertatem habere ad non agendum, quatenus libertatem habet ad abijciendam à se, siue impediendam existentiam prædeterminationis, sicque ponendam carentiam actionis à prædeterminatione diuisam, siue seiunctam: voluntatem autem non prædeterminatam libertatem habere ad agendum, quatenus libertatem habet ad acquirendam sibi prædeterminationem, ex qua actio sequutura veniat. Cætetùm assertum hoc cum ipsorum Prædeterminatorum doctrinâ stare non posse, intentum præsentis propositionis est.

511 Pro cuius probatione suppono primò tanquam certum, voluntatem iuxta plerosque Auctores sententiæ relatæ tantùm habere libertatem mediatam ad operandum, vel non operandum, quatenus libertatem habet ad acquirendam prædeterminationem, ex cuius positione sequitur necessariò operatio; vel ad impediendam illam, ex cuius carentiâ sequitur necessariò carentia operationis. Dicunt enim eorum aliqui, voluntatem eatenus liberè operari, vel non operari, quatenus liberè se disponit, vel non disponit ad prædeterminationem accipiendam medio actu præuio positiuo, cuius positioni infallibiliter annexa est prædeterminatio, & cuius omissioni pariter est annexa carentia prædeterminationis. Sic philosophantur Auila in suo lib. de Auxil. cap. 7. & 8. Zumel tom. 1. Opusc. disp. 4. sect. 2. & alij. Nonnulli è conuersò censent, voluntatem per actum præuium peccaminosum liberè posse prædeterminationem impedire, acquirere autem per illius liberam omissionem. Sic sentit Cabrera in 3. par. quæst. 18. art. 4. disp. 2. Et consentire videtur Aluarez disp. 23. de Auxil. num. 31. dum ait, non habentem prædeterminationem suâ culpâ illam non habere. Itaque secundùm istos Auctores libertas operationis in voluntate prædeterminatâ alia non est à libertate actus seu positiui, seu negatiui, medio quo ab ipsâ est prædeterminatio acquisita: & libertas carentiæ operationis in voluntate non prædeterminatâ alia non est à libertate actus, seu positiui, seu negatiui, medio quo ab ipsâ est prædeterminatio deperdita, siue impedita, quæ vtraque subinde tantùm est libertas mediata, vt est notum.

Suppono secundò vt certissimum, libertatem mediatam cuiusuis actus essentialiter supponere libertatem immediatam alterius, à quo ille causaliter procedit. Tum quia libertas mediata cuiusuis actus denominatio est desumpta ab immediatâ alterius, imò & per ipsam constituta, vt est notissimum; apparetque in libertate mediatâ, quam habet actus imperatus, ab immediatâ desumptâ, quam habet actus efficax imperans. Tum quia series quarumlibet causalitatum, nedum liberarum, ab aliqua primâ debet incipere necessariò: alioquin daretur processus in infinitum penitus impossibilis. 512

Suppono tertiò, in omnium Prædeterminatorum sententiâ ad omnem actum positiuum cuiuslibet causæ secundæ requiri prædeterminationem: quia in omnium Prædeterminatorum sententiâ nihil omnino potest agere vlla causa secunda non præmota, atque prædeterminata à Deo: siquidem tituli, ob quos ipsi ciusmodi præmotionem, atque prædeterminationem Dei causis secundis necessariam ad agendum esse pronunciant omnibus causis secundis, & respectu omnium earum actionum, siue actuum communes sunt: imò præter communes omnibus causis peculiares titulos talis necessitatis allegant eorum plerique pro causis liberis. Et quoniam titulo connexionis, quam prædeterminatio habet cum actu positiuo carentia huius, quæ est actus negatiuus oppositus, sine carentiâ prædeterminationis stare non potest, consequenter efficitur, vt in omnium Prædeterminatorum sententiâ ad omnem actum negatiuum cuiuslibet causæ secundæ æquè sit requisita carentia prædeterminationis, ac requisita est prædeterminatio ad actum positiuum oppositum. Quæ omnia ex dictis quæst. 9. constant; neque de eis vllum est dubium. 513

His positis, contra Auctores præcitatos est ostendendum, nullatenus posse, stando in ipsorum, aliorumque Prædeterminatorum sententiâ, pendere à libertatis arbitrio existentiam prædeterminationis ad operandum siue acquirendam, siue impediendam medio actu libero præuio seu positiuo, siue negatiuo. Et primùm, agendo de actu præuio positiuo, ostenditur id facilè, & clarè. Quia nullus actus positiuus voluntatis à prædeterminatione procedens potest esse liber libertate immediatâ iuxta suppositionem primam. Sed omnis actus positiuus voluntatis à prædeterminatione debet necessariò procedere iuxta suppositionem tertiam. Ergo absolutè nullus actus positiuus voluntatis potest esse liber libertate immediatâ. Et consequenter neque mediatâ desumptâ ab immediatâ alterius actus positiui præuij. Deficiente siquidem libertate immediatâ, mediatâ subsistere non potest iuxta suppositionem secundam. Prædeterminatio igitur ad operandum nullatenus potest à voluntate medio actu positiuo præuio liberè acquiri, vel impediri. Quod erat probandum. Vel aliter. Vt operatio voluntatis euadat libera, prædeterminatio ad eam requisita ab actu præuio positiuo, liberoque pendere debet. Ergo eodem titulo vt ipse actus præuius euadat liber, prædeterminatio ad eum requisita ab alio actu positiuo pariter pendere debet: & prædeterminatio ad hunc requisita rursus ab alio: & sic in infinitum: quod est impossibile. Repugnat ergo, vt operatio 514

volun-

voluntatis euadat libera propter liberam prædeterminationis eius dependentiam ab actu præuio positiuo.

515 Deinde agendo de actu præuio negatiuo (qualem appellamus carentiam, siue omissionem actus positiui) non minùs facilè, & clarè pariter idem ipsum ostenditur. Quia nullus actus negatiuus voluntatis à carentiâ prædeterminationis procedens potest esse liber libertate immediatâ iuxta suppositionem primam. Sed omnis actus negatiuus voluntatis à carentiâ prædeterminationis debet necessariò procedere iuxta suppositionem tertiam. Ergo absolutè nullus actus negatiuus voluntatis potest esse liber libertate immediatâ. Et consequenter neque mediatâ desumptâ ab immediatâ alterius actus negatiui præuij. Deficiente siquidem libertate immediatâ, mediata subsistere non potest iuxta suppositionem secundam. Prædeterminatio igitur ad operandum nullatenus potest à voluntate medio actu præuio negatiuo liberè acquiri, vel impediri. Quod erat probandum. Vel aliter. Vt operatio voluntatis euadat libera, prædeterminatio ad eam requisita ab actu præuio negatiuo, liberoque pendere debet. Sed iste negatiuus nequit esse immediatè liber, vt constat ex dictis. Ergo & ipse, vt sit liber, ab alio præuio seu negatiuo, seu positiuo debet talis euadere: de quo tantumdem venit dicendum; cùm neque ille iuxta dicta possit esse immediatè liber; procediturque in infinitum: quod est impossibile. Repugnat ergo, vt operatio voluntatis euadat libera propter liberam prædeterminationis eius dependentiam ab actu præuio negatiuo.

516 Præterea vtraque pars assumpti propositi breuissimè ostenditur sic. Nullus actus voluntatis seu positiuus, seu negatiuus potest esse immediatè liber iuxta suppositionem primam. Sed sine libertate immediatâ alicuius eorum nullus potest esse liber mediatè iuxta suppositionem secundam. Ergo absolutè nullus actus voluntatis seu positiuus, seu negatiuus potest vllo modo esse liber. Falsò igitur Auctores præfati operationem voluntatis, vel omissionem eius liberam ponunt libertate mediatâ propter libertatem alicuius actus præuij seu positiui, seu negatiui, cui prædeterminatio ad operandum, vel eius carentia infallibiliter annexa sit. Quod erat ostendendum. Vel aliter. Vt quilibet actus voluntatis seu positiuus, seu negatiuus euadat liber, alius seu positiuus, seu negatiuus, à quo ille suam sortiatur libertatem, præire debet iuxta ipsorum doctrinam. Ergo nullus est, quem alius non præeat. Progressioque subinde datur in infinitum. Quod

517 est chymæricum.

Propter hæc inter eos, qui arbitrio voluntatis subijciunt prædeterminationem, non defuerunt, qui dicerent, actum, à cuius libertate dependet prædeterminatio quoad existentiam, alium non esse ab illo eodem, in quem ipsa influit, ita quidem, vt inter eum, & prædeterminationem mutua causalitas detur in diuerso genere causæ, disponente scilicet actu voluntatem in genere causæ materialis ad recipiendam prædeterminationem, & prædeterminatione influente in actum in genere causæ efficientis: quemadmodum in aliquorum Theologorum sententiâ primus actus charitatis voluntatem disponit ad recipiendum habitum infusum, à quo ipse actus efficienter causatur. Sententiam istam referunt Zumel lib. 1. Opuscul. disput. 4. sect. 2. & Lorca disput. 21. de Gratiâ fine apud Soar. tom. 2. de Gratiâ lib. 5. cap. 20. num. 3. Et eam tradidisse dicitur in Tract. manuscripto de Auxilijs Mag. F. Petrus de Herrera Dominicanus, dum Primariam Theologiæ cathedram Salmanticæ moderaretur. Cæterùm hic modus componendi physicam prædeterminationem cum libertate nec magis est facilis, quàm cæteri, nec minùs à veritate remotus.

Pro cuius probatione suppono, mutuam 518
rerum causalitatem secundùm idem earum physicum *esse* penitus repugnare, non solùm in eodem genere causæ, sed etiam in diuersis, vt fert communis, & mihi certa Auctorum sententia. Quia duo aliqua, vel plura se se mutuò causare physicè secundùm idem sui *esse*, impossibile est, vt demonstraui in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 29. Arbitror tamen, mutuam huiusmodi causalitatem physicam non adstrui per sententiam propositam, atque adeò illam ab hoc capite non debere impugnari; sed tantùm adstrui mutuam causalitatem, quæ partim physica, & partim intentionalis sit: quam esse possibilem tum ex dictis loco citato Phari constat: tum ex dicendis in Tract. de Prouiden. constabit amplius. Nihil enim vetat, ex præuisione conditionatâ, aut etiam absolutâ effectus moueri Deum ad producendam eius causam: quo casu effectus intentionaliter causabit causam, à quâ ipse causatur physicè. Quo pacto subinde benè posset Deus ex præuisione actus à prædeterminatione physicè oriundi ad ipsam prædeterminationem ponendam in voluntate moueri. Hoc tamen non sufficit, vt sit in voluntatis arbitrio acquirere prædeterminationem per talem actum; sed insuper requisitum est, quòd actus ipse physicè à prædeterminatione procedens liber existat. Quod tamen prorsus est impossibile.

Hoc enim ipso, quòd actus à prædeter- 519
minatione procedit, ipsaque prædeterminatio subinde simul cum voluntate immediatè influit in actum aliquo modo per suam physicam entitatem, vt supponit præfata sententia, & omnes Prædeterminatores tenentur necessariò fateri, non potest non prædeterminatio ipsa intrinsecè pertinere ad potentiam proximam talis actus, vt satis superque constat ex se, & ex doctrinâ statutâ supra quæst. 5. præsertim propos. 3. Cùmque illa aliunde secundùm suos Auctores essentialiter cum actu ipso connexa sit, necessarium omnino est, vt tollat libertatem ad actum. Nam, vt in eâdem quæst. 5. propos. 11. satis clarè monstratum est, quidquid intrinsecè pertinet ad potentiam proximam actus, & cum actu connexum est, libertatem ad talem actum prorsus excludit. Recognoscantur argumenta ad id ostendendum ibi facta, & ad propositum applicentur.

Porrò, prædeterminationem non posse non 520
immediatè influere in actum, atque adeò pertinere intrinsecè ad potentiam proximam eius iuxta omnium Prædeterminatorum doctrinam, imprimis eorum plerique sæpe fatentur. Deinde ex ijs, quæ docent omnes manifestè deducitur: per prædeterminationem scilicet voluntatem præmoueri, atque prædeterminari ad agendum. Si enim intelligibile non est iuxta omnium Philosophorum, atque Theologorum consensum, quòd voluntas per cognitionem moueatur, ac inducatur ad agendum, quin cognitio simul cum voluntate aliquo modo concurrat ad actionem, potentiamque subinde proximam voluntatis ad

agendum constituat: multò minùs intelligibile erit, quòd voluntas per prædeterminationem moueatur, ac determinetur, atque ita quasi impellatur ad agendum, quin prædeterminatio aliquo modo ad actionem simul cum voluntate concurrat, proximamque subinde voluntatis potentiam ad agendum constituat. Ex quo patet, valde inconsequenter eos Prædeterminatores procedere, qui, cùm prædeterminationem ponant, atque requirant, vt Deus media illâ moueat, determinetque ad operandum causam secundam, dicunt nihilominùs, (compulsi haud dubiè argumentis contra ipsos oppositis), prædeterminationem, non ad potentiam proximam causæ, à qua procedit operatio, sed ad ipsam operationem requisitam esse. Constat siquidem, prædeterminationem ad eam potentiam, quam constituit, non posse non requiri. Ex quibus manifestè concluditur, nullatenus posse prædeterminationem pendere in existentiâ suâ à voluntatis libertate exercendâ per eumdem actum, qui ab ipsâ prædeterminatione procedit, vti dicebat commemorata sententia, aliena profectò à doctrinâ Prædeterminatorum communi, atque adeò ab ipsis reiecta.

521 Sed dicet aliquis, iuxta doctrinam à nobis traditam supra quæst.5. propositi.14. possibile est, vt aliquid tum requisitum ad actum, tum cum ipso connexum ab eius nihilominùs libertate dependeat quoad existentiam suam, eamque proinde non excludat: id namque euenit, si duarum liberarum causarum actus sint mutuo connexi inter se: nam eorum quilibet ad alterum requisitus, & cum ipso connexus erit; & nihilominùs quoad existentiam suam à libertate illius dependebit, eamque proinde non excludet, iuxta ibi dicta. Ergo, quantumuis prædeterminatio ad actum requisita, & cum ipso connexa sit, ab eius nihilominùs libertate poterit quoad existentiam suam esse dependens, atque adeò talis libertatis non exclusiua. Respondeo, quando requisitum ad actum, & cum eo connexum immediatè in actum non influit prout absolutè existens, vt sicque proinde neque intrinsecè pertinet ad potentiam proximam actus, vti euenit in casu adducto ex propositione citatâ; tunc quidem illud libertatem ad talem actum nequaquam impedire, à talique proinde libertate benè illud posse dependere quoad existentiam suam. Quia tamen prædeterminatio ad actum requisita, & cum eo connexa non potest non iuxta Auctores suos immediatè simul cum voluntate influere in actum prout absolutè existens, vt sicque subinde ad potentiam proximam actus intrinsecè spectare, idcirco ea non potest non prorsus excludere libertatem ad talem actum; & consequenter nec potest quoad existentiam suam dependere à tali libertate.

522 Alij denique, vt faciliùs subiectam ponerent voluntatis arbitrio physicam prædeterminationem, dixerunt, eam ab actu ipso voluntatis distinctam non esse realiter, sed tantùm per rationem: consistere enim eam, non in aliquâ qualitate, aut aliâ entitate præuiâ, impressâque à Deo voluntati, antequàm operetur, sed in concursu simultaneo, quo Deus cum voluntate concurrit, & qui ab ipsâ voluntatis operatione realiter indistinctus est. Ita tenent Ledesm. Zumel, & alij Recentiores locis citatis à nobis supra quæst.9. num.331. Probabileque censet Cabrera ibi etiam citatus. Sed primùm iste dicendi modus manifestè est alienus à Prædeterminatorum doctrinâ; qui, vt constat ex dictis quæst. 9. concursum præuium ponunt à concursu simultaneo distinctum, & in entitate aliquâ consistentem impressâ à Deo voluntati antecedenter ad eius actualem operationem. Qua quidem entitate præuiâ sublatâ, neutiquam potest dici Deus prædeterminare voluntatem ad operandum per solum concursum simultaneum, estò per illum aliquibus titulis dici possit priùs operari, quàm voluntas, iuxta ea, quæ dicebamus ex mente S.Tho. quæst. 9. num.350. Deinde vel omnia, quæ immediatè antecedunt operationem voluntatis, etiam decretum Dei concurrendi cum illa, sunt indifferentia; atque adeò tam cum carentiâ operationis, quàm cum operatione ipsâ coniungibilia. Vel saltem decretum Dei concurrendi cum voluntate determinatum est, connexumque proinde cum eius operatione absolutè. Si dicatur primum, in ipsissimam sententiam nostram reciditur, sententiæ Prædeterminatorum ex diametro aduersam. Iuxta sententiam autem nostram eo ipso, quòd tota voluntatis potentia proxima ad operandum indifferens est ad carendum operatione, atque adeò libera, repugnat, eam prædeterminari, determinative ad operandum ab aliâ causâ vel antecedenter, vel comitanter: nec fieri potest, vt de facto operetur aliter, quàm se se ipsam sponte suâ determinando ad operationem, iuxta doctrinam supra statutam quæst.5. propositi.13. Si verò dicatur secundum, reciditur in sententiam eorum Scotistarum, qui censent, vt supra commemorauimus num.338. Deum per suum decretum concurrendi prædeterminare causam secundam ad operandum. Contra quam prædeterminationem extrinsecam eadem militant argumenta, quæ contra intrinsecam produximus. Quia tale decretum, vtpote immediatè influens in actum simul cum voluntate, non potest non pertinere intrinsecè ad potentiam proximam eius iuxta doctrinam stabilitam quæst.5.propositi.3.& 4. Cùmque ponatur determinatum, & consequenter connexum absolutè cum actu ipso, nequit non tollere libertatem ad actum iuxta doctrinam demonstratam in eâdem quæst. 5. propositi. 11. De quo plura dicenda venient in Tract. de Prouiden.

Cæterùm, quanquam prædeterminatio Thomistica, quæ mutuò connexa cum actu voluntatis ponitur, semperque ad illum prædeterminans, atque adeò semper in illum immediatè simul cum voluntate influens, à libertate ipsius actus, vtpote quam nequit non tollere, quoad suam existentiam pendere nequeat, vt probatum est; rogabit tamen impræsentiarùm aliquis, num alia mitior prædeterminatio, seu prædeterminatiua entitas connexa cum actu non mutuò, eo quòd actus sine illâ benè potest existere, possimus libertate ipsius actus quoad suam existentiam pendere, atque ita nec libertatem eius tollere, nec ad illum prædeterminare de facto, subindeque neque de facto in ipsum influere. Affirmant Recentiores aliqui. Cum quibus sentit Ribadeneira disput. 14. de Actib. human. cap.5. num.41. Quia si talis prædeterminatio voluntati conferatur à Deo ex præuisione absolutâ existentiæ actus illius, vt fieri potest, tunc existentia prædeterminationis posterior erit existentiâ actus, atque ita neque influet in hanc, neque prædeterminabit ad eam, neque libertatem eius tollet de facto; ab illiusque proinde libertate dependens erit.

Ego

524 Ego verò oppositum censeo. Quia casu, quòd Deus ex præuisione absolutâ existentiæ effectus decernat existentiam causæ immediatæ eius (quod esse possibile ostendam in Tract. de Prouiden. disput. 37. quæst. 7.), influxus merè intentionalis, quem præstat tunc effectus in causam, non impedit influxum physicum causæ in effectum; neque prioritas ex accidente, quam habet effectus respectu causæ, impedit prioritatem naturæ causæ respectu effectus; prout latè ostendam loco citato. Vnde, cùm prædeterminatio, de qua agimus, per physicam suam entitatem, atque adeò naturâ suâ sit prædeterminatiua voluntatis ad actum, sicque causatiua ipsius actus veluti in genere causæ moralis, si semel in voluntate existat, non poterit non prædeterminare eam, & actum causare de facto; siue ex præuisione absolutâ existentiæ actus, siue independenter ab eâ decreta à Deo, & producta sit. Semel autem posito, quòd simul cum voluntate influat in actum, intrinsecèque subinde pertineat ad potentiam proximam actus, cum quo aliàs connexa ponitur, non poterit non tollere libertatem ad talem actum, iuxta doctrinam vniuersalem statutam quæst. 5. propos. 11. & consequenter non poterit à libertate talis actus, quoad suam existentiam pendere. De quo iterum redibit sermo quæst. 12.

Obiectiones contra doctrinam præcedentium propositionum.

525 Totus conatus Aduersariorum ad nostram doctrinam labefactandam eo dirigitur, vt argumenta, quæ in illos torsimus, retorqueant contra nos. Primò itaque obijciunt. Non minùs connexus est cum actu voluntatis, nec minùs ad illum est requisitus concursus simultaneus Dei, quam esse ponitur concursus præuius. Vterque autem, cùm sit opus liberum Dei, æquè independens esse debet à libertate creatâ, vtpote cui libertas diuina subiecta non est. Igitur vel est dicendum contra omnes, per concursum Dei simultaneum libertatem voluntatis ad suum actum tolli, vel est dicendum, eam non tolli per concursum præuium. Respondeo, concursum simultaneum, cùm sit realiter indistinctus ab actione voluntatis creatæ, vti fatentur omnes, benè sub libertatem eius cadere posse; imo non posse non ab eius nutu libero dependere, quando eius potentia proxima agendi indifferens ad vtrumuis, atque adeò libertas actus primi est, vt optimè potest. Nec obstat, eiusmodi concursum esse etiam opus liberum Dei: siquidem Deus pro suâ eximiâ bonitate liberè sese creaturæ accommodat subijciendo libertati eius talem concursum per suum liberum decretum vel antecedens indifferens, vel comitans determinatum, iuxta diuersas Nostrorum vias supra quæst. 9. iam indicatas num. 418. & 430. tradendasque latiùs, & explicandas in Tract. de Prouiden. disput. 38. quæst. 3. Quæ omnia à concursu præuio alienissima sunt, vtpote qui, cùm ex parte potentiæ proximæ ad agendum creatæ voluntatis se habeat, non potest non libertatem eius ad agendum, & non agendum auferre, vt in præcedentibus ostensum est.

526 Secundò obijciunt. Deus decreto absoluto, & efficaci potest prædefinire actum liberum voluntatis creatæ quatenus liberum, salua eius libertate. Ergo, eadem salua libertate, poterit illum prædeterminare. Siquidem tale decretum quid antecedens erit actum, influens in illum, & necessariò cum eo connexum non minùs, quàm prædeterminatio. Distinguo antecedens. Deus potest prædefinire actum voluntatis creatæ quatenus liberum, salua eius libertate, decreto absoluto, & efficaci, quod sit purè intentiuum, remotèque subinde influxiuum in actum, & à voluntate impedibile; concedo. (De quo latè agendum, in Tract. de Prouiden.) Quod sit exequtiuum, atque adeò immediatè influxiuum in actum, & à voluntate non impedibile, quale est, quod Aduersarij ponunt; nego. Et nego consequentiam. Etenim, vt ex dictis in præcedentibus constat. Omne immediatè influens in actum, & connexum cum actu nequit non tollere libertatem ad ipsum actum. Tale autem est prædeterminatio, decretumque Dei simul cum illâ concurrens ad actum iuxta Aduersarios. Quod decretum propterea non potest non esse implicatorium contradictionis, atque adeò impossibile: siquidem ex vnâ parte ponitur tendens efficaciter in actum prout liberum; ex aliâ verò cum libertate actus nullatenus compatibile est.

Tertiò obijciunt. Prædestinatio diuina ex 527
vna parte est essentialiter connexa cum salute prædestinati, vt constat: ex aliâ verò à voluntate prædestinati nullatenus est impedibilis: quia nullus habet in suâ liberâ potestate, esse, vel non esse prædestinatum. Tantumdemque est de reprobatione diuinâ comparatâ cum reprobo, & damnatione eius. Et nihilominùs liberum manet prædestinato, acquirere, vel amittere salutem suam: sicut & reprobo liberum est, in suam damnationem incidere, vel eam vitare. Ergo quantumuis prædeterminatio sit connexa cum actu, & independens, in impedibilisque à voluntate, benè nihilominùs componi poterit cum libertate actus.

Respondeo primò, inter prædestinationem, 528
reprobationemque ex vnâ parte, & prædeterminationem ex alterâ magnum ad rem esse discrimen. Quia prædestinatio, & reprobatio remotè vt summùm influunt in actus prædestinati, & reprobi, extra potentiasque proinde proximas talium actuum sunt: vnde huiusmodi potentiarum indifferentia ad vtrumuis, in qua stat libertas, benè potest cohærere cum illis; siue illæ dicantur esse impedibiles à voluntatibus prædestinati, & reprobi; siue secus: circa quod est inter Nostros nonnulla dissensio. At verò prædeterminatio immediatè influit in actum prædeterminati, in eiusque potentiâ proximâ ad talem actum non potest non intrinsecè includi, eamque proinde determinare, atque necessitare ad vnum, exclusâ penitus libertate, prout satis, superque superiùs comprobatum relinquimus.

Respondeo secundò, hoc ipso, quòd prædestinatio, & reprobatio in actus prædestinati, & 529
reprobi immediatè non influunt, eorumque consequenter libertati non aduersantur, eatenus ab eorum voluntatibus esse impedibiles, quatenus actus, cum quibus illæ connectuntur, liberè ab ipsis voluntatibus impedibiles sunt. Cùm sit compertum, voluntatem, quæ potest absolutè tollere, siue impedire terminum connexionis, consequenter tollere posse, siue impedire rem connexam cum illo, nisi iam hæc aliunde sublatâ, siue impeditâ supponatur. Cum quo stat

nihilominùs, dicendum absolutè non esse, à voluntate vniuscuiusque dependere, quòd sit à Deo prædestinatus, vel reprobatus negatiuè, propter incommoda, quæ loquutio hæc absoluta parere
potest, prout explicabitur ex professo in Tract. de Prædestin. disput. 41. quæst 5.

530 Quartò objiciunt. Scientia conditionata Dei de existentia actus voluntatis creatæ sub conditione cogitationis, à qua ille procedit, cum libertate talis actus bene cohæret, tametsi sit connexa cum illo, suppositâ dictâ cogitatione, & à voluntate ipsâ non sit impedibilis. Ergo pariter præterminatio voluntatis creatæ ad actum cum libertate talis actus bene cohærebit, quantumuis sit connexa cum illo, & à voluntate ipsâ non impedibilis. Consequentia videtur bona: quia nulla videtur posse dari congrua disparitas, si semel sit firmum antecedens ex tribus partibus conflatum. Quarum firmæ sunt extra dubium duæ priores; nimirum dictam scientiam bene cum libertate actus cohærere, & cum ipso connexam esse, suppositâ dictâ cogitatione. Tertia autem pars, scilicet, scientiam ipsam non esse à voluntate impedibilem, inde probanda, atque adeò firmanda venit: quia dicta scientia libertatem voluntatis præcedit tum præcedentiâ causalitatis, vtpote influens in cogitationem, per quam constituitur talis libertas, tum præcedentia temporis, vtpote ab æterno existens in Deo: & vtraque ista præcedentia obstat eius impedibilitati. Prima quidem; quia nequit fieri per existentiam effectus, vt non existat causa; haberet enim existentiam effectus à causâ non habente existentiam; quod aperte est chymæricum. Secunda autem; quia nequit fieri per existentiam alicuius in tempore præsenti, vt non extiterit, quod iam extitit in tempore præterito: nam ad præteritum non datur potentia, prout fert receptum axioma.

531 Omissis alijs disparitatibus, quæ pro negandâ consequentiâ argumenti facti possent afferri inter scientiam conditionatam de actu, & prædeterminationem voluntatis ad eum: nego antecedens, quoad eam partem, quæ supponit, eiusmodi conditionatam scientiam à voluntate non esse impedibilem. Etenim existentibus cæteris ad libertatem voluntatis requisitis, (vti supponitur), & purificatâ conditione, id est, existente etiam in statu absoluto cogitatione, sub cuius hypothesi existentia actus voluntatis præuisa est per talem scientiam, plenè est iam libera voluntas ad talem actum omittendum, & consequenter ad impediendam scientiam ipsam mediâ tali omissione. Nam, cùm scientia non immediatè, sed remotè vt summùm influat in actum, atque adeò ad potentiam proximam eius non pertineat intrinsecè, libertati voluntatis ad actum ipsum obesse nequit, & consequenter ob connexionem, quam cum eo habet, ab ipsâ libertate debet quoad existentiam suam pendere iuxta doctrinam stabilitam quæst. 5. propos. 12. num. 173. & num. 187. & 188. quod ipsum est, esse eam à voluntate impedibilem. Nec obstat impedibilitati isti, quòd libertatem voluntatis præcedat scientia præcedentia causalitatis influendo in cogitationem, per quam illa constituitur: quia benè potest esse potentia in effectu ad impediendam existentiam suæ causæ, quando hæc illi non est essentialis, vti in præsenti euenit, prout ostendemus, & explicabimus in Tract. de Prouiden. Minùsque obstat præcedentia temporis, qua scientia ab æterno præcesit: quia, licèt ad præteritum non detur potentia, quatenus nulla potentia prout nunc existens valet suum actum exercere in tempore præterito, quod tantùm sibi vult commemoratum exioma; eatenus tamen dici potest dari ad præteritum potentia, quatenus potentia aliqua prout nunc existens præstare potest exercendo suum actum nunc, quòd alia potentia in tempore præterito suum exercuerit, vel secus; eo quòd exercitium illius actus præteriti cum exercitio huius præsentis est essentialiter connexum, vel ipsi oppositum: quo pacto voluntas creata libera ad exercendum hodie alterutrum ex duobus actibus contradictorijs exercendo positiuum præstare potest, vt Deus ab æterno conceperit actum scientiæ de illo; exercendo autem negatiuum, vt Deus ab æterno eum actum scientiæ non conceperit, conceperit tamen oppositum. Vide, quæ circa præfatum exioma scripsimus in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 4 proposit. 7 De quo iterum redibit sermo Tract. de Prouiden. disput. 37. quæst. 6.

Quinto objiciunt. Voluntas consentiens libera maneret ad dissentiendum, quamuis ex suppositione, quod habet consensum, non posset illum non habere, consensuique cum dissensu omnino incompatibilis est. Ergo voluntas prædeterminata ad consensum libera etiam manebit ad dissentiendum, quamuis ex suppositione, quòd habet prædeterminationem, non possit illam non habere; prædeterminatioque cum dissensu omnino incompatibilis sit. Leuis obiectio, & ab omnibus necessariò fouenda; qui tenentur fateri, per aliquid voluntati creatæ adiunctum libertatem eius tolli ad aliquem actum, vti voluntati humanitatis Christi per vnionem hypostaticam tollitur libertas ad peccandum. Quandoquidem pariter argui posset ad probandum non tolli, quamuis ex suppositione, quòd Christi humanitas habet vnionem hypostaticam, non possit illam non habere; vnioque hypostatica cum peccato omnino incompatibilis sit. 532

Respondeo igitur pro omnibus, concedendo antecedens; & negando consequentiam factæ obiectionis. Quia voluntas habens consensum, licèt non possit eo carere ex suppositione, quòd habet; & consequenter nec possit habere dissensum ex eâdem suppositione; quia id esset posse habere dissensum coniunctum cum consensu; quod repugnat: absolutè tamen potest eam suppositionem tollere; quia absolutè potest omittere consensum, subindeque omittendo illum habere dissensum: quod est, liberam eam esse ad consensum, & ad dissensum. At verò voluntas habens prædeterminationem ad consensum non solùm ex suppositione quod habet, sed absolutè est impotens ad carendum illâ; quia absolutè est impotens ad eam suppositionem tollendam: consequenterque absolutè est impotens ad carendum consensu, quem secum fert prædeterminatio; quod est, esse eam necessitatam ad consensum, impotentemque ad dissensum; atque ita ad neutrum eorum actum liberam. Tantumdemque venit dicendum de voluntate Christi habente vnionem hypostaticam, quæ prædeterminatio quædam est eius ad carendum peccato, illamque proinde ad talem carentiam necessitatam, & ad oppositum peccatum impotem reddit: atque ita ad neutrum eorum extremorum relinquit liberam. 533

Sextò denique huc etiam spectant nonnullæ earum obiectionum, quas ex Aduersarijs adduximus proposuimus, atque diluimus quæst. 9. præ-

præsertim à propos. 5. vsque ad 7. quæ ad rem recolendæ. Si quæ autem aliæ præterea ab aliquo forte factæ opponantur, ex dictis tum ibi, tum hic facile poterunt proculdubio reuinci.

Consectaria quædam confirmatiua prædictorum.

535 Dico *confirmatiua prædictorum*. Nam ea non tam sunt assertiones inferendæ ex doctrinâ nostrâ, quàm absurda, quæ ex oppositâ inferenda veniunt; à quibus propterea nostra velut à totidem argumentis ab absurdo, siue ad impossibile
536 deducentibus venit confirmanda.

Primò enim infertur ex Aduersariorum doctrinâ, in causâ liberâ creatâ libertatem contrarietatis ad extrema positiua dari non posse: quod est primum absurdum. Nam talis libertas in duabus causæ potentijs proximis ad duos actus positiuos inter se oppositos consistit. Neutraque talium potentiarum potest in causâ existere, donec adsit concursus Dei præuius, seu prædeterminatio ad suum actum, vt ex dictis in præcedentibus constat. Cùmque prædeterminationes ad actus oppositos incompatibilesque inter se non possint non & inter se oppositæ, atque incompatibiles esse propter connexiones, quas habent vnaquæque cum suo actu, vt est manifestum; & consequenter non possint in eadem causâ simul existere: concluditur, nec posse simul existere in eâdem causâ duas potentias proximas ad tales actus per duas prædeterminationes ad ipsos necessariò constituendas. Quod ipsum est, non posse esse in eâdem causâ libertatem contrarietatis ad tales actus in duabus dictis potentijs proximis ad ipsos consistentem.

537 Confirmatur primò. Nam voluntati prædeterminatæ ad amorem necessariò deest prædeterminatio requisita ad odium oppositum, quam ipsa non potest acquirere: siquidem prædeterminatio ad odium manifestè est incompatibilis iuxta dicta cum prædeterminatione ad amorem. Ergo iuxta principium supra statutum num. 436. voluntati prædeterminatæ ad amorem necessariò deest libertas ad odium. Ergo impossibile est, quòd libertas ad odium coniungatur in voluntate cum libertate ad amorem, dato etiam gratis, quòd hæc staret cum prædeterminatione ad ipsum amorem. Ergo impossibile est, quòd voluntas simul sit libera ad amorem, & odium libertate contrarietatis.

538 Secundò confirmatur. Quia, si Deus habeat decretum negandi voluntati concursum ad odium, eo ipso non erit in voluntate libertas ad odium, vt est manifestum, & Aduersarij negare nequeunt. Sed, quando Deus decernit dare voluntati concursum præuium ad amorem, nequit non simul decernere, saltem virtualiter, negare illi concursum præuium ad odium; eo quòd isti duo concursus essentialiter sunt oppositi, carentiaque vnius subinde ad existentiam alterius est essentialiter requisita. Igitur cum concursu præuio, seu prædeterminatione ad amorem (esto libertas contradictionis ad amorem componi posset) repugnat in voluntate componi libertatem ad odium. Nullatenusque proinde potest habere illa
539 libertatem contrarietatis ad amorem, & odium.

Vnde rursus infertur, non posse esse libertatem in voluntate ad eligendum alterum ex duobus medijs, quæ occurrunt ad obtinendum finem intentum, quando ea inter se sunt incompatibilia. Tum voluntatem exequentem opus præceptum peccare non posse per positiuam volitionem illud non exequendi. Tum hominem itinerantem ex duabus vijs, quæ sibi occurrunt, non posse alterutram libere eligere. Neminem denique, dum vult vnum obiectum, manere liberum aut ad illud positiuè nolendum, aut ad pariter volendum oppositum. Quæ omnia, & similia absurda proculdubio sunt sequuta ex priore, sub quod cadunt, de repugnantia libertatis contrarietatis.

Secundo infertur, ex Aduersariorum doctrinâ nullam obligationem esse possibilem oriundam ab aliquo contractu, vel voto, vel iuramento, vel præcepto, per quam aliquis obligari possit ad aliquid agendum. Quod est aliud absurdum. Probemus id claritatis gratiâ in casu partitulari, quo Petrus per promissionem factam vel alteri homini, vel Deo obligare se intendat ad aliquam exequendam actionem. Talem enim obligationem eum sibi non posse imponere, suppositâ Aduersariorum doctrinâ, ita venit probandum. Aut Petrus intendit se obligare ad ponendam actionem absolutè. Aut conditionatè, sub conditione quod detur ei prædeterminatio. Si absolutè. Vel ad ponendam actionem seiunctam à prædeterminatione requisitâ ad illam: vel ad ponendam coniunctam cum prædeterminatione: vel ad ponendam cum præcisione à prædeterminatione, & eius carentiâ. Alius enim modus eam ponendi excogitabilis non est, vt constat. Ad ponendam autem actionem primo, vel tertio modo Petrus obligari non potest: quia vterque est impossibilis: & ad impossibile nemo tenetur, neque teneri potest: repugnat siquidem poni actionem à parte rei aut seiunctam à prædeterminatione; cùm sine illâ nequeat existere; aut præcisam, seu (quod recidit in idem) seiunctam à prædeterminatione, & eius carentia; cùm ambo extrema contradictionis nequeant simul deficere, vt est manifestum. Sed neque ad ponendam actionem secundo modo potest se Petrus absolutè obligare: quia, cùm prædeterminatio alias à Deo posita, vel ponenda absolutè non supponatur, (vti in sententiâ nostrâ supponuntur ex lege Dei ordinariâ concursus generalis eius, & cætera requisita ad agendum); eo quòd tam contingens est, non dari à Deo prædeterminationem, quàm dari; siquidem nulli de facto non operanti datur: obligare se Petrum absolutè ad ponendam actionem coniunctam cum prædeterminatione, esset obligare se ad ponendum coniunctum ex vtroque, atque adeò ad ponendam prædeterminationem, quæ in suâ potestate non est, iuxta doctrinam ex Aduersarijs statutam supra propos. 3. quod tamen repugnat. Quia nemo potest se obligare ad id, quod suæ potestati, dominioque non est subiectum, vt ex se patet; & traditur Inst. *de inutilibus stipulationibus* §. 1. & l. *Inter stipulantem*. ff. *de verborum obligat.* docentque S. Aug. q. 59. & 60. Super Numeros, & S. Tho. 2. 2. q. 88. art. 8.

Iam si Petrus intendit se obligare ad ponendam actionem conditionatè sub conditione, 541 quòd detur ei prædeterminatio, nec sic potest obligatio consistere. Quia nemo potest se obligare ad id quod sibi necessarium, siue ineuitabile est, vt est certissimum; tenentque S. Thom. quæst. citatâ art. 2. & omnes. Necessarium autem, siue ineuitabile est Petro, ponere actionem sub conditione, quòd detur ei prædeterminatio ad ipsam, vt constat. Tum stulta, nugatoria, prorsusque ine-

inepta, atque adeo impossibilis est obligatio, quæ in nullo euentu potest frangi. Talis autem est obligatio ad actionem sub conditione prædeterminationis, vtpote quæ neque frangi potest, prædeterminatione non posità; quia tunc absolutè non adest: neque prædeterminatione posita; quia tunc actio, ad quam ex suo conceptu tendit, non potest omitti. Et quidem si non aliter, quàm sub conditione prædeterminationis obligarentur homines, nemo vnquam omittens opus obligatorium peccaret de facto; quod est plus, quàm erroneum. Quia contra obligationem conditionatam non peccatur, si non sit purificata conditio, vt constat. In omittente autem opus obligatorum nunquam est purificata conditio; siquidem nunquam habet prædeterminationem ad opus, quod omittit. Quod autem de obligatione ad agendum oriunda à promissione Petri probatum est; pariter venit probandum, eumdemque omnino locum habet in omnibus obligationibus ad agendum votorum, iuramentorum, contractuum, & præceptorum omnium positiuorum.

542 Adde, quemadmodùm argumentati sumus ad probandum, suppositâ Aduersariorum doctrinâ, nullam dari posse obligationem positiuam ad agendum, ita pariter argui posse ad probandum, nullam dari posse obligationem negatiuam ad non agendum. Quoniam in Aduersariorum doctrinâ quemadmodùm prædeterminatio est requisita ad agendum, & ab hominum potestate independens; ita pariter carentia prædeterminationis est requisita ad non agendum; & ab hominum potestate independens. Vnde æquè ex hoc secundo potest ab vnoquoque inferri defectus omnis obligationis negatiuæ ad non agendum; ac nos intulimus ex illo primo defectum omnis obligationis positiuæ ad agendum. In quo proinde non opus est, vt amplius immoremur.

543 Tertiò infertur ex Aduersariorum doctrinâ, non dari in hominibus, eâ suppositâ, potestatem peccandi. Quod est aliud absurdum. Tum quia ex illâ sequitur, non dari in hominibus libertatem siue in operando, siue in non operando iuxta latè tradita supra propos. 1. 2. & 3. sine qua, potestas peccandi stare non potest, vt est certissimum. Tum quia ex illâ sequitur non dari in hominibus vllam obligationem siue ad operandum, siue ad non operandum iuxta dicta num. 540. & seqq. sine qua non potest stare peccatum, vt non minùs est certum. Vbi autem non est possibile peccatum, neque potestas peccandi possibilis est.

544 Quartò infertur ex Aduersariorum doctrinâ, suppositâ illâ, nullam in hominibus dari differentiam tentationum grauium, & leuium. Tum nullam in hominibus dari victoriam vllius tentationis. Quæ sunt duo alia absurda. Pro quorum probatione, suppono primò, tentationem immediatam in homine, quæ propriissimè omnium est talis, aliud non esse ab inclinatione, quam eius voluntas habet in actu primò ad aliquem actum suum secundum prauum, siue peccaminosum vel positiuum, vel negatiuum, qualem omissionem actum semper vocamus. Quæ quidem tentatio semper prouenit ab aliquo, vel ab aliquibus actibus interioribus siue intellectus, siue appetitus sensitini, siue etiam imaginationis in aliqua obiecta tendentibus, qui vim habent per se ipsos inclinandi voluntatem in actu primo, sicque eam mouendi tanquam quædam causæ morales ad exercendos suos actus secundos seu positiuos, seu negatiuos. Quanquam enim causæ remotiores horum actuum immediatè voluntatem mouentium tentationes etiam dicantur, quando remotè tendunt ad cauſandum aliquid prauum, vt sunt suggestiones Dæmonum, & aliorum hominum, occursus obiectorum, quæ per sensus externos intrant, atque etiam horum actus, &c. hæ tamen tentationes remotæ minùs propriè, quàm illæ, immediatæ veniunt tentationes dicendæ, vtpote quæ eò solùm titulo tales dicuntur, quòd illarum sunt causæ; quemadmodùm medicinâ minùs propriè sana appellatur, quòd causa est sanitatis animalis, quod propriùs sanum dicitur. Quanquam item obiecta actuum intellectus, & appetitus, aut etiam imaginationis, qui immediatè voluntatem inclinant, & mouent, dicantur etiam illam inclinare, & mouere suo modo, scilicet obiectiuè, seu intentionaliter, communiterque propterea dicantur motiua voluntatis, & tentationes etiam dici possint, quando inclinant ad malum. Quia tamen horum obiectorum inclinatio, seu motio physicè, & realiter alia non est ab inclinatione, seu motione actuum, quos terminant; de hac tantùm est in præsenti agendum, ipsique actus proinde veniunt semper intelligendi nomine motiuorum.

Suppono secundò, tentationes immediatas, 545
& magis propriè dictas, de quibus iam solùm tractamus, bifariam considerari posse; quasi actiue ex parte motiuorum, quæ per se immediatè dicuntur inclinare voluntatem; & quasi passiuè ex parte voluntatis, quæ per se etiam immediatè dicitur iuclinari ab ipsis motiuis. Vtræque tamen inclinationes realiter sunt prorsus idem; neque aliud sunt ab entitatibus ipsis motiuorum, & voluntatis.

Suppono tertiò, penes diuersitatem motiuorum seu quoad naturam, seu quoad intensionem, expressionem, claritatem, viuacitatem, &c. eamdem voluntatem ab alijs motiuis magis, & ab alijs minùs inclinari in actu primo ad exercendum aliquem suum actum secundum seu positiuum, seu negatiuum. Tum à motiuis eiusdem omnino rationis diuersæ voluntates penes earum diuersitatem possunt inclinari diuersè. Nec solùm diuersitas naturæ, vel qualitatis motiui, aut voluntatis, sed etiam diuersitas circumstantiarum occurrentium potest variare vim inclinatiuam illius, ita, vt ea sub talibus circumstantijs sit maior, sub alijs verò minor, inter quas circumstantias computandæ etiam veniunt carentiæ rerum, quæ possent vim motiui inclinatiuam augere, aut minuere. Ex quo fit, vt integra vis inclinatiua tum ex substantia motiui, tum ex omnibus circunstantijs, quæ adsunt, sit dicenda coalescere. Porro, quando motiuum inclinat voluntatem ad actum prauum, si, pensatis omnibus, multum illam inclinet, talis eius inclinatio dicitur tentatio grauis; si verò parum inclinet illam, talis inclinatio eius dicitur tentatio leuis.

Suppono quartò, plerunque adesse voluniti duo motiua opposita, alterum inclinatiuum eius ad actum positiuum, & alterum ad negatiuum contradictorium: aliquando verò adesse illi vnicum tantum ad alterum ex duobus actibus contradictorijs inclinatiuum. Et quidem, quando voluntati vnicum tantùm adest motiuum ad alterum ex duobus actibus contradictorijs inclinatiuum, non potest non ea ad talem actum necessitata esse: quia non potest non euadere ea

ea summè inclinata ad illum, quando nihil est, quod eam possit ad oppositum inclinare. Sic se habet voluntas respectu actus positivi, quem primò primum appellamus: elicit enim illum necessariò secundùm omnes; quia elicit cum primùm potest, & antequàm quidquam occurrat, quod possit illam ad oppositum inclinare. Sic etiam se habet voluntas, ad actum quemlibet negativum, quoties ad oppositum positivum potentiam proximam non habet: quia, cùm voluntas nullam inclinationem possit habere ad extremum, ad quod potentiam non habet, nequit non esse inclinatio summa, atque adeò necessitas, quam tunc habet ad extremum contradictoriè oppositum.

548 Iam verò si voluntati adsint duo motiua opposita ad actus contradictoriè oppositos inclinatiua, multifariam possunt se habere. Primò enim ambo motiua æqualem, omnibus pensatis, vim inclinatiuam habere possunt, vnumquodque ad suum actum: quo casu voluntas non solùm libera, sed in æquilibrio manebit, æqualiter scilicet inclinata ad vnum, atque ad alterum actum: idque siue vis inclinatiua vniuscuiusque motiui sit magna, siue sit parua: dummodò enim sint ambæ æquales, quantum vna impellit voluntatem ad vnum extremum, tantum ad oppositum impellit altera; atque ita semper voluntas erit in æquilibrio. Secundò dicta motiua opposita inæqualem vim inclinatiuam, pensatis omnibus, habere possunt. Quod bifariam imprimis potest accidere. Fieri enim potest tum, vt vnum eorum sit metaphysicè connexum cum actu, ad quem inclinat; alterum verò secus: tum vt neutrum ita connexum cum suo actu sit. (Vtrumque enim sic esse connexum, repugnat; nam eo ipso, quòd duo actus contradictorij simul existere non possunt, nec possunt existere simul duo alia quæpiam cum eis connexa metaphysicè, vt constat). Si igitur vnum dictorum motiuorum cum actu suo metaphysicè connexum sit: alterum verò secus: vis inclinatiua prioris ad suum actum, quasi infinita erit; quia cuadet ab illà voluntas summè inclinata ad talem actum, vtpote ad ipsum necessitata metaphysicè; vis autem inclinatiua posterioris ad suum actum, (quantumuis ea magna sit considerata seorsim), quasi nulla erit; quia nullam ab illà participabit voluntas ad talem actum inclinationem: summa quippe inclinatio, atque adeò metaphysica necessitas voluntatis ad vnum ex extremis contradictionis, vti non relinquit ad alterum potentiam vllam, sic neque relinquit ad ipsum vllam inclinationem.

549 Quòd si verò neutrum dictorum motiuorum cum suo actu metaphysicè connexum sit, quantumuis eorum vis inclinatiua sit inæqualis, semper ad vtriusque actum manebit in voluntate inclinatio, atque adeò libertas: hæc tamen inclinatio eo maior erit semper ad vnum actum, quàm ad alterum, quo maior fuerit vis inclinatiua motiui inclinantis ad priorem, quàm vis inclinatiua motiui inclinantis ad posteriorem. Tantusque potest esse excessus inclinationis voluntatis ad vnum eorum actuum præ altero, vt voluntas ad illum necessitata moraliter per talem inclinationem reddatur. Huiusmodique voluntatis moralis necessitas eò etiam semper maior erit, quò inclinatio eius ad vnum suorum actuum præ oppositi fuerit maior vltra gradum, seu quantitatem inclinationis sufficientem ad necessitatem moralem constituendam; retentà tamen semper in voluntate metaphysicà libertate.

Quæ omnia vt meliùs percipias, imaginare 550
voluntatem ad instar stateræ, quam concipe ante oculos tuos in aere collocatam transuersè, suspensamque è puncto medio, quod sit centrum grauitatis eius, per quod transeat linea perpendiculariter descendens à tecto cubiculi vsque ad planum pauimenti. Si enim in extremis punctis partium dextræ, & sinistræ stateræ posueris æqualia pondera seu magna, seu parua, æqualiter distantia, æqualiterque subinde inclinata ad planum pauimenti erunt illa, stateraque manebit in æquilibrio. Si autem in puncto extremo dextro posueris aliquod pondus in puncto verò sinistro nullum, punctum dextrum summam inclinationem, summamque subinde propinquitatem sibi possibilem ad planum pauimenti acquiret; descendet enim donec penetretur cum lineâ perpendiculari prædictâ: punctumque sinistrum omnem inclinationem versus dictum planum amittet, vtpote quod, donec penetretur cum eadem lineâ perpendiculari à parte superiori, ascendet; vbi summam distantiam ab ipso plano sibi possibilem habebit; sicque à nullo latere ipsius lineæ habebit versus planum ipsum vllam inclinationem. Tantumdemque eueniet, si in puncto sinistro pondus ponatur adeò exiguum, vt comparatione ponderis positi in puncto dextro momenti non sit; & tanquam si nullum esset se habeat. Denique si in vtroque puncto pondera inæqualia, sed non cum tanto excessu ponantur, inæquales inclinationes, distantiasque versus planum pauimenti sortientur proportionaliter ad sua pondera, vnumquodque in latere suo extra perpendicularem lineam, maiorem quidem inclinationem, & minorem distantiam, quod habuerit maius pondus, quod verò minus, è conuersò minorem inclinationem, & distantiam maiorem. Per istud exemplum congruè perspicies naturam voluntatis. Nam quod stateræ sunt oppositæ pondera, id sunt proportionaliter voluntati opposita motiua.

Ex quibus omnibus tandem infertur; quan- 551
do voluntas habet duo motiua siue æqualiter, siue inæqualiter inclinatiua eius, alterum ad actum positiuum, & alterum ad negatiuum contradictorium; (qualia sæpe sunt duæ cognitiones repræsentantes illi, altera rationem boni, & altera rationem mali in obiecto actus positiui vel in actu ipso); si vni eorum motiuorum adiungatur aliud metaphysicè connexum cum actu eius, non posse non conflari ex ambobus motiuum tale, quod summè inclinet, atque adeò necessitet voluntatem ad talem actum; causaque proinde sit, vt motiuum oppositum, amissâ totâ suâ vi inclinatiua, nihil iam prorsus inclinet voluntatem ad actum oppositum. Hoc enim manifestè sequitur ex antea dictis, vt vnicuique consideranti clarè innotescet.

Quæ omnia cùm ita se habeant, probemus 552
iam, sequi ex Aduersariorum doctrinâ primum ex duobus absurdis propositis num. 544. nullam scilicet dari in hominibus differentiam grauium, & leuium tentationum. Agimus autem hic directè contra eos Prædeterminatores, qui non solùm ad actus bonos; sed etiam ad prauos requirunt prædeterminationem; consequenter autem contra omnes. Quia pauci quidam, qui eam ad prauos non requirunt, requirentes ad bonos, inconsequenter precul dubio procedunt: cùm

funda-

fundamenta, quæ habent ad adstruendam illam, (relatâ à nobis supra, & explosa quæst.9.), vel illam ad neutros fundant, vel fundant ad vtrosque, vti cuique attentè ea recognoscenti non obscurè apparebit.

553 Probatur igitur primò, ex illorum doctrinâ sequi dictum absurdum. Nam aut sunt tentationes hominum ad actus positiuos, aut sunt ad negatiuos. Si ad positiuos, non possunt non illæ semper æqualiter se habere. Vel enim consentiunt illis homines, vel non consentiunt. Si consentiunt, à prædeterminationibus, quas tunc habent ad ipsos actus, non possunt non semper euadere summè inclinati, atque adeò æqualiter tentati ad illos. Si verò non consentiunt, per carentias prædeterminationum actuum positiuorum, quas tunc habent, non possunt non semper euadere summè inclinati ad negatiuos contradictorios; nullatenusque subinde inclinati ad ipsos positiuos; atque adeò æqualiter tentati, seu potiùs non tentati ad illos, sublatâ scilicet à tentationibus æqualiter totâ earum vi inclinatiuâ, atque adeò tentatiuâ. Iam verò, si tentationes hominum sunt ad actus negatiuos, idem vice versâ concluditur. Nam si ipsos actus negatiuos exercent homines tentationibus victi, per carentias prædeterminationum ad actus oppositos positiuos, quas habent tunc, summè inclinati, atque adeò æqualiter tentati ad actus ipsos negatiuos euadunt. Si verò actus oppositos positiuos exercent vincentes tentationes, per prædeterminationes, quas tunc ad eos habent, summè inclinati ad ipsos euadunt; tentationesque proinde ad negatiuos omnino eneruatæ, atque adeò totâ suâ vi inclinatiuâ, seu tentatiuâ æqualiter destitutæ manent. Constant omnia hæc ex doctrinâ paulò ante præmissâ.

554 Secundò aliter probatur, sequi idem absurdum ex eâdem doctrinâ: quia ex illâ sequitur, nullam omnino dari tentationem aut grauem, aut leuem; quo posito, dari non potest differentia inter illas. Nam, quoties homo caret prædeterminatione ad actum positiuum prauum, nullam tentationem ad illum habere potest: quia nullam habet ad illum inclinationem propter summam inclinationem, quam habet ad actum negatiuum contradictorium iuxta dicta. Ergo solùm potest homo habere tentationem ad actum positiuum prauum, quando est prædeterminatus ad illum. At hoc nullatenus dici potest: quia sequeretur contra totius Ecclesiæ certissimum consensum, nullam hactenus vllum hominem vicisse tentationem, neque vnquam posse vincere: quia nullus homo restitit hactenus, nec poterit vnquam resistere prædeterminationi ad actum prauum, omittendo ipsum. Ergo absolutè nulla datur, aut dari potest tentatio ad actum positiuum prauum. Sed neque datur ad negatiuum ob rationem inuersam. Quia nulla datur in vllo homine inclinatio, atque adeò neque tentatio ad actum negatiuum prauum, quando habet prædeterminationem, atque adeò summam inclinationem ad positiuum contradictorium. Sed neque datur, cùm tali caret prædeterminatione: quia sequeretur similiter contra totius Ecclesiæ consensum, nullam hactenus vicisse vllum hominem tentationem ad actum prauum negatiuum, neque vnquam posse vincere. Ergo vniuersaliter, nullam omnino dari in hominibus tentationem aut grauem, aut leuem, ex doctrinâ Aduersariorum sequitur. Quod erat probandum.

Vnde probatum manet primò, sequi etiam 555
secundum absurdum propositum num.544. nullam videlicet dari in hominibus victoriam vllius tentationis. Quandoquidem, vbi nulla datur tentatio, nulla potest dari victoria tentationis, vt constat. Id quod secundò probari potest aliter iuxta dicta. Quia solùm posset dari in homine victoria tentationis obtenta aut per omissionem actus praui, aut per exequutionem actus oppositi prauæ omissioni. Sed per neutram obtenta est dabilis: quia, quando datur in homine omissio actus praui, nulla datur ad hunc tentatio propter defectum prædeterminationis ad ipsum: & quando datur in homine actus oppositus prauæ omissioni, nulla datur ad hanc tentatio propter prædeterminationem ad illum. Ergo in nullo euentu dari potest in homine victoria tentationis: cùm in nullo euentu possit dari tentatio in homine aut per omissionem actus praui, aut per actum oppositum omissioni prauæ vincenda.

Quintò denique inferenda veniunt ex Aduer- 556
sariorum doctrinâ ea omnia absurda, quæ ieferunt alij Auctores communiter ex eo, quòd ponatur Deus prædeterminans ad actionem materialem peccati: vt à multis ex Prædeterminatoribus de facto ponitur: ab omnibusque consentaneè ad principia sua poni deberet, vt procederent consequenter, vti iam in præcedentibus aliàs notatum est.

Stat igitur ex dictis in tota hac quæstione, 557
concursum Dei præuium, siue prædeterminationem physicam, qualis ponitur à Thomistis citatis supra quæst.9.num.330. cum libertate voluntatis creatæ nullatenus componi posse. Ponitur autem illa cum quouis actu voluntatis creatæ, ad quem prædeterminat, ita mutuò connexa metaphysicâ, seu essentiali connexione, vt neque illa sine actu, neque actus sine illâ existere possit vllâ potentiâ. Restat modò, vt ad calcem huius quæstionis ex doctrinâ tum in eâ, tum in præcedentibus stabilitâ quid de alijs aliorum generum, prædeterminationibus tenendum sit, summatim resoluamus. Dico itaque, prædeterminationem mitiorem, de qua mentionem fecimus supra num.523. cuius connexio metaphysica cum actu, ad quem prædeterminat, mutua non est, etiam tollere libertatem ad talem actum. Quia, licèt aliàs ad existentiam eius requisita non sit, eò tamen ipso, quòd de facto immediatè simul cum voluntate concurrit ad illum; ad illiusque proximam de potentiam proximam intrinsecè pertinet, non potest non ipsius libertatem euertere iuxta doctrinam statutam supra quæst.5. propos.11. Per quam vniuersaliter stabilitum relinquimus, omne quouis modo concurrens immediatè simul cum voluntate ad actum seu positiuum, seu negatiuum, atque adeò ad potentiam proximam, à qua procedit talis actus, intrinsecè pertinens; si cum ipso actu metaphysicè connexum sit, non posse non penitus tollere libertatem immediatam ad talem actum. Tollet autem libertatem simpliciter, nisi illud quoad existentiam suam dependens sit ab alia eiusdem voluntatis libertate anteriore. In hoc enim casu à tali libertate anteriore euadet actus liber libertate mediatâ.

Quòd si illud dicto modo cum voluntate 558
ad actum concurrens non metaphysicè, sed moraliter tantùm cum actu ipso connexum sit, non metaphysicam, sed moralem tantùm necessitatem inducet comparatione talis actus: quia qualis est connexio, quam vna res habet cum altera, talis

talis est necessitas, quam habet illa, vt cum hac coniungatur. Necessitate autem physicâ, seu naturali (prout hæc à necessitate metaphysicâ, & à necessitate morali distincta est) non potest voluntas per quidpiam secum immediatè ad actum concurrens reddi ad ipsum actum necessitata. Quia huiusmodi necessitas physica, seu naturalis in iure naturali consistit, quam vna res habet, vt aliquid sibi conferatur ab Auctore naturæ. Vnde necessitas naturalis, qua causa non libera in suum actum prodire solet, in eo fundatur, quòd, positis cæteris prærequisitis ad talem actum, iuridicè sibi deposcit illa concursum Dei determinatum ad ipsum: posito autem decreto Dei determinato de tali actu, iam talis actus à tali causâ simul, & à tali decreto cum omnimodâ necessitate etiam metaphysicâ procedit. Dicitur tamen talis causa cum necessitate naturali operari; quia cum necessitate naturali adiunctum est ei tale decretum. At verò causa libera, licèt positis cæteris prærequisitis ad aliquem actum, pariter deposcat sibi iuridicè decretum Dei concurrendi secum ad ipsum; necessitasque naturalis, quam habet ad tale decretum, per collationem eius exerceatur: at quia tale decretum, non determinatum est, sed indifferens ad actum, & eius carentiam; eo etiam posito, manet indifferens voluntas, vt pro nutu suo eliciat, aut non eliciat actum absque vllâ necessitate: nullaque proinde necessitas naturalis, seu physica ad talem actum eliciendum alicunde venit ipsi imponenda. Hæc dicta hucusque sunt de necessitate determinatâ, quam voluntas subire potest ab aliquo prædeterminante ipsam ad vnum, vel plures actus seu positiuos, seu negatiuos determinantè. Restat dicendum de necessitate vagâ, seu disiunctiuâ, quam voluntas subire potest ab aliquo prædeterminante ipsam ad aliquem, aut aliquos actus seu positiuos, seu negatiuos vagè, seu disiunctiuè. De quo erit sequens quæstio.

QVAESTIO XI.

Qualiter per prædeterminationem disiunctiuam necessitas vaga, seu disiunctiua ad aliquem, aut ad aliquos actus sub disiunctione veniat voluntati imponenda.

559 NOmine prædeterminationis disiunctiuæ complectimur in præsenti quæstione, quidquid voluntatem prædeterminat, atque adeò necessitat ad vnum, vel alterum actum sub disiunctione; eo quòd cum eo prout sic metaphysicè connexum est, & ad eum simul cum voluntate concurrit immediatè: siue illud sit qualitas aliqua impressa voluntati; siue sit decretum Dei efficax disiunctiuum, & immediatè exequutiuum; siue sit intentio efficax finis comparatione vnius, vel alterius electionis medij; siue aliud quidpiam huiusmodi. Quanquam autem prædeterminatio disiunctiua respectiuè ad quemlibet numerum actuum possit esse talis; compendij tamen, & claritatis gratiâ dumtaxat agemus de eâ, quæ talis est respectiuè ad solùm binarium, vtpote ad vnum, vel alterum ex duobus tantùm actibus prædeterminans: nam, quidquid de hac dictum fuerit, facilè ad cæteras possibiles poterit applicari. Porro duo actus, circa quos prædeterminatio versanda est disiunctiuè, imprimis aut ambo positiui, aut ambo negatiui, aut alterum positiuum, & alterum negatiuum poterunt esse: deinde esse poterunt aut non oppositi, aut oppositi inter se: quòd si oppositi: aut contradictoriè, aut contrariè: præterea excogitari poterunt aut non connexi inter se, aut connexi: quòd si connexi, aut mutuâ connexione, aut non mutuâ: semperque sermo erit de oppositione, connexioneque metaphysicâ, nisi aliud exprimatur. Vtque prædeterminatio disiunctiua respectiuè ad duos actus eiusdem voluntatis dabilis est: ita etiam excogitari potest dabilis respectiuè ad duos actus duarum voluntatum; factâ itidem talium actuum diuisione per omnia commemorata genera. Denique ex cogitabilis est prædeterminatio disiunctiua respectiuè ad duo instantia temporis; per quam scilicet prædeterminetur voluntas siue vna, siue duplex ad ponendum suum actum siue vnum, siue duplicem in instanti A anteriori, vel in instanti B posteriori sub disiunctione. Postremò prædeterminatio aut non requisita ad actus, ad quos prædeterminat, aut requisita potest esse. Ex quibus omnibus comparationibus, & diuisionibus multi resultant casus, qui sigillatim resolui debent in hac quæstione. Resoluamus igitur eos per sequentes propositiones; agendo imprimis de prædeterminatione non requisitâ ad actus.

Propositio 1.

Prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus vnius voluntatis neque oppositis, neque connexis inter se illam necessitat ad amplectendum alterutrum, atque adeò ad non omittendum simul vtrumque. Relinquit tamen ei libertatem, ad amplectendum vel alterum, vel vtrumque simul. 560

Suppono claritatis gratiâ, actus, de quibus propositio agit, esse A, & B. Indeque eam probo. Quia prædeterminatio, de qua in illâ est sermo, cum A, vel B sub disiunctione connexa est; non tamen cum A determinatè, neque cum B determinatè; ad A que proinde, vel B sub disiunctione impellit voluntatem; non tamen ad A determinatè, neque ad B determinatè. Ergo, ita necessitat voluntatem ad eliciendum A, vel B sub disiunctione, atque adeò ad non omittendum vtrumque simul, vt liberam relinquat illam ad eligendum vel alterutrum seorsim seu A, seu B, vel simul vtrumque pro arbitratu suo: quandoquidem propter oppositionis defectum ambo etiam simul sunt elegibiles.

Contra hoc tamen subtilis quædam, & profunda difficultas occurrit. Nam, vt constat ex doctrinâ statutâ quæst. 5. propos. 11. & 12. sæpeque aliàs repetitâ, ad hoc, vt aliquid tollat libertatem ad aliquem actum necessitando ad ip- 561

sum, duo simul in illo debent necessariò coniungi, nempe, & quòd sit illud constitutiuum intrinsecum potentiæ proximæ causatiuæ actus, & quòd sit illud metaphysicè connexum cum actu ipso. Sed hæc duo in prædeterminatione disiunctiuâ tendente in disiunctum duorum actuum A, & B neque coniunguntur simul respectiuè ad ipsum disiunctum: quia nullum disiunctum qua tale causabile est; cùm omnia, quæ causantur, existuntque realiter, necessariò debeant esse determinata; nec vaga, seu disiuncta esse possint, vt est certissimum; nullaque proinde sit dabilis potentia proxima talis disiuncti causatiua per talem prædeterminationem constituta. Neque coniunguntur simul respectiuè ad actum determinatum A, aut ad actum determinatum B: quia talis prædeterminatio cum neutro eorum determinatè sumpto connectitur. Igitur talis prædeterminatio non solùm non necessitat ad actum A determinatum, aut ad actum B determinatum; sed neque necessitat ad disiunctum amborum, seu, quod est idem, ad A, vel B sub disiunctione. Nullaque proinde per illam tollitur voluntatis libertas contra nostram propositionem.

562 Pro resolutione huius difficultatis, clariorique, & pleniori probatione tum præsentis, tum sequentium propositionum suppono ex doctrinâ fusè à me traditâ in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. nullam à parte rei esse dabilem connexionem formaliter disiunctiuam ex parte termini, hoc est, terminatam per se ad vnum, vel alterum terminum sub disiunctione, & ad neutrum determinatè; (& idem est de quouis alio respectu cuiusuis generis): quia à parte rei nihil est dabile formaliter vagum, seu disiunctiuum, non solùm quoad esse, sed quoad respicere, quoad terminare neque respectum; prout ibi ostensum est ex professò. Dantur tamen à parte rei multæ connexiones æquiualenter disiunctiuæ, quæ tamen reuerà, & formaliter determinatæ sunt, & conditionatæ. Quoties enim aliquod ens, vt sæpe contingit, esse non potest sine A, si desit B, nec sine B, si desit A, toties dici illud solet, esse non posse sine A, vel B sub disiunctione, atque adeò cum A, vel B disiunctiuè connexum esse: cùm tamen reuerà non sic, sed determinatè sit connexum cum A ex hypothesi, quòd desit B, & cum B ex hypothesi, quòd desit A. Taliter igitur omnis prædeterminatio, de qua agimus in præsenti quæstione, æquiualenter tantùm est disiunctiua: atque ita connexa re ipsâ non absolutè, & disiunctiuè cum actu A, vel cum actu B; sed conditionatè, & determinatè cum actu A, si non existat actus B, atque etiam cum actu B, si non existat actus A. Vnde etiam fit, vt neque fit absolutè prædeterminatiua voluntatis, neque influxiua simul cum illâ ad A, vel B sub disiunctione, sed conditionatè, determinatèque ad A, si non existat B, & ad B, si non existat A. Ex quo rursus sequitur, vt eiusmodi prædeterminatio per se præcisè nihil præstare valeat in alterutrum dictorum actuum, ante quàm sit purificata conditio negationis alterius. Quia causa conditionatè tantùm efficax, qualis est illa, nihil præstare valet, perindeque in ordine ad effectum se habet, ac si non esset, quousque per purificationem, seu positionem conditionis quoad suam efficaciam transit in absolutam; vt patet in decretis, imperijsque conditionatis, & efficacibus voluntatis tum diuinæ, tum nostræ, in cæterisque huiusmodi.

His suppositis, dico primò, prædeterminationem disiunctiuam æquiualenter, de qua agit propositio, liberam relinquere voluntatem ad amplectendum vtrumque actum A, & B simul, vel ad omittendum alterutrum. Quia talis prædeterminatio imprimis nec est connexa cum omissione alicuius eorum actuum, nec est influxiua in illam; neutriusque subinde talium omissionum libertatem tollere potest, vt est notum. Deinde talis prædeterminatio nec est connexa cum coniuncto amborum actuum A B, nec est in illud influxiua: eo quòd iuxta doctrinam suppositam dumtaxat connectitur cum A, quando deest B, & cum B, quando deest A, vtpote tendens in vtrumuis sub conditione defectus alterius: sicque cum existentia coniuncti amborum connecti nequit, neque influxiua in eam esse: quia, ambobus simul existentibus, neutrius adest negatio, neutriusque subinde conditio purificata est. Vnde concluditur, per talem prædeterminationem libertatem voluntatis ad amplectendum simul vtrumque actum A B, vel ad omittendum alterutrum neutiquam tolli. Tametsi tollatur ad omittendum simul vtrumque: eo quòd per omissionem vniuscuiusque cuadit prædeterminatio ipsa necessitans ad alterum iuxta dicta; incompatibilisque proinde illa est cum omissionibus amborum. 563

Vnde dico secundò, quando prædeterminatio adest, si voluntas liberè ponat, vt potest, vtrumque actum simul, perinde illam, ac si non adesset, se habere in ordine ad talem positionem: quia tunc prædeterminatio defectu purificationis conditionum neque est cum vllo eorum actuum connexa, neque simul cum voluntate influit in vllum. Si verò voluntas liberè, vt etiam potest, omittat actum A, iam tunc illa per prædeterminationem vt coniunctam eum tali omissione necessitata euadet ad actum B: quia iam tunc prædeterminatio à consortio talis omissionis vt à purificatione conditionis connexa erit cum actu B, immediatèque in illum influens simul cum voluntate. Pariterque vice versâ euadet necessitata voluntas ad actum A, si liberè, vt etiam potest, omittat actum B. 564

Ex quibus iam infertur primò, quomodò prædeterminatio, de qua agimus, ad actum B determinatum necessitat, eiusque proinde libertatem tollit ex suppositione, quòd detur omissio actus A: quo pacto benè in tali prædeterminatione cohærent illa duo requisita ad tollendam libertatem, de quibus fit mentio in obiectione propositâ num. 561. nempe & esse illam in tali casu constitutiuum intrinsecum potentiæ proximæ actus B, & esse cum ipso actu B connexam. Similiterque eadem prædeterminatio necessitat, ad libertatem tollit ad actum A ex suppositione, quòd detur omissio actus B. Ex quo ad præfactam obiectionem, ad difficultatemque in eâ contentam patet solutio. 565

Secundò infertur, necessitatem, quam talis prædeterminatio inducit ad actum A determinatè, quando adest omissio actus B, ab arbitrio voluntatis pendere: quia pendet à consortio ipsius omissionis causatæ liberè à voluntate. Idemque est de necessitate, quam talis prædeterminatio inducit ad actum B determinatè, quando adest omissio actus A. Quia tamen talis prædeter- 566

determinatio nequit existere sine A, si desit B; nec sine B, si desit A; & consequenter nequit existere sine A, & B simul: aliam insuper inducit necessitatem ab arbitrio voluntatis non dependentem, vt ab ipsâ non omittantur simul A, & B. Quod est, duas veritates necessarias conditionatas simul inducere de existentiâ A, si desit B, & de existentiâ B, si desit A, vni pariter necessariæ, disiunctiuæque æquiualentes de existentiâ A, vel B sub disiunctione.

567 Tertiò sequitur inferendum, adhuc suppositâ prædeterminatione prædictâ, liberam manere voluntatem tum ad positionem amborum actuum A B simul, tum ad omissionem vnius eorum, vel alterius, tum etiam ad positionem vnius, vel alterius: sed cum hac differentiâ, quòd libertates, quas habet voluntas ad positionem amborum actuum, & ad omissionem vnius, vel alterius immediatæ sunt; libertas verò, quam habet ad positionem vnius, vel alterius mediata tantùm est, oriunda scilicet ab immediatâ, quam habet ad omissionem vnius, vel alterius: si enim per hanc voluntas eligat omissionem actus A, ex illâ, & existentiâ prædeterminationis suppositâ sequetur necessariò actus B: sicut è conuersò, si eligat omissionem actus B, sequetur necessariò actus A. Vnde, suppositâ prædeterminatione, eatenus manet adhuc voluntas libera ad eligendum vnum actum præ altero, quatenus manet libera ad eligendam vnam omissionem præ alterâ, ex qua vnus actus præ altero necessariò sequitur ponendus. Ad omittendum tamen vtrumque actum simul, nulla, vt iam ostensum est, manet in voluntate libertas, suppositâ prædeterminationis existentiâ. Ex quibus sequitur præterea, vt, præscindendo ab eo, quòd prædeterminatio adsit, aut desit, potentiam proximam habeat voluntas ad coniunctum amborum actuum compatibilem cum alterius omissione; in qua consistunt libertates proximæ eius ad eligendum tum inter coniunctum actuum, & vnius omissionem, tum inter duas omissiones ipsorum actuum. Potentia verò proxima ad coniunctum actuum compatibilis cum coniuncto omissionum, quæ ad hoc quoque esset libertas proxima, nequit in voluntate dari, nisi, quando deest prædeterminatio, vtpote cuius carentia vnum ex intrinsecis constitutiuis illius est. Quæ ex dictis in præcedentibus satis sunt nota.

568 Per omnia autem dicta satis probata manet, atque explicata propositio. Cuius doctrina vniuersaliter est vera, siue actus, circa quos versatur prædeterminatio, de qua in illâ est sermo, sint positiui, siue sint negatiui, siue alter positiuus, & alter negatiuus sint; dummodò neque oppositi, neque connexi sint inter se; vt consideranti consentaneè ad dicta innotescet.

Propositio 2.

569 **Prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus vnius voluntatis oppositis inter se contrariè illam necessitat ad amplectendum alterutrum, atque adeò ad non omittendum simul vtrumque. Ipsaque aliunde est necessitata ad non amplectendum simul vtrumque, atque adeò ad omittendum saltem alterutrum. Solaque proinde restat in illâ libertas puræ electionis inter actus, & inter omissiones eorum.**

Prima pars huius propositionis per dicta circa præcedentem manet probata. Nam, posito, quòd actus, de quibus in eâ agitur, sint A, & B, & quòd prædeterminatio disiunctiua cum A, vel B sub disiunctione connexa est, non potest non ea ad amplectendum A, vel B sub disiunctione, atque adeò ad non omittendum simul vtrumque impellere, necessitareque voluntatem iuxta dicta ibi. Secunda autem propositionis pars inde constat. Quia à necessitate, quæ datur, vt A, & B non existant simul propter eorum oppositionem, ad non amplectendum simul vtrumque, atque adeò ad omittendum saltem alterutrum manet voluntas necessitata. Tertia denique pars inde venit probanda. Quia, cùm talis prædeterminatio neque cum A determinatè, neque cum B determinatè connexa per se sit, neque ad A determinatè, neque ad B determinatè necessitat per se voluntatem; indifferentemque proinde relinquit illam ad ponendum A, vel B. Tum, quia propter necessitatem, quæ datur, vt A, & B non existant simul, neque A determinatè, neque B determinatè debet omitti; indifferens similiter manet voluntas ad omittendum A, vel B.

Itaque secundùm doctrinam suppositam, 570
expositamque pro præcedente propositione, circa præsentem est dicendum, prædeterminationem ad actus A, vel B oppositos, de qua in eâ est sermo, voluntatem necessitare ad actum B determinatè ex suppositione, quòd detur omissio actus A: similiterque ad actum A ex suppositione, quòd detur omissio actus B. Quæ tamen necessitates, quando absolutè dantur, ab arbitrio voluntatis dependent quatenus liberè omittentis actum A, aut actum B. Libertas enim, quam habet voluntas ad omissionem vnius, vel alterius actus immediata est; quam verò habet ad positionem vnius, vel alterius actus tantùm mediata, & ab illâ oriunda: quippe, prædeterminatione suppositâ, dum voluntas liberè eligit omissionem actus A, conditionem purificat, à cuius consortio euadit prædeterminatio necessitans ipsam voluntatem ad actum B: viceque versâ euadet prædeterminatio necessitans voluntatem ad actum A, si eligatur à voluntate omissio actus B. Est tamen insuper, prædeterminatione suppositâ, alia duplex in voluntate necessitas ab eius arbitrio independens. Altera ad non omittendum simul vtrumque actum. Altera ad non ponendum vtrumque simul. Quarum prima à prædeterminatione; secunda ab actuum oppositione suam trahunt originem. Primaque aliud non est re ipsâ à necessitate, qua, prædeterminatione suppositâ, necessarium conditionatè est, vt existat actus A, si desit actus B; & vt existat actus B, si desit actus A. Secunda autem aliud non est re ipsâ à necessitate, qua, oppositione actuum suppositâ, similiter est necessarium conditionatè, vt desit actus A, si existat actus B; & vt desit actus B, si existat actus A. Quæ denique necessitates conditionatæ duabus illis disiunctiuis æquiualent, quas censentur secum ferre, prædeterminatio quidem,

vt vous, vel alter actus existat; actuum verò oppositio, vt vnus, vel alter eorum desit. Quemadmodùm autem, suppositâ existentiâ prædeterminationis, & omissionis actus A, datur necessitas ad actum B: ita suppositâ existentiâ actus B, datur necessitas ad omissionem actus A. Sed cum hoc discrimine, quòd prior harum necessitatum antecedens est respectu actus B; eiusque proinde libertatem immediatam tollit, vtpote inducta per prædeterminationem vt coniunctam cum omissione actus A, quo pacto ad actum B prædeterminat, necessitatque voluntatem: quia & cum ipso connexa, & in ipsum immediatè influens simul cum voluntate est. Posterior verò dictarum necessitatum consequens est respectu omissionis actus A; eiusque proinde libertatem immediatam indemnem relinquit: fundatur enim in connexione, quam actus B habet cum omissione actus A propter ipsorum actuum oppositionem: & connexio vnius ex actibus oppositis cum omissione alterius talis omissionis libertatem immediatam non potest tollere iuxta generalem doctrinam stabilitam supra quæst. 6. propos. 2. multòque minùs potest tollere in casu præsenti, vbi potiùs vice versâ omissio actus A iuncta cum prædeterminatione libertatem immediatam tollit ad actum B, vt dictum est. Quod autem diximus de necessitatibus ad actum B, & ad omissionem actus A, è conuersò est dicendum pariter de necessitatibus similibus ad actum A, & ad omissionem actus B, vt constat.

571 Sed obijci contra dicta potest. Vt voluntas sit immediatè libera ad omissionem, ad actum quoque omissum debet esse immediatè libera, vt est certum. Sed in casu nostro ad neutrum ex actibus oppositis est voluntas immediatè libera: quia neutrum elicere potest, nisi omittendo simul alterum; & quando adest omissio alterius, ab eius consortio euadit prædeterminatio necessitans ad eum, qui elicitur. Ergo in casu nostro voluntas ad neutram dictorum actuum omissionem est immediatè libera. Respondeo, in casu nostro voluntatem ad eum actum, quem omittit, immediatam libertatem habere: quo nihil desideratur, vt ad omissionem eius sit immediatè libera. Supponitur enim imprimis, voluntatem præscindendo à prædeterminatione habere cætera cuncta requisita ad potentiam proximam vniuscuiusque ex actibus oppositis, eaque indifferentia, vt coniungantur cum ipsius omissione. Deinde supponitur, prædeterminationem, cùm sit quoad suam efficaciam, seu vim influxiuam conditionata, ad neutrius actus potentiam proximam pertinere, donec, purificatâ conditione, per omissionem vnius in absolutam transit respectu alterius. Vnde, etiam prædeterminatione existente, quæcunque habet in actu primo voluntas ante omne exercitium actus secundi, indifferentia sunt ad vtrumuis actum oppositum, & ad eorum omissiones. Exercendo tamen, iungendoque cum prædeterminatione omissionem vnius nouam voluntas ponit potentiam proximam alterius necessitatam ad ipsum: potentiam verò proximam ad eum, quem omittit, prorsus indifferentem relinquit. Quo fit, vt tam ad actum, quem exercet, proximam, seu immediatam libertatem habeat, dum illam exercet. Ex quo patet, quid sit dicendum ad obiectionem.

Quæcunque autem dicta sunt de prædeterminatione disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus vnius voluntatis contrariè inter se oppositis, æquè sunt vera, siue tales actus sint positiui, siue sint negatiui, siue alter positiuus, & alter negatiuus sint: vt attentè consideranti conspicuum fiet. 572

De actibus verò contradictoriè oppositis, quales sunt quiuis actus positiuus, & omissio, siue carentia eius, alia ad rem philosophia est. Primò; quia cùm oppositio contradictoria non admittat medium, æquè est necessitata voluntas ad vnum, vel alterum ex actibus contradictorijs sine prædeterminatione disiunctiua sibi superadditâ, quàm cum illâ. Secundò; quia, cùm vnusquisque ex actibus contradictorijs sit formalis exclusio alterius, necessitates conditionatæ, quibus æquiualet disiunctiua ad vnum, vel alterum ex actibus contradictorijs iuxta doctrinam suppositam num. 562. eumdem terminum habent ex parte conditionis, ac ex parte conditionati: cùm tamen diuersos habeant illæ, quibus æquiualet disiunctiua ad vnum, vel alterum ex actibus non contradictorijs. Nempe necessitas disiunctiua ad amorem, vel eius carentiam his conditionatis æquiualet; si non fuerit amor, erit carentia eius; si non fuerit carentia amoris, erit amor. Idemque est prorsus, non esse amorem, & esse carentiam amoris; similiterque, non esse carentiam amoris, & esse amorem. Necessitas verò disiunctiua ad amorem, vel odium his conditionatis æquiualet; si non fuerit amor, erit odium; si non fuerit odium, erit amor. Idemque non est, sed diuersum, non esse amorem, ac, esse odium; similiterque, non esse odium, ac, esse amorem. Ex quo discrimine aliud sequitur ad rem valde notandum. Quòd scilicet, positâ cum prædeterminatione necessitate disiunctiua ad amorem, vel odium, per defectum odij necessitatem antecedentem inducit sibi voluntas ad amorem: amorque subinde non immediatè, sed mediatè tantùm euadit liber; eo quòd defectus odij, vtpote ab amore distinctus, benè potest simul cum prædeterminatione amorem causare, atque ita ad ipsum antecedenter necessitare. At verò positâ (seu cum prædeterminatione, seu sine illâ) necessitate disiunctiuâ ad amorem, vel eius carentiam, per defectum carentiæ amoris nequit voluntas inducere sibi necessitatem antecedentem ad amorem: quia per defectum carentiæ amoris nequit causare amorem; cùm amor, & defectus carentiæ amoris prorsus sint idem. Vnde voluntas disiunctiuè necessitata (seu sine prædeterminatione, seu insuper per illam) ad amorem, vel eius carentiam, quando elicit amorem, cum immediatâ libertate elicit illum. Cùm tamen disiunctiuè necessitata per prædeterminationem ad amorem, vel odium, quando elicit amorem, non cum libertate immediatâ eliciat illum, sed tantùm cum mediatâ proueniente ab immediatâ defectus, seu omissionis odij, prout ante dictum est. 573

Propositio 3.

Prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus vnius voluntatis connexis inter se siue mutuò, siue non mutuò impossibilis est.

Quia

Quia talis prædeterminatio connexa esse debet cum existentiâ actus A sub conditione, quòd desit actus B; & cum existentiâ actus B sub conditione, quòd desit actus A, iuxta doctrinam suppositam num. 562. Repugnat autem, quidpiam connecti cum existentiâ actus A sub conditione, quòd desit actus B, si actus A cum actu B est connexus aut mutuò, aut non mutuò: quia repugnat, quidpiam connecti cum existentiâ impossibili: estque impossibile, vt existat actus A sub conditione, quòd desit actus B, si actus A cum actu B est connexus, vt constat.

Propositio 4.

575 Prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus duarum voluntatum A B neque oppositis, neque connexis inter se necessitatem inducit, vt alteruter eorum ponatur, atque adeò, vt non deficiat simul vterque. Relinquit tamen libertatem in causà A ad suum actum pro casu, quòd conditionatè sit verum, causam B posituram suum, si libera ad id relinquatur: similiterque pro simili casu relinquit libertatem in causà B. Secus pro casibus oppositis.

Pro explicatione, & probatione huius propositionis suppono primò; quandoquidem prædeterminari disiunctiuè duas voluntates A B ad actum vnius, vel alterius, aliud non est re ipsâ iuxta doctrinam suppositam num. 562. quàm prædeterminari conditionatè vnamquamque earum ad ponendum suum actum sub conditione, quòd altera non ponat, siue omittat suum; hoc bifariam effici posse. Nempe vel per vnicam prædeterminationem ambabus voluntatibus communem; vt si Deus vnico decreto efficaci, & immediatè exequutiuo decernat, vt existat actus voluntatis A, si desit actus voluntatis B, &, vt existat actus voluntatis B, si desit actus voluntatis A. Vel per duas prædeterminationes proprias singulas singulis; vt si voluntati A imprimatur vna qualitas prædeterminatura illam ad suum actum, si desit actus voluntatis B; & altera voluntati B imprimatur prædeterminatura pariter illam ad suum actum, si desit actus voluntatis A. Vtrouis autem ex his modis res peragatur, nihil ad propositum interest, vt satis ex se apparet.

576 Suppono secundò, de actibus duarum voluntatum diuersam esse in præsenti philosophiam, ac de actibus vnius. Nam, cùm vna voluntas vnum tantùm habeat arbitrium, quoties ea ad ponendum vnum suum actum indiget existentiâ alterius actus etiam sui propter connexionem illius cum hoc, ad vtrumque simul ponendum potest se ipsam determinare immediatè, quando ad vtrumque immediatè libera est; quin opus sit, vt determinatio vnius expectet determinationem alterius. At verò, cùm duæ voluntates A B distincta arbitria habeant, quoties voluntas A ad ponendum aliquem actum suum indiget existentiâ alicuius actus liberè à voluntate B ponendi propter connexionem illius cum hoc, determinationem voluntatis B ad talem actum debet voluntas A expectare, siue aliqua ratione supponere, vt euadat proximè potens ad se determinandum ad suum iuxta doctrinam generalem staturam supra quæst. 5. propositione 14. Consentaneè ad quam proinde est nobis impræsentiarùm philosophandum circa materiam præsentis propositionis.

Suppono enim tertiò; licèt duo actus siue vnius, siue duarum voluntatum sumpti per se præcisè nec sint connexi, nec oppositi; ex suppositione tamen alicuius prædeterminationis disiunctiuæ, siue à consortio eius semiextrinsecè euadere illos posse aut oppositos, aut connexos. Sic ex suppositione prædeterminationis disiunctiuæ ad alterutrum quorumlibet duorum actuum horum actus contradictorij, quicunque sint, oppositi euadunt inter se; & consequenter vnusquisque eorum cum alterius contradictorio connexus. Ob id, licèt nullus actus negatiuus per se præcisè possit cum positiuo connecti; atque ideò ab illâ propos. 14. citatâ, vbi de actibus per se præcisè sumptis agitur, casus de connexione actus negatiui cum positiuo tanquam impossibiles reiecimus: at ex suppositione prædeterminationis disiunctiuæ benè potest actus negatiuus esse connexus cum positiuo; & ideo casus ibi reiecti vt impossibiles, hìc vt possibiles necessariò admittendi sunt. Quandoquidem ex suppositione prædeterminationis disiunctiuæ ad alterutrum ex duobus actibus positiuis non potest non omissio vniuscuiusque eorum cum altero connexa esse. 577

Vnde suppono quartò, in casu præsentis propositionis perinde philosophandum esse, ac dictâ propos. 14. philosophati sumus in quarto, & vltimo casu eius à num. 210. quando scilicet actus duarum causarum liberarum inter se sunt oppositi, atque adeò vnusquisque eorum connexus cum defectu alterius. In casu quippe præsentis propositionis ex suppositione prædeterminationis disiunctiuæ duo aliqui actus ita se habent: nimirum illi duo, qui contradictoriè opponuntur alijs duobus, circa quos prædeterminatio versatur. Sunt siquidem illi, suppositâ prædeterminatione, oppositi inter se; & consequenter vnusquisque eorum connexus cum alterius contradictorio. Quare, sicuti circa dictum casum illius propos. 14. statuimus, libertatem proximam causæ A ad suum actum compleri per veritatem conditionatam de defectu actus causæ B sub conditione, quòd detur defectus actus causæ A, seu (quod in idem recidit) sub conditione, quòd causa B relinquatur libera: (supponit enim ille casus, libertatem causæ B non aliter auferendam esse, quàm per actum causæ A). Ita dicimus impræsentiarùm, libertatem proximam voluntatis A ad suum actum compleri per veritatem conditionatam de positione actus voluntatis B sub conditione, quòd ipsa ad illum libera relinquatur, seu (quòd in idem recidit) sub conditione, quòd desit coniunctum ex prædeterminatione, & ex defectu actus voluntatis A, per quod coniunctum dumtaxat venit hìc auferenda libertas à voluntate B. Deesse autem tale coniunctum potest per defectum vel ambarum suarum partium, vel alterutrius. 578

Ex his iam clarè se dat probatio nostræ propositionis. Et primùm quoad primam eius partem. Quoniam, suppositâ prædeterminatione, de qua in illâ est sermo, duo sunt conditionatè necessaria; nempe, extiturum actum voluntatis 579

tis A, si desit actus voluntatis B; & extiturum actum voluntatis B, si desit actus voluntatis A. Istæ autem duæ veritates conditionatæ componi non possunt cum eo, quòd desint absolutè ambo actus; vt est manifestum. Si enim, tali prædeterminatione suppositâ, ambo actus deessent, simul deessent & existerent: quod est chymæricum: deessent; quia id supponitur: & existerent; quia defectus vniuscuiusque secum necessariò fert existentiam alterius. Tali igitur prædeterminatione suppositâ, necessarium est, vt alteruter dictorum actuum existat; atque adeò, vt non deficiat simul vterque.

580 Deinde quoad secundam eius partem probatur propositio consentaneè ad dicta in simili loco sæpe citato. Quia, dictâ prædeterminatione suppositâ, per defectum actus voluntatis A necessitatur voluntas B ad suum actum: similiterque per defectum actus voluntatis B necessitatur ad suum voluntas A: quàm potensque proinde est voluntas A ad omittendum suum actum, tam potens est voluntas B ad illius omissionem impediendam per omissionem sui: & vice versâ. Ergo neutra est absolutè potens omittere, nisi, quando altera veluti cedit iuri potestatis omittendi, quod habet. Tunc autem cedere censetur, quando liberè non est omissura, sed positura suum actum, si cum libertate ad id relinquatur. Per veritatem ergo conditionatam de positione actus voluntatis B sub conditione, quòd ipsa ad illum libera relinquatur, seu (quod ad rem est idem) sub conditione, quòd voluntas A ponat suum, completur potentia proxima ipsius voluntatis A ad omissionem sui actus, & consequenter libertas proxima ad vtrumuis; cùm supponatur alias esse etiam proximè potens ad ipsius positionem. Tantumdemque venit dicendum vice versâ de complemento libertatis proximæ ad vtrumuis voluntatis B. Supponitur autem hic iuxta notata similiter loco citato, vires naturales voluntatum A, & B ad suos actus ponendos, vel omittendos aliàs æquales esse.

581 Hinc clarè sequitur probatio propositionis quoad tertiam eius partem. Nam, si ad constituendam libertatem proximam ad vtrumuis voluntatis A est requisita veritas conditionata prædicta de positione liberâ actus voluntatis B, compertum est, si talis veritas deficiat, vt pro arbitrio ipsius voluntatis B deficere potest, non posse non quoque deficere libertatem proximam ad vtrumuis in voluntate A. Tantumdemque vice versâ est de defectu libertatis proximæ ad vtrumuis in voluntate B.

582 Ex dictis inferendum est perinde; atque inferebamus in simili loco citato, in casu præsentis propositionis necessarium esse vel, quòd ambæ voluntates A B simul ponant de facto suos actus; vel, quòd altera ponat suum, & altera suum omittat: ambas enim simul eos omittere, impossibile est, vt ostendimus. Et si ambæ quidem ponant, non possunt non amborum positiones liberæ esse. Quia ex vnâ parte prædeterminatio ex defectu purificationis suarum conditionum nihil præstat in tales actuum positiones; ex aliâ verò parte vnaquæque talium voluntatum pro se habet veritatem conditionatam completiuam suæ proximæ libertatis ad suum actum vel ponendum, vel omittendum: quia verum conditionatè est, voluntatem A suum actum posituram, si ponat suum voluntas B; atque etiam vice versâ. Si tamen vna talium voluntatum ponat suum actum, & altera omittat suum, non potest non hæc omissio libera esse, & illa positio necessaria. Ponat enim suum actum voluntas A, & omittat suum voluntas B: hoc posito casu, non potuit non fuisse conditionatè verum, voluntatem A posituram suum actum, si poneret suum voluntas B: nam, si hæc veritas conditionata deesset, deesset in voluntate B potestas proxima ad omittendum suum actum, ipsumque proinde non omitteret: stante autem tali veritate, iam non potest non esse voluntas B proximè libera; atque adeò nec potest non euadere libera omissio eius. Et quoniam in casu isto similis veritas non adest pro voluntate A; (quia non fuit verum, si voluntas A poneret suum actum, & voluntatem B posituram suum): tum quia purificatâ conditione per omissionem voluntatis B, non potest non prædeterminatio necessitare voluntatem A ad ponendum suum actum; idcircò in casu isto voluntas A non est proximè libera; atque ita nec libera, nec imputabilis est ipsi sui actus positio. Statque subinde, quando voluntas A ponit suum actum, & suum omittit voluntas B, non posse non hanc omissionem esse liberam, & illam positionem necessariam. Tantumdemque vice versâ est dicendum in casu, quo ponat suum actum voluntas B, & suum omittat voluntas A. Ex quibus omnibus satis iam liquet doctrina propositionis nostræ. Quæ vniuersaliter est vera, (vt consideranti innotescet), siue ambo actus duarum voluntatum, circa quos prædeterminatio versatur, sint positiui, siue sint negatiui, siue alter positiuus, & alter negatiuus sit; dummodò nec inter se oppositi, nec inter se connexi sint.

Propositio 5.

Per prædeterminationem disiunctiuam ad vnum, vel alterum ex duobus actibus duarum voluntatum A B oppositis inter se contrariè non solùm inducitur necessitas, vt alteruter eorum ponatur, atque adeò, vt non deficiat simul vterque. Sed, cùm sit aliunde etiam necessitas, vt alteruter saltem deficiat, atque adeò, vt non ponatur simul vterque. In neutrâ talium voluntatum relinquitur vlla libertas ad suum actum ponendum, vel omittendum.

In quo sanè casus huius propositionis valde à casu præcedentis diuersus est. Prima autem pars eius eamdem vendicat sibi demonstrationem, quam pro primâ parte propositionis præcedentis exhibuimus num. 579. vt clarè perspiciet quisque recolens, & huc applicans illam; quin nos iterum reperamus. Secunda item propositionis pars ex dictis num. 569. atque etiam ex se est satis nota. Cùm constet, duos actus inter se oppositos contrariè simul existere non posse: ipsamque proinde eorum oppositionem necessitatem secum ferre, vt alterutrum saltem deficiat.

Tertia verò propositionis pars inde probanda venit. Quia, cùm in casu eius non solùm omni-

omissiones actuum voluntatis A, & voluntatis B sint inter se oppositæ, vti erant in casu præcedentis propositionis; sed etiam actus ipsi oppositi sint inter se, vti erant in illo quarto casu propos. 14. sæpe citato ex quæst. 5. à num. 210. necessarium omnino est, vt quando altera dictarum voluntatum ponit suum actum, altera omittat suum; & vice versâ. Hinc autem rursus sequitur necessariò, vt neutra possit libera esse ad suum actum ponendum, vel omittendum. Nam, quando voluntas A ponit suum actum, nequit non esse necessaria omissio actus voluntatis B: quia hæc nequit tunc libera esse ad talem omissionem, vt ostendimus circa illum casum sæpe citatum ex propos. 14. quæst. 5. Quando autem voluntas A omittit suum actum, nequit non esse necessaria positio actus voluntatis B: quia hæc nequit tunc non necessitari ad talem positionem per prædeterminationem, purificatâ conditione eius per omissionem illam; prout ex sæpe dictis in præcedentibus notum est. Siue ergo voluntas B omittat, siue ponat suum actum, non potest non id necessitata præstare: tantumdemque venit dicendum de voluntate A. Neutra igitur ad suum actum ponendum, vel omittendum potest in casu præsentis propositionis vllam libertatem habere. Quod erat probandum.

585 Sed objici tamen potest contra tertiam istam propositionis partem primò. Prædeterminatio, de qua agitur, indifferentiam relinquit, vt actus vi eius ponendus vel sit actus voluntatis A, vel sit actus voluntatis B. Ergo relinquit in talibus voluntatibus libertatem ad talem determinandam indifferentiam, vtpote quæ aliter, quàm per libertatem aliquam determinari non potest, vt ex se patet: aliundeque necessariò determinari debet; eo quòd prædeterminatio necessitatem inducit, vt vel vnius, vel alterius voluntatis actus ponatur. Respondeo; cùm sit probatum efficaciter, nullam in casu isto libertatem habere dictas voluntates pro prædictâ indifferentia determinandâ; ad libertatem Dei recurrendum esse, vti in alijs casibus sæpe recurritur; vt pro determinando indiuiduo à causâ secundâ producendo ex multis, quæ ab illâ possunt produci; pro determinando gradu caloris per frigus oppositum expellendo ex multis, qui possunt expelli, &c. Itaque in casu nostro, quænam duarum voluntatum sit suum actum omissura, & quænam consequenter sit suum positura per prædeterminationem necessitata, Deus determinabit suo decreto libero cum vnâ potiùs, quàm cum alterâ, concurrendi; vti de determinatione causæ ad vnum potiùs, quàm ad alterum indiuiduum dicemus suo loco.

586 Secundò objici potest. Prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus contrariè oppositis vnius voluntatis relinquit in eâ libertatem ad vnum, vel alterum eligendum, prout propos. 2. statutum, atque probatum est. Ergo etiam prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus contrariè oppositis duarum voluntatum relinquet in eis libertatem ad vnum, vel alterum eligendum. Nego consequentiam propter discrimen supra suppositum, & expositum num. 576. quod inter actus oppositos vnius voluntatis, & inter actus oppositos duarum reperitur ad rem. Ex illo enim nascitur, vt quemadmodùm, omni prædeterminatione seclusâ, vna voluntas ponens liberè vnum ex suis actibus oppositis potest, imo & debet liberè etiam immediatâ libertate omittere alterum, vt supra quæst. 6. propos. 2. ostendimus; ex duabus verò voluntatibus, ponente altera suum actum liberè, nequit non altera necessitata manere ad suum illi oppositum omittendum necessariâ omissione, prout quæst. 5. propos. 14. à num. 210. comprobatum relinquimus. Ita, positâ prædeterminatione disiunctiuâ, licèt in vnâ voluntate relinquatur libertas ad eligendum inter actus oppositos; in duabus verò voluntatibus nullatenus ea relinqui possit; vt consideranti dictum discrimen, ad remque applicanti non obscurè innotescet.

Porro doctrina propositionis vniuersaliter est 587
vera, siue duo actus, de quibus in eâ sermo est, sint positiui, siue sint negatiui, siue alter sit positiuus, & alter negatiuus: dummodò oppositi inter se sint contrariè. Contradictoriè quippe oppositi esse non possunt: quia oppositio contradictoria in actus distinctarum voluntatum cadere nequit, vt est notum.

Propositio 6.

Prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex duobus actibus duarum 588
voluntatum connexis inter se siue mutuò, siue non mutuò impossibilis est.

Hæc propositio ex dictis circa tertiam constat. Applicetur ei illius demonstratio.

Propositio 7.

De prædeterminatione disiunctiuâ ad 589
existentiam in vno, vel in altero instanti temporis tum vnius actus vnius voluntatis, tum duorum actuum siue vnius, siue duarum voluntatum eodem modo philosophandum est, ac in præcedentibus propositionibus philosophati sumus de prædeterminatione disiunctiuâ ad vnum, vel alterum ex duobus actibus duarum voluntatum; si tamen talis prædeterminatio existat in ambobus instantibus. Si verò in altero eorum tantùm existat, de illâ philosophandum est paulò aliter.

Materiam huius propositionis ex parte tractat in simili Arriaga, & satis diffusè 1. 2. disp. 4. sect. 2. per quatuor subsectiones; agens scilicet de imperio disiunctiuo, quo voluntas efficaciter velit, vt aliquis suus actus existat vel in instanti præsenti, vel in futuro sub disiunctione. Circa quod multa dicit, quæ operosum esset referre. Sat sit scire, supponi ab ipso primò, tale imperium vel in ambobus instantibus, vel in priore tantùm durare posse. Secundò, si duret in ambobus, voluntatem necessitare ad ponendum actum imperatum in vno, vel altero eorum sub disiunctione. Si verò in priore tantùm duret, relatâ sententiâ talem necessitatem in tali casu à tali imperio oriundam negantium, ipse eam affirmat, & latè probare contendit. Et quod de

huius-

huiusmodi imperio censet, quod quædam prædeterminatio disiunctiua est, similiter de prædeterminatione ipsâ censeret, si de eâ in genere ageret. Quid tamen habeat, aut non habeat veri doctrina eius, ex ijs, quæ nos subijciemus colligere facilè quisque poterit.

590 Et quidem prima nostræ propositionis pars manifesta est, quando prædeterminatio disiunctiua sit de existentiâ in vno, vel in altero instanti temporis duorum actuum duarum voluntatum. Quia manifestum est, doctrinam in præcedentibus propositionibus traditam de prædeterminatione disiunctiuâ ad vnum, vel alterum ex duobus actibus duarum voluntatum æquè esse veram, siue tales voluntates existant in eodem instanti temporis, siue in duobus; dummodò in eisdem duobus existat quoque simul cum illis ipsarum prædeterminatio seu vna, seu duplex.

581 Quòd autem æquè itidem sit vera doctrina eadem ijs in casibus, vbi prædeterminatio disiunctiua est de existentiâ in vno, vel in altero instanti temporis siue vnius, siue duorum actuum eiusdem voluntatis, inde probatur. Quia in ordine ad sua exercitia libera vna voluntas prout existens in duobus instantibus temporis perinde se habet, ac si esset duplex: nam habet in illis diuersas libertates proximas in actu primo; nec potest non habere propterea diuersos nutus, siue diuersas determinationes in actu secundo. Cùm enim voluntas, sicut & quælibet alia causa effectiua, dumtaxat possit operari in eodem instanti temporis, in quo est existens, vt est certissimum; & consequenter duratio eius in tali instanti ad eius potentiam proximam operandi in ipso sit intrinsecè requisita; durationque item operationis eidem instanti correspondens ad actum secundum operandi in ipso pertineat, siue illud sit instans, in quo primò operatio existit, siue sit instans, in quo existentia operationis, præhabita per nouam durationem continuatur. Conficitur, eamdem voluntatem prout existentem in diuersis instantibus ratione diuersarum durationum tum sui, tum suæ operationis talibus instantibus correspondentium non posse non & diuersas libertates proximas in actu primo, & diuersa exercitia libera in actu secundo in talibus instantibus subire; adeòque perinde se habere in ordine ad sua exercitia libera, ac si duplex voluntas esset. Quod erat probandum.

592 Vnde sequitur supponendum primò pro secundæ partis propositionis probatione, in casu eius non posse non eamdem philosophiam esse, siue prædeterminatio disiunctiua sit de existentiâ in vno, vel in altero duorum instantium temporis vnius actus vnius voluntatis, siue sit de existentiâ duorum actuum aut vnius voluntatis, aut duarum. Secundò sequitur etiam supponendum, prædeterminationem disiunctiuam de existentiâ in vno, vel in altero duorum instantium temporis aut vnius, aut duorum actuum eo ipso, quòd existat illa in altero tantum eorum, licèt quoad connexionem sit disiunctiua respectu talium existentiarum; quatenus cum vnâ, vel alterâ earum sub disiunctione connexa est: quoad efficaciam verò, siue quoad vim influxiuam talem esse non posse; quatenus nullatenus potest influere in eam actus existentiam, quæ correspondet instanti, in quo ipsa existens non est: supponimus enim illam per physicam suam entitatem, ac existentiam esse influxiuam, & non aliter: per quam influere non potest, quando existens non est.

His suppositis, assero primò; si sermo sit de 593
duabus existentijs actus siue vnius, siue duplicis correspondentibus duobus instantibus A B, quæ nec oppositæ, nec connexæ sint inter se; existatque prædeterminatio disiunctiua, de qua agitur, in solo instanti A; voluntatem existentem in ipso A per arbitrium voluntatis existentis in B (siue sit eadem, siue distincta) necessitari posse ad suum actum determinatè ponendum in ipso A: sed non vice versâ voluntatem existentem in B per arbitrium existentis in A. Datur tamen alia necessitas à neutrius voluntatis libertate dependens, tali prædeterminatione suppositâ, vt vel existat actus in A, vel existat in B. Hæc tertia pars assertionis ex sæpe dictis satis est nota, maximè ex demonstratione factâ num. 579. Duæ autem priores facilè etiam ostenduntur. Quia prædeterminatio existens tantùm in A necessitare nequit voluntatem existentem in B ad ponendum ibi suum actum, vtpote impotens ad influendum in talem positionem iuxta suppositionem secundam. Potest tamen necessitare voluntatem existentem in A ad ponendum suum ibi: quia voluntas existens in B potest pro suâ libertate (quam alias habere supponitur) omittere suum actum in B, à cuius omissione tanquam à purificatione conditionis prædeterminatio absolutè euadet prædeterminans, atque necessitans voluntatem existentem in A ad ibi suum actum ponendum, vt ex sæpe etiam in præcedentibus dictis compertum est.

Secundò assero; si sermo sit de duabus exi- 594
stentijs actus siue vnius, siue duplicis correspondentibus duobus instantibus A B, quæ oppositæ sint inter se contrariè; existatque prædeterminatio disiunctiua, de qua agitur, in solo A; neque voluntatem existentem in A, neque voluntatem existentem in B habere libertatem vllam ad suum actum ibi ponendum, vel omittendum. Vti neque vllam habere diximus in casu propos. 5. Tametsi in præsenti ex alijs paulò diuersis titulis illâ careant. Etenim; cùm voluntas existens in A nequeat ponere suum actum, nisi, omittente simul suum voluntate existente in B; aliter, quàm necessariò, nequit ponere illum; quia nequit non necessitari ad illum ponendum per prædeterminationem, purificatâ conditione omissionis actus voluntatis existentis in B. Et; cùm voluntas existens in A nequeat omittere suum actum, nisi, ponente simul suum voluntate existente in B; aliter, quàm necessariò nequiret omittere illum, etiamsi suum ponere posset voluntas existens in B: quia voluntas existens in B ponens actum suum eo ipso necessitaret ad omittendum suum voluntatem existentem in A iuxta doctrinam statutam circa casum illum propos. 14. quæst. 5. sæpe commemoratum. Attamen voluntas existens in B aliunde nequit suum actum ponere: quo firmiùs necessitata manet ad suum ponendum voluntas existens in A. Voluntati nempe existenti in B nequit non deesse illa conditionata veritas, qua potentia proxima ad ponendum suum actum complenda erat, iuxta doctrinam etiam statutam ibidem: quia nequit esse conditionatè verum, voluntatem existentem in A suum actum omissuram ex hypothesi, quòd suum omittat voluntas existens in B: quandoquidem ex tali hypothesi potiùs euadit necessitata ad suum actum ponendum voluntas

tas existens in A, vt monstratum est. Ex quibus patet, in casu præsenti voluntatem existentem in B non posse non esse necessitatam ad suum actum omittendum ex defectu potentiæ proximæ ad ponendum illum: & consequenter voluntatem existentem in A non posse non ad suum ponendum esse necessitatam. Atque ita neutram habere libertatem vllam ad suum actum ponendum, vel omittendum, prout fert nostra assertio.

595 Vnde rursus apparet, in casu præsenti nullam supereſſe indifferentiam per libertatem diuinam determinandam; vti in casu proposit. 5. Quia in casu præsenti ex suppositione prædeterminationis, præter necessitatem disiunctiuam ad existentiam actus in A, vel in B, insuper est necessitas determinata ad omissionem actus in B, & ad existentiam actus in A. Cùm tamen in casu proposit. 5. ex suppositione prædeterminationis solùm sit necessitas disiunctiua ad hoc, vt vel existat actus voluntatis A, vel existat actus voluntatis B: restatque proinde determinandum, quinam eorum ponendus, & quinam omittendus est: quæ determinatio aliunde, quàm à libertate diuinâ prouenire non potest, vt ibi monstrauimus. Et quod de vniuersalitate doctrinæ pro actibus seu positiuis, seu mixtis circa præcedentes propositiones notatum est, circa præsentem pariter notatum esto.

596 Egimus autem hucusque in totâ hac quæstione de prædeterminatione disiunctiuâ non requisitâ ad eos actus, ad quos prædeterminat; eo quòd ijdem actus ab eisdem voluntatibus sine tali prædeterminatione possunt procedere, vtpote nullo modo connexi cum illâ. Iamque sequi videbatur, vt tractaremus de prædeterminatione disiunctiuâ requisitâ ad actus, ad quos prædeterminat. Censuimus tamen ab istâ tractatione abstinere. Quia huiusce generis prædeterminationis vix potest in Theologiâ vsus occurrere; vti sæpe occurrit prioris. Omnesque proinde casus circa eam excogitabiles enumerare, & sigillatim examinare, ac resoluere, magis haud dubie prolixum foret, quàm vtile. Præstare id poterit non difficile, quicunque voluerit, inhærens fundamentis à nobis traditis tum in totâ hac disputatione, tum maximè in præsenti quæstione.

597 Ad cuius extremum ex doctrinâ in ipsâ traditâ facilè venit inferendum, qualiter de prædeterminatione conditionatâ ad aliquem actum voluntatis, ad ipsumque non requisitâ philosophandum sit. Si enim talis prædeterminatio sit ad actum vnius voluntatis sub conditione ab eâdem voluntate ponendâ; penes huius arbitrium erit necessitare se ipsam ad actum prædeterminatum mediâ purificatione conditionis cum prædeterminatione coniunctâ. Idque, siue actus prædeterminatus, & conditio aliquam inter se connexionem habeant aut mutuam, aut non mutuam; siue nullam habeant. Oppositionem enim habere non possunt: quia esset prædeterminatio ad aliquid impossibile: quod prorsus repugnat. Si verò talis prædeterminatio sit ad actum voluntatis A sub conditione ponendâ ab alterâ voluntate B, penes arbitrium voluntatis B erit per purificationem conditionis cum prædeterminatione coniunctam necessitare voluntatem A ad actum prædeterminatum. Idque pariter siue actus prædeterminatus, & conditio aliquam inter se connexionem habeant aut mutuam, aut non mutuam, siue nullam habeant. Oppositionem enim habere possunt: quia esset prædeterminatio ad aliquid impossibile: quod prorsus repugnat. Dummodò autem talis sit prædeterminatio, quæ possit mouere voluntatem ad actum ex hypothesi, quòd purificetur conditio; quòd huiusmodi purificatio sit intrinseca, vel extrinseca voluntati, nihil interest ad rem. Vbicunque enim illa sit, inde complere poterit potentiam voluntatis proximam ad actum per modum conditionis causatiuæ ipsius actus iuxta sæpe dicta in simili supra quæst. 5. de huiusmodi conditionibus causatiuis actuum, eorumque potentiæ proximæ completiuis. Et quod de prædeterminatione conditionatâ ad aliquem actum voluntatis dictum est, perinde est verum, siue talis actus sit positiuus, siue sit negatiuus.

QVAESTIO XII.

Vtrùm imperium efficax voluntatis libertatem ipsius immediatam ad actum imperatum tollat.

598 DE imperio pertinente ad intellectum nihil dicimus in præsenti. Dicemus nonnulla in Tract. de Prouiden. disput. 37. quæst. 6. In voluntate autem duplex imprimis actus est, qui imperium venit appellandus. Alius, quo voluntas alicui potentiæ à se diuersæ, sibique subditæ imperare dicitur, dum eius vult, siue intendit operationem, vt, cùm quis vult, quòd aliquod ex membris suis moueatur localiter, vel quòd aliquem eliciat actum suus intellectus, &c. Alius, quo voluntas sibimet dicitur imperare, dum aliquem suum actum vult reflexâ volitione, vt cùm quis vult actum contritionis, siue actum amoris Dei elicere. Impræsentiarùm verò non agimus de priore genere imperij: quia certum est, actum imperatum per illud, vtpote potentiæ non liberæ, libertatem immediatam habere non posse, sed tantùm mediatam, quam ab imperio ipso participat. Quæstio ergo præsens dumtaxat est de posteriore genere imperij.

599 Pro cuius resolutione suppono primò, voluntatem per actum volitionis reflexum immediatè posse se ipsam mouere, siue determinare ad actum volitum directum; sicque hunc sibi ipsi per illum immediatè imperare: atque hunc subinde per illum immediatè causare. Ita tenent Azor. Valent. Soar. Salas, Ægid. Tann. & alij plures, quos referunt, & sequuntur Ripal. disput. 65. de Ente supernat. & Ouiedo controuer. 9. de Animâ punct. 1. (videturque esse sententia expressa August. lib. 8. confess. cap. 9.) Tenent etiam Arriaga 1. 2. disput. 3. sect. 2. & alij communiter contra Vazq. 1. 2. disput. 51. cap. 5. asserentem, voluntatem per actum reflexum non posse causare directum, se ipsam immediatè mouendo, siue determinando ad eum; eo quòd sibimet non est subdita; cùm sit potentia libera: sed tantùm posse mouere intellectum tanquam potentiam sibi subditam, vt consideret, sibique proponat motiua, quibus ad dictum directum actum eliciendum ipsa possit induci.

600 Nostra tamen, & communis suppositio probatur primò; nam actus reflexus voluntatis causatiuus de suo est directi, quem habet pro obiecto. Sed non medio actu intellectus prius à se causato. Ergo per se ipsum immediatè mouendo voluntatem. Maior apud omnes est certa. Et consequentia bona. Minor autem ostenditur. Tum quia voluntas sæpe per actum reflexum mouetur ad causandum directum, nullo per illum actu intellectus denuo causato, vt experientia constat, Tum quia actus intellectus solum potest à voluntate causari per actum habentem se pro obiecto. Actus autem reflexus voluntatis, de quo tractamus, nullum actum intellectus habet pro obiecto, sed tantùm actum directum ipsius voluntatis, cuius reflexus actus est. Voluntas quippe dumtaxat valet causare actum potentiæ sibi subditæ volendo illum, atque adeò per actum habentem illum pro obiecto, vt apud omnes videtur certum. Ob id enim supponunt omnes, pium affectum voluntatis requisitum ad fidem aliud non esse à volitione credendi.

601 Secundò probatur suppositio; quia satis ex se videtur notum, volitionem reflexam suapte naturâ, atque adeò per se immediatè esse inclinatiuam, impulsiuam, siue motiuam voluntatis ad actum volitum directum. Si enim cognitio repræsentans voluntati bonitatem obiecti suapte naturâ, atque adeò per se immediatè motiua voluntatis est ad obiectum amandum secundum omnes: eo quòd inuitatio quædam est ex conceptu suo, qua voluntas inuitatur ad talem amorem: potiore iure volitio reflexa naturâ suâ, atque adeò per se immediatè motiua voluntatis erit ad actum volitum directum: quandoquidem ex conceptu suo iussio quædam est, siue imperium, quo voluntati talis actus imperatur, siue iubetur: vrgentiùs siquidem per se mouet imperium, seu jussio, quàm inuitatio.

602 Tertiò probatur; quia negari non potest, volitionem, qua vult voluntas non elicere aliquem actum, vt non delectari in obiecto turpi, per se immediatè retrahere eam à talis actus elicientiâ. Ergo neque potest negari, volitionem, qua vult voluntas elicere aliquem actum, vt amare Deum, per se immediatè inducere eam ad elicientiam talis actus.

603 Quartò probatur; quia certum est, vnum actum intellectus per se immediatè mouere intellectum ad alterum, vti mouet iudicium de antecedente ad iudicium de consequente: & vnum actum voluntatis per se immediatè mouere voluntatem ad alterum, vti mouet intentio finis ad electionem medij. Sed nullus eorum actuum, qui mouent, maiorem proportionem, aut connexionem habet cum eo, ad quem mouet, quàm habet volitio reflexa voluntatis cum actu eiusdem voluntatis per illam volito, vt ipsorum actuum naturas consideranti clarè innotescet. Ergo certum quoque esse debet, eiusmodi volitionem ad talem actum voluntatem mouere posse, sæpeque de facto mouere.

604 Ex quibus patet, voluntatem per actum volitionis reflexum immediatè posse se ipsam mouere, siue determinare ad actum volitum directum; sicque hunc sibi ipsi per illum immediatè imperare, vt suppositio nostra fert. Nec refert, voluntatem esse potentiam liberam, quominùs possit per vnum actum immediatè sibi ipsi imperare alterum, eoque pacto ipsa sibi subdita esse, vti putauit Vazq. Nam, sicut in eius, & omnium sententiâ per intentionem finis immediatè se ipsam mouet, aut etiam determinat voluntas ad electionem medij; quoad hancque proinde sibi ipsi prout illam habenti subiecta est; quin obstet ad hoc, quòd ea sit potentia libera: ita per imperium reflexum poterit immediatè se ipsam mouere, aut etiam determinare ad actum imperatum, & quoad hunc sibi ipsi prout illum habenti esse subdita, nihil obstante, quòd ea potentia libera sit.

Caterùm, quia voluntas tripliciter versari 605
potest circa bonum sibi propositum, vel amando illum secundùm se, vel desiderando, vt illud existat, vel gaudendo de existentiâ eius, iuxta dicenda fusius infra disput. 34. quæst. 2. tresque istiactus specie diuersi sub nomen volitionis latè vsurpatum cadere possunt: scire opus est, eam dumtaxat volitionem imperium voluntatis esse, qua voluntas reflexe tendit in aliquem suum actum volendo, siue desiderando, vt ille existat.

Et quoniam, vt ibidem etiam dicetur, de- 606
siderium voluntatis in vniuersùm aut efficax, aut simplex esse potest: secundò venit supponendum, imperium voluntatis, quod statuimus, aliud esse efficax; aliud simplex, vt tenent Doctores communiter, licèt dissentiat vnus, aut alter; absiure tamen, prout videre est apud Quiedo controuer. 9. de Animâ punct. 1. §. 3. & 4. Est autem imperium efficax, quod secum necessariò fert actum imperatum, cum illoque proinde est connexum quoad existentiam: imperium verò simplex, quod non est connexum quoad existentiam cum actu imperato, atque ita siue illo existere potest. Fò videlicet, quòd voluntas per imperium efficax ita vehementer afficitur ad actum imperatum, in eiusque existentiam conatur, vt ad illum eliciendum impellatur, siue adigatur, siue determinetur: per imperium verò simplex, vtpote mitius, leniusque desiderium de existentiâ actus imperati, inclinatur quidem voluntas, non tamen adigitur, neque determinatur ad eliciendum illum.

Tertiò suppono, non omne desiderium re- 607
flexum voluntatis de aliquo eiusdem actu directo imperium dici de tali actu; sed id dumtaxat, quo vult voluntas, vt actus desideratus existat pro eâdem præsente mensurâ temporis, pro qua existit desiderium de illo. Quando enim voluntas desiderat aliquem suum actum pro tempore futuro eliciendum, tale desiderium non imperium, sed propositum de tali actu nuncupatur. Est autem discrimen inter imperium de actu eliciendo in tempore præsente, & propositum de actu eliciendo in tempore futuro: quòd imperium, si sit efficax affectiuè, nequit non esse quoque efficax effectiuè; quia nequit non sortiri effectum determinando voluntatem ad actum imperatum: at verò propositum, quantumuis affectiuè sit efficax, effectiuè potest esse non efficax; quia potest deficere ante tempus, in quo erat sortiturum effectum determinando voluntatem ad actum volitum. Tunc autem desiderium quoduis affectiuè efficax esse dicitur, quando voluntas per illud, quantâ potest vehementiâ, & conatu afficitur, tenditque ad existentiam desiderati obiecti. Hæc tamen dicta dumtaxat sunt de desiderio tum imperante, tum proponente voluntatis creatæ, eoque determinato, & absoluto. Nam desiderium quoduis determinatum, & absolutum voluntatis diuinæ, si affectiuè sit efficax,

efficax, non potest non effectiuè quoque esse efficax: quia non potest deficere, nec potest desiderato effectu frustrari. Loquutus sum item de desiderio tum imperante, tum proponente determinato, & absoluto, ideſt, tendente absolutè in tale determinatum obiectum. Quoniam possibile etiam est desiderium tum imperans, tum proponens vagum, seu disiunctiuum, tendens scilicet in obiectum aliquod vagè sumptum, seu (quod in idem recidit) in hoc, vel illud, vel aliud obiectum sub disiunctione: nec non desiderium conditionatum, tendens nimirum in obiectum conditionatum, siue ponendum sub hypothesi, quòd aliqua detur conditio. De quibus quomodò consentaneè ad dicta philosophandum sit, ex dicendis in sequentibus apparebit.

608 Quartò suppono, imperium, siue sit efficax, siue sit simplex, simul cum voluntate concurrere ad actum imperatum causandum, quando hæc per illud seu mota, seu determinata elicit talem actum. In quonam verò eiusmodi concursus consistat, sub controuersia est. Nonnulli apud Ripaldam disput. 66. de Ente supernat. sect. 3. & apud Oniedi controuers. 9. de Anima punct. 5. dixerunt, actum imperantem modum quemdam imperato appingere, ratione cuius hic ab illo causatus, siue dependens constituitur. Alij recurrunt ad diuersitatem actionum dicentes, actum imperatum tunc ab imperante procedere, cùm sit à voluntate per actionem suapte essentiâ ab imperante dependentem; secus, cùm per aliam non sic dependentem ab illo. Ripalda disput. 67. sect. 3. per veritatem conditionatam de non existentiâ actus imperati, si non existeret imperans, complet influxum huius in illum, posito, quòd imperatus cum imperante non sit connexus: si enim sit connexus, imperansque subinde ad existentiam imperati sit requisitus, influxum imperantis in imperatum in solâ coexistentiâ amborum censet consistere. Vnde, hoc casu de connexione excepto, si plura sint imperia simul de eodem actu imperato, illud, vel illa dumtaxat, censet Ripalda, in eum influere, quæ si deessent, ipse quoque deesset. Pariterque philosophatur disput. 70. sect. 8. de influxu in puram omissionem vnius, aut plurium motiuorum propositorum voluntati ad purè omittendum aliquem actum, illis exceptis, circa quæ voluntas habet simplicem displicentiam; nam hæc eo ipso ab influxu in omissionem manent excluſa. Eamdemque doctrinam habet Ripalda tom. de Fide disput. 40. sect. 9. Oniedo verò loco citato, reiectâ illâ veritate conditionatâ Ripaldæ, influxum actus imperantis in imperatum per solam coexistentiam amborum constituit, excepto casu, quòd Deus ex præuisione existentiæ actus imperati influnderet, vel prædefiniret imperantem: tunc enim hunc in illum, censet, non influxurum; quòd ab existentiâ illius dependeret, posteriorque subinde illâ esset quo ad existentiam suam. Vnde consequenter affirmat, eo casu excepto, si per plura imperia siue efficacia, siue simplicia imperetur idem actus, non posse non in hunc illa omnia simul influere. Addit tamen, imperium simplex coniunctum vel cum imperio efficaci, vel cum aliâ prædeterminatione voluntatis ad actum imperatum nihil prorsus in hunc præstare: quia talis actus imperatus in tali casu non liber, sed necessarius est; & simplex imperium ad actum liberum dumtaxat valet mouere voluntatem; in solumque proinde actum liberum, non item in necessarium potest influere. Eodemque pacto philosophatur Quiedo controuer. 10. de Anima punct. 1. §. 4. & 5. de influxu in puram omissionem vnius, aut plurium motiuorum propositorum voluntati ad purè omittendum aliquem actum; nisi, quòd ab eiusmodi influxu etiam excludit, sicut Ripalda, ea motiua, circa quæ voluntas habet simplicem displicentiam. Quid ego in hac controuersia censeam, sequentibus assertionibus, qua possim breuitate, exponam.

Dico primò contra sententiam primam, per nullum modum actui imperato superadditum posse hunc reddi, siue denominari causatum ab imperio. Tum quia (demptâ actione, de qua mox) nullus est excogitabilis modus, qui talem denominationem præbere possit. Tum quia, cùm causatio actus imperati ab imperio aliter sine tali modo peragi possit, vt videbimus, superflue ille intruditur. Tum quia omissio actus sine tali modo, vtpote cuius incapax est, potest ab imperio suo causari. Ergo & actus poterit. Tum denique quia sententia talem modum adstruens tanquam nullo idoneo fundamento subnixa communiter reijcitur. 609

Dico secundò contra sententiam secundam, per actionem essentialiter pendentem ab imperio non reddi causatum ab ipso actum imperatum, de quo tractamus. Nam, quidquid sit de possibilitate talis actionis, atque adeò de possibilitate causationis actus imperati ab imperio constituendæ per illam, certum esse debet, actum voluntatis ab ipsâ posse imperari, atque adeò per imperium causari, etiam prout efficiendum per actionem indifferentem, seu non dependentem essentialiter à tali imperio. Quandoquidem, vt potest voluntas imperare omissionem actus indifferentem, seu non dependentem essentialiter à tali imperio, eamque nihilominus causare per imperium ipsum, vti fatentur omnes: ita citra omne dubium potest voluntas imperare effectionem actus indifferentem, seu non dependentem essentialiter à tali imperio, eamque nihilominus causare per imperium ipsum. De huiusmodi igitur causatione actus imperati ab imperio est tandem controuersia præsens: in qua effectio actus per actionem essentialiter ab imperio pendentem locum non habet, vt est notum. Itaque, suppositis dictis, duo sunt certa. Primum, voluntatem non solum quemuis suum actum, sed etiam quamuis eius actionem oriundam à se posse reflexè velle. Secundum, huiusmodi volitionem reflexam per modum imperij esse obiecti sui causatiuam. Cùm ergo, quando obiectum talis reflexi imperij est actus à voluntate efficiendus per actionem indifferentem, causalitas eius nec in tali actione possit consistere, vt constat; nec in aliâ dependente ab illo essentialiter; quia vnius actionis non datur alia actio, vt est notum: in tali casu est difficultas, per quid eiusmodi causalitas constituatur. 610

Dico tertiò contra sententiam tertiam Ripaldæ, per veritatem conditionatam de non existentiâ actus imperati, si non existeret imperium causalitatem, siue influxum huius in illum compleri non posse. Probo primò; quia, quoties talis veritas deesset, toties imperium non influeret in actum imperatum, vt constat. Hinc autem absurda aliqua sequerentur non leuia. Primum est, quoties cogitatio, qua voluntas inducitur ad aliquem actum eliciendum de facto est futura effectum, siue adsit, siue non adsit imperium 611

de illo, quantumuis efficaciter voluntas imperet sibi talem actum, nihil omnino tale imperium ad eius elicientiam iuuare, ex defectu scilicet veritatis conditionatæ de non existentia actus, si deesset imperium eius. Atque ita in huiusmodi casibus frustra, & inutiliter contra communem praxim, ac existimationem fidelium armarentur illi imperijs reflexis aduersus tentationes graues imperantes actus directos. Secundum absurdum est, quòd in eisdem casibus imperia voluntatis & essent efficacia, vt supponitur, & non essent efficacia. Quia de conceptu imperij efficacis est juxta dicta, ita vehementer afficere voluntatem ad actum imperatum, vt eam ad eliciendum illum determinet. Repugnat autem, eam ad eliciendum actum determinare aliter, quàm concurrendo simul cum illa ad actum ipsum, vt satis ex se apparet. Tertium absurdum est, quòd in eisdem casibus non magis inclinata redderetur voluntas in actu primo ad actum secundum per solam cogitationem, quàm per cogitationem simul, & imperium de illo: cùm tamen imperium solum vehemens inclinatio, imo impulsio sit suapte essentiâ voluntatis in actu primo ad actum secundum. Si enim in dictis casibus iuuaret imperium ad magis inclinandam voluntatem in actu primo, non posset non etiam iuuare illam, cum illâque subinde concurrere ad eliciendum actum secundum. Quia, concurrere causam moralem cum causâ physicâ ad eliciendum actum secundum, aliud non est, quàm, quòd causa physica cum eliciat inclinata in actu primo per causam moralem, motaque subinde per eam ad eliciendum illum, vt ex se satis apparet, & amplius constabit ex dicendis.

612 Iam quartum, quintumque absurdum sequuntur in alijs casibus ex doctrinâ, quam impugnamus, sunt; tum quòd duo imperia siue efficacia; siue simplicia de eodem actu imperato minorem vim haberent ad eum causandum simul posita, quàm quoduis eorum positum sine alio; tum quòd imperia efficacia & essent talia, vt supponitur, & non essent talia; quia contra suam essentiam nec sortirentur suum effectum, nec cum illo connectarentur, quia sine illo existerent. Sint enim imperia A B de actu imperato C, Sitque conditionatè verum, extiturum actum C, si existeret imperium A sine imperio B, pariterque sit conditionatè verum, extiturum actum C, si existeret imperium B sine imperio A. Ponanturque existentia simul A & B. Fietque, vt neque A influat in C ex defectu veritatis conditionatæ de non existentiâ ipsius C, si deesset ipsum A; neque B influat in C ex defectu veritatis conditionatæ de non existentiâ ipsius C, si deesset ipsum B. Atque ita, (supposito item, vti supponitur, à sola cogitatione inclinante voluntatem ad actum C ipsum non extiturum, neutro dictorum imperiorum influente in illum), existentibus ambobus imperijs, non existet actus imperatus; qui tamen existeret, solo existente quouis eorum. Sicque tum minorem vim ad illum causandum habebunt ambo simul posita, quàm alterum solum. Tum, si efficacia sint, talia erunt; quia supponitur; & talia non erunt; quia carent effectu. Quæ erant duo absurda inferenda. Sextum absurdum est, quòd in eodem casu imperia A, & B existentia simul, & non influerent in actum imperatum C, vt est probatum; & simul influerent; quia adesset conditionata veritas de non existentiâ actus C, si ambo illa simul deficerent; & non est, cur hæc veritas non sit constitutiua influxus amborum simul, posito, quòd similes veritates constitutiuæ sint influxuum singulorum seorsim, stando in doctrinâ, quam refellimus.

Secundò probatur assertio: quia, licèt ex eo, quòd sit verum, effectum non extiturum, si causa non existeret, benè inferatur, causam ineffectum influere, quando cum tali causâ talis effectus connexus non est. At, talem causam influere talem effectum non influere, non benè infertur ex eo, quòd sit verum contradictorium, extiturum scilicet nihilominùs talem effectum, etiam si talis causa deficeret: cùm manifestè sit possibile, ita talem effectum ab hac causâ accipere de facto existentiam, vt eam nihilominùs acciperet ab alia causâ, si hæc non existeret. Et quidem, posse id euenire in causis physicis, est certum. Nec est, cur non possit quoque euenire in causis moralibus. Nam sicut benè stat, ignem A de facto cauiari ab igne B, causandum nihilominùs ab igne C, si deficeret ignis A. Ita benè stat, actum voluntatis A de facto causari ab imperio B, causandum nihilominùs, si deficeret imperium B, vel à solâ voluntate, cogitatione neque requisitâ, vel insuper ab imperio C. Veritas ergo conditionata de non existentiâ actus A, si deficeret imperium B, neutiquam est requisita intrinsecè ad influxum imperij B in actum A. 613

Tertiò probatur assertio vel experientiâ ipsâ. Eâ enim constare videtur, causas morales externas, vt exhortationes, consilia, mandata, &c. in eas operationes, ad quas diriguntur, influere, quæ nihilominùs independenter ab illis, siue, illis non existentibus exequendæ erant: quandoquidem homo aliàs operationem aliquam exequuturus, nullâ exhortatione, consilio, aut mandato interueniente, faciliùs, promptiùs, & alacriùs eam exequitur, si alterius hominis exhortatio, consilium, aut mandatum circa illam accedat. Quod signum est, talem exhortationem, consilium, aut mandatum in talem operationem influere; tametsi non sit conditionatè verum, eam non extituram, si talis exhortatio, consilium, aut mandatum deficeret. Tantumdem igitur est dicendum de causis moralibus internis, è quorum numero est imperium voluntatis reflexum. 614

Quartò probatur assertio à priori; quia, cùm imperium suapte essentiâ sit inclinatio, aut impulsio voluntatis in actu primo ad actum secundum imperatum, vt constat ex dictis, non potest non ad hunc illam in actu primo de facto inclinare, aut impellere, quando de facto existit; siue adsit, siue non adsit conditionata veritas de non existentiâ actus imperati, si non existeret imperium; quia non potest non in omni euentu suam essentiam retinere. Igitur, quando, existente imperio, voluntas elicit actum imperatum, non potest non illud ad hunc concurrere, atque adeò in ipsum influere, siue dicta veritas adsit, siue non adsit. Quia, vt iam tetigimus, concurrere, influereque imperium simul cum voluntate ad actum imperatum, aliud non sit, quàm, voluntatem actum imperatum eliciere inclinatam, aut impulsam in actu primo, subindeque motam, aut determinatam per imperium ad eliciendum illum. Quod valdè confirmandum, perspicuèque declarandum venit exemplo imperij, quo voluntas causat actionem alterius 615

rius potentiæ subditæ sibi. Dum enim voluntas vult efficaciter mouere manum, talis volitio influit talem motum iuxta consensum omnium independenter ab omni veritate conditionatâ de existentiâ, aut non existentiâ ipsius motus sub conditione, quòd deficeret ipsa volitio. Et quoniam in tali influxu nulla citra dubium intercedit actio, quæ essentialiter sit dependens à tali volitione; quia eadem actio, per quam fit motus à potentiâ locomotiuâ manus, posset aliàs ab eâdem potentiâ nasci, tali volitione non existente, in quo etiam omnes consentire videntur. Necessariò consequitur, vt influxus talis volitionis in talem motum in solâ vtriusque coexistentiâ consistat realiter. Eò videlicet, quòd propter sympathiam, quam inter se habent voluntas, & potentia locomotiua manus, volitio efficax de motu manus suapte essentiâ est impulsio quædam, determinatioque talis potentiæ in actu primo ad efficiendum talem motum; qua proinde positâ volitione, necessariò potentia ipsa prodit in illum. Vnde, influere talem volitionem in talem motum, aliud non est, quàm, talem potentiam ipsum efficere impulsam per talem volitionem in actu primo, atque adeò determinatam, & motam ad illum efficiendum. Quod ipsum est, eiusmodi influxum in solâ coexistentiâ ipsius volitionis & ipsius motus, seu potiùs actionis, qua fit motus ipse, consistere. Tantumdem igitur dicendum est de influxu, quo imperium reflexum voluntatis influit in actum imperatum, & magis immediatè in actionem, qua ab ipsâ voluntate ille fit.

616 Alio argumento vtitur Ouiedo pro nostrâ assertione contra Ripaldam (cui valde fidit) ad probandum influxum imperij absolutum per veritatem conditionatam compleri non posse; eo quòd veritas conditionata nihil absolutè ponit in esse. Sed mihi argumentum istud momenti non est. Quia, vt multæ denominationes conueniunt subiectis prout in vno statu, quarum aliquod constitutiuum non ad talem statum pertinet, sed ad alium, iuxta generalem doctrinam, quam dedimus in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. propos. 7. Ita denominatio causantis absolutè, siue prout in statu absoluto benè posset imperio conuenire; etiam si aliquod ex eius constitutiuis esset veritas conditionata spectans ad statum conditionatum, si aliunde id non obstaret.

617 Pergo iam, & dico quartò cum quartâ sententiâ relatâ num. 608. influxum imperij voluntatis in actum imperatum in solâ amborum coexistentiâ consistere realiter; aut certè in coexistentiâ imperij, & actionis, qua fit actus imperatus à voluntate. Constat assertio hæc ex hactenus dictis. Tum quia, suppositâ refutatione factâ à nobis aliarum trium sententiarum, non restat aliud, in quo talis influxus dici possit consistere. Tum quia, influere imperium in actum imperatum, aliud non est à parte rei, quàm hunc fieri à voluntate ad ipsum efficiendum impulsâ, vel inclinatâ per illud in actu primo iuxta argumentum factum, & confirmatum nuper num. 615. Dico autem *impulsâ, vel inclinatâ*; quia data assertio communis est imperio efficaci impellenti, adigentique voluntatem ad actum imperatum, & imperio simplici dumtaxat illam inclinanti, siue allicienti.

618 Addo contra Ouiedo dicto num. 608. citatum, & alios eiusdem sententiæ Auctores, etiam si imperium infunderetur, vel prædefiniretur à Deo ex præuisione existentiæ actus imperati, adhuc nihilominùs imperium influxurum in actum imperatum per suam cum illo physicam coexistentiam. Quia dependentia intentionalis, quam haberet in eo casu imperium ab actu imperato, non impediret, quominùs imperium per suam physicam entitatem moueret voluntatem, cum illâque proinde simul concurreret ad dandam existentiam physicam actui imperato iuxta doctrinam statutam in simili supra quæst. 10. num. 524. quæ ad rem recognoscenda.

Ex dictis infero primò; si dentur in voluntate plura imperia simul de eodem actu imperato, non posse non omnia simul in illum influere, siue omnia sint efficacia, siue simplicia. Quia non possunt non suapte essentiâ vel impellere, vel inclinare voluntatem in actu primo ad actum secundum imperatum, nec potest hic subinde, dum fit ab eâ, non nasci ab ipsâ vt impulsâ, vel inclinatâ ipsis imperijs. Quod, & non aliud, est reuerà, talia imperia in talem actum simul cum voluntate influere, vt ex iam dictis notum est. 619

Addo contra Ouiedo, non solùm, quando plura imperia sunt aut omnia efficacia, aut omnia simplicia in eumdem actum imperatum omnia simul influere, vt ipse fatetur, sed etiam, quando eorum pluralitas mixta ex vtrisque est: quo casu putat ipse sola efficacia influere, simplicia verò secus. Influere autem etiam tunc omnia simul, inde probatur primò; quia, vt imperium simplex per consortium cum efficaci suam essentiam non amittit, ita nec suam vim inclinatiuam voluntatis amittit, haud dubie ab essentia suâ in distinctam. Posito autem, quòd imperium simplex simul cum efficaci inclinet voluntatem in actu primo, nequit non etiam simul cum illo influere in actum secundum, vt constat ex iam dictis. Secundò probatur; quia, quòd inclinatio imperij efficacis summa sit, atque adeò quasi infinita ob connexionem metaphysicam, quam illud habet cum actu imperato, non tollit, posse eam crescere per adiectionem imperij simplicis, quantumuis huius inclinatio per se seorsim finita, & parua sit: siquidem, vt demonstraui suo loco, quàm certum est totum esse maius suâ parte, tàm certum est, totum resultans ex vnâ parte infinitâ, & alterâ finitâ maius parte infinitâ esse. Et quidem, si duo imperia æquè efficacia duplo maiorem citra dubium inclinationem, quàm quoduis seorsim constituunt, vt omnes fateri tenentur: quomodo vnum efficax, & vnum simplex non constituent inclinationem tanto maiorem inclinatione vniuscuiusque seorsim, quanta inclinatio alterius est? Posito autem, quòd imperium efficax, & simplex simul inclinent voluntatem in actu primo maiore inclinatione, non possunt non & simul cum illâ concurrere ad actum secundum, vt dictum est. Tertiò probatur; quia falsâ omnino est suppositio, qua ad oppositum asserendum est inductus Ouiedo, nimirum imperium simplex dumtaxat esse inclinatiuum voluntatis ad actum immediatè liberum, qualis non est actus procedens ab imperio efficaci. Etenim, vt negari nequit cogitationem, à qua immediatè dependet actus imperatus, ita esse semper ad eum inclinatiuam, vt semper etiam influat cum voluntate in illum, tam, cùm ab hac fit sine libertate immediatâ propter imperium efficax superueniens, & 620

aufe-

auferens eam, quàm, cùm sit immediatè liber, imperio eius efficaci non existente: ita negandum non est tantumdem de simplici imperio. Nec dici potest, imperium solùm inclinare in actum, quem habet pro obiecto, & eum actum liberum esse. Nam: quidquid sit de imperio simplici habente pro obiecto actum liberum quatenus liberum; at in præsenti tantùm agimus de imperio simplici habente pro obiecto actum quoad suam substantiam præcisè, quæ indifferens est, vt fiat à voluntate liberè, vel non liberè: quia agimus de imperio simplici habente pro obiecto idem ipsum, quod imperium efficax habet; quale esse non potest actus quatenus liber; aliàs cum obiecto suo connectaretur imperium efficax, & simul illud excluderet; quod est chymæricum.

621 Secundò infero ex dictis contra Ripaldam citatum num. 608. influxum, quo in puram omissionem influit motiuum, per quod voluntas mouetur ad purè omittendum, per veritatem conditionatam de defectu puræ omissionis, si deesset tale motiuum, compleri non posse. Id namque etiam probant argumenta, quibus similem veritatem conditionatam excluſimus ab influxu imperij in actum imperatum.

622 Tertiò infero ex dictis; tametsi influxus motiui, per quod voluntas mouetur ad puram omissionem in solâ coexistentiâ ipsius motiui, & puræ omissionis consistat realiter, sicuti dictum est de influxu imperij, per quod voluntas mouetur ad actum imperatum; eo quòd pro vtroque militent eædem, aut proportionales rationes; at, cùm sunt simul plura motiua voluntatis inclinatiua de suo ad eamdem puram omissionem, aliter philosophandum esse, quàm, cùm sunt simul plura imperia inclinatiua voluntatis ad eumdem actum imperatum. Imperia enim ex eo præcisè sunt voluntatis inclinatiua ad actum imperatum, quòd sunt eius volitiones expressæ, & formales, quibus voluntas vult, vt existat ille, siue illi existentiam dare: cùmque id habeant per se præcisè, siue per suam essentiam, independenterque à circunstantijs, non possunt non, si existentia sint, per se inclinare voluntatem in actu primo, & consequenter iuxta superius dicta concurrere simul cum illâ ad actum secundum imperatum de facto; nec possunt non, si plura sint, omnia simul inclinare, & concurrere. Motiua verò ad omissionem puram ab aliquâ bonitate, seu conuenientiâ, quam secum ferunt prout apprehensa, propositaque per intellectum, inclinatiua voluntatis ad purè omittendum euadunt; quæ quidem bonitas, seu conuenientia sæpe desumitur ab extrinsecis circunstantijs. Vnde fit, vt tali bonitate, seu conuenientiâ deficiente ex defectu alicuius, aut aliquarum circunstantiarum, neque inclinent illa voluntatem in actu primo, neque cum ipsâ concurrant in actu secundo ad puram omissionem. Ex quo fieri rursus potest, vt, quando plura sunt, aliqua eorum de facto inclinent, & concurrant, aliqua verò secus. Et quoniam, dum voluntas purè omittit, interpretatiuè, & moraliter censetur id velle; ea dumtaxat motiua dicenda sunt inclinare in actu primo, concurrereque subinde in actu secundo cum voluntate ad eius puram omissionem de facto, ex quibus, & non ex alijs, interpretatiuè quoque, & moraliter iure censeri debet voluntas ipsa, omnibus spectatis circunstantijs, moueri de facto ad purè omittendum. Vide doctrinam hanc supra iam traditam, & per exemplum explicatam quæst. 7. num. 282. & 283.

Pergo iam, & suppono quintò, quemadmodùm voluntas potest aliquem actum sibi imperare, volendo reflexè illum elicere, ita posse sibi imperare alicuius actus carentiam, siue omissionem, volendo quasi reflexè illum omittere, siue non elicere. Quæcunque autem de imperio reflexo actus hactenus dicta sunt, pariter sunt accommodanda imperio quasi reflexo omissionis actus: quia pariter illi conueniunt; de quo nullum est dubium. Sed est notandum, cognoscentes per species alienas (vti cognoscimus nos pro statu præsente) sicuti possunt habere duo iudicia intellectus æquiualentia, alterum negatiuum, quo negent existentiam actus, alterum affirmatiuum, quo affirment carentiam, siue omissionem eius; ita posse habere duo imperia voluntatis æquiualentia, alterum per modum fugæ, quo nolint existentiam actus, alterum per modum prosequutionis, quo velint carentiam, siue omissionem eius. At cognoscentes per proprias species (vti Deus, & Angeli cognoscunt), sicut vnum tantùm iudicium negatiuum habere possunt, quo negent actus existentiam; eo quòd carentia actus, cùm in se sit nihil, non est ab eis conceptibilis, nedum iudicabilis positiuè: ita vnum tantùm imperium per modum fugæ possunt habere, quo nolint actus existentiam. De quo plura inferius venient dicenda disput. 34 quæst. 1. 623

Suppono sextò vt apud omnes certum, imperium simplex libertati immediatæ actus imperati nihil obesse: quia non est connexum cum illo; atque adeò, illo etiam supposito, indifferens immediatè manet voluntas ad talem actum eliciendum, vel omittendum pro arbitrio suo. Ob id quæstio præsens dumtaxat est de imperio efficaci. 624

Circa quam duæ sententiæ sunt. Altera negans, & altera affirmans, per imperium efficax voluntatis libertatem eius immediatam ad actum imperatum tolli. Sententiam negatiuam tenet P. Soar. lib. 12. de Gratia cap. 11. latèque conatur eam defendere nonnulli Recentiores. Affirmatiua verò communis est. Quam tradunt Salas 1. 2. lib. 6. disput. 1. sect. 5. & disput. 2. sect. 6. Ripalda disput. 68. de Ente supernat. sect. 2. Petr. Hurt. 2. 2. disput. 136. Quiedo controuer. 9. de Animâ punct. 4. Arriaga 1. 2. disput. 4. sect. 1. & alij. Est autem imprimis sermo iuxta vtramque sententiam de imperio efficaci determinato, & absoluto. Deinde verò etiam suo modo de imperio efficaci vago, seu disiunctiuo: deque imperio efficaci conditionato. 625

Propositio 1.

Imperium efficax voluntatis determinatum, & absolutum de aliquo eiusdem voluntatis actu imperato libertatem illius immediatam ad talem actum tollit. Talisque actus imperatus subinde dumtaxat mediatè euadit liber à libertate imperij. 626

Prior pars propositionis probatur; quia imperium efficax voluntatis determinatum, & absolutum ex vnâ parte est connexum cum actu imperato iuxta suppositionem secundam, & ex aliâ immediatè influit simul cum voluntate in illum.

illum, ad eiusque proinde potentiam proximam intrinsecè pertinet iuxta suppositionem quartam, sed quidquid ad potentiam proximam actus intrinsecè pertinet, & cum actu ipso connexum est, omnino tollit libertatem ad talem actum, vt latè, & vniuersaliter supra quæst.5. propos.11. monstratum est. Ergo imperium efficax voluntatis determinatum, & absolutum omnino tollit libertatem ad actum imperatum, scilicet immediatam, quæ sola propria eius libertas est.

627 Habere autem actum imperatum libertatem mediatam à libertate imperij participatam, quod solum additur in posteriori parte propositionis indubitatum est. Quia, sicut actus alterius potentiæ subditæ voluntati, qui propriam, & immediatam libertatem habere nequit, quando ab imperio efficaci, liberoque ipsius voluntatis procedit, libertatem mediatam habet à libertate ipsius imperij participatam: ita actus ipsius voluntatis, quando procedit ab imperio reflexo eiusdem libero, & efficaci, etsi libertatem propriam, & immediatam non habeat, non potest tamen non habere mediatam à libertate talis imperij participatam.

628 Sed contra priorem propositionis partem obijcitur primò. Imperium, de quo in illâ est sermo, ad existentiam actus imperati requisitum non est, eoque proinde non existente, proximè potens, atque adeò proximè, & immediatè libera existit voluntas ad ipsum actum imperatum, vti supponitur. Ergo etiam, eo existente, retinet voluntas eamdem proximam, & immediatam libertatem ad ipsum actum imperatum; siquidem per aduentum imperij nihil amittit voluntas eorum, quæ antea habebat, siue, quæ haberet ipso non adueniente. Ergo non solum imperium, sed etiam actum imperatum elicit liberè voluntas libertate immediatâ: amboque actus subinde propriâ, immediatâque libertate euadunt simul liberi. Confirmatur primò. Quia in signo naturæ antecedente elicientiam tum imperij, tum actus imperati non solùm est voluntas proximè libera ad eliciendum imperium, sed etiam ad eliciendum actum imperatum: quandoquidem libera in eo signo est ad eliciendum actum imperatum, non elicito imperio, quo casu citra omne dubium euadet ille proximè, & immediatè liber. Ergo etiam, quando simul elicit ambos actus, simul euadunt illi liberi proximè, & immediatè. Confirmatur secundò. Nam supposito, quòd voluntas non indigeat iuuamine imperij ad eliciendum actum imperatum, non solùm, quando imperium omittit, sed etiam, quando illud elicit, poterit illius iuuamine non vti ad actus imperati elicientiam; determinando videlicet se æquè primo, atque adeò comitanter, & immediatè ad eliciendum simul vtrumque actum. Quo casu imperium in actum imperatum non influet, & consequenter nec eius libertatem impediet: amboque proinde propriâ, immediatâque libertate liberi euadent.

629 Respondeo ad argumentum; quanuis imperium ad existentiam actus imperati requisitum non sit: ob idque ad hunc proximam libertatem habeat voluntas quando illud deest; at quando adest, nequit non voluntas tali libertate carere: quia per aduentum imperij necessariò amittit voluntas carentiam eius; quæ vnum est ex requisitis intrinsecè ad talem libertatem, vtpote contradictorium ipsius imperij tollentis illam, iuxta doctrinam vniuersalem demonstratam quæst.5. à num. 143. vsque ad 150. & applicatam magisque explicatam in simili quæst.10. à num.492. vsque ad 497. quæ ad rem recolenda. Ad primam confirmationem respondeo, potentiam proximam ad imperium, & potentiam proximam ad actum imperatum, vtpote distinctas inter se, tendentesque ad actus distinctos, duo signa naturæ etiam inter se distincta postulare, seu potiùs constituere; quia aliud non sunt reuerà talia signa ab ipsis potentijs; quarum vnaquæque suum dumtaxat actum antecedit immediatè secundùm naturam, siue prioritate, vt aiunt, naturæ: quæ quidem duo signa fallaciter in confirmatione obiecta confunduntur ab Arguente. Igitur in signo naturæ immediatè antecedente imperium potentiam proximam habet voluntas ad ipsum imperium indifferentem ad omissionem eius, atque adeò liberam; signum verò naturæ immediatè antecedens actum imperatum, consistensque in potentiâ proximâ ad ipsum reuerà non datur, donec existens est vel imperium, vel carentia eius. Nam iuxta doctrinam datam in simili quæst.10. num.497. citato, & ad propositum applicandam nulla potentia proxima dari potest ad actum imperatum, quæ non sit intrinsecè constituta, vel per imperium, vel per eius carentiam. Quæ quidem determinata erit, & necessaria, si per imperium constituatur; indifferens autem, & libera, si per carentiam eius. Ex quo patet, antequam voluntas reddatur proximè potens ad actum imperatum, necessariò debere eam exercere libertatem, quam habet circa imperium; vel eliciendo imperium, quo casu necessariò ex illo, & sine libertate immediatâ sequetur actus imperatus: vel omittendo imperium, quo casu ad actum imperatum ipsa iam euadet, manebitque proximè libera. Vnde rursus patet ad secundam confirmationem; voluntatem nec posse se determinare æquè primò ad eliciendum comitanter imperium, & actum imperatum: nec posse, si imperium semel eliciat, aut eius iuuamine non vti in actus imperati elicientiâ, aut eius in illam influxum, concursumque impedire; prout aliàs iam diximus supra quæst.5. tum num. 128. tum num. 168. & 169.

Aliter ad propositas obiectiones respondet 630
Arriaga vbi supra, concedendo Aduersarijs in priori naturæ, in quo præscinditur ab imperio, & ab eius carentiâ, libertatem immediatam habere voluntatem ad actum imperatum; sed quæ reducinon potest ad actum ipsum immediatè, nisi sub conditione, quòd re ipsâ non existat imperium. Non tamen benè. Primò; quia libertas immediata ad actum aliud non est, quàm potentia proxima ad eum indifferens ad ipsius omissionem, vt constat. Voluntas autem non habet potentiam proximam ad actum, quandiu ad immediatum exercitium eius aliquam conditionem desiderat, sed tunc solùm, quando, absolutè positis omnibus, iam absolutè, & simpliciter est potens ad illud, vt ex sæpe repetitis in hac disput. est notissimum. Ergo ante existentiam absolutam carentiæ imperij, quæ conditio requisita est iuxta Arriagam ad exercitium immediatè liberum actus, neutiquam habet voluntas libertatem immediatam ad actum. Secundò; quia, cùm certum sit, neque per positionem imperij, neque per positionem carentiæ eius auferri à voluntate quidpiam eorum, quæ habet in priori naturæ, in quo præscinditur ab illis; si voluntas in eo priori habe-

haberet libertatem immediatam ad actum, eam vtique retineret, tam posito imperio, quàm posità carentiâ eius: imperiumque proinde talem libertatem non tolleret, contra sententiam, quam nobiscum defendit Arriaga. Standum igitur est in solutione à nobis datâ. Dicendumque omnino cum alijs Auctoribus sententiæ nostræ, ad libertatem immediatam actus intrinsecè pertinere carentiam imperij de illo; atque adeò neutiquam illam in voluntate dari in signo naturæ antecedente, præscindentèque à tali carentiâ.

631 Hinc tamen contra sententiam nostram objicitur secundò. Non minùs connectitur amor cum carentiâ odij sibi oppositi, quàm connectitur imperium cum actu imperato. Sed libertas immediata ad carentiam odij (quæ & ad odium ipsum est immediata libertas) non completur per carentiam amoris; siquidem, adhuc existente amore, potest illa in voluntate dari, vt est certum. Ergo neque libertas immediata ad actum imperatum completur per carentiam imperij. Negat consequentiam Quiedo vbi supra. Quia, inquit, voluntas amorem impedire potest per positionem odij; imperium verò per omissionem actus imperati non item: ob idque carentiam imperij ad libertatem actus imperati præsupponi debere; secus verò carentiam amoris ad libertatem carentiæ odij. Non tamen benè. Primò; quia de hoc ipso lis est. Qui enim dicunt libertatem immediatam dari in voluntate ad ponendum, vel omittendum actum imperatum, etiam, quando adest imperium; sicuti datur ad omittendum, vel ponendum odium, etiam quando adest amor; æquè vtique poterunt dicere, posse impedire voluntatem imperium per omissionem actus imperati; ac dicitur posse impedire amorem per positionem odij. Secundò; quia, cùm opinetur Quiedo, vt mox dicam, voluntatem, quando amat, libertatem immediatam non habere ad carentiam odij, sed medio amore necessitari ad illam causandam, consequenter tenetur dicere, æquè debere supponi carentiam amoris ad libertatem immediatam carentiæ odij, ac debet supponi carentia imperij ad libertatem immediatam actus imperati, vt patet ex dictis à nobis num. 629. Respondendum ergo est ad argumentum factum, libertatem immediatam ad actum imperatum compleri per carentiam imperij; quia hoc necessitat ad illum: libertatem verò immediatam ad carentiam odij non compleri per carentiam amoris; quia hic non necessitat ad illam, prout ostendemus statim.

632 Objicitur enim tertiò contra doctrinam statutam sic. Quantumuis amor connectatur cum carentiâ odij sibi oppositi, existente amore, manet nihilominùs in voluntate libertas immediata ad carentiam odij, adeòque ad odium ipsum. Ergo, quantumuis imperium connectatur cum actu imperato, existente imperio, manebit pariter in voluntate libertas immediata ad actum imperatum, & ad carentiam eius. Quiedo vbi supra num. 19. & Arriaga num. 7. negant antecedens, censentes, quando voluntas elicit amorem, non manere in eâ libertatem immediatam ad carentiam odij, atque adeò hanc mediatè tantùm euadere liberam à libertate amoris: quo posito, perinde manet voluntas necessitata ad carentiam odij posito amore; ac, posito imperio, necessitata manet ad actum imperatum. Non tamen benè. Nam vt supra quæst. 6. propos. 2. contra ipsos probatum est, impossibile est, esse liberam voluntatem libertatè contrarietatis ad eligendum inter amorem, & odium, quin immediatè sit libera ad carentias tum amoris, tum odij: cùmque certissimum apud omnes sit, voluntatem, dum amat, plerumque saltem exercere libertatem contrarietatis electiuam inter amorem, & odium; certissimum quoque esse debet, voluntatem, dum amat, duas libertates immediatas exercere, alteram circa amorem, & alteram circa carentiam odij.

Respondendum igitur est ad argumentum 633
factum, imperium, cùm sit volitio per modum desiderij actus imperati tendens suopte conceptu ad dandam existentiam illi, non posse non ipsum præcedere naturâ suâ, habendo se ex parte voluntatis prout illius causatiuæ, mouendo eam, concurrendoque proinde simul cum ipsâ ad eliciendum illum: quo fit, vt non possit non libertatem immediatam eius euertere: nam quidquid immediatè concurrit ad actum, ad eiusque proinde potentiam proximam intrinsecè pertinet, & aliàs cum ipso actu connexum est, nequit non libertatem propriam eius auferre, vt supra quæst. 5. propos. 11. monstratum est. At verò amor necunde habet mouere voluntatem, concurrereque simul cum eâ ad causandam carentiam odij sibi oppositi: atque ita, quantumuis cum tali carentiâ connexus sit, libertatem eius immediatam nequaquam lædit. Nam, quidquid immediatè non concurrit ad actum, ad potentiamque subinde proximam eius intrinsecè non pertinet, neutiquam libertatem propriam actus lædere potest, quantumuis cum actu ipso connexum sit, vt etiam in eâdem quæst. 5. propos. 12. monstratum est.

Quartò objicitur. Intentio efficax finis non 634
necessitat voluntatem ad electionem medij, quando hoc supponitur iam existens. Ergo neque imperium efficax necessitabit voluntatem ad actum imperatum, quando hic supponitur iam existens. Imprimis nego suppositum consequentis. Quia non potest dari in voluntate imperium efficax de actu, qui supponatur iam existens: nam, cùm de conceptu imperij sit tendere in suum obiectum, non per modum complacentiæ, quia existit; sed per modum desiderij, vt existat; consequenter pertinet ad existentiam imperij, quòd non supponatur existens actus, quem imperat. Id quod etiam conuenit intentioni finis, ac electioni medij respectu suorum obiectorum: eo quod ambæ in obiecta sua tendunt per modum desiderij. Atque ita nec potest voluntas intendere, obtinere finem, quem supponit obtentum, neque eligere medium, quod supponit existens. Deinde nego consequentiam argumenti facti propter discrimen intercedens inter intentionem finis respectu electionis medij, & imperium respectu actus imperati. Intentio enim finis non habet pro obiecto electionem medij, sed ipsum finem: & ideò tunc solùm ad electionem medij necessitat, quando ea ad consequendum finem intentum requisita est; qualis non est electio medij, quod iam supponitur existens. Imperium verò pro obiecto habet actum imperatum; ideoque non potest non semper ad illum necessitare; quia non potest non semper ille requisitus esse ad suimet consequutionem intentam per imperium.

Quintò objicitur. Si imperium tolleret li- 635
bertatem ad actum imperatum, habitus summè intensus tolleret libertatem ad actum oppositum; inde-

indestruibilisque subinde esset per oppositos actus: quia non minùs connectitur habitus summè intensus cum carentiâ actus oppositi, quàm connectitur imperium cum actu imperato. Ast secundum dici non potest. Ergo nec primum. Idem argumentum peti posset ex eo, quòd gratia habitualis opposita peccato, connexaque cum carentiâ eius libertatem nihilominùs ad peccatum non tollit. Tum ex eo, quòd scientia visionis de actu libero cum eo connexa, oppositaque actui contradictorio, eorum nihilominùs libertatem non tollit. Et vniuersim ex eo, quòd innumera alia cum aliquo actu voluntatis connexa, & eius contradictorio opposita sunt, citra dispendium libertatis eorum. Ad quæ omnia iam est responsum per doctrinam generalem latè demonstratam quæst. 5. & nuper commemoratam pro solutione obiectionis tertiæ num. 633. Nimirum, connexum cum actu seu positiuo, seu negatiuo, & ad potentiam proximam eius intrinsecè pertinens (qualiter se habet imperium respectu actus imperati) omnino tollere libertatem ad talem actum. Connexum verò cum actu seu positiuo, seu negatiuo, & ad potentiam proximam eius non pertinens intrinsecè (qualiter se habent cætera cuncta, de quibus in hac obiectione fit mentio, respectu actuum, ad quos comparantur) libertatem ad tales actus neutiquam lædere. Quippe nec habitus summè intensus constituit potentiam proximam actus oppositi, aut eius carentiæ; nec gratia habitualis potentiam proximam peccandi, vel non peccandi; nec scientia visionis potentiam proximam actus, quem habet pro obiecto, aut carentiæ eius. In cæteris que similibus euenit pariter.

636 Sexto obijcitur. Si Deus motus ex præuisione conditionatâ actus prout liberè oriundi à voluntate sub conditione cogitationis A ipsi voluntati præberet talem cogitationem liber existeret talis actus in statu absoluto, vti liber est præuisus in statu conditionato, etiam si in statu absoluto simul cum illo poneretur eius imperium. Ergo per hoc non tollitur libertas illius. Respondeo primò, idem argumentum, eodemque modo fieri posse circa prædeterminationem prorsus tollentem libertatem ad actum iuxta sententiam Aduersariorum. Ex quo patet nihil ad rem per illud probari. Respondeo secundò, Deum sub nullâ hypothesi posse conditionatè præuidere actum prout liberè oriundum à voluntate, nisi præuidendo illum prout oriundum à voluntate habente potentiam proximam indifferentem ad ipsum, & ad eius carentiam, in qua consistit eius libertas: cùmque ad talem potentiam proximam carentia imperij de tali actu pertineat intrinsecè, vt dictum est; repugnat, præuidere Deum talem actum prout liberè oriundum à voluntate sub hypothesi cogitationis A, quando purificatâ hypothesi in statu absoluto extiturum est simul cum tali actu imperium de ipso: quia id esset, præuidere Deum sub eâdem hypothesi extitura simul duo contradictoria, dictum videlicet imperium, & eius carentiam; quod est impossibile. Quòd si actus sub conditione cogitationis A reuerà sit liberè extiturus, sicque proinde à Deo conditionatè præuisus, prorsus repugnat, vt purificatâ conditione existat in statu absoluto simul cum actu imperium eius. Quia id esset, per purificationem conditionis non transire veritatem conditionatam in absolutam; quod rursus impossibile est: siquidem veritas conditionata de existentiâ liberâ actus sub conditione cogitationis A existentiam carentiæ talis imperij includit in se, vt constat ex dictis. Ex quibus omnibus apparet, casum in argumento suppositum omnino impossibilem esse, atque adeò argumentum in eo fundatum nihil ad rem præstare.

Addo contra Ouiedo, aliosque ex Auctoribus sententiæ nostræ: neque motum ex præuisione absolutâ actus prout liberi posse Deum infundere voluntati, in ipsâve quoquo modo ponere imperium de illo. Quia, licèt motus ex præuisione existentiæ absolutæ actus considerati præcisè secundùm substantiam poneret Deus in voluntate imperium, simul cum voluntate influeret in talem actum immediatè, ad eiusque subinde potentiam proximam pertineret intrinsecè, vt contra eosdem statuimus supra num. 618. Quo posito, non posset non illud libertatem immediatam talis actus prorsus euertere, vt satis ex dictis hactenus liquidum est. 637

Propositio 2.

Imperium efficax voluntatis determinatum, & absolutum de omissione alicuius actus eiusdem voluntatis libertatem illius immediatam ad talem omissionem tollit. Talisque omissio subinde dumtaxat mediatè euadit libera à libertate imperij. 638

Hæc propositio similiter ac prima probanda venit. Quia imperium efficax determinatum, & absolutum de omissione similiter impellit voluntatem ad omissionem, ac simile imperium de actu impellit ad actum. Ergo, sicut hoc libertatem immediatam actus euertit, mediatèque dumtaxat actus euadit liber à libertate imperij; ita illud libertatem immediatam euertit omissionis, omissioque mediatè dumtaxat ab imperij libertate libera euadit. Illud solum intercedit discrimen, quòd imperium actus simul cum voluntate concurrit concursu influxiuo; imperium verò omissionis tantùm concursu impeditiuo concurrit ad omissionem simul cum voluntate; eo quòd omissio, cùm sit mera carentia, non est causabilis influxiuè; sed vel permissiuè tantùm, cùm eius immediatâ causâ ad ipsam est immediatè libera; vel impeditiuè tantùm, cùm eius immediatâ causâ ad ipsam est immediatè necessitata (vti est in casu præsenti) iuxta doctrinam traditam supra q. 5. num. 131. quæ ad rem recolenda.

Propositio 3.

Imperium efficax voluntatis disiunctiuum de vno, vel altero ex duobus actibus eius neque oppositis, neque connexis inter se illam necessitat ad amplectendum alterutrum, atque adeò ad non omittendum simul vtrumque. Relinquit tamen libertatem ad amplectendum vel alterum, vel vtrumque simul. 639

Hæc propositio sub vniuersaliore est iam

probata quæst. 11. propoſit. 1. Tantumdem enim eſt ibi pronunciatum, & latè probatum de prædeterminatione diſiunctiuà, ſub qua iſtud imperium continetur tanquam ſpecies ſub ſuo genere. Quare tota probatio, atque doctrina adducta ibi huc eſt à Lectore applicanda, ne nos actum agamus. Hoc dumtaxat interim obſeruato diſcrimine, quòd neceſſitas per illam prædeterminationem inducta non eſt à voluntate euitabilis, ſicut nec prædeterminatio ipſa. Neceſſitas verò inducta per hoc imperium cum ipſo imperio eſt euitabilis à voluntate. Eſt autem doctrina propoſitionis vera, vt ibi etiam notatum eſt, ſiue duo actus, de quibus in eâ eſt ſermo, ſint poſitiui, ſiue ſint negatiui, ſiue alter poſitiuus, & alter negatiuus ſit. Et quod de diſiuncto binarij actuum in hac, & ſequentibus propoſitionibus dicitur, de diſiuncto cuiuſuis alterius numeri actuum eſt pariter intelligendum, ſuâ ſeruatâ proportione, vti etiam prænonitum eſt q. 11. citatâ.

Propoſitio 4.

640 **Imperium efficax voluntatis diſiunctiuum de vno, vel altero ex duobus actibus eius oppoſitis inter ſe contrariè, illam neceſſitat ad amplectendum alterutrum, atque adeò ad non omittendum ſimul vtrumque. Ipſaque aliunde eſt neceſſitata ad non amplectendum ſimul vtrumque, atque adeò ad omittendum ſaltem alterutrum. Solaque proinde reſtat in eâ libertas puræ electionis inter actus, & inter omiſſiones eorum.**

Huius etiam propoſitionis probatio petenda eſt ex dictis pro vniuerſaliore de prædeterminatione diſiunctiuà quæſt. 11. propoſit. 2. Eodem, atque circa præcedentem, diſcrimine obſeruato. Cuius doctrina ſimiliter eſt vera, ſiue actus conſtituentes diſiunctum ſint poſitiui, ſiue negatiui, ſiue alter poſitiuus, & alter negatiuus ſit, dummodò oppoſiti ſint inter ſe contrariè. Quid verò dicendum ſit caſu, quòd voluntas imperet ſibi vnum, vel alterum ex duobus actibus contradictoriè oppoſitis, ibidem eſt ſub vniuerſaliori doctrinâ determinatum num. 573.

Propoſitio 5.

641 **Imperium efficax voluntatis diſiunctiuum de vno, vel altero ex duobus actibus eius connexis interſe ſiue mutuò, ſiue non mutuò impoſſibile eſt.**

Hæc propoſitio conſtat ex demonſtratione factâ pro propoſit. 3. quæſt. 11. Quæ pariter hìc locum habet.

Propoſitio 6.

642 **Quid ad propoſitum ſit dicendum de imperio efficaci voluntatis diſiunctiuo circa exiſtentiam alicuius actus eius in vno, vel in altero inſtanti temporis; ex vniuerſaliore doctrinâ datâ quæſt. 11. propoſit. 7. ſumendum, atque determinandum eſt.**

Per illam enim tum alij caſus, tum is, qui ad iſtud imperium pertinet ſub vniuerſaliore prædeterminationis conceptu deciſi, atque monſtrati ſunt. Facileque erit vnicuique, quæ ibi pro tali caſu ſunt dicta imperio ipſi accommodare. In quo propterea non opus eſt, quòd nos moremur.

Propoſitio 7.

643 **Imperium efficax voluntatis conditionatum, ſeu de elicientiâ, ſeu de omiſſione actus ipſius voluntatis, ſi non purificetur conditio nihil penitus præſtat. Si verò porificetur conditio, iam tum ſimul cum conditione purificatâ idem præſtat omnino, ac ſi eſſet abſolutum.**

Hæc propoſitio certa proculdubio eſt imprimis quoad primam partem ſui. Quia, cùm voluntas per conditionatum imperium dumtaxat velit, quòd obiectum imperatum exiſtat pro caſu, qnòd purificetur, ſiue exiſtat abſolutè conditio; quando talis purificatio, ſeu abſoluta exiſtentia conditionis non datur, perinde voluntas ſe habet, ac ſi tale imperium non haberet, in ordine ad cauſandum obiectum eius, vt ex ſe notum eſt. Vnde tale imperium, non purificatâ conditione, neque mouere voluntatem, neque concurrere cum eâ poteſt ad obiectum imperatum cauſandum; huiuſque proinde libertatem immediatam nec impedire, nec lædere vllatenus valet.

644 Deinde quoad ſecundam partem non minùs eſt propoſitio certa. Quia eo ipſo, quòd voluntas per imperium conditionatum efficaciter vult, vt exiſtat eius obiectum pro caſu, quo exiſtat conditio, perinde ſe habet, caſu iam poſito, ac ſi vellet id abſolutè: imperiumque proinde à conſortio caſus purificatæ conditionis eamdem ſortitur efficaciam, quam per ſe haberet, ſi eſſet abſolutum. Vnde tale imperium, purificatâ conditione, æquè, ac ſi eſſet abſolutum, mouet, determinat, neceſſitatque voluntatem ad cauſandum obiectum imperatum, cum eâque proinde concurrit ad talem cauſationem. Ex quo rurſus ſequitur, vt non ſolum imperium, ſed etiam conditio purificata, à qua ſuam vim illud ſortitur, intrinſecè ſpectet ad potentiam proximam, qua voluntas talem exercet cauſationem, tanquam vnum ex conſtituentibus intrinſecis eius.

645 Eſt autem in propoſitione vniuerſaliter ſermo tum de imperio conditionato determinato ex parte obiecti, tum de imperio conditionato ex parte obiecti vago, ſeu diſiunctiuo. Omnia enim, ſi non purificatur conditio, ad rem nihil præſtant. Si autem purificatur, omnia in abſoluta tranſeunt ſuo modo. Et quoniam de abſolutis determinatis, & de abſolutis diſiunctiuis diuerſa philoſophia eſt, vt ex præcedentibus propoſitionibus conſtat; diuerſo quoque modo conſentaneè ad illam philoſophandum erit de conditionatis determinatis, atque de diſiunctiuis, quando vtrorumque conditio purificatur. Vide aliàs quædam dicta de prædeterminatione conditionatâ ſupra quæſt. 11. num. 597. & huic imperio

perio conditionato applica-.

646 Omitto aliud genus imperij tendentis non in obiectum singulare, sed in vniuersale à singularibus abstractum. Tum quia tale imperium non potest esse per se causatiuum obiecti imperati: quia nulla vniuersalia qua talia, sed singularia dumtaxat sunt causabilia. Tum quia tale imperium, seu potiùs merum desiderium in solis cognoscentibus per species alienas dari potest. Ego autem impresentiarùm de imperijs ago communibus etiam cognoscentibus per species proprias. Vide, si placet, quæ de eiusmodi imperio, seu mero desiderio dicit Ouiedo loco supra citato.

647 Hic sequi videbatur tractandum, qualiter intentio efficax finis necessitet, vel non necessitet voluntatem ad electionem mediorum. Verùm, quia multa de naturâ finis, deque ordinatione mediorum ad illum oporteret præmittere, quæ opportuniorem locum habebunt in Tract. de Prouid. disp. 36. quæst. 4. idcirco punctum hoc ad ipsum attinens de libertate illuc etiam duximus remittendum.

QVAESTIO XIII.

Qualiter voluntas libera libertate actus primi ad actum secundum liberum sese determinet.

648 NOnnulli censent, in voluntate liberâ libertate actus primi duo signa rationis venire distinguenda cum fundamento in ipsâ re. Alterum indifferentiæ, in quo concipitur voluntas prorsus indifferens ad vnum, vel alterum ex actibus secundis, respectu quorum libera est. Alterum determinationis, siue applicationis, in quo concipitur iam à se ipsâ applicata, siue determinata ad eum actum secundum, quem electura est; liberè quidem, sed antecedenter ad ipsum actum secundum, nimirum applicatione quadam, siue determinatione virtuali, seu morali ex parte actus primi se habente, prorsusque indistincta realiter ab ipso actu primo. Referuntur pro sententiâ istâ Valent. 1. 2. disp. 8. quæst. 5. punct. 4. §. 4. Ægid. de Sacram. quæst. 77. art. 1. dub. 1. Salazar tom. de Concept. cap. 24. §. 3. sect. 3. Albertin. in 4. Principio philosoph. Coroll. 2. quæst. 3. Theol. & in 6. Princ. philos. coroll. 2. quæst. 2. Theolog. Tann. tom. 1. disp. 2. quæst. 10. dub. 4. Rayn. in Tholog. natur. disp. 8. quæst. 2. art. 4. Latèque defendit eam Francisc. de Lugo disp. 32. cap. 4. & 5. tametsi num. 26. abstineat ab assensu de ipsâ. Cæteri verò Theologi, qui rem attigerunt, doctrinam eiusmodi sententiæ tanquam omnino falsam reijciunt.

Propositio 1.

649 Determinatio virtualis voluntatis liberæ, & ex parte actus primi se habens, ab ipsoque actu primo realiter indistincta, qualis ponitur ab Auctoribus sententiæ relatæ, omnino impossibilis est.

Certissima mihi est hæc propositio, ac prorsus euidens. Demonstro eam primò sic. Realiter non deficiente actu primo voluntatis, realiter potest determinatio dicta deficere. Sed dicta determinatio est actus ipse primus realiter. Ergo realiter non deficiente actu primo voluntatis, realiter potest actus ipse primus deficere. Quod est chymæricum. Cùm tamen maior, & minor syllogismi sint ipsa Aduersariorum doctrina, & consequentia sit legitima. Secundò sic. Dicta determinatio iuxta Auctores eius cum actu secundo est connexa, cum quo non est connexus actus primus; & tamen idem est illa cum ipso actu primo. Ergo idem est simul connexum, & non connexum cum actu secundo. Quod iterum chymæricum est. Tertiò sic. Determinatio ad amorem, & determinatio ad odium oppositæ, & incompatibiles sunt propter connexionem, quam habent cum actibus oppositis. Et tamen vtraque est idem cum actu primo. Ergo idem sibi ipsi est oppositum, & secum ipso incompatibile. Quod æquè est chymæricum. Quartò sic. Quando adest determinatio ad amorem, necessariò deest dererminatio ad odium. Et tamen, cùm ambæ sint idem cum vno tertio, nempe cum actu primo, nequeunt non esse idem inter se. Ergo idem in eodem tempore simul adest, & deest. Quod similiter est chymæricum. Aliæque huiusmodi chymæricæ contradictiones possent cum simili euidentiâ ex sententiâ aduersâ deduci. Istæ tamen sint satis ad nostram demonstrandam propositionem.

Nec dicat aliquis, eiusmodi contradictiones 650
vitari posse, ponendo dictam determinationem tum virtualiter distinctam ab actu primo voluntatis in ordine ad subeunda sine repugnantiâ prædicta contradictoria, tum contingentem virtualiter in ordine ad denominandum, vel non denominandum voluntatem in actu primo determinatam: quemadmodùm per similem distinctionem, & contingentiam virtualem similes contradictiones euitant aliqui Theologi in Deo, quando explicantes libertatem diuinam, censent, per ipsum actum internum realiter identificatum cum Deo, entitatiuèque necessarium citra omne externum connonatum denominari nihilominùs Deum contingenter tum cognoscentem, tum volentem aliqua obiecta. Nemo, inquam, dicat hoc in præsenti materiâ. Primò, quia huiusmodi virtualitates, vt summùm possunt attribui Deo propter eius infinitudinem in omni genere. In creaturis verò nullatenus admitti possunt sine ingentibus, innumerisque absurdis, vt ostendimus in Pharo Scient. disp. 13. quæst. 6. propos. 3. Secundò; quia ne in Deo quidem sunt illæ admittendæ, nisi, quando mysterium aliquod necessariò fide credendum ad id compellit; eo quòd sine illis ægrè intelligi, aut explicari potest, vt ibidem etiam ostendimus propos. 4. Tantum abest, vt in creaturis absque vrgente necessitate admittantur; vti in præsenti admitterentur: quandoquidem prædicta determinatio voluntatis creatæ in actu primo, estò ea esset possibilis, nullatenus esset necessaria ad libertatem eius; quinimo non leuia secum ferret incommoda, vt iam iam ostendo.

Propositio 2.

654 Determinatio voluntatis in actu primo, de qua propos. 1. estò esset possibilis, nullatenus esset necessaria ad libertatem eius. Quinimo non leuia incommoda secum ferret.

Prima pars propositionis probatur. Quia dicta determinatio duobus dumtaxat ex titulis censeri potest, censeturque ab Auctoribus suis ad libertatem necessaria. Primò, vt actus secundus liber, determinatus cùm in se sit, à causâ determinatâ ad ipsum procedat; quasi actus in se determinatus à causâ prorsus indifferente procedere non possit. Secundò, vt possit reddi ratio, cur voluntas hìc, & nunc talem actum secundum eligit potiùs, quàm alterum, aut quàm oppositam omissionem. Sed his ex titulis necessaria non est. Ergo ex nullis. Probo minorem, quæ sola probatione eget. Quia eisdem ex titulis ad ipsam determinationem deberet alia determinatio præcedere; & ad hanc alia; & sic in infinitum; quod est absurdum: siquidem ipsa determinatio aliquid est determinatum in se, & liberè à voluntate procedens iuxta eius Auctores. Sicuti ergo ipsi tenentur dicere, voluntatem, quantumuis indifferentem in signo ante determinationem, posse nihilominùs liberè ponere in signo posteriori immediato determinationem ipsam, quæ quid determinatum est in se se: ipsique, vt dent rationem cur voluntas hanc ponit determinationem potiùs, quàm alteram, aut quàm carentiam eius, ad aliam determinationem præuiam non possunt recurrere. Ita omnes dicere possunt, voluntatem, quantumuis indifferentem in signo ante actum secundum, posse nihilominùs liberè ponere in signo posteriori immediato ipsum actum secundum determinatum in se se; neque, vt dent rationem, cur illum voluntas ponat potiùs, quàm alterum, aut quàm eius carentiam, ad vllam determinationem præuiam recurrere tenentur.

655 Dicendum itaque absolutè est, tantum ab esse, vt nequeat actus determinatus à causâ indifferente procedere, quòd potius id est necessarium ad hoc, vt actus proximè liber, seu cum immediatâ libertate, atque adeò sibi propriâ procedat. De conceptu enim causæ proximè liberæ est, quòd cum indifferentiâ actus primi immediatè iungat actum secundum; neque per aliquid præuium, sed per ipsum actum secundum ad ipsummet determinetur. Vnde ad ipsum causæ proximè liberæ conceptum pertinet, quòd, quando quæritur, cur ea talem actum præ altero, aut præ illius omissione ponit, non possit pro ratione, seu causâ antecedente reddi aliquid ad ipsum actum determinatum, siue cum eo connexum, sed tantùm dominium indifferens, seu libertas actus primi, quam illa ad ipsum habet. Quare, cum interrogati, cur voluntas amet tale, vel tale obiectum, solemus respondere: quia vult; vel significamus solum dictum dominium, vel ipsum voluntatis amorem prout oriundum ab illo, quatenus suimet est quasi reflexa volitio libera vel formalis, vt quidam volunt, vel, quod verius est, interpretatiua. Vnde patet, fundamenta Aduersariorum ad tam exoticam determinationem voluntatis in actu primo adstruendam momenti non esse.

Iam verò primum ex incommodis, quæ ferret secum determinatio prædicta iuxta secundam 653
partem propositionis est, quòd voluntas nullum actum posset habere immediatè liberum, sed omnes necessariò deberent esse liberè tantùm mediatè à libertate præuiâ ipsius determinationis: vnde fieret, vt nullus actus voluntatis à libertate propria, sed ab aliena dumtaxat posset meritorius euadere, quod est inauditum. Secundum est, quod voluntas aliquod exercitium libertatis haberet non adiuta concursu Dei. Siquidem concursus Dei ad actum præuiæ determinationi accedit iuxta Aduersarios. Neque intelligibile est, quomodò ad determinationem realiter ab actu primo indistinctam, & quæ solùm est quid virtuale, posset Deus concurrere simul cum ipso actu primo. Tertium est, quòd voluntas per suos actus reuerà, & formaliter non mereretur, sed tantùm virtualiter; vtpote qui liberi dumtaxat mediatè à libertate determinationis, vt dictum est, non formalem, sed virtualem solùm libertatem haberent ab illâ participatam, cum qua solâ meritum verum, & formale stare non potest. Mitto alia: quia ad rem tam claram satis sunt dicta.

QVAESTIO XIV.

Qualiter libertas voluntatis adstruenda sit relatè ad tempus, in quo illa exercenda est per actum secundum.

IN hac quæst. solùm agitur de comparatione 654
cum tempore libertatis creatæ; nam de comparatione cum tempore libertatis diuinæ longè diuersa est philosophia, vt videbimus disp. 31. q. 5. Habebit autem quæstio duas partes. Prima erit de comparatione libertatis cum primâ temporis mensurâ, in qua primò actus liber existit. Secunda erit de comparatione libertatis cum integrâ mensurâ temporis, per quam successiuè actus liber durat, siue continuatur.

Circa primam quæstionis partem fuerunt 655
nonnulli, qui putarunt, libertatem non esse circa præsens, sed circa futurum: non enim posse voluntatem habere libertatem respectu actus, quem iam exercet, pro eâdem mensurâ temporis, in qua illum exercet; sed habere illam tantummodò libertatem in mensurâ temporis anteriori respectu actus exercendi in mensurâ posteriori futurâ. Ita Magist. Sentent. Ocham, Gabriel, & alij Nominales apud Bellarm. lib. 3. de Gratiâ, & lib. arbitr. cap. 13. & apud Soar. disp. 19. Metaph. sect. 9. Eiusdemque sententiæ fuit antea Hugo de Sancto Victore lib. 1. de Sacramentis par. 5. cap 22. Vnde ipse in Summâ sentent. tit. 2. cap. 2. & cum eo Holcot. in 1. quæst. 3. ad 9. eâ ratione ducti sunt ad asserendum, Angelos in primo suæ creationis instanti non potuisse peccare: quia in primo eo instanti non potuit vlla operatio eorum liberæ esse; eo quòd nullum aliud instans præcesserit, in quo voluntas eorum ad instans sequens esset indifferens, siue libera in actu primo. Quam rationem probauit etiam S. Bonauent. vt refert Soar. lib. 7. de Angelis cap. 20. Verùm sententiam istam falsam esse, & iam a totâ Schola refutari re-

stat[ur]

statur Vazq. 1. par. disp. 236. num. 12. Eamque improbabilem esse, censet Soar. in vtroque loco citato.

656 Circa secundam quæstionis partem prima sententia fuit Gregorij, & Almaini, apud Bellarm. supra, apud Vasq. 1. 2. disp. 54. cap. 3. apud Soar. tum loco citato ex Metaph. tum 1. 2. tract. 3. disp. 5. sect. 3. tum tom. 3. de Gratia lib. 12. cap. 21. asserentium, ita actum voluntatis in primo instanti suæ existentiæ posse esse liberum, vt aliqua eius continuatio non possit non esse necessaria: quia non potest desinere esse, nisi etiam in instanti, & post primum instans, & quoduis aliud sequens aliquam durationem diuisibilem intercedere, necesse est: supponitur enim, tempus non ex solis instantibus indiuisibilibus, sed etiam ex partibus in infinitum diuisibilibus componi. Hanc sententiam amplexi sunt Vazq. loco citato, Granad. 1. p. tract. 14. de Angelis disp. 1. & alij. Secunda sententia est, actum liberum non tantùm in primo instanti suæ existentiæ, sed etiam immediatè post libertatem habere posse, ita vt immediatè post primum instans existentiæ suæ liberè à voluntate possit omitti. Sic tenent Bellarm. & Soar. locis citatis. Tanner. tom. 2. disp. 2. quæst. 1. dub. 1. num. 20. & disp. 6. quæst. 6. dub. 5. num. 118. & alij. Tertia sententia est, nec repugnare voluntatem, quæ immediatè post primum instans existentiæ sui actus liberi possit illum liberè omittere. Nec repugnare voluntatem, quæ id non possit; sed necessariò teneatur per aliquam temporis mortulam post primum instans suum actum conseruare. Ita Arriaga 1. 2. disp. 6. sect. 5. Qui addit sub sect. 1. in sententia negante, puram omissionem liberam esse possibilem, penitus repugnare, vt aliquis cuiusuis voluntatis actus vnico dumtaxat instanti liberè existat. Deinde addit subsect. 2. voluntatem humanam, saltem dum in corpore detinetur, liberè, & instantaneè operari non posse; sed necessariò debere per aliquod tempus hærere in actibus suis. His positis incipio resolutionem quæstionis à primâ parte eius.

Propositio 1.

657 **Impossibile omninò est, quòd voluntas, dum existit in A mensurà temporis anteriori, libertatem habeat ad exercendum aliquem suum actum in B mensurà temporis posteriori, in qua nondum existit.**

Vt hanc, & sequentem propositionem contra sententiam propositam num. 655. clarè demonstrem, suppono aliqua certissima, ac prorsus euidentia principia. Primum est. Repugnare, quòd voluntas aliquem suum actum exerceat in aliquâ temporis mensurâ, quin in eâdem sit proximè potens ad exercendum illum: quia ab omni actu ad suam proximam potentiam necessaria est consequentia iuxta euidentissimum exioma stabilitum, expositumque à nobis in Pharo Scient. disp. 8. quæst. 4. propos. 3. Secundum est. Repugnare, quòd voluntas existens in mensurâ A exerceat aliquem suum actum in mensurâ B, in qua nondum existit. Nam, vt est manifestè impossibile, voluntatem non existentem in rerum naturâ ponere aliquem suum actum in rerum naturâ: ita est manifestè impossibile, voluntatem non existentem in aliquâ temporis mensurâ in ipsâ mensurâ ponere aliquem suum actum. Constat hoc ex doctrinâ etiam traditâ loco citato propos. 7. Vnde clarè sequitur principium tertium. Nempe, si quam habet potentiam voluntas existens in mensurâ A ad ponendum aliquem actum suum in mensurâ B, in qua nondum existit, dumtaxat posse eam esse potentiam remotam; quam scilicet habet ad transeundum ex A in B, acquirendumque in B potentiam proximam talis actus. Vnde rursus euidenter sequitur quartum. Nimirum, casu, quòd voluntas in B non est habitura potentiam proximam ad aliquem suum actum, ne remotam quidem potentiam habere illam ad ipsum actum, dum existit in A. Quia in tali casu impossibilis est voluntati talis actus in B ex defectu potentiæ proximæ ad ipsum iuxta principium primum. Ad impossibile autem nulla potentia, atque adeò neque remota datur. Sit quintum principium. Libertatem voluntatis (contradictionis videlicet de qua hìc tractamus) in duabus potentijs proximis ad duos actus oppositos contradictoriè consistere. Hoc constat ex dictis, sæpissimèque repetitis in præsenti disputatione.

Quibus suppositis demonstro propositionem datam primò. Quia, vt voluntas, dum existit in A, libertatem haberet ad exercendum aliquem suum actum in B, proximè potens deberet esse, dum existit in A, ad ponendum, vel omittendum talem actum in B iuxta principium quintum. Sed id repugnat iuxta principium secundum. Ergo etiam repugnat, vt voluntas, dum existit in A, libertatem habeat ad exercendum aliquem suum actum in B. 658

Secundò demonstro. Quia voluntas, dum existit in A, vt summùm potest habere potentiam remotam ad ponendum aliquem suum actum in B, proximam verò minimè iuxta principium tertium. Sed absque potentiâ proximâ ad ponendum, vel omittendum talem actum in B libertas voluntatis ad ipsum in B exercendum stare non potest iuxta principium quintum. Ergo voluntas, dum existit in A, nullatenus potest libertatem habere ad exercendum aliquem suum actum in B. 659

His demonstratum manet, voluntatem, dum existit in A, neutiquam posse libertatem habere ad exercendum aliquem suum actum in B, præscindendo ab eo, quòd voluntas sit, vel non sit habitura libertatem ad ipsum actum, quando iam existat in B. Quia tamen Aduersarij non solùm dicunt, posse voluntatem, dum existit in A, habere libertatem respectu actus exercendi in B, sed etiam, non posse illam habere, quando iam existit in B; amplius adhuc veniunt vrgendi vt sequitur. 660

Propositio 2.

Voluntatem, dum existit in A, ita posse libertatem habere ad aliquem suum actum exercendum in B, vt illam habere non possit, quando iam existit in B, longè impossibilius est, & absurdius. 661

Demonstro primò. Quia iuxta principium quartum, quando voluntas non est habitura potentiam proximam ad aliquem suum actum in B, ne remotam quidem potentiam habet ad

ipsum

ipsum, dum existit in A. Sed, si voluntas ad actum exercendum in B non potest libertatem habere, quando iam existit in B, neque potentiam proximam ad actum contradictorium habere poterit, vt constat. Ergo in tali casu neremotam quidem potentiam ad ipsum contradictorium habere poterit, dum existit in A. Tantum abest, vt voluntas, dum existit in A, duas potentias proximas habeat ad ambos actus contradictorios exercendos in B; prout opus erat, vt ad eos libertatem haberet, iuxta principium quintum.

662 Secundò demonstro. Quia, posito, quòd voluntas nullatenus potest libertatem habere ad aliquem suum actum exercendum in aliquâ temporis mensurâ futurâ iuxta propositionem primam. Posito item, (id quod multò euidentius est), quòd neque possit libertatem habere ad aliquem suum actum exercendum in aliquâ temporis mensurâ præteritâ. Si neque potest libertatem habere ad aliquem suum actum exercendum in mensurâ temporis præsente, vt Aduersarij volunt. Consequitur planè, voluntatem nullam libertatem habere posse ad vllum suum actum exercendum in vllâ mensurâ temporis. Quod est ingens absurdum. Siquidem nulla est possibilis mensura temporis, quæ respectu voluntatis prout existentis (qualis ad aliquem suum actum exercendum liberè debet esse) non sit aut futura, aut præterita, aut præsens, vt est notissimum.

663 Tertiò demonstro. Quia, si voluntas non posset habere libertatem ad vllum suum actum exercendum in mensurâ temporis sibi præsenti, sed tantùm ad exercendum illum in mensurâ temporis sibi futurâ, necessarium omnino esset, vt, ante quàm voluntas vllum suum actum liberum exerceret, in aliqua mensurâ temporis præextitisset, vt est notissimum, & Aduersarij confitentur. Hinc autem planè sequitur, Deum nullum decretum liberum habere potuisse. Quod est ingens absurdum contra rationem, & contra fidem. Quia Deus in nullâ mensurâ temporis potuit præexistere ante sua decreta libera; cùm hæc æquè æterna sint, ac Deus ipse, iuxta certam, ac fidei etiam consentaneam Theologiam.

664 Quartò demonstro. Quia absurdum penitus impossibile est, eumdem actum voluntatis liberum simul, & necessarium in existentiâ suâ esse, vt est manifestum. Sed sæpe esset talis, si aduersa sententia esset vera. Ergo illa falsa penitus est. Minor, quæ sola probatione eget, ostenditur. Quia; cùm actus voluntatis, non possit non euadere liber in existentiâ suâ, quando voluntas ad illum libera est, nec possit non euadere in suâ existentiâ necessarius, quando voluntas ad illum non libera est, sed necessitata, vt est certissimum. Si voluntas, dum existit in A, libera esset ad aliquem suum actum exercendum in B, ad eumdemque iam non libera, sed necessitata esset, quando existit in ipso B, vt aduersa sententia fert; non posset non talis actus in existentiâ suâ simul esse liber à libertate voluntatis in A, & necessarius à necessitate voluntatis in B. Quod erat absurdum ostendendum.

665 Quintò demonstro. Quia ex sententiâ, quam impugnamus, aliunde sequitur, nullum actum voluntatis posse vnquam esse ipsi liberum, & imputabile. Quod est peius absurdum. Si enim ad actum exercitum in B tantùm habet libertatem voluntas, quando existit in A; secus quando existit in B; prout fert dicta sententia: talis actus nec potest esse voluntati liber, & imputabilis in A; quia nondum exercet illum voluntas; neque in B; quia iam non potest illum non exercere. Etenim nec potest voluntas aut laudari, aut reprehendi de positione talis actus, quando existit in A; quia tunc non datur talis positio: nec, quando existit in B; quia tunc ita datur, vt non possit à voluntate euitari.

Sextò demonstro. Quia aliunde rursus sequitur ex eâ, quam impugnamus, sententiâ, quo- 666
ties voluntas in A est indifferens, atque adeò iuxta sententiam ipsam libera ad positionem in B vel actus, vel carentiæ eius, ineuitabile omnino esse, quominùs liberum, & imputabile voluntati euadat, quodcunque eorum extremorum ponatur in B; quia, esse illud liberum, atque adeò imputabile voluntati in tali sententiâ, aliud non est, quàm, poni illud in B, & fuisse voluntatem liberam ad illud in A. Vnde quantumuis Deus prædeterminet voluntatem ad ponendum talem actum in B, liber nihilominùs, & imputabile ille manebit: quantumuisque Deus neget voluntati suum concursum ad eum ponendum, libera nihilominùs, & imputabilis manebit eius carentia: imo; licèt Deus destruat voluntatem, eaque iam nullum *esse* habeat in B, libera nihilominùs, & imputabilis ipsi erit carentia actus, ad quem libertatem habuit, dum esset in A. Quæ manifesta absurda sunt. Sed quid immoror in re iam omnino certâ apud omnes?

Concludo ergo. Et inde tandem demon- 667
stro propositionem; quia fundamentum vnicum sententiæ oppositæ euidenter est fallax, atque adeò ad rem nullum. Fundati enim vnicè sunt illius Auctores in illo celebri pronunciato tradito ab Arist. lib. 1. Periher. cap. vlt. *Omne quod est, quando est, necesse est esse*. Sed malè tamen ab eis intellecto. Nam, vt Aristoteles ipse clarè se explicat in contextu, & eum ibi S. Thom. etiam exponit lect. 15. Sermo in illo est non de necessitate absolutâ contingentiæ oppositâ, sed de necessitate ex suppositione, quæ benè cum contingentiâ, atque adeò cum libertate cohæret; fundaturque in illo principio: *Impossibile est, idem simul esse, & non esse*, vt benè notat S. Thom. ibidem. Nam, si id, quod est, ex suppositione, quòd est, siue suo *esse* retento, siue in sensu compositi sui *esse* (quæ tria recidunt in idem) posset non esse, idem posset simul esse, & non esse; quod est implicatorium. Ex quo patet, impotentiam, quam habet voluntas, dum ponit aliquem suum actum, ad non ponendum illum ex suppositione, quòd ponit, siue in sensu compositio positionis; eo quòd impossibile est, actum simul poni, & non poni; neutiquam impedire potentiam, quam illa habere potest ad talem actum non ponendum absolutè, siue in sensu diuiso positionis; atque adeò neque libertatem, quam illa habere potest ad talem actum ponendum, vel non ponendum. Quam quidem habebit, quoties potentia proxima eius, à qua procedit actus positio, cum non- 671
positione, seu cum carentiâ ipsius actus compatibilis est, vt ex sæpe dictis hactenus iam satis est liquidum. Et quidem, si propter eximia Aristotelis dicendum esset, libertatem ad præsens esse impossibilem, consequenter esset quoque dicendum impossibilem quoque esse ad futurum; omnisque subinde libertas possibilis esset neganda; quod est immane absurdum. Quandoquidem qua

qua necessitate est necessarium, vt præsens sit præsens ex suppositione, quòd est præsens, eadem omnino est necessarium, vt futurum sit futurum ex suppositione, quòd est futurum. Ex quo rursus apparet, quàm male axioma Aristotelis intellexerint præfati Auctores.

668 Pergo ad secundam quæstionis partem. Pro cuius resolutione suppono primò, doctrinam de compositione physicâ temporis non ex partibus in infinitum diuisibilibus, sed ex solis instantibus indiuisibilibus, ijsque finitis à me, ni fallor, demonstratam tom. 1. huius Operis disp. 8. quæst. 4. num. 100. & 112. & latiùs disp. 10. quæst. 4. à num. 233.

669 Secundò suppono doctrinam etiam à me statutam, & efficaciter probatam dicta disp. 8. quæst. 1. & 3. de rerum durationibus superadditis, affixisque instantibus temporis suapte essentiâ, atque ita indiuisibilibus, vt non sit possibilis duratio vlla indiuisibilis, quæ ad plura temporis instantia se possit extendere, eisque subinde per sui replicationem correspondere.

670 Tertiò suppono, pleroſque saltem esse actus cuiusuis voluntatis creatæ ita suapte essentiâ alligatos vnius temporis instanti, in quo primò existunt, vt nullatenus vltra illud possint ampliùs durare, sed necessariò debeant desinere immediatè post illud. Hoc mihi probant pleraque eorum argumentorum, quibus in Pharo Scient. disp. 2. quæst. 4. conclus. 6. & disp. 10. quæst. 3. propos. 4. probaui, iudicium cuiusuis intellectus creati vnico instanti, in quo primò existit, alligatum esse, aut certè (quod recidit in idem) si intellectus in eodem obiecto eodem modo iudicando per aliquod tempus perseueret, id non aliter fieri posse, quàm per iudicium successiuè coalescens ex pluribus quasi partialibus iudicijs indiuisibilibus quoad durationem, & instantibus talis temporis singulatim correspondentibus iuxta dicta etiam de visione beatificâ tom. 1. disput. 21. quæst. 5. num. 57. Igitur, sicut iudicium de obiecto prout existente de præsenti vltra instans præsens, in quo primò elicitur, durare nequit; ita gaudium de obiecto prout existente de præsenti: &, sicut iudicium de obiecto prout extituro post quatuor dies ab instanti præsenti pariter vltra præsens instans durare non potest; sic desiderium de obiecto prout extituro post quatuor dies ab instanti præsenti. Et, quemadmodùm, si perseueret intellectus per aliquod tempus iudicando idem obiectum prout sibi præsens, tale continuatum iudicium ex pluribus quasi partialibus iudicijs singulis instantibus talis temporis correspondentibus debet coalescere; ita si perseueret voluntas per aliquod tempus gaudendo de obiecto aliquo prout sibi præsente, ex pluribus quasi partialibus gaudijs tale continuatum gaudium coalescere debet. Pariterque philosophandum est de alijs actibus voluntatis iudicijs intellectus proportionatis propter easdem proportionales rationes, quæ ab vnoquoque locis citatis possunt videri, & facilè ad præsens propositum applicari.

671 Suppono quartò, licèt aliquis actus voluntatis in quouis tempore diuisibili possit idem durare per sui totius in omnibus instantibus talis temporis temporalem replicationem, siue repetitionem; quia tamen aliter id non potest fieri iuxta doctrinam statutam suppositione secundâ, quàm communicatis tali actui à causâ conseruatiuâ eius, quæ est ipsa voluntas, tot durationibus superadditis, quot sunt instantia ipsius temporis, affixis suapte essentiâ instantibus ipsis, perinde ad rem venire philosophandum de libertate, aut necessitate continuationis cuiusuis actus voluntatis per quoduis tempus, siue sit ille compositus ex pluribus actibus quasi partialibus affixis instantibus talis temporis, siue sit ille simplex, durans tamen in ipsis instantibus per plures superadditas durationes affixas ijsdem; quia perinde est ad rem in omnibus eis instantibus successiuè voluntatem producere vel plures partes actus compositi, vel plures durationes actus simplicis. His pro secundâ quæstionis parte suppositis sit

Propositio 3.

Possibile est, vt aliqua voluntas creata ita suum actum liberè ponat in primo instanti existentiæ eius, vt ad illum vlteriùs per aliquod tempus continuandum nullatenus necessitata maneat, sed vel in instanti immediato, vel in quouis alio, ex quibus tempus sequens componitur, liberè continuationem eius possit omittere. Idque, siue talis actus dumtaxat sit continuabilis per positionem plurium actuum similium quasi partialium pluribus instantibus talis temporis suapte essentiâ correspondentium iuxta suppositionem tertiam; siue sit continuabilis per positionem plurium durationum partialium eidem entitati sui superadditarum, ipsamque in ijsdem instantibus temporis replicantium, seù repetentium iuxta suppositionem quartam. 672

Etenim, si actus sit primi generis, etsi singulæ partes eius in solis instantibus, quibus essentialiter correspondent, possint à voluntate liberè poni, voluntasque proinde necessitata sit ad vnamquamque earum omittendum, seu non ponendum in vllo cæterorum instantium tum subsequentium, tum antecedentium, præter vnicum proprium eius; posità tamen liberè à voluntate in primo instanti primâ parte, liberè quoque potest illa ponere in secundo secundam, & in tertio tertiam, & in quarto quartam & ita deinceps ejusmodi continuationem actus, quantum sibi libeat, protrahere; quandiu tamen illi non desit aliquod ex prærequisitis ex parte actus primi ad protrahendam illam. Si autem sit actus secundi generis, immediatè post primum instans productionis liberæ eius liberè poterit voluntas dare ei secundam durationem in instanti secundo, & tertiam in tertio, & quartam in quarto, sicque prosequi deinceps poterit continuationem istam, donec vel sibi libeat ab illâ liberè cessare, vel aliquod ex prærequisitis ex parte actus primi ad prosequendam illam sibi deficiat. Inter hæc autem duo genera continuationis actus voluntatis hoc est discrimen, quòd iuxta primum nihil eorum, quæ à voluntate ponuntur in vnoquoque instanti temporis, transit ad aliud instans; quia, quidquid ponitur in singulis, est per essentiam ipsi alligatum: iuxta secundum verò

verò substantia actus, & productio eius, quæ ponuntur in primo instanti transeunt ad reliqua; quia ad omnia indifferentes sunt, solaque duratio partialis, qua in vnoquoque instanti durant, ad alia non transit, in singulisque proinde instantibus solæ huiusmodi durationes partiales ipsis per essentiam affixæ ponuntur denuò à voluntate. Porrò ex hypothesi doctrinæ contentæ in suppositionibus, quas præmisimus, omnia ista esse possibilia, prout data propositio fert, indubitabile prorsus est.

673 Addo cum Auctoribus secundæ sententiæ, & contra Auctores primæ, quæ num. 656. relatæ sunt; etiam ex suppositione, quòd tempus ex partibus in infinitum diuisibilibus componatur, & actus voluntatis nulli mensuræ temporis sit per essentiam alligatus, sed indifferens ad durandum in omnibus, vt vtrique dicti Auctores supponunt; dicendum nihilominus esse, aliquam saltem voluntatem creatam liberè posse suum actum omittere immediatè post primum instans, in quo illum libere ponit: necessitatamque subinde non esse ad illum per tempus aliquod diuisibile conseruandum, siue continuandum. Quoniam, eà etiam suppositâ temporis diuisibilitate, sicut dici debet, indiuisibilia ipsa temporis, ac motus, non obstante suâ indiuisibilitate, posse per vnicum dumtaxat instans durare, & immediatè post desinere; ita dici potest actus voluntatis, suâ indiuisibilitate non obstante, per vnicum dumtaxat instans durare posse, & immediatè post desinere: atque adeò à voluntate liberè omitti in tempore, quod immediatè post instans sequitur, quin opus sit expectare aliud instans, in quo desinat, & omittatur.

674 Deinde addo cum Soar. lib. 12. de Gratiâ cap. 21. supra citato, stando in eàdem sententiâ de compositione temporis ex partibus in infinitum diuisibilibus, sicut possibile dicitur, vt actus indiuisibilis omittatur in tempore diuisibili immediatè sequente post primum instans suæ existentiæ, ita dicendum esse possibile, vt actus indiuisibilis ponatur in tempore diuisibili immediatè sequente post vltimum instans suæ non existentiæ. Quia tam indiuisibilis est omissio actus indiuisibilis, quàm eius positio, vt est notissimum. Si ergo illa tempori diuisibili correspondere potest, hæc vtique poterit itidem. Quod confirmatur; quia in dictâ sententiâ necessariò est dicendum conseruationem indiuisibilem actus tempori diuisibili posse correspondere. Cur ergo non dicetur idem de primâ actus positione? Ex quibus infertur, minùs consequenter negare Arriagam vbi supra, posse actum indiuisibilem in tempore diuisibili poni, concedendo, posse ipsum in tempore diuisibili omitti. Quæ omnia ex hypothesi diuisibilitatis in infinitum cuiusli. bet partis temporis dicta sunt. Quam quia ego absolutè censeo impossibilem iuxta suppositionem primam, non possum non quoque censere, eiusmodi correspondentias cuiuuis entis indiuisibilis cum parte diuisibili temporis impossibiles esse.

Propositio 4.

675 Non est possibile, vt aliqua voluntas creata ita suum actum liberè ponat in primo instanti existentiæ eius, vt ad illum vlteriùs per aliquod tempus continuandum essentialiter maneat necessitata necessitate absolutâ. Benè tamen necessitate ex suppositione perseuerantiæ suæ. Idque, siue actus sit ex primo, siue ex secundo genere eorum, quæ propos. 3. commemorata sunt.

Prima pars propositionis probatur. Quia prorsus repugnat, vt in instanti primo existentiæ actus liberi detur absoluta necessitas ad continuationem eius per tempus sequens. Cùm enim talis continuatio sine existentiâ voluntatis in eodem tempore sequente stare non possit, vt constat; absoluta necessitas ad illam secum ferret absolutam necessitatem ad durationem voluntatis in tempore sequente: hæc autem haud dubiè supremo dominio Dei derogaret; impossibilisque proinde censenda est. Si enim impossibilis est creatura, quæ semel existens essentialiter petat durare per tempus diuisibile, vt cum communi Theologorum, & Patrum sententiâ statuimus tom. 1. disp. 8. quæst. 3. quia per eius productionem inferret Deus sibi necessitatem absolutam non destruendi illam pro libito suo, sed toto eo tempore conseruandi: quanto magis impossibile erit, vt creata voluntas pro suo arbitratu per positionem alicuius actus sui liberi necessitatem absolutam inferat Deo, vt ipsam non destruat pro libito suo, sed per tempus aliquod sequens necessario conseruet? Cuius necessitatis impossibilitas etiam ex parte actus voluntatis arguitur, saltem, quando ille esset secundi generis; tenerentur siquidem Deus per illam ad talem actum semel à voluntate productum per sequens tempus conseruandum.

Secunda autem pars propositionis probatur, 676
Quia ex suppositione, quòd voluntas alias à Deo per tempus aliquod liberè conseruanda sit, possibile est, vt ea in primo instanti talis temporis liberè producat actum talis naturæ, vt omnino sit necessarium, eum semel productum per tempus ipsum à voluntate continuari. Id namque euenit, si talis actus suapte essentiâ connexus sit vel cum ipsâ suâ continuatione, vel cum aliqua prædeterminatione voluntatis ad eam per totum id tempus causandam ex hypothesi, quòd per id totum aliàs ipsa voluntas à Deo conseruanda sit. Et non est absolutè loquendo, cur non possit excogitari possibilis actus, qui talem habeat naturâ suâ conditionatam connexionem. Vniuersaliter siquidem benè potest aliquis actus voluntatis naturâ suâ esse connexus cum vno ente sub conditione existentiæ alterius; vti connectitur imperium efficax conditionatum cum actu imperato sub conditione, quòd existat conditio. Speciatimque non est difficile, aliquem actum excogitare talis naturæ, vt cum suâ per aliquod tempus continuatione connectatur vel immediatè, vel mediâ prædeterminatione sub conditione, quòd ipsa voluntas toto eo tempore sit extitura. Idque, siue huiusmodi continuatio per plures actus quasi partiales facienda sit, siue per plures eiusdem superadditas durationes iuxta duplex genus continuationis supra suppositum.

Est tamen notandum; si sit connexio actus voluntatis cum solâ suâ continuatione immediatè, ita esse necessarium, suppositâ primâ existentiâ eius, quòd eius continuatio sequatur, vt talis necessitas comparatione voluntatis non antecedens, sed consequens sit. Cùm enim actus prout ex-

existens in primo instanti per se necessitare non possit voluntatem ad suam continuationem causandam pro tempore sequente: tum quia iam tunc non erit vt sic: tum quia nullo titulo pertinet ad potentiam proximam voluntatis causatiuam dictæ continuationis: perinde se habent prima existentia actus, & eius continuatio in hoc casu, ac, si essent duo actus duarum liberarum causarum, quorum primus esset connexus cum secundo. Sicut ergo quando actus vnius causæ liberæ cum actu alterius connexus est, prima nequit euadere proximè potens ad suum actum sine nutu secundæ; eo quòd potentia proxima ad actum primæ complenda est per veritatem conditionatum de existentia sine contradictione actus secundæ, si existat actus primæ, vt vniuersaliter ostendimus supra quæst. 5. propos. 14. necessitasque proinde, quæ datur ex suppositione existentiæ actus primæ ad existentiam actus secundæ dumtaxat est necessitas consequens, vtpote supponens existentiam liberam actus secundæ sub hypothesi existentiæ actus primæ. Ita in casu nostro voluntas nequit euadere proximè potens ad primam existentiam sui actus, nisi dependenter à nutu suo tempore sequente exercendo circa continuationem eius, vtpote cuius potentia proxima ad primam actus existentiam complenda est per veritatem conditionatam de existentia sine contradictione continuationis eius, si detur ipsa prima existentia; qua proinde data necessitas ad continuationem, quæ resultat, tantùm est consequens.

678 Aliud est de altero casu, in quo existentia prima actus, non cum solâ suâ continuatione immediatè, sed cum prædeterminatione aliqua voluntatis ad ipsam continuationem immediatè connexa sit, & consequenter cum eâdem continuatione mediatè. In tali enim casu, licèt etiam ad complendam potentiam proximam voluntatis ad primam actus existentiam sit requisita conditionata veritas de existentia sine contradictione talis prædeterminationis oriunda à causâ suâ, si detur ipsa prima existentia actus, iuxta doctrinam etiam vniuersalem statutam dictâ quæst. 5. propos. 9. Quia tamen voluntas ad actus continuationem per huiusmodi prædeterminationem à suâ causâ ponendam non potest non in tali casu necessitari; ideo necessitas, quæ, suppositâ primâ existentiâ actus, ad eius continuationem datur in tali casu, non potest non esse necessitas antecedens respectu voluntatis; licèt sit necessitas consequens respectu causæ dictæ prædeterminationis, quando hæc ab ipsâ suâ causâ liberè in voluntate ponenda est.

Propositio 5.

679 Possibile est, vt quæuis voluntas creata ita suum actum liberè ponat in primo instanti existentiæ eius, vt ad illum vlterius per aliquod tempus continuandum accidentaliter, siue per accidens necessitata euadat. Idque, siue actus sit ex primo, siue ex secundo genere eorum, quæ propos. 3. commemorata sunt.

Omnibus enim modis, quibus potest voluntas ad aliquem suum actum necessitari absolutè, potest quoque ex suppositione primæ existentiæ liberæ illius necessitari ad eius conseruationem; idque citra omnem connexionem talis primæ existentiæ cum tali continuatione, siue cum tali ad ipsam necessitate: quod ipsum est, posita primâ existentiâ liberâ actus, per accidens posse ad eam sequi, siue ei adiungi necessitatem ad ipsius actus continuationem per aliquod tempus, vt nostra propositio fert. In quo profectò nullam specialem difficultatem esse, nullique proinde dubio subesse propositionem ipsam satis, superque ex terminis videtur notum. Itaque postquàm voluntas liberè posuit suum actum in primo instanti, aut etiam, postquàm illum liberè continuauit per aliquod tempus, potest ad illum vlterius continuandum necessitari tum per quamlibet prædeterminationem sibi superuenientem, tum per defectum aduertentiæ ad libertatem requisitæ, hoc est, per defectum cognitionis à continuatione retrahente iunctum cum persistentiâ cognitionis inclinantis, subindeque impellentis ad ipsam: qua ratione actus, quos vocant primò primos, necessarij euenire solent.

Et hoc secundo modo censeo, voluntatem 680
nostram de facto sæpe actum liberè incœptum necessariò continuare. Non tamen video, cur ad suos actus continuandos per aliquod tempus semper necessitata sit, vt opinatur Arriaga. Nec potest id, vt ipse putat, ab experientiâ persuaderi. Nam experientia immediata, quam ex actibus nostris intentionalibus per ipsosmet capimus, dum illi per se ipsos se nobis notificant iuxta doctrinam datam in Pharo Scient. disput. 1. quæst. 2. num. 157. obscurior, siue imperfectior esse videtur, quàm, vt per illam valeamus discernere, quanta illorum duratio sit, & an sit indiuisibilis, vel diuisibilis: vnde nec per iudicium in eiusmodi experientiâ fundatum videtur id posse à nobis dijudicari. Estò autem, vt vult Arriaga, per experientiam constet, non posse hominem in ictu oculi, quater, aut pluries repetere voluntatis actum, semel, & iterum, atque iterum ponendo, ac omittendo illum liberè; cùm certum sit in omni sententia, ex pluribus partibus constare eam temporis morulam. Id tamen inde videtur nasci posse: quia ad istam repetitionem actus ex industria faciendam tot applicationes, ac reflexiones intellectus, repetitioneque actuum eius sunt requisitæ, quot fieri connaturaliter non possunt, nisi in maiore temporis morâ. Quod non tollit, voluntatem sine hisce reflexionibus operantem posse actum, à se liberè elicitum, liberè quoque statim omittere immediatè post primum instans existentiæ eius; quin hoc repugnet vlli experientiæ.

Porrò, quæ in tota hac quæst. dicta sunt 681
de libertate actus positiui respectiuè ad mensuram temporis, in qua ille vel existit primò, vel continuatur, suâ seruatâ proportione applicanda sunt libertati actus negatiui, siue omissioni actus.

Quod facilè quisque præstare poterit.

QVAESTIO XV.

Quænam ex parte intellectus sint requisita ad libertatem voluntatis. Et qualiter.

682 SVb hoc vniuersali quæstionis titulo plures quæstiunculæ, siue difficultates comprehendendæ veniunt, quæ sub illo etiam à nobis breuiter expediendæ sunt. Supponendo imprimis ex Pharo Scient. disput. 7. quæst. 1. hypoth. 1. nullum dari posse actum voluntatis, qui ab aliquâ intellectione non pendeat. Intellectionem autem ad actum voluntatis non effectiuè, sed illuminatiuè concurrere. Quæ duo ibi probata videnda sunt.

682 Prima igitur difficultas est. An voluntas ad aliquem suum actum moueri possit per solam apprehensionem simplicem de obiecto eius: an verò ad omnes necessariò expoſcat iudicium. Conueniunt Doctores communiter, ad actus simplicis complacentiæ, vel displicentiæ benè posse voluntatem moueri per simplicem apprehensionem de bonitate, vel de malitiâ obiecti. Id namque sæpe in nobis euenire de facto, ipsâ experientiâ constat. Dissentiunt tamen, an etiam possit moueri ad actus efficaces; vel necessariò ad hos iudicium de bonitate, vel de malitiâ obiecti requirat. Sufficere simplicem apprehensionem, vt moueatur voluntas etiam ad actus efficaces, nec requisitum esse iudicium, tenent Vazq. 1.2.disput.44.cap.2.& 4. Arriaga disput.2.sect.2. Ouiedo controuer. 8. de Animâ punct.4. Carleton disput.23. de Animâ sect.5. & alij. Pro oppositâ tamen & communiori sententiâ stant Aristot. S.Tho. Azor, Valent. Medina, & alij, quos refert, & sequitur Salas 1.2. tract.1. disput. 5. sect.2. Soar. disput.23.Metaph.sect.7.Tann.tom.2. disput.2. quæst.2. dub.2. Lynce lib. 7. Metaph. tract.8. cap. 1. & alij plures. Quibus ego subscribo. Quia, sicut voluntas dumtaxat potest ferri efficaciter in id, quod sibi apparet possibile, vt vera, & communis Philosophorum ac Theologorum sententia fert. Ita similiter dumtaxat potest ferri efficaciter in id, quod sibi apparet verum: qualiter apparere non potest id, quod per solam apprehensionem simplicem illi repræsentatur. Nam, cùm apprehensio simplex indifferens sit ad affirmandum, vel negandum obiectum apprehensum, quatenus ad vtrumuis potest intellectui seruire: ipsa per se non magis veri, quàm falsi est notificatiua, ob idque est incapax veritatis, & falsitatis, prout cum communi in Pharo Scient. disput. 3. quæst. 2. à nobis stabilitum est.

684 Sed arguunt Aduersarij. Appetitus sensitiuus brutorum, aut etiam hominum fertur in sua obiecta efficaciter ductus dumtaxat simplici apprehensione de illis. Ergo pariter poterit in sua duci voluntas rationalis. Nego consequentiam. Quia sensui interno, à quo gubernatur appetitus ad supplendum defectum iudicij proprij, præter apprehensiones non suasiuas ad vim eius imaginatiuam spectantes, aliæ formaliter suasiuæ sunt datæ ad vim eius æstimatiuam pertinentes, quæ veluti iudicia quædam impropria sunt, in ordineque ad appetitum mouendum iudicijs æquiualent, prout ex communi Philosophorum sententiâ tradidimus in eâdem Pharo Scient. disput.1. quæst.2. hypothes.31. Istud autem genus apprehensionum formaliter suasiuarum, non est, cur intellectui tribuatur. Atque ita non aliter, quàm per iudicia, censendus est ille posse mouere voluntatem ad actus efficaces.

Secunda difficultas est. An intellectio mouens voluntatem ad actum liberum debeat esse practica, id est, proponens voluntati non solum obiectum talis actus, sed etiam actum ipsum. 685 Nonnulli affirmant: eo quòd putant, voluntatem formaliter velle actum liberum per ipsummet, per præuiamque proinde cognitionem debere cognoscere illum: quia nihil volitum, quin præcognitum. Ita Ribaden. disput.15. de Actib. human. cap.4. & Soar. Lusit. in suo Cursu philo. soph. tract.6. de Animâ disput.2. sect.3. §.1. vbi alios refert pro hac sententiâ. Opposita tamen negatiua multò communior est. Quam tenent Vazq. 1.2.disput.44. cap.4. Salas 1.2.tract.1. disput.5. num.19. Gaspar Hurt. 1.2.disput.3. difficul.8. Ripalda disput. 62. de Ente supernatur. sect.2. & alij communiter. Cum quibus ego asero, vt voluntas eliciat actum liberum circa quoduis obiectum nullatenus requisitum esse, quòd præcognoscat actum ipsum, sed satis esse, quòd præcognoscat ipsum obiectum. Experientiâ enim videtur satis, superque notum, sæpe nos, imo ordinariè amare, siue velle liberè obiecta ad sola ipsa obiecta attendentes absque vllâ prorsus attentione, aduertentiâ, siue cognitione reflexâ de nostro actu amoris, siue volitionis. Verum quidem est, actum ipsum se se nobis vt iam existentem aliquo modo notificare experimentali quadam notitiâ à se ipso indistinctâ iuxta doctrinam indicatam num.680. At illum semper, & necessariò debere cognosci vt possibilem per præuiam, reflexamque intellectus notitiam, vt à voluntate eliciatur, prout Aduersarij volunt, omnino est ab experientiâ alienum. Atque etiam à ratione. Eo quòd nullus titulus est adstruendi talem dependentiam actus liberi à tali sui intellectione. Et sine aliquo idoneo titulo ea adstrui non debet. Ad libertatem enim talis actus requisitum non est, quòd sit ille volitio sui formalis: qui est titulus ab Aduersarijs prætensus. Tametsi ex eius libertate sequatur, quod sit volitio sui interpretatiua, quatenus voluntas eo ipso, quòd illum liberè elicit, interpretatiuè, siue moraliter censetur, velle illum elicere. Quod solum probant vt summùm argumenta, quæ congerit Ribaden. vbi supra ad probandum, esse dictum actum volitionem formalem sui. Vt autem interpretatiuè solùm, & moraliter volitio sui esse dicatur, præuiam ipsius intellectionem prædictam requisitam non esse, apud omnes est inconfessò.

Tertia difficultas est, vtrùm voluntas per 686 præuias intellectiones inclinata siue æqualiter, siue inæqualiter ad actus diuersos libera euadat immediatè ad quemuis eorum eligendum. Pro cuius resolutione suppono primò id, quod est certum, & apud omnes in confessò; voluntatem scilicet per præuias intellectiones, intellectualesve cognitiones, siue cogitationes de obiectis sibi per easdem propositis idoneè debere inclinari, siue moueri in actu primo, vt liberè se possit per actus secundos circa obiecta ipsa exercere. Et

quo-

quoniam omnis libertas voluntatis aut est ad actus oppositos vel contradictoriè, vel contrariè, quales sunt libertates contradictionis, & contrarietatis, aut est ad actus non oppositos, qualis est libertas anonyma iuxta diuisionem factam supra quæst. 3. num. 31. scire opus est, quando libertas est ad actus oppositos, cogitationem inclinantem voluntatem ad vnum eorum eo ipso esse retrahentem illam ab altero; quia non potest amplecti vnum, quin alterum relinquat: secus euenit, quando est libertas ad actus non oppositos; quia tunc potest voluntas simul amplecti vtrumque. Quia tamen id, quod necessitat voluntatem ad vnum ex actibus oppositis, etiam, imo longè efficaciùs retrahit illam ab altero, non satis est pro libertate voluntatis ad actus oppositos, quòd ea per prævias cogitationes ad vnum eorum inclinetur, & ab altero retrahatur, sed requisitum omnino est, quòd inclinetur ad vtrumque. 685

687 Vnde suppono secundò, in dubium hìc verti ab aliquibus. An inclinationes voluntatis ad actus diuersos siue oppositos, siue non oppositos per vnicam cogitationem præstari possint; vel necessariò debeant præstari per diuersas. Ego censeo primò, in nobis cognoscentibus per species alienas per diuersas debere necessariò præstari. Quia cogitationes non aliter inclinant voluntatem ad actus diuersos, quàm proponendo illi motiua obiectiua diuersa, vt est notum. Motiua autem, quæ voluntati apparent diuersa, eo ipso apparent illi plura: quia idem diuersum à se ipso apparere non potest. Et intellectus noster pro statu præsente nequit cognoscere plura vt plura, nisi per plures cognitiones, vt cum Aristot. S. Tho. & pluribus alijs statuimus in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 3. conclus. 2. Proindeque nec potest proponere voluntati motiua diuersa, nisi per plures cognitiones, siue cogitationes. Itaque, vt intellectus noster pro statu præsenti proponat voluntati etiam in vno reali obiecto rationem boni mouentem, siue inclinantem illam ad illud volendum, & rationem mali mouentem, siue inclinantem illam ad illud non volendum, aut etiam positiuè nolendum, duabus cognitionibus indiget, alterà de conceptu obiectiuo boni, alterà de conceptu obiectiuo mali eidem obiecto reali conuenientibus: qui saltem per nostram rationem distincti sunt, ac sæpe sæpiùs etiam realiter penes distincta connotata. Potiorique iure egebit intellectus noster duabus cognitionibus ad proponenda voluntati duo obiecta omnino distincta, vt illa per suam volitionem eligat, quod maluerit. Secundò censeo, in ijs qui cognoscunt per species proprias vel per vnicam, vel per plures intellectiones posse voluntatem inclinari ad actus diuersos. Quia in cognoscentibus per species proprias intellectus vel per vnicam, vel per plures intellectiones potest plura vt plura cognoscere, vt ex dictis loco citato Phari colligitur; & consequenter vel per vnicam, vel per plures cognitiones potest diuersa, atque adeò plura motiua ad actus diuersos voluntati proponere. Nihilominùs in hac materiâ maioris vniuersalitatis & claritatis gratiâ semper suppositimus, ac supponemus, voluntatem ad plures actus per plures cogitationes, seu cognitiones inclinari, siue moueri.

688 Suppono tertiò, inclinationes voluntatis ad actus diuersos vel æquales, vel inæquales esse posse; de quo nullum est dubium. Ista tamen æqualitas, vel inæqualitas inclinationum ex æqualitate, vel inæqualitate nasci potest aut motiuorum obiectiuorum, aut cogitationum, quibus ea proponuntur voluntati, aut vtrorumque. Motiua autem eò maiora, vel minora censentur ad rem, quò maiorem, vel minorem vim, siue virtutem motiuam habent. Quantitasque virtutis motiuæ, tum penes motiuorum substantiam, tum penes eorum accidentia, ac circunstantias pensanda est. Bona enim, vel mala præcisè quoad substantiam æqualia, vt sicque proinde habentia vim motiuam æqualem, valde inæqualem possunt illam habere à circunstantijs diuersis tum suis, tum subiecti ab illis mouendi. In summâ, cùm omne motiuum obiectiuum voluntatis reducatur ad bonum amabile, & ad malum odibile, illud respectu talis voluntatis individuæ erit hìc, & nunc maius, aut minus motiuum, quod, spectatis omnibus, hìc, & nunc fuerit respectu eius, aut magis bonum, & amabile, aut magis malum, & odibile. Iam verò ex parte cogitationis proponentis voluntati motiuum obiectiuum ad aliquem actum eò magis potest aut crescere, aut minui inclinatio eius ad talem actum, quò maiori, vel minori viuacitate, seu expressione, seu claritate tali voluntati tale motiuum per talem cognitionem proponitur. Vnde ab æqualibus motiuis obiectiuis inæqualiter inclinata sæpe euadet voluntas propter inæqualitatem cogitationum, quibus ipsi illa proponuntur: sicuti etiam vice versâ sæpe ab inæqualibus æqualiter. In summâ enim rursus tanta inclinationis voluntatis ad actum euadit quantitas, quanta est quantitas adæquati motiui ad idsum coalescentis ex motiuo obiectiuo, & ex cogitatione id proponenti, quæ motiuum formale dici potest.

His positis circa difficultatem propositam 689
num. 686. P. Vazquez 1. par. disputat. 98. cap. 7. & disput. 210. cap. 3. & 1. 2. disput. 43. cap. 2. & disput. 128. cap. 5. docet, voluntatem ad eum dumtaxat actum positiuum habere libertatem immediatam, ad quem per prævium cogitationem de motiuo obiectiuo eius magis, quàm ad actum oppositum inclinata est. Secus verò ad eum, ad quem vel minorem, quàm ad oppositum, vel æqualem inclinationem habet. Quamquam enim ipse potiùs de maiore, vel minore viuacitate, siue expressione cogitationis proponentis obiectum, quàm de maiore, vel minore inclinatione voluntatis loquatur; certè, si attendatur ad eius mentem, potiùs de hac (vndecunque ea proueniat iuxta doctrinam suppositionis tertiæ) intelligendus est, quàm de illâ: quia supponit, ex maiore, vel minore expressione cogitationis maiorem, vel minorem inclinationem voluntatis ad actum prouenire. Itaque iuxta sententiam P. Vazq. si voluntas per prævias cogitationes ad actus contrariè oppositos æqualiter inclinata manet, tunc illa ad neutrum eorum actuum est proximè libera ex vi talium cogitationum: si verò manet inclinata inæqualiter, ad eum actum est libera proximè, ad quem maiorem inclinationem habet, secus ad alterum oppositum. Poterit tamen voluntas applicare intellectum ad expressiùs cogitandum in priore quidem casu alterutrum motiuorum; in posteriore autem illud, à quo inclinatur minùs, vt per acquisitionem expressioris cogitationis eius motiui, à quo non inclinabatur magis, iam magis inclinetur; sicque ad actum ipsi correspondentem proximè libera reddatur. Hinc, etsi vo-

luntas ad eum actum (ex duobus oppositis, ad quem est magis inclinata, sit proximè libera quoad exercitium; quia, non obstante eâ maiore inclinatione, proximè est potens illum omittere: at quoad specificationem necessitata est; quatenus illum tantùm, & non oppositum potest proximè elicere, necesseque subinde est, vt, si quem est elicitura, ille sit, & non alter. Similiterque philosophatur Vazq. de inclinationibus voluntatis ad duos actus non oppositos, deque eius libertate immediatâ ad amplectendum vnum præ altero, vt, quando voluntas ex duobus medijs etiam non oppositis vtilibus ad finem à se intentum vnum præ altero electura est. Hæc tamen P. Vazq. sententia latè impugnatur à P. Soar. lib. 7. de Angelis cap. 5. à cæterisque nostris Doctoribus communiter iam prorsus deserta, atque repudiata videtur.

690 Cum quibus ego censeo omnino dicendum, voluntatem per præuias cogitationes inclinatam siue æqualiter, siue inæqualiter ad actus diuersos liberam immediatè euadere ad quemuis eorum eligendum. Quod probo efficaciter primò. Quia, vt constat ex ijs, quæ de inclinationibus voluntatis ad actus diuersos supra statuimus quæst. 10. à num. 544. inclinatio voluntatis ad aliquem actum sine potentiâ proximâ ad ipsum stare non potest. Tum quia nullum ens censetur naturâ suâ, siue inclinatione innatâ inclinari in id, quod obtinere non potest. Tum quia, quando voluntas caret potentiâ proximâ ad vnum ex suis actibus contradictoriè oppositis, ad alterum est necessitata, atque adeò summè inclinata; cum summâque inclinatione ad vnum nulla inclinatio ad alterum compati potest, prout loco citato monstratum est. Hinc autem manifestè concluditur, supposito, (vt impræsentiarum supponitur), quòd voluntas ad actus diuersos per præuias cogitationes euadit inclinata, siue inclinationes, quas ad eos habet, æquales sint, siue inæquales, necessariò dicendum esse, non posse non eam ad eosdem habere quoque potentias proximas, & consequenter libertatem immediatam in talibus potentijs proximis consistentem (iuxta dicta sæpissimè) ad eligendum quemuis eorum. Quod erat ostendendum.

691 Secundò probo meam assertionem, oppositamque sententiam Vazq. impugno. Quia ex illâ sequitur euidenter, nullam omnino esse possibilem voluntati libertatem contrarietatis in vllo casu, ad eligendum scilicet alterutrum ex duobus actibus contrariè oppositis. Quod ingens absurdum est contra omnes Theologos. Quoniam voluntas per præuias cogitationes vel ad neutrum talium actuum est inclinata; vel est inclinata ad alterum tantùm; vel est inclinata ad vtrumque inclinationibus æqualibus; vel est inclinata ad vtrumque inclinationibus inæqualibus. Istique quatuor sunt omnino omnes casus possibiles, vt per se patet. In primo autem certum est, voluntatem neutrum talium actuum posse liberè eligere. In secundo etiam est certum, non posse eligere eum, ad quem nullam inclinationem habet. In tertio neutrum item potest iuxta Vazq. eligere. In quarto iuxta eumdem non potest eligere eum, ad quem habet inclinationem minorem. Ergo nullus est possibilis casus, stante sententia Vazq. in quo voluntas possit ex duobus actibus contrariè oppositis eligere alterutrum, sicque libertatem contrarietatis habere. Quod erat demonstrandum.

Hinc tertiò probo contra Vazq. assertionem meam. Nam vel est iuxta doctrinam eius philosophandum in præsenti de actibus contradictoriè oppositis similiter, atque de oppositis contrariè. Vel aliter. Si dicat primum. Manifestè per demonstrationem factam conuincitur, æquè esse voluntati impossibilem iuxta doctrinam eius libertatem contradictionis ad eligendum alterutrum ex actibus contradictorijs, ac libertatem contrarietatis ad eligendum alterutrum ex actibus contrarijs; subindeque omnem omnino libertatem è medio tolli. Quod est maius absurdum. Siquidem sine libertate contradictionis nulla libertas potest consistere, vt est demonstratum quæst. 3. num. 29. Si autem dicat secundum; vt certè debet, & videtur supponere: nimirum voluntatem siue æqualiter, siue inæqualiter inclinatam ad actus contradictorios esse nihilominùs immediatè liberam ad eligendum alterutrum. Hinc variè venit impugnandus. 692

Primò; quia nulla videtur reddi posse idonea disparitas, cur sit ad propositum aliter de actibus contradictorijs, quàm de actibus contrarijs, philosophandum. Secundò; quia, cùm omissio libera, vt alias diximus, interpretatiuè, & moraliter sit veluti quædam volitio sui, perinde se ad rem videntur habere omissio, & actus, cuius ea est omissio, ac, si essent duo actus positiui oppositi inter se. Ergo, sicut voluntas immediatè est libera ad actum, & omissionem, quantumuis magis ad actum, quàm ad omissionem sit inclinata: ita quoque libera erit ad duos actus oppositos, quantumuis magis ad vnum, quàm ad alterum inclinata sit. Tertiò; quia, quando voluntas per præuiam cogitationem de bonitate omissionis constituitur libera ad illam, certum videtur, voluntatem, non obstante suâ maiore inclinatione ad actum, quàm ad omissionem, posse duobus modis omissionem causare liberè; primo, purè omittendo; secundo, volendo efficaciter omittere. Cùmque certum etiam appareat, in tali casu non maiorem inclinationem habere voluntatem ad causandam omissionem posteriori modo, quàm ad causandam priori; si posteriori causet de facto, iam in tali casu voluntas ex duobus actibus contrariè oppositis, quales sunt actus, de quo agitur, & volitio efficax de omissione eius, illum eliget liberè libertate immediatâ, ad quem minùs inclinata erat. Quo tota Vazq. doctrina ruit. Quartò denique; quia, quando voluntas inæqualiter inclinata ad duos actus contrarios sponte suâ est omissura eum, ad quem magis inclinabatur; tunc saltem nihil desiderari potest; quominùs ea ad alterum actum proximè potens sit. Id quod per se, & ex ipsis terminis videtur apparere. Estque consentaneum doctrinæ traditæ supra quæst. 5. propos. 14. Ergo tunc saltem erit ea proximè libera ad alterutrum eligendum. Quo rursus ruit doctrina Vazq. 693

Vnde iam quartum contra ipsum, & pro me desumo argumentum. Quando duo actus duarum causarum liberarum A, & B inter se sunt oppositi, & vnusquisque subinde eorum connexus est cum carentiâ alterius, quantumuis causa B sit magis inclinata ad suum actum, quam causa A ad suum, proximè potens nihilominùs, atque adeò immediatè libera ad actum suum euadet causa A, si fuerit conditionatè verum, causam B liberè omissuram suum actum, si omittat suum causa A, vt dicta quæst. 5. & pro-

propos. 14. à num. 210. ostendimus. Ergo multo potiore iure, quando actus eiusdem causæ liberæ oppositi inter se sunt, & vnusquisque subinde eorum est connexus cum carentiâ alterius, quantumuis illa sit magis inclinata ad vnum, quàm ad alterum, proximè potens nihilominùs, atque adeò immediatè libera euadet ad hunc contra sententiam Vasq. saltem, cùm fuerit verum conditionatè, fore illum liberè omittendum ab ipsâ si omitteretur hic.

695 Quintò assertionem meam probo, impugnoque Vasq. sententiam. Quia planè sequitur ex illâ, sæpissimè posse contingere, imò contingere de facto, vt homo cum plenâ aduertentiâ omittat opus præceptum, & nihilominùs non peccet. Quod est absurdum non tolerandum. Etenim sæpissimè contingit, vt voluntas hominis, quando obligatio præcepti vrget, multò magis sit inclinata ad volitionem efficacem de opere delectabili incompatibili cum opere præcepto, quàm ad volitionem oppositam de ipso opere præcepto: quo casu omitteus hanc cum opere ipso, quia sine libertate omittet, nequaquam peccabit; quantumuis aduertat, talem omissionem contra præceptum, atque adeo prauam, siue peccaminosam esse.

696 Dicunt Aduersarij, obligationem præcepti affirmatiui non vrgere, nisi pro aliqua temporis morâ; in qua homo, sentiens se magis inclinatum ad delectationem oppositam, quàm ad præcepti adimpletionem, potest, & tenetur ad huius bonitatem considerandam, expressiùsque concipiendam applicare intellectum, sicque maiorem inclinationem ad ipsam, quàm ad delectationem oppositam, & consequenter libertatem proximam comparare. Quod si non præstiterit, in omissione huius diligentiæ tanquam in causâ imputabitur illi ad culpam transgressio præcepti. Sed contra primò. Quia, cùm ea temporis mora terminum habeat, ita prope talem terminum potest contingere, contingetque haud dubie sæpissimè casus noster, vt iam non supersit mora sufficiens ad eam intellectus applicationem cum successu intento efficiendam. Quo nostra absurdi illatio manet indemnis. Contra secundò. Quia, sicut in casu proposito deficit immediata libertas ad præcepti impletionem ex defectu maioris inclinationis ad ipsam, quàm ad actum oppositum; ita potest deficere, sæpissimèque citra dubium deficiet etiam immediata libertas ad dictam intellectus applicationem ex defectu maioris inclinationis ad ipsam, quàm ad aliquem oppositum actum. Quo nostra iterum illatio absurdi manet indemnis. Contra tertiò. Quia, etiam si in casu proposito voluntas applicet intellectum ad considerandum intensiùs bonitatem adimpletionis præcepti, vt medio expressiore iudicio eius acquirat maiorem inclinationem ad ipsam præcepti impletionem, sæpissimè item proculdubio non assequetur intentum, præsertim, quando ex aduersâ parte passio, aut tentatio aliqua vehemens perflat, & vrget. Quo tandem illatio nostra prorsus illæsa perseuerat, tripliciter præcluso effugio, quo tentabatur vitari absurdum illatum.

697 Sextò ab absurdo arguo contra doctrinam Vasq. Sequitur enim ex illâ; si homini famelico proponantur duo fercula omnino similia, & æqualia, vt alterutrum tantum eorum eligat, & sumat; nec tamen possit ante electionem vllatenus magis ad vnum quàm ad alterum inclinari; non posse eum in tali casu eligere, & sumere alterutrum, sed prorsus necessitatum manere ad relinquendum vtrumque, etiam si fame pereat. Quod, quis non videat, esse incredibile?

Septimò arguo ab experientiâ. Sæpe enim 698
euenit, adeò vehementer tentari hominem ad actum prauum, vt clarè experiri videatur, se ad talem actum incomparabiliter magis, quàm ad oppositum, esse inclinatum: & nihilominùs eadem tentione, inclinationeque persistente, non solùm ei resistit per omissionem actus, ad quem tentatur; sed, vt securior de resistentiâ, atque de victoriâ reddatur, positiuè elicit, sæpeque repetit actum oppositum. Ergo vel experientiâ ipsâ constare videtur, voluntatem inæqualiter inclinatam ad actus oppositos contrariè libertatem immediatam habere ad eligendum vtrumlibet.

Octauò arguo à simili. Quia certum est, Deum 699
ex duobus bonis æqualibus posse eligere alterum sæpeque eligere de facto: & ex duobus bonis inæqualibus posse eligere, sæpeque eligere, quod minus est. Et tamen in priore casu tam ex parte obiectorum, quàm ex parte cognitionum eorum, vtpote æqualium, æqualem inclinationem ad ea volendo sortitur diuina voluntas: inæqualem autem in posteriore propter obiectorum inæqualitatem, cùm sint æquales eorum cognitiones. Igitur diuina voluntas siue æqualiter, siue inæqualiter inclinata ad actus diuersos libertatem immediatam ad quemuis eorum eligendum habere potest, de factoque habet. Tantumdem ergo dicendum est de voluntate creatâ. Nam, posito, quòd id non repugnet voluntati in genere, non est, cur voluntati creatæ dicatur repugnare.

Obijcitur tamen contra doctrinam nostram 700
primò. Nisi voluntas sit necessitata quoad speciem ad eligendum ex bonis sibi propositis id, quod est maius, ex actibusque sibi possibilibus eum, ad quem est magis inclinata, nulla poterit reddi ratio, cur elegit hoc bonum præ altero, aut hunc actum præ altero: quia nulla potest ratio esse, cur ex æqualibus bonis vnum præferat alteri, & ex inæqualibus maiori præferat id, quod est minus; aut cur ex æqualibus inclinationibus ad actus distinctos sequatur vnam potiùs, quàm alteram; & ex inæqualibus minorum. Dicendum ergo est voluntatem ad maius bonum ex propositis, ad actumque, ad quem inclinatur magis, necessitatam esse quoad speciem.

Respondeo primò, esto voluntas esset ne- 701
cessitata quoad speciem ad eligendum ex duobus extremis propositis id, quod maius quoquomodo altero est, difficultatem, quam obiectio prætexit non euitari. Quia, suppositio, quòd voluntas libera manet quoad exercitium, vt negari non potest, ad amplectendum, vel reijciendum illud extremum, ad quod ponitur necessitata quoad speciem, adhuc non potest reddi ratio, cur de facto amplectitur illud potiùs, quàm reijcit, vel è conuersò. Tum, positis duabus voluntatibus æqualiter necessitatis quoad speciem, & liberis quoad exercitium circa idem, vel prorsus æquale extremum, ratio reddi non potest, cur altera illud amplectente, reijciat altera: vel vice versâ. Ex quibus patet per propositam obiectionem nihil præstari.

Respondeo ergo secundò ad illam, id prorsus 702
esse de conceptu actus liberi, quòd nequeat reddi de existentiâ eius ratio à priori prioritate causæ effectiuæ determinatæ ad ipsam, siue ipsam

infe-

inferentis: quia, cùm de conceptu actus liberi sit, procedere à causâ liberâ quatenus liberâ, de conceptu actus liberi est, procedere à causâ indifferente ad dandam pro suo arbitratu existentiam vel ipsi, vel alteri, respectu quorum ea libera, atque adeò indifferens est. Vnde quando interrogari. Cur talis voluntas talem exercet actum? solemus respondere. Quia vult. Vel reddimus pro causâ ipsum dominium indifferens voluntatis, à quo actus procedit, vel actum ipsum prout oriundum ad illo, quo pacto volitio quædam sui est interpretatiuè, & moraliter; prout aliàs dicebamus supra quæst. 13. num. 652.

703 Secundò obijcitur. Voluntas nequit actu prosequutionis ferri in aliquod obiectum, nisi quatenus bonum. Ergo voluntas ex duobus obiectis sibi propositis non potest eligere id, quod sibi apparet minùs bonum, sed necessitata est quoad speciem ad eligendum id, quod sibi maius bonum apparet. Antecedens est certum. Et consequentia probatur. Quia minùs bonum comparatum cum maiore, & quatenus minus illo est, non est bonum: cum sit minor illo à defectu bonitatis, quæ deest ei ad illud æquandum. Respondeo, aliud esse eligere minùs bonum; quia bonum est, aliud eligere minus bonum quia minus est. Ex his autem duobus primum dumtaxat est, quod asserimus esse voluntati possibile. Secundum verò minimè. Quia bonitas minoris boni, cùm reuera sit bonitas, etiam in conspectu boni maioris, benè potest voluntatem mouere ad sui amorem. Minoritas verò minoris boni non item; quia non est bonitas reuerà, sed defectus bonitatis maioris, vt benè in obiectio nè supponitur. Mitto alia quædam fundamenta sententiæ Vasq. quòd alias materias diuersas à præsenti concernunt; & apud Soar. vbi supra satis diluta videri possunt.

704 Pergòque ad quartam difficultatem. Ea est, quomodò cogitatio retractiua voluntatis ab actu libero, quem exercet, & inclinatiua ad oppositum cum actu ipso à voluntate exercito comparetur secundùm naturæ ordinem prioris, & posterioris. Ribaden. disp. 17. de Actib. human. cap. 1. & 2. suppositò, quòd actus à voluntate exercitus, aut intrinsecè, aut extrinsecè potest liber esse iuxta dicenda quæst. 17. duo docet. Primum. Cogitationem retractiuam ab actu intrinsecè libero priorem naturâ illo esse prioritate causalitatis (quam solam agnoscit hic Auctor): quia indirectè saltem inclinat voluntatem ad ipsum propter specialem vtilitatem, quam ad eum habet, vt terminus connexionis eius, cum sit talis actus suapte essentiâ exercitium superandi conatum, quo nititur cogitatio ipsa in oppositum. Secundum. Cogitationem retractiuam ab actu extrinsecè libero neque esse priorem naturâ illo, neque posteriorem, sed concomitanter se habere cum illo quoad existentiam; quia nec talis actus dependet à tali cogitatione aut tanquam ab aliquo influente in existentiam suam, cùm potius ab eâ auertat; aut tanquam à termino connexionis; quia cum illâ non est connexus; nec talis cogitatio dependet à tali actu vllo modo.

705 Non placet. Primò; quia non videtur esse ad rem idoneum discrimen inter actum intrinsecè liberum, & actum extrinsecè liberum, vt cogitatio ab vtroque retractiua dicatur influere simul cum voluntate in primum, in secundum verò non item. Quòd enim primus sit cum cogitatione dictâ connexus; secus secundus; dumtaxat arguit, primum à cogitatione dependere tanquam à termino connexionis; secus secundum. Dependentia autem ab aliquo tanquam à termino connexionis non infert secum dependentiam ab eodem tanquam à causâ, vt patet in actione connexâ cum suo termino, in vnione connexâ cum suo extremo, in reuelatione Dei, & actu fidei diuinæ connexis cum suis obiectis, in alijsque huiusmodi connexis; quæ, cùm dependeant ab eo cum quo connectuntur tanquam à termino connexionis, nullatenus ab eodem dependent tanquam à causâ. Ex quo patet connexionem, quam cum dictâ cogitatione habet actus intrinsecè liber præ extrinsecè libero titulum sufficientem non esse, vt dicatur cogitatio ipsa influere simul cum voluntate in illum; in hunc verò minimè.

706 Secundò; quia, asserere cogitationem retractiuam voluntatis ab actu libero, quem exercet, quando hic est extrinsecè liber, non influere in ipsum, nec ipsum naturâ præcedere, vt asserit citatus Auctor, multisque conatur defendere; cùm tamen certissimum sit apud omnes, & apud ipsum, talem cogitationem vnum esse ex constitutiuis intrinsecis libertatis, atque dominij, quæ voluntas habet in actu primo respectu talis actus secundi: hoc, inquam, asserere magnis incommodis, imo & absurdis videtur mihi omnoxium esse. Primò enim planè sequitur ex assertione istâ, duas potentias proximas alteram ad actum, & alteram ad eius omissionem, in quibus libertas voluntatis consistit (vt tanquam apud omnes certum sæpe statuimus) non per rationem nostram dumtaxat, sed realiter esse inter se distinctas inadæquatâ distinctione. Quod tamen omnino falsum esse, & absurdum, satis clarè ostendimus supra quæst. 5. num. 153. Etenim, si cogitatio retractiua ab actu, inclinatiuaque subinde ad omissionem eius nullo modo est influxiua in actum, cùm tamen aliquo modo sit influxiua in omissionem, compertum est, eam non esse partem constitutiuam potentiæ proximæ ad actum, esse verò potentiæ proximæ ad omissionem, atque ita potentias istas ratione talis partis realiter vnam, & non alteram componentis partialiter, siue inadæquatè esse inter se distinctas realiter.

707 Secundò ex prædictâ assertione multa sequuntur, quæ aut prorsus falsa, aut etiam absurda videntur esse iuxta existimationem communem. Sequitur enim, actum liberum neque à libertate voluntatis, neque à dominio, neque arbitrio, neque à vi electiuâ eius procedere: quia cuncta hæc per cognitionem ab ipso retractiuam, à qua non procedit, constituuntur. Sequitur, cognitionem retractiuam ab actu non esse impeditiuam actus donec iam actus est existens: quia tantùm est impeditiua actus, dum ipsa existit, & non existit antequàm actus, sed simul cum illo. Sequitur, motiuum retractiuum ab elicientia actus proponi voluntati, non, antequàm illum eliciat, sed iàm elicienti. Sequitur, voluntatem, antequàm se determinet ad actum, neque esse indifferentem ad illum, & ad eius omissionem; neque quidpiam habere, quo retrahatur ab illo, neque vllam inclinationem habere ad omissionem, sed solum ad actum esse inclinatam: quia cuncta hæc per cogitationem ab actu retractiuam constituuntur; quæ non existit, antequàm voluntas se determinet ad ipsum actum. Sequitur, voluntatem antequàm eliciat actum non magis esse ad illum propensam, quando cogitatio retractiua ab illo est val-

valde remissa, quàm, quando est valde intensa: quia non existens hæc in illo priori nequit in eo propensionem voluntatis augere, vel minuere. Sequitur, voluntatem, antequàm eliciat actum, summè inclinatam esse ad eliciendum illum: quia in eo signo antecedente elicientiam actus nihil est, quo temperetur inclinatio eius ad ipsam; cùm nihil in eo signo sit, quo ab ipsa retrahatur. Atque ita in eo signo eodem modo se habet voluntas, ac, quando ex defectu cogitationis retractiuæ ab actu, est ad elicientiam actus necessitata: vti est ad motus primòprimos iuxta sententiam omnium. Quæ omnia aut falsa, aut etiam absurda videntur esse secundùm communem consensum Doctorum.

708 Ex postremo autem sequitur tandem, quod cæteris peius, & ingens in se absurdum est; per præfatam videlicet assertionem libertatem voluntatis, actuumque eius, de quibus agitur, prorsus è medio tolli. Nam eo ipso, quòd voluntas in signo antecedente existentiam actus summè inclinata ad illum sit, nequit non esse ad illum necessitata: quia summa inclinatio, & necessitas ad actum vel idem, vel inseparabiles sunt iuxta doctrinam de inclinationibus voluntatis ad actus suos traditam supra quæst. 10. à num. 544. Ob id enim, & non ob aliud iuxta sententiam omnium voluntas est necessitata ad actum primòprimum; quia est ad ipsum summè inclinata per cognitionem attractiuam, quandiu non adest retractiua, qua vis attractiua illius temperetur.

709 Dices, ad actum primoprimum esse voluntatem summè inclinatam, non per solam entitatem cogitationis attractiuæ, sed insuper per negationem cogitationis retractiuæ: quæ negatio in nostro casu non datur; còm detur in eodem instanti temporis cogitatio retractiua simul cum attractiua, licet non in eodem instanti naturæ antecedente existentiam actus. Hoc tamen, licèt quoad priorem partem sit ipsa veritas, vt ex subiungendis postea constabit, à te dici non potest. Nam, cùm negatio rei in eodem stanti non solùm temporis, sed naturæ censeatur esse, vnde excludit rem negatam; quia negatio rei non est aliud, quàm rem non esse ibidem, vbi esset, si daretur; necessariò teneris dicere iuxta tuam doctrinam, quando in eodem instanti temporis datur negatio cogitationis retractiuæ, non dari eam in eodem instanti naturæ antecedente actum simul cum cogitatione attractiua, sed in posteriore comitante (vnde excludit cogitationem, quam negat) simul cum actu; & consequenter inclinationem summam, quam tunc voluntas habet ad actum antecedenter ad ipsum, non ex entitate cogitationis attributæ, & ex negatione retractiuæ coalescere, (vti dicebas), sed in solà entitate cogitationis attractiuæ consistere. Quo posito, stando in tuà doctrinà, necessariò concluditur, ad summam inclinationem, atque adeò necessitatem, quam voluntas habet ad actum in signo naturæ anteriore ex eo præcisè, quòd nihil in eo signo datur retrahens ab actu, sicque vim temperans cogitationis attractiuæ, impertinenter se habere, quòd in signo posteriore detur cogitatio retractiua, vti in casu nostro, vel detur eius negatio, vti in casu motus primò primi; atque adeò, sicut in casu motus primò primi voluntas necessitata est ad actum iuxta sententiam omnium: ita in casu nostro voluntas necessitata est ad actum iuxta sententiam tuam. Quod erat probandum.

710 Dices rursus fortasse, vt cogitatio retractiua ab actu temperet vim cogitationis attractiuæ, nec hæc præbeat voluntati summam inclinationem, atque adeò necessitatem ad actum, sat esse, quòd ambæ cogitationes existant in eodem instanti temporis, etiam si altera in signo naturæ anteriori, & altera in posteriori sit. Benè ergo stat, quòd cogitatio retractiua sit in signo naturæ posteriori, & inde nihilominùs temperet vim cogitationis attractiuæ, ne hæc in suo signo anteriori voluntati præbeat inclinationem summam ad actum. Sed non benè. Nam id repugnat in ipsis terminis. Quoniam ex vnà parte certum est, cogitationes inclinantes voluntatem ad actus oppositos non aliter se se tèperare vicissim, ne vnaquæque earum tantam præbeat voluntati inclinationem ad suum actum in consortio alterius, quantam præberet, si sola esset, quàm per suasmet entitates veluti in genere causæ formalis; atque ita denominationem, qua, positis duabus cogitatiònibus inclinantibus ad actus oppositos, denominatur voluntas inclinata tantum ad hunc, & tantum ad illum, aliud non esse à parte rei ab entitatibus voluntatis, & ambarum cogitationum. Ex alià autem parte, etiam est certum, cogitationes non aliter influere simul cum voluntate ad actus secundos, quàm inclinando eam ad illos per suasmet entitates in actu primo: atque ita inclinationem temperatam, quam ad eum actum, quem exercet, sortitur voluntas à cogitationibus attractiuà, & retractiuà, non posse non esse in signo naturæ antecedente actum ipsum prioritate causalitatis. Cùm ergo talis inclinatio aliud non sit reipsà ab entitatibus voluntatis, & ambarum cogitationum, repugnat in terminis, esse talem inclinationem in eo signo priori, & non esse in eo, sed in alio posteriori, vnam ex eius partibus, quæ est cogitatio retractiua. Quod erat ostendendum. Vnde iam obiter cernis, quomodò cogitatio retractiua influat nihilominùs simul cum voluntate ad eum actum, à quo est retractiua, priorque subinde natura sit illo prioritate causalitatis.

Sed, antequàm id directè tradam, & amplius exponam, probo aliter cum aduersà sententiâ libertatem voluntatis consistere non posse: quia nimirum nequit illi suus actus esse liber, & imputabilis. Vt enim actus sit imputabilis voluntati, ab eà prout potente omittere illum elici debet citra dubium, atque adeò prout habente, antequàm eum eliciat, potentiam eum non eliciendi, siue omittendi. Si enim voluntas, antequàm in elicientiam actus prorumpat, potens non est ad se sistendum, & non prorumpendum in illam, certè elicientia actus nequit ei imputari iuxta communem haud dubie imputationis conceptum, atque existimationem. Cùm igitur per cogitationem retractiuam ab actu intrinsecè constituatur potentia ad omissionem eius, eo ipso, quòd talis cogitatio non datur in signo ante actum, neque in eo datur talis potentia, sicque non potest non deesse imputabilitas actus. 711

Dices, satis esse, quòd in eodem instanti temporis detur potentia ad omissionem actus constitutam per dictam cogitationem retractiuam, etsi non detur in signo naturæ antecedente actum, sed in comitante ipsum actum. Sed contra primò. Nam estò sic detur, iam sero aduenit ad reddendum imputabilem voluntati actum: quia aduenit, quando iam est voluntas determinata ad elicientiam eius. Contra secundò. Quia fortasse repugnat penitus ita dari. Videtur enim 712

esse

esse impossibile, quòd in aliquo instanti temporis habeat voluntas potentiam ad omittendum actum, nisi illam habeat in signo naturæ antecedente existentiam actus; nam in signo, in quo iam actus existit, nulla potentia, vt non existat, videtur esse posse. Quod confirmari potest primò. Quia, suppositâ in voluntate potentiâ ad actum, per potentiam ad omissionem eius redditur illa indifferens ad vtrumuis. Sed nequit voluntas habere talem indifferentiam in signo, in quo iam est determinata ad actum, quale est signum existentiæ actus. Ergo, nisi illam habeat in signo antecedente, absolutè non habet. Secundò confirmari potest. Quia potentia ad omissionem, seu negationem actus, cùm sit causatiua eius, dumtaxat existere potest in signo naturæ antecedente signum, in quo est ponibilis ipsa negatio actus. Sed negatio actus in eodem signo actus est tantùm ponibilis; cùm ea non sit aliud, quàm actum non existere ibidem, vbi existeret, si daretur, vt iterum diximus paulò ante num. 672. Ergo potentia ad negationem actus dumtaxat existere potest in signo naturæ antecedente signum actus. Si ergo in eo signo non existit, in nullo existit.

713 Iam igitur ad difficultatem propositam num. 704. omnino est dicendum, cogitationem retractiuam ab actu simul cum voluntate concurrere ad existentiam actus; in signoque proinde naturæ antecedente existentiam actus prioritate causalitatis existere. Quia, licèt per se præcisè considerata retrahat voluntatem ab actu, hoc tamen ipso temperat inclinationem oppositam, quam præbet ad ipsum actum cogitatio attractiua, ne tanta sit quanta esset, si cogitatio ipsa retractiua aut deesset penitus, aut esset remissior, quàm est. Vnde cogitatio retractiua non potest non intrinsecè includi in eâ inclinatione temperatâ, quam voluntas in actu primo ad actum secundum habet de facto, & qua ad ipsum actum secundum exercendum de facto inducitur, seu mouetur. Et consequenter nec potest non eo suo modo simul cum voluntate concurrere ad exercitium actus; sicque prior naturâ esse ipso actus exercitio. Recognoscatur hæc doctrina iam à nobis tradita supra quæst. 5. num. 154. Vbi ampliùs adhuc explicita inuenietur. Quo circa in illâ magis explicandâ non est cur moremur.

714 Ex eâ autem infertur primò, quando ex defectu cogitationis retractiuæ ab actu manet voluntas necessitata ad ipsum actum, vt in motibus primò primis ipsi contingit, carentiam talis cogitationis non posse non intrinsecè includi in potentiâ proximâ voluntatis, à qua in tali casu procedit actus, & consequenter nec posse non simul cum voluntate concurrere ad ipsum actum, nec posse non esse in signo naturæ antecedente existentiam eius. Cuius ratio conspicua, imò demonstratiua est. Quia repugnat, voluntatem esse necessitatam ad actum, quin sit connexa cum actu potentia illius proxima, à qua procedit actus ipse, vt ex doctrinâ stabilitâ supra quæst. 5. propos. 11. euidenter infertur. Sed cætera quæ in dicto casu habet voluntas, præter carentiam cogitationis retractiuæ, indifferentia sunt ad actum, & ad carentiam actus, vti supponitur: siquidem, solâ carentiâ cogitationis retractiuæ per positionem huius sublatâ, iam cuncta essent indifferentia ad vtrumuis; quia iam libertas ad vtrumuis coalescens ex omnibus esset in voluntate. Ergo cætera, quæ in dicto casu habet voluntas, præter carentiam cogitationis retractiuæ, non constituunt integrè potentiam proximam ad actum. Superest igitur, vt hæc ex illis, & ex dictâ carentiâ necessariò constituatur: sicque euadat potentia proxima ad actum connexa cum actu; necessitansque proinde voluntatem ad ipsum actum. Quod erat ostendendum.

Secundò infertur ex dictis, actum liberum, 715
quicunque sit, ab exclusione necessitatis antecedentis oppositæ libertati voluntatis tanquàm ab aliquo priori prioritate causalitatis dependere quoad existentiam suam. Est contra Ribaden. disput. 15. citatâ cap. 3. Vbi vnum supponit, & duo docet. Supponit cum communi, exclusionem necessitatis antecedentis in libertate includi tanquam vnum ex constitutiuis eius intrinsecis. Quod qua ratione, & in quibus casibus sit verum, supra explicatum est à nobis quæst. 10. à num. 492. vbi nonnulla ad rem statuimus contra ipsum Ribaden. & alios. Recognoscantur. Docet autem primò, actum intrinsecè liberum essentialiter dependere à priori in genere causæ efficientis ab exclusione necessitatis antecedentis ad ipsum. Secundò, actum extrinsecè liberum nullatenus quoad entitatem suam dependere à priori ab exclusione necessitatis antecedentis ad ipsum.

Primum probat. Quia necessitas antece- 716
dens ad actum intrinsecè liberum omnino est impossibilis, & consequenter eius exclusio omnino est necessaria. Sed quoduis omnino necessarium est identificatum cum Deo: (quod supponit ex doctrinâ à se traditâ in Tract. de Scientiâ); & à Deo dependent essentialiter à priori in genere causæ efficientis omnes actus liberi creati, sicut & omnes creaturæ. Ergo actus intrinsecè liber essentialiter dependet à priori in genere causæ efficientis ab exclusione necessitatis ad ipsum. Cæterùm fundamentum huius probationis de identitate cum Deo cuiusuis omnino necessarij longè reiectum est à nobis contra hunc Autorem, & alios Modernos in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 1. Eo autem sublato, probatio nitens in ipso penitus ruit. Secundum autem probat potissimum à solutione argumentorum, quæ sibi contra illud opponit. Tum quia exclusio necessitatis antecedentis ad actum extrinsecè liberum potiùs auertit, retardatque ab elicientiâ eius voluntatem, quàm ad illam aliquo modo adiuuet, siue promoueat: siquidem à voluntate tollit eam summam inclinationem, infallibilemque determinationem antecedentem, quam ab ipsa necessitate, si excluſa non esset, haberet ad talem elicientiam. Vnde, licèt exclusio talis necessitatis potentiam proximam voluntatis ad omissionem dicti actus constituat intrinsecè; at potentiam proximam ad elicientiam eius, non est, cur constituat.

Sed nostra nihilominùs illatio omnibus fe- 717
me argumentis probanda venit, quibus probauimus, quemlibet actum liberum à cogitatione retractiuâ ab ipso dependere tanquàm ab aliquo priore prioritate causalitatis, talemque subinde cogitationem intrinsecum constitutiuum esse potentiæ proximæ voluntatis ad ipsum actum. Eò enim tendunt omnia, vt probent, quemlibet actum secundum liberum ab integrâ libertate debere necessariò procedere, quam voluntas respectu eius habet in actu primo. Omnes autem tanquam certum supponimus, ad integram libertatem,

tatem, quam voluntas habet in actu primo respectu cuiuslibet actus secundi liberi, tanquàm vtrum ex eius constitutiuis intrinsecis pertineret exclusionem necessitatis antecedentis ad actum ipsum oppositæ libertati ipsi voluntatis. Quo circa, ne actum agamus, applicet Lector ad propositum prædicta argumenta.

718 Dicatque, vt Aduersario occurrat, quemadmodùm cogitatio retractiua temperat inclinationem, quam cogitatio attractiua de suo voluntati præberet ad actum, sicque ambæ cogitationes intrinsecè pertinent ad eam temperatam inclinationem voluntatis, quæ de facto influit in actum, atque adeò ad potentiam proximam voluntatis, à qua de facto actus procedit, vt num. 713. explicatum est; ita exclusionem necessitatis antecedentis temperare eam summam inclinationem, quam ipsa necessitas vna cum cogitatione attractiua de suo voluntati præberet ad actum, sicque ipsam exclusionem simul cum dictis ambabus cogitationibus intrinsecè pertinere ad eam temperatam inclinationem voluntatis, quæ de facto influit in actum, vnumque proinde esse ex constitutiuis intrinsecis potentiæ proximæ voluntatis, à qua de facto procedit actus. Vnde iampalam est, quomodò exclusio necessitatis antecedentis oppositæ libertati voluntatis simul cum ipsa voluntate concurrat ad actum liberum, quicunque ille sit, priorque subinde naturâ sit ipso prioritate causalitatis.

719 Hæc tamen omnia dicta sunt de exclusione necessitatis antecedentis compatibili cum libertate voluntatis: incompatibili quippe conuenire nequeunt, vt constat. Vt enim explicatum iam relinquimus supra quæst. 10. à num. 492. nuper citato, duplex est necessitas antecedens libertati voluntatis opposita. Altera prouenies ab aliquo requisito ad actum voluntatis propter mutuam connexionem, quam hic habet cum illo. Altera prouenies ab aliquo ad actum voluntatis non requisito, vtpote cuius connexio cum actu mutua non est: actusque proinde sine illo bene potest existere. Exclusio igitur necessitatis antecedentis prioris generis cum libertate ad actum, ad quem illa est necessitas, neutiquam est compatibilis: quia ex suppositione talis exclusionis talis actus est impossibilis, & actus ipsi contradictorius est necessarius. Vnde necessitas istius generis ad vnum ex actibus contradictorijs voluntatis non aliter excludi potest, quàm per aliam necessitatem etiam antecedentem ad alterum. Eatenusque proinde est opposita libertati ad actum, ad quem est necessitas, quatenus potentiæ proximæ ad actum contradictorium oppositæ est, sine qua talis libertas consistere nequit. At verò exclusio necessitatis antecedentis posterioris generis, cùm neque inducat impossibilitatem ad actum, ad quem illa est necessitas, neque ad eius contradictorium necessitatem, benè cum amborum libertate potest componi, ipsamque intrinsecè constituere, vti constituere de facto probatum est; quando nimirum cætera requisita ad talem libertatem adsunt.

QVAESTIO XVI.

Qualiter à libertatibus vnius, vel plurium voluntatum seu differentibus, seu non differentibus inter se actus liberi seu differentes, seu non differentes inter se procedere possint de facto.

SVppono primò, quæstionem hanc tribus illis membris sæpe commemoratis, ad quæ omnes libertates actus primi reduximus communem esse, nempe libertati contradictionis, libertati contrarietatis, & libertati anonymæ. Agemus tamen in eâ dumtaxat compendij gratiâ de libertate voluntatis ad consentiendum, vel dissentiendum; nam, quidquid de illâ dictum fuerit, facilè cæteris poterit applicari: idque siue nomine dissensus intelligatur omissio actus positiui consentiendi, quæ erit libertas contradictionis; siue actus positiuus dissentiendi oppositus consensui, quæ erit libertas contrarietatis. 720

Suppono secundò ex dictis in Pharo Scient. disp. 16. quæst. 3. propos. 16. & fusiùs disp. 17. quæst. 8. 12. & 14. duo quæque, vel plura extrema inter se differre posse aut purè numericè, aut specificè, idque vel specie physicâ, vel tantùm logicâ. Purè numericè differunt inter se, quæ præter distinctionem realem, nullam omnino aliam differentiam inter se habent, vt duo circuli omnino æquales, duo calores omnino similes, & æquales, duæ actiones omnino similes, & æquales eiusdem agentis, & eiusdem termini. Specificè autem specie physicâ differunt inter se, quæ notabiliter inter se dissimilia sunt, vt circulus, & quadratum, homo, & equus, actus cognitionis, & actus amoris. Specificè autem specie tantùm logicâ inter se differunt, quæ, cùm sint tam similia inter se, vt eiusdem speciei physicæ censeantur, vel sunt tantisper dissimilia, vt duo homines aliquantulum inter se dissimiles, vel sunt inæqualia, vt circuli inæquales, & duo calores inæqualiter intensi, vel sunt respectiua ad distincta, vt duæ actiones distinctorum agentium, & terminorum. Hinc extrema non differentia, aut sunt non differentia secundùm speciem physicam tantùm, aut insuper secundùm speciem logicam: aut etiam secundùm numerum: quo vltimo casu iam non plura reipsâ sed vnum erunt. Ex quibus patet, quot modis libertates inter se, & actus liberi inter se possint esse aut differentes, aut non differentes. Quomodò autem extremorum similitudo, & æqualitas, dissimilitudoque, & inæqualitas inter se differant disp. 16. citatâ Phari explicatum est. Vbi etiam quæst. 3. propos. 15. est ostensum, quomodò extrema similia, vel æqualia vel inæqualia esse possunt: pariterque extrema æqualia vel similia, vel dissimilia. 721

Suppono tertiò ex dictis quæst. 15. vnamquamque libertatem voluntatis ad consentiendum, vel dissentiendum ex duabus inclinationibus ipsius voluntatis, alterâ ad consensum, & alterâ ad dissensum constare. Quæ inclinationes aut possunt esse inter se æquales: quo casu voluntas 722

erit in æquilibrio ad vtrumuis. Libertasque eius proinde æquabilis vocari poterit. Aut possunt esse inter se inæquales: (quo casu libertas ex illis coalescens dicetur inæquabilis): idque vel ita, vt inclinatio ad consensum sit maior, & inclinatio ad dissensum minor; vel ita, vt vicissim inclinatio ad consensum sit minor, & inclinatio ad dissensum maior. Inæqualitas autem harum inclinationum aut magna, aut parua, aut mediocris, aut in quouis alio inæqualitates gradu esse potest. Duæ autem libertates ad consentiendum, vel dissentiendum, siue sint vnius voluntatis, siue duarum, & siue vnaquæque in se sit æquabilis, siue inæquabilis, tunc inter se dicentur æquales, quando inclinationes ad consentiendum, ex quibus illæ constant, fuerint inter se æquales: (quo casu consequenter erunt etiam æquales inclinationes ad dissentiendum): inæquales autem inter se venient dicendæ, quando earum inclinationes ad consentiendum inæquales inter se fuerint: (quo casu & inclinationes ad dissentiendum inæquales erunt). Pariterque dicentur duæ libertates aut differentes, aut non differentes inter se alijs modis recensitis suppositione secundâ, quando tales fuerint inter se inclinationes earum ad consentiendum.

723 His positis, Thomistæ illi citati supra quæst. 9. qui opinantur, nullam causam secundam posse operari aliter, quàm prædeterminatam à Deo per suum concursum præuium, consequenter putant, esse impossibile, vt ex duabus voluntatibus æquales libertates habentibus ad consentiendum siue in eadem, siue in diuersis mensuris temporis altera de facto consentiat, & altera non. Pariterque, vt eadem voluntas habens æquales libertates ad consentiendum in diuersis temporis mensuris in alterâ earum mensurarum consentiat de facto, & non in altera. Quoniam esse non possunt æquales duæ libertates ad consentiendum, nisi vel in vtraque, vel in neutra claudatur prædeterminatio ad consensum. Necesseque est, vt in priori casu vtraque, in posteriori verò neutra fortiatur consensum. Cæteri verò Theologi, qui concursum Dei præuium in prædeterminatione physicâ consistentem reijciunt, communiter censent possibile, vt ex duabus voluntatibus instructis libertatibus æqualibus ad consentiendum siue in eadem, siue in diuersis mensuris temporis altera de facto consentias; altera verò secus. Tum, vt eadem voluntas instructa æqualibus libertatibus ad consentiendum pro diuersis temporis mensuris, in vnâ talium mensurarum de facto consentiat; secus in alterâ.

724 Iam verò, si libertates ad consentiendum sint inæquales in quouis ex dictis duobus casibus, Prædeterminatores tenentur asserere non solum possibile, sed necessarium esse, vt ea, quæ claudit prædeterminationem ad consensum, sortiatur effectum, altera verò non claudens minimè. Cæteri verò Theologi communiter censent, ex talibus libertatibus alterutram præ alterâ posse de facto effectum sortiri, siue ea sit, quæ magis, siue, quæ minùs inclinat ad consensum.

725 Porro libertates ad consentiendum siue æquales, siue inæquales, quæ in omnibus prædictis casibus supponuntur differentes inter se possunt esse non solùm secundùm speciem logicam, sed etiam secundùm speciem physicam, vt ex dictis suppositione secundâ facilè quisque potest colligere. At, eas differre purè numericè, impossibile est. Et quidem de inæqualibus id est clarum: quia sola inæqualitas facit differre plùs, quàm numericè. Æquales autem, si sint distinctarum voluntatum, & consequenter ad actus distinctos etiam pro eadem temporis mensurâ, non possunt non plùs inter se differre, quàm, si essent eiusdem voluntatis, & ad eumdem actum. Si verò sint eiusdem voluntatis, etiam ad eumdem actum, pro distinctis tamen mensuris temporis, ratione saltem harum debent inter se differre plùs, quàm numericè: quia ex vna parte duratio voluntatis in eâ temporis mensurâ, in qua operatur, ad eius potentiam proximam operandi, ad eiusque proinde libertatem pertinet intrinsecè; ex alia verò parte durationes constituentes libertates in distinctis mensuris temporis existentes plùs, quàm numericè inter se differunt, ipsasque subinde libertates plùs, quàm numericè discriminant. Supereſt igitur, vt tunc dumtaxat duæ libertates purè numericè inter se differant, quando sunt eiusdem voluntatis, & ad eumdem actum, & in eadem mensurâ temporis, puta in eodem instanti. Quia tamen duæ libertates in eadem voluntate ad eumdem actum, & in eodem instanti temporis coniunctæ dari nequeunt, qualiter necessariò darentur, si ambæ existerent in statu absoluto, vt seorsim existentes concipi possint, ad statum conditionatum recurrere, necesse est.

Pro quo casu nouum dubium ad præsentem 726
quæstionem pertinens est inter Recentiores aliquos excitatum. Num scilicet possibile sit, vt hæc voluntas consentiat nunc cum libertate A non consensura tamen ex hypothesi, quòd haberet nunc loco libertatis A libertatem B solo numero differentem, vel vice versâ, nunc non consentiat, in datâ tamen hypothesi consensura. Id esse omnino impossibile metaphysicè, supposito, quòd voluntas nullatenus tales libertates discerneret, multis probare intendit Quiros tom. 1. de Deo disp. 54. & tom. 2. disp. 14. Cui sententiæ assentitur etiam Sfortia Pallauic. 1. 2. disp. 4. q. 2. art. 15. num. 5. Contra quos oppositum latè defendit Ribaden. disp. 16. de Actibus humanis, censens id esse magis conforme sententiæ Theologorum communi in controuersiâ præsente. Quid ego circa totam eam sentiam, sequentibus propositionibus expono.

Propositio 1.

727 **Possibile est, vt ex duabus voluntatibus æquales libertates habentibus ad consentiendum altera de facto consentiat, altera verò secus. Imò, vt ex habentibus inæquales ea consentiat, quæ minorem ad consensum inclinationem habet, alterâ non consentiente, quæ habet maiorem.**

Probatur hæc propositio primò ex illis Scripturæ locis, vbi aliqui homines reprehenduntur, eisque exprobratur, quòd sub talibus circumstantijs vocationi Dei non consenserint; cùm tamen sub eisdem, vel similibus alij consenserint, aut forent consensuri. Hæc enim reprehensio, atque exprobratio comparatiua irrationalis vtique esset legitimæque excusationi obnoxia, nisi reprehensi non consentientes æqualibus saltem viribus, aut etiam maioribus fuissent inclinati ad consensum, quàm alij consentientes. Celebriora loca ad rem sunt Math. cap. 11. num. 22. & 24. & cap. 12. num.

num. 41. & 42. Lucæ cap. 10. num. 13. & Ezechiel. cap.3. num.7. Videatur hoc argumentum latiùs expositum, & varijs testimonijs Patrum confirmatum apud Soar. lib.3. de Auxil. cap. 20. & tom. 2. de Gratiâ lib. 5. cap. 52. apud Ruiz tom. de Scientiâ disp. 62. & apud alios Doctores præsertim ex nostris: necnon quod nos ad rem attigimus supra disp.28. q.7.

728 Secundò probatur propositio ex illis Patrum testimonijs, in quibus eius doctrina vel exprimitur, vel supponitur. Quorum plura apud Doctores citatos videri etiam possunt. Sed referamus tamen nonnulla. August. lib. 12. de Ciuit.cap.6. ait. *Si enim aliqui duo æqualiter affecti animo, & corpore videant vnius corporis pulchritudinem, qua visâ, vnus eorum ad illicitè perfruendum moueatur, alius in voluntate pudicâ stabilis perseueret, quid putamus esse causæ, vt in illo fiat, in illo non fiat voluntas mala?* Et post alias exclusas causas subiungit. *Si eâdem tentatione ambo tententur, & vnus ei cedat, atque consentiat; alter idem, qui fuerat, perseueret: quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, & alterum noluisse à castitate deficere? Vnde, nisi propriâ voluntate, vbi eadem fuerat in vtroque corporis, & animæ affectio?* Cyrillus lib. 11. in Ioan. cap. 21. de Iuda dicit. *Quòd si Proditor æqualiter alijs Saluatoris auxilium non habuisset, frustra hæc à nobis dicerentur:* (scilicet ipsi Iudæ lapsum tribuendum). *Sin autem non minùs, quàm cæteri diuinâ gratiâ regebatur, sed suo ipsius iudicio in profundum perditionis delapsus est, quomodò etiam non seruauit eum Christus?* (Puta æquè sufficienter, ac alios quantùm erat ex se). *Gratia igitur in alijs effulsit, seruauitque omnes, qui cooperantem ei voluntatem tradiderunt. Sic enim salutis nostræ modus dispositus est.* S.Tho. 3.p. quæst. 69. art. 8. ad 2. dicit de aliquibus. *Quòd, licèt interdum æqualem gratiam percipiant, non æqualiter illa vtuntur; sed vnus studiosiùs in eâ proficit, alius per negligentiam gratiæ Dei deest.* Et S.Bonauent. in 4.dist.16. p.2.art.4.quæst.1. ait. *Ex æquali gratiâ aliquando magis feruens elicitur motus, aliquando minùs secundùm operationem liberi arbitrij.* Denique Orantius in locis Cathol. lib.1. cap.37. pronunciat. *Si interroges, cur ex duobus vocatis vnus conuertatur, & non alius? liberum arbitrium in causâ fuisse cum Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, & vniuersa Ecclesiâ dicam.*

729 Tertiò probatur propositio ex piâ illâ, & verâ Sanctorum consideratione valde ad humilitatem proficuâ, quæ S. Francisco præcipuè solet attribui; traditurque à S. Bonauent. tom. 1. Opusculor. Opusc. vlt. & à S. Vincent. tract. de Vitâ spirituali cap. 3. Qua nimirum iudicant Sancti, alios haud dubiè meliores se fore, si Deus illis contulisset auxilia æqualia eis, quæ contulit sibi. Supponit enim hoc iudicium cum æqualibus auxilijs posse vnum hominem magis proficere, meliùsque operari, quàm alius, magis eis cooperando.

730 Quartò est probanda propositio à priori. Sed priùs supponendum, concursum prævium prædeterminatiuum nullatenus cum libertate voluntatis compatibilem esse, nullatenusque proinde posse in eâ, dum existit libera, dari, vt contra Prædeterminatores num. 723. commemoratos fusè relinquimus probatum supra totâ quæst.10. Quo eorum sententia circa præsentem quæstionem prorsus manet reiecta: neque est cur contra illam modò quidpiam addamus. Quo supposito, cùm libertas voluntatis ad consentiendum, vel dissentiendum consistat in indifferentiâ ad vtrumuis, & hæc, vt iam dictum est in hac, & in præced.quæst. vel possit esse æquabilis, vel inæquabilis, constans scilicet ex æqualibus, vel inæqualibus inclinationibus voluntatis ad consensum, & ad dissensum. Supponere rursus oportet, quando huiusmodi inclinationes sunt inæquales, tantum posse esse excessum maioris, vt inducat necessitatem moralem ad actum, cui ea correspondet: quo casu, licèt voluntas physicè maneat libera ad talem actum omittendum, moraliter tamen necessitata erit ad eliciendum illum: sicque de facto vel nunquam, vel rarissimè omittet. Quòd si excessus inclinationis maioris tantus non sit, vt inducat necessitatem moralem ad actum, cui correspondet illa, voluntas ita ad illum omittendum manebit libera etiam moraliter, vt de facto omittat illum aut aliquando, aut sæpe, eòque sæpiùs, quò minor fuerit dictus excessus; sæpissimè autem omnium omittet voluntas de facto alterutrum ex actibus oppositis, quando eius inclinationes ad illos fuerint inter se æquales. Hinc sequitur supponendum tertiò, quando duarum voluntatum inclinationes ad consensum ita sunt inæquales, vt, quæ maior est, moralem necessitatem inducat; licèt dici possit, esse possibile physicè, vt voluntate magis inclinatâ non consentiente, consentiat altera, quatenus voluntas moraliter necessitata ad consensum potentiam physicam nihilominùs retinet ad non consentiendum: absolutè tamen non posse dici in tali casu esse possibile, vt non consentiente de facto voluntate magis inclinatâ ad consensum, consentiat altera: quia modus iste loquendi, quo in datâ propositione vtimur, denotat, contingens esse etiam maraliter, vt voluntas magis inclinata ad consensum de facto illum omittat. Quare huiusmodi casus in datâ propositione non clauditur. Eos enim dumtaxat casus inclinationum inæqualium ad consensum in illâ volumus inclusos, vbi excessus maioris inclinationis non obstat, quominùs voluntas illum habens sæpe de facto omittat consensum ipsum.

Ex quibus iam facilè se dat probatio à priori propositionis. Si enim est contingens, vt vnaquæque voluntas in varijs euentibus constituta libera ad consentiendum, vel dissentiendum siue æquabili, siue inæquabili libertate, in alijs consentiat, in alijsque dissentiat de facto pro libero arbitratu suo, idque vel æqualem, vel maiorem, vel minorem inclinationem earum, quas habet, sequendo. Manifestè sequitur, esse quoque contingens, duabus inter se voluntatibus comparatis, vt euentus, in quo vna de facto consentit, idemmet fit in quo altera dissentit de facto, & vicè versâ, idque, sequentibus illis vel æquales, vel inæquales inclinationes. Quod ipsum est, possibile, seu contingens esse, vt ex duabus voluntatibus siue æquales, siue inæquales libertates ad consensus habentibus alterutra de facto consentiat, de facto dissentiente alterâ, siue non consentiente, prout data propositio fert. 731

Quæ confirmari potest. Quia, si existerent innumeri homines æquabiliter liberi ad consentiendum, vel dissentiendum eidem obiecto, ex se apparet, esse incredibile, quòd, nullâ inter eos cõuentione factâ, casualiter omnino cõformarentur omnes in consentiendo, neque vllus dissentiret: imo, cùm ponantur omnes æqualiter inclinati ad dissensum, atque ad cõsensum longè est verisimilius, quòd 732

tot fermè essent dissentientes, quot consentientes. Quòd si illi innumerabiles homines inæquabiliter essent liberi, parsque eorum dimidia magis inclinata esset ad consensum, quàm ad dissensum; & altera pars dimidia è conuersò magis ad dissensum, quàm ad consensum: cùm certum ab experientia sit, sæpe homines reluctari suæ inclinationi maiori, & sequi oppositam minorem, vt constat ex argumento facto quæst. 15. num. 698. adhuc apparet ex se incredibile, quòd in tam magnâ multitudine priorum nullus de facto dissentiret; similiterque nullus consentiret in æquè magnâ posteriorum: longèque proinde verisimilius est, non vnum, aut alterum tantùm, sed plures tum ex prioribus dissensuros, tum ex posterioribus consensuros. Ex quibus patet, contingens vniuersaliter esse, vt ex pluribus voluntatibus æquales libertates habentibus ad consentiendum, vel dissentiendum aliæ consentiant, & aliæ dissentiant de facto: vtque ex pluribus habentibus inæquales aliæ maiorem, & aliæ minorem inclinationem sequantur earum, quæ habent ad consensum, vel ad dissensum. Quod nostræ propositionis intentum est.

Propositio 2.

733 **Possibile est, vt eadem voluntas habens æquales libertates ad consensum pro diuersis temporis mensuris in vnâ talium mensurarum de facto consentiat; secus in alterâ. Imo, vt habens inæquales in eâ mensurâ consentiat, in qua inclinatio eius ad consensum est minor, non consentiendo in alterâ, in qua maior est.**

Hæc propositio eisdem omnino argumentis, atque præcedens, suâ seruatâ proportione probanda venit. Quorum applicatio, quia facilè fieri à Lectore potest, ei facienda relinquitur.

Propositio 3.

734 **Possibile est, vt eadem voluntas consentiat in instanti præsenti cum libertate A, non consensura in eodem instanti ex hypothesi, quòd loco libertatis A haberet libertatem B purè numericè differentem. Et vice versâ, vt cum libertate A non consentiat, cum libertate B consensura. Idque, quantumuis tales libertates nullatenus discernat.**

Probatur primò à priori. Quia, quoties sunt distinctæ libertates in actu primo, etsi sint inadæquatè tantùm distinctæ, & solum numericò differentes, diuersæ ab eis determinationes, diuersaque exercitia libera (etiam quæ respectu vnius libertatis essent opposita) possunt procedere. Sed in casibus propositionis reuerà essent in eâ voluntate distinctæ libertates, etsi inadæquatè tantùm distinctæ, & solùm numericè differentes. Igitur benè posset ea voluntas se determinare ad non consentiendum in altero eorum casuum, licèt se in altero determinauerit ad consentiendum; vel vice versa. Consequentia est legitima. Et minor certa. Maior autem probatur primò; quia ex terminis ipsis videtur notum, de conceptu distinctarum libertatum esse, id, quod per maiorem ipsam adstruitur. Secundò; quia, ficut formæ, aliàs oppositæ respectu vnius subiecti respectu plurium oppositæ non sunt, ita determinationes, aliàs oppositæ respectu vnius libertatis, respectu plurium non sunt oppositæ proculdubio, præsertim, quando tales libertates nó sibi coexistunt, sed quauis earum existente, necessariò deest altera, vt euenit in nostro proposito. Tertiò; quia si in duabus voluntatibus solùm numericè differentibus poneret Deus replicata eadem numero comprincipia constitutiua libertatis ad constituendum, vel non consentiendum eidem obiecto, nemo negabit, posse alterutram talium voluntatum consentire non consentiente alterâ: & tamen libertates à quibus tam diuersæ determinationes procederent, inadæquatè tantùm essent distinctæ, & solùm numericè differentes. Ergo tantundem debet affirmari possibile in casibus propositionis.

Quæ probatur secundò sic. Voluntas illa 735
in casu, in quo habet libertatem A, proximè est potens consentire, & non consentire, quidquid sit de casu in quo haberet libertatem B. Ergo si haberet libertatem B, proximè pariter esset potens consentire, & non consentire, quidquid sit de casu, in quo habet libertatem A. Ergo ex eo, quòd consentiat in casu libertatis A, non sequitur necessariò, fore eam etiam consensuram in casu libertatis B: siquidem in hoc adhuc maneret proximè potens non consentire.

Dices, etsi eadem voluntas in casibus pro- 736
positionis possit habere duo principia completiua libertatis numericè tantùm differentia, E. g. duas cogitationes A, & B, non tamen posse habere duas libertates numericè tantum differentes, vt malè in propositione ipsâ supponitur; quia per exercitium liberum ad quod se determinat in casu cogitationis A, inducit sibi necessitatem ad idem exercitium pro casu cogitationis B: vnde eo ipso, quòd consentiat liberè, quando habet cogitationem A, iam verum est, non liberè, sed necessariò consensuram, si loco eius haberet cogitationem B: quo casu proinde non haberet potentiam proximam non consentiendi; & cessat argumentum nostrum. Restatque impossibile omnino, quòd dicta voluntas consentiat, cùm habet cogitationem A, & quòd non consentiret, si loco eius haberet cogitationem B.

Cæterum, quàm sit falsa hæc doctrina fa- 737
cilè demonstrari potest. Quod vt clariùs fiat, agamus tantùm de casibus conditionatis: supponamusque, voluntatem, de qua sermo est, nullam habere libertatem absolutè ad consentiendum, vel non consentiendum alicui obiecto in instanti præsenti ex defectu cogitationis completiuæ libertatis huiusmodi: cùmque certissimum sit, possibilem esse aliquam cogitationem huiusmodi libertatis completiuam, ponamus eam esse cogitationem A; eritque conditionatè verum; si hæc voluntas in instanti præsenti haberet cogitationem A, libera esset ad consentiendum, vel non consentiendum tali obiecto; cùmque rursus 740
sit certissimum, non vnam solam esse possibilem cogitationem completiuam libertatis huiusmodi, sed plures, imò omnes excogitabiles purè numericè differentes; ponamus alteram talium cogitationum esse B; eritque etiam conditionatè verum; si hæc voluntas in instanti præsenti haberet cogitationem B, libera esset ad consentiendum tali obiecto. En iam habemus duos casus con-

conditionatos, in quibus eadem voluntas sub duabus cogitationibus A, & B duas haberet libertates solùm numericè differentes ad consentiendum, vel non consentiendum eidem obiecto. Cùmque præterea certissimum itidem sit, talem voluntatem in quolibet eorum casuum aut fore de facto consensuram, aut non consensuram; quia inter extrema contradictoria non datur medium; sequeretur planè ex doctrinâ numeri præcedentis, quam impugnamus, talem voluntatem per exercitium, quod haberet in casu cognitionis A, se ipsam necessitare ad idem habendum in casu cognitionis B, eodemque prorsus titulo per exercitium liberum quod haberet in casu cogitationis B, se ipsam necessitare ad idem habendum in casu cogitationis A. Quo fieret, vt in ambobus casibus idem exercitium ponendi, aut omittendi consensum liberum simul, & necessarium esset eidem voluntati; ipsaque voluntas in ambobus casibus & esset libera ad vtrumuis, vt supposuimus, & esset simul ad eorum alterum necessitata. Tum multæ, imò infinitæ cogitationes numericè tantùm differentes essent possibiles, quibus talis voluntas ad talia exercitia reddi posset libera; & simul nulla esset possibilis; quia per exercitium, quod haberet voluntas sub qualibet earum necessitata euaderet ad habendum idem sub qualibet omnium. Quæ omnia contradictionibus plena, ac prorsus chymærica sunt. Chymærica ergo est doctrina numeri præcedentis, ex qua sequitur. Quod erat demonstrandum.

738 Quo posito instauro argumentum factum num. 735. Etiam ex suppositione consensus liberè positi à voluntate prædictâ in casu cogitationis A libera nihilominùs ipsa maneret ad eum ponendum, vel omittendum in casu cogitationis B. Ergo etiam ex suppositione, quòd ille ponatur in primo casu, nec est necessarium, quòd ponatur, nec est impossibile, quòd omittatur in secundo.

739 Sed dicent aliter Aduersarij fortasse per liberam positionem consensus in casu cogitationis A non inducere voluntatem sibi necessitatem antecedentem oppositam libertati ponendi, vel omittendi illum in casu cogitationis B; quod solùm argumentatio nostra conuincit: inducere tamen sibi necessitatem consequentem ad ipsam consensus positionem tam pro casu cogitationis B, quàm pro casu cogitationis A. Nam, sicut ex suppositione, quòd consensus à voluntate cum cogitatione A ponitur, necesse est, cum à voluntate cum cognitione A poni; quin hæc necessitas consequens positionis eius obstet libertati antecedenti, qua voluntas cum cogitatione A ponit illum. Ita, inquient, ex suppositione, quòd consensus à voluntate cum cogitatione A ponitur, neaesse est etiam, eum à voluntate cum cogitatione B poni, quin hæc necessitas consequens positionis eius obstet libertati antecedenti, qua voluntas cum cogitatione B ponit illum. Differentiam quippe inter A, & B, cùm sit pure numerica, perinde se habere ad rem, ac si nulla esset.

740 Sed contra tamen est, quòd necessitas consequens, siue ex suppositione dumtaxat est necessitas vel ad idem ipsum, quod supponitur, vel ad id, quod ex supposito necessariò sequitur. Vnde ad existentiam effectus ab vnâ causâ neutiquam datur necessitas ex suppositione existentiæ eiusdem effectus ab aliâ causâ. Quia neque existere effectū, ab vnâ causâ, & existere ab aliâ, sunt vnum, & idem, sed duo inter se distincta à distinctione saltē causarum, quas includunt in suis conceptibus: neque ex primo eorum sequitur necessariò secundū: cùm ex suppositione existentiæ effectus à causâ A potiùs sequatur, eum non extiturum, si non existeret causa A, loquendo per se, & cum præcisione ab eo, quòd pro causâ A in tali casu causa B subrogaretur, vel secus. Ex suppositione autem, quòd pro causâ A subrogaretur causa B tunc solùm necessariò sequitur, fore extiturum effectum à causâ B, quando hæc ad illum necessitata est; quæ necessitas proinde existentiæ effectus à causâ B non erit consequens oriunda ex suppositione existentiæ ipsius effectus à causâ A, sed antecedens oriunda ex suppositione existentiæ ipsius causæ B. Quare, si causa B non necessitata, sed indifferens fuerit ad existentiam effectus, & eius carentiam, (vti euenit in nostro proposito), neque ex suppositione existentiæ effectus à causâ A, neque ex suppositione, quòd deficiente causâ A, loco eius subrogaretur causa B, vlla orietur necessitas ad existentiam effectus: sed sub eis etiam suppositionibus factis adhuc remanebit contingens, vt ille existat, vel non existat. Ex quibus ad rem nostram concluditur, per positionem consensus in casu cogitationis A nullam inducere voluntatem sibi necessitatem aut antecedentem, aut consequentem ad ipsum ponendum in casu cogitationis B. Possibileque proinde, siue contingens esse, vt voluntas consentiat cum cogitatione A, non consensura, si loco eius haberet cogitationem B numericè tantùm differentem, vel vice versa, iuxta nostram propositionem.

Pergo iam, & probo illam tertiò; quia si 741
voluntas discernat cogitationem A à cogitatione B, Aduersarij confitentur, esse contingens, vt consentiat in casu cogitationis A, & non consentiat in casu cogitationis B. Sed hæc discretio ad rem nihil interest. Ergo idem tenentur confiteri, etsi voluntas eam non habeat. Cætera constant. Minorem probo. Quia cognitio reflexa de libertate neque est necessaria, neque conducens ad exercitium libertatis; eo quòd ad exercitium libertatis tantùm requiruntur, tantùmque conferunt, quæ vel intrinsecè libertatem constituunt, vel ad existentiam eius sunt requisita. Cognitio autem reflexa de libertate neque libertatem constituit; quia constitutam eam supponit, neque ad existentiam libertatis requiritur: quia libertas nullam habet connexionem cum illâ: siquidem vel experientiâ ipsâ est notissimum, ordinariè nos operari liberè absque vllâ reflexâ cognitione de nostrâ libertate. Hinc autem planè sequitur, sicut, vt operetur voluntas, quidquid potest cum vnâ libertate, nihil interest, quod illam reflexè cognoscat, vel non cognoscat; ita etiam, vt operetur, quidquid potest cum duabus libertatibus, nihil interesse, quòd illas cognoscat, discernatque reflexè, vel non discernat. Quod erat probandum. At voluntas cum duabus cogitationibus, cum duabusque proinde libertatibus numericè tantùm differentibus ita operari potest, vt cum earum vnâ consentiat, secus cum alterâ, quando reflexè discernit illas, vti fatentur Aduersarij. Ergo etiam quando non discernit; atque adeò in vtroque euentu; vti à nobis in præcedentibus absolutè probatum est.

Quartò probatur propositio à solutione 742
argumentorum, quæ contra illam fiunt. Primò enim

enim obijcitur: Contradictoria æquiualentia non minùs repugnant, quàm formalia. Sed consentire voluntatem cum cogitatione A, & non consentire cum cogitatione B numericè tantùm differente, æquiualentia contradictoria sunt; sicuti velle ouum A, & non velle ouum B omnino simile illi, & æquale absque vllà eorum discretione. Ergo, consentire voluntatem cum vnà dictarum cogitationum, & non cum alterà, repugnantia sunt inter se. Concessà maiore. Nego minorem; & probationem eius. Quia in eo, quòd voluntas consentiat cum vnà libertate, & non cum alterà realiter distinctà ab illà nulla est æquiualentia contradictionis, vt constat ex hactenus dictis, & multò minùs in eo, quòd per exercitium vnius libertatis vellet ouum A, & per exercitium alterius distinctæ non vellet ouum B. Cogitationes siquidem proponentes ea duo oua non possent non constituere libertates distinctas.

743 Secundò obijcitur. Repugnat, voluntatem consentire cum auxilio A collato à Deo ex motiuo misericordiæ, & non consentire cum eodem auxilio A collato à Deo ex motiuo amicitiæ. Sicuti repugnat, voluntatem consentire cum auxilio A sibi collato, saltante Turcà, & non consentire cum eodem auxilio A sibi collato, Turcà non saltante. Ergo similiter repugnat, voluntatem consentire cum auxilio A, & non consentire cum auxilio B, quod neque differt plùs, quàm numericè, neque vllatenus discernitur ab auxilio A. In tali enim casu tam per accidens esse videtur respectu voluntatis, quòd auxilium sit A, vel B, quàm quòd auxilium A sit collatum ex hoc, vel ex illo motiuo, aut Turcà saltante, vel non saltante. Concesso toto antecedente. Nego consequentiam; & eius probationem. Quia, existente in voluntate solo auxilio A, sola existit in ea vna libertas. Repugnat autem, vt ab eadem libertate procedat, & non procedat idem consensus, quidquid sit de circumstantijs diuersorum decretorum Dei de collatione auxilij A, saltusque, vel non saltus Turcæ; quæ extrinsecè, atque adeò ad rem prorsus per accidens talem libertatem in diuersis casibus comitarentur. At existentibus in voluntate etiam in casibus diuersis auxilio A, & auxilio B, duæ in illà existerent libertates distinctæ. Et non repugnat, quòd ab vnà libertate procedat consensus, ab alteràque distinctà carentia consensus. Vnde patet, non ita se habere ad rem per accidens respectu voluntatis, quòd auxilium sit A, vel B; sicuti se habent per accidens circunstantiæ prædictæ.

744 Opponi tamen potest obiter nobis contra huius solutionis doctrinam ex alià doctrinà à nobis traditâ num. 740. Ex suppositione, quòd voluntas consentiat cum auxilio A, Turcà saltante, non est necessarium, consensuram eam cum eodem auxilio A, Turca non saltante, quantumuis circunstantia saltus Turcæ, & carentiæ eius extrinsecæ sint libertati voluntatis per auxilium A constitutæ. Ergo non minùs tenemur asserere, adhuc ex suppositione, quòd voluntas consentiat cum auxilio A, Turcà saltante, manere contingens, quòd ea non consentiat cum eodem auxilio A, Turcà non saltante; quàm asserimus, adhuc ex suppositione, quòd voluntas consentiat cum auxilio A, manere contingens, quòd ea non consentiat cum auxilio B numericè tantum differente. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Quia iuxta doctrinam dicto num. 740. à nobis statutam necessitas ex suppositione tantùm est vel ad idem ipsum, quod supponitur, vel ad id, quod ex suppositò sequitur necessariò. Sed consentire voluntatem cum auxilio A, Turcà saltante, & consentire voluntatem cum auxilio A, Turcà non saltante, nec sunt vnum, & idem; quia propter connotata distincta saltus Turcæ, & carentiæ eius distinctæ veritates sunt obiectiuæ: nec est, cur ex primo necessariò sequatur secundum. Igitur ex suppositione primi non est necessarium secundum. Quod erat probandum. Respondeo ex doctrinà stabilità in Pharo Scsent. disp. 19. quæst. 3. num. 70. & rursus supra disp. 28. quæst. 8. à num. 424. quoties circunstantia rei non influit per se in existentiam eius, hoc ipso, quòd verum est, rem existere sub tali circunstantià, e. g. A non posse non esse etiam verum rem ipsam extituram itidem sub circunstantià contradictoria e. g. B. Quia variatio talium circunstantiarum in ordine ad rei existentiam, ad quam non conducunt, perinde se habet, ac si non daretur. Vnde quàm necessarium est existere rem sub A ex suppositione, quòd existit sub A, tam necessarium est, existere rem sub B ex suppositione, quòd existit sub A. Idque; vel quia existere rem sub A, & existere rem sub B, æquiualenter ad propositum est vna veritas, etsi formaliter sint duæ; vel quia ex earum primà sequitur necessariò secunda. Ex quo ad argumentum oppositum patet responsio.

Tertiò iam contra propositionem obijcitur. 745
Repugnat, voluntatem elicere amorem A, & non fore elicituram amorem B numericè tantùm differentem, si loco præparationis concursus Dei, quam habet ad A, haberet præparationem concursus Dei ad ipsum B. Ergo repugnat voluntatem consentire cum cogitatione A, & non fore consensuram si loco cogitationis A haberet cogitationem B solo numero differentem. Consequentia videtur bona. Quia maior est differentia inter duas præparationes concursus Dei, & duos amores, quàm inter duas cogitationes, & vnum consensum. Antecedens autem probatur. Quia iuxta communem, & satis certam sententiam Theologorum voluntas non est libera, sed necessitata ad indiuiduationum actus, determinatioque proinde ad hunc actum præ cæteris possibilibus numericè tantum differentibus non à libertate voluntatis, sed à libertate Dei prout concurrentis cum illà prouenit. Cùm ergo voluntas propterea potiùs tendat ex se in rationem specificam, quàm in differentiam numericam actus, quem elicit: repugnat, voluntatem elicere amorem A, & non fore elicituram amorem B numericè tantùm differentem, si loco præparationis concursus, quàm habet ad A, haberet præparationem concursus ad B.

Respondeo, quidquid sit de consequentiæ argumenti, quæ negari etiam posset, negando antecedens; dicendoque ad probationem eius, Quòd, licèt voluntas non habeat libertatem ad eligendum inter suos actus numericè tantùm differentes vnum præ alijs, eatenusque determinetur à Deo ad eliciendum eum, quem de facto elicit, præ reliquis, quatenus Deus per decretum indifferens præparat illi suum concursum ad eum ipsum, & non ad alios. At quoad exercitium talem actum eliciendi, vel omittendi libera omnino manet voluntas post factam præparationem ad ipsum præ reliquis concursus Dei, prout fusius explicabitur infra in Tract. de Prouid. disput. 38. quæst.

quæst. 3. Sicuti ergo, postquàm voluntas habet concursum Dei præparatum ad amorem A, omnino libera manet ad eum eliciendum, vel omittendum: ita, si loco præparationis concursus ad amorem A haberet præparationem concursus ad amorem B, omnino quoque maneret libera à eum eliciendum, vel omittendum: (idque distinctà libertate; quia distinctæ præparationes concursus Dei distinctas libertates constituunt). Vnde, sicut, elicere voluntatem consensum sub cogitatione A, necessariò non infert, fore eam eumdem consensum elicituram sub cogitatione B; vt hactenus probatum est. Ita, imo potiore iure, elicere voluntatem vnum amorem sub præparatione concursus A, necessariò non inferet, fore eam amorem alterum elicituram sub præparatione concursus B.

747 Ex quibus patet, estò propter necessitatem, quam dicitur habere voluntas ad indiuiduationem actus modo explicato, dici ea possit tendere potius in rationem specificam, quàm in numericam actus, quem elicit; (idque nostro concipiendi modo dumtaxat; nam realiter verum esse non potest; cùm ratio specifica, & ratio numerica actus realiter sint prorsus idem): istum tamen concipiendi, dicendique modum reuerà sententiæ aduersæ nihil posse fauere. Si enim faueret, sequeretur planè, nullum esse casum possibilem, in quo ex elicientiâ amoris A non inferretur necessariò elicientia amoris B solo numero differentis, si loco præparationis concursus ad A haberet voluntas præparationem concursus ad B; quia in omni casu possibili habet eumdem omnino locum (vt est manifestum) hoc, quod est, voluntatem tendere potiùs in rationem specificam actus, quàm in numericam. Sequelam autem esse absurdam clarè monstratur. Nam possibile est, simul cum præparatione concursus ad amorem A habere voluntatem ad ipsum necessitatem moralem, & simul cum præparatione concursus ad amorem B habituram voluntatem necessitatem moralem ad omissionem eius. In quo casu absurdum est dicere, ex elicientiâ amoris A inferri necessariò elicientiam amoris B, vt ex ipsis terminis patet.

748 Quartò objicitur contra propositionem. Communis hominum persuasio est, eo ipso, quòd voluntas consentit cum cogitatione A, fore eam quoque consensuram cum cogitatione B purè numericè differente, si hanc haberet loco illius. Sed hæc persuasio communis aliunde prouenire non potest, quàm à connexione metaphysicâ alterius euentus cum altero sese prodente, notificanteque hominibus ex ipsâ terminorum apprehensione. Igitur talis connexio asserenda est.

749 Respondeo primò, similiter esse persuasionem communem hominum, eo ipso, quòd voluntas consentit in instanti A cum talibus cogitationibus, & circumstantijs, fore eam quoque consensuram in instanti B, si easdem omnino cogitationes, & circunstantias in illo habeat. Tum, eo ipso, quòd consentit vna voluntas in tali peristasi rerum, consensuram & alteram solo numero differentem, si in eâdem prorsus rerum peristasi reperiatur. Et tamen in his duobus casibus posterioribus neutiquam admittunt Aduersarij connexionem metaphysicam alterius euentus cum altero. Ergo neque debent illam admittere in tertio suo casu priore.

750 Respondeo secundò, ad fundandas eiusmodi persuasiones communes, estò essent illæ semper veræ, satis, superque fore connexionem moralem alterius euentus cum altero in omnibus tribus casibus dictis; quia, quod moraliter est infallibile, semper contigit. Malè igitur ab Aduersarijs adstruitur connexio metaphysica in casu primo propter persuasionem communem.

Respondeo tertiò, me quidem iudice, ne connexionem quidem moralem alterius euentus 751
cum altero dari in vllo ex dictis tribus casibus: communemque subinde persuasionem ex altero euentu inferentem alterum sæpe esse fallacem, vtpote fundatam haud dubie in regulâ pro casibus quidem naturalibus certâ, sed, quæ pro liberis sæpe fallit. Quòd nimirum à causis similibus similes proueniunt effectus. Igitur non dari adhuc moralem connexionem alterius euentus cum altero in vllo ex tribus casibus dictis, sic probo. In tertiò quidem casu: quia, si esset moraliter necessarium, vt, vnâ voluntate consentiente in tali peristasi rerum, consentiret & altera solo numero differens in eâdem peristasi reperta; etiam esset moraliter necessarium, vt positæ in peristasi eâdem innumerabiles consentirent omnes, nullâ demptâ. Hoc autem potiùs est moraliter impossibile: quia moraliter non potest contingere, vt ex innumeris voluntatibus æqualiter liberis ad consentiendum, & dissentiendum nulla dissentiat, sed omnes omnino, nullâ inter se conuentione factâ, sed prorsus casualiter, & per accidens in consentiendo concordent. Similiter in secundo casu. Si eo ipso, quòd vna voluntas cum æquabili libertate ad vtrumuis consentit in instanti A, esset necessarium moraliter, quòd cum æquabili libertate ad vtrumuis consentiret item in instanti B; etiam esset necessarium moraliter, quòd pariter consentiret in omnibus omnino instantibus centum annorum. Quis autem non censeat, esse moraliter impossibile, quòd aliqua voluntas æqualiter in actu primo inclinata ad eliciendum, atque ad omittendum consensum per centum annos in nullo tam longi temporis instanti illum omittat, sed semper in omnibus eliciat? Denique in primo casu. Si ex eo, quòd vna voluntas consentit cum cogitatione A, fieret necessarium moraliter, fore ipsam quoque consensuram cum cogitatione B numericè tantùm differente; etiam fieret necessarium moraliter, fore ipsam quoque consensuram cum infinitis possibilibus. Quod potiùs videtur moraliter impossibile. Tum Deus per scientiam mediam videret, voluntatem fore consensuram cum infinitis cogitationibus possibilibus solo numero differentibus ex hypothesi, quòd ei darentur; si ipsa cum cogitatione A consentit: & cum nullâ illarum consensuram, si cum A non consentit. Voluntasque proinde instructa solâ cogitatione A haberet in suâ liberâ potestate facere consentiendo, quòd infinitæ cogitationes possibiles essent in statu conditionato efficaces; & non consentiendo, quòd eædem omnes essent ineffi-caces. Quæ incredibilia planè videntur.

Hæc satis. Nam, siquæ alia opponi possunt contra propositionem facilè ab vnoquoque ex dictis poterunt dirui.

QVÆ-

QVAESTIO XVII.

In quo consistat libertas actus secundi.

752 ACtus secundus exercitium est actus primi, siue potentiæ, prout constat ex dictis supra quæst. 1. Actus vero secundus liber exercitium est potentiæ, siue causæ liberæ. Vnde libertas actus secundi in eo posita est, vt procedat ille à causâ liberâ quatenus liberâ, hoc est, quatenus proximè potente causare illum, vel non causare: sicque proinde suam ab illâ existentiam habeat, vt posset proximè non habere. In hoc enim stat, esse eum liberum libertate actus secundi. De quo nullum est dubium. Sed difficultas primò est, an libertas actus secundi, siue denominatio liberi extrinseca, aut semiextrinseca sit, vel potiùs adæquatè intrinseca ipsi actui secundo. Et si intrinseca quidem; an sit denominatio formæ alicuius superadditæ ipsi actui inhærentis; an verò denominatio sumpta à substantiâ actus præcisè, ita, vt libertas actus secundi realiter ab ipso actu indistincta sit. Secundò est difficultas, an libertas actus secundi ita ipsi sit essentialis, vt prorsus repugnet, non esse liberum eum actum, qui semel est liber; vel potiùs ita sit ipsi occidentalis, seu accessoria, vt idem actus, qui est liber, non liber atque adeò necessarius possit existere. Procedit autem quæstio de libertate actus secundi voluntatis creatæ: non item diuinæ; de qua alibi. Circa quam variæ sunt Doctorum sententiæ.

753 Prima, & communissima sententia est, libertatem, siue denominationem liberi extrinsecam, aut semiextrinsecam esse actui secundo voluntatis creatæ, atque etiam actioni, per quam ille ab ipsâ voluntate fit, desumptam videlicet saltem ex parte à libertate actus primi ipsius voluntatis: sicque subinde esse illis accidentalem, seu contingentem, vt idem actus modò liber, modò necessarius esse possit; similiterque eadem actio factiua eius. Sic tenent Lessius lib. 13. de Diuinis perfect. num. 17. Molina in Concord. quæst. 23. art. 4. disp. 1. membr. 7. Soar. 1. 2. tract. 2. disp. 1. sect. 3. Vazq. 1. 2. disp. 34. cap. 3 & disp. 55. cap. 3. & disp. 29. cap. 7. Salas. 1. 2. quæst. 18. tract. 7. disp. 2. sect. 5. & 6. Becan. 1. 2. tract. 1. cap. 3. quæst. 3. Coninc. de Actibus suspern. disput. 2. dub. 8. Tanner. disp. 2. de Actibus human. quæst. 1. dub. 2. Arriaga disp. 8. de Anima sect. 4. Ouiedo controu. 11. de Anima punct. 8. Veken. de Libertate diuinâ tract. 2. disput. 3. cap. 1. apud quem Francis. Amicus, & Recupitus. Carkt. disput. 24. de Anima sect. 5. Soar. Lusit. tract. 6. de Anima disput. 2. §. 12. Tellez disput. 67. sect. 1. & alij plures.

754 Secunda sententia præcedenti extremè opposita est, libertatem denominationemque liberi actui secundo voluntatis esse omninò intrinsecam, & essentialem, vtpote adæquatè identificatam cum actu ipso. Hanc tenent Petr. Hurtado disp. 15. de Animâ sect. 6. subsect. 2. referens pro eâ Conrad. Capreol. Ferran. & S. Thom. Esparza lib. 3. de Actib. human. quæst. 14. & alij Recentiores.

755 Tertia sententia secundæ affinis non cum actu voluntatis, sed cum actione productiua eius ponit identificatam, adæquatè, atque adeò omnino intrinsecam, & essentialem libertatem, denominationemque liberæ. Ita Recentiores aliqui, cum quibus sentire videntur Carmelitani Salmantini 1. 2. tract. 10. disput. 2. dub. 4. Et fauet Soar. tom. 1. de Gratiâ prolegom. 1. cap. 5. Consentit que Lynce lib. 7. Metaph. tract. 9. cap. 1. & seqq. licèt addat, etsi actioni productiuæ actus voluntatis sit intrinseca, & essentialis libertas, actioni verò productiuæ durationis eius extrinsecam & accidentalem esse, sicut & actui ipsi.

756 Quarta sententia eatenus tres præcedentes amplectitur, quatenus censet, possibiles esse actus voluntatis, actionesque factiuas eorum, quibus libertas extrinseca, seu semiextrinseca, accidentalisque, seu contingens sit; necnon possibiles etiam esse alios actus, aliasque actiones, quibus sit illa omnino intrinseca, & essentialis. Ita sentit Arriaga 1. 2. disp. 7. sect. 3. subsect. 1. atque etiam Lynce, vbi supra, & latè probat Ribaden. de Actibus human. disput. 18. & 19. De facto tamen, Arriaga, & Lynce vbi supra negant, dari actus voluntatis intrinsecè, & essentialiter liberos. Ribaden. verò alios intrinsecè, & essentialiter; alios extrinsecè, & accidentaliter liberos ponit de facto, distinctèque designat vtrosque disp. 20. Tantumdemque sentiunt vtrique de actionibus actuum productiuis.

757 Quinta sententia ita ponit libertatem actui voluntatis intrinsecam, vt eam in modo quodam superaddito, & inhærente ipsi actui consistere dicat: quocirca non essentialem, sed accidentalem actui esse censet. Hæc sententia tribuitur nonnullis Thomistis, eis præsertim, quos Carmelitani referunt vbi supra.

758 Sexta sententia quorundam Recentiorum est, libertatem actus voluntatis esse quidem adæquatè identificatam cum actu ipso; requirere tamen, vt eum denominet, aliqua extrinseca connotata per modum conditionum prorsus extrinsecarum, neque denominationem ipsam constituentium, ex quarum defectu nihilominùs potest in actu deficere denominatio liberi. Cadit sententia hæc sub illam generalem doctrinam, quam appellant de connotatis, & qua Auctores eius vtuntur in variis materijs.

759 Noto tamen hic primò, Auctores, qui libertatem actus voluntatis ipsi essentialem esse dicunt, dumtaxat loqui de actu positiuo. Nam omissioni eius, quæ actus negatiuus dici solet, neutiquam posse libertatem esse essentialem, certum apud omnes esse videtur, aut saltem prorsus debet. Secundò noto, etsi ponatur libertas actui voluntatis, aut eius actioni essentialis, nonnullos censere denominationem liberi nihilominùs esse illi semiextrinsecam: sicuti apud eosdem denominatio veri semiextrinseca est etiam eis actibus intellectus, quibus essentialis est veritas, vti nos item docuimus in Pharo Scient. disp. 3. quæst. 1. propos. 6. Sic tenet Arriaga 1. 2. disp. 7. citatâ num. 14. Lynce verò tract. 9. citato cap. 6. duplicem ponit libertatem in actione essentialiter liberâ, alteram adæquatè ipsi intrinsecam, alteram semiextrinsecam.

Incipio à certioribus.

Pro-

Propositio 1.

760 **Impossibile est, vt omissio aliqua vllius actus voluntatis libera essentialiter sit.**

Quia, vt talis esset, cum libertate actus primi voluntatis, atque adeò cum aliquo ente positiuo prout existente deberet connexa esse essentialiter, vt est notissimum. Sed nulla omissio vllius actus voluntatis, vtpote mera negatio entis, cum vllo ente positiuo est connexa essentialiter, vt à nobis est demonstratum tum in Pharo Scient. disp. 14. quæst. 4. proposit. 10. tum in tom. 1. huius Operis disput. 4. quæst. 3. proposit. 3. Igitur impossibile est, vt omissio aliqua vllius actus voluntatis libera essentialiter sit. Et quidem; cùm sit manifestum, omnes carentias, seu negationes omnium actuum voluntatis sine ipsà voluntate, & consequenter sine libertate actus primi eius existere posse; manifestum quoque est, omnes carentias, seu negationes omnium actuum voluntatis posse esse non liberas. Hoc autem ipsum est, omnibus illis contingenter, atque adeò nulli essentialiter posse libertatem competere. Quod æquè est verum, siue de earum libertate immediatà, siue de mediatà sit sermo, casu, quòd vtraque sit possibilis; vt contra oppositum opinantes mihi certum est propter doctrinam traditam supra quæst. 6. & 7.

Propositio 2.

761 **Esse libertatem adæquatè identificatam cum actu voluntatis, & tamen, vt eum denominet liberum, requirere conditionem extrinsecam in ipsà denominatione liberi non inclusam, omnino impossibile est.**

Hæc propositio mihi est euidens contra sententiam sextam relatam num. 758. Quoniam id, quo præcisè deficiente, & cæteris omnibus permanentibus, deficit quælibet essentia, aut est essentia ipsa, aut aliqua pars eius ipsam intrinsecè constituens, vt demonstraui in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. proposit. 19. Sed deficiente præcisè extrinsecà illà conditione, & cæteris omnibus permanentibus, deficit essentia denominationis liberi in actu voluntatis iuxta Aduersarios. Ergo talis conditio, si talis denominationis non est integra essentia, certè non potest non esse pars eius ipsam intrinsecè constituens. Vnde mox sequitur, ne libertatem quidem abstractè sumptam, quæ denominationis liberi forma censetur, adæquatè identificatam cum actu voluntatis dici posse; sed ei semiextrinsecam, sicut & ipsa denominatio liberi dici debere. Vide doctrinam illam de connotatis, quam dicta sententia sexta supponit, pluribus reiectam omnino tanquam euidenter falsam loco citato Phari.

Propositio 3.

762 **Libertas actus voluntatis non ita potest esse intrinseca illi, vt in modo aliquo superaddito, & inhærente ipsi actui consistat.**

Est contra sententiam quintam relatam num. 757. Probatur autem primo. Quia (præcisà actione productiua actus voluntatis, de qua hìc non est sermo) non est excogitabilis modus superadditus, à quo denominatio liberi ita proueniat ipsi actui, vt, tali modo deficiente, talis denominatio deficiat: siquidem eo ipso, quòd actus eliciatur à voluntate potente proximè non elicere illum, omni alio modo superaddito penitus circumscripto, non potest non ille imputabilis voluntati, atque adeò liber euadere, vt est manifestum. Ergo talis superadditus modus ad rem prorsus impertinens, atque adeò etiam impossibilis censendus est.

Secundò probatur. Quia omissio actus independeter à tali superaddito modo, cuius prorsus est incapax, aliunde potest libertatem sortiri. Ergo potiore iure poterit actus. 763

Tertiò probatur. Nam vel eiusmodi modus superadditus euadit liber per se ipsum, vel per alium modum etiam superadditum ipsi. Si per alium: & hic euadet liber per alium, abibiturque in infinitum: quod planè repugnat. Si per se ipsum: vel libertate accidentali consistente in coexistentià eius cum libertate actus primi voluntatis sibi accessoriâ; & sic multò potiore titulo à simili coexistentià euadet liber ipse actus secundus voluntatis, sublato ab illo penitus tali modo: vel libertate essentiali propter connexionem, quam ille habet cum dictà libertate actus primi; & hoc pacto potiore item iure veniet adscribenda dicto actui secundo talis connexio, ipseque modus penitius veniet amouendus tanquam superfluus. In omni igitur euentu eiusmodi superadditus modus vt ptorsus superuacaneus, impertinensque ad libertatem actus secundi voluntatis constituendam, ad idque subinde muneris impossibilis reijciendus omnino est. Hæc satis contra sententiam haud dubiè iam penè ab omnibus derelictam. 764

Propositio 4.

Possibiles sunt actus voluntatis, actionesque factiuæ eorum, quibus libertas contingens, atque semiextinseca sit. 765

Dico semiextrinseca: quia denominatio liberi potius inter semiextrinsecas, quàm inter extrinsecas censenda est iuxta diuisionem earum datam à nobis in Pharo Scient. disput. 2. quæst. 4. consect. 3. & disput. 12. quæst. 3. num. 42. tametsi alij extrinsecam appellent illam; in quo solùm potest esse dissensio de nomine. Loquor autem de actibus voluntatis, de actionibusque factiuis eorum cum distinctione: quia iuxta sententiam communem, quam aliqui ex Auctoribus citatis supponunt, & ego amplexus sum in eàdem Pharo Scient. disput. 2. quæst. 1. actus voluntatis, quales sunt volitiones, & nolitiones, medijs actionibus à se adæquatè condistinctis producuntur à voluntate: & quidquid in præsenti iuxta sententiam hanc dictum fuerit, facilè accommodari poterit alijs, quæ actiones, quibus voluntas producit suos actus vel cum ipsis adæquatè identificant, vel in ipsis includunt, prout loco proximè citato videri potest.

766 Et quoniam, quoties actio contingenter est libera, non potest non & actus per illam productus etiam contingenter liber esse; de actionibus tantùm voluntatis loquemur plerunque compendij gratiâ inter probandum propositionem, nisi quandoque necesse sit actus item exprimere. Porro necesse esse, quòd actus contingenter tantùm sit liber, quando actio eius contingenter est libera, facilè demonstratur. Quia, cùm actio essentialiter sit connexa tanquam cum suo termino cum actu producto per illam, si actus sit liber essentialiter ob connexionem sui essentialem cum libertate actus primi voluntatis, actio quoque ob connexionem mediatam sui cum eâdem libertate erit essentialiter libera. Necesse ergo est, vt, quando contingenter est libera, & actus per eam productus contingenter sit liber. Non sic tamen euenit vice versâ. Quia, cùm actus non sit connexus cum actione determinatâ, per quam de facto fit; eo quòd per plures alias, easque inter se diuersas factibilis est, contingenter liber manere poterit; etsi actio, per quam fit de facto, sit libera essentialiter; quia contingens illi erit, per illam, & non per aliam fieri.

767 Igitur propositionem nostram inde potissimùm probant multi; quia ex duabus cogitationibus, ex quibus libertas actus primi voluntatis componitur, ea dumtaxat, quæ attrahit ad actum, influit simul cum voluntate in eius actionem: non item altera, quæ retrahit. Quo fit, vt siue hæc adsit, siue desit, cum eâque consequenter libertas actus primi, manente integrâ causâ actionis, eadem actio possit manere: eique proinde possit contingere, vt euadat vel libera à coexistentiâ cum dictâ libertate actus primi, vel necessaria à coexistentiâ cum eius defectu. Hæc tamen probatio nullatenus mihi probari potest. Quia, vt ostendi quæst. 15. à num. 706. necessariò dicendum est, integram libertatem actus primi, atque adeò cogitationem retractiuam in eâ inclusam simul cum voluntate influere in actionem liberam eius. Quo penitus ruit dicta probatio. Eâ ergo reiectâ.

768 Probo ego propositionem primò. Quia influxus, quem simul cum voluntate præbent in actionem eius cogitationes tum attractiua, tum retractiua non est physicus, sed moralis. Eatenus enim tantùm concurrunt simul cum voluntate ad agendum, quatenus per suas entitates formaliter eam reddunt inclinatam in actu primo tali, tantâque inclinatione ad talem actionem, qualis, & quanta resultat ex earum contemperatione, iuxta dicta loco citato. Actio autem dumtaxat respicit suapte essentiâ entitates voluntatis, aliorumque comprincipiorum, à quibus egreditur physicè: quidquid sit de inclinationibus superadditis, quibus tales entitates inclinantur in actu primo, moraliterque subinde mouentur ad eliciendam talem actionem. Vnde, quæcunque sint eiusmodi inclinationes, & quocunque modo varientur, neutiquam actio variari debet, sed eadem semper potest persistere, dummodò principia physica, à quibus ea physicè elicitur, semper sint eadem. Quemadmodùm actiones aliarum potentiarum, quæ voluntati subditæ sunt, variari non debent, sed eædem possunt semper esse, quantumuis varientur, diuersaque sint imperia, quibus à voluntate imperantur: quia nimirum non physicè, sed moraliter causantur ab huiusmodi imperijs. Sic eadem actio manus, sic eadem actio intellectus diuersis actibus à voluntate possunt imperari, & causari. Sic itidem eadem actio ipsius voluntatis per diuersa imperia reflexa ab ipsâmet voluntate causari potest. In quo communiter Doctores omnes conuenire videntur. Cum igitur per ablationem cogitationis retractiuæ nihil auferatur, cum quo actio voluntatis connexa sit, siue illa adsit, siue desit, eumque consequenter libertas actus primi, eadem actio manere potest. Quæ proinde contingenter, & semiextrinsecè vel libera, vel necessaria potest existere; quatenus vel dictæ libertati actus primi, vel defectui eius potest coexistere.

769 Oportet tamen hìc aduertere discrimen inter cogitationem attractiuam, & retractiuam. Quanquam enim cum neutrâ earum actio voluntatis connexa sit, quatenus neutra earum physicè ad eliciendam eius, sed tantùm moraliter concurrit, prout dictum est: alio tamen titulo actio voluntatis cum cogitatione attractiuâ connexa est; cum retractiuâ verò nequaquam. Quia nimirum per cogitationem attractiuam proponitur voluntati illud obiectum, in quod actus eius tendit suapte naturâ, & cum quo subinde prout voluntati proposito, seu prout à voluntate cognito per talem cogitationem connexus est: vnde & cum ipsâ cogitatione est connexus tanquam cum sui obiecti propositione; & consequenter actio talis actus productiua etiam est connexa mediatè. At per cogitationem retractiuam proponitur voluntati obiectum, in quod actus voluntatis non tendit suapte natura; & cum quo subinde prout proposito, seu cognito non debet connexus esse vllo titulo, atque adeò neque actio eius. Vnde concluditur, quanquam actus, & eius actio sine cogitatione attractiuâ nequeant existere: benè tamen existere posse absque retractiuâ, & consequenter absque libertate actus primi voluntatis: eisque proinde libertatem actus secundi contingentem, & semiextrinsecam esse, vt per argumentum præcedens concluſum est.

770 Id quod, atque adeò propositio data probatur secundò similiter. Quia decretum Dei concurrendi cum voluntate ad eius actionem, quod ad potentiam proximam causatiuam ipsius actionis intrinsecè pertinet, non physicè, sed tantùm moraliter influit in actionem ipsam: influit enim per modùm cuiusdam imperij, quo voluntas Dei omnipotentiæ sibi subditæ imperat, vt talem actionem simul cum voluntate creatâ physicè eliciat. Vnde, (quemadmodùm de cogitationibus dictum est), tali decreto variato, eadem actio physicè oriunda à voluntate creatâ simul & ab omnipotentiâ diuinâ persistere potest. Quare, si talem actionem imperet Deus decreto indifferente, subiecto quoad efficaciam suam creatæ voluntatis arbitrio, tunc libera existet voluntas ipsa ad talem actionem simul cum omnipotentiâ Dei eliciendam; necessitata verò è contra, si Deus actionem eamdem imperet decreto determinato, independente quoad efficaciam ab illius libertate. Ex hoc ergo itidem capite eadem voluntatis actio vel libera, vel necessaria potest contingenter euadere à libertate, vel necessitate actus primi voluntatis ipsius, atque adeò semiextrinsecè. Quod erat probandum.

771 Confirmatur, & vrgetur hoc argumentum. Decreta voluntatis diuinæ perinde imperant actiones diuinæ omnipotentiæ, ac decreta voluntatis humanæ imperant actiones potentiæ sibi subditæ. Sed eadem actio potentiæ subditæ voluntati humanæ

manæ à diuersis huius decretis procedere potest, vt apud omnes est in confesso. Ergo eadem actio omnipotentiæ subditæ voluntati diuinæ à diuersis huius decretis potest procedere similiter. Quis enim credat, Deo esse impossibile, eumdem Angelum per eamdem actionem creare ex diuersis motiuis, atque adeò per diuersa decreta? Vt igitur Deus eamdem actionem propriam omnipotentiæ suæ potest haud dubie causare ex diuersis motiuis, atque adeò per diuersa decreta. Ita quoque eamdem actionem communem suæ omnipotentiæ, & voluntati creatæ poterit concausare ex diuersis motiuis, atque adeò per diuersa decreta. Quæ quidem si fuerint indifferentia diuersas libertates, si vero determinata diuersas necessitates actus primi dictæ creatæ voluntatis constituent. A quibus subinde dicta eadem actio diuersas libertates, diuersasque necessitates contingenter, & semiextrinsecè subire poterit.

771 Tertiò probatur propositio. Quia propter eamdem rationem influxus moralis, & non physici imperij in actionem imperatam eadem actio voluntatis potest à voluntate ipsa egredi vel imperata per imperium reflexum, vel non imperata. Si egreditur non imperata, libera poterit euadere libertate immediatâ, vt constat. Si autem imperata, libera quoque euadere poterit libertate immediatâ, sed à præcedente diuersâ, si imperium simplex fuerit; necessaria tamen immediatè, & libera tantùm mediatè, si imperium fuerit efficax, iuxta doctrinam de huiusmodi imperijs traditam supra quæst. 12. Eadem igitur actio voluntatis contingenter, & semiextrinsecè potest euadere vel libera, idque diuersis libertatibus, vel necessariâ à libertatibus, vel necessitate actus primi ipsius voluntatis. Et confirmari potest hoc argumentum à simili rursus actionum aliarum potentiarum, quæ voluntati subditæ sunt; quatenus illæ eædem in se, & inuariatæ à varijs diuersisque imperijs voluntatis causari possunt. Deinde confirmari poterit. Quia possibilis citra dubium est prædeterminatio necessitans voluntatem ad actionem, in quam non physicè, sed tantùm moraliter influat, vti imperium efficax reflexum. Quæ actio subinde & erit necessaria, tali prædeterminatione existente, & hac sublatâ eademmet poterit esse libera. Præterea confirmari potest. Quia eædem actiones, quæ à voluntate humanâ Christi, aut etiam à qualibet aliâ cuiuscunque Beati propter earum impeccabilitatem necessariò eliciuntur; eo quòd omissiones oppositæ forent peccata; liberè proculdubio elici possent ab eisdem voluntatibus, si deesset ipsis impeccabilitas. Quandoquidem formæ illam præbentes iuxta communes Theologorum sententias, non physicè, sed moraliter tantùm influunt cum talibus voluntatibus in tales necessarias actiones.

773 Quartò probatur propositio. Quia iuxta demonstrationem factam propos. 1. omissio actus, atque etiam actionis voluntatis, quæ actus quidam eius est negatiuus, contingenter, & semiextrinsecè potest libera esse, idque non solùm libertate mediatâ oriundâ ab immediatâ alicuius actus positiui, sed etiam immediatâ conuenienti puræ omissioni prout constat ex doctrinâ stabilitâ supra quæst. 6. & 7. Ergo tantumdem euenire potest actui positiuo, & actioni eius. Probo consequentiam. Quia vel est de conceptu libertatis actus secundi, quòd sit essentialis, & intrinseca ipsi actui secundo. Vel non. Si primum. Neque libertas actus secundi negatiui poterit esse ipsi contingens, & semiextrinseca contra demonstrationem citatam. Si verò secundum. Libertas actus secundi æquè esse poterit contingens, & semiextrinseca actui secundo positiuo, atque negatiuo.

Quintò probatur. Quia eidem entitati voluntatis contingens est, esse liberam, vel necessitatam libertate, vel necessitate actus primi. Ergo & eidem entitati actus, actionisque voluntatis potest esse contingens, quòd sit libera, vel necessaria libertate, vel necessitate actus secundi. 774

Sextò probatur. Actiones aliarum potentiarum, quæ voluntati subditæ sunt, contingenter, & semiextrinsecè euadunt liberæ à libertate actus primi ipsius voluntatis: ab hac enim deriuanda venit omnis libertas actus secundi: & hac præcisè intellectâ, nequit non intelligi libera omnis actio ab illâ prouenies siue immediatè, siue mediatè. Ergo actiones quoque ipsius voluntatis ab eiusdem libertate actus primi poterunt euadere liberæ contingenter, & semiextrinsecè. 775

Septimò probatur. In actu amoris voluntatis (tantumdem censè de actione productiua eius) licèt cernatur prædicatum connexionis cum potentiâ proximâ sui: ob idque inferatur benè, voluntas amat, ergo potest amare, non tamen apparet prædicatum connexionis, cum potentiâ proximâ suæ carentiæ: ob idque non benè infertur, voluntas amat, ergo potest carere amore: imo talis illatio clarè mala est in Beatis, qui ita Deum amant, vt non possint carere amore eius. Sed neque apparet in actu amoris prædicatum oppositionis cum potentiâ suæ carentiæ: ob idque, neque infertur benè, voluntas amat, ergo non potest carere amore: imo mala est clarè talis illatio in voluntate amante liberè. Ergo possibilis est actus amoris indifferens ad coexistendum vel cum potentiâ proximâ carentiæ suæ, vel cum defectu eius: & consequenter ad coexistendum cum aggregato ex tali potentiâ, & ex potentiâ proximâ sui, in quo libertas actus primi voluntatis consistit, vel cum defectu eius. Quod est, possibilem esse actum amoris, qui contingenter esse possit vel liber per coexistentiam cum dictâ libertate, vel necessarius per coexistentiam cum defectu eius. 776

Octauò probatur. Quia possibilis est actio voluntatis, quæ sit contingenter, & semiextrinsecè libera libertate contrarietatis, aut libertate anonyma. Ergo & quæ sit contingenter, & semiextrinsecè libera libertate contradictionis. Consequentia videtur bona à paritate. Antecedens autem probatur. Quia satis ex terminis ipsis videtur apparere, respectu quiditatis actionis à voluntate elicitæ contingens, imo impertinens esse posse, quòd voluntas, dum illam elicit, potentiam proximam habeat etiam ad eliciendam aliam actionem vel illi oppositam; quo casu contingenter libera euadet illa libertate contrarietatis: vel illi non oppositam; quo casu contingenter pariter illa libera libertate anonymâ euadet. 777

Nonò probatur. Quia, cùm sit certum apud omnes, posse Deum absolutè necessitare voluntatem ad quidpiam volendum; durum videtur hanc Dei potestatem restringere, vt tantùm possit necessitare voluntatem ad aliquam earum volitionum, quæ nequeunt esse liberæ illi; 778

quia sunt omnes essentialiter necessariæ: nec possit ad vllam aliarum, quæ liberæ illi esse possunt; quia essentialiter sunt omnes liberæ. Et confirmari potest. Quia tam potens necessitare voluntatem ad actum positiuum, quàm ad negatiuum debet Deus censeri. Sed potens est necessitare illam ad actum negatiuum; qui alias potest ipsi esse liber iuxta dicta num. 773. Ergo etiam est potens necessitare illam ad actum positiuum, qui alias potest ipsi esse liber. Quod ipsum est, talem actum vel necessarium, vel liberum posse esse contingenter.

779 Decimò denique probatur nostra propositio. Quia actiones, actuique voluntatis, quibus non intrinsecè, & essentialiter, sed semiextrinsecè tantùm, & contingenter conueniat libertas, nullam inuoluunt, aut secum ferunt contradictionem. Igitur sunt possibiles. Consequentia est legitima. Et antecedens constabit ex solutione argumentorum; quibus opposita impossibilitas intenditur ab Aduersarijs probari.

780 Primò enim contra propositionem obijcitur ex Hurtado in hunc modum. Actus liber ratione libertatis, à qua habet esse bonum, vel malum moraliter, est obiectum specialis amoris, aut specialis odij Dei, quale non est actus non liber, vtpote nec moraliter bonus, nec moraliter malus, vt est certissimum. Ergo libertas actui libero contingens, & semiextrinseca esse non potest. Sequeretur enim inde, peccatum odij aliud non esse re ipsa ab aggregato ex physica entitate odij, & ex libertate actus primi voluntatis resultante; similiterque meritum amoris in aggregato ex entitate amoris, & ex libertate voluntatis coalescente consistere. Hoc autem dici non potest. Quia aggregatum ex entitate odij, & ex libertate voluntatis nec potest esse peccatum odij, neque à Deo odibile vt tale: cùm neutra pars eius mala moraliter, vt sicque à Deo odibilis sit; & ipsum à suis duabus partibus non distinguantur. Similiterque aggregatum ex entitate amoris, & libertate voluntatis nec bonum moraliter, nec vt tale à Deo amabilis potest esse; cùm neutra pars eius talis sit, ipsumque, & ambæ partes eius prorsus sint idem. Vnde concluditur, liberratem actus secundi voluntatis, & consequenter moralitatem, hoc est bonitatem, vel malitiam moralem ipsi actui essentialem, realiterque identificatam poni debere.

781 Sed primùm, hoc argumentum doctrinam trahit valde difficilem, & in materiâ de peccatis plerisque Theologis exosam, nempe, malitiam moralem peccati esse quid physicum ab actu physico indistinctum. Deinde multas instantias patitur ab Aduersario necessariò admittendas. Primò enim occisio externa hominis liberè facta specialiter est inuisa Deo, vtpote moraliter mala; & tamen nemo dixerit, talem actionem intrinsecè, & essentialiter esse liberam, & malam moraliter. Secundò actus honestus à iusto elicitus idem ab eodem elici posset, si iustitiâ careret; & tamen elicitus à iusto aliter, ac, si eliceretur à peccatore, respicitur à Deo. Tertiò multa amantur vt bona, aut odio habentur vt mala, quarum bonitas, aut malitia ab aliquo extrinseco prouenit, quod tamen in se aut non bonum, adeòque neque amabile, aut non malum, adeòque neque odibile est. Amatur flagellatio hominis propter bonitatem punitionis ei extrinsecè prouenientem à talis hominis delicto commisso: quod tamen in se neque bonum, neque amabile est. Amatur collatio pecuniæ ob bonitatem eleemosynæ, quam à miseriâ eius, cui confertur, illa participat extrinsecè, quæ tamen miseria neque bona est, neque amabilis. Habetur odio effusio sanguinis propter malitiam sacrilegij ei prouenientem à circunstantiâ extrinsecâ loci sacri, qui tamen locus nec malus, nec odibilis est. Amo scisionem venæ præsente febri, quam eamdem non amarem, si sanus essem; cum febris nec mihi sit bona, nec illam amem. Odio habeo calorem tempore æstatis, quem eumdem hyeme appeterem; & tamen tempus illud non odi, neque istud appeto. Aliaque huiusmodi sunt sexcenta.

782 Igitur ad argumentum oppositum ex vniuersali doctrinâ latiùs tradendâ infra disput. 32. quæst. 3. respondeo breuiter, actum bonum, aut malum moraliter semiextrinsecè liberum, bonumque, aut malum esse. Eiusque libertatem, proinde, bonitatemque, vel malitiam ea omnia fundamenta includere in suo conceptu reali, ex quibus denominationes semiextrinsecæ liberi, bonique, vel mali sumuntur. Quia tamen denominationes istæ directè, & tanquam subiectum solum actum ipsum important, cætera autem dicunt obliquè, siue de connotato, solus actus est, cui conuenit, esse liberum, & bonum, vel malum; & consequenter solus actus est, quem vt talem Deus vel speciali amore, vel speciali odio prosequitur, habentibus se cæteris connotatis vt conditionibus obiectiuis ad talem amorem, vel odium, prout fusiùs explicabitur loco citato. Paulo aliter respondent alij ad argumentum factum. Sed minus benè, vt apparebit ex ibidem dicendis.

783 Secundò obijcitur ex eodem. Voluntas quatenus libera in actu primo est principium physicum actus secundi etiam quatenus liberi: actusque secundus prout liber physicum exercitium est talis principij. Ergo libertas actus secundi non potest non esse quid physicum cum actu ipso identificatum. Multi censent, voluntatem ideo non esse quatenus liberam principium causatiuum actus secundi liberi; quia cogitatio retrahens inclusa in illius libertate in actum secundum liberum nullatenus influit. Quorum doctrinam ego reieci num. 767. Quare ad argumentum hoc aliter, quàm illi, respondeo consentaneè ad dicta num. 768. voluntatem quatenus liberam principium esse partim physicè, & partim moraliter causatiuum actus secundi liberi; non tamen quatenus liberi reduplicatiuè, sed quoad substantiam eius præcisè, quæ, dum procedit à tali principio, semiextrinsecè denominatur libera ab illius libertate. Vnde actus secundus liber nec est prout liber exercitium dicti principij, nec est quoad substantiam integri illius exercitium physicum, sed vt summum eius partis in illo inclusæ, à qua nascitur physicè. Dico *vt summum*; quia non tam actus, quam actio factiua eius est tale exercitium.

784 Tertiò obijcitur ex Esparzâ, & alijs Recentioribus. Omnis actus liberè elicitus ex suo conceptu est essentialiter comparatiuus eorum extremorum, inter quæ versatur libertas arbitrij, vtpote intrinsecè prosequutiuus vnius, & reiectiuus alterius, perfectiuus, & actuatiuus inclinationis præuiæ ad vnum, & impeditiuus, ac superatiuus inclinationis præuiæ ad alterum, ac demum contentiosus, & pugnax, adhærens vni motiuo cum victoriâ alterius trahentis ad oppositum.

tum. Hoc enim ipso, quòd voluntas libera inclinationes oppositas habet in actu primo procedentes à motiuis appositis, sicut non potest non alteram earum sequi, siue acceptare, redigereque positiuè ad actum secundum, ita non potest non alteram reijcere, seu cohibere, & superare positiuè per ipsum actum secundum. Qui proinde intrinsecè, & per essentiam suam æquè habet contemnere, reijcereque motiuum, quod contemnit, reijcitque de facto, atque resistere inclinationi præuiæ ad illud, eamque superare; ac habet amplecti, seu prosequi, & præferre motiuum, quod amplectitur, seu prosequitur, & præfert de facto, atque conformari inclinationi præuiæ ad illud, eidemque succumbere. Quod ipsum est, tale actum secundum intrinsecè, & per essentiam suam liberum esse. Confirmant. Quia actus opinatiuus intellectus intrinsecè, & essentialiter differt ab actu scientifico. Ergo actus liber voluntatis intrinsecè, & essentialiter differt à necessario.

Vt clarè argumentum hoc diluatur, cui Recentiores vtentes illo valde fidunt, solerter aduertendum imprimis est, non omnia motiua, ex quibus coalescit inclinatio voluntatis ad eum actum positiuum, quem de facto elicit, respici per ipsum actum essentialiter & intrinsecè, sed aliqua, aut aliquod eorum dumtaxat. Vnde sequitur, talem actum neutiquam habere intrinsecè, & per essentiam suam prosequi, acceptare, & amplecti dicta omnia motiua, inclinationemque ex eis compositam, à quibus de facto procedit, sed aliqua, vel aliquod eorum tantùm. Ex quo rursus sequitur, multò minùs habere illum intrinsecè, & per essentiam suam contemnere, reijcereque motiua opposita, resistereque inclinationi, quæ ex illis resultat, eamque superare.

785

Pro quorum intelligentia suppono primò, motiua inclinantia voluntatem ad aliquem actum eliciendum alia esse formalia, alia obiectiua. Formalia sunt actus interni aut intellectus, aut ipsius voluntatis, aut etiam imaginationis, & appetitus sensitiui. Obiectiua verò sunt obiecta, in quæ tendunt, seu quæ respiciunt tales actus. Motiua autem obiectiua rursus duplicia sunt. Alia, quæ dicuntur intrinseca respectu actuum, ad quos inclinant; eo quòd per ipsos actus intrinsecè, & essentialiter respiciuntur, vti per actum amoris Dei respicitur bonitas diuina. Alia, quæ respectu actuum ad quos inclinant, dicuntur extrinseca; quia ab ipsis intrinsecè, & essentialiter non respiciuntur, vti se habet iustificatio respectu actus amoris Dei, quando hic per actum reflexum ex fine iustificationis obtinendæ imperatur à voluntate; in tali enim casu iustificatio motiuum extrinsecum est actus amoris Dei, vtpote à quo nullo intrinseco respectu respicitur. Ex motiuis verò, quæ per actus, ad quos mouent, respectu intrinseco respiciuntur, alia immediatè respiciuntur, vt diuina bonitas per actum amoris Dei, alia respiciuntur tantum mediatè, vt finis præintentus per electionem mediorum. Et hæc licèt ab aliquibus dicantur etiam motiua extrinseca; sed meliùs dicentur motiua intrinseca mediata, vt discriminentur ab eis extrinsecis, quæ ab actibus, ad quos mouent, nullo respectu intrinseco respiciuntur.

786

Suppono secundò, motiua obiectiua non physicè, sed intentionaliter (quod genus quoddam est influxus moralis) in eos actus, ad quos mouent influere simul cum voluntate. Motiua autem formalia aut semper etiam, aut plerunque saltem concurrere simul cum voluntate ad actus, ad quos mouent, non physico, sed morali tantùm influxu; quatenus scilicet, veluti simpathia quadam intercedente, per suam physicam existentiam formaliter reddunt inclinatam voluntatem ad tales actus eliciendos. In quo differunt à motiuis obiectiuis, quæ non per physicam, sed per intentionalem sui existentiam, quam obiectiuè habent in sui cognitione, similiter reddunt quasi formaliter inclinatam voluntatem ad actus ipsos. Ex quo fit, vt neque actus voluntatis, neque eorum actiones debeant respicere respectu intrinseco, & essentiali motiua aut formalia, aut obiectiua à quibus dictis modis causantur eo titulo, quod ab eis causantur. Quia, vt dicebamus num. 768. actiones productiuæ effectuum tantum respiciunt essentialiter causas physicas, à quibus physicè egrediuntur, non verò item causas morales, à quibus physicæ quoquo modo inducuntur ad tales actiones eliciendas. Effectus autem ne suas quidem causas physicas, præter vnam primam debent respicere essentialiter eo titulo, quod ab eis fiunt: siquidem idem calor factus ab hoc igne, non ab ipso, sed vel ab alio, vel à sole potuisset fieri, vt fert communis philosophia. Quòd si actus voluntatis sua motiua obiectiua intrinseca respiciunt essentialiter, id certè non habent, quia ab eis causantur, sed quia tendentiæ quædam sunt in illa suapte essentia; idemque proinde, etiam si ab eis non causatentur, haberent, vti eueniret, si à Deo voluntati infunderentur, ipsa non cooperante, & consequenter nec ipsis motiuis concurrentibus.

787

Ex his infertur primò, actum liberum neutiquam debere respicere respectu essentiali, & intrinseco integram inclinationem voluntatis ad ipsum: quia tantùm debet sic respicere motiuum obiectiuum intrinsecum sui inclusum in illa, & consequenter cogitationem qua illud proponitur: non verò motiua extrinseca, nec passionem appetitus, nec hoc determinatum decretum concurrendi Dei, nec negationem omnis formæ prædeterminatiuæ sui, nec cætera, siquæ sunt, quæ dictam inclinationem complent. Secundò infertur, inclinationem oppositam auertentem voluntatem ab actu libero nihil in se claudere, quod debeat respici ab ipso actu respectu essentiali, & intrinseco: quia nullum motiuum obiectiuum claudit in se, in quod talis actus sit tendentia suapte essentia, & quod ob id sit motiuum intrinsecum eius: cætera autem, quæ illam complent nullatenus respici debere ab ipso actu respectu essentiali, palam ex dictis est. Vnde actus liber ab omni intrinseco, & essentiali respectu ad dictam sibi auersam voluntatis inclinationem penitus potest esse absolutus.

788

Ex quibus duobus tandem infertur iuxta præmissa num. 785. actui libero nequaquam debere intrinsecas, & essentiales esse denominationes obsequentis inclinationi voluntatis ad ipsum, & eam amplectentis, resistentisque inclinationi oppositæ, & eam superantis; sed semiextrinsecas, & contingentes illi esse posse. Et quidem, cùm in impulsibus, in ponderibus, in calore, & frigore, in alijsque externis, ac oppositis qualitatibus actioni vnius proculdubio sint semiextrinsecæ, & contingentes denominationes resistentis contrariæ, & illam vincentis, seu superantis; certè non est, cur in inclinationibus oppositis voluntatis tantumdem euenire non possit; quantumuis Ad-

uer-

uersarij conentur disparitatem reddere. Vnde demum concluditur, denominationem itidem liberi semiextrinsecam, & contingentem actui voluntatis esse posse. Neque intrinsecam, & essentialem esse debere, vt contendebat argumentum propositum num. 784. Ad cuius confirmationem dico vno verbo, cùm obscuritas, & euidentia ab actibus intellectus, quibus conueniunt, sint realiter indistinctæ, actum opinatiuum, & actum scientificum, qui penes eas differunt, non posse non inter se differre essentialiter. At, cùm libertas, & necessitas actibus voluntatis, quibus conueniunt, semiextrinsecæ possint esse, vti probatum est; actum liberum, & necessarium accidentaliter tantùm, & contingenter differre posse. Quæ omnia ex dicendis circa propositum 5. magis confirmabuntur.

790 Quartò obijcitur ex Lynceo. Libertas actionis consistere nequit in aggregato ex actione, & libertate actus primi voluntatis. Ergo debet esse intrinseca, & essentialis actioni ipsi. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Quia, si voluntas existens in instanti A cum libertate actus primi non agat in eo; agat verò existens in instante B iam sine libertate actus primi, dabitur à parte rei aggregatum ex libertate actus primi, & actione partim in instanti A, & partim in instanti B; & tamen actio non erit libera. Ergo libertas eius nequit consistere in tali aggregato.

791 Nec dici potest, consistere illam in tali aggregato, non vtcunque, sed vt adæquatè existente in eodem instanti temporis. Quia hoc erit, non in solo aggregato actionis, & libertatis actus primi illam consistere; sed insuper includere durationes (scilicet superadditas), quibus actio, & libertas actus primi in eodem instanti temporis sibi coexistunt. Hoc autem dici non potest. Primò; quia, si Deus absolueret voluntatem cum suâ libertate actus primi ab omni tempore, adhuc posset liberè agere: actioque eius in tali casu non esset voluntati prout liberæ in actu primo coexistens in eodem tempore. Secundo; quia supernaturaliter posset dari aliqua actio nec libera, nec necessaria; quod est absurdum. Si enim voluntas libera in actu primo poneret actionem, & non poneret durationem eius, præbente illi Deo suum concursum ad primum, & illum supernaturaliter negante ad secundum; talis actio nec esset libera ob defectum suæ durationis; nec esset necessaria; quia à voluntate non necessitatâ, sed liberâ in actu primo oriretur. Tertiò; nam, cùm duratio actionis posterior sit ipsâ actione, libertas actionis per aliquid actione ipsâ posterius constitueretur; quod repugnat. Quia de conceptu libertatis est potentia ad non existendum; repugnatque potentia ad non existendum ipsam existentiam supponens naturâ priorem. Mitto alia leuiora.

792 Respondeoque ad argumentum, casum, in quo illud fundatur, non esse ad rem. Quia libertas actionis ipsam actionem, & libertatem voluntatis importat in suo reali conceptu, non prout durantes in distinctis temporis instantibus, sed prout durantes in eodem. Ad duas autem priores probationes replicæ factæ contra hoc facilè respondendum venit ex communi Doctorum doctrinâ, quam aduersus ipsum Lynceum singulariter eam deserentem statuimus, ostendimusque tom. 1. disput. 8. quæst. 6. nimirum impossibile omnino esse, vt existat aliquod ens absolutum ab omni tempore. Hinc enim sequitur primò, voluntatem absolutam ab omni tempore nequaquam posse operari liberè: tum quia absoluta ab omni tempore non potest existere, & eius operatio sine eius existentia stare nequit: tum quia non potest ponere suam operationem existentem nisi in aliquo tempore: tum quia solùm potest ponere existentem suam operationem in eodè ipso tempore, in quo existit ipsa. Secundò sequitur, esse etiã omnino impossibile, quòd voluntas ponat suam actionem, & eius durationẽ non ponat, præbito sibi concursu Dei ad primum, & non ad secundum. Quia id ipsum esset, existere actionem voluntatis ab omni tempore absolutam contra suppositionem factam. Quibus duę priores probationis replicæ obiectæ contra doctrinam nostram diffectæ manent.

Ad tertiam autem in eo fundatam, quòd 793
duratio actionis posterior naturâ est ipsâ actione; eiusque proinde libertatem non potest constituere, respondet Ribadeneira, durationem actionis ipsi comitantem, aut certè identificatam poni debere, nec posteriorem poni posse. Quo probatio ipsa corruit. Ego vero, cùm aliunde censeam, plerosque saltem actus voluntatis creatæ, & consequenter actiones factiuas eorum se ipsis durare iuxta dicta supra quæst. 14. num. 670. ex hoc capite subuerto item fundamentum dictæ probationis. Addo tamen primò, durationes rerum in actionibus factiuis earum vniuersaliter non consistere, sed in alijs modis eis superadditis, vt disput. 8. citatâ quæst. 1. probaui contra Cardin. de Lugo. Secundo, modum superadditum durationis non posse non esse posteriorem naturâ re durante, saltem posterioritate dependentiæ non mutuæ, prout suppositi etiam loco citato, (quidquid sit de posterioritate causalitatis materialis, seu subiectiuæ); quatenus scilicet quæuis determinata duratio cum re per ipsam durante connexa est non mutuò. Tertiò, prædictam probationem à Lynceo factam contra nos nequaquam obligare ad ponendam durationem actionis semiextrinsecè liberæ aut ei comitantem, aut cum ipsâ identificatam. Est quippe ea quædam argumentatio fallax, quæ, si quid probaret, omnem omnino libertatem actus secundi siue intrinsecam, siue semiextrinsecam ipsi è medio tolleret contra omnes. Nam omnis libertas actus secundi existentiam ipsius supponit; cùm plane repugnet, existere libertatem actus secundi, ipso actu secundo non existente. Cùm ergo ex suppositione, quòd actus secundus existit, eum non existere sit impossibile; ex suppositione, quòd libertas actus secundi existit, impossibile est, actum secundum non existere, potentiaque subinde deest ad non existentiam, seu carentiam actus secundi, quæ est de conceptu libertatis. Ex suppositione igitur, quòd libertas actus secundi existit, & ea existit; quia supponitur; & non existit; quia deest vnum ex eius constitutiuis, nempe potentia ad carentiam actus secundi. En tuam fallaciam militantem contra omnem libertatem actus secundi, atque adeo contra te ipsum, & contra omnes. 794

Pro omnibus ergo dicendum est, libertatem tum actus primi, tum etiam actus secundi per eam dumtaxat potentiam ad carentiam actus secundi constitui, quæ antecedens est tum ad ipsum actum secundum, tum ad eius carentiam, præscindensque ab vtroque extremo, & est potentia ad carentiam actus secundi in sensu quasi ipsius actus secundi. Hæc autem potentia semper adest, etiam ex suppositione, quòd existit actus secundus; tametsi ex hac suppositione desit, imò

imo repugnat alia potentia ad carentiam actus secundi, quæ consequens esset ad existentiam actus secundi, & in sensu composito eius. Vnde ex suppositione existentiæ libertatis actus secundi, subindeque & ipsius actus secundi neutiquam deest ea potentia ad carentiam actus secundi, quæ constitutiua est libertatis tum actus primi, tum etiam ipsius actus secundi. Quo cassâ redditur argumentatio facta, eiusque fallacia detectâ.

795 Itaque conceptus realis libertatis actus secundi ex duabus partibus constituitur spectantibus ad diuersa signa naturæ intra idem instans temporis: vna est tota libertas actus primi spectans ad signum naturæ anteriùs, altera est ipse actus secundus prout in eodem instanti temporis coexistens illi spectans ad signum naturæ posterius. Cùm enim voluntas non possit agere, nisi in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit, necesse est, vt potentia proxima eius ad agendum, vel non agendum, quæ libertas est actus primi, sit ad agendum, vel non agendum in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit. Vnde rursus necesse est, vt exercitium libertatis actus primi naturâ prioris, (quod eo ipso est natura posterius, & liberum in actu secundo), sit ipsum agere, vel non agere voluntatem in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit, quidquid importet in conceptu suo hoc, quod est, voluntatem agere, vel non agere in tali instanti. Hæc satis clara.

796 Ex his autem infertur primò, ad libertatem actus secundi positiui impertinens esse, quòd duratio actionis voluntatis sit cum actione ipsâ identificata, vel ab eâ distincta, habensque cum illâ ordinem aliquem naturæ, aut comitantis, aut posterioris. Dummodò enim verificetur, voluntatem cum libertate actus primi agere in eodem instanti temporis, in quo ipsa existit, consequenter verificabitur liberum esse libertate actus secundi positiui: hoc, quod est, ipsam agere in tali instanti: quidquid demum hoc, quod est, ipsum agere in tali instanti, in suo conceptu reali dicatur importare.

797 Secundò infertur, impossibile omnino esse, quòd aliqua actio voluntatis sit essentialiter libera, quin sit essentialiter libera duratio eius, & consequenter etiam actio talis durationis productiua. Hæc illatio contra Lynceum est quatenus asserentem, esse intrinsecè, & essentialiter liberam actionem productiuam amoris, illius verò durationem cùm suâ productione semiextrinsecè tantùm, & contingenter liberam esse. Illa tamen satis clare videtur ostendi. Quia, vt supponit ipse Lynceus, & tenent omnes, constatque ex dictis, cum fit impossibile, vt voluntas liberè agat, nisi in eodem instanti temporis, in quo ipsa libera existit; consequenter est impossibile, vt actio voluntatis libera existat libertate actus secundi sine coexistentiâ sui in eodem instanti temporis cum voluntate, & cum eius libertate actus primi. Vnde omnis libertas actus secundi cuiuslibet omnino actionis liberæ necessario fert secum coexistentiam talis actionis cum voluntate, cuius est actio, & cum eius libertate actus primi in eodem instanti temporis; vel quia talem coexistentiam includit in suo reali conceptu; vel saltem quia cum illâ essentialiter connexa est. Ex quibus manifestè concluditur, actionem essentialiter liberam vt minimùm debere esse connexam cum coexistentiâ sui, & libertatis actus primi voluntatis, cuius est actio, in eodem temporis instanti; quod est, connexam esse cum duratione dictæ libertatis, & cum duratione sui eidem temporis instanti correspondentibus. Cùmque duratio talis actionis in tali temporis instanti cum actione ipsâ vicissim connexa sit, mediatè saltem connexa erit cum dictâ libertate actus primi prout in eodem instanti durante, cum qua item mediâ ipsâ duratione productio eius connexa erit. Sicque duratio actionis, & eius productio essentialiter erunt liberæ. Quod erat ostendendum.

Et confirmari potest. Quia, si actio essentialiter libera titulo talis cum sola libertate actus primi aut sumpta præcisè, aut prout durante in quouis instanti connexa esset, non verò etiam cum duratione sui in eodem instanti; sequeretur, posse esse essentialiter liberam actionem elicitam à voluntate necessitata ad ipsam in actu primo: quod planè absurdum est, & chymæricum. Pone enim voluntatem liberam in instanti A ad actionem suapte essentiâ connexam cum eâ libertate aut præcisè sumptâ, aut prout durante in eo instanti, quam tamen in ipso voluntas liberè omittat, eliciat tamen eam in instanti B sequente necessitata iam ad eamdem; vt est possibile: quia nihil est in casu posito, quod id impediat: eritque talis actio essentialiter libera ob connexionem cum libertate præhabitâ à voluntate in instanti A, elicitaque à voluntate necessitatâ ad ipsam in instanti B. Quod erat absurdum probandum. 798

Quintò obijcitur contra nostram propositionem. Potentia libera differt essentialiter à necessariâ. Ergo actus liber differt essentialiter à necessario. Respondeo, potentiam proximè liberam non differre à proximè necessariâ essentialiter: nam eadem entitas voluntatis & proximè libera, & proximè necessaria esse potest, variatis accidentibus: quo pacto etiam actus talis potentiæ modò liber, modò necessarius accidentariè potest esse. Si verò sit sermo de potentiâ remotè liberâ, hoc est de entitate, quæ potest esse libera proximè, certum est, hanc differre essentialiter ab aliâ entitate, quæ libera potentia non potest esse, vti est substantia ignis. Vnde actus ignis essentialiter etiam, & intrinsecè differt ab actu voluntatis: quia hic liber esse potest; ille verò non item. Hinc, sicut libertas proxima perfectio accidentalis est voluntatis: ita libertas actualis perfectio accidentalis potest esse actus eius; tametsi huius perfectio essentialis sit, posse esse liberum accidentaliter; vti & illius est perfectio essentialis, posse esse liberam proximè. Quo obiectioni alteri, quæ fieri solet, obiter ingressus manet occlusus. 799

Sextò obijcitur. Vitalitas est essentialis actui voluntatis. Ergo & libertas. Nego consequentiam. Quia vitalitas ex prædicatis euidenter essentialibus actui voluntatis est: cùm sit euidens, nullum actum voluntatis posse esse non vitalem. Non sic libertas; cum potiùs sit euidens, aliquem actum voluntatis posse esse non liberum. 800

Septimò obijcitur. Homo operans liberè manifestè cognoscit, se liberè operari, vt ex Scripturâ sacrâ, ex communi Patrum, atque Philosophorum consensu, & ex apertis experientijs demonstrant Theologi; prout videre est apud Bellarm. lib. 4. de Grat. & libero arbitr. à cap. 7. Soar. disp. 19. Metaph. sect. 2. à num. 13. Quiedo contro. 12. de Animâ punct. 1. Carlet. 1. part. 801

disp.

disp. 85. & apud alios. Sed cognoscere hominem, se libere operari, non est cognoscere suam operationem prout semiextrinsecè coexistentem libertati, quam ab indifferentiâ cogitationum, & motiuorum habet voluntas in actu primo. Ergo est cognoscere suam operationem prout habentem peculiarem modum tendendi intrinsecum, & ab ipsâ indistinctum; in quo libertas eius posita est. Cætera, præter minorem, constant. Minor autem probatur. Quia, si Deus eisdem existentibus cogitationibus, & motiuis indifferentibus, quibus homo operatur liberè, necessitaret eum ad operandum per prædeterminationem aliquam ignotam ipsi, vt est possibile: tunc talis homo cognosceret pariter suam operationem, prout dictis cogitationibus, & motiuis indifferentibus coexistentem: & tamen non cognosceret eam liberam; quia talis reuerà non esset. Igitur operationis libertas non in eâ semiextrinsecâ coexistentiâ, sed in modo peculiari tendendi ipsi intrinseco, & essentiali consistit.

802 Respondeo ex doctrinâ tactâ à Soar. num. 16. euidentiam, quam habemus homines de libertate nostrarum operationum non metaphysicam, seu metaphysicè infallibilem esse, sed physicam, seu naturalem; cuiusmodi sunt cæteræ fermè euidentiæ nostræ, quæ fundantur in experientiâ, quibus proinde metaphysicè non repugnat fallibilitas, siue falsitas in casibus præternaturalibus, atque miraculosis. Qualis esset casus, in quo homo habens cætera requisita ad libertatem operandi, & non operandi per prædeterminationem occultam necessitaretur ad operandum. Est quippe carentia huiusmodi prædeterminationis tam debita connaturaliser homini habenti cætera ad libertatem requisita, vt ipsi libertas non impediatur; quàm debitus est connaturaliter concursus Dei igni habenti cætera requisita ad comburendum, vt ipsi non impediatur combustio. Vnde, sicut Chaldæi, qui tres Pueros in fornacem Babilonicum proiecerunt Daniel. 3. euidenter euidentiâ physicâ iudicabant, eos ab igne comburendos, & tamen, interueniente miraculosâ negatione diuini concursus debiti igni, decepti sunt; non quòd obiectum iudicij eorum fuerit in casu miraculi diuersum, ac fuisset in casu defectus eius; sed quòd in primo falsum fuit idem ipsum, quod foret verum in secundo. Ita homo, qui experitur se habere cætera ad operandum liberè requisita, æquè euidenter euidentiâ physicâ iudicat, se liberè operari, cùm adest ei miraculosa prædeterminatio necessitans, ac iudicaret, si deesset, eademque operationis libertas (eaque haud dubiè semiextrinseca) est in vtroque casu obiectum iudicij eius. Fallitur tamen in primo præternaturali, atque adeò extraordinario casu: quia obiectum iudicatum reuerà non datur, non fallendus in secundo ordinario: quia obiectum iudicatum daretur, vt connaturaliter dari debet. Ex quibus patet, per argumentum factum nihil confici contra nos.

803 Mitto alia quædam, quæ contra nostram propositionem ab aliquibus adiungi solent. Quia leuiora sunt: & quæ ex dictis ab vnoquoque facilè dilui possunt.

Propositio 5.

Humanæ voluntati prout connaturaliter operanti in statu præsenti actus, actionesque factiuæ eorum, quibus libertas sit intrinseca, & essentialis, impossibiles sunt. 804

Vt probem hanc propositionem, suppono primò, esse intrinsecam, & essentialem libertatem alicui actui voluntatis, aliud non esse reipsâ, quàm habere talem actum intrinsecam, & essentialem connexionem cum libertate actus primi talis voluntatis; tantumdemque est de libertate actionis factiuæ actus. Quare, si probatum fuerit, voluntati humanæ prout connaturaliter operanti in statu præsenti impossibiles esse actus intrinsecè, & essentialiter connexos cum libertate actus primi eius, similiterque actiones actuum factiuas, probata manebit propositio.

Suppono secundò, nulli enti attribui posse, 805
nisi temerè, & improbabiliter, connexionem metaphysicam, seu essentialem cum alio quopiam, quando in nullo prædicato essentiali talis entis ita relucet talis connexio, vt ipsi annexa videatur. Est certum. Nam alioquin integrum vnicuique esset, ex quolibet antecedente quodlibet consequens, quantumuis disparatum, inferre, confictâ sibi in tali antecedente connexione cum tali consequente: nullumque ens censendum esset disparatum respectu alterius. Quæ clara absurda sunt. Itaque ex aliquo prædicato entis debet nasci, seu sequi tanquam passio metaphysica eius, quòd illud cum alio quopiam metaphysicè connexum sit. Vnde talis connexio ex nullo eorum prædicatorum entis dici potest enalci, quæ ipsi, & alijs entibus illâ manifestè carentibus communia sunt, vt est notissimum: quare, vt ipsi tribuatur aliud specialius prædicatum est assignandum, in quo illa fundetur.

Suppono tertiò ex dictis quæst. 5. propos. 806
10. aliâsque tactis, libertatem actus primi voluntatis in suo reali conceptu includere tanquàm intrinseca constitutiua sui, præter ipsam voluntatem, cogitationem attractiuam eius ad actum secundum, & cogitationem retractiuam ab eodem, quæ in nobis pro statu præsenti duæ realiter inter se distinctæ esse debent, vt statuimus quæst. 15. num. 687. tum decretum Dei præparatiuum sui concursus, quod meâ & communi sententiâ indifferens, & antecedens naturâ est; tum carentiam, seu negationem omnis formæ prædeterminatiuæ voluntatis, sicque ablatiuæ libertatis eius ad talem actum; & siquæ ad ipsum alia principia sunt requisita, vt habitum supernaturalem, quando ille est supernaturalis, &c. 809

Suppono quartò, tametsi omnes actus vi- 807
tales intentionales tam appetendi, quàm cognoscendi per se ipsos nobis se se notificent experimentali quadam, & imperfectâ notitiâ realiter ab entitate suâ indistinctâ iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disput. 1. quæst. 2. hypoth. 28. huiusmodi tamen experimentalem notitiam, quam actus intellectus, sicut & cæteri, præbent de se, nullatenus esse sufficientem, vt in illos tanquam in obiecta possit voluntas ferri per suos actus. Nam, sicut voluntas in actus seipsum externorum, & internorum, & appetitus sen-

sensitiui tanquam in obiecta ferri non potest mota immediatè ab experimentali notitiâ, quam ipsi per se de se ipsis animæ præbent, sed opus est, vt intellectus illos intelligat, perque suas intellectiones voluntati proponat, vt hæc in illos tanquam in obiecta ferri per actus suos possit; vt apud omnes est in confesso. Ita in ipsius intellectus actus tanquam in obiecta neutiquam potest ferri voluntas mota immediatè ab experimentali notitiâ, quam ipsi per se de se ipsis animæ præbent, sed opus est, vt intellectus per alios actus reflexos illos intelligat, & voluntati proponat, vt hæc in illos tanquam in obiecta per illos actus possit ferri. Quia non est, cur actus intellectus præ cæteris omnibus intentionalibus censeantur sufficienter propositi voluntati, vt hæc in illos tanquam in obiecta ferri possit, per dictam experimentalẽ notitiam, quam de se per se præbent animæ. Quo posito, sequitur, nullum à voluntate nostrâ actum elici posse respicientem aliquem actum intellectus tanquam obiectum, nisi hic per alium ipsius intellectus actum reflexum sit illi propositum. Tametsi nullus in voluntate nostrâ sit actus, qui non respiciat alio titulo aliquem actum intellectus, scilicet tanquam propositionem obiecti, in quod ille tendit. Tendit enim suâpte essentiâ omnis actus voluntatis in aliquod obiectum, non vtcunque, sed vt propositum per actum intellectus; eiusque tendentia subinde nequit non attingere, siue respicere vtrumque, vnumquodque suo modo; obiectum scilicet tanquam obiectum, & actum intellectus de illo tanquam ipsius obiecti propositionem. Itaque vt actus voluntatis respiciat intellectionem tanquam sui obiecti propositionem, aliâ intellectione reflexâ de illâ non eget; eget tamen, vt illam respiciat tanquam obiectum.

808 Suppono quintò, ex obiectis, quæ per actus voluntatis respiciuntur intrinsecè iuxta dicta num. 786. alia esse, quæ respiciuntur respectu amoris, vel odij: quia, vel amantur, vel odio habentur per ipsos actus: alia verò, quæ respiciuntur respectu connotationis, quia nec amantur, nec odio habentur per ipsos actus, sed connotantur, seu tanguntur, seu respiciuntur tanquam connotata quædam, seu circunstantias, seu conditiones obiectiuas à quibus alia obiecta, quæ amantur, vel odio habentur, suam amabilitatem, vel odibilitatem sortiuntur. Vide quæ de huiusmodi vtrisque obiectis diximus supra n. 781. & 782. & quæ fusiùs dicemus infra disp. 32. quæst. 5. Sat sit ad præsens propositum scire, actum voluntatis cum obiecto quouis ex dictis duobus modis à se respecto connecti essentialiter, non quidem prout habente esse reuerà, sed prout repræsentato voluntati per cognitionem: quidquid sit de talis cognitionis veritate, vel falsitate.

809 His ita suppositis, venio ad probandam propositionem. Statuoque primò, vt magis certum, actus voluntatis humanæ, prout ordinario modo fiunt ab eâ, intrinsecè, & essentialiter non esse liberos: quia cum libertate actus primi ipsius voluntatis intrinsecè, & essentialiter connexi non sunt. Volitio enim libera e. g., qua vult homo orare ob honestatem orationis, dumtaxat respicit suâpte essentiâ ex parte quidem obiecti orationem, & eius honestatem, ex parte verò subiecti, siue principij voluntatem, & cognitionem, qua oratio prout honesta est illi proposita; cum hisque proinde terminis dumtaxat est connexa essentialiter; non item cum cæteris, quæ libertatem actus primi voluntatis complent; atque adeò neque cum ipsâ libertate. mò cum dictis terminis non est connexa titulo effectus prouenientis ab illis, sed cum oratione, & eius honestate titulo tendentiæ in illas tanquam in obiectum, cum cognitione autem titulo propositionis illarum, & cum voluntate titulo actus intentionalis, quo voluntas exercetur volendo. Quam proinde connexionem cum eisdem terminis retineret ipsa orandi volitio, etiam si à Deo solo infunderetur voluntati, (quo casu nullus eorum ad eam causatiue concurreret), vt potuit de potentiâ absolutâ fieri iuxta communiorem sententiam, quam ego amplexus sum in Pharo Scient. disput 2. quæst. 1. Iam, quòd cum cæteris complentibus libertatem actus primi iuxta suppositionem tertiam non sit connexa dicta volitio, & consequenter neque cum ipsâ libertate, inde constat: quia nec est connexa cum illis titulo effectus ab eis causati, tum propter dicta vniuersè num. 768. & 787. tum quia à Deo solo, illis non concurrentibus, causari posset, vt dicebam nuperrimè: nec est connexa cum illis titulo tendentiæ respicientis illa vllomodo; eoquòd nullatenus potest tendentia esse versus decretum concurrendi, negationemque prædeterminationis; cùm duo hæc non aduertantur, adeòque nec sint proposita voluntati per vllam cognitionem; neque est tendentia in obiectum cognitionis retractiuæ, puta laborem, seu quoduis aliud orationis incommodum: quia voluntas per volitionem, de qua agimus, nec tendit in tale incommodum, nec in orationem prout subest illi, seu prout connotat illud; sed tantùm in orationem prout honestam eâ honestate, quam per se habet cum præcisione ab ipso incommodo: taleque incommodum subinde neque respectu amoris, neque respectu connotationis respicitur ab ipsâ volitione, iuxta dicta suppositione quinta: à qua consequenter nullo respectu respicitur illius propositio, quæ est cogitatio retractiua. Ex quibus omnibus concluditur, volitionem liberam orandi, atque adeò cæteros actus voluntatis humanæ, prout ordinario modo fiunt ab eâ, cum ipsius libertate actus primi intrinsecè, & essentialiter non esse connexos; intrinsecèque proinde, & essentialiter non esse liberos. Quod erat probandum.

Quòd autem neque actiones talium actuum 810
factiuæ intrinsecè, & essentialiter liberæ sint, inde facilè ostenditur. Quia vnaquæque earum ex parte effectus tantùm connectitur mediatè cum illis terminis, cum quibus connectitur ipse effectus, ex parte verò causæ tantùm connectitur cum eis principijs, à quibus egreditur physicè, non item cum eis, à quibus causatur moraliter, è quorum genere sunt pleraque constitutiua libertatis actus primi voluntatis, à qua procedit, vt constat ex dictis in præcedentibus, præsertim num. 768. & 787. Ergo nulla earum connectitur cum integrâ libertate actus primi voluntatis, à qua procedit. Nullaque earum consequenter intrinsecè, & essentialiter libera est.

Pergo ad casus minùs ordinarios, qui vo- 811
luntati humanæ possunt accidere. Sitque primus, si velit homo orare non propter solam honestatem, quam habet oratio præcisè sumpta, sed insuper propter honestatem, quam habet prout coniuncta cum incommodo, quod secum fert, & quod

propositum voluntati motiuum retractiuum est eius ab ipsâ oratione. In hoc enim casu talis volitio intrinsecè respiciet respectu amoris motiuum attractiuum, & respectu connotationis motiuum retractiuum iuxta dicta suppositione quintâ, & consequenter cogitationes attractiuam, & retractiuam tanquam eorum propositiones: cum ijsque omnibus subinde intrinsecè, & essentialiter connexa erit. Cæterum circa casum hunc duas, nisi decipior ego, deceptiones patiuntur Recentiores, qui sententiam secundam num. 754. relatam amplexi omnem libertatem actus secundi intrinsecam ipsi, & essentialem esse defendunt. Prima deceptio est, quòd putant, nullatenus posse voluntatem per aliquem suum actum liberum ferri in motiuum attractiuum præcisè sumptum; sed necessariò debere ferri in illud prout connotans motiuum retractiuum: sicque quemlibet actum liberum per suam essentiam debere necessariò esse tum amplexiuum inclinationis, quam ad ipsum habet voluntas à cogitatione attractiuâ, & eius obiecto; tum resistiuum inclinationis oppositæ, quam habet à cogitatione retractiuâ, & obiecto eius. Quod quàm sit falsum, constat ex dictis; cùm potiùs iuxta modum operandi ordinarium, vt plurimum voluntati eueniat oppositum. Secunda deceptio est, quòd putant, eum veluti amplexum motiui attractiui prout cogniti, & eam veluti resistentiam motiuo retractiuo prout cognito, quæ intrinseca, & essentialia prædicata sunt actui voluntatis in casu præsenti, & à quibus habet ille proinde esse intrinsecè, & essentialiter connexum cum ipsis motiuis prout cognitis; hæc, inquam, prædicata putant sufficientia esse, vt sit intrinseca & essentialis ipsi actui libertas. Quod etiam est falsum. Quia libertas intrinseca, & essentialis actus secundi stare non potest sine eius intrinsecâ, & essentiali connexione cum integrâ libertate actus primi, vt est certissimum. Hæc autem, præter dicta duo motiua opposita, & eorum cognitiones, intrinsecè includit in se decretum diuinum concurrendi, & negationem prædeterminationis, & siquæ sunt alia actus principia, iuxta suppositionem tertiam, cum quibus actus voluntatis adhuc in præsenti casu connexus non est. Vnde concluditur, ne in eo quidem esse talem actum intrinsecè, & essentialiter liberum. Cum quo tamen stat, ita eum in casu isto liberum esse, vt naturaliter, & citra miraculum nequeat ei deesse libertas; quia connectitur essentialiter cum talibus libertatis actus primi constitutiuis, quibus connaturaliter debentur cætera, quæ ad illam complendam requisita sunt, iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 802.

812 Iam igitur ad alium casum veniamus, quem quispiam voluntati humanæ prout connaturaliter operâti possibilem excogitare posset adhoc, vt aliquis illius actus intrinsecè, & essentialiter liber euaderet in hunc modum. Habeat homo cogitationem attractiuam ad volitionem orandi, & simul retractiuam ab illâ, ex eisque per experientiam notis inferat se in actu primo libertatem habere ad volendum, vel non volendum orare: siquidem iuxta doctrinam tactam supra num. 802. talibus cogitationibus cætera constitutiua requisita ad talem libertatem sunt connaturaliter debita; ex eisque proinde talis libertas etiam cum euidentiâ physicâ potest inferri. Quibus positis, iam talis homo poterit velle orationem prout connotantem libertatem actus primi ad volendum, vel non volendum orare, quam ipse habet, & reflexâ cognitione cognoscit. Vnde volitio orandi ab ipso elicita respectu intrinseco connotationis respiciet dictam libertatem iuxta doctrinam suppositionis quintæ: atque adeò cum ipsâ intrinsecè, & essentialiter connexa erit: quod ipsum est, talem volitionem intrinsecè, & essentialiter liberam esse.

Sed primùm huiusmodi casus fallaciter propositus, & ad intentum reuerà impossibilis est. 813
Nam, postquàm homo instructus cognitione reflexâ de suâ, quam habet libertate actus primi ad volendum, vel non volendum orare, elicit volitionem de oratione prout connotantem talem libertatem, volitio elicita non prouenit à libertate ipsâ reflexè cognitâ, quam habet pro obiecto connotato, sed ab aliâ, quæ constituitur per ipsam cognitionem reflexam. Ob idque volitio elicita propter connexionem, quam secum fert cum dictâ libertate reflexè cognitâ non euadit essentialiter libera: quia libertas essentialis actus secundi non stat in connexione eius cum quacunque libertate actus primi, sed tantùm in connexione cum eâ, à qua ipse actus secundus prouenit, & cuius exercitium liberum est; vt est certissimum. En iam casus propositi fallaciam. Vt autem eius ad intentum impossibilitatem æquè clarè perspicias. Aduerte, libertatem illam voluntatis reflexè cognitam ad nullam volitionem habentem pro obiecto connotato ipsammet posse esse libertatem: quia iuxta doctrinam suppositionis quartæ cognitiones constitutiuæ eius nullam volitionem causare possunt, quæ pro obiecto habeat ipsasmet: alteram autem libertatem secundam, quæ completur per cognitionem reflexam de prima ad nullam similiter volitionem habentem pro obiecto connotato ipsammet posse esse libertatem, etsi sit libertas ad volitionem habentem pro obiecto connotato dictam primam. Impossibile igitur est, per casum propositum obtinere, vt sit in voluntate humanâ volitio vlla respiciens tanquam obiectum connotatum eam voluntatis libertatem, à qua ipsa procedit, prout opus erat, vt talis volitio euaderet essentialiter libera.

Addo tamen ad copiosiorem probationem 814
nostræ propositionis, etiamsi casus propositus, aut quilibet alius excogitabilis esset idoneus ad hoc, vt voluntas humana pro statu præsente eliceret volitionem connexam cum eâdem libertate actus primi, à qua volitio ipsa procederet tanquàm cum obiecto præcognito; adhuc id non fore sufficiens, vt talis volitio euaderet essentialiter libera. Cuius ratio conspicua est. Quia, vt tetigi suppositione quinta connexio volitionis cum obiecto suo non est connexio cum illo prout habente esse reuerà, sed prout repræsentato voluntati per cognitionem. Atque ita, quando cognitio est fallibilis, benè potest stare talis connexio, quin obiectum, ad quod prout cognitum terminatur, detur à parte rei. Cùm ergo cognitio, quam homo pro statu præsente connaturaliter habere potest de suâ libertate actus primi, fallibilis sit, vt est certum: connexio quantumuis essentialis, quam volitio à voluntate humanâ elicita in casibus admissis haberet cum eâdem libertate actus primi, à qua procederet prout cognitâ, benè componi posset cum eo, quòd à parte rei non daretur talis libertas: de factoque componeretur, si homo talem volitionem eliciens miraculosè, occultèque prædeterminaretur à

Deo

Deo ad eam eliciendam, sicque putans se eam liberè elicere, non liberè, sed necessariò eliceret, iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 802. Eiusmodi igitur connexio dictæ volitionis cum dictâ libertate actus primi ad illam reddendam liberam essentialiter prorsus inepta foret, vt est manifestum. Quia, vt est impossibile, quòd volitio sit libera, quin existat à parte rei libertas actus primi, à qua talis euadit: ita est impossibile, quòd volitio sit essentialiter libera, quin ita sit connexa essentialiter cum libertate actus primi, à qua talis euadit, prout existente à parte rei, vt prorsus repugnet existere à parte rei talem volitionem, quin talis libertas etiam existat à parte rei.

815 Abundè ergo manet probatum, in nullo casu excogitabili posse voluntatem humanam prout connaturaliter operantem in statu præsenti elicere vllum actum seu volitionis, seu nolitionis, qui ex aliquo prædicato speciali sui habeat, connecti essentialiter cum libertate actus primi ipsius voluntatis, prout opus est, vt euadat ille intrinsecè, & essentialiter liber libertate actus secundi. Et quod de actu voluntatis est dictum, de actione productiuâ eius venit in casibus propositis dicendum pariter, suâ seruatâ proportione, consentaneè ad iam dicta num.810. In quo necesse non est immorari amplius. Et quoniam iuxta suppositionem secundam nulli actui, aut actioni potest attribui connexio eiusmodi, nisi prædicatum aliquod eius essentiale exposcat illam, absolutè concluditur, humanæ voluntati prout connaturaliter operanti in statu præsenti actus, actionesque factiuas eorum, quibus libertas sit intrinseca, & essentialis, impossibiles esse, vt nostra propositio fert. Vnde planè sequitur, nulli actui, nullique actioni voluntatis humanæ prout connaturaliter in præsenti statu operantis esse de facto libertatem intrinsecam, & essentialem; omnibusque proinde semiextrinsecam, & contingentem de facto esse.

Propositio 6.

816 **Actibus etiam, & actionibus iuxta modum operandi ordinarium elicitis à voluntate eorum, qui per species proprias cognoscunt, vt in statu beatifico, non esse intrinsecam, & essentialem libertatem, sed semiextrinsecam, & contingentem, verisimilius mihi est. Possunt tamen illi habere actus, & consequenter item actiones, quibus libertas sit essentialis.**

Moueor in primam propositionis partem. Quia verisimilius videtur, Beatos in suis actibus liberis eliciendis iuxta modum operandi ordinarium non vti reflexionibus intellectus: sine quibus actus voluntatis neutiquam possunt induere cum intrinsecum respectum ad libertatem actus primi, à qua procedunt, qui requiritur, vt euadant essentialiter liberi, vt facilè colligere est ex dictis circa propos. 5. Secundam autem partem propositionis probo. Quia intuitiones Beatorum ob magnam suam claritatem, & perfectionem censendæ proculdubio videntur ex vnâ parte metaphysicè infallibiles, ex aliâ autem ita supra se reflexiuæ, vt tam clarè se ipsas, quàm sua obiecta illorum intellectiui notificent, iuxta id, quod de visione beatifica cum alijs censui tom.1. disput.21.quæst.6. num.62. Quo nihil iam desideratur, quominùs actus liber elicitus à voluntate Beati integram libertatem actus primi, à qua ipse procedit, intrinsecè respicere possit prout cognitam per easdem cognitiones, quæ ipsam constituunt, cum eâque subinde prout sic cognitâ connecti essentialiter immediatè, ac deinmediatè cum eâdem prout existente à parte rei: quod ipsum est, posse talem actum essentialiter esse liberum in casu omnino simili illi, quem posuimus num.812. Qui, licèt in Viatoribus sit ad intentum impossibilis propter dicta ibi. In Beatis verò propter hic dicta possibilis sine dubio est. Semel autem posito, quòd actus sit essentialiter liber, non potest non actio factiua eius esse etiam libera essentialiter iuxta demonstrationem factam supra num.766.

Addo ad extremum, meliùs, me iudice, 817 concipere, & loqui eos, qui dicunt, libertatem actus secundi semper esse actui, cui conuenit, semiextrinsecam, etiam, quando illi est essentialis ob essentialem connexionem ipsius cum libertate actus primi. Quoniam denominatio liberi in actu voluntatis æquè videtur ex suo genere semiextrinseca, atque denominatio veri in actu intellectus. Hanc autem esse semiextrinsecam etiam in actu essentialiter vero ob essentialem connexionem ipsius cum obiecto per ipsum cognito, in Pharo Scient. disput. 3. quæst. 1. propos. 6. probaui. Videantur dicta ibi, & huc applicentur.

QVAESTIO XVIII.

Vtrùm omne contingenter existens à nutu causæ liberæ ipsius existentiam determinantis debeat necessario pendere. Et qua ratione.

SErmo est de omni existente contingenter seu 818 positiuo, seu negatiuo, scilicet, siue illud sit ens, siue negatio entis, (qua ratione negatio entis suo modo dici potest existere iuxta doctrinam de negationibus traditam in Pharo Scient. disput. 9. quæst. 3.). Suppono autem primò id seu positiuum, seu negatiuum dici contingenter existens, quod ita existit, vt in eâdem temporis mensurâ, in qua existit, potuerit non existere.

Suppono secundò, quidquid contingenter 819 existit, non posse non ab alio tanquam à causâ in suâ existentiâ dependere. Quia, quod non ab alio, sed à se solo habet existere, eo ipso non contingenter, sed necessariò existit: eo quòd idem sibi ipsi nec potest dare existentiam potens non dare; nec potest tollere existentiam potens non tollere, vt satis superque ex se est manifestum. Hoc tamen differunt ens contingens, & negatio entis contingens; quòd illud necessariò debet pendere quoad existentiam à suâ causâ influxiuè: hæc verò, sat est, quòd dependeat à suâ causâ aut permissiuè, aut impeditiuè iuxta doctrinam supra statutam quæst.5. num.131. Quanquam enim, vt ibi etiam diximus, negatio nullâ causâ

egeat ad existendum; quandoquidem existeret nihilominùs, etiam si nulla omnino causa eius existeret: at suppositò, quòd contingenter existit, non potest non ab aliquâ causâ esse in existentiâ suâ dependens. Nam, suppositò, quòd ita est existens, vt possit esse non existens per positionem entis, quòd negat, necesse est quod existat aliqua causa potens ponere tale ens, & ipsum non ponens. Quod quidem quando non ponit à se immediatè determinata, vtpote ad illud ponendum, vel non ponendum proximè libera, tunc dicitur negationem talis entis permissiuè causare. Quando verò illud non ponit; quia vel ab aliâ causâ, vel à se ipsâ per aliquod impedimentum inductum impeditur, ne ponat illud; tunc causa inducens tale impedimentum medio ipso dicitur talis entis negationem causare impeditiuè; prout loco citato explicauimus. Casu autem, quòd nulla causa negationis existeret, iam tum illa non contingenter, sed necessariò existeret. Vnde non mirum, quòd tunc illa in existentiâ suâ à nullâ causâ esset dependens; sicut de facto negationes chymærarum impossibilium, quæ necessariò existunt, à nullâ causâ sunt dependentes in existentiâ suâ.

Propositio 1.

820 **Ens quoduis contingenter existens à nutu alicuius causæ liberæ ipsius existentiam determinantis pro toto tempore, quo illa durat, debet necessariò pendere. Cui causæ subinde talis existentia non potest non libera esse.**

Probatur. Quia vel ens contingens dependet in suâ existentiâ à solâ causâ primâ. Et sic non potest non dependere ab illâ prout operante liberè: quia causa prima per se solam nihil ad extra operatur non liberè, vt est certissimum. Vel ens contingens dependet à causâ secundâ & simul à causâ primâ concurrente cum illâ. Et sic, si causa secunda producit dictum ens liberè, ipsa erit, à cuius nutu libero determinabitur, pendebitque existentia eius, & cui ea proinde libera erit, prout intendimus. Idque, siue causa secunda producat dictum ens liberè libertate immediatâ; quia effectus est immediatus eius; siue illud producat liberè libertate mediatâ; quia effectus est alterius causæ illius libertati subditæ in operando, vt est in nobis potentia locomotiua. Si autem causa secunda producit dictum ens necessariò, non potest non producere illud vltimo determinata per decretum liberum causæ primæ absolutum, atque determinatum, & consequenter determinantem existentiam talis entis prout ostendemus in Tract. de Prouiden. Quod est, talis entis existentiam à nutu libero causæ primæ pendere eique liberam esse. Quo iterum habemus intentum. Cùm igitur quoduis ens contingens vno ex tribus prædictis modis à suis causis debeat necessariò pendere; quia nullus alius est possibilis, vt est manifestum: concluditur, quoduis ens contingens à nutu alicuius causæ liberæ debere quoad existentiam suam esse dependens, prout data propositio fert.

Propositio 2.

821 **Negatio quæuis contingenter existens à nutu alicuius causæ liberæ ipsius existentiam determinantis pro toto tempore, quo illa contingenter durat, debet necessariò pendere. Cui causæ subinde talis existentia non potest non libera esse.**

Dico pro toto tempore, quo illa contingenter durat propter negationem durationis alligatæ per suam essentiam determinato tempori: quia talis negatio, etsi duret pro omni tempore iuxta doctrinam traditam tom. 1. disput. 8. quæst. 7. in eâ solâ mensurâ temporis existit contingenter, in qua potest existere duratio, quam negat; in cæteris verò necessariò existit, eoquòd in illis nequit existere ipsa duratio; sicque nec potest ab illis suam negationem auferre. Vnde obiter colligere discrimen inter ens, & negationem. Quòd negatio contingens potest esse respectu vnius mensuræ temporis, & necessaria respectu aliarum, idque absolutè; quia absolutè deesse nequit ab alijs temporis mensuris, siue existat, siue non existat in eâ, respectu cuius contingens est, vt ex dictis etiam loco citato constat. Nulli autem enti creato id conuenire potest, vt est certissimum. Tametsi ex suppositione existentiæ contingentis, in primo instanti temporis necessaria esset in sequentibus existentia illius entis creati, quod induisim esset suapte essentiâ alligatum tempori diuisibili, si tale ens possibile esset, vt nonnulli opinantur. Quorum tamen opinionem ego improbaui disput. 8. citatâ nuper quæst. 3.

Probatur itaque propositio. Quia vel negatio contingens est negatio entis à nullâ causâ secundâ, sed solâ primâ potentis produci. Et sic notum est, talem negationem à nutu libero causæ primæ pendere: ipsique proinde causæ primæ liberam esse quoad existentiam suam. Quia quod sola causa prima potest facere, & non facit, eo ipso liberè non facit, vt constat. Vel negatio contingens est negatio entis essentialiter exigentis produci à causâ secundâ, & simul à causâ primâ concurrente cum illâ. Et sic, si causa secunda sit liberâ respectu talis negationis, & talis entis; ipsamque negationem liberè causet vel permissiuè cum immediatâ libertate ad vtrumuis, vel impeditiuè, ponendo liberè impedimentum entis negati iuxta doctrinam indicatam num. 819. tunc existentia ipsius negationis à talis causæ libero nutu dependebit, vt notum est. Si verò causa secunda sit necessaria absolutè, vel, si libera, necessitata tamen sit aliunde, quàm à libertate suâ respectu talis entis, habentique iam cætera cuncta requisita ad ens ipsum necessariò causandum negatur concursus causæ primæ; ab huius vtique nutu libero prout negantis talem concursum dependebit talis entis negatio quoad existentiam suam, vt etiam est notum. Si denique causa talis entis, seu libera, seu necessaria, aut non existit, aut non habet potentiam proximam ad causandum illud defectu cuiusuis, aut quorumuis requisitorum ad talem potentiam constituendam, tunc talis entis negatio impeditiuè dependebit à libertate tum causæ primæ, tum etiam secundæ, si quæ fuerit, liberè concurrentis ad causandum defectum dictæ potentiæ

tiæ proximæ, sicque inducentis impedimentum ad eius actum: siquidem per impedimentum excludens potentiam proximam causæ ad effectum de facto impeditur effectus, eiusque proinde negatio de facto causatur iuxta doctrinam tum indicatam dicto num. 819. tum latiùs traditam quæst. 5. num. 131. iam antea citato.

823 Vel tandem negatio contingens est negatio entis potentis produci tum à causâ secundâ adiutâ concursu causæ primæ, tum à solâ causâ primâ absque vllo concursu causæ secundæ. Et sic in omni euentu erit negatio talis entis libera causæ primæ quatenus potentis per se solam causare illud, & non causantis. Si autem causa secunda productiua talis entis libera sit, eiusque negationem vel permittiuè, vel impeditiuè liberè causet, prout dictum in primo casu num. præceden. tunc talis negatio duas causas liberas sui habebit, primam scilicet, & secundam. At si necessaria, siue necessitata sit causa secunda, habentique cætera requisita ad ens tale necessariò causandum concursus causæ primæ negatur iuxta secundum casum num. præceden. tunc duobus titulis negatio talis entis à libertate causæ primæ pendebit; primò, quòd causa prima per se solam non producit tale ens, cum posset; secundò, quòd suum concursum negat causæ secundæ, ne illud ea producat. Si denique causa secunda seu libera, seu necessaria productiua talis entis aut non existit, aut non habet potentiam proximam ad causandum illum, à causâ liberè inducente defectum talis potentiæ proximæ, siue ea sola prima sit, siue insuper aliqua secunda, dependebit impeditiuè negatio talis entis iuxta dicta in casu tertio num. præceden. Eaque proinde duobus etiam titulis à libertate causæ primæ dependens erit, & insuper à libertate causæ secundæ, si quæ insuper modo dicto concurrerit ad ipsam. Per quæ omnia veritas datæ propositionis satis ostensa manet.

824 Obseruare tamen oportet, à nonnullis quæri in præsenti, an ex hypothesi, quòd nulla causa libera esset, effectus nihilominùs essent contingentes aliquo modo. Negant Gabriel, & Corduba apud Vazq. 1. par. disput. 100. cap. 4. Ipse verò Vazq. cum Henrico docet, contingens bifariam posse tale dici. Primò ex parte effectus. Secundo ex parte causæ. Contingens ex parte effectus dicitur, quod suâ naturâ tale est, vt ei non repugnet vel existere, vel non existere, vt sunt omnes res corruptibiles. Contingens verò ex parte causæ, quod à causâ cum indifferentiâ, liberèque operante procedit. Asseritque, omnia contingentia mansura nihilominùs contingentia iuxta priorem acceptionem, etiam si nulla causa esset libera. Secus iuxta acceptionem posteriorem. Addit tamen, quæstionem hanc non de re, sed de voce videri esse. Ego tamen imprimis dico, me in tota quæstione præsenti de contingentibus egisse iuxta acceptionem posteriorem, quæ communior, & vsitatior est; & sine qua meo iudicio acceptio prior stare non potest. Nam ex hypothesi, quòd nulla causa libera esset, & consequenter nullus effectus esset contingens iuxta acceptionem posteriorem, per locum intrinsecum sequitur nec iuxta priorem fore contingentem vllum effectum. Ostendo id facilè. Quia ex hypothesi, quòd nulla causa esset libera, ad omnes effectus, qui fierent, esset causa prima necessitata, atque adeò cum existentiâ illorum connexa essentialiter; vt est notissimum. Cùmque omnis effectus quoad existentiam suam essentialiter cum causâ primâ connexus sit; per locum intrinsecum sequitur ex tali hypothesi, fore, vt omnis effectus essentialiter esset connexus mediatè cum existentiâ sui; atque adeò non indifferens naturâ suâ ad existendum, vel non existendum, quæ erat prior acceptio contingentiæ eius. Repugnat ergo per locum intrinsecum, vt prior acceptio contingentiæ effectus sine posteriore subsistat. Confirmatur, & declaratur aliter breuiùs. Nam ex hypothesi, quòd nulla causa esset libera, & consequenter nulla potentia esset in causis ad non dandam existentiam effectibus; nulla in effectibus esset potentia ad non existendum: atque adeò nec contingentia prioris acceptionis. Vnde concluditur contra Vazq. ad quæstiunculam propositam (quæ potius de re censenda est quàm de solâ voce) omnino respondendum esse, ex hypothesi, quòd nulla causa esset libera, nullum effectum contingentem fore vllo modo seu iuxta posteriorem, seu etiam iuxta priorem contingentiæ acceptionem.

Deinde etiam est obseruandum circa superiùs dicta, tametsi multa contingentia à libertate causarum secundarum dependeant in existentiâ suâ; radicem tamen primam omnis contingentiæ de facto libertatem causæ primæ vnicè esse; quatenus omnes causæ secundæ ab vnicâ primâ prout operante liberè suam trahunt originem. Quid verò dicendum sit ex hypothesi, quòd causa prima non esset libera, quæst. sequen. examinabitur. 825

QVAESTIO XIX.

An ex hypothesi, quòd causa prima ageret ex necessitate naturæ, aliqui effectus nihilominùs possent contingentes euadere à libertate causæ secundæ.

NEgant absolutè Scot. in 1. distinct. 3. quæst. 1. & distinct. 4. quæst. 4. & distinct. 8. quæst. 5. & distinct. 39. quæst. vnic. & in 2. distinct. 1. quæst. 3. & communiter Scotistæ. Affirmant vero Caiet. 1. par. quæst. 14. artic. 13. & quæst. 19. artic. 8. ibidemque Bann. dubit. 7. Zumel 1. par. quæst. 14. artic. 13. disput. 8. & ibi Molin. disput. 11. atque etiam in Concord. disput. 47. Aluar. lib. 3. de Auxil. disput. 26. Vazq. 1. par. disput. 100. cap. 3. & alij. Soar. verò disput. 19. Metaph. sect. 3. docet, in triplici sensu posse quæstionem hanc proponi. Primus est. An, si in primâ causâ non esset libertas, posset ea esse in aliqua causâ secundâ. Secundus. An, si causa prima ex necessitate naturæ ageret, quantum posset, causæ secundæ aliàs de suo liberæ liberè possent operari. Tertius. An, si causa prima ex necessitate naturæ præberet causis secundis liberis eumdem concursum, quem modò præbet, liberè illæ operarentur vti operantur modò. Respondetque negatiuè ad quæstionem in primo, & secundo sensu vsurpatam. In tertio verò vsurpatam affirmatiuè. Quiedo autem controuer. 12. de Animâ punct. 5. quoad primum sensum quæstionis opponitur Soario, quodammodòque etiam quoad secundum, vt ex dicendis constabit. Conuenit tamen cum illo quoad tertium. In quo etiam procedunt omnes Auctores pro parte affirmatiuâ relati. Quanquam autem illi censeant, 826

se

se se aduersari Scoto. Smising. verò tract.3. de Deo disput.2.quæst.4.à num.47. Scotum vindicare conatur; quasi non loquutum in tertio ex prædictis sensibus, iuxta quem impugnari solet; sed in secundo, iuxta quem idem, quod ipse, sentiunt impugnatores eius.

827 Suppono, quæstionem hanc vtilem esse, licèt procedatur in eâ ex hypothesi impossibili, vt benè notauit Vazq.disput.citatâ cap.1.Quia sæpe discurritur vtiliter ex hypothesi impossibili ad rerum essentias, ac proprietates indagandas, vt fert communis consensus, praxisque Doctorum, & nos contra Recentiores quosdam singulariter sentientes oppositum ostendimus in Pharo Scient.disput. 11.quæst.6.Quanquam enim iuxta dicta ibi omnis conceptus obiectiuus reuerà impossibilis necessariò ferat secum duo contradictoria, sæpe tamen ex conceptu impossibili secundùm se præcisè considerato infertur aliquid aliud sine contradictione; quo casu hoc ex illo inferri dicitur per locum intrinsecum: sæpeque proinde in eiusmodi casibus ex hypothesi conceptus impossibilis sumpti præcisè vtiliter ad inferendum aliud arguitur. Tametsi conceptus impossibilis aliàs stare non possit sine aliquo alio conceptu, qui si adijciatur illi, iam ex vtroque inferentur ambo extrema contradictionis. Quocirca, quando tale quid simul cum conceptu impossibili ponitur in hypothesi, tunc implicari dicitur contradictio in adiecto, & redditur argumentatio inutilis. De quo plura videri possunt loco citato.

Propositio 1.

828 **Ex eo præcisè, quòd causa prima non esset libera, non sequitur per locum intrinsecum repugnare causam secundam liberam.**

Conuenio in hac propositione cum Ouiedo contra Soar. Indeque eam probo; quia non est necesse, vt omne prædicatum formaliter in creaturâ repertum reperiatur etiam in Deo formaliter, sat est contineri in eo virtualiter; (vti in omnipotentiâ diuinâ omnes creaturæ, omniaque earum prædicata dicuntur contineri); prout cernere est in prædicatis sensitiui, vegetatiui, corporei, & alijs huiusmodi formaliter repertis in creaturis, in Deo autem non formaliter, sed solùm eminenter contentis. Ergo ex eo, quòd prædicatum liberi reperiatur in creaturâ formaliter, non sequitur per locum intrinsecum debere itidem reperiri in Deo: atque adeò nec è conuerso sequitur per locum intrinsecum ex eo, quòd non reperiretur in Deo, debere itidem in creaturâ non reperiri, siue creaturæ repugnare.

829 Dicit Soar. inter libertatem, & sensum discrimen esse, quòd libertas perfectio est sine imperfectione, quo titulo necessariò debet in Deo reperiri formaliter, indeque venit à creaturâ participanda: quare ex hypothesi, quòd auferatur à Deo, non erit vnde à creaturâ participetur. At sensus perfectio est mixta imperfectione; ob idque in Deo formaliter reperiri non potest; satque est subinde, eam in omnipotentiâ contineri eminenter, vt inde deriuari possit in creaturam. Sed contra est. Nam, licèt Deus non possit libertate carere, sicut caret sensu, quòd illa ab omni imperfectione est immunis, hic verò non item: id sanè non prouenit ab exigentiâ essentiali conceptus libertatis, quasi hic aliter, quàm conceptus sensus, exigat in creaturâ non reperiri, nisi reperiatur in Deo; sed prouenit ex infinitudine perfectionis diuinæ omnem perfectionem immunem ab imperfectione necessariò amplectente, & omnem perfectionem mixtam imperfectione necessariò repudiante. Cæteroquin conceptus libertatis de suo non magis, quàm conceptus sensus, exigit, reperiri in Deo formaliter, vt reperiatur in creaturâ: sed æquè sunt ambo contenti ad hoc, vt creaturæ communicentur, cum continentiâ virtuali, quam habent in Dei omnipotentiâ. Vnde libertas creata non propterea dici solet participari à diuinâ, quòd illa hanc essentialiter per locumque intrinsecum exigat: sed quod à Deo, qui de facto reuerà est liber, causatur, exigitque causari. Ex quibus concluditur, ex eo præcisè, quod causa prima non esset libera, non sequi per locum intrinsecum, repugnare causam secundam liberam, vt nostra propositio fert.

Propositio 2.

830 **Ex hypothesi, quòd causa prima ageret ex necessitate naturæ, quantum cum præcisione à suâ libertate agere potest tum de potentiâ ordinariâ, tum etiam de absolutâ, aliquæ libertates causarum secundarum impedirentur: aliæ verò non item.**

Pro explicatione, & probatione huius propositionis suppono primò ex communi, constantique Doctorum sententiâ, Deum de facto quamlibet causam secundam siue necessariam, siue liberam ad quamlibet actionem ipsi possibilem posse necessitare; (præterquam ad actiones intrinsecè liberas, si quæ aliquibus casibus liberis possibiles sunt iuxta ea, quæ diximus supra quæst.16. sub finem); idque vel medio aliquo suo decreto exequutiuo, vel mediâ aliquâ prædeterminatione à se solo causabili, & tali causæ secundæ impressâ, siue ei adiunctâ quoquo modo. Hoc namque, cùm nullam repugnantiam præseferat, *omnipotentiæ* diuinæ negandum non est. Posse autem Deum ad quamlibet actionem sibi soli possibilem suam omnipotentiam determinare per decretum eius exequutiuum indubitabile est. Eo autem ipso, quòd Deus necessitat, vel determinat ad actionem, consequenter necessitat, vel determinat ad eius terminum, siue effectum, cuius ea productio est, vt constat.

831 Suppono secundo, Deum de facto omnes actiones omnibus causis secundis, & sibi possibiles cum terminis earum, quæ simul existere possunt; quia nullam inter se metaphysicam oppositionem quoad existentiam habent; simul causare posse; quantumuis illæ sint infinitæ: idque necessitando causas secundas ad actiones earum, & determinando ad proprias suam omnipotentiam iuxta dicta suppositione primâ. Actiones verò quoad existentiam inter se oppositas nullatenus potest Deus simul causare. Prior pars suppositionis constat ex doctrinâ à nobis traditâ tom.1. disput.13.quæst.11. Posterior autem pars ex se est manifesta: quia ponere existentia simul extrema, quæ simul existere non possunt, apertam contradictionem inuoluit.

832 Suppono tertiò, Deum determinando suam omnipotentiam, aut prædeterminando causas secundas modis prædictis suppositione primâ nullam

lam actionem causare posse earum, quæ inter se oppositionem habent, cum præcisione à sua libertate. Posse tamen eas omnes causare simul, quæ inter se oppositæ non sunt. Ratio prioris partis huius suppositionis est. Quia, cùm determinationes, prædeterminationesque ad actiones inter se oppositas inter se quoque oppositæ sint, vt vna præ altera ponatur, electione opus est, quæ functio est solius libertatis. Atque ita cum præcisione à libertate nullatenus potest poni. Posterioris autem partis est ratio. Quia ad causandas simul omnes actiones, quæ simul ex defectu oppositionis causabiles sunt iuxta suppositionem secundam, nulla electio, nullaque proinde libertatis functio requiritur per locum intrinsecum. Sicque subinde cum præcisione à libertate omnes simul causari possunt. Vnde consequenter efficitur, vt ex hypothesi, quòd Deus ageret ex necessitate naturæ, quantum cum præcisione à sua libertate agere potest, ex actionibus inter se oppositis, & à se solo oriundis nullam eliceret; ex actionibus verò inter se oppositis, oriundisque à causis secundis ad nullam prædeterminaret, prædeterminatione scilicet determinatâ ad actionem prædeterminatã. At verò actiones inter se non oppositas, oriundasque tum à se solo, tum à causis secundis omnes possibiles simul causaret, eliciendo se solo simul omnes priores, & prædeterminando simul causas secundas ad omnes posteriores.

833 Suppono quartò; etsi Deus in datâ hypothesi ad nullam actionem ex oppositis prædeterminare posset causas secundas prædeterminatione determinatâ tendente in actionem determinatam; fore tamen, vt prædeterminare eas posset prædeterminatione disiunctiuâ tendente in vnam, vel alteram ex actionibus oppositis sub disiunctione: quia possibilis citra dubium est Deo prædeterminatio huius generis nulli alteri enti à Deo causabili oppositæ; quæ proinde citra electionem, atque adeò independenter à libertate ab ipso Deo in datâ hypothesi poni posset. Verùm enim verò, quia prædeterminatio huiusce generis ex vnâ parte existere nequit, quin earum oppositarum actionum, ad quas prædeterminat disiunctiuè, existat alterutra; ex aliâ verò parte, tali prædeterminatione positâ, adhuc manet indifferentia, vt actio axtitura sit hæc determinatè, vel illa; huiusmodique indifferentia aliunde, quàm per arbitrium alicuius causæ liberæ, siue per eius nutum liberum neutiquam determinari valet. Conficitur, Deum in datâ hypothesi tunc solùm ad actiones oppositas causarum secundarum prædeterminationem disiunctiuam ponere posse, quando, eâ positâ, sufficiens in ipsis causis secundis maneret libertas ad prædictam indifferentiam determinandam.

834 Ex factis his suppositionibus est inferendum, quænam euenirent in illâ hypothesi, quòd Deus ageret ex necessitate naturæ, quantum cum præcisione à sua libertate agere potest tum de potentiâ ordinariâ, tum de absolutâ. Ea autem sunt, quæ sequuntur. Primò causaret Deus simul omnes actiones à se solo oriundas cum suis effectibus, quæ nec inter se, nec cum alijs entibus possibilibus vllam haberent oppositionem. Quia ad tales omnes actiones cum suis effectibus simul causandas non est per locum intrinsecum requisita libertas. Secundò propter eamdem rationem simul prædeterminaret, necessitaretque Deus omnes causas necessarias ad eas omnes earum actiones cum suis effectibus, quæ nec inter se, nec cum alijs entibus possibilibus vllam oppositionem haberent. Tertiò ob rationem eamdem simul prædeterminaret, necessitaretque Deus omnes causas liberas ad eas omnes earum actiones cum suis effectibus, quæ nec inter se, nec cum alijs entibus possibilibus oppositæ essent. Quæ tria ex dictis suppositione tertiâ constant.

Quartò ex actionibus inter se oppositis, & 835
à Deo solo causabilibus nullam Deus causaret; & consequenter nec medijs illis vllum effectum. Quia nec posset omnes simul causare; nec posset aliquam, aut aliquas præ cæteris causandas eligere. Cùm talis electio munus sit libertatis, quam in datâ hypothesi non haberet. Quintò propter hanc rationem nullam ex actionibus oppositis causarum secundarum necessariarum mediâ suâ prædeterminatione causare posset. Sextò ob eamdem ad nullam ex actionibus, vel inter se, vel alijs entibus oppositis posset prædeterminare, necessitareque causas liberas prædeterminatione determinata. Quo fieret, vt in illis vel omnibus, vel saltem multis aliqua relinqueretur libertas iuxta mox dicenda. Hæc etiam tria constant ex præmissis suppositione tertiâ.

Septimò vnamquamque causam liberam 836
ad vnam, vel alteram ex eiusdem actionibus inter se oppositis disiunctiuè necessitaret prædeterminatione disiunctiuâ. Ad vnam verò, vel alteram ex actionibus inter se oppositis distinctarum causarum disiunctiuè necessitare non posset simili prædeterminatione. Nam vt constat ex doctrinâ statutâ supra quæst. 11. propos. 2. & 5. prædeterminatio disiunctiua ad vnum, vel alterum ex actibus contratiè oppositis eiusdem causæ liberæ libertatem puræ electionis relinquit in eâ eligendum alterutrum talium actuum, atque adeò ad determinandam indifferentiam, quam talis prædeterminatio fert secum ad vtrumuis iuxta dicta suppositione quartâ. Prædeterminatio verò disiunctiua ad vnum, vel alterum ex actibus contrariè oppositis distinctarum causarum nullam in eis relinquit libertatem, atque adeò nec potestatem ad dictam ipsius indifferentiam determinandam. Quæ potestas quia neque daretur in Deo in casu hypothesis defectu libertatis; ideò in casu hypothesis talis prædeterminatio possibilis non esset: tametsi absolutè sit possibilis; eo quòd Deus libertate suâ determinare potest indifferentiam dictam, vti explicuimus circa citatam propos. 5. Vnde in datâ hypothesi causæ distinctæ liberæ ad actus contrariè oppositos eamdem retinerent libertatem, quam absolutè habent de facto; eisdemque subinde in casibus se possent liberè exercere, in quibus de facto possunt iuxta doctrinam circa eas datam supra q. 5. propos. 14. à n. 210.

Octauò denique in datâ hypothesi ad actus 837
intrinsecè liberos libertate absolutâ (ideſt maiore, quàm puræ electiua) causæ, quibus illi sunt possibiles, liberæ absolutè manerent: quia neque determinatâ, neque disiunctiuâ prædeterminatione possent ad illos prædeterminari: eo quòd tales prædeterminationes respectu talium actuum absolutè sunt impossibiles, vt constat. Dico tamen libertate absolutâ. Nam siqui etiam sunt possibiles actus intrinsecè liberi libertate purè electiua, pro his in datâ hypothesi prædeterminatio disiunctiua, vtpotè illis non aduersa, atque adeò possibilis iuxta dicta num. præced. eorum causis appingeretur.

Dixi, in hypothesi, in qua procedimus, so- 838
le,

re, vt vel in omnibus, vel saltem in multis causis liberis aliqua relinqueretur libertas, prout explicatum est. Quia suppono, vel omnibus, vel multis saltem earum talia esse possibilia cætera cuncta libertatis actus primi constitutiua, quæ in tali hypothesi, vel à Deo solo, vel à Deo simul, & à causis necessarijs necessariò ponerentur iuxta paulò antea dicta; eo videlicet, quòd illa ex conceptu suo obiectiuo nec inter se, nec alijs entibus possibilibus opposita sunt. Per quæ omnia propositio nostra satis manet explicata, & probata.

Propositio 3.

839 **Ex hypothesi, quòd causa prima ex necessitate naturæ concurreret cum causis secundis liberis eodem modo, ac defacto cum eis concurrit, eodem modo permanerent illæ liberæ ad suas operationes, ac de facto liberæ sunt.**

Hæc propositio communiter reputatur contra Scotum & suos: licet oppositum contendat Smisingus, vt notaui num. 826. Probatur autem facilè. Quia de facto ita concurrit causa prima cum causis secundis liberis ad suas liberas operationes, vt integra potentia proxima tum causæ secundæ ad operandum, tum causæ primæ ad concurrendum indifferens maneat ad vtrumuis, determinabilisque per arbitrium causæ secundæ, vt prodeat in operationem, vel sistat se, siue omittat illam, prout ex dictis in tota hac disputatione compertum est. Sed, si id totum, quod causa prima de facto præstat liberè ad integrè constituendam talem potentiam proximam, vt mediâ illâ tum ipsa, tum causa secunda pro arbitrio huius cooperentur; & nihil ampliùs, præstaret ex necessitate naturæ, eadem omnino potentia proxima cum suâ indifferentiâ ad vtrumuis in vnaquaque causa secunda maneret constituta, vt est manifestum. Ergo in tali casu vnaquæque causa secunda eamdem libertatem ad operandum, vel non operandum haberet, ac modo habet: siquidem, talem libertatem habere, aliud non est, quàm, habere talem potentiam proximam indifferentem ad vtrumuis, vt ex sæpe etiam repetitis in præsenti disputatione liquidem est.

840 Obijcitur tamen ex Scoto. Causa secunda non agit, nisi mota à prima. Ergo, si prima ageret necessariò, necessariòque proinde moueret secundam; non posset non hæc eâdem necessitate moueri, & agere. Sed primùm obiectio hæc, vt vim habeat, supponere proculdubio debet, defacto actionem causæ secundæ à solâ libertate motionis causæ primæ euadere liberam mediatè, nec vllam in causâ secundâ dari libertatem respectu eius, vti actio instrumenti à solâ libertate motionis artificis euadit libera mediatè, nec vlla in instrumento respectu eius datur libertas. At hæc suppositio plusquàm absurda est. Ergo obiectio nullam vim habet. Cætera constant. Maior ostenditur. Nam, si, posità motione causæ primæ, adhuc causa secunda suam propriam retinet libertatem, per illamque subinde se se determinat ad agendum, compertum est, ad talis actionis libertatem nihil penitus interesse, quòd talis motio à causâ primâ ponatur aut necessariò, aut liberè. Vel igitur motio causæ primæ tollit de facto libertatem causæ secundæ: vel non tolleret ex hypothesi, quòd illa eadem non liberè, sed necessariò à causâ primâ poneretur.

Demde ergo ad obiectionem est respondendum, causam primam ita mouere causam secundam liberam ad agendum, vt talis motionis efficacia non possit non à libertate, à liberave determinatione causæ secundæ dependere, quacunque demum ratione motio ipsa explicetur, iuxta ea, quæ latè diximus supra q. 9. à n. 347. Vnde, sicut motio causæ primæ de facto cum libertate causæ secundæ benè cohæret, ita bene quoque cohæreret, etiam si causa prima præstaret illam ex necessitate naturæ: quia, cùm eadem motio esset in tali casu, vti supponimus, eodem pacto quoad efficaciam suam esset tunc itidem determinabilis à libertate causæ secundæ: ob idque libertati ipsi nihil prorsus noceret. 841

DISPVTATIO 31.

De naturâ, & proprietatibus Voluntatis Dei in communi.

VOluntas bifariam vsurpatur, vt obseruauit S. Thom. 1. 2. quæst. 8. art. 2. in corp. Primò pro facultate, siue potentiâ volitiuâ. Secundò pro actu ipso volendi, quem volitionem vocant Scholastici. De naturâ ergo, & proprietatibus communioribus voluntatis Diuinæ vtroque isto modo sumptæ agendum est in præsenti disputatione, statutâ imprimis existentiâ eius.

QVAESTIO I.

Vtrum in Deo sit voluntas. Et qualis.

VOluntas iuxta Aristot. lib. 1. artis Rethor. cap. 10. *appetitus est boni cum ratione*, idest tendens in bonum propositum per actum rationis. Quo iure voluntas appetitus rationalis dicitur, ab appetituque sensitiuo discriminatur; qui non per rationem, sed per sensum in suum obiectum ducitur. Quæ quidem voluntatis definitio tam facultati volitiuæ quàm actuali volitioni potest aptari. Definit autem Arist. hic voluntatem penes præcipuum eius actum, relatèque ad præcipuum obiectum. Alioquin eius non solum est tendere in bonum per modum prosequutionis, illud volendo. Sed etiam in malum per modum fugæ, illud nollendo, seu odio habendo. De huiusmodi, ergo voluntate quærimus, an Deo conueniat, Et qualiter.

Propositio 1.

Voluntas propriſſimè accepta reperitur in Deo.

Hæc propositio de fide est: à qua nullus Phi-

Philosophus, vel Hæreticus deuiauit expressè. Tametsi tacitè illi ei contrauenirent, qui Deo metaphoricè tantùm concedebant scientiam, & amorem, vt testatur S. Thom. quæst. 2. de Verit. art. 1. in corp. Probatur manifestè ex scripturis ad Eph. 1. *Prædestinauit nos, &c. secundùm propositum voluntatis suæ*, & infra, *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Genes. 27. *Voluntas Dei fuit, vt cito mihi occurreret*. Sap. 11. *Subest enim tibi, cùm volueris, posse*. Psal. 103. *Omnia, quæcunque voluit, fecit, &c.* Hæc quippe, & alia similia, innumeraque propemodùm loca, quibus passim voluntas Dei in Scripturâ prædicatur, nullatenus posse per metaphoram, aut in sensu minùs proprio explicari, sed de voluntate propriissimè sumptâ debere accipi, constanti Conciliorum, Patrum, & totius Ecclesiæ consensu exploratissimum est.

3 Deinde eadem veritas constat ex Patribus eam vno ore contestantibus, ac passim repetentibus, vel supponentibus. Constat ex vniuersâ Theologiâ. Quæ tota penitus corrueret, hac solâ veritate sublatâ. Sine voluntate enim diuinâ constare non possunt dogmata fidei spectantia ad mysterium Trinitatis; ad mysterium Incarnationis; ad prouidentiam diuinam, prædestinationem; reprobationem; aliaque omnia, quæ sub his continentur. Constat item ex Philosophis eam vt certam supponentibus, vt videre est in Arist. lib. de Mundo prope finem, & lib. 7. Ethic. cap. vlt. & lib. 10. cap. 8. & in Platone in Alcibiade primo fine, & in Timæo ante medium. Constat denique ex omnium gentium consensu. Nulla quippe fuit vsquam tam barbara natio, quæ non conciperet suum Deum voluntate præditum; dum eum vel iratum placare, vel auersum allicere, vel sibi amicum, aut fauorabile facere suis gestiebat sacrificijs, orationibus, votis, &c.

4 Ratio etiam naturalis demonstrat propositionem. Primò. Quia Deus commune omnium conceptione aliquid est, quo nihil melius, aut sublimius excogitari potest, vt obseruauit Aug. lib. 1. de Doct. Christ. cap. 7. & 8. & lib. 5. de Trinit. cap. 4. Nosque ex communi Patrum consensu, & ex ratione demonstrauimus tom. 1. disp. 16. quæst. 2. & 3. Talis autem non esset Deus, si careret operatione volendi, & amandi, vt est notissimum; vtpote quæ perfectio est simpliciter simplex, id est, melior ipsa, quàm non ipsa: qualis non potest non reperiri in Deo iuxta doctrinam Anselmi in Monolog. cap. 14. circa medium receptam ab omnibus Theologis, & à nobis etiam demonstratam loco citato in dictâ quæst. 2. Confirmatur. Quia Deus eodem summæ perfectionis titulo non potest non esse summè beatus. Summa autem beatitudo sine actu voluntatis, in quo potissimum consistit, voluptas, & fruitio, constare non potest. Deinde; quia ad eamdem perfectionem spectat liberum arbitrium perfectissimum: quale Deum habere, monstrabimus quæst. 3. Constat autem perfectum liberum arbitrium neutiquam posse sine voluntate consistere. Præterea; quia ob eandem rationem non potest non esse viuens perfectissimo modo. Ad vitam autem omni modo perfectam, non solùm intellectio, sed etiam volitio requiritur. Denique; quia Deus eadem de causâ infinitè amabilis est, infinitamque bonitatem habet non solùm physicam, sed moralem. Neutrum autem haberet, si voluntate careret infinitâ: qualis sola potest esse diuina.

5 Secundò. Mirabile hoc totius Vniuersi artificium, eiusque ordinatissima gubernatio manifestè demonstrant, Auctorem, Gubernatoremque Deum per summam artem per cordatissimamque electionem, atque ex præstituto fine operari. Hæc autem sine voluntate non posse peragi, compertissimum est. Et quidem, cùm perfectissimus operandi modus sit per intellectum, & voluntatem, vt satis ex se apparet; quis dubitet, debere illum conuenire primæ, & præstantissimæ causæ? Accedit primò, quòd stultum est vel cogitare, carere voluntate illum, *Qui operatur in nobis velle, & perficere*, ad Philip. 2. Vt arguit in simili Propheta Psalmo 93. dum ait, *Intelligite insipientes in populo & stulti aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* Eiusmodi quippe perfectiones, vtpote simpliciter simplices in primo earũ Auctore deesse non possunt iuxta dicta. Accedit secundò; quia, si diuina omnipotentia, quam etiam ratio naturalis ostendit, non cohiberetur per voluntatem, nihil esset, quo contineretur, quominùs cuncta creabilia, ac sibi possibilia simul produceret, cõtra id, quod vel ipsa experientia demonstrat. Accedit tandem; quòd, nisi Deus ex electione perfectissimâ operaretur, atque adeò per voluntatem, non posset ex creaturis possibilibus alias præ alijs pro arbitrio suo creare, vt euidentissimè creat.

6 Tertiò S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 1. inde probat, dari voluntatem in Deo; quia Deus est intellectiuus; quasi conceptus intellectiui essentialiter ferat secum conceptum volitiui. Quod etiam sentire videtur Athanasius tract. de Definitionibus col. 4. dum ait. *Quidquid intelligit, constat, quòd etiam voluntate ducatur*. Cæterùm connexio hæc intellectiui cum volitiuo non adeò explorata aliquibus visa est, vt illatio S. Thom. ei innitens demonstratiua censeri debeat. Putant enim, non esse demonstratiuam Vazq. ad eum art. num. 13. Fasol. ibidem num. 1. Valent. pun. 1. vers. *Hæc autem*, & alij. Tametsi nemo negare possit, probabilissimam illam esse. Cuius roboris examinandi gratiâ multi hinc digrediuntur, latè, & prolixè discutientes, an sit possibilis natura intellectiua, quæ non sit volitiua; vel secus. Non esse possibilem, censent Albiz disp. 1. de Volunt. sect. 1. Herice disp. 11. cap. 3. Ruiz disp. 1. de Volunt. sect. 1. num. 29. Petrus Hurt. disp. 5. de Anim. sect. 9. Ouied. contr. 5. de Anim. punct. 7. Ripal. in manuscrip. de Volunt. Fasol. & Valent. supra, & apud eos alij. Esse verò possibilem, defendunt Arriaga disp. 2. de Animâ sect. 4. & alij quidam Recentiores. Ego, hac quæstione suum in locum remissâ, ad propriora pergo. Interim notans cum Ruiz supra num. 28. & alijs, argumentum S. Thom. prout contractum ad materiam præsentem talis quæstionis resolutione non indigere. Quoniam, dato, quòd sit possibilis substantia intellectiua, & non volitiua, non poterit non esse illa valde imperfecta, ac veluti manca, & monstrosa. Quo non auferetur efficacia illationis à perfectissimo intellectiuo, qualis est Deus, ad volitiuum. Vide alias argumentandi formas tom. 1. disp. 1. quæst. 7. quibus non sola existentia Dei, sed aliæ eius perfectiones, & præcipuè voluntas eius sunt demonstrabiles. Vtrùm autem, habere Deum voluntatem, non solùm demonstrabile per discursum, sed etiam per se, & ex terminis notum sit, vt aliqui in præsenti contendunt, superuacaneum esset nobis disquirere: quando ex doctrinâ generali à nobis traditâ in

dicta disp. 1. q. 5. satis superque constet, quid sit dicendum.

7 Ex his omnibus palam est, in Deo dari voluntatem saltem per modum actus secundi, quam volitionem appellamus. Vtrùm autem detur insuper voluntas per modum actus primi, q. 2. determinabitur.

Propositio 2.

8 **Voluntas diuina reàliter à substantiâ Dei non distinguitur.**

Sermo est, de distinctione propriè, & simpliciter reali. Quo sensu propositio certa est secundùm fidem, vt omnes Catholici fatentur. Nihil enim esse reipsâ in Deo, quod absolutè, & realiter non sit ipse Deus, ad eius simplicitatem spectat definitam in Concilio Lateran. prout habetur cap. *Firmiter* de sum. Trin. & fide Cath. Constatque ex definitione Concilij Remensis contra Gilbertum Porretanum. Ex constantique, & vniformi Patrum consensu. Quorum vna vox est, Deum realiter esse suam sapientiam, Deitatem, voluntatem, vitam, &c. De quo plura scripsimus tom. 1. disput. 2. & 11. Vbi etiam contra Scotistas statuimus, neque formaliter ex naturâ rei distingui diuina attributa aut inter se, aut à substantiâ Dei. Tametsi per rationem nostram aliquo modo distinguantur. De quo etiam ibi. Videatur insuper Ruiz tom. de Scient. disp. 8. per totam, & tom. de Voluntate disput. 1. sect. 3. Quomodò autem cum hac veritate componatur libertas Dei, inferiùs q. 4. examinandum est.

9 Modò ex datâ propositione sequitur primò, voluntatem in Deo nec esse qualitatem, nec modum, nec aliud genus accidentis realiter superueniens diuinæ substantiæ. Secundò, in Deo non esse pluralitatem volitionum realiter inter se distinctarum iuxta obiectorum pluralitatem, vti euenit in nobis. Vtrùm autem distinctio aliqua virtualis, seu eminentialis, vel saltem rationis inter diuinas volitiones debeat admitti, ex dicendis infra constabit, præsertim disp. 34. quæst. 1. Tertiò sequitur, volitionem diuinam non esse actum elicitum, siue productum realiter formaliter à substantiâ Dei, seu à potentiâ volitiuâ eius, (Vtrùm autem æquiualenter saltem seu virtualiter sit elicitus, atque adeò pariter à principio volitiuo distinctus dicemus quæst. 2.) Dicitur tamen nihilominùs appetitus elicitus ad distinctionem appetitus innati per omnia entia transcendentis; quia est vitalis operatio sequens cognitionem, tendensque in obiectum per eam propositum, vti tendit appetitus noster creatus, qui elicitus reuerà, & productus est. Cùm tamen appetitus innatus nec sit operatio, nec vitalis, sed quædam propensio in proprium bonum insita rebus etiam non viuentibus, realiterque ab eis indistincta: quæ certè metaphoricè solùm vocatur appetitus per analogiam ad appetitum elicitum, qui verè, & propriè talis est.

10 Vtrùm autem in Deo, præter appetitum elicitum, qualis est sua voluntas, detur etiam appetitus innatus ad sua bona intrinseca hìc etiam disputant nonnulli. Circa quod maior est controuersia, quàm res meretur; cùm non de re, sed de nomine quæstio sit. Petrus Bergomo auctor Tabulæ S. Thom. in concordijs dub. 224. absolutè negat Deo appetitum innatum, putans, ad appetitum innatum necessarium esse, quòd habens illum, dirigatur, seu destinetur ab alio in suum finem. Quod Deo repugnat. Huic auctori extremè se opponunt. Soar. disp. 30. Metaph. sect. 16. Fasol. 1. p. quæst. 19. art. 1. num. 8. & 9. Herice disp. 12. cap. 4. Ruiz disput. 1. de Volunt. sect. 2. & alij absolutè concedentes Deo appetitum innatum tam circa bona intrinseca, quàm circa extrinseca. Censent enim, ad rationem appetitus innati solùm requiri, quòd sit inclinatio ad quoduis bonum aliquo modo proprium. Mediâ tamen quadam viâ incedens Arrub. disp. 50. cap. 2. cui adhæret Machin. disp. 39. sect. 2. Personis diuinis producentibus appetitum innatum ad productas attribuit; necnon omnipotentiæ ad creaturas: quem tamen negat reliquis Dei formalitatibus, tum ipsis Personis ad alia bona. Mouetur. Quia existimat, de conceptu appetitus innati esse conatum principij producti in bonum, quod dicitur appetiti tali appetitu. Denique P. Hemelman tom. 1. tit. 2. disp. 2. cap. 1. & 3. & disp. 3. per totam, cui consentire videtur Gran. tract. 1. de Voluntate Dei disp. 1. num. 5. alia viâ mediâ etiam incedens, asserit, in omnibus, & singulis Dei perfectionibus dari appetitum innatum ad omnia bona Dei intrinseca; ad extrinseca verò minimè. Fundamentum est. Quia appetitus innatus ex suo conceptu propensio est ad bonum vtile, vel necessarium appetenti. Aut certè ad bonum, cum quo appetens melius, feliciùsque se habeat, quàm sine illo. Qualia comparatione Dei sola bona intrinseca sunt: extrinseca verò non item. Cui etiam sententiæ suffragatur Ribadeneira disput. 2. de Volunt. Ecce tota opinionum diuersitas in eo stat, quòd vnusquisque sibi compingit, prout arridet, definitionem appetitus innati. Quo ad definitionem reuocatur dissensio. Ob idque, sicut aliæ huiusce generis, de nomine est, contendentibus alijs, hunc, alijs, illum conceptum obiectiuum nomine appetitus innati intelligendum esse.

11 Quo circa ego in hoc negotio, quod totum metaphoricum est, non multum arbitror altercandum. Suppositò ergo, quòd per analogiam ad appetitum elicitum tribuitur rebus appetitus innatus, censeo ad omnia, & singula habere Deum appetitum innatum, quæ sunt bona eius amabilia per appetitum elicitum. Tametsi quædam pressiori metaphorâ, siue propriori loquendi modo dicatur appetere appetitu innato, quàm alia, quòd sibi strictiori modo expetibilia sunt. Qua resolutione non parum videntur conciliari posse sententiæ relatæ. Imprimis itaque Personæ producentes appetitu innato in suo genere propriissimo feruntur in Personas productas; tanquam in bonum scilicet sibi necessarium, à se distinctum, sibi accrescens, & à se oriundum: quæ sunt conditiones boni, quod pressiùs dicitur appeti, siue desiderari. Deinde quælibet formalitas Dei suum proprium esse, consortiumque aliarum vt bonum sibi necessarium appetit, saltem per modum gaudij, & consequenter non ita propriè. Quo sensu August. lib. 11. de Ciuitate Dei cap. 27. & 28. dicit, cuncta etiam irrationalia, & insensibilia velle, & amare suum esse. Præterea minùs adhuc propriè appetit Deus appetitu innato creaturas, vtpote quibus non eget ad sui perfectionem, non solùm quoad earum existentiam, vt constat; verùm nec quoad possibilitatem, à qua prorsus est absolutus, vt ostendimus

tom.

tom. 1. disp. 4. quæst. 2. Dicendus tamen nihilominùs est in eas propendere quadantenus appetitu innato. Tum quia eas vt quoddam bonum sibi extrinsecum amat appetitu elicito. Tum quia ad se illis quodammodò communicandum per ipsarum creationem natiuà inclinatione propendit titulo boni, cuius affectio natiua est, esse diffusiuum, & communicatiuum sui iuxta doctrinam D. Dionysi. cap. 4. de Diuinis nominibus receptam ab omnibus Theologis. Ex quibus patet, quid habeant veri omnes sententiæ commemoratæ. In quibus ampliùs discutiendis immorari non expedit: quia res maiorem discussionem non patitur.

QVAESTIO II.

Vtrùm in Deo sit voluntas per modum actus primi.

12 EAmdem quæstionem versaui, resoluique in Tract. de Scientiâ disp. 23. quæst. 2. circa diuinam scientiam. De qua, & voluntate, quod ad eam attinet, eadem ferme Theologia est; idem philosophandi modus; eadem opinionum varietas; & eadem resolutio. Quare, ne actum agam, quæ ibi scripsi, hic iterum inculcanda non censeo. Ne tamen desideretur aliquid, doctrinam ibi latiùs traditam pro diuino intellectu, summatim modo diuinæ voluntati applicato, ijs interim præterea adnotatis, quæ pro diuinâ voluntate videbuntur specialia. Aliorum opiniones cum suis Sectatoribus non refero. Quia sunt eædem, quas ibi retuli, eosdemque Patronos habent: cùm omnes de scientia, & voluntate Dei, vt dicebam, eodem modo philosophentur, quod attinet ad actus primos volendi, & intelligendi, exiguo interueniente discrimine postmodùm suo loco adnotando. Pergo ergo ad propositiones, quibus ibi meam sententiam exhibui, & modò etiam exhibebo; illâ imprimis notatione præmissâ, quòd hic nullatenus est sermo de voluntate Dei relatè ad actum notionalem, quo Spiritus Sanctus producitur; de quo in Tractatu de Trinitate; sed tantùm relatè actus volendi toti ipsi Trinitati communes.

Propositio 1.

13 **Voluntas per modum actus primi, siue potentia volitiua reuerà reperitur in Deo, sine potentiâ tamen realiter formaliter productiuâ, aut receptiuâ volitionis.**

Probatur propositio quoad primam partem. Primùm quidem ex Scripturâ sacrâ. Dicitur enim 1. Petr. 3. *Melius est, benè facientes (si voluntas Dei velit) pati.* Et ad Eph. 1. *Prædestinauit nos, &c. secundum propositum voluntatis suæ.* Quibus, & similibus locis clarè videtur poni voluntas Dei vt conceptus diuersus ab actu volendi; qui alius esse non potest, nisi potentia volitiua.

14 Deinde probatur ex Patribus, & Scholasticis vno ore attribuentibus Deo intellectum vt quid aliquo modo diuersum ab actu intelligendi, prout vidimus dicta quæst. 2. de Scient. propos. 1. Quod ipsum pariter citra dubium sentiebant de voluntate. Cuius, quod ad rem attinet, eadem ratio est. Specialiter Iustinus Mart. quæst. 3. ad Gentiles inter principium, & medium hanc partem propositionis nostræ expressit, dicens, loquendo de voluntate Dei, *Quomodò differt potentia ab actione, sic differt voluntas à volendo. Fieri autem non potest, vt velle à voluntate differat, à volente non differat. Quod si nullâ ratione fieri potest, vt idem sit velle, & voluntas, & volens, &c.* Imo id ipsum videtur sæpe exprimere, aut certè expressè supponere Sexta Synodus generalis in tom. 3. Conciliorum, dum definit, esse in Christo domino duas naturales voluntates, & duas naturales operationes, vt videre est act. 13. 17. & 18. & in Epist. Agatonis act. 4. sæpeque aliàs. Vtramque enim operationem ab vtraque voluntate Christi diuinâ, & humanâ distinguit Concilium aliquo modo. Nec dici potest, loqui Scripturam, & Patres aut de potentiâ logicâ ad volendum, quæ est possibilitas, seu non repugnantia volitionis, aut de potentiâ virtuali, quæ, simpliciter, & absolutè loquendo, non est potentia, sed æquiualentia potentiæ. Hæc namque expositio extorta est, vt constat ex ponderatione factâ quæstione citatâ. Loquuntur ergo de potentiâ reuerâ, & physicè volitiuâ, quam nos adstruimus.

Quamque præterea ratione comprobamus. 15
Primò; quia ab actu secundo ad potentiam necessaria est consequentia, vt constat. Sed Deus verè, realiter, & physicè, propriéque vult in actu secundo. Ergo verè, realiter, physicè, & propriè est potens velle, seu habet potentiam volendi; eamque diuersam ex suo conceptu à possibilitate volitionis; quemadmodùm actus existendi ex suo conceptu ab actu volendi diuersus est. Certum est enim, diuersis actibus diuersas semper potentias correspondere, vt latiùs ostendimus loco citato.

Secundò, quia in conceptu potentiæ volitiuæ realis præcisè sumpto perfectio est ab omni prorsus imperfectione aliena. Ergo talis conceptus reuerà concedendus est Deo cum omni proprietate loquendo. Perfectio quippe ab omni imperfectione immunis non potest non conuenire Deo, vt ostensum est tom. 1. disp. 16. quæst. 2. propos. 5. Nullam autem secum ferre imperfectionem potentiam volitiuam realem, inde probatur; quia nec de conceptu potentiæ realis, nec de conceptu volitiuæ est distinctio realis formalis ab actu, aut à subiecto, cuius potentia est, aut verus, formalisque respectus ad vtrumque, aut influxus realis formalis in actum, (quæ solæ sunt imperfectiones excogitabiles). Alioquin etiam de conceptu actus volendi esset distinctio, aut causatio, aut respectus realis formalis comparatione potentiæ, siue subiecti, cuius est actus. Negandusque propterea esset Deo verus, & realis actus volendi: sicut & potentia. Quod est absurdum. Cum quo stat, tam actum, quàm potentiam volendi concipi à nobis cum dictis distinctionibus, & respectibus, etiam in Deo, ob imperfectum, quem habemus, cognoscendi modum, prout latius in eâdem quæstione de scientiâ explicuimus. Vnde argumenta, quæ contra hanc doctrinam fiunt, & eorum solutiones (siquæ per illam satis non sint soluta) petenda sunt. Vbi etiam efficaciter sunt confutatæ duæ Recentiorum sententiæ. Altera dicentium, in Deo dari conceptum realem voluntatis, non verò potentiæ

volitiuæ ; quasi de conceptu potentis velle sit à volitione distingui ; secus de conceptu volentis. Altera asserentium, in Deo non dari potentiam volitiuam realiter, bene tamen per nostram rationem; quasi per distinctionem, & prioritatem à solâ ratione nostrâ orirundam compleatur voluntas Dei in esse potentiæ volitiuæ.

17 Iam verò secunda pars propositionis facilè ostenditur. Quia de conceptu potentiæ realiter formaliter productiuæ, vel receptiuæ est realiter formaliter distingui ab actu, aut saltem à termino producto, aut recepto, vt in confesso est apud omnes. (Quod quidem non ex prædicato potentiæ realis habet iuxta dicta num. præced. sed ex prædicato talis). Ob id enim repugnat, vt idem se ipsum causet, vt alibi ex omnium sententiâ fusiùs monstrauimus. Sed volitio diuina realiter formaliter non distinguitur à substantiâ Dei, vt tanquam dogma catholicum statuimus quæst. præced. propos. 2. Ergo in substantiâ Dei nullus est dabilis verus conceptus potentiæ realiter formaliter productiuæ, aut receptiuæ diuinæ volitionis. Dixi, de conceptu potentiæ productiuæ, vel receptiuæ esse distinctionem saltem à termino. Quia controuersum est, an etiam debeat distingui ab actu, medio quo terminus producitur, siue recipitur, ad hoc, vt sit etiam respectu talis actus potentia verè productiua, vel receptiua. Hæc tamen controuersia ad rem non interest. De qua in Tract. de Trinitate. Si quando autem S. Thom. & alij PP. Scholasticique antiquiores videantur negare Deo potentiam respectu volitionis, de istâ potentia ad producendum volitionem intelligendi sunt; non de potentiâ ad volendum, quam ipsi sæpe supponunt, atque concedunt Deo.

Propositio 2.

18 **Potentia volitiua Dei formalitas est ratione nostrâ distincta ab alio conceptu reali, qui in substantiâ Dei reperitur, subiecti potentis velle, & actu volentis.**

Tradit hanc propositionem S. Thom. in 1. dist. 7. quæst. 1. art. 1. ad 1. dum ait. *In Deo est omnino idem re essentia, potentia, & operatio; sed differunt ratione*: Loquitur enim de essentiâ metaphysicâ prout ab attributis nostro modo concipiendi distinctâ, quæ in illo conceptu subiecti ponenda est, prout tom. 1. disp. 1. quæst. 10. latè monstrauimus, vtpote quod vnicum est respectu omnium operationum, & actuum toti Trinitati communium, ac veluti radix eorum. Probatur autem propositio ex doctrinâ traditâ quæstione illâ sæpe citatâ de Scient. num. 25. & 26. Ostendimus enim ibi, de conceptu cuiusuis actus significati per verbum, prout à nobis concipitur, esse distingui à subiecto, cui attribuitur, & à termino, circa quem versatur. Potentia autem volitiua Dei, vt ex ibidem dictis constat, actus primus est significatus per verbum *possum, es*, atque ita non potest non ea concipi à nobis distincta à subiecto potenti velle, & à volitione, qui est terminus, circa quem versatur huiusmodi actus primus, siue potentia. Necessitas autem distinguendi in diuinâ substantiâ triplicem hanc formalitatem subiecti, potentiæ, & operationis non tam ex re ipsâ, quàm ex nostro modo concipiendi ducit originem. Quia nihil prorsus possumus iudicare sine duobus saltem conceptibus obiectiuis, quorum primus sit subiectum respondens supposito verbi, secundus actus talis subiecti per ipsum verbum significatus: qui quando est actus primus, siue potentia secum fert insuper tertium conceptum actus secundi, vti in proposito nostro accidit. Per quam doctrinam soluta manent, quæ contra propositionem nostram obijci possent, vt videre est in illâ quæstione de Scientiâ propos. 2, vbi hæc latiùs.

Porro, vt ibidem notabamus etiam in simili, 19
ex duplici conceptu explicato potentiæ volitiuæ, & subiecti eius conceptus volitiui coalescit in Deo. Qui nihil est aliud, quàm conceptus potentis velle in concreto; sicut gradus rationalis in homine conceptus est potentis ratiocinare. Huiusmodi autem conceptus volitiui, qui realiter simplicissimus est non absiure, loquendo realiter, voluntas Dei in actu primo vocari potest; quemadmodùm in sententiâ non distinguente realiter potentias ab animâ anima ipsa prout potens velle voluntas vocatur. Tametsi conceptus potentis velle ratione nostrâ, non solùm potentiam ad volendum, sed etiam subiectum volens, volitiuumque complectatur. Maximè, cùm conceptus volitiui in Deo virtualiter sit productiuus volitionis, sicut est in nobis formaliter iuxta eam sententiam; vt iam iam dico.

Propositio 3.

Conceptus volitiui in Deo, siue voluntas principium est à parte rei virtualiter productiuum diuinæ volitionis liberæ. 20

Plures sunt veritates circa Deum certâ, & indubitatâ fide tenendæ (vt prænotabam in simili quæst. illâ 2. de Scientiâ propos. 3.) adeò excedentes captum intellectus humani, vt eas neque rationis lumine penitus patefacere, neque per principia naturalia exactè metiri possimus. Quocirca Theologi, dum rei difficultate pressi, quò pedem figant, intra rationis sphæram non inueniunt, ad eminentiam infinitam diuinæ substantiæ confugiunt, vt inde rationem veritatis, quam credunt, alibi non repertam arripiant. Hoc facto, qui digniùs, & terminis expeditioribus de Mysterio Trinitatis loquuntur, distinctionem quamdam eminentialem, seu virtualem ponunt inter essentiam diuinam, & relationes, quo possint illis, idem cùm sint reipsâ, & formaliter, conuenire prædicata contradictoria, prout docet fides, quæ in creatis, nisi duabus entitatibus reuerâ, & formaliter distinctis, nullatenus conuenire possent. Itaque dicunt, etsi Paternitas, & essentia realiter formaliter sint prorsus idem, ob suam tamen eminentiam se gerere, ac si realiter formaliter distinguerentur in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria; qualia sunt communicari, & non communicari Filio; distingui, & non distingui ab illo, &c. Quod ipsum, & non aliud, est, Paternitatem, & essentiam in ordine ad talia prædicata eminentialiter, æquiualenter, seu virtualiter distingui. De quo plura sunt dicta à nobis in Pharo Scient. disp. 13. quæst. 6. Hac eadem ratione infra quæst. 4. ad dignius, & expeditiùs explicandum Mysterium libertatis diuinæ, quam fide credimus, contingentia quædam eminentialis, seu virtualis adstruenda nobis est in volitionibus

Dei

Dei liberis. Ita quidem, vt actus diuinæ voluntatis, omnino necessarius cùm sit quoad entitatem realiter formaliter, in ordine tamen ad denominandum, siue reddendum Deum volentem eminentialiter sit contingens, ideſt, ita se gerens, ac si contingens esset reuerà. Hac enim via faciliùs dabimus intelligere, quomodò Deus contingenter possit velle, & non velle, quin aliqua realis formalitàs contingenter ei adijciatur, vel detrahatur; hoc solùm, quòd realis formalitas actus Dei virtualiter ei deficere, vel accrescere possit in ordine ad denominandum illum volentem. Suppono modò doctrinam hanc ibi eam latiùs explicaturus, & probaturus.

21 Ex qua sequitur primò, quid quid reclament aliqui Recentiores, volitionem Dei liberam virtualiter à conceptu volitiui distingui. Quia conceptus volitiui prorsus est fixus, & stabilis, atque necessarius omnino, conceptus verò volitionis liberæ fluxibilis, atque contingens est, quoad entitatem quidem virtualiter dumtaxat, seu eminenter, quoad denominationem verò etiam formaliter. Compertum est enim iuxta dicta, formalitatem Dei virtualiter defectibilem à non defectibili virtualiter distinctam virtualiter esse: ne duo prædicata contradictoria, qualia sunt posse, & non posse deficere virtualiter, eidem prorsus subiecto conuenire dicantur. Quod repugnat.

22 Secundò sequitur id, quod contendit propositio, conceptum volitiui in Deo virtualiter productiuum esse volitionis liberæ. Nam, quemadmodùm id, quod realiter formaliter est contingens, à se ipso esse non potest, sed ab alio sit, necesse est, realiter formaliter. Ita, quod virtualiter est contingens, qualis est formalitas volitionis liberæ Dei, non potest non ab alio habere esse virtualiter. Hoc autem aliud esse non potest, nisi conceptus realis volitiui Dei, siue potentis velle: qui realiter simplicissimus est, in eoque dici potest, vt norabamus, consistere conceptum realem voluntatis Dei in actu primo. Ex quo patet, quam facilè in nostrà sententià assignetur vera, & realis formalitas Dei à formalitate volitionis diuersa, ac virtualiter distincta, cui conueniat, esse principium virtuale eius. In qua quidem assignandà non parum quidam Recentiores vexantur, prout vidimus loco citato de Scientià.

23 Deinde propositio nostra probari potest; quia, vbi nullus est influxus alicuius causæ, impossibilis est libertas. Hæc enim in actu secundo nihil est aliud, quàm denominatio desumpta ab indifferentià principij, à quo actus ita procedit, vt posset non procedere, vt latè explicatum est supra disput. 30. Et quidem dominium supra actum secundum ad eum pro arbitratu exequendum, vel non exequendum, compertum satis est ex se, nisi in causà effectiuà actus reperiri non posse: subiectum quippe aut passiuum solùm, aut nullam in actum exercens causalitatem dominium eius habere nequit, vt apparet ex se, & ex dictis disput. 30. citatà; ex dicendisque in sequentibus magis conspicuum fiet. Sed in Deo propriſsima, ac perfectiſsima reperitur libertas, atque dominium respectu actuum suæ voluntatis. Ergo & reperitur principium effectiuum eiusmodi actuum. Non formale: quia hoc repugnat. Ergo virtuale. Hoc argumentum explicatiùs vrgebo infra pro meà sententià quæst. 4. Quo & præsens etiam propositio firmabitur amplius; quemadmodùm & reliquis producendis ibidem pro sententià communi constituente actum Dei liberum adæquatè intra Deum. Quam sententiam plerique Recentiores sequentes, nobiscum propterea conueniunt in præsente propositione. Quæ insuper apprimè ostendetur argumentis mox exhibendis pro sequente propositione.

Priùs tamen, quàm illam statuam, animad- 24
uertere oportet, ex Recentioribus, qui in Deo admittunt principium virtualiter productiuum ad intra alicuius formalitatis, quosdam asserere, eiusmodi formalitatem ita in tali principio præcontineri, ab eoq; suam perfectionem accipere, vt formaliter non sit à se, sed ab illo. Hoc pacto dicunt, relationem Paternitatis, & relationem Spiratoris non esse formaliter à se, sed ab essentià diuinà tanquam à virtuali principio. Mouentur. Quia in Deo formalitas virtualiter producta priùs est possibilis, quàm existens, ab eiusque subinde possibilitate ad existentiam transitus datur. Quod nequit intelligi, nisi talis formalitas à suo virtuali principio totum suum *esse* recipiat. Alij verò contra istos imprimis enixè contendunt, ex ita constituto in Deo principio virtuali alicuius formalitatis necessariò argui distinctionem realem formalem inter talem formalitatem, & tale principium, vtpote quæ non possunt non eam producentis, & producti oppositionem habere, quam Patres, & Theologi in diuinis expoſcunt ad veram, realemque distinctionem. Quòd si citra hanc est possibile, vt vna formalitas Dei ab aliâ suum totum *esse* tanquam à principio recipiat, penitus occluditur via Patribus, & Concilijs ad concludendam in Deo contra Sabellium, alioſque hæreticos distinctionem Personarum ex eo, quòd Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio produci dicantur. Propterea dicunt deinde, dumtaxat posse, & debere admitti in diuinis principium virtuale determinans ad existentiam alicuius formalitatis aliter, quàm per modum producentis, & dantis illi perfectionem, & *esse*; ad eum videlicet modum, quo cognitio determinat ad amorem, & imperium voluntatis reflexum ad actum imperatum, & causa libera ad omissionem nullam conferendo perfectionem in id, ad cuius existentiam determinare dicuntur.

Vtrique ij Doctores peccant in apprehensio- 25
ne huiusmodi virtualitatum, concipientes illas in Deo absolutè, & quantùm ad *esse*; non verò respectiuè, & quantùm ad munus, vti concipi debent; prout vberiùs contra eosdem, & alios ostendi in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 6. iam citatà. Dicendum itaque est, voluntatem diuinam principium virtuale esse volitionis liberæ Dei, æquiualenter illi communicans per productionem virtualem totum *esse*, quod habet, non quidem absolutè, sed in ordine ad denominandum Deum ipsum volentem. Quia talis volitio, summè necessaria cùm sit, & à se habens verè, & formaliter quidquid habet entitatis, & perfectionis, in ordine tamen ad denominandum Deum contingenter volentem perinde se habet, ac si totum illud à voluntate per contingentem productionem acciperet. Quod est, produci eam à voluntate virtualiter in ordine ad tale munus, ipsamque voluntatem in ordine ad munus ipsum dumtaxat esse principium virtuale, seu virtualiter productiuum illius.

Ex qno patet contra Recentiores primo loco 26
citatos, quo pacto possit voluntas Dei esse principium virtualiter productiuum volitionis liberæ, quin hæc formaliter, & verè secundùm suam entita-

titatem sit ens contingens, & ab alio: etsi sit talis æquiualenter, seu virtualiter relatè ad dictum munus. Quo cessant argumenta omnia aduersus illos indicata. Circa quæ insuper videri poterunt, quæ habemus scripta loco citato Phari. Contra relatos autem secundo loco manifestè monstratur, eam, quam fingunt in voluntate diuinâ vim determinandi virtualiter, & contingenter existentiam liberæ volitionis citra omnem virtualem productionem communicantem illi perfectionem, & *esse*, chymæricam esse, & imperceptibilem. Quia nequit intelligi aliquid contingenter existere, & non accipere *esse* ab alio eâ ratione, qua contingenter existit. Cùm nihil possit sibi ipsi *esse*, quod contingenter habet, communicare, vt est notissimũ. Quòd si cognitio, & imperium valent existentiam actus determinare quin illi per se præcisè communicent perfectionem, & *esse*, vt dicti Recentiores obtendunt. Id vtique ita euenit; quia determinant per modum causæ moralis mouentis physicam ad talis actus productionem, nec aliter per se præcisè possunt determinare. Absque aliquâ enim productione physicâ communicante perfectionem, & *esse* nihil positiuum potest ad existendum determinari ob rationem dictam. Quidquid sit de negationibus, quæ ad suo modo existendum permissiuè, aut impeditiuè determinari possunt absque omni physico influxu, prout diximus disput. 30. quæst. 5. num. 131. Quo pacto certissimum est, non posse actus Dei positiuos ad existendum determinari, vt ex dicendis in sequenti quæstione ampliùs patebit. Vtrum autem diuina essentia principium virtuale sit Paternitatis, aut relationis Spiratoris respectiuè ad aliquod munus in Tract. de Trinit. examinatur.

27 Iam verò argumenta, quæ contra datam propositionem opponi possunt, & solent, commodiorem locum habebunt infra quæst. 4. Quò illa propterea proponenda, & soluenda remitto.

Propositio 4.

28 Voluntas in Deo principium est virtualiter productiuum non solùm liberæ volitionis, sed & necessariæ.

Hæc propositio non est tam certa, quàm præcedens, eamque negant aliqui Recentiores eorum, qui in præcedente nobiscum conuenerunt, è quibus est P. Ripal. in manuscriptis de Volunt. Assero autem in illâ tum liberam, tum necessariam volitionem virtualiter à diuinâ voluntate produci, repetitâ ex parte propositione præcedente: quia argumenta modò exhibenda & liberæ, & necessariæ volitioni communia sunt.

29 Primum autem est. Quia, licet de conceptu vitæ intentionalis, qualis est actus volitionis, non sit emanatio physica à subiecto viuenti, vt ego opinor, & suo loco probaui. Ast viuens perfectiùs, ac plenùs viuere censendum est, quod non solùm intentionalem vitam, sed etiam physicam exerceat. Ergo, cùm Deus sit perfectissimum viuens, non solùm quoad notionalia, sed etiam quoad essentialia; quoad hæc etiam est ei tribuenda vita physica in productione suorum actuum consistens. Cùmque productio eorum realis formalis ei non queat attribui ob multas, quas fert secum imperfectiones, tribuenda est vtique realis virtualis, quæ ab omni prorsus imperfectione defœcata est. Præstat enim quoad æquiualentiam munia veræ, & formalis productionis, atque adeò veræ, & formalis vitæ physicæ, cum verè productio non sit: atque ita commoda productionis, & vitæ physicæ formalis sine eius incommodis secum fert.

Et confirmari potest primò. Quia, dum 30
sexta Synodus generalis locis citatis supra n. 14. absolutè pronunciat, & confitetur in Christo Domino duas naturales voluntates, & duas naturales operationes, non solùm vitam intentionalem, sed physicam etiam videtur diuinæ voluntati tribuere in naturali operatione, seu productione consistentem: Non quidem formalem; quia ei repugnat. Igitur virtualem.

Secundò confirmari potest ex Patribus, & 31
Theologis absolutè tribuentibus Deo voluntatem tanquam facultatem aliquo modo distinctam ab actu volendi. Cùm enim voluntas indiscriminatim accepta in suo conceptu non solùm claudat potentiam ad volendum, sed etiam potentiam ad producendam volitionem; vt in voluntate nostrâ cernere est; vtramque videntur illi Deo tribuere. Ast secundam non possunt tribuere formalem. Igitur tribuere virtualem censendi sunt.

Confirmatur tertiò. Quia vis producendi 32
virtualiter volitionem in ordine ad volendum, siue necessariò, siue liberè perfectionem aliquam præfefert ex vnâ parte, ex aliâ verò necunde potest ei adscribi imperfectio. Igitur perfectio est sine imperfectione. Igitur tribuenda Deo. Et quidem, si principium virtuale volitionis liberæ perfectio est sine imperfectione, vt plerique Recentiores cum Ripaldâ fatentur, certè principio virtuali volitionis necessariæ, non est, vnde imperfectio aliqua possit adscribi.

Secundum, nec parum efficax argumentum 33
à motione diuinæ voluntatis desumitur. Certum enim est, ac satis constans ex Scripturis sacris, ex Patribus, ex communique sensu Fidelium, Deum reuerâ, & non fictitiè moueri ad decernenda, quæ decernit, motiuis sibi propositis per cognitionem. Mouetur enim ad miserendũ nostri nostris miserijs iuxta illud Lucæ 7. *Quam cùm vidisset Dominus, misericordiâ motus super eam dixit illi, &c.* Mouetur nostris orationibus ad concedenda ea, quæ petimus, secundùm illud Psalmi 114. *Inclinauit aurem suam mihi, &c.* Mouetur nostris flagitijs ad nos puniendum. Quo circa sæpe in Scripturâ dicimur, eum peccatis nostris *irritare, prouocare, ad iracundiamque concitare, &c.* Mouetur nostris meritis ad conferenda nobis præmia iuxta illud Math. 25. *Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Mouetur insuper ex intentione finis ad decernenda media, &c. Sed impossibile est, moueri Deum reuerâ, & non fictitiè ad volendum aliquid, nisi volitio diuina aliquo modo in suâ existentiâ dependeat à Deo, ab ipsoque Deo aliquo modo à parte rei distincta sit: quia nullus dicitur moueri, nisi ad id, quod à se dependet, & à se distinguitur, vt constat. Ergo diuina volitio principium habet intra Deum, à quo dependet in suâ existentiâ, distinguiturque à parte rei. Sed non formaliter: quia id repugnat. Ergo virtualiter, seu quoad æquiualentiam. Huiusmodi autem principium virtuale aliud esse non potest à prædicato volitiui Dei, seu voluntate in actu primo; quia voluntas est, quæ per se immediatè

moue-

mouetur cognitione intellectus, obiectoque per eam proposito.

34 Confirmatur. Quia influxus causæ moralis sine influxu causæ physicæ nullatenus constare potest, vt est notissimum. Cùm causa moralis non aliter causet, quàm mouendo physicam ad agendum. Sed, quidquid mouet voluntatem Dei ad volendum seu medio amore, seu media cognitione sui vel tanquam meritum, aut impetratio, vel tanquàm finis, vel aliter, causa est moralis intentionalis diuinæ volitionis, vt talisque signatur passim in sacrâ Scriptura, & a Patribus iuxta dicenda disput.32.quæst.4. Igitur voluntas diuina nequit non esse causa physica volitionis, ad quam mouetur. Non formalis. Ergo virtualis. Et quidem, si huiusmodi influxum è medio tollas, finis, qui vna est ex causis moralibus intentionalibus, nullum omnino influxum habebit in opera Dei; Deusque subinde reuerà non operabitur propter finem. Quod est absurdum, alienum etiam ab Scriptura, & Patribus, & à ratione. Nullus quippe dici potest agere propter finem, in cuius opera finis reuerà nullo modo influit, vt constat.

35 Nec solum ad amorem liberum, de quo potissimùm est sermo in locis Scripturæ indicatis, sed etiam ad necessarium mouetur diuina voluntas. Cùm certum sit, amorem necessarium, quo Deus se amat, à cognitione dependere aliquo genere dependentiæ non mutuæ, atque adeò à priori iuxta illud Anselmi in Monol. cap.48. *Palam certo est rationem habenti, Deum non idcirco se intelligere, quia se amat, sed ideo se amare, quia se intelligit.* Et iuxta illud vniuersalissimum axioma. *Nihil volitum, quin præcognitum.* Huiusmodi enim dependentia non mutua, & à priori nequit esse dependentia per connexionem: siquidem cognitio, qua Deus se cognoscit, mutuò connectitur quoad existentiam cum amore, quo Deus se amat. Ergo est dependentia per influxum; nam aliud genus dependentiæ non datur. Ast cognitio nequit aliter in amorem influere, nisi dirigendo, inducendo, mouendoque voluntatem, vt eum eliciat, vt satis ex se est notum, & amplius statim explicabo. Ergo voluntas diuina re ipsa elicit, seu producit amorem essentialem, quo Deus se amat. Non elicientia formali; quia hæc repugnat. Ergo elicientia virtuali. Quo sanè iure egregiè ad rem dixit Dionys. cap.4. de Diuinis nominibus agens de Deo se se amante. *Ipse sui ipsius, & sibi ipsi est adductiuus, & motiuus.* Et S. Tho. in eumdem Dionys. locum lect.11. *Deus dicitur amor, & amabilis: quia ipse amat motor sui ipsius, & adducit se ad se ipsum. Velle enim est quidam motus. Vult enim Deus bonum suum: & secundùm hoc, prout ipse est sua bonitas, quæ voluntatem ipsius quodammodò mouet, dicitur etiam esse diligibilis, & amabilis à se ipso.*

36 Et confirmari potest primò. Quia cognitio ad volitionem diuinam aliter requiri non potest, (est autem indubitatum requiri, vt diximus) nisi per modum dirigentis, excitantis, allicientis, mouentisve voluntatem Dei ad volendum obiectum, quod illi proponit. Perperam enim, & sine vllo fundamento alio titulo in Deo diceretur requiri; quando exploratum est, in nobis hoc solo requiri, & non alio. Sed munus dirigendi, excitandi, alliciendi, & mouendi proprium est causæ moralis comparatione physicæ, quæ solæ ad id, quod physicè producit, dicitur per illam dirigi, allici, excitari, aut moueri. Ergo diuina voluntas principium physicum est producens diuinam volitionem. Non formaliter: quia id est Deo impossibile. Ergo æquiualenter, seu virtualiter.

Confirmatur secundò. Quia certum est 37
etiam, Deum per cognitionem aut necessitari ad volitionem, aut constitui liberum ad illam iuxta naturam obiecti cogniti. Ergo cognitio nequit non simul cum voluntate influere in volitionem ipsam æquiualenter, seu virtualiter, posito, quòd nequit formaliter. Quia libertas, vel necessitas actus secundi aliunde prouenire non potest, quàm à principio aliquo modo influente in ipsum, iuxta doctrinam communem de libertate; quam latè explicatam dedimus supra tota disput.30.

Confirmatur tertiò. Quia perfectio est sine 38
imperfectione in quouis amore seu libero, seu necessario, esse voluntarium, id est nascentem à principio intrinseco cum cognitione. Igitur, ne amorem diuinum hac perfectione defraudemus, dicendum vtique nobis est, illum à voluntate diuinà vt ab intrinseco principio, cognitione dirigente, prodire. Non quidem realiter formaliter: quia id repugnat. Ergo realiter virtualiter.

Dices cum Ripalda, & alijs, cognitionem 39
obiecti amandi non solùm esse prærequisitam, vt voluntas physicè eliciat eius amorem, sed etiam vt talis amor vniatur voluntati, eidemque suum tribuat effectum formalem. Voluntas quippe non solùm per amorem à se ipsa eliciendum non potest in incognitum ferri, verùm neque per amorem aliunde prouenientem. Atque adeò duplicem directionem, siue motionem sortiri voluntatem à cognitione. Alteram physicam ad eliciendum amorem obiecti cogniti. Alteram intentionalem ad illud amandum. Et de hac postremà citra omnem elicientiam virtualis amoris sufficientissimè explicari modos loquendi Scripturæ, Patrum, & Theologorum asserentium, aut indicantium, moueri Deum per cognitionem ad amandum, quæ amat. Sed contra primò; quia longè fortasse verius est, non tam ad amandum per amorem vtcunque habitum, quàm ad eliciendum amorem esse necessariò prærequisitam cognitionem. Quo tota Aduersariorum doctrina corruit. Sit tamen de hoc, quidquid sit. Contra secundò: quia voluntas nullo modo per cognitionem inducta, adiutaue ad acquirendum amorem, qualiter iuxta Aduersarios se habet diuina voluntas, aut impropriè admodum, aut certè nullo modo dici potest per ipsam cognitionem ad amandum moueri: quia nulla potest concipi motio, quæ non sit ex suo conceptu acquisitio alicuius termini, vt constat. Igitur Scriptura, & Patres dicentes, aut supponentes, moueri Deum per cognitionem ad amandum, aut impropriè admodum, aut certè nullo modo possunt intelligi de motione purè intentionali, per quam voluntas diuina nullo modo acquirat amorem. Contra tertiò: quia motio, qua voluntas Dei mouetur ad amorem liberum ex meritis nostris, ex precibus, ex fine præintento, & alijs huiusmodi, nullatenus esse potest motio merè intentionalis, vt constat. Ergo nec motio, qua ex bonitate diuinà ad amorem necessarium mouetur. Quia non est, cur diuina voluntas diuersum habeat, quod ad rem attinet, operandi modum circa amorem necessarium, ac circa liberum, vt satis apparet ex dictis.

Dices secundò cum alijs Recentioribus, 40
perperam nos ex motione, qua Deus dicitur ad aman-

amandum moueri, colligere virtualem influxum voluntatis Dei in amorem. Nam vel huiusmodi motio est apud nos realis formalis, vel virtualis dumtaxat. Si primum. In absurdum incidimus non ferendum. Quia voluntas diuina non potest realiter formaliter ad amandum moueri, nisi realiter formaliter producat amorem; quod dici nequit. Si secundum. Petimus principium inferentes idem ex eodem. Idem namque est, moueri voluntatem diuinam virtualiter ad amandum, atque esse principium virtuale amoris. Deinde Scripturæ, & Patribus tribuentibus voluntati Dei absolutè motionem in amorem non satisfacimus. Quia, moueri eam virtualiter ad amandum, non est moueri reuerà, sed gerere se, ac si moueatur; cùm verè non moueatur. Respondeo ad primum. Etsi motio voluntatis diuinæ non sit absolutè realis, sed tantùm virtualis; tum, estò sit idem moueri virtualiter voluntatem ad amandum, & esse virtuale principium amoris; nequaquam nos patere principium: quia non inferimus idem ex eodem gratis assumpto, sed ex eodem sub alijs terminis auctoritate Scripturæ, & Patrum, rationeque adiunctâ comprobato. Respondeo ad secundum, sufficientissimè exponi Scripturam, & Patres de motione virtuali, posito, quòd ex vnâ parte sola illa est, loquendo absolutè, possibilis voluntati diuinæ; ex aliâ autem vera, & realis motio est in suo genere; tametsi non sit formalis, sed virtualis. Insufficientia expositionis penes Aduersarios stat ineuitabiliter. Qui per solam motionem rationis ab intellectu nostro confictam possunt Scripturam, & Patres interpretari. Addo, huiusmodi diuinæ voluntatis motionem quadamtenus esse motionem realem formalem tum in actu primo, tum in secundo. In actu quidem primo. Quia motio, qua in actu primo dicitur cognitio obiecti mouere, seu inclinare voluntatem ad illius amorem, nihil est aliud à parte rei præter entitates ipsius cognitionis, & voluntatis. Constat autem, cognitionem, & voluntatem diuinam verè, & realiter formaliter existere à parte rei. In actu autem secundo. Quia, licèt diuina voluntas inducta in actu primo per cognitionem obiecti realiter formaliter non producat illius amorem quoad entitatem, sed tantùm virtualiter: per istam tamen virtualem productionem entitatis amoris realiter formaliter acquirit sibi denominationem amantis, prout ex dicendis quæst. 4. compertum fiet. Atque ita in talem denominationem realiter etiam formaliter potest dici moueri. Quo longè expeditiorem proprioremque explicationem habent dicta Scripturæ, & Patrum.

41 Dices tertiò cum Ribaden. disput. 6. de Volunt. Vt aliqua virtualitas adstruatur in Deo, aliquod in ipso debet esse prædicatum formale, in quo illa fundetur; quale est in essentiâ, & paternitate Patris æterni vera, & formalis capacitas duorum contradictoriorum. Sed nullum est in Deo assignabile prædicatum formale, in quo fundari possit virtualis productio amoris necessarij Dei oriunda à voluntate diuinâ vt à principio virtuali. Ergo eiusmodi virtualitates non dantur in Deo. Recentiores quidam apud ipsum Ribaden. ibid. asserunt productionem virtualem amoris necessarij Dei in eo stare, quòd verum conditionatè sit, fore, vt talis amor realiter à Dei essentiâ produceretur ex hypothesi, quòd ab illâ distingueretur realiter. Hæc tamen assertio mihi non placet propter multa, quæ bene contra illam opponit ipse Ribaden. apud illum videnda.

Quare ego ad obiectionem respondeo: quem- 42
admodùm denominatio amantis liberè prout acquisita contingenter prædicatum est verè, & formaliter repertum in Deo, in ordine ad quod voluntas diuina virtualiter producit formalitatem amoris liberi iuxta dicenda latiùs quæst. 4. eoque iure dici illud potest fundamentum talis virtualitatis: ita etiam denominationem amantis necessariò prout acquisitam necessariò prædicatum esse verè, & formaliter repertum in Deo, in ordine ad quod voluntas diuina virtualiter producit formalitatem amoris necessarijs; quo iure pariter fundamentum illud talis virtualitatis venit dicendum. Vniuersaliter enim illud prædicatum formale Dei alicuius virtualitatis Deo attributæ venit dicendum fundamentum, in ordine ad quod illa in Deo ponitur: eo quòd ex genere suo cum alio quopiam connexum est, quod dumtaxat in creatis potest esse formaliter, atque ita virtualiter tantùm potest in Deo reperiri. Sic paternitas, & essentia, idem realiter cùm sint, virtualiter in Patre æterno distinctæ ponuntur; quia sufferunt prædicata contradictoria, quæ in creatis solùm possunt sufferre subiecta distincta realiter. Sic formalitas amoris liberi distingui, producique virtualiter dicitur à voluntate Dei, cum qua realiter est idem; quia voluntas ipsa per illam contingenter denominatur amans, qualiter voluntas creata nequit denominari, nisi ab amore à se distincto, productoque realiter. Sic denique formalitas amoris necessarij producta pariter virtualiter ponitur à voluntate Dei; quia voluntas ipsa per illam necessariò denominatur amans, non vtcunque, sed denominatione acquisitâ per aliquod genus motionis sui ab intellectu oriunda, prout constat ex dictis: qualiter voluntas creata denominari nequit, nisi per amorem à se productum realiter.

Illa mihi vehementer displicet extremorum 43
coniunctio, quam disput. 6. citatâ facit Ribaden. Postquam enim latè contenderat, etiam suppositâ distinctione virtuali inter essentiam, & volitionem necessariam Dei, neutiquam hanc ab illâ productam virtualiter ponendam esse in genere productionis, seu causationis physiæ; addit cap. 4. suppositâ dictâ distinctione, volitionem Dei necessariam ab ipsius essentiâ prout intelligente omnino asserendam esse productam, siue causatam virtualiter in genere causationis moralis; qualis in sententiâ communi est causatio, quam per modum allicientis, siue impellentis exercet intellectio respectu actus physicè elicitì à voluntate. Etenim, cùm intellectio non aliter præstet istam moralem causationem, quàm per suam entitatem præcisè (vtpote quæ propositio est obiecti) alliciendo, siue impellendo voluntatem ad prodocendum physicè actum tendentem in obiectum propositum; impossibile planè est, vt intellectio causet moraliter eum actum, quem voluntas non causat physicè. Causa quippe moralis in vniuersùm non dat esse effectui per se, sed eatenus tantùm dicitur effectum causare, quatenus allicit, seu inducit, seu dirigit, seu mouet causam physicam, vt hæc det illi *esse*. Vnde manifestè consequitur, sine causatione physicâ causæ physicæ causationem moralem. causæ moralis nullatenus existere posse. Malè ergo Ribaden. ea duo haud dubie incompatibilia coniungit; scilicet, essentiam Dei nullatenus causare virtualiter physicè volitionem Dei necessariam, & nihilominùs essentiam Dei prout intelligentem, siue diuinam intellectionem virtualiter moraliter

cau-

causare illam, suppositâ inter vtrumque extremum virtuali distinctione.

44 Stat itaque ex dictis, voluntatem diuinam non solùm amoris liberi, sed etiam amoris necessarij esse principium physicum virtuale: moraleque subinde virtuale principium esse eiusdem amoris intellectionem Dei, qua ad ipsum virtualiter eliciendum allicitur, siue impellitur voluntas ipsa, suppositâ sententiâ commemoratâ, & mihi verissimâ de concursu intellectionis cum voluntate, non elicitiuo, sed allectiuo, siue impulsiuo, atque adeò non physico, sed morali ad actum, quem voluntas elicit, seu physicè producit.

45 Vnde planè sequitur primò, non solum amorem Dei liberum, sed etiam necessarium virtualiter esse distinctum tum à voluntate diuinâ, tum ab intellectione, qua inducitur, siue mouetur ipsa ad talem amorem; & consequenter ab essentiâ metaphysicâ Dei; quidquid non nulli refragentur. Siquidem principium, & principiatum eâ ratione, qua talia sunt, non possunt non mutuò distingui, vt constat.

46 Secundò sequitur, voluntatem diuinam etiam distingui virtualiter ab omni Dei intellectione. Si enim intellectio Dei sit contingens, prædicatum defectibilis virtualiter conueniet illi reipsâ iuxta doctrinam nostram, cuius contradictorium reipsâ conuenit voluntati, vtpote quæ nec formaliter, nec virtualiter defectibilis est. Quod sine distinctione virtuali inter vtramque consistere nequit, vt constat. Si autem intellectio Dei sit necessaria, eaque siue de Deo ipso, siue de alio obiecto, saltem habebit illa prædicatum distinctæ, productæque virtualiter ab intellectu Dei iuxta doctrinam stabilitam disput. 23. quæst. 2. sæpeque citatâ; quo prædicato citrà dubium caret voluntas, vtpote quæ nullo titulo dici potest distincta, productaque virtualiter ab intellectu. Quod pariter stare non potest sine distinctione virtuali voluntatis à necessariâ intellectione, quæcunque ea sit. Pro intellectione autem necessariâ de obiecto distincto à Deo alia præterea ratio probat id ipsum. Quia nimirum, cùm obiectum distinctum à Deo sit minùs necessarium, quàm ipse Deus, vt tom. 1. disput 3. quæst. 2. monstrauimus, si per impossibile tale obiectum deficeret, Deus per locum intrinsecum maneret, & illud non cognosceret; atque adeò iuxta doctrinam nostram intellectio, qua Deus modò cognoscit illud, virtualiter in tali hypothesi deficeret, non deficiente virtualiter voluntate. Quod est, habere talem intellectionem aliquod prædicatum reale, quod non habet voluntas; quale, nisi ab illâ distingueretur virtualiter, habere non posset iuxta dicta.

47 Addo, (vt dicebam de intellectione in eâ quæst. sæpe citatâ) sine inconueniente dici posse, volitionem diuinam, non solùm produci virtualiter à voluntate Dei, sed etiam virtualiter recipi in illâ: in meâ tamen opinione huiusmodi receptionem necessariam non esse. Quia puto, actum vitalem intentionalem per intimam sui coniunctionem cum potentiâ vitali, siue ea sit identitatis, vt in Deo, sine vnionis, seu adhæsionis, vt in nobis, reddere ei sufficienter suum effectum formalem, præcisâ quauis receptione. Vnde consequenter existimo, ad exercitium vitæ physicæ circa talem actum sat esse, quòd principium volitiuum, ac simul productiuum illum sibi annexum, seu coniunctum aliquo ex dictis modis producat: hæc enim est sufficiens immanentia ad rationem vitæ etiam physicæ, præscindendo ab eo, quòd productio sit simul receptio, vel secus.

Deinde addo, neutiquam esse admittendum 48
in Deo duplex principium physicum virtuale volitionis; alterum remotum; alterum proximum ad eum modum, quo in nobis admittunt duplex formale, qui censent, voluntatem nostram ab animâ distinctam esse. Tum quia huiusmodi principium remotum ex suo conceptu dicit imperfectionem; cùm intra idem genus principij productiui non sit sibi sufficiens. Tum quia hæc principiorum multiplicatio frustranea esset in Deo. Tum denique quia nec per rationem distinguimus in Deo duo principia in ordine ad volitionem; alterum remotum; alterum proximum: licèt distinguamus duos conceptus, potentiæ videlicet volitiuæ, & subiecti potentis velle, vt vidimus proposit. 2. Re tamen ipsâ ne isti quidem duo conceptus sunt distinguendi virtualiter. Quia nihil cogit ad distinguendam virtualiter potentiam volitiuam à subiecto potente velle. Virtualitas autem in Deo admittenda non est, nisi, quando sine illâ veritas aliqua certa saluari non potest, vt latiùs ponderabo q. 4.

Denique addo, conceptum proprium habi- 49
tus iuuantis voluntatem diuinam ad operandum nullatenus reperiri in Deo. Quia habitus ex proprio conceptu supponit imperfectionem in potentiâ, cui adiungitur, omnino Deo repugnantem. Vel enim habitus est ad facilitatem, vt sunt in nobis habitus acquisiti: vel ad substantiam actus, vt sunt infusi. Si ad facilitatem, supponit potentiam non esse expeditam, & facilem, sed præpeditam, & tardam ad operandum: quod longe abest à voluntate Dei. Si autem est ad substantiam actus, supponit potentiam intra lineam propriam potentiæ non habere plenam virtutem ad actum ipsum; quæ etiam est perfectio aliena à voluntate diuinâ. Itaque voluntas diuina ex se, & ex proprio conceptu habet, quidquid facilitatis, promptitudinis, aut virtutis posset excogitari ei accrescere à conceptu habitus. De quo vide plura in quæst. illâ de Scient. proposit. 5.

Hìc quærunt aliqui, vtrùm volitio diuina, 50
aut saltem potentia ad volendum sit de conceptu essentiæ metaphysicæ Dei. De quo nos tom. 1. disp. 1. quæst. 10. tanquam in proprio loco egimus. Vniuersaliter ostendentes, essentiam metaphysicam Dei in conceptu subiecti primi, & radicalis omnium diuinorum actuum consistere. Et consequenter tam potentiam volendi, quæ est actus primus, quàm volitionem, qui est actus secundus, extra talem essentiam esse.

Tametsi gradus potentis velle, quem, diximus, esse à parte rei virtuale volitionis principium, iureque posse vocari voluntatem diuinam, ex essentiâ Dei metaphysicâ tanquam ex subiecto, & ex potentiâ ad volendum tanquam ex formâ per rationem nostram coalescat.

QVAESTIO III.

Vtrùm Deus libero arbitrio polleat. Et quale illud sit.

51 NOnnulli ex Peripateticis, vt Theophrastus, Auerroes, Auicenna, & Porphyrius Deo dicuntur libertatem negasse, vt videre est apud Albertum in libro de Causis, cuius verba refert Carthusianus lib. 1. Sent. dist. 45. quæst. 1. Fuisse etiam in eodem errore Aristotelem eorum Principem, absolutè docent Scot. in 1. dist. 8. quæst. 4. sub initium, Soar. disput. 30. Metaph. sect. 16. Molina 1. p. quæst. 19. art. 4. dispur. 2. cum Greg. Ocham. Gabr. Marsil. Heruæ. & alijs relatis à P. Ruiz disp. 7. de Volunt. sect. 5. Qui tamen, fuisse in hac re Aristotelem inconstantem, probat, productis locis, vbi ille Deum ex necessitate naturæ operantem ponit; & locis, vbi Deo satis clarè libertatem attribuit: videatur ad rem Tolet. lib. 8. Phys. quæst. 3. Auicenna etiam in Metaph. tract. 9. cap. 1. in medio apertè Dei libertatem adstruit. De qua rectè itidem videtur Auerroes sentire in distinct. distinctionum dist, 3. dub. 1. & 2. Cæterùm ex Christianis in prædictum etiam errorem impegit Abailardus dicens, Deum non posse facere, nisi ea, quæ facit, apud Vvaldens. lib. 1. doctrinalis fidei cap. 10. Quod idem docuit postea Vviclef. in Trialogo cap. 10. & 11. quem refellit Vvald. ibid. Subscripsit eidem errori Lutherus art. 36. Bucerus item lib. de Concordiâ doctrinæ cap. de Libero arbitrio, & Caluinus lib. 1. Inst. cap. 16. §. 3. prout refert Bellarm. tom. 4. lib. 3. de Gratiâ, & libero arbitrio cap. 15. versus finem. Catholici tamen omnes Dei libertatem confitentur. Quam etiam Philosophorum præstantissimi fassi sunt, Plato in Timæo inter principium, & medium, Socrates apud Platonem in Alcibiade primo in fine, & alij.

52 Verùm enim verò Thomistæ quidam prædeterminantes ita diuinam libertatem fatentur, vt eam absque vllâ diuinæ voluntatis in differentiâ in solâ indifferentiâ diuinæ cognitionis stare arbitrentur. Quo à libertate diuinâ non leue sibi subsidium parare videntur ad componendam cum creatâ physicam prædeterminationem, aientes, quantumuis prædeterminatio physica determinatam ad vnum voluntatem creatam reddat, omnemque prorsus eius indifferentiam tollat, illæsam nihilominùs eius libertatem manere; dummodò iudicium intellectus maneat indifferens, hoc est, proponens obiectum cum indifferentiâ boni, & mali; siue, vt ipsi philosophantur, obiectum, quod de se indifferens est ad assequutionem finis, ad quem naturaliter voluntas determinata est, neque cum illo necessariam connexionem habet. Ita docet Bann. Prædeterminantium antesignanus 1. p. quæst. 19. art. 10. dub. 1. post solutionem argumentorum §. *Tertium documentum*. Vbi post statutam dictam doctrinam concludit. *Hoc documentum vehementer obseruent, qui in quæstionibus de merito, & ratione merendi dissoluendis errare noluerint. Id quod ego non aliter ostendo, quàm ex prædictis. Etenim Deus est maximè liber, vt iam definitum est: & tamen in ipso non alia ratio libertatis inuenitur respectu illorum, quæ extra se vult, nisi, quia iudicat, illa non habere necessariam connexionem cum fine, sed esse secundum se indifferentia: iudicat tamen ordinabilia esse ad finem, & iudicat ordinanda esse. Et hæc ratio, quare velle ordinare liberum est.* Hæc Bann. Vnde statim infert per consequentiam, vt ipse dicit, euidentem, quotiescunque actus voluntatis oritur ex radice iudicij indifferentis prædicti, non posse non illum liberum esse. Et rursus. *Quidquid*, inquit, *antecesserit, vel comitabitur, vel superuenerit dicto actum voluntatis, si non tollat iudicium illud circa medium respectu finis, non destruet libertatem operationis.* In hac eadem doctrinâ procedunt, quæ de diuinâ libertate comparatâ cum humanâ docent Cabezudo in fine quæst. 2. de Auxil. quam inseruit 3. p. quæst. 62. pag. 175. conferendâ cum pag. 154. Aluarez disp. 22. de Auxil. num. 36. iunctis, quæ docet disp. 92. num. 11. & Ledesm. quæst. vnicâ de Auxil. art. 10. diffic. 1. & 2. Nauarrete verò tom. 2. contr. 3. docet, ita diuinam voluntatem per cognitionem diuinam determinari, vt, manente eodem iudicio intellectus, neutiquam possit Deus non velle id, quod proponitur volendum. Quo etiam pacto philosophatur de voluntate creatâ controu. 10. per totam. Consentit Aluar. disp. 12. de Auxil. in secundo argumento: necnon Cabezudo, & Ledesma. Cæteri verò Theologi vnanimiter censent, non solùm cognitionem diuinam proponere Deo cum indifferentiâ omne obiectum creatum, siue creabile; verùm diuinam voluntatem ita secundùm se esse indifferentem ad vtrumuis, vt planè in potestate Dei positum sit, velle, aut non velle, prout sibi libuerit, causare, aut non causare creaturas: quin ad alterutrum eorum extremorum diuina ipsa voluntas sit prædeterminata aut per præuiam cognitionem, aut aliter. Nullum in speciali refero pro hac sententia; quia stant pro eâ omnes, præter Thomistas paucos commemoratos. Videantur plurimi apud Ruiz disp. 7. de Voluntate sect. 4.

Propositio 1.

Deus perfectissimè est liber non solum ad causandum, vel non causandum creaturas, sed etiam ad volendum, vel non volendum, eas causare.

Hæc propositio de fide est quoad vtramque partem. Eam probant imprimis omnia Scripturæ loca, in quibus Deo electio tribuitur. Electio quippe nequit sine libertate constare, vt est notum 1. ad Corint. 1. *Quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, vt confundat sapientes. Et infirma mundi elegit Deus, &c.* ad Eph. 1. *Sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Iacob. 2. *Non ne Deus elegit pauperes in hoc mundo, &c.* Deinde eadem veritas expresè traditur illis in locis, vbi diuinæ volitioni tribuitur effectus. Psalm. 134. *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit in Cælo, & in Terra.* ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult, indurat.* Et ad Corint. 12. *Diuidens singulis, prout vult.* Idest, *pro libero voluntatis arbitrio non pro necessitatis obsequio*, vt exponit Ambros. lib. 2. de fide cap. 3. Hanc enim arbitrij libertatem denotat hic loquendi modus, quo sæpissimè vtitur Scriptura, etiam ad significandam libertatem voluntatis humanæ, Ioan. 15. *Quodcunque volue-*

volueris, pete 1. Corint. 7. *Quod vult, faciat; cui vult, nubat.* Eccles. 15. *Ad quod volueris, porrige manum tuam.* Affinis huic est alius modus loquendi conditionatus. Eccles. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Esther 13. *Si decreuerit saluare nos, continuò liberabimur.* Iacob. 4. *Si Dominus voluerit, &c.* Præterea id ipsum probant ea loca, in quibus significatur, Deum plura posse, quàm fecerit. Si enim poterat facere, quod non fecit, non poterat non esse liber ad faciendum, & non faciendum. Sap. 11. *Non enim impossibilis erat omnipotens manus tua, quæ creauit orbem terrarum ex materiâ inuisâ, immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, &c.* Et tamen id non fecit. Math. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Quod non præstitit. Math. 19. *Apud Deum omnia possibilia sunt.* Nec tamen omnia fecit. Idem probant loca, quæ significant, Deum posse non facere, quæ fecit: quorum multa etiam reperiuntur in Scripturâ. Denique illa quæ diuinæ voluntatis consilio, ac determinationi tribuunt effectus. ad Eph. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Isaiæ 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare?* Sap. 11. *Quomodò posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Sap. 12. *Subest enim tibi, cùm volueris, posse.* Idem probant ea omnia loca, in quibus homines dicuntur esse in manu Dei, ipsius dispositioni subiecti, sicut lutum est in manu figuli. Eccles. 33. Isaiæ 45. Ieremiæ 18. ad Rom. 9. Necnon illa, in quibus Deo gratiæ aguntur propter beneficia collata, aut beneficia conferenda petuntur, aut Deus ipse, vel eius opera laudantur. Cuncta enim hæc (quibus sacra Scriptura scatet) palam supponunt, ac prædicant libertatem diuinam. Denique particulæ *forte, forsitàn* ad denotandam indifferentiam, & libertatem apponuntur. Sæpissimè autem referuntur ad voluntatem diuinam, cuius proinde indifferentiam, & libertatem denotant, vt videre est Exod. 19. & 33. Iosue 14. 1. Reg. 14. 2. Reg. 12. Math. 5. Actor. 8. & aliàs sæpe. Mitto plura.

54 Ex quibus omnibus liquidò constat, Deum non solùm esse indifferentem, & liberum ad operandum, sed etiam ad volendum operari. Imò id circo eum liberè operari: quia liberè vult operari. Id enim satis apertè præseferunt loca Scripturæ commemorata, ea præsertim, in quibus diuinæ voluntati, eiusque liberæ determinationi tribuuntur effectus, vt contra Aureolum vrgebimus quæstione sequente. Vnde aliud oritur dogma Catholicum à Sanctis etiam Patribus stabilitum, ab omnibusque Scholasticis Doctoribus traditum cum Magist. in 1. dist. 45. & S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 4. nempe, Deum ita operari liberè, vt non per naturam immediatè, sed per voluntatem operetur. De quo plura in sequentibus.

55 Secundò propositio nostra Catholica omnium Patrum, atque Scholasticorum Theologorum testimonio firmatur. Quos recensere operosum esset. Videantur plures apud Bellarm. lib. 3. de Grat. & liber. arbit. cap. 16. Et apud Ruiz disput. 7. citatâ sect. 2. 3. & 4. & disput. 8. sect. 1. & 2.

56 Tertiò ratione naturali potest propositio monstrari. Sitque prima ratio. Quia libertas in volendo, ac producendo res ad extra perfectio est simpliciter simplex, quæ melior est ipsa, quàm non ipsa. Ergo nequit non reperiri in Deo. Consequentia est bona iuxta doctrinam Anselmi receptam ab omnibus, à nobisque demonstratam tom. 1. disp. 16. quæst. 2. vt iam aliàs diximus. Antecedens autem constat. Quoniam, habere Deum dominium earum operationum tam internarum, quàm externarum, quas circa creaturas exercet, quod est liberum esse ad illas, ex se patet, esse quid perfectius, quàm esse Deum talibus operationibus addictum, eisque ex necessitate subiectum, ipsarumque subinde creaturarum indigum. 57

Secunda ratio sit. Quia, si bonitas creaturarum, finita cùm sit, & limitata, multisque scatens imperfectionibus, ad sui amorem efficacem, & necessarium diuinam raperet voluntatem, id certè aliunde prouenire non posset, nisi vel ex imperfectâ notitiâ, vel ex absolutâ indigentiâ, quam Deus talis bonitatis haberet. Quod tamen vtrumque ei repugnat. 58

Tertia ratio. Honestas actionum, ratione cuius redditur operans dignus laude, perfectio est maxima, dignissimaque Deo, adeò, vt per se appareat euidenter, huiusmodi perfectionem enti omnium perfectissimo, qualis est Deus, non posse deesse. Ecquis enim autsit negare, causam omnium primam non esse laude dignam in ijs, quæ facit: cùm multa causarum secundarum opera digna sint, quæ laudentur? Ast honestas sine libertate non potest esse, vt patet. Ergo nec possibile est, vt Deus non habeat libertatem. 59

Quarta ratio. Insitum est naturis hominum, atque adeò naturale, vt loquitur Tertull. in Apologet. cap. 7. in ærumnis Deum inuocare, eiusque opem implorare tum ad declinanda mala imminentia, tum ad consequenda bona desiderata. Eoque fine veluti naturæ instinctu nulla fuit vnquam, aut vsquam Gens, quæ non funderet preces ad eum, quem Deum putabat, aras extrueret, sacrificia offerret, vota nuncupatet, &c. At hæc prorsus frustanea essent, & importuna, si Deus non esset liber in operando, vt patet. Igitur, Deum liberum esse, vel in ipsâ hominum naturâ vt certa veritas insitum est. 60

Quinta ratio. Deus potest facere, quidquid non implicat contradictionem; quia est ens infinitum secundùm essentiam, atque adeò potentia eius est infinita: qualis non esset quidem, si aliquid efficere non posset; quod tamen fieri, non repugnaret. Sed plura sunt possibilia, quàm, quæ de facto fiunt, vt est ex se manifestum. Ergo plura potest Deus facere, quàm de facto fecit. Ergo est liber ad efficiendum illa, & non efficiendum. Confirmatur. Quia, si Deus operaretur ex necessitate naturæ, quidquid posset, faceret necessariò vbicunque, & quandocunque possunt illa fieri. Cùmque quodlibet in quolibet tempore possit existere, vt est notissimum: nihil esset, quod non inciperet priùs tempore, quàm incepit, & desineret posteriùs tempore, quàm desiuit, contra id, quod cernimus. Cùm etiam quodlibet in quolibet loco poni possit, vt etiam constat; cuncta existerent in omni loco, aut saltem non esset, cur vnumquodque in hoc potiùs, quàm in alio loco, collocaretur, loquendo saltem de illis entibus, quæ à causis secundis liberis non causantur. 61

Sexta ratio. Aut sunt in vniuersâ naturâ aliquæ causæ liberæ distinctæ à Deo, ac proinde ab ipso Deo creatæ. Aut nullæ causæ liberæ sunt.

si nullæ sunt. Sequitur planè nihil omnino posse esse contingens quoad suam existentiam; nihil denuo posse creari, &, quæ creata sunt, interire non posse, contra experientiam manifestam. Contingentia enim rerum, nouæq; earum productiones, & corruptiones ab aliqua tandem libertate debent prodire, saltem quoad determinationem. Si enim omnes causæ essent necessariæ quidquid semel possent, semper possent, semperque ad illud causandum determinatæ essent. De quo videri possunt, quæ diximus supra disput. 30. quæst. 18. Si autem aliquæ creaturæ potiuntur libertate; qui fieri poterit, vt earum Creator illâ careat: cum sit libertas perfectio absque imperfectione, vt n. 56. dicebamus?

62 Aliam denique rationem confecit S. Thom. 1. p. quæst. 19. art. 3. in hunc modum. Quæcunque Deus extra se amat, eatenus tantùm amat, quatenus illa ad suam bonitatem ordinantur tanquam ad finem. Ea autem, quæ sunt ad finem, tunc solùm amantur necessariò ab amante necessariò finem, quando talia sunt, sine quibus finis esse non potest. Ergo, quamuis Deus suam bonitatem necessariò amet vt finem proprium suæ voluntatis, creaturas verò nihilominùs non amat necessariò, sed liberè: quia illæ non sunt necessariæ ad perfectionem, aut existentiam talis finis; quamuis ad illum sint ordinabiles. Deus ergo in amore, & productione creaturarum nequit non esse liber. Hæc ratio in illam recidit, quam nos secundo loco adduximus.

63 Mitto alia argumenta Theologica, quibus ex principijs fidei libertas Dei multifariam monstrari potest. Hæc, quæ indicaui, nituntur solùm ratione naturali. Ex quibus patet, naturaliter demonstrabilem esse libertatem Dei. Quidquid refragentur Ocamus, & Gabriel in 1. distin. 43. quæst. 1. art. 2. Et quidem improbabiliter, vt notat Ruiz disput. illâ 7. citatâ sectione 4. num. 30.

64 Cæterùm contra libertatem diuinam, quam statuimus, sic potest primò argumentari. Deus non est peccabilis, vt tanquam fidei dogma statuemus disp. 33. quæst. 7. Ergo non est liber. Libertas enim sine potestate ad peccandum videtur subsistere non posse; vt indicant plures Patres apud Ruiz disput. 8. de Voluntate sect. 1. Dum vel inferunt, hominem ideò esse peccabilem; quia habet liberum arbitrium: vel disputantes contra hæreticos calumniatores Dei, quòd homines, & Angelos fecerit peccato obnoxios, docent, satius fuisse condidisse eos cum potentiâ, seu capacitate ad peccandum, quàm sine libero arbitrio: quasi hæc duo ex mente Patrum separari non possint. Respondet Ruiz, liberum arbitrium creatum cum capacitate ad peccandum essentialiter connexum esse, eo ipso, quòd est creatum: idque solum Patres intendere: secus verò liberum arbitrium increatum. Patres autem dumtaxat loqui de creato. Cæterum, quidquid sit de possibilitate creaturæ liberæ, & suâ naturâ impeccabilis; de qua videri possunt, quæ scripsimus tom. 1. disp. 18. quæst. 14. circa propos. 3. id apud omnes certum est, posse esse libertatem etiam in causâ creatâ sine potestate ad peccandum, saltem pro aliquo tempore, vel statu ratione alicuius adiuncti extrinseci, vt patet in Christo Domino, & in Beatis. Ex hoc autem manifestè consequitur, libertatem, & impotentiam ad peccandum non esse conceptus secundùm se incompatibiles in eâdem entitate. Benè ergo potuerunt esse coniuncti in Deo: idque non ab extrinseco, sed à naturâ. Vtrùm autem sit minor, vel potiùs maior libertas Dei, quam, si peccare posset, inferiùs examinabo q. 7.

Secundò obijcitur. Inclinatio Dei ad se communicandum creaturis infinita est, vtpote 65
nata ex infinitâ bonitate, quæ non potest non esse infinitè diffusiua sui secundùm doctrinam Dionysij commemoratam quæst. 5. num. 11. Sed creaturis se Deus communicat, illas volendo, & producendo. Ergo non potest non diuina voluntas cogi ad volendum creaturas producere ea infinitâ inclinatione. Ergo ad id non est Deus liber. Quemadmodùm ad se non amandum liber non manet; eo quòd à suâ infinitâ bonitate rapitur ad eius amorem; nec contra infinitam vim attractiuam boni infiniti cogniti potest se sistere. Distinguo maiorem. Inclinatio Dei ad se communicandum creaturis infinita est entitatiuè, & materialiter; concedo. Formaliter, & in ratione inclinationis; nego. Et, concessâ minore; nego consequentiam. Etenim Deus, quantumuis infinitè sit bonus, proportionaliter dumtaxat ad creaturæ bonitatem dicendus est formaliter inclinari ad se illi communicandum per ipsius productionem. Cùmque bonitas creaturæ nec Deo necessaria sit, nec quidquam emolumenti ad eius felicitatem, siue beatitudinem adferat: aliundeque neque ipsum, vtpote limitatæ, & finita, multisque scatens imperfectionibus ad sui amorem, & productionem infinitè mouere queat; quemadmodùm summa, & infinita bonitas diuina ipsum Deum infinitè mouet, & trahit ad amorem sui: non est, cur Deus ad se illi communicandum per productionem infinitè inclinetur, sed valde finitè & limitatè. Quantitas quippe inclinationis ad alterutrum ex extremis contradictionis non ex quantitate entitatiuâ rei, quæ inclinari dicitur, pensatur; sed ex maiori, vel minori recessu, quem habet ab æquabili indifferentiâ ad vtrumuis. Ex quo patet, exemplum, quod opponebatur, ad rem non esse. Nec refert, Deum, qua bonum infinitum est, infinitè sui diffusiuum esse. Iam enim diffusionem sui infinitam exercet ad intra in productione diuinarum personarum, adque proinde infinitam inclinationem, atque adeò summam necessitatem habet. Quo fit, vt diffusio ad extra, quæ supereft, finita, & arbitraria esse possit, & sit reuerâ à finitaque, & limitatâ nascens inclinatione. An verò à tantâ nasci possit, quanta sat sit ad inducendam necessitatem moralem ex dicendis disp. 32. quæst. 3. notum fiet. Vbi etiam constabit, quomodò Deus violentiam propriam sibi non inferret, etsi contrairet inclinationi se communicandi creaturis, nullam earum producendo.

Tertiò obijcitur. Deus se necessariò diligit 66
amore perfectissimo. Ergo per talem amorem efficaciter sibi vult omnia bona intrinseca, & extrinseca. Ergo non habet libertatem ad non volendum sibi efficaciter creaturas, quæ bona extrinseca sunt sibi; atque adeò illas non liberè, sed necessariò causat. Respondeo, quantumuis Deus nihil extrinsecum vellet sibi efficaciter, amaturum se nihilominùs amore perfectissimo. Pro quo satis habet boni intra se, quo sibi sufficientissimus, ac plenè beatus existit. Cætera enim pro nihilo sunt ipsi in ordine ad perfectionem suæ beatitudinis, & sui amoris. Tametsi illa liberè possint talem amorem terminare; quo ipse in perfectione intrinsecâ, & entitatiuâ non crescit

iux-

iuxta doctrinam tradendam quæst. sequente. Ex qua etiam constabit, licèr Deus actus suarum virtutum necessariò amet quoad entitatem, quo pacto eius intrinsecam perfectionem adæquant; quoad denominationem verò liberè eos amare; quia vt sic non augent intrinsecam eius perfectionem. De quo plura infra venient dicenda disput.33. Mitto aliâ leuiora, quæ quisque ex dictis,& dicendis facilè soluet. Quomodò autem cùm libertate immutabilitas Dei cohæreat q.5. declarabo.

Propositio 2.

67 Absque indifferentiâ voluntatis diuinæ nullatenùs diuina libertas constare potest; quantumuis indifferens sit cognitio proponens obiectum.

Hæc propositio eisdem argumentis venit probanda contra Bann. & suos, quibus supra disput.30. quæst.10. latè probauimus, cum prædeterminatione physicâ neutiquam posse componi libertatem creatam, quantumuis maneat ex parte intellectus indifferentia cognitionis. Eadem enim est ratio, quod ad rem attinet, de libertate diuinâ,ac de creatâ. Imò in diuinâ plùs prement argumenta dicta. Quia voluntas diuinâ, non per qualitatem sibi accessoriam, vt creata, sed à naturâ, aut per aliquid identificatum secum dicenda erit prædeterminari ab ijs, qui illam non indifferentem, sed prædeterminatam esse posuerint. Cum quo prædeterminationis genere impossibilius adhuc erit,libertatem componere, quàm, cum prædeterminatione accessoriâ. Hinc eisdem etiam argumentis venit monstrandum contra Nauarrete,& sequaces, nequaquam posse Dei voluntatem manere liberam, si per præuiam aliquam cognitionem prædeterminetur ad suum actum. Vniuersaliter enim, quoties voluntas, quæcunque ea sit, per aliquid spectans ad potentiam proximam actus ita ad actum ipsum manet determinata, vt nequat cum tali proximâ potentia omissionem actus componere, neutiquam ad talem actum libera manet, sed prorsus necessitata ad illum, vt vniuersè demonstrauimus dicta disput. 30. quæst.5. proposit. 11. De quo plura videri possunt tum in totâ eâ disputatione, tum etiam apud nostros Doctores, præsertim apud P.Did. Ruiz tom.de Scientiâ, & voluntate, vbi de hac re latissimè omnium scripsit. Itaque diuina voluntas, suppositâ quauis cognitione, qua ad volendum efficaciter quidlibet creatum dirigitur, ita ad volendum manet indifferens, vt ipsa se ipsam ad vtrumlibet, prout sibi arriserit, valeat determinare: componendo videlicet secum cum totâ suâ potestate ad volendum, ad quam spectat dicta cognitio, tum volitionem, tum volitionis contradictorium,prout sibi placuerit. Hoc namque ad eius libertatem omnino necessarium est. Quo præfatorum Thomistarum sententiæ omnino manent reprobatæ. Vt eas abs dubio varijs in locis reprobat S.Tho. præsertim, dum rem nostram tractans 1.p.quæst.19.art.3. in resp.ad 5. ait. *Voluntas diuina, quæ ex se necessitatem habet, determinat se ipsam ad volitum, ad quod habet habitudinem non necessariam*. Quem locum versans Ferrarien.lib.1. contra Gent. cap. 22. §. *Sed tunc aliud*, ait. *Voluntas diuina non determinatur ab aliquo, cùm sit agens liberum, sed ipsa se determinat per modum efficientis, siue producentis actum ad tale obiectum terminatum*. Consentit Capreolus in 1.dist.45. quæst.1.art.2. dum agens de libertate diuinâ ait. *Dico ergo, quòd voluntas, quantum ad exercitium actus sui, vt velit, vel non velit,determinatur à se ipsâ: & illud, quo se ad hoc determinat, est actus eius determinatus, &c.* Hæc retuli,vt videas, quàm longè Primores, atque antiquiores Thomistarum abfuerint à prædeterminatione, quam postea ex Bannez Nouiores inuexerunt. Sed de hoc etiam plura iam diximus disp.& q.citatis.

Propositio 3.

Deus non solùm est liber ad eligendam creationem harum potiùs creaturarum,quàm aliarum, in hoc potius tempore, quàm in alio exequendam: quæ libertas cum necessitate aliquas creaturas in aliquo tempore creandi posset componi, Sed etiam est liber ad nihil omnino extra se per totam æternitatem producendum. 68

Hanc propositionem proximè ad certitudinem fidei, dicit, accedere, Ruiz disput.8. de Volunt. sect. 4. quia ex fidei principijs colligitur efficaciter. Ego verò directè,& immediatè esse illam de fide existimo, vtpote non obscurè contentam in ijs Scripturæ locis, quibus absolutè dicitur, fecisse Deum omnia, quæcunque voluit. Et ipsi omnia esse possibilia. In manu eius, & in ditione eius cuncta esse posita. Et ipsum vniuersorum Dominum esse. Istæ enim, & similes loquutiones pleniſſimam Dei potestatem ad faciendum, quidquid voluerit, ad nihilque faciendum, si vellet, videntur denotare. Maximè, cùm in hoc sensu Patres videantur accepisse Scripturam, dum in huiusmodi dogma vnanimiter conspirarunt, iuxta illud Iustini quæst. 2. Christiana ad Gentiles initio. *Quisquis possibile negat, Deumesse, qui nihil fecerit, absurdè loquitur.*

Idem etiam dogma probant apertè testimonia Scripturæ, & Patrum, quæ prædicant, Deum nullius creaturæ extra se indigentiam habere, quale est illud 2. Machab. 14. *Tu Domine vniuersorum, qui nullam habes indigentiam*, & alia quæ tom.1. disp.4.quæst.2. recitauimus. Nam vt egregiè ratiocinatur August. lib.83.qq. quæst. 22. & lib.1. contra aduersarium legis cap. 7. ad finem. *Vbi nulla indigentia, nulla necessitas; vbi nullus defectus, nulla indigentia; nullus autem defectus in Deo; nulla ergo necessitas*. Puta creandi aliquid extra se. 69

Id etiam probant rationes aliquæ adductæ pro primâ propositione præsertim 1. 2. 3. & vltimâ, quæ est S. Thom. Libertas quippe ad nihil extra se producendum perfectio est Dei simpliciter simplex: cui bonitas limitata creaturæ Deo non necessaria, ab ipsoque perfectè cognita nihil potest detrahere. Est etiam talis libertas radix maioris honestatis, qualis Deo decet, in ijs, quæ producenda eliguntur. Cùm sit libertas plena,& non dimidiata ad ea cum cæteris omnibus omittenda, &c. 70

Pro-

Propositio 4.

71 In Deo non potest non esse libertas contradictionis, siue potentia contradictionis, vt loquuntur alij, supposito, quòd liber est.

Ita contra Caiet. 1.p. quæst. 19. art. 7. fine docent Vazq. disp. 79. num. 16. Valent. quæst. 19. punct. 4. assert. 3. cum Scoto, & alijs. Reque ipsà videtur consentire Ruiz disp. illà 7. citatà sect. 8. licèt discrepet in modo loquendi. Ratio autem propositionis est; quoniam libertas contradictionis potissima est omnium libertatum, & sine illa nulla libertas constare potest. Vt enim satis constat ex iam traditis supra disp. 30. quæst. 1. 2. & 3. libertas actus primi vniuersè aliud non est, quàm potentia proxima ad eligendum inter extrema proposita. Dicitur autem libertas contradictionis, quando extrema, inter quæ optio datur, contradictoria sunt. Libertas autem contrarietatis, quando sunt extrema contraria. Quando verò extrema non sunt opposita, libertas eligendi inter illa nondum nomen sortita est. Quocirca libertas anonyma dicenda venit, prout dicta quæst. 3. statuimus. Cùm igitur, eligere inter extrema posita, sit, vnum eorum assumere, relicto alio, consequitur planè, esse impossibile, vt quis potentiam habeat eligendi inter extrema contraria, vel non opposita sine potentiâ ad assumendum, & relinquendum, seu non assumendum quoduis eorum. Quod est, nullam aliarum libertatum sine libertate contradictionis consistere posse. Imo quamlibet cæterarum ex duplici libertate contradictionis necessariò componi; e.g. potestas ad eligendum inter amorem, & odium absque potestate ad amandum, & non amandum, & potestate ad concipiendum, & omittendum odium constare nequit. Vnaque subinde libertas contrarietatis ex duabus contradictionis non potest non composita esse. Liquet ergo, supposito, quod Deus tam in volendo, quàm in causando liber est, non posse non illum habere libertatem contradictionis tum ad causandum, & non causandum, tum etiam ad volendum, & non volendum.

72 Quomodò autem cum libertate contradictionis ad volendum, & non volendum idem obiectum componi possit, vt nulla realis, & intrinseca formalitas Dei reuerà defectibilis sit, pendet ex constitutione volitionis Dei liberæ, de qua agendum quæst. 4. Nec, quòd formalitas nulla Dei defectibilis sit, potentia contradictionis loquendo propriè neganda est Deo, vti illam negat Ruiz num. 5. & 6. Nam, qua proprietate est verum, Deum esse liberum ad volendum, & non volendum, eadem verum est etiam habere potentiam ad contradictoria, qualia sunt velle, & non velle. Nec potentia contradictionis maiorem, quàm libertas ipsà, à qua non distinguitur, fert secum mutabilitatem, vt prætendebat Caiet. Libertatem autem diuinam cum eius immutabilitate rectè componi constabit ex dicendis quæst. 6. Vtrùm autem libertas contradictionis, quam Deus habet, sola aliquando exerceri possit ab ipso, ita, vt diuina voluntas purè omissiuè se habeat, q. 5. examinabitur.

73 Hìc quæri solet, an volitio libera Dei contingens appellari possit. Affirmant Vazq. supra, Bellarm. lib. 3. de liber. arbit. cap. 17. Salas 1. 2. tract. 3. disp. 1. sect. 7. num. 84. cum Scoto, Gregorio, Ochamo, Gabriel, & alijs. Quia contingens est, quod ita est, vt potuerit non esse. Negant Bann. 1. p. quæst. 14. art. 3. dub. vlt. Aluarez disput. 27. de Auxil. Ferrar. lib. 1. contra Gent. cap. 67. cum Alberto, Alexandro, Caietano, Quibus annuunt Molin. 1. p. quæst. 14. art. 13. disp. 10. & Soar. disp. 30. Metaph. sect. 16. n. 43. Quoniam contingentia indifferentiam sonât mutabilitati subiectam; qualis non est indifferentia diuinæ volitionis. Verùm quæstio hæc, vt appareat, de modo loquendi est. Vterque autem modus ex dictis videtur locum suum habere in vsu communi. Quare neque reprobandus videtur, qui contingentem esse, affirmat, volitionem diuinam, neque qui negat. Quia primus iuxta primum, secundus iuxta secundum sensum censendus est loqui. Ex dictis infertur, in Deo dari libertatem, quam appellant quoad exercitium; quia libertas quoad exercitium nihilo differt à libertate contradictionis, vt etiam diximus loco citato.

Propositio 5.

74 Libertas etiam non contradictionis reperitur in Deo tam ad volendum, quàm ad causandum.

Nomine libertatis non contradictionis libertatem contrarietatis, & alteram anonymam complector, de quibus mentionem feci num. 71. Quo sensu accepta propositio certissima est. Quia libertas non contradictionis nihil est aliud, quàm potestas ad eligendum inter extrema non contradictoria, quæcunque illa sint. Constat autem ex dictis, Deum potestatem habere ad producendam vnam creaturam, relictâ aliâ, siue hæc sit contraria priori, siue non contraria; quæ est libertas non contradictionis ad causandum. Tum potestatem habere ad concipiendum vnum decretum, non concepto alio aut contrario, aut non contrario priori; quæ est libertas non contradictionis ad volendum. Ex quo patet, etiam habere Deum libertatem, quam vocant quoad specificationem. Quia libertas quoad specificationem pars quædam est libertatis non contradictionis. Est enim potestas ad eligendam inter extrema non contradictoria specie diuersà, siue ea sint contraria, siue non contraria. Cùm tamen libertas non contradictionis electionem insuper inter extrema non contradictoria solo numero distincta amplectatur. Recognosce cæteras omnes diuisiones libertatis actus primi traditas disp. illà 3. citatà. Facile enim deprehendes, eis benè perspectis, vtrùm ipsarum omnia membra in Deo reperiantur. Et qualiter.

Propositio 6.

75 Libertas actus secundi aut causandi, aut volendi, quo Deus reuerà causat, & vult causare, sine aliqua libertate actus primi ipsi etiam Deo conuenienti nullatenus constare potest.

Hæc propositio ita vniuersim sumptâ omnino certa, & euidens est; à nemineque negatur ne-

neque turò negari potest. Quia, esse Deo liberum actum secundum producendi creaturam, atque etiam actum secundum volendi creaturam producere, vti fides docet, nihil est aliud, quàm Deum ita producere creaturam potens producere, vt possit quoque non producere; & ita velle potens velle, vt possit quoque non velle. Quod est, habere eum aliquam libertatem actus primi ad producendum, & non producendum; ad volendumque, & non volendum. Actus enim primus in vniversùm nihil est aliud, quàm potentia; & libertas actus primi aliud non est, quàm potentia proxima indifferens ad vtrumlibet, vt constat, & disp. 30. sæpe citatà explicatum, probatum, & repetitum est.

Propositio 7.

76 **Impossibile est, Deum esse liberum in actu primo ad volendum, & non volendum aliter, quàm per potentiam causatiuam aliquo modo huius, quod est, velle, aut non velle.**

Hæc etiam propositio certa mihi, & euidens est: à nemineque reipsà videtur posse negari; licèt in modo explicandi causationem huius, quod est, velle, aut non velle, possit esse dissidium: de quo quæstione sequente. Demonstro ergo propositionem primò. Quia Deus nullatenus potest intelligi liber in actu primo ad volendum, & non volendum, nisi intelligatur potens ad ponendum, vel non ponendum in naturà rerum hoc, quod est, velle; siue ad faciendum, quòd existat illud, vel non existat, prout sibi libuerit: hoc enim est, habere Deum in suà potestate, in suo dominio, in suo nutu, & voluntate existentiam huius, quod est, velle; in quo consistit formalissimè, esse eum liberum ad volendum. Sed potentia ad faciendum, quòd existat hoc, quod est, velle, nequit non esse aliquo modo causatiua eius: quia facere, quod existat aliquid, quod potuit non existere, nequit non esse causare illud aliquo modo, vt notum est. Ergo.

77 Secundò. Hoc, quod est, Deum velle creare Mundum, ita est in rerum naturà, vt potuerit non esse; alioquin illud neque esset contingens, neq; liberum, corrueretque tota libertas Dei ad volendum. Ergo hoc, quod est, Deum velle creare Mundum, ab alio tanquam à causà existentiam habet. Compertum est enim, quidquid contingenter existit, ab alio tanquam à causà debere existere. Sed, nisi existeret à Deo, nentiquam esset Deo liberum, neque imputabile: quia nulli imputatur, quod ipse nullo modo agit, quantumuis ipse per illud multis modis denominetur. Ergo, vt Deus sit liber ad volendum, & hoc, quod est, velle, ipsi imputabile sit, non potest non ipsemet aliquo modo causa esse, vt hoc, quod est velle, existat in naturà rerum.

78 Tertiò. Potentia nullo modo causatiua sui actus nullatenus respectu eius potest libera esse, vt ipse conceptus libertatis satis apertè præfert: & in confessò apud omnes, omninoque indubitatum est. Imo verò non vtcunque, sed in genere efficientis debet esse causatiua potentia libera, nec sufficit ad libertatem esse eam causam passiuam, vt satis significat Trid. sess. 6. can. 4. dum, vt libertatem adstruat arbitrij humani, definit, eum non merè passiuè se habere, sed Deo vocanti cooperari, aperte insinuans, atque supponens, nullatenus esse possibilem libertatem absque effectiuo concursu potentiæ liberæ. Id quod communiter sentiunt Theologi, & Philosophi: imo & Hæretici damnati à Concilio supponunt negantes voluntati nostræ influxum actiuum, vt consequenter ei possent negare libertatem. De quo plura sunt dicta à nobis supra disp. 30. quæst. 4.

Stat itaque, potentiam, qua Deus in actu primo constituitur liber ad volendum, non posse non esse porentiam aliquo modo productiuam huius, quod est, velle. Ex quo patet, Deum non per potentiam ad volendum vtcunque constitui liberum in actu primo; sed per potentiam ad volendum vt productiuam aliquo modo volitionis cum indifferentia. Vnde infero primò, potentiam, qua Deus in actu primo constituitur liber ad volendum, & non volendum, nullatenus posse esse potentiam logicam, sed physicam esse debere: quia potentia logica nullatenus est productiua. Secundò infero, doctrinam traditam à nobis quæst. 2. de principio virtuali diuinæ volitionis ex præsenti propositione non parum confirmari. Tertiò inferam quæstione sequente, volitionem Dei liberam aliquam contingentiam saltem virtualem debere sortiri independenter à connotato extrinseco, nec per huiusmodi connotatum vllatenus compleri posse in ratione volitionis liberæ. De quo ibi plura. 79

His ita stabilitis de existentiâ libertatis Dei Metaphysicæ, quæ sola absolutè, & simpliciter appellatur libertas. De morali sequebatur stabiliendum, an etiam reperiatur in Deo. Verùm de hac commodiùs agetur, postquàm de naturâ libertatis diuinorum actuum egerimus. 80

QVAESTIO IV.

Qua ratione volitio diuina libera sit.

81 STatuimus quæst. præcedente vt dogma certum secundùm fidem, primam omnium causarum Deum causam liberam esse, neque ex necessitate operari, quæcunque extra se operatur, sed liberè. Idque non immediatè per naturam, sed per voluntatem. Ita quidem, vt Deus, non solùm sit liber ad producendum ad extra, & non producendum, sed etiam ad volendum producere, & non volendum. Imo idcirco eum ad extra liberè operari; quia liberè vult operari. Ex quibus eximia illa, & nunquam plenè superata difficultas enascitur explicandi libertatem diuinam. Nam ex vnà parte volitio libera Dei realiter ab ipso Deo distincta esse non potest: quia esset quid creatum, & imperfectum diuinæ simplicitati repugnans. Ex aliâ verò parte, si sit idem cum Deo, non videtur posse esse libera, sed tam necessaria, quàm Deus ipse. Hæc vt componerent Theologi, enixè hactenus insudarunt, atque in sententias varias distracti sunt; sed quarum nulla plenè satisfacit iuditio etiam sectatorum. Quippe mysterium hoc ineffabile est: nec plenè à nobis pro hoc statu perceptibile. Igitur in re adeò implexa viam nouam aperire, non satagam, sed per magis tritam incedere,

cu-

curans nimirum, quantum fas sit, eius salebras, & offendicula cunctis iam nota tantillum, quoad fieri poterit, complanare. Quare, reiectis cæteris opinionibus, eam amplectar, quæ & expeditior, & dignior Deo, & communior etiam apud Theologos visa fuerit. Illam nihilominùs interim illustrando nouâ aliquâ explicatione, fortasse non prorsus ingratâ.

82 Ad quinque igitur capita reduci possunt omnes opiniones possibiles de libertate Dei. Primùm enim opinari aliquis posset, diuinam volitionem liberam distinctam esse reuerâ à diuinâ substantiâ; vti à substantiâ animæ nostræ distinguitur nostra volitio; ita quidem, vt diuina voluntas, sicut & nostra, physicè suum volendi actum produceret; idque indifferenter & liberè; cum posset ab eius productione abstinere, ipsumque actum volendi physicè omittere. Ita opinatus est Vorstius quidam hæreticus Caluinista, teste Becano 1.p.cap.11. de Voluntate Dei q. 4. dicens, decreta libera Dei verè esse accidentia realia eius distincta à diuinâ substantiâ, ab eaque contingenter producta, imo & in tempore.

83 Secunda sententia est Aureoli in 1. dist. 40. art.1. propositi.1. & 2. & dist. 46. art. 2. propositi.2. & 3. & dist.47. quæst.1.art.1.§.*Ex præmissis*, & propositi.3. & seqq. & art.2. enixè contendentis, in Deo nullam esse voluntatem liberam efficacem; sed tantùm complacentiam necessariam tam de se ipso, quàm de creaturis. Deum enim propriè non esse liberum in volendo, sed tantùm in producendo ad extra creaturas. Quas quidem producit liberè; non quia efficaciter id velit; sed quia potestatem habet producendi, & non producendi, eâ ratione, qua voluntas nostra suam volitionem producit liberè; non quia illam velit per volitionem aliam, sed quia ita illam producit, vt posset non producere. Qui causandi modus sufficiens est, inquit Aureolus, vt Deus voluntariè dicatur producere ad extra, imo & voluntate producere; non quia productio externa ab aliqua volitione procedat determinante omnipotentiam; sed quia hæc indifferenter operatur cum dominio quodam operationis, & potestate, ad non operandum. Hæc mens Aureoli: cui plurimum fauere Vazq. Arrubal. Herice, & alios referendos pro quartâ sententiâ putat Ruiz de Volunt.disp.11.sect.1.num.3. & alij. De quo nos infra iudicium feremus.

84 Tertia sententia est eorum, qui existimarunt, decretum Dei liberum supra necessariam volitionem, qua se Deus amat, addere aliquid reuerâ cum ipso Deo identificatum; sed quod potuit tamen deesse, & cum Deo non identificari ab æterno pro arbitratu eius, etsi, postquàm semel fuit, deesse iam nullo modo possit. Hujus sententiæ sunt Caiet.1.p. quæst.19. art.2. & 3. & 3.p. quæst.1. art. 1. (quidquid in oppositum censeat Ioan. à S.Thom. 1.p.quæst.19. disp. 4. art.4. cum Nazar. & alijs Thomistis), Fonseca tom.3. Meth. lib. 7. cap.8. quæst.4. sect.4. & 5. & quæst. 5. sect.4. & Salas 1.2.quæst.6. art.3.disput.1. sect.8.§.7. num. 101. Sed cum hoc discrimine, quòd Caiet. prædictum additamentum vocat perfectionem Dei liberam, qua Deus, non quidem intensiuè, sed extensiuè perficiatur; quam, inquit, nihil obest, potuisse non esse in Deo, quia est perfectio secundùm quid, siue cum addito diminuente, hoc ipso, quòd est libera. Fonseca verò ægrè fert modum loquendi Caietani; asserit-

que additamentum supradictum nullatenus esse perfectionem, sed extensionem quamdam, seu modum diuinæ perfectionis, amoris scilicet Dei necessarij. Salas autem adhæret opinioni Fonsecæ. 85

Hanc sententiam à reliquis Theologis explosam, & iam penè obliuioni traditam multi, & grauissimi Recentiores cum quibusdam reformationibus modò amplectuntur. Dicunt enim quidam, actum liberum Dei, siue, vt ipsi vocant, terminationem liberam formalitatem quamdam veram, & realem esse identificatam cum Deo, distinctam tamen virtualiter intrinsecè ab essentiâ diuinâ, & nullam in suo conceptu præciso dicentem perfectionem, neque imperfectionem. Non perfectionem: quia solùm perficitur perfectione essentiæ, siue actus necessarij Dei. Non imperfectionem: quia esse defectibile, in eo solùm est imperfectio, cuius perfectio per ipsius defectibilitatem est defectibilis. Quo fit, vt terminatio libera Dei ex vnâ parte sit defectibilis, quin aliqua Dei perfectio sit defectibilis, ex aliâ parte sit identificata cum Deo, quin aliquid dicens imperfectionem sit cum Deo identificatum. Esse autem defectibilem vnam formalitatem Dei, quin eius essentia, & cæteræ formalitates necessariæ, cum quibus illa est idem realiter, sint defectibiles, non maiorem difficultatem habere, quàm esse producibilem filiationem Verbi diuini, quin essentia, & cæteræ formalitates toti Trinitati communes, cum quibus filiatio est idem realiter, sint producibiles. Vt enim in Deo propter suam infinitatem satis est ad secundum, quòd filiatio ab essentiâ, & reliquis formalitatibus communibus virtualiter distincta sit; ita & ad primum est sufficiens, quòd terminatio libera ab essentiâ, & reliquis formalitatibus necessarijs sit virtualiter distincta.

Alij, non ferentes actum Dei liberum præcisè vt talem omni perfectione propriâ carere, 86 vt cuncta componerent in varios dicendi modos abierunt. Dicunt itaque aliqui, disiunctum duorum actuum oppositorum, respectu quorumdumtaxat, vt supponunt, est libertas in Deo, vnicâ solùm perfectione gaudere, non petente ad suam existentiam vnum, aut alterum talium actuum determinatè, sed alterutrum sub disiunctione. Hoc enim pacto censent componi, quòd quilibet actus Dei existens perfectionem dicat in suo conceptu, & nihilominùs verè, & realiter sit defectibilis per subrogationem oppositi, quin aliqua diuina perfectio defectibilis sit: perfectio enim, quam modò habet volitio efficax Mundi, eadem numero etiam esset existens, si Deus, vt potuit, loco talis volitionis oppositam nolitionem eligeret. Hæc cogitatio fuit P. Aldrete, quam tangit disput.3. de Incarnat. sect.1.num.5. & latè tradiderat, atque illustrauerat in Tract. de Volunt. Dei manuscripto.

Aliqui verò alij duo signa considerant, alterum indifferentiæ voluntatis diuinæ in actu primo: alterum determinationis per actum secundum seu volitionis, seu oppositæ nolitionis. Et in primo signo dicunt, tam volitionem, quàm nolitionem indifferentem esse, vt sit in signo posteriori vel quid diuinum, atque adeò habens perfectionem in se, vel chymæra, atque adeò omni perfectione carens. Si enim Deus eligat volitionem, iam hæc in secundo signo erit quid identificatum cum Deo, perfectum, & iam prorsus indefectibile, indefectibilitate tamen consequente, quæ non opponitur libertati, nolitioque opposita

crit

erit quid non identificatum cum Deo, iam penitus impossibile; atque adeò chymæricum, & perfectione destitutum impossibilitate scilicet consequente, quæ neque libertati opposita est.

88 Alij, supponentes, contradictorium formale volitionis esse nolitionem oppositam, rursus supponunt, deficere rem, aliud non esse, quàm, transire in identitatem cum suo contradictorio. Aliud enim non esse, deficere rem, quàm, rem esse nihil; remque esse nihil, non esse aliud, quàm, rem cum nihilo identificari. Sicut, (suppositâ indistinctione reali existentiæ rei ab eius essentiâ), rem esse existentem, aliud non est, quàm, rem identificari cum existentiâ. Ex quibus inferunt, quando deest volitio diuina, transire in identitatem cum nolitione sibi oppositâ tunc existente; & è conuerso: atque ita volitionem diuinam cum suâ perfectione & liberam, & indefectibilem esse. Liberam quidem: quia potest, transeundo in identitatem cum nolitione sibi contradictoriâ, non reddere Deum volentem. Indefectibilem autem: quia non potest deficere, quod non potest non manere identificatum cum aliquo existente.

89 His adiungendus venit modus dicendi, quem proponit Ribaden. disp. 17. de Volunt. (sine pleno tamen assensu), dicens, actum liberum siue intellectus, siue voluntatis diuinæ consistere in habitudine, seu terminatione non necessariâ Dei ad obiectum, quæ neque simpliciter distincta est ab entitate Dei necessariâ, neque simpliciter identificata cum illâ, sed ante operationem intellectus ab eâ entitate distincta distinctione diminutâ, & cum eadem entitate identificata diminutâ identitate. Vocat autem diminutè distincta, & diminutè identificata ea extrema, quæ, cùm simpliciter non sint vnum, & idem, ita se habent, vt neque propriè sint multa, neque constituant numerum; vti, inquit, se habent materia, & priuatio formæ iuxta sententiam asserentem, talem priuationem esse nihil; vti se habent modus & res, cuius est modus, iuxta sententiam Durandi dicentis, modum non esse hoc, aut aliquid, sed huius, aut alicuius; & vti in sententiâ de transcendentiâ se habent prædicatum, quod transcenditur, & prædicatum transcendens. Vnde ait, huiusmodi terminationes Dei liberas non posse sumi in abstracto, prout his verbis solent significari *Volitio, Scientia*, sed necessariò debere sumi in concreto, si concipiantur, vt postulat earum quiditas, sic *Deum velle, Deum scire*. Multaque alia adiungit hic Auctor ad huius suî cogitationis explicationem. Quorum aliqua tangemus infra, dum illam reijciamus.

90 Quarta sententia, & satis communis est asserentium, decretum Dei liberum esse ipsum amorem Dei necessarium, non quidem nudè, & præcisè spectatum, (quo pacto liber esse non potest), sed cum addito cuiusdam connotationis, seu denominationis extrinsecæ, vel semiextrinsecæ desumptæ ab obiecto, ab aliquove alio ente creato prout existente, seu futuro in suo tempore, quæ denominatio pro arbitratu Dei potuit non esse, vti & connotatum ipsum, à quo desumitur. Sententiam hanc plures, & graues Theologi sequuntur. Vazq. 1. parte disp. 80. cap. 2. Arrub. disput. 54. cap. 3. 4. & 5. Turrian. opuscul. de Volunt. Dei disp. 2. dub. 4. Herice disput. 16. cap. 10. Basil. legion. 1. p. Variarum quæst. 6. scolast. cap. 5. Fasolus 1. p. quæst. 14. art. 3. num. 52. & clariùs num. 56. & seqq. Gillius lib. 2. tract. 8. cap. 9. Alcar. tract. 3. de Volunt. disput. 4. cap. 8. Granad. de Volunt. tract. 3. disp. 5. sect. 3. Hemelman. 1. p. tom. 1. tit. 7. disput. 3. cap. 6. Auersa quæst. 19. sect. 11. Francis. Amico 1. parte disp. 14. sect. 3. Recupit. tom. 2. tract. 2. quæst. 9. Pasqualig. de Deo disp. 32. sect. 9. Cursus Theolog. 1. par. disp. 14. sect. 3. Quiros tom. 1. de Deo disp. 59. sect. 5. & disput. 60. Vekenus de Deo disput. 22. cap. 5. & disp. 23. cap. 3. & alij plures apud ipsos, & apud Ruiz tom. de Volunt. disput. 11. sect. 3. Verùm non omnes eâdem ratione rem explicant. Nam quidam, consentes vniuersè, denominationes extrinsecas, vel semiextrinsecas aliquem respectum rationis importare in suo conceptu formali iuxta doctrinam à nobis traditam in Pharo Scient. disput. 12. quæst. 3. dicunt, decretum Dei liberum supra volitionem necessariam addere respectum rationis ad extrinsecum connotatum. Ita Vazq. cum Capreolo, Deza, Ferrar. Zumel, Bann. Medina, & Molina relatis à Ruiz supra. Alij per connotationem, seu denominationem realem Dei decretum complent, ita quidem, vt illud in recto dicat volitionem Dei necessariam, in obliquo autem creaturam, quæ connotatur existens extra Deum; scilicet quia pariter philosophantur de cæteris denominationibus extrinsecis, vel semiextrinsecis. Hi tamen duo modi dicendi quoad decreti realitatem non differunt. Vterque enim ponit, conflari illam à parte rei ex volitione Dei necessariâ, & ex extrinseco, contingenteque connotato: nisi quòd primus addit, talem volitionem in recto, & tale connotatum in obliquo, qualiter ad decreti constitutionem pertinent, sine aliquo respectu rationis à nobis concipi non posse. Quod ipsum, & non aliud est, decretum in suo conceptu formali talem respectum importare. Vnus Basilius contra reliquos huius sententiæ Auctores dixit, illud extrinsecum, quo completur decretum non in obliquo, sed in recto intrare ad decreti constitutionem. Iam verò connotatum extrinsecum, & contingens complens decretum, aliqui indistinctè pronunciant, vel supponunt, esse ipsum decreti effectum. Alij vt Arrubal, Turrianus, & Herice, dicunt esse actionem, mediâ qua effectus fit. Addunt Quiros disput. 63. & alij Recentiores, connotatum constituens volitionem Dei liberam aliud quid creatum à talis volitionis liberæ obiecto valde distinctum posse esse. Quo pacto, stando in hac sententiâ, componitur, posse Deum habere volitiones liberas simplices etiam de obiectis necessarijs; tum volitiones absolutè liberas de obiectis conditionatis, aliasque huiusmodi, quarum obiecta ad earum libertatem variabilitatem sufficientem nequeunt inducere.

91 Etenim omnes huius sententiæ Auctores consequenter affirmant, sine vllâ variatione ad extra neutiquam posse in Deo volitiones liberas variari. Neque enim dici potest Deus aliquid velle nunc liberè, quod potuit non velle, aut taliter velle, qualiter potuit non velle, nisi reipsâ detur nunc aliquid extra Deum, quod non daretur, casu, quòd Deus illud absolutè non vellet, aut taliter non vellet, vt potuit. Contradictoriæ enim enuntiationes de Deo pro diuersis casibus verificari nequeunt, nisi aliqua in rebus pro talibus casibus detur variatio, vt constat. Cùmque intra Deum talis variatio dari non possit, vt ista sententia supponit, necesse est, vt detur extra.

92 Porro volitio necessaria, quæ à connotato extrinseco contingenter superueniente euadit alicuius obiecti volitio libera, iuxta plerosque commemoratos Auctores ea est, qua Deus sese ipsum amat. Iuxta aliquos verò ea, quæ Deus idem obiectum amat necessariò vt possibile. Iuxta Granad. autem & Hemelman ea, qua, vt ipsi putant, Deus necessariò, & efficaciter amat sub disiunctione ipsius obiecti existentiam, vel negationem eius.

93 Huic sententiæ complenti volitiones Dei liberas per connotata extrinseca temporalia affinis est, proindeque reducenda ad eam, sententia quorundam, qui putantes, volitiones æternas, quales diuinæ etiam liberæ necessariò asserendæ sunt, per temporalia connotata nequaquam constitui, siue compleri posse, connotata æterna excogitauerunt. Alij enim per negationes quasdam æternas, & contingentes, censent ab æterno compleri tanquam per connotata extrinseca volitiones liberas Dei. Ita philosophatur Lynce in suo cursu Philosophico lib. 7. Metaph. tract. 9. cap. 10. Vbi supponit, actum voluntatis diuinæ intrinsecum Deo, & necessarium, quantùm ex se est, volitionem esse omnium volibilium, & nolitionem omnium nobilium, vt tamen denominet Deum volentem, aut nolentem aliquod obiectum ab ipso Deo distinctum præ alijs, aliquam requirere conditionem etiam à Deo ipso distinctam. Quo posito, ait, conditionem requisitam, vt Deus denominetur volens Mundum negationem quamdam esse nolitionis Mundi; non qua hæc absolutè destruatur, cùm sit prorsus indestruibilis, vtpote identificata cum Deo; sed qua destrueretur, si destruibilis esset: quam proinde negationem conditionatam, aut virtualem appellat: estque contingens, ab æterno posita pro arbitrio Dei. Oppositaque negatio volitionis Mundi posita fuisset, si Deus ab æterno nolens Mundum fuisset, vt potuit. Similiterque in cæteris similibus casibus censet philosophandum.

94 Alij verò quasdam veritates obiectiuas excogitarunt, & adstruunt à Deo, & à creaturis distinctas, & contingentes, sed necessariò æternas, quæ nec sunt entia, nec negationes entium, nec purum nihil, sed medium quid: quarum conceptus obiectiuus, & munus vnicum est determinare actus internos, & necessarios voluntatis, & intellectus diuini ad hoc, vt denominent, siue reddant Deum volentem, aut intelligentem ea obiecta, quæ liberè, siue contingenter vult, aut intelligit. Ita Card. Pallauicinus lib. 8. Assertion. Theologic. cap. 37. & seqq. alijque Recentiores.

95 Quinta denique sententia omnino intrinsecum Deo ponit decretum, quin egeat ad sui complementum aliquâ connotatione, seu denominatione extrinsecâ; atque ita nihilominùs liberum, & ab æterno defectibile in esse decreti, siue volitionis creaturæ, vt nulla prorsus vera, & realis formalitas Dei formaliter, & verè sit defectibilis, aut potuerit ab æterno deficere. Huius sententiæ sunt Soar. tom. 1. in 3. p. disput. 5. sect. 1. & fusiùs tom. 2. Metaph. disput. 30. sect. 9. ad quam remittit Lectorem 1. p. lib. 3. de Attrib. cap. 6. in fine, & in Opuscul. lib. 1. de Præscientiâ futurorum cap. 6. num. 5. Valent. 1. p. quæst. 19. punct. 3. & 4. alijsque in locis infra citandis. Albertin. 4. princip. philos. Coroll. 2. quæst. 3. & Coroll. 4. quæst. 4. & 6. princip. philos. Coroll. 2. quæst. 2. Ruiz supra disput. 11. sect. 3. vbi pro hac sententiâ refert Gregorium Arimin. Henr. Nauarrete, Cabrer. Argent. & Palacios; eamque latè explicat, & probat vsque ad finem disputationis, & disput. 12. & 13. Eiusdem sententiæ sunt Albiz tract. 2. disput. 6. sect. 3. Tanner. tom. 1. disput. 2. de Deo quæst. 10. dub. 4. Aluarez de Auxil. disp. 7. num. 32. Curiel. contron. 7. in cap. 4. Sapient. art. 3. à num. 106. Zumel tom. 2. Variarum post coucluſ. 5. Machin. 1. p. disput. 42. sect. 3. Raynaud. in suâ Theolo. nat. dist. 8. quæst. 2. art. 4. Mœrat. 1. p. disput. 32. sect. 3. Martinon. 1. p. disp. 14. sect. 4. Gasp. Hurt. disp. 7. de Volunt. diff. 2. Ioan. à S. Thom. 1. p. tom. 2. disp. 4. art. 4. & alij, quos referemus infra, dum propugnemus hanc sententiam. Quam quidem non eodem modo, sed multis, & diuersis explicant eius Patroni, vt videbimus. Omnes tamen vnanimi consensu consequenter tenent, posse optimè dari in Deo varia decreta libera sine aliqua variatione, aut mutatione ad extra. Non annumero sententijs istis illam quorundam Thomistarum, cuius memini quæst. præced. ponentium diuinam libertatem in solâ indifferentiâ cognitionis. Nam hæc sententia potiùs destruit Dei libertatem, quàm illam explicet, vt ibi notaui. Hic autem, suppositâ libertate diuinâ, illam contendimus explicare.

Ex dictis apparet, circumscripta tanquam 96
erronea sententia primo loco relata, omnes sententias Catholicorum in præsenti quæstione ad duas classes potissimas reuocari. Prima valdeque communis, & celebris est eorum, qui per connotatum extrinsecum temporale complent volitionem liberam Dei; quos proinde tum in hac materiâ, tum in alijs Connotantes distinctionis gratiâ appellabimus. Secunda nec minùs communis, nec minùs celebris eorum est, qui omninò intrinsecam Deo constituunt volitionem liberam eius; quos propterea vocabimus non-Connotantes. Ex hisce namque duobus diuersis opinandi modis eximiam vindicant sibi diuersitatem innumerabilium propemodùm Theologicarum quæstionum resolutiones. Quibus duobus potissimis, antiquisque opinionum classibus ea tertia paucorum Recentiorum venit addenda, qui æterna aliqua complementa à Deo distincta excogitarunt pro ipsius volitionibus liberis componendis. Quæcumque autem in totâ hac quæstione dicunt Auctores, vnusquisque iuxta sententiam suam, de actibus liberis voluntatis diuinæ, pariter veniunt intelligenda, suâ seruatâ proportione, de actibus liberis, seu contingentibus diuini intellectus.

Propositio 1.

Volitio Dei libera, non est distincta 97
reuerà à diuinâ substantiâ tanquam actus ab illâ productus contingenter, & liberè ad eum modum, quo volitio nostra à substantiâ animæ nostræ distincta, atque producta est.

Hæc propositio vsque adeò est certa, vt oppositum sine manifesto errore in fide, & sine ingenti temeritate dici non possit: neque fuit hactenus qui id ausus sit dicere præter vnum Vorstium hæreticum. Omnibus enim tam Philosophis, quàm Theologis semper indubitatum fuit, teste Vazq. 99
par.

par. quæst. 3. art. 6. in explicatione articuli, omnia, quæ in creaturis sunt accidentia, cùm Deo attribuuntur, in substantiam ipsius transire. Quod latè tradit August. lib. 5. de Trinit. cap. 4. 5. & 16. & alibi sæpe cum alijs Patribus communiter. Quorum plures refert Ioannes Cyparissiotus Decade 9. cap. 8. tum Vazq. supra & Fasolus in commentario eiusdem articuli. Et definitum est à Leone I. epist. 93. ad Turibium cap. 5. his verbis. *Solus Deus nullius participationis est indigens: de quo quidquid dignè vtcunque sentitur, non qualitas est, sed essentia: incommutabili enim nihil accedit.* Constatque ex illo Iacobi I. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*; vt sentit Molin. 1. p. quæst. 3. eodem art. 6. Atque etiam ex definitione Concilij Remensis contra Gilbertum habiti sub Eugenio III. Cuius textum refert Vazq. 1. p. disput. 12. cap. 2. Licèt enim non omnia acta huius Concilij fuerint ab Eugenio approbata, magnæ nihilominùs ea omnia auctoritatis sunt, vtpote compacta à S. Bernardo, alijsque Episcopis Prouinciarum. Et illud approbatum est, in quo definitur, sapientiam Dei esse ipsum Deum. Vnde planè sequitur, idem esse dicendum de amore Dei adhuc libero. Siquidem sub sapientiâ Dei citra dubium scientia etiam eius libera comprehenditur. Et quidem, si volitio Dei libera à Deo ipso distincta esset modo prædicto, siue eam voces accidens Dei, siue non item, non esset Deus *natura simplex omnino* contra definitionem expressam Concilij Lateranensis sub Innocentio III. quæ habetur cap. 1. de Summâ Trinitate, & Fide Catholicâ in principio. Omnes enim Patres, & Doctores ita summam Dei simplicitatem declarant, vt nihil sit vllo modo in Deo, quod non sit ipse Deus, ipsissimaque substantia Dei, vt videre est apud Ruiz tom. de Trinitate disp. 11. per totam. Constat autem, volitionem diuinam, quacunque ratione ponatur, in Deo ipso ponendam esse, non extra. Nam Deus per aliquid extrinsecum amare non potest; sicut nec per quid extrinsecum potest cognoscere. Isti enim sunt actus ex suo conceptu intrinseci in cognoscente, & in amante, imò & vitales, & immanentes.

98 Vnde & ratione naturali veritas propositionis datæ monstratur. Cognitio enim, & amor ex conceptu suo perfectiones sunt amantis, & cognoscentis. Quis id neget? Ergo non possunt esse superadditæ diuinæ substantiæ. Ea enim, vti summè perfecta, & actus purissimus, nihilo superaddito potest perfici, & actuari. Quod optimè ex communi existimatione supponit Cyrillus Alex. lib. 11. Thesauri aliquanto post initium his verbis. *Sapienter certè dicitur, nihil accidere substantiæ Dei; quoniam in se ipsâ perfecta est.* Rursus, si diuina volitio esset quid creatum, & productum, nulle imperfectionibus scateret, vti & aliæ creaturæ, esset que quid limitatum, neque omnino infinitum. Hæc autem, quis non videat, volitioni Dei repugnare? Accedit, quòd iam ab æterno multæ creaturæ fuissent productæ à Deo contra veritatem Catholicam. Constat enim, Deum multa liberè voluisse ab æterno, iuxta illud ad Ephesios 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.* Et tamen de Fide est, nihil Deum ab æterno creasse. Prouer. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio.* Et definitur in cap. *Firmiter* de summâ Trinitate, & Fide Catholicâ.

99 Stet ergo vt certum secundùm fidem, & rationem, decretum Dei liberum, non esse aliquid verè, & realiter superadditum diuinæ substantiæ; siue illud substantiale, siue accidentale vocetur. Cum quo bene componitur, posse aliqua extrinseco quodam modo substantiæ Dei accidentaliter conuenire, vt conuenit, producere ad extra, vniri hypostaticè, & similia. Nam hæc, cum intrinsecè non insint Deo, sed creaturæ, estò immediatè tangant physicè diuinam substantiam, nec huius simplicitatem minuunt, nec perfectioni quidquam derogant.

Propositio 2.

Deus verè, & propriè, & sine metaphorâ non solùm in causando, sed etiam in volendo est liber. Neque fas est, negare Deo veram, & propriam liberam volitionem, qua verè vult facere, quod facit. 100

Quidquid refragetur Aureolus, cuius sententiam seuerâ notâ inurunt alij Theologi. Fonseca lib. 7. Metaph. cap. 8. quæst. 5 sect. 2. post medium, quem sequitur Salas 1. 2. quæst. 6. art. 1. tract. 3. disput. 1. sect. 8. num. 89. eam dicit meritò à cæteris Theologis reijci tanquam parum consonam diuinis Scripturis, & in se valde absurdam. Quod idem censuit etiam Zumel 1. par. quæst. 19. art. 3 disput. 2. post argumenta. Et Soar. disput. 30. Metaphysicæ sect. 9. num. 3. quem sequitur Gonz. disput. 53. num. 2. ait, nullo modo defendi posse iuxta principia fidei. Ruiz etiam disput. 11. de Volunt. sect. 2. propositionem datam non posse sine errore negari aduersus Aureolum, & eius sequaces, pronunciauit. Vnde dixit Fasol. art. 3. dub. 4. num. 23. piè potiùs, quàm verè laborasse Vazq. in reuocandâ ad bonum sensum sententiâ Aureoli.

Porro ipse Ruiz dictâ sect. 1. & 2. acriter in- 101
uehitur in sententiam Aureoli, contendens, non posse saluari sensum Scripturæ, tribuentis effectus creatos voluntati diuinæ, per solam complacentiam simplicem, & necessariam creaturarum, quam in Deo admittit Aureolus. Huiusmodi tamen argumenta parum, aut nihil conficiunt contra Aureolum, qui velle Dei liberum, quod sæpe in Scripturâ indicatur, non per illam complacentiam declarat, sed per dominium, & potestatem dominatiuam, qua Deus operatur ad extra. Lege illum dist. illâ 47. art. 1. titulo *Conclusio articuli, &c.* Vbi paulo post initium ita habet. *Et secundùm hoc Deitas induit rationem voluntatis ex isto certo connotato, quod est, habere omnem actum exteriorem in suâ potestate. Quidquid ergo Deus extra producit, voluntate producit, & voluntariè: non quidem actu desiderij, aut cuiusdam optatus, vel volitionis tendentis in non habitum ad hoc, quòd habeatur; sed quia producit quadam dominatiuâ vi, & potestatiuâ virtute, quæ est ipsamet ratio Deitatis, qua potest producere, vel non producere, &c.* Declarat id exemplo ignis, casu, quòd hic posset ignire, & non ignire. *Quærenti enim,* inquit, *cur stupam incenderet, cùm posset non incendere? Responderetur, quòd, quia habet vtrumque indifferenter in suâ potestate, & agit vnum, quia vult: non quòd velle exprimeret aliquem actum determinantem, sed secundùm plenitudinem potestatis.* Rursus affert exemplum voluntatis creatæ, quæ dicitur ideò se determinare ad volendum, quia vult. Vbi ly *Vult* dominium expri-

mit, non alium actum. Hinc concludit. *Sic ergo debet intelligi, cùm dicitur, quòd Deus vult producere, quod producit, vel quòd voluntariè producit; non quòd intrinsecè habeat quoddam velle, quo moueatur, & determinetur, aut inclinetur ad producendum; hoc enim esset maximæ imperfectionis in Deo; quinimo necessitate naturæ produceret: sed est sensus, quòd Deus habet in suo pleno dominio producere, & dum producit, quia vult, producit, hoc est, quia non aliunde ad producendum determinatur: sed ideo magis producit, quàm non producit; quia hoc habet in suâ plenariâ potestate.* Hæ ille. Ex quibus liquet, plura argumenta eorum, quæ contorquetur in Aureolum indemnem prorsus relinquere doctrinam eius. Quibus proinde prætermissis, his, quæ sequuntur, solidè illa impugnanda, & propositio nostra probanda est.

102 Primò; quia valde impropria est loquutio illa, qua dicitur, causam voluntate producere hoc ipso, quòd liberè, & indifferenter producit. Tum causa libera, cuius actus non est volitio, impropriè valde dicetur ideo producere, quia vult, ex hoc præcisè, quòd producat indifferenter cum potestate ad non producendum. Si enim ignis liber esset ad comburendum, impropriè, imo ineptè diceretur voluntate producere, & ideò producere, quia vellet, eo præcisè quòd produceret liberè; cùm tamen neque volitionem eliceret, neque voluntatem haberet; quæ potentia volitiua est. (Tametsi voluntas nostra fortasse cum aliquâ proprietate dicatur producere suam volitionem, quia vult; eo quòd aut formaliter iuxta aliquorum sententiam vult etiam volitionem per ipsammet, aut saltem interpretatiuè censetur illam velle hoc ipso, quòd est potentia volitiua liberè causans proprium actum). Igitur impropriè valde, & metaphoricè dumtaxat potest Deus dici voluntate producere, &, quod vult, producere, & ideo producere, quia vult, si Deus non medio actu voluntatis, atque adeò nec voluntate ipsâ, sed ipsâ deitate immediatè, liberè tamen, & indifferenter producit creaturas, vt vult Aureolus. Id quod ipse planè fatetur distinct. 46. art. 2. fine his verbis. *Sic ergo pro fine totius articuli tenendum est, quòd in Deo non est ratio verè, & propriè alicuius alterius voluntarij actus, nisi solius amoris, neque etiam cuiuscunque amoris, sed tantùm amoris complacentiæ, & beatæ fruitionis, quo delectatur, & voluptuatur in essentiâ suâ, & quiescit in eâ complacendo; & in eâ complacuisse dicitur in omni entitate creatâ, & in omnibus perfectionibus virtuosis, quæ participant deitatem, & perfectionem ipsius. Omnes autem actus, qui Deo attribuuntur in ordine ad creaturam, nisi tantummodò complacere, intelligi debent Deo attribui propter extrinsecas operationes, vt odisse, & irasci, aut bona velle alicui, & alteri nolle, & sic de cæteris quibuscunque.* Itaque præter complacentiam necessariam, qua Deus complacet in suâ bonitate, & mediâ illâ in creaturis, cæteri actus volendi efficaciter, ac liberè per modum desiderij creaturas impropriè solùm, atque adeò metaphoricè tribuuntur Deo iuxta Aureolum ratione externorum effectuum, sicut irasci, pœnitere, &c. Ast hoc manifestè aduersatur Scripturæ, & Patribus, & reliquis Scholasticis. Igitur tolerandum non est. Etenim verba Scripturæ, & Patrum testimonia, quibus Deo tribuitur volitio libera, & efficax creaturarum tendens per modum desiderij in earum productionem, adeò sunt obuia, prout quæstione præcedenti proposit. 1. indicauimus, adeòque absolutè in sensu quidem doctrinali, & sine vllo inditio metaphoræ pronunciata, vt ea ad sensum improprium trahere nefas sit. Quo iure omnes Scholastici relati à P. Ruiz tom. de Volunt. disput. 52. & seqq. cum S. Thom. quæst. 20. art. 1. & 2. contra Gent. cap. 90. & seqq. & in 3. dist. 32. constanter affirmant, amorem liberum, & efficacem creaturarum esse in Deo propriè, tametsi non sit in eo propria tristitia, pœnitentia, ira, & similes affectus. Aliàs, vt benè aduertit Ruiz disp. illâ 11. sect. 1. num. 10. sicut verius negantur de Deo, quàm affirmantur, eiusmodi affectus; ita etiam negaretur verius, Deum velle liberè, & efficaciter creaturas. Quòd patet esse absurdum. Accedit, quòd verba scripturæ, prout vsurpantur ab Aureolo, nugacem prorsus sensum videntur reddere. Dum enim dicitur Psal. 134. *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit.* Et ad Rom. 9. *Cuius vult, miseretur;* Et Eccles. 39. *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum.* Sensus erit. Dominus fecit omnia quæcunque liberè, & indifferenter fecit. Eius miseretur, cuius liberè miseretur. Dominus magnus spiritu intelligentiæ replebit illum, si liberè, & indifferenter repleuerit. Quis autem non videat, sensus istos alienos esse ab Scripturâ.

103 Secundò. Denominatio volentis producere in Deo secundùm Aureolum ipsissima est denominatio liberè, & indifferenter producentis. Ergo Deus tantùm dici potest velle producere, quo tempore liberè producit, & non tempore antecedente, in quo nullatenus dicitur producere liberè. Sicuti ignis in phrasi Aureoli in eâ tantùm mensurâ temporis diceretur velle producere, in qua reuerâ indifferenter produceret casu, quòd esset liber. Ex eo enim, quod ignis in datâ hypothesi cras esset liberè producturus, non diceretur hodie velle cras producere; sed summùm cras esse voliturum. Sicut etiam voluntas nostra non dicitur hodie velle suam crastinam determinationem liberam ad amandum ex eo præcisè, quòd eras sit liberè amatura, sine vllâ volitione hodiernâ crastini amoris. Ast aperte est contra Scripturam sacram, contra omnes Patres, & Doctores, & contra rationem asserere, Deum nullum decretum liberum habuisse ante illud tempus, in quo de facto res creauit. Ergo volitio libera Dei non stat præcisè in eo, quod Deus liberè producat ad extra, vt contendit Aureolus. Minor, quæ sola eget probatione, ostenditur clarè. Dicitur enim ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.* Electio autem actus est liber Dei, vt patet, quam dicitur habuisse longè ante, quàm produceret, quos elegit. Idem est de præfinitione præcedente rem præfinitam, quæ sæpe Deo tribuitur in Scripturâ. Daniel. 11. *Vsque ad tempus præfinitum.* Ezech. 21. *Venit dies in tempore iniquitatis præfinita.* Ad Ephes. 3. *secundùm prædefinitionem sæculorum, quam fecit in Christo Iesu Domino nostro.* Actor. 10. *Testibus præordinatis à Deo.* Et cap. 13. *Quotquot erant præordinati.* Et cap. 22. *Præordinauit te.* Idem est de prædestinatione, & proposito diuino, qui planè sunt actus liberi Dei antecedentes omnem eius operationem. Ad Ephes. 1. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum secundùm propositum voluntatis suæ.* Et infra. *Secundùm propositum eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* ad Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm*

pro-

propositum vocati sunt sancti. Ex his, & similibus indubitate deducunt Petres, & Scholastici omnes, quidquid Deus in tempore exequutus est liberè, ab æterno decreuisse, seu efficaciter voluisse, atque in suos fines ordinasse. Id quod ipsa ratio naturalis apertè suadet. Nam aliàs Deus mutaretur. Quod ipsi repugnat, prout videbimus q. 6.

104 Tertiò. Si Deus verè, & propriè non habet volitionem liberam terminatam ad creaturas, neque scientiam liberam habebit, qua eas vt futuras cognoscat; quarum proinde vt talium ignarus erit. Quod maius est absurdum. Id quod ipse Aureolus quodammodò videtur deuorare, dum ait, Dei cognitionem ad creaturas non terminari, sed dici eas ab eo cognosci, quatenus cognoscit suam essentiam, in qua continentur eminènter. Lege illum in 1. dist. 35. p. 1. art. 4. versus finem, & p. 2. §. *Nec valet*, & propos. 3. ad arg. 6. & 7.

105 Quartò. Deus vt pote agens intellectuale, & rationale perfectissimum, proprissimè, & sine metaphorâ operatur propter finem, ordinando singula in fines proprios; idque ita liberè, vt posset in alios ordinare. Quod negare nequit Aureolus; cùm passim sit expressum in sacris Litteris. Hoc autem fieri non posse sine actibus liberis voluntatis Dei, quis non videat? Etenim, cùm ea, quæ Deus ad extra producit, indifferentia sint, ordinabiliaque ad varios fines, repugnat ea ad hunc potius finem, quàm ad alium ordinari per solam productionem sui, quantumuis hæc oriatur à substantiâ Dei liberè, & cum dominio suarum actionum operante. Igitur per actum præuium diuinæ voluntatis prorsus dicenda sunt ordinari, vt Deus operari propter finem dici possit, vt debet. Accedit, quòd multum perfectissimo viuenti derogaretur, asserendo, absque vllo exercitio vitæ cuncta causare. Id autem in sententia Aureoli necessariò est dicendum: nam solus actus intellectus, & voluntatis est exercitium vitæ diuinæ, non actiones transeuntes, quas emittit extra. Hæc sunt, quæ valde vrgent Aureolum. Cætera, quæ contra illum specialiter congerunt Ruiz supra, & alij, facilè ab ipso soluerentur. Alia, quæ tum contra Aureolum, tum contra sententiam quarto loco relatam faciunt, inferiùs vrgebuntur à nobis, dum contra illam disputemus.

106 Quæ autem Aureolus pro se affert, in potissimâ difficultate nituntur huius mysterij: cùm eo tendant, vt probent, Deum nullatenus posse esse liberum in volendo, sed tantùm in causando. Quare eâ explicatâ Mysterij difficultate, soluta manebunt. Neque fauent Aureolo August. Hieron. & alij, dum dicunt, apud Deum hoc esse velle, quod facere. Nam eo modo loquendi tantùm volunt denotare summam efficacitatem voluntatis diuinæ, atque eius infallibilitatem. Et quidem August. cuius præcipue est iste loquendi modus, perspicuè distinguit ab exteriore operatione volitionem liberam Dei, vt videre est lib. de Prædest. sanct. cap. 16. & sæpe alibi.

Propositio 3.

107 **Volitio Dei libera in formalitate verè, realiter, & propriè identificatâ cum Deo, & nihilominùs verè, realiter, & propriè contingente, seu defectibili neutiquam consistere potest.**

Hæc propositio imprimìs est contra Caiet. citatum num. 84. Cuius sententiam grauibus carpunt censuris grauissimi Theologi. Bann. illam non bene sonantem appellat, Medina dicit, ab omnibus eam reprobari. Fonseca aliquanto audaciorem vocat, & parum tutam. Molina parum in fide securam, piarumque aurium offensiuam. Valent. meritò ab omnibus reiectam vt absurdam. Soar. non dignè sentientem de Deo, & nullo modo probandam. Vazq. nullâ ratione defensabilem. Pariterque eam condemnant Arrub. Zumel. Manchi. Nauarrete, & Salas. Quos omnes referunt, & sequuntur Fasol. 1. p. q. 19. art. 3. dub. 6. n. 38. & Ruiz disp. 13. de volunt. sec. 1. Tametsi non desint graues etiam Doctores, qui sententiam Caietani ab omni vindicent censurâ. Videantur Soar. disp. 30. Metap. sec. 9. n. 11. Gran. 1. p. cont. 3. tract. 3. disp. 5. sec. 1. n. 2. Arriag. tom. 1. in 1. p. disp. 28. sec. 5. & Ioan. Martinon 1. p. disp. 1. sec. 3. & 4. Est quoque propositio data contra Fonsecam, Salas, & Recentiores nu. etiam 84. commemoratos; qui eam dem Caietani sententiam cum reformatione ibidem indicatâ sequuntur, putantes, se per eam penitus eximi à censuris Theologorum latis in Caietanum. Oportebit autem illius probationes distinctionis gratiâ in aliquot classes diuidere.

Prima classis probationum
Propositionis tertiæ contra sententiam Caietani reformatam per Recentiores.

Sit prima probatio. Quoniam, quidquid verè, realiter, & propriè identificatur cum Deo, verè, realiter, & propriè est ipse Deus. Ergo nequit illud verè, realiter, & propriè esse contingens, seu defectibile; cùm Deus omnino necessarius, & indefectibilis sit. Alioquin idem ens reale esset, & non esset contingens, possetque subinde existere simul, & non existere. Quod est manifestè chymæricum. Confirmatur. Illa formalitas diuina, in qua consistit volitio libera, verè, & realiter potest deficere, manente Deo, iuxta Aduersarios; & consequenter verè, & realiter per sui defectum à Deo separari. Ergo non est verè, & realiter idem cum Deo. Vel, si est idem, neutiquam per sui defectum poterit separari ab ipso. Siquidem nullum euidentius est argumentum vetæ, & realis distinctionis, quàm separabilitas huiusmodi; aut inseparabilitatis oppositæ, quàm vera, & realis identitas. 108

Respondent Recentiores, hoc argumentum instantiam pati in Trinitatis Mysterio. Nam, sicut ibi beneficio distinctionis virtualis inter personalitatem, & essentiam repertæ, personalitatem produci, secus essentiam; essentiam communicari, personalitatem non item; aliaque huiusmodi prædicata contradictoria benè cohærent: ita hìc non est, cur non cohæreat similis distinctionis virtualis beneficio repertæ inter essentiam, & volitionem liberam, hanc defectibilem esse, aut etiam defacto deficere, illam verò minimè: quandoquidem produci, & non produci, aliaque eiusmodi prædicata non minus sunt contradictoria, quàm deficere, & non deficere. Vnde ad confirmationem dicunt, realem separabilitatem in creatis dumtaxat, vbi distinctio virtualis non est, arguere realem distinctionem, sicut & inseparabilitatem 109

tem

tem arguit realis identitas : in diuinis verò, vbi virtualis distinctio adest, nequaquam. Contra tamen est primò ; quòd distinctio virtualis in Deo nihilo prorsus differt à formalitatibus diuinis realiter identificatis, quæ ob suam infinitudinem, & eminentiam in ordine ad suscipienda prædicata contradictoria æquiualenter sunt distinctæ. Vnde, vt titulo talis distinctionis reuerà existentis duabus quibusque formalitatibus diuinis prædicata contradictoria conueniant, talia esse debent prædicata, quæ ambarum formalitatum veram existentiam supponant ; (cuiusmodi sunt quæ in Trinitate conueniunt personalitati, & essentiæ). At talia non sunt, deficere, & non deficere, vt constat. Ergo hæc titulo distinctionis virtualis verè existentis neutiquam conuenire possunt volitioni, quam Deus modò non habet, & eius essentiæ. Contra secundò ; quia essentia diuina de facto non solùm virtualiter, sed verè, & formaliter est distincta à volitione, quam Deus de facto non habet, e.g. alterius Mundi: quandoquidem verè, & formaliter non est identificata cum illà vt Aduersarij confitentur, & per se est notissimum. Igitur non titulo distinctionis virtualis, sed distinctionis dumtaxat veræ, & formalis potest conuenire volitioni Dei, & essentiæ actu deficere, & non deficere : quidquid sit de alijs prædicatis contradictorijs. Iam verò fateri, vti fatentur Aduersarij, non esse de facto idem essentiam Dei verè, & formaliter cum volitione deficiente ; cum qua tamen, si existeret, idem esset : pariterque potuisse non esse idem cum volitione existente ; cum qua de facto idem est : certè est concipere identitatem realem, & veram verorum, realiumque extremorum conceptu ab ipsius naturà alieniſſimo. Cùm enim vera, & realis identitas ipsissimus sit verus, & realis actus essendi : quam imperceptibile est, potuisse Deum non esse verè, & realiter, quod verè, & realiter est : aut esse, quod non est : tam est imperceptibile, potuisse Deum non identificari verè, & realiter cum volitione, cum qua de facto identificatur, aut identificari, cum qua non identificatur de facto.

110 Vnde secundò probari potest propositio. Volitio efficax de existentiâ huius Mundi, quæ modò verè, & realiter est Deus, potuit esse nihil. Ergo Deus potuit esse alius reuerà ab eo, qui modò est. Patet consequentia. Quia, si Deus non decreuisset creare hunc Mundum, Deus in suo conceptu reali non clauderet totum entitatis, quod claudit modò. Subindeque Deus, qui tunc esset, a Deo, qui modò est vt pars à toto distingueretur. Imo verò ex eo, quod volitio, quæ modò verè, & realiter est Deus, potuerit esse nihil, infertur planè, totum Deum potuisse esse nihil. Cùm Deus modò aliud non sit verè, & realiter à tali volitione hoc ipso, quòd verè, & realiter est ipsa, siue idem cum ipsâ. Deinde volitio de existentiâ alterius Mundi, quæ modò est nihil, reuerà potuit esse Deus ; de factoque esset, si Deus alium Mundum decreuisset, vt potuit. Ergo modò intra statum possibilitatis est aliquis conceptus entis veri, & realis, quod potuit reuerà esse Deus, & tamen neque fuit, neque erit. Quæ sanè immania absurda sunt. Nec satisfaciunt Recentiores, dicendo, deficiente, aut accedente quauis Dei volitione, semper, constanterque mansurum hunc eumdem numero Deum : quia in omni euentu maneret eadem Deitas, seu natura diuina cum totâ suâ intrinsecâ perfectione, quam nomen *Deus* dicit in recto : quidquid sit de formalitatibus cum deitate identificatis, quas dicit in obliquo ; cuiusmodi sunt volitiones liberæ. Non, inquam, satisfaciunt. Quia argumentum factum solùm contendit contra ipsos, planeque, & aperte concludit, non fore hunc eumdem numero Deum, si veller aliquid, quod non vult, aut non vellet, quod vult, vt potuit, sumpto Deo non theologicè, sed physicè pro toto à hac essentiâ physicâ, siuè entitate, quam Deus habet. Quod certè etiam videtur absurdum minimè tolerandum.

Tertiò. Volitio Dei libera, cùm sit contingens non habet *esse* à se, sed illud accipit à Deo ; quia omne ens ita existens, vt potuerit non existere, necessariò debet accipere suam existentiam ab alio iuxta euidentissimum principium statutum in Pharo Scient. disput. 11. quæst. 5. propositi. 27. Ergo volitio Dei libera iuxta sententiam Aduersariorum aliquid est verè, & realiter intra Deum à Deo ipso productum : produci namque ab alio, & accipere *esse* ab illo in idem recidunt omnino. Ergo ita est quid identificatum cum substantiâ diuinâ, vt sit distinctum verè, & realiter à producente. Inde namque colligunt Patres manifestè veram, realemque distinctionem inter tres diuinas personas : quia Filius reuerà producitur à Patre, & Spiritus sanctus à Patre, & Filio. Ergo volitio Dei libera quartam personam constituit intra Deum a tota Trinitate productam. Deusque iam non trinus, sed quaternus est ; idque non à natura, sed ex arbitrio. Quo mille inuoluuntur absurda. 111

Respondent Recentiores, volitionem liberam Dei à Deo quidem ipso produci, non tamen per productionem formalem, & veram, sed per virtualem dumtaxat, quæ ad eius existentiam contingentem determinandam satis est : aliter, quàm in creatis, vbi, cum productio virtualis sit impossibilis, necessaria est formalis ad determinandam existentiam cuiuius effectus contingentis. Cùmque productio virtualis solùm arguat distinctionem virtualem inter producens, & productum, cessare penitus absurda, quæ obtendit argumentum. Sed contra est, quòd volitio Dei libera iuxta sententiam, quam impugnamus, non virtualiter tantùm, sed formaliter, & verè est contingens ; quia non tantùm æquiualenter, sed formaliter realiter potest existere, & non existere. Ergo, dum existit ; ab alio accipit existentiam verè, & formaliter : à se enim nequit existentiam habere verè, & formaliter ens, quod potuit verè, & formaliter carere illâ, iuxta principium statutum. Igitur volitio Dei libera verè, & formaliter debet esse producta à Deo ; nec veræ, & formali ipsius contingentiæ per productionem virtualem potest satisfieri vllo modo. Ergo verè, & formaliter, & non virtualiter solùm, distinguitur à producente. Recurruntque iterum absurda commemorata. 112 116

Quartò. Si volitio Dei libera verè, & formaliter est contingens, ita, vt possit vel existere, vel non existere pro arbitrio Dei quoad suam veram formalemque entitatem, vt ponunt Aduersarij, & consequenter ex suo conceptu præciso non est ens à se, sed ab alio. Ergo neutiquam potest esse verè, & formaliter idem cum Deo, sicut contendunt ipsi. Patet consequentia. Tum quia non potest esse idem cum Deo, quod annexam habet imperfectionem ; quale est citra dubium omne ens contingens, seu defectibile : defectibi- 113

litas

litas quippe entis manifesta imperfectio est. Tum quia, quod contingenter existit pro arbitrio Dei, non potest esse re ipsa Deus, sed necessariò debet esse creatura. Proprereà enim, vt notat Ruiz disput. 13. citatà de Volunt. sect. 1. num. 4. Patres, & Concilia contendentes contra Arrianos, Filium Dei non esse creaturam, assumebant vt principium, eum non esse liberè productum à Patre. Arriani verò, vt creaturam esse probarent, liberè productum esse asserebant: quasi hæc duo ex mente omnium simul cohærere non possint; pendere aliquid in suâ existentiâ à libertate Dei; & illud non esse creaturam: sicut neque hæc, esse aliquid reuerà Deum per identitatem veram, & realem cum Deo; & ab arbitrio dependere quoad suam existentiam, siue esse contingens, & defectibile.

114 Respondent Recentiores, etsi volitio Dei libera verè sit defectibilis, dependensque in suâ existentiâ ab arbitrio Dei; non tamen propterea ferre secum vllam imperfectionem, aut esse creaturam: quia non est defectibilis, nec dependens à Dei arbitrio quoad suam essentiam, & perfectionem, quæ ipsissima est essentia, & perfectio Dei; sed tantùm quoad præcisum conceptum liberæ volitionis, nullam in se ipso præcisè dicentem perfectionem. Defectibilitatem enim, & dependentiam ab arbitrio Dei tunc solùm esse imperfectionem propriam creaturæ, quando est defectibilitas entis quoad ipsius essentiam, & perfectionem. De hacque dumtaxat loquutos Patres, & Arrianos; dum vtique supponebant, esse creaturam, quod est contingens, & dependens à libertate Dei. Sed contra. Quia, vt apparebit ex dicendis à num. 117. impossibile est, quòd sit volitio Dei libera defectibilis, & ab arbitrio Dei dependens, quin sit defectibilis, & dependens propria essentia, propriaque perfectio, quam habet ex suo præciso conceptu liberæ volitionis. Quo penitus corruit tota Recentiorum solutio.

115 Quintò. Diuidi aliquid, & separari verè, & realiter à se ipso existentialiter, siue intra statum existentialem, non minùs aduersatur rationi, quàm, aliquid verè, & realiter se ipsum producere. Sed non potest distinctio virtualis præstare, vt idem verè, & realiter possit producere se ipsum; ob id namque ex verâ, & reali productione diuinarum Personarum certò concludimus veram, realemque distinctionem inter producentes, & productas; & non virtualem dumtaxat. Ergo nec poterit distinctio virtualis præstare, vt idem verè, & realiter possit diuidi, ac separari existentialiter à se ipso. Præstaret autem iuxta Aduersarios, si volitio, quæ verè, & realiter identificatur cum Deo, subindeque est Deus ipse, ab eodem defectibilis esset, & consequenter existentialiter diuisibilis, ac separabilis verè, & realiter.

116 Respondent, sicut ad præcedentia, posse diuidi aliquid, & separari existentialiter à se ipso, non quoad essentiam, & perfectionem, sed quoad formalitatem, quæ sit extra totam perfectionem, & essentiam, qualis est volitio libera Dei, non adeò esse rationi aduersum, vt id per distinctionem virtualem præstari non possit. Tametsi per eam præstari nequeat, vt possit aliquid verè, & realiter se ipsum producere: eo quòd nequit per illam superari antecedentia, continentia, & quasi distantia entitatiua, quæ inter producens & productum necessariò interuenient. Sed contra primò. Quia solutio hæc eamdem, ac aliæ eodem fundamento innitentes, repulsam patietur infra, illo subuerso. Cùm scilicet ostenderimus, volitionem liberam Dei non posse non ex suo conceptu propriam habere essentiam, propriamque sortiri perfectionem. Contra secundò. Quia, quo iure dicitur, posse vi distinctionis virtualis aliquid separari existentialiter à se ipso quoad formalitatem non habentem perfectionem ex proprio conceptu; etsi non possit quoad perfectionem, & essentiam. Eodem, aut potiori licebit dicere, posse vi similis distinctionis idem producere se ipsum, si non quoad perfectionem, & essentiam, saltem quoad formalitatem non habentem ex proprio conceptu perfectionem. Cuiusmodi opinione multorum sunt personalitates diuinæ. Apud quos subinde productio, qua Filius à Patre, & qua Spiritus sanctus à Patre, & Filio quoad personalitates producuntur firmum argumentum non erit veræ, & realis distinctionis inter has diuersas personas, sed virtualis dumtaxat. Quod est absurdum.

Secunda Classis probationum propositionis tertiæ contra sententiam Caietani reformatam per Recentiores.

Sextum argumentum in ordine pro dictâ propositione sit. Volitio libera realiter identificata cum Deo, etiam prout condistincta virtualiter à reliquis Dei formalitatibus, non potest non ex suo conceptu dicere perfectionem realiter pariter identificatam cum Deo. Ergo nec potest verè, & realiter deficere. Consequentia constantissima est; à nemineque etiam Aduersariorum, excepto Caietano, negatur. Quia nulla perfectio intrinseca Deo, cum ipsove identificata realiter, potest realiter deficere. Tum quia Deus aliqua intrinsecâ perfectione posset fraudari. Quod patet esse absurdum. Tum quia perfectio defectibilis nequit citra omne dubium esse infinita, ab omnique imperfectione immunis; qualis omnis perfectio Dei esse debet: cùm, posse deficere realiter, manifestè sit imperfectio. Probatur igitur antecedens, in quo præsentis argumenti totum momentum est. 117

Primò; quia conceptus perfectionis, seu bonitatis transcendens est omnem omnino formalitatem cuiusuis entis positiui, etiam creati, non minùs, quàm conceptus entitatis, veritatis, &c. prout ex dictis tom. 1. huius Operis totâ disp. 15. compertum est. Igitur & volitionem Dei liberam, quæ ratione sui, & vt ab alijs condistincta verissima formalitas, imo & increata est, transcendere debet. Et quidem imperceptibile est, quòd vilissima' creaturarum, omnisque cuiusuis entis creati formalitas titulo positiui *esse*, quod habet, sit transcendentaliter bona ratione sui; & quòd non sit talis volitio, & scientia libera Dei, cuius *esse* positiuum, atque verissimum non est minùs, quàm quid realiter identificatum cum ipso Deo. 118

Secundò idem antecedens probatur; quia vt disput. illa 15. citatâ fusiùs explicui, esse aliquid ratione sui transcendentaliter bonum, nihil est aliud, quàm, habere ratione sui aliquod genus venustatis, seu pulchritudinis, aliquodque subinde æstimabilitatis, atque amabilitatis pondus. Sed actus liber Dei tum volitionis, tum etiam 119

scien-

scientiæ ratione sui, & prout conditinctus à Deitate venustissimum quid est, ac pulcherrimum, ingensque pondus æstimabilitatis, atque amabilitatis habet; vt satis ex se apparet. Igitur ratione sui est transcendentaliter bonus, atque adeò perfectus. Et confirmari potest hæc ratio. Quia voluntas Dei libera præceptiua actionum nostrarum ratione sui, & propter se est amabilis; siquidem eiusmodi actiones rectissimè ex virtute obedientiæ amamus propter talem volitionem ibi sistendo, neque vlteriùs progrediendo ad Deitatem (alioquin non possemus ex obedientiâ, quin etiam ex charitate Dei operari; quod est absurdum). Igitur ratione sui, & prout conditincta à Deitate est bona, atque adeò perfecta.

120 Tertiò probatur; quia volitio Dei libera ratione sui conceptus veri, & realis repugnat maliriæ morali, tum dependentiæ per realem influxum ab alio, alijsque huiusmodi imperfectionibus proprijs creaturæ. Sed repugnare talibus imperfectionibus perfectio est maxima. Igitur volitio Dei libera ratione sui conceptus veri, & realis dicit maximam perfectionem.

121 Quartò. Volitio Dei libera ex proprio conceptu exigit exigentiâ essentiali identificari cum Deitate verâ, & reali identitate. Quis autem credat, talem exigentiam non esse eximiam perfectionem? Quando exigentia connaturalis vniendi sibi gratiam habitualem, quæ extrinseca quædam est participatio Deitatis adeò supereminens perfectio est omnium Theologorum consensu, vt prorsus asseratur aliena, & supra captum omnis substantiæ creatæ; atque, vt plerique putant, etiam creabilis.

122 Quintò. Actus Dei liber tum scientiæ, tum volitionis vt conditinctus a Deitate est actus vitalis. Ergo vt conditinctus à Dictate est perfectio. Manifestum enim est, hoc, quod est, viuere ratione sui esse perfectionem: quandoquidem viuentia rationæ vitæ sunt perfectiora non viuentibus. Confirmatur primò. Quia certum est, Deum perfectiùs cognoscere Mundum, quàm hominem: atque adeo scientiam Dei liberam de existentiâ Mundi ex præcisâ ratione scientiæ esse perfectiorem scientiâ hominis de eâdem existentiâ. Ergo scientia Dei libera de existentiâ Mundi ex proprio conceptu habet perfectionem. Nequit enim aliquid ratione sui esse perfectius alio perfectionem habente, nisi illud ratione sui perfectionem habeat, vt constat. Confirmatur secundò. Quia claritas cognitionis manifestè est perfectio eius: ob id enim, quò clarior est cognitio, cæteris paribus, eò perfectior est; quò obscurior verò, eò imperfectior. Sed scientia libera Dei ex proprio scientiæ conceptu est clarissima. Ergo & perfectissima. Confirmatur tertiò. Quia volitio Dei libera efficax ex proprio conceptu, & vt conditincta à Deitate habet connecti essentialiter cum obiecto, atque adeò prorsus esse infrustabilem, eamque insuperabilis virtutis, vt nullâ potentiâ possit illi cum effectu resisti; inquo infinito excessu superat omnem volitionem creatam, quantumuis efficacem. Igitur ex proprio conceptu, & vt conditincta à Deitate perfectionem habet, ista enim vis summa, & energia euidentissimè est summa perfectio propria sui generis.

113 Sextò. Volitiones Dei liberæ, præsertim gaudij, se ipsis sunt Deo iucundissimæ, ac summè delectabiles, imo verò actuales delectationes de bonis per illas amatis. Igitur ratione sui sunt bonæ Deo: nàm quid magis bonum gaudenti de bono possesso, quàm ipsa delectatio capta de possessione. Igitur & ratione sui sunt bonæ in se: quia Deo nequit esse per se, & ratione sui bonum, quod in se non est bonum.

Septimò. Deus de suis actibus liberis gaudet, & delectatur, eorumque aliquos etiam reflexè imperat, non solùm quia vlites ad alia bona per eos obtinenda; sed potissimè, quia maxima sunt ornamenta, & bona Ditatis. Quis enim neget, esse Deo bonum, scire cuncta contingentia, velleque omne bonum contingens, seu in eo complacere? Quod autem per se, & ratione sui est Deo bonum, nequit non etiam esse in se bonum, vt ex se, & exdictis disp. illâ 15. citatâ supra est notum. Confirmatur. Quia actus Dei liber, præsertim gaudij, ratione sui est eligibilis à Deo præ suo contradictorio; siquidem gaudium non propter existentiam obiecti, quam supponit, aut propter aliud quidpiam, sed propter iucunditatem, quam se ipso præbet gaudenti, eligitur. Igitur actus Dei liber, præsertim gaudij, ratione sui est amabilis, atque adeò bonus.

Octauò. Si, persistente veritate aliquâ contingente earum, quæ modo existunt, Deus eam non cognosceret, carentia eius scientiæ esset manifesta imperfectio tum absolutè, tum ipsi Deo: quia esset ignorantia veritatis. Igitur scientia, quam Deus modò de tali veritate habet, quamque ea carentia remoueret, manifesta perfectio est. Quia nulla carentia titulo carentæ alicuius est imperfectio, ni sit perfectio id, cuius est carentia, quodque per ipsam remouetur, vt constat. Confirmatur. Quia iuxta Aduersarios in Deo pura omissio omnis volitionis liberæ esset imperfectio: ob id enim secundùm ipsos Deus non potest purè omissiuè se habere. Igitur volitiones liberæ, quarum pura omissio esset carentia, ratione sui sunt perfectiones. Deinde confirmatur. Quia in ipsorum sententiâ melius, eligibiliusque est Deo, habere aliquam liberam volitionem, quàm omni carere. Igitur volitio libera ratione sui est bona Deo, atque adeò & in se.

Nonò. Volitio Dei libera vt talis, & prout conditincta virtualiter à Deitate est honestas, laudabilis. Neque enim vt sic in genere moris est indifferens, aut mala, vt constat. Ergo ratione sui est bona, atque adeò perfectio.

Decimò. Volitio Dei libera vt præcisa à Deitate non potest, sine iniuriâ postponi volitioni liberæ creaturæ, vt satis ex se apparet. Igitur vt præcisa à Deitate est quid melius volitione creaturæ, atque adeò perfectio.

Vndecimò. Volitio Dei libera ratione sui tituli entitatis veræ, quam habet, appetitu innato inclinat in suam existentiam, ac veluti complacet in suo *esse*. Igitur hoc bonum est, atque adeò perfectio: quandoquidem nullus appetitus, æque innatus, qui non sit alicuius boni, excogitabilis est.

Sufficiant hæc ad ostendendum antecedens argumenti sexti propositi pro nostrâ propositione num. 117. nimirum, volitionem Dei liberam prout conditinctam virtualiter à reliquis Dei formalitatibus, atque adeò ab ipsâ Deitate non posse non ex suo conceptu dicere perfectionem. Quo semel statuto, planè concluditur, aut volitionem Dei liberam non esse realiter identificatam cum Deo; quia nulla perfectio realiter identificata cum Deo potest deficere: aut non esse liberam, & defectibilem; quia omnis perfectio defectibilis manifestè dicit imperfectionem neutiquam

quam identificabilem realiter Deo. Quàm autem insufficienter pro argumentis factis soluendis recurrant Aduersarij ad perfectionem Deitatis; cum qua, si non virtualiter, realiter tamen formaliter ponitur volitio libera identificata, ex ipsismet argumentis liquidum manet. Ita enim illa formamus ex industriâ, vt per eadem sine nouo sumptu generale istud Aduersariorum asylum obiter labefactaretur.

130 Dicet tamen aliquis, etiam si actus volitionis liberæ Dei sit perfectio, id tamen habere ab actu necessariò volitionis, ex quo, & ipsius terminatione ad obiectum creatum coaleuit; cui soli terminationi conuenit, esse eam formalitatem, quæ ponitur defectibilis, virtualiterque subinde distincta ab omnibus necessarijs Dei, tametsi cum eis identificata formaliter: ea autem, cùm non sit ex suo conceptu volitio, sed complementum volitionis, non opus est, quòd sit perfectio. Tantumdemque dicendum esse de terminatione scientiæ necessariæ Dei ad obiectum creatum, per quam completur in suo conceptu scientia libera, siuè contingens. Sed contra primò. Quia non omnes Auctores sententiæ, quam impugnamus, ponunt præcisè defectibilitatem in sola formalitate, quæ non sit volitio, vel scientia, sed in integro conceptu volitionis, vel scientiæ liberæ. Contra secundo. Quia multa ex argumentis factis non solùm de conceptu volitionis, aut scientiæ Dei, sed de qualibet omnino formalitate realiter identificata cum Deo probant, debere esse perfectionem. Contra tertiò. Quia hoc ipso, quòd actus volitionis, vel scientiæ liberæ est perfectio, complementum eius essentiale, qualis est dicta formalitas, nequit non esse perfectio respectu eius, atque adeò etiam in se iuxta doctrinam demonstratam disp. illa 15. citatâ q. 7. Contra quartò. Quia perfectio propria, & specialis, quam in actu libero volitionis, aut scientiæ Dei quatenus tali probant facta argumenta, integro talis actus conceptui conuenit indiuisim, non verò vni dumtaxat parti eius, vt est notissimum. Ergo æquè est realiter defectibilis, ac est realiter defectibilis ipse conceptus, tametsi ex defectu vnius dumtaxat ex partibus suis, prædictæ scilicet formalitatis. Ergo tandem aliqua perfectio realiter identificata cum Deo est realiter defectibilis. Recurruntque absurda illata per argumentum sextum factum n. 117.

131 Ob id Recentiores satis acuti ex Aduersarijs aliter philosophantur dicentes, idcirco volitionem Dei liberam de existentiâ Mundi non esse perfectionem; quia non præponderat æstimabilitate suo contradictorio, quod est in ipsorum sententiâ nolitio Mundi opposita: (censent enim, non dari negationes, siue carentias entium ab entibus positiuis distinctas, atque adeò oppositionem contradictoriam inter extrema positiua versari semper, cuiusmodi putant esse in Deo volitionem, & nolitionem Mundi, atque alij huiusmodi actus similem oppositionem habentes) Itaque, inquiunt, quantum vnumquodque est ens, tantum esse perfectum seu bonum, & quantum est bonum, etiam esse æstimabile. Deinde tantum vnumquodque esse æstimabile, quantum eius præsentia, & possessio excedit absentiam. Consequenterque tantam esse bonitatem cuiusque rei, quantum existentia eius æstimabilitate excedit ipsius non existentiam, seu quantum præponderat, seu præeminet existentia statui non existentiæ. Vnde concludunt, volitionem Mundi ratione sui nullam dicere perfectionem, seu bonitatem: quia volitio Mundi non præponderat suo contradictorio consistenti in nolitione Mundi oppositâ. Alioquin nolitio Mundi esset imperfecta, cum Deoque subinde summè perfecto non identificabilis; quia excederetur ab oppositâ volitione: &, quidquid ab alio exceditur, imperfectum est.

Verùm discursus iste falsis nititur fundamentis. Primò; quia ex duobus contradictorijs alterum necessario debet esse carentia ab omni ente positiuo distincta, vt vniuersim monstraui in Pharo Scient. disp. 9. q. 3. Et consequenter contradictorium formale volitionis Dei de existentiâ Mundi mera illius carentia esse debet; neque in nolitione oppositâ consistere potest. Quo corruit argumentatio facta. Quia certum est, volitionem de existentiâ Mundi æstimabilitate præponderare suo contradictorio in merâ carentiâ consistete. Secundo; quia, semel statuto, quòd ambo extrema contradictionis necessariò sint positiua, ex eo, quòd aliquid non præponderet suo contradictorio, non benè arguitur, illud carere perfectione; quia potest vnum alteri non præponderare, eo quòd vel minus pondus, vel æquale habet cum illo. Tum quidem solùm benè infertur, aliquid non præponderans suo contradictorio non esse perfectionem, quando aliunde exploratum est, tale contradictorium nullam perfectionem habere. Id autem solùm est exploratum de contradictorio in merâ carentiâ consistente. De contradictorio autem in aliquo positiuo consistente potiùs tenendum est oppositum. Quod vt manifestè perspicias, accipio creaturam habentem pro contradictorio formali aliquid positiuum. Et argumentor tertiò. Aut contradictorium positiuum talis creaturæ est alia creatura, aut est aliqua nolitio diuina. Si aliqua creatura. Ergo dantur duo contradictoria positiua creata quorum vtrumque perfectio est. Omne quippe ens creatum transcendentaliter est bonum atque adeò perfectio, vt constat. Tum sic. Ista duo contradictoria positiua creata vel sunt æqualiter bona, vel inæqualiter. Si æqualiter. Quoduis eorum non præponderat suo contradictorio. Si inæqualiter Quod est minus bonum, non præponderat suo. Et nihilominùs ambo sunt perfectiones. Igitur, semel statuto, quòd ambo quæpiam extrema contradictionis sint positiua, perperam infers, alterum non esse perfectionem, ex eo, quòd non præponderat alteri. Iam si dicas, contradictorium creaturæ esse nolitionem diuinam. Tum etiam sic. Vel talis creatura præponderat suo contradictorio. Et hoc apud te impossibile est: quia nolitio diuina esset imperfecta, cum Deoque non identificabilis; eo quòd excederetur à creaturâ; & quidquid ab alio exceditur, imperfectum est. Aut talis creatura non præponderat suo contradictorio. Et ita iam iterum datur contra illationem tuam aliquid suo contradictorio non præponderans, quod nihilominùs sit perfectio.

132

133 Propterea Recentiores alij aliâ viâ tentant probare, volitionem liberam Dei non dicere rationem sui perfectionem. Quia nimirum volitio necessaria præuia, qua Deus se diligit totam, exhaurit perfectionem intra genus volitionis possibilem. Titulo enim infinitudinis, quam habet, nequit non ingenere volitionis esse summè perfecta, complectensque subinde omnem talis generis perfectionem Deo possibilem. Quo nihil huiusmodi perfectionis supereft in liberis volitionibus reperiendum. Cæterùm, si quidpiam hæc argumen-

tatio probaret, probaret vtique, volitionum Dei liberam ratione sui nullam entitatem, nullam quiditatem habere, atque adeò ratione sui omnino esse nihil; quia volitio necessaria titulo infinitudinis omnem entitatem, omnem quiditatem intra genus volitionis possibilem præcontineret. Probaret etiam, scientiam Dei liberam nihil habere claritatis, nihil certitudinis; quia scientia præuia necessaria omnem claritatem, ac certitudinem possibilem sui generis complecteretur suo conceptu. Probaret denique, potentiam productiuam creaturarum, imo & potentiam productiuam Spiritus Sancti nihil dicere perfectionis: quia in genere potentiæ productiuæ potentia productiua Verbi præocuparet omnem perfectionem possibilem. Probaret postremò, actus volitionis, & scientiæ creatæ nullam habere perfectionem; quia actus diuini eiusdem generis omnem perfectionem talis generis præocuparent. Quæ omnia, constat, esse absurda. Vnde patet, ex eo, quòd volitio Dei necessaria infinitè perfecta sit, non benè inferri, volitionem Dei liberam propriâ perfectione carere. Etenim volitio Dei necessaria prout virtualiter condistincta à liberis, imo & vnaquæque liberarum prout condistincta à reliquis veluti proprium, quod ad rem attinet, constituit volitionis genus: intrà quod potest insinitam perfectionem habere; tametsi de perfectione aliarum volitionum propriâ formaliter nihil participet. Quemadmodùm quoduis Dei attributum infinitam perfectionem dicitur habere in suo genere, etiamsi aliorum attributorum perfectionem non contineat formaliter, iuxtà doctrinam vniuersalem traditam tom. 1. disp. 14. q. 4. & disp. 16. q. 5.

934 Non magis benè rem componit Aldrete citatus suprà n. 86. dum censens, volitionem Dei liberam non posse non dicere perfectionem rationem sui, vt defendat, cum volitione liberâ defectibili ipsius perfectionem nihilominùs nullatenus posse deficere, dicit perfectionem volitionis liberæ consistere in disiuncto volitionum inuicem sibi contradicentium formaliter, (non enim admittit negationes volitionum Dei à volitionibus positiuis distinctas), ad quarum alterutram Deus necessitatus existit. Censet enim, esse possibile, sæpeque fieri, quòd idem numero, atque indiuiduus obiectiuus conceptus ità consistat in disiuncto duorum, vt quoduis horum sufficiens sit illius constitutiuum, adeò, vt alterutro deficiente, integer ille, & absque vllâ sui diminutione persistat in residuo. Quod multis exemplis adductis suadere contendit. Nimirum, hic numero Deus, inquit, consistit in hac determinatâ Deitate simul, ac in disiuncto huius, vel illius personalitatis. Quo fit, vt idem numero Deus sit Pater, ac Filius, ac Spiritus Sanctus; adeò, vt si per impossibile, deficientibus duabus personalitatibus, tertia sola cum Deitate persisteret, idem omnino numero Deus permaneret. Similiter conceptus requisiti ad videndum ita in disiuncto amborum oculorum consistit, vt, deficiente alterutro, nihil de tali conceptu deficiat, sed integer illein residuo oculo perseueret. Pariter in sententiâ communi spatium, & tempus imaginarium in disiuncto vbicationum, & durationum possibilium consistunt fundantium eamdem, æqualemve distantiam comparatione eiusdem tertij. In sententiâ etiam aliquorum apud Patrem Martinum Perez disp. 6. de Trinit. sec. 9. perfectio simpliciter simplex, quam habent ratione sui personalitates diuinæ, in disiuncto earum consistit, non verò in vnaquaque ipsarum determinatè: quia nulla determinata est melior, quàm non ipsa: cum tamen melius sit, esse aliquam vagè, quàm esse nullam. Pari ergo ratione perfectio volitionum Dei inuicem sibi contradicentium ita in earum disiuncto valebit consistere, vt, alterutrà deficiente, nihil talis perfectionis deficiat, sed integrè prorsus in residuâ permaneat. Rem autem ita se habere, probat: quia cùm huiusmodi volitionum neutra sit alterâ æstimabilior, coniuntumque ex vtràque, vt pote impossibile, neutiquam æstimabile sit; conficitur, totam æstimabilitatem earum ita in disiuncto ipsarum consistere, vt, deficiente alterutrâ, nihil de vtriusque æstimabilitate, & consequenter neque de perfectione deficiat, sed tota integrè in residuâ permaneat. Quemadmodùm, si duo quæpiam eidem subiecto æqualiter essent conuenientia, vel commoda sumpta seorsim, ita tamen, vt coniunctum ex vtroque eidem subiecto inconueniens, & incomodum esset; certè tota conuenientia, atque commoditas eorum ita in disiuncto ipsorum consisteret, vt, deficiente alterutro, & permanente residuo, nihil de eorundem conuenientiâ, & commoditate deficeret, sed tota integrè permaneret.

Acuta sanè cogitatio, sed insufficiens ad rem nostram, & prorsus falsa, fallaxque. Insufficiens quidem. Quia, si quid probant argumenta facta pro stabiliendâ perfectione volitionis diuinæ prout condistinctæ virtualiter ab alijs prædicatis Dei, certè probant, vnicuique volitioni determinatæ, etiam prout ab oppositâ condistinctæ, propriam perfectionem, determinatamque competere distinctam à perfectione oppositæ; æque, ac illi citra dubium competunt propria entitas, propria veritas, propria vnitas, propriaque alia huiusmodi transcendentia distincta ex suo conceptu ab illis, quæ competunt volitioni oppositæ. Recolat vnusquisque dicta argumenta, instauretque ad propositum, planumque haud dubiè fiet ei, quod asserimus. Dum pergimus nos ad ostendendam falsitatem, fallatiamque rationationis oppositæ Recentionum.

Quæ quidem inde constat primò. Quia impossibile omnino est, vt vnus, & idem conceptus obiectiuus determinatus ita sit reuerà indistinctus à disiuncto duorum, vt in alterutro perseuerante idem omnino perseueret. Demonstro facilè breuitatis causâ in re nostrâ. Pertio determinata, quam modò habet volitio Dei, omnino est indistincta, etiam virtualiter, ab ipsa volitione, vt ponitur ab Aduersarijs. Ergo, si deficeret volitio; nequiret non simul cum illâ deficere talis perfectio; proindeque in nolitione oppositâ succedente nequiret permanere. Aliàs de eodem omnino subiecto, etiam virtualiter indistincto, siue vnico, verificaretur, esse quid contingens, & simul penitus necessarium. Quod est chymæricum. Impossibile ergo est, eamdem numero determinatam perfectionem, quam modo habet volitio Dei omnino identificatam secum, ita consistere in disiuncto volitionis, vel nolitionis, vt, harum alterutrâ existente, eadem semper permaneret. Nec dicat quispiam distam perfectionem virtualiter à volitione, à nolitioneque distingui; proindeque, alterutrâ deficiente, posse illam in residuâ persistere. Nam hoc, praterquàmquòd est contra sententiam expressam Doctoris, quem impugnamus, totam discursus ipsius machinam labefactat. Tum quia iam perfectio

fectio volitionis, & nolitionis non in ipsarum disiuncto, sed in formalitate determinata virtualiter ab ambabus distincta consisteret. Tum quia iam volitio diuina prout condistincta virtualiter à reliquis formalitatibus Dei, non diceret perfectionem ex proprio conceptu. Tum denique quia, si sat esset, volitionem, & nolitionem liberam à perfectione sibi virtualiter extrinseca perfici, superuacaneè alia perfectio ad id muneris signaretur, præter perfectionem propriam essentiæ, aut volitionis necessariæ. Quod esset, in sententias aliorum Recentiorum paulò ante refutatas recidere. Quæ omnia à mente, intentioneque dicti Doctoris aliena sunt.

137 Cuius cogitationis falsitas, fallaciaque inde secundò ostendi potest. Quia vt concors omnium consensus est, quidquid realiter existit, determinatum est in suâ entitate. Repugnat enim, quòd aliqua duo sub disiunctione, atque adeò vagè, siue indeterminatè existant, & neutrum eorum existat determinatè, vt est notissimum; à nobisque vt tale statutum in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 5. proposit. 6. Sed perfectio volitionis diuinæ, quemadmodùm & ipsa volitio, aliquid est à parte rei determinatè existens, vt constat. Igitur in disiuncto volitionis, vel nolitionis, quod quatenus tale formaliter à parte rei determinatè non existit, nequit illa consistere reuerà: sicut neque in tali disiuncto consistit reuerà ipsa volitio.

138 Tertiò. Quia, quo iure ab Aduersario dicitur, totam perfectionem, seu bonitatem volitionis, & nolitionis consistere in disiuncto vtriusque; eodem vtique dici debet, totam entitatem, totam veritatem, totam vnitatem, totaque cætera prædicata volitionis, & nolitionis pariter in vtriusque disiuncto consistere: quandoquidem hoc non minùs cætera cuncta prædicata, quàm perfectionem, seu bonitatem complectitur suo conceptu, vt patet. Atque ita, quo iure etiam asseritur ab Aduersario, existente solà volitione perfectionem totam, tam volitionis, quàm nolitionis existere à volitione ipsà indistinctam; eodem vtique est ab eo asserendum, existente solà volitione, omnia prædicata tam nolitionis, quàm volitionis, atque adeò integram nolitionem cum integrà volitione identificatam existere. Quod tamen Chymæricum est; vt constat.

139 Quartò. Conceptus disiunctiuus volitionis, vel nolitionis Mundi æquè est cum veritate prædicabilis de nolitione, ac de volitione; vt constat. Sed perfectio, quam de facto habet volitio Mundi, nullatenus est cum veritate prædicabilis de nolitione, vtpote omnimodis identificata cum volitione, quæ nullatenus de nolitione cum veritate prædicabilis est. Ergo perfectio, quam de facto habet volitio Mundi nullatenus consistere potest in illo conceptu disiunctiuo. Confirmatur, & declaratur. Perfectio, quam de facto habet volitio Mundi omnimodis est ab illà indistincta. Ergo æquè est oppositа nolitioni Mundi, ac est oppositа illi volitio ipsa. Alioquin idem conceptus simplex eidem esset simul oppositus, & non oppositus. Quod est Chymæricum. Sed conceptus prædictus disiunctiuus non est oppositus nolitioni Mundi; vt constat. Igitur nequit in eo consistere perfectio, quam de facto habet volitio Mundi.

140 Dicet Aduersarius. Veritas obiectiua disiuncti talis est, taliterque communis vtrique extremo, vt in quouis eorum tota integrè reperiatur: quia quoduis eorum est ipsum, vel alterum; &, quouis eorum existente, verum est, ipsum, vel alterum existere. Ergo pariter in casu nostro perfectio disiuncti volitionis, vel nolitionis Mundi talis, taliterque communis vtrique extremo poterit esse, vt tota in quouis eorum seorsim integrè reperiatur, atque ita ea tota de facto sit in volitione Mundi existente, nihilo prorsus ipsius deficiente propter defectum nolitionis oppositæ, vt tota similiter absque vllo sui defectu fuisset in nolitione ipsa, casu, quòd Deus vice versà nolitionem præ volitione, seu volitione omissa, elegisset, En vbi latet tota doctrinæ, quam impugnamus, fallacia. Quam vt penitus deprehendas, lege, quæ de veritatibus disiunctiuis habemus scripta in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. & 5.

Ex dictis enim ibi constat, nullam obiectiuam veritatem formaliter disiunctiuam dari à parte rei; (alioquin darentur à parte rei entia vaga contra principium certum statutum ex mente omnium nuper num. 137.); sed conceptum formaliter disiunctiuum dumtaxat in mente nostrâ obiectiuè prout cognoscentibus per species alienas habere locum; neque posse illum habere apud cognoscentes per proprias. Verificatiuum autem reale iudicij nostri formaliter etiam disiunctiui tendentis in talem conceptum duplex posse esse. Primum aggregatum duarum veritatum conditionalium, quibus vnumquodque ex extremis disiuncti conditionatè, determinateque verum est sub conditione negationis alterius. Secundum veritas absoluta, & determinata cuiusuis ex dictis extremis. Ex quibus primum nuncupauimus veritatem obiectiuam disiunctiuam æquiualenter; formaliter siquidem veritas quædam complexa conditionata, atque determinata est, non aliter iudicabilis ab intuentibus, quàm per iudicium siue simplex, siue complexum formaliter conditionatum, quod consequenter dici potest æquiualenter disiunctiuum: cum tamen à nobis vel per iudicium complexum simile, vel per iudicium absolutum simplex, formaliterque disiunctiuum iudicabilis sit. Secundum autem verificatiuum, cum sit à parte rei veritas quædam determinata, & absoluta, ab intuentibus per iudicium solum absolutum, atque determinatum est iudicabilis; à nobis verò insuper per illud iudicium absolutum, & formaliter disiunctiuum, cuius verificatiuum esse potest. 141

Ex his, quæ loco citato demonstrata, latiùsque exposita videri possunt, sequitur primò, nullam veritatem obiectiuam posse à parte rei dari, quæ non sit determinata, identificataque adæquatè cum eo, vel cum eis entibus, quibus conuenit, idque ita immutabiliter, vt prorsus repugnet, eam modò cum vno, & modo cum altero pro diuersitate casuum identificari realiter. Secundò sequitur ad rem nostram, veritatem obiectiuam à parte rei correspondentem cuiuis iudicio nostro disiunctiuè quoquomodo tendenti in diuinam volitionem, vel nolitionem Mundi, aut esse veritatem complexam conditionatam, qua vtraque determinatè est vera sub conditione negationis alterius, & quæ cum vtraque subinde prout in statu conditionato est identificata realiter; aut esse veritatem determinatam absolutam, quam secum adæquatè identificatam habet modò volitio, futuram pariter veritatem determinatam absolutam, quam secum similiter 142

adæquatè identificatam haberet nolitio, casu, quòd ea à Deo præ volitione fuisset electa. Quando enim iudicium disiunctiuum per veritatem determinatam absolutam alterius ex extremis disiuncti venit verificandum, veritas cuiusuis eorum seorsim est apta, & sufficiens ad talem verificationem. Hinc tamen non sequitur, esse in ambabus vnam numero veritatem obiectiuam; (id enim manifestè repugnat, vt constat ex dictis); sed esse duas, æquiualentes tamen in ordine ad dictam verificationem iudicij disiunctiui causandam. Quòd si volitio, & nolitio Mundi nequaquam per vnicam, sed necessariò per duas veritates euadunt à parte rei veræ, quandocunque sunt veræ; neque per vnicam, sed necessariò per duas perfectiones euadent à parte rei perfectæ, quandocunque perfectæ sunt. Quotota opinatio Doctoris, cum quo modo agimus, prorsus ruit.

143 Venio iam ad exempla, quæ in eius subsidium afferebantur, & dico ad primum, non ideo manere eumdem numero Deum siue cum hac personalitate, siue cum illâ; quia Deus reatter constituatur per disiunctum personalitatum, aliàs cum vnaquaque earum identificatum realiter: hoc enim manifestè repugnat, vt constat ex dictis. Sed quia in ordine ad acceptionem theologicam multiplicantem solùm Deos penes multiplicationem Deitatis expressè per nomen *Deus* significatæ, quidquid sit de personalitatum multitudine, perinde se habet æquiualenter, quòd Deus per hanc personalitatem, aut per illam, aut per tres omnes constitutus ponatur. Cæteroquin, loquendo physicè, negari nequit, constitutum ex Deitate, & Paternitate distinctam numero realitatem esse à constituto ex Deitate & Filiatione. Imo & theologicè Pater, & Filius duæ personæ realiter distinctæ sunt, licèt non sint duo Dij, propter diuersum modum significandi istorum nominum. De quo plura suo loco. Ad secundum exemplum dico, conceptum requisiti ad videndum non consistere à parte rei in vllo disiuncto, quidquid sit de nostro modo concipiendi: quia à parte rei quidpiam disiunctiuum, seu vagum dari non potest, vt sæpe diximus: sed in duabus veritatibus conditionatis, quibus determinatè est verum, dextrum oculum requisitum esse ad videndum, si desit siniſter; & siniſtrum, si desit dexter. Ad tertium dico, quia spatia, & tempora solùm discriminantur à nobis penes inequalitatem distantiarum, quas habent comparatione alicuius tertij assignabilis; ad æquales autem distantias constituendas æquiualenter sunt idem omnes vbicationes, & durationes omnino similes; idcirco solere dici, hoc numero spatium, vel tempus per hanc, vel illam, vel aliam vbicationem, vel durationem possibilem constitui, nimirum æquiualenter, non physicè. Ad quartum mutuatum ex opinione dicentium, perfectionem simpliciter simplicem, quam habent Personalitates diuinæ consistere in earum disiuncto dico, talem opinionem esse falsissimam: quia non potest quid piam à parte rei consistere in aliquo disiuncto; vt diximus sæpe.

144 Adde, estò per eiusmodi exempla probaretur, esse possibile, vt aliquid à parte rei daretur consistens in disiuncto extremorum; quòd tamen tale disiunctum sit adæquatè identificatum cum extremis singulis seorsim, ac determinatè sumptis, etiam quando ea sunt essentialiter opposita inter se, prout postulat doctrina, contra quam agimus, aliunde est omnino impossibile, vt argumenta contra illam à nobis facta clarè videntur demonstrare.

Iam ratio pro illà ad ducta ab Auctore suo, relataque à nobis supra n. 134. non minùs fallax est, quàm ipsa doctrina. Nam ex eo, quòd duo quæpiam æque sint bona sumpta seorsim, coniunctum autem ex vtroque bonum non sit, solum infertur, quoduis eorum æquè, atque alterum, esse æstimabile, atque ita in vnoquoque, non quidem physicè, (prout in proposito opus erat), sed æquiualenter residere bonitatem, atque æstimabilitatem alterius, & consequenter pariter etiam æstimabilitatem amborum; siquidem ambo non aliam habent æstimabilitatem ab eâ, quam vnumquodque seorsim habet, vti supponitur. 145

Venio ad aliam cogitationem relatam num. 87. aliorum Recentiorum dicentium, volitionem diuinam in signo actus primi, siue possibilitatis antecedente signum actus secundi, siue existentiæ indifferentem esse ex suo conceptu, vt sit in eo signo sequente vel quid diuinum, vel chymæra. Quæ quidem cogitatio imprimis falsissima est. Quia manifestè repugnat, vt aliquid sit indifferens ad essendum aliud ab eo, quod essentialiter, siue quiditatiuè est: cum essentiæ rerum euidenter sint inuariabiles, vt in confesso est apud omnes. Si autem volitio diuina in statu possibilitatis, siue qniditatiuo anteriori esset indifferens ad essendum in posteriore existentiali vel quid diuinum, vel chymæra, & consequenter vel perfectio, vel imperfectio; planè esset indifferens ad essendum aliud ab eo, quod essentialiter, siue quiditatiuè est: quandoquidem in eo statu anteriori ex suo conceptu quiditatiuo, & essentiali neque est chymæra, neque imperfectio, neque quid diuinum, neque perfectio iuxta Aduersarios. 146

Deinde. Quia perperam volitio diuina dicitur chymæra omni perfectione exuta, quando non existit; & perfectio ab omni perfectione immunis, quando existit, eo titulo, quòd ex suppositione, quòd non extitit semel, nunquam potest existere, & ex suppositione, quòd semel extiterit, quam potest deficere. Quandoquidem nec potest non esse perfectio potentia antecedens, quam illa habet ad existendum, nec potest non esse imperfectio potentia antecedens, quam habet etiam ad deficiendum, seu non exstendum. Et solùm dici potest chymæra sine perfectione, quod etiam antecedenter, atque adeò simpliciter est impossibile; & perfectio sine imperfectione, quod etiam antecedenter, atque adeò simpliciter est indefectibile. 147

Ex quo patet, per istam Recentiorum cogitationem (estò ea tolerabilis esset) difficultatem, quam versamus, nihil mitescere, Quoniam volitio diuina ex suo quiditatiuo conceptu nec potest non esse perfectio propter potentiam antecedentem, quam habet, vt existat identificata cum Deo; nec potest non ferre secum mixtam imperfectionrm propter potentiam etiam antecedentem, quam habet ad non existendum. Recurruntque absurda, quæ inferebamus per argumentum sextum propositum num. 117. Nimirum, & aliquam perfectionem diuinam realiter identificatam cum Deo defectibilem esse; & aliquam perfectionem diuinam realiter identificatam cum Deo non infinitam, imo nec puram, sed mixtam esse imperfectione, Quod vtrumque

que omnino repugnat iuxta sententiam omnium.

149 Adde, per eiusmodi dicendi modum nihil aliarum difficultatum demi, quas superiùs satis, superque expendimus contra sententiam Caietani. A qua horum Recentiorum sententia, ne vt aliæ quidem relatæ, atque etiam refutatæ dissidere videtur.

150 Nec magis idonea, sed longiùs à proposito aliena, pluribusque, & euidentioribus implicationibus referta est alia cogitatio, quæ sequitur, relata num. 88. eorum Recentorum, qui dicunt, volitionem diuinam non aliter defectibilem esse, quàm transeundo in identitatem cum nolitione oppositâ: ita enim fieri, vt sit libera quatenus transeundo in nolitionem oppositam potest non reddere Deum volentem; & sit perfectio indefectibilis, quatenus nequit non manere vel in se, vel in oppositâ nolitione. Quis enim non videat, doctrinam hanc plenam contradictionibus esse? Primò; quia claram fert secum contradictionem realis, existentialisque identificatio extremorum, quæ essentialiter sunt interse opposita quoad existentiam realem: nam quomodò existent identificata ea, quibus per essentiam repugnat existere coniuncta? Secundò; quia, si cum nolitione existente existit identificata volitio; & è conuersò. Ergo, quàm necessarium est, existere alterutram, tam necessarium est existere vtramque; neutraque subinde est, contingens: cùm tamen vtraque ponatur libera; quæ est alia contradictio. Tertiaque erit, si dicatur, neutram esse liberam in existendo; esse tamen vtramque liberam in denominando. Nam denominatio in præsenti aliud re ipsâ esse non potest, præter subiectum, & formam, Deum scilicet, & suam volitionem. Repugnat ergo, vt denominatio sit libera, si tam formæ quam subiecti existentia prorsus est necessaria. Præterquàmquòd, si volitio non potest non manere identificata cum nolitione, quando hæc existat; & è conuersò; necesse planè est, vt hoc vnum semper existat, quod simul est ex conceptu suo volitio, & nolitio. Ergo non est, cur Deus aliquando potiùs volens, quàm nolens; aut potiùs nolens, quàm volens ab eo vno denominetur. Vnde aliæ sequuntur contradictiones. Deum scilicet semper, & necessariò denominandum esse ab eo vno volentem simul, & nolentem efficaciter idem obiectum. Taleque obiectum subinde & extiturum prout postulat essentialiter volitio Dei efficax de illo, & simul non extiturum, prout postulat efficax nolitio. Mitto alias chymæras, quæ ex cogitatione prædictâ possent inferri.

151 Ad illud autem, quod eius Auctores pro se afferebant; scilicet, sicut existere rem, aliud non est, quàm esse rem identificatam cum suâ existentiâ, ita rem non existere, siue esse nihil, aliud non esse, quàm rem esse identificatam cum suo contradictorio; contradictoriumque volitionis esse nolitionem oppositam. Dico primò; aliud esse existere rem, & aliud esse rem identificatam cum suâ existentiâ, vniuersè loquendo; siquidem etiam in statu puræ possibilitatis dicitur esse res identificata cum suâ existentiâ possibili, & tamen non dicitur existere. Existere ergo rem, est eam habere *esse* extra causas, siue in rerum naturâ, siue eam esse in statu existentiali. Quod amplius non est explicabile prout notaui suo loco. Sed, quidquid de hoc sit dico secundò, vt apud omnes certum, & euidens, longè aliud esse rem non existere, siue esse nihil, (puta existentialiter), ac esse rem identificatam cum suo contradictorio; cùm potiùs sit, rem per suum contradictorium esse exclusam ab statu existentiali; seu esse spoliatam, negatam, siue priuatam existentiâ; apertissimèque repugnet identificari rem in statu existentiali cum eo, per quod formaliter ab eo statu remouetur, & pellitur, quale est eius contradictorium, in quocunque demum illud confistere dicatur.

Præterquàmquòd aliunde est euidens, non 152
posse rem cum suo contradictorio identificari. Nam vel identificaretur cum illo contingenter: & hoc non: quia identitas cum quolibet pertinet ad essentiam rei, quæ contingenter variari nequit, vt est certissimum. Vel identificaretur necessariò: & hoc minùs: quia nulla res esset contingens: cùm nulla posset non existere vel in se, vel cum suo contradictorio identificata; hoc ipso, quòd impossibile est, vt ambo extrema contradictionis simul deficiant, seu non existant.

Ex quibus omnibus concluditur, ita voli- 153
tionem Dei liberam dicere ratione sui perfectionem, vt si ea quoad entitatem suam, aliàs realiter identificatam cum Deo, verè, formaliter, & propriè sit defectibilis, prout omnes Recentiores, quos impugnauimus opinantur cum Caietano, non possit non aliqua perfectio Dei defectibilis esse, & consequenter nec possit non esse imperfectum aliquid cum Deo identificatum realiter: quale est citra omne dubium perfectio defectibilis. Quod erat absurdum, assumptumque sexti argumenti facti pro nostrâ propositone num. 117.

Quo posito, septimò pro eâdem sic argui 154
potest. Omnis potentialitas ad recipiendum intrinsecè aliquam superadditam perfectionem apertam dicit imperfectionem repugnantem Deo, vtpote qui purissimus actus est nullatenus amplius perfectibilis per quid sibi accessorium iuxta doctrinam certam statutam circa proposit. 1. Ergo potentia ad recipiendam perfectionem per identitatem cum indifferentiâ ad illam non recipiendam, nequit non dicere imperfectionem Deo repugnantem. Patet consequentia. Quia talis potentia à Deo tollit rationem purissimi actus, quam ei vel Philosophi ethnici tribuerunt. Cùm conctituat Deum in potentiâ ad perfectionem sibi intrinsecam, qua reipsâ potuit carere. Sed talis est potentia, quam Deus habet ad volendum liberè, iuxta sententiam, quam impugnamus, vt ex dictis hactenus constat. Ergo.

Octauò. Quisquis intuitiuè videt Deum, 155
nequit non videre intuitiuè omnes veras, & reales formalitates, quæ realiter, & absolutè sunt ipse Deus, iuxta sententiam communiorem, & mihi verissimam. De qua egi in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 11. Ergo Beati in sententiâ, quam impugnamus, non possunt non videre omnia decreta Dei libera: cum ea sint veræ, & reales formalitates, verè, & realiter identificatæ cum Deo. Tum, qui non attingit suâ visione, quidquid absolutè, & realiter est ipse Deus, perfectè, & plenè nequit esse beatus, vtpote non possidens, quidquid perfectionis, & bonitatis reperitur in Deo. Sed ita se necessariò habent iuxta sententiam dictam, qui suâ visione non intuentur omnia decreta Dei. Ergo nullus eorum plenè, & perfectè est beatus. Quod est absurdum. Imo nec Deus tam planè est nunc beatus, quàm esset, si decreuisset alium Mundum, vtpote non videns nunc id, quod absolutè, & realiter esset tunc ipse

Deus.

Deus. Quod longè maius absurdum est. Præterea, id, quod absolutè, & realiter est idem cum Deo, atque adeò perfectio est eius iuxta superiùs dicta, ab existentiâ creaturæ pendere non potest: hoc enim imperfectionem inuoluit satis in Scripturis sacris, & à sanctis Patribus repudiatam, dum dicunt, Deum nihilo prorsus indigere ad sui perfectionem extra se; prout latè scripsimus tom.1.disp.4.quæst.2. Sed decretum efficax Dei ex conceptu suo pendet ab existentiâ creaturæ vt à termino connexionis sibi omnino essentialis. Ergo decretum efficax Dei consistere nequit in formalitate realiter, & absolutè identificatâ cum Deo, atque adeò ad eius perfectionem intrinsecè pertinens iuxta dicta.

Tertia classis probationum propositionis tertiæ contra cogitationem Ribadeneiræ relatam nu. 89.

156 Quanquam enim cogitatio huius Doctoris non tam expressè, & directè, quàm cæteræ hactenus impugnatæ, dictæ propositioni opponatur; propter affinitatem tamen, quam cum illis habere videtur, eius quoque impugnatio cedet in illius probationem. Dicit itaque, actum Dei liberum in quadam Dei ad obiectum habitudine non necessariâ consistere, quæ neq; simpliciter distincta est ab entitate Dei necessariâ, neque simpliciter identificata cum illa; sed ante operationem intellectus ab eâ entitate est distincta distinctione diminutâ, & cum eâdem entitate identificata diminutâ identitate. Vocat autem diminutè distincta, & diminutè identificata ea extrema, quæ, cùm simpliciter non sint vnum, & idem, ita se habent, vt neque propriè sint multa, neque constituant numerum. Additque, eiusmodi habitudines Dei liberas in abstracto non posse concipi, sed tantùm in concreto, prout significantur his vocibus *Deum velle*, *Deum scire*.

157 Hæc cogitatio cæteris hactenus reiectis videtur mihi difficilior, atque à veritate remotior. Primò; quia inducit conceptus exoticos, & à communi concipiendi modo prorsus extraneos; cuiusmodi procul dubio sunt distinctiones istæ, identitatesque diminutæ.

158 Secundò; quia eiusmodi conceptus non possunt non esse chymærici, si vera sunt euidentissima quæque principia Metaphysicæ. In horum enim numero recensendum venit haud dubiè tanquam principium euidentissimum; inter idem, & distincta, siue inter vnum, & multa non dari medium, atque ita necessarium omnino esse, vt, quæ à parte rei non sunt vnum, & idem, à parte rei sint plura, & distincta; & è conuersò, vt, quæ à parte rei non sunt plura, & distincta, à parte rei sint vnum, & idem. Idque loquendo absolutè, & simpliciter, & absque vllâ limitatione, seu restrictione. Si ergo habitudo illa, in qua ponitur ab hoc Auctore volitio Dei libera, & entitas Dei à parte rei simpliciter, & absolutè non sunt vnum, & idem, necessarium omnino est, quòd à parte rei simpliciter, & absolutè sint plura, & distincta; vel si à parte rei non sunt simpliciter plura, & distincta, quòd sint à parte rei simpliciter vnum, & idem. Id quod aliter sic demonstratur. Vel hæc propositio, *Ea habitudo est entitas Dei*, est simpliciter vera. Vel hæc eius contradictoria, *Ea habitudo non est entitas Dei*. Alterutrum quippe horum duorum esse omnimodis necessarium, euidentissimum est. Si dicatur primum. Ea habitudo, & entitas Dei erunt vnum, & idem simpliciter, si quidem verbum *est* substantiuè acceptum (vti accipitur) idipsum significat, vt apud omnes est in confesso. Si verò dicatur secundum. Ea habitudo, & entitas Dei erunt plura simpliciter. Id namque significat etiam apud omnes, *vnum non esse aliud*. Quandoquidem existentibus ijs, quorum vnum non est aliud, compertissimum cunctis est existere vnum, & aliud. Quod ipsum est existere duo, atque adeò plura simpliciter constituentia numerum. Planè ergo repugnat, vt ea habitudo, & entitas Dei non sint aut vnum, & idem simpliciter: quo redditur in sententiam hactenus impugnatam: aut plura constituentia numerum: quo caditur in absurda Constituentium Dei volitionem per quid positiuum æternum simpliciter distinctum à Deo, & ei superadditum.

Dicit, per exempla probari, dari reuerà 159
conceptus ita ab alijs diminutè distinctos, vt cum illis non faciant numerum, tametsi non sint cum illis vnum, & idem. Ita enim, inquit, se habent priuatio formæ, & materia, quæ non faciunt binarium, suppositò, quòd priuatio sit nihil, vt communis sententia fert; tametsi materia secundùm se, & materia vt priuata forma aliquo modo distinguantur: quandoquidem benè potest materia existere, quin existat priuata forma. Sic sonus B A à sono A distinctus aliquo modo est; & tamen quod in sono B A respondet B nequit facere binarium cum sono A: quia B per se seorsim nullum habet sonum. Sic terminus *omnis homo* à termino *homo* aliquo modo distinctus est; & tamen *omnis* per se seorsim nullum constituit terminum, atque adeò nec facit binarium cum termino *homo*. Sic denique iuxta sententiam Durandi in 1.dist.33.q.1. num.15. modus ex suo conceptu non est hoc aliquid, sed huius, scilicet rei, cuius est modus. Vnde res, & modus sic distinguntur, vt non faciant binarium entium.

Hæc tamen exempla nullatenus huius Au- 160
ctoris assumptum probant. Non primum. Quia, licèt priuatio formæ nihil sit positiuum, tamen, prout distinguitur à materiâ & tanquam negatiua quædam veritas est ei superaddita, cuilitatem, siue binarium extremorum constituat cum illâ reuerà. Quemadmodùm duo secundum omnes sunt opposita inter se cuiusuis contradictionis extrema; tametsi alterum eorum pura negatio, siue remotio alterius sit. Non se- 161
cundum. Quia ad sonum BA non concurrunt B, & A formaliter vt duæ partes eius; (vt sic enim non possent non dualitatem partium componere); sed effectiuè vt duæ causæ ita inditissimæ causantes illum, vt neutra seorsim possit causare eundem; in quo proinde pares sunt. Tametsi A sola insuper sonum A diuersum à sono BA causare possit; cùm tamen B solum non possit causare sonum vllum. Quod nihil ad rem refert. Simile quid euenit in tertio exemplo. Nam hæ duæ voces *Omnis homo*, vt duæ causæ subiectiuæ concurrunt indiuisim ad significationem, quam habent ex hominum institutione, qua videlicet 162
significant omnes homines distributiuè simpliciter; cùm tamen vox *homo* sola aliam diuersam significationem habeat, & vox *omnis* sola habeat tertiam. Quod pariter nihil confert ad rem. Sicut neque quidpiam confert, quod ex Durando affertur de modis pro quarto exemplo. Nam, licet

dicat

dicat Durandus, modum ex proprio conceptu potiùs esse huius, quàm hoc; eo quòd conceptus eius proprius est respectiuus, propterea que non ita cadere sub nomina *res, ens, entitas*, vt res absoluta: non tamen negat, modum, & rem, qua ratione inter se distinguuntur, eadem constituere dualitatem, siue binarium extremorum. Et sanè, cùm nequeat sine absurdo dici, volitionem Dei liberam ita se habere ad substantiam Dei ab æterno, sicuti se habet in tempore modus ad rem; non video, quo titulo Aduersarius trahit pro exponendâ doctrinâ suâ doctrinam Durandi de modis. Stet ergo ex dictis, distinctionem diminutam, quam ille inducit, nullatenus constituentem numerum distinctorum nullum omnino fundamentum in rebus habere, atque adeò prorsus chymæricam censendam esse.

161 Vnde planè sequitur, chymæricum etiam esse, quod addit, illam scilicet habitudinem, in qua volitionem Dei liberam ponit, non esse conceptibilem discretiuè à substantiâ Dei, sed tantùm in concreto cum illâ. Nam euidens est, quodnis ex extremis binarij discretiuè ab altero posse concipi. Ostendimus autem, eiusmodi habitudinem non posse non cum substantia Dei binarium componere, si non est cum illâ simpliciter vnum, & idem, vti supponitur. Sed quidquid de hoc sit. Aliunde idem ipsum contrà Aduersarium demonstratur. Quia dicta habitudo realiter est separabilis per sui defectum à substantiâ Dei; defactoque est sic separata illa habitudo, in qua consisteret nolitio Mundi, si daretur. Ergo multò melius erit separabilis per intellectum. Quod ipsum est, esse illam conceptibilem discretiuè à substantiâ Dei, seu præcisiuè, seu in abstracto. Et quidem, cùm sit euidenter necessarium, quando totum est defectibile, vt aliqua pars constituens ipsum sit adæquatè defectibilis; & consequenter, vt sit adæquatè defectibilis aliqua pars concreti volentis Mundum, quod totum quoddam à Deo defectibile est: euidenter quoque est necessarium, vt de aliquâ parte talis concreti iudicet Deus, esse adequatè defectibilem. Hæc autem iuxta doctrinam, quam refellimus, aliud esse non potest ab habitudine prædictâ omnino abstractâ, præcisâque ab omni prædicato Dei necessario; quia sic sumpta, & non aliter est adequatè defectibilis, vt est notissimum. Ergo tantum abest, vt illa non sit conceptibilis abstracta, præcisaque à substantiâ Dei, quòd potiùs non possit non ita defacto concipi per aliquam Dei cognitionem.

162 Dicit Aduersarius; quemadmodùm in ordine intellectuali iuxta sententiam probabilem de transcendentiâ entis per sui inclusionem vsque ad vltimas differentias, etsi rationale aliquid ampliùs dicat, quàm ens, nihil tamen eius est ita præscindibile ab ente, vt non includat ipsum ens, ita in ordine reali non videri impossibile, vt concretum volentis liberè in Deo aliquid amplius importet, quàm substantiam Dei, à quo illud habet esse contingens, seu defectibile; & tamen in tali concreto nihil sit conceptibile abstractum, siue præcisum à tali substantiâ, & ipsam in suo conceptu non includens reipsà; taliterque subinde habitudinem, in qua volitio Dei libera ponitur, neutiquam conceptibilem esse.

163 Contrà tamen est primò; quòd etiam in ordine intellectuali trascendentia entis per inclusionem vsque ad vltimas differentias prorsus est impossibilis, vt ostendi in Pharo Scient. disp. 17. q. 20. propos. 12. & 13. Sed quidquid de hoc sit.

Contra est secundò; quòd in ordine reali, & 164
in casu nostro euidenter est impossibile, vt in concreto volentis liberè reperto in Deo nulla sit pars ipsum cum Dei substantia constituens, quæ non includat in se realiter ipsam substantiam Dei. Primò; quia si id ita esset, nulla pars talis concreti esset adequatè defectibilis; siquidem nec substantia Dei, nec vlla pars illam includens tallis esse posset, vt constat. Vnde neque concretum ipsum defectibile esset contra suppositionem. Cùm euidenter sit necessarium, vt aliqua pars totius defectibilis sit adequatè defectibilis prout n. 161. statuimus.

Secundò; quia præter totam substantiam 165
Dei aliquid aliud datur in tali concreto: nam aliàs non esset illud defectibile; cùm tota substantia Dei sit indefectibilis. Sed præter totam substantiam Dei nihil restat substantiæ Dei. Ergo in eo alio, quod datur præter totam substantiam Dei, non includitur substantia Dei. Alioquin præter totam substantiam Dei daretur insuper substantia Dei. Quod implicat contradictionem in ipsis terminis.

Tertiò; quia in casu defectus talis concreti 166
non potest non deficere pars aliqua eius, quæ in eo suo statu defectus, seu puræ possibilitatis in suo conceptu quiditatiuo non includat substantiam Dei; cùm hæc, vt pote indefectibilis, talem statum nequeat habere. Sed eamdem quiditatem, & non aliam, retinet talis pars in casu existentiæ ipsius concreti, dum illud in statu existentiali componit, vt est manifestum. Ergo etiam in statu existentiæ talis concreti talis pars eius non includit substantiam Dei.

Quartò; quia Beatus videns totam substan- 167
tiam Dei ideò præcisè ignorat dictum concretum, (pono esse illud vnum ex Dei decretis ab eo ignotis), quia ignorat reliquum contentum in illo præter totam substantiam Dei. Ergo in tali reliquo non includitur substantia Dei. Pater consequentia. Quia, si includeretur, præterquàm quòd præter totam substantiam Dei daretur insuper in eo reliquo substantia Dei cum contradictione in ipsis terminis paulò ante indicata, alia sequerentur absurda. Nam Beatus ignorando illud reliquum, vel ignorat substantiam Dei in eo inclusam. Et hoc euidenter repugnat: quia ignoraret, & non ignoraret simul substantiam Dei. Vel ignorat tantùm, quod est residuum in eo reliquo præter substantiam Dei. Et de hoc redibit eadem quæstio, abiturque in infinitum. Quod euidentiùs adhuc repugnat. Quid enim vel ex ipsis terminis euidentius, quàm esse chymæricum, quòd Dei substantia in dicto concreto per inclusionem physicam sit infinities posita, seu repetita ita, vt primò sit inclusa in toto concreto; secundò in reliquo, quod præter illam concretum continet; tertiò in residuo, quod præter illam continet ipsum reliquum; & sic deinceps sine fine. Sed demonstremus id aliunde argumento sequente.

Vnica res componens physicè vnicum totum 168
simul cum alio quopiam etiam vnico semel tantùm esse potest posita in tali toto, non pluries, nedum infinities. Sed substantia Dei est vnica res; totum quod physicè componit simul cum suprà dicta habitudine, videlicet prædictum concretum vnicum est; & habitudo ipsa est vnica. Ergo substantia Dei in tali concreto semel tantùm potest posita esse, non pluries, nedum infinities. Consequentia est legitima. Et minor certa. Probatur

batur maior primò ; quia positio partis in toto aliud non est ab entitate ipsius partis prout connotante residuum , cum quo componit totum , aut etiam totum ipsum . Ergo quando pars est vnica, residuum est vnicum,& totum ex vtroque compositum est vnicum, vti euenit in casu nostro, positio partis in toto nequit non esse vnica . Secundò ; quia si non esset vnica , totum compositum per talem partem & esset vnicum , vt supponitur , & simul cum contradictione non esset vnicum : quia, si semel in toto, & iterum in residuo per inclusionem posita esset , sublata à toto, & totum cum ipsà , maneret in residuo componens ipsum tanquam secundũ totum.(Consequenterque infinita tota essent per ipsam composita, eaque omnia in eorum primo inclusa physicè , si iuxtà cogitationem , quam impugnamus , infinities esset in eo posita per transcendentem inclusionem . Quod est clarius absurdum). Tertiò denique probatur eadem maior à priori; quia, sicut est de quiditate totius ex pluribus partibus componi , ita est de quiditate ipsarum esse compartes inter se . Compartes autem eæ solùm sunt, quarum neutra includit alteram in se . Siquæ enim in se includat alteram, non vt compars, sed vt totum veniet comparanda cum illà . Concluditur ergo , partem vnicum tantùm totum componentẽ semel tantùm posse esse in eo posita per inclusionem . Quod erat probandum . Et consequenter substantiam Dei vnicum tantùm concretum volentis liberè simul cum habitudine superiùs commemorata componentẽ semel tantùm in ipso concreto, non verò iterum in ipsà habitudine physicè inclusam posse esse : multòque minùs rursus iterum in residuo , & iterum in alio residuo, & sic deinceps in infinitum . Quod erat tandem ostendendum .

169 Per ea, quæ dicta sunt hactenus, efficaciter, ni fallor, manent disiecta fundamenta omnia, quibus suam Auctor citatus substruxerat cogitationem . Quibus sublatis , nec ea vllatenus stare potest , nec sine absurdis ingentibus sustineri .

170 Supposito enim , vti supponit , quòd ea habitudo , in qua constituit actum liberum Dei, ex vnà parte est entitas quædam positiua existens abæterno , ex alià verò non est simpliciter identificata cum Deo, ita, vt dici cum veritate possit, *Hæc habitudo est Deus* . Consequenterque cum veritate dicatur . *Hæc habitudo non est Deus*, Manifestè sequitur primò , talem habitudinem creaturam quamdam esse existentem ab æterno; quod est contra fidem . Quia omne positiuum existens, quod non est Deus, eo ipso est creatura : quia quidquid existentiam habet, & non à se, qualiter solùm habet id, quod est Deus , non potest non habere illam ab alio ; cùm non detur medium : quod ipsum est,esse creaturam. Secundò sequitur, eiusmodi habitudinem accidẽs quoddam esse æternum,intrinsecumque substantiæ Dei : quod etiam est contra articulum fidei de omnimoda Dei simplicitate iuxta,ea quæ dicebamus circa propos. 1. cùm sit ex conceptu suo quid ab æterno superadditum substantiæ Dei reddens ipsam volentem, siue scientem obiectum creatum ; quæ denominationes sunt intrinsecæ, imo vitales , & immanentes; atque adeò prouenientes necessariò ab aliquo, si non identificato subiecto , intrinsecè saltem ei inhærente , siue adhærente , quod accidentis intrinseci proprium est .

171 Hæc autem absurda non impediri , sed summùm obscurari , nepateant, per terminos distinctionis,identitatisque diminutæ,aliosque huiusmodi , quibus illa impedire satagit ipsorum Auctor, manifestum est, supposito,quod tales termini non verum vllum , sed chymæricos conceptus intrudant . Quales intrudere quidem, satis videmur in præcedentibus ostendisse . Vnoque verbo tota res hæc videtur confici . Euidenter siquidem est necessarium , vt habitudo supradicta vel sit Deus, vel non sit Deus . Si dicatur, eam esse Deum;recidit in sententiam Caietani , & Asseclarum in præcedentibus profligatam . Si dicatur,eam non esse Deum ; negari nequit , eam esse creaturam ; caditurque in absurda nuperrimè expositа .

Propositio 4.

172 Decretum Dei liberum in esse talis per extrinsecum connotatum temporale nullatenus potest compleri,siue in denominatione consistere extrinsecà,vel semiextrinsecà Deo, eive proueniente aliquo modo ab eiusmodi connotato .

Hæc præpositio contra Auctores est quartæ sententiæ, quos Connotantes appellamus , complentes aliquo modo diuina decreta per connotata temporalia realiter distincta à Deo. Cæterùm, vt solidiùs ea,atque efficatiùs comprobetur, operæ prætium erit imprimis sententiam , cui contradicit , proponere paulò explicatiùs iuxta politiores modos eam explicandi ex ijs, quos excogitarunt eius Propugnatores . Dicunt itaque illi communiter, amorem Dei necessarium, quo se Deus amat , amorem quoque esse absolutum, & veluti in actu primo cæterorum omnium amabilium ; sicut scientia, qua Deus se cognoscit, scientia absoluta est , & quasi in actu primo omnium cognoscibilium . Amor quippe , quo Deus se amat,cùm intra genus amoris sit infinitus , (siue quia obiectum specificatiuum,siue quia subiectum eius est ens infinitum per essentiam , quod non interest ad rem) , non potest non habere virtutem ad attigendum omne obiectum amabile ; sicut diuina scientia ob eamdem rationem non potest non esse expressiua , seu repræsentatiua cuiusuis obiecti cognoscibilis . Fit autem amor diuinus amor, seu volitio obiecti creari quasi in actu secũdo, dum veluti dirigitur, extenditur, siue terminatur ad illud , hoc ipso, quòd illud est futurum in suo tempore reuerà . Vnde huiusmodi terminatio , ac veluti habitudo ad creatum obiectum sine ipsius obiecti connotatione nec potest intelligi, neque esse . Per eam autem amor Dei necessarius amor creaturæ liber euadit , quatenus liberè , siue contingenter extenditur, seu terminatur ad creaturam , hoc ipso, quòd creatura liberè , seu contingenter ponitur , siue ponenda est . Vel, vt explicant alij , amor Dei necessarius ita est amor, siue volitio creaturæ , vt nequeat denominare Deum amantem , siue volentem creaturam independenter à positione,siue existentiâ creaturæ: sic enim hanc conditionem requisitam ad talem denominationem. Alij aliter dicunt , Deum non tam eligere amorem liberum creaturæ , quàm eligere obiectum , quod per suum amorem necessarium liberè amet , quod præstat, ponendo liberè obiectum ipsum. Sed omnes istæ explicationes in idem recidunt . Nimirum denominationem volentis creaturam in Deo ita semiextrinsecam esse, vt vnum ex fundamentis eius sit ipsa creatura:denominari

minari enim Deum volentem creaturam, non à suâ intrinsecâ volitione præcisè, sed ad ipsâ prout connotante creaturam. Vtrùm verò eiusmodi connotatio respectus rationis sit formaliter, an potiùs realis denominatio dicens in recto volitionem Dei necessariam, & creaturam in obliquo, quæstio est parui momenti ad rem; cùm sit communis cæteris omnibus denominationibus, quæ à fundamento aliquo extrinseco saltem ex parte desumuntur.

373 Hinc sequitur contra eos, qui minùs efficaciter impugnant sententiam istam, ita volitionem creaturæ esse ipsam volitionem Dei intrinsecam prout terminatam ad creaturam vt ex æquò, & in recto non vtrumque, (vt malè opinatus est Basilius citatus num. 90.), sed sola volitio Dei ponatur, connotatâ creaturâ dumtaxat in obliquo, Quo fit, vt Deus nullatenus dicendus sit velle liberè per aggregatum ex suâ volitione, & creaturâ, atque adeò per creaturam ipsam partialiter, sed tantùm per suam volitionem ad creaturam terminatam. Per id enim solùm Deus dicitur velle, quod volitio creaturæ dicit in recto, non per connotatum obliquum: tametsi hoc sit necessarium, vt dicatur velle. Quod non est hìc speciale, sed commune similibus denominationibus. Causa enim non dicitur conservare effectum nunc, adhuc partialiter, per existentiam præteritam ipsius effectus, sed per præsentem actionem ad ipsum terminatam; tametsi neque actio hæc diceretur conseruatio; neque causa conservare effectum per illam, nisi antea effectus præextitisset. Tum causa non dicitur mutare subiectum, adhuc partialiter, per negationem præcedentem formæ productæ, sed tantùm per actionem, qua illam producit; & tamen, nisi ea negatio præcessisset, productio illa formæ non esset mutatio. Quòd si talis productio sit immanens, causa per aliquid intrinsecum dicetur mutare se ipsam; tametsi actio, qua se mutat, sine extrinsecâ seu iam præteritâ negatione non esset mutatio. Cuius doctrinæ ratio est quia non singula denominationis extrinsecæ, vel semiextrinsecæ fundamenta subeunt denominationem eamdem, vt in exemplis positis, in alijsque, quæ passim occurrunt, apparet. Ex quo patet, in sententiâ istâ Deum per suam in trinsecam volitionem dicendem esse velle creaturam, & non per aliquid extrinsecum adhuc partialiter; tametsi, deficiente extrinseco, non diceretur illam velle. Quo multæ eneruantur impugnationes, quibus sententia dicta impeti solet à non nullis: prorsusque manet reiectus modus eam explicandi Basilij.

374 Deinde sequitur, secundùm illam non esse eamdem denominationem in Deo volentis producere creaturam, & creaturam producentis; tametsi ab eisdem fundamentis physicis vtraque denominatio sumatur. Atque ita benè posse Deum dici, & reuerà esse volentem creaturam ab æterno, etiam si in tempore dumtaxat dicatur, & sit eam producens. Ratio est in promptu; quia sæpe ex eisdem fundamentis diuersæ denominationes, seu relationes pullulant. Calor enim, & frigus vt formæ oppositæ comparantur, tum vt dissimiles, tum vt æquales, vel inæquales, quarum denominationum ipsæ entitates dumtaxat frigoris, & caloris sunt fundamenta. Ab eodem actu prauo nunc denominatur homo peccaturus; nunc peccans, offendens Deum; nunc maculatus, inimicus Dei, dignus pœnâ. Pariterque in similibus. Ita Deus ab eâdem productione creaturæ denominatur producens creaturam, denominatur volens producere, denominatur videns productionem, tum dissimilis productioni, coexistens illi, &c. Ex quibus denominationibus quædam exposcunt productionem actu existentem, vt denominatio coexistentis, & producentis, quædam tantùm exigunt, quod productio futura sit, vt denominatio volentis, & videntis. Vnde patet, quomodò Deus ab æterno potuerit denominari volens producere creaturam à productione creaturæ futura; tametsi quousque accedat tempus, inquo productio ipsa existit, producens actu denominari nequeat.

His ita opsitis pro meliori intelligentiâ sen- 175
tentiæ Connotantium, obiter ex illis veniunt refutandi Granados, & Hemelman relati n. 90. quatenus dicunt, decretum Dei liberum esse volitionem disiunctiuam efficacem, & necessariam, qua Deus vult sub disiunctione creaturam, vel negationem eius, prout connotantem futuritionem determinatam alterius extremi talis diuncti. Reluctantur autem peimò; quia ad emolliendam difficultatem decreti Dei liberi, quo fine videtur huc introduci huiusmodi diiunctiua volitio, nihil omnino prodest illa; cùm sit secundùm se necessaria, nouâque extrinsecâ connotatione egeat, qua reddatur volitio libera, determinataque creaturæ, vel negationis eius. Quidquid enim de illâ, quod ad rem præsentem attinet, dicatur, potiori iure dici poterit de volitione necessariâ, qua Deus se ipsum amat, quæ eo ipso est volitio absoluta aliorum omnium volibilium.

Secundò. Vel huiusmodi disiunctiua voli- 176
tio est formalitas ex suo conceptu præcisa à volitione essentiali Dei. Vel secus. Si primum. Ergo nequit illa terminari ad illud extremum disiuncti, quòd determinatè est futurum, vt sit volitio libera illius. Patet consequentia. Quia, si penes deuersitatem obiectorum semel distinguuntur in Deo diuersæ volitionum formalitates, dici nequit, volitionem vnius obiecti formaliter esse volitionem alterius. Constat autem, dictum disiunctum diuersum obiectum esse à quolibet extremo sui determinatè accepto. Si autem dicant volitionem dictam disiunctuam formaliter, & ex suo conceptu esse eamdem, qua Deus se amat: certè non, quâ est volitio disiuncti, sed quâ est volitio infinita Dei, habebit, posse terminari ad extremum ipsius disiuncti, quod fuerit determinatè futurum, vt sic euadat volitio libera eius; quandoquidem eo solùm titulo, quòd est volitio infinita Dei, habet esse volitionem terminabilem ad cætera obiecta volibilia. Imo verò eâdem de causâ terminatio ad disiunctum, quam talis volitio infinita habet, ipsi est extrinseca iuxta sententiam, quam versamus: tametsi necessaria sit: quia est ad obiectum necessarium; qualis est etiam terminatio, quam habet ad possibilitatem creaturarum: (aliàs Deus cum eo disiuncto, & cum creaturis possibilibus esset necessariò connexus medio eorum amore iuxta sententiam minùs probabilem à nobis reiectam tom. 1, disput. 4. q. 2. cui controuersiæ huius decisio non est alliganda). Ex quibus patet, malè à præfatis Doctoribus in volitione dicti disiuncti prout connotante determinatum extremum poni decretum liberum Dei.

177 Nec verum est, quod supponunt, atque prætendunt: eiusmodi volitionem disiunctiuam, etiam comparatione disiuncti, cuius necessaria volitio est, esse efficacem. Quoniam volitio Dei effeax ea sola dicenda est, vi cuius non potest non ad extra aliquid existere ab ipsa volitione causatum vel immediatè, vel mediatè. Sed nihil est quod à tali volitione disiunctiua causetur necessariò ad extra. Ergo illa efficax non est. Probo minorem. Quia ex vi talis volitionis neque existit necessariò creatura, neque negatio eius determinatè; cum possit vtrumuis cum ipsa volitione componi: neque existit coniunctum vtriusque; quia id repugnat existere: neque existit creatura, vel negatio eius sub disiunctione: nam veritas hæc, *Creatura, vel negatio eius futura est*, à dicta voluntate Dei disiunctiua nullà ratione pendet; eà enim prorsus sublatà, necessariò, remanet verum, creaturam esse futuram, vel non futuram. Quo fit, vt hoc disiunctum suam volitionem præcedat, vti creaturæ possibiles præcedunt volitionem sui; & ideo, sicut volitio possibilium secundùm omnes non efficax, sed simplex est; ita volitio eius disiuncti non effeax, sed simplex censeri debet. Quippe Deus nullum obiectum potest efficaciter velle, quod aliàs independenter à tali volitione necessariò est, qua ratione est, vt ex doctrinà tradendà infra disp. 34. constabit.

178 Stet ergo, non in volitione disiunctiuà prædictà, sed in volitione infinità, qua Deus se amat, prout terminatà ad connotatum extrinsecum debere poni decretum Dei liberum iuxta sententiam Connotantium; prout illud ponunt plerique eius Propugnatores. Aut certè, vt opinantur nonnulli, in simplici desiderio extrinseci connotati vt possibilis prout ad ipsummet terminato tanquam existens. Quo posito, agamus iam contra eos omnes, probantes propositionem nostram, pariterque sententiam ipsorum, prout illam exposuimus, refellentes. Verùm quia prpbatio nequit non esse longa, eam diuidere per quædam capita distinctionis gratiâ, oportebit.

Probatio 1. Propositionis quartæ *contra sententiam Connotantium.*

179 Primum argumentum, quo propositio nostra fulcitur, & sententia Connotantium explodi tur, huiusmodi est. Deus iuxta sententiam Connotantium non in volendo, sed in causando dumtaxat potest liber existere, vti fatebatur Aureolus propos. 2. impugnatus, seuerèque ab alijs Theologis propterea notatus. Ergo sententia Connotantium sustinenda non est. Consequentia est legitima; quandoquidem, esse Deum liberum, non solùm in causando, sed etiam in volendo, dogma catholicum est constans ex sacris Litteris, prout supra q. 3. propos. 1. statuimus. Probo ergo antecedens. Quia, dato pro nunc, quòd denominatio volentis, & denominatio causantis ita possint esse diuersæ, vt prima ab æterno conueniat Deo, licèt secunda solùm in tempore conueniat, iuxta expositionem Aduersariorum exhibitam n. 174. de quo nos infra. Attamen hoc, quod est, Deum liberè velle, nequaquam potest in hac sententiâ conuenire Deo ab æterno, ita vt Deus ab æterno exerceat libertatem in volendo. Ostendo clarè. Tunc exercet quis libertatem, quando sponte suâ se se ad opetandum determinat, dans existentiam operationi potens non dare. Sed Deus iuxta sententiam dictam non se determinauit sponte suâ ab æterno ad volendum efficaciter creare Mundum, dans existentiam ex tunc volitioni efficaci creandi Mundum potens non dare. Ergo Deus ab æterno in hoc, quod est, velle creare Mundum, nullam exercuit libertatem. Maior est certa. Quia, dum quis non ponit aliquid in rerum naturà determinans se pro suo nutu ad dandum illi *esse*, cum posset non dare, nullatenus potest intelligi liberè operans, aut libertatem exercens, vt satis ex se est notum, & constat ex doctrinà traditâ q. 3. proposit. 6. Consequentia est irrefragabilis. Probatur ergo minor. Quia iuxta sententiam dictam hoc, quod est, velle Deum creare Mundum, aliud non dicit à parte rei, præter volitionem Dei necessariam, & creationem Mundi futuram; quorum primum à nutu, & determinatione Dei non dependet in suâ existentiâ, vt constat. Secundum dependet quidem, non verò ab æterno, sed in tempore. Nullam igitur exercuit libertatem Deus ab æterno in hoc, quod est, velle efficaciter creare Mundum. Etiam si dici posit à Connotantibus supra id, quod dicebat Aureolus, Deum ab æterno subijsse denominationem contingentem volentis creare Mundum à libertate exercendà postea in ipsà Mundi creatione. Quod non interest ad rem. Nam hac ratione etiam dicitur sortiri Deus ab æterno denominationem contingentem cognoscentis peccatum Petri futurum à libertate Petri exercendà in suà temporis duratione; quin propterea dicatur ipse in hoc, quod est, cognoscere peccatum Petri, aliquam propriam libertatem exercere ab æterno.

180 Et confirmari potest primò argumentum factum. Quia tunc solùm exercetur libertas circa positionem cuiusque complexi, quando ponitur aliquid eius, quod pro nutu, & arbitrio ponentis potest non poni, vt notum est. Sed nihil huius complexi, *Velle Deum creare Mundum*, ponitur à Deo ab æterno pro nutu, & arbitratu eius; quia tale complexum iuxta sententiam, quam impugnamus, solùm inuoluit entitatem Dei necessariam ab arbitrio Dei non pendentem, & creationem Mundi non positam ab æterno, sed ponendam in tempore. Ergo circa positionem huius complexi, *Velle Deum creare Mundum*, nullam ab æterno libertatem exercet Deus iuxta dictam sententiam; sed summùm in tempore, quo Mundū creat. Dices, ad eiusmodi complexum non pertinere creationem Mundi vt actu existentem, sed vt futuram: vt sic autem ab æterno eam poni à Deo; quia ab æterno est futura creatio Mundi; idque pro nutu Dei. Quo fit, vt ab æterno ponatur pro nutu Dei ipsum complexum. Sed contra. Quidquid sit modò de conceptu futuritionis quæ dicitur esse ab æterno; de quo egimus supra disp. 27. q. 2. Id certum, futuritionem creationis Mundi, quæ dicitur esse ab æterno, denominationem esse desumptam ab existentiâ actuali, quam ipsa creatio habebit in tempore posteriori; atque ita ab eà causà, & ab eo arbitrio pendere, & poni, à quo petebit, & ponetur in tempore ipsa creatio; sine tale arbitrium ab æterno exiterit, siue non exiterit: hoc enim ad rem est impertinens, vt patet in futuritione æternà peccati Petri: quæ non i

Deo,

Deo, sed ab ipso Petro dicenda est pendere; etsi Petrus ab æterno non fuerit, hoc ipso, quòd sic est denominatio æterna, vt fundamentum, vnde pullulat, sit peccatum in suo tempore ponendum ab arbitrio Petri. Quamquam igitur ad hoc, quod est, Deum velle creare Mundum, dicatur pertinere creatio non secundùm existentiam actualem, quam habebit in tempore; sed secundùm futuritionem, quam dicitur habere ab æterno, de quo modò non curo: nihil propterea pondus argumenti nostri eleuatur: quia ipsa futuritio æterna creationis ita ab arbitrio Dei dependet, vt non ab aliqua eius libertate exercitâ ab æterno, sed à libertate exercendâ in tempore creationis Mundi dependeat; vt dictum de futuritione peccati Petri. Ita quidem, vt, si Deus ante tempus, in quo Mundum creauit, nullam omnino libertatem habuisset, sed tunc inciperet esse liber, eodem nihilominùs modo fuisset ab æterno futura creatio Mundi dependenter ab eius libertate postea exercenda: & consequenter eodem prorsus modo esset volens liberè, seu potiùs contingenter creare Mundum, ac modò est iuxta sententiam, quam impugnamus. Ex quo rursus patet, iuxta eam Deum nullam de facto libertatem exercuisse ab æterno in voluntate, quam habuit creandi Mundum.

181 Confirmatur secundò. Quia, quamuis contingenter sit verum ab æterno, infinita alia entia, quæ absolutè non sunt futura, conditionatè fore in naturâ rerum tum à Deo, tum etiam à causis creatis oriunda ex hypothesi, quòd ponerentur tales, aut tales conditiones; perperam tamen iuxta dicenda inferiùs dicetur Deus totidem habere decreta libera, & conditionata, quot sunt talia entia ab æterno sub conditione futura; nedum ad illa conditionatè volenda sese ab æterno determinare per libertatem ex tunc exercitam. Ergo, quamuis ab æterno contingenter sit verum, futuram creationem Mundi, datoque etiam, quòd à tali veritate, seu futuritione denominetur Deus volens ipsam creationem futuram; non ob id dicendus est Deus se ab æterno determinare pro suâ libertate ad hoc, quod est, ipsum velle creationem Mundi futuram.

182 Confirmatur tertiò. Quia Deus in detestandis peccatis hominum, quæ ab æterno videt futura, nullam ab æterno libertatem exercet, vt etiam Aduersarij fatentur; eo quòd odium, quod Deus concipit de peccatis, supra diuinam entitatem aliud non addit, quàm peccata futura, quæ non à determinatione diuinæ, sed creatæ voluntatis in tempore exercendâ dependent. Ergo idem prorsus est dicendum de cæteris Dei volitionibus. Quòd enim earum connotata per libertatem creatam, vel per diuinam in tempore ponenda sint, impertinens omnino est ad rem. Vrgetur. Futuritio æterna peccati à nullo exercitio libertatis æterno dependet in suâ existentiâ, neque per vllum exercitium libertatis æternum Dei est impedibilis; suppositio, quòd homo in tempore peccaturus est. Ergo tantumdem dicendum de futuritione æternâ actionis externæ liberæ Dei; & consequenter de voluntate Dei liberâ per talem futuritionem completâ.

183 Confirmatur quartò. Quia libertas Dei secundùm Connotantes omnino est similis libertati, quam habet voluntas nostra respectu suorum actuum, quod attinet ad exercitium actus secundi: eò solùm differunt, quòd voluntas nostra non denominatur volens formaliter suum actum, quem cum plenâ indifferentiâ, & dominio producit: quia voluntas nostra non est volitio sui actus, etiam ex suppositione, quòd ille sit: aut substantia diuina volitio efficax denominatur actionis externæ, quam cum plenâ indifferentiâ, & dominio elicit; eo quòd, cùm sit re ipsâ volitio infinita, nequit non esse etiam volitio cuiuslibet obiecti volibilis, suppositio, quòd illud sit. Sed voluntati nostræ eo solùm tempore, quo elicit suum actum cum indifferentiâ prædictâ, est talis actus liber, & imputabilis; toto verò tempore antecedente, etsi aliquas subeat denominationes ab actu libero futuro, nullam circa eas exercet libertatem; sicut nec circa illas, quæ reliquuntur ex actu libero præterito; vt est notissimum. Ergo Deus pariter eo solùm tempore libertatem exercet, quo cum simili indifferentiâ, & dominio elicit actionem externam, qua aliquid ad extra producit. Circa denominationes autem, quæ toto tempore antecedente, & toto subsequente ab ejusmodi actione liberâ illi proueniunt, nullam prorsus libertatem pro talibus temporibus exercet. Atque ita, sicut in denominatione gaudentis, quòd Mundum creauit, quam post Mundi creationem per totam æternitatem sequentem sortietur à creatione Mundi præteritâ, nullam libertatem exercebit, vt in sententiâ Aduersariorum est notum. Ita in denominatione volentis Mundum creare, quam ab æterno sortitus est ab eâdem creatione Mundi futurâ, nullam exercuit libertatem, quousque accessit tempus, in quo liberè talem exequutus est creationem.

Confirmatur quintò. Quia exercitium libertatis nihil est aliud, quàm actus positus in rerum naturâ causatusque aliquâ ratione à potentiâ liberâ, potenteque subinde illum non ponere, seu causare; vt ex dictis quæst. 3. propos. 6. satis est notum; à nemineque potest negari. Sed iuxta sententiam Connotantium nullus actus huiusce generis fuit in Deo ab æterno; quia actus internus, æternusque volitionis Dei necessariæ ab arbitrio Dei non dependet, & actus externus, qui pendet ab arbitrio eius, non est æternus. Ergo in sententiâ Connotantium nullum omnino exercitium libertatis fuit in Deo ab æterno. 184

Confirmatur sextò. Quia iuxta sententiam Connotantium exercitium libertatis Dei in volendo ipsissimum est exercitium libertatis Dei in causando; siquidem positio libera connotati extrinseci ipsissima est in eâ sententiâ positio libera volitionis liberæ Dei; vt constat. Sed Deus ab æterno nullam omnino libertatem exercet in causando; quandoquidem ab æterno nihil omnino causat liberè. Igitur neque vllam omnino libertatem exercet ab æterno in volendo. Etenim futuritio, qua causatio externa contingenter ab æterno futura dicitur eo ipso, quòd illa in tempore contingenter ponenda est, nihil omnino est existens absolutè, & adæquatè ab æterno, vt est certissimum; sed mera denominatio desumpta ab ipsâ causatione futurâ prout connotante, quidquid volueris; de quo modò non curo: atque adeò includens in suo conceptu reali ipsam futuram causationem. Vnde manifestè consequitur, sine exercitio libertatis, qua in rerum naturâ ponitur talis causatio, æternam futuritionem eius constare non posse, & consequenter nec volitionem liberam per talem futuritionem completam. Sed exercitium libertatis, quo ponitur in rerum naturâ dicta causatio non est æternum, vt constat, sed temporaneum. Igitur 185

exercitium libertatis, quo ponitur in rerum natura futuritio dicta, atque adeò etiam volitio libera Dei per ipsam constituta, non est æternum, sed temporaneum,

186 Vrgetur amplius, & declaratur. Deus nihil posuit absolutè existens aut positiuum, aut negatiuum in rerum naturâ ab æterno potens non ponere, quo compleretur adæquatè sua volitio libera in esse talis. Igitur neque ab æterno posuit suam volitionem potens non ponere, prout ad eius libertatem æternam omnino necessarium erat. Consequētia est euidens. Quia volitio libera non ponitur potens non poni, nisi vbi, & quando ponitur potens non poni adæquatum constitutiuum essentiæ eius. Alioquin aliquando existeret volitio libera sine suâ essentiâ; quod est chymæricum. Probo ergo antecedens; & quidem etiam euidenter. Quia imprimis ab æterno nihil extitit positiuum extra substantiam Dei, vt fide sanctum est. Intra illam autem iuxta Aduersarios nihil extitit vllo modo contingens. Deinde, si quæ negationes contingentes ab æterno extiterunt, in nullâ earum potuit consistere ab æterno adæquatè futuritio huius Mundi, per quam in eorum sententiâ completur volitio libera eius. Alioquin, etiam si Mundus non esset creandus, esset ab æterno futurus: siquidem etiam in eo casu extitissent ab æterno omnes omnino negationes contingentes, quæ de facto extiterunt. Igitur nihil aut positiuum, aut negatiuum extitit ab æterno contingens, positumque proinde à Deo potente illud non ponere, quo compleretur adæquatè in suâ essentiâ volitio Dei libera. Subindeque neque ipsa volitio posita fuit ab æterno à Deo potente illam non ponere: quod erat demonstrandum: quodque ipsum est, talem volitionem non fuisse Deo liberam ab æterno.

187 Iam verò concedere, quod argumenta facta planè demonstrant, nullam liberam determinationem præcedere in Deo ante operationem externam; nullumque subinde habere Deum ab æterno suæ libertatis exercitium in ijs, quæ facienda decernit, donec ea in tempore exequitur, tutum non est profectò, nec consonum sanæ doctrinæ. Inde enim sequitur, falsum esse, quod docuit Paulus ad Eph. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem*. Sine exercitio enim libertatis non fiat electio; cùm sit ea ex conceptu suo ipsum liberatis exercitium. Sequitur similiter, falsum esse, quod sæpe prædicat Apost. ex eoque sæpissimè versant Sancti PP. præsertim Augustinus passim, & nominatim in libris de Correptione & gratiâ, de Prædest. Sanct. & de Dono perseuerantiæ; nimirum æternam electionem Dei, qua Prædestinatos elegit, gratiam esse, siue beneficium gratuitum diuinæ liberalitatis. Ad Rom. 11. *Reliquiæ secundum electionem gratiæ salvæ factæ sunt.* 2. ad Timot. 1. *Qui nos liberauit, & vocauit vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia*. Repugnat enim, Deum gratiam facere, beneficiumque gratuitum ex liberalitate conferre ante tempora sæcularia absque vsu libertatis exercito ante tempora sæcularia. Falsò etiam diceretur Actorum 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, & sæpe alia similia. Nam sine exercitio libertatis constare nequit præordinatio, vt mox ponderabo. Frustra etiam ipse Paulus cap. illo 1. ad Ephes. laudaret, ac benediceret Deum, quòd nos elegit ante Mundi constitutionem, & prædestinauit in adoptionem filiorum Dei. Frustra fideles ob æternam donorum Dei prædefinitionem laudes, grateſque debitas ipsi rependerent, si æterna Dei prædestinatio, ac prædefinitio absque exercitio libertatis diuinæ ab æterno peracta esset. Quod enim absque libertate contingit, nec laude, nec gratiarum actione est dignum. Itaque sola temporanea collatio donorum Dei erit beneficium, & gratia eius, ipsi imputabilis, & digna laude, ac gratificatione nostrâ. Non item æterna Dei prædestinatio, prædefinitioque talium donorum; si Deus nullam determinationem liberam, nullumve exercitium libertatis ab æterno habuit. Quod est manifestum absurdum repugnans Scripturis sacris. Vt hinc perspicias, quam incautè Herice disp. illâ 16. cap. 12. num. 102. palam negauit, præcedere in Deo ab æterno liberam aliquam determinationem ante actualem operationem ad extra exequutam. In quo, licèt consequenter, consentaneèque ad suam sententiam loquutus fuerit, absurdum tamen, quo eam defenderet, deuorauit: quod non videtur tolerabile, vt constat ex dictis.

Præter quod sanè, alia non leuia absurda 188
subsequuntur ex eâdem positione monstratâ. Ex eo videlicet, quòd Deus æternum vsum suæ libertatis non habeat. Sit primum. Deum nullum exercere circa creaturas actum vitalem liberum, non solum ab æterno, sed neque in tempore. Quia volitio intrinseca, æternaque Dei non est libera, & actus externus liberè elicitus in tempore non est vitalis. Vnde rursus efficitur, volitionem, qua Deus dicitur velle creaturas iuxta sententiam, quam impugnamus, prout est volitio creaturarum, proprie non esse volitionem, vti fatebatur Aureolus. Quia de conceptu volitionis propriè dictæ est, quòd sit actus vitalis. Quamuis enim volitio intrinseca Dei comparatione obiecti increati, in quod suapte naturâ tendit intentionaliter, vitalis sit, comparatione verò creaturæ, in quam per denominationem tantùm extrinsecam dicitur tendere, non videtur posse propriè dici vitalis. Sed estò dicatur. Id saltem ex prædictâ positione sequitur. Deum ab æterno non exercere actum vitæ liberum circa creaturas, dum eas ab æterno liberè amat. Quod etiam videtur absurdum.

Secundum absurdum est. Immutabilita- 189
tem diuinæ voluntatis, quam Scriptura, & Patres tantopere prædicant, vt videbimus quæst. 6. nullam esse prærogatiuam Dei specialem, quæ non sit etiam propria cuiusliber causæ creatæ. Si enim Deus solùm exerceat libertatem cuiusliber volitionis suæ liberæ, quando exequitur in tempore obiectum eius, tota immutabilitas suorum decretorum liberorum in eo consistet, quòd nequeat facere, vt non fuerit ab æterno futurum, & vt non sit in æternum præteritum id, quod ipse determinauerit in tempore; neque impedire possit denominationes, quæ ipsi ab æterno, & in æternum ex eâ temporaneâ determinatione extrinsecè accreuerint. Hoc autem immutabilitatis genus mea etiam voluntas habet. Nam neque ego facere possum, vt non sit futura toto tempore antecedente, & præterita toto sequente determinatio meæ voluntatis tali, vel tali die exequenda: neque impedire possum denominationes extrinsecas, quæ ex eâ futuritione, & præteritione ante, & post exequutam meam determinationem obueniunt. Hoc solùm ego differo à

Deo

Deo iuxta Aduersarios, quòd ipse antecedenter, & consequenter ad exercitium suæ libertatis denominatur volens illud. Ego vero non item. Egregia profectò immutabilitas, constantiaque voluntatis Dei, tantopere a Patribus, & in Scripturâ commendata; quam ego quoque non possum non habere. Certè, si meum velle supra entitatem voluntatis solùm adderet denominationem extrinsecam ab actu externo liberè elicito, vti diuinum velle à Connotantibus ponitur, tam immutabilis essem ego simpliciter, & absolutè, quàm Deus. Quia, quod semel vellem, neutiquam possem non semper velle: modò autem mutabilis existo, quia nunc volo, quod antea nolebam, & vice versâ per actus volitionis, & nolitionis distinctos ab obiecto adæquatè, distinctaque libertates habentes. Vt igitur Deus immutabilitatem habeat nostræ mutabilitati oppositam iuxta illud Num. 23. *Non est Deus quasi homo, vt mentiatur, neque vt filius hominis, vt mutetur*: actum volitionis habere debet distinctum adæquatè ab obiecto, liberèque ab æterno conceptum, & immobili, atque perenni libertate in æternum continuatum prout explicabimus dictâ quæst. 6. Ex quibus liquet, quàm malè agatur cum immutabilitate diuinâ in sententiâ Connotantium. Tantum abest, vt meliùs iuxta eam, quàm iuxta oppositam, cum diuinâ libertate cohæreat; sicuti arbitrantur Herice disput. 20. cap. 2. & Quiros disput. 60. sect. 3. & disput. 61. sect. 2.

190 Tertium absurdum sequutum ex eo, quòd Deus ab æterno nullam exerceat libertatem, est, eum ante tempus exequutionis non præordinare media in fines. Quod; præterquàm quòd est contra expressa Scripturæ verba, vt n. 187. notauimus, magnamque prætereà præsefert imperfectionem; totum negotium euertit æternæ prædestinationis, atque vniuersæ etiam prouidentiæ diuinæ. Quippe prædestinatio, & omnis omnino Dei prouidentia tota in præordinandis medijs ad fines longè ante ipsorum exquutionem distenta est, imo per integram antecedentem æternitatem. Nullum autem medium posse præordinari in finem à Deo, si antecedenter ad eius exequutionem nullam Deus libertatem exercet, videtur manifestum. Quia ordinare medium ad finem absque electione inter plura media occurrentia non potest fieri, vt est notum. Constat autem, electionem inter plura media proposita exercitium libertatis præferre in conceptu suo; imo ipsam formaliter esse exercitium libertatis iuxta ea, quæ dicebamus q. 3. n. 71. Adde, in sententiâ Connotantium ex alio capite tolli à Deo liberam electionem mediorum in finem, vt probatione 3. expendemus. Mitto alia absurda, quæ in sequentibus tangentur.

191 Dedi autem Aduersarijs in argumentatione factâ, quòd Deus in ipsorum sententiâ possit ab æterno denominari volens, & sciens creaturam in tempore futuram denominatione contingente contingentiâ oriundâ, non quidem ab aliquâ libertate exercitâ ab æterno, quam nullatenus posse compati cum tali sententiâ monstraui; sed à libertate aut Dei, aut creaturæ in suo tempore exercendâ. Id, inquam, Aduersarijs dedi: quia censeo, falsum etiam esse. Nam, licèt multæ sint denominationes extrinsecæ, vel semiextrinsecæ, quæ verificantur de suis subiectis pro eâ mensurâ, in qua non extant, sed in aliâ, aliqua ex realibus fundamentis, vnde illæ sumuntur, prout contra nonnullos Recentiores alias ostendi, constatque ex generali doctrinâ, quam tradidi in Pharo scient. disp. 9. q. 5. propos. 7. neutiquam tamen sunt huius generis denominationes volentis, & scientis. Neutiquamque proinde potuit Deus ab æterno denominari volens, & sciens obiectum creatum ab vllo fundamento futuro in tempore tanquam ab extrinseco connotato.

Quod probatur primò; quia actus volendi, 192
& sciendi obiectum creatum quatenus tales ex conceptu suo sunt actus vitales vitæ perfectissimæ omnium, qualis est vita intentionalis, atque adeò ex conceptu suo adæquatè debent esse immanentes, intrinsecique subinde subiecto volenti, & scienti, qualis iuxta sententiam omnium est omnis actus vitalis. Ergo in suis proprijs conceptibus actuum volitionis, & cognitionis obiecti creati neutiquam possunt per aliquid extrinsecum, nedum per aliquid futurum, in Deo ab æterno compleri. Quod ipsum est, denominationes volentis, & cognoscentis per tale quid extrinsecum in Deo non posse compleri ab æterno.

Secundò probatur; quia denominationes 193
volendi, & sciendi creaturam magis sunt intimæ citra dubium subiecto volenti, & scienti, quàm sunt denominationes causandi, & gubernandi creaturam subiecto causanti, & gubernanti. Sed nequit Deus denominari abæterno causans, & gubernans creaturam per quidpiam extiturum in tempore, vt est certissimum. Ergo minùs poterit denominari ab æterno volens, & sciens creaturam per quidpiam in tempore extiturum.

Tertiò; quia iuxta sententiam omnium actus 194
cognitionis, & amoris talem essentiam habent, vt per primum obiectum cognitum trahatur, ponaturque existens, & præsens intentionaliter in intellectu cognoscentis, per secundum autem voluntas amantis intentionaliter feratur in obiectum amatum. Sed est impossibile, tum poni obiectum in intellectu intentionaliter per actum, cuius essentia non est in ipso intellectu physicè; tum ferri voluntatem intentionaliter in obiectum per actum, cuius essentia non est physicè in ipsâ voluntate, vt satis, superque est per se notum. Ergo est impossibile, vt essentia vllius actus aut cognitionis, aut amoris per aliquid extrinsecum, & non existens physicè in intellectu, aut in voluntate, nedum per aliquid postea futurum, constituatur, aut compleatur. Repugnat igitur, vt actus aut cognitionis, aut amoris, quo Deus ab æterno cognoscit, aut amat creaturam, per connotatum extrinsecum, & futurum in tempore constituatur, seu compleatur quoquo modo in essentiâ suâ.

Probatio 2. Propositionis quartæ *contra sententiam Connotantium.*

Secundum argumentum pro nostrâ propo- 165
sitione, & contra Connotantium sententiam in hunc modum conficitur. Volitio efficax, & libera Dei est causa creaturæ: ideo enim Deus creaturam producit, quia efficaciter, & liberè vult, eam producere. Ergo volitio efficax, & libera Dei nullatenus compleri potest per connotationem creaturæ. Probatur consequentia efficaciter. Quia causa creaturæ prior debet esse, quàm creatura. Ergo repugnat, vt per creaturam ipsam aliquo modo in suo esse compleatur. Confirmatur primò, & declaratur. Quousque intelligatur creatura existere, non potest intelligi

Deus

Deus liberè volens creaturam, vt in hac sententiâ supponitur. Ergo volitio libera creaturæ non potest esse causa creaturæ. Patet consequentia. Quia eiusmodi volitio nequit communicare creaturæ existeniam, quam in ipsâ supponit, quaque vt necessario connotato in esse talis volitionis completur. Aliàs creatura ipsa partialiter esset causa sui; aut saltem aliquo modo prout existens ad suam ipsam existentiam causandam concurreret. Quod manifestè est impossibile. Confirmatur secundò. Quoduis ex fundamentis vnde denominatio sumitur, prius naturâ est, quàm ipsa denominatio; cùm à parte rei sit pars eius, & omnis pars prior sit naturâ suo toto. Sed creatura prout existens est vnum ex fundamentis, vn[illegible]esumitur denominatio, qua Deus denominatur volens liberè creaturam. Ergo prius est, creaturam existere, quàm, Deum velle liberè creaturam. Ergo volitio libera creaturæ non potest esse causa existentiæ eius. Ob id enim, scientia visionis, qua Deus cognoscit existentem creaturam, nequit esse causa creaturæ; quia eius existentiam supponit. Eodem autem modo in hac sententiâ denominatur Deus volens creaturam, ac denominatur eam cognoscens ex suppositione, quod illa est. Quo iure P. Vazq. disp. 80. cap. 2. n. 12. ingenuè fatetur, vix posse circulum vitiosum vitari in reddendâ ratione decretiDei; esseque nodum hunc insolubilem. Cùm sit verum, creaturam existere; quia Deus vult. Et rursus, Deum ita velle, quia creatura existit. Vt vel hinc pateat, quanta sit vis argumenti facti. Iam verò volitionem efficacem, & liberam Dei esse causam creaturæ, prout in principio argumenti assumpsimus, apertè constat ex Scripturâ apertè referente effectus creatos in volitionem diuinam tanquam in causam Psal. 17. *Saluum mefecit, quoniam voluit me*. Ierem. 31. *In charitate perpetuâ dilexi te; ideo attraxi te miserans*. Psal. 134. *Omnia, quæcunque voluit Dominus, fecit*. ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur, & quem vult indurat*. 1. Corint. 12. *Diuidens singulis, prout vult* Eccles. 39 *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*, Esther. 3. *Si decreuerit saluare nos, continuò liberabimur*. Sap. 11. *Quomodò posset aliquid permanere, nisi tu voluisses*. ad Eph. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Et aliàs sæpe. Id quod passim etiam repetunt Patres, quorum plures refert Ruiz disp. 11. sec. 4. & disp. 14. sec. 1. Audiamus vnum, aut alterum. Iustin. martr. q. 3. Christiana ad Gentiles prope medium sic habet. *Si Deus facit, quia est, coactè facit; si autem facit, quia vult, ponte facit, quantum vult, & quale vult, & quando vult*. Hilar. lib. de Synodis circa medium exponens canonem. 24. Synodi Syrmicæ ait. *Omnibus creaturis substantiam voluntas Dei contulit*. Irenæus lib. 2. aduersus hæreses cap. 2. post medium. *Ipse*, inquit, *in semetipso omnia prædestinans facit, quemadmodùm voluit*. Greg. Nyssen. in Hexamer. col. 4. *Illud*, inquit, *nobis positum, constitutumque sit, in naturâ diuinâ cum voluntate ita concurrere potestatem, vt Dei potestatis mensura sit ipsa voluntas* Athanas. orat. 4. contra Arrian. fine, ait, *Opera voluntate, placito que creauerunt; vniuersaque rerum natura cupidine, qua cupiit hoc Deus, condita est*. Damasc. lib. 1. de fide cap. 8. post medium ait, *Creatio verò à Deo cùm voluntatis opus sit*. Vide Augustin. in Enchirid. cap. 5. 9. & sequentibus, & lib. 3. de Trinit. à cap. 2. Et quidem, si volitio libera Dei non esset causa rerum, Deus non à se ipso, sed ab existentiâ creaturæ determinaretur ad eam amandam: sicut ab eâdem existentiâ determinatur ad cognoscendum illam scientiâ visionis. Quo fieret, vt Deus non esset liber in volendo, sed summùm in causando, vt volebat Aureolus, ab omnibus ob id reiectus, & seuerè notatus. Nec posset idonea ratio reddi, cur Deus Mundum hunc creauerit, & non alium, aut in tali tempore, & non in alio, &c.

Hoc argumentum malè torsit Connotantes. 196
Respondent Arrubal, & Turrian. supra relati, decretum diuinum non per effectum, sed per causalitatem tanquam per connotatum compleri. Cùmque causalitas sit prior effectu, fieri, vt decretum etiam prius effectu sit; & consequenter, quòd sit verum, ideo existere effectum; quia Deus vult; sed non è conuerso. Verùm solutio hæc imprimis non habet locum, quando effectus non mediâ causalitate distincta. sed se ipso crearetur à Deo, vt sæpe fortasse creatur. Deinde de causalitate ipsâ manet integra difficultas. Causalitas enim non est prior se ipsâ, & aliàs non minùs, quàm effectus in volitionem diuinam tanquam in causam est referenda, vt pote quid creatum. Imo & refertur semper defacto immediatiùs, quàm effectus tum in communi modo loquendi, tum in Scripturâ ipsâ. Dicimus enim, ideo Deum producere, siue causare effectum, quia vult, verbum autem *causare* causalitatem sonat; sicuti & alia verba attributa diuinæ volitioni. Quid enim est, *Saluum me fecit, quoniam voluit me*? nisi causauit in me salutem, quoniam voluit me. Quid, *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit*? nisi, quæ Dominus fecit; quia voluit, fecit, &c.

Hinc refutati manent Quiros, & alij Re- 197
centiores complentes volitiones Dei liberas per quosdam modos distinctos ab ipsarum præcipuis obiectis; quatenus possunt dicere, decretum Dei de effectu complerum per modum distinctum ab effectu benè posse effectum ipsum vt ipsius causam præcedere. Cùm enim talis modus eiusdem decreti sit effectus, imo & per ipsum etiam volitus, vt fatentur; nec possit ad id poni alius modus: quia pro hoc ponendus esset alius, & abiretur in infinitum: conficitur, circa prædictum modum integram argumenti facti, illiusque vim remanere.

Propterea aliam solutionem addunt Con- 198
notantes aliqui aientes, causalem hanc; *Deus producit creaturam; quia vult*; genus causæ formalis, non genus causæ efficientis indicare; vel quod in idem recidit, negatiuè, & non positiuè vsurpandam esse; vt sensus sit, Deum producere creaturam, quia volitio efficax, qua vult producere, ipsam inuoluit productionem; quo sensu dicimus, Petrus est rationalis, quia est homo; eo quòd homo in suo conceptu inuoluit rationale. Hoc enim sensu dici solet de voluntate creatâ; voluntas amat obiectum; quia vult, non quidem aliâ volitione reflexâ, sed ipso amore. Huic solutioni acquiescit Alarcon tract. 3. disp. 4. cap. 11. & 12. præsertim n. 18. addens n. 19. volitionem Dei prout terminatam ad creaturam, qua ratione est libera, non producere creaturam neque esse causam eius, sed tantùm secundùm intrinsecam perfectionem amoris Dei. Dixerat autem in superioribus sæpe, decretum Dei efficax esse amorem practicum, quo Deus id ipsum, quod

quod amat, producit, & producendo amat, eâ ratione, qua Pater, & Verbum producunt Spiritum sanctum per amorem notionalem, quo ipsum amant; & Pater per cognitionem eamdem, qua cognoscit Verbum, producit ipsum. Per quæ, inquit, num. 23. explicanda sunt loca Scripturæ, quæ causalem supra positam præseferunt.

199 Verùm neque solutio hæc vllo modo satis facere potest. Nam Scriptura, & Patres, non vt in causam formalem, sed vt in efficientem referunt in diuinam volitionem productiones rerum, dum causales supra commemoratas proferunt, vt satis ex verbis ipsis videtur notum, atque ex eorum intentione: quæ sanè est, principium effectiuum rerum contingentium indicare, non verò formale. Quis enim credat, sensum huius causalis, *Deus producit creaturam; quia vult*; secundum Scripturam, & Patres hunc esse, *Deus producit creaturam; quia volitionem habet includentem productionem creaturæ*? Tum Scriptura, & Patres in sensu communiter accepto vsurpant supradictas causales. Sensus autem communis similium causalium non formalem causam reddit, sed efficientem. Quod adeò verum est, vt etiam, cùm dicimus de voluntate creatâ; *Amat; quia vult; aut producit amorem; quia vult*; non causam formalem indicamus, sed efficientem; nempe interpretatiuam volitionem, qua voluntas censetur velle suum amorem, aut productionem eius, hoc ipso, quòd est potentia volitiua, cuius est proprium reliqua omnia mediâ eorum volitione causare. Aliâ sensus earum propositionum esset, *Voluntas amat; quia amat; & producit amorem; quia ipsum habet amorem*. Qui sensus aut nugatorius, aut falsus est, minimèque per causales illas intentus. Et quidem in sensu formali eodem iure dici potest de Deo, *Producit creaturam; quia cognoscit se eam producere*, atque, *Producit creaturam; quia vult illam producere*. Cùm eodem pacto scientia visionis iuxta sententiam Connotantium per productionem compleatur, ac volitio libera. Cùm ergo prima harum propositionum falsa reputetur communiter, secunda vera, signum apertum est, eas non in prædicto sensu formali, in quo æquè sunt veræ, sed in efficiente vsurpari. Adde, Scripturam, & Patres aliquod saltem genus causalitatis tribuere volitioni diuinæ respectu productionis creaturæ: id namque sine ingenti temeritate non videtur posse negari. Sed nequeunt causalitatem causæ formalis tribuere: quia volitio Dei nullo modo est forma productionis creaturæ; potiùs productio creaturæ secundùm sententiam Connotantium est quasi forma, seu quasi pars formæ volitionis Dei. Nec tribuunt causalitatem causæ finalis, exemplaris, aut materialis, vt constat. Ergo efficientis. Adde rursus, hoc, quod est, Deum velle producere, vt conditionatum adæquatè ab ipsâ productione proferri per Scripturam, & Patres. Quod non formali, sed efficienti causæ competit.

200 Iam illud, quod dicit Alarc. volitionem creaturæ vt talem non esse causam eius, sed tantùm secundùm intrinsecam perfectionem amoris Dei; sensui Scripturæ congruere nequit: qui certe non est, Deum producere creaturam; quia se amat; sed eam producere; quia vult producere. Neque potest id cohærere cum secundo, quod ipse addit, nempe, decretum efficax esse amorem practicum sui obiecti, id ipsum efficiens, quod amat. Decretum enim efficax est volitio creaturæ vt talis. Si ergo hæc non causat, quod amat, quomodò illud causat decretum? In exemplis, quæ affert, est latum discrimen. Nam amor notionalis Spiritus sancti, vt talis est, Spiritum sanctum non inuoluit, sed adæquatè præcedit ipsum; cùm habeat, esse talem amorem, suapte naturâ: & idem est de cognitione Verbi. Amor verò creaturæ vt talis inuoluit creaturam, nec potest adæquatè præcedere ipsam; cùm habeat, esse talem, extrinsecè per connotationem creaturæ. Atque ita, vt est amor creaturæ, nequit esse amor practicus efficiens ipsam.

P. Herice disp. 16. citatâ n. 101. etsi ad- 201
mittat etiam sensum formalem in illâ causali; Deus operatur; quia vult; dicit tamen, in sensu causæ efficientis eam esse verissimam; non quia volitio aliqua Dei libera in actu secundo, siue contingenter existens sit causa operationis; sed quia est causa eius volitio Dei intrinseca, & necessaria, atque subsistens; & hæc cum libertate actus primi, seu cum indifferentiâ operatur, ita, vt posset non operari, quam doctrinam latiùs tradiderat num. 78. 79. & 80. vbi dixit, voluntatem nostram non ita propriè dici producere suum amorem; quia vult; eo quòd ipsa intrinsecè non est volitio. Nondum satis facit. Nam, quòd principium effectiuum externæ operationis sit volitio, qua Deus se amat, per accidens se habet ad veritatem causalis dictæ: qua quidem dicitur Deus operari; non quia vult se ipsum, sed quia vult operari, vt nuper dicebam. Quæ duo valde diuersa sunt. Vnde, quòd principium indifferens, quo Deus operatur, sit amor ipsius Dei, nihil conducit, vt propriùs dicatur Deus operari ad extra; quia vult; quàm dicitur voluntas nostra elicere suum amorem, quia vult. Hæc enim causalis, cùm reddat volitionem quamdam non veram, sed interpretatiuam vt num. 199. dicebamus, propriùs aptatur voluntati creatæ, quàm Deo: eo quòd voluntas creata omnia alia causat mediâ volitione, qua in illa fertur, atque ita, dum causat liberè suum amorem, censetur velle etiam illum causare: Deus vero in sententiâ, quam versamus, nihil causare potest mediâ volitione, qua vult illud; cùm hæc volitio compleatur in suo esse ipso obiecto causato. Quo fit, vt nec interpretatiuè censeri possit velle causare id, quod producit indifferenter, mediâ antecedente volitione tam propriè, quàm voluntas nostra censetur velle suum amorem. Sed estò dicatur propriùs de Deo, quàm de voluntate nostrâ ad proprium actum comparatâ, operari; quia vult, propter præuiam illam indifferentiam amoris Dei intrinseci; adhuc sensus huius causalis manet improprius, alienusque subinde à sensu Scripturæ, & Patrum, vt supra contra Aureolum arguebamus proposit. 2.

Alij in præfatis solutionibus non quiescen- 202
tes aliam excogitauerunt dicentes, singularum creaturarum habere Deum desideria simplicia virtualiter inter se distincta, & prorsus necessaria, vt pote terminata ad creaturas vt possibiles, quo pacto necessariæ sunt. Quæ quidem singula desideria indifferentiam habent, seu libertatem actûs primi ad producendum per se immediate singulas creaturas. Quo fit, vt, dum Deus per quoduis eorum immediatè determinatur, concurritque ad producendam creaturam ipsi correspondentem, verissimè, & cum omni proprietate dicatur; *Producere talem creaturam; quia vult*:

vult; prout Scriptura sacra loquitur; nimirum quia vult illam producere per desiderium antecedens, & simplex productionis eius; quin possit pariter dici, producere illam, quia vult aliud quidpiam: quandoquidem solum desiderium simplex ipsius concurrit ad productionem eius, non item aliæ Dei volitiones, à quibus tale desiderium virtualiter est distinctum. Contra tamen est primò; quòd in sententiâ Connotantium, quemadmodùm desiderium efficax creaturæ per huius existentiam completur, ita desiderium simplex eiusdem per ipsius possibilitatem completur tanquam per connotatum. Igitur productio creaturæ in desiderium simplex sui neutiquam referri potest tanquam in causam. Tum quia possibilitas creaturæ constituens tale desiderium non est causa, adhuc partialis, existentiæ eius. Tum quia nugatio esset efferre; *Deum producere creaturam; quia vult*; cùm esset sensus, Deum producere creaturam, quia diuina substantia existit, & ipsa creatura est possibilis. Siquidem ex his duobus coalescit desiderium simplex creaturæ.

203 Quòd si dicant ad euadendum hoc incommodum, desiderium simplex creaturæ, vtpote necessarium, esse adæquatè intrinsecum Deo, neque per creaturæ possibiliratem in suo conceptu compleri. Imprimis inconsequenter philosophantur, vt per se apparet, & à communi consensu aliorum Connotantium recedunt. Deinde omnino alligatam faciunt substantiam Dei possibilitati creaturarum, omnino ve connexam cum illâ, vt pote adæquatè indistinctam à volitione, & scientiâ simplici cum tali possibilitate connexâ. Quod etiam ab aliorum Connotantium mente alienum est. Præterea difficultati argumenti facti adhuc non satis faciunt. Primò; quia compertissimum est, non esse necessariam, & simplicem, (quale est dictum desiderium), sed liberam & efficacem volitionem Dei, in quam scriptura refert effectus creatos, vt clarè præ se ferunt illa, & similia verba; *Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum*. Eccl. 39. *Si decreuerit saluare nos, continuò liberabimur*. Ad *Ephes.* 3. clarissimèque omnium illa. *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit*. Phal. 34. Quæ quidem planè falsa essent de simplici desiderio intellecta. Quandoquidem Dominus non omnia fecit, quæcunque voluit simplici desiderio, vt constat. Secundo: quia sacra Scriptura manifestè significat, ex speciali volitione nasci id quod Deus ad extra producit, quam non habet circa illa, quæ improducta relinquit: vt patet, cùm dicit ad Rom. 9. *Cuius vult miseretur: & quem vult indurat*; & ad Corint. 12. *Diuidens singulis, prout vult, &c.* Desiderium autem simplex prædictum non est specialis volitio, sed communis tum ijs, quæ fiunt à Deo, tum ijs, quæ ab ipso reliquuntur infecta, vt constat. Perperamque profecto redderet Scriptura sacra, vt reddit, pro ratione factorum à Deo præ non factis voluntatem, seu volitionem ipsius Dei non factis, factisque communem. Ex quibus liquet, per hanc solutionem nihilo magis, quàm per alias, facto argumento satis fieri.

204 Ob id ego quondam. vt sententiam Connotantium à dicto argumento defenderem, duas alias excogitjueram solutiones eius. Quas etiam modò adijcere atque refellere, operæ prætium erit. Prima est. Volitionem creaturæ eatenus esse causam eius, quatenus mouet omnipotentiam, vt illam producat, eo fere modo, quo diuina cognitio diuinam voluntatem mouere dicitur ad amorem obiecti cogniti. Atque adeò causalem hanc, *Deus producit creaturam; quia vult illam*, in eodem fere sensu esse veram, atque illam *Deus amat creaturam quia cognoscit illam*. Vt enim amor ferri non potest, nisi in obiectum cognitum; ita omnipotentia ferri nequit, nisi in creaturam efficaciter amatam. Itaque, sicut amor creaturæ possibilis, etiam in sententiâ Connotantium posterior esse censetur, quàm cognitio eiusdem creaturæ, & quasi effectus metaphysicus eiusdem cognitionis: quia amor Dei essentialis, & absolutus ex suo conceptu nequit extendi ad creaturam, vt per terminationem ad illam euadat amor eius, nisi prius cognitio absoluta Dei per similem quasi extensionem, siue terminationem fiat cognitio eiusdem creaturæ. Ita omnipotentia diuina nequit emittere à se creaturam, & quasi terminari ad illam, nisi prius ad eamdem terminetur diuinus amor liberè, & efficaciter. Quæ quidem prioritas in ipsis terminationibus spectatur, quin sit ordo aliquis ex parte termini, cum hic sit vnus, & idem vtriusque terminationis, nempe creatura futura, sicut eadem creatura possibilis & scientiam, & amorem sui terminat; cùm tamen scientia prius ad illam, quàm amor, censeatur terminari. Ex quo fit, eiusmodi prioritates non reales, sed rationis esse, sed quæ in ipsis rerum naturis fundantur; sufficiuntque, vt verissimè dicatur Deus, & propissimè, ideo causare creaturam futuram; quia vult illam efficaciter. Sicut dicitur, ideo amare creaturam possibilem; quia cognoscit, eam esse bonam. Quæ tamen causales in rigore non physicam, sed quasi metaphysicam causam reddunt: nam denominationes volentis producere, & producentis, seu producturi in Deo non re ipsâ, sed ratione nostrâ distinctæ sunt iuxta hanc sententiam; atque adeò prima non physicè, sed metaphysicè censenda est causa secundæ eo fere modo, quo essentia metaphysica dicitur causa proprietatum, à qua ipsæ nascuntur; & vna proprietas alterius; cùm tamen reipsâ essentia, & proprietates sint idem. Itaque, sicut in sententiâ probabili causalis hæc cum omni proprietate est vera; *Calor inæqualis est frigori quo ad perfectionem essentialem; quia est ei dissimilis in essentiâ*: eo quòd inæqualitas in perfectione censetur proprietas dissimilitudinis quo ad essentiam; tametsi huiusmodi affectiones, seu denominationes à parte rei non distinguantur, sed ab eisdem prorsus sumantur fundamentis. Ita cum omni proprietate causalis hæc est vera, *Ideo Deus producit creaturam; quia vult eam producere*; tametsi in Deo denominatio volentis, & producentis à parte rei non distinguantur; sed vtraque eisdem realibus fundamentis nitatur. Per hasce enim denominationes, & comparationes, in quibus multi inuoluuntur respectus rationis, concipimus pro modulo nostro, & explicamus ea, quæ sunt re ipsâ; & aliter à nobis cognosci nequeunt pro hoc statu. Quo circa, supposito nostro modo concipiendi, huiusmodi modus loquendi, & explicandi ea, quæ sunt reipsâ, propriissimus est, eoque propterea vtitur Scriptura cum omni proprietate, dum libertatem, & efficaciam diuinæ voluntatis per causales supra commemoratas nobis notificat. Per hanc doctrinam respondebam ad argumentum factum ad eiusque confirmationes.

Pro secunda solutione notabam id, quod est

est posterius alio naturâ suâ, posse esse prius eodem ex accidente; imo idem se ipso ex accidente posse prius esse, secus ex suâ naturâ. Ita enim consensus conditionatè futurus prior est se ipso ex accidente prout futuro absolutè; & obiectum prout est in actu intentionali, quem terminat, prius potest esse se ipso prout existente à parte rei: quo pacto finis prout apprehensus, & prout intentus efficaciter prior potest esse se ipso prout existente re ipsâ. Vnde ordines illi diuersi intentionis, & exequutionis nascuntur: dequibus latè in Pharo scient disput. 15. Hoc etiam pacto Verbum diuinum prout cognitum à Patre prius est se ipso prout producto, & quasi exequuto, imo secundùm illud *esse* obiectiuum ad suum proprium *esse* reale quodammodò concurrit; tametsi à Patre non vt possibile, sed vt existens pro suo signo cognoscatur eâ cognitione, qua producitur; vt communis Theologorum sententia fert. Ex his ad rem dicebam, decretum Dei efficax, & liberum respicere tanquam obiectum creaturam exístentem pro suo signo; sicut cognitio Patris respicit vt obiectum Verbum prout existens in suo signo. Vnde creatura existens induit respectu decreti, seu volitionis diuinæ prout terminatæ ad ipsam quemdam statum obiectiuum in quo simul cum ipsâ Dei volitione, ex accidente tamen, esse censetur, vti Verbum prout cognitum à Patre simul cum ipsâ cognitione quoad *esse* obiectiuum esse intelligitur. Sed est discrimen, quòd cognitio Patris neque tanquam per connotatum completur Verbo, quod attingit; at amor Dei in esse decreti per creaturam ipsam, quam tangit, vt per connotatum completur. Cæterùm, quia vera existentia creaturæ duplicem statum habet, alium proprium, & naturalem, alium obiectiuum, & quasi accidentalem, putandum est, decretum liberum in esse tale per veram, & contingentem existentiam creaturæ tanquam per connotatum compleri, non prout illa est in proprio statu, sed prout est in statu obiectiuo in signo diuinæ volitionis. Dicebam ergo, decretum liberum ita constitutum benè posse esse causam existentiæ creaturæ, prout ea est in proprio statu in signo posteriori ad decretum. Sicut cognitio Patris est principium Verbi diuini, siue productio eius prout existentis in proprio signo posteriori ad cognitionem. Patum enim refert, decretum compleri per creaturam, cùm tamen cognitio Patris non compleatur per Verbum; quandoquidem completur per illam, vt diximus, prout est in statu obiectiuo: quo pacto ex accidenti potest esse prior se ipsâ vt in statu proprio: atque adeò ad se ipsam vt sic in ratione obiecti concurrere. Vti & Verbum ad sui existentiam concurrit, vt est obiectum suæ cognisionis, qua producitur. Per quæ ad argumentum factum, & ad eius confimationes videbar satis facere.

206 Cæterùm nec per huiusmodi solutiones dissoluitur reuerà nodus argumenti propositi. Non enim per primam. Quia, licèt verum sit vniuersè, proprietatem metaphysicam, & essentiam ita reipsa se habere, vt fundamentum præbeant sufficiens ad concipiendum, (prout nos res in hoc statu concipimus), atque adeò etiam ad asserendum, proprietatem posteriorem essentiâ esse, & ab eâ nasci, quemadmodum suo loco declaro; proindeque loquendo etiam cum proprietate sermonis vera sit hæc causalis; *Quia est essentia, est proprietas*: non autem è conuerso. Licèt, inquam, hæc ita sint. Perperam tamen in huiusmodi causalitatem metaphysicam detorquebuntur Scripturæ loca, quæ significant, Deum producere creaturam; quia vult: quippe quæ non de metaphysico, sed dephysico influxu volitionis Dei in rem volitam sermonem habent. Neque enim intendunt, denominationem producentis ad extra ex denominatione volentis ipsam productionem sequi, aut inferri metaphysicè, vti ex dissimilitudine entium infertur eorum inæqualitas. Sed ipsam externam rei productionem physicè prouenire, suamque existentiam accipere a volitione internâ Dei, vti operatio nostra externa prouenit à nostrâ volitione. Et quidem, cùm certum sit, productionem externam rei physicè à Deo, & vt à causâ physicâ prouenire; indubitabile est, eam aut à sola substantiâ Dei, aut à substantiâ Dei simul, & à se ipsâ physicè nasci; non enim datur medium. Secundum impossibile est: quia idem in se ipsum secundùm existentiam physicam ne vt conditio quidem potest influere. Si dicatur primum, redit iterum argumentum: quia iam productio externa, non volitionem sui, sed solam diuinam naturam habebit pro causâ contra Scripturam. Id autem, quod adducebatur de cognitione, & amore creaturæ possibilis, imprimis dispar est; quia amor creaturæ possibilis secundùm Connotantes nihil inuoluit, quod physicè causetur aut à cognitione ipsius creaturæ, aut à substantiâ Dei, vt est notum. Quocirca possent ipsi dicere causalem illam; *Quia Deus cognoscit creaturam possibilem, amat illam*; causalitatem dumtaxat metaphysicam præ se ferre. Quod non possunt dicere de alterâ causali; *Deus producit creaturam; quia vult*; vt patet ex dictis, Deinde eam etiam causalem; *Deus amat creaturam; quia cognoscit illam*; non posse non aliquod genus influxus physici virtualis denotare propter mòtionem veram, & non fictitiam, quam cognitio etiam in Deo exercet respectu amoris, satis superque probatum relinquimus supra q. 2. propos. 4. à num. 33. In quo amplius non est morandum.

Venio ad secundam solutionem, quæ paulò 207
acutior, & aptior ad rem videbatur. Sed certè, si benè penetretur, multa fert secum difficillimâ, imo & impossibilia. Primùm enim, obiectum amoris in amore non sortitur statum intentionalem, vti obiectum cognitionis in cognitione; eo quòd cognitio sola trahit, ac veluti in se reponit obiectum; amor verò non item; cùm potius feratur in illud. Vnde non videtur dici posse creatura, vt est in amore siue decreto sui obiectiuè, ad suam physicam existentiam concurrere. Deinde cognitio Verbi, cùm sit intrinsecè talis, benè intelligitur posse habere pro obiecto id, quod sibi posterius est, & in quod ipsa influit. At amor creaturæ, cùm non sit intrinsecè talis, sed extrinsecè ab existentiâ creaturæ, non potest habere pro obiecto creaturam antecedenter ad existentiam creaturæ: quia ante talem existentiam non est amor eius. Nec dici potest in esse talis compleri per existentiam obiectiuam creaturæ antecedenter ad existentiam physicam eius: quia creatura nequit vt obiectum se ipsam intentionaliter præcedere, nisi amor creaturæ physicè creaturam ipsam præcedat; qualiter quidem præcedere nequit, cùm compleatur per ipsam. In quo à cognitione

Verbi discriminatur. Quo rursus fit, vt amor creaturæ physicè in creaturam non possit influere nisi ipsa creatura physicè quoque in se ipsam fluat: quod est impossibile, vt sæpe diximus. Cùm tamen cognitio Verbi benè possit in Verbum physicè influere, quin Verbum propterea in se ipsum physicè influere debeat. Præterea, supposito decreto efficaci producendi creaturam, impossibile est, creaturam non produci. Ergo tota libertas producendi creaturam circa decretum exercetur. Sed nequit exerceri libertas, nisi ponendo aliquid physicè in naturâ rerum, quod potuerit non esse, vt constat. Ergo antecedenter ad physicam existentiam productionis creaturæ nequit secundùm Connotantes stare decretum Dei liberum: cùm apud eos nihil aliud ponat Deus physicè in rerum naturâ potens illud non ponere, præter physicam productionem creaturæ. Ergo secundùm Connotantes productio creaturæ à decreto libero Dei vt à principio se antecedente prouenire non potest. Denique productio creaturæ ab hoc, quod est, Deum producere creaturam, physicè tanquam à causâ prouenire non potest: quia id esset, prouenire à se ipsâ; quod implicat. Ergo neque potest prouenire ab hoc, quod est, Deum velle creaturam producere: quandoquidem iuxta Connotantes denominatio producentis creaturam, & volentis creaturam producere in Deo eadem prorsus fundamenta physica habent à parte rei, quidquid sit de distinctione metaphysicâ eorum; quæ ad physicam causalitatem nil præstat.

208 Ex quibus omnibus concluditur, in sententia Connotantium nullâ viâ cum satisfactione aliquâ defendi posse, productiones rerum ad extra à decreto Dei libero prouenire tanquam à causâ, prout docent Scriptura, & Patres. Quorum testimonia, vt vidimus, aliter expediri non possunt, quàm asserendo, decretum Dei liberum vt tale principium effectiuum esse productionis rerum ad extra, eâ ratione, qua nostra volitio libera, & efficax nostrorum operum externorum principium est.

209 Id quod in super aliâ viâ monstrari potest. Primò; quia Deus vtpote agens intellectuale perfectissimum per intellectum simul, & voluntatem operatur ad extra iuxta illud ad Eph. 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ergo Deus, proposità sibi bonitate operis externi per consilium intellectus, non ad producendum illud immediatè, sed ad volendum producere determinatur: quia bonitas obiecti per cognitionem repræsentati dumtaxat mouet ad sui amorem, non ad alium actum. Ergo prius est in Deo reuerà velle efficaciter, & liberè opus producere, quam producere illud, ex illâque volitione tanquam ex causâ manat ista productio. Quod in sententiâ Connotantium locum non habet, vt ostendimus.

210 Secundò. Deus ab æterno habet decretum liberum, ex quo ineuitabiliter in suo tempore productio rei externa procedit. Ob id enim Deus apud Isaiam cap. 45. iuxta lectionem 70. & multorum Patrum dicitur *Fecisse ventura*, prout ipsi Patres interpretantur, quorum plures refert Ruiz tom. de Scient. disput. 25. sec. 4. & sequentibus. Et tom. de Volunt. disp. 11. sec. 9. Audiamus vnum Fulg. lib. 1. ad Monim. cap. 12. dicentem. *In ipso* (Christo Iesu) *ex æternitate dispositionis suæ in prædestinatione iam fecit, quæcunque effectu operis sui tempore congruo facienda disposuit.* Ergo Deus ab æterno concepit liberè decretum, per quod tanquam per principium efficiens citra omnem propriam siue immediatam libertatem mandatur exequutioni in tempore productio creaturæ: ita quidem, vt hæc non in se, sed in suâ causâ, eâque æternâ, libera sit. Quod in sententiâ Connotantium prorsus est impossibile: quia iuxta illam nec potuit Deus liberè se determinare ab æterno ad decernendum productionem temporaneam creaturæ, vti ostendimus probat. 1. nec potuit ab æterno concipere principium necessariò connexum cum productione creaturæ futurâ, distinctumque ab ipsâ adæquatè; quale debet esse principium eius: nec potest non esse productio creaturæ libera in se libertate propriâ; quandoquidem non potest non illa procedere à principio prorsus indifferente, nempe à nudâ substantiâ Dei, vt constat ex superiùs dictis.

211 Tertiò. Omnipotentia infinita Dei per voluntatem mensuratur, ac limitatur, ne tantum, quantum potest, producat, sed quantum voluntas determinat, vt sæpe docent Patres supra commemorati; & ipsa naturalis ratio dictat. Ergo volitio Dei libera in causâ est, cur omnipotentia sic, vel sic operetur. Hoc autem a Connotantibus dici non potest: quia apud eos omnipotentia non per voluntatem determinatur, sed se ipsam determinat; idque non ab æterno, sed in tempore; quandoquidem cum omnimodâ indifferentia actus primi prodit in operationem ad extra potens in illam non prodire. Mitto alia.

Probatio 3. Propositionis qurtæ *contra sententiam Connotantium*

212 Tertium argumentum, quo Connotantes premuntur, & nostra proposito firmatur, desumitur ex variatione ad extra, quam necessariò in eorum sententiâ exposcunt decreta Dei libera. Videntur enim plurima diuersa decreta necessariò admittenda esse in Deo, quin sint ad extra connotata diuersa. Quod sententiæ dictæ repugnat; prorsusque reputant impossibile Auctores eius, vt supra vidimus num. 91. Posse autem decreta in variari Deo sine vllâ variatione ad extra videtur notum. Primò; quia Deus id, quod est vtile ad plures fines, ad quemlibet, relictis alijs, ordinare potest. Quis neget? Aliàs Deus sine electione operaretur, quodlibet ordinans ad quodlibet, quod patet esse absurdum. Sed etsi, quòd ordinasset ad alium finem id, quod ordinauit ad hunc, nulla in rebus esset variatio. Ergo sine variatione ad extra possunt in Deo esse diuersa decreta. Minor exemplis comprobatur. Ponamus enim, Deum decreuisse Incarnationem Verbi solùm propter salutem hominis, vt communis sententia fert. Certè, si illam ob salutem etiam Angeli decreuisset, vt potuit, nihil nouum esset ad extra: tatum enim esset Incarnatio, salus hominis, & salus Angeli; quæ modò etiam sunt. Decernat Deus Petrum propter Paulum, & nihil amplius re ipsâ erit, ac si Paulum decerneret propter Petrum, &c. Secundò; quod Deus confert propter merita protuit, etiam existentibus meritis, conferre liberaliter; quo casu aliud esset decretum sine vllâ variatione ad extra. Tertio; Deus potest relaxare votum solâ suâ voluntate, nihilo prorsus ad extra producto. Ergo & habere decretum liberum sine extr insecâ variatione. Quarto; Deus solâ suâ volun-

voluntate potest remittere peccatum præteritum. Ergo & habere decretum sine extrinseco connotato. Quintò; saltem, dum Deus per gratiam intuitu sacramenti collatam remittit veniale, nihil ad extra datur nouum, præter ea, quæ essent, si eamdem gratiam non intuitu sacramenti, sed ex alio motiuo citra venialis remissionem conferret, vt potuit. Igitur sine noua variatione noua decreta possunt esse.

213 P. Vazq, 1. p. disp. 82. cap. 6. num. 26, & disp. 89. num. 86. & 3. p. disp. 23. cap. 8. expresè dicit, Deum, existentibus meritis, non posse conferre gloriam, quin illam conferat propter merita; quia aliàs sine vllà variatione ad extra posset habere Deus diuersum decretum; quod repugnat. Eodem que iure posset, & deberet dicere Vazq. Deum non posse non cuncta ordinare ad omnes fines, ad quos ea sunt ordinabilia. Sed quis non videat, Deum hac viâ in angustias conijci sibi indignissimas. Certè hoc pacto, non libertas, sed missera seruitus, & coactio Deo attribuitur. Et quidem, si res ita se habet, quid opus est, inuestigare, quo fine Deus vnumquodque operetur? Quid præstat, assignare speciales fines operum Dei, vt passim fit in Scripturâ, si cuncta propter omnes fines, ad quos sunt vtilia, sunt facta; nec aliter fieri potuerunt, rebus vt nunc? Aut quo iure ipse Vazq. contendit, Verbum ex fine solùm redemptionis humanæ fuisse incarnatum; quandoquidem, stantibus rebus eodem modo, simul propter fines alios potest dici facta incarnatio, imo & debet secundùm Vazq. propter omnes possibiles?

214 Propterea reliqui Connotantes, vt liberum Deum relinquant ad decernendum quod libet propter quoduis motiuum, veria genera externarum variationum excogitarunt, quibus eiusmodi libertatem possent adstruere P. Fasolus 1. p. q. 19. art. 3, dub. 8. num. 20. dicit, variationem externam pro diuersitate decretorum non debere necessariò esse physicam, sed satis esse, quòd sit moralis, qua, non physicè, sed moraliter res immutantur. Inter morales autem mutationes numerat diuersas rerum ordinationes in diuersos fines, ad quos Deus eas liberè ordinat: quibus, inquit, res non immutantur realiter, sed quasi moraliter, in quantùm fiunt, & sunt propter talem finem liberum, & sine illo de facto non essent. Cæterùm hæc sententia apertè falsa est. Quoniam ens morale non est aliquid medium inter ens physicum, & rationis, sed denominatio quædam ex physicis entibus suborta; quæ verè varia esse non potest, nisi in ipsis entibus physicis sit variatio, vt & per se notissimum, & apud Philosophos, Theologos que communiter planè est in confesso. Id autem, quod addit Fasolus de defectu conditionato rei decretæ casu, quòd deficeret finis, ad quem ordinatur, recidit in sententiam aliorum, quam iam impugnandam propono.

Ea autem est, variationem ad extra suffi-
215 cientem pro varietate decretorum Dei sæpe esse veritatem conditionatam, qua extante, tale extat decretum, &, qua deficiente per positionem suæ contradictoriæ, aliud decretum extaret, priore deficiente, etiam si res, quæ absolutæ existunt prorsus inuariatæ permaneant. Existentibus enim meritis, & collatione gloriæ absolutè, nunc datur gloria propter merita; quia verum est conditionatè, eam dandam non fore, si non essent merita: daretur autem gloria, & non propter merita, vt dari potuit, si opposita conditionalis vera esset, nempe gloriam dandam nihilominùs fore, etiàm si non existerent merita. Ita philosophantur Salazar tom. de Concept. cap. 24. §. 3. sect. 4. num. 72. & 75, Recupit. tom. 2. de Deo lib. 2. quæst. 9. num. 49. Vekenus disp. 25. de Deo cap. 6. Arrubal ex parte disp. 58. num. 24. & alij Recentiores. Quorum sanè doctrina sub aliâ vniuersaliori contenta est, quæ traditur à Ripalda tom. 1. de Ente supern. disp. 67. sect. 3. & tom. de Fide disput 40. sect. 9. ab alijsque vniuersaliter asserentibus, influxum causæ moralis in actum causæ physicæ, ad quem illa mouet, & qui cum illâ non est connexus, præterquàm in existentiâ absolutâ ipsius causæ moralis, & actus, in veritate insuper conditionatâ positum esse, qua verum est, talem actum non extiturum, si non existeret talis causa moralis. Tali enim veritate conditionatâ deficiente per positionem suæ contradictoriæ, causam moralem, aliàs existentem, & suapte naturâ inclinantem physicam in actu primo ad agendum ad huius actum secundum non concurrere, neque vllatenus in eum influere. Dico autem ad istam doctrinam spectare, quæ inducitur impræsentiarùm pro assignandâ varietate ad extra decretis diuinis: quia motiua decretorum Dei, qualia sunt merita, preces, fines, & alia huiusmodi causæ quædam morales sunt eorum, quæ decernuntur, mouentes ex se ad decernenda illa mediâ cognitione sui, aut amore. Atque ita, asserere, tunc Deum habere decretum dandi gloriam propter merita, quando est verum conditionatè, non fore gloriam dandam, si non essent merita, & tunc habere Deum decretum dandi gloriam ex alio motiuo, quando oppositum verum est, perinde est, ac, si asseratur, stando in sententiâ Connotantium, tunc merita influere in collationem gloriæ, quando est verum conditionatè, non conferendam gloriam, si deessent meritâ; tunc autem non influere, quando oppositum verum est, stantibus nihilominùs in vtroque casu absolutè eisdem meritis, & eâdem gloriæ collatione absque vlla prorsus variatione absolutâ.

Cæterùm, quàm falsa sit in vniuersùm huius- 216
modi doctrina, ex dictis contra Ripaldam supra disput. 30. quæst. 12. à num. 611. satis videbatur constare. Oportet tamen id speciatim demonstrare ad propositum ijs, quæ sequuntur: etsi nonnulla iam ibi dicta repetantur. Procedam autem claritatis gratiâ in exemplo collationis gloriæ propter merita, quæ eadem potuit à Deo decerni ex alio motiuo, eisdem existentibus meritis. Omissoque argumento quorundam inde petito, quòd veritas conditionata nihil absolutè ponit in esse; quasi propterea nequeat conferre ad denominationem absolutè causantis vt vnum ex fundamentis eius: hoc enim esse falsum, ex multis alijs denominationibus absolutis, & nihilominùs per veritates aliquas conditionatas aliquo modo constitutis constat, vt inferiùs latiùs exponam. De quo etiam dixi loco citato num. 616.

Aliunde argumentor primò in hunc mo- 217
dum. Quòd gloria non esset conferenda, si non essent merita, vt summùm potest esse argumentum, talem collationem aliquo modo in suâ existentiâ pendere à meritis; quòd verò dependeat ab illis tanquam à motiuo decreti collatiui gloriæ, & non tanquam à causâ physicâ, vel tanquam à puro termino connexionis, inde profe-

ἀὸ non colligitur. Ponamus enim, gloriam cum meritis suapte naturâ connexâ esse: certè in tali hypothesi æquè, ac modò posset Deus conferre gloriam, non ad compensanda merita, sed ex alio motiuo; quis id dubitet? Et tamen tunc non posset non esse conditionatè verum, non conferendam esse gloriam si deessent merita. Ergo huiusmodi veritas conditionata non est argumentum certum, quòd Deus modò conferat gloriam intuitu remunerandi merita; nedum variatio sufficiens pro decreto remunerandi merita per collationem gloriæ. Et ne fortasse detrectes hypothesim impossibilem de connexione physicâ gloriæ cum meritis, veniamus ad possibilem. Deus potest tibi reuelare, quanta habes merita, & quòd ea habes expedita propter statum gratiæ, in quo existis, & non mortificata per culpam; idquè vel in præmium saltem de congruo ipsorum meritorum, vel vt cautè viuas, & illa serues, vel vt grates Deo rependas, vel ex alijs varijs motiuis. Id non negabis, ni velis Deo ligare manus, ne sua dona largiatur, prout sibi placuerit. Ponamus ergo, reuelationem fieri ex solo motiuo, vt cautè viuas, & nullatenus ex motiuo remunerandi merita. Certè in tali casu nulla est variatio aut absoluta, aut conditionata, quæ non esset si reuelatio tibi fieret ex motiuo remunerandi merita: quandoquidem in vtroque casu & essent eadem reuelatio, & eadem merita absolutè, & esset conditionatè verum, non fore reuelationem, si non essent merita, vtpote quæ cum meritis ipsis essentialiter connexa est. Igitur eiusmodi conditionata veritas neque ad influxum meritorum in reuelationem, neque ad decretum remunerandi ipsa merita per beneficium reuelationis aliquid confert. Tantumdem ergo erit de veritate alterâ, quòd Deus non conferret gloriam, si non essent merita, respectu decreti conferendi gloriam ob merita, & influxus meritorum in collationem gloriæ, de cæterisque huiusmodi veritatibus pro cæteris omnibus casibus possibilibus.

218 Secundò. Estò, stante eâ veritate conditionatâ, quòd gloria non conferretur, si non essent merita, fixum staret conferri à Deo gloriam propter merita, & ipsa merita influere in collationem gloriæ. Ast, quòd talis veritas deficiat, signum non est, merita in gloriam non influere, & gloriam non dari propter merita ipsa. Quid enim potest prohibere, quominùs Deus, quando absolutè sunt merita, det gloriam in eorum præmium, daturus nihilominùs liberaliter, aut alio titulo ipsam gloriam, etiam si merita non essent. Certè, sicut ex eo, quòd sit conditionatè verum, calorem, qui nunc producitur ab igne, producendum nihilominùs fore ab aliâ causâ ex prouidentiâ Dei, casu, quòd ignis non adesset, non efficitur, eum de facto physicè ab igne non produci; nec vice versâ, ex eo, quòd absolutè præducatur ab igne, efficitur, non fore eum ab aliâ causâ praducendum, si deesset ignis. Ita ex eo, quòd sit conditionatè verum, Deum collaturum Petro nihilominùs gloriam ex alio titulo, si non haberet merita, non sequitur, modò non influere in gloriam merita, quæ de facto habet. Nec vice versâ, ex eo quòd collatio gloriæ nunc fiat propter merita, sequitur, non esse eam ex alio titulo faciendam, si merita deessent. Vel defacto enim est data Christo Domino gloria corporis propter merita, danda proculdubio nihilominùs, etsi merita non haberet, titulo vnionis hypostaticæ; cuius soluis intuitu maiora dona data sunt. Veritas igitur conditionata, quòd gloria non esset, aut esset conferenda, si non essent merita, impertinens est, vt Deus dicatur absolutè, quando merita adsunt, conferre gloriam propter merita, aut ex alio motiuo. Cuius ratio a priori est. Quia, siue adsit, siue non adsit eiusmodi veritas, motiua, quæ Deus per intellectum habet proposita ad conferendam gloriam, eodem modo inclinant illum in actu primo ad gloriæ collationem. Ergo eodem quoque modo ad eam concurrunt in actu secundo, eodemque modo erit, aut non erit Deus liber ad eligendum inter talia motiua; siue adsit, siue non adsit prædicta veritas. Quandoquidem ea, vt Aduersarij supponunt, & benè, non est aliquod ex motiuis conferendi gloriam. Alioquin, vt moueret defacto esset alia veritas conditionata addenda, & sic in infinitum.

Tertiò. Ponamus claritatis gratiâ, 219
Deum duo dumtaxat habere proposita motiua ad conferendam gloriam Petro, nimirum A, & B; (nam quod de duobus dictum fuerit, de omnibus, quæ reuerâ habet, venit intelligendum pariter); verumque esse conditionatè daturum ipsum esse gloriam Petro, etsi deesset motiuum A, existente motiuo B; similiterque, daturum, etsi de esset motiuum B, existente motiuo A. Tum sic. In hoc casu iuxta Aduersariorum doctrinam Deus nequit conferre gloriam Petro ex motiuo A; quia deest veritas conditionata ad id requisita, quòd, si deficeret motiuum A, gloria non conferretur; nec potest illam conferre ex motiuo B ob eamdem rationem. Ergo absolutè nequit illam conferre: siquidem absque motiuo aliquo proposito per cognitionem nil potest decernere, vt constat: & non habet alia proposita, præter illa duo, vt supponimus. Hoc autem asserere, quis non videat ridiculum esse; & absurdum. Ridiculum quidem. Nam quis non rideret dicentem, aliquam voluntatem, quæcunque ea sit, pluribus impulsam motiuis non posse velle id, quod alioquin posset, & vellet impulsa paucioribus: ideoque pluribus non posse; quia, si pauciora essent defacto vellet? Absurdum autem. Quia dici non potest, Deum ob quaslibet veritates conditionatas, aut ob earum defectum, quæ ab arbitrio suo absoluto non pendent, vt statim dicemus, esse necessitatum simpliciter ad non conferendam gloriam, cui sibi placuerit, aut etiam ad non implendam promissionem de ipsâ dandâ; si fors, vt posset, in casu posito promisisset.

Quarto. Eo fine intruditur ab Aduersarijs 220
veritas illa conditionata pro determinando decreto Dei, & consequenter influxu in rem decretam eius motiui, cui nititur tale decretum, vt liberam motiui electionem componant in Deo cum indifferentiâ, quam habet tum res decreta, vt fiat ex hoc, vel ex illo motiuo, tum volitio interna Dei, vt propter hoc, vel illud motiuum terminetur ad rem decretam, sitque subinde decretum eius, vt Connotantes philosophantur. Cùm enim volitio interna, positâ re decretâ præcisè, non magis euadat volitio eius ob hoc, quàm ob aliud motiuum, necesse est, quòd addatur aliquod tollens indifferentiam istam, & hoc, dicunt, esse veritatem illam conditionatam. Pergo. Sed ad eiusmodi libertatem eligendi inter varia motiua nihil prorsus

poteſt

potest conferre prædicta veritas. Igitur ea ad talem finem impertinenter adstruitur. Maior est certa. Consequentia est legitima. Probo minorem. Nequit ea veritas iuuare ad libertatem Dei absolutam eligendi inter varia motiua, nisi in libertate absolutâ Dei positum sit, quòd sit, aut non sit ipsa veritas conditionata. Sed non est positum. Ergo. Maior est euidens. Quia, si meritis existentibus, & collatione gloriæ, sola illa veritas conditionata desideratur, vt Deus dicatur conferre gloriam propter merita; idem formalissimè erit, habere Deum in suâ absolutâ libertate, existentibus meritis, quòd collatio gloriæ, quam exequitur, sit propter merita, vel secus, atque habere in suâ absolutâ libertate, quòd sit, aut non sit dicta veritas. Id autem ab eius libertate absolutâ non dependere, manifestè probatur. Quia à nullâ absolutâ libertate pendere potest conditionata veritas, quæ defectu purificationis conditionis non peruenit ad absolutam. Nullius enim arbitrio subditum est absolutè id, quod ipse faceret, aut non faceret, sit talis, aut talis poneretur conditio, quæ posita non est de facto; vt constat. Alioquin mihi modò absolutè essent imputabilia omnia opera praua, & proba, quæ, Deus scit, me operaturum, si tales, vel tales conditiones, quæ non sunt ponendæ, ponerentur. Deo etiam libera, & imputabilis esset modò glorificatio omnium Dæmonum, quam vtique ipse decerneret, si non peccarent. Tum damnatio omnium Beatorum, quam pariter ipse decerneret, si in peccato decederent. Omnia demum, quæ Deus non facit, faceret tamen sub hypothesi, quod crearet alios omnes Mundos possibiles, ipsi essent imputabilia, dignaque proinde absolutè laude, & gratiarum actione: ingratusque modò essem ego, quòd absolutè non gratifico Deo omnia dona, quæ mihi daret, si meam naturam sibi hypostaticè vniret. Quæ omnia absurda sunt; vt patet.

221 Ratio à priori. Quia, qua ratione vnumquodque est, eâdem, & non aliâ, dependet à suâ causâ; si est absolutè dependentiâ absolutâ; si est solùm conditionatè, dependentia conditionata. Ergo, quod non est absolutè, sed esset, à voluntate diuinâ, si aliqua conditio poneretur, non dependet absolutè, sed dependeret ab illâ; atque adeo non est absolutè liberum, sed esset, si talis conditio poneretur: sine dependentia enim absolutâ nequit stare libertas absoluta; vt patet. Tum veritas conditionata, cuius non purificatur conditio, à nullo exercitio absoluto libertatis dependet: siquidem cessante omni, illa persisteret. Constat autem à libertate absolutâ nil dependere posse nisi medio aliquo exercitio absoluto ipsius libertatis. Concluditur igitur; si Deus in suâ absolutâ libertate non habet modò, quod sit, aut non sit verum conditionatè, dandam esse Petro gloriam casu, quòd non haberet merita; neque in voluntate diuinâ positum modò esse, suppositò, quòd dat gloriam Petro habenti merita, ex motiuo potiùs talia merita remunerandi, quàm ex alio motiuo dare. Sed, si dictum conditionatum est verum, collatio gloriæ necessariò erit propter merita: sin minus, nequibit propter merita esse secundùm doctrinam, quam impugnamus. Ex quo patet, per illam nihil libertatem Dei expediri ad eligendum inter varia motiua ad quoduis opus externum sibi proposita; etiam si gratis eius Auctoribus concedamus, per eiusmodi veritates conditionatas reuerà determinari influxus motiuorum, & Dei decreta, vt ab his potiùs, quàm ab alijs dicantur procedere opera externa: quod falsum est; vt supra ostendimus. Quippe determinatio hæc non libera, sed necessaria est Deo; vt modò monstrauimus.

Quintò. Diuersis modis, atque adeò per diuersa decreta, potest Deus conferre eamdem gloriam respectiuè ad eadem merita, nimirum decernendo illam vel tanquam præmium meritorũ, & in eorum compensationem; vel tanquam auctarium ornamenti Beati, vt ex coniunctione gloriæ cum meritis ille pulchrior, & perfectior euadat; vel propter solam coexistentiam gloriæ cum meritis, &c. Rursus decernendo gloriam vel ex præuisione absolutâ meritorum; vel ex præuisione conditionatâ, vel ante vtramque præuisionem; sed cum respectu ad ipsa merita, iuxtà dicenda à nobis infra tract. de Prouid. In quibus omnibus casibus, cùm varia, & inter se diuersa essent decreta Dei, nulla variatio aut conditionata, aut absoluta daretur in rebus ad extra. Nam in omnibus existerent absolutè eadem merita, & eadem collatio gloriæ; verumque esset conditionatè, vt ex Aduersarijs supponitur, collationem gloriæ non extituram. si non existerent merita. Per huiusmodi igitur veritates conditionales sufficiens variatio ad extra dari non potest pro diuersis Dei decretis constituendis, vt Aduersarij prætendebant. 222

Aliam viam ego quondam excogitaueram in fauorem Connotantium ad assignandam variationem pro diuersitate decretorum. Dicebam, variationem metaphysicam sufficere, quæ sine physicâ videbatur reperiri posse pro arbitratu Dei. Posito enim, quòd decretum producendi Petrum propter finem A formalitas sit distincta per rationem nostram, aut etiam à parte rei virtualiter, à decreto producendi eumdem Petrum propter finem B, videbatur pro arbitrio Dei fieri posse ob suam infinitatem, vt Petrus potiùs à formalitate decreti prioris tanquam à causâ per se quarto modo, quàm à formalitate decreti posterioris, causaretur, vel vice versâ. Quod satis est, vt Petrus in finem A, & non in finem B, ordinatus verè dicatur, aut è conuerso. Sicuti enim in sententiâ omnium verum est, Deum vt omniponentem causare Petrum, non verò vt iustum, vt misericordem, aut Trinum; tametsi omnipotentia, iustitia, misericordia, & Trinitas idem reipsa sint: eo quòd formalitas omnipotentiæ est causa per se quarto modo productionis Petri, secus iustitia, misericordia, & Trinitas. Ità videtur modò posse esse verum, Petrum produci à Deo vt amante illum tanquam vtilem ad finem A, & non vt amante illum tantã vtilem ad finem B; etsi amor Petri vt vtilis ad finem A realiter formaliter sit idem cum amore eiusdem Petri vt vtilis ad finem B: eo quòd prior formalitas amoris nunc est causa per se quarto modo; secus posterior. Cùm tamen, si Deo placuisset, posset è contra esse causa per se posterior, non prior; quo decretum esset diuersum: idque sine vllâ physicâ mutatione. Sicut, dato casu impossibili, quòd iustitia, & non omnipotentia esset causa per se Petri, nihil physicè immutatum esset, sed tantùm metaphysicè. Ad hoc autem, vt vna formalitas amoris sit causa per se quarto modo Petri, alia verò non item etiam à parte rei, vel satis est, eas distingui inter se per rationem, vt multi in similibus casibus philosophantur; vel, licèt id non suffieiat, vt ego credo, saltem sat erit, vt distinguantur virtualiter, iuxta modum philo- 223

sophan-

224 sophandi in similibus magis communem, magisque verum,

En euasionem difficultatis argumenti propositi: quæ primo quidem aspectu satis idonea, satisque expedita videtur. Re tamen ipsâ fallax est. Quia certum est, deficiente quouis decreto Dei libero, vt verè deficere potuit, aliquid reuerâ, & physicè debere deficere; cùm decretum Dei, quod deficit, non sit nihil. Iuxta dictam autem considerationem nihil deficit reuerâ, & physicè, deficiente decreto Dei: vndè ea non tollit difficultatem. Clariùs difficultatem ipsam detego. Etsi duæ illæ volitiones commemoratæ realiter essent distinctæ in Deo, non posset adhuc ipsi esse liberum, quòd Petrus modò ab vnâ, modò ab aliâ procederet per eamdem actionem. Nam demus, procedere à primâ; hæc processio non erit aliud, quàm ipsa volitio, & actio, qua ab illâ progreditur Petrus. Ergo, extante eâdem volitione, vt semper extat, & extante eâdem actione, semper Petrus à tali volitione procedet. Idemque argumentum fit de volitione secundâ, & de reliquis, quibus amatur Petrus vt vtilis ad varios fines. Quo fit, vt in doctrinâ datâ non possit Deus liber esse ad ordinandum Petrum ad vnum finem potiùs, quam ad alium: quam libertatem in præsenti conamur adstruere. Ex quo patet, ad hoc vt aliquis efectus modò ab vnâ formalitate Dei vt à causa per se, modò ab alia progrederetur, idque prorsus à parte rei propter distinctionem virtualem talium formalitatum, insuper necessarium fore, quòd per diuersas actiones ab illis nasceretur. Aliud est, quando effectus non reipsâ, sed per rationem nostram dumtaxat dicitur ab vnâ formalitate, præ aliâ, tanquam à causâ per
225 se oriri, vti plerumque fit. De quo alibi.

Aliam inierunt viam Arrubal. disp. 58. cap. 4. & 5. Herice disp. 17. cap. 2. & alij, vt varietatem pro decretis Dei assignarent, quam omnes Connotantes venantur, magis quidem ex peditam, sed nescio, an magis rectam. Dicunt, quoties Deus habet diuersum decretum, reuerâ, & physicè dari pro connotato actionem diuersam, qua effectus ad extra producitur, ex qua diuersitate actionum nascitur, vt Deus modò ad hunc finè, modò ad alium possit eamdem rem ordinare, aut modò propter hoc motiuum, modò propter aliud producere. Differunt tamen isti Auctores in assignandâ actionum diuersitate. Nam Arrubal dicit, eam ex diuersitate motiui, seu finis effectus producti desumi; Herice verò, & alij docent desumi ex diuersitate principij. In Deo enim dari diuersos actus, tum cognitionis, tum amoris, non quidem verè, & physicè, sed per rationem nostram distinctos, aut etiam realiter virtualiter, vt Recentiores volunt, quibus Deus cognoscit quamuis rem producendam vt vtilem ad diuersos fines, vt talemque illam amat: à quorum actuum diuersitate progreditur diuersitas actionum, quibus complentur decreta Dei ordinantia rem in diuersos fines. Ego arbitror, parum hic esse curandum de specificatiuo actionum, quibus Deus ad extra producit siue se solo, siue simul cum causâ creatâ: dummodò id ponatur, possibilem esse actionem, vi cuius effectus productus in certum finem, seu motiuum à Deo dirigatur: siue ea sit actio solius Dei. siue Dei, & causæ creatæ: nulla enim in huiusmodi actione videtur esse repugnantia. Vt enim in voluntate creatâ electio medij actus est suaptè naturâ, & essentiâ referens medium ipsum ad finem intentum ab eligente: cur actio, qua aliquid à Deo fit, non poterit suapte naturâ referre effectum factum ad finem intentum à Deo? Posito autem quòd sint actiones suapte naturâ ordinates, quod per eas fit, ad præstitutum finem, seu motiuum; consequitur, vt vnumquodque factibile per plures, variaque actiones factibile sit, quibus in varios fines, seu motiua sit referibile; siue istæ actiones solo numero differant, siue etiam specie. De quo modò non est curandum: quia ad rem nil interest, dummodo actiones diuersæ sint naturâ suâ. Per huiusmodi autem actiones modò prædicto vnumquodque in proprios earum fines ordinari potest, siue fines efficaciter, siue ineficaciter intendantur: hoc enim parum ad rem præ-
226 sentem interesse videtur.

Hoc fundamento iacto, tota difficultas signandi variationem externam pro varietate decretorum Dei videtur complanata. Nam, quoties Deus operatur propter hoc motiuum, non potest non opus fieri per actionem id dirigentem in tale motiuum tanquam complementum extrinsecum, seu connotatum decreti Dei. Hoc enim ipso, quòd Deus vult rem producere tali actione, censetur dirigere rem ipsam in tale motiuum, ad quod naturâ suâ actio ordinatur. Quòd si Deus ob aliud motiuũ eamdẽ rem faceret, actione aliâ faceret distinctâ à priori naturâ suâ, atque adeò varietio esset re ipsâ sufficiens pro diuersitate decreti.

Cæterùm doctrina hæc, quæ pro secundo ar- 227
gumento facto cæteris clarior videtur, & expeditior, & magnas difficultates patitur, & insufficiens adhuc videtur. Primùm enim adeò immani diuersarum actionum infinitudine ex occasione dumtaxat excogitata subnixa est, vt satis apertam præseferat speciem falsitatis. Iuxta illam enim necessariò sequitur affirmandum. Primò, nullam rem esse, quæ non sit à Deo producibilis per tot actiones diuersas, quot sunt entia possibilia tum simplicia, tum complexa, seu combinata, facta omni combinatione possibili. Cùm certum sit, Deum quamlibet rem pro suo arbitratu posse velle efficaciter, vt subest tanquam motiuo, vel circumstantiæ cuilibet enti possibili, aut cuilibet entium possibilium combinationi; idque tum vt possibilium, tum vt existentium, tum vt mixtorum, quo rursus crescit infinitus cumulus diuersarum actionum. Quis autem credat, me per tam immensam diuersarum actionum infinitudinem esse creabilem à solo Deo, per totidemque itididem à singulis causis secundis, quæ me possunt producere producibilem? Secundò sequitur ob eamdem rationem, non solum rem, sed etiam actionem quamlibet per similem 22
reflexarum actionum cumulum causabilem esse. Imo verò, cùm quæuis actio etiam reflexa ex motiuo sibi extrinseco possit à Deo causari, nulla erit omnium dictarum, quæ non habeat supra se infinities infinitos progressus reflexarum actionum possibilium, quarum vna per aliam, & hæc per tertiam, & sic deinceps sine fine causabiles sint. Quis autem non censeat, has infinities infinitas actionum reflexarum congeries ad vnam diuisibilem causandam, quæ eis non eget, suapte naturâ ordinatas per se esse chymæricas: quando vix est probabilis sententia, quæ docet, vnam actionem per alteram posse causari? Tertiò sequitur, quilibet causam secundam per totidem diuersas actiones tum directas, tum reflexas vnumquemque suorum effectuum, & vnamquamque suarum actionum causare posse. Quod etiam videtur chymæ-

chymæricum. Quartò sequitur, tantumdem de singulis rebus, & actionibus comparatis cum omnibus chymæris impossibilibus dicendum esse: quia etiam potest eas Deus velle efficaciter prout connotant tales chymæras. Quinto sequitur, quamlibet rem naturalem per infinitas actiones supernaturales producibilem esse; quod etiam videtur absurdum. Quia nimirum ex infinitis motiuis supernaturalibus prout existentibus est producibilis à Deo: & omnis actio suapte essentiâ connexa cum motiuo supernaturali prout existente eo ipso est supernaturalis iuxta doctrinam certam stututam à nobis tom. 1. huius
328 Operis disp. 18, q. 8.

Iam verò post admissam tam ingentem infinitudinem possibilium actionum, adhuc multæ difficultates supersunt, Primò enim sequitur, quamlibet rem (haud dubiè possibilem) se ipsâ sine interiectâ actione factibilem à Deo alicui determinato motiuo esse suapte essentiâ alligatam. Et consequenter, Deùm nec posse producere illam aliter, quàm ex tali motiuo, nec posse illam ad alia motiua ordinare aliter, quàm per actiones superadditas ipsi essentialiter superfluas. Quod vtrumque est absurdum. Secundo sequitur, saltem esse Deum necessitatum ad amandas actiones, plura motiua, & sæpe infinita respicientes iuxta dicta, ex omnibus ipsis motiuis, quin inter illa optionem habeat. Quo in idem absurdum reciditur, quod per eiusmodi actiones intenditur vitari. Si enim absurdum reputatur, ligare Deo manus, ne possit vnionem hypostaticam Christi Domini ex quocunque motiuo, sibi placuerit, producere, reiectis infinitis alijs motiuis, ex quibus ea produci posset; cur etiam non erit absurdum, ad strictum esse Deum ad eliciendam aliquam actionem productiuam vnionis ex innumeris, aut etiam infinitis motiuis, quæ illa respicit, neque vllum eorum posse reijcere? Ita enim fiet vt infinita sint entia externa, quæ Deus aliter, quàm ex innumeris, aut etiam infinitis motiuis simul ad illa concurrentibus producere nequeat. Absurdum; quod prætendunt vitare harum actionum inuentores. Tertiò, quod amplius est, post tot diuersarum actionum sumptum, nihilo magis redditur Deus liber ad eligendum inter motiua rerum, quas ad extra producit, ad illas ve ordinandas in hos potiùs fines, quàm in alios, sed prorsus manet necessitatus ad eas in omnes fines possibiles ordinandas, & ex omnibus motiuis possibilibus producendas, prout argumentũ prætendit: quod Aduersarij nõ aduerterunt. Vnde imprimis apparet, eorum de diuersi-
229 tate actionum doctrinam ad rem insufficientẽ esse.

Ostendo id planè. Quia Deus non solùm amat liberè, & efficaciter actiones, quibus res producit, sed etiam res ipsas secundùm se, imo propter res amat actiones: connotatum autẽ proprium, per quod completur amor rerum secundum Connotantium doctrinam, non sunt actiones, sed res ipsæ; cùm hæ bona quædam sint condistincta ab actionibus, vt taliaque amabilia secundùm se, quemadmodùm connotatum proprium, quo completur scientia visionis rerum, non sunt actiones, sed res ipsæ, vt constat: alioquin scientia rerum, & scientia actionum eadem esset vndequaque; res que subinde non distinctam veritatem obiectiuam à Deo cognoscibilem, sed eamdem cum actionibus haberent: quod patet esse absurdum: cùm certum sit, quæcunque distinguuntur quoad entitatem, quoad veritatem obiectiuam, quæ passio est entitatis, atque adeò etiam quo ad bonitatem, & amabilitatem distingui. Igitur impossibile est, vt Deus non ordinet in omnes fines possibiles omnes res, quas producit. Probo consequentiam, Ordinare rem in omnem finem possibilem, nihil est aliud, quàm velle efficaciter existentiam rei vtilem ad omnes fines possibiles, præintentis finibus ipsis simplici, vel efficaci intentione, vt constat. Sed Deus in sententiâ Connotantium non potest non intendere, sine amare simplici desiderio omnem finem alioquin bonum, ad quem est vtilis quæuis res earum, quas producit: deinde, dum vult efficaciter rem producere, non potest non velle quoque, seu amare efficaciter, quidquid in ea bonum, & amabile est, & consequenter omnem vtilitatem, quam habet ad omnem finem, ad quem est vtilis: quandoquidem in hac sententiâ nulla bonitas, quæ ad extra ponitur, potest à Deo non amari efficaciter. Ergo Deus quamcunque rem producit, necessariò ordinat in omnem finem, ad quem ea est vtilis, nec optionem habet ad eam in vnum, & non in alium ordinandam. Nec refert, actionem, qua res producitur in vnum tantum eorum finim esse ordinatam naturâ suâ. Quia ego non contendo argumento facto, actionem, qua res producitur, in omnes eos fines ordinari sed solùm ordinari rem ipsam per amorem, qua non actio, sed res amatur.

Addo tamen, simili argumento probari, 230
actionem etiam non posse non ordinari à Deo in omnes fines prædictos, quamtumuis in vnum tantùm eorùm sit essentialiter ordinata. Nam eo ipso, quod per illam ponitur res in naturâ rerum, nequit non esse vtilis ad omnes fines, ad quos res ipsâ est vtilis. Ergo Deus, dum ei dat existentiam, nequit non amare efficaciter omnem vtilitatem istam ad dictos fines ob rationem dictam. Quod est, non posse non illam ad fines ipsos ordinare, etiam si per actionem reflexam ipsam non causer.

Ex his facilè deprehendes deceptionem 231
Auctorum, qui per diuersitatem actionum externarum diuersitatem ordinationum rerum in fines oriundam à prouidentiâ Dei se arbitrantur componere. Putant enim, idem munus dictas actiones, quod ad rem attinet, præstare posse in Dei prouidentiâ, quod diuersi actus voluntatis præstant in nostrâ; eo quòd actus voluntatis diuinæ per tales actiones aliqua ratione complentur, rationeque earum subinde diuersi euadunt. Sed deceptio in eo stat, quòd non aduerterunt, volitionem Dei per actionem quoquo modo completam, stando in suis principijs, aut non esse volitionem rei productæ per talem actionem, sed ipsius actionis dumtaxat, atque ita per illam rem non posse ordinari infinem, vti ordinatur per volitionem nostram, quæ ipsius rei ordinandæ volitio est: aut, licèt volitio Dei per actionem completa sit volitio rei per eam productæ hanc ordinans ad finem peculiarem, aliunde non posse non rem productam per volitionem sibi propriam, & immediatam in omnes fines sibi possibiles ordinari: nec posse non etiam actionem ipsam per volitionem sui in omnes pariter ordinari fines sibi possibiles.

Quæ omnia vt perspicuè appareant, no- 232
tandum primò est, iuxta Connotantium sententiam amorem necessarium Dei ita esse amorem absolutum, ac veluti in actu primo omnium obie-

obiectorum amabilium, vt posità obiecti amabilitate, seu bonitate, non posit non illa euadere amor iam in actu secundo talis obiecti, siue non possit non denominare Deum amantem actu tale obiectum, habente se obiecto ipso vt connotato, seu conditione complente conceptum talis amoris, siue talis denominationis. Quemadmodùm scientia Dei necessaria ita est scientia absoluta, ac veluti in actu primo omnium obiectorum scibilium, vt, posità obiecti scibilitate, seu veritate, non possit non illa euadere scientia iam in actu secundo talis obiecti, siue non possit non denominare Deum scientem actu tale obiectum, habente se obiecto ipso vt connotato, seu conditione complente conceptum talis scientiæ, siue talis denominationis. Hinc, stando in hac sententiâ, fit primò, quamlibet bonitatem à Deo amabilem, in quocunque statu ea sit, per se, & independenter ab alio quopiam esse sufficens connotatum complens denominationem, qua Deus redditur amans illam; necessariò quidem, si sit in statu necessario, vti est bonitas purè possibilis; liberè autem, seu contingenter, si sit in statu contingente, vti est bonitas existens. Vnde secundò fit, quamlibet rem non posse non amari à Deo quoad omnes bonitates, quoad quas ab illo amabilis est: quia quoad omnes est connotatum sufficiens amoris omnium. Tertiò fit, Deum non posse non amare quamlibet rem omnibus amandi modis, quibus ea ab ipso amabilis est; scilicet per desiderium, per complacentiam, per gaudium, per amorem strictum: quia amor Dei necessarius his omnibus modis est amor veluti in actu primo cuiusuis rei ipsis amabilis; hisque subinde omnibus modis reducitur ad actum secundum vt per sufficiens connotatum per talis rei positionem in eo statu, in quo ea ipsis eisdem modis amabilis à Deo est. Vnde fit quartò, Deum non posse non amare quamlibet rem existentem quoad omnes suas bonitates amore desiderij efficacis: quia ita est amabilis à Deo quoad omnes suas bonitates quælibet res existens.

233 Secundò notandum est, P. Quiros disp. 63. de Deo, & alios Recentiores ex Connotantibus quosdam modos inducere à Deo productos, aut producibiles in tempore, pro complendis, atque inter se discriminandis volitionibus ipsius liberis. Qui modi, inquiunt, sunt connotata, seu conditiones, per quorum positionem, siue existentiam potest Deus denominari volens non solùm modos ipsos, sed etiam quælibet alia obiecta; idque quouis genere volitionum iuxta modorum diuersitatem; idque rursus, siue tales modi ponantur in ipsis obiectis volitis, siue alibi, quod non interest ad rem. Itaque iuxta hanc doctrinam tunc Deus vult producere Petrum ex fine A, quando modum quemdam superaddit, illumque ponit aut in productione Petri, aut in ipso Petro, aut in alio quouis subiecto, qui modus suapte naturâ est conditio determinans volitionem Dei necessariam vt Deum denominet volentem productionem Petri propter finem A; & tunc Deus vult producere Petrum ex fine B, quando alium modum ponit vbilibet, qui suâ naturâ est determinatio ad denominationem volentis producere Petrum propter finem B: pariterque philosophantur de cæteris. Et in summâ hi Auctores tantumdem præstari ad rem censent per modos istos, ac præstaretur, si Deus volitiones superadditas inter se diuersas haberet, sicuti nos habemus: tametsi dicant, modos istos ne partialiter quidem pertinere ad formam volendi, sed meras esse conditiones extrinsecas, vt forma volendi adæquatè identificata cum Deo, atque adeò penitus necessaria diuersas istas, & contingentes denominationes volentis ipsi Deo præstet.

Hinc sequitur notandum terriò, Arrubal, 234
Herice, & alios Connotantes paulo antiquiores, qui per diuersas actiones vt per diuersa connotata constituunt, discriminantque decreta Dei libera; perinde de eiusmodi actionibus potuisse philosophari, asserentes, per eas compleri non solùm voltiones Dei liberas de se ipsis, sed etiam volitiones Dei liberas de terminis per ipsas productis; atque Quiros, & Recentiores alij philosophantur de suis modis. Nisi, quòd asylum hoc diuersorum modorum longè amplius est, quàm illud actionum diuersarum: quia plures casus in se capit: dici siquidè potest, permodos diuersos determinari posse Deum ad liberè amandũ sic, vel aliter creaturas purè possibiles, aut conditionatè futuras, circa quas non est dabilis actio; tum determinari Deum ad decreta purè intentiua, quæ per actiones termini intenti non videntur componi posse, &c.

Cæterùm nec per actiones diuersas, nec per 235
modos diuersos posse Connotantes istos vitare, stando in suis principijs, id, quod prætendunt, necessitatem scilicet Dei ad amandum, quidquid amat, ex omnibus finibus, ex omnibusque motiuis, ex quibus illud est amabile, quin habeat optionem ad illud amandum ex hoc potiùs, aut ex illo fine, siue motiuo, quàm ex alijs, per argumentum à nobis factum videtur conuinci. Nam, stando in Connotantium principijs, estò modus A (tantumdem censè semper de actione) determinet Deum ad amandum obiectum B, nequit non determinare etiam Deum ad amandum se ipsum, vt ipse Quiros disp. 63. citatâ num. 16. fatetur: constatque tum èx dictis num. 232. tum quia modus A, vt pote effectus Dei, ex diuinâ de se volitione debet procedere. Sed non ex volitione diuinâ completâ per alium modum: quia de hoc esset dicendum idem, & abiretur in infinitum. Ergo ex volitione diuinâ completâ per se ipsum. Deinde, stando, in Connotantium principijs, estò obiectum B, ametur à Deo per amorem completum tanquam per connotatum per modum A, non potest non etiam amari per amorem completum tanquam per connotatum per se ipsum: tum quia id etiam constat ex dictis num. 232. tum quia à paritate scientiæ venit monstrandum; de qua, & de amore, quod ad rem attinet, eamdem prorsus debent Connotantes tenere Philosophiam. De scientiâ quippe loquendo, estò obiectum B sciatur à Deo per scientiam completam tanquam per connotatum per modum A, non potest non etiam sciri per scientiam completam tanquam per connotatum per se ipsum. Alioquin, cùm sit Deus potens ad impediendum existentiam modi A, & consequenter scientiam completam per ipsum de obiecto B, huius veritate obiectiua non impeditâ, maxime, si ea sit necessaria, qualis est purè possibilium: potens Deus esset ad non sciendum, atque adeò ad ignorandum obiectum B, aliàs verum. Quod est ingens absurdum.

Habemus ergo, etiam admisso, quòd 236
Deus habeat actum amoris de quouis obiecto com-

completum tanquam per connotatum per modũ à tali obiecto distinctum, non posse non Deum in Aduersariorum sententiâ tum per talem actum amare item talem modum, tum habere aliũ completum tanquam per connotatum per tale obiectum, quo insuper amet obiectum ipsum. Cùmque in eadem sententiâ nec possit vtrumuis non esse connotatum completiuũ sui actus quoad omnes bonitates, quas habet, nec possit amor Dei necessarius non determinari per vtrumuis ad illud amandum omnibus modis, quibus illud amabile est, iuxta dicta num. 232. conficitur, admissâ etiam de eiusmodi modis doctrinâ Aduersariorum prædictâ, adhùc in eorum sententiâ nõ posse non manere Deum semper necessitatum ad amandum, quodcunque amat, ex omnibus finibus, & motiuis, ex quibus illud est amabile. Quod erat ostendendum.

237 Admisi in Connotantium sententiâ, per modum aliquem ab obiecto distinctum tanquam per connotatum, vel conditionem posse determinari Deum ad volendum, vel sciendum ipsum obiectum. Censeo tamen id esse omnino impossibile. Nam in tali sententiâ, cùm actus Dei internus ob suam infinitatem ita sit amor absolutus omnium amabilium, & scientia absoluta omnium scibilium, vt nihil ampliùs desideret, quàm, vt ipsa sint, & veluti coram ponantur, vt terminetur ad illa, sicque eorum cuadat aut amor, aut scientia actualis; non malè percipitur, quomodò positio bonitatis, aut veritatis obiecti conferat, vt ipsum actualiter à Deo ametur, aut sciatur. At aliud quid ab obiecto distinctum ad id posse quidpiam conferre, imperceptibile sanè est. Etenim conferre non potest ad hoc, vt actus internus Dei sit amor absolutus, aut scientia absoluta talis obiecti. Sed neque ad hoc, vt obiectum ipsum sit amabile, aut scibile. Ergo ad nihil. Maior indubitabilis est. Et consequentia bona. Siquidem in sententiâ Connotantium, Deum amare, aut scire obiectum, dumtaxat importat, quòd Deus talem actum internum habeat, & quòd obiectum sit amabile, aut scibile: quare ad id omnino est impertinens, quidquid vltra adijciatur. Minor autem etiam est clara. Quia sermo impræsentiarùm est de obiectis amabilibus, & scibilibus à creaturis rationalibus per actus ab ipsis elicitos, atque adeò contingentes, ratione bonitatis, aut veritatis obiectiuæ, quam aliunde illa habent independenter ab eis modis, quæ ab Aduersarijs inducuntur, vt pariter contingenter amentur, aut cognoscantur à Deo. Vnde isti modi nihil conferunt, vt talia obiecta sint amabilia, aut scibilia etiam sententiâ Aduersariorum. Et quidem nihil posse reddi obiectiuè verum, atque adeò scibile per aliquid distinctum à se; cùm veritas obiectiua cuiuslibet aliud non sit ab ipsius *esse*; multis ostendi in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 1. Sicut neque quidpiam potest reddi obiectiuè bonum, atque adeò absolutè amabile ab extrinseco eâ bonitate transcendentâli, quam habet etiam indistinctam à suo *esse*; tametsi per extrinseca adiuncta perfectiua sui benè possit ens reddi magis bonum, atque adeò magis amabile. Sed impresentiarùm, vt dicebam, solùm est sermo de bonitate, amabilitateque, quam habent obiecta independenter ab eis modis, quos Aduersarij ponunt, non quidem vt eorum bonitas crescat, sed vt, quam aliunde habent, liberè, seu continenter ametur à Deo. Ad quod eos nihil posse conferre, satis per argumentum factum videtur ostensum.

Pergo iam, & admissâ iterum totâ Aduersariorum doctrinâ de diuersitate actionum, aut modorum pro discriminandis volitionibus liberis Dei, proque seruandâ ipsius libertate ad eligendum inter varia motiua, aliunde probo, eam insufficientem esse. Quia Deus non solum res positiuas, sed etiam negationes rerum potest ordinate ad varios fines, ex varijsque motiuis causare pro arbitratu suo: cùm id ad perfectionem suæ prouidentiæ manifestè pertineat. Ad hoc autem, nec diuersitas actionum, nec diuersitas aliorum modorum sufficit. Ergo. Probo minorem, refellendo imprimis Aduersariorum responsiones. 238

Respondet Arrubal. disp. 58. num. 24. res positiuas ex se esse indifferentes, vt, rebus alijs eodem modo existentibus, fieri possint propter vnũ, aut alium finem: quare earum determinata ordinatio ad certum finem sumi debet ex diuersâ causalitate, per quam fiant. At verò in negationibus non esse eiusmodi indifferentiam: quia, sicut in genere causæ efficientis sine aliâ actione sunt ab illo impedimento, quod si non esset, produceretur opposita res positiua: ita in genere causæ finalis sunt ex illo fine, qui si non existeret obiectiuè in mente agentis, illud produceret oppositam rem positiuam. Sed contra. Quia non minùs negationes sunt indifferentes, vt sint propter vnum, aut alium finem, quam res positiuæ: quando quidem ad plures fines conducere possunt, vt patet. Quod autem dicit Arrubal, negationem esse in genere causæ finalis ex illo fine, qui si non existeret in mente agentis, non esset negatio, quia poneretur res positiua oppositа; eodem iure de effectu positiuo affirmare posset, quin opus esset actiones diuersas adstruere; nempè illum ex eo fine procedere, qui si non existeret in mente agentis, non produceretur effectus. Hoc tamen est apertè recidere in sententiam P. Salazar, & aliorum relatam, & reiectam supra à num. 216. 239

Aliter respondet Herice disp. 17. cap. 2. numer. 21. §. *Nec secundum*, quando Deus e. g. negat auxilium efficax ex diuersis finibus, variationem ad extra positam esse in priuationibus diuersis diuersarum actionum, quibus auxilium ipsum ob fines diuersos produceretur. Hæc tamen solutio manifestè refellitur primò. Quoniam priuatio actionis, qua auxilium ordinaretur ad finem determinatum e. g. vt homo iustificaretur, nequit referre negationem auxilij ad eumdem finẽ, respectu cuius ipsa negatio auxilij potiùs est impedimentum, siuè negatio medij, quàm mediũ. Quis enim dicat Deum negare auxilium ex fine, vt homo iustificetur: quando negatio auxilij non solùm est inutilis ad eum finem, sed ei aduersa? Ad alium autem finem nequit negatio auxilij referri per priuationem actionis, qua auxilium erat ordinandum ad finem prædictum: quia talis priuatio ad alium finem nullum respectum habet; aut certè ex reliquis omnibus non magis respicit vnum, quàm alium: vndè ad omnes, vel ad nullum potest auxilij negationem referre. Secundò vrgentiùs. Quando Deus negat auxilium, non solùm datur reipsâ priuatio actionis, qua auxilium in finem iustificationis hominis referendum erat, sed etiam dantur priuationes omnium aliarum actionum, quibus in omnes fines possibiles auxilium poterat referri. Ergo vel in omnes fines refertur negatio auxilij vi earum priuationum omnium actionum, vel in nullum. Clariùs. Demus, nunc esse ordinatam à Deo negationem auxilij in finem A. si ordinaretur in finem B. vt po- 240

tuit, quid esset à parte rei, quod modò non est? Nihil profectò: quia tunc omnium actionum essent priuationes cum negatione ipsâ auxilij, quæ etiam modò sunt. Per priuationes ergo diuersarum actionum non datur sufficiens variatio, vt Deus circa negationes rerum diuersa decreta habere dicatur: diuersaſve earum in speciales fines ordinationes.

241 Meliùs possent hi Auctores respondere consentaneè ad sua principia, cùm Deus negationem aliquam vult ordinare ad aliquem finem, positiuè influere per positionem impedimenti rei negatæ productum per actionem, quæ suâpte essentiâ dirigeret ad talem finem tum ipsum impedimentum, tum negationem procedentem ex illo. Sed neque hæc responsio est sufficiens. Quia multa sunt, quæ Deus liberè emittit, negationesque subinde causat illorum: quorum tamen nullum est impedimentum possibile, per cuius actionem possit Deus positiuè tales negationes causare, illas in peculiarem finem ordinando mediâ ipsâ actione: ea videlicet omnia, quæ quoad existentiam cum nullo alio ente possibili opposita sunt, vt alij homines, alij Angeli possibiles, & cætera innumera, quorum negationes ex multis, variisque finibus, & alijs motiuis causare Deus potest citrà dubium pro suo arbitratu; quin fit asserendus necessitatus ad illas causandas simul ex omnibus.

242 Propterea Quiros disp.64. sect.3. & alij Recentiores ad amplius illud suum asylum modorũ diuersorum recurrunt dicentes, quoties Deus vult negationem aliquam ex peculiari aliquo motiuo causare, modulum quendam positiuum producere, per quem tanquam per conditionem, siue connotatum completur volitio libera & efficax Dei de tali negatione ex tali motiuo. Adhuc tamen huius asyli amplitudo non capit omnes casus. Nam casu, quod Deus nihil produceret ad extra, aut certè, quòd nullum ex prædictis modis produceret, iam non haberet, quo in Aduersariorum sententia determinari posset ad causandas negationes, quas causat nunc, & tunc causaret ex vno potiùs, quàm ex multis alijs motiuis, ex quibus illæ citra omne dubium ab ipso causabiles sunt; necessitatusque subinde maneret ad causandas illas simul ex omnibus.

243 Fuerunt nõnulli Recentiores apud Ripaldam disp.70. de Ente super. num.48. & 62. & apud Quiros disp.64. citata num.22. qui, vt istam difficultatem fugerent, in ipsis omissionibus rerum diuersitatem commenti sunt pro diuersitate finiũ, seu motiuorum, ex quibus res vnaquæque potest omitti. Quasi plures negationes specie diuersæ eiusdem entis dari possint; ipsumque ens possit modò per vnam, modò per aliam non existere, cæteris deficientibus. Hoc tamen commentum ab omnibus communiter reprobatur. Quia vnius entis vnica tantùm negatio possibilis est, vt ex doctrinâ de negationibus traditâ à nobis in Pharo Scient. disp.9. quæst.3. & 4. constat. In quo hic non opus est morari.

244 Restat igitur vt fateantur Aduersarij, in casu proposito num.242. necessitatum fore Deum ad causandam omnem negationem, quam causaret, ex omnibus omnino motiuis, ex quibus esset ea ab ipso causabilis. Idque fatetur de plano Quiros disp.64. citatâ num.23. & 24. Sed hoc profectò est dare manus, & deuorare absurdum, pro quo vitando factæ erant tantæ expensæ modorum. Nam, si est absurdum, esse Deum impotentem ad eligendum pro arbitratu inter varia motiua, ex quibus est ab ipso causabile ens: quomodò non erit etiam absurdum, esse Deum impotentem ad eligendum pro arbitratu inter varia motiua, ex quibus est ab ipso causabilis negatio entis?

Ex quibus omnibus concluditur, doctrinam de varietate aut actionum, aut aliorum modorũ pro discriminandis in sententia Cõnotantium varijs volitionibus liberis, quas Deum habere posse, asserendum est, præterquamquòd varijs ex titulis falsa est, vt ostendimus; insufficientem etiam ex alijs esse ad finem, pro quo obtinendo excogitata, inductaque est à suis Auctoribus. 245

Iam verò ad illud, quod addebatur in argumento facto num.212. de relaxatione voti, de remissioneque peccati seu mortalis, seu venialis. Vazq. 1. p. disp.82. cap.6. Gran. tract.10. de uoluntate, disp.5. sect.6. Alarc. disp.5. cap.3. & alij dicunt, relaxationem voti à Deo fieri non posse sine externa reuelatione, siue insinuatione alicui facta: ea autem posità, sufficiens connotatum esse pro complendo, & ab alijs discriminando decreto Dei relaxatiuo. Per similemque reuelationem Dei, censent non pauci, compleri posse decretum constituens extrinsecam condonationem peccati. Alij verò cum Vazq. 1. 2. disp 206. & 207. absolutè negant, posse peccatum remitti per extrinsecam Dei condonationem absque vlla formâ intrinsecâ, siue inhærente peccateri. Decretum autem speciale Dei de remittendo peccato veniali per gratiam habitualem datam intuitu Sacramẽti, alioquin cum illo compatibilem, per specialem gratiæ productionem tale motiuum respicientem venit complendum iuxta doctrinam Arrub. Heric. & aliorum relatam supra. Denique Quiros locis supra citatis, & alij Recentiores per illos suos modos diuersos completiuos volitionum Dei diuersarum cuncta ista componunt. 246

Cæterùm per reuelationem Dei de relaxatione voti, aut condonatione peccati à se factâ voluntas relaxatiua, aut condonatiua compleri nequit: quia talis reuelatio supponit talem voluntatem iam completam aliundè. Reuelatio autem de alio obiecto, quæ possit ad rem subseruire, excogitabilis non est. Quomodò autem nec per speciales actiones, aut modos compleri possint voluntates Dei speciales ad prædictos casus spectantes, ex impugnationibus factis contra istum specialium siue actionum, siue modorum asylum colligi potest. In quo proinde non oportet amplius morari. 247

Aliæ probationes propositionis quartæ *contra sententiam Connotantium.*

Multa præterea argumenta congeri solent cõtra sententiam Connotantium. Ego, prætermissis leuioribus ea dumtaxat proponam, quæ aliquam vim præseferre videntur; ex quibus, reiectis illis, quæ reuerà parum sunt efficacia, cæteram premã; & nõnulla alia insuper vrgentiora addam. E primùm, quæcunque inculcantur contra eos Connotantes, qui, per relationem rationis, dixerunt, compleri decretum Dei liberum, quasi posuerint veram, & ratam Dei volitionem à nostris figmẽtis dependentem, vt leuissima omittenda sunt. Quia dicti Connotantes id ipsum, quod cæteri, intendunt, decretum scilicet Dei liberum aliquid extrinsecæ denominationis inuoluere. Nisi, quòd opinantur vniuersè, extrinsecas denomina- 248

tiones

tiones formaliter, & ex suo conceptu, hoc est, prout à nobis pro hoc statu concipiuntur, in relatione rationis ponendas esse, aut relationem aliquam rationis importare. Quæ est opinio philosophica nihil speciale importans ad rem.

249 Deinde Ruiz disp.11. sect.5. contendit, sequi ex sententiâ Connotantium, omnes fideles, qui saluandi sunt, certò cognoscere se adepturos vitam æternam. Si enim, inquit, præscientia saluandorum in Deo supra cognitionem possibilium dumtaxat addit futuritionem saluationis eorum; eodem additamento cognitio, qua quisque fidelis cognoscit, possibilem esse salutem prædestinatorum euadet cognitio actualis salutis eorum futuræ. Tum, quemadmodùm in Deo simplex complacentia possibilium fit efficax eorum volitio per extrinsecam connotationem futuritionis eorum: sic in homine simplex complacentia alicuius obiecti euadet efficax ab eius futuritione; atque ita iustus postea peccaturus iam in statu iustitiæ peccator erit, & peccator posteà iustificandus iam in statu peccati efficietur iustus, si primus simpliciter complaceat in obiecto peccati futuri, secundus verò in obiecto futuræ pœnitentiæ. Hæc latè Ruiz contendit probare. Sed hoc argumentum, me quidem iudice, parui momenti est. Compertum est enim, passim etiam in creatis accidere, vt fundamentum extrinsecum complens denominationem aliquam in aliquo subiecto, respectu alterius subiecti nil prorsus præstet ad similem denominationem: calor enim ab alio calore denominatur extrinsecè similis illi, à quo tamen frigus non simulis, sed potius dissimilis denominatur. Actio à priuatione formæ præteritâ denominatur extrinsecè mutatio à qua tamen formâ ipsâ mutatio non denominatur. Ratio à priori. Quia in huice denominationibus, vtpotè quæ non omnino extrinsecæ, sed semiextrinsecæ sunt, non solùm natura termini, seu fundamenti extrinseci, sed natura etiam subiecti denominati spectanda est. Cùm igitur cognitio Dei intrinseca, & amor eius necessarius à cognitione, & amore creato vsque adeò differant naturâ suâ. Quæ consequentia est. Cognitio intrinseca Dei, & eius intrinsecus amor complentur extrinsecè per effectum futurum in esse cognitionis, & amoris eiusdem effectus futuri. Ergo cognitio, & amor creatus effectus possibilis extrinsecè fient cognitio, & amor effectus futuri, posita eiusdem effectus futuritione? Itaque cognitio, qua Deus se cognoscit ob suam infinitudinem, absoluta cùm sit in se, hoc ipso, quòd ponitur obiectum, fit in sententiâ Connotantium cognitio eius, sumptâ denominatione non solùm ab obiecto ipso, sed principaliùs ab ipsâ infinitæ cognitionis naturâ. Cognitio verò creata, cùm sit diuersæ, atque limitatæ naturæ, solius obiecti, quod respicit, potest esse cognitio, neque vllo pacto ad alia extrinseca extendi. Tantumdemque de amore dicendum est.

250 Præterea in eadem disp.11. sect.6. Ruiz, ex eoque posteà Recentiores, præcipua Theologorum fundamenta, prætendunt, necessariò corruere, si semel sententia Connotantium tanquam vera admittatur. Probat Ruiz primò; quia ex illâ sequitur, adhuc præscientiam Dei esse hodie in statu contingentiæ; quia adhuc est hodie contingens, fore, aut non fore connotatum, quo illa iuxta sententiam dictam completur. Cùm tamen oppositum tenendum sit; nempe, iam hodie simpliciter esse necessarium, & extra statum contingentiæ, Deum ab æterno præscisse, quæcunque præsciuit; quia ad præteritum nulla datur potentia, atque adeo nec contingentia. Verumtamen hoc argumento parum vrgentur: Connotantes. Primò; quia sub opinione positum est, an hodie præscientia Dei simpliciter necessaria dicenda sit; vel potiùs simpliciter contingens, prout apud ipsum Ruiz videre licet disp.31. de Scientia. Secundò; quia, qua ratione Connotantes asserunt, præscientiam Dei de creaturâ futurâ præcessisse ab æterno, etsi aliquo modo compleatur eius futuritione; eo quòd benè potest esse denominatio æterna, etiam si id, quo completur de connotato, siuè in obliquo, sit futurum in tempore: eadem asserere poterunt, iam hodie necessarium esse, quod Deus creaturam præsciuerit, æquè, ac id possunt asserere non Connotantes. Quod attinet enim ad hoc punctum parum interest, quòd vno, vel altero modo præscientia Dei constituatur; dummodò semper maneat verum, eam ab æterno præcessisse.

Secundò probatur idem assumptum; quia ex sententia Connotantium efficitur, nullam esse laudem diuinæ præscientiæ præ humanâ, quòd illa sit omnino infallibilis. Si enim illa per obiecti positionem completur in esse scientiæ eius, adeo, vt, quidquid est intra Deum, æquè, deficiente obiecto, atque, obiecto stante, possit persistere; dumtaxat à suppositione obiecti suam infallibilitatem habebit. Factâ autem obiecti suppositione, etiam humana omnimodam infallibilitatem sortitur: quia prorsus repugnat, eam falsificari, suppositio, quòd obiectum per illam repræsentatum existit. Hoc etiam argumentum est debile. Resonderi enim potest, singulare esse præconium diuinæ scientiæ, esse infallibilem. Primò; quia repugnat, eam manere in esse scientiæ, seu cognitionis obiecti creati, & esse falsam; cùm tamen cognitio humana manendo in esse cognitionis, falsa esse possit. Secundò; quia scientia intrinseca, qua se Deus cognoscit, nequit per terminationem extrinsecam compleri in ratione scientiæ obiecti, quod verè non est: quod est, veluti in actu primo infallibilem esse tum scientiam Dei, tum Deum ipsum: Cùm tamen homo sæpè fallatur eliciendo cognitionem obiecti, quod verè non est. Ex quo patet, scientiam Dei à se habere, esse infallibilem, ità, vt non possit per defectum obiecti reddi falsa, sicuti scientia humana. Tametsi deficiente obiecto non esset scientia eius. Quod est valde diuersum. Aliud enim est, non fore scieutiam obiecti, deficiente obiecto, Aliud, eam permanentem falsificari per defectum obiecti. Primum in omni opinione necessariò dicendum est; cùm constet Deum non posse habere scientiam eorum, quæ cognoscibilia non sunt. Secundùm verò ex sententiâ Connotantium non sequitur. 251

Pari ratione probant tertiò, efficacitatem diuinæ volitionis, quam tantopere commendant Scripturæ, & Patres, euanidam reddi in sententiâ Connotantium. Nam aut voluntas insuperabilis, cui nemo resistere potest, est sola volitio intrinseca Dei, secluso connotato existente. Aut est volitio libera, & efficax inuoluens connotati existentiam. Si primum; falsæ erunt Scripturæ. Nam sola intrinseca volitio Dei indifferens est, vt coniugatur, aut non coniugatur cum creaturâ existente; atque adeò insuperabilis, & inuincibilis in ordine ad positionem creaturæ dici 252

non potest: nec locum habet respectu eius resistentia, aut non resistentia; cùm posit homo quid libet agere, aut non agere, quin ei contrauenìat. Si autem dicatur secundum; irrisoria erit commendatio efficacitatis diuinæ volitionis. Quia, eam nullatenus posse frustrari effectu ab aliquà virtute creatà ex suppositione ipsius affectus, nulla laus est; quæ non competat etiam volitioni creatæ. Fateor, hoc argumentum maiorem speciem efficacitatis habere. Sed possunt nihilominus Connotantes pariter, ac præcedenti, respondere; vim volitionis Dei efficacis idcirco iure prædicari, & extolli: quia manens volitio efficax operis efficiendi nullà aliâ vi potest frustari effectu: cùm tamen volitio efficax creata vt talis manere sine effectu possit, eius efficatiâ frustratâ. Quòd autem volitio Dei efficax in esse talis per ipsum effectum vt per connotatum compleatur, nihil derogat eius efficacitati; potiùs quodammodò videtur illam firmare, quatenus plùs videtur repugnare, effectum non esse ex suppositione, quòd est, quàm ex suppositione, quòd est aliud cum effectu connexum. Imperfectio esset, si volitio Dei efficax creaturæ permanens in esse talis posset ab effectu impediri; vti accidit nostræ.

253 Quartò ex sententiâ Connotantium infert Ruiz, vanam reddi prærogatiuam immutabilitatis præscientiæ, atque volitionis diuinæ. In quo rectiùs sentit iuxta dicta à nobis supra num. 189.

254 Quintò inferunt ipse Ruiz, & alij; laborem impensum à Patribus, & Scholasticis in concilianda præscientiâ, & prædestinatione diuinâ cum libertate nostrâ superuacaneum, inutile, & irrisione dignum fuisse, si sententia Connotantium est vera. Quoniam, quidquid est intra Deum, cùm sit indifferens, nequit actus nostros necessitare: ipsos autem actus se ipsos necessitare non posse, notissimum est. Igitur, hac stante sententiâ, euidentius est, præscientiam, & prædestinationem Dei cum nostrâ libertate rectè componi, quàm, vt tot, tantosque Virorum studium, & curam mereretur. Illatio hæc contra Connotantes suam habet efficaciam. Quia negari nequit, in eorum sententia longe faciliùs, quàm in opposita, componi præscientiam, & prædestinationem diuinam cum libertate humanâ. Respondere tamen poterunt nihilominùs. Primò: si prædestinatio consistit in præparatione gratiæ efficacis, vt fert sententia satis communis, neque vllam prædefinitionem aut gloriæ, aut nostrorum actuum inuoluit, æquè eam difficulter in hac sententiâ, atque in aliâ quauis de constitutione decreti, cum libertate nostrâ componi. Nam difficultas non ex decreto, sed ex ipsâ gratiâ efficaci nascitur, quæ vt talis debet infallibiliter inferre effectum, quin eius officiat libertati; quod est difficile. Quod verò attinet ad præscientiam futurorum, eam quidem non solùm in suâ sententiâ, sed etiam in aliâ quauis supponere obiecta futura. Cæterùm, hac non obstante suppositione, quia scientia in quauis opinione ex vnâ parte est infallibilis, ex aliâ verò præcedit per æternitatem ante exercitium libertatis, non ita est euidens, eam cum libertate componi, vt non potuerint hæretici oppositum asserere: contra quos fuit, opus, vt Patres, atque Doctores laborarent. Secundò respondere poterunt, Patres, & Scholasticos, dum laborarunt in componendâ prædestinatione, & præscientiâ cum libertate nostrâ independentur ab opinionibus de constitutione decreti, & scientiæ Dei rem egisse, vt in quauis opinione probabili firma, rataque veritas subsisteret. Quocirca labor eorum, non est, cur censeatur inanis.

Sextò inferunt, plures quæstiones celiberri- 255
mas inter Theologos aut vanas, aut ineptas reddi, si decretum Dei liberum connotatione extrinsecâ compleatur: vt pote quæ in hac sententiâ locum habere nequeunt, vt sunt quæstiones pertinentes ad prædefinitiones diuinas, ad cognitionem futurorum in diuinis decretis; ad motiua Incarnationis, aliorumque Dei operum, & aliæ id genus. Cæterùm, quamquam huiusmodi quæstiones in sententiâ Connotantium locum non habeant; non est cur vanè, ineptè, aut impertinenter inter Theologos agitari dicatur. Tum quia sat est, eas in sententiâ oppositâ probabili, locum habere, à principijsque dependere alienis ab hac controuersiâ, vt independenter ab eâ fructuosè tractentur, & resoluantur. Tum quia de multis saltem earum est dubitabile, vtrùm in sententiâ etiam Connotantium possint habere locum.

His ita notatis, venio ad alia, quibus non 256
parum Connotantes adhuc vrgeri possunt. Primùm enim peruulgata Theologorum doctrina est, Deum ex intentione efficaci, & absolutâ finis sæpe moueri ad media eligenda pro tali finis consequutione. Quod etiam Connotantes ipsi communiter docent, vt videre est apud Arrub. 1. p. disp. 65. num. 20. Heric. disp. 17. cap. 3. & 4. Alarc. tract. 3. disp. 5. cap. 4. & 5. & Vazq. disp. 82. cap. 5. & disp. 89. cap. 13. Sed verò doctrinam hanc communem, & veram nullatenus cum sententiâ, quam impugnamus, consistere posse, vt bene censuit Basil. Legion. tom. Variarum q. 6. Scholast. cap. 8. & 9. sic probo. Nequit Deus ex intentione absolutâ, & efficaci finis moueri ad electionem mediorum, seu quidpiam propter finem efficaciter, & absolutè præintentum operari, nisi finis ipsorum mediorum aliquo modo causa sit; vt est notum. Sed nullo modo vt sic causa mediorum esse potest. Ergo. Cætera constant. Probo minorem. Non potest finis à Deo intentus efficaciter esse causa physica mediorum, vt constat: quia finis qua talis non physica, sed intentionalis solùm, seu obiectiua causa est eorum, quæ causat. Nec potest esse causa intentionalis, seu obiectiua: quia prorsus repugnat, finem prout efficaciter intentum causare intentionaliter media, nisi intentio efficax finis ea causet physicè, siue per suam physicam existentiam, vt apud omnes Philosophos notissimum est. Intentio autem efficax Dei vt sic nequit causare illa. Ergo finis prout efficaciter intentus à Deo nullo modo potest esse causa mediorum. Quòd autem diuina intentio efficax finis, stando in sententiâ Connotantium, secundùm suam physicam existentiam nequeat esse causa mediorum, patet. Quia existentia physica intentionis Dei efficacis iuxta hanc sententiam inuoluit in suo conceptu reali existentiam physicam finis. Repugnat autem, finem prout physicè existentem concurrere ad existentiam mediorum, aquibus ipse prout existentibus etiam physicè accipit suam existentiam. Daretur enim mutua causalitas physica intra idem genus causæ efficientis inter finem, & media. Quod prorsus est implicatorium, vt ex certâ

Philo-

Philosophiâ suppono. Procedit autem argumentum hoc, siue dicatur intentio finis debere distingui ab electione, siue secus. In quo sunt variæ sententiæ Philosophorum.

257 Quòd autem Deus neque ex intentione simplici, siue non efficaci finis ad electionem mediorum moueri possit, stando in sententiâ Connotantium, aliter venit ostendendum. Quia nimirum intentio finis nequit verè, & propriè mouere Deum ad electionem mediorum, nisi priùs cognitio finis verè, & propriè moueat ipsum Deum ad ipsam intentionem, vt est notissimum. Sed cognitio finis ad intentionem simplicem finis non potest mouere verè, & propriè. Ergo. Probo minorem. Quia cognitio finis ad eius simplicem intentionem mouere non potest, nisi exercendo in ipsam aliquod genus causalitatis iuxta doctrinam statutam supra q. 2. proposit. 4. Quale in sententiâ Connotantium nullatenus potest exercere: eo quòd idem in se ipsum nullam potest exercere causalitatem, vt constat: & in sententiâ Connotantium cognitio finis, & simplex intentio eius, quæ ex tali cognitione deberet esse oriunda, omnino sunt idem aparte rei: cùm ambæ reipsâ nihil aliud importent, præter eamdem entitatem diuinam, & idem extrinsecum connotatum ipsius finis prout possibilis. Ex quibus omnibus concluditur, in sententiâ Connotantium saluari non posse, quòd Deus, loquendo verè, & propriè, operetur propter finem siue efficaciter, siue simpliciter intentum; prout necessariò est confitendum secundum fidem, & iuxta rationem naturalem. Aduerto tamen, hoc argumentum solùm premere Connotantes, qui actus Dei liberos per ipsorum actuum obiecta complent, vti debent iuxta principia sua. Recentiores enim, qui pro eis complendis modulos quosdam distinctos ab ipsorum obiectis excogitarunt, dicere poterunt, per tales modos cuncta componi perinde, ac si Deus actus sibi superadditos haberet, sicut nos. Atque ita Deum, vti nos, ordinare media ad finem tum efficaci, tum simplici intentione intentum: duos que ordines intentionis, & exequutionis in eo reperiri; tum alios actus intentiuos, alios exequutiuos, &c.

258 Deinde contra eamdem sententiam sic argumentor. Aut amor Dei essentialis est terminabilis ad sola alia bona absoluta, vt amor eorum dumtaxat, ipsis positis, possit euadere. Aut etiam est terminabilis ad omnia bona conditionata, ita, vt, eis positis conditionatè, eorum quoque euadat amor absolutus ex parte actus. Si hoc secundum. Ergo Deus tot decreta habet modò efficacia conditionata ex perte obiecti, quot sunt bona conditionatè futura sub omnibus conditionibus excogitabilibus. Ergo Deus ab æterno defacto liberè, & efficaciter decreuit, quæcunque fierent contingenter in alijs infinitis Mundis possibilibus tum à se, tum à cunctis creaturis, si tales Mundi producerentur; ac demum, quæcunque contingenter acciderent ex qualibet hypothesi datâ, factâ omni comparatione, ac combinatione excogitabili omnium omnino entium possibilium, atque etiam impossibilium in omni tempore, in omni loco, & sub omni circunstantiâ excogitabili. Patet consequentia. Quia, si volitio Dei essentialis obiectorum etiam conditionatorum volitio est quasi in actu primo, vt ad illa defacto in actu secundo terminetur liberè, & efficaciter, nihil aliud desideratur secundùm sententiam Connotantium, quàm, quod illa sint futura sub conditione; quamadmodùm, quia est volitio quasi in actu primo omnium volibilium absolutorum, eo ipso, quòd hæc sint futura absolutè, non potest non terminari ad illa liberè, & efficaciter. Quis autem non censeat absurdum, esse Deum ab æterno occupatum in tot decretis concipiendis, quorum pleraque non possent non esse frustranea, inutilia, ac prorsus irrationabilia, iuxta doctrinam tradendam, ac ponderandam infra disp. 34. quæst 8 Similiter, quot sunt bona sub conditione necessariò futura necessitate oriunda ex hypothesi conditionis, tot habebit Deus ab æterno decreta eorum efficacia necessaria prorsus, & absque omni libertate ab ipso concepta. Quod maius est absurdum, alienum quidem ab omnium Theologorum mente; qui nullum decretum Dei efficax circa creaturas agnoscunt in Deo non liberum, non solùm absolutum, sed neque ex parte obiecti conditionatum. Iam verò, si dicatur primum propositi dilemmatis; nempe ad bona dumtaxat absolutâ esse terminabilem amorem necessarium Dei, longè maius absurdum sequitur. Quia à fortiori dicendum est pariter, scientiam quoque necessariam Dei ad solas veritates absolutas terminabilem esse; & consequenter, Deum nullâ omnino veritatem conditionatam cognoscere, antequam transeat in absolutam. Quod saluâ fide dici nequit. Pari ratione etiam infertur, Deum aut nullum futurum vagum, seu disiunctum cognoscere, aut nullum disiunctum futurorum excogitabile esse, quod de facto non decreuerit efficaciter. Quorum vtrumuis etiam absurdum est,

Itaque, cùm nequeat negari in vllâ sententiâ, cognoscere Deum absolutè omnia obiecta conditionatè vera, atque adeò de illis omnibus habere scientiam absolutam ex parte actus, & conditionatam ex parte obiecti: teneanturque proinde dicere Connotantes iuxta sua principia, scientiam Dei necessariam ob suam infinitudinem non posse non ad omne verum conditionatum extendi, denominareque subinde Deum scientem absolutè omne verum conditionatè. Consequenter etiam tenentur dicere, amorem Dei necessarium ob suam infinitudinem non posse non ad omne bonum conditionatum extendi, denominareque subinde Deum amantem absolutè omne bonum conditionatè: atque adeò de quouis omnino obiecto conditionatè bono habere Deum amorem absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti. Qui amor iuxta ipsorum principia non poterit non efficax esse, quoties tale bonum est extiturum sub conditione, seu contingenter, seu necessariò sit extiturum ex talis conditionis hypothesi. Quo tandem fit, vt non possint non Connotantes incidere in primum absurdum illatum per argumentum factum. Quod tamen Recentiores nuper commemorati per sua connotata modalia distincta ab obiectis actuum Dei etiam conabuntur eludere. Vnde contra cæteros Connotantes potissimè militat illud. 259

Contra quos Recentiores alij hic è conuersò se putant ostendere, Deum in sententiâ ipsorum nullatenus posse de conditionatis contingentibus habere absolutè vllum actum, aut scientiæ, aut amoris. Quod est ingens absurdum. Quia scientia ex parte actus absoluta, & ex parte obiecti conditionata de conditionatis contingentibus negari Deo non potest, saluâ fide. Argumentum 260

autem

autem Recentiorum sic formari potest. Sientia absolutè existens in Deo de conditionato contingente absolutè defectibilis esse debet. Sed iuxta sententiam Connotantium nequit in Deo dari scientia de conditionato contingente absolutè defectibilis. Ergo neque absolutè existens. Maior est certa, & consequentia legitima. Minor probatur. Quia, cùm iuxta sententiam istam scientia diuina in suo conceptu reali tantùm importet entitatem Dei, & obiectum scitum; & entitas Dei absolutè nequeat deficere; vt scientia absolutè sit defectibilis, obiectum per eam scitum absolutè defectibile debet esse: repugnat enim scientiam absolutè deficere, nihilo deficiente absolutè, vt est notum. Ast contingens conditionatum non absolutè, sed conditionatè solùm defectibile est. Ergo scientia de illo in Deo absolutè defectibilis dari non potest iuxta sententiam dictam. Declaratur, & vrgetur id per exemplum. Ponamus, verum esse hoc obiectum. *Si Petrus vocaretur, consentiret*, quod potuit falsum esse. Tum sic. Si tale obiectum esset falsum, nihil omnino propterea deesset modò absolutè ex naturâ rerum, quod modò existit absolutè, vt est notissimum; quia vt tale obiectum falsum esset, sat est, quòd conditionatè deficeret consensus Petri, qua solùm ratione etiam existit modò. Ergo, si tale obiectum esset falsum non deficeret aliquis actus scientiæ Dei, qui modò in Deo sit absolutè; quia nihilo prorsus deficiente absolutè, actus diuinus, qui est aliquid, non potest deficere absolutè, vt constat. Ergo Deus non habet modò absolutè actum scientiæ de dicto obiecto, quem casu, quòd illud esset falsum, modò absolutè non haberet. Quod erat absurdum probandum. Patet consequentia. Quia, si tale obiectum esset falsum ex ijs, quæ modò sunt absolutè, nihil prorsus deficeret: atque adeò omnia, quæ modò sunt absolutè, & tunc quoque essent. Sed tunc non esset scientia absolutè existens de illo. Ergo nec modò est.

261 Hoc tamen argumentum alioquin speciosum valde vrgens Connotantes manifestas instantias patitur iuxta doctrinam communem, & veram de denominationibus extrinsecis, & semiextrinsecis expositam statutamque à nobis in Pharo scient. disp. 9 quæst. 5. propositt. 7. atque adeò fallax illud censendum est. Iuxta eam quippe doctrinam tæpe de subiecto prout habente *esse* in vno tempore, aut loco, aut statu verificatur denominatio completa per extrinsecum connotatum non in illo, sed in alio habens *esse*, non verificanda tamen, si in eo alio non haberet: quia nimirum prout in eo habens, & non aliter connotatur. Sic hæc propositio. *Antichristus existet*; hodie vera est: etsi existentia Antichristi in eius veritate inclusa de connotato hodie non sit, sed in alio tempore erit: desineret autem hodie esse vera, nihilo prorsus ex hodiè existentibus deficiente, eo solùm, quòd existentia Antichristi non esset in alio tempore futura. Sic hæc propositio; *Si Petrus vocaretur, consentiret*; absolutè est vera; tametsi consensus Petri in eius veritate de connotato inclusus, non absolutè, sed conditionatè tantùm existens sit; qualis proinde si conditionatè non esset, mox propositio ipsa desineret esse vera absolutè, nihilo prorsus eorum, quæ absolutè sunt deficiente. Tantumdemque pariter euenit in alijs innumeris eiusmodi denominationibus. Cùm igitur apud Connotantes denominatio scientis, qua Deus denominatur sciens existentiam conditionatam creaturæ, semiextrinseca sit, atque adeò includens in se de connotato ipsam creaturæ existentiam; quemadmodùm illa & ab æterno, & absolutè potuit Deo conuenire, quin fuerit ab æterno, & absolutè creaturæ existentia, per hoc tantùm, quod esset ea futura in tempore, & conditionatè; ita ab æterno, & absolutè potuit Deo deficere, nihilò prorsus ab æterno, & absolutè deficiente, per hoc tantùm, quòd non esset futura, vt potuit, in tempore, & conditionatè ipsa creaturæ existentia. Ex quo patet, qualiter ad argumentum tactum facilè respondendum venit in sententiâ Connotantium. Aliunde tamen contra illos censeri potest efficax; quatenus nulla scientis denominatio potest Deo semiextrinseca esse iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 194. & seqq.

Pergo iam contra sententiam Connotantium 262
indicâs breuiter nonnulla absurda ex multis, quæ præter iam dicta, sequuntur ex illâ. Sequitur enim, actus diuinæ voluntatis tum inter se, tum cum actibus diuini intellectus comparatis nullum alium ordinem habere posse, præter eum, quem habent obiecta. Quod valde est incommodum in Theologiâ. Sequitur consequenter, diuersos ordines intentionis, & exequutionis in Deo non esse possibiles. Quod passim præpedit Theologicas resolutiones. Sequitur, diuinam cognitionem veram. & propriam motionem respectu diuinæ voluntatis exercere non posse. Vnde rursus sequitur, nec propriè diuinam voluntatem per actus diuini intellectus in suis volitionibus dirigi, & gubernati. Quo vix potest cum proprietate exponi illud Apostoli ad Ephes, 1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ*. Sequitur, Deum, semel positis obiectis, in eis amandis, aut non amandis non esse liberum; quantumuis eorum bonitas sit limitata. Quò multum coarctatur libertas diuinæ voluntatis. Sequitur, Deum, semel obiectis patefactis, consilia sua, & actus liberos celare non posse. Quæ est imperfectio ne nobis quidem competens. Sequitur, Deum, quo suam exerceat libertatem, eam ad creaturas externas subiectionem habere; quam ne nos quidem ad liberè operandum habemus. Sequitur, in Deo gaudium de obiecto existente, & desiderium efficax eius vix, aut ne vix quidem distingui posse. Sequitur, imperceptibile esse, quo pacto scientia visionis rei futuræ non sit causa eius æquè, ac decretum: aut quo pacto non sit idem formaliter decretum, & scientia visionis: aut quo pacto verum sit, quod Patres inculcant; non ideo esse Mundum, quia Deus scit; ideo tamen esse, quia Deus vult. Sequitur, neque esse perceptibile, quomodò diuina omnipotentia per diuinam voluntatem, & non per se ipsam determinetur ad operandum. Sequitur, per obiectum extrinsecum cognitum, aut amatum constitui aliquo modo Deum vitaliter cognoscens, aut amans illud; cùm tamen nec tale obiectum, nec Deus seorsim vitalis intentionalisque tendenda sit in ipsum obiectum. Quæ etiam videtur imperceptibile. Ac tandem, vt alia plura prætermittam, sequitur, Sectatores huius sententiæ in rebus Theologicis veluti compedibus præpeditos incedere; atque ita passim offendere: sæpe in scopulos falsarum, aut certè minùs probabilium opinionum impingere; ad easque amplexandas, vel renitente intellectu, cogi. Quòd, si huius controuersiæ obliti habenas discursui laxantes ex proprijs specialium materiarum

rum principijs currunt, sæpe fit, vt eas theses statuant, atque defendant, quæ cum doctrinâ de connotatis, quam hic probauerant, nullo pacto cohærent. Ex quibus omnibus palam est, talem doctrinam vt falsam reijci, & propositionem nostram quartam vt veram amplecti debere.

263 Quæ quidem omnia a num. 256. producta efficaciter proculdubio militant contra antiquiores omnes Connotantes, qui per obiecta ipsa amata, vel scita, aut summum per actiones factiuas eorum tanquam per connotata complent actus diuinos amoris, aut scientiæ de eisdem. Quanquam autem eorum aliqua non ita militent cõtra eos paucos Recentiores, qui per alios quosdam modos ab obiectis distinctos complent dictos Dei actus; hoc non magni pendendum est. Tum quia reliqua saltem militant etiam contra eos pari efficacia. Tum maximè: quia eiusmodi modorum asylum subuersum iam relinquimus supra à num. 235.

264 Et hactenus contra Connotantes, qui per temporalia connotata complent actus liberos Dei. Venio iam ad eos Recentiores, qui tentant complere per æterna.

Opinio complentium actus Dei liberos *per connotata æterna reijcitur.*

265 Bipartita est hæc opinio vt supra vidimus, n. 93. & 94. Alij enim per negationes quasdam æternas, & contingentes. Alij per veritates quasdam obiectiuas etiam æternas, & contingentes complent actus liberos Dei. Impugnemus primò Priores.

266 Pro quorum impugnatione suppono aliqua principia cunctis certissima iuxta, atque euidentissima. Sit primum, Omnis excogitabilis negatio alicuius entis positiui debet esse negatio. Secundum. Negatio, & ens per ipsam negatum extrema sunt ita contradictoriè opposita, vt positio, siue existentia vnius alterius sit formalis exclusio, siue defectus, atque adeò etiam è conuerso defectus vnius, alterius sit formalis positio. Hinc tertium. Inter extrema ista non datur medium, ita, vt vel vtrumque simul adesse, vel vtrumque simul deesse possibile sit. Sed semper est necessarium, vt adsit vnum, & desit alterum. Quartum. Vt negatio contingens sit, ens per ipsam negatum debet esse contingens. Quia negatio entis necessarij eo ipso est impossibilis, & negatio entis impossibilis, eo ipso est necessaria. Nullumque est excogitabile ens, quod non sit aut contingens, aut necessarium, aut impossibile. His positis.

267 Ostendo planè, decretum Dei de existentiâ Mundi (& idem est de quouis alio actu libero Dei) per nullam excogitabilem negationem æternam, & contingentem compleri posse tanquam per extrinsecum connotatum, ita, vt illud in volitione Dei necessariâ, & aliquâ eiusmodi negatione consistat, prout Aduersarij volunt. Primò; quia omnis omnino negatio contingens, quæ de facto extitit ab æterno, vnà cum volitione Dei necessariâ existeret etiam nihilominùs casu, quòd Deus nec Mundum, nec aliud quidpiam produxisset; & tamen in eo casu non existeret decretum de existentiâ Mundi; vt constat. Ergo decretum de existentiâ Mundi in volitione Dei necessariâ, & aliqua negatione contingente de facto existente ab æterno consistere nequit. Patet consequentia. Quia nequiret non existere illud volitione Dei necessaria, & tali negatione existentibus in casu, quòd nec Mundus, nec aliud ens creatum existeret. Quòd autem in tali casu existerent ab æterno vnà cum volitione Dei necessaria omnes omnino negationes contingentes, quæ de facto extiterunt, est manifestum. Quia in tali casu, vt supponitur, nullum vnquam ens contingens existeret. Hoc autem ipsum est, semper, atque adeò ab æterno existere in tali casu negationes omnium entium contingentium. Hoc est iuxta principium quartum, omnes negationes contingentes possibiles. In quibus non possunt non includi omnes, quæ de facto exiterunt, vt est notissimum.

Secundò ostenditur idem ipsum. Quia certum omnino est, potuisse Deum omittere decretum de existentiâ Mundi, & simul nullum aliud ens contingens producere. Hæc autem duo simul stare non possent, si decretum de existentiâ Mundi per aliquam negationem contingentem esset completum. Quia, & vt Deus omitteret tale decretum, talem negationem deberet è medio tollere, vt est notum. Eam autem non posset tollere, aliter, quàm ponendo ens contingens per eam negatum iuxta principium tertium. Simulque subinde stare non possent, omittere Deum tale decretum, & nullum ens contingens producere, contra antecedens statutum tanquam omnino certum. 268

Dicent Aduersarij, se non complere decretũ Dei de existentiâ Mundi per negationem contingentem alicuius entis contingentis, sed per negationem contingentem nolitionis à Deo indistinctæ, atque adeò necessariæ, & indestruibilis de existentiâ Mundi; quæ negatio proinde conditionatè tantùm est destructiua ipsius nolitionis sub conditione, quòd ea destruibilis esset; estque conditio nihilominùs oriunda, positaque contingenter ab arbitrio Dei ad hoc, vt volitio Mundi ab ipso etiam Deo indistincta, & necessaria ipsum denominet volentem, seu decernentem Mundi existentiam; non sic, sed nolentem potiùs eam denominandum, si loco talis negationis oppositam Deus posuisset liberè, vt potuit, conditionatè pariter destructiuam dictæ volitionis Dei necessariæ, indestruibilisque de Mundi existentiâ. 269

Sed hæc doctrina proculdubio multò magis implicatoria, & plena contradictionibus est. Contra illam enim est primò; quòd, cùm omnis negatio exclusio formalis sit entis, cuius negatio est, iuxta principium secundum, repugnat negatio nolitionis Dei, quæ tantùm sit destructiua, & non actualis destructio ipsius nolitionis. Secundò; quòd, cùm talis Dei nolitio sit necessaria, omnis negatio excogitabilis eius non potest non esse impossibilis iuxta principium quartum. Tertiò; quòd, cùm eiusmodi Aduersariorum negatio nolitionem Dei, cuius negatio esse ponitur, non excludat, siue remoueat; consequens est, vt negatio aliqua, & id, quod per eam negatur, simul possint existere, imo de facto existunt simul iuxta Aduersarios contra principium tertium. Quartò. Quidquid non est mera exclusio, siue remotio alicuius entis positiui, eo ipso est ens positiuum, vt est notissimum; constatque ex statutis principijs. Sed, quod sub nomine negationis ponunt ab æterno Aduersarij realiter distinctum à Deo, oriundumque à libertate Dei, non est mera exclusio, siue remotio alicuius entis positi- 270

ui,

ui, vt constat ex eorum doctrinâ. Ergo subnomine negationis ab æterno ponunt ens positiuum realiter distinctum à Deo, oriundumque à libertate Dei. Quod est contra fidem. Quintò. Omnis negatio per id, cuius negatio est, excluditur formaliter iuxta principium secundum. Sed Aduersariorum negatio per nolitionem Dei necessariam, cuius negatio esse dicitur, non excluditur formaliter; siquidem simul cum illâ existit. Ergo Aduersariorum negatio reuerà negatio non est.

371 Sextò. Cùm talis negatio sit contingens, atque adeò defectibilis, per aliquem formalem defectum sui debet defectibilis esse, vt constat. Sed talis defectus nõ est nolitio indistincta à Deo, cuius ponitur esse negatio, vt vidimus. Neque est aliud ens possibile distinctum à Deo iuxta dicta num. 267. & 268. Tum quia duorum entium vnica esset negatio, eaque alterius eorum exclusiua, alterius verò minimè: quod planè est absurdum. Neque esse potest alia negatio; quia daretur negatio negationis contra principium primum. Ergo possibilis non est formalis defectus, per quem deficiat dicta negatio: cùm tamen ea sit defectibilis: quod est chymæricum. Neque dici potest, defectum dictæ negationis formalem fore aliam negationem oppositam nolitionis de existentiâ Mundi, quam Deus haberet, si Deus noluisset, vt potuit, producere Mundum. Quia iam vna negatio tum alterius negationis, tum entis positiui negatio esset; & illius quidem exclusiua, huius verò non item. Quorum vtrumque absurdum esse, constat ex nuper dictis. Septimò. Cùm nulla negatio possibilis indigeat causâ ad existendum; siquidem, deficiente omni causâ, omnis negatio nihilominùs esset existens: nullæ negationes possibiles possunt inter se quoad existentiam oppositas esse. Quo Aduersariorum sententia corruit, vt notum est.

372 Octauò. Cùm nolitio, & volitio identificatæ de Mundi existentiâ à parte rei sint vnum, & idem, repugnat dari negationem vnius, quæ non sit realiter eodem modo negatio alterius: quia non sunt realiter vnum, & alterum; sed vnum, & idem. Nec dici potest, à negationibus diuersis eiusdem entitatis diuinæ tanquam à connotatis diuersis posse Deum denominari modò volentem, modò nolentem idem obiectum. Tum quia vnius entitatis vna dumtaxat negatio dabilis est, non plures numero, nedum specie inter se diuersæ. Tum quia negationes non à diuersitate prædicatorum intrinsecorum, quæ nulla habent, sed à diuersitate entium, quæ remouent, censentur diuersæ inter se. Alioquin propriam quiditatem, essentiam, siue entitatem haberent; sicque non negationes, sed entia positiua essent. Quod de negationibus Aduersariorum sine absurdò contra fidem concedi nequit, vt constat ex dictis. Ex quibus omnibus liquidò apparet, quàm sit eorum cogitatio fallax, quàmque falsa doctrina de complendis actibus Dei liberis per negationes excogitatas ab ipsis æternas, & contingentes, & distinctas à Deo.

373 Veniamus iam ad Recentiores alios, qui complent actus liberos Dei per veritates obiectiuas à Deo, & à creaturis distinctas, æternas, atque contingentes; quæ simpliciter, & propriè loquendo nec entia, nec negationes entium, nec purum nihil sint; sed medium quid. Quorum profectò cogitatio eò magis fallax esse videtur, quò magis aliena est à modo concipiendi, & cogitandi omnibus communi. Quis enim hactenus cogitauit possibile, vt detur in rerum naturâ aliquid obiectiuè verum, siue conceptibile verè; quod tamen loquendo simpliciter, & propriè, nec sit ens, nec non ens? Cùm apud omnes semper hactenus reputatum sit impossibile, dari medium inter esse, & non esse: quæ sunt contradictoria extrema, & omne conceptibile, de quo verificatur esse, eo ipso est verè, & propriè ens; de quo autem verificatur non esse, eo ipso est verè, & propriè non ens, siue vera, & propria negatio entis. Sed impugnemus aliquibus argumentis sententiam istam, vt eius falsitas clarius appareat.

Primum desumitur ex pronunciato communi Patrum asserentium, quidquid à Deo factum non est, vel Deum esse, vel nihil esse. Ita Iustin. in Exposit. fidei, Cyrill. lib. 1. in Ioan. cap. 6. Augustl. lib. 1. de Trinit. cap. 6. apud Soar. disp. 31. Metap. sect. 2. & alij. Vel enim illa, quam Aduersarij ponunt, æterna veritas à Deo facta est; vel non. Si non est à Deo facta; vel erit Deus ipse, vel nihil; vt Patres docent. Si autem à Deo est facta, nequiuit non esse creatura: quàm tamen ab æterno factam concedere, contra fidem est. 374

Secundò argumentor. Veritas hæc, quam Aduersarij æternam ponunt, aliqua vera essentia est: siquidem verè est id, quod est; in quo consistit, veram essentiam esse. Est autem essentia contingens: quandoquidem ita fuit ab æterno, vt potuerit non esse. Igitur est essentia potens existere, atque etiam potens non existere: in hoc enim consistit essentiam contingentem esse. Igitur est essentia tum potens esse id, quod est, tum potens existere. Quod ipsum est, esse simpliciter, & propriè ens tum essentialiter, tum existentialiter sumptum iuxta doctrinam communem de conceptu entis, quam exposui in Pharo Scient. disp. 9. quæst. 1. & 2. Igitur Aduersarij adstruẽtes eiusmodi veritates obiectiuas æternas, atque contingentes, eo ipso adstruunt entia simpliciter, & propriè dicta ab æterno distincta à Deo, & contingentia. Quod tamen contra fidem est. 375

Tertiò argumentor. Eo ipso, quòd prædicta veritas obiectiua contingens ponitur, non potest non poni habens suum quale quale esse, non à se, sed ab alio, scilicet à Deo, vt constat. Habere autem quidlibet à Deo suum esse, & à Deo esse illud factum, in idem recidit: quia aliter, quàm per sui effectionem, non potest quidpiam habere, siue accipere suum *esse* à Deo. Ergo, dum talem veritatem ponunt Aduersarij ab æterno, aliquid à Deo distinctum, factumque à Deo ipso ab æterno ponunt reuerà. Quod rursus fidei articulo aduersum est. 376

Quartò argumentor. Decretum Dei liberum iuxta Aduersarios non potest esse æternum, nisi omne complementum eius æternum sit. Ergo multò minùs poterit esse simpliciter, & propriè existens, ac potens existere, vti reuerà est, nisi omne complementum eius sit simpliciter, & propriè existens, ac potens existere. Vel ergo ea veritas obiectiua, quam æternam, à Deoque distinctam ponunt; non est complementum idoneum talis decreti, vt ipsi prætendunt. Vel est quid simpliciter, & propriè existens, ac potens existere ab æterno. Quod salua fide dici non potest: eo quòd ens, & potens existere idem omnino est: nullumque ens simpliciter, & propriè tale distinctum 377

stinctum à Deo fuit ab æterno iuxta fidem,

278 Quintò. Decretum Dei, atque adeò, quidquid complet, siue constituit illud, per suam physicam existentiam concurrit ad producendas creaturas. Sed eiusmodi concursus, quem præbet, prorius concursus est. Ergo existentia, quam præuiam ad talem concursum habet, propria existentia est. Ergo veritas, quam Aduersarij æternam ponunt pro complemento talis decreti, aliquid est existens propriè, & consequenter propriè ens. Ergo aliquid, quod propriè est ens, distinctum à Deo datur ab æterno iuxta ipsos. Quod tamen iuxta fidem non datur.

279 Sextò. Non potest non habere propriè essentiam, & existentiam id, cui propriè, & in statu existentiali conueniunt passiones. Sed veritati obiectiuæ, quam Aduersarij æternam ponunt, propriè, & in statu existentiali conueniunt tanquam passiones eius, esse quid contingens, esse quid liberum, esse quid dependens ab arbitrio Dei, esse quid determinans volitionem Dei necessariam, vt euadat volitio libera huius obiecti, præ alijs, aliaque huiusmodi; vt Aduersarij ipsi fatentur. Igitur talis veritas non potest non habere propriè essentiam, & existentiam. Hoc autem ipsum est, eam esse propriè ens tum essentialiter, tum existentialiter sumptum. Quale ab æterno, illæsa fide, poni non potest, vt sæpe dictum est. Hæc satis sint ad persuadendum, impossibilem prorsus esse veritatem obiectiuam, quæ non sit aut ens, aut non ens, siue negatio entis, simpliciter, & propriè loquendo. Qua impossibilitate statutà, penitus ruit Aduersariorum sententia, vt constat.

280 Addo tamen, contra illam, & contra præcedentem, quibus per connotata æterna seu negatiua, seu positiua distincta à Deo actus ipsius liberos complere à Recentioribus commemoratis tentatum est, insuper militare ea omnia argumenta contra alios Connotantes facta, quæ à durationc connotatorum vel temporali, vel æternà præscindunt. Quæ quidem argumenta facilè ab vnoquoque seligi, & contra dictas duas sententias pariter applicari poterunt. Quare nos pergamus ad reliqua.

Propositio 5.

281 **Sententia, quæ omnino intrinsecum Deo ponit decretum, atque ita nihilominùs liberum, & ab æterno defectibile, vt nulla prorsus vera, & realis formalitas Dei formaliter, & verè sit defectibilis, aut potuerit ab æterno deficere, cæteris est longè probabilior, & dignior Deo; atque adeò omnino tenenda.**

Huius propositionis probatio alia non est à refutatione aliarum sententiarum, quam propositionibus præcedentibus affatim exhibuimus. Cùm constet, illis reiectis, nullum alium præter hunc modum superesse possibilem constituendi voluntatem liberam Dei. Et quidem per se satis apparet, dignius quid esse, atque perfectius, diuinam illam voluntatem ita suorum actuum dominam esse, vt in eorum libero exercitio nec sit obnoxia accremento, aut decremento perfectionis intrinsecæ, nec sit dependens, & addicta connotatis extrinsecis. Cæterùm, quàm sit hoc explicatu difficile, nemo est, qui apertè non videat; mox enim se prodit difficultas. Si enim decretum Dei liberum ab æterno potuit deficere, necessarium planè est, vt aliquid, quod sit quid verum, & ratum, potuerit deficere ab æterno; nam decretum Dei non est nihil. Vel ergo id, quod potuit deficere est realiter idem cum Deo. Et hæc est sententia Caietani, Fonsecæ, Salas, & aliorum reiecta supra. Vel non est realiter idem cum Deo. Et hoc prætendunt sententiæ cæteræ, quæ per aliquid à Deo distinctum complent Dei decretum aliquo modo. Sed inter esse, & non esse realiter idem cum Deo non datur medium. Ergo sententiæ præsenti non superest locus; atque adeò, quod ipsa docet, videtur impossibile, Rursus. Si Deus non decreuisset creare Mundum, reuerà defuisset à Deo decretum liberum creandi Mundum. Sed decretum hoc in suo conceptu nihil dicit à Deo distinctum iuxta hanc sententiam. Ergo defuisset aliquid indistinctum omnino à Deo. Deinde, vt in eàdem sententiâ ponitur, in datâ hypothesi nulla realis formalitas Dei defuisset earum, quæ sunt idem cum Deo. Ergo defuisset aliquid, & nihil defuisset: quæ sunt contradictoria.

Hanc difficultatem prorsus iudicarunt in- 282
superabilem, qui in alias sententias abierunt. Qui autem hanc retinent, nodum hunc variis modis dissoluere connati sunt. Examinemus singulos, & præstantiorem seligamus. Satiùs enim est, & multò magis consentaneum prudentiæ regulis, captiuato intellectu in obsequium huius mysterij, hanc vnam eius difficultatem pro statu præsenti cũ alijs similibus ad Dei in comprehensibilitatem spectantibus tolerare, in eiusque qualem qualem explicationem incumbere pro modulo nostro; quàm eam fugientes innumeris propemodum difficultatum labyrinthis perpetuo implicatos hærere: vti Connotantibus, & alijs euenit.

Reijciuntur modi dicendi P. Soarez, *& aliorum.*

P. Soar. disp.30. Metaph. sect.9. à num.35. 283
asserit, decretum Dei liberum esse ipsum actum, quo se Deus amat, prout terminatum ad creaturam. Actus enim diuinus, licèt quoad *esse* sit necessarius, quoad terminationem verò ad creaturam liber est; ita tamen, vt quando terminatur ad creaturam eiusque volitio, seu amor est, nihil omnino habeat, quod non haberet, si ad illam non terminaretur, aut eius volitio non esset. Ob sui enim infinitatem, & eminentiam talis est, vt non necessariò tribuat suum quasi adæquatum effectum formalem, sed in potestate eum habentis sit, tendere per illum, aut non tendere in obiectum creatum. Hæc enim, quæ in actibus, & formis creatis impossibilia sunt, in actu illo Dei purissimo ob suam infinitatem esse creduntur. Hæc mens P. Soar. quem fere sequuntur Ruiz disp.13. de Voluntate sect.2. & 3. Mœrat. tom.1. disp.32. sect.3. Gasp. Hurt. supra, & alij.

Verùm hic modus dicendi, nisi ampliùs ex- 284
plicetur, facilè refutatur. Volitio Dei libera supra necessariam aut addit aliquid; aut nihil. Si nihil. Ergo non est libera: repugnat enim eamdem omnino formalitatem esse necessariam, & liberam. Si addit aliquid. Vel id est intrin-

secum Deo: & hæc est sententiâ Caietani, quam acriter dicti Auctores impugnant. Vel est extrinsecum Deo: & hæc est sententia Connotantium ab ipsis etiam impugnata, aut aliorum, quos nos reiecimus. Dicunt, addere terminationem ad creaturam, & quoad hanc tantùm terminationem volitionem Dei intrinsecam esse liberam, vtpote quia talis terminatio potuit deficere. Contra tamen. Aut terminatio hæc est aliquid Deo identificatum, & nihilominùs defectibile, & redit iterum sententia Caietani. Aut est aliquid realiter à Deo distinctum, saltem ex parte; & hæc rursus aut Connotantium, aut aliorum sententia est. Respondet Soar. num. 46. volitionem Dei liberam inuoluere causalitatem, qua causatur creatura; quæ causalitas potuit non esse, atque ita potuit Deus illam non velle. Sed contra. Aut hæc causalitas clauditur saltem in obliquo intraconceptum volitionis liberæ: & hæc est ipsissima Connotantium sententia; à qua longè abest Soar. Aut est extra talem conceptum, licèt eius obiectum sit; & ita nihil præstat ad rem; cum sit necesse, vt præter eiusmodi causalitatem, ad quam terminatur volitio libera, aliquid aliud sit defectibile, quo ipsa volitio constituitur in esse volitionis creaturæ. In quod redeunt argumenta facta.

285 Respondet Ruiz sect. illa 2. citatà num. 23. prædictam terminationem, quæ potuit adesse, & abesse volitioni diuinæ, esse extrinsecam denominationem ab obiectis volitis; non qua constituatur aliquo modo volitio Dei libera, sed quæ prorsus sit extra essentiam eius; tametsi sine tali denominatione volitio libera à nobis non possit intelligi. Sed contra clarè. Ergo volitio Dei, dictâ terminatione, seu denominatione præcisa, completè constituta est in esse volitionis liberæ, atque adeò in esse volitionis defectibilis. Ergo, præter dictam terminationem, aliud quid est defectibile in Deo, cuius defectu desinat esse volitio libera. De quo rursus quæram, an sit intrinsecum, vel extrinsecum, &c. vt supra. Vel aliter. Secluſâ dictâ terminatione, volitio Dei libera completè constituta est in suo conceptu. Vel ergo eiusmodi conceptus addit aliquid supra volitionem necessariam. Vel nihil. Si nihil. Ergo volitio libera non est libera: quia idem conceptus nequit esse necessarius, & liber. Si aliquid. De hoc iterum quæram, quid sit: & redeunt argumenta omnia.

286 Recentiores quidam, vt rem componant, ad cõnotata externa confugiunt, dicentes, volitionem Dei liberam quoad entitatem adæquatè esse idem cum Deo: egere tamen connotato, vt ipsum denominet volentem, eâ ratione, qua in sententiâ aliquorum relatio idem est cum fundamento; ipsum tamen relatum non denominat, nisi adsit terminus: & duratio à re durante non distinguitur, res tamen durare non dicitur, quousque adsit tempus, in quo durat: pariterque in exemplis similibus philosophantur. Cæterùm Philosophia hæc (iam, me quidem iudice, haud probabilis, vt ex demonstratione factâ in Pharo Scient. disp. 9. q. 5. propositi. 19. constat) præsenti difficultati nihil omnino derogat. Argumentor sic. Volitio, qua Deus amat Petrum, aut eget pro connotato Petro possibili, vt Deum denominet amantem Petrum: aut Petro iam actu existente siue futuro. Si possibili. Ergo Deus Petrum non amat liberè: quia, quidquid requiritur, & sufficit, vt illum dicatur amare, necessarium est, nimirum volitio intrinseca Dei, & possibilitas Petri. Si autem connotatum requisitum est Petrus existens. Ergo sine variatione contingenti ad extra Deus non potest liberè amare Petrum. Quod est alienum à sententiâ, quam modò tuemur. Deinde Philosophia hæc in castra Connotantium rem totam transfert. Si enim Deus nequit amare liberè Petrum, nisi connotatâ existentiâ Petri, nihil fermè ad præsentem facit difficultatem, quòd existentia Petri compleat vt connotatum volitionem liberam Dei; vti asserunt Connotantes; aut quod sit extrinseca conditio, vt Deus dicatur amare Petrum; vti Recentiores isti contendunt. Vterque enim dicendi modus, quod attinet ad decretum Dei liberum, easdem fere difficultates patitur, vt perpendenti notum fiet. Praterea denominatio volentis liberè Petrum nequit esse in Deo sine Petro existente, vt dicunt. Ergo Petrus existens intrinsecè clauditur in conceptu talis denominationis, nec solum est conditio extrinseca ad illam. Probo consequentiam. Nam, quidquid necessariò requiritur, vt aliud sit, vel est aliquid intrinsecè incluſum in conceptu eius; vel ita est extra illud, vt eius terminet connexionem. Aliter enim necessariò nequit requiri, vt patet. Sed Petrus existens non est terminus extrinsecus, cũ quo prædicta denominatio connexa sit. Ergo est aliquid ingrediens conceptũ eius. Quòd non sit terminus extrinsecus, patet. Quia eiusmodi denominatio, si existentiam Petri non claudit, nullatenus cum tali existentiâ connexa est: cum aliud non sit à volitione diuinâ realiter iudistincta à Deo; atque adeò æquè, ac ipse Deus, absoluta à Petri existentia quoad suam entitatem, vt est notissimum. Itaque, quoties forma indistincta à subiecto non est connexa cum connotato quoad entitatem, neque est quoad denominationem, si denominatio aliud non est ab ipsâ entitate formæ, & subiecti, vt est manifestum. Vnde euidenter, & vniuersaliter sequitur, quoties forma indistincta à subiecto, & non connexa quoad entitatem cum connotato illud necessariò requirit ad præbendam denominationem sub ecto, non posse non tale connotatum in tali denominatione intrinsecè claudi vt partem constitutiuam eius. De quo plura videri possunt loco citato Phari Scient. Mitto alias explicationes adsimiles, quæ facilè ex dictis refelli possunt, qualis est, quam affert Petr. Hurtado 2. 2. disp. 128. de Charit. sect. 5. §. 72.

Longè adhuc difficilior est intellectu, adeoque refutatu facilior sententia Ioannis Martinon dicentis 1. p. disp. 14. sect. 4. volitionem Dei liberam ipsissimam esse adæquatè substantiam Dei, seu volitionem necessariam potentem per seipsam formaliter diuersimodè se habere circa obiecta creata absque vllâ prorsus additione, vel detractione alicuius entitatulæ, siue reculæ, vt ipse loquitur. Quemadmodùm, vt ipse opinatur, absque vllo modo superaddito intrinseco, aut extrinseco possunt etiam entitates creatæ per seipsas diuersimodè se habere, vt esse in hoc, vel in alio loco, transireque de hoc spatio ad illud localiter, durare in diuersis temporibus, &c. Putat autem hic Auctor, suam sententiam eamdem esse Caiet. Fonſ. Salas, & aliorum benè explicatorum. Sed fallitur in hoc, vt constat ex superiùs dictis. Quemadmodùm & in sententia ipsâ. Etenim intelligibile non est, sed prorsus chymæricum, quòd eadem entitas etiam increata, nedum creata, absque vllâ omnino variatione intrinsecâ, aut extrinsecâ, absque vlloque prorsus additamento intrinseco

trinseco, aut extrinseco diuersimodè sese habeat, aut gerat. Si enim res aliter se habet modò, ac aliàs se haberet, modòque subinde aliqua ei conuenit veritas, quæ aliàs non conueniret. Ergo, cùm talis veritas non sit nihil; alioquin falsitas potiùs, quàm veritas, esset, non potest non existere modò aliquid, quod aliàs non existeret, à quo res aliter se habens modò, ac aliàs se haberet, dicatur. Quid enim euidentius, quàm dari aliquid in rerum naturâ, quod non esset aliàs, quando aliqua propositio est vera, quæ non esset aliàs? Siquidem eadem propositio ab eo, quòd sit, vel non sit obiectum enunciatum per ipsam, dicitur vera, vel falsa. Mitto alia.

288 Et venio ad alium dicendi modum, quem tenent illi, quos supra disp.30. quæst.13. impugnaui, censentes, omnem voluntatem liberam libertate actus primi per quamdam virtualem, siue moralem applicationem, seu determinationem ab ipso actu primo, ab ipsâve voluntate indistinctam à parte rei sese liberè, antecedenterque ad actum secundum applicare, siue determinare ad exequendum hunc actum secundum potiùs, quàm alterum eorum, respectu quorum libera est. Quam doctrinam Deo applicantes dicunt, per eiusmodi liberam applicationem, seu determinationem virtualem, siue moralem constitui, siue compleri decretum liberũ Dei de obiecto creato.

Sed primùm contra hunc modum dicendi 289 omnia ea argumenta militant, quibus eiusmodi applicationem, seu determinationem virtualem ex parte actus primi se habentem ab omni liberâ voluntate reiecimus tanquam penitus tum impossibilem, tum superfluam. Quæ argumenta ad rem recolenda, & ad propositum applicanda sunt à Lectore, ne superuacuè hìc repetantur.

Deinde, estò admittatur in Deo dicta applicatio virtualis, per eam vtique volitio libera Dei 290 componi non potest, nisi quidpiam aliud addatur. Cùm enim talis applicatio iuxta Assertores eius ex parte voluntatis in actu primo sumptæ se habeat, reddens illam in signo antecedente actus primi applicatam, seu determinatam ad talem, aut talem, præ alijs, actum secundum; non potest volitio Dei libera post talem applicationem subsequutura, ab eâque tanquam actus secundus, ad quem illa applicat, oriunda, per ipsam in conceptu suo compleri vllo modo: quia ipsa nullo modo ad seipsam applicat voluntatem. Cùmque rursus per talem applicationem nequeat voluntas contingenter determinari ad actum secundum, aliàs omnino necessarium, vtpotè ad quem per suam naturam præcisè est necessariò determinata; actus secundus volitionis, pro cuius determinatione illa ponitur in actu primo voluntatis, nõ potest non aliàs in se contingens esse, vt est notissimum. Talis autem esse non potest, nisi compleatur in suo conceptu vel per formalitatem identificatam cum Deo, & nihilominùs defectibilem, vel per connotatum aliquod extrinsecum realiter distinctum à Deo: quo necessariò reciditur in aliquam ex sententijs hucusque impugnatis; vel per virtualitatem aliquam contingentem, ad ipsumque actum secundum spectantem: quæ est nostra sententia mox explicanda. Ex quibus patet, per prædictam virtualem applicationem, seu determinationem voluntatis in actu primo libertatem volitionis diuinæ componi non posse. Tum quia illa absolutè impossibilis, atque superflua est. Tum quia, estò admittatur in Deo, sufficiens non est ad id muneris.

Aptior modus explicandi diuinam libertatem per virtualem contingentiam actus diuini.

Frequens est apud Theologos distinctio vir- 291
tualis, qua se à plerisque difficultatibus mysterij Trinitatis expediunt. De qua nos latè in Pharo Scient. disp.13. quæst.6. Itaque, dicunt, idcirco Patrem æternum posse communicare Filio suam essentiam, non communicatâ paternitate, sine contradictione, quia, licèt essentia, & paternitas reuerâ, & formaliter sint idem, attamen ob sui infinitatem, & eminentiam virtualiter, seu æquialenter distinguntur, id est, se gerunt, ac si formaliter, & verè distinguerentur, in ordine ad suscipienda sine vllâ contradictione, seu repugnantiâ prædicata contradictoria; qualia sunt communicari, non communicari, distingui, & non distingui, & similia. De fide enim est, essentiam communicari Filio, & non communicari paternitatem; tum paternitatem distingui à filiatione, à qua non distinguitur essentia, &c. Ad hunc ergo modum in actibus Dei necessarijs contingentia virtualis, seu æquialens meditanda est ad explicandam difficultatem mysterij libertatis diuinæ. Nam, sicut virtualis distinctio cum summâ identitate componitur, qua paternitas, & essentia reuerâ sunt idem, idque sine vllâ prorsus imperfectione, aut veræ identitatis diminutione. Ita contingentia virtualis sine vllâ prorsus imperfectione componi potest cum summâ necessitate, qua actus amoris, seu volitionis à Deo reuerâ indistinctus necessarius est, sine vllâque ipsius necessitatis diminutione.

Concipe igitur in Deo volitionem prorsus 292
trinsecam, quæ suapte naturâ, & essentiâ omnium volibilium volitio sit: seu potiùs concipe tot volitionis reuerâ quidem, & formaliter identificatas, virtualiter tamen, seu æquialenter distinctas rum inter se, tum à diuinâ voluntate, quot sunt obiecta volibilia, imo tot respectu cuiusuis obiecti, quot modis illud amari potest in ordine ad diuersa motiua, vel diuersa quasi intentione; (si hæc etiam in actibus diuinis aliquo modo sit admittenda); tantumdemque meditare de nolitionibus respectu omnium obiectorum nolibilium. Qui omnes actus reuerâ, & formaliter quoad entitatem in Deo semper, & necessariò sunt, imo non sunt aliud, quàm ipse Deus: in ordine tamen ad reddendum, seu ad denominandum Deum volentem, aut nolentem obiecta, quorum actus sunt, virtualiter, seu æquialenter possunt adesse Deo, aut abesse, deficere, aut non deficere pro arbitratu Dei; quatenus diuina voluntas pro nutu suo eos potest, aut producere, aut non producere virtualiter iuxta doctrinam stabilitam supra quæst.2. propos.3. Quod est, esse eos virtualiter contingentes. Itaque volitio efficax creandi alterum Mundum in Deo est nunc quoad entitatem verè, & formaliter, sed non denominat Deum volentem creare alterum Mundum; ipsive non tribuit suum effectum formalem: quia in ordine ad talem effectum, seu denominationem æquialenter, seu virtualiter deest à Deo, idest, perinde se habet, ac si non esset. E contra verò volitio efficax creandi, & conseruandi hunc Mundum verè facit, denominatve Deum volentem creare; & conseruare illum: quia in ordine ad talem effectum, seu denomina-

tionem virtualiter non deest, seu non se habet, ac si deficeret; atque adeò non solùm formaliter a est, sed etiam virtualiter, seu, quod idem est, non solùm adest formaliter eâ, quam habet á se, necessitate essendi, sed per virtualem productionem æquivalenter ponitur, atque conseruatur à Deo. Pro qua doctrinâ vide reliqua, quæ supra quæst. 2. & 3. præmissa sunt, quibus ea non parum validè confirmata est.

293 In hunc sensum trahendus est P. Soar. relatus num. 283. Id enim censendus est sibi voluisse, cùm dixit, actum intrinsecum volitionis diuinæ esse veluti quamdam formam, quæ innumeros potest habere effectus formales, quos tamen non necessariò præstat, sed pro libito Dei. Expressiùs id ipsum videtur intendisse P. Ruiz disp. 12. de volunt. sect. 3 num 17. dum ait. *Si vnum extremum quamuis inuariatum sit, nihilominùs propter suam eminentiam realiter habeat in se totum illud, quod habuisset, si variaret volitiones, hoc sufficit, vt præbeat fundamentum diuersis denominationibus, quamuis res extra Deum inuariatæ maneant.* Et rursus disp. 13. sect. 3. n. 5. *Quoniam ea est eminentia volitionis infinitæ in genere entis, & in genere volitionis, vt pro libito determinet ad oppositas, & infinitas terminationes perinde, ac si fuissent infinitæ volitiones realiter distinctæ.* Clariùs explicuit libertatem diuinam per contingentiam æquivalentem, seu virtualem P. Valent. tom. 4. disp. 1. quæst. 2. punct. 5. §. *Ac per eamdem* iuxta editionem Venetianam anni, 1608. quæ cæteris est auctior. Ait enim. Diuinæ voluntati tribuendum est, quidquid est perfectionis in voluntate creatâ, secluſâ imperfectione mutabilitatis creatæ: *eo quòd diuina voluntas ob infinitam sui perfectionem æquivalet omni mutabilitati voluntatis creatæ quoad ea, quæ sunt puræ perfectionis. Pertinet autem ad puram perfectionem creatæ voluntatis, quòd ex ijs, quæ indifferenter possunt aliter, atque aliter fieri, vnum potiùs, quàm aliud, fieri velit; etiam si res ipsæ, per quas, aut in quibus aliquid fieri possit, indifferenter ad id, & ad aliud se habeant. Igitur hoc etiam tribuendum est diuinæ voluntati, secluſâ tamen imperfectione variabilitatis creatæ voluntatis secundùm actus distinctos realiter tum inter se, tum ab ipsâ voluntate. Idque propter infinitam perfectionem Voluntatis diuinæ eminentissimo modo æquivalentem omni eiusmodi variabilitati voluntatis creatæ.* Hæc ille. Quæ mox confirmat exemplo distinctionis virtualis subdens. *Neque hæc, & alia huiusmodi debent videri mirabiliora, quàm, quòd etiam ad intra in diuinis infinita perfectio diuina prout æquivalens distinctioni actuali reali sufficit, vt idem de eadem re diuinâ affirmetur, & negetur sine repugnantiâ, & contradictione.* Eodemque modo loquitur alijs in locis, vt videre est 1. p. disp. 1. quæst. 19. punct. 3. ℣. *Hæc sententia*, & punct. 5. assert. 2. & ℣. *His assertionibus*, & tom. 2. disp. 8. quæst. 5. punct. 4. §. 4. ℣. *Est enim considerandum*, iuxta citatam editionem. Eiusdem sententiæ est Coninc. de Sacram. quæst. 77. art. 1. dub. 1. num. 6. vbi ait. *Etsi volitio libera in Deo ita verè, & realiter sit, vt tamen nihil superaddat ipsi essentiæ; nihilominùs tamen, quando concipimus eum in priori rationis nihil liberè velle, & in posteriori aliquid velle, necessariò concipimus eum virtualiter se aliter habere erga obiectum volitum, quàm antea, & quasi mutatum.* Quid clarius. Consentit P. Zunniga de Trinit. disp. 2. dub. 10. num. 3. quatenus inter actus diuinos prioritatem *in quo* virtualem adstruit æquivalentem prioritati temporis.

Pro eadem sententia aduocari possunt Scotistæ cũ suo Scoto asserente, volitionem Dei necessariam eatenus esse formaliter volitionem, & nolitionẽ liberam, quatenus ob suâ infinitudinem æquiulet collectioni volitionis, & nolitionis liberarum voluntatis creatæ. Sic referunt sententiam Scoti Angelus de Motepiloso 1. p. tom. 2. disp. 14. art. 4. num. 8. Theodorus Smising. tom. 1. tract. 1. disp. 3. quæst. 1. num. 23. & Franciscus Amicus tom. 1. disp. 33. sect. 3. num. 35. Neque alienus est ab hac explicatione Tannerus supra relatus; cùm dicat num. 20. *essentiam diuinam ob infinitatem suam tantæ esse perfectionis, vt per seipsam absque additione nouæ perfectionis tantundem possit, quantum, si adderetur noua perfectio.* Eamdem sententiam reuerà sequitur P. Ripalda tract. nondum edito de Volunt. disp. 8. licèt in modo explicandi nonnihil differat ab alijs. In eamque prorsus incumbunt perdocti, & plures Recentiores. 294

Superest tamen adhuc distinctiùs explicandum, qua ratione cum contingentiâ virtuali libertas formalis, qualis in Deo est asserenda secundum fidem, possit consistere. Deus enim non virtualiter, seu æquivalenter dumtaxat, sed verè, & formaliter est liber in suis decretis; atque ita quidem, vt verè, & formaliter potuerit non habere decreta, quæ habuit, & habere, quæ non habuit; quod est, libera decreta formaliter esse cõtingentia, non autem virtualiter tantùm. 295

Recentiores quidam ingeniosi sic rem componebant. Supponebant, de conceptu cognitionis non solùm esse speciem expressam repræsentatiuam obiecti, quam intellectus cognoscentis producit, sed etiam ipsam productionem: pariterque de conceptu amoris, seu volitionis non solum esse pondus illud, quo voluntas in obiectum propendere dicitur, sed etiam productionem eius. Qua philosophiâ translatâ in Deum, asserebant, voluntatem diuinam esse potentiam virtualiter productiuam ponderis, quo quodlibet obiectum creatum amari potest liberè à Deo, amorem tamen liberum Dei, præter huiusmodi pondus, (quod vera, & realis formalitas est intrinseca Deo, & necessaria formaliter, virtualitur tamen contingens, & defectibilis), ipsam etiam productionem virtualem ipsius ponderis inuoluere; qua subinde productione virtuali deficiente, vt pro arbitratu Dei potest deficere, deficit amor Dei liber formaliter, non ex defectu alicuius formalitatis, quæ sit vera, & formalis perfectio Dei, sed ex defectu cuiusdam virtualitatis, quam includit amor Dei liber, quæ quidem nihil est verè, & formaliter, sed æquivalenter dumtaxat; atque adeo nihil obest, quo minus verè, & formaliter sit defectibilis. 296

Non placent. Primò; quia existimo, actum amoris in solâ qualitate productâ, quæ pondus dicitur, consistere, sicut cognitio in solâ specie expressâ, eâque per se immediatè instar cuiusdam modi vnitâ, seu affixâ subiecto tum volenti, tum cognoscenti, cuius proprius est actus; vt probaui in Pharo Scient. disp. 2. quæst. 1. 297

Secundò; quia, licèt de conceptu amoris creati sit actio, de conceptu tamen amoris diuini actio esse non potest. Posito enim, quòd amor sine actione nequit constitui, consequens est, vt verus, & formalis amor sine verâ, & formali actione productiuâ ponderis consistere nequeat; cùmque in Deo vera, & formalis actio productiua ponderis nequeat admitti, sed tantùm virtualis; sequi- 298

tur

tur planè, in Deo non verum, & formalem amorē creaturæ, sed æquialentem tantùm esse admittendum. Quod tamen est absurdum. Cùm enim in eâ sententiâ pondus præcisè sumptum amor non sit, sed constitutum ex pondere, & actione ipsius productiuâ, si hæc non est vera, & formalis, sed tantùm æquinalens, conficitur, amorem resultantem non verum, & formalem esse, sed tantum æquialentem, vt benè etiam contra hos Recentiores arguit Gaspar. Hurt. supra. Ob id non solùm in alijs sententijs, quæ non agnoscunt istas virtualitates, sed in hac etiam necessariò dicendum est, de conceptu amoris in vniuersùm, prout comprehendit etiam diuinum, nullatenus esse actionem productiuam ponderis; sed eum in solo pondere subiecto volenti vnito consistere. Et quidem actio in prædictâ sententiâ ideo requiritur ad conceptum amoris, vt hic euadat actus vitalis physicè, & immanenter in principio vitæ productus; quasi amor sine conceptu vitæ physicæ constare non possit. Ergo, vbi non fuerit vera actio, sed tantùm æquialens, non erit vita
299 vera physica, atque adeò nec verus amor.

Tertiò; quia in hac sententiâ priùs est volitio Dei libera constituenda quoad entitatem intra proprium volitionis conceptum, quàm constituatur denominans Deum volentem; alioquin dici non posset, habere Deum nunc quoad entitatem volitionem secundi Mundi, & cæterorum obiectorum, quæ de facto non voluit. Quod & per se videtur absurdum; & longè abest à sen-
300 tentiâ dictorum Recentiorum.

Stet ergo, volitionem liberam Dei antè omnem virtualitatem constitutam esse adæquatè in conceptu veræ, & formalis volitionis obiecti cuius volitio est: proindeque ad talem conceptū nullatenus pertinere conceptum productionis aut formalis, aut virtualis. Esse tamen illam virtualiter contingentem in ordine ad denominandum, vel non denominandum Deum volentem. Per hanc enim virtualem contingentiam præcisè
301 tota expeditur difficultas, vt iam expono.

Etenim hoc, quod est, Deum velle efficaciter creaturam, præter entitatem volitionis creaturæ, dicit insuper, quòd huiusmodi entitas, seu formalitas virtualiter non deficiat in ordine ad reddendum volentem Deum, vel, quod in idem recidit, quòd non solum formaliter, sed virtualiter etiam existat. Quo fit, vt sublatâ, seu potiùs non positâ existentiâ virtuali volitionis creaturæ per defectum virtualem ipsius volitionis, tollatur formaliter, seu impediatur in Deo denominatio volentis creaturam sine defectu alicuius formalitatis, quæ sit verâ, & formalis perfectio Dei. Quod enim in volitione nostrâ, alioquin in suo conceptu completâ in esse volitionis talis obiecti, præstat defectus, aut existentiâ formalis, id ipsum in volitione diuinâ ob suam infinitudinem, & eminentiam præstat defectus, aut existentia virtualis. Atque ita, quemadmodùm volitio mea purè possibilis me non denominat actu volentem; quia non est in me verè, & formaliter. Ita volitio Dei efficax secundi Mundi, etsi formaliter, & verè existat identificata cum Deo, eum non denominat volentem; quia deest ab illo virtualiter. Et, sicut voluntas mea producendo in se verè, & formaliter volitionem, quam antea non habebat, redditur volens verè, & formaliter, non per productionem volitionis adhuc partialiter, sed per volitionem ipsam formaliter iam, & actualiter existentem. Ita Deus producendo in se virtualiter volitionem efficacem huius Mundi, quam n virtualiter non produceret, virtualiter non haberet; eamque subinde donando nouâ, & contingenti existentiâ virtuali supra formalem necessariam, quam ipsa à se habet, redditur volens vere, & formaliter, & efficaciter hunc Mundum, non per dictam productionem virtualem adhuc partialiter, sed per ipsam volitionem productam, & iam existentem non solùm formaliter, sed virtualiter. Nec inde inferas, denominationem volentis creaturam in Deo non esse veram, & formalem denominationem; eo quòd quodammodò completur per existentiam virtualem volitionis, quæ existentia non est quid verum, & formale, sed tantùm æquialens. Quoniam, vt sit formalis, & vera denominatio, satis est, quòd tota forma adæquatè, & subiectum sint quid formale, & quòd forma existat, prout oportet, vt actualiter denominet. De quo plura dicemus infra num. 308. 302

Ex his apparet, quo pacto Deus omnino intrinsecè suam exerceat libertatem. Nempe volitio creaturæ, aliàs ex se necessaria omnino quoad suam existentiam formalem, vtpote quæ realiter est ipse Deus, virtualem quamdam, & quasi nouam existentiam accipit à voluntate diuinâ in ordine ad denominandum Deum volentem. Quo fit, vt Deus, dum hanc existentiam virtualem ipsi volitioni communicat pro arbitratu suo per virtualem productionem, liberè creaturam velit, cuius ea volitio propria est. Tunc verò Deus liberè creaturæ omittit amorem, seu liberè non vult creaturam, quando, non productâ virtualiter volitione, quam habet talis creaturæ, virtualiter non existentem, seu deficientem relinquit illam, ideſt, perinde existentem, ac si non existeret, in ordine ad denominandum Deum volentem. Hinc rursus liquet, quando Deus vult liberè creaturam, nihil habere in se formale, quod non haberet, si non vellet, præter ipsam denominationem volendi. Hæc autem denominatio accrescit Deo hoc ipso solùm, quòd volitio creaturæ existentiam virtualem habet supra formalem in ordine ad talem præbendam denominationem. Similiter, quando Deus non vult creaturam, nihil formale deficit formaliter Deo, præter vnam denominationem volendi illam. Quæ tamen denominatio ex eo solùm formaliter deest; quia deest volitio, seu non existit virtualiter in ordine ad præbendam illam. Ex quibus patet, quomodò Deus sine amissione, aut lucro alicuius veræ, & formalis perfectionis, siue formalitatis possit omninò intrinsecè velle, & non velle pro suo arbitratu. Quæ est summa totius difficultatis, & mysterium diuini arbitrij. Patet etiam, quomodò decretum adæquatè intrinsecum Deo possit adesse, & abesse, quin noua Dei formalitas adsit, & absit. Quo argumenta facta num. 282. pro ratione dubitandi soluta manent. Soluamus nunc, quæ in speciali contra hunc dicendi modum possunt opponi. Quo & ille ampliùs explicabitur.

Diluuntur argumenta modo explicandi *nostro contraria*. 303

Multum excitat puluerem Alarcon contra sententiam stabilitam tract. 3. de Voluntate Dei disp. 4. scap. 7. Videamus quo fructu. Arguit primò, sequi ex dictâ sententiâ, eâdem certitudine, & proprietate, qua secundùm scripturam

dicitur

dicitur Deus liberè velle, posse etiam dici in Deo esse verum accidens, esse veram pœnitentiam, & dolorem, imo & verum peccatum: quod valde absurdum est, vt patet. Sequelam probat. Quia, sicut vera, & propria libertas consistere potest in Deo per id solùm, quòd diuina volitio virtualiter contingens sit, & se gerat, ac si deficeret; ita etiam relatio paternitatis diuinæ verum accidens, & proprium erit; quia se gerit in Patre æterno ac si esset accidens; cùm præstet in ipso, quidquid in patre creato præstat relatio similis. Tum Deus ipse verè, & priè pœnitens, & dolens erit; cùm se gerat, ac si esset pœnitens, & dolens, iuxta illud Genes. 6. *Pœnituit Deum, quòd hominem fecisset in terrâ, & tactus dolore cordis intrinsecus dixit, pœnitet me fecisse hominem*. Denique Deus verè, & propriè diceretur peccator: quia aliquando perinde se gerit, ac si peccaret, nempè concurrendo ad physicam operationem hominis peccantis, & offerendo cogitationes, & occasiones, quibus, scit, hominem peccaturum: quod si præstaret alter homo, peccatum esset. Hæc latè protendit Alarcon.

Respondeo tamen, malè ipsum inferre ex
304 doctrinâ nostrâ, in Deo debere admitti accidentia formalia, pœnitentiam propriam formalem, & peccatum formale: nam hæc vt summùm possent inferri virtualia per argumenta facta: eo quòd gerere se Deum, ac si in ipso esset accidens, propria pœnitentia, aut peccatum, tantùm arguere posset, esse hæc in Deo virtualiter, iuxta modum loquendi nostrum: quo dicimus, volitionem diuinam virtualiter contingentem esse; quia gerit se, ac si esset defectibilis, in ordine ad reddendum Deum liberum ad volendum, & non volendum, cùm tamen reuerâ, & formaliter non sit defectiblis, Sed neque virtualiter admitti debent prædicta in Deo consentaneè ad doctrinam nostrã. Etenim non tumultuariè, & sine delectu admittenda sunt in Deo virtualiter, quæcunque in creaturis formaliter reperiuntur; sed ea solùm, sine quibus aliqua prædicata diuina, aut aliquæ perfectiones, de quibus constat, consistere nequeunt. Quo iure admittitur distinctio virtualis; quia sine illâ prædicata contradictoria, qualia in mysterio Trinitatis dicuntur de eâdem entitate Dei, non possent illi conuenire sine repugnantiâ. Et modò admittimus virtualem contingentiam, sine qua diuina libertas constare non potest in sententiâ, quam tuemur. Ast relatio paternitatis sine prædicato accidentis optimè cõsistere potest: cùm dentur etiam in creatis multæ relationes substantiales: vnde non oportèt ad adstruendam relationem paternitatis admittere in Deo accidens virtuale. Sicut etiã non est quod cogat ad ponendũ in Deo virtualem pœnitentiã, aut doloré: quia verba Scripturæ in argumẽto relata de impropriã, & metaphoricã pœnitẽtiã sunt accipienda iuxta omnes Interpretes. Et multò minus est necessarium, facere Deum virtualiter peccatorem: quia hoc ipso, quòd est Deus, sine vllâ peccati vmbrâ potest præstare, quidquid circa homines præstat; tametsi quid simile vnus homo circa alium licitè præstare non possit. Adde, qui concederet Deo virtualia accidentia, aut etiã pœnitentiam virtualem, nihil ob id contra diuinam perfectionem facturum. Quia, quæ formaliter sumpta repugnant Deo, sumpta quoad æquiualentiam in ordine ad stabiliendam aliquam perfectionem diuinam non semper repugnant; vt vel in ipsâ distinctione virtuali cernere licet: quæ tamen si formalis esset, omnino repugnaret Deo. Neque vsquam Patres, aut Doctores accidens virtuale (quod verè accidens non est, sed quid æquiualens accedenti) relegarunt à diuinâ substantiâ, sed tantùm formale, & verum accidens. Quidquid conetur Alarc. in oppositum n. 20. & 21.

Secundò arguit. In signo aliquo antecedente 305
est Deus indifferens ad volendum, & non volendum. In signo, quo vult, non est indifferens: & tamen nihil est nouum reale in signo, quo vult iuxta doctrinam datam. Ergo sine aliqua varietate reali verificantur de Deo duo contradictoria: qualia sunt, esse indifferens, & non esse indifferens. Respondeo, in signo, quo Deus vult, esse totam denominationem realem volendi, quæ non erat in priore signo. Hæc autem denominatio coaluit ex actu volitionis reali prout non deficiente virtualiter, vt superiùs est explicatum. Ad alia, quæ Alarcon addit, nihil oportet respondere. 306

Tertiò vrgentiùs ex alijs sic potest obijci. Deus non virtualiter, seu æquiualenter, sed formaliter, & verè est liber ad volendum, & non volendum. Ergo casu, quòd non vellet id, quod vult, formaliter ab ipso deficeret ipsum velle; verum enim tunc esset, Deum nullâ ratione velle. Ergo volitio, qua Deus vult, non virtualiter solùm, sed formaliter debet posse deficere, vt Deus sit liber formaliter ad volendum, & non volendum. Aut, si illa tantùm virtualiter est defectibilis, Deus virtualiter tantùm erit liber. Quod est absurdum. Respondeo, Deum verè, & formaliter esse liberum ad volendum, & non volendum, atque adeò casu, quòd non vellet id, quod vult, verè, & formaliter defecturum ipsum velle, hoc est, denominationem volendi, quæ effectus formalis est volitionis. Ad hoc tamen non est necesse, quòd volitio sit defectibilis formaliter quoad entitatem; quia per solum defectum virtualem volitionis potest deficere formaliter denominatio, seu effectus formalis eius, vt constat ex dictis. 307

Inferet aliquis. Ergo non solùm virtualiter, sed formaliter etiam ast defectibilis aliqua diuina perfectio. Probatur consequentia. Quia non solùm volitio Dei abstracte sumpta, quæ virtualiter est defectibilis, perfectio est vera, sed etiam denominatio volentis, quæ formaliter est defectibilis. Nego consequentiam. Ad probationem dico, denominationem volentis esse veram Dei perfectionem, quatenus tota forma, & subiectum denominatum perfectiones sunt Dei; tametsi non deficientia, seu existentia virtualis formæ, ex cuius defectu denominatio est defectibilis, nec sit perfectio vera Dei, nec vera imperfectio; cùm non sit quid formale, & verum, sed tantùm æquiualens. Itaque, licèt denominatio volentis in Deo sit perfectio vera, & formalis; ipsaque denominatio formaliter sit defectibilis; nulla tamen vera, & formalis perfectio Dei est defectibilis formaliter. Quia denominatio non est defectibilis ex defectu alicuius formalitatis ad se pertinentis, quæ sit perfectio Dei, sed ex defectu virtualitatis, quæ, cùm formaliter sit nihil, formaliter neque est perfectio, neque imperfectio, sed summùm virtualiter. De quo postea.

Instabis. Deficiente virtualitate prædicta, & cæteris omnibus permanentibus, non est in Deo denominatio volentis. Ergo conceptus talis denominationis intrinsecè inuoluit ipsam virtualitatem. Ergo Deus non est formaliter volens,

volens, sed tantùm virtualiter. Probo consequẽtiam. Quia repugnat, esse aliquod totum formale, quando aliqua pars in illo inclusa est tantùm virtualis. Ob id enim à conceptu volitionis diuinæ supra contra Recentiores exclusimus productionem virtualem, quia sequeretur, eam non formalem, sed virtualem tantum volitionem esse; quod dici nequit. Respondeo, quando de conceptu alicuius totius est aliqua pars vera, & formalis, neutiquam posse tale totum euadere formale, si talis pars non sit formalis, sed tantùm virtualis. Et hoc est, quod benè intulimus supra contra præfatos Recentiores. Qui existimantes, de conceptu volitionis creatæ esse productionem ponderis oriundam à principio volente, & consequenter de conceptu veræ, & formalis volitionis in vniuersùm debere esse veram, & formalem huiuscemodi productionem, veram nihilominùs, & formalem volitionem constituebant in Deo per productionem ponderis virtualem. Quod est implicatorium. Quia, si de conceptu volitionis formalis est formalis productio, vbi est tantùm virtualis productio, nequit esse volitio formalis, sed tantùm virtualis. Quando verò, vt totum aliquod reuerà, & formaliter detur, non tantùm requiritur, vt omnes partes eius sint veræ, & formales, sed insuper, vt aliqua earum habeat statum existentialem, siue existentiam virtualem supra formalem, vti accidit in proposito; benè potest tale totum esse verũ, & formale, verèque & formaliter dari, etsi talis existentia sit virtualis. Ex quo patet, denominationem volentis in Deo optimè veram, & formalem esse posse, verèque, & formaliter dari, quamuis, præter entitatem formæ denominantis, & subiecti denominati, quæ sunt veluti partes eius, importet in conceptu suo prout reuerà existente virtualitatem non deficientiæ, seu existentiæ virtualis ipsius formæ denominantis. Conceptus quippe talis denominationis in Deo ex istis omnibus coalescit à parte rei, hoc ipso, quòd Deus ob eminentiam suam, vt verè, & formaliter reddatur, siue denominetur volens, non vt eunque debet habere in se volitionem, sed eam debet habere non deficientem virtualiter, seu, quod est idem, existentem simul formaliter, & virtualiter.

309 Sed adhuc instari potest secundò. Nullum totum potest existere verè, & formaliter à parte rei, nisi existat verè, & formaliter, quidquid intrinsecè pertinet ad eius conceptum. Sed virtualitas intrinsecè pertinens ad denominationem volentis, de qua agimus prout habente *esse* à parte rei, siue in statu existentiali, nequit existere verè, & formaliter. Ergo denominatio volentis, de qua agimus, nequit existere verè, & formaliter. Ergo Deus per illam verè, & formaliter non est volens. Maior est certa. Consequentiæ regitimæ. Probo minorem. Quia si talis virtualitas verè, & formaliter existeret, iam non esset virtualitas, sed verum, & formale ens: nam, quidquid existit verè, & formaliter, eo ipso non potest non esse verum ens, & formale. Hìc est cauenda æquiuocatio. Concedo dictam virtualitatem verè existere à parte rei, quin sit propterea virtualitas ipsa qua talis verum ens, & formale; tametsi ea nequeat sic existere, nisi ens formale, & verum cui competit reuerà existat. Neque enim sola vera entia, sed etiam æquiualentiæ entium existunt verè à parte rei. Vide id in distinctione virtuali, qua à parte rei paternitas, & essentia diuina distingui dicuntur à plerisque Theologis: quia à parte rei se gerunt, ac si distinguerentur, seu æquiualent duabus rebus distinctis: tantumdemque meditare in nostro proposito. Itaque, sicut distinctio virtualis inter essentiam, & paternitatem reperta verè datur à parte rei, formaliterque subinde in suo genere dici potest existere, quin sit propterea distinctio vera, & formalis; quia aliud est distinctionem virtualem existere verè, & formaliter, aliud distinctionem virtualem esse veram, & formalem distinctionem, vt constat. Ita existentia virtualis volitionis diuinæ, qua completur denominatio volentis in Deo, verè, & formaliter in suo genere datur à parte rei, quin propterea illa desinat esse quid virtuale. Quo fit, vt nihil desiderari possit, vt argumentum pretendebat, quominùs dicta denominatio verè, & formaliter existat à parte rei.

Porrò huiusce generis virtualitates, seu 310
æquiualentias à parte rei reperiri, identificatas tamen suo modo cum entitatibus formalibus, indubitatum est. Piper enim à parte rei est calor æquiualens, seu virtualis in ordine ad cale faciendum; aurum æquiualenter est cuncta, quæ possunt auro comparari, &c. Quid ergo mirum, si volitio Dei à parte rei sit æquiualenter contingens in ordine ad denominandum, vel non denominandum Deum volentem? Id certè est in volitione diuina ob suam infinitudinem prorsus mirabile, alienumque omnino ab omni entitate creatà; quòd titulo contingentiæ virtualis, quam habet compositam cum summà necessitate formali, diuersas, oppositasque virtualitates subire possit prorsus inuariata formaliter, inquo tota mysterij huius profunditas posita est. Ita enim diuina volitio, dum virtualem deficientiam patitur, caret virtuali existentiâ, & dum hanc habet, illam non subit in ordine ad denominandum, vel non denominandum Deum volentem, vt in neutro casu aliqua Deus formalitate careat, aut eam acquirat; quia solùm caret virtualitate, aut eam acquirit, qua ratione est nihil formale. Quemadmodùm, si per impossibile piper prorsus inuariatum formaliter modò esset potens calefacere, modò non item; absque amissione, aut acquisitione alicuius formalitatis amitteret, aut acquireret vertualitatem caloris: quia modò esset calor virtualis, modò verò non item.

Hinc tamen inferet rursus aliquis. Ergo 311
recidimus in omnia incommoda, quæ contra sententiam Cajetani reformatam per Recentiores proposit 3. obtendimus. Siquidem concedimus aliquid identificatum cum Deo, nimirum aliquam virtualitatem à Deo indistinctam, intrinsecèque constituentem denominationem volentis, atque adeò denominationem ipsam verè, & formaliter defectibilem esse. Contra hoc enim instaurari posse videntur argumenta petita ibi tum ex eo præcisè, quòd aliqua formalitas Dei cum ipso Deo identificata sit formaliter defectibilis; tum ex eo, quòd talis formalitas non possit non esse perfectio defectibilis, atque adeò inuoluens imperfectionem repugnantem Deo. Quippe argumenta prioris classis pariter contra sententiam nostram videntur hìc habere locum. Argumenta autem posterioris, si quid probant, probant vtique, denominationem volentis in Deo dæquatè sumptam, quocunque modo à nobis constitui dicatur, perfectionem esse: quæ sub-

inde

inde perfectio erit mixta cum imperfectione defectibilitatis; atque adeò etiam repugnans Deo. Sed neganda tamen illatio est. Quoniam sententia nostra immunis sanè censeri debet ab argumentis, quibus sententiam Caietani, & Recentiorum subuertam relinquimus.

312 Quod vt appareat noto primò; quemadmodùm identitas reperta inter aliquid verum, & aliquid chymæricum non potest esse identitas vera, sed tantùm chymærica, & identitas reperta inter aliquid reale, & aliquid rationis non potest esse identitas realis, sed tantùm rationis; ita identitatem repertam inter aliquid formale, qualis est volitio diuina, & aliquid virtuale, qualis est illa existentia complens denominationem volentis iuxta superiùs dicta, non posse esse identitatem formalem, sed tantùm virtualem. Identitatem, inquam, tantùm virtualem; non quia secum ferat distinctionem formalem ad eum modum, quo distinctio tantùm virtualis paternitatis ab essentiâ fert secum identitatem formalem; sed quia est identitas inter extrema, quorum alterum est tantùm quid virtuale. Quæ proinde eatenus identitas formalis in suo genere dici poterit, quatenus extrema, inter quæ versatur, non sunt inter se distincta formaliter. Noto secundò; qua ratione aliquid est perfectio, eadem, & non aliâ eius defectum, atque defectibilitatem imperfectionem esse. Et quia virtualis illa existentia, qua in Deo completur denominatio volentis, non formalis sed virtualis tantùm perfectio est; cùm sit existentia non formalis, sed tantùm virtualis; idcirco defectus, atque defectibilitas eius non est imperfectio formalis, sed tantùm virtualis.

313 Quæ cùm ita sint colligo primò, etsi argumenta commemorata prioris classis conuincant contra Caietanum, & Asseclas, non posse aliquam formalitatem diuinam, quantumuis ponatur distincta virtualiter ab essentiâ Dei, verè, & formaliter defectibilem esse: eo quòd quæuis Dei formalitas verum, & formale *esse* diuinum habet; vtpote quæ verè, formaliter, & simpliciter identificatur cum Deo, siue est ipse Deus. At contra nos neutiquam probant, non posse aliquam virtualitatem diuinam verè, & formaliter in suo genere defectibilem esse. Quandoquidem virtualitas diuina neque habet verum *esse*, & formale, sed tantùm æquiualens: neque verè formaliter, & simpliciter est identificata cum Deo, sed tantùm virtualiter, siue formaliter secundum quid, hoc est, intra suum genus virtualitatis. Quo circa per eius defectum nec deest quidpiam habens verum *esse* diuinum; nec quidpiam detrahitur de diuina substantiâ. Nec denique aliquid aliud absurdum sequitur eorum, quæ secum ferret defectus alicuius formalitatis diuinæ. Et quanuis huiuscemodi virtualitas formaliter non sit distincta à substantiâ Dei necessariâ; sufficit tamen ad hoc, vt illa sit defectibilis formaliter, quòd ex vnâ parte neque sit formaliter simpliciter cum tali substantia identificata, sed tantùm in suo virtualitatis genere, atque adeò simpliciter virtualiter: ex aliâ verò parte virtualiter insuper in ordine ad sui defectum ab ipsâ substantiâ sit distincta hoc est, gerens in ordine ad illum, ac, si ab eâ distingueretur omnino formaliter.

314 Secundò colligo, neque argumentâ secundæ classis contra Caietanum, & suos supra producta quidpiam nostræ sententiæ officere; quantumuis probent, denominationem volentis in Deo indiuisim sumptam, quo pacto defectibilis est, esse perfectionem. Quamquam enim vt sic vera, & formalis perfectio sit, sicuti est verum, & formale, actualeque exercitium volendi; quod ego libenter confiteor: eo quòd ex totâ entitate, & perfectione formali volitionis diuinæ simul, & ex virtualitate, quæ æquiualenter est perfectio, coalescit. Quanquam etiam vt sic sit defectibilis formaliter, atque adeò non sit perfectio perfectiua Dei, sed aliter ei respectiuè bona iuxta doctrinam statutam tom. 1. disp. 16. q. 2. proposi. 6. Attamen non est perfectio inuoluens imperfectionem formalem, sed tantùm virtualem. Quia, cùm sit tantùm defectibilis per defectum virtualitatis, quæ secundùm se præcisè tantùm est perfectio virtualis, vt nuper statui, conficitur, defectibilitatem eiusmodi denominationis tantùm esse imperfectionem virtualem. Vnde tandem concluditur, ex eò, quòd sit defectibilis per eiusdè virtualitatis defectum dicta denominatio, nec sequi, aliquam veram, formalemque perfectionem Dei defectibilem esse; nec sequi, aliquid esse identificatum cum Deo, quod sit imperfectum formaliter. Quæ erant absurda ex sententiâ Caietani, aliorumque sequuta. Identificari autem cum Deo aliquid, quod dicat virtualem imperfectionem, nullatenus reddentem Deum adhuc vertualiter imperfectum; idque non qualicumque identitate, sed simpliciter virtuali, formalique tantùm secundùm quid iuxta dicta, nullum est inconueniens. Siquidem distinctio virtualis admissa à plerisque intra Deum, & vniuersim virtualitas omnis, hoc ipso, quòd citra imperfectionem formalem est æquialentia alicuius imperfecti formaliter, nequit non ferre secum ex suo præciso conceptu secundùm se considerato imperfectionem virtualem. Nam æquiualentia eius, quod essentialiter est imperfectum, atque adeò imperfectio, nequit non esse æquiualentia imperfectionis, vt constat. Quod ipsum est, esse æquialenter, seu virtualiter imperfectionem, siue, quod recidit in idem, esse imperfectionem virtualem.

Quæ omnia vt clariùs innotescant, præterea supponendum est primò, sermonem non esse impræsentiarùm de imperfectione positiuâ, quæ malitia quædam est imperfecti; sed de negatiuâ, quæ impedimentum est in eo marioris perfectionis, iuxta doctrinam latè expositam tom. 1. disp. 15. q. 4. 315

Secundò est supponendum, actum Dei liberum prout talem ita esse bonum in se absolutè, atque etiam respectiuè ad Deum, vt nullatenus sit perfectiuus Dei. Quia Deus nullo bono contingente perfici potest; vt constat ex doctrinâ certâ statutâ à nobis tom. 1. disp. 16. q. 2. Vnde etiam fit, vt imperfectio defectibilitatis, quam importat actus liber vt talis, nullatenus reddat Deum imperfectum: quia, vt à contingente perfectione actus liberi non potest Deus perfectus reddi; ita neque potest reddi imperfectus à contingente eiusdem imperfectione. 316

Quæ quidem in sententiâ nostra benè componuntur. Nam, cùm virtualitas, qua constituimus actum Dei liberum, ex vnâ parte non sit perfectio, nec imperfectio formaliter, sed tantùm æquialenter, seu virtualiter; & ex aliâ non formaliter, sed virtualiter sit identificata cum Deo, prout dictum est nuper; benè stat, æquialere eam perfectioni mixtæ cum imperfectione in ordine ad se, & ad actum liberum, quem constituit 317

stituit, quatenus talem; in ordine verò ad Deum neutiquam: atque ita à tali virtualitate talem actum sic partim bonum, siue perfectum, & partim imperfectum euadere, vt Deus ab eadem nec magis bonus, siue perfectus, nec vllatenus imperfectus euadat.

318 At in sententia Caietani, & suorum ista componi nequeunt. Nam, cùm formalitas, qua constituunt actum Dei liberum, ex vnâ parte non possit non esse perfectio formalis, vt argumenta à nobis supra contra illos facta demonstrant, & ex aliâ parte sit formaliter identificata cum Deo: non potest non reddi Deus per illam perfectus formaliter; eo quòd non potest non Deus formaliter perfici à perfectione formali, quæ formaliter, atque simpliciter est ipsemet Deus. Cùm que alioqui talis perfectio ponatur formaliter defectibilis, eoque titulo imperfecta; necessariò sequitur; tum Deum per illam partim perfectum, & partim imperfectum reddi; tum aliquam perfectionem Dei reuerà ipsum perficientem deficere posse; atque ita ipsum minùs perfectum esse posse sine ipsâ, quàm est cum ipsâ. Quæ omnia planè sunt absurda ex dictâ sententiâ sequuta. A quibus tamen sententia nostra, vt vidimus, immunis est.

319 Pergo ad soluenda quædam alia longè leuiora, quæ nonnulli solent objicere. Primum sic. Contingentia, quam diuina volitio sortitur à voluntate diuinâ, dum virtualiter ab eâ producitur vt a principio indifferente tantùm est virtualis. Sed in eiusmodi contingentia actus secundi à primo consistit libertas. Ergo libertas tum volitionis, tum voluntatis Dei tantùm est virtualis. Ergo Deus in volendo non est liber formaliter. Distinguo maiorem. Contingentia, quam diuina volitio sortitur à voluntate diuinâ &c. quoad entitatem tantùm est virtualis concedo; quam sortitur quoad denominationem; nego. Et, concessâ minore; distinguo consequens. Ergo libertas tum volitionis, tum voluntatis quoad entitatem volitionis tantùm est virtualis; concedo; quoad denominationem volentis nego. Et nego secundam consequentiam. Itaque voluntas diuina indifferens in actu primo ad producendam, vel non producendam virtualiter volitionem eo ipso est indifferens ad ponendam, vel non ponendam in rerum naturâ formaliter denominationem volentis; dumque se ad producendam virtualiter ipsam volitionem determinat, pariter se determinat ad ponendam formaliter denominationem volentis, atque ita exercitium libertatis, quod respectu entitatis volitionis tantùm est virtuale, respectu denominationis volentis formale est. Quæ omnia exdictis hactenus satis sunt nota.

320 Deinde objicitur. Forma communicata subiecto capaci nequit ei non dare suam denominationem; quia hæc non est aliud, quàm forma communicata subiecto capaci. Sed volitio Dei nequit non esse summè per identitatem communicata subiecto capaci. Ergo nequit ei non præstare suam denominationem. Distinguo maiorem. Si forma non est defectibilis virtualiter; concedo; si est; nego. Eodemque modo probationem. Et concessâ minore; nego consequentiam.

321 Præterea objicitur. Ex productione verè, & formali oriundâ ab intellectu diuino, & ex productione verâ, & formali oriunda à voluntate diuinâ resultat in Deo Trinitas personarum. Ergo ex productione virtuali cognitionis, & volitionis diuinæ ab intelectu, & voluntate Dei emanante resultabunt in Deo tot virtuales personæ, quot sunt actus cognitionis, & volitionis virtualiter producti, totque subinde Filij, & Spiritus sancti virtuales. Quod est absurdum. Nego consequentiam. Quia Cognitio tanti Trinitati communis non est verbum propriè, vt est secunda Trinitatis persona; nec volitio est amor per modum termini, vt est tertia; nec productio virtualis, qua tales actus producuntur, est virtualis personalitas, aut secum fert virtualem personalitatem incommunicabilem alteri personæ vllo modo. Vnde eiusmodi actus neutiquam personæ virtuales vocari possunt.

Denique objici potest. Ideo ponimus in 322
Deo productionem virtualem intellectionis, & volitionis; quia dantur in Deo prædicata, quæ absque productione formali nequeunt saluari in creaturis. Sed identitas trium cum vno tertio nequeunt in creaturis saluari absque identitate formali eorum trium inter se. Ergo etiam debemus admittere in Deo identitatem, seu vnitatem virtualem trium personarum. Nego antecedens. Quia productio virtualis non ponitur in Deo propter omnia prædicata, quæ absque productione firmali nequeunt in creaturis saluari; sed tantùm propter ea, quæ in ipso Deo nequeunt sine contradictione saluari absque virtuali productione. Nullum autem Dei prædicatum cogit ad ponendam vnitatem virtualem inter personas diuinas. Quanuis sint prædicata, quæ cogant ad ponendam distinctionem virtualem inter personalitates, & essentiam. Quam subinde iam ponimus.

Mitto alia, quæ facilè ab vno quoque dis- 323
solui poterunt ex his, quæ prolixiùs tortasse, quàm par esset, produximus, vt abstrusum diuinæ libertatis mysterium tantillum saltem declaremus. Quod si non præstitimus; quia mysterium est ineffabile: certè viam planiorem ad reliquam Theologiam strauimus; terminosque, & modos obtulimus, quibus de tanto mysterio & digniùs loqui, & expeditiùs in Scholis disputare possimus.

Quæ autem scripsimus de voluntate liberâ 324
Dei, pariter sunt intelligenda de scientia liberâ; nisi, quòd scientia in se ipsâ libera non est; quia intellectus, aquo prodit, non est potentia libera, sicut voluntas. Dicitur tamen libera, quia contingenter obuenit Deo à contingentiâ obiecti; per cuius positionem intellectus diuinus determinatur ad producendum virtualiter actum scientiæ, quo tale obiectum est cognoscendum, eâ ratione, qua voluntas à se ipsâ determinatur ad producendam volitionem, qua liberè volitura est aliquid, iuxta doctrinam traditam.

QVAESTIO V.

Vtrùm Deus libertatem suam per puram actus omissionem exercere possit.

QVæstio hæc eadem est cum illâ communi. 325
An sit posibilis voluntati Dei pura omissio libera. Quam eamdem circa voluntatem creatam tractaui disp. 30. q. 7. Pro cuius resolutio-

ne suppono primò, sicuti ibi, puram omissionem dici communiter, quæ nulli actui coexistit cum ipsâ connexo, oppositoque subinde, siue inconiungibili actui per ipsam omisso: quidquid sit de ipsius coexistentiâ cum alijs quibusque actibus actui omisso non oppositis, atque adeò neque connexis cum omissione ipsâ. Sed est aduertendum, idcirco dici ab Auctoribus, omissionem puram, quæ nulli actui coexistit cum ipsâ connexo; quia supponunt, quando adest talis actus, omissionem ab eo causari, ab eiusque libertate mediatè euadere illam liberam. Cæteroquin, si semel statuatur, omissionem liberam nec causari, nec participare suam libertatem ab actu connexo cum ipsâ, nihil erit, quod vetet, eam puram dici, quod attinet ad propositum; quantumuis ea eiusmodi actui quasi peraccidens coexistat.

326 Suppono secundò, in hac quæstione non solùm esse sermonem de omissionibus actuum voluntatis diuinæ, qui immediatam libertatem à voluntate ipsâ possunt habere, sed etiam de omissionibus actuum externorum prouenientium ab omoipotentiâ, qui liberi etiam possunt Deo esse siue mediatè, siue immediatè.

327 Suppono tertiò tanqnam ab omnibus suppositum in præsenti quæstione, omissiones actuum in puris carentijs, seu negationibus ipsorum actuum ab omni conceptu positiuo condistinctis consistere iuxta doctrinam communem de negationibus à nobis stabilitam in Pharo Scient. disp. 9, q. 3. Alioquin, si omissiones actuum in positiuis impedimentis ipsorum actuum consisterent, vt de negationibus vniuersè opinati sunt Recentiores aliqui ibidem impugnati, hæc quæstio locum non haberet, vt constat.

328 Circa eam ergo prima, & satis communis sententia est negantium, puram omissionem liberam Deo esse possibilem. Pro qua sunt Soar. disp. 30. Metaph. sect. 9. & lib. 3. de Auxil. cap. 13, Vazq. 1. p. q. 79. cap. 3. Arrub. disp. 56. cap. 2. Herice disp. 19. cap. 5. Granad. tract. 3. de Volunt. disp. 6. Ruiz disp. 8. de Volunt. sect. 3. Alarc. tract. 3. disp. 4. cap. 1. & 3. Moerat. disp. 31. de Deo sect. 2. Carmelit. Salmant. disp. 7. dub. 3. Ioan. a S. Th. disp. 4. Hemelm. tit. 6. disp. 2. cap. 6. Veken. disp. 24. cap. 3. Quiros disp. 67. Ribaden. disp. 19. de Volunt. & apud eos alij. Secunda sententia est asserentium, Deo puram omissionem liberam possibilem esse. Pro qua stant Albertin. Princip. 4. philos. q. 4. Theolog. dub. 2. Gasp. Hurt. disp. 2. de Volunt. diff. 3. Martinon disp. 14. de Deo sect. 1. Carleton 1. p. disp. 27. sect. 9. Ripalda in manuscrip. de Volunt. disp. 10. à num. 4. & tom. 2. de Ente supern. disp. 74. sect. 4. num. 41. & plures Recentiores. Et consentire videntur Alexan. 1. p. q. 34. mem. 4. S. Bonauen. in 1. dist. 45. art. 1. q. 2. Curiel lib. 1. controu. 7. art. 3. Fasol. 1. p. q. 14. art. 13. dub. 16. num. 282. & Albelda disp. 52. sect. 2.

329 Procedit autem quæstio hæc vniuersè in sententijs tum Connotantium, tum non Connotantium, dequibus q. præced. Verùm, cùm Connotantes communiter censeant, iuxta sententiam suam necessariò esse Deo negandam puram omissionem liberam. Arriaga nihilominùs 1. p. disp. 28. num. 40. & 41. ex aduerso arbitratur, potiùs necessariò esse concedendam circa non entia. Mouetur. Quia iuxta eam sententiam, cùm Deus constituatur volens ens per existentiam eius, nequit constitui nolens ens positiuè per eius carentiam. Sed tantùm non volens omissiuè: nam defectus formæ solùm inducit defectum effectus formalis eius; non item effectum formalem formæ oppositæ; vt cernere est in defectu frigoris solùm reddente subiectum non frigidum, non verò item calidum, nisi adijciatur insuper forma calidi. Tum quia iuxta eam sententiam omissio externa entis nequit non esse immediatè libera Deo; neque aliquid dari potest intra Deum connexum cum illâ. Ergo nequit non esse pura omissio libera. Quid ego circa hæc omnia sentiam, sequentibus propositionibus exponam.

Propositio 1.

Iuxta sententiam Connotantium pura omissio libera actus voluntatis diuinæ impossibilis est. Omissio verò libera actionis externæ omnipotentiæ oriunda à solis necessarijs Dei non potest non esse ipsi Deo immedatè libera, & pura. Coniunctio tamen horum duorum vnum est ex absurdis, quæ secum fert ea sententia. 330

Tres partes habet propositio. Incipio à secundâ, quæ prorsus est certa. Pro cuius intelligentiâ noto, stando in sententiâ Connotantium, actionem externam omnipotentiæ aliam esse oriundam à solis prædicatis Dei necessarijs, quin aliud quidpiam contingens ad illam concurrat vllo modo: aliam esse oriundam à Deo, & ab alio quopiam contingente aliquo modo concurrente simul cum Deo ad illius existentiam. Tantumdemque venit dicendum de omissione actionis externæ omnipotentiæ; quæ vel à solis Dei necessarijs, vel insuper ab aliquo contingente potest procedere. Et quidem, si vel actio, vel actionis omissio sit posterioris generis, bene poterit ea causari à Deo sine immediata libertate: quod tunc euenit, quando id contingens, quod simul cum omnipotentiâ immediatè ad illam concurrit, metaphysicè cum ipsâ connexum est, vt si Deus ad aliquam actionem, vel omissionem causandam moueatur per scientiam de obiecto contingente connexo cum illâ: in huiusmodi enim casu potentia proxima actionis, vel omissionis ratione illius contingentis inclusi in se connexa euadet cum actione, vel omissione, atque adeò necessitata ad ipsam iuxta generalem doctrinam statutam disp. 30. q. 5. propositione 11. totaque proinde libertas actionis, vel omissionis mediatè erit participata à libertate illius contingentis inclusi in potentiâ proxima eius. Quare de omissione liberâ huius posterioris generis non est semo in secundâ parte propositionis; sed tantùm de omissione liberâ prioris generis, quæ à solis prædicatis Dei necessarijs procedit.

Hanc autem non posse non esse Deo immediatè liberam, & puram, est manifestum. Quia, cùm prædicata Dei necessaria ab omni contingente sint absoluta, potentia proxima ad omissionem prædictam ex eis solis constans nequit non absoluta esse ab ipsâ omissione, atque adeò indifferens ad vtrumuis; ipsaque omissio proinde ne- 331

nequit non à tali potentiâ procedere immediatè libera, & pura. Itaque, quoties Deus liberè agit, aut omittit ad extra, & nihil connexum eum existentiâ actionis, vel omissionis eius (quale solum potest esse quidpiam contingens; quia necessaria cum contingentibus connexa esse nequeunt, vt constat) simul cum eius omnipotentiâ concurrit immediate ad talem actionem, vel omissionem concursu aliquo vel physico, vel morali, vel intentionali, (vt plerunque defacto euenit), nequit non talis actio, aut omissio euadere immediatè libera, ipsaque subinde omissio insuper pura, iuxta Connotantium sententiam, vt apud omnes, & apud ipsosmet est certum. Quo pars secunda propositionis comperta manet.

332 Prima autem probatur. Quia iuxta Connotantium sententiam, cùm actus internus, ac necessarius voluntatis diuinæ sit quasi conditionata volitio omnium volibilium, si ponantur, & quasi conditionata nolitio omnium nolibilium, si non ponantur: sicut, posito quouis obiecto, nequit iam non denominare Deum volentem illud; ita, non posito, nequit iam non denominare Deum illud nolentem. Cùmque inter esse positum, & non esse positum quoduis obiectum non detur medium, conficitur, nec dari medium inter vlle Deum, & nolle Deum positiuè quoduis obiectum, Quod ipsum est, esse impossibile iuxta dictam sententiam, vt detur in Deo pura omissio aut volitionis, aut nolitionis; vt dicta pars prima propositionis fert.

333 Nec illi quidpiam præiudicat argumentum ex Ariaga propositum num. 329. Nam iuxta sententiam omnium, quam ipse negare non potest, multæ sunt denominationes, quæ positiuæ censentur, etsi negatione aliquâ compleantur; eo quòd pleraque, & præcipua fundamenta earum sunt positiua: Talis est denominatio liberæ in voluntate per carentiam prædeterminationis completa; tales sunt denominationes perfecti, & pulchri completæ per carentias redundantium, quæ si adessent, subiectum redderent imperfectum, & fœdum; talis est in cognitione denominatio falsæ completa per carentiam obiecti; talis est in quantitate denominatio minoris alterâ completa per carentiam partis, qua redderetur illi æqualis; & aliæ huiusmodi sexcentæ. Hinc autem consequentur efficitur, vt multæ denominationes contrariè oppositæ censeantur tanquam extrema positiua, quæ penes extrema tantùm contradictoria inclusa in ipsis euadunt oppositæ inter se; sic contrariè oppositæ censentur in voluntate denominationes necessitatæ, & liberæ; & tamen earum oppositio inde tantùm prouenit, quòd primam prædeterminatio, secundam autem carentia præ determinationis constituit, vltra fundamenta cætera ambabus communia; sic denominationes fœdæ, & pulchræ contrariæ censentur in manu, etsi dumtaxat differant, quòd prima includit sextum digitum, & secunda carentiam eius. Tantumdemque venit dicendum de denominationibus veræ, & falsæ in cognitione, æqualis, & minoris in quantitate, de cæteris que huiusmodi. Sic igitur in nostro proposito denominationes volentis, & nolentis in Deo respectiuè ad idem obiectum contrariè opponuntur iuxta sententiam Connotantium; licèt penes id dumtaxat inter se differant, quòd prima per ipsum obiectum, secunda autem per eius carentiam compleantur. Ex quibus argumenti propositi patet solutio. Exemplum autem in eo adductum de denominationibus frigidi, & calidi simile non est, vt ex se patet.

Verùm contra eamdem primam propositionis partem adhuc potest opponi ex doctrinâ eorum Connotantium modernorum, qui per peculiares modos productos à Deo complent volitiones, aut nolitiones diuinas de obiectis distinctis ab ipsis modis, vt vidimus quæst. 4. Stãdo enim in istâ doctrinâ; cùm possit Deus simul omittere modum completiuum volitionis de obiecto A, & modum completiuum oppositæ nolitionis de eodem obiecto, poterit vtique circa illud purè omissiuè se habere. Respondeo primò, doctrinam istam de dictis modis à communi Connotantium, in qua propositio nostra procedit, exorbitare: atque ita, quidquid in eâ foret possibile, non esset contra nos. Respondeo secundò iuxta argumentum factum à nobis contra illam quæst. 4. adhuc admissis volitione, & nolitione de obiecto A completis per modos diuersos, debere insuper admitti iuxta sententiam Connotatorum alteram volitionem de eodem obiecto A completam per ipsius existentiam, & alteram nolitionem completam per carentiam eius. Quibus admissis, firma persistit impossibilitas puræ omissionis circa illud, vt constat ex dictis. 334

Iam esse absurdum, quòd detur in Deo pura omissio actionis externæ, & nequeat dari pura omissio actus interni voluntatis, vt fert pars tertia propositionis; inde constat; quia ex horum duorum coniuncto innumeræ sequuntur repugnantiæ, siue contradictiones. Primò enim; cùm omissio externa ab actu interno voluntatis procedens eo ipso pura non sit, pura omissio externa à purâ omissione internâ actus voluntatis procedere debet: quod in nostro casu repugnat; vbi pura omissio interna actus voluntatis est impossibilis: & nihilominùs in casu nostro omissio externa pura est. Vndè secundò in casu nostro omissio externa & est pura, vt ostendimus, & non est pura: quia procedit ab actu voluntatis interno contra naturam puræ omissionis. Tertiò. Libertas omissionis externæ à voluntate debet descendere vel mediâ omissione internâ liberâ, vel medio actu interno libero. Sed neutrum euenit in nostro casu; vbi causa immediata omissionis externæ nec est omissio interna liberâ, nec actus internus liber, sed potentia constans ex solis prædicatis necessarijs Dei, vti monstrauimus. Igitur in casu nostro omissio externa & est libera, vt est ostensum; & non est libera; quia à voluntate non descendit libertas eius. Quartò. Nolitio interna Dei completa per omissionem externam à solâ huius libertate euadit libera, & imputabilis Deo. Sed Deus libertatem hanc dumtaxat exercet in tempore; secus ab æterno. Ergo Deus suam nolitionem internam nec liberè, nec imputabiliter concipit ab æterno. Tantumdemque venit dicendum de quolibet alio actu libero voluntatis diuinæ. Quod tamen Scripturæ sacræ, atque etiam rationi aduersum est. Mitto cætera, quæ ex latè productis quæst. 4. contra sententiam Connotantium deduci possunt ad propositum. 335

Pergoque ad resoluendam absolutè quæstionem iuxtà sententiam non Connotantium, quam ego dictâ q. 4. amplexatus sum. Iuxta quam, præsertim prout à me explicatam ibi, sit absolutè iam loquendo. 336

Propositio 2.

Possibilis Deo est pura omissio libera, non solùm cuiusuis actus interni liberi voluntatis eius, sed etiam omnium simul.

337 Probatur hæc propositio primò. Quia, vt supra disp. 30. quæst. 6. propos. 2. est vniuersè stabilitum, impossibile est, vt voluntas immediatè sit libera ad duos actus oppositos vnà libertate contrarietatis, quin sit etiam immediatè libera ad ipsos, & omissiones eorum duabus libertatibus contradictionis. Ergo; cùm voluntas diuina immediatè sit libera vnà libertate contrarietatis ad volitionem, & nolitionem oppositam, vt apud omnes certum est; nequit non habere ea duas immediatas libertates contradictionis, alteram ad volitionem, & eius carentiam, alteramque pariter ad nolitionem, & carentiam eius. Ergo imprimis nequit non esse possibilis illi pura omissio libera, si talis vocetur, quæ immediatè est libera, neque causata per actum oppositum actui omisso, adhuc, quando ei quasi per accidens coexistens est iuxta notationem præmissam num. 325. Deinde, semel statuto, quòd voluntas diuina proximè libera ad causandam volitionem, vel nolitionem proximè quoque libera est ad causandam omissionem volitionis sine iuuamine nolitionis, & independenter ab ea, non est, cur non possit causare illam, prætermissà etiam nolitione. Quod si præstet, duas amissiones habebit in omni sensu puras, & liberas.

338 Quod si dicant Aduersarij (vt certè dicunt, aut supponunt communiter) contra id, quod ego suppono stabilitum loco citato, voluntatem proximè liberam ad actus contrarios non habere libertatem proximam ad eorum omissiones: quia omissionem vniuscuiusque medio altero tantùm, non verò per se immediatè causare potest; in malus recidunt absurdum; sic enim omnem libertatem voluntatis è medio tollunt. Nam, vt aliàs argumentatus sum cõtra eos disp. 30. q. 6. à n. 237. & q. 7. n. 269. si volũtas omissionem volitionis nõ aliter, quàm mediâ nolitione, causare potest, consequens est, vt nolitio constitutiuum sit requisitum potentiæ proximæ ad omissionem volitionis, qua proinde potentiâ proximâ carebit voluntas, quotiescunque nolitione caruerit. Sed, quando voluntas elicit volitionem, nolitione caret. Ergo, quando voluntas elicit volitionem potentiâ proximâ caret ad amissionem eius. Ergo non liberè, sed prorsus necessitata ad ipsam elicit illam. Siquidem, vt ex se, & ex demonstratis à nobis in Pharo Scient. disp. 8. quæst. 4. est manifestum, qua ratione subiectum ad vnum ex duobus actibus contradictorijs impotens est, ad alterum necessitatum est. Posito autem, quòd voluntas, quando elicit volitionem, necessitata sit ad illam, non solùm contradictionis, sed etiam contrarietatis libertate careat, necesse est. Quia, vt ex demonstratis item loco citato, atque etiam ex se est notum, subiectum necessitatum ad vnum actum, ad quemuis alium illi oppositum seu contradictoriè, seu contrariè impotens manet. Concluditur ergo, per Aduersariorum doctrinam omnem libertatem voluntatis è medio tolli. Quod erat probandum.

339 Hinc sequitur, nullam libertatem dari posse in voluntate siue diuinà, siue creatà absque libertate contradictionis immediatà; de conceptuque proinde cuiusuis libertatis esse, necessariò ferre secum potentiam ad purè omittendum, vt etiam quæst. 7. citatà num. 272. arguebamus: si tamen omnis omissio immediatè libera pura dicenda sit, aut certè, si eo ipso, quòd voluntas per se immediatè potest omittere quemlibet ex duobus actibus contrarijs sine iuuamine alterius, consequenter dicendum est, vt videtur, posse ambos simul omittere, quando aliunde non constat, esse eam antecedenter necessitatam ad alterutrum necessitate disiunctiuà, vti in proposito nostro non constare, notescet ex dicendis.

340 Probatur secundò iam propositio. Quia ad perfectionem libertatis, dominijque Dei pertinet, posse eum omittere simul omnem omnino operationem suam externam liberam. Ergo etiam posse omittere simul omnem omnino actum sui internum liberum. Antecedens est certissimum; nec, saluâ fide, negari potest. Consequentia autem probatur. Quia tota ratio, propter quam tanta amplitudo libertatis, dominijque circa opera externa pertinet ad perfectionem, Dei est, quia Deus à suis dumtaxat necessarijs ita habet, esse sibi sufficiens, & plenè perfectus, vt neque per vllum bonum sibi contingens, & accessorium possit vllatenus perfici, aut quoquo modo meliorari; neque per vllum malum sibi contingens, & accessorium vllatenus inficì possit, aut quoquo modo deterior fieri, prout constat ex latè demonstratis tom. 1. tum disp. 4. quæst. 2. tum maximè disp. 16. q. 2. Ex hac enim prærogatiuà Dei legitimè nascitur, vt Deus neutiquam possit esse necessitatus, adhuc necessitate vagâ, seu disiunctiuà ad amplectandum, siue ad existentiâ donandum aliquod bonum sibi contingens, & accessorium: sicut neque ad repudiandum, impediendumve ab existentiâ aliquod malum accessorium pariter, & contingens. Sed ratio hæc planè est cõmunis omnibus omnino contingentibus, quales sunt tam actus interni liberi Dei, quàm eius operationes liberæ externæ. Ergo æquè est Deus liber ad omittendum simul omnem omnino suum actum internum liberum; ac liber est ad omittendam omnem omnino suam operationem externam liberam. Quo disparitates omnes, quas ad rem adferunt Aduersarij vno ictu manent explosæ.

341 Hinc tertiò probatur propositio ab absurdo. Quia, si Deus esset necessitatus ad volendum, vel positiuè nolendum efficaciter existentiam cuiusuis entis possibilis à se distincti, vt Aduersarij volunt. Deus esset connexus suapte essentiâ cum disiuncto huiusmodi volitionis, & nolitionis, & medio illo cum disiuncto existentiæ, & negationis cuiusuis entis distincti à se, cum quo tale disiunctum volitionis, & nolitionis ob efficaciam suam est essentialiter connexum. Hoc autem, me quidem iudice, absurdum est, contrà doctrinam latè probatam tom. 1. disp. 4. quæst. 2. de omnimoda connexione Dei cum omni veritate obiectiuà distincta à se, quantumuis necessariâ.

342 Sed dicet aliquis, hoc argumentum eâdem vi contra nos, & contra omnes venire retorquendum. Quia nemo negare potest, esse Deum liberum libertate contradictionis ad volitionem efficacem de quouis ente possibili, vel illius omissionem: & consequenter necessitatum ad disiunctum talis volitionis, & omissionis eius; siquidem ambobus contradictionis extremis nequit si-

nul

mul carere. Cùm ergo tale disiunctum cum disiuncto ex ente volito, & eius carentiâ connexum sit: quia neque volitio sine ente volito; neque carentia volitionis sine carentiâ entis possunt existere: Deus erit connexus mediatè cum eodem disiuncto. Et redit contra omnes absurdum illatum per argumentum factum. Respondeo tamen, apud Aduersarios, cùm necessitas ad disiunctum volitionis, & nolitionis (quod aliàs necessarium in se non esset) requiratur tanquam maior perfectio Dei, non posse non ferre secum connexionem Dei intrinsecam cum ipso disiuncto, & consequenter cum obiecto eius. Apud nos verò necessitas ad disiunctum volitionis, & carentiæ eius semiextrinseca Deo est, prouenies à necessitate, quàm aliàs in se habet tale disiunctum; (eo quòd duo contradictoria de suo habent non pati medium); nullamque proinde arguit intrinsecam connexionem cum ipso disiuncto, atque adeò nec cum eius obiecto, vt etiam ex doctrinâ datâ disp. 4. quæst. 2. citatâ constat. Propterea dicebamus ibi num. 50. solam libertatem radicalem esse perfectionem Dei intrinsecam, adeòque simpliciter simplicem; non item libertatem proximam, quæ iuxta dicta disp. 30. quæst. 5. propos. 5. possibilitatem actuum liberorum fert secum; à qua Deus absolutus est. Ex quibus patet, absurdum quod inferebamus numer. præced. contra nos non habere locum: contra Aduersarios verò firmius adhuc persistere.

343 Quartò probatur propositio. Obiectum creatum, cùm non habeat illimitatam bonitatem, neque malitiam, sed limitatam, nullam voluntatem, nedum diuinam, necessitare valet ad sui volitionem, vel nolitionem determinatè, aut ad alterutram disiunctiuè, sed tantùm inuitare ad illas. Ergo quæuis voluntas, etiam diuina, poterit vtrumque actum circa illud simul omittere; atque ita vtriusque omissionem puram, & liberam habere. Responsio communis est. Necessitatem voluntatis diuinæ ad volendum, vel nolendum sub disiunctione obiectum creatum non ex obiecti meritis prouenire, sed ex ipsius voluntatis perfectione infinitâ, quæ talem necessitatem vendicat sibi. Ast hoc falsum esse, iam constat ex dictis, & ampliùs ex dicendis constabit. Aliter ex Quiros respondetur, voluntatem Dei, si non à bonitate finitâ obiecti creati, à bonitate tamen infinitâ suorum actuum, quos circa illud habere potest, necessariò trahi, ita, vt non possit eos non velle efficaciter, vel per ipsosmet, vel per reflexos. Quo fit, vt nullius eorum possit omissionem puram habere. Verùm, quàm etiam falsa sit hæc doctrina, ex dicendis paulò infra apparebit.

344 Quintò probatur. Deus eumdem effectum à se efficaciter volitum ex vno motiuo, ex alijs pluribus, & diuersis potuit efficaciter velle, ex quibus de facto non voluit, vt est certissimum. Ergo earum omnium volitionum efficaciam de tali effectu possibilium puras, & liberas omissiones habet: siquidem nullam de tali effectu habet, aut habere potest de facto efficacem nolitionem, à qua tales omissiones euaderent non puræ. Similiter iuxta dicta disp. 28. quæst. 7. & dicenda disp. 34. quæst. 8. Deus multa decreta conditionata ex parte obiecti non habet, quæ posset habere circa veritates conditionatas obiectiuas, quæ reuerà dantur, nolitionesque proinde de se talibus decretis contrarias secum non compatiuntur. Igitur taliũ decretorũ omissiones etiã sunt puræ, & liberæ. Recurrere enim, vt reddantur illæ, & aliæ non puræ, ad reflexas nolitiones de actibus, quorum sunt omissiones, imponereque necessitatem voluntati diuinæ ad huiusmodi reflexas nolitiones habendas, vti Aduersarij faciunt: effugium profectò videtur ex occasione arreptum, & parum tutum: præsertim, cùm non desit ex ipsis Aduersarijs, qui putet, Deum non posse reflexè nolle suos actus internos: ita enim censet Quiros disp. 67. citatâ num. 25.

Sextò probatur. Pleræque saltem volitiones directæ Dei per imperium voluntatis reflexum possunt ab eo imperari, quæ tamen omnes de facto non imperantur, vt probabimus disp. 34. quæst. 10. Ergo Deus omissiones puras huiusmodi imperiorum habet. Dici enim non potest illas omnes, ne maneant puræ, per alia imperia reflexa imperari. Quod aliqui probant; quia daretur progressio infinita imperiorũ inter se subordinatorum: quòd tamen impossibile est. Ego verò hac probatione non vtor, vtpote supponente, nullum esse imperium non imperabile per alterum; quod falsum, & absurdum esse, loco citato ostendam. Sed id probo; quia, vt constabit ex dicendis ibidem, sicuti necessariò deueniendum est ad imperium non imperabile per alium, ita quoque necessariò est deueniendum ad omissionem non imperabilem per vllum imperium; quæ proinde non poterit non esse pura. 345

Septimò. Sume collectionem omnium actuum voluntatis liberorum, quos Deus habet de facto. Inquiroque. Vel Deus potuit tali collectioni aliquem alium actum adijcere; aut aliquem ab eâ detrahere eorum, quos continet. Vel neutrum efficere potuit. Si primum. Ergo Deus puras omissiones habet de facto eorum actuum, quos dictæ collectioni potuit adijcere, & non adiecit; puraſque pariter omissiones potuit habere eorum actuum, quos ab eâ collectione potuit detrahere. Esse enim puras omissiones, quæ remouent actus cum cæteris, quos Deus habet compatibiles, manifestum est. Asserere autem secundum, & durum videtur, & incredibile. Quis enim credat, Deum, qui liberrimè potuit collectioni suarum creaturarum quaslibet creaturas adijcere, vel detrahere; circa collectionem suorum actuum liberorum tantumdem facere non potuisse? Aut quis non videat, id esse plùs, quàm oportet, coarctare voluntatem diuinam? Certè non posse vnum actum omittere, nisi alterum subrogando, à quo reddatur non pura omissio prioris, vel in nobis esset imperfectio, & quoddam seruitutis genus; nedum in Deo. 346

Octauò. Fundamentum præcipuum, aut ex præcipuis negandi puram omissionem liberam Deo est, ne ipse exercitium liberum voluntatis habeat aut non honestum moraliter, aut minùs honestum, quàm habere potest per actum: quia id videtur imperfectio diuinitati indigna. Sed hoc fundamentum inane est. Ergo. Probo minorem. Aut duo actus oppositi, ad quorum alterutrum ponunt Aduersarij Deum necessitatum, quo vitent puram omissionem, sunt de suo æqualiter boni, aut inæqualiter. Si primum. Nentrius electio erit Deo honesta moraliter. Quia, vt ex communi Theologorum ostẽdemus disp. 35. quæst. 1. proposit. 18. libertas puræ electionis inter extrema æqualia inepta est ad imputationem moralem; eo videlicet, quòd vtriusuis talium extremorum electio in ordine ad moralem imputa- 347

tionem

tionem æquiualenter non est libera, vt vberiùs ibi exponemus. Vnde Deus iuxta talem positionem omnino erit impotens ad operandum honestè moraliter. Quod longè maiorem præsefert imperfectionem, quàm non operari de facto honestè per puram omissionem. Si autem dicatur secundùm; non euitabitur inconueniens. Quia Deus ob eamdē rationem non operabitur honestè moraliter, eligendo actum minus bonum; & tamen potest illum eligere. Tum, si eligat meliorem necessitatus ad alterutrum, minùs benè moraliter operabitur, quàm si potens ambos simul omittere eligeret illum. Concluditur ergo. Aut non habere Deum potentiam ad operandum vllo modo honestè moraliter, seu imputatiuè: quod dici nequit. Aut posse eum omittere penitus totam honestatem actus moralis, quam exercet imputatiuè; sicque habere exercitium liberum non honestum moraliter. Quo posito. Quid interest, illam aut per puram omissionem actus, aut per actum minùs bonum omittere posse? Imo satiùs est, posse per puram omissionem. Quo posito actus elictus, non solùm quoad excessum, quo superat oppositum; sed quoad longè maiorem, quo non potest non puram omissionem excedere, simpliciter liber, & imputabilis euadere.

348 Venio iam ad diluenda argumenta, quæ contra doctrinam nostram opponunt Aduersarij. Primò sic. Omissio pura multas inuoluit imperfectiones. Imprimis enim est malum quoddam physicum; cum sit carentia actus positiui, quod bonū quoddam physicū est. Deinde est imperfectè voluntaria; cùm sit ipsum non esse actus perfectè voluntarij: aut certè, estò sit voluntaria, & libera, minùs tamen perfectè, quàm actus. Præterà nequit esse honesta: quia nullum motiuum, à quo honestatem sortiri possit, respicit intrinseco respectu. Denique, estò esset honesta, longè tamen minùs honesta esset, quàm, si non esset pura. Igitur omissio pura neutiquam potest conuenire Deo. Qui nec vllam imperfectionem potest subire, nec minùs perfectè, minùsque honestè operari valet.

349 Respondeo, omissionem puram in Deo nihil imperfectionis ei repugnantis continere. Et primum, quòd omissio pura malum quoddam physicum sit, quatenus est carentia actus physicè boni, sicut non tollit, posse eam à Deo imperari sub aliquà ratione boni, vt Aduersarij confitentur; ita multò minus tollet, posse eam à Deo immediatè, atque adeò cum immediatà libertate permissiuo modo causari. Porro negationes puras in vniuersùm suas respectiuas bonitates habere posse, ex dictis à nobis tom. 1. disp. 15. quæst. 9. compertum est. Non est autem in Deo imperfectè voluntaria omissio pura: quia à principio intrinsèco perfectissimo, & cum perfectissimà cognitione (vnde ratio voluntarij desumitur) procedit. Esse autem eam minùs perfectè voluntariam ex genere suo, quàm actum positiuum, nihil obstat. Quia non omnia exercitia Dei libera æquè perfecta debent esse, vt constabit ex dicendis disp. 35. quæst. 2. Nec mirum, cùm ne attributa Dei necessaria formaliter, & ex genere suo sint æquè perfecta, prout est statutum tom. 1. disp. 16. quæst. 5. Vnde patet, nec esse inconueniens, quòd sit omissio pura in Deo minùs honesta, quàm, si non esset pura.

Vtrùm autem honesta absolutè esse debeat, 350 sub lite est inter Auctores nostræ sententiæ. Ego cū doctis Recentioribus censeo, puram omissionē in Deo per se, & de suo honestam non esse; atque adeò posse eam à Deo absque honestate vllà exerceri: neque id esse incommodum. Quia Deus solùm tenetur honestè operari, quando verè operatur; non item, quando operari definit, vt se gerit, quando purè omittit. Cui doctrinæ consentit Carleton. 1. p. disp. 27. supra citatà sect. 10. num. 3. Quia tamen pura omissio in Deo (sicut & in nobis) ab exerinsecis motiuis honestari potest, in voluntateque diuinà positū est, ab illis eam honestari de facto tantà, vel tantà honestate, prout sibi placuerit; idcirco pura omissio à Deo aut absque vllà omnino honestate, aut absque vllà honestate imputabili, aut cum aliquà imputabili tantà, vel tantà, prout ipsi arriserit, exerceri potest. Etenim propter solam libertatem puræ electionis, quam potest in Deo habere pura omissio cum actu honesto, cui opponitur, etiamsi participet honestatem à motiuo extrinseco, ea imputabilis non erit, nisi sit maior, quàm honestas ipsius actus, quem excludit; & tunc dumtaxat quoad excessum. Honestas autem non imputabilis perinde ad rem se habet, ac, si non esset. Quæ omnia infra disp. 35. quæst. 1. propositi. 31. explicanda, atque probanda à nobis sunt. Videantur ibi.

Modò autem ex eis infertur primò, etiam 351
in Aduersariorum sententiâ necessariò dicendum esse, ex actibus contrarijs ad quos ipsi voluntatem diuinam disiunctiuè necessitatam ponunt, eum, qui non excedit de suo alterum in honestate, perinde se habere, ac si honestus non esset. Quandoquidem iuxta communem, veramque commemoratam doctrinam Deus eligendo illum, vt potest, neutiquam honestè moraliter, imputatiuèque operabitur. Ex quo patet, in omni sententiâ tam negantium, quàm concedentium, Deo possibilem puram omissionem, necessariò dicendum esse, Deum exercitium liberum, & non honestum moraliter habere posse, prout aliàs etiam dicebamus num. 347.

Vnde secundò infertur; posito, quòd omis- 352
sio pura omni honestate sit destitura per se, & de suo, seclusis motiuis extrinsecis, secus verò actus positiuus quoad honestatem non excedens oppositum, cum quo cadit sub libertatem puræ electionis; in longè maiorem perfectionem libertatis Dei cedere assertionem possibilitatis puræ omissionis, quàm negationem eius. Quia, si Deus ad neutrum ex actibus oppositis necessitatus est, sed vtrumque potest purè omittere tota honestas eius, quem elegerit erit ipsi imputabilis. Si verò necessitatus est ad alterutrum, eligendo minùs honestum, nihil honestatis ipsi imputabitur, eligendo autem magis honestum, solus imputabitur excessus. Longè igitur magis honestè operari potest, si potest purè omittere, quàm si secus.

Adde consentaneè ad argumentū factū secundo 353
loco num. 340. vt pertinet ad perfectionem diuinam, omni honestate contingente externorum suorum actuum carere posse; ita etiam pertinere ad eamdem, carere posse omni honestate contingente suorum actuum internorum. Siquidem nihil contingente, qualis est omnis honestas capax moralitatis, indiget ad sui perfectionem iuxta ibi dicta. Igitur, posse Deum carere omni exercitio honesto moraliter per puram omissionem non honestam, potiùs commendat perfectionem diuinam, quàm ei vllatenus aduersatur.

Se-

354 Secundò iam contra propositionem nostram obijcitur. Ad perfectionem dominij Dei pertinet, vt creaturæ non solùm expectent nutum positiuum illius ad existendum, sed etiam ad non existendum. Ergo ad perfectionem dominij Dei pertinet, non posse habere omissionem puram. Confirmatur. Non sufficit omissio nolitionis de existentiâ creaturarum, vt ipsæ existant. Ergo nec sufficit omissio volitionis de existentiâ creaturarũ, vt ipsæ non existant. Nego antecedẽs argumenti. Quia, vt creaturæ non existant, nutus positiuus diuinus nec requiritur ex parte creaturarũ: quia illæ ad non existendum nullo influxu indigent positiuo: nec ex parte Dei: quia illius perfectio non augetur per talem nutum, prout est iam in præcedentibus dictum. Vnde ad confirmationem patet, vt creaturæ non existant defectum influxus, atque adeò omissionem volitionis eius sufficere; tametsi, vt existant, non satis sit omissio nolitionis oppositæ: quia ad existendum indigent causâ dante positiuè illis esse, atque adeò & po-
355 sitiuè volente dare.

Tertiò obijcitur. Perfectio Dei vt causæ postulat, vt, si quid fiat, non subterfugiat causalitatem diuinam proportionatam ad factum, Ergo perfectio Dei vt domini postulat, vt, si quid sortiatur statum contingentem, non subterfugiat nutum Dei proportionatum ad statum. Ast talis non est pura omissio respectu status non existentiæ creaturarum. Ergo. Nego subsumptam: concesso antecedente toto. Quia ad statum non existentiæ creaturarum nutus Dei purè permissiuus, qualis est pura omissio, satis, superque
356 proportionatus est.

Quartò obijcitur. Ad perfectionem Dei vt primi principij pertinet, vt omne contingens, etiam negatiuum, procedere possit ab ipso. Ergo ad perfectionem Dei vt vltimi finis pertinet, vt omne contingens, etiam negatiuum, ordinari possit ad ipsum. Sed pura omissio inepta est ad talem ordinationem. Ergo. Respondeo; sicut contingens negatiuum à Deo vt à primo principio causari potest vel per actum positiuum, vel per puram omissionem iuxta hactenus dicta; ita etiam ad Deum vt ad vltimum finem ordinari posse vel per actum positiuum, vel per puram omissionem. Hoc autem secundum eueniet, quando Deus ipse motiuum suæ puræ omissionis fuerit vt finis *cui*: (quo solùm pacto est Deus vltimus finis respectu sui iuxta dicenda disp. 32. quæst. 2.). Omnem enim puram omissionem liberam non posse non habere aliquod motiuum sui, propter quod dici possit esse, ex dictis supra disp. 30. q. 7. à n. 280. constat. Quæ ad rem præsentem recognosci, facilèque applicari possunt.

357 Quintò obijcitur. Bonitas volitionis diuinæ infinita est. Ergo necessitat Deum, vt eam efficaciter amet vel in se, vel in æquiualente, oppositâque nolitione. Ergo non habet Deus potestatem ad vtramquè purè omittendam; sed ad alterutram eligendam sub disiunctione necessitatus est. Respondeo, etsi bonitas volitionis diuinæ sit infinita, quia in eâ includitur entitas necessaria Dei infinitè bona, à virtualitate tamen defectibili, quam in se includit, prout est volitio libera, mixtam illam cum virtuali quadam imperfectione euadere, prout supra quæst. 4. à num. 312. explicatum est. Vt sicque proinde cum nullâ necessitate adhuc disiunctiua est à Deo amabilis, siue eligibilis; & consequenter à Deo ipso est purè omissibilis.

Sextò obijcitur Augustinus tom. 3. in Enchyr. 358
cap. 103. fine. Vbi ait. *Deus si in Cælo, & in terra omnia, quæcunque voluit, fecit; profectò facere noluit, quæcunque non fecit.* Respondeo, etsi Augustinus his verbis positiuam in Deo nolitionem eorum, quæ non fecit, adstrueret, nihil præstare contra nos; quia loquitur de facto. Nos autem solùm contendimus esse possibile, quòd Deus merè negatiuè, seu purè omissiuè se habuerit circa non facta. Cæterùm, quia mens Augustini vt planè constat ex contextu, non est quidpiam statuere circa præsentem difficultatem, sed tantùm probare, Deum nihil voluisse efficaciter, quòd factum non fuerit: id quod melius adhuc, seu formaliùs concluditur, si verbum *noluit* negatiuè pro *non voluit* potiùs, quàm positiuè accipiatur, prout etiam apud latinos in vsu est: idcirco Augustinus circa non facta potiùs omissionem volitionis, quàm positiuam nolitionem in Deo adstruere videtur verbis relatis. Mitto alia leuiora, quæ obijciuntur, & facilè ab vnoquoque poterunt dilui ex dictis tum hìc, tum disp. 30. quæst. 7. Vbi de purâ omissione voluntatis creatæ.

Propositio 3.

Possibilis Deo est pura omissio libera, 359
non solùm cuiusuis actionis suæ externæ, sed etiam omnium simul.

Suppositâ propositione præcedente, nemo de hac dubitare potest. Quia possibilitas puræ omissionis actus interni voluntatis manifestè fert secum annexam possibilitatem puræ omissionis actus interni potentiæ subditæ voluntati. Hoc enim ipso, quòd voluntas liberè, & immediatè causat omissionem puram actus interni causalitate permissiuâ, quatenus illum non ponit, cùm immediatè posset ponere; nequit non liberè, & mediatè causare omissionem puram actus externi potentiæ sibi subditæ causalitate similiter permissiuâ, quatenus non ponendo actum internum, consequenter non ponit externum, quem medio interno posset ponere, & quem omnino infallibiliter poneret, si poneret internum. Cùm ergo Deus cuiusuis, & omnium simul actuum internorum liberorum suæ volũtatis puram omissionem possit habere iuxta præcedentem propositionem; consequens est, vt puram quoque omissionem habere possit cuiusuis, & omnium simul actionum externarum suæ omnipotentiæ, vtpote quæ quoad tales actiones voluntati, & eius actibus subdita est.

QVAESTIO VI.

Quomodò volitio diuina sit immutabilis, & æterna. Et qualiter libertas eius cum ipsius immutabilitate, æternitateque cohæreat.

SVppono vt certum secundùm fidem, Deum 360
omnino esse immutabilem. Quod ex professò ostendi ex sacris Scripturis, Concilijs, & Patribus tomo 1. disp. 7. quæst. 1. Vbi quomodò Deus sit immutabilis tum quoad substantiam, tũ quoad accidentia sibi intrinseca, aut se quoquo

modo

modo perfectiua, distinctè, ac sigillatim explicatū, atque etiam rationibus demonstratum est. Quomodò item sit Deus immutabilis quoad actus sui intellectus, speciatim est dictum supra disp. 23. quæst. 1. propos. 5. Restat nunc explicandum, quomodò sit Deus immutabilis quoad actus suæ voluntatis, non quidem quoad necessarios, (nam de immutabilitate quoad hos satis superque constat ex dictis loco citato ex tom. 1.) sed tantùm quoad liberos.

361 Circa quod suppono deinde tanquam certum apud omnes, & proculdubio etiam secundùm fidem, vt ex ibidem dictis plane deducitur, Deum neutiquam mutari posse quoad actus liberos suæ voluntatis mutatione retractatiuâ, ita videlicet, vt actum semel conceptum successu temporis retractet, siue reuocet per oppositum, mutando consilium, vt solent homines. Quia mutare consilium, liberamque voluntatis determinationem antea conceptam retractare, nullâ circunstantiâ occurrente, aut innotescente de nouo, quæ antea prægnita non fuerit, leuitas quædam, & inconstantia animi est vel homini indigna, vtpote manifestè vitiosa. Sed Deo successu temporis nulla circunstantia potest occurrere, aut innotescere de nouo, quam antea non prægnouerit, vt est certissimum: quia id sapientiæ eius infinitæ manifestè repugnat. Ergo Deus mutare consilium, liberamque suæ voluntatis determinationem antea conceptam retractare nequaquam potest: cùm id esset in leuitatis, atque inconstantiæ vitium incurrere. Quod eiprorsus repugnat. Et quidem, si libera Dei determinatio sit aliquod decretum efficax, ex alio insuper capite repugnat, quòd retractetur, seu reuocetur, antequam sortiatur suum effectum. Quia nimirum frustraretur effectu suo. Quod omni decreto Dei efficaci omnino repugnat, vt est notissimum. Quo circa dicit ipse Deus Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.*

362 His tanquam apud omnes certis suppositis, examinandum superest, an Deus quoad omnes actus liberos voluntatis suæ ita sit immutabilis, vt nullus eorum possit aut incipere, aut desinere in tempore; sed omnes semel à Deo concepti durare debeant necessariò ab æterno, & in æternum, & semper absque vllâ varitatione. Non nulli Thologi, vt refert Gillius de Deo lib. 2. tract. 8. cap. 9. num. 6. docuerunt, actus diuinos contingentes, seu liberos tum intellectus, tum voluntatis incipere, desinereque in tempore posse; defactoque id euenire. Pro qua sententiâ refertur communiter Antonius Delphinus vnus ex Patribus Concilij Tridentini in libro de rerum euentu pag. 23. Eumque Recentiores aliqui propugnati sunt, teste Martinon 1. q. disp. 14. sect. 5. Apud quem ibid. referuntur pro eâdem Maior in 1. dist. 39. q. vnicâ propos. 4. Rubione dist. 39. q. 1. & Gabriel dist. 39. q. vnicâ. Nec parùm eidem sententiæ fauet Herice disp. 20. cap. 1. vbi dumtaxat videtur ponere volitionem Dei immutabilem quoad perfectionem, quam dicit intrinsecam Deo, non item quoad terminationem ad obiectum creatum, per quod in eius sententiâ completur in esse volitionis liberæ, & efficacis talis obiecti: hoc enim pacto sumptam neque æternam, neque immutabilem esse, videtur asserere. Atque in hoc sensu approbat Delphini assertionem. Stat item exparte pro eâdem sententiâ Gaspar Hurtado de Volunt. disp. 3. diff. 3. vbi expressè docet, decreta efficatia Dei, postquam, exequutioni mandato effectu, in quem tendunt, suo munere functa sunt, desinere esse, neque durare vltrius. Idemque dicit de desiderijs simplicibus, quibus Deus aliquid desiderat suis creaturis intra tempus determinatum. Similiter ex parte stant pro eâdem sententiâ Quiros tom. 1. de Deo disp. 61. sect. 5. & Ribadencira disp. 20. de Voluntate cap. 3. quatenus docent, denominationes, quibus Deus denominatur amans amicabiliter iustum, & odio habens inimicabiliter peccatorem, non posse non incipere, ac desinere in tempore. Quia, quo tempore homo est in peccato, nequit Deus dici amare illum vt amicum; sicuti neque odisse vt inimicum, quo tempore est in gratiâ. Ait tamen Quiros, has denominationes semiextrinsecas esse asserendas, etiam insententiâ non Connotantium ponentium actus liberos Dei adæquatè intrinsecos ipsi. Ribaden, verò procedens in tali sententiâ adæquatè intrinsecas admittit. Tametsi ambo assertiones istas aliorum iuditio submittant.

Cæteri verò Theologi absolutè, & vnanimiter docent, nullum actum liberum voluntatis 363
diuinæ incipere, aut desinere in tempore posse: sed omnes semel à Deo conceptos debere necessariò durare ab æterno, & in æternum, & semper. Id quod certum secundùm fidem tle, plerique aut exprimunt, aut supponunt, tanquam quid pertinens ad immutabilitatem Dei, quam fide diuinâ tenemur credere iuxta dicta suppositione primâ. Nullum pro hac sententiâ Doctorem refero: quia pro eâ sunt omnes, præter paucos commemoratos.

Propositio 1.

Voluntas diuina ita quoad actus 364
suos liberos est immutabilis, vt nullus eorum possit incipere, aut desinere esse in tempore: sed omnes semel ab eâ concepti ab æterno, & in æternum, & semper durare debeant.

Probant propositionem hanc generatim ea loca Scripturæ, & Patrum, quæ Deum simpliciter, & absolutè prædicant immutabilem, iuxta scripta à nobis tom. 1. disp. 7. q. 1. speciatim verò eam probant, quæ sequuntur. Psal. 32. *Consilium autem Domini in æternum manet: cogitationes cordis eius in generatione, & generationem.* Prouer. 19. *Multæ cogitationes in corde viri. Voluntas autem Domini in æternum manet.* Ad Ephes. 1. *Inquo etiâ & nos sorte vocati sumus prædestinati secundùm propositium eius, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ;* vtique æternum iuxta id, quod dixerat paulò antea: *Sicut elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem.* Quocirca ad Hibræ. 6. ait Apostolus. *Abundantiùs volens Deus ostendere immobilitatem consilij sui, interposuit iusiurandum, vt per duas res immobiles &c.* Vbi Sanct. Th. lect. 4. *Sciendum est, quòd in his, quæ à Deo procedunt, duo sunt considerandà, scilicet ipse processus rerum, & consilium Dei, à quo talis processus causatur. Consilium Dei est omnino immobile. Isaiæ 46. Consilium meum stabit; & omnis voluntas mea fiet. Sed dispositio est benè mutabilis.* Et S. Augst. lib. 12. de Ciuit. cap. 17. *Ad opus nouum non nouum, sed*

sed sempiternum adhibet consilium. Iacob. 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Quod potissimùm ad voluntatem referre videtur Apostolus. Agit enim de donis, quibus nos Deus *voluntariè genuit.* Aliaque sunt huiusmodi in sacris Litteris. Quibus innixi in idem ipsum consentiunt Patres.

August. enim lib. 12. Confess. cap. 5. ait, 365
Num dicetis falsa esse, quæ mihi veritas voce forti in aurem interiorem dicit de verâ æternitate Creatoris; quòd nequaquam eius substantia per tempora varietur; nec eius voluntas extra eius substantiam sit? Vnde non eum modò velle hoc, modò velle illud, sed semel, & simul, & semper velle omnia, quæ vult; non iterum, & iterum, neque nunc ista, nunc illa, nec velle postea, quod nolebat, aut nolle, quod priùs volebat: quia talis voluntas mutabilis est. Deus autem noster æternus est. Et lib. 13. cap. 16. *Nam, sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter, & scis incommutabiliter, & vis incommutabiliter.* Similiaque multis alijs in locis habet. Damasc. in Dialogo contra Manich. ante medium ait, *Dei voluntas bona est, immutabilis, semper eodem modo se habens.* Et post medium, *Quo fit, vt Deus solus immutabilis sit, vt pote increatus, ac sempiternus.* Et oratione 1. de Imagin. pag. 3. *Consilium æternum se habet semper eodem modo. Immutabilis est omnino Deus: in quo nulla est commutatio, aut vicissitudinis obumbratio.* Fulgent. lib. 1 ad Monim. cap. 12. *Illa sempiterna voluntas eius nunquam mutabilitati subiacet: quia initium existendi non habet. Quod autem semper sic est, vt esse non caperit: procul dubio sic est, vt id, quod est, non esse non possit. Vera igitur immutabilitas dignè vera vocatur æternitas.* Nyssen. lib. de Opificio hominis cap. 21. *Dei consilium in omnibus rebus perpetuò immutabilitatem suam retinet.* Ambros. in Psalm. 61. *Dei immobilem voluntatem legimus: sicut habet ad Hebræos: in quo amplius Deus ostendere volens hæredibus repromissionis immobilitatem voluntatis suæ, interposuit iusiurandum. Rectè ergo immobilis voluntas Dei.* Gregor. lib. 16. Moral. cap. 17. *Sicut enim immutabilis natura est, ita immutabilis cogitatione.* Et post panca. *Cùm ergo exterius mutari videtur sententia, interius consilium non mutatur: quia de vnaquaque re immutabiliter interius constituitur, quidquid foris mutabiliter agitur.* Isidor. l.b. 1. de Summo bono cap. 1. *Opus, non consilium apud Deum credimus mutari: nec variari eum; quia per varia tempora diuersa præcipit: sed manens idem incommutabilis, & æternus, quid cuique congruum esset tempori, ab ipsâ tamen æternitate in eius mansit dispositione consilij.* Anselm. lib. de Concord. præsc. cum liber. arb. cap. 1. *Hoc propositum, secundùm quod vocati sunt sancti, in æternitate, in qua non est præteritum, vel futurum, sed tantùm præsens, immutabile est,* Ricard. Victor. lib. 2. de Trinit. cap. 24. *Qui verè immutabilis est, velle suum variare non potest. Quod ergo semel voluit, semper voluit.* Similiaque habent alij Patres.

366 In redendâ verò ratione statutæ propositionis Doctores, qui tenent illam, inter se non consentiunt. Connotantes enim relati supra q. 4. num. 90. qui actus liberos Dei per connotata extrinseca complent, communiter dicunt, idcirco eiusmodi actus vndequaque æternos, & inuariabiles esse: quia neque variari possunt quoad entitatem diuinam, quam in se includunt, vt pote omnino necessariam: neque quoad connotata extrinseca, per quæ complentur: vtpote quæ ex suppositione, quòd aliquando sunt, necessariò, & semper est verum, aliquando illa esse. Hæc tamen ratio eis venit conturanda argumentis, quibus sententiam, in qua nititur, refutauimus q. 4. vbi num. 189. speciatim hunc immutabilitatis modum tanquam minus dignum diuinæ Maiestati reiecimus.

Ex alijs verò non Connotantibus relatis 367
num. 95. multi immutabilitatem voluntatis diuinæ in eius summam constantiam reuocant. Quia, inquiunt, esset leuitas quædam, & inconstantia, atque adeò quoddam morale vitium, post plenam omnium euentuum futurorum notitiam, qualem Deus ab æterno habuit, mutare in tempore consilium, ac determinationem ab æterno liberè habitam, vel omittendo in tempore actum liberè ab æterno conceptum, vel concipiendo in tempore actum ab æterno liberè omissum. Ad quam rationem reducunt aliqui eam, quam affert S. Th. 1. p. q. 19. art. 7. Ex isto autem morali vitio leuitatis, & inconstantiæ, quod Deus incurreret, si mutaretur in tempore voluntas eius, physicam ipsius mutationem imo desitionem arguunt: quatenus Deus inconstans, ac leuis animo verè non esset Deus. Quo sensu interpretantur eos, qui ex mutabilitate voluntatis diuinæ physicam arguunt mutabilitatem diuinæ substantiæ, vel e contra ex æternitate, immortalitate, atque immutabilitate substantiæ Dei immutabilitatem consilij, ac volitionis eius inferunt; ducto videlicet argumento ab opposito consequentis ad oppositum antecedentis: qua ratione argumentantur aliqui ex Patribus.

Verum enim verò, licèt mutatio voluntatis præcedentium actuum retractatiua, quæ vel inconsiderationem, aut ignorantiam euentuum futurorum supponit, vel animi leuitatem, aut inconstantiam secum fert, omnino sit Deo repugnans iuxta suppositionem secundam num. 361. præmissam. Quia tamen non omnis mutatio voluntatis eiusmodi est, non video, cur omnis mutatio voluntatis diuinæ in eius leuitatem, & inconstantiam sit referenda. Si enim homines citra omnem ignorantiam euentuum, citra omnemque leuitatis, aut inconstantiæ notam prudenter sæpe differunt aliquos voluntatis suæ actus in tempus magis oportunum: ab alijsque conceptis antea desistunt; quia iam nec necessarij, nec vtiles ad quidpiam sunt, vt est certissimum. Cur Deus tantumdem similiter præstare non posset? Nulla quippe vel vmbra leuitatis, aut inconstantiæ videtur tore in eo, quòd Deus vel differret odium peccatoris, decretumque puniendi illum vsque ad tempus, in quo iam ipse de facto fœdatus peccato, atque adeò dignus existeret diuinâ indignatione, & supplicio; vel cessaret à decreto producendi bonum in tempore A, postquam, tali tempore transacto, iam talis productio præterijt; ad nihilque tale decretum videtur posse deseruire. 368

Propterea alij integram immutabilitatem 369
voluntatis diuinæ in eo fundant, quod omnibus actibus eius essentialiter est debita æternitas, quemadmodùm etiam & immensitas; atque adeò, sicut in omni spatio locali, ita in omni spatio temporali, in quibus substantia Dei existit debent existere, supposito, quòd semel existant; in tempore neque proinde incipere, aut in tempore desinere nequaquam possunt. Quocir-

ca dixit S. Th. lib. 1. contra Gent. cap. 83. num. 2. *Sicut esse Dei, ita & velle æternitate mensurari.* Hoc enim ipso, quòd actus voluntatis diuinæ, non obstante suâ contingentiâ, seu libertate, adæquatè sunt intrinseci Deo, siue cum ipso identificati, omnes perfectiones diuinas alia attributa Dei intrinseca trascendentes, & cum tali contingentiâ, seu libertate compatibiles debent participare; cuiusmodi sunt æternitas, & immensitas, & cæteræ huiusmodi, præter vnam necessitatem, quæ contingentiæ, seu libertati opposita est. Quæ quidem ratio pro statutâ propositione haud dubiè cæteris probabilior, & menti Sanctorum Patrum conformior est, vt ex eorum testimonijs relatis satis clarè colligitur.

370 Huc tamen recurrunt argumenta proposita à me in Pharo Scient. disp. 10. quæst. 3. propos. 4. & 5. & rursus commemorata in hoc Opere disp. 9. quæst. 2. à num. 69. & disp. 23. num. 24. Quibus nó parum efficaciter persuaderi videtur, quoduis obiectum contingens existens aliquando à diuersis statibus futuri, præsentis, & præteriti, quos successu temporis sortitur, non posse non veritates diuersas etiam successu temporis comparare, non aliter, quàm successu temporis, scibiles etiam à Deo. Similiterque non posse, non diuersas bonitates, aut diuersas malitias successu temporis acquirere non aliter, quàm successu temporis, per actusque diuersos amabiles, aut odibiles eriam à Deo. Quæ quidem argumenta, si quid probant, non solum probant, voluntatem diuinam à decretis suis efficacibus cessare, postquam illa suos effectus sortita sunt, vt dicebant Gasp. Hurt. in temporeque incipere aut amore iustum, aut odio peccatorem prosequi, vt dicebant Quiros, & Ribaden. citati num. 362. sed etiam multas alias variationes suorum actuum, absque omni tamen omnino imperfectione, aut indecentiâ successu temporis subire: prout in loco citato Phari videre est. Sed eis nihilominùs non obstantibus argumentis, absolutè standum est propositioni datæ cum communi Theologorum, & Patrum absque vllâ eius limitatione, aut explicatione, iuxta adnotata ibidem: dicendumque cum August. lib. 2. ad Simplicianum quæst. 2. (vbi difficultatem hanc verlauit, prout vidimus loco etiam citato ex disput. 9. huius Operis), ineffabile esse, quomodò Deus absque vllâ suorum actuum mutatione idem obiectum & præsciat fore, quando est futurum, & sciat iam esse, quando est præsens: similiterque & desideret vt existat, quando nondum existit, & gaudeat de existentiâ eius, quando hæc iam accessit, &c. Alia autem, quæ contra propositionem opponi solent, adeò sunt leuia, & nota, vt non opus sit in eis morari, præterquam in vno de cohærētia libertatis cum immutabilitate, de qua iam.

Propositio 2.

Immutabilitas voluntatis diuinæ illæsam omnino relinquit diuinam libertatem.

Hæc propositio, suppositis, quæ iam statuimus, nullam nouam probationem desiderat. Si enim voluntas diuina & est immutabilis, vt est in hac quæstione statutum; & est libera, vt in quæstionibus præcedentibus statutum est: consequens est, vt eius immutabilitas, & eius libertas bene cohæreant inter se.

Sed est nihilominùs contra illam obiectio, 371
quæ aliquibus nimis difficilis visa est. Imo Albiz tract. 2. disp. 7. sect. 2. num. 10. dicit, eam esse ex ijs, quæ humani ingenij superant vires, & num. 21. se nihil habere, quod illi faciat satis. Herice etiam disp. 20. cap. 2. initio propter eamdem obiectionem ceniet ab ijs, qui actus liberos Dei omnino intrinsecos constituunt, aut eorum immutabilitatem, aut eorum libertatem vix posse defendi. Obiectio autem est huiusmodi. In nullo instanti totius æternitatis habet Deus potentiam ad omittendam quamcunque suam volitionem. Ergo in nullo instanti totius æternitatis est liber ad volendum. Consequentia est euidens. Quia libertas ad volendum non stat sine potentiâ ad omittendam volitionem. Antecedens autem probatur. Quia, cùm nullum sit instans in totâ æternitate, ante quod non præcesserit volitio Dei in instanti alio interiori, eo ipso, quòd est æterna; si in aliquo instanti posset Deus illam omittere, posset vtique mutari, carendo volitione, quam priùs habuerat. Repugnat ergo, quòd sit immutabilis quoad volitionem, & maneat liber ad volendum.

Respondet Ruiz disp. 8. de Voluntate sect. 372
6. num. 8. & disp. 16. sect. 5. num. 8. Deum quidem in nullo instanti temporis veri, aut imaginarij manere liberum ad volendum, vel non volendum; esse tamen ad id liberum antecedenter in suâ æternitate, quæ tota simul est, & ante omne instans temporis præintelligitur. Sed contra. Quia, quidquid coexistit æternitati intrinsecæ Dei, (quæ tota simul dicitur esse: quia est indiuisibilis intrinsecè Dei vtpote à substantiâ, indistincta), non potest non coexistere alicui tempori: quia Deus nequit extra omne tempus etiam imaginarium existere à parte rei, quidquid sit de nostris præcisionibus. Ergo, si Deus in suâ æternitate reuerà habet potentiam indifferentem ad volendum, vel non volendum, non potest non illam habere in aliquâ differentiâ temporis, Et redit argumentum factum. Vel si in nullo tempore talem potentiam habet; neque habet in suâ æternitate. Quod ita vrgeo. Impossibile est, existere aliquid à parte rei, & non existere in aliquo tempore vel finito, vel infinito. Ergo, si potentia Dei indifferens ad volendum, vel non volendum existit à parte rei, in aliquo tempore existit vel finito, vel infinito. Sed non existit in tempore finito: quia iam pro tali tempore posset Deus mutari, omittendo volitionem prahabitam in tempore anteriori iuxta argumentum factum. Neque existit in infinito: quia existeret in partibus finitis, ex quibus tempus infinitum coalescit. Et redit iterum argumentum. Ergo. Et confirmari potest. Quia, si Deus in nulla temporis mensurâ maneret liber ad volendum, in nullâ quoque mensurâ temporis maneret liber ad causandum; quandoquidem tota libertas causationis externæ, qua Deus causat creaturas, à libertate diuinæ volitionis promanat, seu potius per illam constituitur. Quo fieret, vt causatio creaturarum, quæ non in Dei æternitate, sed in mensurâ temporis est, neutiquam esset Deo libera. Quod est absurdum.

Herice verò disp. 20. citatâ cap. 1. cùm so- 373
lùm ponat volitionem Dei immutabilem quoad perfectionem intrinsecam Deo; non item quoad terminationem semiextrinsecam, qua libere terminatur

terminatur ad obiectum creatum, vt num. 362. notauimus, indemnem se ab argumento facto reputat: quandoquidem præmens illud contra non Connotantes cap. 2. insolutum relinquit; quasi contra sententiam suam nihil prorsus præstet. Verùm ego non video, quomodò cum hoc componi possit, volitiones Dei liberas, loquendo absolutè, æternas, & immutabiles esse, prout tenemur confiteri. De quo contra ipsum Herice, & alios Connotantes plura sunt dicta q. 4. Ex quibus satis constat, non faciliùs, vt ipsi putat, sed longè difficiliùs in eorum sententia componi immutabilitatem cum libertate diuinæ volitionis.

374 Alij ad argumentum factum respondent, volitionem Dei à nullo instanti temporis infiniti distributiuè accepto posse deficere; posse tamen deficere à totâ instantium collectione. Atque ita, licèt Deus non sit liber ad omittendam volitionem pro singulis instantibus sumptis distributiuè; quia hoc esset, esse eum pro talibus instantibus mutabilem: esse tamen eum liberum ad omittendam volitionẽ pro totâ temporis collectione, quæ omissio nullam fert secũ mutabilitatẽ. Quemadmodùm, si Deus produxisset creaturã ab æterno: etsi esset liber ad illam simpliciter non producendam ab æterno: ast non est liber ad eam corrumpendam in omnibus partibus totius temporis infiniti. Quia, suppositò, quòd vellet eam ab æterno producere, deberet velle eam pro infinitis partibus temporis conseruare. Ita respondet Albiz suprà: sed non magis ad rem, quàm alij. Quippe termini *distributiuè*, & *collectiuè*, alioquin apti ad euadendas plures difficultates circa materiam de infinito, nullatenus hìc locum habent. Cùm enim partes temporis essentialiter sint successiuæ, repugnat prorsus, vt aliquid re ipsâ existat in pluribus, aut infinitis partibus temporis collectiuè, seu indiuisim; quin existat in singulis diuisiuè, siue distributiuè; cùm nequeat in omnibus simul, sed in singulis post singulas existere. Ergo neque est possibile, vt volitio Dei sit defectibilis à totâ temporis collectione, quin sit defectibilis à singulis partibus diuisiuè; neque est possibile, vt Deus ad volitionem ipsam omittendam potentiam habeat existentem in tota temporis collectione, & non existentem in singulis partibus diuisiuè. Et redit argumentum factum. Quod etiam confirmari potest. Quia, si Deus in singulis temporis mensuris, in quibus causat creaturas non esset liber ad volendum, neque esset liber ad eas causandum, vt contra Ruiz inferebamus. Exemplum autem de creaturâ ab æterno productâ potiùs confirmat vim argumenti facti. Nam, licèt Dus debeat decernere existentiam talis creaturæ pro aliqua duratione infinita: eo quòd nulla finita est possibilis, quæ sit æterna à parte antea: quia tamen, signatâ qualibet, pro aliâ minore posset decernere, nulla est pars in totâ duratione, qua talis creatura duraret, à qua ipsa non posset deficere antecedenter ad decretum sui, etiam si præextitisset in priore: quanuis ex suppositione decreti à nullâ parte durationis decretæ possit deficere. Ex quo patet, existentiam dictæ creaturæ comparatam ad voluntatem diuinam in actu primo, non solùm esse liberam pro totâ collectione temporis, sed etiam pro singulis partibus, in quibus durat: pro his tamen etiam est mutabilis. Ast volitio Dei, cùm pro singulis partibus, in quibus durat, non sit mutabilis, videtur pro illis neque posse esse libera, & consequenter neque pro totâ collectione, vt argumentum factum contendit.

Propterea alij propiùs ad veritatem accedentes respondent, exercitium libertatis cuiusuis volitionis diuinæ vnicum semper, & indiuisibile esse, sic correspondens essentialiter omnibus, & singulis instantibus nostri temporis, vt per illud non mensuretur, sed per æternam, & indiuisibilem durationem. Quo fit, vt volitio Dei ita sit in singulis instantibus libera, vt in nullo possit incipere non existere ex suppositione, quòd extiterit ab æterno; cùm tamen absolutè in quolibet possit non existere, pariter non existendo in reliquis. Quod est, necessitatem, quàm habet existendi in singulis suppositò, quòd existat in alijs, non antecedentem esse, sed consequentem. Cæterùm doctrina hæc, alioquin vera, maiorem explicationem desiderat. Videtur enim per argumentum factum probari, ne antecedentem quidem potentiam habere Deum hodie ad omittendam volitionem, quam habuit ab æterno. Quia hodie nequit habere potentiam ad coniungendam omissionem talis volitionis cum toto tempore præterito, & consequenter nec cum præsente: eo quòd tempus præteritum redire non potest; atque adeò conjunctio cum illo dictæ omissionis iam hodie facta est impossibilis. Ob id enim dici solet communiter, ad præteritum non dari potentiam. 375

Igitur, vt penitus difficultatem declarem, suppono primò iuxtà doctrinam aliàs tactam num. 369. volitionem Dei liberam vtpote identificatam cum Deo modo explicato quæst. 4. essentialiter esse æternam per durationem à se indistinctam prorsus indiuisibilem correspondentem necessariò (extrinsecè tamen) omnibus partibus nostri temporis successiui absque vllâ sui intrinseca successione. Quemadmodùm eadem volitio essentialiter est immensa per præsentiam a se indistinctam prorsus indiuisibilem correspondentem necessariò (extrinsecè tamen) omnibus partibus spatij extensi absque vllâ omnino intrinseca sui extensione. Aeternitas quippe intrinseca Dei, suarumque volitionum pariter est concipienda relatè ad tempus successiuum, atque concipitur immensitas relatè ad spatium extensum. 376

Hinc suppono secundò, determinationem, qua voluntas Dei se ad liberè volendum per integram æternitatem determinat intrinsecè, & in se spectatam vnicam prorsus, & indiuisibilem esse, vtpote quia existentia, durationeque eius æterna vnica prorsus, vti diximus, & indiuisibilis est. In quo diuina volũtas valde à volũtate creatâ discriminatur. Quæ vtique non valet suas determinationes liberas per tempus extensum porrigere, nisi illæ quoque extensæ, & diuisibiles sint quoad propriam, intrinsecamque durationem: ad quod profecto durationibus superadditis egent, atque diuersis iuxta diuersitatem partium temporis, quibus respondent, prout communis iam, & nostra sententia fert. De quo egimus tom. 1. disp. 8. quæst. 1. Vnde quò diutiùs voluntas creata suam operationem protrahit, eò sibi illa ad maius meritum imputatur. Cùm tamen voluntati diuinæ non magis sua sit imputabilis, quòd infinitis partibus correspondet, quàm si vni solùm, aut etiam nulli ipsius temporis defectu, corresponderet, vtpote cuius imputabilitas penes sibi intrinsecam tantum, indiuiduamque durationem pensanda est; non item penes extrinsecum tempus, cui correspondet diuisiuè. Nihilominùs 377

ab huiusmodi correspondentiâ cum tempore extrinsecâ tot partes veluti extrinsecæ durationis, seu coexistentiæ veniunt concipiendæ in determinatione, seu volitione liberâ Dei connexæ inuicem inter se, quot sunt ipsius temporis partes, quatenus verũ est, dum coexistit diuina volitio hodierno diei, siue in eo durat, nec diei crastino, nec hesterno, nec alicui reliquorum coexistere, vel vice versâ. Tum nullatenus alicui, aliquibusve diebus posse coexistère, quin omnibus pariter totius æternitatis, seu temporis infiniti, atque successiui coexistat, vnicuique in propriâ mensurâ.

378 Suppono tertiò ex doctrinâ vniuersali traditâ disp. 30. quæst. 5. ex eo, quòd duo actus eiusdem causæ, etiam in diuersis temporibus exercendi, adeò sint inuicem connexi, vt neuter eorum sine altero possit existere, non fieri, eos non posse liberè à tali causâ exerceri: possunt enim haud dubiè; vt, si Deus mihi nunc reuelaret, me cras peccaturum, liberè nihilominùs conciperem modò actum fidei cum crastino peccato connexum, liberèque pariter eras peccarem: estò peccatum crastinum vicissim eum fide hodiernâ connexum esset. Tametsi determinatio hodierna ad fidem à determinatione crastinâ ad peccatum in suâ existentiâ penderet, & vice versâ; qua ratione loco citato latè explicatum est. Modò ad rem. Si duæ distinctæ determinationes eiusdẽ voluntatis creatæ diuersis partibus temporis respondentes possunt esse mutuò connexæ citra libertatis dispendium. Quanto meliùs eadem indiuisibilis determinatio voluntatis diuinæ, retentâ suâ perfectissimâ libertate, diuersis partibus temporis coexistere poterit coexistẽtijs cõnexis inuicem modo prædicto. In quarum mutuâ coexistentiarum connexione consistit eius immutabilitas.

379 En iam totam difficultatem argumenti supra propositi disiectam prorsus. Dico itaque, determinare se Deum ad volendum, nihil aliud esse, quàm, se determinare primariò quidem ad dandum existentiam intrinsecam, & indiuisibilem æternitatem, siue durationem æternam suæ volitioni; consequenter autem ad dandam illi extrinsecam coexistentiam cum omnibus partibus temporis successiuè fluentibus; quæ extrinseca, & diuisibilis æternitas dici potest. Quo fit, vt in omnibus, & singulis partibus temporis omnimodis libera maneat volitio Dei; quatenus in vnaquaque potest Deus facere, quòd non extiterit simpliciter sua volitio, & consequenter, quòd neque illi, neque vlli reliquarum coextiterit. Tametsi ex suppositione, quòd existit simpliciter, & consequenter, quòd aliquibus partibus temporis coexistens est, necesse sit, quòd itidem coexistat reliquis. In qua necessitate, quæ tantùm est consequens, consistit eius immutabilitas. Vnde etiam patet, quo pacto possit Deus hodiè facere, quòd sua volitio toti tempori præterito non coextiterit. Id namque potest, non quia potentia ad omittendam volitionem, quam habet, sit potens hodie terminari ad omissionem prout coexistentem tempori præterito. (Nulla namque potentia iam nunc existens potest ad proprium actum prout existentem in tempore præterito terminari. Quo sensu verissimum est non dari potentiam ad præteritum; tametsi detur ad futurum; prout contra aliquos Recentiores ostendi in Pharo Scient. disp. 8. quæst. 4. propos. 7.). Sed quia per huiusmodi potentiam considerata secundùm se cum suâ intrinsecâ, æternâ, & indiuiduâ durationè simpliciter potest Deus suam volitionem omittere; sicque facere, vt ipsa potentia prout existens tempori præterito omiserit eamdem volitionem in illo; & prout existens in præsenti in hoc; similiterque in futuro, prout in illo existens. Imò verò per potentiam, quam hodie Deus habet ad omittendam coexistentiam suæ volitionis cum tempore hodierno, media tali omissione tanquam positione impedimenti, seu ablatione termini connexionis facere potest, vt cum nullo alio tempore coextiterit, aut sit coextitura volitio ipsa. Quemadmodùm ego per potentiam, quam hodie habeo ad omittendum actum, quem liberè elicio, mediâ tali omissione facere possum, vt in nullo alio tempore extiterit, aut sit extitura scientia visionis de actu ipso, quam Deus de facto ab æterno habuit, & in æternum est habiturus.

QVAESTIO VII.

Vtrùm libertas voluntatis diuinæ omnium libertatum excogitabilium maxima sit.

380 RAtio dubitandi pro parte affirmatiuâ est; quia libertas perfectio quædam est. Sed omnis perfectio Dei est summa, atque adeò maxima omnium in suo genere excogitabilium. Ergo libertas Dei est quoque summa, & maxima omnium in suo genere excogitabilium. Pro negatiuâ parte stat, quòd Deus libertatem ad peccandum non habet, vt fides docet; constabitque ex dicendis infra disp. 33. quæst. 7. Tum ad plura est necessitatus moraliter eorum, quæ præstat liberè libertate physicâ, vt ostendemus disp. 32. quæst. 3. Seipsum etiam non liberè, sed necessariò diligit, vt disp. 33. quæst. 2. probabimus. Maior autem videtur fore libertas diuinæ voluntatis, si ad peccata etiam posset se extendere, nullamque, ne moralem quidem, necessitatem pati possit; neque vllum actum, qui liber non esset exercere.

Ruiz disp. 8. de Voluntate sect. 2. enixè conten- 381
dit probare, libertatem Dei maiorem esse, quàm, si peccare posset. Vazq. verò 1. p. q. 19. art. 10. in commentario, & Soar. Opusculo de libertate diuinâ disp. 2. sect. 1. fine docent, in eo, qui peccare potest, libertatem esse extensiuè maiorem, quàm in Deo, qui peccare nequit. Denique ipse Ruiz disp. 10. de Volunt. sect. 4. num. 19. cùm adstruxisset in Deo necessitatem moralem ad amplectendum optimum, dicit, maiorem nihilominùs esse libertatem diuinam, quam, si tali necessitate careret: id quod etiam docet Gran. 1. p. contr. 3. tract. 2. disp. 3. num. 39. Vtrùm autem esset etiam maior libertas Dei, si nullam volitionem necessariam adhuc circa seipsum haberet, non video expressum in Auctoribus.

Pro resolutione suppono primò, bifariam sus- 382
cipere libertatem magis, & minùs, nempe extensiuè, & intensiuè. Extensiuè dicitur voluntas maiorem libertatem habere, quæ circa plura obiecta; minorem autem, quæ circa pauciora versari potest liberè; aut, quæ plures, pauciores ve actus liberos

liberos habere potest. Intensiuè autem eò magis libera voluntas dicitur ad eligendum inter proposita extrema, quò magis à necessitate recedit assumendi alterutrum: eò autem minùs libera, quò ad talem necessitatem magis accedit: accedit autem ad illam eò magis, aut minùs, quò magis, aut minùs propendet, seù inclinatur ad alterutrum ex extremis. Vnde tunc maximam omnium libertatem intensiuam habet voluntas, cùm stat exactè in æquilibrio, nec magis ad vnum, quàm ad alterum ex dictis extremis inclinatur.

383 Hinc suppono secundò, libertatem non eò magis perfectam esse, quo maior est. Sed perfectionem eius aliunde, quàm à quantitate intensionis, vel extensionis eius taxandam esse; nempe respectiuè ad obiecta, extremave, in ordine, ad quæ libertas est. Sæpe enim potest esse obiectum, extremumve talis naturæ, aut conditionis, vt minor libertas ad illud amplectendum perfectior sit, quàm maior: imo tale, vt omnimoda necessitas amplectendi illud sit longè perfectior, quàm libertas. Ratio à priori; quia, cùm libertas sit quædam potestas amplectendi vnum, aut alterum ex extremis propositis, & omnis potestas ab actu, obiectoque specificetur; fieri potest, quòd alterum ex extremis sit tale, vt absolutè quid melius sit, carere potentiâ amplectendi illud, quàm eam habere. Quo casu necessitas ad alterum extremum perfectior erit, quàm libertas. Sic melior est necessitas ad non peccandum, quàm libertas: quia melius est carere potentiâ ad peccandum, quàm eam habere. Similiter perfectior est necessitas ad amandum Deum, quàm libertas; quia melius est carere potentiâ ad omittendum amorem Dei, quàm eam habere. Similiter talia possunt extrema esse, vt quid melius sit, atque præstantius propendere in illa inæqualiter, quàm æqualiter. Quo casu minor intensiuè erit libertas amplectendi alterutrum, eòque minor, quò magis fuerit inæqualis eiusmodi propensio. Hoc pacto, quando ex extremis propositis alterum est altero longè melius, & amabilius, necessitas moralis cum libertate physica ad amplectendum, quod est melius, omnimodâ libertate præstantior est. Ex quibus apparet, libertatis perfectionem non absolutè, sed respectiuè ad obiecta, circa quæ ea est exercenda, pensandam esse. Atque ita non semper, & in omni gradu eam esse perfectionem simpliciter simplicem, quæ melior sit ipsa, quàm non ipsa, Sed quandoque solùm, & in certis gradibus.

Propositio 1.

384 **Libertas diuina minor est extensiuè, quàm si Deus peccare posset. In eo tamen ipso consistit summa eius perfectio.**

Vtraque pars propositionis constat ex dictis. Prima quidem; quia, si Deus peccare posset, ad plura se extenderet eius libertas; quia posset amplecti liberè, quæcunque potest modò, vt supponimus, & insuper negationes peccatorum, quas modò necessariò amplectitur, & peccata, quæ amplecti nequit. Quod est, fore tunc libertatem eius maiorem extensiuè iuxta suppositionem primam. Secunda autem pars constat ex suppositione secundâ: quia libertas ad peccandum multas fert secum imperfectiones repugnantes summæ perfectioni libertatis diuinæ,

Sed contra primam propositionis partem oppo- 385
nit Ruiz primò August. in Enchiridio cap 15. vbi agens de statu beatitudinis ait, *Multò quippe liberius erit arbitrium, quod omnino non poterit seruire peccato*. Respondeo, Augustinum non loqui de libertate propinquissimâ indifferentiæ oppositâ necessitati, de qua nos agimus, sed de libertate minùs propriâ oppositâ coactioni, & seruituti; ratione cuius liberius vocat arbitrium Beatorum; quia prorsus sunt exempti, & immunes à seruitute peccati. Cui se, qui peccat, dicitur mancipare, dum peccato veluti sæuissimo hosti eximijs bonis spoliandum, pessimèque tractandum tradit. Quo iure dicitur Ioan. 8. *Omnis, qui facit peccatum, seruus est peccati*.

Hoc etiam sensu videtur loquutus Ansel. 386
oppositus etiam à Ruiz in Dialogo de liber. arb. cap. 1. post medium, cùm ait, *Denique nec libertas, nec pars libertatis est peccandi potestas*. Subdit enim, *Qui sic habet, quod decet, & quod expedit, vt hoc amittere nequeat, liberior est, quàm ille, qui sic habet hoc ipsum, vt possit perdere, & ad hoc, quod dedecet, & non expedit, valeat adduci*. Hæc namque non libertati indifferentiæ, sed libertati oppositæ coactioni quadrare videntur. Et quidem potestatem ad peccandum libertatem esse veram, & propriam oppositam necessitati, imprimis docet Damasc. lib. 2. de fide cap. 27. Deinde apertè videntur sentire plurimi Patres relati ab ipso Ruiz in disp. citatâ sect. 1. dum in eo potissimum, dicunt, consistere libertatem humanam, quòd homo aut bonum virtutis, aut malum vitij, prout sibi libuerit, possit amplecti.

Tertiò opponitur S. Th. 1. p. quæst. 62. art. 387
8. ad 3. vbi ait, *Maior est libertas in Angelis, qui peccare non possunt, quàm in nobis, qui peccare possumus*. Sed hoc Vazq. & Soar. non de libertate extensiuè maiore, sed de magis perfectâ interpretantur. Quo sensu, ex dictis constat, esse verissimum. Et quidem libertatem ad peccandum veram, & propriam libertatem esse, apertè supponit ipse S. Th. 1. p. quæst. 19. art. 10. ad 1. vt ibi Vazq. notat.

Quartò opponit Ruiz Augustinum, & alios 388
Patres dicentes, omnipotentiam Dei non minui ex eo, quòd Deus non possit mori, falli, aut mentiri. Ex quo infert, nec Dei libertatem esse minorem ex eo, quòd nequeat peccare, quàm esset si peccare posset. Respondeo, eiusmodi Patres loqui de omnipotentiâ Dei quoad suam intrinsecam, & absolutam perfectionem; secundùm quam integra, & imminuta maneret, totamque prorsus retineret suam vim causatiuam; etiam si impossibilia fierent multa eorum, quæ potest facere, nec crescret quoad talem virtutem, etsi, quæ facere non potest, possibilia fierent. Cæteroquin, si sermo sit de potentiâ proximâ ad operandum supponente possibilitatem effectuum, negari nequit, hanc maiorem fore extensiuè in Deo, si plura essent possibilia, quàm modò sunt; quia plura tunc Deus absolutè, & proximè posset facere, quàm potest modò; subindeque ad plura facienda esset tunc liber, quàm modò est. Libertas quippe in potentiâ proximâ ad faciendum, & non faciendum, ad volendumque, & non volendum posita est.

Quintò arguit Ruiz. Peccatum non pro- 389
cedit à voluntate, quatenus est causa perfecta,

&

& efficiens, sed quatenus est causa deficiens, & imperfecta. Ob id enim dixit Dionys. cap. 4. de diuin. nomin. procul à fine, *Non tamen efficientes sunt malorum rationes, atque facultates, sed imbecillitas, & infirmitas*, &c. Ergo possibilitas peccandi non est propria potentia, sed impotentia, peccatumque non potentiæ, sed impotentiæ obiectum est. Proindeque ad seruitutem potiùs pertinet, quàm ad libertatem. Respondeo, qui facit peccatum, eo ipso non posse non esse causam factiuam propriè, seu effectiuam peccati, tametsi etiam causa deficiens appelletur; vel quia faciendo peccatum, deficit à regula rationis deflectitque à rectitudine virtutis; vel quia, dum peccatum facit, passioni, aut tentationi dat manus; despondensque animum, deficit, iacetque in luctâ superatus ab inimico vt imbecillus, & infirmus. Quo sensu loquitur Dionys. Ex quo patet, peccatum potentiæ propriæ obiectum esse, ad libertatemque propriam spectare: tametsi ob dicta ab impote, & debili dici possit oriri, ad seruitutemque pertinere, siue in eam pertrahere, vt dictum est num. 384.

390 Sextò arguit Ruiz. Cum omni peccato aliquod inuoluntarium miscetur, quatenus peccans, dum bonum in actu prauo aprehensum sequitur, malitiam culpæ quasi coactus tolerat. Ergo potentia ad peccandum potiùs minuit, quàm auget libertatem, imminutâ ratione voluntarij per inuoluntarium oppositum annexum peccato. Tum proprium est peccantis ex imperfectâ cognitione operari. Quò magis autem est imperfecta cognitio, qua voluntas ducitur, eò est minor libertas eius. Respondeo, etsi peccatum habeat admixtum inuoluntarium, aut ex imperfectâ cognitione procedat, atque idcirco sit minùs libertum intensiuè, quàm, si esset simpliciter voluntarium sine inuoluntarij admixtione, à cognitione que perfectissimâ nasceretur. Id profectò nihil prorsus referre, quominùs libertas ad peccandum extensiuè augeat libertatem voluntatis: cum ea sit libertas quædam, tametsi minor, quàm, si ab omni ratione inuoluntarij, ab omnique imperfectione cognitionis esset immunis. Libertas quippè quantumuis intensiuè exigua non potest non libertati addita eam augere extensiuè, vt constat.

Propositio 2.

391 Voluntas diuina, dum ad aliquid amplectẽdum moraliter necessitatur iuxta doctrinam tradendam disp. 32. quæst. 3. minùs manet libera intensiuè, quàm, si non necessitaretur moraliter. In eo tamen ipso stat etiam summa libertatis eius perfectio.

Constat propositio ex doctrinâ traditâ suppositione primâ, & secundâ. Quia voluntas necessitata moraliter ad vnum extremum minùs est indifferens, atque adeò minùs libera ad vtrumuis. Vt sic tamen perfectiùs se gerit, quando ita postulant extrema, quàm, si æquabiliter esset indifferens, & consequenter summè libera.

Propositio 3.

Libertas diuinæ voluntatis minor est 392
extensiuè, quàm, si Deus se ipsum liberè amaret, & nullam omnino volitionem necessariam haberet. Ea tamen maior extensio libertatis imperfectio maxima esset.

Constat itidem hæc propositio ex eisdem suppositionibus; neque aliâ eget probatione. Ex omnibus autem dictis apparet, quid sit dicendum ad rationes dubitandi initio propositas.

DISPVTATIO 32.

De obiecto diuinæ voluntatis accepto vniuersè.

DE obiecto voluntatis diuinæ vniuersaliter sumpto tractabimus solùm in præsenti disputatione: tractaturi postea specialim de obiectis specialibus eius.

QVAESTIO I.

Quodnam sit, loquendo vniuersè, obiectum diuinæ voluntatis.

SVppono vt certum apud omnes, obiectum voluntatis in vniuersùm esse bonum, & malum; illud prosequutionis; hoc fugæ. Omnis quippe voluntas per modum prosequutionis tendit in bonum, volendo, seu amando illud; in malum autem per modum fugæ, illud nolendo, seu odio habendo.

Suppono secundò etiam vt certum, bonitatem, à qua entia bona dicuntur dupliceme esse. Alia enim est bonitas absoluta, qua vnumquodque in se ipso est bonum. Alia bonitas respectiua, qua aliquid bonum est alicui. Et de bonitate quidem respectiua constans, & certa omnium Doctorum sententia est, eam in conuenientiâ quadam consistere, qua vnum ens alteri est congruum, seu conueniens, seu consentaneum. De bonitate verò absolutâ non adeò est exploratum, in quonam illa conceptu ponenda sit. Multi enim Doctores censent, eam nihilo differre à perfectione, qua quidlibet in suo esse perfectum dicitur, id est, tale, cui secundùm proprium genus, nec deest aliquid, nec redundat, iuxta definitionem perfecti traditam ab Aristot. lib. 3. Phys. text. 63. & lib. 5. Metaph. text. 21. Quoniam autem huiusmodi perfectio, siue integritas triplex est; essentialis; integralis; & accidentalis; triplicem dicti Doctores bonitatem absolutam distinguunt; essentialem; integralem; & accidentalem: ex quibus primam dicunt esse bonitatem trascendentalem, quæ per omnia entia vagatur. Hanc tamen sententiam ego reieci tom. 1. huius Operis

Operis disp. 15. q. 1. Statuique, bonitatem absolutam in quadam veluti venustate, nobilitate, siue dignitate consistere, quam quodlibet ens positiuum eo ipso, quòd habet esse, censetur habere, imprimis ab essentiâ suâ, deinde etiam ab adiunctis, quibus essentia melioratur; & ratione cuius est æstimabile, & amabile in se, & propter se. Vnde prædicata essentialia, & partes, & accidentia, ex quibus vnumquodque ens integratur, non ideo faciunt ipsum in se bonum, aut magis bonum; quia faciunt integrum, aut magis integrum; sed quia faciunt veluti pulchrum, siue nobile, aut magis tale; atque adeò dignum, aut magis dignum, quod æstimetur, & ametur in se, & propter se. De quo plura scripta loco citato videri possunt.

3 Iam verò bonum respectiuum in tria membra diuidi solet; scilicet in bonum honestum, bonum delectabile, & bonum vtile. Bonum honestum dicitur id, quod naturæ rationali quatenus tali conueniens, seu consentaneum est. Bonum verò delectabile appellatur id, quod naturæ intelligenti, aut sentienti prout tali est consentaneum, siue commodum; eique subinde delectationem parit. Ad bonum autem delectabile reduci debet, quidquid cuiuis enti, etiam insensibili, & non vitali, conueniens est, & consentaneum, siue congruum; illudque quoquo modo perficit. Vtile denique bonum venit dicendum, quidquid quouis modo conducit, vt existat quoduis ex alijs bonis; nempe vt existat quoduis bonum honestum, aut delectabile; atque etiam quoduis absolutum. Sed est aduertendum primò, bonum vtile conducens ad bonum absolutum nulli subiecto esse bonum, sicut id, ad quod est vtile, non est bonum vlli subiecto; atque ita tantùm habet respectum vtilitatis seu conducentiæ ad tale bonum. Bonum verò vtile conducens ad bonum respectiuum, præter respectum vtilitatis ad tale bonum, in super habet respectum ad subiectum, cui bonum est, nempe ad illud ipsum, quod respicit bonum, ad quod est vtile, Secundò est aduertendum, bonum quoduis vtile præcisè qua tale causatiuè tantùm esse bonum; cùm tamen cætera bona formaliter sint talia. Tertiò est aduertendum, inter bona relata non solùm ea censenda esse, quæ à subiecto, cui bona sunt, distinguuntur realiter, sed etiam, quæ cum ipso identificantur quatenus hæc ipsi subiecto maximè conuenientia sunt. Vnde quoduis ens & est bonum in se per bonitatem absolutam, & est bonum sibi per bonitatem relatam. Quæ duæ bonitates, licèt realiter sint idem, ex proprijs conceptibus sunt diuersæ, diuersosque voluntatis actus terminare valent. De quibus etiam plura scripta loco citato videri possunt.

4 Quemadmodùm autem de bonitate, & bono, ita de malitiâ, & malo venit philosophandum. Atque adeò dicendum primò; malitiam aliam esse absolutam, qua aliquid malum est in se; aliam esse respectiuam, qua aliquid malum est alicui, Secundò; malitiam absolutam in quadam veluti fœditate consistere, à qua aliquid dignum euadit, vt in se, & propter se despiciatur, & odio habeatur. Malitiam autem respectiuam consistere in quadam disconuenientiâ, qua aliquid alicui disconueniens, seu incongruum, seu dissentaneum est. Tertiò; malum respectiuum in tria membra diuidendum esse. Nempe in malum turpe, siue inhonestum, quod naturæ rationali prout tali est disconueniens, seu dissentaneum; in malum doloriferum, quod naturæ intelligenti, aut sentienti prout tali dissentaneum, seu incommodum, seu vexatiuum est; (ad quod reducitur quidquid cuilibet omnino enti aliter est disconueniens physicè); & in malum vtile; quale dicitur id, quod aliquâ ratione conducit, vt existant cætera mala: quod causatiuè tantùm dicetur malum; cùm cætera mala formaliter dicenda veniant: & illud quidem, quando ad malum absolutum conducit, ad ipsum solum est respectiuum, non ad subiectum; vti est, quando conducit ad malum relatum. Quartò dicendum; quidquid in se est absolutè malum, & sibi quoque esse malum respectiuè. Quinto; malum absolutum dumtaxat posse tale esse integraliter, aut accidentaliter; essentialiter verò minimè. Quæ & alia latiùs scripta videri possunt dicta disp. 15. q. 3.

Ex quibus omnibus infertur, vnum, & 5
idem ens multis modis posse esse bonum, & malum. Primùm enim est bonum in se substantialiter, seu essentialiter bonitate absolutâ. Deinde in se etiam bonitate, vel malitiâ absolutâ aut bonum, aut malum integraliter, accidentaliterque esse potest. Erit sic bonum, si nihil in eo desideretur partium, & accidentium, quæ naturalem, ac bonam ipsius constitutionem complent: malum autem, si aliquid eorum deficiat, aut etiam redundet. Præterea bonitate, vel malitiâ relatâ & sibi ipsi, & alijs entibus vel bonum potest esse, vel malum. Tum quibusdam bonum, & quibusdam malum; quia alijs conueniens, & consentaneum, alijs verò disconueniens & dissentaneum esse potest. Imò eidem nunc malum, nunc bonum esse potest secundùm diuersas circumstantias. Idque vel hoc, vel altero genere bonitatis, aut malitiæ ex recensitis supra: quæ omnia tum ex se, tum ex dictis comperta sunt. Magisque comperta fient illi, qui legerit disputationem citatam. His positis.

Primò est difficultas, vtrùm non solum 6
bonum relatum, (de quo non est dubium), sed etiam bonum absolutum sit obiectum voluntatis tum increatæ, tum creatæ. Negant Vazq. 1. 2. disp. 1. num. 18. & disp. 2. a num. 21. & clariùs disp. 3. num. 12. Montes. disp. 1. q. 1. Alarc. 1. p. tract. 3. disp. 2. cap. 1. à num. 4. & alij, Affirmant tamen Card. Iugo tom. de Pœnit. disp. 7. sec. 6. num. 93. Petr. Hurt. disp. 13. de Animâ sect. 1. Arriaga disp. 7. de Animâ sect. 1, Ouiedo controu. 8. de Animâ punct. 1. num. 2. & 3. & alij, præsertim Recentiores. Quibus ego subscribo. Primò; quia S. Thom. 1. p. q. 5, art. 1. in corpore cum Arist. à se citato apertè videtur stare pro hac sententiâ, vt patet ex contextu. Nec minùs clarè pro illâ stat haud dubiè S. Dionys. cap. 4. de Diuin. nomin. prope medium, dum ait, *Est igitur id, quod pulchrum est, & bonum, expetendum, amandum, diligendum omnibus; ac propter se ipsum, eiusque causâ*. Secundò, quia experientia constat, pulchra, & speciosa præcisè qua talia, & visui, & voluntati nonstræ arridere. Complacemus enim in rebus pulchris, præcisè quia in se pulchræ sunt. Pulchritudo autem bonitas quædam est absoluta rerum pulchrarum. Imo omnis bonitas absoluta entium quædam eorum pulchritudo, atque venustas est, vt constat ex dictis. Tertiò; nam, quoties voluntas bonum aliquod relatum vult alicui subiecto, non potest non com-

complacere in subiecto ipso: tum quia bonum relatum attingi nequit a voluntate, nisi attingatur subiectum, cui bonum est, vt inferiùs dicam; tum quia, cùm bonum relatum placeat propter subiectum, cui bonum est, non potest non subiectum ipsum placere propter se, atque adeò ratione bonitatis absolutæ; quam in se habet. Ideo enim volo amico bonum ex complacentiâ ipsius, quia persona amici mihi placet ob bonitatem absolutam, quam habet in se. Propterea enim quæcunque personam nobilitant, melioremque, & perfectiorem in se ipsa faciunt, eius haud dubie amicitiam conciliare solent. Quartò apriori; quia omne bonum relatum quodammodo est propter absolutum. Ideo enim perfectiones, quas habeo essentiales, integrales, & accidentales, mihi sunt bonæ: quia eis instructus, & quasi compositus bonus euado in me absolutè essentiali, integrali, & accidentali bonitate. Igitur, si bonum relatum obiectum est voluntatis ab ipsâ appetibile, quia bonum; huiusmodi etiam bonum absolutum, imo & potiore iure erit. Hæc probant, bonum absolutum obiectum voluntatis esse non solùm simul cum bono relato, sed etiam seorsim ab eo, ita, vt voluntas in bonitatem absolutam per complacentiam ferri possit sistendo in ipsâ; quin opus sit, vt simul appetat aliquam bonitatem relatam. Quòd si in bonum absolutum per complacentiam ferri potest voluntas: in malum etiam absolutum poterit ferri per displicentiam ob easdem, similesve rationes. Inquo proculdubio consentiunt Auctores nostræ sententiæ; & exprimit Lugo vbi supra.

7 Sed potest tamen contra illam obijci commune illud Scholasticorum effatum. *Amare est velle bonum alicui*. Quod tradit S. Thom. 1. p. q 20. art. 2. & 3. lib. 1. contra Gent. cap. 91. sæpe que alibi, & cum eo cæteri Scholastici communiter; quorum plures refert Ruiz tom. de Vol. disp 52. sect. 1. num. 10. Ex illo enim videtur inferri, voluntatem per modum prosequutionis in bonum dumtaxat relatum tendere posse, tendendo pariter in subiectum, cui illud est bonum; non item in bonum absolutum in ipso præcisè sistendo. Respondeo, huiusmodi exioma sententiæ nostræ non contraire. Quia in eo non est sermo de omni actu prosequutionis voluntatis, sed solùm de amore propriè, & specialiter dicto. Ob erim S. Th. art. illo 1. citato nô dixit absolutè, *Hoc enim est amare aliquem, velle ei bonum*; sed cum restrictione, *Hoc enim est propriè amare aliquem, velle ei bonum*. Amor enim propriè, & specialiter sumptus eum solum actum voluntatis significare solet, quo volumus alicui bonum: propriè enim, & specialiter non dicimur amare illum, in cuius pulchritudine, speciositate, & bonitate absolutâ complacemus, quousque ad volendum illi bonum pergamus eiusmodi complacentiâ excitati. Cum quo stat, amorem latiùs, & minùs propriè solere vsurpari pro quouis actu prosequutionis voluntatis. Vt sic tamen per velle bonum alicui non definitur, vt in ipso S. Th. videre licet qui 1. 2. q. 25. art. 2. in corpore agens de amore latè sumpto ait. *Ipsa aptitudo siue proportio appetitus ad bonum est amor, qui nihil aliud est, quàm complacentia boni*. Alia, quæ contra sententiam nostram opponunt aliqui, momenti non sunt, idcirco illa prætermitto.

8 Secunda difficultas est, vtrùm voluntas siue diuina, siue creata affectu prosequutionis, seu complacentiæ in malum vt malum ferri possit; in bonum autem vt bonum affectu fugæ, seu displicentiæ. Affirmant communiter Nominales agentes de voluntate creatâ, Ocham. Maior, Angelus. Almainus, & alij relati à Salas 1. 2. q. 1. trat 1. disp. 13. sec. 1. Quibus consentiunt Azor lib. 3. cap. 12. q. 2. Lorca 1. 2. disp. 7. Gasp. Hurt. tract. de Actibus humanis disp. 3. diff. 1. & alij Recentiores. Pro negatiuâ tamen sententiâ sunt S. Th. 1. 2. q. 8. art. 1. & ibi eius expositores communiter, Medina, Valentia Vazq. Montes. Cornejo, Gran. & alij. Quibus faueut Arist. lib. 1. Eth. c. cap. 1. dum ait, *Omnis actus est propter bonum: vnde bonum est quod omnia appetunt*. Dionys. cap. 4. de Diuinis nominibus, inquiens, *Nemo enim proposito sibi malo, facit, quæ facit*. Tum August. dum lib. 2. Confess. cap. 4. & seqq. & lib. 13. de Trinit. cap. 3. fusè probat, nullum esse, qui in peccato, quod committit, non quærat aliquam rationem boni. (Id quod etiam tenet Greg. Nyss. lib. 1. de Opificio hominis cap. 20. inter principium, & medium). Dumque dicit ipse August. in Ench. cap. 86. *Beati esse volumus, & miseri non solùm esse nolumus, sed neque velle possumus*. Et lib. 11. de Ciuitate cap. 27. probat, res omnes, etiam insensibiles, appetere proprium bonum. In qua etiam sententiâ est Dionys. loco citato. Denique Anselmus in lib. de Concordia liberi arbitrij, & prædestin, cùm ita fatur. *Nihil vult voluntas, nisi commoditatem, aut rectitudinem: quidquid enim aliud vult, aut propter commoditatem, aut rectitudinem vult, & ad has etiam, si fallitur, putat se referre, quod vult*. His concinit Seneca lib. 4. de Beneficijs cap. 17.

Pro resolutione dico primò. Voluntas siue 9
increata, siue creata per actum prosequutionis in malum absolutum ferri non potest: sicut neque in bonum absolutum per actum fugæ. In hoc conueniunt omnes Doctores tam primæ, quàm secundæ sententiæ. Ieque vt naturium probant testimonia citata, præsertim penultimum Augustini. Ratio ex ipsâ naturâ boni, & mali absoluti, actusque prosequutionis, & fugæ desumitur. Nam, quod in se absolutè est tedium, & malum, vt tale nequit esse amabile. Et, quod in se absolutè est pulchrum, & bonum, vt tale nequit esse odibile; vt termini ipsi præ se ferunt.

Dico secundò. Voluntas siue creata, siue 10
increata in malum relatum vt malum affectu prosequutionis, & in bonum relatum vt bonum affectu fugæ ferri potest, ex displicentiâ tamen subiecti, cui malum est, aut bonum. Apparet id in odio inimititiæ opposito ex æquò amori amicitiæ, quod citra dubium est possibile voluntati, vt ipsa experientia, & ratio ostendit. Quemadmodùm enim per amorem amicitiæ ex complacentiâ personæ volumus illi bonum, quia bonum illius est, citra omnem alium respectum; & nolumus illi malum, quia malum illius est: ita per odium inimicitiæ ex displicentiâ personæ volumus illi malum, quia malum illius est, alio respectu circunscripto; & nolumus illi bonum; quia bonum illius est: atque ita ex displicentiâ personæ & prosequimur illi malum, est fugimus bonum; quia tale.

Nec responderi potest, quod Vazq. & alij 11
eiusdem sententiæ respondent, nempe, qui odio habet inimicum, ita velle illi malum; quia malum illius est, vt motiuum formale talis actus non sit ma-

malum illius, sed bonum sui: vult enim illi malum; quia, illum malè habere, vt sibi bonum apprehendit: similiterque fugit illius bonum; quia, illum benè habere, malum sibi concipit. Hæc, inquam, responsio non valet. Primo; quia, velle me alteri malum, non præcisè quia est malum eius, sed quia, illum habere tale malum, est mihi bonum, non est actus odij erga illum, sed beneuolentiæ erga me: sicut non est actus amicitiæ alterius, sed beneuolentiæ propriæ, velle me alteri bonum; quia illum habere tale bonum mihi bonum est. Quis enim vnquam dixit, me amore amicitiæ prosequi seruum, cui valetudinem desidero; quia, illum benè valere, mihi vtile est? Aut me Deum vero amore charitatis amare, dum bonum, quod volo illi, refero ad me, me ipsum vltimatè quærens? Si igitur verum, & proprium odium inimicitiæ potest concipere voluntas, vt potest citra dubium concipere, æquè, ac verum, & proprium amorem amicitiæ; in malum vtique inimici, qua tale per modum prosequutionis, & in bonum per modum fugæ, sistendo ibi absque alio respectu, dicenda est tendere posse. Secundò; quia, dum odio habetur inimicus, displicentia circa personam propter malitiam in ea conceptam excitat ad volendum illi malum, qua malum illius est præcisè, ita, vt ad eiusmodi excitationem, seu motionem impertinens sit, quòd sit, aut non sit bonum alterius, inimicum tale malum habere. Quemadmodùm, dum amatur medium propter finem, ita mouet amor finis ad amorem medij, præcisè qua vtilis ad talem finem, vt ad talem motionem impertinens sit, quod tale medium, aut eius conducentia in finem, aliam habeat alterius generis bonitatem, aut secus. Ergo, quantumuis quis non concipieat vt sibi, vel alteri bonum hoc, quod est, suum inimicum habere malum; ex displicentia concepta circa personam poterit moueri, iæpeque de facto mouebitur ad volendum illi malum, præcisè quia malum est eius. Et sanè vel experientia ipsa constare videtur, tam malè animatum esse nonnunquam vnum hominem erga alterum, vt citra omnem omnino propriæ, aut alienæ commoditatis respectum omne malum illi desideret, præcisè quia malum illius est: quandoquidem sepositâ omni commoditate propriâ, & suorum, imo cum ingenti vtrorumque præiudicio sæpe procurat illud atroci quadã rabie malè agendi percitus. Quo etiam pacto nonnunquam fortasse idem sibi ipsi ex displicentia sui & malum optat, & procurat.

12 Dico tertiò. Nisi ex displicentiâ subiecti voluntas non potest prosequi malum eius; aut fugere eius bonum: quia, cui subiectum non displicet, nec malum relatum ad tale subiectum placere potest, nec displicere bonum relatum illi: vt satis ex se videtur notum.

13 Ex quibus sequitur, voluntatem, simpliciter, & indistinctè loquendo, nec posse velle malum vt malum, in eius volitione sistendo, nec posse nolle bonum vt bonum, sistendo in eius nolitione. Quia, licèt possit velle malum relatum subiecto, præcisè quia malum est illi, & nolle bonum, præcisè quia illi bonum est: at nequit id, nisi nolendo simul subiectum ipsum, seu displicendo in illo, mouente vt primario motiuo malitiâ absolutâ subiecti. Vnde affectus volendi malum subiecto non tam est prosequutio mali, quàm veluti applicatio eius ad tale subiectum: sicut è contra affectus nolendi bonum subiecto non tam est fuga boni, quàm veluti separatio eius à tali subiecto. Quo fit, vt, dum voluntas subiecto sibi displicenti vult malum, non tam velle malum absolutè, quàm odisse malum dicatur. Similiterque, dum eidem subiecto fugit bonum, non tam bonum, quod fugit, quam malum, quod odit, detestari. Quo sensu intelligendi sunt Auctores secundæ sententiæ, & Patres, qui pro illâ citantur; dum absolutè pronunciant, aut sine distinctione significant, voluntatem non posse velle nisi bonum, aut non posse nolle nisi malum. Adde, Patres commemoratos fortasse dumtaxat loqui, prout res eueniunt regulariter: quidquid sit de potestate absolutâ voluntatis: vt plurimum enim dum malum aliquod prosequimur ab aliqua ratione boni, quæ in ipso relucet, mouemur.

14 Iam, quod contra nostram doctrinam opponi solet à paritate intellectus, nullatenus potentis tendere in falsum per assensum, & in verum per dissensum, momenti non est. Quia plures extant disparitates, quas quisque facilè colligere poterit ex doctrinâ de naturâ dissensus tradita à nobis supra disp. 25. quæst. 5. sub finem. Ex quibus omnibus liquidò apparet, quomodò diuina voluntas possit, aut non possit velle malum vt malum; & nolle bonum vt bonum. Quoniam de diuinâ, & de creatâ eadem, quod ad rem attinet, philosophia est.

15 Tertia difficultas est, vtrùm non solum finis, sed etiam media ad obiectum adæquatum diuinæ voluntatis pertineant. Negabunt Thomistæ illi, qui 1. 2. quæst. 1. art. 1. agentes de voluntate creatâ censent, obiectum adæquatum eius esse solum finem; eo quòd S. Th. hanc protulit in eo art. propositionem. *Obiectum autem voluntatis est finis.* Eadem quippe, quod ad rem attinet, ratio est de voluntate increatâ, ac de creatâ. Dicendum tamen est cum communi, non solum finem, sed etiam media ad obiectum adæquatum voluntatis tum diuinæ, tum creatæ spectare. Quod expressit S. Th. 1. p. quæst. 5. art. 6. in corpore, dum ait, mediâ ratione vtilitatis, quam habent ad finem, appetibilia esse, & appetitum terminare. Vnde in propositione relatâ ex 1. 2. non loquitur S. Th. de obiecto adæquato voluntatis, vt benè exponit Vazq. ibi disp. 1. cap. 2. Et quidem, media esse amabilia propter finem, negari non potest; siue à bonitate propriâ, siue à bonitate finis sint bona, de quo modò non curo. Ergo neque potest negari, ea ad obiectum voluntatis spectare. Porro ad finem pertinent bonum absolutum, ac bonum relatum honestum, & delectabile: ad media autem bona vtilia, vt omnibus est notum. Ego verò insuper arbitror, malum absolutum, relatumque turpe, & doloriferum rationem finis habere posse, etiam respectu voluntatis diuinæ, malum autem vtile rationem medij. De quibus omnibus plura dicẽda venient. in tract. de Prouid. disp. 36. q. 2.

16 Modò ex omnibus dictis colligo, voluntatem diuinam in bonum absolutum per actum prosequutionis tendere posse ibi sistendo absque dependentiâ à bono, vel malo relato: pariterque per actum fugæ in malum absolutum. In bonum verò, aut malum relatum tendere nequit, nisi tendendo simul in terminum, ad quem refertur, qualis est subiectum respectu boni honesti, & delectabilis, respectuque mali turpis, & doloriferi; & finis respectu boni vtilis, aut etiam mali. Quod apud omnes est in confesso, Nam, sicut

verum relatum ab intellectu attingi nequit, nisi attingatur simul terminus eius; ità nequit attingi bonum, aut malum relatum, ni terminus proprius talis respectus pariter attingatur. Dubitari tamen potest, an omnis terminus boni, aut mali relati per eumdem omnino actum debeat attingi, quo attingitur bonum, aut malum ipsum. Videntur id plerique supponere de termino, qui est eorum subiectum; dum dicunt, amorem, quo volumus alicui bonum, vel nolumus malum, eumdem actum esse cum duplici respectu, altero ad bonũ, quod volumus, aut malũ, quod nolumus; altero ad personã, cui illud volumus, aut nolumus. Similiterque philosophãtur de odio, quo volumus alicui malum, vel nolumus bonũ. Ego verò consentaneè ad doctrinam traditam circa cognitionem relatorum supra disp. 23. q. 6. existimo, vel per vnum, vel per duplicem actum posse voluntatem attingere bonum, aut malum relatum, & eius terminum, quicunque ille sit. Ita tamen, vt quando actus duplex est, qui tangit bonum, aut malum relatum, cum altero tangente terminum essentialiter connectatur; prout ibi de cognitione relationis, & termini philosophatus sum. Moueor; quia argumenta ibidem adducta ad istud assumptum probandum circa cognitionem relationis, & termini pariter, imo potiori iure, probant idem circa affectum boni, aut mali relati, & termini eius, vt perpendenti notum fiet. Quæ subinde non repetenda, sed recolenda sunt, & ad propositum applicanda. Et quidem de fine, qui est terminus boni vtilis, satis est commune inter Philosophos, tum per eumdem actum cum ipso bono, tum per distinctum posse tangi. Cur igitur non dicetur idem de subiecto, quod est terminus aliorum bonorum relatorum?

17 Itaque voluntas siue diuina, siue humana bifariam potest velle alteri bonum. Primò per vnicum actum, qui & sit complacentia subiecti, & volitio boni tali subiecto concupiti. Secundò, per duos actus, quorum primus sit complacentia dicti subiecti; secundus verò cum primo connexus volitio dicti boni. Similiterque per vnũ, aut per duos actus potest voluntas velle alteri malũ. Tũ nolle priori malũ, & nolle posteriori bonũ. Illud est peculiare in termino obiecti relati voluntatis, quòd determinat, & mouet ad affectũ ipsius obiecti; cùm tamen terminus obiecti relati intellectus nullatenus determinet, aut moueat ad cognitionem eius; potius obiectum ipsum, quando est relatio connexionis, mouet ad cognitionem termini, vt latè tradidimus, & ostendimus loco citato. Etenim finis, qui est terminus bonitatis relatiuæ mediorum, ad media ipsa amanda determinat, & mouet. Pariterque bonitas, aut malitia subiecti, quod est terminus aliarum bonitatum, & malitiarum relatarum, ad eas volendas, vel nolendas tali subiecto dicenda est determinare, & mouere. Vnde, sicut finis bifariam potest mouere ad volenda media: immediatè, vti euenit; quando amor finis, & amor mediorum est idem actus, & mediâ volitione sui, vt contingit, quando intentio finis ab electione mediorum distinguitur, & in eam influit. Ita etiam bonitas, vel malitia subiecti bifariam potest mouere ad volendum, vel nolendum ipsi subiecto bonum, aut malum relatum: immediatè, si complacentia, aut displicentia subiecti idem sit actus cum volitione, aut nolitione dicti boni, aut mali relati; & mediatè, si sint actus distincti, & primus influat in secundum. Qui quidem duo modi tendendi in bona, & mala relatiua, & in eorum terminos eatenus dicendi sunt possibiles voluntati diuinæ, quatenus in ea etiam actus inter se aliqua ratione distincti dicendi sunt dari, prout ostendemus disp. 34. Vbi etiã videbimus, quibus alijs diuersis modis diuina voluntas in sua obiecta, qualia sunt bona, & mala, quæ recensuimus, tendere valeat.

QVAESTIO II.

Vtrùm obiectum formale diuinæ voluntatis sit sola bonitas increata; vel etiam creata.

DVplex in vniuersùm sententia est. Altera asserentium, solam diuinam bonitatem esse obiectum formale, motiuum, ac specificatiuum voluntatis diuinæ. Creaturas verò dumtaxat habere rationem obiecti materialis. Altera asserentium, obiectum formale, & motiuum voluntatis diuinæ non solùm diuinam bonitatem, sed etiam bonitatem creatam esse. Crediderim tamen, plerosque prioris sententiæ Auctores ab Auctoribus posterioris dumtaxat dissidere in modo loquendi. Stant autem pro priori Molin. 1. p. quæst. 19. art. 2. disp. 3. & art. 5. Valent. punct. 4. & 5. assert. 2. Arrub. disp. 51. cap. 3. Becan. de Volun. cap. 11. quæst. 2. & 9. Gran. tract. 1. de Vol. disp. 3. Ruiz disp. 3. de Volunt. Alarc. tract. 3. disp. 2. cap. 1. & 2. Tann. disp. 2. quæst. 10. dub. 1. num. 3. & dub. 5. num. 2. Hemel. tit. 5. disp. 2. cap. 6. Quiros tom. 1. de Deo disp. 72. sect. 2. & alij. Pro posteriori autem sententiâ sunt Albiz disp. 8. de Volunt. sect. 2. Petrus Hurt. 2. 2. disp. 121. Ripalda in manuscrip. de Volunt. & tom. de Fide disp. 31. Herice disp. 18. cap. 2. Turrian. 2. 2. disp. 66. dub. 2. §. *Tandem*, Quiedo controu. 5. de Charit. punct. 2. Aldrete disp. 3. de Incarn. sect. 3. Ribas de Volunt. disp. 3. cap. 2. Arriaga disp. 26. sect. 4. Ribaden. disp. 23. cap. 1. & alij Recentiores. Quibus consentire videntur Lugo disp. 2. de Incarn. à num. 63. Storz. lib. 1. suæ Theol. num. 44. Soar. Opusc. de Iustitiâ sect. 1. & Gaspar Hurt. disp. 1. de Volunt. diff. 4. & disp. 2. diff. 1. Fauet etium Vazq. 1. p. disp. 82. cap. 2. num. 9. Et, quotquot docent, in Deo verum, & proprium amorem amicitiæ erga creaturas reperiri, aliasque huiusmodi virtutes morales, quarum formale motiuum necessariò debet esse aliquid creatum. Fauet etiam huic sententiæ S. Th. lib. 1. contra Gent. cap. 89. & 93. licèt pro primâ videatur stare 1. p. quæst. 19. art. 2. 18

Cæterùm ex Doctoribus secundæ sententiæ 19
multi censent, ita posse bonitatem creatam obiectum formale, & motiuum diuinæ voluntatis esse, vt nequeat non insuper illa ad bonitatem diuinam tanquam ad motiuum primarium, finemque vltimum referri. Ad perfectionem enim Dei pertinere, quòd nihil creatum possit amare; quin illud amet propter seipsum. Alij verò arbitrantur; etsi Deus de facto ad seipsum cuncta sua opera referat, amando illa propter suam bonitatem tanquam propter vltimum finem; id tamen non adeò necessarium esse, vt nequeat aliter euenire: posse enim Deum aliquid creatum

ita

ita seorsim propter ipsum amare, vt illud ad se, ad suamve bonitatem tanquam ad finem, seu motiuum non referat. Vtrique tamen, vt componant ea duo, nempe quòd creatura ametur à Deo propter seipsam, sitque subinde obiectum formale, atque adeò etiam motiuum diuinæ voluntatis, & simul ametur propter bonitatem diuinam vt propter motiuum primarium, & finem vltimum, in varios modos, dicendi distracti sunt. Alij enim, quorum sunt Albiz. Petr. Hurt. & Ribaden. opinantur, bonitatem creatam partialiter solùm, & simul cum bonitate diuinà posse ésse obiectum formale diuinæ voluntatis, ita, vt ambæ per eumdem actum indiuisim debeant attingi. Alij actum imperij ponunt intrinsecè respicientem bonitatem diuinam, extrinsecèque subinde referentem ad illam tum actum imperatum habentem pro obiecto motiuo bonitatem creatam, tum etiam ipsam bonitatem. Qui quidem actus imperans rursus aut vagus ex parte imperati, aut determinatus esse potest. Alij, vt Ripalda, putant, ex amore necessario, quo Deus se amat tanquam ex principio per se nasci omnem amorem liberum, quo creaturæ propter propriam bonitatem amantur. Idque satis esse, vt illæ extrinsecè referantur ad Deum, atque ita propter ipsum etiam tanquam propter finem *cui* vltimum dicantur amari. Alij duos actus amoris comitantes meditantur in Deo circa obiectum quoduis creatum aut penitus inter se inconnexos, aut connexos non mutuò; alterum, quo tale obiectum propter Deum, alterum, quo propter se ipsum amatur. Alij intentionem obiectiuè vagam gloriæ diuinæ excogitarunt amatæ propter Deum vt propter finem *cui*; oriundamque ab illa electionem horum mediorum præ alijs ex complacentia creaturarum, seu propter ipsas. Alij denique per electiones, quas materiales vocant, rem hanc componi posse opinantur, hoc est, per volitiones habentes vnicè pro motiuo bonitatem creatam, oriundasque extrinsecè, & immediate ab intentione gloriæ Dei, suppositâ præscientiâ de vtilitate earum ad dictam gloriam. Ad quos dicendi modos facile reuocaueris reliquos, qui excogitari possunt.

Pro resolutione suppono primò, obiectum formale alicuius actus id in vniuersùm vocari, quod est ratio attingendi, quidquid attingitur per actum: materiale verò id, quod non ratione sui, seu propter se, sed ratione obiecti formalis, seu propter ipsum tangitur. Solet autem obiectum formale diuidi in intrinsecum, quod per eumdem actum simul cum materiali attingitur, & extrinsecum, quod per distinctum, ac præuium actum tangitur. Quauis nonnulli, intrinsecum solum, velint, dicendum esse obiectum formale: in quo solùm potest esse dissensio de nomine. Obiectum autem motiuum dicitur, quod mouet potentiam ad actum. Quod certè, & formale in idem recidunt, si sermo sit, vti est in præsenti, non de obiecto mouente physicè per aliquid potentiæ impressũ, sed de mouente solùm intentionaliter, & obiectiuè, quod potissimum aplari solet motiuum, seu determinatiuum, neque à formali diuersum est, quando ipsum est motiuum intrinsecum. Quod addo; quia motiuum intentionale, seu obiectiuum aut intrinsecum, aut extrinsecum esse potest, vt alias dicebamus supra disp. 30. quæst. 17. num. 786. Intrinsecum dicitur, quod per actum, ad quem mouet, respicitur intrinsecè; extrinsecum verò, quod secus. Ex quibus solum primum est, quod coincidit cum obiecto formali, non item secundum. Quia tamen primum extrinsecum in alio sensu dici solet, quando mediate mouet ad actum, à quo respicitur, vt quando finis mouet mediâ intentione sui ad electionem medij, (quo casu coincidit cum formali, quod extrinsecum etiam dicitur), satiùs putauimus fore loco citato ad æquiuocationem tollendam, vt obiectum mouens ad actum, à quo respicitur intrinsecè, motiuum intrinsecum dicatur semper, diuidaturque in immediatum, & mediatum. Quocirca satiùs etiam erit, vt obiectum formale cum eo coincidens in immediatum, & mediatum diuidatur: ficque nullum extrinsecum appelletur. Denique obiectum specificatiuum actus dicitur illud, à quo actus speciem sumit, seu relatè ad quod habet actus esse talis naturæ, & speciei. Specificari enim actum ab obiecto, nihil est aliud, quàm esse talis naturæ, & essentiæ; eò quòd tale obiectum respicit. Vnde arbitror cum multis Recentioribus, actum non solùm ab obiecto formali; sed etiam à materiali, quod verè tangit, & per suam essentiam respicit, specificari quoad esse physicum; quidquid sit de esse morali; prout etiam notaui supra disp. 23. quæst. 8. similem versans difficultatem circa scientiam diuinam. 21

Hinc suppono secundò, sub obiecto formali, siue motiuo voluntatis diuinæ finem comprehendi in præsenti: de quo specialiter agunt nonnulli ex relatis Doctoribus. Nam finis obiectum motiuum est respectu electionis mediorum, atque adeò etiam formale saltem mediatum iuxta dicta. Quoniam autem particula *propter* obiectum motiuum indicare solet, hæc propositio, *Deus vult vnam creaturam propter aliam*, à multis ex Doctoribus primæ sententiæ reijcitur vt falsa: ab alijs verò eorumdem censetur vera: eamque variè explicant, ne denotet, creaturam esse obiectum motiuum, vt videre est apud Fasol. 1. p. quæst. 19. artic. 5. dubit. vnica. Ab omnibus tamen hæc vera reputatur, *Deus vult, vnam creaturam esse propter aliam*. Quasi tantùm significet, esse vnam creaturam medium conducens ad existentiam alterius.

Tertiò suppono, quoties voluntas alicui subiecto vult bonum aut honestum, aut delectabile, communiter reputari obiectum formale, seu motiuum, non solùm bonitatem absolutam subiecti, in qua voluntas complacet, iuxta dicta quæstione præcedente, sed etiam bonitatem relatam volitam ipsi subiecto. Ob id enim vulgò omnes dicunt, finem (qui potissimum voluntatis motiuum est) ex duplici veluti partiali fine adæquari, nempe ex fine *qui*, & ex fine *cui*, quales sunt bonum honestum, aut delectabile, & subiectum, cui bonum est. Nihilominùs, dum quis alicui subiecto vult bonum relatum, primarium saltem motiuum talis amoris censenda est bonitas subiecti, in qua complacet, secundarium autem bonitas relata, quam vult ipsi subiecto: nam hæc propter illam appetitur. Ideo namque volumus amico bonum; quia amicus ipse ratione bonitatis, quam in se habet, nobis placet. Pariterque est philosophandum de motiuo odij, quo volumus alicui malum; quia nobis secundum se displicet. Dixi, bonitatem subiecti amati esse saltem primatium motiuum amoris. Quia forsitan non sine probabilitatis specie posset aliquis affirmare, esse eam motiuum vnicum? bonitatem autem relatam tali subiecto volitam 22

obiecti dumtaxat materialis rationem habere. Verùm, quia hoc contra communem sensum Philosophorum esse videtur, in eo standum est, quòd bonitas quoque relata, de qua tractamus ratione sui sit obiectum formale, atque motiuum voluntatis, vt communiter Doctores sentiunt. Eatenus verò illa obiectum formale, & motiuum secundarium dicenda est, quatenus in suâ motione à motione alterius dependet tanquam à præuiâ conditione; non tamen è conuersò. Bonitas enim relata ad subiectum ideo mouet voluntatem ad sui volitionem; quia bonitas absoluta eiusdem subiecti eamdem voluntatem mouet ad sui complacentiam; non tamen vicè versâ. His positis, pergo ad quæstionis resolutionem.

Propositio 1.

23 Diuina bonitas de facto obiectum est formale, & motiuum omnium operum Dei, siue volitionis eorum.

Ita omnes Theologi. Constatque ex illo Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, iuxta communem Patrum, Interpretumque expositionem, vno, vel altero in sensu diuerso exponente. Quo etiam spectant illud Isaiæ 43. *Ego sum, qui deleo iniquitates tuas propter me*; & alia loca huiusmodi. Facit etiam illud Apocal. 22. *Ego sum alpha, & Omega, primus, & nouissimus, principium, & finis*, Ex quo patet, bonitatem absolutam, qua Deus in se bonus est, idoneum esse obiectum formale, ac motiuum voluntatis diuinæ, respectiuè etiam ad illa, quæ operatur ad extra, siue ad eorum volitionem. Eatenus namque dicitur propter se ipsum ea operari; quia ad seipsum tanquam ad finem *cui* refert illa, amando, seu volendo efficaciter illa sibi ex complacentiâ sui tanquam subiecto, cui aliquo modo conuenientia, seu bona sunt. Consentiunt in hanc propositionem itidem Patres, D. Dionys. cap. 4 de Diuin. nomin. Ex ipsoque Cyprianus Decade 5. cap. 3. August. lib. 1. de Doctrin. Christ. cap. 32. Bernard. serm. 59. in Cant. S. Max. Cent. 5. cap. 83. & alij communiter.

Hic disputant aliqui, vtrùm obiectum
24 formale, motiuumque volitionis Dei sit essentia diuina sola; an insuper relationes, & attributa. Esse solam essentiâ, tenent Alarc. 1. p. tract. 3. disp. 2. cap. 1. Hemelm. tit. 5. disp. 1. cap. 4. & apud eum Ferrar. Bann. Albed. Henric. & Scot. Quos sequitur Smising. tract. 3. disp. 3. quæst. 2. & alij Recentiores. Esse verò simul cum essentiâ relationes, & attributa, & quidquid Deus re ipsâ est, docet, & copiosè probat Ruiz disp. 3. de Volunt. sect. 3. cum Caiet. Molin. & alijs: quorum sententiam tenet etiam Albiz. tract. 2. disp. 2. sect. 2. num. 16. Quibus ego subscribo. Primò; quia Deus non solùm ab essentiâ, sed ab alijs etiam perfectionibus sibi intrinsecis euadit adæquatè, & integrè perfectus, & bonus in se ipso: atque ita ea omnia integrant, & adæquant bonitatem, quæ obiectum est formale, & motiuum voluntatis eius. Secundò; quia totam hanc integram Dei bonitatem videtur Scriptura assignare pro motiuo voluntatis diuinæ, dum absolutè pronunciat, Deum propter semetipsum cuncta operatum esse. Tertiò potissimùm; quia, sicut per nullum actum intellectus potest Deus suam essentiam tangere, quin tangat quidquid cum illâ est idem simpliciter, & absolutè, vt supra disp. 24. quæst. 1. statui. Ita per nullum actum voluntatis oriundum ex directione intellectus potest circa essentiam versari; quin simul circa relationes, & circa attributa versetur. Quemadmodùm enim intellectus, ita & voluntas Dei vnam formalitatem ab aliâ realiter identificatâ cum illâ prælcindere nullo pacto potest; vt vniuersè ostendemus infra quæst. 6. Vide ad rem plura apud Ruiz loco citato. Ex quibus apparet, falsam esse aliorum Recentiorum sententiam, qui respectu benevolentiæ diuinæ, qua Deus se amat, obiectum formale faciunt solam essentiam Dei; etsi respectu simplicis complacentiæ, dicant, non posse non Deum integrum esse obiectum formale.

Propositio 2.

Externa etiam glorificatio Dei de facto est obiectum formale, atque motiuum suorum operum, siue volitionis eorum. 25

Videntur etiam in hanc propositionem conspicare communiter Theologi, & Patres, dum asserunt, Deum ad suam laudem, gloriam, honorem, ostensionemque attributorum cuncta ordinasse. In quem sensum trahunt multi locum Prouerbiorum adductum propos. 1. Clarius autem id probant alia, Isaiæ 43. *Omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum*. Ad Eph. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum in laudem gloriæ gratiæ suæ*. Vbi Chrysost. serm. 1. *In adoptionem*, inquit, *filiorum nos prædestinauit volens, idque vehementer volens ad hoc, vt conspicua reddatur gratia suæ gloria*. Prædestinatio etiam, & reprobatio ad ostensionem misericordiæ, & iræ Dei sunt ordinatæ iuxta Paulum ad Rom. 9. dicentem. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, &c.* Cumque ad bonum Prædestinatorum cæteraque cuncta sint ordinata iuxta illud 1. Corint. 3. *Omnia vestra sunt, &c.* mediatè saltem sunt consequenter ordinata ad ostensionem attributorum Dei. Ad quam præterea potissimùm est ordinatum eximium illud opus Incarnationis Verbi, vt docent communiter Theologi. Esse autem ingens motiuum diuinæ voluntatis, & consequenter obiectum eius formale externam Dei glorificationem, satis insuper significant loca Scripturæ, in quibus hæc ad aliciendam ipsam voluntatem proponitur, vt annuat, & concedat, quod petitur Psalm. 78. *Propter gloriam nominis tui Domine libera nos, & propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum, &c.* Mitto alia.

Ex quibus infertur, non solam bonitatem
26 diuinam, sed etiam aliquam creatam, qualis est glorificatio externa, ostensioque attributorum Dei ad obiectum formale, & motiuum diuinæ voluntatis spectare. Cuius ratio à priori impromis est. Quia bonum honestum, & delectabile per se, & ratione sui est amabile, etiã à Deo, & consequenter obiectum formale; & motiuum voluntatis etiam diuinæ potest esse. Glorificationem autem externam, & ostensionem suorum attributorum vt honestam, & delectabilem appetit sibi Deus; non enim appetit eam vt vtilem ad aliunde finem consequendum, vt

constat

constat. Deinde; quia Deus à suâ bonitate motus non amat se tanquam finem *qui* à seipso consequendum per suam glorificationem extetenam tanquam per medium; sed tanquam finem *cui*, siue subiectum, cui talis glorificatio bona est, vt liquet. Ergo, dum illam sibi appetit, vult, & procurat, non solam bonitatem suam subiectiuam, sed etiam bonitatem relatam eiusdem glorificationis habet pro obiecto formali, motiuoque suæ volitionis, vt constat ex doctrinâ communi statutâ suppositione tertiâ. Tametsi bonitas subiectiua increata primarium motiuum sit talis actus; secundarium autem bonitas creata relata iuxta dicta ibidem.

Propositio 3.

Voluntas diuina non solùm bonitatem Dei, & eius glorificationem; sed alias insuper creaturas habet defacto pro motiuo, & obiecto formali.

Probatur primò ex Scripturâ. In qua sæ-
27 pe assignatur pro motiuo volitionis diuinæ aliquid creatum eisdem verbis, quibus in alijs locis diuina bonitas, aut Dei glorificatio assignari solet, aut certè verbis æquiualentibus. Ioan. 10. *Propterea me diligit Pater; quia ego pono animam meam.* Ioan. 16. *Ipse Pater amat vos; quia vos me amastis.* Ad Ephes. *Elegit nos, &c. vt essemus Sancti.* 1. Cor. 1. *Loquimur Dei sapientiam, &c. quam prædestinauit Deus ante sæcula in gloriam nostram.* 2. Cor. 1. *Per ipsum Amen Deo ad gloriam nostram.* Sap. 11. *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* 3. Reg. 3. *Quia postulasti verbum hoc, &c. Ecce feci tibi secundum sermones tuos.* Apoc. 3. *Quoniam seruasti verbum patientiæ meæ, & ego seruabo te ab horâ tentationis, &c.* Adde omnia loca, in quibus sæpe dicitur Deus propter peccata punire homines, & propter bona opera illos præmiare. Nec non ea, in quibus homines diligere dicitur, eosve amare tanquam amicos. Ex quibus omnibus abundè conficitur, motiuum diuinæ voluntatis sæpe esse bonitatem creatam. Neque fas est, huiusmodi loca detorquere ad obiectum materiale, vt Auctores sententiæ oppositæ detorquent. Quandoquidem ex vnâ parte illa, vt dicebam, nec minùs clarè, nec minus frequenter significant, honestatem creatam obiectum esse motiuum voluntatis Dei, quàm alia significant bonitatem diuinam eiusdem voluntatis motiuum esse: quæ tamen nemo est, qui non accipiat de motiuo formali. Ex aliâ verò parte ex istâ illorum acceptione nullum incommodum, & multa commoda sequuntur, vt ex dicendis apparebit.

Id ipsum sæpe docent Patres, August. lib.
28 11. de Ciuitate Dei cap. 21. ait. *Deus dixit, fiat lux, & facta est lux; & vidit Deus lucem, quia bona est. Si quærimus, quis fecerit; Deus est; si per quid fecerit; dixit, fiat, & facta est; si quare fecerit; quia bona est. Nec auctor est excellentior Deo. Nec ars efficatior Dei verbo. Nec causa melior, quàm, vt bonum crearetur à bono Deo.* Ecce, bonitatem, qua lux in se bona est, dicit Augustinus, esse causam motiuam creationis eius. Quod totidem verbis tradit Prosper Sent. 151. Adde, sæpissimè docere Augustinum id, quod nullus negare potest, vt videbimus disp. 33. quæst. 3. Deum reuerà, & propriè amare suas creaturas; & tamen tom. 4. lib 83. quæstion. quæst. 35. docet. *Quòd amare nihil est aliud, quàm appetere rem aliquam propter se ipsam.* Ergo sentit, Deum creaturas propter se ipsas, atque adeò tanquam obiectum formale, & motiuum appetere, seu velle. Sæpissimè etiam varios fines creatos diuinæ voluntati attribuit, vt videre est lib. 22. de Ciuit. cap. 1. & in Enchyr. cap. 19. & cap. 90. & sequentibus. Chrysost. item tom. 4. orat. 1. in illud ad Ephes. 1. *In laudem gloriæ gratiæ suæ*, ait, *Ex nobis enim nihil aliud cupit, quàm nostram salutem; non ministerium, non gloriam, non aliquid aliud; & propter hoc fecit omnia.* Consonat Bern. Serm. 3. in Pentec. dicens, *Omnia fecit propter seipsum gratuita videlicet bonitate. Omnia propter electos suos, pro eorum scilicet vtilitate; vt illa quidem efficiens causa sit; hæc finis.* Quid clariùs? Sed non sunt putâdi Bernardus, & Chrysostomus, dum omnia ad nostram vtilitatem relata videntur pronunciare, excludere alia motiua operum Dei, quo sensu ea ex communi omnium consensu adstruximus proposit. 1. & 2. solùm enim censendi sunt intendere, Deum non velle propter se bona creata tanquam sibi vtilia, vel necessaria, qua ratione illa vult nobis. Denique Nyssen. Orat. Cathechet. cap. 15. agens de Verbi Incarnatione ait. *Si ergo naturæ diuinæ inditium, & signum proprium est beneuolentia in homines, habes rationem, quam quærebas, habes causam, cur Deus veniret ad homines. Opus enim habebant medico, &c.* Et paulò post. *Hæc ne sunt parua, & indigna, quæ Deum moueant, vt descendat ad humanam naturam visitandam?* Quibus salutem hominum, dicit, fuisse motiuum Incarnationis iuxta illud Symboli. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, &c.* Et quidem motiuum Incarnationis fuisse aliquid creatum, omnes Theologi concludunt, dum illud inuestigant. Postremò D. Dionys. cap. 4. de Diuin. nom. de bono vniuersè dicit expetibile, amabileque propter se, & causa sui. Vbi etiam bonum creatum complecti videtur. Eius verba habes supra quæst. 1. num. 6. Huc faciunt insuper, quæcunque asseremus inferius quæst. 4. ad probandum, præter diuinum beneplacitum, multas esse causas, rationesque ad extra motiuas ad opera Dei. Videantur ibi dicenda.

Quæ cum ita sint, conficitur, Deum de- 29
facto non solùm bonitatem increatam, sed etiam creatam habere pro obiecto, seu motiuo formali voluntatis suæ. Vtrùm autem bonitas creata motiuum adæquatum sit alicuius volitionis diuinæ, vel solum inadæquatum, siue partiale simul cum bonitate increatâ, nondum est exploratum. Videamus, quid de possibili, vt postmodùm ad factum veniamus. Supponimus autem cum communi ex dicendis disp. 34. dari in diuinâ voluntate plures volitiones aut virtualiter, aut saltem per rationem nostram distinctas: etsi omnes formaliter realiter idem omnino sint. De quibus subinde vt inter se condistinctis procedit præsens difficultas.

Propositio 4.

Possibile est, aliquam diuinâ volitio- 30
nem circa bonitatem creatam versari vt circa obiectum formale totale, & adæquatum.

Pro-

Probatur propositio primò à paritate scientiæ diuinæ, quam posse habere pro motiuo adæquato creaturam, atque defacto habere, multis ostendimus supra disp. 23. quæst. 8. & disp. 25. quæst. 1. Imo Doctores nostri, & cæteri, præter Thomistas aliquos, communiter censent, futura contingentia siue absoluta, siue conditionata in se ipsis, non in aliquo alio obiecto cognosci à Deo. Quod est, ea motiuum adæquatum esse, atque adeò obiectum formale scientiæ, qua cognoscuntur. Pariter ergo poterit creatura motiuum formale adæquatum esse diuinæ volitionis. Quandoquidem ea non minùs habet bonitatem per se, & ratione sui amabilem, quàm veritatem per se, & ratione sui cognoscibilem. Petr. Hurt. disp. illa 121. de Charit. sect. 4. subsec. 9. discrimen affert inter intellectum, & voluntatem. Nam intellectus, vtpote potentia necessaria, imperfectionis moralis capax non est, sicut voluntas. Atque ita, licèt voluntas diuina æquè, ac intellectus; absque physicâ imperfectione posset circa creaturam versari tanquam circa obiectum formale adæquatum; eo quòd neutra potentia physicè à tali obiecto dependet. Ast voluntas sine morali imperfectione, à qua intellectus est immunis, euadere non posset: quia, velle creaturam propter ipsam præcisè, moraliter est quid imperfectum ex suo conceptu. Cæterùm quomodò in volitione creaturæ propter ipsam adæquatè nulla inuoluatur imperfectio moralis, ex dicendis conspicuum fiet.

31 Hinc se dat ratio à priori propositionis nostræ. Quia creaturæ vt condistinctæ à Deo per se, & ratione sui sunt bonæ, non solùm bonitate relata, sed etiam absolutâ: relatâ autem bonitate non solùm sunt bonæ Deo vt subiecto, verùm etiam sibi ipsis, & alijs. Sed de conceptu omnis bonitatis est, esse amabilem ratione sui: sicut de conceptu omnis veritatis est, esse ratione sui cognoscibilem. Ergo creaturæ per se, & ratione sui sunt amabiles tum in se ipsis ob bonitatem absolutam, tum Deo, alijs creaturis, & sibi ipsis, quibus sunt bonæ relatiuè. Ergo Deus; ad cuius perfectionem non minus spectat, posse amare omne amabile, qua ratione amabile est; quàm posse cognoscere omne cognoscibile, quo pacto est cognoscibile; non solùm potest amare creaturas propter se, sed etiam propter ipsas, & propter alias, idque vt propter motiuum adæquatum, qua ratione amabiles sunt. Confirmo distinctiùs, & vrgentiùs. Bonitas absoluta creaturæ, qua bonitas absoluta est, amabilis est, vt constat ex doctrinâ traditâ quæstione præcedente. Sed non est amabilis propter aliud quidpiam; quia propter aliud solùm amari potest, quod relatè ad illud est bonum. Ergo solùm est amabilis propter se. Similiterque bonitas, quam creatura habet relatè ad aliam creaturam, qua talis bonitas est, dumtaxat est amabilis propter eam creaturam, quàm respicit ex proprio conceptu. Ergo tantùm abest, vt Deus, omnis bonitatis amator, nequeat amare creaturam propter ipsam, & propter aliam tanquam propter adæquatum motiuum; quòd potiùs, si illam est amaturus vt bonam in se absolutè, vel vt bonam alteri, neutiquam illam ob aliud motiuum, quàm propter ipsam, vel propter alteram amare possit vi talis actus.

32 Dices; etsi creatura propter se physicè sit amabilis, absque morali tamen imperfectione propter se præcisè amari non posse, nisi ametur insuper propter Deum. Ita censet Petr. Hurt, qui ob id sect. illa 4. citatâ latè contendit, omnes virtutes morales à charitate Dei condistinctas, sistentesque in bonitate obiecti creati imperfectionem moralem secum ferre, atque adeò actus earum Deo conuenire non posse, nisi illi simul, & indiuisim sint actus charitatis Dei. Quo iure concedit, actus virtutum moralium, quos Christus Dominus exercuit imperfectos fuisse. Tametsi Christus ipse subiectiuè imperfectus non fuerit; eo quòd opera moralium virtutum, non solùm ex proprio earum motiuo, sed ex motiuo etiam charitatis exequebatur, imperantibus opus quodnis duobus actibus internis, altero charitatis, & altero moralis virtutis, cuius tale opus proprium erat. Cæterùm, quàm sit à veritate aliena doctrina hæc, ex his, quæ subijcio, palam fiet.

Primùm enim. Ex eo, quòd actus misericordiæ v.g. sit minùs perfectus moraliter, quàm actus charitatis, non sit, esse eum positiuè imperfectum, eoque iure repugnantem Deo: sicut ex eo, quòd actus voluntatis physicè sit minùs perfectus ex genere suo, quàm actus intellectus, non sequitur, illum esse positiuè imperfectum, alienumque propterea à Dei perfectione. Deinde; aut actus habens pro motiuo adæquato creaturam est moraliter imperfectus, quia habet tale motiuum; aut quia caret perfectione actus habentis pro motiuo Deum. Quodcunque eorum dicatur, sequitur, esse etiam imperfectum actum habentem pro motiuo creaturam simul, & Deum. Nam & iste habet pro motiuo creaturam, & caret maiore perfectione actus habentis pro motiuo solum Deum. Qui sanè nequit non esse perfectior ex suo genere, & obiecto, quàm actus tendens in Deum simul, & creaturâ. Et quidem, cùm huiusmodi actus secùdùm Hurt. ex duplici formalitate coalescat in Deo, alterâ circa creaturâ, alterâ circa Deum ipsum; nó video, cur non sit ille imperfectus prout tendens in creaturam præcisè æquè, ac actus, qui insolidum in creaturam tenderet. Nam quòd hic cum altero actu tendente insolidum in Deum non esset ex suo conceptu connexus, sicut formalitas illa habens pro motiuo creaturam connectitur cum formalitate habente pro motiuo Deum, vti philosophatur Hurt. ad contrahendam imperfectionem ex motiuo creato, vel non contrahendam parum videtur interesse. Prætera, Per se videtur, satis superque notum, hoc, quod est, velle subleuare miseriam pauperis, præscindendo ab alijs motiuis, adeò esse moraliter honestum, vt nullam in suo conceptu claudat moralem imperfectionem repugnantem Deo: cui proprium est, misereri semper, & parcere, vt in quadam oratione profitetur Ecclesia.

Ex his pergo; & probo propositionem tertiò. In Deo necessario sunt admittendæ virtutes 34
morales, misericordiæ, beneficentiæ, liberalitatis, amicitiæ erga homines, &c. illæque propriè, & strictè sumptæ, atque in suo genere perfectæ, vt ex Scripturâ, ex communique Patrum, atque Theologorum consensu inferiùs disp. 35. monstrandum est. Ergo necessariò quoque asserendum est, posse diuinam voluntatem habere pro motiuo adæquato alicuius actus obiectum, & motiuum proprium talium virtutum; quod aliquid creatum est. Probo consequentiam. Quia, si non potest, nec poterit habere actus prædictarum virtutum, saltem perfectos in suo genere. Etenim de ratione strictæ, & perfectæ amici-

amicitiæ est, ita velle bonum amico ex complacentiâ eius, vt amans vi talis actus nullatenus respiciat bonum proprium, sed solum amici. Similiter de ratione strictæ, & perfectæ liberalitatis, atque etiam beneuolentiæ, & misericordiæ est, circumscripto omni respectu conuenientiæ propriæ, velle alteri donum largiri, & benefacere, aut eius miseriam subleuare. Hæc autem Deus nullatenus erga homines præstare poterit, si non potest eis velle bonum, quin illud pariter ad se referat ex charitate propriâ, volendo videlicet, quod producit, non solùm creaturæ, sed sibi eodem actu indiuisibili.

35 Quartò probatur propositio. Quoniam voluntas Dei, non solùm per modum prosequutionis, sed etiam per modum fugæ versatur circa obiecta creata. Detestatur enim, & odio habet peccata, ac peccatores, vt tales sunt, & vniuersim omnia mala prout talia: vt passim Scriptura testatur. Ergo habet pro obiecto formali adæquato huiusmodi actuum malitiam eorum omnium, quæ odio habet. Patet consequentia; quia actus odij, qua odium est, nulla bonitas, nedum increata, & diuina, potest esse obiectum formale, sed sola malitia, quæ longè abest à Deo, & extra illum dumtaxat in creaturis reperiri valet. Quòd si actus odij, siue nolitionis diuinæ malitia extra Deum producta motiuum formale adæquatum potest existere; quidni pariter actus amoris, seu volitionis Dei poterit esse obiectum formale, atque motiuum adæquatum creata bonitas omnino condistincta à Deo? Certè, si odium diuinum pro obiecto adæquato formali, motiuo, & specificatiuo aliquid condistinctum à Deo potest habere, nulla videtur excogitabilis ratio, cur amor diuinus similiter pro obiecto adæquato formali, motiuo, & specificatiuo aliquid condistinctum à Deo habere non possit. Et confirmari potest hæc ratio. Quia eiusdem honestatis est, amare obiectum proprium virtutis, & detestari oppositum vitij contrarij. Ergo Deus, cui omnis honestas, aliunde illi non repugnans, possibilis est, eodem modo potest amare obiecta virtutum, & detestari opposita vitiorum contrariorum. Ast detestationis vt talis nequit obiectum formale esse bonitas Dei. Ergo.

36 Nec satisfaciet, si quis respondeat, Deum ex complacentiâ sui detestari mala; atque ita bonitatem diuinam obiectum formale esse saltem inadæquatum eius actus, qui simul est amor Dei, & odium malorum. Non, inquam, satisfaciet. Primò; quia saltem, prout odium est, dictus actus habebit pro obiecto formali adæquato malitiam creatam. Vnde arguitur, actum diuinum, prout amor creaturæ est, posse pariter pro obiecto formali adæquato habere bonitatem creatam. Secundò; quia Deus non solùm detestatur mala, quatenus sibi mala sunt, sed etiam, quatenus sunt mala creaturis, & quatenus sunt mala secundùm se, præscindendo ab aliâ malitiâ relatâ ad Deum: quis enim neget, esse ea sic à Deo detestabilia? Vt sic autem actus detestationis nullatenus potest respicere bonitatem diuinam; vt constat; quia malum detestatum non tangitur per talem actum vt relatum ad talem bonitatem, vt malumve, seu aduersum illi. Hæc satis modò, nam propositio data per dicenda circa sequentem probabitur, atque confirmabitur ampliùs.

Propositio 5.

Possibile etiam videtur, ita Deum 37
circa obiectum creatum vt circa adæquatum motiuum alicuius suæ volitionis versari, vt non sit necesse, illud ad se simul per alium actum vt ad motiuum primarium, seu finem vltimum referre.

Probant itidem propositionem istam argumenta facta pro præcedente. Primum quidem: quia, vt veritas creata peccati, aliæque huiusmodi, cum quibus Deus iuxta sententiam communem, & nostram nec per substantiam, nec per decretum connexus est, possunt motiuum vnicũ esse scientiæ, qua à Deo cognoscuntur; ita bonitates creatæ non relatiuæ formaliter comparatione Dei, sed vel absolutæ, vel relatæ respectu creaturarum vnicum pariter motiuum diuinarum volitionum poterunt esse. Secundum autem: quia huiusmodi bonitates formaliter sumptæ, quo pacto mouent ad sui amorem, non sunt in Deũ referibiles. Nec apparet necessitas, cur materialiter spectatæ, prout bonæ etiam sunt Deo, referantur in ipsum. Tertium verò: quia ad perfectionem virtutum liberalitatis diuinæ, amicitiæ, beneficientiæ, aliarumque huiusmodi virtutum pertinere videtur, quòd Deus in earum exercitio ad bonum proprium non respiciat. Respiceret autem, si tale exercitium ad seipsum aliquo modo teneretur referre. Quartum denique: quia malitia peccati sumpta formaliter non est referibilis in Deum, nec propter Deum detestabilis. Neque apparet necessitas cur illam materialiter sumptam Deus ex complacentiâ sui detestetur.

Deinde probari potest propositio. Quia 38
omnipotentia diuina pro termino formali adæquato habet creaturas possibiles; quin aliquid diuinum in ratione omnipotentiæ respiciat: vtpote quæ solas creaturas; non item aliquid diuinum causare valet. Igitur volitio creaturarum pariter pro obiecto formali adæquato poterit creaturas ipsas habere. Vt enim omnipotentia, cùm sit quid diuinum, ad solas creaturas referri valet. Ita volitio creaturarum, quantumuis diuina, ad solas ipsas creaturas referri valebit.

Præterea. Quò maior est cuiusuis creaturæ 39
bonitas, eò plus amatur à Deo: ob id enim Deus plùs amat iustos, quàm peccatores, & inter iustos plùs iustiores: ita quidem, vt ratio vnica amandi plùs hos, quàm illos, ipsorum maior bonitas sit: non verò bonitas diuina, quæ æqualiter se habet ad omnes. Igitur & absolutè poterit Deus suas creaturas ob solam earum bonitatem amare; quin ratio illas amandi sit sua bonitas vllo modo.

Vlterius. Deus creaturas producit, non 40
quod eis egeat, aliquodve commodum ex illis ad suam augendam beatitudinem capiat, sed, vt eis suam quodammodò bonitatem communicet. Igitur casu, quòd eas est causaturus, non est vnde necessitetur simpliciter ad eas causandas propter se, volendo scilicet vt sibi bonam earum tum causationem, tum existentiam. Sed eas propter ipsas præcisè causare poterit, & velle. Confirmatur, & declaratur. Deus non solùm non indiget creaturis ad aliquod genus augmenti

suæ

suæ perfectionis, aut bonitatis; ob idque illarum omnium productionem potest omittere, vt est certissimum: sed neque indiget ad tale augmentum actibus liberis voluntatis, quos circa creaturas elicit: quia Deus nihilo sibi contingenti vllatenus perfectibilis est: ob idque omnes suæ voluntatis actus liberos potest omittere, vt disp. 31. quæst. 5. probatum est. Igitur omittere illos poterit, qui in se vt in obiectum formale tendunt, retentis eis, qui vt in obiectum formale tendunt in solas creaturas.

41 Denique. Sæpe sæpius, dum Deum oramus, aliquod donum impetraturi, motiua creata illi proponimus ad eius allicicndam, & inclinandam nostris precibus voluntatem, nullatenus ipsi proposita tanquam motiuo suâ ipsius bonitate. Igitur communi, & veluti innatâ existimatione censemus, ex solo motiuo creato posse Deum nobis aliqua sua dona largiri.

42 Postremò propositio nostra probari potest. Quia, dato per impossibile, quòd Deus non posset amare propter se cætera omnia à se distincta, neutiquam sequitur per locum intrinsecum, ea absolutè à Deo non amabilia, & consequenter nec creabilia, nec possibilia fore. Quis enim censeat, tali impossibili hypothesi semel statutâ, fore per locum intrinsecum, vt Deus non posset creare Mundum, nec, eo creato, bonorũ merita remunerare, & malorũ demerita punire, egenorum subleuare miserias, apud eos vera testari, &c.? Certè etiam in datâ hypothesi hæc virtutum obiecta adhuc videntur fore amabilia à Deo; æquè, ac cognoscibilia essent ab ipso, vtpote vera, dato per similem hypothesim, quòd Deus illa nullo modo in se ipso tanquam in obiecto formali cognoscere posset. Igitur illorum absoluta amabilitas ex proprio conceptu cum ipsorum amabilitate propter Deum vt obiectum formale connexa non est. Atque adeò benè amari poterunt ab ipso Deo; quin in ipsum referantur vt in formale obiectum. Tantumdemque de odibilitate creatorum malorum, imo & potiori iure dicendum venit.

43 Verùm contra doctrinam tum præsentis, tum præcedentis propositionis multa opponuntur. Primum sic. Bonitas creata participatio quædam est bonitatis diuinæ, & medium suapte naturâ, & essentiâ ordinatum ad illam tanquam ad finem vltimum. Ergo non est amabilis, saltem ordinatè, nisi propter bonitatem diuinam, à qua procedit, & ad quam dirigitur. Quinimo, sicut non potest existere sine influxu primi efficientis, ita nec sine concursu vltimi finis: vtpote quæ non minùs à fine vltimo, quàm à primo efficiente pendet naturâ suâ. Hoc argumentum, si quid probat, probat vtique, neque à nobis posse bonitatem creatam amari, saltem ordinatè, aut in rerum natura poni, nisi propter bonitatem diuinam tanquam propter vltimum finem. Quod manifestè falsum est. Quare nihil censendum est probare.

44 Respondeo ergo, bonitatem creatam eatenus esse essentialiter participationem diuinæ, quatenus est quid creatum necessariò oriundum à Deo tanquam ab efficiente primo. Ex hoc autem non fit, bonitatem creatam non esse amabilem, nisi propter diuinam. Eo enim ipso, quòd est bonitas distincta à diuinâ, sicut in se est cognoscibilis, ita est amabilis propter se; licet etiam sit amabilis propter Deum, quatenus bona est Deo. Nec verum est, bonitatem creatam tantam dependentiam habere à Deo vt vltimo fine, quantam ab ipso vt primo efficiente. Siquidem sine iuuamine primi efficientis à nullâ causâ produci potest: benè tamen sine iuuamine vltimi finis, quem paucæ causæ creatæ, & rarò respiciunt in suis operationibus. De facto quidem omne bonum creatum est ordinatũ in Deũ vt in vltimũ finem: huiusmodi tamen ordinatio ad ipsius existentiam simpliciter necessaria non erat. Quemadmodùm ad existentiam mali culpæ necessaria non est: quandoquidem hoc non per amorem ipsius causatiuum, sed per odium tantùm ipsius destructiuum est ordinabile in Deum tanquam in finem.

Secundò obijcitur. Volitio Dei specificatur à suo obiecto formali, ab eoque proinde desumit suam perfectionem. Ergo obiectum formale volitionis Dei nequit non taxare eius perfectionem. Ergo volitio habens pro obiecto formali creaturam non potest non esse limitata, & finita, qualis est creatura; atque ita repugnans Deo. Confirmatur. Quia, cùm Deus infinitè excedat creaturâ in perfectione, volitio habens pro obiecto formali Deum, nequit nõ excedere in perfectione infinite volitionẽ habentẽ pro obiecto formali creaturam. Ergo hæc nõ potest esse infinita quoad perfectionem, aut saltem non potest non esse imperfecta, vtpote carens totâ eâ perfectione, in qua excedit à volitione de Deo. Idem argumentum propositum latèque dilui supra in simili disp. 23. quæst. 8. agens de actibus scientiæ Dei. Recognoscantur dicta ibi de illis, & actibus voluntatis huc mente translata accomodentur, ne iam actum agamus. 45

Tertiò obijcietur. Volitio omnium perfectissima perfectissimum obiectum formale debet habere. Sed talis est quæuis volitio Dei. Ergo nulla est possibilis, quæ non habeat perfectissimum obiectum formale; qualis est sola diuina bonitas. Respondeo, volitionem perfectissimam in omni genere debere habere obiectum formale, imo & materiale perfectissimum in omni genere, qualis est Deus. Volitionem verò in vno genere perfectissimam aliud obiectum non exposcere ab eo, quod habet in tali genere: quod sæpe est aliquid creatum, vt constat ex dictis. Recognoscantur item, quidquid pro soluendo etiam hoc argumento in simili dictum relinquimus loco citato. 46

Quartò obijcitur. Deus se ipsum amat amore summo. Ergo cætera cuncta bona debet amare propter se ipsum. De ratione enim amoris summi est, velle omnia bona possibilia amato. Ob id enim, quò plus viri sancti amant Deũ, eò plura illi volunt, quibus gloria eius promoueatur. Respondeo primò; per hoc argumentum penitus non excludi creaturas à ratione obiecti formalis volitionis diuinæ. Quia quod alicui subiecto amatur obiectum est formale partiale talis amoris iuxta doctrinam præmissam num. 22. Respondeo secundò; etsi amor, quo Deus se amat, eum vehementer inclinet, vt sibi velit cætera bona; ad id tamen non necessitare simpliciter. Quia, vt potuit Deus illa absolutè non creare, vtpote quibus ad suam perfectionem, aut beatitudinem non indigebat; ita etiam ex suppositione, quòd creauit, potuit absolutè illa ad se non referre. Tametsi ad illa sibi volenda quodammodò fuerit necessitatus moraliter iuxta dicenda postmodùm ex hypothesi, quòd creauit. Quod solum genus necessitatis habent ad 47

volen-

yolendum Deo cuncta bona, quæ menti occurrunt, Sancti, qui ardenter diligunt illum.

48 Quintò obijcitur. Amor diuinus est simpliciter infinitus, Ergo in bonitate finitâ nequit vt in proprio centro quiescere, quin pertranseat ad infinitam vt ad motiuum sibi proportionatum. Respondeo, amorem Dei pertinentem ad ipsius perfectionem, ac beatitudinem, qualis est solùm essentialis, & necessarius in solâ bonitate diuinâ posse quiescere. Quia solo summo bono potest diuina voluntas satiari. In quo tamen simel satiatam, & quiescentem, nil vetat veluti per quamdam redundantiam, extendi eam ad amanda bona creata sistendo in illis per amorem liberum nullatenus ad complementum suæ perfectionis, ac beatitudinis pertinentem. Qui amor subinde, quantumuis sit in se infinitus, benè poterit in bono creato se sistere, ac veluti vt in proprio obiecto quiescere, quin pergat ad bonum increatum.

Sextò obijcitur. Deus non potest non ope-
49 rari honestè; atque adeò ex motiuo honestatis, prout opus est ad honestè opreandum. Sed honestas operationis in consonantia, seu conuenientia eius cum naturâ rationali, aut etiam cum vltimo fine eius consistit. Ergo Deus non potest non velle omnem suam operationem prout consonam, seu conuenientem sibi tanquam primo, & præstantissimo rationali, atque vltimo fine. Quod est, per omnem suam volitionem necessariò debere Deum respicere se ipsum vt obiectum formale. Respondeo, ad operandum honestè non opus esse, quòd habeatur pro motiuo honestas formalis operationis consistens in conuenientiâ eius cum operante prout rationali; sed sat esse, quòd habeatur pro motiuo honestas obiectiua, quam habet finis virtutis ad quam spectat honesta operatio: quod motiuum sæpe sæpius haberi potest independenter ab eo, quòd sit etiamipse operans motiuum, siue obiectum formale, prout ostendemus disp. 35. q. 1. Quo penitus cessat obiectio.

50 Septimò denique opponuntur testimonia Scripturæ, & Patrum supra commorata à nobis pro primâ propositione; quasi per illa non solùm factum, sed etiam necessitas ad struatur ordinationis creaturarum in bonitatem Dei vt finem. Respondeo, per eiusmodi testimonia dumtaxat adstrui, defacto Deum ad se ordinasse cuncta, quæ fecit. Si quando autem alicubi talis ordinationis necessitas aliqua indicatur; id certè de necessitate solùm morali intelligendum esse. Cùm enim Deus ad optimum in genere moris sit necessitatus moraliter, vt statuemus q. 3. consequens est, vt quæuis operatio eius externa non solùm ab eis virtutibus moralibus, ad quas potest illa spectare, sed etiam à charitate Theologicâ, qua Deus ipse se diligit, ducat originem. Ita enim extra omne dubium euadet illa melior moraliter. Et hæc est ratio, cur Deus defacto cuncta operetur iuxta doctrinam statutam propositam. 1. 2. & 3. tum propter bona creata, qualia sunt motiua propria moralium virtutum; tum propter se ipsum, seu propter suam bonitatem, quæ charitatis Theologicæ proprium motiuum est, Quo verò modo ex recensetis num. 19. defacto eueniat, vt in quoduis opus externum Dei duo motiua ista interueniant, nimirum creata bonitas, & increata, nunc nobis restat examinandum seu coniectandum.

Propositio 6.

Existimo quoties Deus aliquod ad extra operatur, tum propter se, tum propter bonitatem creatam iuxta doctrinam stabilitam propositam. 1. 2. & 3. id per duos actus comitantes, inuicemque incennexos suæ voluntatis præstare; quorum alterius diuina bonitas, alterius bonitas creata motiuum sit. 51

Moueor. Quia hoc solùm modo videntur benè cuncta cumponi: cæteris enim recensitis num. 19. aut absolutè componi nequeunt, aut certè non ita benè componuntur. Si enim Deus propter se simul, & propter creaturas tanquam propter duo formalia motiua ita diceatur operari, vt indiuisim per eumdem actum tangat vtrumque, aut per duos aliquo modo connexos inter se; aut non exercebit circa creaturas eas virtutes morales, quas Scriptura, & Patres de ipso prædicant; aut certè illas non adeò syncerè, & perfectè exercebit. Huius modi namque virtutum aut proprius conceptus, aut perfectio omnem respectum ad commodum eas exercentis excludit. Quo iure S. Th. lib. 1. contra Gent. cap. 93, ratione 6. loquens de liberalitate diuinâ ait, *Deus non vult alicui suam bonitatem communicare ad hoc, vt sibi exinde aliquid accrescat. Dare autem, non propter aliquod commodum ex datione expectatum, sed propter ipsam bonitatem, & conuenientiam dationis, est actus liberalitatis, vt patet per Philosophum in 4. Ethicor. Deus igitur est maximè liberalis; & vt Anicena dicit, ipse solus liberalis propriè dici potest.* Itaque, si fieri non potest, vt Deus liberè tendat in proprium obiectum, motiuumque virtutis moralis; quin pariter sibi prospiciat volendo sibi aliquod bonum aut eodem actu, aut etiam alio illi necessariò vel præsuppositò, vel annexo; certè nec fieri poterit, vt synceram, atque perfectam rationem talis virtutis assequatur; vt in amicitia erga homines, in liberalitate, & alijs similibus cernere licet. Si verò per duos, aut per plures actus comitanter solùm, ac veluti accidentarie, & casu coniuntos idem bonum, & ex motiuis proprijs moralium virtutum, & ex complacentia sui velit; nihil de perfectione talium virtutum detrahet: & aliàs circa eamdem materiam charitatem exercebit erga se ipsum: quo & honestatem Theologicam, & moralem sibi possibilem in tali materiâ assequetur. Defacto ergo credendum est, hac ratione operari: quia defacto censendum est, operari eum maiori perfectione, qua potest, circa materiam, qua operatur, iuxta doctrinam tradendam quæst. 3.

Quòd autem circa eamdem materiam ex- 52
ternam plures virtutes non se impediant, quando per actus adæquatos internos comitanter solùm se habentes referuntur ea ad motiua talium virtutum, videtur certum. Quia, cùm ex vnâ parte inter se sint connexi eiusmodi actus; exaliâ verò quo ad efficaciam singuli sufficientes sint; perinde se habent in ordine ad constituendam in tali materiâ virtutem, siue honestatem cuiusque propriam, ac si singuli soli essent, vel à diuersis voluntaribus nascerentur. Accedit, quòd multorum Theologorum sententiâ Christus

Dominus hoc eodum modo operabatur, exercendo scilicet circa eamdem materiam per diuersos actus internos tum charitatem erga Patrem, tum honestatem virtutis moralis tali materiæ accommodatæ. Et quidem, esse hunc pulcherrimum modũ operandi, satis, superque notum per se videtur. Satis ergo probabiliter videmur coniectare, dum, Deum ita de facto operari, asserimus: id que prætendere Scripturam sacram, atque sanctos Patres, dum asserunt, Deum tum propter semetipsum, tum propter creaturas, præsertim rationales, cuncta operari.

53 Ex quo constat primò contra Albiz, Petr. Hurt. & Ribaden. citatos nu. 19. dum Deus ex motiuo creato simul, & ex motiuo increato operatur ad extra, non tendere in vtrumque motiuum per eumdem voluntatis actum de facto; nec esse necessarium, vt tendat. Secundò constat contra alios ibidem relatos, nec per imperium spectans ad charitatem diuinam referre Deum ad se extrinsecè actus internos imperatos virtutum moralium habentes pro obiecto, & motiuo bonitatem creatã. Tum quia taliũ virtutũ actus, vt pote suam participantes libertatem à tali imperio, saltem haberent aut minorem, aut minùs perfectam honestatem moralem intra propriuum genus, quàm, si non essent sic imperati. Tum quia eo modo operandi non tam externam operationem, prout Scriptura docet, quàm internam imperatam diceretur Deus exequi propter se. Tertiò sequitur contra Ripaldam, non benè ab ipso rem hanc componi asserente, sufficere ad compositionem, quòd actus liberi moralium virtutum nascantur tanquam à principio per se ab amore necessario, quo Deus se amat, vt nasci ipse asseuerat. Tum quia ad asserendum talem influxum amoris necessarij in actus liberos idoneum fundamentum non datur. Tum quia ille admissus nequaquam sufficit, vt Deus dicatur velle creaturas propter se. Cùm ad id requiratur actus, quo Deus velit creaturas vt bonas sibi ex complacentiâ sui: qualis neque est amor necessarius, quo Deus se solum quoad intrinseca amat: neque sunt actus virtutum moralium ab illo, vt ponitur, nascentes, quibus propter ipsarum bonitatem amat creaturas. Quartò sequitur contra alios, nec per intentionem vagam gloriæ diuinæ, & electionem ab illâ oriundam rem hanc de facto benè componi. Quia id esset, illam componere per duos actus inter se connexos; quem modum iam reiecimus, vtpote aduersum sinceritati, & perfectioni diuinarum virtutum. Denique contra alios sequitur, electiones materiales oriundas ab intentione gloriæ Dei minùs ad rem idoneas esse. Quia, licèt in Deo sint possibiles; quod est sub lite; & nos abnuimus: attamen sufficientes non sunt, vt Deus cum proprietate dicatur propter se vniuersa operari. Aliaque secum ferunt incommoda oriunda ad rem iuxta iam dicta ex eo, quòd à charitate præuia Dei suam libertatem participarent. Ex quibus omnibus concluditur, aptissimè omnium cuncta comoponi, si dicatur Deus de facto operari, vti nos in propositione statuimus.

QVAESTIO III.

Vtrùm Deus semper, & infallibiliter velit optimum.

54 COmmunis, & pernulgata Theologorum sententia est, Deum non semper velle, nec facere meliora, sed sæpe minùs bona eligere, & ijs, quæ facit, alia meliora posse facere. Ita S. Thom. 1. p. quæst. 25. art. 6. & ibi communiter Interpretes, Valent. punct. 3. illatione 4. & 5. Vazq. disp. 107. & rursus 3. p. tom. 1. disput. 1. cap. 3. num. 18. Soar. Opusc. de Libertate diuina disput. 1. sect. 1. num. 8. & 3. p. tom. 1. disput. 4. sect. 2. in fine, & disp. 30. Metaph. sect. vlt. num. 23. Zumel. in Opusc. tract. 3. discur. 4. sect. 5. ad 4. rationem, Azor. lib. 1. Sum. cap. 25. quæst. 7. Bellarm. lib. 3. de Grat. & liber. arb. cap. 17. argum. 2. Salas 1. 2. tom. 1. tract. 6. disp. 1. sect. 5. num. 53. Herice disp. 20. cap. 5. Gillius noster 1. p. lib. 2. tract. 8. cap. 10. nu. 4. Alarc. tract. 3. disp. 3. cap. 7. Card. de Lugo tom. de Incarn. disp. 2. à num. 7. Bernal. disp. 3. de Incarn. sect. 1. Mart. Perez. disp. 2. de Incarn. sect. 2. Aldrete disput. 1. & 2. de Incarn. Arriaga disp. 2. de Incarn. sect. 3. & 1. p. disp. 27. sect. 2. Martinon. 1. p. disp. 13. sect. 5. Carleton 1. p. disp. 32. & alij. Cæterùm P. Gran. 1. p. controu. 3. tract. 2. disp. 3. & latiùs P. Dida. Ruiz tom. de Volunt. disput. 9. & 10. duplex bonorum genus distinguunt: alterum, in qno non datur optimum; quia, quouis bono signato, aliud melius possibile est: alterum, in quo datur optimum; quia in tali genere aliud melius non est possibile. Et in primo genere, dicunt, Deum non eligere optimũ: quia id est impossibile. Quo sensu interpretantur plerosque ex commemoratis Theologis. In secundo vero genere, aiunt, Deum semper, & infallibiliter eligere optimum, adeò, vt ad illud eligendum necessitatus sit, non quidem physicâ, aut metaphysicâ, sed morali necessitate; quæ simpliciter, & absolutè non est necessitas. Inquonam verò bonorum genere reperiatur optimum, & in quo non item, non satis explicant hi Doctores. Quo fit, vt eorum doctrina sæpe dehiscat defectu fundamenti, cui nititur.

55 Ego; vt nouâ quadam viâ sententiam communem Theologorum cum rei veritate componam, ac veluti medius incedens sensum Scripturarum, & Patrum, vnde Gran. & Ruiz potissimum sibi subsidium vendicant, pro viribus aperiam; suppono primò, vnumquodque ens quoad essentiam neutiquam posse esse, aut à Deo fieri melius, quàm est, vt est notissimum. Inter entia autem possibilia, atque adeò producibilia à Deo aliqua esse quoad perfectionem metaphysicam, siue essentialem finita in se: aliqua verò in se infinita; Et in seriebus quidem finitorum proportionaliter se excedentium nullum esse optimum, sed, dato quouis, aliud melius, siue perfectius illo possibile esse; adeòque tales series à parte ascendente infinitas esse. In seriebus verò infinitorum proportionaliter se excedentium optimum dari, ita vt aliud melius, siue perfectius illo possibile non sit; idque vel intra proprium genus tantùm, vel etiam absolutè: talesque

que proinde series à parte ascendente esse finitas. Quæ omnia latè probata, & explicata sunt tom. 1. disput. 13. quæst. 8. & 9. Hoc autem ipso, quòd aggregatum quorumuis entium quoad multitudinem infinitum possibile est iuxta dicta ibidem, omnibus vtique suis partibus, quæcunque illæ sint, sumptis distributiuè erit illud melius; quatenus quodlibet totum suis partibus maius est; omniumque proinde bonorum, quæ secum fert illud, propriè optimum erit. Et hæc de bonitate absolutâ, qua entia in se sunt bona essentialiter, siue per suam essentiam.

56 Suppono secundò, bifariam posse aliquid euadere bonum accidentaliter in se bonitate absolutâ iuxta doctrinam supra tactam quæst. 1. & latiùs traditam tom. 1. disput. 15. (sub bonitate accidentali integralem etiam amplector). Primò in genere physico. Secundò in genere moris. In genere moris solæ perficiuntur, bonæque fiunt accidentaliter creaturæ retionales per actus moraliter honestos, quos liberè exercent. In genere autem physico bonum accidentaliter aut secundùm naturam potest tale esse; aut præter naturam. Secundùm naturam erit accidentaliter bonum, quod habet partes integrantes, & alia accidentia naturaliter sibi debita. Præter naturam autem, quod perficitur accidentibus sibi non debitis. Inter quæ duo accidentium genera illud est discrimen, quòd defectus accidentis naturaliter debiti malitia propriè dicta est, redens accidentaliter malum, & positiuè imperfectum ens illud, cui tale accidens deest. Defectus verò accidentis præternaturalis non item. Ex quo fit, ad hoc, vt aliquid sit bonum, perfectumve accidentaliter secundùm naturam, nihil debere deesse illi eorum, quæ naturaliter postulat, nihilque redundare eorum, quæ naturaliter auersatur, & quorum subinde carentiam postulat etiam naturaliter. Si enim defectus eius, quod naturaliter exigitur, malitia quædam est, quicunque huiusce generis defectus reddet malum, & positiuè imperfectum illud, cui conuenit: quia malum ex quocunque defectu. Quo iure dixit Arist. lib. 5. Met. text. 21. perfectum illud solum esse, cui nihil deest, aut redundat. Vt verò aliquid euadat accidentaliter bonum præter naturam, non opus est, quòd habeat omnia accidentia, quibus præter naturam perfici potest: quia, licèt per illa perficiatur, per eorum carentiam non inficitur: quia hæc non est ei positiuè mala. Vnde rursus efficitur, bonitatem accidentalem, qua aliquid euadit in se bonum secundùm naturam in indiuisibili consistere; sicut essentialem: neque posse eam, rigorosè loquendo, suscipere magis, & minùs. Quia, quod non attingit totum, quod exposcit natura eius, eo ipso est simpliciter imperfectum, & malum; tametsi, loquendo vulgariter, minùs bonum illud vocari soleat; eò que minùs bonum, quò plures defectus habet: ob idque optimum appellatur, quod habet nullum. Bonitas verò accidentalis, qua aliquid euadit in se bonum præter naturam, magis, & minùs suscipit. Quia, quod carens accidenti præternaturali est in se bonum, per eius aduentum redditur magis bonum, & per aduentum alterius magis, & sic deinceps. Et quoniam actus liberi naturæ rationalis prout liberi ei naturaliter non debentur, quantumuis sint illi ordinis naturales prout condistincti à supernaturali: quia non ab inclinatione naturæ, sed ab arbitrio ducunt originem; ob idque carentia eorum, nisi aliàs sint moraliter debiti ex præcepto, tali naturæ non est mala: ideo bonitas accidentalis moralis, qua natura rationalis ab actibus honestis non præceptis fit in se bona, etiam suscipit magis, & minùs. Vnde qui heri erat moraliter in se bonus, hodie per nouos actus sit melior, & cras erit melior, & sic deinceps.

Quæ cùm ita sint, primò colligitur, vnumquodque ens successu temporis non posse reddi, propriè, & stricte loquendo, magis bonum, quàm erat antea, penes bonitatem accidentalem secundùm naturam. Quia, cùm talis bonitas non suscipiat magis, & minùs, nequit ens penes illam transire de minùs bono in magis bonum, aut è contra, sed tantùm de malo in bonum, aut vice versâ. Secundò colligitur, vnumquodque ens penes bonitatem accidentalem præter naturam benè posse reddi successu temporis magis, & magis bonum in genere physico; idque in infinitum, si additamenta huiusmodi bonitatis semper finita sint. Cùm enim eorum multitudo in statu possibilitatis sit haud dubie infinita iuxta doctrinam, quam dedimus tom. 1. disput. 13. quæst. 3. posito in rerum naturâ quouis eorum numero, alius, & alius maior, & maior manebit sèper sine fine possibilis iuxta doctrinam statutam ibidem quæst. 2. propositr. 22. Quòd si omnia huiusmodi additamenta positiua simul ponantur in tali ente, iam in tali genere bonitatis ampliùs non poterit crescere optimumque proinde, quàm intra illud potest, euadet. Tertiò colligitur, vnamquamque creaturam rationalem in genere moris magis, & magis bonam euadere posse successu temporis per suas operationes honestas; idque in infinitum; quia multitudo operationum huiusmodi ei possibilium infinita est iuxta doctrinam citatam. Quia tamen nulla creatura rationalis videtur possibilis quæ omnes operationes honestas sibi possibiles, possit exequi simul, ita, vt iam per nullam possit ampliùs honestè operari, ideo nulla creatura rationalis potest vnquam ad statum optimæ peruenire penes hoc genus bonitatis. 57

Iam verò, faciendo comparationem inter plura entia, ex dictis colligitur quartò, de bonitate eorum accidentali secundùm naturam perinde, ac de essentiali philosophandum esse. Quia quæuis essentia citra dubium accidentia connaturalia sibi proportionata quoad bonitatem possit. Vnde fit, vt inter ea entia, ex quibus iuxta suppositionem primam nullum est possibile optimum quoad bonitatem essentialem, præter aggregatum ex omnibus; nec sit quoad bonitatem accidentalem secundùm naturam. Benè tamen sit inter ea, ex quibus aliquod optimum quoad bonitatem essentialem possibile est. Quintò colligitur, de bonitate etiam accidentali præter naturam in genere physico fermè esse philosophandum pariter. Quia perfectioni vniuscuiusque essentiæ est item haud dubie proportionata capacitas, quam illa habet, vt præternaturaliter perficiatur. Vnde itidem sequitur, vt inter ea entia, ex quibus nullum est possibile optimum quoad bonitatem essentialem, præter aggregatum ex omnibus; nec sit quoad bonitatem accidentalem præter naturam. Benè tamen sit inter ea, ex quibus aliquod optimum quoad bonitatem essentialem possibile est. Sextò denique colligitur, moraliter videri necessarium, vt ex creaturis rationalibus ea reddatur melior in 58

genere moris per suas honestas operationes, quæ perfectiorem essentiam habet, cæteris paribus. Vnde inter eas, ex quibus nulla est possibilis optima quoad bonitatem essentialem, nec videtur esse vlla possibilis, de qua sit moraliter necessarium, fore eam optimam in genere moris reliquis omnibus, casu, quòd omnes quoad cætera cuncta constituerentur, seu ponerentur pares. Benè tamen inter eas, ex quibus aliqua optima quoad bonitatem essentialem possibilis est. De hac enim moraliter necessarium videtur, fore etiam optimam reliquis in genere moris, si omnes quoad cætera ponerentur pares. Dico autem, moraliter necessarium videri: quia in præsenti necessitas physica, siue metaphysica locum non habet: cum sit negotium totum dependens à libertate. Et hæc satis de bonitate absolutà rerum.

59 Iam verò de bonitate relatà, honesta nimirum, aut delectabili, aut vtili sequitur vt dicamus. Et primùm, quod attinet ad bona honesta, quæ ab actibus virtutum non distinguuntur, non est dubitabile, quin detur inter illa aliquod optimum cum omni proprietate loquendo. Si enim fiat comparatio inter virtutes ipsas, cùm istæ non sint infinitæ: sed ad certa quædam capita reducantur; & aliàs sint inter se inæquales; consequens est, vt aliqua sit optima omnium. Talis autem est charitas Dei. Factâ verò comparatione intra quoduis virtutis genus, illæ, quæ consistunt in medio, (quales sunt, per se loquendo, omnes morales, loquendo autem per accidens, aliqua ex Theologicis iuxta doctrinam receptam ab omnibus, quam tradit S. Tham. 1. 2. quæst. 64.), non possunt non habere aliquem, aut aliquos actus optimos omnium, videlicet, qui exactè attingunt medium proprium virtutis; reliqui enim, qui à tali medio exorbitant aut per excessum, aut per defectum, non possunt non esse aut minùs boni, aut prorsus mali. Erunt mali, si à totâ latitudine, quam sæpe virtutis medium habet, exorbitent. Minùs verò boni, si intra eam latitudinem à puncto indiuisibili distanti æqualiter ab extremis declinent. Et quoniam honestas omnium actuum, quos Deus ex motiuo creato exercere potest, ad aliquam virtutem moralem pertinet aut communem Deo, & nobis, aut propriam solius Dei; ideo intra quoduis genus actuum Deo possibilium aliquis, aut aliqui sunt optimi quoad honestatem, cum omni proprietate loquendo; illi nimirum, qui exactissimè attingunt punctum medium virtutis, ad quam pertinent, vltra quod, citraque minor honestas reperitur; etiamsi nunquam perueniatur ad turpitudinem. Quod in virtutibus Dei ob eius supremum dominium, & excellentiam est peculiare. Deus quippe non peccaret, sicut nos, contra liberalitatem e.g. per defectum; etsi nullum donum conferret creaturis: nec per excessum, etsi conferret infinita; ageret verò minùs honestè, si vltra, vel citra id conferret, quod sibi, omnibus pensatis, est decentissimum, & honestissimum conferre.

60 Deinde, quod attinet ad bona relata delectabilia, & quæ reducuntur ad illa; cùm eorum bonitas præcipuè saltem fundetur in eorum essentiâ, pariter de eâ, ac de bonitate essentiali absolutâ censeo philosophandum. Atque ita dicendum iuxta doctrinam suppositam n. 55. quædam eiusmodi bonorum bonitatem finitam, & quædam infinitam habere respectiuè ad subiectum, cui bona sunt. Et si sint quidem subiecto suo connaturalia, & debita, fiuita proculdubio erunt quoad multitudinem: quia nulli essentiæ est connaturaliter debita accidentium perfectiuorum eius multitudo infinita. Vnde, supposito item, quòd inter se sint inæqualia, vti euenit plerunque, illud, quod cæteris omnibus sumptis singillatim fuerit melius, optimum propriè erit: si autem plura in supremo gradu fuerint æqualia, æqualiter illa respectu aliorum erunt optima: aggregatum autem omnium semper erit optimum respectiuè ad contenta in ipso sumpta distributiuè, vt est notum. Iam verò, si eiusmodi bona sint præternaturalia subiecto suo, infinita quoad multitudinem erunt iuxta doctrinam etiam loco citato commemoratâ; duæque venient distinguendæ infinitæ eorum multitudines, altera finitorum in se; altera infinitorũ in se: & in priori quidẽ nullum optimum possibile erit, præter aggregatũ ex omnibus; benè tamẽ in posteriori iuxta dicta ibidem in simili; in vtràque verò aggregatum omnium respectiuè ad contenta in ipso distributiuè sumpta optimum erit. Quæ omnia, suppositâ doctrinâ dicto num. 55. citatâ ex tom. 1. & à Lectore recognoscenda, satis sunt nota.

De aliâ, quæ supereſt, bonitate relatâ, de vtilitate videlicet mediorum ad finem paulò aliter est loquendum. Media enim eatenùs solùm videntur posse esse inæqualia quoad vtilitatem præcisè ad finem intentum, quatenus ad illum obtinendum aut sunt efficacia, aut sufficientia solùm: inter sufficientia enim secundùm se & inter efficacia secundùm se omnia videntur esse æqualia. Nisi velis ea vocare vtiliora, quæ propiora sunt fini, & ea minùs vtilia, quæ remotiora; quæ loquutio impropria erit, & extra rem præsentem. Nam in ordine ad electionem, quam vestigamus, non fit comparatio inter media eiusdem seriei, quarum alia sunt remotiora, & alia propinquiora respectu finis sed inter media, quæ per diuersas lineas siue proximè, siue remotè referuntur ad illum. Itaque omnia media, quibus positis, ponetur cum effectu finis eà ratione, qua intentus est, æqualem vtilitatem efficacem habent ad illum: proindeque omnia sunt optima veluti negatiuè in esse mediorum; vt benè docet Ruiz disp. 9. citatâ sect. 1. Et omnia media, quibus positis, potentia est ad ponendum finem eà ratione, qua intentus est, æqualem etiam vtilitatem sufficientem habent. Quia nulla est excogitabilis maior vtilitas efficax, quàm ea, quæ secum fert cum effectu finem. Nec maior vtilitas sufficiens, quàm, quæ illum potest secum ferre. Cætera enim vt necessitas, facilitas, certitudo, & similia extra conceptum vtilitatis sunt; proindeque, etsi in se suscipiant magis, & minùs, non faciunt vtilitatem, cui accedunt, suscipere magis, & minùs. Idque à posteriori facile ostenditur. Quia medium efficax vt medium non est magis amabile ex intentione finis, quòd magis necessariò secum fert finem: ad intendentem enim nil interest, quòd necessariò, aut contingenter ferat; dummodò ferat. Maior autem facilitas in consequendo finem per istud medium, quàm per aliud, etsi reddat illud simpliciter magis amabile, non tamen vt magis vtile ad finem, sed vt magis commodum alio genere bonitatis, vtpote carens incommoditate maioris difficultatis alterius. Maior denique certitudo de efficacia medij non est conditio augens eius vtilitatem, sed fa-

faciens, vt ea meliùs innoteſcat; quæ proindè omni amabili bonitati communis eſt; & reſpectu Dei nullatenus ſuſcipit magis, & minùs; ſed tantùm reſpectu noſtri. Quia Deo omnes bonitates veræ ſunt æquè certo cognoſcibiles. Idemque eſt de infallibilitate, &c.

62 Diximus de quantitate bonorum naturalium, & moralium tum abſolutorum tum relatorum. Modò de quantitate artificialium ſupereſt dicendum. Quorum profectò bonitas in diſpoſitione, ordine, & proportione partium rei artificiatæ conſiſtit, tali, qualem præſcribit ars in ordine ad finem, quem prætendit. Omnis enim ars aliquem habet finem ſibi præfixum, cuius gratia ordinat, quæcunque ordinat in rei artificiatæ ſtructurâ. Quemadmodùm & natura aliquem finem reſpicit in ijs, quæ ſibi adſciſcit, & poſcit, vt reſpectiuè ad talem finem ſe ſe perficiat. Igitur ſicut bonitas abſoluta rei naturalis in indiuiſibili conſiſtit, ita, vt ſecundùm naturam modò non poſſit ea eſſe melior, quàm erat antea, loquendo cum rigore: loquendo tamen vulgari modo melior, & meliot reddi poſſit, quouſque ad ſtatum optimæ veniat, vt ſuperiùs eſt explicatum; ſic bonitas rei artificialis in indiuiſibili conſiſtit, ita, vt ſecundùm artem non poſſit ea, rigorosè loquendo, eſſe melior, quàm erat antea; loquendo tamen vulgariter poſſit, quouſque ad ſtatum optimæ veniat. Tunc autem in tali ſtatu erit, cùm nihil ei deeſt, aut redundat eorum, quæ præſcribit ars relatè ad finem, ad quem dirigitur. Deficiente quippe, aut redundante aliquo vltra præſcriptum artis; etſi iuxta vulgarem modum loquendi minùs bona res artificiata dicatur; loquendo tamen cum rigore, prorſus mala dicenda eſt in ratione rei artificiatæ: quia deeſt ei aliquid debitum ſecundùm artem: cuius defectus eo ipſo malitia quædam eſt in eo genere ſufficiens totum opus inficere; qnia malum ex quocunque defectu. Sicut autem rei naturali alia ſunt bona relata ſecundùm naturam; alia præter naturam. Ita rei artificiali alia ſunt bona relata ſecundùm artem, alia præter artem. De quibus proportionaliter ad dicta de bonis relatis rei naturalis philoſophandum eſt. Sicque dicendum, inter ea, quæ rei artificiali ſunt bona ſecundùm artem, (& tum in ſe, tum quoad multitudinem finita proculdubio ſunt), id, quod cæteris melius eſt propriè optimum eſſe: ſi autem plura in ſupremo gradu ſint æqualia, æqualiter illa eſſe optima reſpectu aliorum; aggregatum autem omnium ſemper eſſe optimum reſpectiuè ad contenta in ipſo. Inter ea verò, quæ rei artificiali ſunt bona præter artem, nullum eſſe poſſibile optimum, præter aggregatũ ex omnibus. Quia ex vnâ parte finita ſunt omnia illa in ſe citra dubium; (in quo à bonis naturalibus differunt): ex aliâ verò quoad multitudinem ſunt infinita; atque ita, quibuſuis ſignatis, alia, & alia meliora, & meliora poſſibilia ſuperſunt. Quo fit, vt ſolum aggregatum omnia omnino poſſibilia complectens poſſit optimum eſſe. Dicimus autem bona relata rei artificialis ſecundùm artem, quæ illi ita iuxta præſcriptum ipſius artis in ordine ad finem ab ipsâ præintentum debita ſunt, vt, quouis eorum deficiente, non poſſit non res artificialis eſſe poſitiuè imperfecta, atque adeò mala in genere ſuo. Bona verò relata rei artificiali præter artem vocamus, quæ ab arte nec præſcribuntur, nec repudiantur in ordine ad proprium finem præintentum ab ipsâ: aliter tamen nihilominùs rem artificialam ita perficiunt, vt illam æſtimabiliorem, gratiorem, melioremque aliquo modo reddant, quàm ſine illis eſſet. Eiuſmodi ferme ſunt, quæcunque rem artificialem ornatiorem, atque pulchriorem reddunt ornatu, pulchritudineque ipſi proportionatâ, & conſentanea.

Hæc dicta ſunt de quantitate ſingulorum generum bonitatis ſeorſim. Vnde facile erit dijudicare de quantitate aggregatorum coaleſcentium ex pluribus bonitatibus diuerſorum generum. Hæc enim etiam comparari ſolent, habita ratione omnium bonitatum. Illudque melius alio à toto genere vocatur, quod pluribus, aut maioribus bonitatibus gaudet, quàm aliud. Conſtat autem, quoties vel vna tantùm aggregatorum bonitas optimum non admittit, neque ipſa aggregata poſſe illud admittere. Quia, tali bonitate ſine fine creſcente, aggregatum eà conſtans, cæteris paribus, melius, & melius ſine fine etiam euadet. Dico, cæteris paribus. Quia, ſi eiuſmodi bonitate creſcente, aliqua reliquarum maior, ſeu magis æſtimabilis decreſcit, aut etiam euaneſcit, vt fieri poteſt, tunc ex eo, quòd illa creſcat, aggregatum à toto genere non euadet melius. Quo fiet, vt licet illa optimum non admittat, aggregatum nihilominùs optimum admittere poſſit. Quale erit, ſi aliunde non obſtat, quando prædicta bonitas eum attingit gradum, quem præterire nequit, niſi aggregatum à toto genere minùs bonum reddatur. Vide id in arte factis, quæ ſæpe minùs bona, aut etiam mala redduntur relatè ad proprium finem artis, creſcente eorum bonitate ex parte materiæ. Gladius enim e.g. ex argento, aut ex auro factus minùs eſt bonus in eſſe gladij, quàm, qui ex chalybe factus eſt; tametſi chalybs ſubſtantia ſit longè imperfectior, ſeu minùs bona, quàm aurum, aut argentum. 63

Ex quibus omnibus liquidò apparet, qua ratione, & in quo genere bonorum ſit dabile optimum, adeò, vt intra tale genus nihil ſit melius poſſibile, excogitabile, aut aſſignabile. Non enim agimus de optimo, quod intra numerum aliquem determinatum bonorum optimum eſt; cùm tamen extra talem numerum meliora illo multa ſint. Nam iſtud optimi genus non eſt ad rem: quandoquidem reſpectu electionis Dei; cui non ſolùm bona eius numeri, vti accidit nobis, ſed cætera etiam poſſibilia propoſita ſunt ad eligendum; id, quod eſt optimum intra eum numerum, optimum abſolutè non eſt. Vnde patet, quam male Gran. ſupra pro exemplo bonorũ, quæ admittunt optimum abſolutè, extrema quæque contradictionis aſſignauerit, vt Incarnatio, & non Incarnatio, prædeſtinatio, & non prædeſtinatio, exiſtentia, & non exiſtentia Mundi. Nam vnum contradictoriorum non abſolutè eſt optimum, ſed tantùm reſpectiuè ad alterum, ſiue intra binarium amborum: cùm illud extra tale binarium multa alia habeat meliora ſe. Id habent ſpeciale contradictoria extrema in ordine ad electionem etiam diuinam, quòd nequit non alterutrum cum effectu ſub electionem cadere; cùm nequeat vtrumque deficere. Sed hoc nihil intereſt ad rem. Quia dici nequit, Deum hoc ipſo, quòd vtrumque contradictorium nequit ſimul omittere, neceſſitatum eſſe moraliter ad eligendum quod eſt altero melius, Cùm certum ſit, Deum de facto multa elegiſſe, quorum contradictoria ſecundùm ſe ſpectata meliora erant: qnalia ſunt carentiæ aliorum Mundorum, aliorumque 64

que tantum possibilium, quæ creare potuit. Si verò contradictoria spectentur vt coniuncta cum alijs bonis, vtrumlibet poterit esse melius altero, vel ei æquale iuxta diuersitatem circunstantiarum, cum quibus coniungantur. Atque ita vtrumuis poterit Deus absolutè eligere citra omnem necessitatem moralem; tametsi ad eligendum optimum illam habeat.

65 Denique supponenda est diuisio communis necessitatis in metaphysicam, physicam, & moralem; quam dedimus in Pharo Scient. disp. 11. quæst. 4. & alia non est à diuisione connexionis in eàdem membra tradita ibi disp. 2. quæst. 5. & disput. 14. quæst. 2. sæpeque alias. Necessitas quippe cuiuisuis subiecti ad quemuis actum aliud non est à connexione talis subiecti cum tali actu, prout latiùs ibidem est expositum. Igitur tunc habet subiectum metaphysicam necessitatem ad actum, quando nulla omnino potentiâ potest sine illo esse; nam, si esset sine illo, duo darentur contradictoria; quod prorsus repugnat. Tunc autem physicam, quando sine illo naturaliter, & citra miraculum esse non potest; etsi possit miraculosè. Tunc denique moralem, quando non potest sine illo esse, spectato modo, quo cuncta aut semper, aut fere semper, aut plerunque solent accidere: tametsi possit absolutè, atque etiam, spectato iure naturæ. Vnde necessitas moralis varios gradus potest habere, quos ad supremum, medium, & infimum possumus reuocare; quales sunt tres insinuati: supremus scilicet, quando subiectum sic se habet ad actum, vt in eàdem rerum, & circunstantiarum peristasi nunquam sit sine illo; medius, quando fere numquam; infimus, quando maiori ex parte. In præsenti autem quæstione de solâ necessitate morali in primo, & supremo gradu tractamus. Quemadmodùm autem necessitas; ita ad rem libertas necessitati opposita in metaphysicam, & physicam, & moralem diuidi potest. Tametsi Auctores impræsentiarùm nomine libertatis physicæ etiam metaphysicam complectantur: vti & nomine necessitatis physicæ metaphysicam item necessitatem complecti solent. Quod & nos deinceps compendij causâ, vtque cum eis loquamur, præstabimus; nisi aliquando aliud exprimere, vel aliter loqui expediens fuerit. His ergo omnibus sic suppositis, pergamus iam ad resolutionem quæstionis.

Propositio 1.

66 **Deus physicam libertatem, eamque perfectissimam habet ad eligendum obiectum quoduis minùs bonum, relicto meliori, aut etiam optimo. Idque non solùm absolutè, & simpliciter; sed etiam factâ quauis suppositione non inferente essentialiter electionem obiecti melioris, aut optimi.**

Hæc propositio certissima est apud omnes Theologos; nec sine temeritate, aut etiam errore contra fidem negari potest, vt communiter sentiunt Patres, & Scholastici agentes de libertate diuinâ cum S. Th. 1. p. quæst. 19. art. 3. & de necessitate Incarnationis 3. p. quæst. 1. art. 2. Itaque Deus non solùm potuit absolutè nullam producere creaturam; sed etiam ex suppositione, quòd decreuit creare Mundum, & hominum peccata permittere, beneficium Incarnationis prætermittere potuit, & dona supernaturalia, quibus homines saluarentur, eis denegare, aliaque huiuscemodi extrema minùs bona, quàm illa, quæ elegit, eligere, cum quibus antecedentia decreta metaphysicam connexionem non habent. Et quidem, quòd Deus ita simpliciter sit liber, vt absolutè potuerit nullam producere creaturam dogma fidei est stabilitum supra ex Scriptura, & Patribus, rarioneque etiam naturali monstratum disp. 31. quæst. 3. propos. 1. & 3. Quòd autem, postquam Deus decreuit Mundum creare, aut aliud quidpiam circa ipsum, in ipsoue agere, aut permittere; liberè potuerit nihilominùs cætera cuncta prætermittere, cum quibus priora decreta essentialem connexionem non habent proximam, vel remotam; ex eodem dogmate deducitur per euidentem consequentiam. Nam eo ipso, quòd Deus absolutè liber exitit in ordine ad rerum electionem siue creationem, ad nullius earum electionem siue creationem potest esse determinatus, siue necessitatus, nisi vi alicuius decreti antecedentis, & efficacis suæ voluntatis, quod essentialiter sit connexum cum talis rei electione, siue creatione, vt vt est notum. Nam, qui independenter ab omni extrinseco ad aliquid est simpliciter liber, aliunde, quàm à se ipso, non potest ad id præstandum necessitari, vt constat. Quoties igitur, quauis suppositione factâ, nullum extat præuium decretum Dei suapte naturâ connexum cum re postea eligenda, liberè potest Deus eam omittere eàdem persistente suppositione, quamtumuis sit melius aut absolutè, aut, tali factâ suppositione, eam eligere, quàm omittere. Quod erat probandum.

Propositio 2.

Ex suppositione, quòd Deus aliquid decreuerit connexum essentialiter cum alio quopiam non præuiso existente, metaphysicè manet necessitatus ad faciendum, quòd hoc existat in rerum naturâ, siue eligendo immediatè illud, siue eligendo aliud, vnde illud cum effectu sequatur. 67

Propositio est certa, & omnibus nota. Quia, deficiente termino connexionis rei à Deo decretæ, res ipsa quoque deficeret, & frustraretur decretum Dei, quod est impossibile. Est igitur prorsus necessarium, tali supposito decreto, quod talis terminus existat, atque adeò, quòd Deus efficiat, vt ille habeat esse; si aliunde iam non videt, habere.

Ex qua propositione sequitur, ex suppositione, quòd Deus efficaciter intendat finem, metaphysicè manere eum necessitatum ad eligendum aliquod medium efficax, aliàs non præuisum, existens, sine quo nequit existere talis finis, cumque omnia media efficaciter vtilia ad finem quodtalem vtilitatem æqualia sint vt num. 61. statuimus. Consequitur ex dictâ suppositione, tenere Deum necessitate physicâ ad eligendum aliquod bonum, quod in suo genere sit optimum negatiuè, ideſt, tale, quo non sit aliud melius in eo genere; etsi neque ipsum in eodem genere sit melius alio. 68

Pro-

Propositio 3.

69 Deus nullà necessitate potest esse necessitatus ad eligendum optimum intra illud genus bonorum, vbi optimum est impossibile. Imo prorsus est ei impossibilis talis electio.

Hæc propositio apud omnes est certissima iuxta, ac euidentissima. Quoniam Deus nequit efficaciter velle, & consequenter neque eligere, (electio quippe actus efficax est), quod est impossibile. Supponimus autem, esse impossibile optimum in eo bonorum genere, de quo loquimur. Ergo.

Propositio 4.

70 Posito, quòd collectio infinita omnium bonorum possibilium aut absolutè, aut intra quoduis eorum genus singularum partium sui optima sit iuxta dicta num. 55. Deus ad tale optimum eligendum non est necessitatus moraliter.

Hæc propositio etiam est certa. Quia, quæ moraliter sunt necessaria, semper, & infallibiliter eueniunt; tametsi physicè possent non euenire, adeò sunt prona, & inclinata ad ea ponenda principia eorum; hæc namque est ipsissima essentia necessitatis moralis, de qua tractamus. Sed nullum omnino infinitum secundùm multitudinem de facto à Deo in rerum naturâ positum est, vt constat. Ergo ad nullum infinitum producendum est Deus necessitatus moraliter. Ergo neque ad producendum, seu eligendum illud optimum, quod in collectione infinitâ consistit bonorum possibilium. Vnde patet, omnia argumenta, quibus probauimus tom. 1. disputat. 13. citatâ, possibile Deo esse producere eiusmodi optimum, consequenter probare contra Gran. & Ruiz, Deum non semper esse necessitatum moraliter ad eligendum optimum, quod potest eligere, si velit.

Propositio 5.

71 Deus ad aliqua bona eligenda, quæ physicè posset omittere, sæpe est necessitatus moraliter, saltem ex aliquâ suppositione à suo arbitrio aliquo modo trahente originem proximè, vel remotè. Atque ita eiusmodi bona de facto semper, & infallibiliter eligit infallibilitate morali.

Consentio in hac propositione ita vniuersim sumptâ cum Gran. & Ruiz vbi supra. Eidemque post me consentit Ribaden. disp. 14. de Volunt. cap. 5. addens, se nullum inuenisse Striptotem, qui eam negauerit, vno excepto Aldrete supra citato. Adeòque illa mihi videtur certa, vt, qua ratione negari possit, non videam. Imprimis enim ex eâ negatâ multa incommoda, & absurda sequuntur. Sit primum: multas Scripturæ ratiocinationes, & illationes aut inanes, aut futiles esse, aut certè parui, vel nullius roboris; cùm tamen tanquam infallibiles, & euidentes proponantur. Proferamus in medium aliquas. Lucæ 11. Christus Dominus ex eo, quòd non sit verisimile, patrem filio petenti panem daturum lapidem, aut petenti piscem daturum serpentem, aut petenti ouum porrecturũ scorpionem, infert. *Si ergo vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris; quantò magis Pater vester de Cælo dabit spiritum bonum petentibus se?* Quæ consequentia inanis prorsus, & nullius roboris esset, si non est certius, Deum daturum nobis gratiæ suæ spiritum petentibus illum, prout oportet, quàm, patrem creatum daturum filio dilecto panem, piscem, aut ouum ab ipso petitum potiùs, quàm lapidem, serpentem, aut scorpionem loco eius. Sed hoc moraliter est certum, vt constat. Ergo illud moraliter quoque certius est, Ergo moraliter euenire non potest, vt Deus deneget dona suæ gratiæ iusto illa petenti, prout oportet. Quod est, Deum ad illa conferenda esse necessitatum moraliter. Et quidem hæc ipsa moralis necessitas est, quam Christus Dominus suo argumento suadere conatur: vt torus ipse contextus satis apertè præse fert.

Pari euidentiâ, seu certitudine morali secundùm mentem Augustini, & aliorum colligit Christus Dominus Math. 6. & Lucæ 12. ex eo, quòd Deus pascit volatilia Cæli, & vestit lilia agri, acfuturum eum potiori iure suâ prouidentiâ iustis, vt nihil eis desit ex necessarijs, daturumque escam, & vestimentum, qui maiora dedit; animam scilicet, & corpus. *Non ne*, inquit, *anima plus est, quàm esca, & corpus plus, quàm vestimentum? Respicite volatilia Cæli, &c. Non ne vos magis pluris estis illis? Considerate lilia agri, &c. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur Deus sic vestit: quantò magis vos modicæ fidei?* Quo fere pacto arguit etiam in simili Math. 10. & Lucæ 12. vt suos in spe diuinæ prouidentiæ confirmet, dum ait. *Non ne duo passeres asse veneunt, &c. Nolite ergo timere, multis passeribus pluris estis vos.* Quæ loca cùm comme norasset August. lib. 5. de Genes. ad litt. capit. 12. ad probandam contra hæreticos Dei prouidentiam circa inferiorem hanc partem Mundi, subiungit cap. 22. *Quid ergo absurdius, quid insulsius sentiri potest, quàm, eam totam esse vacuam nutu, & regimine prouidentiæ; cuius extrema, & exigua videas tantâ dispositione formari? Et cùm animæ natura naturæ corporis antecellat; quid est dementius, quàm putare, nullum esse diuinæ prouidentiæ iudicium de moribus hominum; cùm in eorum carne tanta eius solertia clareant, & demonstrentur indicia?* Est itaque euidentissimum moraliter, Deum, qui de rebus minoris momenti ad vsum hominis ordinatis exactissimam prouidentiam habet, potiori iure habiturum illam de ipso homine, præsertim de ijs, quæ ad eius animam pertinent. Igitur Deus, suppositâ hac rerum peristasi, ad eiusmodi hominis prouidentiam necessitatus est moraliter; cùm posset illam physicè prætermittere. Aliunde enim, quàm à tali necessitate, talis euidentia, seu certitudo nasci nequit; vt notum est.

72

Apostolus item ad Rom. 8. ita arguit. *Qui etiam proprio Filio suo non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donauit?* Quasi dicat, ait Chrysost. ibi homil. 15. prope medium, *Qui*

73

fieri

fieri poteſt, vt non & cum eodem omnia nobis donet? Et poſt pauca. *Si filium largitus eſt: idque non ſimpliciter, ſed occiſioni tradidit; quid amplius de alijs dubitas? &c.* Et Ambroſ. lib. 1. de Iacob. & vitâ beatâ cap. 6. poſt medium. *Pro quibus igitur*, inquit, *quod ſuper omnia eſt, dedit, poteſt fieri, vt non in illo vniuerſa donauerit? Nihil enim excepit, qui omnium ceſſit Auctorem. Nihil eſt igitur, quod negari nobis poſſe vereamur.* Ecce ſecundùm Apoſtolum, Chryſoſt. & Ambroſ. neceſſarium, atque indubitabile eſt, Deum, qui nobis donauit Filium ſuum, & cætera dona collaturum, quæ noſtra malitia non repudianerit. Aſt huiuſmodi neceſſitas, & certitudo non eſt metaphyſica: quia Deus de potentiâ abſolutâ, tradito Filio, benè poſſet nihilominùs cætera dona negare hominibus. Ergo eſt neceſſitas, & certitudo moralis. Deus igitur dans nobis Filium moraliter eſt neceſſitatus ad danda cætera. Idque tanquam quid infallibile, & euidens moraliter intendit demonſtrare Apoſtolus ſuâ illatione.

74 Similem euidentiam præſefert illa altera eiuſdem Apoſtoli illatio ad Rom. 5. *Cùm adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Multò igitur magis nunc iuſtificati in ſanguine ipſius ſalui erimus ab irâ per ipſum.* Nec non illa Chriſti Domini Lucæ 23. *Si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Et illa 1. Petr. 4. *Si iuſtus vix ſaluabitur, impius, & peccator vbi parebunt?* Et illa Prou. 11. *Si iuſtus in terrâ recipit, quantò magis impius peccator?* Et aliæ huiuſmodi ſexcentæ, quæ paſſim in Scripturis ſacris occurrunt. Eam tamen vnam non prætermittam, quam Deus facit per Iſaiam cap. 49. Dum ait, *Nunquid obliuiſci poteſt mulier infantem ſuum, vt non miſereatur filio vteri ſui? Et ſi illa ablata fuerit, ego tamen non obliuiſcar tui.* Quaſi ſidicat: ſi eſt moraliter impoſſibile, vti reuerâ eſt, vt mulier non miſereatur filio vteri ſui; quantò magis, vt ego tibi non miſerear? Cuius profecto non obliuiſcar; quantumuis mulier per impoſſibile obliuiſcatur infantis vteri ſui.

75 Huc etiam faciunt multæ parabolæ earum, quibus referta ſunt Euangelia. Concludunt enim cum euidentiâ morali quali ſit Deus vſurus prouidentiâ in caſibus, pro quibus illæ adducuntur: ad quam ſubinde prouidentiam Deus non poteſt non eſſe moraliter neceſſitatus. Alioquin illatio ex parabolis moraliter non eſſet infallibilis, ſi Deus moraliter poſſet oppoſitum præſtare. Exemplo ſit pro omnibus vna illa patris familias, qui plantauit vineam, & locauit agricolis: hi autem illius ſeruos, & filium hæredem occiderunt, vt ſibi turarentur hæreditatem, Math. 21. Cuius facinoris fructus adeò per ſe notus, & euidens moraliter erat, vt a Iudæis proteruis, quibus parabola proponebatur, Chriſtus Dominus illum extorſerit, quo eos efficaciùs conuinceret. *Cum ergo venerit*, inquit, *dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi; Malos malè perdet: & vineam ſuam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Ex quo. Chriſtus concludit, *Ideo dico vobis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Demoſtrans per hanc illationem, tam eſſe certum, & infallibile, atque adeò neceſſarium moraliter, translaturum Deum à Iudæis perfidis ad gentiles ſuum regnum ſpirituale; ac erat certum, infallibile, & neceſſarium moraliter, translaturum patrem illum familias ſuam vineam ab illis agricolis nequam ad alios locatores fideles.

Eamdem neceſſitatem moralem ſignificant, 76
neque aliud ſignificare poſſunt, ea Scripturæ loca, quæ, aliquid Deo eſſe impoſſibile, pronunciant, quod phyſicè eſt illi poſſibile. Geneſ. 18. *Num celare potero Abraham, quæ geſturus ſum? &c.* quaſi dicat, *minimè.* Et cap. 19. *Dixit Dominus ad Lot. Feſtina, & ſaluare ibi; quia non potero facere quidquam, donec ingredieris illuc.* Marc. 6. *Non poterat ibi virtutem vllam facere propter incredulitatem eorum.*

Loca etiam Scripturæ, & Patrum, in quibus denotatur, Deum coactum a peccatis hominum, & renitentem procedere ad eorum punitionem, aperte ſignificant, Deum ex ſe, &, eâ extrinſeca violentiâ ſublatâ, neutiquam inflicturum hominibus mala, quæ infligit, etiam ſi phyſicè poſſet vt ſupræmus Dominus hominum; moraliterque fore impoſſibile, vt vltra condignum illa infligeret. Quemadmodùm coactio, & dolor, quo quis, tempeſtate imminente, proijcit merces in mare, ne mergatur, & pereat, indicium manifeſtum eſt neceſſitatis moralis, qua ſecum illas retineret, ni tempeſtas ingrueret. Sit pro exemplo locus ille Geneſ. 6. *Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malum omni tempore, pœnituit eum, quòd hominem feciſſet in terrâ. Et tactus dolore cordis intrinſecus, delebo, inquit, hominem, &c.* Vbi Chryſoſ. homil 22. col. antepen. *Num volebam tanta eos pœna plectit? Ipſi me peccatorum immanitate ad tantam indignationem compulerunt.* Mitto reliqua huiuſmodi. 77

Et probo iterum propoſitionem ab abſur- 78
do. Nam, ſi Deus ad nihil eorum, quæ præſtat, eſt neceſſitatus moraliter, ſed plenè ad vtrumuis indifferens agit, quæcunque agit, ſequitur planè, myſteria noſtræ fidei non eſſe euidenter credibilia, prout omnes Theologi confitentur, & ſine ingenti abſurdo negari nequit. Vt ſequelam probem, tanquam certum imprimis ſtatuo, fundamentum credibilitatis myſteriorum fidei coalescens ex ijs omnibus, quæ Deus in eius confirmationem ſuâ prouidentiâ diſpoſuit. (Qualis ſunt integritas doctrinæ catholicæ; cohærentia eius cum ratione; ſanctitatis Confeſſorum, qui eam perfectè coluerunt; ſapientia, qua floruerunt quamplurimi eorum; conſtantia Martyrum; miracula; & alia, de quibus in Tractatu de Fide.) Hoc, inquam, fundamentum maiori ex parte benè poſſe metaphyſicè cohærere cum negatione reuelationis Dei, quam infert. Alioquin non moralem ſolùm, ſed metaphyſicam euidentiam faceret talis reuelationis, & conſequenter obiecti reuelati; quo è medio tolleretur meritum fidei; vt ſuſiùs explicatum, & oſtenſi in Tractatu de Fide. Vel igitur non ſolùm metaphyſicè, ſed etiam moraliter eſt poſſibile, quod dictum fundamentum cum dictâ negatione reuelationis Dei componatur. Vel non eſt moraliter poſſibile. Si dicatur primum. Sequitur planè, ex tali fundamento nequaquam poſſe cum euidentia morali inferri diuina reuelatio, atque adeò illud neutiquam facere myſteria fidei euidenter moraliter credibilia: quia, quod cum alio moraliter connexum non eſt, cum certitudine morali nequit illud inferre, vt conſtat. Si verò dicatur ſecundum. Non minùs apertè conuincitur, Deum ad aliquid eſſe moraliter neceſſitatum; nempe ad non coniungendam cum dicto fundamento negationem reuelationis; vt pote quia talis coniunctio

iunctio moraliter est impossibilis: & nequit non esse Deo necessarium moraliter id, cuius contradictorium est ei moraliter impossibile. Necesse est igitur, quòd Deus ad aliquid præstandum sit necessitatus moraliter, vt mysteria fidei sint euidenter moraliter credibilia. Vel, si id Deo non conuenit, talia non sunt. Quod erat absurdum probandum.

79 Tertiò adhuc ab absurdo probatur propositio. Si enim Deus ad nihil est necessitatus moraliter, quod physicè possit prætermittere, innumera propemodùm argumenta, quibus Patres & Scholastici innumeras veritates ad Dei prouidentiam spectantes probare nituntur, cassa reduntur, & inania, atque nullius roboris. Imprimis enim veritates obiectinæ à prouidentiâ Dei, atque adeò à nutu voluntatis eius pendentes, quas talibus argumentis ostendere satagunt, certæ, & infallibiles moraliter esse non possunt, vti sæpe ipsi prætendunt. Quia certitudo moralis conclusionis sine connexione morali principij cum ipsâ conclusione, & consequenter sine morali necessitate ad illam constare non potest. Principium autem, vnde Patres, & Scholastici colligunt dictas veritates, voluntas Dei est sub tali, vel tali peristasi circunstanti arum. Deinde ne probabiliores quidem, quàm earum contradictoriæ, possunt prædictæ veritates euadere. Quoniam si voluntas diuina ad nullam veritatem, obiectiuam oriundam à suo nutu est necessitata moraliter; ad nullam quoque erit adeò inclinata, vt possimus eam potiùs, quàm eius contradictorium ex tali inclinatione colligere. Quo fit, vt nulla sit probabilior suo contradictorio. Aliunde quippe prouenire non potest, quòd voluntas Dei nequeat tantùm inclinari ad vnum extremum, vt tollat nobis facultatem prudenter iudicandi oppositum, (quod est, ad illud eam moraliter necessitatam esse), nisi quia illa ita est domina sui, & sibi sufficiens, neque quidpiam emolumenti à creaturis sibi capiens, vt à nullâ earum plùs, quàm ab eius contradictorio alicietur vt illam eligat. Quod est, esse semper illam æquè indifferentem ad vtrumuis, & consequenter in se spectatam sub quauis circunstantiarum peristasi non maiorem probabilitatem inducere vnius extremi, quàm alterius. Concluditur itaque, si Dei voluntas ad nihil necessitari potest moraliter, illationes Patrum, ac Theologorum commemoratas, non modò non esse certas moraliter, verùm neque probabiliores oppositis; sed prorsus dubias, & sine fundamento prolatas. Quod erat absurdum intentum ab hoc argumento.

80 Modò, vt eius assumptum distinctiùs, & luculentiùs appareat, supereſt, vt dictarum illationum aliqua exhibeamus exempla. Sit primum ratio illa, qua Patres, & Theologi, imo & Philosophi ethnici demonstrare sibi videntur contra Infideles animæ immortalitatem & iudicium alterius sæculi cuncta ad æqualitatem reducturum, quæ modò inæqualiter videntur transigi; dum scelerati homines diuitijs afluunt, honoribus, & imperio potiuntur, rebus secundis gaudent, iniustè, impunèque pauperes, & innoxios premunt. Cùm tamen probi, & iusti inuersâ vice mille erumnis, & calamitatibus atterantur; egerrimèque, & despicatissimè sub oppressione aliorum viuant, &c. Audiamus hac de re vnum Clementem Rom. lib. 3. Recognet. prope medium ita ratiotinantem. *Cum certum sit, Deum iustum esse, necessarium, & consequens est, aliud esse sæculum; in quo quisque pro meritis recipiens iustitiam Dei probet.* Et post pauca. *Hoc ipsum, quòd in præsenti vitâ non redditur vnicuique pro actibus suis, fidem indubitabilem facit scientibus, Deum esse iustum, quòd iudicum erit.* Sentit itaque Clemens, eo ipso, quòd Deus est iustus, necessarium esse, vt in alio sæculo malorum nequitia puniatur, bonorumque probitas, & pacientia remuneretur: neque esse dubitabile, quin ita fiet. Sedhæc necessitas, & certitudo nõ est metaphysica; quia Deus bene posset de potentiâ absoluta vt supremus Dominus omnium, præscindendo à suo decreto, & promissione, & malos sine supplicio, & bonos sine præmio in alterâ vitâ relinquere. Ergo est necessitas, & certitudo solùm moralis. Cum sancto Clemente sentiunt pariter Hilar. lib. 1. de Trinit. inter principium, & medium. Chrys. tom. 3. orat. 4. de Prouident. & lib. 1. de Proident. propiùs ad finem, quam ad medium, & 2. ad Timol. 3. homil. 8. Nazianz. Iambico de se ipso post medium. Et Iambico 2. de Prouid. Consonat Plato in Dialogo de immortalitate. Cic. lib. 1. Tuscul. & alij Philosophi communiter, atque Theologi. Videatur Eugubinus multa ad rem congerens lib. 9. de Perenni phylosophiâ.

Sint pro secundo exemplo omnia argumenta innixa rationi naturali, quibus, accepto principio abonitate, sapientiâ, potentiâ, cæteriſque attributis diuinis probant Patres, & Theologi contra Gentiles, Deum accuratissimam prouidentiam habere omnium omnino rerum Mundi, etiam minimarum. De quo plura habet S. Th. lib. 3. contra Gent. cap. 111. & 140. & sequentibus. Quorum argumentorum pleraque ne probabilia quidem essent, si Deus ad tale prouidentiæ genus, suppositâ Mundi creatione, moraliter necessitatus esse non potest, atque adeò nec plus ad illam, quàm ad oppositum inclinatus, iuxta discursum factum. 81

Eàdemque de causâ eneruantur rationes, & congruentiæ, quas pro mysterio Incarnationis congerunt Patres, & Scholastici quoad eius substantiam, & circunstantias. Cur fuerit in tali tempore exequutum? Cur natura humana assumpta præ Angelicâ? Cur tot dotibus naturalibus, supernaturalibusque ornata? Cur ex matre Virgine oriunda? Cur hæc sine peccato concepta, &c. Necnon rationes, quas Patres reddunt singulorum articulorum diuinæ prouidentiæ; quarum plures, citatis Patribus, recenset Ruiz disp. 9. de Volunt. sect. 12. desumptas à conuenientiâ, atque bonitate obiectorum. Si enim obiecta non ita alliciunt voluntatem diuinam, vt illam ad se potiùs, quàm ad contradictoria eligenda potenter inclinent, & consequenter moraliter sæpe determinent; inaniter, & sine fundamento adducuntur rationes, & congruentiæ prædictæ: solaque omnium operum Dei erit pro ratione voluntas. 82

Accedit, quòd Patres communiter, & Scholastici agentes contra calumniatores prouidentiæ Dei, quod attinet ad permissionem peccatorum, & creationem eorum Angelorum, & hominum, quos Deus præsciebat peccaturos, tanquam ad asylum recurrunt ad bona, quæ Deus erat ex peccatis collecturus, indubitanter statuentes, Deum nec creaturum peccatores, nec eorum peccata permissurum, nisi propter eximia bona, quæ ex peccatis erant sequutura. Plura ad rem Patrum testimonia videri possunt apud Ruiz 83

tom. de Scient. disp.65. per totam, præter ea, quæ commemorat tom. de Volunt. disp.9. sect. 11. Sufficiat modò nobis vnus pro omnibus. Augustinus ita scribens in Euchirid. cap.11. *Neque enim Deus, cùm summè bonus sit, vllo modo sineret mali aliquid esse in operibus suis, nisi vsque adeò esset omnipotens, & bonus, vt benefaceret etiam de malo.* Et cap.100. fine. *Nec sineret Bonus mala fieri, nisi Omnipotens etiam de malo facere posset benè.* Et lib.11. de Ciuit. cap.18. *Neque enim Deus vllum non dico Angelorum, sed neque hominum creauit, quem malum futurum esse præsciisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret: atque ita ordinem sæculorum tanquàm pulcherrimum carmen etiam ex quibusdam antithetis honestaret.* Sentiunt igitur Augustinus, & alij Patres, prorsus esse infallibile, quòd Deus peccata non permitteret, nisi intueretur bona ex illâ sequuturâ. Ergo sentiunt, necessitatum esse ad non permittenda peccata, nisi intuitu talium bonorum. Aſt hæc necessitas non est physica, seu metaphysica: quia Deus de potentiâ absolutâ benè posset peccata permittere, quantumuis ex illis nullum bonum oriundum esset, vt constat. Ergo est necessitas moralis.

84 Quartò probatur propositio alijs exemplis, quæ excogitare possumus, in quibus, spectatâ bonitate, cæterisque attributis Dei, & præscindendo à decretis, & promissionibus eius, euidens est naturæ lumine, vtrum ex extremis contradictorijs esset ille in talibus casibus electurus de facto; quantumuis ad eligendum oppositum esset tunc liber metaphysicè. Quæ proinde euidentia moralis solùm est, atque in connexione morali diuinæ voluntatis cũ extremo eligendo nititur, tollente possibilitatem moralem eligendi oppositum. Ponamus enim, secluſâ quacunque Dei promissione, quòd Christus Dominus, aut Beata Virgo enixè, & efficaciter postularent à Deo aliquid impetratu facillimum, & ipsi Deo gloriosissimum cum omnibus debitis circunstantijs orationis ipsi Deo gratissimæ. Quis, id Deum negaturum, audeat imaginari, nedum in dubium vertere? Et tamen posset physicè. Certè si, quod semper infallibiliter euenit à voluntate, cùm posset physicè non euenire, cum morali necessitate euenire putandum est, voluntas diuina nequit non censeri necessitata moraliter ad concedendum Christo Domino, quod petebat, dicente ipso Ioan.11. *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me* (orantem pro Lazari resurrectione). *Ego autem sciebam, quia semper me audis.*

85 Ponamus deinde, quòd Deus vniuersaliter non promisisset gloriam operibus gratiæ. Quis ausit concipere vt probabile, cæteris, qui in gratiâ decedunt, etiam post pessimam vitam, in Cœlum ad fruendum Deo conscendentibus, solos Apostolos, & Beatam Virginem post tot eorum prærogatiuas fore visione Dei priuatos in Lymbum, aut aliò reijciendos, aut etiam anihilandos pro mero arbitratu Dei? Quod tamen de potentiâ absolutâ physicè possibile esset. Quis denique non planè videat, esse moraliter impossibile, quòd Deus hunc Mundum crearet, atque gubernaret, vt iacet: & tamen omnia opera praua sine supplicio, & omnia proba sine præmio relinqueret, oneratis insuper malefactoribus magnis muneribus, & iustis extremis erumnis? Quod tamen de potentiâ absolutâ pro suo arbitratu posset Deus facere vt supremus Dominus omnium antecedenter ad decreta prouidentiæ præsentis. Ex quibus, & alijs, quæ quisque excogitare potest, manifestè apparet, Deum ex aliquâ saltem suppositione factâ necessitatum esse moraliter ad præstandum aliquid, quod physicè posset non præstare, prout nostra propositio fert.

Cuius denique ratio a priori est. Quia bo- 86
na creata eo ipso, quòd sunt amabilia à Deo, quantumuis illi nullum commodum, nullamque vtilitatem adferant, diuinam nihilominùs voluntatem alliciunt ad sui amorem: quæ subinde non potest non ad talia bona amanda inclinari magis, aut minùs iuxta eorum naturam, & circumstantias. Ob id enim preces sanctorum magis dicuntur mouere Deum ad concedendum, quod petitur, quam orationes peccatorum. Et inter Sanctos ad merita vnius magis inclinari Deum, quàm ad merita alterius. Quò maior est autem ista inclinatio, eò probabilius efficitur, liberè concipiendum à Deo amorem obiecti propositi; quousque ad talem peruenitur inclinationis gradum, (vti sæpe contigit, præsertim ex aliquâ factâ suppositione iuxta hactenus dicta), vt non sit probabile, Deum talem amorem omissurum; rametsi possit: sed prorsus certum moraliter, ad illum se determinaturum. Quod ipsum est, esse Deum necessitatum moraliter ad talem amorem concipiendum in eo casu, aut in eâ rerum, circunstantiarumque serietate.

Postremò adijcere libet ad propositionem 87
confirmandam aliqua testimonia Patrum expressè attribuentium Deo necessitatem, vel impossibilitatem aliquid faciendi, vel omittendi: quando ex subiectâ materiâ constat apertè, eos de necessitate, vel impossibilitate physicâ, aut metaphysicâ loqui non posse. Vnde relinquitur vt loquantur de morali. August. in Psal.76. circa illud. *Numquid in æternum proiiciet Deus, &c.* ita habet. *Necesse est, vt reuocet ad se seruos suos: necesse est, vt recipiat fugitiuos redeuntes ad Dominum: necesse est, vt exaudiat vocem compeditorum.* Et sermon.7. in natali Domini qui est 11. de temp. *Sicut non poterat caro, nisi de carne nasci; ita non poterat Dei caro de fœmineo vtero, nisi sine generante prodire.* Nizetas Petri discipulus, eodem Apostolo præsente, & approbante apud Clem. Rom. lib.8. Recognit. pag. 3. dixit agens de Deo. *Neque ergo condendi virtus in immensum cessare potuit, neque bonitas otiari, sed ad substituenda, quæ sunt, bonitate, ad componenda, & firmanda virtute prouocatur.* Basilius in regulis fusius disputatis, respondens ad interrogationem secundam sub finem ait. *Et enim diuina est bonitas, vt neutiquam nos potuerit destituere:* putà moraliter. Clemens Alex. lib.6. Strom. inter medium, & finem ait. *Cùm Deus sit bonus, si cessat benè facere, Deus quoque esse cessabit.* Nimirum quia eius propensio, atque necessitas moralis ad semper benefaciendum proprietas est inseparabilis eius. Quo sensu dixit etiam Chrysostomus oratione 4. de Prouid. *Si nihil est post hanc vitam, neque Deus est.* Damasc. lib.2. de Fide cap.29. *Si Dei, inquit, voluntas prouidentia est, omnino necesse est, omnia, quæ prouidentia fiunt, secundùm rectam rationem optima, & Deo decentissima fieri, vt non sit, ea melius fieri.* Quam eamdem sententiam habet à Dasceno mutuatam Nemesius lib. de animæ facultatibus cap.43. Lactantius lib. de Opificio hominis cap.3. initio ait. *Considerans conditionem rerum intelligo nihil aliter fieri debuisse, quàm factum est. Et non dicam potuisse: quia Deus potest omnia. Sed necesse est, quòd illa prouiden-*

uidentissima Maiestas id fecerit, quod erat melius, & rectius. Anselmus sæpe tribuit Deo necessitatem faciendi ea, quæ sententiâ omnium potuit simpliciter non facere. Quocirca loqui Anselmum de necessitate solùm morali, multis probat Ruiz disp. 9. citatâ de Volunt. sect. 6. contra Vazq. & alios arbitranres, eum de necessitate physicâ loqui. Eamdem dumtaxat moralem necessitatem inducit Iustinus quæst. 13. ad Gentiles, dum ait. *Quòd si Deus nihil facit frustrà: necesse est, etiam infantes adduci in esse per resurrectionem.*

88 Ex dictis venit refellendus Aldrete, eatenus nostræ propositioni contrarius, quatenus loco supra citato docet, voluntatem diuinam non solùm absolutè, sed etiam, quauis datâ suppositione ex parte creaturarum, omnimodò liberam, æquabiliterque indifferentem, siue æqualiter inclinatam ad vtrumuis manere in actu primo: ipsam tamen se se aliquando necessitare moraliter ad alterum ex extremis propositis amplectendum per simplicem quamdam complacentiam, quam cum omnimodâ libertate præconcipit de illo. Impugnatur enim hoc. Primò; quia ratiocinationes Scripturæ, & Patrum, quas produximus, manifestè supponunt, eam, quam præ se ferunt necessitatem moralem voluntatis Dei ad præstandum aliquid, suppositis circunstantijs externis, ineuitabilem esse, atque adeò ab ipsis circunstantijs prout præuisis à Deo, & à necessarijs Dei prædicatis dumtaxat prouenire independenter ab omni simplici complacentiâ, quam Deus, ijs etiam suppositis, vel concipere, vel omittere possit cum omnimodâ libertate, Etenim per argumentationem Christi num. 71. propositam à discrimine inter malitiam patris terreni, & bonitatem cœlestis infertur, multò certiùs daturum Patrem cælestem gratiam iusto ritè eam petenti, quam pater terrenus filio petenti panem, piscem, aut ouum, potiùs dat illa, quàm loco eorum lapidem, serpentem, aut scorpionem. Quæ illatio nulla prorsus esset, si, suppositâ petitione iusti legitimâ, atque diuinâ bonitate, adhuc maneret Deus omnimodò indifferens ad negandam iusto gratiam petitam, omissâ simplici complacentia, per quam ad illam conferendam erat necessitandus moraliter.

89 Et quidem, cùm sit certum secundùm fidem, orationem iusti de suo impetratoriam esse apud Deum, motiuamque, siue tractiuam voluntatis diuinæ ad concedendum id, quod petitur, durum satis, & absonum videtur asserere, (prout in aduersâ sententiâ necessariò asserendũ est), positâ iusti oratione, non magis inclinatam euadere voluntatem diuinam in actu primo ad concedendum, quod petitur, quàm, eâ non positâ. In quo enim stat hæc orationis vis impetratiua, motiuaque, siue tractiua diuinæ voluntatis, si, eâ positâ, non magis inclinat mediâ sui cognitione voluntatem Dei ad volendum dare, quod petitur, quàm si non poneretur? Certè mouere obiectiuè mediâ sui cognitione, trahereve voluntatem diuinam, sicque concurrere cum illâ ad volitionem rei petitæ (quod de oratione iusti, saluâ fide negari non potest) sine hoc, quod est, inclinare voluntatem ipsam in actu primo ad talem volitionem, intelligibile non est, vt ex se patet. Si autem oratio posita aliquam voluntati diuinæ præstat inclinationem in actu primo ad talem volitionem, quam, oratione non positâ, voluntas diuina non haberet; manifestè consequitur, per positionem orationis magis inclinatam reddi voluntatem diuinam in actu primo ad talem volitionem, quàm esset, si oratio non poneretur; atque ita, si oratione non positâ, voluntas diuina ad talem volitionem, & eius carentiam foret in æquilibrio; oratione positâ, non posse non iam illam manere cum maiore inclinatione ad volitionem, quàm ad carentiam eius. Tantò autem maior esse potest inclinatio voluntatis ad volitionem, quàm ad carentiam eius, vt sit necessitas moralis ad ipsam volitionem; prout tum ex antea dictis, tum ex se notissimum est.

Tantam igitur esse, quam habet voluntas 90
Patris cœlestis, suppositâ ipsius bonitate, & oratione iusti, ad volendum efficaciter, quod iustus petit, id ipsum est, quod per argumentationem prædictam intendit Christus persuadere. Similisque est moralis necessitas ad vnum ex extremis oppositis consistens in magnâ ad ipsum præ altero inclinatione diuinæ voluntatis in actu primo, quam prætendunt aliæ argumentationes, quas ex Scripturâ, & Patribus commemorauimus, vt singulas consideranti non obscurè innotescet.

Iam doctrina ex Aldrete relatâ impugna- 91
tur secundò. Quia absque fundamento, imo contra rationem ponitur in voluntate Dei dicta simplex complacentia, qua ad alium actum efficacem moraliter ea necessitetur. Absque fundamento quidem: quia necunde illa constat. Contra rationem autem: nam superflua videtur. Tum quia, ipsâ prætermissâ, potest voluntas Dei ad ipsum actum efficacem se immediatè determinare. Tum quia non minorem vim proculdubio potest habere cognitio de aliquo obiecto externo ad inclinandam, atque adeò etiã moraliter necessitandâ voluntatem diuinã ad aliquem actũ efficacem, quam potest habere simplex complacentia de aliquo similiter obiecto externo. Atque ita, quando est argumentatio suadens, voluntatem diuinam ad aliquem actum efficacem esse necessitatam moraliter, adestque in Deo cognitio de aliquo obiecto externo, cui talis necessitas possit attribui, (vti euenit in argumentationibus, quas ex Scripturâ, & Patribus indicauimus, in cæterisque eiusmodi), impertinenter intruditur complacentia simplex, vt ei tribuatur talis necessitas. Stet igitur, ex suppositione alicuius obiecti externi prout cogniti à Deo sæpe ipsum ad volendum aliquid esse necessitatum moraliter, prout exposuimus, independenter à complacentiâ simplici, quam excogitauit Aldrete.

Verùm contra statutam propositionem 92
multa obijci possunt. Primùm testimonia Patrum asserentium, Deum citra omnem necessitatem operari ad extra: atque ita posse eum facere, quæ non fecit, & posse non facere, quæ fecit. Sit vnum pro omnibus, quod magis videtur vrgere, Augustinus lib. 83. Quæstin. quæst. 22. dicentis. *Vbi nulla indigentia, nulla necessitas. Vbi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo, nulla ergo necessitas.* Respondeo, Augustinum, & alios Patres, quoties Deo necessitatem negant respectu operum ad extra, vel solam necessitatem metaphysicam illi negare, quæ simpliciter, & propriè est necessitas, & libertati opponitur; non item necessitatem moralem, quæ tantùm secundùm quid, & metaphoricè est necessitas, nec aduersatur libertati, sed cum illâ benè

cohæret : sæpeque ab eisdem Patribus Deo attribuitur, vt ex dictis in præcedentibus palam est. Vel, si quando negant etiam necessitatem moralem, eam vtique negant, quæ nascitur ex inopiâ, & indigentiâ, qua quis compellitur ad quærendum id, quod sibi est necessarium, aut valde vtile, siue conducens vel ad viuendum absolutè, vel ad commodè, seu feliciter, seu beatè viuendum. Hæc enim necessitas moralis, quam verba citata Augustini videntur complecti, procul abest à Deo. Qui nihilo penitus sibi accessorio, & contingenti indiget ad viuendum; per nihilque sibi contingens aut eius perfectio, aut eius beatitudo, siue felicitas, siue commoditas augeri potest. Vnde necessitas moralis, quam Deus habet erga creaturas, non ex earum indigentiâ, sed ex abundantiâ suæ bonitatis prout diffusiuæ sui nascitur : nec est propensio ad quærendum ex creaturis commodum proprium; sed propensio ad eas per suæ bonitatis diffusionem locupletandas. Ex quo obiter obiectio alia manet diluta, qua ex connexione morali cum creaturis, quam secum fert moralis necessitas erga illas, ipsarum indigentia etiam in Deo solet inferri : sed malè, vt ex dictis apparet.

93 Sed instabit aliquis. Quod necessarium est moraliter, absolutè dici solet non posse non fieri: sicut è contra, non posse fieri, quod est moraliter impossibile. Ergo, dum Patres absolutè negant Deo omnem necessitatem circa ea, quæ operatur ad extra, docentes pariter absolutè, posse eum facere, quæ non facit, & posse non facere quæ facit; tum metaphysicam, tum omnem moralem necessitatem censendi sunt remouere à Deo. Respondeo, iuxta communem, & peruulgatum loquendi morem voces significantes necessitatem, aut impotentiam, aut potentiam iuxta subiectam materiam, de qua tractatur, solere absolutè vsurpari, (vt quisque passim deprehendet, si animaduertat); interdum quidem pro necessitate, aut impotentiâ, aut potentiâ tantùm morali : nonnunquam pro metaphysicâ solùm; quandoque pro vtraque. Vnde nihil mirum, si Sancti Patres, aut etiam Theologi modò concedant, modò negent Deo necessitatem ad opera externa. Cùm facilè iuxta materiam, de qua tractant, veniant intelligendi aut de morali solùm necessitate, aut solùm de metaphysicâ, aut de vtrâque. Id quod etiam de cæteris Scriptoribus eiusmodi voces ad rem, de qua agunt, vsurpantibus dicendum est.

94 Secundò obijcitur. Qui negat Deo omnem necessitatem etiam moralem, longiùs recedit ab errore Abailardi, vt Vvicleff. asserentium, Deum simpliciter non posse facere aliud, quàm facit, neque alio modo. Ergo necessitas moralis neganda est Deo. Admisso antecedente. Nego consequentiam. Quia sæpe per nimium recessum ab vno errore incidit in errorem oppositum. Vnde non propterea doctrina aliqua amplecti debet, quòd longiùs ab aliquo errore distita est. Sed quòd medium veritatis attingit. Certè Caluinus negans libertatem, & totum negotium nostræ salutis in solam gratiam diuinam referens, longiùs, quàm nos, à Pelagio, id totum tribuente arbitrio, recessit : & tamen per extremum oppositum peiùs, quàm Pelagius, errauit. Non igitur est, cur Deo omnem necessitatem moralem circa opera ad extra negemus titulo longiùs recedendi ab erroribus tribuentibus ei circa talia opera necessitatem metaphysicam.

Tertiò obijcitur. Necessitas moralis com- 95
posita cum libertate physica multas fert secum imperfectiones. Ergo non est tribuenda Deo. Antecedens probatur. Quia, esse voluntatem ità inclinatam, siue propensam ad obiectum, vt sit moraliter impossibile, in illud non ferri, præ se fert seruitutem quamdam, subiectionem, indigentiam, & coactionem : multumque detrahit de libertate, & dominio. Tum, qui moraliter alicui obiecto est addictus, ad hoc, vt se subtrahat ab illius amore, vti physicè potest, vim sibi, siue violentiam inferat necesse est. Violentia autem molestiam, & difficultatem fert secum, vti nos experimur, quando aliquam inclinationem, siue propensionem animi cohibere conamur. Quæ omnia apertæ sunt imperfectiones voluntati Deo repugnantes. Ergo & necessitas moralis, quam comitantur, repugnat Deo.

Respondeo, necessitatem moralem, quæ 96
nascitur ex inclinatione actus primi ad obiectum propositum nullam ferre secum imperfectionem, præsertim, quando non tam ex obiecti lenocinio, quàm ex perfectione voluntatis ferendæ in obiectum ipsum originem ducit, vti euenit in Deo. Qui, quoties moraliter necessitatur ad aliquid creatum amandum, non tam ab obiecto attractus, quàm à suopte ingenio impulsus fertur in illud : eo quòd bonitas, dignitas, largitas, maiestasve suæ naturæ id iure efflagitat, vt in operibus misericordiæ, liberalitatis, beneficentiæ, iustitiæ, aliarumque virtutum, quas Deus circa creaturas exercet, contemplari licet. Quo fit, vt inclinatio, quam diuina voluntas suapte naturâ habet ad talia opera præstanda, siue sit tanta, quanta opus est ad necessitatem moralem, vti sæpe est reuerà, siue eum gradum non attingat, vt sæpe etiam enenit, nullam seruitutem, subiectionem, indigentiam, aut coactionem propriè dictam inducat in voluntatem diuinam respectiuè ad creaturam : tametsi aliquam metaphoricam ab omni imperfectione immunem non prorsus abhorreat iuxta modum loquendi Patrum asserentium, nos quodammodò compellere Deum peccatis ad punitionem, miserijsque ad commiserationem; atque etiam Ecclesiæ dicentis in hymno Ascensionis, *Quæ te vicit clementia*, &c. *Ipsa te cogat pietas*. Imo & Scripturæ dicentis Isaiæ 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis, præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis*. Exodi 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus*, &c. Nec refert, necessitatem moralem quadantenus libertatem, siue indifferentiam minuere : quia non semper maior libertas relatè ad quoduis obiectum est maior perfectio; sicut nec libertas semper est perfectio, vt patet in libertate ad peccandum. Sicut ergo magis perfecta est voluntas Dei sine vllâ libertate ad mentiendum, aut non standum promissis. Ita etiam est magis perfecta sine libertate morali ad aliqua opera præstanda, vel omittenda; respectu quorum nihilominùs libertatem physicam habet. Imo, habere libertatem moralem circa talia obiecta, imperfectio positiua esset. Sicut esset habere libertatem physicam circa mendacium, & alia peccata. Recognosce doctrinam traditam disp. 31. quæst. 7.

Iam verò, quòd Deus omittens id, ad 97
quod necessitatur moraliter, nullam violentiam propriè dictam inferret suæ inclinationi, inde constat; quia violentia propria ea solùm est, quæ à vi aliquâ irrefragabili extrinseca venit orienda contra inclinationem innatam, vel elicitam repugnat inferri

infertur conantem assequi bonum, quo res ipsa indiget. Inclinatio autem voluntatis diuinæ, de qua tractamus, propriè loquendo, neque est innata; quia non est principij naturalis, sed liberi: neque est elicita; quia non est inclinatio actus secundi appetendi, qualis est ea, qua sæpe nos premunt nostræ passiones, sed tantum actus primi: neque est inclinatio ad bonum, quo Deus indigeat; quia Deus nullo bono creato indiget: neque extat extra Deum vis aliqua, quæ irretragabiliter possit illi contrauenire. Ex quo patet, si Deus tali inclinationi sponte sua contraueniret, vt potest, id sine vllâ violentiâ, aut difficultate proprie dictâ, & sine vllâ molestia facturum. Nec mirum: quandoquidem inclinationi elicitæ, quæ vrgentior videtur ad rem, sæpe absque difficultate, & molestiâ de facto contrauenit; quoties videlicet oppositum cupiebat simplici affectu eius, quod efficaci exequitur; vt, quando concurrit ad peccatum, quod vellet non fieri; & damnat homines, quos saluos fieri vellet. Nihilominùs aliquam violentiam, & difficultatem metaphoricam contra eius inclinationem tam actus primi, quàm actus secundi posse Deo attribui, consentaneum est phrasi Scripturæ, & Patrum, vt constat ex locis paulò ante commemoratis. Quibus adde illud Psalmi 76. *Aut continebit in ira sua misericordias suas?* Vbi Augustin. *Facilius* inquit, *iram, quàm misericordiam continebit.* Paulò aliter respondent huic argumento Gran. & Ruiz. Sed non placet id, in quo ab hac nostrâ solutione discedunt.

Quartò objicitur. Ex necessitate morali co-
98 niunctâ cum libertate physicâ in Deo sequitur, possibile esse, Deum non esse Deum. Ergo talis necessitas in Deo chymærica est. Probatur sequela. Quia, si Deus omitteret id, ad quod est necessitatus moraliter, eo ipso non esset moraliter necessitatus ad illud, vtpote sine quo infallibiliter posito necessitas moralis ad illud subsistere non potest. Ergo careret perfectione sibi intrinsecâ, quam modò habet, & consequenter non esset Deus. At potest physicè illud omittere, vt supponimus. Ergo potest physicè eâ perfectione carere, & non esse Deus. Vnde absolutè concluditur, eiusmodi omissionem physicè impossibilem esse, vtpote ferentem secum Dei negationem; & consequenter necessitatem, quæ ad oppositum ponebatur moralis, non moralem esse, sed physicam, seu metaphysicam. Hoc argumentum magni faciunt nonnulli Recentiores. A quo non benè se extricant Granad. & Ruiz. Quam verò illud fallax sit, inde manifestè conuincitur; quòd omnem prorsus necessitatem moralem cum libertate physicâ compatibilem etiam ab hominibus circunscribit: quibus tamen eam negare, fas non est. Ex suppositione enim, quòd homo necessitatus moraliter ad peccandum non peccaret, pari ratione potest argui, carituram eum tali morali necessitate, quam alias habere supponitur, quæ est manifesta contradictio. Tum carentiam peccati, vtpote ferentem secum talem contradictionem physicè impossibilem esse: atque ita necessitatem ad peccandum, quæ ponebatur moralis, non moralem; sed physicam, siue metaphysicam esse.

99 Respondeo igitur vniuersè, datâ hypothesi, quòd non existeret id, ad quod est necessitas moralis in voluntate siue diuinâ, siue creatâ, nullatenus auferēdâ fore talē necessitatem, sed simul cum negatione eius, ad quod necessitat, permansuram: nam hæc coniunctio non est impossibilis metaphysicè, sed tantùm moraliter: ex aliquo autem moraliter impossibili posito, nihil mirum, si sequatur aliud etiam moraliter impossibile, qualis est ea coniunctio. Ex quo patet, reuera non sequi, Deum non esse Deum, ex eo, quod omitteret aliquid, ad quod est necessitatus moraliter. Nec sequitur, talem necessitatem physicam esse: etsi ea physicè per suam essentiam habeat non posse coniungi moraliter cum contradictorio eius, ad quod est necessitas: quia aliud est esse necessitatem physicam, aliud habere per essentiam physicam hoc, quod est, esse necessitatem moralem, vt constat:

Instabis. Ex necessitate morali in causâ infer- 100
tur cum euidentiâ morali existentia effectus. Ergo conuertendo, ex negatione existentiæ effectus infertur cum euidentiâ morali negatio necessitatis moralis in causâ. Ergo saltem moraliter est euidens, Deum carituram morali necessitate, quam bere dicitur ad effectum, atque adeò non futurum Deum, casu, quòd tali effectui non tribueret existentiam, vti physicè potuit. Concesso antecedente; distinguo primum consequens. Ex negatione existentiæ effectus infertur cum euidentiâ morali negatio necessitatis moralis in causâ, quando non supponitur, negationem existentiæ effectus esse moraliter impossibilem; concedo. Quando supponitur; nego. Et nego secundam consequentiam. Explico. Tribus modis potest supponi, effectum aliquem physicè non existere. Primò, præscindendo ab eo, quòd negatio eius fit moraliter impossibilis, vel possibilis. Secundò, supponendo simul talem negationem esse moraliter impossibilem (moralis enim impossibilitas physicè cum physicâ existentiâ non pugnat). Tertio, supponendo eam esse moraliter possibilem. Si primo modo fiat suppositio; ex negatione effectus cum morali euidentiâ infertur Deum non esse necessitatum moraliter ad illum. Hinc tamen rursus non sequitur, Deum non esse Deum. Quia Deus absolutè bonè potest non esse necessitatus moraliter ad aliquem effectum. Hoc pacto ex eo, quòd Deus non creauerit secundum Mundum, cum euidentiâ morali inferimus, non esse eum ad illud creādum moraliter necessitatum. Si verò suppositio fiat secundo modo; ex negatione effectus moraliter impossibili cum euidentiâ metaphysicâ infertur necessitas moralis in Deo ad talem effectum producendum. Quia impossibilitas moralis negationis effectus essentialiter supponit in causâ necessitatem moralem ad talem effectum. Quo fit, vt non detur locus euidentiæ moralis de negatione talis necessitatis: & hic est proprius casus argumenti propositi. Vbi iterum vides, quomodò ex negatione moraliter impossibili effectus per illationem metaphysicam non inferatur in causâ negatio necessitatis moralis ad talem effectum: sed potiùs coniunctio moraliter impossibilis ipsius necessitatis moralis cum ipsâ effectus negatione. Si denique suppositio tertio modo fiat, ex negatione effectus moraliter possibili non solùm cum euidentiâ morali, sed cum metaphysicâ infertur negatio necessitatis moralis in causâ. Quia possibilitas moralis negationis effectus essentialiter supponit, in causâ non esse necessitatem moralem ad talem effectum. Hoc pacto Clemens Alexandrinus, & Chrysostomus, quorum verba dedimus num. 87. ex negatione quorundam effectuum inferunt, Deum non fore Deum, idque

cum

cum euidentiâ, non morali solùm, sed etiam metaphysicâ. Quia ex parte hypothesis, quam faciunt, ponunt, non solùm existentiam physicam sed etiam possibilitatem moralem talis negationis essentialiter supponentem negationem necessitatis moralis, quam reuerâ iuxta mentem ipsorum habet Deus ad tales effectus, vt proprietatem inseparabilem. Quaque subinde si careret, non esset Deus.

101 Quintò objicitur. Omnes actus voluntatis diuinæ sunt æqualiter boni, & perfecti tam in esse physico, quàm in esse morali. Ergo non est, cur plùs ea ad vnum, quàm ad alterum inclinetur: atque adeò, si ad omnes non est necessitata moraliter, vt verè non est, ad nullum erit. Imprimis antecedens est falsum, prout videbimus disput. 35. quæst. 2. Sed, eo ad misso, nego consequentiam. Quia ad inæqualitem inclinationum voluntatis diuinæ sat esset inæqualitas obiectorum, in quæ dicitur inclinari; quæ negari non potest.

102 Sextò objicitur. Si Deus morali necessitate compulsus confert hominibus sua dona, sequitur, vehementer deprimi beneficentiam, ac liberalitatem eius, minoraque, & minùs digna actione gratiarum euadere eius beneficia. Quò enim libertas benefacientis minor est, minor euadit liberalitas boni collati, & minus meritum beneficij. Respondeo, quoties libertas, seu indifferentia benefactoris non aliunde, quàm ab ingenti propensione benefaciendi decrescit, huiusmodi decrementum non modò non minuere, sed valde augere perfectionem liberalitatis, atque etiam beneficentiæ. Ob id enim Arist. lib. 4. Ethic. cap. 1. *Perfectè liberalis* inquit, *dabit cum voluptate, & sine vllo dolore: id enim, quod per virtutem efficitur, afficit voluptate*. In Deo autem summa propensio ad benefaciendum id ipsum, quod in nobis intensus habitus, eximiaque virtus operatur. Itaque beneficium à vehementi propensione benefaciendi proficiscens, estò propterea sitminùs liberum, non tamen minùs perfectè liberalè, nec minùs æstimabile est: atque adeò nec minùs dignum gratificatione: quia quantum affectus, à quo manat, decrescit in libertate, tantum augetur in intensione, seu perfectione. Alioquin minus humanitati Christi, Beatæ Virgini, & Apostolis deberemus: quoniam infallibiliter ad benefaciendum inclinati de nobis benemeriti sunt. Et minùs filij deberent ijs parentibus, qui in eorum bonis parandis propensiori affectu, vehementiorique solicitudine incumbunt, quàm ijs, quos parum aut nihil eiusmodi cura solicitat. Adde, Deum sæpe non esse necessitatum moraliter ad conferendum tale beneficium tali personæ determinatæ; etsi ad benefaciendum aliquibus vagè moraliter necessitatus sit. Vnde, quòd huic potiùs, quàm alijs, benefaciat, peculiari æstimatione, & gratitudine dignum est.

103 His addit septimam obiectionem noster Cardinalis Lugo supra citatus. Si Deus ad aliqua dona conferenda esset necessitatus moraliter, inutilis, & nugatoria esset oratio, qua talia dona peterentur à Deo. Frustra enim petas ab alio, quod ipse moraliter nequit non facere; quodque infallibiliter faciet, etsi non petas. Sed prisci Patres à Deo petierunt Incarnationem, aut potuerunt petere: Christus ipse à Patre petiuit clarificationem sui nominis Ioan. 17. & aduentus Spiritus sancti Ioan. 14. Gentium conuersionem Psal. 2. Ecclesia etiam, & electi Fideles quotidie petunt à Deo similia dona; vt patet in oratione Dominicâ, & in alijs, quibus Ecclesia vtitur. Ergo ad eiusmodi dona largienda non est Deus necessitatus moraliter: & consequenter ad nulla. Nam pleraque eorum, si quæ alia, de illorum numero sunt citra dubium, ad quæ nos ponimus Deum moraliter necessitatum.

Respondeo primò, etsi Deus quoad substantiam doni sit necessitatus moraliter, quoad quantitatem verò, & circunstantias, sub quibus petebatur à Christo, & petitur ab Ecclesiâ, & Fidelibus, fortasse non esse ante petitionem. Quo totum argumentum corruit. Adde, à Fidelibus certò non nosci, an id, quod petunt, sit moraliter necessarium respectu Dei. Quod satis est, vtquanuis sit, perinde se habeat respectu eorum, ac, si non esset. Respondeo secundò, necessitatem moralem rei petendæ nihil obesse orationi seriò, & ex animo, & vtiliter factæ, præsertim, qua, non ab homine, sed à Deo petitur. Quoniam ad talem orationem satis est, quòd res petenda physicè sit contingens. Est autem huiusmodi oratio vtilis primò: quia collationem rei, quæ petitur, certiorem facit, quantumuis illa ante orationem certa esset moraliter. Secundò: quia est grata Deo, & quidam cultus eius, quo homo suam indigentiam, & paupertatem profitetur, submittens se Deo, vt ei succurrat. Tertiò: quia est quædam manifestatio desiderij, quod homo habet rei, quam poscit, quamque citra dubium desiderare potest, quantumuis sit ei certa moraliter illius collatio. Quartò: quia est quædam professio spei, quam homo habet in Deo; quæque eò firmior est, quò certiùs creditur obtinenda res, quæ speratur. Cùm igitur tot, aliasque vtilitates habeat oratio rei, ad quam Deus aliàs conferendam necessitatus erat moraliter, quis non videat, talem orationem, nec inutilem, nec nugatoriam, nec simulatam esse. Adde, iuxta dicenda posse sæpe sæpius necessitatem moralem non præsupponi ante orationem, sed per eam induci. 104

Postremò objiutur ex Aldrete disput. 2. sec. 2. Si ad aliquid haberet Deus necessitatem moralem, maximè ad illæsa seruanda iura naturæ. Sed ad hoc non habet. Ergo ad nihil. Maior supponitur ab hoc Auctore. Probari tamen potest. Quia seruari illæsa iura naturæ, necessarium est naturaliter, siue physicè. Sed maior est necessitas physica, quàm moralis. Ergo etiam est necessarium moraliter. Minorem autem probat ipse. Primò; quia iuxta Augustinum, Chysostomum, & Petrum Damianum, *Naturarum Conditor nihil in miraculis contra naturam facit*. Quia nimirum naturæ legibus non tenetur, nec per illas necessitatur. Secundò; quia, vt contra Vvicle tenent Catholici, qua potestate potuit Deus creaturas non facere, potest eas destruere. Sed potuit non facere etiam potestate morali. Ergo & destruere, non obstante iure ipsarum ad suam conseruationem. Tertiò; quia iuxta Patres, & Concilia relata ab ipso, quòd Angeli, & animæ rationales perseuerent in suo esse, gratiæ, & misericordiæ Dei tribuendum est. Non ergo est talis perseuerantia Deo necessaria moraliter; tametsi iure naturæ debita sit. Et confirmari potest. Quia, si, suppositis meritis, eorum remuneratio esset Deo necessaria moraliter, nec esset gratiosa, nec posset promitti à Deò: quod est absurdum. Et tamen sicut sup- 105

suppositio valeret ad quidpiam necessitare Deum moraliter, maximè suppositio meritorum ad remunerationem; sicut & peccatorum ad punitionem.

106 Respondeo ad argumentum, quæ physicà, seu naturali necessitate necessaria sunt, non eo ipso esse necessaria necessitate morali in supremo gradu, (de qua in præsenti quæstione est sermo), bene tamen necessitate morali in medio, vel infimo gradu iuxta diuisionem factam supra n. 65. Nam, quæ necessaria sunt necessitate morali in supremo gradu, semper eueniunt. Constat autem, quæ necessaria sunt physicà, seu naturali necessitate, sæpe impediri per miracula. Quia tamen vtplurimùm, siue maiori ex parte non impediuntur, ideo necessaria veniunt dicenda necessitate morali in medio gradu, vel in infimo. Ad hoc autem, vt Deus dicatur non teneri naturæ legibus, easque posse inuertere, non conseruando, quæ creauit, essequè misericordiæ, & gratiæ eius, quòd conseruet, satis, superque est potestas, quam habet tum physicam ad absolutè non seruandas eiusmodi leges, tum etiam moralem ad non seruandas aliquando. Per quæ ad argumentum integrum quid sit dicendum patet. Ad confirmationem autem respondeo, quidquid sit de necessitate morali, quam Deus habet ad meritorum remunerationem, hanc, non in se formaliter, sed in radice dumtaxat posse esse gratiosam, vt est certum apud Theologos in Tractatu de gratiâ; quatenus scilicet merita, quæ supponit, à gratiâ Dei proueniunt. Vt autem Deus illam possit promittere, sat est, quòd habeat potentiam physicam ad illam negandam. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis soluere, facile erit vnicuique.

Propositio 6.

107 Deus non solùm ex suppositione alicuius pendentis à sua voluntate, sed absolutè est necessitatus moraliter ad aliquo modo se se communicandum creaturis per earum liberam creationem. Vnde, etsi physicè à Mundi creatione potuerit abstinere, moraliter loquendo, non potuit.

Hæc propositio, quam etiam tenent expressè Gran. & Ruiz, consentitque Ribaden. vbi supra, non adeò est mihi certa, ac præcedens. In eam tamen propendeo. Primò; quia planè videtur esse de mente D. Dionysij, qui capite 4. de Diuinis nominibus propiùs ad medium, quàm ad principium ait. *Est etiam diuinus amor & bonus, & boni causa. Ipse enim bonus Auctor eorum, quæ sunt, amor, cùm priùs in ipso bono excellenti, præstantique ratione esset, non passus est, ipsum in se sterilem manere, sed eum impulit ad agendum singulari abundantiâ, quæ est procreatrix omnium.* Perpende illud, *non passus est*, & illud, *impulit*, quæ necessitatem aliquam præ se ferunt inductâ per vehementem inclinationem, quam diuina bonitas habet se communicandi. Quam inclinationis vehementiam, & impulsum ampliùs adhuc videtur significare Dionys. circa medium ejusdem capitis dicens. *Audendum est etiam pro veritate dicere, ipsum quoque rerum omnium Auctorem honestio, bonoque omnium amore ductum pro singulari bonitate amatoriâ extra se fieri rerum omnium procuratione; & quasi bonitate, charitateque, & amore deliniri; atque ex statu, quo superat omnia, & ab omnibus secretus est, ad eum, quo in omnibus est, demittitur, eâ vi essentiam superante, quæ illum extra se rapit, nec interim à se ipso discedit.* Eamdem moralem necessitatem significat idem Dionys. cap. 4. de Cælesti Hierarchiâ, dum ait. *Est enim hoc omnium Auctoris, & bonitatis, quæ ad omnia pertinet, proprium, naturas ad sui communionem vocare, vt cuiusque captus, modusque postulat.* Proprium enim non dicitur in rigore, quòd aliquo modo necessarium, aut inseparabile non est. Confirmant idem assumptum, imo planè exprimunt verba relata ex Nizetâ n. 87. à Petroque Apostolo approbata apud Clementem Romanum. Quid enim clarius ad rem dici potuit, quàm illud, *Neque ergo condendi virtus in immensum cessare potuit, neque bonitas otiari, &c.*

Secundò in datam propositionem moueor 108
ratione à priori. Quia bonum, vt idem Dionysius sæpe repetit, suapte naturâ est diffusiuum sui: quare non potest non naturaliter propendere in omnem sui diffusionem, seu communicationem possibilem. Cùm ergo Deus sit infinitum bonum, consequens est, vt non solùm propendeat infinitè in eam communicationem necessariam, quam habet ad intra per productionem personarum; sed etiam, quantùm possibile est, propendeat in communicationem liberam, qua ad extra se creaturis communicat per earum creationem. Summa autem propensio cum libertate compatibilis non potest non inducere necessitatem moralem: cùm hæc nihil aliud sit, quàm inclinatio tanta voluntatis, quanta sat est, vt sit moraliter certum, amplexuram voluntatem defacto nutu suo illud extremum, in quod propendet; neque maneat probabile, eam amplexuram oppositum; quantumuis id possit amplecti.

Dices. Diuina bonitas suapte naturâ est in- 109
clinata ad se communicandum ad extta omni communicatione possibili. Ergo, cùm illa sit infinita, eò maior erit inclinatio, siue propensio eius, quò maior fuerit possibilis communicatio. Ergo, suppositâ quauis communicatione finitâ, maior est propensio, quæ restat, ad aliam maiorem possibilem, donec accedamus ad infinitam omnium ceraturarum possibilium, si hæc non repugnat, vt nos cum multis alijs censemus. At propensio, quam diuina bonitas habet ad se communicandum infinitis creaturis, si talis communicatio est possibilis; & quam habet ad se communicandum pluribus, quàm se communicauit defacto; non necessitant Deum moraliter ad tales communicationes; quandoquidem istæ defacto exequutæ non sunt. Ergo neque propensio quam habebat ad se communicandum huic Mundo, quæ longè minor erat alijs, non potuit eum moraliter necessitare ad talem communicationem.

Solutio huius argumenti, quod in simili 110
premit Lugo num. 15. nusquam inuenitur apud Gran. & Ruiz. Solùm enim dicunt vniuersè, in eo genere bonorum, vbi proceditur in infinitum, Deum non esse necessitatum moraliter ad eligendum optimum; imo nec potest illud eligere: quia est impossibile. Benè. Sed cur supponentes vt certum, quoad multitudinem creaturarum, atque Mundorum possibilium procedi in infinitum, vti cum sententiâ communi supponunt Gran. sec. 1. num. 8. & Ruiz disp. 9.

sec.

sec. 2. a num. 10. censent nihilominùs, Deum ad creandum Mundum, sic que se creaturis communicandum moraliter necessitatum esse? vt videre est apud Gran. dicta sec. 1. num. 2. & sec. 5. num. 24. & apud Ruiz dicta disput. 9. sec. 4. num. 15. & totâ sec. 16. & 17. & disput. 10. sec. 4. expressiùsque sec. 6. num. 2. Hæc enim non videntur benè cohærere inter se. Nam vel propensio, quam Deus habet ad se communicandum creaturis, eò maior est, quò maior est communicatio possibilis, vt in argumento facto supponitur. Vel secus. Si dicatur primum. Cùm, datâ quauis communicatione possibili per productionem cuiusuis Mundi, alia maior per productionem maioris Mundi, vel plurium Mundorum sit possibilis, & alia maior, & alia maior, & sic in infinitum: datâ quoque quauis propensione Dei ad quamuis communicationem per productionem cuiusuis, aut quorumuis Mundorum, alias, & alias maiores in infinitum propensiones habet ad alias, & alias maiores, & maiores in infinitum communicationes sibi possibiles. Repugnat ergo, vt per propensionem, quam habuit ad hunc Mundum creandum necessitatus fuerit moraliter ad eius creationem; quandoquidem per maiores, & maiores in infinitum propensiones, quas habet ad maiores, & maiores in infinitum communirationes sibi posibiles per productiones aliorum Mundorum possibilium, quas prætermisit, moraliter non est necessitatus ad tales productiones; vt constat. Iam verò, si dicatur secundum, nempe propensionem, quam Deus habet ad se communicandum creaturis non semper eò maiorem esse, quo maior est communicatio possibilis, huius desideratur ratio, quam dicti Auctores non reddiderunt.

111 Ego eam reddo: quo & argumentum oppositum diluo, Quoniam propensio Dei ad se comunicandũ creaturis per earum creationem liberâ, & consequenter honestam ex proportione ad virtutem, siue virtutes morales, ad quas talis honestas pertinet pensanda est. Huiusmodi autem virtutum Dei summa perfectio in medio quodam consistit, vltra quod, citraque decrescit earum honestas iuxta doctrinam tactam supra nu. 59. Summa igitur Dei propensio ad eam communicationem creaturarum per productionẽ earum est, quæ exactè attingit dictum virtutum medium; & eò minor est propensio ad creationem creaturarum, quò hæc plus à tali medio recedit seu per excessum, seu per defectum. Cùm ergo Deus ad amplectendum exactè medium earum virtutum, quas exercet, dum liberè operatur ad extra, necessitatus sit moraliter iuxta doctrinam tradendam propos. 9. Consequens est, vt communicatio, qua Deus de facto se communicauit creaturis, tale medium attingat; atque adeò ad illam, vel aliam ei æqualem, & similem fuerit moraliter necessitatus, non verò ad reliquas possibiles, siue maiores, siue minores. Vide ad rem plura propos. 9.

112 Ex cuius doctrinâ tertiò propositio præsens probari potest. Cùm enim, vt ibi ostendetur, Deus sit necessitatus moraliter ad amplectendum medium earum virtutum moralium, quas circa opera externa exercere potest: videaturque certum, multas eiusmodi virtutes exerceri à Deo posse, non solùm faciendo aliquas creaturas ex suppositione existentiæ aliarum, sed etiam faciendo absolutè creaturas: consequitur planè, Deum moraliter esse necessitatum ad faciendum absolutè creaturas, in tali scilicet numero, proportione, & mensurâ, qualis requiritur ad exactè attingendum medium talium virtutum. Quod medium attigisse, attingereque Deum defacto in creatione, conseruatione, gubernationeque Mundi, proculdubio censendum est.

113 Et confirmari potest. Quia nullam Deum creaturam efficere, vel non esset honestum moraliter, vel certè minùs honestum esset, quàm, efficere aliquas, vt satis ex terminis ipsis videtur notum. Ergo summa honestas moralis, quam Deus valet ad extra exercere in liberâ omnium creaturarum omissione consistere nequit; sed in liberâ aliquarum creaturarum effectione consistere debet. Si ergo Deus, vt ex propos. 9. supponimus, ad summam honestatem, quam valet ad extra exercere, necessitatus est moraliter, ad aliquarum vtique creaturarum effectionem est necessitatus moraliter.

114 Quartò propositio præsens ex dictis circa præcedentem venit probanda. Ibi enim ostendimus, suppositâ bonitate, alijsque prædicatis Dei necessarijs, sæpe ipsum euadere necessitatum moraliter ad aliquas externas operationes per cognitionem de aliquibus obiectis prout existentibus: eo quòd obiecta existentia prout talia vim habent ad inclinandam, mouendamque voluntatem diuinam ad operandum mediâ sui cognitione; tam magnaque est inclinatio, ac motio, quam talia obiecta ad tales operationes inducunt, vt sit necessitas moralis respectu illarum. Sed etiam obiecta possibilia prout talia vim habent ad inclinandam, mouendamque voluntatem diuinam ad operandum mediâ sui cognitione, vt est certissimum. Ergo tam magnâ esse etiam potest inclinatio, ac motio, quàm aliqua obiecta prout possibilia inducunt ad aliquas operationes, vt sit necessitas moralis respectu illarum. Talis igitur censenda est inclinatio, motioque, qua Deus per cognitionem obiectorum possibilium inclinatus, motusque est ad creandum Mundum, in tali scilicet quantitate, proportione, & mensurâ, qualis fuit requisita ad honestissimè operandum in creatione, conseruationeque etiam, atque gubernatione eius. Ex quibus obiter colligitur, minùs consequenter Recentiores aliquos, circa propositionem præcedentem nobiscum consentientes, dissentire à nobis circa presentem. Contra quam si quid obijciatur, facilè ex dictis ab vnoquoque poterit dilui.

Propositio 7.

Mundus vniuersus, & quæcunque in illo sunt facta ex primariâ intentione Dei, omnino sunt bona in se ipsis, & absque vllâ imperfectione. 115

Dico ex primariâ intentione; nam; quæcunque monstrosa euadunt aut à principio, aut succedente tempore ratione imperfectionum, quas contrahunt seu naturalium, seu moralium, siue etiam artificialium, vitio causarum secundarum, à quibus nascuntur, præter intentionem Dei saltem primariam censenda sunt euadere talia. Qui huiuscemodi imperfectiones particularium entium non tam intendit, quàm permittit. Cùm tamen ipsam earum permissionem intendat vt quid conducens ad pulchritudinem Vni-

Vniuersi. Quod prout à Deo, vtpote præcipuum, & proprijssimum ipsius opus vndequaque est bonum, & sine vllà imperfectione tum in esse naturali, tum in esse artificiali, quod habet à supremo artifice adinuentum, & exequutioni mandatum. Ab hac propositione sic explicatà nemo Theologorum dissentit.

116 Eam autem probant imprimis illa verba Gen. 1. *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona* - Et illa Deut. 32. *Date magnificentiam Deo nostro, Dei perfecta sunt opera*. Et illa Ecclesiastes. 3. *Non possumus eis quidquam addere, nec auferre, quæ fecit Deus, vt timeatur*. In quæ loca omnes Expositores communiter pro certo supponunt, res omnes, quæ à Deo immediatè fiunt sine interuētu aliarum causarum prorsus perfectas proficisci ex manibus eius. Consentiunt Patres. August. lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 16. circa medium ait. *Quia ergo est omnipotens, & bonus, omnia valde bona fecit.* Vide apud illum plurima ad rem in Enchir. cap. 10. & 11. & lib 1. de Genes. contra Manich. cap. 21. Et de Genes. ad litt. lib. 3. cap. 24. & lib. 11. cap. 21. & lib. 13. Confess. cap. 28. & lib. 11. de Ciuit. cap. 22. Amb. in illud Pauli 1. ad Cotint. 12. *Si totum corpus oculus, vbi auditus &c.* ait. *Diuersitas hæc in vnum concurrit, vt corporis vtilitas expleatur. Sicut & ea, quibus Mundus ipse constat, cùm sint diuersa non solùm officijs, sed etiam naturis, ad vnius tamen Mundi proficiunt perfectionem*. Basil. homil. 9. Hexamer. non longè post medium ait. *Nihil est in eis, quæ sunt, cui non sit benè prouisum*. Theodoret. lib. 6. de Prouid. post medium ait. *Vniuersum hoc fecit perpulchrum, sibique sufficiens, amicum sibi, suisque portionibus tum principalibus, tum minoribus ipsi quàm maximè congruentibus, &c.* S. Paulinus epist. 36. de Prouid. circa medium docet, ex eo, quòd Deus sit auctor Vniuersi, *hanc esse consequentiam, vt omnia Dei facta pulcherrima sint, & non sit malum, quod bonum habeat auctorem*. Damasc. in Dialog. contra Manich. propiùs ad medium, quàm ad principium ait. *Deus itaque valde bona fecit*. Et lib. 1. Fidei cap. 19. inter principium, & medium. *Ipsa diuina natura suppeditatrix est omnis boni proprijs facturis suis secundùm vniuscuiusque virtutis capacitatem*. Cui consonat Dionys. cap. 4. de Diuin. nomin. initio dicens. *Ipsum bonum per se, ipsáque essentiâ suâ ijs, quæ sunt, omnibus pro eorum captu totius bonitatis radios emittit*. Eamdem denique veritatem testantur Philosophi, quorum commune exioma est. Deus, & natura semper meliora facit. Qua in re multi sunt Arist. & Plato varijs in locis. Hanc vnam sententiam ex Timæo Platonis inter principium, & medium subdo. *Fas autem neque erat, neque est, quidquam, nisi pulcherrimum, facere eum, qui optimus est*.

117 Ratio autem à priori propositionis est. Quia, licèt Deus de potentiâ absolutâ imperfecta sua opera, manca, mutila, aut lacunosa tum secundùm naturam, tum secundùm artem possit edere: nam in hoc nulla est repugnantia. Ast esset id minùs consentaneum, minùsque decens summo, & optimo artifici, vt supponunt testimonia relata. Minùsque cum alijs attributis diuinæ maiestatis congrueret. Imo iuxtà morem loquendi Patrum speciem quamdam inuidiæ videretur præ se ferre. Ob id enim August. lib. 4. de Genes. ad litt. cap. 16. circa medium dixit. *Bona facere si non posset, nulla esset potentia; si autem posset, nec faceret, magna esset inuidentia*. puta quoad speciem, seu apparentiam. Similia habet Athanas. lib. de Incarnat. col. 3. & alij.

Vnde infero primò, Deum ad facienda sua opera perfecta citra omnem positiuam imperfectionem moraliter necessitatum esse: quia Deus ad faciendum, quod sibi est decentissimum, & honestissimum moraliter est necessitatus, vt ostendam proposit. 9. Secundò infero, Deum semper, & infallibiliter facere optimum secundùm naturam, & artem sumpto optimo vulgari modo pro eo, quod simpliciter est bonum sine defectu, imperfectionevè positiuâ: quam quod habet, etsi simpliciter non sit bonum, sed potiùs malum in suo genere; vulgariter tamen minùs bonum, quàm, quod eà caret, dici solet iuxta ea, quæ dicebamus supra num. 56. 118

Propositio 8.

Deus non semper facit, quod est optimum secundùm naturam, aut artem, loquendo de optimo propriè, & strictè sumpto, adhuc intra ea bonorum genera, in quibus tale optimm datur: & consequenter ad eligendum tale optimum moraliter necessitatus non est. 119

Non est in hac propositione sermo de optimo, quod in aggregato omnium bonorum possibilium aut absolutè, aut intra quoduis eorum genus consistit; de quo iam dictum proposit. 4. sed de reliquis. Si autem eatenus dicatur Deus non semper facere optimum, quatenus sæpe facit ea, quæ minùs sunt bona, quàm optimum, propositio est certissima. Constat enim, ex bonis relatis, quæ enti tum naturali, tum artificiali sunt debita, (proprièque optimum admittunt iuxta dicta num. 60. & 62), Deum non solùm facere, quod est optimum, sed etiam, quæ minùs bona sunt: cùm faciat omnia debita enti, & ea inter se sint inæqualia. Sic Deus fecit lunam, quæ minùs bona est Vniuerso, quàm Sol, Sic fecit D. Petrum, qui minus bonus est Vniuerso, quàm Christus Dominus. Indidit colorem rebus, qui minùs prodest pulchritudini Vniuersi, quàm lux. Dedit Adamo sensum gustus, qui minùs ad eius perfectionem conducebat, quàm intellectus. Pariterque in cæteris huiusmodi cernere licet.

Ampliùs tamen propositio prætendit; Deum scilicet optimum ipsum secundùm naturam, aut artem sæpe non facere in eo genere bonorum, vbi illud possibile est, factis nihilominùs, quæ minùs sunt bona, ad genus ipsum pertinentibus. Etenim illud optimum, quod est possibile in serie bonorum quoad perfectionem, seu bonitatem metaphysicam in se infinitorum iuxta doctrinam commemoratam num. 55. sæpe à Deo factum non est, cùm facta fuerint minora bona ad talem seriem pertinentia, vt varijs exemplis comprobari posset. Sit tamen vnum pro omnibus exemplum Mundi vniuersi; qui citra dubium iuxta doctrinam dictam vnus est ex serie Mundorum possibilium in se infinitorum quoad bonitatem metaphysicam naturalem, aut etiam artificialem, in eaque sese proportionaliter excedentium: & tamen non est optimus talis seriei. Quia, vt tenet communis Theologorum sententia, quorum plures refert, & sequitur Ruiz disp. 9. sect. 120

3. alium Mundum isto meliorem quoad talem bonitatem posset Deus facere. Deus igitur non semper facit optimum secundùm naturam, aut artem, adhuc, vbi est possibile, vt nostra propositio fert. Quæ eatenus est contra Granad. & Ruiz, quatenus vniuersè, & indefinitè pronunciant, probareque contendunt, Deum semper, & infallibiliter eligere optimum, in quocumque genere bonorum est illud possibile.

Propositio 9.

131 **Deus semper, & infallibiliter eligit, quod sibi est optimum, decentissimum, & honestissimum in genere moris, pensatis omnibus circunstantijs: atque adeò ad eligendum optimum in isto genere moraliter necessitatus est.**

In hanc propositionem haud dubiè conspirant communiter Patres. Audiamus imprimis aliquot eorum testimonia, à quibus probatio eius potissimùm petenda est. August. lib.3. de Liber. arbitr. cap.5. parum à principio dicit. *Quidquid tibi verà ratione melius occurrerit, hoc scias feciſſe Deum tanquam bonorum omnium conditorem.* Et lib. de Quantitate animæ cap.33. *Dei iuſtitia factum eſt, vt non modo ſint omnia, ſed etiam ſic ſint, vt omnino melius eſſe non poſſint.* Et lib.1. contra Aduersarios legis, & Proph. cap. 14. post medium. *Aut verò*, inquit, *vſqueadeò deſipiendum eſt, vt homo videat, melius aliquid fieri debuiſſe; & hoc Deum vidiſſe non putet, aut putet vidiſſe, & credat facere noluiſſe, aut voluiſſe quidem, ſed minimè potuiſſe. Auertat hoc Deus à cordibus piorum.* Chrysost. in illud 1. ad Corint. 12. *Deus membra poſuit, &c.* homil. 30. prope medium ait. *Certè enim, quod optimum, rectiſſimumque factu fuit, hoc illum voluiſſe conſentaneum eſſe debet.* Athan. orat. 3. contra Arrian. multò propiùs ad finem, quàm ad medium ait. *Quod enim facit, id ipſum & vtile hominibus, & aliter fieri non decuit.* Damasc. lib. 2. de Fide cap. 29. initio ait. *Si Dei voluntas prouidentia eſt, omnino neceſſe eſt, omnia, quæ prouidentia fiunt, ſecundùm rectam rationem optima, & Deo decentiſſima fieri, vt non ſit ea meliùs fieri*, Quam eamdem sententiam repetit Nemes. vt supra etiam notauimus num.87. Epiph. hæresi 70. prope medium. *Potens eſt*, inquit, *facere, quæ vult; ſed facit, quæ decent ipſius deitatem.* Cyrill. Alex. lib.3. contra Iulian. non longè post medium ait. *Nam, cùm nequeant res meliùs diſpenſari, quàm, vt Deus diſpenſat, &c.* Et lib.2. Thes. sub initium ait. *Quia & omnia Pater poteſt, & meliora ſemper vult.* Denique Concil. Francofordiense sub Adriano 1. in epistolâ ad Episcopos Hispaniæ ad finem ait. *Credamus, Deum omnia velle, quæ meliora ſunt.* Huc etiam faciunt testimonia, quæ proposit. 5. adduximus. Ex quibus omnibus patet est, Deum iuxta communem Patrum consensum semper, & infallibiliter, atque adeò ex quadam necessitate morali eligere, quod optimum est. Quod nisi de optimo in genere moris nequit intelligi, vtex ijs, quæ hactenus diximus satis, superque notum est.

132 Deinde ea omnia argumenta, quibus in vniuersùm ostendi dictam proposit. 5. (& satis, ni fallor, efficaciter) præsentem etiam propositionem confirmant validissimè. Quoniam, si quod est bonum creatum, in quod diuina voluntas ita propendet, vt non possit non illud amplecti, moraliter loquendo, id certè bonũ honestũ est, & inter bona honesta, quod ipsi Deo est honestissimũ, & decentissimum omnium. Tale ergo, & non aliud est semper bonum, cuius necessitas moralis adstruitur per argumenta prædicta proposit. 5. Maximè, quia, quod honestissimum est, non solùm in genere moris, sed à toto genere est magis, seu amabilius cæteris bonis, præsertim comparatione Dei; cuius amor maximè omnium est rationalis. Cùm sit à ratione prorsus alienum, non anteferre cæteris bonum honestum, quantumuis hoc in genere physico seu delectabili, seu vtili, seu absoluto sit minùs bonum, quàm alia quæuis.

Præterea probatur propositio. Quia, cùm quis 133 vehementer diligit alterum, infallibiliter inclinatur ad volendum ei, quod est optimum, si hoc æquè facilè, ac minùs bonum, potest ipsi conferre, prout in parentibus impensè amantibus filios, in alijsque huiusmodi amatoribus cernere licet. Ergo, cùm Deus se ipsum diligat infinitè, & cuncta sint ei æquè facilia, non potest non infallibiliter inclinari ad volendum, quod sibi est optimum inter bona creata; quale est citra dubium, quod ipsi in genere moris est decentissimum, & honestissimum in qualibet peristasi circunstantiarum. Quanquam enim nullum bonum extrinsecum quidquam emolumenti adferat Deo in ordine ad eius beatitudinem aut perficiendam, aut augendam, ob idque ad illud sibi volendum physicè non maneat necessitatus, quantumuis physicè necessitatus existat ad se ipsum amandũ: ast, supposito, quòd extrinseca sunt bona Deo, non potest non Deus, dum se se infinitè diligit, in illa propendere magis, aut minùs pro quantitate bonitatis, quam habent relatè ad ipsum Deum; & consequenter nec potest non summam propensionem sibi possibilem citra necessitatem physicam circa illud bonum habere, quod sibi pensatis omnibus à toto genere optimum est; quæ propensio subinde necessitatem, seu infallibilitatem moralem inducet ad illud amplectendum.

Denique propositio probari potest. Quia Christus Dominus haud dubiè semper, & infallibiliter, atque adeò ex necessitate quadam morali amplexus est, quod erat optimum, & perfectissimum, in quocunque virtutum genere operabatur, vt communiter videntur sentire, atque supponere Theologi cum S. Thom. 3. p. q. 7. art. 2. Ecquis enim credat, Christum, aut etiam B. Virginem in qualibet circunstantiarum peristasi non elegere, cùm facilè possent, quod erat melius, magisque consonum rationi, seu, quod exactissimè attingebat medium virtutis, secundùm quam operabantur? Certè id credibile non est, & consequenter oppositum moraliter est infallibile. Ergo potiori iure censendus est Deus semper, & cum infallibilitate morali eligere, quod, pensatis omnibus, optimum est secundùm rationem, vtpote attingens exactissimè medium virtutis, ad quam spectat talis electio. Quandoquidem ex suâ naturâ non minùs, sed infinitè magis est propensus ad honestè operandum, quàm erant Christus, & B. Virgo tum ex naturâ, tum ex gratiâ.

Stat itaque, Deum, quoties operatur libere, non posse non honestè operari, vt apud omnes est inconfesso; & consequenter omnem eius operationem liberam ad aliquam virtutem moralem specta-

spectare siue communem ipsi Deo, & creaturis, siue propriam ipsius. Cumque omnis virtus moralis medium aliquod exactissimũ habeat vltra, vel citra quod quidquid sit, minùs honestè, aut etiam inhonestè fit. Hoc medium citra omne dubium censendus est Deus semper, & infallibiliter in suis operibus attingere; atque adeò moraliter necessitatus esse ad eligendum, quod est optimum in genere moris, spectatis omnibus circunstantijs, sub quarum peristasi illud eligit: tametsi posset physicè aliud minùs bonum eligere. Eo quòd medium honestatis virtutum moralium, præsertim diuinarum, aliquam habet latitudinem, vt notabamus supra num.59.

125 Itaque, cùm Deus decreuit, creare hoc Vniuersum, idcirco decreuit illud tale, nec maius, nec minus, nec perfectius, nec imperfectius physicè siue secundùm naturam, siue secundùm artem: quia, spectatà conditione creaturarum, & conditione Dei, & cæteris omnibus circunstantijs, hæc fuit optima mensura, & rationabilissima omnium, exquisitissimèque attingens medium earum virtutum moralium Dei, ad quas creatio Mundi pertinuit: ita quod, si Deus Mundum crearet aut maiorem, aut minorem, aut perfectiorem, aut imperfectiorem physicè, minùs honestam ex genere suo creationem Mundi patraret, vtpote exorbitantem aut per excessum, aut per defectum à puncto medio latitudinis diuinarum virtutum; tametsi illa esset prorsus immunis ab omni imperfectione iuxta doctrinam tradendam disput. 35. quæst. 2. Quemadmodùm enim Rex magnificus, qui suis subditis habiraculum struere, aliaque dona communicare molitur, si vult honestissimè, & decentissimè in tali molitione procedere, nec summum, quod physicè potest facere, nec minimum aggredi debet, sed medium quoddam tenere, quod, attentà suà maiestate, & opulentià, ac subditorum conditione, alijsque omnibus circumstantijs, rationabilissimum videatur iuxta præscriptum liberalitatis, magnificentiæ, magnanimitatis, beneficentiæ, aliarumque regiarum virtutum, ad quas tale opus spectat. Ita Deus in molitione Mundi, quo perfectissimè operaretur, medium quoddam tenere debuit, vti reuerà tenuit, quod, cunctis spectatis, rationabilissimum videretur respectiuè ad omnes morales, diuinasque virtutes, ad quarum honestatem spectauit creatio Mundi. Suppositâ autem creatione Mundi, quidquid Deus circa eum, & circa singulas eius partes prouidet, & ordinat, semper, & infallibiliter attingit pariter medium exactissimum earum virtutum, ad quas talis prouidentia, siue ordinatio pertinet: atque ita, spectatis omnibus circunstantijs, semper est illud optimum, siue honestissimum omnium, quæ in tali circunstantiarum peristasi à Deo possent ordinari. Vnde concluditur, si quid alicui visum fuerit melius, conuenientius, siue rationabilius potuisse fieri, vel disponi à Deo, quàm factum, aut dispositum est, huiusmodi existimationem ex rerum ignorantiâ procedere, fallacemque prorsus, & delusoriam esse. Nam vt egregiè August. lib.4. de Libero arbitr. cap.5. *Quidquid tibi verà ratione melius occurrerit, scias, fecisse Deum tanquam bonorum omnium conditorem.* Et consequenter, si quid putas potuisse aliter melius, siue rationabilius fieri, scias, te id non verà, sed fallaci ratione ductum putare. Per quod ad omnia exempla creatarum rerum, quæ tanquam minùs benè factæ opponuntur, est respondendum, Quorum plura congerit, & digerit Ruiz disp.10. citatà sect.vlt.

Alia, quæ hìc opponi possent, abundè sunt diluta supra circa propos.5. Id solum de oratione, quod semel, & iterum inculcat Lugo, videtur hinc vires resumere. Nam, si Deus ad omnia, & singula, quæ de facto liberè exequitur, est necessitatus moraliter, vtpote quia, quidquid de facto exequitur, est optimum in genere moris; frustraneè videmur quidquam petere: quandoquidem siue petamus, siue secus, infallibiliter cuncta euenient. Respondeo tamen primò iuxta ibi dicta, quantumuis id, quod petitur, sit alias necessarium moraliter, non propterea orationem frustraneam esse, prout ibidem exposui. Secundò; etsi Deus ad eligendum optimum in genere moris sit necessitatus moraliter, non semper propterea, imò raro esse eum necessitatum moraliter ad eligendum id, quod eligit. Quia medium virtutis, secundùm quam operatur, plerunque non est alligatum huic determinatæ materiæ, sed per plures vagari potest. Quo fit, vt inter plura optima æqualia, etiam ad eamdem virtutem spectantia, possit esse optio Dei libera & physicè, & moraliter; e g. Deus necessitatus in tali, vel tali occasione ad eligendum medium liberalitatis, aut gratitudinis potest, tali semper medio retento, hæc dona, vel alia, vel alia, prout sibi arriserit, largiri ex infinitis diuersorum generum, quæ possibilia sunt. Respondeo tertiò, pleraque saltem eorum, quæ à Deo poscimus, & oratione impetramus, independenter ab oratione moraliter necessaria non esse: etsi sint talia, suppositâ oratione vt circunstantia quadam, qua positâ, iam est Deo optimum in genere moris, quod, si ea non poneretur, tale non esset; atque adeò Deus, seclusâ oratione, illud non mandaret exequutioni. Ex quo patet, per sententiam nostram, non modò non detrahi aliquid de vtilitate, ac necessitate orationis, sed potiùs vtramque eximiè commendari.

126

Sed dicet aliquis ad extremum. Actus Dei liberi non sunt inæqualiter honesti; quia quilibet est infinite honestus. Ergo comparatione Dei nullum est bonum melius alio in genere moris; & consequenter nihil in tali genere est optimum, ad quod Deus necessitari possit moraliter. Si enim, quolibet signato, æquè honestè potest Deus amplecti illud, & eius contradictorium; certè non erit, cur plùs in illud, quàm in contradictorium propendeat. Positâ autem æquali propensione ad omnia contradictionis extrema, necessitas moralis ad aliquod impossibilis est, vt patet. Hoc argumentum nimium probat; nempe omnia exercitia libera Dei æqualiter esse probabilia; & omnia obiecta voluntatis eius æqualiter ab illo amabilia, quæ plùs, quàm falsa, sunt, vt patet. Quis enim non videat, si Christus Dominus à Patre aliquid facilimum, & rationabilissimum toto conatu voluntatis exposceret, longè probabilius esse, concessurum Patrem, quam negaturum, dicente ipso Christo Ioan.11. *Ego autem sciebam, quia semper me audis?* Ecquis ausit negare, Christum magis amabilem à Deo esse, quàm puerum recèns baptizatum: aut creationem formicæ, quàm creationem Mundi? Ex quo patet, dictum argumentum nihil probare. Negari enim nequit, voluntatem diuinam plùs in alia, quàm in alia obiecta propendere. Respondeo ergo, etsi om-

127

nes actus diuinæ voluntatis liberi sint infinitè honesti, per id non tolli, quominùs illi sint inæquales ex suo cuiusque genere quoad honestatem, prout explicabimus disp. 35. Sed estò sint prorsus æquales quoad propriam, formalemque honestatem internam, adhuc eorum obiecta possunt esse inæqualia, & inæqualiter amabilia quoad honestatem externam, & obiectiuam. Quo totum argumentum ruit, Sed de his plura dicenda loco citato. Vbi etiam contra quosdam Recentiores monstrabimus, honestatem operum externorum Dei non ita vnicè ex diuinâ electione nasci, vt quodcunque Deus elegerit, id eo ipso euadat optimum in genere moris. Sed vnumquodque propriam honestatem habere, præter eam, quam participat ab interna Dei electione; eamque maiorem, aut minorem iuxta propriam naturam, & circunstantias, in quibus sit.

QVAESTIO IV.

Vtrùm ex parte obiecti, aut aliunde aliqua causa assignari possit volitionis diuinæ.

129 SVppono vt certum apud omnes, volitionem diuinam nullam causam sui posse habere simpliciter realem aut efficientem, aut materialem, aut formalem. Quia omnes huiusmodi causæ realiter formaliter distinguntur à suis effectibus. Volitio autem diuina nihil habet intra Deum, à quo realiter formaliter distincta sit. Extra Deum autem minùs habere potest, à quo realiter causetur aliquo ex dictis modis, vt est notissimum. Habere tamen intra Deum volitionem diuinam principium virtuale sui, à quo virtualiter elicitur, siue producitur in genere efficientis in ordine ad denominandum Deum ipsum volentem, disp. 31. quæst. 2. propos. 3. & 4. statuimus, atque probauimus. Vbi causam materialem nihilominùs adhuc virtualem reiecimus diuinæ volitionis.

130 Difficultas modò est primò; vtrùm volitio diuina reuerà possit habere causam finalem sui. Negant Vazq. 1. p. disp. 82. cap. 1. & alij. Quia putant, de ratione finis esse, causare electionem mediorum mediâ intentione sui ab ipsâ electione distinctâ realiter. Huiusmodi autem distinctio actuum repugnat Deo. Affirmant tamen Ruiz disp. 15. de Volunt. sect. 1. & alij. Quia putant, de ratione finis solùm esse, quòd sit ratio obiectiua amandi mediâ, siue illa per eumdem actum cum fine, siue per distinctum amentur. Deus autem benè potest eodem actu velle finem, & media motus à bonitate finis.

131 Secunda difficultas est, an, præter bonitatem, & beneplacitum Dei, alia causa, seu ratio obiectiua, motiuaue diuinarum volitionum assignabilis sit. Negant Vazq. disp. 82. citatâ cap. 2. Molina 1. p. quæst. 19. art. 5. cum Alberto, Alex. Enri. Scot. & alijs relatis à Ruiz dictâ disputat. 15. sect. 2. Affirmant verò Valent. 1. p. quæst. 19. punct. 5. assert. 2. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 7. num. 12. & Opusc. de Libertate diuinâ disp. 1. sect. 1. num. 5. & sect. 2. num. 21. & 32. & tom. 1. in 3. p. disputat. 41. sect. 4. initio, & Ruiz supra sect. 3. referens pro hac sententiâ Duran. Maior. Ricard. Cordub. & alios.

Propositio 1.

Volitio diuina causam finalem habere potest reuerà in se influentem, non quidem formaliter, sed virtualiter. Sit, aut non sit de ratione finis, causare electionem mediorum mediâ intentione sui. 131

Itaque Deus bifariam potest operari propter finem. Primò, volendo eodem indiuisibili actu finem propter se, & media propter finem; qui quidem actus simul erit intentio finis, & electio mediorum. Secundò, volendo per vnum actum finem propter se, qui erit intentio, & per alium media vt vtilia ad finem, qui erit electio. Vtrouis autem modo res transigatur, vt finis dicatur mouere, causareque intentionaliter volitionem diuinam, necessarium omnino est, quòd illam causet physicè diuina voluntas mota à fine, non quidem formaliter; quia id repugnat; sed virtualiter. Sublato enim influxu physico voluntatis in volitionem, non solùm influxus intentionalis finis in volitionem, aut in media; sed neque vera motio eius constare potest, vt disp. 31. quæst. 2. probauimus. Igitur iuxta doctrinam ibi traditam, si Deus operetur propter finem priori modo, voluntas diuina mota per finis, atque mediorum cognitionem virtualiter producet volitionem à se, & ab ipsâ cognitione distinctam virtualiter, quæ sit indiuisim intentio comparatione finis, & electio comparatione mediorum. Si verò Deus posteriori modo propter finem agat, voluntas diuina mota priùs per cognitionem finis, producet virtualiter intentionem eius: rursusque mota per intentionem, producet virtualiter electionem mediorum virtualiter distinctam ab ipsâ intentione. Et hic est magis proprius modus agendi propter finem, vt benè vidit Vazquez; tametsi & alter sit Deo possibilis, & vtrouis ipse vti possit pro suo arbitratu.

Ex quo patet, finem nullatenus posse causare, non dico solùm volitionem diuinam, sed neque media externa, (quæ aliter, quàm per volitionem non causat), nisi voluntas diuina adiuta aut cognitione, aut amore ipsius finis causet, producatve aliquo modo volitionem ipsam: nimirum æquiualenter, seu virtualiter; quia formaliter nequaquam potest. Vt hinc rursus videas id, quod ostenderam loco citato, quàm sit necessaria huiusmodi productio virtualis volitionis diuinæ ad hoc, vt Deus verè, & propriè dici possit agere propter finem.

Propositio 2.

Præter bonitatem, atque beneplacitum Dei, sæpe aliæ causæ, rationesve obiectiuæ dantur diuinarum volitionum, etiam ex parte creaturarum. 138

Probant imprimis propositionem hanc, quæcunque adduximus supra quæst. 2. ad probandum, motiuum formale volitionis diuinæ sæpe esse aliquid creatum. Recognoscantur præcipuè loca Scripturæ, & Patrum propos. 3. indicata, quibus 139

quibus pro causâ volitionis diuinæ redditur aliquid creatum per particulas causales; quas, fas non est, detorquere ad translatitium sensum, dum nullum ex proprio absurdum sequitur, vti in præsenti fit, iuxta regulam ab August. traditam lib. 3. de Doctr. Christ. cap. 10. & 11. Nunc adde dictis ibi Hieron. quem refert, & sequitur Hugo Victor. in epist. ad Rom. quæst. 235. dicentem. *Deus nihil facit quia vult; sed quia ratio est, sic fieri.* Potes etiam addere fere omnes Patres, qui passim rationes inuestigant, & reddunt operũ Dei, vt permissionis peccati, Incarnationis, institutionis, Sacramentorum, &c: neque tamen in eis reddentis ad bonitatem diuinam, aut ad voluntatem recurrunt. Nec non eos, qui seriò monent, vt veneremur opera Dei, quorum rationes ignoramus, certò persuasi, eas esse iustissimas, ac sapientissimas, quorum plures citat Ruiz supra sect. 3.

135 Probant etiam propositionem præsentem quæcunque concessimus quæst. præced. propos. 5. ad probandum, Deum ad aliqua opera præstanda moraliter necessitatum esse, inducente huiusmodi necessitatem aliquo motiuo creato. Quoniam huiusmodi motiuum non potest non esse causa, seu ratio volitionis diuinæ. Tum, quæ adduximus propos. 9. ad probandum, Deum ad eligendum optimum in genere moris moraliter necessitatum esse. Quod optimum sæpe sæpius est motiuum creatum: causaque subinde, seu ratio diuinæ electionis diuersa à bonitate Dei; vt ex ibi dictis apparet,

136 Ratione etiam probatur primò; quia, dato etiam, quòd diuina bonitas sit obiectum formale omnis volitionis diuinæ, adhuc negari nequit, ex parte creaturarum esse sæpissimè id, quod diuinam voluntatem inducit ad volendum aliquid; quodque subinde non potest non esse causa, seu ratio obiectiua diuinæ volitionis. Ideo enim Deus benè operantes remunerat; quia digni sunt præmio; & malè operantes punit; quia sunt digni supplicio. Ideo nonnullis miseretur; quia videt eos plenos erumnis: alijs sua dona largitur; quia enixè illa ab eo postulant. Et vniuersim idcirco hæc potiùs, quàm alia in Mundi gubernatione disponit; quia ad fines suæ prouidentiæ hæc præ alijs sunt aptissima, & vtilissima.

137 Secundò probatur; quia, si in Deo sola esset pro ratione voluntas, quæcunque Deus vellet, quantumuis turpia ex se, & praua, rationabilia forent: veraque foret assertio illa erronea quorundam hæreticorum, qui dixerunt, Deum mendacium, & peccatum quoduis intendere; hominesque ad illud patrandum inducere posse. Quod est absurdum. Vnde patet, ex parte ipsarum rerum esse rationem, cur hæc, & non illa amari possit à Deo, & dafacto ametur. Et quidem, cùm bona creata ratione sui sint inæqualiter amabilia; quis dubitet, Deum hæc præ alijs sæpe sæpiùs eligere, quòd illis

138 amabiliora sint?

Tertiò probatur; quia sæpe Deus eligit illa, quæ ad aliquem finem à se præintentum vtilia cernit, aliàs non electurus, ni talem finem præintendisset, vt multis exemplis mostrari posset. Ergo causa huius electionis illa intentio est; non sola bonitas diuina, aut Dei beneplacitum.

139 Quartò. Quòd volitio Dei rationem habeat ex parte obiecti, etiam creati, aut ex parte alterius præuiæ volitionis, perfectio est sine imperfectione. Ergo non est ei deneganda. Conuenit etiam citra dubium scientiæ diuinæ: cùm Deus ideo cognoscat obiecta cuncta; quia in se vera sunt, & cognoscibilia. Ergo potiori iure conueniet diuinæ volitioni; quæ titulo operationis liberæ potiori iure debet rationabilis esse.

Nota tamen pro solutione eorum, quæ 140
contra statutam propositionem opponi solent, nonnumquam Patres in solam diuinam bonitatem tanquam in finem, seu motiuum referre ea, quæ Deus vult, & operatur. Censendi tamen sunt loqui de fine primario, & principali; quo non excludunt fines alios, seu motiua specialia, ad quæ Deus etiam respicit in suis operibus iuxta doctrinam latè traditam quæst. 2. Quando verò electionem diuinam reducunt ad solum Dei beneplacitum, loquuntur de electione, cuius rationem ignoramus, aut certè, quæ rationem non habet, præter beneplacitum Dei; eo quòd extrema electionis prorsus æqualia sunt; vt quòd Deus hos homines potiùs, quàm alios similes creauerit; quòd hunc Mundum præ alio solo numero distincto elegerit; quòd hos homines, & non alios prædistinauerit; quòd hanc potiùs, quàm aliam similem humanitatem sibi assumperit, &c. Huiusmodi enim electionum inter extrema prorsus paria, pariterque amabilia vndequaque, præter diuinum beneplacitum, alia ratio non est.

Deinde nota, nullum esse inconueniens in 141
eo, quòd volitio Dei, qua ratione est contingens Deo, pro causâ obiectiuâ habeat aliquid creatum, quidquid sit de illâ, qua ratione non est contingens, sed æquè necessaria, ac Deus ipse. Cæterùm, quia vt ostendi disput. 31. quæst. 2. nihil per modum obiecti, seu causæ moralis intentionalis, aut etiam non intentionalis quidpiam potest causare, nisi inducendo causam physicam ad id ipsum causandum physicè. Omnino necessarium est ad hoc, vt volitio diuina causam, seu rationem habere ex parte creaturarum dicatur, quod à voluntate diuinâ motâ eâ causâ, seu ratione causetur physicè; si non realiter formaliter; quia id est impossibile; realiter quidem virtualiter in ordine ad denominandum Deum volentem. Itaque non aliter creaturæ sunt causæ obiectiuæ volitionis Dei, nisi quatenus media sui cognitione, aut etiam medio sui amore mouent diuinam voluntatem, vt virtualiter eliciat volitionem ipsam; sicque per illam volens denominetur. Quo fit, vt cognitio creaturarum, aut etiam amor earum immediatiùs cum voluntate Dei concurrat ad dictam virtualem productionem ipsius volitionis. Quod enim in nostrâ voluntate euenit formaliter, dum mediâ cognitione obiecti mouemur ad eliciendam volitionem eius, aut mediâ intentione finis ad eliciendam electionem mediorum; id ipsum in voluntare Dei euenit æquiualenter, seu virtualiter. Atque ita Deus cum omni proprietate, sicut nos, dicitur motiuis, & rationibus duci ad volendum, quod vult; quia, quod in nobis in ordine ad omnes has denominationes præstat productio volitionis formalis, in ipso fine imperfectione ob suam eminentiam præstat productio volitionis virtualis, vt aliàs sæpe declarauimus. Ex his ad argumenta, quæ opponi possunt, facile erit respondere. Videatur Ruiz supra sec. 2. & 5.

Quæ-

QVAESTIO V.

Qua ratione voluntas Dei feratur, aut ferri possit in obiecta relata.

142 DVplex est genus relationis. Nimirum transcendentalis, & prædicamentalis. Relatio transcendentalis dicitur, quæ suapte naturâ, & essentiâ ad aliud se habet, siue illud respicit. Hoc pacto refertur cognitio ad obiectum cognitum, potentia ad actum, actio ad terminum, vnio ad extrema, &c. Relatio autem prædicamentalis iuxta veriorem philosophiam, quam modò suppono, in denominatione extrinsecâ, vel semiextrinsecâ posita est; qua aliquid relatè ad aliud denominatur, siue concipitur, ad quod neque per suam essentiam, neque per respectum sibi inhærentem relatum est. Sic animal, existente sobole, ad illam comparatur vt pater; albedo, existente alterâ, ad illam comparatur vt similis; vir & fœmina, posito matrimonij contractu, vicissim comparantur vt coniuges, &c. quin hæc per respectum intrinsecum aut essentialem, aut superadditum respiciant terminos, ad quos tanquam relata comparantur. Vnde relatio prædicamentalis, & vniuersim omnis denominatio extrinseca, vel semiextrinseca conceptione nostrâ potiùs, quàm reipsâ relatio est. Porro relatio transcendentalis alia est relatio connexionis, quæ sine termino, ad quem refertur, esse non potest, vt actio sine termino, &c. Alia non connexionis, quæ sine termino, quem respicit, benè potest existere, vt cognitio fallibilis sine obiecto, &c. De quibus plura videri possunt tacta etiam supra in simili disput. 23. de Scient. quæst. 6. & latiùs tradita in Pharo Scient. disp. 12. quæst. 3. & disp. 14. qu. 1. & 2.

143 Igitur, quod in præsenti quærimus, est. Vtrùm, cùm voluntas diuina per amorem, vel per odium fertur in obiecta quouis ex dictis modis relata, in terminos, ad quos referuntur, seu comparantur, pariter ferri debeat, vel secus.

Propositio 1.

144 **Obiectum transcendentaliter relatum à diuinâ voluntate (sicut & à creatâ) benè potest amari, aut odio haberi, saltem affectu simplici, quin terminus eius ametur, aut odio habeatur. Nisi relatio sit formaliter bonitatis, vel malitiæ mouentis ad amorem, aut odium.**

Prior pars propositionis à posteriori cõstat. Quia Deus pœnitentiam, cognitionem de peccato, & alia ad illud trascendentaliter relata citra omne dubium amat, non amato peccato. Peccatum autem ipsum odit, non odio habitâ voluntate, ad quam illud vt actus ad potentiam refertur. A priori autem probatur. Quia, quoties relatio obiecti diuersa formaliter est à relatione bonitatis, vel malitiæ mouentis ad illud amandum, vel odio habendum, ea materialiter se habet, perindeque, ac si relatio non esset. Vnde, amato, vel odio habito tali obiecto, non est necesse, quòd ametur, vel odio habeatur terminus talis relationis. Quando verò relatiò formaliter est bonitatis, aut malitiæ mouentis, tunc sine termino amari, aut odio haberi non potest; quia tangitur à voluntate formaliter, vt relatio est se habens ad aliud: qua ratione, nisi tangendo aliud, tangi non potest. Cùm enim bonum relatum qua tale aliter non sit amabile, quàm propter subiectum, aut finem, respectu cuius bonum est, repugnetque planè amari vnum propter aliud, non amato ipso alio. Conficitur, bonum relatum qua tale, non amato subiecto, aut fine, ad quem relatum est, amari non posse. Tametsi non sit necesse, vt ambo amentur eodem actu: quia possunt vel vnico, vel duobus connexis amari, prout supra quæst. 1. explicatum est. Tantumdemque dicendum est de malo relato, quod prout tale, nisi ex odio subiecti, aut finis, cui malum est, amari non potest. Sicut vice versâ bonum relatum, nisi ex odio subiecti, aut finis, cui bonum est, non potest odio haberi. Nec malum relatum, nisi ex amore subiecti, aut finis, cui malum est, iuxta doctrinam statutam loco citato. Quo pars secunda propositionis etiam manet probata.

145 Ex quibus obiter infertur ratio, propter quam intellectus nullam relationem transcendentalem possit cognoscere sine termino: cùm tamen voluntas multas sine termino amare, aut odio habere possit. Ea autem est; quia ab intellectu omnis relatio transcendentalis tangitur formaliter vt relatio est; à voluntate verò non item. Quoniam, præter bonitatem, & malitiam relatam, cæteræ relationes, non vt relationes sunt formaliter, sed vt bonæ, aut malæ tanguntur; Quo fit, vt intellectus nullam relationem possit sine termino attingere. Voluntas vero possit omnes, præter relationes bonitatis, & malitiæ relatæ.

146 Dixi in primâ parte propositionis, saltem affectu simplici amari posse obiectum relatum sine termino. Quia, quando relatio est connexionis, obiectum relatum nequit amari à Deo efficaciter, nisi vel ametur etiam efficaciter terminus talis relationis, vel supponatur, præuidereturque à Deo aliunde extiturus. Nam, cùm relatio connexionis nequeat existere sine termino, repugnat, voluntatem diuinam velle efficaciter, vt existat relatio, quin velit etiam efficaciter, vt existat terminus; nisi hic aliunde existens, aut extiturus præuideatur. Tunc enim ne simplici quidem affectu debebit amari ex vi amoris efficacis, quo amatur obiectum cum illo connexum.

Propositio 2.

147 **Obiectum prædicamentaliter relatum, siue extrinsecè, vel semiextrinsecè denominatum vt tale benè potest amari à Deo, vel odio haberi; quin ametur, vel odio habeatur terminus, ad quem comparatur. Licèt hic per talem amorem, aut odium non possit non essentialiter connotari.**

Est dicere. Vnum obiectum, vt subest alteri tanquam extrinsecæ circunstantiæ, siue, vt connotans illud extrinsecè benè potest amari à Deo, vel odio haberi, eiusmodi connotato non amato,

amato, vel odio habito: nequit tamen amor, aut odium talis obiecti tale connotatum non respicere respectu essentiali. Sic Deus, non amato peccato, eius supplicium, seu pœnam, vel punitionem amat. Quod est, amare materiale flagellum homini inflictum, vt subest peccato præterito, ipsumve connotat extrinsecè. Sic etiam Deus odit mendacium, vt est malum moraliter. Quod est, odisse physicam actionem mentiendi, vt connotat libertatem, & legem, cui opponitur, & reliqua, quæ ex connotato requiruntur ad malitiam moralem; & tamen hæc Deus non odit per odium peccati mendacij. Constat autem, neque amorem punitionis peccati posse consistere sine peccato; neque odium malitiæ mendacij sine ijs, quæ ex connotato dicit ipsa malitia. Ex quo patet, hos actus essentialiter esse connexos cum huiusmodi connotantis; atque ita essentialiter ea aliter, quàm amando, vel odio habendo, respicere.

148 Ratio à priori primæ partis propositionis est. Quia amare, vel odisse vnum, vt connotat aliud, non est amare, aut odisse vtrumque, vt satis ex se est notum. Ego enim, supposito morbo, pharmaci potionem amo, vt connotat morbum; morbum tamen ipsum non amo. Similiter morbum detestor, vt subest talibus circunstantijs extrinsecis, sub quibus mihi peius est, quàm, si eueniret in alia occasione; ipsas tamen circunstantias nequaquam detestor. Igitur benè potest Deus amare, vel odisse vnum, vt connotat aliud, quin huiusmodi connotatum amet, aut oderit. Secundæ autem partis propositionis ratio est. Quia connotatum extrinsecum multum variat obiectum amoris, vel odij. Aliud enim est amare, vel odisse rem nudè, & præcisè sumptam. Aliud amare illam, vel odisse vt vestitam circunstantijs extrinsecis, siue vt connotantem illas. Igitur amor, vel odium rei nudè sumptæ actus est omnino diuersus, vtpote diuersum obiectum habens, ab amore, vel odio rei vt vestitæ circunstantijs. Constat autem, aliunde non posse differre; nisi quia primus actus nudam rem respicit; secundus autem etiam respicit circunstantias. Alioquin per eumdem actum inuariatum posset res nudè sumpta, & vt vestita circunstantijs amari, aut odio haberi; ipsaque eodem omnino modo moueret ad sui amorem, vel odium, siue existentibus, siue defficientibus circunstantijs. Quod est manifestum absurdum, vel ipsi aduersum experientiæ. Quid enim magis obuium, & notum, quàm, circunstantias extrinsecas rerum amabilitatem, atque odibilitatem variare?

149 Confirmatur primò. Quia relatio prædicamentalis, siue denominatio extrinseca, vel semiextrinseca intrinsecè claudit in suo conceptu reali non solùm, quod dicit in recto, sed etiam, quod connotat in obliquo, vt manifestè constat ex dictis in Pharo locis citatis: (in quo à relatione transcendentali differt, cuius terminus extra conceptum adæquatum eius est). Ergo repugnat, attingi à Deo talem denominationem quoad suum conceptum realem, nisi attingatur eodem actu tam rectum, quàm obliquum; sicut repugnat, attingi totum, nullatenus tactâ eodem actu aliqua parte eius, vt constat. Nos, qui relationem prædicamentalem instar transcendentalis concipimus, facientes respectum quemdam rationis recti ad obliquum, fortasse non cogimur, attingere obliquum eodem actu, quo rectum vt denominatum attingimus; quia obliquum est terminus extrinsecus respectus rationis, quem apprehendimus: tametsi intrinsecus sit conceptus realis, quem Deus sine respectu rationis concipit, & tangit suo amore.

Confirmatur secundò. Quia, si volitio diuina obiecti A, vt subest circunstantiæ B, non respicit essentialiter ipsum B, sed solum A; sublato B, permanere poterit attingens nihilominùs A, vt subest B. Quod est absurdum. Fieret enim inde, vt voluntas, qua Deus vult punire peccatum, & qua vult compensare meritum, sublato peccato, & merito, permanerent in Deo; & aliæ huiusmodi, quarum obiectum extrinseca denominatio est. Quod, patet, implicatorium esse. 150

Obijcies. Qui amat rem vt connotantem circunstantias, non potest non tali amore ipsas circunstantias respicere. Ergo nec potest non eas amare contra superiùs dicta. Non enim est intelligibile, quòd respiciat amor obiectum, cuius amor non est. Nego consequentiam; & probationem. Nam, sicut intelligitur benè, amorem respicere voluntatem, à qua nascitur, vt principium; quin sit amor eius, sic etiam intelligitur benè, amorem respicere circunstantiam, seu connotatum sui obiecti; quin sit amor eius. 151

Obijcies rursus. Per circunstantiam sortitur res diuersam amabilitatem, quàm haberet, ciucunstantiâ seclusâ. Ergo & diuersam bonitatem; quæ quidem bonitas nequit non inuoluere in suo conceptu circunstantiam ipsam, vtpote quæ ex solâ re, & tali circunstantiâ coalescit. Ergo repugnat talem bonitatem amari, non amatâ circunstantiâ, quam in se claudit. Videtur certum. Quia totum, non amatis partibus, cum quibus simul sumptis est idem, amari non potest. Ast, qui rem amat vt subest circunstantiæ, ipsam eamdem bonitatem, & non aliam, amat, quæ rei per circunstantiam accrescit, quæque subinde coalescit ex re, & circunstantiâ. Ergo non potest non amare simul cum re circuunstantiam ipsam. Respondeo, bonitatem rei accrescendentem ex circunstantiâ extrinsecâ ipsi rei soli conuenire, non item circunstantiæ, vel aggregato ex re, & circunstantiâ; atque ita rem solam per talem bonitatem amabilem reddi, non item circunstantiam, aut aggregatum. Est enim proprium denominationum extrinsecarum, vel semiextrinsecarum, qualis est ista bonitas, non singulis fundamentis, à quibus desumuntur, aut omnium aggregato competere, sed alicui eorum dumtaxat, supposità existentiâ aliorum. Vide id in bonitate pharmaci, quæ morbum supponit, connotatque vt circunstantiam ad suum esse requisitam. Et tamen solum pharmaum reddit bonum, siue conueniens ægro: qualia non sunt neque morbus seorsim, neque coniunctum ex pharmaco, & morbo. Itaque solum pharmacum est bonum ægroto, ab ipsoque proinde amabile, morbo supposito; tametsi morbo sublato, tale non esset. Nec refert, bonitatem pharmaci reipsâ aliud non esse ab entitatibus pharmaci, & morbi, ex illisve coalescere intrinsecè, vti coalescit citra dubium iuxta doctrinam generalem paulò ante suppositam. Coalescit enim ex illis non ex æquo, sed ex altero directè, ex altero solùm de connotato. Vnde bonitas pharmaci etiam realiter non est aggregatum ex pharmaco, & morbo, sed solùm pharmacum, morbo supposito, 152

seu

seu pharmacum, vt subest morbo, siue vt connotans morbum. Atque ita, qui amat talem bonitatem, pharmacum solum debet amare, & morbum ipso amore supponere. Quod est, respicere illud aliter, quàm amando. Hoc autem ipsum est, non mato morbo, amare pharmacum, vt subest morbo, siue vt connotans morbum.

153 Hinc sæpe fit, vt circunstantia neque bona sit, neque amabilis, sed mala potiùs, & odibilis; & nihilominùs bonam de connotato reddat, amabilemque rem, quam circunstat, vt in exemplo morbi, & pharmaci cernere licet; & in punitione peccati, quæ bonitatem habet oriundam à peccato ipso tanquam à connotato. Sicut è contra sæpe fit, vt connotatum bonum sit, & mala denominatio ab ipso perueniens, vt patet in ipso peccato, cuius malitia moralis de connotato dicit libertatem, & legem, & alias circunstantias, quæ bonæ sunt: & tamen sine illis actus peccati moraliter malus non esset. Ex quibus omnibus palam est, quo pacto diuina voluntas per amorem, aut per odium in vnum obiectum, vt subest alteri, siue vt connotat alterum, ferri possit; quin tale connotatum amet, aut odio habeat: tametsi non possit non illud per amorem, aut per odium aliter, quàm amando, vel odio habendo, respicere, aut supponendo illud, aut aliter.

154 Obseruandum tamen est primò; quoties bonitas relata, quæ in relatione conuenientiæ ad subiectum, aut vtilitatis ad finem consistit, non est relatio transcendentalis intrinsecè conueniens rei bonæ; sed denominatio ipsi extrinseca, vel semietrinseca, vt sæpe fit; dum talis bonitas amatur, necessariò subiectum, aut finem, respectu cuius est bonitas, amari debere iuxta doctrinam propositionis primæ: quantumuis tale subiectum, aut finis in isto casu non tam terminus bonitatis relatæ, quàm connotatum ipsam complens reipsà fit. Pariterque est philosophandum de malitiâ relatâ, quando ea quoque extrinseca, vel semiextrinseca denominatio est in re malâ, proueniens à subiecto, aut à fine, cuius est mala, tanquam ab vno ex connotatis. Doctrina quippe tradita propos.1. & probatio eius circa amabilitatem, odibilitatemque bonitatis, & malitiæ relatæ vniuersalis est tam pro casu, quo talis bonitas, & malitia est relatio transcendentalis, quàm pro casu, quo est prædicamentalis, siue denominatio extrinseca, vel semiextrinseca in re bonâ, aut malâ comparatione subiecti, aut finis, respectu cuius bona, vel mala est. Hinc, quando bonitas relata relatio est prædicamentalis, terminus eius (sit ille subiectum, aut finis) titulo connotati intrinsecè eam complentis per actum, quo ipsa amatur necessariò respici debet seu connotari iuxta doctrinam propos.2. titulo verò termini bonitatis relatæ aut per eumdem actum cum illâ, aut per alium priori annexum debet amari, iuxta doctrinam propos.1. Quando verò bonitas relata est relatio transcendentalis terminus eius (sit obiectum, aut finis), cùm sit extra adæquatum ipsius conceptum, per actum, quo amatur ipsa nullo modo vt connotatum debet attingi; debet autem aut per ipsum actum, aut per alium ei annexum amari, iuxta doctrinam eamdem propos.1. Pariterque proportione seruatâ de malitiâ relatâ philosophandum est.

155 Porro bonitatem, & malitiam relatam quandoque in relatione transcendentali, quandoque in relatione prædicamentali, siue denominatione extrinsecâ, vel semiextrinsecâ modo dicto consistere, videtur certum. Nam actio e.g. productiua caloris per suam essentiam transcendentaliter relatiuam est conueniens igni vt subiecto, & vtilis calori vt fini; per denominationem autem extrinsecè, vel semiextrinsecè sumptam à dispositione animalis modò conueniens, modò disconueniens redditur ipsi tanquam subiecto; modòque vtilis ad valetudinem, modò ad langorem eius vt finem. Et ex actionibus humanis, certum est, aliquas per suam essentiam, aliquas verò ex circunstantijs adiunctis esse consonas, aut dissonas naturæ rationali vt tali.

Ex quibus omnibus secundò venit obseruandum, atque colligendum discrimen interrelationem transcendentalem, & prædicamentalem, prout sunt obiectum voluntatis diuinæ, siue illæ sint formaliter relationes bonitatis, aut malitiæ, siue alterius generis. Nam, vt ametur à Deo relatio transcendentalis, nullatenus per eumdem actum debet attingi terminus, quia est extra conceptum talis relationis: sat erit, ametur per alium actum, quando necessariò debet amari, vt contingit, quando relatio est bonitatis, aut quando est connexionis, & amor eius est efficax, nec terminus aliunde prouidetur existens: secus in alijs casibus. Quando verò relatio est prædicamentalis, seu extrinseca, vel semiextrinseca denominatio, neutiquam res denominata, prout talis potest amari à Deo, nisi idem actus attingat, non quidem amando, sed connotando, terminum talis relationis, & quidquid de connotato cum termino ipso conceptum realem eius ingreditur, vt ex superiùs dictis constat. Vnde amor efficax rei denominatæ prout talis, si simul non est amor efficax dictorum connotatorum, vt potest, necessariò debet illa supponere aliunde posita, & præuisa. Existimo autem consentaneè ad doctrinam datam in simili de actibus scientiæ disput.25. quæst.2. propos.9. amorem efficacem rei denominatæ prout talis, siue vnius obiecti prout connotantis alterum bifariam posse esse amorem efficacem amborum. Primò ita, vt sit amor efficax formalis, & expressus tam obiecti connotati, quàm connotantis. Secundò ita, vt solius obiecti connotantis amor formalis, expressusque sit, obiecti verò connotati dumtaxat virtualis, & tacitus. Et in hoc secundo casu talis actus amoris ad alium actum formalem quoque, & expressum de obiecto ipso determinabit voluntatem: quia erit actus efficax formalis, & expressus de obiecto suo prout connexo cum altero semiextrinsecâ connexione iuxta dicta loco citato: & amor efficax de vno obiecto prout connexo cum altero ad amandum etiam efficaciter hoc alterum determinat voluntatem, quando ipsum non præuidetur aliunde extiturum. Qua verò scientiâ ducici possit, aut debeat voluntas Dei ad cuncta prædicta peragenda, ex dicendis infrà disput.34. constabit. Vbi amplius illustrabitur etiam doctrina huius quæstionis. Quæ quidem vniuersalissima iuxta, atque vtilissima est, vtpote per quam multa suis locis scitu dignissima resoluenda, componendaque venient.

Quæ-

QVAESTIO VI.

An Deus vnum, & idem obiectum velle possit secundùm vnam formalitatem, & non secundùm aliam, Vel secundùm vnam bonitatem, & non secundùm aliam.

157 DE hac quæstione nihil video apud Auctores ex professò discussum. Qui censent cognitionem abstractiuam, quæ tangat vnam formalitatem, & non aliam, Deo non repugnare; consequenter censebunt idem de amore pariter abstractiuo. Adhuc tamen apud eos manebit difficile, an, suppositâ cognitione intuitiuâ proponente voluntati simplex, & indiuisum obiectum, possit voluntas nihilominùs per se immediatè in illo formalitates partiri, amando vnam, & non alteram. Cæterùm, quia mihi plusquam certa est sententia comunior, quæ à cognitionibus diuinis procul has præcisiones relegat. De qua egi in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 11. & rursus supra disput. 24. quæst. 1. & 2. Eâ suppositâ dumtaxat, est mihi decidenda quæstio.

Propositio 1.

158 Deus nullatenus potest velle vnam formalitatem, & non alteram realiter identificatam cum illâ.

Hæc propositio per eadem argumenta probanda venit, per quæ est probatum locis citatis, non posse Deum cognoscere vnam formalitatem sine aliâ. E quibus illud est potissimum. Quia, si Deus per actum intellectus, aut voluntatis immediatè, vti debet, tangeret vnam, & non aliam formalitatem, idem omnino reuerà tangeret, & non tangeret. Quod est contradictio. Quia vna formalitas, & alia idem omnino sunt reipsâ, vt supponimus. Similiter, si vna formalitas, & non alia moueret ad sui cognitionem, vel amorem, idem moueret, & non moueret. Daretur insuper in Deo cognitio, volitiove ex suo genere valde imperfecta, qualis est, quæ vnam formallitatem, & non aliam attingit. Aliæque huius modi sequerentur contradictiones, & incommoda, prout locis citatis videri potest. Quæ modo sat sit indicasse pro stabilienda veri-
159 tate propositionis datæ.

Ex qua grauior insurgit difficultas circa secundam quæstionis partem. Quia diuersæ bonitates eiusdem entis plùs quàm formaliter, seu per rationem nostram non videntur distingui. Cùm tamen aliunde non videatur posse negari, voluntatem diuinam ab vnâ bonitate, & non ab alijs eiusdem entis moueri posse, vt in illud per volitionem feratur, quemadmodùm sæpesæpius mouetur nostra. Quis enim neget posse Deum velle efficaciter ignem producere, non quia ille in se est absolutè bonus, non quia est vtilis ad comburendum, sed præcisè, quia vtilis est ad illuminandũ, adeò, vt hæc vtilitas præcisè sit adæquatum motiuum volitionis diuinæ? Aut quis credat, non posse Deum desiderare, vt simus sancti, præcisè quia nostra sanctitas ipsi est honorifica; non verò itidem quia nobis est decens, & honesta, vtilisque ad merendam gloriam? Ecce difficultatem. Cui occurro per sequentes propositiones.

Propositio 2.

Quoties bonitates eiusdem entis 160
aut sunt denominationes extrinsecæ, vel semiextrinsecæ completæ per connotata distincta in suo conceptu reali, aut sunt relationes transcendentales distinctos terminos respicientes iuxta doctrinam præcedentis quæstionis, benè potest diuina voluntas ab vnâ, & non ab aliâ moueri, in vnamque, & non in aliam ferri per volitionem.

In primo enim casu eiusmodi bonitates ex connotato sunt distinctæ realiter, distinctasque amabilitates sortiuntur, quantumuis sint idem quoad id, quod in recto præ se ferunt. Vnde nihil vetat, vnam, & non aliam mouere efficaciter ad sui amorem, &, illâ non amatâ, amari. Quemadmodùm enim Deus entitatem A cognoscit, vt subest entitati B; quin eam per talem cognitionem cognoscat vt subest entitati C iuxta dicta supra disput. 23. quæst. 4. propos. 3. sæpeque alias: eo quòd A, vt connotat B, diuersam veritatem, seu cognoscibilitatem habet ab eâ, quam habet, vt connotat C. Sic potest Deus amare entitatem A vt connotantem entitatem B; quin amet per talem amorem illam vt connotantem entitatem C. Quia entitas A sub connotatis diuersis, diuersas bonitates, atque amabilitates sortitur, vti præcedente quæstione explicatum est.

In secundo verò casu, licèt bonitates eius- 161
dem entis adæquatè sint idem quoad totum, quod dicunt intrinsecum, hoc tamen ipso, quòd terminos respiciunt distinctos, ad diuersos actus mouere possunt, per eosque amari: quadamtenus quæ subinde vna earum, & non alia, per actum sibi respondentem amari potest; non quidem ita, vt talis actus attingat vnam formalitatem, & non aliam eiusdem entis; sed ita, vt attingat ens totum respectiuè ad vnum terminum, & non respectiuè ad alium, eoque solùm iure vnam eius bonitatem, & non aliam dicatur attingere iuxta dicenda in simili propositione sequenti.

Hinc patet, qua ratione Deus absque vllâ 162
obiectiuâ præcisione formalitatum possit amare quodlibet ens vt vtile ad vnum finem; quin illud amet propterea vt vtile ad alium. Tum etiam qua ratione possit quoduis ens velle vt bonum vni subiecto; quin velit ipsum vt bonum alteri, cui etiam bonum est; idque quocunque genere bonitatis relatæ vtrique sit bonum. Patet etiam, quomodò Deus idem ens alicui subiecto velle possit vt bonum vno genere bonitatis; quin velit illud eidem subiecto vt bonum alio genere; quando huiusmodi eiusdem entis bonitates diuersa connotata concernunt, siue respiciunt à subiecto ipso distincta. Sic potest Deus

velle, vt ego comedam, non quia esus mihi delectabilis est, sed quia est honestus, aut necessarius ad viuendum. In huiusmodi enim, similibusque bonitatibus relatis ad idem subiectum semper reperiuntur connotata realiter distincta, penes quæ illæ distinguuntur, vel relatè ad quæ sunt amabiles. Vnde tandem concluditur, ob quamlibet bonitatem relatam earum, quæ reperiuntur in eodem ente, tanquam ob adæquatum motiuum posse tale ens à Deo amari; quin reliquæ etiam relatæ moueant ad huiusmodi amorem. Quo iure itidem bonitas absoluta nihil connotans sine relatis potest amari à Deo. An verò è contra relatæ sine absolutâ, quam in se inuoluunt, possint, ex sequente propositione innotescet.

Propositio 3.

163 Bonitas quælibet relata quadantenus potest sine absolutâ eiusdem entis amari à Deo, ipsumve ad sui amorem mouere citra præcisionem obiectiuam formalitatum, non solum, quando bonitas relata tanquam includens ab incluso ratione connotati distincti ab absolutâ realiter distincta est, sed etiam, quando vndequaque est idem cum illâ.

Statui supra q. 1. non solùm vnum ens esse bonum alteri relatiuè, sed etiam vnumquodque sibi Quo fit, vt huiusmodi bonitas relata, siue quasi relata, qua vnumquodque sibi ipsi est bonum, vndequaque sit identificata realiter cum bonitate absolutâ, qua vnumquodque in se bonum est. Vnde rursus efficitur, quodlibet ens duobus titulis, siue duobus modis posse à Deo amari; & quatenus illud est in se bonum bonitate absolutâ; & quatenus illud est sibi bonum bonitate relatâ; quod non potest non fieri per actus ex modo tendendi diuersos. Quoniam in bonum absolutum voluntas absolutè, siue absque comparatione tendit, volendo illud in ipsomet, & propter ipsum, in relatum verò tendit comparatiuè volendo illud subiecto, cui bonum est, & propter subiectum. Ex quo præterea sequitur, quodlibet ens ad sui amorem duobus dictis modis, siue ad duos dictos actus mouere, quantum est ex se, secundùm duas bonitates prædictas indeque, posse Deum, quando tale ens ab ipso est liberè amabile, amare illud vno modo, siue vno actu, & non altero. Quod est, amare illud secundùm vnam eiusmodi bonitatem, & non secundùm alteram, siue amare in eo quadantenus vnam bonitatem, & non alteram vndequaque identificatam cum illâ, prout in propositione dicimus. Huiusmodi quippe modus loquendi non denotat, esse aliquid in ente, quod ametur, & aliquid, quod non ametur à Deo; id enim esset obiectiuè præscindere; sed integrum ens tali modo amari à Deo, & non altero, quo amari posset, nempe amari vt bonum in se absolutè, non comparatè vt bonum sibi, vel è conuerso.

164 Quòd si, cùm bonitas relata adæquatè est identificata cum absolutâ, sine illâ modo explicato citra præcisionem formalitatum potest amari à Deo; multò meliùs sine eâdem amari potest, quando ratione connotati distincti aliquâ ratione ab illâ distincta est; tametsi illam in se inuoluat, vt euenit, quoties ens in se bonum absolutè alteri bonum est relatiuè. Quo integra nostra propositio probata manet. Ex qua, & ex antecedente palam est, quo pacto Deus quamlibet cuiusuis entis bonitatem sine reliquis eiusdem entis possit amare aliquo actu, quin propterea per talem actum præscindat in ipso ente vnam formalitatem ab alijs. Quod esse prorsus impossibile in primâ propositione statuimus. Quemadmodùm autem de bonitatibus relatè ad earum amorem philosophati sumus. Ita pariter de malitijs respectiuè ad earum odium philosophandum est.

DISPVTATIO 33.

De obiectis diuinæ voluntatis in speciali.

IN hac disputatione imprimis de obiecto increato, & infinito diuinæ voluntatis agemus. Postmodùm de cæteris obiectis distinctis à Deo tam actualibus, quàm possibilibus; tam positiuis, quàm negatiuis; tam bonis, quàm malis.

QVAESTIO I.

Vtrùm Deus se totum amet. Et qua ratione.

DEum se ipsum amare, certum secundùm fidem, & lumine naturali conspicuum est. Constat enim ex Scripturâ, Concilijs, & Patribus, Deum, se ipsum cognoscendo, & amando, beatum esse. Atque ex amore, seu per amorem, quo Deus se amat, procedere Spiritum sanctum tertiam Sanctissimæ, atque individuæ Trinitatis personam. Necnon, Deum propter semetipsum cuncta creasse, & consequenter dilexisse. Ex se etiam satis, superque apparet, Deum non posse non se ipsum diligere, vtpote summum bonum, & maximè proprium; quandoquidem voluntatem habet; cuius est per amorem ferri in bona amabilia. Nam vt fert axioma receptum ex Arist. lib. 9. Eth. cap. 8. *Amabile bonum, vnicuique autem proprium.*

Quòd autem Deus se totum amet, non minùs certum est. Tum quia nihil est in Deo, quod non sit infinitè amabile. Tum quia diuinus amor æquè ac diuina cognitio nequit ex parte obiecti præscindere iuxta doctrinam datam à nobis supra disp. 32. quæst. 6. Tum denique quia Deus æquè se amore, ac cognitione comprehendere debet. Ad amorem autem comprehensiuum Dei perinde, atque ad comprehensiuam cognitionem pertinet tangere, quidquid est ipse Deus, iuxta doctrinam de comprehensione receptam ab omnibus, à nobisque traditam tom. 1. disputat. 17. quæst. 5. & 6. Vbi tanquam certum statuimus, Deum posse se ipsum comprehendere. Id quod non solum de comprehensione cognoscitiuâ, de qua ibi egimus, sed etiam de comprehensione volu-

tuâ,

tiuâ, seu amatiuâ venit intelligendum. De qua perinde, ac de cognoscitiuâ, suâ tamen proportione seruatâ, consentaneè ad dicta ibi philosophandum est iuxta communem Theologorum consensum. De quo videri potest Ruiz tom. de Volunt. disput, 4. sect. 4.

4 Quoniam verò Deus bifariam bonus est, & amabilis secundùm se totum, primò quoad bonitatem absolutam, qua bonus est in se, secundò quoad bonitatem respectiuam, seu quasi respectiuam, qua sibi ipsi bonus est. Ideo bifariam se totum amare dicendus est, nimirum in se, & sibi, iuxta doctrinam, quam tradidimus quæstione illa 6. citatâ, quæ ad rem recognoscenda est. Quot modis autem diuersis Deus se totum amat, tot actus amoris de se toto distinctos inter se virtualiter dicendus est habere. Quia actus diuini seu amoris, seu cognitionis diuersò modo tendentes in idem obiectum non possunt non inter se distingui virtualiter, vt constat ex doctrinâ statutâ supra disput. 23. quæst. 4. proposit 3.

5 Est tamen specialis difficultas impræsentiarùm, qua ratione Deus amet suum ipsum amorem; nam, amare illum citra dubium, constat ex dictis. Versaui simílem difficultatem supra disp. 24. quæst. 1. circa diuinam cognitionem; sed circa amorem non nihil videtur vrgentior, vt ex dicendis apparebit. Triplex est sententia. Prima asserentium, Deum actum sui amoris directum per alium reflexum amare, & hunc per alium, & sic in infinitum. Ita Gran. de Volunt. tract. 1. disput. 3. Quo pacto philosophantur etiam alij agentes de Scientiâ, vt vidimus loco citato. Secunda sententia est P. Ruiz disput 3. de Volunt. sect. 5. dicentis, amorem Dei primâ vice per actum reflexum amari, vlteriùs tamen non procedi: quia actus iste reflexus amatur per se ipsum. Tertia sententia est, amorem diuinum per se ipsum amari à Deo; quin opus sit amore reflexo. In quam citra dubium conspirant multi, quos loco citato retulimus, pariter philosophantes de Scientiâ. Quibus adde Alarc. specialiter agentem de amore tract. 3. disput. 2. cap. 1. & alios Recentiores.

6 Ego in hac re consentaneè ad ea, quæ tradidi in simili loco citato de Scientia Dei arbitror primò, amotem, quo Deus se amat per se ipsum esse amorem sui eodem modo, ac est amor Dei; quin opus sit actu reflexo distincto ab illo virtualiter, quo à Deo sic ametur. Quia, cùm talis amor non possit ex parte obiecti præscindere iuxta doctrinam stabilitam supra disput. 32. quæst. 6. & consequenter nec possit non tangere omnes diuinas formalitates realiter identificatas cum Deo; nec potest non tangere se ipsum quoad entitatem, qualiter vna ex diuinis formalitatibus est. Quòd si quoad entitatem se debet, atque adeò potest attingere, & quoad denominationem poterit in ipsâ entitate prout non deficiente virtualiter consistentem; superuacaneaque proinde, atque adeò impossibilis ad id muneris erit alia formalitas reflexa. Et quidem, si actus amoris, quo Deus se amat, indigeret alio reflexo, quo ipse similiter amaretur, hic reflexus eodem iure indigeret secundo reflexo, & secundus tertio, & sic sine fine: daretur que multitudo categorematicè infinita actuum reflexorum virtualiter inter se distinctorum. Quod esse impossibile ostendimus disput. 24. quæst. 1. citatâ. Quod autem contra hoc potest opponi, iam ibi in simili dilutum est.

Dico, amorem, quo Deus se amat, esse amorem sui per se ipsum eodem modo, quo est amor Dei. Quia, si aliter sui, & aliter Dei esset amor, in idem obiectum tenderet idem actus amoris diuersis modis: quod repugnat iuxta doctrinam commemoratam num. 3. Vnde vnusquisque actuum amoris, quos distinctos inter se virtualiter habet Deus de se ipso iuxta dicta ibidem & Dei, & sui, & cæterorum actuum est amor eodem modo sibi proprio. Quodammodò que subinde vnusquisque & supra se, & supra cæteros reflexiuus est, prout dicebamus de actibus scientiæ, quibus se ipsum Deus intelligit diuersis modis, quæst. illà 1, citatâ ex disput. 24. Ex quo patet, quomodo pro istis actibus amandis (qui omnino necessarij, atque adeò omni penitus libertate expertes in Deo sunt iuxta dicenda quæst 2.) nulla longa series, nedum infinita, locum habeat reflexorum actuum virtualiter inter se distinctorum. Qualiter autem actuum reflexorum per nostram solam rationem distinctorum series sine fine extensibilis, siue syncategorematicè infinita possit, imo & debeat admitti absque vllo inconueniente, in simili explicatum est supra quæst illà 1. sæpe citatâ. Recognoscantur dicta ibi, & huc applicentur.

Hæc dicta de amore, quo Deus se ipsum 7
solum amat. De amore enim, quo amat creaturas, aliter philosophandum est. Nam, si Deus circa creaturas insolidum aliquem actum amoris habet non attingentem ipsum Deum, qualem probauimus habere disput. 32. quæst. 2. proposit. 4. talis actus per se ipsum nullatenus amari potest. Alioquin non sola creatura, vt supponimus, amaretur per talem actum, sed etiam Deus, à quo actus ipse realiter distinctus non est. Oportet ergo, vt huiusmodi actus per alium reflexum emetur. Actus autem reflexus de amore directo creaturæ sumpto, non solùm quoad entitatem: sed etiam quoad denominationem distinctus actus est ab illo, non solùm per rationem nostram, sed etiam realiter virtualiter: quia sunt actus de obiectis distinctis separabiles inter se. Quod satis est, vt necessariò expoſcant virtualem distinctionem, iuxta doctrinam vniuersalem datam disput 23. quæst. 4. de qua iterum agendum infra disput. 34. quæst. 1. Deus quippe liberè amat suos actus, quos circa creaturas habet, quoad denominationem spectatos, vt probabimus quæstione sequente; atque ita, amatâ creaturâ, quæ amoris directi est obiectum, potest non amare ipsum directum amorem, qui obiectum est amoris reflexi.

Quot autem sunt possibiles actus directi 8
creaturarum non attingentes Deum, tot sunt possibiles actus reflexi eorum distincti inter se virtualiter: quia idem est titulus distinguendi sic reflexos, atque directos; cùm & sint illi separabiles inter se, & obiecta habeant aliqua ratione diuersa. Imo, quia per vnicum actum reflexum plures directi simul attingi possunt tum ex æquo, & indiuisim, tum partim directè, & partim ex connotato; quot sunt possibiles combinationes directorum his diuersis modis tangibiles, tot actus reflexi tum vnius, tum alterius generis possibiles censendi sunt. Insuper possibiles sunt alij actus semireflexi tendentes simul in actus directos, & in eorum obiecta distincta à Deo, id que tum vno, tum altero ex duobus modis commemoratis: quorum multitudo multitudini combinationum ex actibus directis eo-

rumque obiectis factibilium, dictisque deuersis modis tangibilium correspondebit. Vniuersaliter enim actus possibiles voluntatis diuinæ virtualiter inter se distincti penes multitudinem tum obiectorum per eos tangibilium, tum modorum diuersorum, quibus vnumquodque est tangibile, censendi sunt multiplicari iuxta doctrinam traditam supra disput. 23. quæst. 4. tradendamque infra disput. 34. quæst. 1.

9 Vnde ad rem infero, vti inferebam in simili disput. 24. quæst. 1. triplex genus actuum voluntatis, quod attinet ad præsens propositum, reperiri in Deo. Primum eorum, quorum obiectum purè est aliquid extrinsecum, realiterque distinctum à Deo. Secundum eorum, quorum obiectum coalescit ex aliquo à Deo distincto, & ex aliquo cum Deo identificato; (vt sunt iuxta communem & meam sententiam ipsi actus voluntatis). Tertium, quorum obiectum purè est aliquid identificatum cum Deo, nempe aliquis, vel aliqui actus voluntatis eius. Et in duobus quidem generibus actuum voluntatis diuinæ facile appareret, quomodo progressus in infinitum actuum reflexorum adhuc possibilium non detur. Ne autem detur in tertio; rursus censeo dicendum, perinde de actibus liberis voluntatis ad illud spectantibus philosophandum esse, ac de actibus necessarijs, quibus Deus se solum amat, nuper philosophati sumus. Itaque, quemadmodùm amor, quo Deus se solum amat, eodem modo est amor sui, ac est amor Dei; repugnatque alius actus reflexus, quo insuper ametur eo ipso modo, quia ille esset superfluus. Ita amor liber reflexus, quo Deus amat amorem liberum directum de creaturâ, eodem modo est amor sui, ac est amor ipsius directi; repugnatque alius actus secundus reflexus, quo insuper ametur eo ipso modo; quia ille esset superfluus.

10 Est tamen peculiaris difficultas circa actus voluntatis diuinæ, quæ circa actus intellectus locum non habet, ratione cuius non videtur posse idem actus esse amor sui eodem modo, ac est amor Dei, aut alterius actus. Quam vt exponam, loquor de actu gaudij, quo Deus aut se, aut aliquem actum suum amat prout existentem. Talis enim actus non videtur posse esse quoque gaudium, seu amor sui prout existentis. Nam, cùm voluntas Dei, vt pote potentia de suo cæca, per cognitionem duci debeat in obiectum amandum, vt suum amorem prout existentem per ipsummet amet, per cognitionem eiusdem amoris prout existentis duci debet. Hoc autem videtur impossibile. Quia cognitio amoris prout existentis nequit mouere voluntatem ad ipsum amorem concipiendum, siue ad dandam ei existentiam; & consequenter neque ad amandum ipsum per ipsummet. Vnde necessarius videtur actus reflexus; pro quo eodem titulo alius reflexus necessarius erit, & sic progressus in infinitum. Tum, si cognitio de amore prout existente diuinam voluntatem moueret ad ipsum concipiendum, neutiquam posset ille liber cuadere, sed prorsus necessarius esset, vtpote à potentiâ proximâ secum connexâ ratione talis cognitionis constituentis illam procedens. Ergo nullum saltem actum amoris sui liberi potest Deus amare per ipsum met inductus cognitione existentiæ eius: ad quemlibetque proinde liberè amandum indiget alio; & ad hunc alio; daturque reflexorum actuum progressus infinitus.

Docti quidam Recentiores, qui huiusmodi progressum negant, respondent, ad amandum suum amorem per ipsummet non opus esse, quòd diuina voluntas ducatur cognitione expressa eiusdem amoris; nam hoc repugnat: sed sufficere, quòd ducatur cognitione eius tacitâ, seu virtuali, qualis est cognitio obiecti talis amoris. Nam, qui iudicat obiectum aliquod esse bonum, & amabile, tacitè iudicat, seu virtualiter, bonum esse, & amabile amare illud. Atque ita ductus tali iudicio tum obiectum, tum eius amorem per ipsummet amare potest. Non placent. Primò; quia, licèt cognitio expressa bonitatis obiecti sit cognitio virtualis, seu tacita bonitatis amoris secundùm se; at bonitatis amoris prout absolutè existentis talis esse non potest. Quia, dum Deus expressè iudicat obiectum bonum esse, & amabile, non iudicat tacitè, aut virtualiter, se illud absolutè amare: alioquin tacitè, seu virtualiter falleretur, aut falli posset, quando aut non amat defacto obiectum, aut potest illud non amare: eo quòd non necessario, sed liberè ab ipso Deo amabile est. Cognitio igitur expressa de obiecto præsertim liberè amabili titulo cognitionis tacitæ, seu virtualis de amore eius prout existente nullatenus potest conducere, vt talis amor prout existens ametur à Deo per se ipsum. Ex quo saltem concluditur, nullum actum amoris liberi posse virtute cognitionis obiecti eius per se ipsum, & sine alio reflexo à Deo liberè amari; atque ita in huiusmodi saltem actibus liberis progressum in infinitum necessariò admittendum esse. Secundò. Demus, cognitionem bonitatis obiecti esse virtualem, seu tacitam cognitionem de amore talis obiecti prout existentis; eadem profecto incommoda remanent, ac si expressa, & formalis esset. Nam, cùm Deus ne virtualiter quidem aut tacitè decipi possit, necessarium omnino est, vt cognitio virtualis, seu tacita amoris Dei prout existentis cum existentiâ ipsius amoris essentialiter sit connexa. Hinc alitem fit, vt, neque talis cognitio ad talem amorem, quem existentem supponit, mouere possit, neque talis amor liber possit euadere casu, quòd ad illum moueat talis cognitio. Quæ erant incommoda oriunda à cognitione expressâ existentiæ amoris.

11 Aliter respondent Recentiores alij, quiopinantur, cognitionem, qua Deus inducitur ad amorem necessarium, quem de se habet, neque distingui virtualiter ab ipso amore, neque ipsum præcedere, neque in ipsum influere virtualiter, sed omnimodis a parte rei esse idem cum illo, & nihilominùs ad eum dirigere, inducere, siue mouere voluntatem. Quod varijs modis multisque verbis conantur explicare. Qua posita doctrinâ, ad præsens propositum dicunt, bene posse scientiam, qua Deus & se totum, & amorem sui necessarium prout existentem intuetur, dirigere ad ipsum amorem, quatenus ille & totius Dei, & sui ipsius prout existentis gaudium est: quo alterius gaudij reflexi cessat necessitas. Ad amorem autem liberum, quem Deus habet de creaturâ, dicunt, duplici scientiâ Deum dirigi; alterâ de bonitate creaturæ constituente libertatem ad talem amorem, dirigenteque ad ipsum, prout amor creaturæ est; alterâ de existentiâ ipsius amoris omnimodis cum ipso identificatâ, dirigenteque ad ipsum, quatenus sui ipsius gaudium est: (ad eum modum, quo dictum est, dirigere ad amorem Dei necessarium, quatenus ille

ille est gaudium sui, cognitionem de ipso prout existente ab ipso penitus indistinctam): quo rursus cessat necessitas gaudij reflexi. Et prioris quidem scientiæ directio, cū sit contingens, potiùs constituit libertatem amoris de creaturâ, quàm ei præiudicet. Posterioris autem neque præiudicat vllatenus, estò sit necessaria; quia eius necessitas est consequens, neque alia à necessitate consequente, quam amor ipse habere dicitur ex suppositione, quòd est. Cæterùm hæc difficultatis solutio fundamento nititur prorsus falso: atque ita subsistere nequit. Falsum quippe est, scientiam diuinam ad amorem Dei necessarium, nedum ad liberum, vllatenus posse dirigere, inducere, siue mouere diuinam voluntatem, nisi ab ipso amore virtualiter distincta sit, in eumdemque virtualiter simul cum voluntate ipsâ influxiuâ; vt constat ex doctrinâ supra à nobis statutâ disp. 31. quæst. 2. propos. 4. quæ ad rem recognoscenda est.

13 Sunt præterea, qui non admittentes in Deo progressionem infinitam reflexorum gaudiorum virtualiter inter se distinctorum, atque necessariorum; liberorum tamen eam admittere non grauantur; putantes, eò ipso, quòd hi sint liberi, infinitudinem eorum non categorematicam, qualis est illorum necessariorum, sed syncategorematicam esse. Nam, licèt Deus ductus cognitione de primo gaudio prout existente liberè concipere possit secundum reflexum de illo; & ductus cognitione de secundo pariter concipere possit tertium de illo, & sic deinceps sine fine; quia tamen ad id non tenetur; stat benè, quòd multitudo gaudiorum actu existentium semper sit finita, tametsi augibilis semper magis, & magis in infinitum. Quo incommoda omnia euitari videntur, quæ secum fert progressio categorematicè infinita gaudiorum necessariorum actualiter existentium. Sed reuerà non euitantur. Primò; quia non est, cur gaudium liberum de alio actu diuino non possit esse gaudium sui, vti est gaudium necessarium, qua possibilitate suppositâ, aliud gaudium reflexum de illo titulo superfluitatis impossibile erit, & cessat progressio. Secundò; quia, cùm infinitum syncategorematicum necessario includat categorematicum in statu possibilitatis, vt demonstraui tom. 1. disp. 13. quæst. 2. propos. 1. prædicto infinito syncategorematico semel admisso in casu præsenti, necessario debet admitti progressus categorematicè infinitus formalitatum Dei virtualiter inter se distinctarum, & actualiter existentium quoad entitatem; estò quoad denominationem tantùm sint possibiliter. Qui sanè formalitatum infinitus progressus eadem secum fert incommoda; atque progressus infinitus gaudiorum necessariorum etiam quoad denominationem actu existentium, vt consideranti innotescet. Tertiò; quia iuxta meam de infinito philosophiam latè traditam disputatione citatâ, semel posito, quòd sit possibilis series gaudiorum liberorum augibiles in infinitum, nequit non esse possibilis series eorumdem actualiter infinita; redeuntque vrgentiùs dicta incommoda. Quartò denique; quia saltem est admittenda ab Aduersarijs series actualiter infinita omissionum liberarum, atque inter se ordinatarum infinitorum gaudiorum liberorum, quæ ab eis supponuntur possibilia. Quod fors ipsi non aduerterunt.

14 Propterea ergo difficultatem, quam versamus, num. 10. propositam alijs modis censeo expediri posse, suppositò, quòd amor Dei, nisi præcognitus vt existens, per se ipsum vt existens amari non possit. Et primùm, quando actus amoris à voluntate Dei amandus est necessarius, qualis est actus, quo Deus ipse se solum amat, existimo, nihil vetare, quominùs ille à cognitione expressâ, præuiâque sui etiam prout existentis emanet. Quia, licèt voluntas ad dandam existentiam actui per scientiam, qua videt illum existere nequeat moueri ex electione, siue liberè; ast naturaliter, & necessariò videtur benè moueri posse. Quemadmodùm iuxta sententiam communem Pater æternus ex cognitione de existentiâ Verbi mouetur ad illud producendum; Verbumque, & Pater ad producendum Spiritum Sanctum ex cognitione, & amore eius prout existentis; ita, vt cognitio existat in signo anteriore, indeque cernat existens in suo signo posteriori obiectum, ad cuius existentiam ipsa concurrit. Deinde, siue actus amoris à voluntate Dei amandus sit necessarius, siue liber, arbitror, per scientiam conditionatam de existentiâ eius habentem pro conditione aut influxum voluntatis in talem actum, aut ipsam actus existentiam optimè posse moueri Deum ad illum concipiendum, ad illumque proinde amandum per ipsummet. Nam talis scientia, quod ad motionem attinet, scientiæ absolutæ æquiualet de eâdem actus existentiâ; & aliàs nec nocet eius libertati, vti absoluta, nec alia incommoda secum fert. Itaque Deus per scientiam conditionatam, qua cognoscit, si ego talem actum concepero, ille absolutè existet, ad illum concipiendum, pariterque illum prout absolutè existentem per ipsummet amandum moueri potest. Vniuersaliter enim, quoties actus voluntatis diuinæ alicuius rei existentiam respicit, siue supponit, cum eâ ve quoquo modo connectitur, scientia conditionatè attingens talem rei existentiam sub conditione talis actus in ordine ad ipsum concipiendum scientiæ absolutæ de eâdem existentiâ rei æquiualet; multaque commoda secum affert, quæ desunt absolutæ; vt constabit ex vniuersali doctrinâ tradendâ disput. 34. quæst. 11. Ecce quomodò volitio Dei tum necessaria, tum libera ex idoneâ scientiâ sui procedens per se ipsam prout existens amari à Deo possit, atque ita per seipsam esse gaudium sui, vitato reflexorum gaudiorum infinito progressu.

Sed obijci nihilominùs potest. Primus 15
actus reflexus, quem Deus liberè concipit de amore creaturæ, non necessariò, sed liberè est amabilis à Deo iuxta dicenda quæstione sequente. Ergo ad libertatem diuinam spectat, posse illum non amare. Ergo non per se ipsum; sed per alium actum reflexum debet ille esse à Deo amabilis, vt Deus amorem eius possit omittere. Concessis reliquis; nego secundam consequentiam. Quia, vt Deus possit liberè amare, & non amare dictum actum reflexum, sat est, quòd possit liberè eum ponere, vel ommittere: sic enim eum per se ipsummet liberè amabit, si ponat; liberèque non amabit, si omittat. Nec est, cur ad diuinam libertatem spectet, quòd illum possit non amare, adhuc ex suppositione, quòd illum ponat; ad quod solùm opus erat, vt ille non per se, sed per alium actum amabilis esset.

Quæ-

QVAESTIO II.

Vtrùm Deus se totum amet liberè, an necessariò,

16 SErmo est de libertate, & necessitate propriè dictâ, non de libertatibus, ac necessitatibus improprijs, quas congerit Ruiz disput.4. de Volunt. sect.2. & nos commemorauimus supra disp. 30. à num. 1. Libertas autem propriè dicta alia est, quam appellant quoad exercitium; quæ eadem est libertas contradictionis; alia est, quam vocant quoad specificationem, siue quoad speciem; quæ libertatem contrarietatis, & libertatem anonymam complectitur sub se, iuxta diuisiones libertatum ex professò à nobis traditas, & explicatas dictâ disput.30. quæst.3. vnà cum diuisionibus necessitatum oppositarum: quæ ad rem præsentem recognoscendæ à Lectore, non iterum repetendæ sunt. Neque verò de necessitate morali, sed de omnimodâ, & metaphysicâ, de libertateque ei oppositâ est sermo in præsenti quæstione.

Circa quam Scot. in 1. distinct.10. quæst.1. & quod lib.16 art.2. & 3. etsi fateatur, amorem Dei erga se ipsum omnino necessarium esse ex parte principij, adeò, vt impossibile fuerit, Deum se non amare. Addit tamen eumdem amorem non esse naturalem, sed liberum. Quam sententiam magis explicatam tradunt, & sequuntur Scotistæ, Bassolis, Mayron. Rubio. & alij. Cuius fere sententiæ ante Scotum fuit etiam Enricus 2. part. Sum. art.45. quæst.3. & art.46. qu. 4. & art.47. quæst.5. dicens, amorem Dei erga se ipsum esse simul necessarium, & liberum; concedensque nihilominùs, prorsus esse impossibile, Deum non amare se ipsum. Ex quo apparet, Doctores istos, etsi quoad vocum vsurpationem non nihil dissentiant, (vocantes scilicet amorem Dei liberum, quatenus immunis ille est ab omni coactione, & violentiâ); re tamen ipsâ consentire cum reliquis Theologis. Qui vnanimi consensu asseuerant, amorem Dei erga se ipsum, suasque intrinsecas perfectiones omnino necessarium esse, ita, vt impossibile prorsus fuerit, in Deo non existere talem amorem. Sic docent Vazq.1. p. disput.79. cap.1. Arrub. disput.52. cap.1. Fasol. quæst.19. art.3. dub.1, Herice disputat.14. cap.1. Albiz disput.3. de Volunt. sect.3. Gran. tract.3. disput.2. Tann. disput.1. quæst.10.dub. 2. & 4. Ruiz disput.4. de Volunt. sect.2. & alij Recentiores communiter. Apud quos reliqui antiquiores. Addunt tamen nonnulli, amorem, quo Deus se simul, & creaturas amat, non necessarium esse, sed liberum. Ita Hemel. tom.1. titul.6. disput.2. cap.3. cum Aluarez & Ferrariensi, Petr. Hurt. tom. de Charitate disputat.121. sect.7. & 8. & alij Recentiores.

Propositio 1.

17 Deus omnino necessariò se amat quoad omnes suas intrinsecas, & necessarias perfectiones.

Ratio à priori communiter recepta est. Quia, quoties neque in obiecto amando, neque in exercitio amandi se offert aliquid malitiæ, aut imperfectionis, nihil est, quod possit voluntatem retrahere, seu retinere, quominùs prodeat in amorem talis obiecti; & consequenter non potest non illa prodere in talem amorem: quod est, ad illum necessitatam esse. Ob id enim nostra voluntas in motibus primò primis libertatem non habet; quia rapitur à bonitate propositâ, antequam vlla ratio malitiæ, aut imperfectionis se offerat. Sed Deus neque in se, neque in exercitio se amandi potest vel leuem vmbram malitiæ, imperfectionisve intueri. Ergo nec potest non se amare. Quod est, omnino ad se amandum necessitatum esse. Hac etiam ratione probant Theologi communiter, Beatos clarè intuentes Deum, ad eum amandum necessitatos esse.

Eam tamen nihilominùs in præsenti conatur 18 eneruare Herice. Primò; quia non est, vnde repugnet, voluntatem tam absolutum dominium habere suorum actuum, vt à nullo obiecto, quantumuis bono, immuni à malitiâ, & clarè viso necessitari valeat. Secundò; quia, quòd in exercitio amandi nulla cernatur ratio mali, tantùm videtur arguere necessitatem quoad speciem, non verò necessitatem quoad exercitium talis amoris. Sed contra primum est. Quia, cùm omnis voluntas, atque adeò etiam diuina, suapte naturâ propendeat in bonum, eòque magis, quò maius bonum est; similiterque auertatur à malo, vt constat ex doctrinâ tradita supra disput.32. q.3. necessarium vtique est, vt, quò maior est bonitas in obiecto attrahens, inclinansque ad se voluntatem, & minor malitia, siue imperfectio retrahens, eò sit maior propensio ipsius voluntatis ad ipsum obiectum amandum, & minor indifferentia, seu libertas ad non amandum. Vnde planè sequitur, quando obiecti bonitas est summa, & malitia, seu imperfectio nulla, vt in Deo cernit; & aliàs in exercitio illud amandi nulla quoque malitia, seu imperfectio cernitur; non posse non esse etiam summam propensionem voluntatis ad amorem talis obiecti, & nullam indifferentiam ad oppositam omissionem. Quod est, voluntatem ad talem amorem omnino necessitatam esse. Ex quo patet contra secundum, quod Herice opponebat, quoties neque in obiecto amando, neque in exercitio illud amandi aliquid malitiæ, aut imperfectionis apparet, voluntatem non solùm quoad speciem, sed quoad exercitium etiam manere determinatam, necessitatamve ad amorem.

Inferet tamen nō nemo contra hanc doctrinam 19 Ergo Deus ad amandam creaturam potest esse necessitatus. Imo necessitatus est defacto ad amandum quoduis ens secundùm essentiam. Quia & possibilis est creatura adeò in suo genere bona, ac perfecta, vt nihil in eâ conspiciatur, quod habeat rationem malitiæ; & nullum est ens, quod secundùm essentiam vel minimum defectum pretiatur: (aliàs darentur entia mala quoad essentiam, vt effutiebant Manichæi; quia malum ex quocumque defectu). Sublatâ autem ab obiecto omni prorsus malitiâ, non est cur exercitium illud amandi aliquid malitiæ habeat in Deo. Deus igitur, si vera est doctrina data, & potest ad amandam creaturam necessitatus esse; & de facto est necessitatus ad amandum quoduis ens quoad essentiam. Quod tamen sine ingenti absurdo dici non potest. Respondeo, ex datâ doctrinâ

ctrinâ nihil horum sequi. Quia,vt obiectum ad amorem sui non necessitet, opus non est, quòd habeat aliquid imperfectionis positiuæ, quæ defectus est perfectionis debitæ, atque adeò malitia: sed sufficit, quod habeat imperfectionem negatiuam, quæ non est malitia, quia solùm est defectus maioris perfectionis non debitæ; à quo nullum ens creatum exui potest, vtpote carens eo ipso perfectione essendi à se; & cæteris annexis, prout latè explicatum à nobis est tom. 1. disput. 25. quæst. 4. quæ ad rem videnda. Itaque sat est, obiectum esse imperfectum negatiuè, quale est omne ens creatum, etiam quoad essentiam præcisè sumptam, vt non necessitet voluntatem ad sui amorem: neque requiritur ad id, vt sit positiuè imperfectum, atque adeò malum; qualia entia increata possunt non esse: semperque non sunt quoad essentiam. Quia, licèt sola imperfectio positiua sit fortasse idoneum motiuum odij opponi amori; eo quòd ea sola est malitia, de quo modò non curo. At voluntas ab amore non solùm auertitur per inclinationem ad odium, sed etiam per inclinationem ad omissionem amoris; qualem causat in voluntate omnis defectus bonitatis obiecti amandi; quantumuis ille nullatenus malitia sit.

21 Iam secunda ratio demonstrans propositionem datam est. Quia prorsus est impossibile, carere Deum aliqua perfectione, quæ sit de essentiâ aut de integritate suæ beatitudinis: cùm sit omnino necessarium, Deum plenissimè, & perfectissimè esse beatum. Sed amor, quo Deus se ipsum amat, vel est de essentiâ, vel de integritate suæ beatitudinis iuxta diuersas Theologorum sententias. Igitur prorsus est impossibile, Deum tali amore carere; atque adeò ad illum habendum prorsus necessitatus est.

22 Tertia ratio. Ex amore, quo Deus se amat, procedit Spiritus sanctus tertia sanctissimæ Trinitatis persona. Sed Spiritus sanctus, vt pote verus Deus, omnino necessariò existit. Ergo & amor, quo Deus se amat, omnino necessariò existit. Si enim talis amor liber, atque adeo defectibilis esset; Spiritus quoque sanctus, sanctaque Trinitas defectibilis esset. Quod, patet, esse implicatorium.

23 Quarta ratio. Nulla perfectio simpliciter simplex potest Deo deesse, vt ex communi Theologorum traditimus, ac demonstrauimus tom. 1. disp. 16. quæst. 2. propos. 5. Sed amor, quo Deus se amat tum ratione sui, tum vt complementum beatitudinis perfectio est simpliciter simplex: quia melior est ipse, quàm non ipse, vt est manifestum. Ergo amor, quo Deus se amat, non potest Deo deesse: atque adeò non liber ipsi, sed prorsus necessarius est.

24 Quinta ratio. Si voluntas diuina ab amore summi boni, clarissimè visi, & perfectissimè possessi desisteret, minùs rectè, minùsque consentaneè ad rationem proculdubio se gereret. Sed, ita se gerere eam, prorsus repugnat. Ergo & desistere eam ab amore summi boni clarissimè visi, & perfectissimè possessi, qualis Deus est, prorsus repugnat. Ipsumque proinde non liberè, sed prorsus necessariò amat. Mitto alias aliorum rationes: quia vel parum efficaces, vel falsis fundamentis subnixæ sunt. Per datas enim satis, superque monstratum manet, Deum necessariò amare se ipsum quoad omnes suas intrinsecas, & necessarias perfectiones. Idque necessitate non solùm quoad speciem, sed etiam quoad exercitium excludens penitus omnem omnino libertatem.

Quod autem Deus non ita sit necessitatus 25
ad se amandum aliquo amore vagè, vt maneat liber ad eligendum inter plures actus amoris sibi possibiles: sed omnimodis sit addictus ad eum amorem determinatum, quo de facto se amat; prout apud omnes Theologos est in confesso: distinctiorem adhuc videtur probationem desiderare. Omissis nonnullis rationibus minùs idoneis, quibus id probant Recentiores. Ego probo primò. Quia, posito, quòd Deus seipsum necessariò amet de facto, prout argumenta facta probant, omnibus modis diuersis, quibus à se ipso est amabilis iuxta dicenda disput. 34. de diuersitate actuum, quibus Deus se amat: non supereſt locus excogitabilis electioni, nisi inter plures actus solo numero differentes. Isti autem in Deo comparatione eiusdem obiecti impossibiles sunt: quia reliqui, præter vnum, essent superflui, non solùm quoad existentiam, sed etiam quoad possibilitatem, vt vniuersim ostendemus in eadem disputatione. Secundò. Nam, esto essent in Deo possibiles plures actus circa ipsummet solo numero differentes, omnibus simul se amaret ex necessitate citra omnem libertatem eligendi inter illos. Quia ex vnâ parte nec à superfluitate, vt supponitur, nec aliunde essent inter se oppositi. Ex aliâ verò in exercitio se se amandi omnibus simul nihil malitiæ, aut imperfectionis reperiretur, quo posset à tali exercitio retrahi diuina voluntas iuxta rationem primam propositionis. Tertiò. Quia summa bonitas, qualis est Deus, a voluntate summè perfectâ, qualis est diuina, actu amoris summè perfecto expoſcit amari. Non esset autem actus amoris, quo Deus se amat summè perfectus, si defectibilis esset, vt est notissimum. Quartò. Non minùs perfectus esse debet actus amoris, quo Deus se amat, ac est actus scientiæ, quo se cognoscit. Ergo nec minùs indefectibilis debet esse. Quintò. Amor, quo Deus se amat, perfectio est simpliciter simplex, vt dictum est num. 23. Ergo nullatenus potest defectibilis esse iuxta dicta etiam ibi. Sextò. Si amor, quo Deus se amat, alius ab eo, qui est, pro Dei arbitrio posset esse; principium Spiritus sancti aliud ab eo, quod est, esse posset: quinimo & ipse Spiritus sanctus esset contingens, aliusque ab eo, qui modò est, pro arbitratu Dei esse posset. Quæ absurda quanta sint, omnes vident. Septimò. Cùm amor, quo Deus se amat, Spiritus sancti productionem, atque adeò etiam existentiam præcedat, huic liber esse nequaquam potest; & consequenter nec Patri, & Filio. Alioquin Pater, & Filius aliquod exercitium liberum haberent ad intra, quod non haberet Spiritus sanctus. Quod etiam est ingens absurdum. Octauò denique. Quia amor, quo Deus se amat, comprehensiuus est bonitatis diuinæ: atque adeò tam perfectus in ratione amoris, quàm bonitas ipsa in ratione amabilis iuxta dicta in simili tom. 1. disp. 17. q. 6. qualis non esset si tàm necessarius non esset. Mitto alia; quia ad rem hæc satis.

Iam verò, quòd Deus se totum necessariò 26
amet modo dicto quoad omnes perfectiones intrinsecas, & necessarias, nullâ demptâ, ex doctrinâ datâ disput. 32. quæst. 6. constat. Ibi enim statuimus, amorem diuinum inter obiectiuas formalitates præscindere nullo modo posse. Quo fit, vt, dum se Deus amat, nequeat non amare indiuisim, quidquid cum essentiâ realiter est identificatum; quales sunt omnes eius intrinsecæ,

& ne-

& necessariæ perfectiones. Sed, estò posset amor diuinus præscindere inter diuinas formalitates, adhuc amaret earum singulas necessariò iuxta argumenta facta. Quia singulæ sunt perfectiones simpliciter simplices renerà; nihilque habent imperfectionis adhuc negatiuæ, quo voluntas Dei retraheretur ab earum amore iuxta latè dicta tom. 1. disput. 16. Tum earum omnium amor ad perfectionem beatitudinis spectat; ad productionemque Spiritus sancti conducit; & secundùm se etiam perfectio est simpliciter simplex; qui omnes sunt tituli irrefragabiles omnimodæ necessitatis eius.

37 Vnde concluditur, in nullo proprio sensu amorem, quo Deus se amat, vocari posse liberum, absolutè loquendo, Enricus enim, & Scotus, dum liberum illum vocarunt, impropriè loquuti sunt de libertate oppositâ coactioni. Posteaque suam loquutionem correxerunt, vt notat Ruiz disp. 4. de Volunt. sect. 2. num. 24.

38 Verùm contra doctrinam statutam obijci potest, Operari liberè perfectior est modus operandi, quàm operari necessariò; nam liberè operans sui iuris est, ac dominus suæ operationis; operans verò necessariò instar serui subiecti operationi operatur. Ergo amor, quo Deus se amat, quique operatio quædam est diuinæ voluntatis non necessariò, sed liberè procedit ab illâ. Confirmatur primò. Quia voluntarium liberum perfectius est voluntarium, quàm voluntarium necessarium. Amor autem Deo erga se ipsum perfectissimè voluntarius tribuendus est. Confirmatur secundò. Quia libertas, atque dominium suarum operationum perfectio simpliciter simplex est voluntatis. Ob id namque voluntas hominum perfectior est appetitu brutorum; quia potentia libera est. Ergo Deo deficere nequit libertas respectu amoris, quo se amat; quia nulla perfectio simpliciter simplex potest illi deficere.

39 Respondeo, operari liberè circa obiectum capax operationis liberæ, perfectius quid esse, quàm operari necessariò; non item circa obiectum incapax liberæ operationis; qualis est infinita bonitas Dei relatè ad suum amorem. Talem enim bonitatem amare liberè, tum in amante, tum in obiecto amato argueret imperfectionem. In amante quidem aut minùs perfectam cognitionem tantæ bonitatis, aut minùs proportionatam propensionem in illam. In bonitate verò aliquid imperfectionis auertens ab amore sui. Ex quo patet, esse quadantenus subiectam voluntatem Dei amori summæ bonitatis, quid esse longè perfectius, quàm eius dominium habere: tametsi relatè ad amorem creaturarum è contra longè sit maior perfectio sui iuris esse. Præterquàm, quòd alijs etiam titulis necessitas ad diuinum amorem perfectio est simpliciter simplex, vt ex superiùs dictis colligitur; tametsi libertas ad alias operationes, quas Deus exercet circa creaturas, perfectio quoque sit simpliciter simplex diuinæ voluntatis. Ex quo constat, quid sit dicendum ad secundam confirmationem. Ad primam, admitto pariter voluntarium liberum perfectius esse, quàm necessarium, circa bona limitata, circa illimitatum verò non item; sed vice versâ. Alia, quæ opponi possunt, faciliora sunt, quàm, vt in eis oporteat morari. Videantur apud Ruiz supra sect. 1. & 3.

Propositio 2.

Deus se simul cum creaturis non ne- 30
cessario amore, sed libero amat. Potest. ve amare, si ei placuerit.

Tribus potissimùm modis potest Deus se simul cum creaturâ amare iuxta doctrinam vniuersalem tradendam disput. 34. Primò per actum directè, & indiuisim tangentem coniunctum ex Deo, & creaturâ: idque propter bonitatem talis coniuncti, vel propter bonitatem alterius partis tanquam ob formale motiuum. Secundò per actum directè tangentem Deum vt coniunctum cum creaturâ tanquam cum circunstantiâ quadam connotatâ in obliquo. Tertiò per actum attingentem similiter creaturam vt coniunctam cum Deo. Affero ergo, quocunque ex his modis Deus se simul cum creaturâ, aut creaturam secum amet, talem amorem liberum esse. Cuius ratio à priori est. Quia coniunctum ex Deo & creaturâ, quocunque ex dictis modis spectetur, non potest non ferre secum imperfectionem, quam habet sibi annexam creatura. Quælibet autem imperfectio admixta bonitati obiecti vim habet retrahendi voluntatem, quominùs à tali bonitate necessariò rapiatur, sed liberè possit se sistere, & eius amorem prætermittere, iuxta doctrinam stabilitam propositione præcedente circa rationem primam.

A posteriori autem probari potest propo- 31
tio. Quia certum est, decretum, quo Deus decreuit Incarnationem Verbi liberum fuisse. Et tamen per illud Deus coniunctum illud admirabile ex humanitate, & deitate citra omne dubium prætendit. Equis dubitet, posse Deum quamlibet aliam creaturam decernere motus à bonitate non solius creaturæ, sed coniuncti coalescentis ex creaturâ, & ex ipso Deo? Cùm tamen decretum creaturæ, coniunctivè resultantis ex ipsâ, & Deo non possit non liberum esse. Adde Sanctissimo illi supposito, compositove ex naturâ humanâ, & personalitate diuinâ multa insuper dona interna, & externa voluisse Deum efficaciter, & consequenter liberè: quo affectu simul cum Christi humanitate non potuit non tangi diuinitas. Multaque huiusmodi obiecta liberè haud dubiè amabilia à Deo possent in exemplum adferri.

Sed obijciet tamen aliquis contra propo- 32
sitionem. Coniunctum ex Deo, & creatura includit totam Dei bonitatem, & insuper bonitatem creaturæ. Sed bonitas diuina sola necessitat ad amorem sui, vt propositi. 1. statutum est. Ergo multò magis necessitabit coniuncta cum bonitate creatâ: nam, vbi plus est bonitatis, non potest non maior vis esse tractiua voluntatis. Constat autem coniũctum duarũ bonitatũ plus bonitatis habere siue intrinsecè, siue extrinsecè, quàm altera pars eius. Qui dicunt, coniunctũ ex Deo, & creaturis magis bonum esse extensiuè, quàm Deus solus, non parum premi poterunt hoc argumento. Ego verò oppositum censeo; nempe coniunctum ex Deo, & creaturis indiuisim acceptum nõ solùm nõ esse maius, sed simpliciter esse minus bonum, quàm Deus solus propter imperfectiones creaturarum, quas includit in se; vt tom. 1. disput. 19. qnæst. 4. ostendi. Quocirca nihil mirum, quòd sit à Deo liberè amabile tale coniunctum

cùm

cùm tamen Deus solus à se necessariò amabilis sit. Neque ex hac doctrinâ licet inferre, non esse Deo optabilius habere secum creaturas, quàm eis carere; quandoquidem coniunctum ex Deo, & negatione creaturarũ minùs est amabile, quàm coniunctum ex Deo & creaturis: tametsi vtrumuis ex his coniunctis ob imperfectiones, quas inuoluit, longè sit minùs amabile, quàm solus Deus.

33 Secundò obijciet aliquis. Saltem, quando Deus se amat vt coniunctum cum creaturâ, habente se creaturâ vt mero connotato talis amoris, videri amorem ipsum necessarium debere esse. Quia, cùm creatura in tali casu ne partialiter quidem sit obiectum amatum, non videtur ea posse retrahere à tali amore diuinam voluntatem. Respondeo, etiam tunc eiusmodi amorem liberum esse: quia bonitas ad illum mouens ipsam creaturam includit in suo conceptu reali de connotato; tametsi non vt partem amatam per talem amorem iuxta doctrinam generalem de huiusmodi semiextrinsecis bonitatibus latè explicatam supra disput. 32. quæst. 5. Quo fit, vt non possit non esse mixta talis bonitas imperfectionibus auertentibus ab eius amore voluntatem diuinam. Alia, quæ hìc opponunt aliqui, ex dictis facilè soluet quisque.

Propositio 3.

Deus non necessariò, sed liberè amat suos actus liberos; siue illi sint voluntatis, siue intellectus.

34 Sermo est de actibus Dei liberis sumptis non quoad entitatem præcisè, quo pacto sunt perfectiones Dei necessariæ realiter ab eo indistinctæ, cum ipsoque subinde non liberè, sed necessariò amatæ, iuxta doctrinam proposit. 1. sed sumptis quoad denominationem, qua ratione sunt liberi, & contingentes, ipsique Deo defectibiles. Ratio ergo propositionis est. Quia actus Dei liberi quoad denominationem hoc ipso, quòd sunt defectibiles, non sunt perfectiones simpliciter simplices, vt expressè docent Soar. proleg. 2. de Gratia cap. 8. num. 10. Gran. 1. p. con. 1. tract. 2. disput. 4. num. 7. & alij: communiterque sentiunt Theologi: dum, omnem perfectionem simpliciter simplicem necessariam esse, fatentur. Quo fit, vt illi secundùm denominationem spectati imperfectionem quamdam virtualem contingentiæ, seu defectibilitatis referant secum, prout declarauimus disput. 31. quæst. 4. à num. 312. Quæ quidem imperfectio sufficiens est ad retrahendam voluntatem diuinam, ne in bonitatem eorum necessariò rapiatur. Quomodò verò eiusmodi actus etiam quoad denominationem simpliciter dicendi sint intrinseci Deo, & nihilominùs defectibiles, quin aliqua intrinseca Dei formalitas defectibilis sit, ibidem proposit. 5. expositum est.

35 Probat autem hoc argumentum id, quod etiam per propositionem intendimus, suppositâ existentiâ actus liberi quoad denominationem, adhuc esse Deum liberum ad illum vt sic amandum, vel non amandum libertate immediatâ. Nam, esse liberum, siue contingentem amorem, quo Deus suos actus liberos amat saltem remotè, quatenus eius obiectum contingens est; eâ ratione, qua libera est, seu contingens scientia diuina de obiectis contingentibus nemini fas est dubitare. Sed nos in præsenti alteram libertatem immediatam conamur adstruere in dicto amore. Sicut eamdem adstruimus inferiùs in amore, quo Deus amat creaturas contingentes. Et supra proposit. 2. adstruximus in amore, quo se Deus simul, & creaturas amat.

Propositio 4.

Actus amoris necessarius, quo Deus se solum amat, & actus scientiæ necessarius, quo Deus se solum cognoscit, etiam quoad denominationem amantur necessariò à Deo: 36

Ratio est. Quia isti actus etiam quoad denominationem sunt perfectiones simpliciter simplices ab omni imperfectione immunes: cùm sint vt sic æquè necessarij, ac Deus ipse, ad eiusque beatitudinem spectantes, & ad personarum Trinitatem omnino requisiti. Quo fit, vt non possint non in sui amorem rapere voluntatem diuinam iuxta doctrinam traditam supra proposit. 1. Vtrùm autem suum amorem necessarium per ipsummet, an per actum superadditum attingat Deus, ex dictis quæst. 1. satis compertum est.

Propositio 5.

Actus scientiæ necessarius, quo Deus cognoscit creaturas possibiles, & alias veritates necessarias distinctas à Deo, sumptus quoad denominationem non necessariò, sed liberè amatur à Deo. Et idem est de actu amoris, si quis datur in Deo necessarius circa creaturas. 37

Moueor in hanc propositionem. Quia existimo, eiusmodi actus quoad denominationem non esse perfectiones simpliciter simplices: eoquòd non sunt quoad denominationem tam necessarij, quàm ipse Deus: quia sunt vt sic æquè necessarij, ac sua obiecta, & hæc infinitè minùs sunt necessaria, quàm Deus ipse; vt probaui tom. 1. disput. 3. quæst. 2. Posito autem, quòd non sint perfectiones simpliciter simplices; non possunt non habere aliquid, quo retrahatur Dei voluntas ab eorum amore; atque ita non necessariò, sed liberè in illos feratur, iuxta principia sæpe tacta.

QVAESTIO III.

Vtrùm Deus creaturas amet, ac velit.

Propositio vnica.

Creaturas amat, & vult Deus.

Hæc propositio ita vniuersaliter prolata non solùm à Catholicis, sed etiam ab hæreticis sine vllâ controuersiâ recipitur tanquam dogma fidei. Constat enim manifestè ex sacris Scripturis. 38

Psal.17. *Saluum me fecit, quoniam voluit me.* Psal.113. & 134. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Sap.11. *Diligis omnia, quæ sunt, Et nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Et post pauca. *Quomodò posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ierem.31. *In charitate perpetuâ dilexi te,* Ad Eph.1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ,* Ioan.16. *Ipse Pater amat vos.* Et alibi passim.

39 Ratione etiam probatur propositio, Quia omnis creatura à Deo auctore dependet, operante per intellectum, & voluntatem, vt constat ex dictis disput.31. quæst.3. & amplius constabit ex dicendis in Tract. de Prouid. Ergo ab ipso amatur. Quia voluntas res externas non aliter operatur, quàm amando illas. Tum Deus ad extra operatur per imperium tanquam artifex liber iuxta illud Psal.148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. Statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi, præceptum posuit, & non præteribit,* Mandatum autem, siue præceptum aut consistit in volitione rei efficiendæ, aut illam secum fert. Secundò. Quia creaturæ, cùm sint bonæ, non possunt non esse amabiles etiam à Deo; qui sicut est cognoscitiuus omnium veritatum, ita etiam est amatiuus omnium bonitatum. Ergo credendum est etiam de facto amari: quia hoc videtur rationabilius. Et Deus semper, quod rationabilius est, operatur iuxta doctrinam stabilitam disp.32.q.3. Tertiò. Quia Deus multas virtutes morales exercet circa creaturas, vt videbimus disputat.35. Quæ sine amore creaturarum stare non possunt, vt ex dicendis ibi constabit.

40 Cæterùm contra hanc certissimam veritatem obijci potest primò. Volitum mouet voluntatem, sicut appetibile appetitum, ex Arist. lib.3. de Anima text.54. Sed voluntas Dei nequit à creaturâ moueri; quia id esset imperfectio. Ergo neque illam velle. Respondeo, certum esse diuinam voluntatem non moueri physicè à creaturâ, quod esset in illâ imperfectio. Moueri tamen intentionaliter ab illâ quodammodò tanquam ab obiecto materiali, non verò absolutè, & simpliciter; quia sic solum mouet formale; docet Ruiz disput.5. de Volunt. sect.3. Ego verò censeo, voluntatem Dei à bonitate creatâ vt ab obiecto etiam formali moueri posse, vt disput. 32. quæst.2. monstraui. Debere autem dici, eam absolutè, & propriè moueri etiam ab obiecto creato iuxta communem modum loquendi Scripturæ, & Patrum; constat ex dictis disput.31. quæst.2. propositi.4.

41 Secundò obijcitur. Si Deus vellet creaturas, ordinem essentialem haberet ad illas eius voluntas, atque ita ab illis specificaretur, & sumeret suam perfectionem; quod est impossibile. Omnis quippe ordo à termino specificatur, ac desumit suam essentiam. Respondeo, habere quidem ordinem diuinam volitionem ad creaturas; imo cum eis connecti, sicut diuina scientia quoad denominationem: quoad entitatem verò minimè. Qui ordo nullam fert secum imperfectionem, vt constat ex dictis iam supra circa diuinam scientiam: sicut neque specificatio à creaturâ vt ab intrinseco termino imperfectionem vllam dicit, vt supra disput.32. quæst. 2. explicatum est.

42 Tertiò obijcitur, Voluntas, cui sufficit aliquod bonum, & per illud satiatur, nihil quærit extra illud. Sed diuinæ voluntati sufficit sua bonitas, & per eam saciatur. Ergo non vult aliquid aliud extra se. Distinguo maiorem. Voluntas, cui sufficit aliquod bonum, & per illud satiatur, non quærit aliud, vt amplius satietur; transeat. Non quærit alijs titulis; nego. Et, concessâ minore; nego consequentiam. Quia Deus non amat creaturas, vt earum amore crescat in suâ beatitudine, sed alijs titulis, videlicet se creaturis communicandi, liberè, & honestè operandi, sua attributa ostendedi, &c.

Quarrò obijcitur. Deus non amat creaturas propter ipsas: quia id esset habere illas pro obiecto formali; & frui creaturis; quod ei repugnat. Neque amat propter se: quia id esset amare illas sub ratione boni vtilis, & non sub ratione honesti, & vti creaturis ad suum commodum; quod vtrumque etiam est alienum à Deo. Respondeo, Deum tum propter ipsas, tum propter se tanquam ob formalia motiua amare creaturas, in quo nulla inuolnitur imperfectio, vt vidimus disput.32. qu.2. Vnde Deus quadantenus potest dici frui creaturis, quatenus de earum bonitate gaudet: atque etiam illis vti, non ad suum commodum, vtpote quod ex eis non capit; sed ad ipsarum, aliarumque creaturarum commoditatem; atque etiam ad suam extrinsecam glorificationem, in quibus omnibus Deus honestè operatur; atque ita sub ratione honesti dici potest creaturas tangere, etiam, dum ab earum physicâ bonitate mouetur. De quo plura dicenda infra disputat.35. Quæ cum ita sint, planè consequitur, creaturas in se ipsis amari à Deo, non solùm quia in se ipsis, vt sunt quid distinctum à Deo, tanguntur per diuinum amorem, sed etiam quia sunt obiectum formale alicuius actus, quo amantur; quia tamen amantur etiam propter Deum vt propter obiectum formale: in Deo etiam amari dici poterunt, particula *in* denotante obiectum formale. De quo plura Ruiz disputat. 6. de Volunt. sect.6. 43

Ex dictis constat, certum esse secundùm fidem, velle Deum, & amare creaturas saltem aliquando existentes: de his enim agunt potissimùm loca Scripturæ commemorata. An verò velit, & amet etiam creaturas possibiles, quæ nunquam erunt, restat examinandum: quia id non adeò certum est. Est autem certum, Deum amare creaturas aliquando existentes non solùm affectu efficaci prævio ad earum existentiam, & influente in ipsam; sed etiam affectu simplici eamdem existentiam supponente, superuenienteque post illam prævisam. De hoc enim genere amoris loquuntur plura loca Scripturæ ex superiùs commemoratis. Demum, quod Deus singulas creaturas futuras etiam vilissimas diligat in particulari, amore saltem efficaci, etiam est certum secundùm fidem: quia prouidentia, quam fides docet habere circa singulas, nequit sine amore earum saltem efficaci constare, vt est notissimum. Videatur Ruiz disputat. 6. de Voluntat. sect.4. 44

Quæ-

QVAESTIO IV.

Vtrùm Deus amet, seu velit creaturas purè possibiles in quantum possibiles, siue quoad earum esse possibile.

45 NEgant Alex. Albert. Bonau. Gabriel, Caiet. Nauarrete, Zumel, Molina, & alij apud Hemelm. tom. 1. tit. 7. disputat. 1. Negant etiam Aegid. Lusit. lib. 5. de Beat. quæst. 18. artic. 2. Nazar. 1. p. quæst. 14. art. 9. Gonzalez disput. 52. sect. 2. Cursus Carmelit. tract. 4. disp. 5. Ioan. à S. Th. quæst. 19. disput. 4. art. 6. Albiz de Volunt. disputat. 6. sect. 2. Pascualig. de Deo disput. 30. sect. 2. Villegas controu. 9. disput. vlt. cap. 3 Raynand. dist. 8. Theo. nat. quæst. 2. art. 2. num. 56. & alij. Quibus consentire videtur Soar. disput. 30. Metaph. sect. 16. num. 41. & lib. 3. de Attrib. cap. 6. num 10. & lib. 2. de Trinit. cap. 2. num. 9. Pro affirmatiua verò sententia stant cum Scoto, & omnibus Scotistis Valent. 1. p. quæst. 14. disput. 1. punct. 7. Vazq. disput 79. cap. 2. Herice disput. 18. cap. 1. Fasol. quæst. 19. art. 3. dub. 2. Gran. controu. 3. tract. 3. disput. 3. Hemel. supra, Ruiz disput. 6. de Volunt. Fonseca lib. 7. metaph. cap. 8. quæst. 4. sect. 5. Alarc. de Volunt. disp. 4. cap. 3. Tann. q. 10. dub. 1. Franc. de Lugo disp. 35. cap. 1. Arriaga disp. 24. sect. 5. Ribas tract. 5. disp. 4. cap. 2. Martinon disput. 13. sect. 2. Franc. Felix cap. 3. Ribad. disp. 12. Quiros tom. 1. disp. 65. & alij.

46 Pro resolutione, clariorique intelligentia suppono primò, eas creaturas dici purè possibiles, quæ, cùm sint potentes existere, nunquam tamen sunt extituræ: & de his potissimum est quæstio. Quia tamen de illis potiùs prout possibilibus, quàm prout nunquam extituturis, est sermo: & in hoc, quod est, esse possibiles, cum existentibus conueniunt: multa ex eis, quæ de creaturis purè possibilibus ad rem dicentur, existentibus itidem accómodanda venient præcisè in quantum possibilibus.

47 Suppono secundò, possibilitatem creaturarum communiter diuidi in primariam, & secundariam. Primaria (quæ radicalis etiam, fundamentalisque dici solet) ea est, qua creaturæ concipiuntur possibiles, seu potentes existere, antequàm à Deo factibiles concipiantur. Secundaria autem est ipsa factibilitas, qua à Deo factibiles concipiuntur. Et de possibilitate quidem secundariâ omnes censent, consistere in denominatione semiextrinsecâ desumptâ partim à possibilitate primariâ, & partim ab omnipotentiâ diuinâ, à qua creaturæ factibiles, siue potentes fieri, siue possibiles denominantur. In quo verò possibilitas primaria creaturarum consistat, non parum controuersum est, præsertim inter Recentiores. Communis tamen antiquiorum, & prorsus vera sententia est, possibilitatem primariam creaturarum in ipsarum essentijs prout immunibus à contradictione consistere, eisque proinde conuenire tum in statu quiditatiuo, tum in statu existentiali conditionato quiditatiuo annexo, pront à nobis latè monstratum, & explicatum est in Pharo Scient. disput 11. quæst. 1. ex vniuersaliore doctrinâ traditâ ibidem disp. 10. quæst. 1. quæ ad rem tum supponenda, tum à Lectore recognoscenda est. Itaque, creaturam esse possibilem possibilitate primariâ, aliud non est, quàm, habere eam ex suo conceptu obiectiuo talem essentiam, quæ nullam fert secum annexam contradictionem, subindeque ex hypothesi, quòd existeret sine contradictione existeret. De huiusmodi igitur possibilitate creaturarum est sermo impræsentiarum.

Propositio 1.

Creaturæ possibiles vt tales bonæ 48
sunt, & amabiles tum bonitate absolutâ, tum etiam relatâ. Atque ita Deus vtroque modo, seu quoad vtramque bonitatem potest amare illas.

Secunda pars propositionis euidenter sequitur ex primâ. Quia euidens est, & sine vllâ 49
controuersiâ, id omne voluntatem diuinam amare posse, quod bonum, & amabile est. Vnde integra difficultas ad primam partem reuocatur.

Eam probo primò à priori. Quia, quidquid est ens verum, & cognoscibile, qua ratione est tale, non potest non esse quoque bonum transcendentaliter, & amabile: quia bonitas transcendentalis, & veritas ab ente, cuius sunt passiones, atque adeò etiam ab se inuicem inseparabiles sunt. Sed creaturæ possibiles qua tales vera entia sunt, & cognoscibilia; vt constat. Ergo etiam sunt bona entia, & consequenter amabilia: idque tum absolutè, tum relate. Siquidem bonitas absoluta essentialis transcendentalis est; atque etiam ea saltem relatiua, quæ vnumquodque sibi ipsi bonum esse dicitur, & conueniens iuxta doctrinam supra statutam disp. 32. quæst. 1. Confirmatur, & declaratur. Quia Deus manifestè cognoscit, Petrum purè possibilem ex suo conceptu quiditatiuo esse animal rationale, foreque tale à parte rei ex hypothesi, quòd existeret, iuxta doctrinam præmissam suppositione secundâ. Ergo & cognoscit illum ex suo conceptu quiditatiuo esse transcendentaliter bonum, taleque reipsâ etiam existentialiter fore, si reipsâ existeret. Ergo vt sic cognitum poterit eum amare. Nam, quidquid cognoscitur esse bonum, qua ratione tale esse cognoscitur, eâdem à cognoscente amabile esse, indubitatum est.

Secundò probatur propositio. Quia creaturæ possibiles non solùm sunt in se, & sibi bonæ 50
eâ ratione, qua sunt entia; sed etiam sunt bonæ Deo, & alijs creaturis existentibus præcisè, in quantum sunt possibiles. Ergo vt sic poterunt quoque amari à Deo quoad talem bonitatem relatam. Consequentia liquet ex dictis. Antecedens autem probatur facilè. Quia bonum est Deo, se habere potentiam proximam ad producendas creaturas possibiles, in suâque libertate habere, causare illas, aut non causare, prout sibi libuerit: quis id neget? Ergo bonum etiam est Deo, tales creaturas esse possibiles. Quia si possibiles non essent, neque potentiam proximam neque libertatem ad illas producendas haberet, vt notum est. Deinde bonum est Deo, quòd Angeli, & homines possint illum laudare, aliaque honesta opera impendere in eius obsequium; quod tamen, nisi ea essent possibilia, præstare non possent. Ergo &, quòd sint ea possibilia, bonum est Deo. Præterea omnis glorificatio externa actua-

lis bona Deo est. Ergo, quòd sit ea possibilis, bonum Deo est. Nam, quidquid est necessarium ad obtinendum bonum, bonitate saltem vtilitatis est quoque bonum. Quibus eisdem, & similibus titulis creaturæ possibiles alijs creaturis existentibus bonæ sunt, vt perpendenti notum fiet. Igitur Deus craturas possibiles qua tales & sibi, & creaturis existentibus tanquam subiectis, quibus sunt bonæ, amare sine dubio potest.

51 Tertiò probatur propositio. Quoniam Deus, antequam videat existens id, quod vult, efficaciter determinatur ad id volendum ductus per scientiam, qua illud concipit, dumtaxatque iudicat, esse possibile. Ergo Deus in ente possibili præcisè vt tali sufficientem bonitatem videt ad illud amandum. Poterit igitur amare illud, non solùm amore efficaci, quo extrahat ab statu possibilitatis, sed etiam simplici, quo non extrahat. Confirmatur primò ex August. lib. 11. de Ciuitate cap. 21. dicente. *Deus autem vsquaeadò non, cùm factum est, tunc discit bonum, vt nihil eorum fieret, si ei fuisset incognitum. Dum ergo videt, quia bonum est, quod nisi vidisset, antequàm fieret, non vtique fieret, docet, bonum esse, non discit.* Et paulò post. *Sed sic ostendere voluit, artifici suo placuisse iam factum, quo placuerat in arte faciendum*: Quid ad rem clariùs? Confirmatur secundò. Quia certum est, de facto etiam amare Deum voluntate antecedente gloriam purè possibilem eorum omnium, qui damnantur, nam *Vult omnes homines saluos fieri*, testante Paulo 1. ad Timot. 2. Ergo negari nequit, reperiri in creaturâ purè possibili bonitatem sufficientem ad terminandum aliquem actum amoris Dei. Nec dicat aliquis, tendere Deum per eum actum in gloriam reproborũ prout conditionatè extituram sub conditione, quòd per ipsos non stet; tum quia ad rem nostrâm id sufficit. Tum quia Deus non tantùm vult conditionatè, vt reprobi saluentur, si per ipsos non stet: sed etiam vult absolutè, vt per ipsos non stet, sed, *vt conuertantur, & viuant*. Ezechiel. 18. & 33. Vnde desiderium etiam aliquod absolutum, tametsi inefficax, habet de eorum conuersione, & salute, prout explicabimus suo loco.

52 Quartò. Voluntas nostra sæpissimè complacet in bonis purè possibilibus, quæ mens proponere, versareque imaginatio solet, vt experientiâ quotidianâ notissimum est. Ergo bona purè possibilia præcisè vt talia amabilia sunt. Et consequenter à Deo etiam amari poterunt. Et sanè, cùm bonum possibile ex suo conceptu non minùs sit bonum, quàm est homo ex suo conceptu homo possibilis; atque ita prorsus repugnet, concipere bonum possibile; quin concipiatur bonum; manifestè consequitur, Deum non posse non concipere bona, quæcunque iudicat, esse possibilia bona, vti reuerà sunt possibilia. Quidquid autem intellectus concipit bonum, à voluntate citra dubium amari potest. Deus igitur omnia possibilia bona, qua talia sunt, amare potest.

Quintò. Quia Deus odisse potest, defactoque odit mala culpæ nunquam extitura. Ergo 53
& bona nunquam extitura potest amare. Consequentia est bona. Nam, si malitia purè possibilis odium Dei terminare valet; & bonitas purè possibilis poterit terminare amorem. Antecedens autem constat. Quia iuxta communem sensum, praximque Fidelium, & Patrum eo sæpe motiuo deterrentur, abstinentque homines à peccatis, ne faciant contra voluntatem Dei. Ergo supponunt in Deo antecedentem displicentiam eorum etiam peccatorum, à quibus abstinent. Quæ etiam non obscurè solet indicari in sacrâ Scripturâ, vt cùm dicitur Ecclesiastici 15. *Quæ enim odit, ne feceris*. Isaiæ 65. *Et, quæ nolui, egistis*. Hierem. 44. *Nolite facere verbum abominationis huiusmodi, quam odiui*. Alibique similia. Expressitque S. Thom. in 1. distinct. 46. quæst. vnicâ art. 4. ad 3. dicens. *Mala culpæ non fieri, vult Deus voluntate antecedente*.

Cæterùm contra statutam propositionem 54
opponunt Aduersarij primò. Ens purè possibile est non ens, sed purùm nihil. Ergo non est bonum. Ergo neque est amabile. Respondeo primò, hoc argumentum, si quid probat, probare vtique, ens purè possibile neque verum, neque cognoscibile esse: quod dici non potest. Ex quo patet, nihil illud probare. Respondeo secundò (aliorum solutionibus prætermissis) ex doctrinâ datâ in Pharo Scient. locis num. 47. citatis, ens purè possibile esse quidem non ens, seu purum nihil existentialiter, siue in statu existentiali; quiditatiuè tamen, siue in statu quiditatiuo & ens, & aliquid tum verum, & cognoscibile, tum bonum, & amabile esse. Respondeo tertiò, ens purè possibile non tantùm quoad bonitatem quiditatiuam, quam reuerà habet in se, sed etiam quoad bonitatem existentialem, quam potest habere, & non habet, amabile à Deo esse simplici affectu. Quia; sicut intellectus diuinus simplici apprehensione potest apprehendere existens id, quod in se reuerà existens non est, vt ostendimus in tract. de Scientiâ. Ita diuina voluntas simplici desiderio potest desiderare, vt existat id, quod in se reuerà nec existens, nec extiturum vnquam est; defactoque sæpe desiderat, vt constat ex dictis.

Secundò obijciunt. Amare est, velle alicui 55
bonum, ex communi Philosophorum, atque Theologorum sententiâ. Sed Deus creaturis purè possibilibus non vult bonum; cùm non velit eis existentiam, quæ est primum earum bonum, & fundamentum cæterorum; sed potius efficaciter velit, quòd non existant, quod est maximum earum malum. Ergo Deus nullatenus amat creaturas purè possibiles. Respondeo, amare strictiori modo sumptum esse, velle alicui bonum apud philosophos, & Theologos iuxta ea, quæ dicebamus disput. 32. quæst. 1. Non item amare latiùs acceptum prout illud in præsenti vsurpamus. Quo pacto, dum Deus aut sibi, aut alijs vult creaturas purè possibiles, amare illas dicendus est. Dato, quod ipsis vt possibilibus nullum bonum possit velle: quod tamen est falsum. Qua Deus benè potest velle creaturis purè possibilibus aut simplici, aut cõditionato affectu tum existentiam, tum alia cuncta, quæ ex conceptu suo obiectiuo eis bona sunt.

Tertiò obijciunt. Amor diuinus eo differt 56
ab amore creato, quòd ponit, seu causat suum obiectum: cùm tamen creatus illud supponat. Sed Deus nullo amore causat creaturas purè possibiles. Ergo nullo amore illas amat. Respondeo maiorem, loquendo vniuersaliter, falsam esse. Quia, certum est, amorem, quo Deus se ipsum amat, suum obiectum non causare; quemadmodùm nec gaudium, quo delectatur de cæteris bonis prout existentibus; nec volitionem, qua vult, omnes homines saluos fieri, &c. Quidni ergo poterit Deus amare creaturas possibiles; quin tali amore causet illas? Solus itaque amor efficax Dei ponit, seu causat

causat infallibiliter obiectum, respectu cuius est efficax. De quo proinde solo loquutus est Propheta, cùm dixit Psal. 113. & 134. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Cùm tamen nos non omnia, quæ volumus, faciamus; quantumuis efficaciter ea velimus. In quo creatus amor efficax à diuino discriminatur.

57 Denique opponitur S. Thomas, quem pro se stare, contendunt Aduersarij. Sed certè vbicunque Doctor Angelicus Deo videtur negare amorem erga creaturas purè possibiles; aut his bonitatem sufficientem ad talem amorem terminandum; de amore efficaci dumtaxat censendus est loqui; deque bonitate cereaturarum terminatiua talis amoris. Videantur Arrub. Herice, & Ruiz vbi supra. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis facilè quisque soluet.

Propositio 2.

58 **De facto etiam creaturæ possibiles tam quoad bonitatem absolutam, quàm quoad relatam eatenus amantur à Deo, quatenus ipsi est decentissimum, seu honestissimum, eas amare.**

Qui censent, amorem creaturarum possibilium esse necessarium in Deo, consequenter tenentur asserere, Deum eas de facto amare, quantum potest. Nos verò, qui putamus, liberum esse, iuxta dicenda quæstione sequente, asserimus modò, eiusmodi amorem penes maiorem honestatem mensurandam esse. Cùm enim Deus necessitatus sit moraliter ad operandum honestissimè, quidquid liberè operatur, vt disputat. 32. quæst. 3. statutum est; consequitur planè, eum necessitatum quoque esse moraliter ad amandas creaturas possibiles, subindeque de facto eas amare honestissimo amore; attingente videlicet obiecta purè possibilia tali modo, sub taliqua proportione, & mensurâ, qualem exposcit medium virtutis, ad quam spectat ipse amor. Quænam autem sit hæc mensura, & an ea ad omnes creaturas possibiles, vel solùm ad aliquas extendatur: tum an omnes creaturarum bonitates, & omnes modos eas amandi complectatur, vel aliquas, aut aliquos solùm; Deus scit. Id enim vnde nos possumus cum fundamento coniectare.

59 Restabat modò examinandum, quo genere affectuum versetur Deus, aut versari possit circa creaturas possibiles, gaudio ne, an desiderio, an amore stricto, hisque absolutis ne, aut conditionatis, &c. Sed hoc aptiorem locum habet infra disput. 34.

QVAESTIO V.

Vtrùm Deus necessariò, vel potiùs liberè amet creaturas purè possibiles. Atque etiam iam existentes, seu extituras in aliqua differentiâ temporis.

60 COmmunis satis sententia est, Deum, non liberè, sed necessariò omnino amare creaturas purè possibiles. Ita Vazq. 1. p. disput. 79. cap. 2. & disput. 152. cap. 1. Arrub. disput. 53. cap. 3. Fasol. quæst. 19. art. 3. dub. 2. Herice disput. 18. cap. 1. Tann. disput. 2. quæst. 10. dub. 4. Becan. cap. 11. quæst. 3. concl. 2. Alarc. tract. 3. disp. 3. cap. 4. Ripalda de Ente supernat. disput. 41. sect. 9. num. 71. & in manuscrip. de Volunt. disputat. 9. sect. 2. Sfort. lib. 1. suæ Theol. num. 50. Hemel. titul. 7. disput. 1. Ruiz disput. 6. de Volunt. sect. 2. Arriaga 1. p. disput. 24. sect. 6. subsect. 2. Ribas disp. 4. de Volunt. cap. 2. Martinon disp. 13. de Deo sect. 2. Ribaden. disput. 13. de Volunt. capit. 1. Quiros tom. 1. disput. 66. & apud eos alij. Addunt tamen Arrub. Alarc. & Hemelm. creaturas possibiles, prout sunt possibiles à causâ creatâ existente, liberè amari à Deo: quia vt sic ex connotato sunt obiectum contingens. Cæterùm modò de extrinsecâ istâ, & accessoriâ creaturarum possibilitate non agimus, sed de intrinsecâ, & essentiali; secundùm quàm omnes relati Auctores docent, eas amari necessariò à Deo. Oppositâ tamen sententia est, non necessariò amari, sed liberè. Sic docent Bann. 1. p. quæst. 34. artic. 3. Machin. disput. 40. sect. 2. Gonz. disput. 52. sect. 2. num. 12. & 14. Pro eâdem sententiâ refert Ruiz vbi supra sect. 1. Molin. Valent. Scot. Bonau. & alios. Eamque sequuntur Franc. de Lugo disput. 35. cap. 1. Franc. Felix de Volunt. capit. 3. diff. 4. Petr. Hurt. in manu cr. de Volunt. & alij Recentiores.

De creaturis autem existentibus, seu extituris certum secundùm fidem est, liberè amari à 61
Deo eo amore efficaci, quo causantur, & sunt existentes. Quia Deus non necessariò, sed liberè producit illas medio amore, vt ex dictis disput. 31. quæst. 3. liquidum est. Dubitari tamen potest, an sit etiam in se liber amor simplex, quo Deus, suppositâ earum existentiâ, complacet in earum bonitate iuxta doctrinam statutam quæst. 3. fine. Connotantes omnes huiusmodi simplici creaturarum existentium amori propriam, & immediatam denegant libertatem, tribuenres solùm libertatem mediatam, & mutuatam ab obiecto; qualis est, quam habet in Deo scientiâ de obiectis contingentibus. Reliqui autem Doctores rem hanc in speciali, & ex professò non videntur tractare: tametsi, dum attingunt obiter, alij videantur supponere, prædictum simplicem amorem necessarium, alij verò, liberum esse post factam obiecti eius suppositionem.

Propositio 1.

Creaturæ purè possibiles quoad suam vtramque bonitatem, relatam videlicet, & absolutam non necessariò, sed liberè amabiles sunt à Deo. Atque ita de facto amantur, qua ratione amantur. 62

Ratio à priori. Quia omnis bonitas creaturæ limitata est, multisque immixta imperfectionibus, vt ex doctrinâ datâ supra quæst. 2. liquidum est. Ergo cognita plenè, & perfectè, vti cognoscitur à Deo, neutiquam potest voluntatem rapere, necessitareque ad sui amorem, vt patet in nobis, qui, quò perfectiùs bona creata, defectusque eorum contemplamur; eò manemus liberiores ad ea amanda, vel non amanda.

da. Quælibet quippe imperfectio apparens ex parte obiecti amandi sufficiens est ad retrahendam, seu auertendam ab amore voluntatem, alioquin suâ naturâ liberam, qualis diuina est; & consequenter ad efficiendum, quòd maneat ipsa ad amandum indifferens proximè, seu libera; prout constat ex doctrinâ datâ loco citato.

63 Secundò veluti à posteriori probatur efficaciter propositio. Quia amor efficax, quo Deus causat creaturas de facto, easque ab statu possibilitatis ad statum existentiæ traducit, non necessarius, sed liber est, vt fides docet. Ergo bonitas possibilis creaturarum, cuius cognitione Deus dirigitur ad talem amorem concipiendum iuxta id, quod dicebamus supra num. 51. liberam relinquit Dei voluntatem ad sui amorem. Ergo etiam amor simplex talis bonitatis in statu puræ possibilitatis ipsam relinquens non potest non in Deo esse liber: nulla quippe pro huius, quàm pro illius necessitate, maior ratio est. Quod enim dicunt nonnulli, per necessitatem amoris efficacis læsum iri dominium Dei erga creaturas, per necessitatem verò amoris simplicis non item: à nobis potiùs, & pro nostro argumento stat. Ideo namque Deus dominium habet circa creaturas, ad illasve producendas, & destruendas liber est: quia liber est ad illas amandas, & non amandas efficaciter: ad hoc autem dicirco est liber; quia bonitas creaturarum, limitata cùm sit, & multis mixta imperfectionibus, ad nullum amorem sui potest rapere, rapiendoque necessitare voluntatem diuinam. Si enim ad aliquem posset, ad efficacem potiori iure, quàm ad simplicem, posset, & medio illo ad sui productionem. Quemadmodùm bonitas increata ad sui amorem, & consequenter ad productionem Spiritus sancti ex tali amore oriundam ne-

64 cessitat.

Tertiò propositio nostra non parum confirmari potest ab impugnatione rationum, quibus sententia opposita probari solet. Quarum profectò varietas, atque diuersitas non leuem præ se fert suspicionem falsitatis sententiæ. Etenim Vazq. Arrub. Herice, & reliqui Connotantes inde eam probant imprimis: quia absque aliqua extrinsecâ, & contingente varietate non potest Deus quidquam liberè, siue contingenter amare: eo quòd amor eius quoad intrinsecum necessarius omnino atque inuariabilis est. Sed creaturarum possibilitas contingenter variari nequit. Ergo Deus creaturas possibiles qua tales liberè, seu contingenter amare non potest. Clariùs. Amor liber dicit aliquid, quod potest desse. Sed amor Dei erga possibilia nihil dicit tales; cùm neque Deus, cum quo ille est idem, neque possibilia ipsa de esse possint. Ergo amor Dei erga possibilia non potest esse liber. Hæc ratio falso nititur fundamento, quo solùm sublato, tota ruit. Sustulimus autem illud disput. 31. quæst. 4. dum ostendimus, libertatem diuinorum actuum absque vllâ contingentiâ extrinseci connotati constare, per virtualemque contingentiam eorumdem actuum intra Deum rectè componi.

65 Herice vbi supra, & Granad. eamdem suam sententiam probant insuper. Quia omnipotentia diuina cum creaturis possibilibus connexa est, adeò, vt, si creaturæ non essent possibiles, perfectio aliqua Dei intrinseca, & consequenter totus Deus ipse deficeret. Ergo Deus non potest suam omnipotentiam amare; quin amet creaturas possibiles: quia, quisquis amat aliquam rem, id quoque, sine quo talis res esse nequit, debet amare. Sed Deus non liberè, sed necessario amat suam omnipotentiam. Ergo & creaturas possibiles. Hæc autem ratio falsum etiam supponit fundamentum. Nam, vt monstrauimus tom. 1. disput. 4. quæst. 2. nulla perfectio intrinseca Dei connectitur quoad existentiam cum creaturis possibilibus. Sed estò connectatur cum illis omnipotentia: nequaquam inde sequitur, amatâ à Deo omnipotentia, ipsas quoque ab eo amari. Primò; quia, licèt, amatâ efficaciter aliquâ re, non possit non amari itidem id, sine quo res nequit existere. Aft nemo dixerit, amatâ re simplici affectu, debere pariter amari id, sine quo res esse nequit: cùm constet, Deum, & Beatos de pœnitentiâ peccatoris connexa cum peccato gaudere Lucæ. 15. quin gaudeant de peccato ipso. Affectus autem quo Deus suam omnipotentiam prosequitur non efficax, sed simplex est, vt liquet. Secundò; quia, licèt esset ille efficax, adhuc non cogeret voluntatem diuinam ad amandas creaturas possibiles. Quoniam amor efficax rei tunc solùm cogit ad amandum illud, sine quo res esse nequit, quando id aliunde, quàm à voluntate amantis, non videtur futurum. Possibilitas autem creaturarum, qua ratione est, aliunde est, quàm à voluntate diuina. Non enim sunt creaturæ possibiles; quia Deus vult efficaciter, vt sint possibiles, sed quia id illæ per suam essentiam, siue ex proprio conceptu habent. Et quidem, si omnipotentia à Deo sine creaturis possibilibus amari non potest; quia sine illis esse nequit eo ipso, quòd earum est productiua; nec poterit amari sine peccato, sine quo pariter dicenda est ab Aduersarijs esse non posse eo ipso, quòd est peccati punitiua, & productiua pœnitentiæ connexæ cum peccato. Teneri autem Deum ad amandum peccatum, dum suam omnipotentiam amat, aut aliud quidpiam cum peccato connexum, absurdum est. Quomodò autem res connexa cum alia sine illâ possit amari; tametsi sine illa nequeat cognosci, supra disput. 32. quæst. 5. declarauimus.

Rursus Granad. ipse, & Ruiz vbi supra eamdem suam sententiam probant. Quia omnis perfectio nulli alij perfectioni repugnans necessariò est concedenda Deo. Sed amor simplex possibilium est perfectio nulli alij perfectioni repugnans. Ergo Deo conuenit necessariò. Maiorem vt notam supponunt. Minorem probant. Quia amor simplex possibilium cum volitione tum simplici, tum efficaci de earum negatione, deque alio quolibet obiecto non repugnat: in quo ab amore efficaci eorumdē possibilium differt. Et quamuis pugnet cum displicentiâ ipsorum possibilium, non interest: quia hæc non est perfectio possibilis Deo, cui nullum bonum etiam possibile displicere potest. In idem recidit, quod alij dicunt, amorem simplicem, & necessarium possibilium perfectionem esse simplicitur simplicem, quæ Deo defficere non potest; sicut nec aliæ eiusmodi: quia nec ex prædicato amoris eorum, nec ex prædicato necessarij dicit imperfectionē; vt connere est in scientiâ necessariâ, quam Deus habet, eorumdem possibilium. Sed nec ratio hæc momentum habet ad probandum intentum. Quoniam, licèt volitio necessaria possibilium cum nullo actu diuinæ voluntatis pugnaret;

pug-

pugnaret tamen cum libertate diuinâ; quæ circa obiecta amabilia liberè, qualia sunt omnia creata, perfectio est diuinæ volontatis simpliciter simplex: quia melior est ipsa, quàm non ipsa. Ex quo patet, amorem simplicem, & necessarium possibilium ex prædicato necessitatis dicere imperfectionem oppositionis cum perfectione infinitè maiore, qualis est libertas voluntatis diuinæ circa obiecta creata: atque adeò neutiquam posse eum esse perfectionem simpliciter simplicem. Et quamuis necessitas scientiæ diuinæ possibilium talem imperfectionem non dicat; quia nulli libertati diuini intellectus opponitur. Aliunde tamen puto ego, talem scientiam non esse perfectionem simpliciter simplicem, vti dicebam quæst. 2. propos. 5. tum propter defectum tantæ necessitatis, quantam Deus habet, tum propter connexionem, quam ipsa habet cum aliquo distincto a Deo, quæ imperfectiones quædam sunt.

67 Alij denique ex Aduersarijs suam sententiam probant. Quia, inquiunt, ad rectitudinem diuinæ voluntatis pertinet, quòd sit summè prona, siue propensa ad omne bonum. Summa autem propensio ad bona possibilia aut consistit in complacentia necessaria de ipsis, aut eam secum fert. Sed non magis bonè. Primò; quia, si quid argumentum hoc probaret, probaret vtique, bona etiam existentia prosequi Deum amore necessario efficaci. Quod est ingens absurdum. Secundò; quia rectitudo diuinæ voluntatis talem dumtaxat exposcit propensionem ad bona, qualia merentur ipsa bona. Solum autem summum bonum, quod est Deus ipse, meretur, vt propensio in actu primo diuinæ voluntatis ad illud sit eam ad amandum ipsum necessitans necessitate tum quoad speciem, tum quoad exercitium. Cætera autem bona tantùm merentur, vt propensio in actu primo diuinæ voluntatis ad illa sit eam ad amandum ipsa necessitans necessitate quoad speciem, vetante, ne possit illa odisse, prout bona sunt; relinquente tamen libertatem quoad exercitium ad illa pro arbitratu suo amanda, vel non amanda.

68 Præterea aliis argumentis, quibus propositionem nostram impugnant, sententiam suam Aduersarij confirmare conantur. Arguunt sic primò. Deus amore comprehensiuo amat suam omnipotentiam, suam scientiam, & alia attributa. Ergo ex vi talis amoris tenetur amare creaturas possibiles: quia sunt quid pertinens ad talia attributa. Quemadmodùm eadem de causa ex vi cognitionis comprehensiuæ ipsorum attributorum cognoscit creaturas ipsas iuxta communem Theologorum doctrinam à nobis etiam amplexatam tom. 1. disput. 17. quæst. 6. Respondeo, ad amorem comprehensiuum rei opus non esse, quòd vi eius ametur aliud, ad quod res habet habitudinem: etsi sit opus, quòd cognoscatur ad comprehensiuam rei cognitionem. Discrimen ex diuersa natura actuum intellectus, & voluntatis sumendum est. Cùm enim res simpliciter cognosci non possit sine termino, ad quem referatur; amari verò possit, prout disput. 32. quæst. 5. declarauimus: consequens est, vt res per cognitionem comprehendi non possit, ni cognoscatur omne id, ad quod ea dicit habitudinem siue intrinsecam, siue extrinsecam: per amorem verò possit, amatâ solùm perfectissimè eius intrinseca bonitate. Cognitio quippe non dicitur rem comprehendere, nisi tangat, quidquid ea est in se, & quidquid ad eam pertinet extra se. At amor, tangendo perfectissimè id totum, quod res intrinsecè est, poterit dici comprehendere illam; quin ad externa rei extendatur. Quæ quidem, etsi semper cognoscibilia sint, sæpissimè non sunt amabilia; proindeque ad plenam rei cognoscibilitatem, non item ad plenam rei amabilitatem pertinere censenda sunt. Et sane, si comprehensio affectiua quoad omnia deberet esse similis comprehensioni cognoscitiuæ; sicut diuinus intellectus, non cognito peccato, nec pœnitentiam hominis illud detestantem, nec suam omnipotentiam permittentem, nec suam iustitiam punientem comprehensiuè potest cognoscere; ita diuina voluntas nec pœnitentiam, nec omnipotentiam, nec iustitiam comprehensiuè posset amare, non amato peccato. Tum, vt intellectus nequit comprehendere omnipotentiam, non cognitis creaturis per ipsam factis; ita neque voluntas posset, eisdem efficaciter non amatis. Quæ omnia planè absurda sunt.

69 Secundò obijcitur. Perfectiùs amat Deum, qui vult illi simul bona intrinseca, & extrinseca, quàm, qui vult sola intrinseca. Sed Deus necessariò amat se perfectissimè. Ergo necessariò vult sibi bona extrinseca, qualia sunt creaturæ possibiles. Hoc argumentum amorem etiam efficacem necessarium omnium possibilium probat in Deo: quia perfectiùs amat, qui vult amato efficaciter bonũ, quam, qui vult simpliciter. Ex quo patet, illud nihil probare. Respondeo ergo, estò dicatur Deus perfectiùs extensiuè se amare, sumpta extensione ex parte obicti, dum sibi bona extrinseca simul cum intrinsecis vult, quàm, si sola intrinseca vellet: hinc tamen non inferri, necessarium esse in Deo eiusmodi amorem: cùm debeat ille talis esse, quo maior perfectio libertatis non destruatur. Perfectio quippe extrinseca, quam amor iste superaddit, si quam superaddit, simpliciter simplex non est; & consequenter necessaria Deo esse non potest. Addo, ne extensiuè quidem ex parte obiecti esse perfectiorem amorem, quo Deus vult sibi bona intrinseca simul, & extrinseca, quàm, quo vult intrinseca solùm. Quia coniunctum ex bono creato, & increato nec melius, nec amabilius est, quàm bonum increatum solum, vt supra quæst. 2. propos. 2. probatum est.

70 Tertiò obijcitur. Intellectus diuinus nullum malum reperit in amore possibilium. Ergo non est, quo voluntas diuina à tali amore retrahatur, vt ille sit liber. Nonnulli, vt respondeant, aliquam rationem mali fatagunt in amore possibilium ostendere. In quo tamen ego non hæreo; sed vltrò admisso antecedente; nego consequentiam. Quia voluntas non solum a ratione mali in amore reperta, sed ab imperfectionibus obiecti retrahitur ab exercitio amandi, prout satis est, vt illud sit liberum. Constat autem ex dictis, in creaturis possibilibus, quæ sunt obiectum, perplures imperfectiones saltem negatiuas reperiri.

71 Quartò obijcitur. Deo necessarium est, quidquit constituit illum proximè liberum ad volendum efficaciter creaturas: quia talis libertas perfectio eius est simpliciter simplex. Sed complacentia simplex de bonitate possibili creaturarum præcedit, constituitque Deum proximè liberum ad decernendam earum existentiam, vt August. videtur tradere lib. 11. de Ciuitate cap. 21. A similique voluntatis nostræ probatur; quæ

per

per simplicem, necessariam, ac præuiam obiecti complacentiam tangitur semper, & inducitur ad volitionem efficacem obiecti: ob idque eiusmodi complacentia in ijs, quæ constituunt auxilium gratiæ enumeratur a Theologis in Tractatu de gratia ex mente eiusdem Augustini, qui eam, quando auxilium est efficax, victricem delectationem vocauit. Igitur simplex cõplacentia de bonitate possibili creaturarum non libera, sed necssaria est in Deo. Hoc argumento vtuntur Ruiz, & Ripalda. Sed probatio minoris, in qua totum eius momentum stat, inefficax valde mihi est. Nam August. cuius verba dedimus supra num. 51. solùm dicit ad rem *Artifici suò placuisse iam factum, quod placuerat in arte faciendum*. Hoc autem non est, asserere, simplicem complacentiam obiecti semper, & necessariò præcedere in Deo ad decretum efficax eius: & multò minùs ad libertatem proximam actus primi talis decreti pertinere. In nobis autem, etsi plerunque precedat complacentia simplex obiecti, quod efficaciter amamus; certius est, non debere illam semper, atque necessariò præcedere. Quòd si vt implurimum non libera, sed necessaria est; ob idque ad gratiam operantem dicitur pertinere; certè huiusmodi necessitas ex defectu deliberationis, quam ipsa complacentia præuenit, nascitur, vt omnes Theologi fatentur; de quo videri potest Vazq. 1. par. disput. 88. cap. 2. num. 20. & 24. Necessitatem autem ex defectu deliberationis oriundam ad Deum transferre, non licet. Ex quo patet, necunde probari efficaciter, complacentiam simplicem de bonitate possibili aut semper debere in Deo præcedere ante decretum efficax eius; aut ad libertatem actus primi talis decreti necessariò requiri; aut denique eam non liberam, sed necessariam esse debere. Adde, non debere esse talem, etiam si ad potentiam proximam decernendi requireretur necessariò. Nam intentio finis ad potentiam proximam eligendi media requiritur necessariò; & tamen in Deo intentio finis libera est. Tum cognitio de existentia meriti, quæ etiam est libera in Deo ad potentiam proximam remunerandi meritum ipsum necessariò requiritur. Ex quo apparet, argumentum factum etiam in maiori peccare. Quia non omne requisitum ad omnem libertatem proximam decretorum Dei debet esse Deo necessarium. Ob idque neque omnis libertas Dei proxima perfectio est simpliciter simplex: cùm plures sint, quæ contingenter possent illi defficere, deficiente aliquo actu libero, quem necessariò præsupponunt, vel quo complentur.

72 Quintò obijcitur. Vt sit Deo libera complacentia simplex possibilium pura eius omissio debet esse Deo possibilis: eo quòd talis complacentia non habet in Deo actum incompatibilem, quod eius omissionem valeat causare. Sed nulla omnino pura omissio est Deo possibilis. Ergo. Imprimis, datâ maiori; nego minorem. Quia in Deo possibilis est pura omissio, vt ostendi disput. 31. quæst. 5. Deinde nego etiam maiorem. Quia in Deo possibilis est affectus efficax quasi reflexus de omissione complacentiæ simplicis possibilium; qui & sit incompatibilis cum ipsâ complacentiâ, & causet eius omissionem.

73 Sextò obijcitur. Peccatum existens necessariò displicet Deo; sicut necessariò placet opus honestum: necessariò etiam placet ipsi humanitas Christi Domini sancta infinitè. Ergo & bonitas possibilium placet ei necessariò. Nego antecedens; si fermo sit, vti inpræsenti est, de necessitate quoad exercitium. Quam certè non habet diuina voluntas ad displicientiam de peccato, vt constabit ex dicendis quæst. 6. neque ad complacentiam de honesto opere; neque ad amorem humanitatis etiam vt coniuntæ cum diuinitate eam infinitè sanctificante, vt satis constat ex dictis supra quæst. 2. propossit. 2.

Propositio 2.

Amor simplex, quo Deus amat creaturas iam existentes, suppositâ earum existentiâ, non necessarius, sed liber est per se immediatè, & ratione sui.

Hæc propositio eisdem argumentis, ac præ- 74
cedens, venit probanda. Quorum præcipuum est; quòd bonitas creaturæ iàm existentis non minùs, quàm bonitas creaturæ possibilis, limitata est, & multis mixta imperfectionibus; atque adeò partim attrahens, partimque auertens à sui amore voluntatem diuinam; subindeque relinquens eam liberam ad amandum, aut non amandum. Recole cætera, & huc applica.

Modò ex dictis in tota hac quæstione con- 75
cludo, Deum non esse necessariò omnuolentem sicut est omnipotens, & omniscions. Quia non vult necessariò omne bonum, adhuc affectu simplici: sicut necessariò cognoscit omne verum, & potest facere omne possibile. Id quod docuerunt S. Th. 1. p. q. 19. art. 3. ad 6. & art. 6. ad 2. & 1. contra Gent. cap. 81. fine. S. Bonau. in 1. dist. 45. art. 1. q. 2. Albert. Carthus. & alij. Vide Ruiz disput. 6. de Vol. sec. 5.

Ex dictis autẽ tum in hac, tum in duabus quæ- 76
stionibus præcedentibus liquidò apparet, Deum omnia bona creata tam possibilia, quàm existentia liberè amare posse. Defactoque amare omnia, & singula existentia eo amore efficaci, quo causat illa. Possibilia autem defacto iuxta mensuram sibi honestissimam amare, qua ratione amat; atque etiam existentia quoad simplicem eorum affectum. Quænam autem sit hæc mensura, & an ad omnia bona, vel solùm ad aliqua extendatur, ad omnemque modum possibilem amandi illa, vel solùm ad aliquem, Deus sciat. Sequitur nunc, vt videamus num Deus pariter per odium possit versari, aut versetur circa omnia mala; sicut per amorem versari potest, versaturque circa omnia bona distincta à se.

QVAESTIO. VI.

An voluntas diuina omnia mala odio habeat, aut possit odio habere. Et vtrùm necessariò, vel liberè.

QVædam attingam in hac quæstione, quæ non 77
video tacta ab Auctoribus. Accipio autem odium latè, prout ad quemlibet actũ fugæ se potest extendere. Nam de odio, & cæteris actibus speciatim sumptis ago ex professo infra disp.

disputat. 34. Porro quot modis malum diuidi possit, superius disput. 32. quæst. 1. visum est. Præterea tamen pro re præsenti illud in malum culpæ, & malum pœnæ, & malum naturæ diuidi potest; prout ab aliquibus diuiditur. Vel satiùs in malum morale, & physicum, comprehendendo sub morali tota peccata, sub physico cætera mala, quæ peccata non sunt.

Propositio 1.

Deus peccata odio habet de facto: atque etiam peccatores qua tales.

78 Hæc propositio est de fide, tradita sæpe in sacris Litteris. Psal. 44. *Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem.* Iudith. 5. *Deus illorum odit iniquitatem.* Sap. 12. *Quos exhorruisti Domine; quoniam odibilia tibi opera faciebant.* Sap. 14. *Similiter odio est Deo impius, & impietas eius.* Ecclesiast. 12. *Altissimus odio habet peccatores.* Ad Rom. 1. *odibiles Deo.* Ecclesiasti. 5. *Displicet enim Deo infidelis, & stulta promissio.* Et aliàs passim. Vnde Concilium Arausi. sub Leone Magno, peccatum Deo displicere definit, dum ait *Suam voluntatem homines faciunt, non Dei, quando id faciunt, quod Deo displicet.* Id quod etiam passim affirmant Patres, & Scholastici. Quanquam enim nonnulli, vt Duran. Enric. Aureol. Capreolus, Nazarius, imo & S. Th. lib. 1. contra Gent. cap. 96. vniuersaliter pronunciauerint, Deo non conuenire odium, nisi similitudinariè, & per metaphoram; at cæteri cum Magistro in 3. distinct. 32. cap. vlt. cum ipsoque S. Thom. 1. p. q. 20. art. 2. ad 4. vnanimiter censent, fas non esse, negare Deo odium propriè dictum circa peccata, & peccatores propter loca Scripturæ cõmemorata, quæ simpliciter, & absolutè illud affirmant; adeòque sunt frequentia, vt sine ingentibus incommodis ad sensum translatiuum, & metaphoricum illa non possint detorqueri. De quo videndi sunt Molin. ad dictam quæst. 20. S. Thom. art. 1. Arrub. ibidem num. 6. Vazq. 1. p. disput. 84. cap. 3. Herice disput. 20. cap. 4. Soar. lib. 3. de Attrib. capit. 7. Ruiz disput. 54. de Volunt. sect. 1. Alarc. tract. 3. disput. 7. cap. 3. & alij. Ratio autem propositionis est. Quoniam peccata, vtpote malorum omnium pessima, odibilia sunt Deo, dignaque, vt ab ipso de facto odio habentur. Esse autem eiusmodi, ex se est satis, superque notum; magisque innotescet ex dicendis proposit. 3. Qualis verò naturæ sit odium, quod Deus habet circa peccata, & peccatores, infra disp. 34. quæst. 7. exponetur.

79 Hæc vt minimùm de peccatis existentibus, siue futuris vera sunt. Nam de ijs citra omne dubium loquuntur loca Scripturæ, Patres, & Theologi. De purè possibilibus est dubitabile, an etiam sint odibilia Deo. Qui enim negant, creaturas purè possibiles, quæ bona possibilia sunt, esse Deo amabiles, vt vidimus quæst. 4. eodem iure tenentur negare, peccata purè possibilia esse odibilia Deo. Contra quos etiam stare tenentur, qui eos in eo puncto impugnauerunt. De quo ibi.

Propositio 2.

Peccata purè possibilia odibilia sunt; atque adeò vt possibilia præcisè à Deo possunt odio haberi, 80

Hæc propositio eodem modo probanda est, seruatâ proportione, ac supra quæst. 4. proposit. 1. probauimus, creaturas purè possibiles amabiles esse à Deo. Quia, sicut se habet bonum possibile respectu amoris; ita se habet malum possibile respectu odij. Recolantur argumenta ibi facta, & applicentur in præsenti.

Iam de malis physicis pauci Auctores agunt 81 expressè. Nihilominus Ruiz disp. illa 54. sect. 1. cùm dicat, præciso peccato, nihil Deum odio habere eorum, quæ sunt, in quantùm sunt; addit, in hac conclusione conuenire omnes Theologos, nemine contradicente. Sed videtur loqui tantùm de facto, nam de possibili expressè nihil decernit.

Propositio 3.

Existimo, cætera cuncta mala physica, præter peccatum, quæ verè, & propriè mala sunt, siue ea sint possibilia, siue existentia, à Deo posse etiam odio haberi. Imo fortasse de facto nonnulla saltem odio habet. 82

Ratio est. Quia omne verum malum qua tale odibile est ex suo conceptu, & proprium obiectum displicentiæ, vt inconfessõ apud omnes est; & satis ex se notum; traditumque à S. Thom. 1. 2. quæst. 29. art. 1. Nam, sicut bonum quoduis allicit, & trahit ad se voluntatem; ita quoduis malum illam retrahit, & auertit à se. Aliundeque in odio, seu displicentiâ cuiusuis mali nulla cernitur imperfectio. Ergo nullum est malum physicum, quod nequeat à Deo odio haberi, siue ei displicere. Et confirmari potest. Quia eiusdem perfectionis, & honestatis est, odisse malum, & velle bonum tali malo contradictorie oppositum: est enim adeò æquiualens velle contradictorium mali, & odisse ipsum malum, vt pro eodem vsurpetur ab Arist. lib. 2. Reth. cap. 4. ad finem dicente. *Odisse est velle, vt non sint*, ea, quæ odio prosequimur. Sed Deus bonum contradictorie oppositum malo physico citra dubium amare potest. Ergo & odisse malum physicum.

Obijci tamen potest ex Ruiz vbi supra. Primò illud Sap. 11. *Diligis omnia, quæ sunt: & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Vbi significari videtur, Deum nullum malum physicum odio habere. Respondeo, esto id significaretur, summùm probari, Deum de facto non odio habere mala physica. Secus, non posse illa odio habere, prout nostra propositio fert. Sed meliùs respondeo secundò; verba Sapientiæ solùm negare Deo odium rerum ab ipso Deo factarum prout sunt obiectum tum dilectionis, tum omnipotentiæ diuinæ, qua ratione non sunt malæ, sed bonæ: non item odium malorum physicorum, quatenus ea mala sunt. Imo, si expositioni Patrum standum est, solùm negant odium efficax talium rerum incompatibile cum earum amore efficaci: non displicentiam

simplicem cum tali amore compatibilem. Ait enim August. tract. 110. in Ioan. inter medium, & finem, ipsa eadem verba Sapientiæ ponderans. *Non enim, quodcunque odisset, esse voluisset; aut omnino esset, quod omnipotens esse noluisset, nisi in eo, quod odit, esset etiam, quod amaret.* Et Clemens Alex. lib. 1. Pædagog. cap. 8. sub initiũ. *Nihil enim*, inquit, *esset, quod odio habet Dominus. Non enim aliquid quidem odit, vult autem, id esse, &c. Si quid ergo odio habet Verbum, id vult non esse. Nihil est autem, cuius non causam Deus, quòd id sit, præbeat. Nihil ergo odio habet Deus.* Ecquis non videat, hos Patres de odio dumtaxat efficaci loqui? cùm tamen odium simplex vel expresse videatur Augustinus cum amore rerum componere.

84 Secundò objicit Ruiz. Quod odio prosequimur, ei malum volumus. Sed Dei voluntas nequit inclinari, vt velit malum. Ergo nec potest odio prosequi ea, quæ sunt. Hæc ratio, si quid probaret, probaret vtique contra ipsum Ruiz, neque peccatum posse Deum odio habere. Qua ratione ergo Deus odit peccatum, & peccatorem, vel in eo displicendo, vel etiam illi volendo malum, vt potest citra incommodum; eadem potest odisse cætera mala physica.

85 Tertiò objicitur. Omnis actus voluntatis diuinæ terminatus ad creaturas pro obiecto formali habet diuinam bonitatem. Sed erga hanc nequit in Deo odiũ esse. Ergo neque erga creaturas. Hoc etiam argumentum, si quid probat, probat, Deum non posse odio habere peccatum. Respondeo ergo, aut odium malorum Deo possibile pro motiuo formali non habere bonitatem diuinam, sed solam malitiam obiecti mali iuxta doctrinam traditam supra disput. 32. quæst. 2. aut, si habet, illud quidem relatè ad bonitatem diuinam amorem esse; etsi sit odium relatè ad mala: quemadmodùm actus, quo amico nolumus mala ex complacentiâ eius, respectu amici amor est, etsi sit odium respectu ipsorum malorum.

86 Quartò objicitur. Deus nullam creaturam existentem vult non esse. Ergo nullam creaturam existentem odio habet. Quia ex Arist. lib. 2. Reth. cap. 4. *odisse est velle, vt non sint*, ea, quæ prosequimur odio. Concedo totum, si sermo sit de odio efficaci. De simplici autem dico, benè posse componi cum amore efficaci, quem Deus habet circa creaturas existentes. Sed estò non possit. Saltem circa creaturas possibiles quatenus malas, & alia mala physica negatiua, quid vetat, habere Deum odium aut simplex, aut efficax. Mitto alia leuiora ex dictis solutu facilia,

Propositio 4.

87 **Omne malum siue morale, siue physicum non necessariò, sed liberè est odibile à Deo. Liberèque odio habetur de facto, quodcunque odio habetur.**

Probatio huius propositionis ex dictis quæstione præcedenti propos. 1. petenda est. Nam, quo iure bonum creatum ad sui amorem non necessitat Deum, eodem malum quoduis non debet Deum ad odium sui necessitare. Omne quippe malum etiam morale limitatum est, propterea que non valens rapere, vt determinareque ad sui odium voluntatem diuinam. Et quamuis admittamus id, quod nonnulli opinantur, peccatum in ratione offensæ Dei, aut etiam malitiæ moralis esse infinitum malum, adhuc non tenemur asserere, illud necessitare Deum ad odium sui. Quia infinitudo peccati, stando etiam in ea sententiâ, tanta non est, vt careat omni ratione retrahente voluntatem diuinam ab odio eius. Imprimis enim omne peccatũ aliquid physicum inuoluit, quod aliqua ratione est bonũ, & amabile à Deo. Deinde nullum peccatum inuoluit in se omne malum possibile formaliter, aut æquivalenter, quantumuis dicatur illud esse infinitum. Hoc autem ipso, quòd caret aliquâ malitiâ, rationem habet, qua detineri possit voluntas Dei, ne necessariò per odium in illud feratur. Quemadmodùm bonum quoduis creatum; quantumuis immune ponatur ab omni imperfectione positiuâ, siue malitiâ propriâ; hoc ipso, quod multis caret perfectionibus, multisque ob id imperfectionibus negatiuis immixtum est; satis habet, quo voluntas diuina ab eius amore retrahi possit, vt illud non necessariò, sed liberè amet, iuxta doctrinam latiùs traditam loco citato. Quæ ad rem præsentem est applicanda proportione seruatâ.

Propositio 5.

Deus de facto in eâ mensurâ, & pro- 88
portione odio habet mala siue moralia, siue physica, siue purè possibilia, siue existentia, qua sibi honestissimum, & decentissimum est, ea odio habere.

Hæc etiam propositio ex dictis quæst. 4. propos. 2. colligitur. Nam, cùm Deus ad operandum honestissimè sit necessitatus moraliter, vt disput. 32. quæst. 3. stabilimus; non potest non in omnibus suis actibus liberis (qualis malorum odium est, vt ostendimus) mensuram tenere honestissimam tam ex parte obiectorum, quàm ex parte ipsorum actuum, iuxta præscriptum earum virtutum, ad quas tales actus spectant. Quænam autem sit ista mensura nos determinare non possumus. Deus scit.

QVAESTIO VII.

Vtrùm Deus aliquo modo possit amare quælibet mala. Et odisse quælibet bona. Vbi de peccato possibili.

SVppono vt certum, Deum se ipsum nullate- 89
nus posse odio prosequi. Quia in se nihil malitiæ cernere potest, quod possit ad odium, siue displicentiam mouere, imo ne leuem quidem umbram imperfectionis negatiuæ, quæ possit ab amore retrahere. Quocirca necessariò etiam quoad exercitium se se amat, vt vidimus quæst. 4. propos. 1. Hæc de Deo sumpto secundùm se. Nam Deus vt clarè visus, aut aliter creaturæ bonus, non est, cur nequeat terminare affectum fugæ, quo nolit ipse tale bonum creaturæ. Huiusmodi tamen affectus non Dei, sed ipsius creaturæ dicendus est odium iuxta doctrinam datam

tam supra disput. 32. quæst. 1. num. 13.

90 Suppono secundò, malum qua malum formaliter, quodcunque illud sit, à voluntate diuinâ simpliciter, & absolutè amari non posse, nec bonum, qua bonum formaliter odio haberi: sicut neque à qualibet aliâ voluntate creatâ. Dico simpliciter; & absolutè. Quia malum relatum ad subiectum ex displicentiâ subiecti benè potest amari; & bonum relatum pariter ex eadem displicentiâ odio haberi. Vtrumque probatum est supra disput. 32. quæst. 1. à num. 10. Recognoscantur, quæ ibi diximus.

91 Suppono tertiò, mala pœnæ, & mala naturæ benè posse terminare amorem diuinum sub aliqua ratione boni in illis repertâ. Est certum. Quia, quidquid Deo auctore fit, Deo volente fit; cùm Deus per volitionem operetur, vt est certum: constatque ex dictis disput. 31. quæst. 3. & 4. Sed Deus est auctor malorum pœnæ, & naturæ; vt sæpe dicitur in Scripturâ Deuter. 32. *Congregabo super eos mala. Ecclesiast. 11: Bona & mala, vita, & mors, paupertas, & honestas à Deo sunt.* Isaiæ 45. *Ego Dominus creans malum.* Amos 3. *Si erit malum in ciuitate, quod Dominus non fecerit, &c.* Igitur mala naturæ, & pœnæ volitionem diuinam terminant: idoneaque proinde obiecta sunt, quæ sub aliqua ratione boni amentur à Deo. Et confirmari potest. Quia certum est, reprobationem positiuam, quæ volitio quædam Dei est, aut eam inuoluit, pro obiecto habere cruciatus damnatorum, quæ mala quædam pœnæ, & naturæ sunt. Ratio autem à priori est. Quia, quidquid est bonum, qua ratione est bonum, amabile est, etiam à Deo, nisi sit aliqua inordinatio in eius amore. Sed mala pœnæ, & naturæ multis titulis bona sunt: quia multas secum vtilitates, & conuenientias adferunt: nullaque aliunde in eorum amore inordinatio cernitur: cum potiùs sint materia proxima multarum virtutum. Ergo mala pœnæ, & naturæ, qua ratione sunt bona, & secundùm se, & à Deo etiam amabilia sunt. Vt autem à Deo amari possint, non est necesse, quòd sit maius bonum, quod adferunt, quàm bonum, quo priuant; prout aliqui Recentiores postulare videntur, quos tacito nomine citat Ruiz disputat. 25. de Volunt. sect. 2. num. 6. Nam, vt benè ipse docet, dato, quòd voluntas creata non posset minùs bonum præferre maiori, vti opinantur aliqui ad 1. 2. id de voluntate diuinâ nullâtenus censendum est. Quæ, cùm nullo bono creato egeat, non est, cur nequeat ex bonis creatis eligere minus præ maiore.

92 Porro suppositio facta non solùm de malis physicis existentibus, sed etiam de purè possibilibus vera est. Quia hæc etiam sub ratione aliqua boni reperta in illis sunt amabilia, vt constat ex generali doctrinâ de amore possibilium, quam tradidimus quæst. 4. Quòd si mala physica propter bonum, quod secum adferunt siue physicum, siue morale possunt amari à Deo. Bona etiam physica vice versâ propter malum, quod secum adferunt siue physicum, siue morale poterunt à Deo odio haberi. Quod etiam est certum. Sic enim Deus peccatores odio habet, vt sæpe Scriptura testatur, qui bona quædam physica sunt, propter morale malum peccati, quod secum ferunt.

93 His positis, difficultas superest, vtrùm Deus aliquo modo possit amare malum culpæ, siue peccatum quoad malitiam moralem eius sub aliqua ratione boni in illâ repertâ. Dico quoad malitiam moralem: nam quoad physicam actionem peccati plerique Theologi conueniunt, eam à Deo aliquo modo amari posse, saltem prout est ab ipso concurrente simul cum creaturâ peccante ad talem actionem. Pariterque dubitari potest, an Deus bonum morale seu honestum quoad eius honestatem odisse possit propter malum aliquod à tali honestate oriundum, aut ei annexum. Doctis quibusdam Recentioribus attribuitur, quòd docuerint, etsi malitia peccati possibilis secundùm se displiceat Deo, posse tamen eam illi placere prout requisitam ad multa bona ab ipso amabilia, vt ad permissionem, condonationem, punitionem peccati, &c. Quod certè de malitiâ etiam peccati existentis dicere possent eodem titulo. Simile quid, putant aliqui, tradi ab Herice disput. 18. cap. 1. num. 9. Sed ibi haud dubiè non de malitiâ morali, sed de entitate physicâ actionis peccati dicit, quoad esse possibile Dei complacentiam terminare. Ruiz verò disput. 19. de Volunt. etsi fateatur, & multis probet, Deum absolutè, & simpliciter non posse amare peccatum quoad malitiam moralem; aut odisse virtutem quoad moralem honestatem. Addit tamen sect. 5. posse Deum ex suppositione, quòd sit peccatum, velle, vt conueniant illi essentia, & passiones, quas habet. Tametsi hæc volitio non sit simpliciter complacentia, sed ipsissima displicentia peccati. Itaque, inquit, Deo placet, quòd peccatum sit contra rationem; quòd nequeat esse ens, sed entis priuatio; quòd nequeat esse sine fulcro materialis actionis; quòd nequeat esse sine Deo ad talem actionem concurrente; quòd non sit amabile per se; & alia huiusmodi; quæ obiecta sunt complacentiæ diuinæ non absolutè, sed conditionaliter, & ex suppositione. Agit autem Ruiz potissimum de peccato existente. Addit insuper, placere Deo, quòd malitia peccati sit pœna sui ipsius, & alterius peccati.

Communis tamen sententia tenet, Deum 94
nullo modo, nulloque titulo posse velle peccatum, adhuc vt possibile, seu complacere in illo quoad eius malitiam formalem. Quod indubitatum, & certum censet esse Hemelm. tit. 7. disput. 2. cap. 2. Docerique ab omnibus Theologis cum S. Th. 1. p. quæst. 16. art. 9. testatur Martinon disp. 13. à num. 31. Imo esse id dogma fidei Catholicæ, fusè probat Valent. in dictam quæst. 19. punct. 3. assert. 4.

Imprimis supponendum est tanquam certũ 95
secundùm fidem, & rationem, Deum nullatenus peccare posse. Deuter. 32. *Deus fidelis, & absque vllâ iniquitate*, Psal. 144. *Sanctus in omnibus operibus suis.* 1. Ioan. 3. *Peccatum in eo non est.* Ad Rom. 3. *Nunquid iniquus est Deus? absit.* Etenim malitia, iniquitas, dissonantia, & culpa peccati cum bonitate, sanctitate, rectitudine, & felicitate Dei infinitâ cohærere non potest, vt est notissimum.

Deinde est supponendum vt certum etiam 96
secundùm fidem, Deum nullatenus posse esse auctorem, aut causam peccati. Quod definitur in Trid. sess. 9. can. 5. & 6. & constat ex Scripturâ dicente 1. Ioan. 2. *Concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, & superbia vitæ non ex Patre, sed ex Mundo est.* Ieremiæ 2. *Ego te plantaui vineam electam omne semen verum, quomodò conuersa es mihi in prauum, &c.* Et quidem, si Deus aliquo modo posset esse causa peccati, peccare

haud dubiè posset: quia peccare, & causare peccatum in idem recidunt. His positis, sit.

Propositio 1.

97 Deus nullatenus potest velle peccatum, aut complacere in illo quoad malitiam moralem, etiam titulo alicuius boni oriundi ex tali malitiâ, vel ei annexi.

Probatur primò ex Scripturâ Abac.1. *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum; respicere ad iniquitatem non potes*; grato videlicet aspectu, vel complacente animo. Psal.5. *Non Deus volens iniquitatem tu es*. Prou.15. *Abominatio est Domino via impij*. Adde illud Sap.1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum*. Et Ezech.18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij*. Et cap.33. *Nolo mortem impij*. Quod de morte spirituali peccati potissimum est intelligendum secundùm expositionem Fulgentij lib.1. ad Monimum cap.27. circa medium. Faciunt etiam ea omnia Scripturæ loca, in quibus Deus dicitur peccata, & peccatores odio habere, quorum nonnulla indicauimus supra num.78. Ea enim non obscurè denotant, nullatenus Deum amare posse id, quod tantopere detestatur.

98 Ratio autem potissima propositionis est. Quia, si Deus aliquo modo vellet peccatũ quoad malitiam moralem, quantumuis prætextu bonitatis peccato annexæ, peccaret. At Deus peccare non potest vt statuimus num.95. Ergo nec potest vllo prætextu velle peccatum quoad malitiam moralem. Quòd autem peccaret, si vellet, inde profectò apparet: quia peccare nihil est aliud, quàm voluntate amplecti malitiam peccati prætextu bonitatis peccato annexæ; vt patet in nobis, qui tunc peccamus, quando attracti, & illecti à bonitate delectabili operis praui vnà cum tali bonitate malitiam culpæ deuoramus. Deus autem, si vellet malitiam moralem prætextu alicuius bonitatis, non posset non illam amplecti suâ voluntate, & affectu, vt constat. Ergo peccaret. Et quidem ex se satis, superque apparet rationi dissonum, & turpe, in turpitudine peccati quouis prætextu delectari. Confirmatur autem primò. Quia omne peccatum qua tale multis titulis est iniuriosum, & offensiuum Dei. Sed velle quouis titulo iniuriam, & offensum Dei, aut in eâ complacere non potest non esse iniquum. Ergo nec potest non esse iniquum, velle malitiam peccati, aut de eâ quouis titulo complacere. Cõfirmatur secundò. Quia peccatum auersio quædam est à Deo, & transgressio diuinæ legis; est præuaricatio, siue discessio à primâ regulâ totius honestatis; & quid ex aduerso contrarium bonitati diuinæ; & quid ineptum, vt in Deum tanquam in finem referatur. Ergo est tam fœdum, tamque odibile monstrum, vt non possit non esse rationi dissonum, illud quouis prætextu amare, vel in eo complacere. Deus igitur, qui nihil iniquum, aut rationi dissonum potest agere, sub nullo prætextu amare potest malitiam peccati.

99 Secunda ratio. Si Deus vel simplici affectu posset velle quouis colore malitiam moralem peccati, etiam posset efficaci, & consequenter causa peccati posset esse contra catholicum dogma statutum num.96. Quanquam enim multorum amor simplex liceat, quorum efficax amor iniquus est; quando amor simplex præscindit à malitiâ obiecti, quam indirectè saltem non potest non amplecti amor efficax. At, quando tam amor simplex, quàm efficax malitiam obiecti amplectuntur, vt euenit in nostro casu, non potest non vterque pariter aut licitus, aut illicitus esse, vt in Tractatu de peccatis latiùs probandum est, & ex doctrinâ tradendâ infra propos.3. non parum innotescet. Vel ergo licitum est Deo, velle efficaciter malitiam peccati propter bonum aliquod ei annexum contra dogma catholicum. Vel non est ei licitum, velle illam simplici affectu propter idem motiuum. 100

Hæc tam de peccato purè possibili, quàm de existente, aut futuro, probant, nullatenus posse amari à Deo, aut ei placere aliquo modo quoad malitiam moralem. Quia complacere de tali malitiâ, etiam sub ratione boni ei annexi, æquè inhonestum est, & dissonum, siue ea in statu existentiæ, siue in statu possibilitatis spectetur. Vnde propositio nostra tam de peccato possibili, quàm de existente venit intelligenda. Ad quam probandam alijs rationibus non vtor, quas congerunt Ruiz, & Hemel. supra: quia vel reuocantur tandem ad dictas, vel parum efficaciæ habere videntur.

Modò, quæ ex aduerso militant, diluenda 101 sunt. Obijcitur primò. Nemini displicet id, quod necessarium est ad existentiam eius, quod summè placet. Sed malitia peccati possibilis est necessaria ad existentiam aliquorum attributorum diuinorum, quæ Deo summè placent. Ergo malitia peccati possibilis non potest Deo displicere: & consequenter nec potest non placere. Quia voluntas Dei non potest suspensa manere ira, vt neque complaceat, neque displiceat in obiecto proposito. Maior syllogismi facti videtur nota; & consequentia legitima. Minor autem probatur. Quia, si malitia peccati non esset possibilis, nec Deus cognosceret illam vt talem; nec posset illam permittere, condonare, aut punire, nec posset causare, aut velle contritionem, vel aliud quidpiam naturâ suâ connexum cum malitiâ peccati. Quæ omnia attributa sunt Dei ab eo summè amata. Multa supponuntur falsa in hoc argumento. Respondeo primò ex doctrinâ, quam supra tetigi num.65. etsi aliqua attributa diuina quoad entitatem (qua solum ratione amantur à Deo necessariò iuxta dicta supra quæst.2.) essent connexa cum peccato possibili; quod tamen falsum est iuxta doctrinam statutam tom.1. disput.4. quæst.2. posse ea nihilominus amari à Deo, vti amantur, simplici affectu nullatenus amato peccato, sed potius odio habito. Quia amor simplex vnius obiecti non cogit ad amandum alterum, cum quo illud connectitur: nec vetat eius displicentiam, aut odium. Ego enim citra omne dubium reflexè possum complacere in contritione, quam elicio de peccato præterito. Quod tamen nullo modo amo, sed ipsâ contritione detestor. Respondeò secundò, etiam efficaciter posse Deum amare, quidquid cum malitiâ peccati connexum est, nullatenus ipsa malitia amata, sed potiùs odio habitâ. Quia affectus efficax vnius obiecti tunc solùm necessitat ad volendum aliud, quando hoc aliunde non præuidetur fore. Deus autem multis modis potest præuidere peccatum seu possibile, seu futurum, vt possit efficaciter velle, nullatenus amato peccato, sed potiùs odio habito, id, quod cum peccato ipso connexum est. Quemadmodum ego per imperium reflexum efficaciter possum amare

amare contritionem connexam cum peccato præterito,nullatenus amando peccatũ,sed illud potius detestando per contritionem ipsam. Et quidem, quando amor efficax vnius obiecti ad alterum amandum necessitat, non ad amorem huius simplicem; qualem solum circa peccatum possibile possunt Aduersarij in Deo prætendere; sed ad efficacem necessitat, qualem Deum non posse habere de peccato, sanctum secundùm fidem est. Adde, si quid probaret argumentum, fore, vt Deus amando suam scientiam, contritionem, & alia connexa cum peccato existente, non posset illud odio prosequi. Quod est ingens absurdum. Cùm sit de fide,Deum de facto odio habere peccata existentia, vt vidimus supra num.78. Adde insuper; etsi Deus amando aliquid cum peccato connexum de peccato displicere non posset; inde non sequi,debere eum complacere in peccato.Quia non est, cur Deus necessitatus existat ad displicendum, vel complacendum in obiecto proposito, vt ex dicendis disp.35. quæst.2. notum fiet.

102 Secundò obijcitur. Dum Deus vult permittere peccatum, consequenter vult, vt homo ad peccandum existat proximè liber, ipsamque subinde proximam hominis libertatem ad peccandum amat: quis id neget? Sed possibilitas peccati nequit non intrinsecè inuolui in proximà libertate ad peccandum iuxta doctrinam à nobis stabilitam supra disput.30. quæst.5. propos. 5. & 10. Ergo Deus dum vult, vt homo ad peccandum liber existat, nequit non velle, seu amare possibilitatem peccati. Hemel. tit.7. disput.2. cap.6. à num.6. & Ruiz disput.16. de Voluntat. sect.7. num.8. dicunt,libertatem proximam hominis ad peccandum quatenus talem à Deo non esse, atque ita neque ab ipso esse amabilem. Quod valde difficile videtur. Sed non hæreo in hoc. De quo alias. Respondeo ergo, ad huiusmodi libertatem proximam non directè, sed ex connotato solùm spectare possibilitatem peccati tanquam vnum ex fundamentis semiextrinsecæ denominationis, qua voluntas creata denominatur proximè potens ad peccandum. Quod autem ex connotato inuoluitur in aliqua denominatione, amatà denominatione amari non debet, vt constat ex doctrinà traditâ supra disput.32. q.5. Vnde Deus optimè potest amare libertatem hominis proximam ad peccandum, nullatenus amato peccato possibili.

103 Tertiò obijcitur. Peccatum purè possibile neque odio, neque pœnâ est dignum: si enim esset; subiectum, cui est illud possibile, esset quoque dignum odio, & pœnâ. Ob id namque peccatum existens subiectum, in quo est, facit dignum odio, & pœnâ; quia ipsum est odio, & pœnâ dignum. Vnde iustus ob peccata mortalia ei possibilia pœnâ æternâ, & odio Dei esset dignus; non obstante statu iustitiæ. Quod est absurdum. Igitur Deus benè potest amare peccatum purè possibile. Quia, quod neque pœnâ est dignum, neque odio, non est cur non possit amari à Deo. Respondeo, peccatum purè possibile, sicut non est actu peccatum, sed tantùm possibiliter, ita non esse actu pœnâ dignum, sed tantùm possibiliter: quia dignitas pœnæ naturam peccati consequitur pro solo statu, in quo illud est. Vnde iustus propter peccata sibi possibilia actualiter pœnâ dignus dici non potest. Cæterùm, quia voluntas siue diuina, siue creata actualiter potest versari circa obiecta purè possibilia medio amore, vel odio, vt ex superiùs dictis est notum; eatenus peccatum purè possibile actu dici poterit odio dignum,quatenus actuale odium sui terminare valet, idque iure, & consentaneè ad suam naturam. Hinc tamen non efficitur,iustum odio dignum dici posse absolutè ob sola peccata ei possibilia. Quia modus iste loquendi denotat,iustum prout actu existentem propter peccata, quæ non habet, meritò posse odio haberi. Quod falsum est.

Quartò arguitur. Peccatũ purè possibile,qua 104
possibile quid necessariũ est,à nullo enim arbitrio libero dependet, quòd peccatum sit, aut non sit possibile. Ergo peccatum purè possibile qua possibile non est quid liberum: & consequenter neque malum moraliter esse potest: quia malitia moralis ne. poteſt sine libertate consistere vt notum est. Egregia æquiuocatio. Aliud est, necessarium esse,quod sit possibile peccatum; idest, quod illud ex suo conceptu non repugnet. Aliud, peccatum possibile necessarium esse; idest, productum, aut producibile à causâ sine indifferẽtiâ, atque adeò necessariò operante. Hoc secundum est falsum. Illud primum nihil officit libertati peccati, atque adeò neque moralitati malitiæ eius.

Quintò arguitur. Deus præcipiens actum 105
honestum, illum vult formaliter vt liberum. Ergo & vult omissionem talis actus possibilem,quæ peccatum est: quia actus per possibilitatem suæ omissionis constituitur liber. Hoc argumentum in secundum num.102. solutum recidit. Admisso antecedente: nego consequentiam. Quia, vt ibi dicebam in simili, possibilitas omissionis ad libertatem actus solum ex connotato pertinet; atque adeò non opus est, quòd illa ametur, ad talem libertatem amandam, siue ad amandum actum ipsum,vt liberum.

Sextò arguì potest. Malitia moralis pecca- 106
ti sub aliquâ ratione est bona, nempe quatenus vtilis,aut etiam necessaria ad multa bona, quæ ex illâ capi possunt. Multa quippe bona deessent in Mundo, si peccata in Mundo non essent: nempe deessent omnia opera pœnitentiæ, patientiæ, humilitatis, & charitatis hominum fundata in peccatis; deessent omnia opera misericordiæ Dei ipsa peccata supponentia; deesset Incarnatio Verbi diuini secundùm plures, aut saltem eius mors, & passio secundùm omnes; deessent omnia opera iustitiæ punitiuæ Dei, &c. Quo eximiũ huius Vniuersi deesset ornamentum. Vnde August. & alij Patres, & Theologi vnanimiter sentiunt, perfectiorem esse Mundum, prout iacet, quàm, si Deus nulla in illo peccata permisisset. Id quod latè probat August. in Enchirid.cap.10. & 11. & sæpe alibi. Atque propterea cap. 96. *Quamuis ea, quæ mala sunt, in quantum mala sunt, non sint bona: tamen, vt non solùm sint bona, sed etiam sint mala, bonum est.* Igitur malitia moralis peccati non solùm possibilis, sed etiam existens amabilis est. Quia, quidquid est bonum, qua ratione est bonum, non potest non amabile esse. Igitur Deus benè poterit amare malitiam peccati etiam existentem sub eâ ratione, qua bona est, siue vtilis ad alia bona,. Concessis cæteris; nego hanc vltimam consequentiam. Quia, licèt malitia peccati modis prædictis bona sit; eximièque ad bonitatem, & pulchritudinem Vniuersi conducat, non per se, sed medijs bonis, ad quæ necessaria est, aut vtilis: proindeque vt sic non possit non esse physicè amabilis. At, quia non honestè, sed turpiter amabilis est, vt constat

stat ex probatione propositionis nostræ ; idcirco à Deo amari non potest : quia Deus non potest aliquid amare inhonestè . Et quidem hoc argumentum , si quid probaret , probaret vtique , malitiam peccati non solùm simplici , sed etiam efficaci affectu amari posse à Deo ; & consequenter ab eo etiam causari posse . Quod tamen est hæreticum . Aliter ad argumentum factum respondet Ruiz disput.26. de Volunt. sect.3. Sed mihi non placet .

107 Septimò potest obijci. Deus positiuè vult permissionem peccati,vt docet expressè August. in Enchirid. cap.100. & comuniter Scholastici cum Magist. in 1. dist.47. & S.Th.1.p. quæst.19. art.9. Ergo Deus non potest non velle peccatum. Probatur consequentia . Primò ; quia permissio peccati vt talis sine peccato esse non potest : vel quia est entitatiuè connexa cum illo , vt aliqui Themistæ censent : vel quia intrinsecè per futuritionem conditionatam peccati completur, vti nos arbitramur : apud quos proinde plùs vrget illatio argumenti,vt apparet . Secundò ; quia, qui vult causam, ex qua præuidet futurum effectum, indirectè saltem censetur velle ipsum effectum . Ergo volens Deus permissionem , ex qua,præuidet , fore peccatum , indirectè saltem censendus est velle peccatum . Respondeo , nullatenus teneri Deum velle peccatum ex eo , quòd vult efficaciter permissionem peccati . Et primùm ; non quia permissio nequit esse sine peccato : constat enim ex doctrinâ tradita supra num.101. posse Deum amare etiam efficaciter obiectum connexum cum altero , nullatenus altero amato. Deinde ; non quia permissio peccati formaliter vt talis inuoluit in se futuritionem conditionatam peccati . Tum quia,vt Deus simpliciter , & absolutè dicatur velle permittere peccatum , sat est , quòd velit materiale permissionis præcisè præuidens,sequuturum esse ex illo peccatum : quo pacto longè aberit , vt velit peccatum. Tum quia, licèt velit permissionem peccati formaliter , vt permissio est , dicens in suo conceptu , de connotato tamen, peccatum ipsum vt conditionatè futurum ; non tenetur , propterea velle ipsum peccatum ; sed tantùm connotare suo actu : quia , quod ex connotato solùm inuoluitur in aliqua denominatione , amatâ denominatione , seu denominationis subiecto formaliter vt denominato , amari non debet , sed connotari dumtaxat iuxta doctrinam generalem tactam supra num.102. & traditam disp.32.quæst.5. Iam quòd ne indirectè quidem amet Deus peccatum amans id , vnde sequuturum videt , exinde patet : quia amans efficaciter causam , tunc solùm censetur amare indirectè effectum , quando hic ex causâ sequitur necessariò ; aut ; si liberè , quando apponens causam tenebatur effectum impedire . Peccatum autem ita ex permissione sequitur liberè, vt Deus ad illud impediendum nullo iure obligatus sit . Quo fit , vt ne indirectè quidem censeri possit illud amare,dū permittit. De quo plura suo loco.

108 Octauò obijci potest . Deus ante præuisum absolutè peccatum prædefinit efficaciter pœnitentiam , humilitatem , & alias virtutes connexas cum peccato . Ergo tenetur velle etiam efficaciter peccatum . Quia volens efficaciter finem necessitatus manet ad id volendum , sine quo finis obtineri non potest . Dato antecedente, quod sub lite est ; nego consequentiam . Quia intentio efficax finis solùm necessitat ad ponendum id, ex quo ab intendente præuidentur sequutura cætera, sine quibus finis esse non potest , vndecunque ea sint sequutura, nisi id ipsum aliunde etiam,quàm ab intentione finis , positum præuideatur . Vnde Deus prædefiniens virtutem connexam cum peccato , vt summùm tenetur velle ponere permissionem, qua positâ , à voluntate creatâ,prænidet, sequuturum peccatum . De quo plura in Tractatu de Prouid. 109

Nonò potest opponi . Sæpe sæpius vnum peccatum est pœna alterius , vt multi Patres, & Scholastici docent,& ex Scripturâ colligitur . Ergo Deus vult , vt vnum peccatum sit pœna alterius . Quod fieri nequit , nisi velit aliquo modo malitiam peccati. Ruiz vbi supra concedit,Deum velle , & vnum peccatum sit pœna alterius, ipsique placere , quòd malitia peccati sit pœna sui ipsius , & alterius peccati . Ego verò id non concedam . Quare respondeo , vnum peccatum quoad malitiam neutiquam posse esse per se, & immediatè pœnam alterius inflictam, aut volitam à Deo ; sed tantùm quoad permissionem, & quoad effectus , ac molestias , quas secum fert, vt benè cū S.Th.1.2.q.87.art.2.docent Vazq.disp. 140. cap.3. & alij. De quo plura ad eum locum.

Decimò denique potest obijci . Peccatum 110 non solùm in se malitiâ absolutâ , & peccatori, atque etiam alijs malitiâ relatâ , sed sibi ipsi malum est . Ergo quoad omnes has malitias est odibile à Deo. Sed Deus nequit quoad tertiam odio habere peccatum , nisi vel nolendo peccato suam malitiam ex complacentiâ ipsius , vel nolendo peccato suam malitiam ex ipsius displicentiâ : alius enim modus tangendi malitiam relatam vt talem non est possibilis , vt constat ex dictis disput.32. quæst.1. Ergo Deus , dum odit peccatum quoad prædictam tertiam malitiam, non potest non pariter ferri in ipsam malitiam per modum prosequutionis , & complacentiæ. Ruiz responderet , concedendo , Deum benè posse velle peccato totam suam malitiam ex displicentiâ ipsius ; sicut in eius sententiâ potest velle illi omnes suas passiones; hoc tamen non esse simpliciter amare, sed potiùs odio habere peccatum. Ego verò ne ejtis quidem modis , censeo, posse Deum ferri in malitiam peccati per modum prosequutionis , & complacentiæ . Non priori. Quia nolle peccato suam malitiam ex complacentiâ eius propriſſimè esset amare peccatum ; quod Deo repugnat . Sicut nolle Petro aliquod malum ex complacentiâ Petri , propriſſimè est amare Petrum . Non posteriori ; quem Ruiz admittit. Quia , si Deus posset peccato vt subiecto sibi displicenti velle peccati malitiam , & alias passiones ipsi malas,cuilibet alteri subiecto sibi displicenti , quibus hæc eadem essent mala , posset ea velle : atque ita peccatorem posset odio habere , volendo ei , etiam efficaciter alia peccata. Quod est absurdum . Vnde concludo , malitiam peccati,præcisè qua mala est ipsi relatiuè, à Deo neque esse amabilem , neque odibilem ; etsi sit à creaturâ ; cui non repugnat per modum prosequutionis ferri in peccatum , aut in malitiam eius , Quòd si quis malitiam peccati ipsi peccato bonam concipiat;(qualem non esse reuerâ arbitror ego : quia quod est malum per essentiam neque ipsi est bonum esse , & exiſtere , sed potius non esse) ; vt sic ejusmodi malitia odibilis erit à Deo quatenus Deus ex displicentiâ peccati poterit nolle ei tale bonum . Ex quibus patet contra Ruiz , neque peccati passiones posse Deum velle ipsi peccato , etiam ex displicentiâ eius,

quando

quando illæ sunt malæ moraliter, aut aliquid moralis malitiæ.

Propositio 2.

111 Deus ne materialem quidem actū peccati velle potest prout est à creaturà, qua solùm ratione fundat malitiam: benè tamen prout est à se concurrente cum creaturà.

Ratio prioris partis est. Quia, si Deus suà voluntate amplectaretur physicam illam, seu materialem prauitatem, & dissonantiam, quàm habet actus peccati, prout est à creaturà, non posset non peccare. Quandoquidem non ob aliud peccat creatura, nisi quia suà voluntate eamdem physicam dissonantiam amplectitur liberè. Mitto alias huius partis confirmationes. De quibus alibi. Vbi agitur de prædefinitione actus materialis peccati. Posterioris autem partis ratio est. Quia actus peccati prout à Deo ne physicè quidem, seu materialiter est prauus, seu dissonus, sed prorsus honestus, & consonus, vt ibidem latiùs exponitur.

Propositio 3.

112 Non video repugnantiam in eo, quòd Deus actum honestum quoad honestatem odio habeat titulo alicuius malitiæ tali honestati annexæ.

Est contra Ruiz supra sect. 1. num. 21. Vbi asserit, Deum nullatenus odisse posse bonum honestum: quia eiusdem rationis est, amare malum, & odisse bonum oppositum; nec minùs turpe est, odisse bonum honestum, quàm velle malum turpe. Ego verò censeo, tunc solùm esse eiusdem rationis, quod ad rem attinet, amare malum, & odisse bonum oppositum, quando malum, & bonum contradictoriè opposita sunt: non verò itidem, quando aliter opponuntur. Bonum autem honestum, & malum turpe non opponuntur contradictoriè, vt constat. Atque adeò non pariter in præsenti de amore, & odio eorum videtur mihi philosophandum.

113 Cuius rei explicandæ gratiâ noto, amorem quemlibet suapte naturâ, & essentiâ tendere ad dandam, vel conseruandam, vel saltem approbandam, & quasi ratam habendam existentiam obiecti amati. Cùm tamen odium quoduis naturâ suâ veluti conetur oppositum; nempe, destruere, vel impedire, aut saltem reprobare existentiam obiecti odio habiti. Odium quippe, & amor voluntatis quadantenus assimilantur assensui, & dissensui intellectus, siue affirmationi, & negationi; quarum priori quasi adstruitur, posteriori quasi destruitur obiectum. Hinc fit, vt, cui non est licitum, dare existentiam alicui obiecto præcisè propter ipsum, nec licitum, sit illud amare. Dico præcisè propter ipsum. Quia sæpe non licet, dare existentiam obiecto non propter ipsum, sed propter aliud ex eo sequuturum, vel ei annexum. Quo casu non est illicitum, tale obiectum ab alio præcisum amare aliquo affectu simplici. Ecce cur neque Deo, neque creaturis est licitus vel simplex amor de malitiâ peccati: quia neque Deo, neque creaturis fas est causare malitiam peccati. E contra verò ex eodem fundamento fit, vt, cui non est licita destructio, aut impeditio alicuius obiecti præcisè propter ipsum, nec odium adhuc simplex talis obiecti sit ei licitum. Sic censeo, neque Deo, neque creaturis licitum esse odium de carentiâ, seu non existentiâ malitiæ peccati: quia neque Deo, neque creaturis est licitum auferre, vel impedire talem carentiam per positionem, aut conseruati nem ipsius malitiæ. Ex quo patet id, quod dicebam, eiusdem rationis esse, quod ad præsens attinet, amare malum, & odisse bonum contradictoriè oppositum tali malo.

Cæterùm; quia destruere, vel impedire bonum honestum per positionem, aut conseruationem carentiæ eius illicitum non est, quando 114
illud non est obligatorium, vt sæpe contingit; quemadmodùm est semper illicitum, causare, vel conseruare malum turpe, sublatâ, vel impeditâ eius carentiâ. Ideo nulla cernitur ratio, cur bonum honestum non obligatorium non possit licitè odio haberi, & carentia eius amari, etsi malum turpe licitè non possit amari, neque carentia eius odio haberi. Tota enim ratio, cur amor mali turpis, & odium carentiæ eius non licèt, est: quia neque tale malum adstruere, neque eius carentiam destruere licet; & amor ad adstruendum, odium verò ad destruendum tendit suapte naturâ, vt præmisimus. At hæc ratio in bono honesto non obligatorio, & eius carentiâ non adest: quia & tale bonum destruere, & eius carentiam adstruere, licitum est, vt adnotauimus. Cùm igitur, si odium boni honesti non est illicitum, aliunde nequeat illud Deo repugnare; vt ex superiùs dictis satis est notum: conficitur, nullam cerni repugnantiam in eo, quòd Deus bonum honestum quoad honestatem odio habeat titulo alicuius malitiæ tali honestati annexæ, vt dicimus in propositione. Quemadmodùm cætera bona physica titulo alicuius malitiæ ipsis annexæ odisse potest, vt supra ex sententiâ omnium statutum est.

QVAESTIO VIII.

Qua ratione se gerat voluntas Dei. Aut se gerere possit circa non entia.

Pro resolutione sunt supponenda, quæ in simili suppositimus supra agentes de scientiâ Dei disp. 25. q. 5. ex latiùs traditis ex professo in Pharo Scient. Primò; non ens bifariam sumi; pro negatione scilicet, siue carentiâ entis; & pro chymærâ impossibili: & de vtroque esse agendum. Secundò; chymæram impossibilem esse, quæ ex suo conceptu obiectiuo annexam fert secum contradictionem, ità, vt, si existeret, duo contradictoria simul existerent; sicut ens possibile est, quod ex suo conceptu ab omni contradictione est immune. Tertiò; chymærarum impossibilium alias conceptibiles esse per proprias species; alias dumtaxat per alienas: & priores quidem veram quiditatem habere intra statum quiditatiuum; posterioris verò non item: tum priorum veras negationes à parte rei dari; secus posteriorum. Quocirca de prioribus tantùm venire agendum impræsentiarùm. Quartò; negationes entium tum impossibilium, tum possibilium nullam habere quidi- 115

quiditatem positiuè conceptibilem à cognoscentibus per species proprias; ab eisque proinde veritates negatiuas non aliter iudicabiles esse, quàm per iudicia negatiua tendentia permodum recessus, siue remotionis in entia negata: cùm tamen à nobis cognoscentibus per species alienas, sicque concipientibus negationes ad instar entium, iudicabiles illæ sint tum per iudicia negatiua, tum per affirmatiua æquiualentia; vt idem æquiualenter sit dicere, *Petrus non existit*, atque, *Negatio Petri existit*: sicut etiam è conuerso æquiualenter idem est, *Negatio Petri non existit*, atque, *Petrus existit*.

116 Vnde necessariò consequitur, licèt apud nos negationes formaliter sint amabiles, & odibiles per actus tendentes in ipsas amoris, & odij; apud cognoscentes tamen per species alienas æquiualenter tantùm esse eas amabiles, & odibiles per actus odij, & amoris tendentes in entia negata. Itaque apud illos aliud non est, amare negationem, quàm, odisse ens negatum; & aliud non est, odisse negationem, quàm, amare ens negatum: sicut aliud non est, affirmare negationem, quàm negare ens negatum: & aliud non est, negare negationem, quàm affirmare ens negatum. Cùm tamen nos speciali actu amoris diuerso ab odio entis negati soleamus amare negationem, specialique actu odij diuerso ab amore entis negati soleamus negationem odisse. Sicut etiam speciali actu affirmationis, aut negationis negationem ipsam solemus affirmare, aut negare. Cui consuetudini assuefacti, etiam cùm de Deo loquimur, actus istos positiuos aut intellectus, aut vuluntatis solemus circa negationes ipsi attribuere; quod & nos fortasse non semel in hoc Opere facimus: semper tamen, quod dicimus, per quamdam solùm æquiualentiam, intelligendum est, esse verum, iuxta doctrinam hìc suppositam, & sæpe aliàs à nobis traditam.

117 His suppositis, circa præsentem quæstionem Salas 1. 2. tract. 6. disput. 1. sect. 5. ante quæstiunc. 7. Card. de Lugo tom. de Pœnit. disput. 7. sect. 9. num. 150. & Ripalda in manuscript. de Volunt. censent, Deum benè posse velle impossibile sub conditione, quòd esset possibile, affectu conditionato, quantum de se est efficaci. Id quod de Angelis, in quibus, inquit Lugo, videtur esse eadem ratio, concedit vt certum Soar. lib. 7. de Angelis cap. 12. num. 20. Vazq. verò 1. 2. disput. 42. cap. 5. num. 23. Montesin, disput. 17. quæst. 4. num. 96. & 100. Gaspar Hurt. disput. 4. de Actib. human. disp. 11. & Hemelm. tit. 7. dispur. 2. cap. 3. num. 13. & cap. 6. num. 22. & disput. 5. cap. 2. num. 1. docent, Deum benè posse amare simplici affectu impossibile per accidens; (quale appellant id, quod ex suppositione possibili impossibile est, vt, Petrum non peccasse ex suppositione, quòd peccauit); secus verò impossibile per se, (quod absolutè, & simpliciter est impossibile, vt chymæra), adhuc sub conditione, quòd illud possibile esset. Docti tamen Recentiores affirmant, etiam impossibilia perse posse à Deo amari affectu simplici, quatenus illa adhuc vt talia bona esse possunt entibus possibilibus: homini enim, inquiunt, bonum est, quòd illi sit impossibilis infinita tristitia; quòd sit impossibilis in Dæmone potentia ad eum annihilandum, &c. Iam verò circa alterum genus non entium, scilicet circa negationes vix quidpiam tactum ad propositum reperitur apud Auctores.

Propositio. 1.

Chymæræ impossibiles simplici affectu possunt amari a Deo. Secus affectu conditionato sub conditione, quòd essent possibiles. 118

Prior pars propontionis constat ex doctrinâ tradita tom. 1. disput. 15. quæst. 9. propos. 4. Vbi ostendimus, chymæras impossibiles bonitatem transcendentalem habere intra suum statum quiditatiuum tum absolutum, qua in se sunt bonæ, tum respectiuam, qua bonæ sunt sibi; tum bonitatem respectiuam ad alia entia, quibus earum impossibilitas bona est. Penes quas proinde bonitates benè possunt amari à Deo simplici affectu. Qualiter ab ipso omne bonum amabile est.

Quòd si chymæræ, quæ impossibilia per se dicuntur, complacentiam simplicem Dei terminare valent, potiore iure illam terminare valebunt impossibilia illa ex suppositione, quæ impossibilia per accidens appellantur, vt satis ex se est notum. 119

Posterior autem propositionis pars constat ex vniuersali doctrinâ traditâ in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 4. num. 229. & disput. 11. quæst. 2. num. 85. vbi ostendimus, à cognoscentibus per species proprias nullatenus concipi posse aut identitatem fictam extremorum reuerâ distinctorum; aut distinctionem fictam extremorum, quæ reuerâ sunt idem: atque ita obiecta seu absoluta, seu conditionata talem identitatem, aut distinctionem inuoluentia dumtaxat posse esse obiecta cognoscentium per species alienas. Cùm ergo obiectum illud, *Si chymæra esset possibilis, existeret*, identitatem fictam chymæræ cum possibilitate, seu cum potentiâ ad existendum inuoluat, nullatenus illud esse potest obiectum intellectus diuini; & consequenter neque diuinæ voluntatis. Nequit igitur Deus velle chymæram affectu conditionato sub conditione, quòd ea esset possibilis. 120

Propositio. 2.

Chymæræ impossibiles, qua ratione malæ esse possunt aut absolutè, aut respectiuè, eàdem terminare possunt odium, seu displecentiam Dei. 121

Posse eas malas esse intra suum statum quiditatiuum tum absolutè in se, tum respectiuè aliis entibus, constat ex generali doctrinâ tradita disputat. 15. citatâ ex tom. 1. quæst. 10. & 11. Quo posito, Propositio est certa. Quia omne malum qua tale sub odium, seu displicentiam Dei cadere posse, certum est.

Sed dubitari potest, vtrùm Deus affectu absoluto efficaciter possit nolle, vt chymæræ impossibiles existant. Censeo, non posse. Quia voluntas diuina non potest conari efficaciter, vt fit, vel non fit id, quod aliàs independenter ab illâ necessariò est, vel non est: esset enim talis conatus frustraneus, & impertinens. Cùm ergo chymæræ impossibiles aliàs de suo sint necessariò non existentes, nequit voluntas diuina per efficacem nolitionem earum conari, vt non existant. Dequo iterum redibit sermo in simili disput. 34. q. 3. 122

Pro-

Propositio. 3.

123 Affectus seu prosequutionis, seu fugæ, hoc est, seu amoris, seu odij, quos Deus habere potest circa chymæras impossibiles, non necessarij sunt, sed liberi.

Hæc propositio eodem modo probanda venit, ac sunt probatæ proposit. 1. quæst. 5. & proposit. 4. quæst. 6. Recognoscantur ergo dicta ibi; & huc applicentur.

124 Ex hac autem propositione infertur, Deum de facto circa chymæras impossibiles eos actus tum prosequutionis, tum fugæ habere, quos habere, sibi honestissimum, atque decentissimum est iuxta dicta in simili quæst. 4. propos. 2. & quæst. 6. propos. 5.

Propositio. 4.

125 Voluntas Dei per nullum actum positiuum tendere potest in vllam entis negationem. Actus verò prosequutionis, quibus tendit in quoduis ens, æquiualenter sunt actus fugæ oppositi de negatione eius. Et actus fugæ, quibus tendit in quoduis ens, pariter sunt æquiualenter actus prosequutionis oppositi de negatione eius.

Tota hæc propositio constat ex doctrinâ præmissâ num. 116. Neque aliâ eget probatione. Quotnam autem sint actus tum prosequutionis tum fugæ, quibus voluntas Dei tendere potest in quoduis ens. Et quinam vtrorumque oppositi sint inter se, disput. 34. exponendum est.

DISPVTATIO 34.

De varietate, & passionibus actuum diuinæ voluntatis.

IN hac disputatione imprimis actus diuinæ voluntati possibiles enumerabimus; & speciatim percurremus. Deinde autem de eorum passionibus, siue affectionibus vel metaphysicis, vel physicis non nulla sub finem adijciemus.

QVAESTIO I.

Vtrùm in Deo plures volitiones aliquâ ratione distinctæ concedendæ sint.

1 NOn dari in Deo plures volitiones distinctas realiter formaliter, certum secundùm fidem est iuxta dicta supra disput. 31. quæst. 1. propos. 2. Quòd autem neque dentur plures distinctæ formaliter ex naturâ rei, ex dictis contra Scotistas tum in Pharo Scient. disput. 13. quæst. 5. tum in tom. 1. huius Operis disput. 2. & 11. compertum est. Quæstio igitur solum est de distinctione virtuali, & de distinctione rationis.

Ruiz tom. de Volunt. disput. 5. sec. 6. & Alarc. tract. 3. disput. 1. cap. 3. ne distinctionem quidem rationis cum fundamento in re admittunt inter diuinas volitiones, dicentes, Deum per vnicam simplicissimam formalitatem velle omnia, quæ vult; cuius obiectum formale est diuina bonitas; materialia autem cætera cuncta: ad quæ tamen pro eorum diuersitate diuersis quibusdam extensionibus, seu terminationibus extrinsecis terminatur. Plerique verò Theologorum oppositum videntur supponere; dum Deo diuersa decreta, diuersasque virtutes morales passim attribuunt. Quod, saltem iuxta sententiam non Connotantium, de diuersitate extrinsecâ connotatorum nequit intelligi: quare de diuersitate formalitatum, saltem ratione distinctarum, venit intelligendum. Addunt tamen non nulli, præsertim Recentiores, non solùm per rationem nostram, sed etiam realiter virtualiter distingui plures volitiones in Deo. Quibus ego subscribens pariter de actibus diuinæ voluntatis philosophabor, ac de actibus diuini intellectus philosophatus sum supra. disput. 23. quæst. 4. Quò in multis subinde me remittam, ne actum agam.

Propositio. 1.

2 In Deo plures volitiones reperiuntur per rationem nostram distinctæ, etiam cum fundamento in re.

Quoniam ad distinguendas ratione nostrâ plures formalitates in eadem re indiuisibili sufficiens fundamentum est, eam ad plura connotata referri, relatèque ad illa non indiuisim, sed diuisiuè accepta concipi à nobis. Constat autem, volitionem realem Dei ad ea omnia obiecta tanquam ad connotata referri, quorum volitio est; & respectiuè ad illa diuisim sumpta concipi à nobis: quandoquidem Deum modò volentem vnum obiectum, modò volentem aliud concipimus cum veritate. Imo reipsâ vult modò obiecta, quæ potuit non velle, & non vult, quæ potuit velle. Quod distinctionem plùs quàm rationis arguit inter diuinas volitiones iuxta mox dicenda. Neque enim distinctio sola connotatorum sufficit, vt ex doctrinâ stabilitâ disput. 31. quæst. 4. notum est. Vbi autem aliquod genus distinctionis quantumuis impropriæ reipsâ datur; quid vetat, dari distinctionem rationis? Aut cur ea sine fundamento in re dicetur confingi? Adde, ad distinguendas cum fundamento plures formalitates in eâdem re, etiam relatè ad vnum, & idem connotatum, sat esse, quòd ea diuersis modis ex suo conceptu tendat in illud. Sic enim secundùm omnes distinguimus in Deo scientiam ab amore eiusdem obiecti. Quid ni igitur in ipso amore plures distinguemus actus penes diuersos modos tendendi in obiectum, absolutè, conditionatè, inefficaciter, efficaciter, per modum desiderij, per modum gaudij, &c?

3 Iam verò, quòd obiectum formale (penes cu-

cuius solùm multiplicationem, censent Aduersarij, posse multiplicari actus etiam ratione nostra) non sit sola diuina bonitas respectu volitionis diuinæ, sed etiam bonitates creatæ, disput. 32. quæst. 2. probatum est. Quod autem, estò vnicum esset formale obiectum diuinæ volitionis, possent tamen, & deberent nihilominùs per nostram rationem multiplicari formalitates eius penes diuersa obiecta materialia, & penes diuersos modos tendendi in illa, aut etiam in formale: tum ex dictis planè colligitur, tum planiùs adhuc apparebit recolenti ea, quæ loco citato de Scientia in simili paulo fusiùs scripsimus.

Propositio 2.

4 **Non solùm per rationem nostram, sed etiam realiter virtualiter distingui debent plures actus in voluntate Dei.**

Hæc propositio nititur in doctrinà traditâ disput. 31. quæst. 4. circa diuinam libertatem. Qua suppositâ, probatur efficaciter. Nam, si Deus, vt potuit, non decreuisset existentiam Petri, retento decreto de existentiâ Ioannis, virtualiter deficeret à Deo volitio efficax de existentiâ Petri, non deficiente virtualiter volitione de existentiâ Ioannis. Ergo istæ duæ volitiones virtualiter distinguuntur. Alioquin de eodem omnino subiecto prædicari possent simul, & verè duo contradictoria; qualia sunt deficere, & non deficere virtualiter. Quod est impossibile. Recognoscatur hæc eadem doctrina latiùs explicata vbi supra circa diuinam scientiam.

5 Ex qua sequitur primò; quot sunt obiecta volibilia independentia inter se se siue mutuò, siue nõ mutuò quoad sui volitionẽ, tot esse actus voluntatis in Deo distinctos inter se virtualiter. Si enim possibile est, vt Deus velit quouis genere volitionis obiectum A; quin velit obiectum B; consequens est, vt volitio obiecti B virtualiter possit deficere; quin virtualiter deficiat volitiò obiecti A. Quod sine virtuali distinctione vnius volitionis ab alterâ non posset fieri iuxta dicta. Vnde rursus efficitur, non solùm circa singula obiecta prædicto modo volibilia habere Deum volitiones distinctas virtualiter; sed etiam circa singula aggregata obiectorum, quæ sine alijs sunt volibilia, omni possibili combinatione factâ. Neque enim solum vnumquodque obiectum seorsim, sed quoduis obiectorum aggregatum potest indiuisim attingi à Deo vnica volitione; vti & à nobis potest attingi, vt notum est.

6 Secundò sequitur; quot modis diuersis potest Deus idem obiectum tangere saltem volitionibus inter se quoad denominationem pro arbitrio Dei seperabilibus siue mutuò, siue non mutuò; tot esse in ipso volitiones circa vnum quodque obiectum destinctas virtualiter. Nequeunt enim virtualiter non distingui quoad entitatem vulitiones, quæ formaliter quoad denominationem sunt seperabiles, iuxta doctrinam, quam insequimur, vt est notissimum. Hinc infinita prouenit seges diuinarum volitionum distinctarum inter se virtualiter circa quoduis omnino obiectum siue actuale, siue possibile.

7 Imprimis enim quælibet res præter bonitatem absolutam tum essentialem, tum accidentalem, quam habet, infinitas habet bonitates relatas tum ad omnes fines, ad quos est vtilis, tum ad omnia subiecta quibus, est consentanea, aut commoda quoquo modo. Quæ omnes bonitates per actus virtualiter distinctos sunt à Deo amabiles: quia quælibet amari potest, reliquis non amatis. Deinde quælibet huiusmodi bonitatum per desiderium, aut complacentiam, vel amorem strictum attingi potest; idque vel inefficaciter, vel efficaciter; tum vel absolutè, vel conditionatè, iuxta diuisionem volitionum tradendam quæstione sequente. Præterea quæuis earumdem bonitatum aut secundum se seorsùm potest attingi, aut coniuncta cum alijs, facta omni combinatione possibili omnium omnino excogitabilium bonitatum, ita, vt quot sunt possibiles combinationes ex hac bonitate, & reliquis excogitabilibus, tot hæc volitionibus diuinis virtualiter inter se distinctis volibilis sit. Deus quippe benè potest velle bonitatem A vt coniunctam cum bonitate B, ita, vt volitio exæquò, & indiuisim tangat vtramque; quin velit alteram earum seorsim sumptam. Quod fieri nequit; quin volitio aggregati ex A, & B distincta sit virtualiter à volitione ipsius A seorsim acceptâ, iuxta dicta. Et idem est de volitionibus omnium aggregatorum excogitabilium bonitatum, in quibus concipiatur inclusa bonitas A.

8 Denique quæuis omnino entitas, quoduisque entitatum aggregatum bifariam adhuc potest tangi per volitionem Dei. Primò secundùm se; secundò vt connotans aliud quidpiam, siue vt sub est illi tanquam circunstantiæ, non quidem volitæ, sed connotatæ essentialiter per talem actum: quo pacto volitio Dei de punitione peccati peccatũ ipsum connotat essentialiter; quin sit vllo modo volitio eius. Similesque passim occurrunt circunstantiæ, seu conditiones obiectiuæ, quæ, cùm per actum voluntatis siue diuinæ, siue creatæ reuerà non amentur, conducunt tamen, vt id ametur, quod, vt subest illis, amatur; scalque subinde talis amor essentialiter connotat, iuxta doctrinam vniuersalem traditam disput. 32. quæst. 5. Igitur hac ratione Deus quamliber entitatem pro suo arbitratu potest amare, vt subest cuilibet enti, & cuilibet entium aggregato aut existenti, aut possibili, aut etiam impossibili, aut mixto. Totidemque prorsùs de volitiones cuiusque entitatis distinctas virtualiter habet quoad entitatẽ, quot sunt huiusceomodi connotata excogitabilia, omni combinatione facta. Quæquidem bifariam rursus potest conferre ad volitiones eorum obiectorum, quorum sunt circunstantiæ, seu conditiones. Primò, suppositâ absolutè per iudicium absolutum intellectus, vt sicque voluntati propositâ. Secundò suppositâ in hypothesi per simplicem apprehensionem constituentem hypothesim. Et priori quidem modo ad volitionem absolutam obiecti quod circunstant conducunt: posteriori ad volitionem conditionatam, vt fusiùs explicabimus infra q. 11.

9 Ex quibus omnibus liquido apparet, Deum non solùm loquendo simpliciter, sed respectiue etiam ad vnumquodque obiectum amabile habere infinities infinitas volitiones distinctas inter se virtualiter. Quod certè eximiè commendat infinitudinem voluntatis diuinæ. In qua præterea, quot sunt volitiones, siue actus prosequutionis respectu bonitatum, tot sunt nolitiones, siue actus fugæ respectu malitiarum. Videantur quæ latiùs diximus quæstione citatâ de scientia Dei; & potiori iure habent locum in voluntate, vt ex modò dictis notescit.

QVi-

QVAESTIO II.

Quot sunt actus voluntatis specie diuersi excogitabiles; de quibus dubitari potest, an dentur in Deo.

10 AD decem species reduci possunt vniuersè affectus voluntatis, quibus ea tam circa malum, quàm circa bonum versari solet, consentaneè ad doctrinam datam à S. Th. 1. 2. quæst. 23. 25. & 26. tametsi Vazq. 1. p. disput. 84. cap. 1. nouem tantùm enumeret. Sunt autem affectus, circa bonum quidem amor, desiderium, spes, audacia, & gaudium, siue delectatio: circa malum autem odium, fuga, desperatio, timor, & tristitia, siue dolor. Quibus Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 6. num. 2. atque etiam alij addunt iram. Oportet igitur, quo possimus discernere, quinam huiusmodi affectuum reperiantur in Deo, eorum essentias, seu quiditates explorare, difitionesque statuere. Quod breui in hac quæstione præstabimus.

11 Et primùm amor strictè, & specialiter sumptus (latè enim, & generaliter omnis affectus prosequutionis solet amor vocari) secundùm S. Tho. 1. p. q. 20. art. 1. & sæpe alibi, aliosque Theologos communiter ille actus est, quo voluntas fertur in bonum spectatum secundùm se, & præscindendo ab eo, quòd illud sit præsens, aut absens, siue possessum, aut non possessum, siue existens, aut non existens. Bonum enim, inquiunt, quatenus existens, seu iam obtentum terminat affectum gaudij; quatenus possibile, seu obtinendum affectum desiderij; secundùm se autem cum precisione ab his extremis affectum amoris stricti. Hæc, quæ antehàc sine controuersiâ à Theologis recipiebantur, vehementer hac ætate sunt ab aliquibus Recentioribus agitata, ne dicam implicata. Sed ego, qui ab omni controuersiâ de nomine, quales sunt tandem, quæ versantur circa rerum definitiones, penitus arbitror abstinendum, omni contentione sepositâ, breuiter adnotabo, si quid aut circa rem ipsam, aut circa modum loquendi sit dubitabile in præsenti.

12 Dico ergo primò, nullum esse dubium inter Auctores, quin possit voluntas saltem creata complacere in quolibet bono ab ipsâ amabili apprehenso secundùm se, & cum præcisione ab eo, quòd illud existat, aut non existat. Vnde, suppositò, quòd omne bonum tam absolutum, quàm relatum sit amabile à voluntate, vt probauimus disput. 32. quæst. 1. neque erit dubium, quin voluntas in quoduis bonum ferri possit apprehensum modo dicto secundùm se. Vtrùm autem affectus cuiusuis boni ita apprehensi, aut alicuius tantùm sit appellandus amor strictus, quæstio erit de nomine. Certè S. Thomas vbique, & alij plerique Theologi eum solum actum strictè, & specialiter vocant amorem, quo cum præcisione prædictâ volumus bonum alicui, consentaneè ad illud effactum communissimum ex Arist. de sumptum lib. 2. Rethor. cap. 4. *Amare est, velle alicui bonum*. Quo quidem actu & bonitas relata ad subiectum, & bonitas absoluta eiusdem subiecti tanguntur prout loco citato explicauimus. Vt hinc appareat, quàm extra chorum Recentiores quidam pronunciauerint, talem actum amorem strictum non esse. Quod probant. Quia talis actus non præscindit à possessione: cùm sit idem, velle bonum alicui subiecto, ac velle bonum possideri à tali subiecto. Sed malè. Quia de conceptu amoris stricti non est præscindere à possessione boni amati ita, vt ea nullo modo tangatur, sed præscindere ab eo, quòd bonum actu possideatur, vel secus: quod est præscindere ab existentiâ, aut non existentiâ possessionis, tangendo ipsam secundùm se. Itaque Recentiores præfati re ipsâ dumtaxat ponunt pro motiuo amoris stricti bonitatè absolutam, qua quodlibet ens est bonum in se, etiam existentialiter. Quo in aliorum sententiam recidunt, qui dixerunt, solam complacentiam bonitatis absolutæ subiecti, cui bonum relatum volumus, esse amorem strictum, à quo procedit volitio ipsius boni relati. Perperam tamen vtrique vsurpant nomen amoris stricti; quando S. Thomæ aliorumque Theologorum vna vox est, amare strictè, & specialiter esse, velle alicui bonum. Quo bonum relatum potissimè faciunt motiuum proprium amoris stricti; idque non quoduis, sed præscindens ab existentiâ, & non existentiâ.

Omitto varios alios modos, quibus Recentiores alij conceptum amoris stricti explicant; seu potiùs confundunt cum conceptu amoris generico, communique desiderio, & gaudio, prout apud Ribaden. videri potest disput. 10. de volunt. à cap. 4. cùm tamen amor strictus affectus specialis specificè diuersus à desiderio, & gaudio poni debeat, vt constat. Iis itaque omissis, ne in quæstione ferme de nomine hæreamus diutiùs, 13

Statuo tanquam certum iuxta communem, & perantiquam Theologorum phrasim, eum affectum vocandum esse amorem strictum, quo volumus alicui bonum prescindendo ab eo, quòd tale bonum actu sit possessum, vel secus. Cum hoc tamen stare poterit, quòd nomen amoris stricti ad omnem affectum extendamus tangentem bonum secundùm se cum præcisione ab existentiâ, & non existentiâ; cuiusuis demum generis sit tale bonum, siue relatum, siue absolutum, iuxta doctrinam stabilitam in eâ q. 1. citatâ, De omnibus quippe huiusmodi affectibus præcisiuis eadem, quod ad rem attinet, ratio est. Enimverò voluntas nostra vtpluriműm statim, atque apprehendit bonum quoduis à se amabile secundùm se, eius complacentiâ pulsatur; arridet enim ei confestim ea species, seu pulchritudo, vel conuenientia, quam quæuis bonitas præ se fert. Ex hacque complacentiâ solet induci ad tale bonum desiderandum, si videt illud aut absens, aut non existens esse; vel ad gaudendum de illo, si videt illud aut iam obtentum, aut existens. Quocirca dici consueuit à S. Th. & ab alijs, ex amore boni nasci, quòd illud delectet amantem, aut ab eo desideretur; puta, regulariter, & vt implutimum, vt graues Theologi interpretantur: quandoque enim nihil vetat, primum voluntatis actum esse desiderium, aut gaudium, quin ea complacentia boni secundùm se præcedat, quam amorem stricturn vocamus. 14

Dico secundò, neque esse dubium, quin propriè dicatur desiderium, affectus, quo vo- 15

luntas tendit in bonum absens, seu nondum existens, seu nondum obtentum, quando eius adeptio plenè non pendet à solâ voluntate desirantis. An verò, quando plenè dependet seu defuturo, seu de præsente, vt quando volo postmodùm, aut de præsente deambulare, talis affectus sit etiam dicendus desiderium, quæstio erit de nomine. Certè in communi loquendi more nemo desiderare dicitur id, quod actu ipse exequitur, aut postmodùm à se solo exequendum proponit. Nihilominùs, quia ad hos affectus distinguendos penuria est nominum; non abs iure ab aliquibus Recentioribus sub nomine desiderij omnes illi comprehenduntur. Itaque desiderium vniuersè, latèque sumptum, prout condistiguitur à gaudio, & ab amore stricto, omnis ille affectus vocari potest, deincepsque à nobis vocabitur, quo quis apprehendens aliquid vt possibile vult, vt illud existat siue à se solo, siue ab alio, siue pro tempore præsente, siue pro futuro extiturum sit.

16 Tertiò in confesso est apud omnes, gaudium appellari eum affectum, quo voluntas de quouis bono prout existente delectatur. Arbitror tamen, voluntatem non solùm gaudere posse de bono prout existente de præsenti, sed etiam prout existente de præterito, & prout existente defuturo. Gaudere quippe solemus, sicut & dolere, tum quòd aliquid extiterit in tempore præterito, tum quòd aliquid sit extiturum in tempore futuro.

17 Itaque, quemadmodùm actus intellectus, ita & actus voluntatis penes diuersos suorum obiectorum status veniunt imprimis discriminandi. Cùmque obiectorum status alius sit quiditatiuus, alius existentialis; & vterque vel absolutus, vel conditionatus: rursusque status existentialis aut de præsenti, aut de præterito, aut de futuro possit esse iuxta doctrinam latè traditam in Pharo Scient. disput. 10. Omnis affectus prosequutionis tendens in quoduis bonum prout in statu quiditatiuo, atque adeò consideratum secundùm se cum præcisione ab existentiâ, & non existentiâ amor strictus, siue specialis venit dicendus. In bonum verò prout in statu existentiali, siue in boni existentiam bifariam potest voluntas tendere. Primò volendo, vt existat siue in tempore futuro, siue in præsenti; (in præterito quippe velle non potest, vt existat; quia concipit id iam factu impossibile); & hic est affectus desiderij latè vsurpati. Secundò complacendo, quia existit, vel quia extitit, vel quia existet; & hic est affectus gaudij vel de præsenti, vel de præterito, vel defuturo. Pariterque & affectibus contrarijs fugæ tendentibus in quoduis malum censendum est, vt dicemùs postmodum.

18 Quod verò attinet ad actum spei, qui desiderium quoddam est, etsi nonnulli dixerint, eum non distingui à desiderio boni futuri; communis tamen sententia Theologorum est, non omne desiderium boni futuri vocandum esse spem, sed illud tantùm, quod tendit in bonum futurum arduum, siue obtentu difficile cum quadam fiduciâ id obtenendi oriundâ ex credulitate adeptionis. Arduitatem autem boni sperati alij in eo ponunt, quòd sit illud adipiscibile ab sperante cum difficultate, & labore: alij in eo præcisè, quòd illud à voluntate aliena dependeat in potestate sperantis non existente. Itaque ille dumtaxat dicitur propriè sperare, qui bonum futurum arduum fiducialiter desiderat, credens, se illud obtenturum. Cætera verò quæque desideria propriè non sunt affectus spei. Audacia autem dicitur ille affectus, quo voluntas animosè aggreditur assequutionem alicuius boni, difficulter, & cum periculo mali imminentis assequibile.

Iam de odio strictè, & specialiter sumpto 19
(latè enim, & generaliter omnis affectus detestationis, seu fugæ mali dicitur odium) perinde, ac de amore stricto, loquendum est, Odium enim strictum ille affectus vocatur, quo detestamur quoduis malum, siue quo in illo displicemus secundùm se, præscindendo ab eo, quòd sit existens, aut non existens. Fuga autem specialiter dicta (nam omnis detestatio seu displicentia mali latè vocari solet fuga) affectus est desiderio oppositus, vt docet S. Th. & alij 1. 2. quæst. 23. art. 4 quo nimirum malum apprehensum vt possibile, positiuè nolumus, vt existat vel in tempore futuro, vel etiam in præsenti. Tristitia verò proprè sumpta supra displicentiam de malo vt existenti oppositam gaudio anxietatem quamdam, siue dolorem addit. Vnde ea neque in Deo, neque in Beatis reperitur: tametsi dicta displicentia reperiatur in illis. Timor spei opponitur; atque ita aliquid addit supra fugam, sicut spes supra desiderium. Est enim timor ille affectus, quo deiectè, & timidè fugimus malum futurum ab alio infligendum, seu difficulter euitabile à nobis, credentes, aut suspicantes, reuerà illud euenturum. Desperatio denique etiam est affectus spei oppositus, sed aliter, quàm timor. Consistit enim in fugâ, qua voluntas deiectè, & diffidenter recedit à bono, quod erat sperandum, credens, se illud non obtenturam ob nimiam arduitatem, difficultatem, insuperabilemque molestiam, quam in eius adeptione apprehendit.

Præterea affectus desiderij aut efficax, aut 20
inefficax esse potest. Efficax est, quando voluntas tanto conatu in obiectum desideratum fertur, & ei adhæret, vt non possit non, stante eo affectu, aut ponere illud per se extra causas, aut præstare, quantùm in suâ potestate est, quidquid est necessarium, vt illud extra causas ponatur: ad id enim efficiendum manet necessitata voluntas ex vi desiderij efficacis. Desiderium autem inefficax, siue simplex vocatur, quod non determinat voluntatem ad obiecti desiderati exequutionem; tametsi ad eam inclinet; sed illam relinquit indifferentem, vt procuret illud exequi, vel non procuret. Parique ratione censeo, affectum fugæ desiderio contrarium in efficacem, & simplicem diuidendum esse. De quibus, seruatâ proportione, pariter, ac de desiderijs, philosophandum est: nisi quòd desiderium tendit ad ponendam existentiam obiecti, fuga verò ad eam remouendam. Porro præter desiderium efficax, & fugam efficacem, cæteri affectus voluntatis simplices complacentiæ, vel displicentiæ communi vocabulo appellari solent. Spes autem, vt propria sit, inter desideria efficacia, sicut desperatio inter efficaces fugas, solet connumerari à Doctoribus. Tametsi timor aut efficax, aut inefficax possit esse. Quoniam autem apud nos desiderium efficax non semper ponit defacto in rerum naturâ suum obiectum; vel quia impeditur; vel quia aliunde reperit illud positum. Ideo desiderium, quod ad causandum suum obiectum peruenit, effi-

efficax quo ad effectum vocari solet; quoad affectum verò tantùm, quod illud non causat. Iam verò, quando desiderium siue efficax, siue simplex versatur circa finem, intentio vocatur: quando circa media, si sit efficax, electio dicitur. Est autem finis quoduis bonum siue absolutum, siue relatum, præter vnum bonum vtile, quod vt tale est medium. Sed de his plura in Tractatu de Prouid.

21 Denique, quando volumus alicui subiecto bonum, aut ei nolumus malum, siue vnico actu, siue duobus, respectus ad subiectum, si illud sit rationale, amor amicitiæ, aut beneuolentiæ appellatur, respectus verò ad bonum volitum tali subiecto amor concupiscentiæ, & respectus ad malum ei detestatum odium abominationis. Similiterque, quando alicui volumus malum, aut nolumus bonum, respectus ad personam dicitur odium inimicitiæ, aut maleuolentiæ, respectus verò ad malum volitum amor concupiscentiæ, & respectus ad bonum detestatum odium abominationis. Porrò amicitia, & inimicitia dumtaxat sunt vnius ad alterum: Beneuolentia verò & maleuolentia etiam eiusdem ad se ipsum; licèt sumpta latiùs, seu minùs strictè.

22 Hæ sunt differentiæ vniuersaliores, ad quas reuocari possunt omnes affectus voluntatis. Singulæ verò earum præterea continent sub se alias. Primum enim quilibet actus voluntatis aut absolutus esse potest, aut conditionatus ex parte obiecti. Erit absolutus, si independenter ab omni hypothesi tendat in suum obiectum. Conditionatus autem, si dependenter. Exemplum prioris sit, *Volo, vt Petrus diu viuat*: posterioris, *Volo, vt Petrus diu viuat, si bene est victurus*. Deinde quilibet actus voluntatis aut potest esse determinatus, aut vagus, seu disiunctiuus ex parte obiecti. Determinatus. vt, *Volo Petro diuitias*, Vagus, vt, *Volo Petro, vel Paulo diuitias, vel honores pro hoc, vel pro illo tempore*, &c. Præterea affectus voluntatis aut potest esse de obiecto communi, vt, *Volo benè viuere*; aut de speciali, vt, *Volo eleemosynam dare*, &c.

23 Postremò, quot alijs modis possint discriminari affectus respectiue ad obiecta, tendendo in vnum, vt subest alij, vel in plura indiuisim, vel in singula seorsim, &c. ex dictis q. 5. licet colligere. In quo ampliùs non oportet morari.

QVAESTIO III.

Vtrùm in Deo detur amor strictè, & specialiter sumptus. Et circa quæ bona.

24 EXtra omnem contrauersiam videtur stare inter Theologos, dari in Deo amorem strictum circa bona creata, prout apud mox referendos videre licet; & ex dicendis in hac quæstione planè constabit. Circa quam subinde tota controuersia, prolixiùs fortasse, quàm opus erat, inter Recentiores agitata, in eo est, an Deus se ipsum, & sua intrinseca bona per amorem strictum amet.

Negat Arrub. 1. p. q. 20. in comm. n. 3. Fasol. ibidem art. 1. dubit. vnicâ n. 4. Heric. disp. 13. cap. 6. Albiz. disp. 4. de Volunt. sec. 3. & 4. Ribas disp. 12. cap. 1. Felix de Volunt. cap. 2. diff. 2. Ribaden. disp. 11. de Volunt. cum alijs. Affirmant verò Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 6. n. 7. Vazq. 1. p. disp. 84. cap. 2. Ruiz disp. 52. de Volunt. sec. 1. Alarc. tract. 3 disp. 7. cap. 1. Gaspar Hurt. disp. 5. de Volunt. diff. 2. Tann. 1. p. disp. 2. q. 10. dub. 2. Gran. tract. 6. de Volunt. disp. 1. Martinon 1. p. disp. 16. sec. 2. Zumel q. 20. art. 1. disp. vnic. Ioan. à S. Th. disp. 6. art. 1. & Ripalda in manuscript. de Volunt. disp. 5. Consentit Pet. Hurt. disp. 155. de Charit. sec. 8. addens tamen, amorem strictum, quo Deus se amat, non esse formalitatem distinctam à gaudio. Id quod docere etiam videtur Colleg. Carmel. 1. p. tract. 4. disp. 4. dub. 2. Docti denique Decentiores veluti media via incedentes dicunt, Deum erga suam essentiam amorem strictum non habere; benè tamen erga sua attributa.

Propositio 1.

Deus se ipsum amat amore stricto, siue speciali.

Doctrina huius propositionis expresè tradita videtur à S. Th. 1. p. q. 20. art. 1. & lib. 1. contra Gent. cap. 91. alijsque in locis. Ait enim in corpore illius articuli. *Sunt autem quidam actus voluntatis, & appetitus respicientes bonum sub aliqua speciali conditione, sicut gaudium, & delectatio est de bono præsenti, & habito; desiderium autem, & spes de bono nondum adepto: amor autem respicit bonum in communi, siue sit habitum, siue non habitum. Vnde amor naturaliter est primus actus voluntatis, & appetitus. Et propter hoc omnes alij motus appetitiui præsupponunt amorem quasi primam radicem, &c. Vnde in quocunq. est voluntas, vel appetitus, oportet esse amorem. Remoto enim primo, remouentur alia. Ostensum est autem, in Deo esse voluntatem. Vnde necesse est, in Deo ponere amorem.* Ecce quàm clarè, & ex instituto S. Th. amorem strictum, & specialem à cæteris affectibus condistinctum ponit in Deo. Quòd autem non solùm de amore stricto Dei erga creaturas, sed etiam, imo & principaliùs, loquatur de amore stricto, quo Deus se ipsum amat, tum ex toto contextu articuli, tum maximè ex solutione ad 3. constat apertè. Vbi ait. *Et pro tanto dicitur amor vis vnitiua, etiam in Deo, sed absque compositione; quia illud bonum, quod vult sibi, non est aliud, quam ipse, qui est per suam essentiam bonus.* Legatur insuper caput citatum ex lib. 1. contr. Gent. vbi non minùs clarè se explicat S. Th. Postquam enim de amore Dei erga se ipsum, & de gaudio tanquam de diuersis actibus sermonem fecisset, ait n. 5. eius capitis. *Omnis affectionis principium est amor. Sed in Deo est gaudium, & delectatio. Ergo in Deo est amor.* 25

Herice vbi supra cap. 3. & multò latiùs Ribaden. cap. etiam 3. conantur interpretari S. Th. ita, vt non loquatur locis citatis de amore stricto, & speciali, de quo in præsenti est sermo; sed de amore generali, siue generico, qui in omnibus effectibus prosequutionis includitur tanquã prædicatum genericum in suis speciebus. Hæc tamen interpretatio nec textui, nec menti S. Th. videtur posse conuenire. Nam amor, de quo loquitur S. Th. *primus motus est voluntatis, quem omnes alij motus præsupponunt quasi primam radicem.* 26

cem. In quem etiam referuntur odium, treſtitia, & cætera huiuſmodi *ſicut in primum principium*. Tum talis amor apud S. Th. æquè eſt actus condiſtinctus à gaudio, & à deſiderio, atque ab odio, & atriſtitiâ. Quæ omnia prædicato amoris generico in gaudio, & deſiderio incluſo nullatenus adaptari poſſe, niſi violenter valde, & extortè, videtur manifeſtum. Non ergo tale prædicatum, ſed actum amoris ſpecialis, & ſtricti attribuit S. Thomas Deo locis citatis, tendentem ſcilicet tum in Deum ipſum, tum in creaturas eius.

27 Ratio autem propoſitionis ex eodem S. Th. accepta eſt. Quia, quoties aliquis voluntatis affectus nullam omnino ex proprio conceptu involuit, aut fert ſecum imperfectionem, is Deo nullatenus negandus eſt, vt tanquam ſolemne principium ſtatuunt vbique Theologi. Sed amor ſtrictus Dei erga ſe ipſum neque involuit in ſuo conceptu, nec ſecum fert vllam imperfectionem; vt ex ſolutione obiectionum, quæ contra fieri poſſunt, conſtabit. Ergo amor ſtrictus, quo Deus ſe amet, omnino eſt illi concedendus.

28 Prima autem, & potiſſima Aduerſariorum obiectio eſt. In Deo non datur ſcientia ſimplicis intelligentiæ, qua attingatur eius eſſentia cum præciſione ab exiſtentiâ; eo quòd eſſentia, & exiſtentia Dei re ipsâ, & in ſe prorſus ſunt idem; & Deus non cognoſcit ſe ipſum, niſi prout re ipſâ eſt in ſe. Ergo nec datur in Deo amor ſtrictus; quo attingatur bonitas eius cum præciſione ab exiſtentiâ: eo quòd bonitas Dei, & exiſtentia eiusre ipſâ, & in ſe prorſus ſunt idem; & Deus non amat ſuam bonitatem, niſi prout re ipſâ eſt in ſe. Nonnulli, conceſſo antecedente, negant conſequentiam; quaſi poſſit diuina voluntas amare cum præciſione ab exiſtentiâ id, quod diuinus intellectus cum præciſione ab exiſtentiâ cognoſcere nequit. Sed malè. Quia, cùm nulla voluntas poſſit amare, niſi id ipſum, quod per intellectum eſt ipſi propoſitum; repugnat, vt vlla voluntas amet cum præciſione ab exiſtentiâ id, quod ipſi proponi nequit cum præciſione ab exiſtentiâ. Negandum ergo eſt antecedens propoſitæ obiectionis. Quia, vt oſtendimus ſupra diſp. 26. q. 3. actus ſcientiæ ſimplicis intelligentiæ datur in Deo tendens in ipſius eſſentiam cum præciſione ab exiſtentiâ virtualiter diſtinctus ab actu ſcientiæ viſionis tendente in eadem eſſentiam prout exiſtentem. Nec refert, eſſentiam, & exiſtentiam Dei re ipſâ eſſe idem. Quia etiam ſunt re ipſâ idem eſſentia, & exiſtentia creaturæ exiſtentis: & tamen Deus circa illam ſecundùm omnes Theologos duos actus ſcientiæ habet, alterum ſimplicis intelligentiæ tendentem in eius eſſentiam cum præciſione ab exiſtentiâ, alterum viſionis tendentem in eamdem prout exiſtentem. De quo plura loco citato videnda ſunt. Ex quibus manifeſtè conſequitur, benè poſſe Deum tendere in bonitatem ſiue ſuam, ſiue creatam per duos actus voluntatis, alterum amoris ſtricti de ipſâ ſecundùm ſe cum præciſione ab exiſtentiâ, alterum gaudij de eâdem prout exiſtente.

29 Secundò contra propoſitionem noſtram obijcitur. Scientia Dei, quæ non cognoſceret ſuas perfectiones vt actu, & abſolutè exiſtentes eſſet imperfecta: quia non attingeret ſuum obiectum, vti re ipſâ eſt. Ergo & amor tendens in eaſdem perfectiones aliter, quàm vt actu, & abſolutè exiſtentes, eſt imperfectus. Hoc argumentum ſcientiam de poſſibilitate creaturæ, qua Deus inducitur ad eam decernendam, tollit è medio, contra omnes Theologos: quia per talem ſcientiam non cognoſcitur creatura vt actu, & abſolutè exiſtens, prout eſt à parte rei. Nego igitur antecedens. Ad probationem diſtinguo. Scientia illa non attingeret ſuum obiectum, vti re ipſâ eſt pro illo ſigno, in quo attingit illud; nego. Vti re ipſa eſt pro omni ſigno, concedo. Et nego deinde conſequentiam. In idem recidunt obiectio, ſolutioque eius datæ ſupra in loco citato de ſcientiâ. Recognoſcantur.

Tertio obijcitur. Affectu gaudij quieſcit animus in bono poſſeſſo tanquam in termino, ad quem ſunt viæ cæteri affectus. Ergo in Deo, cui eſſentiale eſt exiſtere in tali termino quoad bona ſibi intrinſeca, ſuperuacanei ſunt alij affectus, atque adeò impoſſibiles. Confirmatur. Nam ideo repugnat in diuino intellectu apprehenſio ſimplex; quia Deus nequit non habere iudicium, ad quod illa in nobis eſt via. Reſpondeo primò; quando terminus nequit ſine viâ poſſideri, quantumuis ille poſſideatur eſſentialiter, viam ſuperfluam non eſſe, vt conſtat. Sic ſcientia, qua Deus inducitur ad ſe amandum ſuperflua non eſt, quantumuis Deus non poſſit non ſe amare. Si igitur amor ſtrictus hoc pacto ad gaudium præſupponitur, non eſt, cur cenſeatur ſuperfluus. Sed eſtò non præſupponatur tam neceſſariò. Reſpondeo ſecundò; quando via præſuppoſita ad terminum alia munia habet, præterquàm inducere ad illum; etſi terminus aliàs non poſſit non poſſideri, viam ſuperuacaneam non eſſe. Amor autem ſtrictus, etſi non prærequiratur ad gaudium; ad illud tamen non poteſt in Deo non præſupponi; quo Deus amet bona ſua pro ſigno antecedente, pro quo etiam quoad quiditatem ſuam præciſè citra omnem prorſus imperfectionem ſunt illa amabilia. Ad confirmationem; nego, non dari in diuino intellectu apprehenſionem ſimplicem: dari enim oſtendi ſupra diſp. 23. q. 3. Sed eſtò non daretur, id certè propterea eueniret, quòd eſſet actus imperfectus ex conceptu ſuo: qualis amor ſtrictus non eſt.

Quartò obijcitur. Amor ſtrictus nequit eſſe comprehenſiuus Dei, ſicut nec ſcientia non tangens Deum vt exiſtentem abſolutè nequit eſſe comprehenſiua. Sed repugnat habere Deum actum ſcientiæ, aut amoris erga ſe non comprehenſiuum ſui. Ergo. Conceſſa maiore; nego minorem conſentaneè ad doctrinam traditam ſupra diſp 24. q. 5.

Propoſitio 2.

Amor ſtrictus, & gaudium de prijs bonis formalitates ſunt in Deo non ſolùm per rationem noſtram, ſed etiam re ipſâ virtualiter diſtinctæ inter ſe.

Hæc propoſitio de mente S. Th. eſt aſſerentis loco ſupra citato, amorem ſtrictum eſſe radicem gaudij: eadem quippe formalitas non poteſt eſſe radix ſui, vt conſtat. Venit autem illa probanda ex doctrinâ datâ in ſimili ſupra diſp. 26. q. 3. Nimirum quia bona propria Dei cum præciſione ab exiſtentiâ ſpectata, qua ratione terminant amorem ſtrictum, & ſpectata vt exiſtentia abſolutè, qua ratione terminant gaudium, diuerſa conſtituunt obiecta ratione diuerſorum ſtatuum, actibuſque ſubinde ex modo tendendi diuerſis

diuersis sunt amabilia ab ipso Deo. Quod satis est, vt tales actus, non solùm per rationem nostram, sed etiam re ipsâ virtualiter sint distincti inter se iuxta doctrinam generalem de distinctione actuum Dei traditam disp. 23. q. 4. & rursus disp. 34. q. 1. Habet insuper amor strictus dictorum bonorum ex suâ natura inclinare, mouereve voluntatem ad gaudium eorumdem, sed non è contra. Priùsque bona ipsa per amorem strictum, quàm per gaudium, sunt amabilia. Quod non solùm distinctionem rationis, sed realem virtualem arguit inter dictos actus. Cùm ergo aliunde neuter eorum vt condistinctus sic ab alio dicat imperfectionem, vt constat ex dictis; non est cur non ponantur illi tum per rationem, tum virtualiter distincti inter se. Vnde infertur contra Petr. Hurtado, & Carmelitanos citatos supra, neutiquam posse esse in Deo amorem strictum, & gaudium vnicam, & indiuisam formalitatem.

33 Hic disputant aliqui, an Spiritus sanctus procedat à Patre, & Filio per amorem strictum, vel per gaudium, vel per desiderium. Sed quæstio hæc proprium sibi vendicat locum in Tract. de Trinitate, vt pote cuius resolutio ex principijs ibi tradendis apprimè dependet.

Propositio 3.

34 **Deus non solùm sua attributa amat per amorem strictum, sed etiam suam essentiam.**

Est contra quosdam Recentiores supra etiam citatos. Probaturque primò; quia essentia, & attributa diuina idem re ipsâ sunt. Ergo repugnat, actum amoris stricti ad attributa terminari, & non terminari ad essentiam. Nam, vt supra disp. 24. q. 1. & disp. 32. q. 6. statutum est, nec per actum intellectus, nec per actum voluntatis potest vllatenus Deus attingere vnam formalitatem, non attingendo pariter aliam identificatam cum illâ. Idque, etiam si tales formalitates distinctæ inter se sint virtualiter respectiuè ad aliqua munia; vti supponunt Recentiores, cum quibus agimus, ab essentiâ Dei esse distincta attributa intrinseca eius, de quibus est sermo.

35 Secundò probatur; quia æquè omnino potest concipi à Deo (imo & debet iuxta dicta nuperrimè) bonitas essentiæ cum præcisione ab existentiâ, ac bonitas attributorum. Ergo æquè omnino potest vtraque cum tali præcisione concepta (imo & debet ob eadem dicta) amorem strictum Dei terminare.

36 Tertio; siue sit sermo de bonitate absolutâ, qua tum essentia, tum attributa in se ipsis sunt bona; siue de bonitate respectiuâ, qua bona sunt sibi, iuxta doctrinam generalem supra suppositam disp. 33. q. 1. siue de bonitate respectiuâ, qua attributa concipiuntur essentiæ bona; (quæ bonitas diuersa non est re ipsâ à secundâ aliarum duarum); cùm omnes istæ bonitates æqualiter possint à Deo concipi cum præcisione ab actuali possessione, vt est manifestum; quia nulla quoad hoc inter illas disparitas est excogitabilis; æqualiter quoque posse illas ita conceptas citra vllam excogitabilem disparitatem amorem strictum Dei terminare, æqualiter manifestum est; ex dictisque etiam in precedentibus satis superque notum. Dixi, bonitatem, qua attributa concipiuntur essentiæ bona, à secundâ aliarum duarum diuersam non esse re ipsâ, quia, cùm essentia, & attributa realiter sint prorsus vnum, & idem, esse attributa bona essentiæ, aliud non est re ipsâ, quam vnum, & idem Deum esse bonum sibi.

Ex dictis colligitur, Deum se ipsum totum 37
indiuisim, & æquatè amare tum amore stricto, tum gaudio. Quia nulla Dei formalitas potest non tangi vtroque affectu, si vtrouis aliqua semel tangatur, vti re verâ tangitur. Solùm enim affectus isti discriminantur penes diuersos status eiusdem obiecti, quòd gaudium tangit illud prout actu, & absolutè existens: amor verò strictus prout præcisum à tali existentiâ, iuxta doctrinam traditam, & suppositam disp. 26. q. 3. sæpeque aliàs. Et quoniam Deus duplici affectu se totum diligit ex modo tendendi diuerso, prout ex dictis disp. 33. q. 1. num. præc. commemorauimus, nempe & vt est bonus in se bonitate absolutâ, & vt est bonus sibi ipsi bonitate quasi relatâ; id circo binos actus gaudij, & amoris stricti erga se totum habet secundùm duas has bonitates. Nam posse vtrumque istum affectum iuxta eorum legitimas acceptiones tam circa bonitatem relatam, quàm circa absolutam versari, ex dictis quæstione præcedente palam est.

Quòd si Deus omnes suas necessarias perfe- 38
ctiones amat amore stricto, potiori iure amabit simili amore omnia sua decreta libera, tam quæ de facto habet, quàm quæ habere potuit. Non dico solùm quoad entitatem identificatam cum Deo; quia vt sic inter perfectiones Dei necessarias recensentur; eamdemque subinde cum reliquis Dei perfectionibus fortunam subeunt: sed quoad denominationem, quam præstant; secundùm quam contingentia, & libera, atque defectibilia sunt. Si enim quod essentialiter est existens, quales sunt essentia diuina, & attributa eius cum præcisione ab existentiâ, atque adeò per amorem strictum amari potest; vti probatum est: quantò meliùs, quod in suâ existentiâ est contingens, quales sunt volitiones Dei liberæ quoad denominationem actu volentis, quam præstant Deo, poterunt cum simili præcisione amari, atque adeò per strictum amorem? Ob id namque citra controuersiam fatentur omnes, creaturas per amorem strictum amari à Deo: quia citra dubium ob suam contingentiam cum præcisione ab existentiâ concipi, & amari possunt secundùm se, prout opus est ad amorem strictum. Quomodò autem amor strictus, quo Deus se amat quoad necessaria sit necessarius: amor verò strictus, quo amat suos actus liberos, liber sit, ex dictis disp. 33. q. 1. & 2. constat. Qualiter autem ipsi actus amoris stricti tum necessarij, tum liberi amentur à Deo, ex generali doctrinâ traditâ ibidem facilè quisque colliget.

Ex his apparet, malè dixisse Herice vbi su- 39
pra num. 19. & 44. decreta Dei libera vt talia à Deo per amorem strictum amari non posse iuxta sententiam Connotantium, quam ipse sequitur; etsi possint iuxta sententiam non Connotantium: eo quòd apud Connotantes, inquit, decreta Dei libera nihil addunt supra amorem necessarium, quem, ipse putat, non posse amari amore stricto. Sed malè, inquam, id est assertum. Quia quocunque modo Connotantes componant libertatem Dei; id nequeunt negare, hoc, quod est, Deum decreuisse creare Mundum, in omni sententiâ esse contingens, & defectibile. Ergo, stando in quauis sententiâ, citra discrimen erit id, aut non erit amabile per amorem strictum.

PRO-

Propositio 4.

40 **Deus omnes creaturas tam existentes, quàm possibiles quoad omnes earum bonitates tam absolutas, quàm relatas potest amare amore stricto. Defacto autem eatenus censendus est eas amare, quatenus ipsi decentissimum, & honestissimum fuerit.**

Prior pars propositionis ex dictis est certa. Quia certum est, Deum posse concipere, imo concipere de facto omnes creaturas etiam, quæ existunt, vt possibiles cum præcisione ab existentiâ, concipiendo in illis sub eâ præcisione omnes earum bonitates. Ergo vt sic præcisas poterit eas quoad omnes bonitates amare. Quod
41 est, amare eas amore stricto.

Secunda verò pars propositionis supponit ex dictis disp. 33. q. 5. Deum non necessariò, sed liberè amare creaturas omnes, etiam purè possibiles, quocunque modo illas amet. Quo posito, scire non possumus speciatim, in quâ mensurâ, siue numero amet illas: atque ita vniuersim solùm asserimus, eas amare, prout sibi decentissimum est, iuxta doctrinam vniuersalem traditam disp. 32. q. 3. Vbi probauimus, Deum de facto semper operari honestissimè, ad idque moraliter necessitatum esse. Qua ratione autem amore stricto amat Deus, aut amare potest bona creata possibilia; eâdem censendus est aut amare, aut amare posse bona etiam impossibilia. Nam & hæc esse amabilia à Deo, dicta disp. 33. q. 8. statutum est.

QVAESTIO. IV.

An in Deo detur affectus gaudij. Et circa quæ obiecta.

42 CErtum est, in Deo propriissimum gaudium reperiri tum de bonis sibi intrinsecis, tum etiam de extrinsecis prout existentibus. Docent id omnes Theologi cum S. Th. 1. p. q. 20. art. 1. & lib. 1. contra Gent. cap. 90. & traditur in Scripturâ, dum Prou. 8. dicit de se Sapientia genita. *Et delectabar per singulos dies.* Tum Deut. 30. *Reuertetur enim Dominus, vt gaudeat super te: sicut gauisus est in Patribus tuis.* Isaiæ 62. *Gæudebit super te Deus tuus*; & alibi. Ratio autem est manifesta. Quia, cùm gaudium propriè dictum fruitio quædam, siue delectatio sit de bono prout habito, siue prout existente, planè est perfectio quædam ex conceptu suo nullam ferens imperfectionem repugnantem Deo. Sed Deus cuncta bona existentia tum sibi intrinseca, tum etiam extrinseca prout habita, siue prout existentia clarissimè intuetur. Ergo de vtrisque prout sic propriissimè gaudet. De intrinsecis quidem necessariò; de extrinsecis verò liberè; & consequenter in eâ mensurâ, quæ sibi est decentissima, iuxta sæpe dicta aliàs in simili.

Obseruandum tamen est S. Th. cap. 90. citato gaudium à delectatione distinguere; quòd hæc solùm sit de bono intrinseco; illud verò de intrinseco, & extrinseco. Vnde concludit in fine capitis. *Deus propriè in se ipso delectatur: gaudet autem in se, & in alijs.* Verùm, stricta hac proprietate verborum non adeò rigidè obseruatâ, sæpe gaudium, & delectatio in vsu communi confundi solent, pro eodemque affectu vsurpari indiscriminatim.

Solum potest hic dubitari, an etiam circa 43
bona possibilia præcisè vt possibilia possit in Deo dari gaudium. Nonnulli Recentiores supponunt, posse. Alij, non posse; etsi exprofesso rem non discutiant. Pro vtraque parte est ratio dubitandi. Pro affirmatiuâ. Quia, cùm possibilia absolutè sint possibilia; etsi Deus de earum existentiâ gaudere nequeat, videtur tamen gaudere posse de earum possibilitate. Pro negatiuâ. Quia, cùm possibilia nullam realem existentiam habeant, nihil habere videntur, quo possint affectum gaudij terminare.

Pro negatiuâ sententiâ sto. Quia, licèt pos- 44
sibilia absolutè sint possibilia, quatenus absolutè sunt id, quod de suo quiditatiuè, siue in statu quiditatiuo sunt, iuxta doctrinam datam in Pharo Scient. disp. 10. & 11. q. 1. vt sic tamen non aliter sunt bona, quàm secundùm se præcisè, siue quiditatiuè: quo pacto propriissimum obiectum sunt amoris stricti prout condistincti à gaudio. Non ergo vt sic esse possunt obiectum gaudij. Quòd non in bonum secundùm se præcisè, quem admodùm amor strictus, sed in bonum prout actu existens tendit, vt ex dictis in præcedentibus constat. Nos quidem, qui cuncta per species existentium concipimus, atque ita possibilitatem rerum vt quid existens apprehendimus, fortasse ob id de eâ possumus propriè gaudere. Sed aliud de Deo est, qui cuncta cognoscit, vt sunt. Quòd si Deus non potest habere affectum gaudij de bono possibili vt tali; minùs poterit de impossibili. Tametsi illud aliquo modo amare possit iuxta doctrinam stabilitam disp. 33. q. 8. Hæc dicta sunt de gaudio absoluto. An autem gaudio conditionato ex parte obiecti Deus in bona possibilia, aut etiam in impossibilia ferri possit, ex dicendis q. 8. constabit.

QVAESTO. V.

Vtrùm desiderium tam efficax, quàm inefficax reperiatur in Deo. Et quid de alijs affectibus prosequutionis.

COncors Theologorum sententia est, Deum 45
erga intrinseca sua bona toti Trinitati communia nullatenus habere posse affectum desiderij aut simplicem, aut efficacem. Quia huiusmodi bona non possunt concipi à Deo vt à se consequibilia, quasi priùs non habita, prout ad affectum desiderij, quantumuis latè vsurpati, requisitum est iuxta ea, quæ dicebamus supra quæst. 2. num. 15. Loquor autem de bonis toti Trinitati communibus. Quia est dubitabile, an amor, ex quo procedit Spiritus sanctus, relatè ad ipsum, vt est persona producta, sit desiderium. De quo hic non agimus; nam proprius locus huius dubij est in Tract. de Trinitate.

Controuersia igitur solùm est, an Deus 46
circa bona creata desiderium habere possit. Sententia negatiua solet attribui S. Th. lib. 1. contra Gent.

Gent. cap. 89. num. 7. & 1. par. quæst. 20. art. 1. ad 2. licèt ibi solùm videatur negare Deo desiderium circa intrinseca bona. Tenent tamen illam ad eum art. 1. Caiet. Bann. Zumel. Nazar. Molin. Arrub. Fasol. Ioan. à S. Th. & alij. Item Granad. tract. 6. de Volunt. disput. 4. num. 3. Ruiz. disput. 52. de Volunt. sec. 6. & Ribaden. disput. 22. de Volunt. cap. 5. num. 50. Oppositam tamen sententiam adstruentem in Deo desiderium circa bona creata tenent Vazq. 1. par. disput. 84. cap. 1. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 7. num. 4. Albiz. tract. 2. de Volunt. disput. 9. sec. 1. num. 19. Becan. tract. 1. cap. 12. concl. 5. Alarc. tract. 3. disput. 7. cap. 2. num. 13. Martinon 1. par. disput. 16. sec. 4. num. 29. & alij. Herice verò disput. 20. cap. 3. respectu eorum bonorum, quæ à nostra voluntate pendent, ponit in Deo desiderium, negans illud respectu bonorum, quæ pendent à solâ Dei voluntate. Ex his autem plerique non solum efficax, sed simplex etiam desiderium dant Deo circa bona creata: quale contineri arbitrantur in illis verbis Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Deus omnes homines vult saluos fieri*. Ad quæ verba alludens Chrysost. homil. 1. in epist. ad Ephesios dixit, Deum fragranti desiderio vehementer desiderare nobis nostram salutem. Circa bona denique impossibilia nullatenus posse Deum habere desiderium efficax absolutum, apud omnes est manifestum, an verò habere possit simplex, dubitabile est.

Propositio 1.

47 Deus erga sua intrinseca bona toti Trinitati communia nullatenus habere potest affectum desiderij.

Quia desiderium iuxta sententiam omnium ex suo conceptu vt minimùm habet, esse conatum quemdam voluntatis tendentem ad dandam existentiam rei desideratæ, volendo vt illa existat: ob idque vel determinat, vel inclinat voluntatem desiderantis aut ad causandam rem immediatè, aut ad ponenda media, quibus ea obtinenda est. Vnde omne desiderium ex suo conceptu necessariò supponit obiectum desideratum ab aliquo principio esse causabile, seu producibile, ponibileve in naturâ rerum. Quod cùm non habeant bona intrinseca Dei neque quoad existentiam, neque quoad possessionem, nullatenus à Deo ipso desiderari possunt. Et confirmari potest. Quia circa bona aliàs necessaria Deus affectum desiderij nequit habere, prout videbimus proposit. 5. Talia autem præ cæteris excogitabilibus sunt bona intrinseca ipsius toti Trinitati communia.

Propositio 2.

48 Quod attinet ad desiderium Dei de bonis creatis, sententiæ oppositæ commemoratæ num. 46. quadantenus videntur posse conciliari.

Etenim, si rigidè mos loquendi communis spectetur, non dicitur quis desiderare id, quod pleno iure, ac potestate in suâ voluntate habet, etiam si per voluntatem alienam exequendum sit. Principes enim, & Domini non dicuntur desiderare, sed velle, aut intendere id, quod per seruos, aut famulos exequuntur. Cum ergo Deus tanquam supremus Dominus omnium, ac Princeps Vniuersi cuncta omnino bona creata, etiam quæ ab arbitrio creato pendent, plenissimo iure, & potestate habeat in suâ voluntate; seruato stricte toto rigore communis sermonis, non videtur dicendus ea desiderare, sed velle. Et hoc est, quod intendit prima sententia negatiua. Cæterùm, quia Deus bona dependentia ab arbitrio creato non extorquet de plenitudine potestatis, atque dominij, sed suaui quadam, humanâque prouidentia ita procurat, ac si ea non haberet in suâ voluntate; non abs iure ea desiderare dicitur, seruata etiam sufficienter proprietate verborum; de quibus bonis in speciali loquutus est Chrysost. citatus supra. De eisdem que potissimum loquuntur Vazq. & alij Auctores secundæ sententiæ, sed distinctiùs, quàm alij, Heriec. Verùm enim verò, quia similem formæ tendendi modum habent omnes Dei volitiones, quibus vult, vt obiecta earum existant, & quæ subinde aliquo modo talium obiectorum sunt causatiua, siue hæc à solo Deo sint oriunda, siue etiam à causis creatis aut necessarijs, aut liberis, siue pro tempore futuro, siue pro præsenti ea causanda amentur; idcirco omnes huiusmodi volitiones non sine ratione sub nomine desiderij complecti possunt vniuersè; præsertim, cùm non habeat vsus specialia verba, quibus eas destinguat. Quo iure nos quoque eas, cùm opus fuerit, indistinctè desideria vocabimus; tametsi interdum loquutio minùs stricta sit. Ex quibus patet, quomodò pars hæc controuersiæ quæ de solo nomine est, componi inter Doctores possit. Pergo ad alteram, quæ non nihil rei habet.

Propositio 3.

Deus non solùm efficaci, sed simplici etiam desiderio ferri potest in obiecta creata. 49

De desiderio efficaci nullum est dubium, suppositâ acceptione latâ desiderij, in qua iam procedimus. Quia decreta, quibus Deus efficaciter creaturarum existentiam decernit, desideria efficacia sunt iuxta acceptionem talem. Dari autem in Deo talia decreta, & de fide certum, & lumine rationis conspicuum est. De desiderio simplici non est tam certa propositio. Ea tamen nihilominùs inde probatur primò. Quia voluntas, quam Deus habet, vt peccatores conuertantur, vtque omnes homines benè operentur, & sanctè viuant, testante Scripturâ sacrâ Ezech. 18. & 33. ad Thessalon. 4. sæpeque alibi; planè est desiderium iuxta dicta. Sed non est desiderium efficax: vel absolutum; cùm sæpe sæpius non impleatur: vel conditionatum; cùm nulla sit excogitabilis conditio eius. Ergo est desiderium simplex.

Secundo probatur. Quia desiderium simplex, saltem eorum bonorum, que à voluntate creatâ pendent, perfectio est nullam imperfectionem Deo repugnantem inuoluens. Ergo tale desiderium possibile est Deo. Id quippe solum imperfectionis videtur in illo excogitabile; quòd argueret in Deo impotentiam obtinendi obiectum desideratum. (Vti sæpe arguit in nobis, qui simplici affectu propterea 50

desideraums aliqua, quòd illa obtinere nos possumus, desideraturi efficaciter, si possemus). At desiderium tale in Deo talem impotentiam non arguit: etsi arguat voluntatem efficacem conseruandi integrè iura libertatis creatæ, aut etiam permittendi oppositum eius, quod desideratur; monstrandique, per se non stare, quominùs illud habeat esse. Pone enim, Deum ex simplici, ardentique desiderio salutis Iudæ contulisse ei auxilia sufficientia, quæ contulit, ad non peccandum; certè tale desiderium non impotentiam, sed suauem, plenam amore, ab omnique imperfectionis neuo prorsus immunem prouidentiam diuinæ voluntatis ostentat; demonstrans pariter perfidam, diabolicamque proteruiam voluntatis Iudæ. Stet itaque, desiderium simplex eorum bonorum, quæ a creatâ voluntate dependent necunde repugnare Deo. Maleque subinde docuisse Recupit. tom. 2. lib. 2. quæst. 10. actum liberum inefficacem dari in Deo non posse. Vtrùm autem ille, quo vult, vt omnes homines saluj fiant, desiderium simplex sit absolutum, vel efficax conditionatum, in Tract. de Prouiden. determinabimus. Vbi citam efficaciter confutabimus vt prorsus impossibile aliud quoddam genus desiderij semiefficacis, quod adstruunt quidam Recentiores veluti medium inter efficax, & inefficax; quo, inquiunt, Deus, quantùm est ex se, efficaciter desiderat salutem omnium, dum ad eam obtinendam media adhibet sufficientia; tametsi illam non obtineat. De quo ibi plura.

51 Difficiliùs est, an circa bona à solâ suâ voluntate pendentia possit Deus etiam desiderium simplex habere. Existimo posse. Quia sæpe huiusmodi desideria valde sunt congrua, & vtilia in Deo, non solùm ad exercendam in illis suam libertatem, sed etiam ad alios fines. Sæpe etiam connaturaliter ex alijs actibus diuinis sequi videntur. Quod argumento est, defacto etiam in Deo reperiri. Dum enim Deus in bonitate absolutâ alicuius subiecti complacet, connaturale est, vt ei desideret quoduis bonum relatum; eo quòd amor subiecti ad ei volendum bonum inclinat. Sed sæpe non potest desiderare efficaciter; quia desiderat efficaciter malum oppositum. Ergo connaturale est, vt simplici desiderio desideret: maximè quia tale desiderium sæpe commendat maximopere bonitatem diuinam pronam ex se ad volendum bonum cuiuis creaturæ, & cum effectu efficaciter volituram, nisi ad volendum efficaciter ei malum oppositum, quasi cogeretur aliunde. Quocirca Patres solent dicere, Deum quasi coactum punire homines propter peccata. Non puniret autem coactus, nisi ex se desiderio simplici à pœnis peccatori inflictis optaret abstinere. Coactè enim non operatur, qui oppositum non desiderat eius, quod facit. Pariterque censendum est, quoties Deus cuiuis creaturæ, quam aliàs amat, efficaciter vult malum aliquo titulo.

Propositio 4.

52 **Deus circa bona impossibilia ne simplex quidem desiderium habere potest.**

Supponit propositio desiderium efficax absolutum de bono impossibili omnino repugnare Deo. Quod est certissimum. Idque ipsum affirmat de desiderio simplici. Probatur autem. Quia de conceptu desiderij etiam simplicis iuxta supperiùs dicta est, tendere per modum conatus ad dandam existentiam obiecto desiderato; ad idque mouere, siue inclinare voluntatem. Sic autem voluntas diuina in obiectum impossibile non potest tendere: cùm sit valde ineptum, & nugatorium, conari quoquo modo in id, quod iudicatur impossibile, vt satis ex se est notum. Et sanè, si Deus simplici desiderio posset desiderare impossibile, consequenter posset media adhibere ad illud obtinendum: quia de ratione desiderij, vt dicebam, est mouere ad apponenda media pro re disiderata obtinenda. Quis autem non videat apertè, esse chymæricum, quòd Deus re ipsâ apponat media ad obtinendum impossibile. Est autem vera propositio tam de impossibili per se, quàm de impossibili per accidens, siue ex suppositione. Quia de vtroque prout impossibili eadem ratio est. Tametsi impossibile per accidens antecedenter ad suppositionem, vnde eius impossibilitas nascitur, benè possit sub desiderium cadere: quia ante talem suppositionem non est impossibile, sed possibile. Cùm tamen impossibile per se semper sit tale; atque ita nunquam affectum desiderij tarminare valeat. Porro in hac, & præcedentibus propositionibus de desiderio absoluto loquuti sumus. De conditionato enim ex parte obiecti inferiùs quæst. 8. tractadum est.

Propositio 5.

Deus neque efficax, neque simplex desiderium potest habere circa bona, quæ aliunde sunt necessaria quoad existentiam.

Addo *aliunde*, vt præscindam à sententiâ Asserentium, Spiritum sanctum procedere à Patre, & Filio per desiderium: qua sententia suppositâ, existentia necessaria, quam Spiritus sanctus habet, non aliunde, quàm ab ipso desiderio, per quod desideratur, habet. Porro bona intrinseca Deo toti Trinitati communia, & necessaria quoad existentiam, quam habent à se, à Deo desiderari non posse peculiari insuper titulo, constat ex dictis propos. 1. Superestque subinde, vt in propos. præsente dumtaxat sit sermo de cæteris distinctis à Deo. Quæ quidem vel per se, vel per accidens necessaria esse possunt, hoc est, vel absolutè, vel ex suppositione, vt dictum de impossibilibus propos. 4. Et de vtrisque pariter agitur in hac 5. Cuius perspicua ratio est. Quia; cùm sit de conceptu desiderij, etiam simplicis, vt sæpe diximus, tendere per modum conatus ad dandam existentiam obiecto desiderato; desiderium quoduis de obiecto, quod supponitur iam aliunde necessario existens, non potest non esse superfluum, atque adeò prorsus irrationabile ex conceptu suo: & consequenter non potest non esse Deo penitus impossibile. Ex hac, & ex præced. propos. sequitur, multò minùs posse Deum desiderare, vt aliquod ens habeat, vel, vt non habeat *esse* quiditatiuum siue essentiam, quam verè habet: quia habere illam, necessariam, & non habere, impossibile omnino est.

Pro-

Propositio 6.

In Deo nec datur, nec est possibi-
34 lis actus spei propriè dictæ. Sicut neque actus audaciæ.

Ita tenent omnes Theologi, prout apud citatos supra videre licet, Ratio autem prioris partis propositionis est. Quia id solum dicitur sperari, quod comparatione sperantis obtentu arduum est, & difficile; quale nullum bonum creatum comparatione Dei esse potest. In quo tamen arduitas ista consistat variè explicatur à Theologis, vt supra num. 18. notauimus. De quo in Tractatu de Spe. Posterioris autem partis est ratio. Quia audacia affectus est aggrediens bonum difficiliter, & cum imminente periculo consequibile. Qualiter nullum bonum potest consequibile esse comparatione Dei; vt constat.

QVAESTIO VI.

Vtrùm in Deo detur amor beneuolentiæ; & amicitiæ; atque etiam amor concupiscentiæ. Et circa quæ obiecta.

55 Propria amicitia secundùm Arist. lib. 8. Eth. ad Nicomacum cap. 2. est *beneuoluntia mutua non latens*. Dicitur *beneuolentia*, vt significetur, debere esse amorem tendentem in amicum propter ipsum, & ex complacentiâ ipsius, non propter commodum amantis, aut ex complacentiâ propriâ; qualiter amor beneuolentiæ strictæ tendit in personam amatam, vt docet ipse Arist. lib. 7. Eth. ad Eudemum cap. 8. Dicitur *mutua*, vt significetur, primò quidem amicitiam nisi inter duos esse non posse: quia nullus sui amicus dicitur. Secundò, amorem amicitiæ circa personam rationalem, quæ redamare possit, versari debere: circa irrationalia enim non potest esse amicitia propria. Tertiò, debere personam amatam defacto amantem se redamare: alioquin amor personæ amantis beneuolentia solum erit, quæ inchoatio quædam est amicitiæ, vt dicit idem Arist. lib. 9. Eth. ad Nicom. cap. 5. Dicitur denique *non latens*, vt significetur, mutuum amicorum amorem debere esse vtrique notum. Hæc tamen vltima conditio non solet recipi à Theologis, vt notat Petr. Hurt. de Charit. disput. 120. sec. 1. §. 3. Porro, licèt beneuolentia strictè sumpta ad alterum ab amante sit, sicut & amicitia: latiùs tamen accepta ad ipsum quoque amantem est. Nam & amor, quo vnusquisque se ipsum amat complacendo in se ipso, siue volendo sibi bonum ex complacentiâ sui, beneuolentia erga se ipsum vocari solet.

56 Quæ cum ita sint, communiter Theologi conueniunt, Deum se ipsum totum adæquatè non amare amore amicitiæ, aut beneuolentiæ strictè sumptæ. Quia deest conditio distinctionis inter amantem, & amatum ad hos affectus requisitæ. Vtrùm autem inter personas diuinas inter se comparatas mutua amicitia reperiatur, sub controuersia est: quam hic non nulli ex professo examinant, & definiunt. Ego verò ad Tract. de Trinitate remittendam censeo. Quia eius resolutio multum dependet ex principijs eius materiæ: modòque de voluntate Dei non vt trini, sed vt vnius agimus. Videntur interim Herice disp. 14. cap. 3. Ruiz disp. 52. de Volunt. sed. 4. & Hemel. tit. 5. disp. 2. cap. 3. Creaturas verò rationales, dùm sunt in statu iustitiæ, amari à Deo amore amicitiæ propriæ, vnanimiter defendunt Theologi cum Magistro in 3. dist. 32. & S. Th. 1. p. q. 20. art. 2. & 2. 2. q. 23. art. 1.

Iam verò de amore concupiscentiæ Dei erga 57
sua intrinseca bona duplex sententia est. Prima, non dari in Deo talem amorem. Hanc sententiam sequitur Albiz disp. 4. de Volunt. sec. 5. n. 3. eamque probat; quia ad amorem concupiscentiæ requiritur distinctio realis inter bonum amatum, & subiectum, cui amatur; qualis non datur inter Deum, & sua intrinseca bona. Consentit Soar lib. 3. de Angelis cap. 4. n. 5. Subscribit etiam Herice disp. 14. n. 12. putans, saltem amorem ipsum concupiscentiæ debere distingui realiter à bono amato; qualiter in Deo non distinguitur. Addit tamen n. 13. quia in Deo distinguitur virtualiter, virtualiter saltem posse dici amorem concupiscentiæ. Ruiz verò disp. 52. de Volunt. sec. 5. n. 9. eamdem sequitur sententiam ductus aliâ ratione: quia nimirum amor concupiscentiæ formaliter vt talis vult bonum vtile, vel iucundum prout tale est amanti, vel amico amantis; non autem, prout est honestum reddens amabilem amicum. Totum autem bonum, quod Deus sibi vult, prout est summum bonum honestum, quo redditur summè amabilis, illud vult. Secunda sententia, quam docti Recentiores sequuntur, est, in Deo erga sua intrinseca bona dari amorem concupiscentiæ. Hæc de concupiscentiâ Dei vt vnius. De concupiscentiâ verò vnius Personæ diuinæ respectu alterius etiam est iis. Albiz, & Recentiores commemorati eam concedunt. Ruiz negat. Herice virtualiter solùm admittit. Sed nobis hìc de priore solùm augendum est, altera in Tract. de Trinit. vt in proprium locum remissa.

Denique de concupiscentiâ diuinâ respicien- 58
te bona creata Ruiz n. 10. dicit, nullum Doctorem efferere dari in Deo, ita, vt Deus talia bona sibi ipsi concupiscat: licèt aliqui concedant, concupiscere ea suis amicis, videlicet hominibus. Cùm tamen Soarez vbi supra expressè asserat, amorem, quo Deus vult sibi bona extrinseca; vt honorem, laudem, &c. concupiscentiam dici posse respectu talium bonorum. Id quod sæpe etiam affirmat Alarc. tract. 3. disp. 2. cap. 3. & alij Recentiores. Quinimo id ipsum videtur expressum in S. Th. 1. p. q. 20. art. 2. ad 3.

Propositio 1.

Deus erga se ipsum actum amitiæ; 59
aut beneuolentiæ strictè sumptæ habere non potest. Benè tamen actum beneuolentiæ latiori modo acceptæ,

Constat ex dictis. Quia de conceptu amicitiæ, & beneuolentiæ strictæ est, terminari ad alterum. Beneuolentiâ verò latâ se ipsum amat vnusquisque, dum in se ipso complacet, vel sibi vult bonum quoduis ex complacentiâ sui iuxta dicta n. 55.

Propositio 2.

Deus amore amicitiæ propriè dictæ prosequitur creaturas rationales, quandiu in statu iustitiæ sunt.

60 Adeò certa est hæc propositio, vt, eam negare, dignum erroris notâ censeri debeat, vt benè sentit Ruiz disp. 52. de Volunt. sec. 6. n. 7. Repetit quippe Scriptura sæpe, iustos amicos esse Dei: quales non essent quidem, nisi Deus quoque esset eorum amicus: cùm amicitia ex proprio conceptu non possit non mutua esse, vt ex eius definitione tradità constat. Psal. 138. *Nimis honorati sunt amici tui Deus.* Sap. 7. *Participes facti sunt amicitiæ Dei.* Lucæ 12. *Vos amici mei estis.* Et infra. *Vos autem dixi amicos.* Et sæpe alibi. Temerè autem tam repetita loca in sensu improprio, aut minùs stricto vsurparentur; præsertim, quando Scholastici omnes cum Patribus in sensu proprio accipiunt illa. Et confirmari potest ex Trid. Sess. 6. cap. 7. sub initium. Vbi homo ex inimico dicitur fieri amicus per iustificationem.

61 Cæterùm contra statutam propositionem obijci potest primò. Vna ex conditionibus amicitiæ propriè dictæ est æqualitas inter amicos ex Arist. lib. 8. Eth. ad Nicom. cap. 5. & 7. & lib. 9. cap. 3. & 8. & lib. 7. Eth. ad Eudemum cap. 6. 11. & 12. Sed à creaturis rationalibus ad Deum infinita est distantia. Igitur inter Deum, & creaturas rationales amicitia propriè dicta subsistere nequit. Respondeo, ipsum Arist. in eodem lib. 8. ad Nicom. cap. 7. 11. & 14. & cap. 5. & 11. citato ex lib. 7. ad Eudem. quoddam genus amicitiæ distinguere, quam appellat *suprematiæ secundùm excessum*, vt Regis ad subditos, Parentis ad filios, & Dei ad homines. In quo genere amicitiæ, dicit, non esse possibilem æqualitatem arithmeticam; esse tamen possibilem geometricam, id est, quòd tam inferior, quàm superior alteri reddat, quantum potest, & debet ex lege amicitiæ, seruatâ proportione ad personas. Ex quo apparet, inæqualitatem inter personas ex mente Arist. alicui amicitiæ propriè dictæ non aduersari: & consequenter æqualitatem oppositam non esse conditionem necessariam ad omnem amicitiam propriam: estò ad eam sit, quæ æqualitatem arithmeticam seruat in suis actibus. Adde, inæqualitatem personarum quodammodò ad æqualitatem redduci, si superior ad inferiorem se demittat, vt Cic. lib. de Amicitiâ præcepit, ipsumque inferiorem ad se eleuet, quantum opus sit. Quod vt assequeretur Deus, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, *Semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo.* ad Philip. 2. *Maximaque, & prætiosa nobis promissa donauit, vt per hæc efficiamini diuinæ consortes naturæ.* 2. Petri 1. Quo factum est, vt neque ista amicitiæ conditio in amicitiâ diuinâ desideretur.

62 Secundò obijcitur. De conceptu propriæ amicitiæ est, vt vidimus, amare amicum propter ipsum, velleque ei bonum præcisè ex complacentiâ ipsius absque vllo respectu ad commodum proprium. Sed Deus nihil amat creatum, quod ad se, ad suamq; gloriam non referat iuxta illud Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Ergo in Deo comparatione creaturarum non datur amicitia propria. Egrè se expediunt ab hoc argumento, qui putant, nullam omnino volitionem posse in Deo dari, quæ non habeat pro motiuo formali bonitatem diuinam. Quo posito, ad id omnes eorum solutiones reuocantur, in idve recidunt, vt dicant, respectum illum vniuersalissimum, & transcendentem omnes diuinos actus, quo Deus se ipsum tanquam formale motiuum respicit, dum quoduis creatum obiectum amat, nihil obstare veræ, & propriæ amicitiæ Dei, nec posse in ipso amicitiam sine tali respectu dari; quantumuis amicitia creata simili respectu carere debeat. Quod certè aliud non est, quàm confiteri, in amicitiâ diuinâ non reperiri conditionem illam tantopere ab omnibus requisitam ad rationem propriæ amicitiæ; quòd scilicet amans ad se non respiciat amore, quo suum amat amicum. Videantur Gran. tract. 6. de Vol. disp. 1. sec. 2. & Alarc. tract. 3. disp. 2. cap. 3. Nos igitur, qui ex opposito stabiliuimus disp. 32. q. 2. posse optimè voluntatem Dei in bonitatem creatam ferri tanquam in motiuum formale, facilè amicitiam diuinam, cæteraque virtutes morales, quæ in bono creato nituntur ex proprio conceptu, cum omni omnino proprietate collocamus in Deo, prout in eâ quæstione videre licet; cuius doctrina ad rem præsentem recognoscenda est.

63 Porro hic solùm loquuti sumus de amicitiâ Dei quoad esse physicum spectatam. Quomodò autem honestas moralis eius componi possit, retento motiuo proprio, quod ea quoad esse physicum habet, disp. 35. explicandum est. Iam verò, quòd Deus creaturas irrationales amore amicitiæ non prosequatur, tanquam certum apud omnes omitto. Id namque clarè præse ferre definitio amicitiæ data. Videatur S. Th. supra, & Vazq. disp. 82. cap. 2.

Propositio 3.

Deus affectu concupiscentiæ propriè dictæ vult sibi ipsi omnia sua intrinseca bona.

64 Quoniam ad rationem concupiscentiæ propriè dictæ absque fundamento exigitur aliud, quàm, quòd sit amor, quo quis amat sibi quod uis bonum ex complacentiâ sui ipsius. Deum autem amare sibi omnia sua bona ex complacentiâ sui, & per se est notum, & satis constat ex dictis supra disp. 33. q. 1. Occurrit Herice. in nobis concupiscentia transcendentaliter refertur ad bonum concupitum, & ad personam, cui concupiscitur; ab eisque subinde realiter distincta est. Ergo amor, quo Deus sibi vult sua bona intrinseca, cùm non distinguatur à Deo, & ab ipsis bonis realiter, non potest realiter esse concupiscentia. Mala consequentia. Pariter enim posset in ferri, Deum nec se cognoscere, nec se amare realiter. Quia in nobis actus, quibus nos cognoscimus, & amamus realiter, à nobis ipsis distincti sunt; qualiter in Deo esse nequeunt. In Deo igitur, vti reperitur propriissimè secundum omnes cognitio, & amor sui absque imperfectione distinctionis in nostris actibus reperta. Ita pariter dicenda est reperiri concupiscentia suorum bonorum. Ex quo etiam patet contra Albiz, ad rationem propriæ concupiscentiæ neque requiri distinctionem inter bonum concupitum, & subiectum cui concupiscitur, prout arbitratur ipse. Quod diserte

disertè docuit Vazq. 1. p. disp. 232. n. 7. & Ruiz disp. 52. de Volunt. sec. 5. fine.

65 Iam verò, quod dicebat Ruiz, amorem concupiscentiæ dumtaxat ferri in bonum vtile, vel iucundum, non item in bonum honestum, non video, cui solido fundamento subnixum sit. Sed estò sit ita. Quis dubitet, bona diuina, quorum possessione est Deus beatus, Deo esse vtilissima, & iucundissima, vt sicque ab ipso amari? Nihil ergo oberit, quominùs talis amor propria concupiscentia sit. Et quidem, si ratio honesti obesset, neque erga bona creata haberet Deus amorem concupiscentiæ, quèm Ruiz admittit; quia nullum amorem habet Deus, qui ex se, & ex obiecto suo non sit honestissimus.

Propositio 4.

66 **Deus non solùm suis amicis, sed etiam sibi vult bona creata affectu propriè dictæ concupiscentiæ.**

Constat ex dictis. Quia ad huiusmodi affectum ampliùs non requiritur, quàm, quòd ametur bonum relatum alicui subiecto ex complacentiâ ipsius. Deus autem non solùm vult suis amicis bona creata ex complacentiâ ipsorum; sed etiam sibi ex complacentiâ sui; vt constat ex sæpe dictis in hac materiâ, præsertim disp. 32. q. 2.

QVAESTIO VII.

Quinam affectus fugæ reperiantur, aut reperiri possint in Deo. Et circa quæ obiecta.

67 POsse dari in Deo, aut etiam dari de facto odium latè, siue genericè acceptum (quod etiam fuga, latè, siue genericè sumpta vocari solet) circa quodlis malum non solùm morale, sed etiam physicum, disp. 33. q. 6. stabiliuimus. De odio, & fugâ sumptis specialiter, de alijsque affectibus commemoratis supra q. 2. n. 19. tractandum nobis modò est.

Propositio 1.

68 **Deus erga quodlis malum siue morale, siue physicum odium strictè, & specialiter sumptum habere potest. Defactoque habet prout sibi decentissimum est.**

Hæc propositio eodem prorsus modo venit probanda, ac alia, qua supra q. 3. statuimus, Deum erga creaturas posse habere, de factoque habere amorem strictum in honestissimâ mensurâ. Quia eadem omnino est ratio de odio stricto malorum, ac de amore stricto bonorum. Quocirca in hanc propositionem omnes debent conuenire Theologi, qui sine controuersiâ attribuunt Deo amorem strictum circa bona creata; etsi tantumdem expressè non definierint de odio stricto malorum: quia punctum hoc non discusserunt.

Propositio 2.

Deus odio inimicitiæ propriè dictæ 69 **prosequitur peccatores, vt tales sunt.**

Hæc propositio est contra Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 7. n. 5. Coninc. disp. 29. de Actib. supern. dub. 1. n. 22. Ruiz disp. 54. de Volunt. sec. 3. Pasqualig. disp. 37. de De sec. 1. & alios. Sed eam tenent Vazq. 1. p. disp. 84. cap. 3. Arrub. q. 20. n. 6. Herice disp. 20. cap. 4. Alarc. tract. 3. disp. 7. cap. 3. Martinon 1. p. disp. 16. num. 39. Arriag. disp. 25. sect. 4. Franc. de lugo disp. 35. cap. 3. Ribas disp. 12. cap. 3. Smising. tract. 3. disp. 5. n. 52. Felix de Volunt. cap. 6. diff. vnicâ, & plures alij. Probatur autem primò ex Scripturâ, vbi sæpissimè peccatores dicuntur absolutè, & simpliciter inimici Dei. Psal. 20. *Inueniatur manus tua omnibus inimicis tuis.* Psal. 36. *Inimici verò domini mox vt honorificati fuerint, &c:* Psal. 67. *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius.* Iacob. 14. *Qui voluerit amicus esse sæculi huius, inimicus Dei constituitur.* Et aliàs passim. Hinc enim imprimis apparet, peccatores cum omni proprietate esse inimicos Dei: nam in præsenti fas non est Scripturam ad sensum metaphoricum detorquere, vt sæpe in simili notauimus; & Aduersarij confitentur. Ex quo rursus sequitur, Deum odio inimicitiæ propriè dictæ prosequi peccatores. Insurgit tamen contra hanc sequelam Ruiz vbi supra dicens, ex eo, quòd peccatores propriè sint inimici Dei, nihil ampliùs in ferri, quàm, Deum non esse amicum illorum: nam amicitia debet esse reciproca; inimicitia verò non item. Sed prorsus malè. Quia proprius inimicus sine propriâ inimicitiâ stare non potest, vt constat: & inimicitia propria aliud non est ab odio proprio inimicitiæ, vt est manifestum. Vel igitur peccatores propriè inimici Dei dicuntur veluti actiuè; quia odio propriæ inimicitiæ Deum prosequuntur: vel veluti passiuè; quia odium diuinum inimicitiæ propriæ terminant. Si secundum; habemus intentum, vt patet. Primum autem à sensu Scripturæ alienum est. Quia in eâ omnes peccatores vniuersè dicuntur inimici Dei; cùm tamen pauciissimi sint, qui odio formali inimicitiæ Deum prosequantur. Hoc ergo ipso, quòd per Scripturam habemus, peccatores esse inimicos Dei propriè: consequenter etiam habemus, Deum odio inimicitiæ propriæ prosequi ipsos; vt nostra propositio fert.

Quæ inde secundò venit probanda. Quia 70 certum est, Deum amore amicitiæ propriè dictæ prosequi iustos prout tales iuxta dicta q. 6. posit. 2. Ergo certum quoque debet esse, Deum odio inimicitiæ propriè dictæ peccatores prout tales prosequi. Quia, sicut iustus specialiter bonus, & à Deo amabilis redditur per iustitiam; ita peccator specialiter malus, & à Deo odibilis redditur per peccatum. Nec minùs pertinet ad Deum, odisse malùm, quàm, amare bonum.

Tertiò probatur propositio. Quia Deus non 71 solùm peccata, sed peccatores etiam odit; vt supra disp. 33. q. 6. posit. 1. tanquam certum manet statutum ex sacrâ Scripturâ. Sed non odit illos odio abominationis. Ergo odit odio inimicitiæ. Aliud enim genus odij non est. Probo minorem. Quia odium abominationis tantùm versatur circa malum alicui subiecto relatum.

Pec-

Peccator autem non alteri relatiuè, sed in se absolutè malus est malitiâ quadam absolutâ accidentaliter proueniente ex peccato, iuxta doctrinam vniuersalem de diuersitate malorum traditam disp. 32. q. 1. Tali enim malitiâ peccator obiectum in se absolutè malum euadit, dignumque proinde displicentiâ absolutâ Dei, atque adeò odio inimicitiæ in tali displuentiâ potissimùm consistente.

72 Quartò probatur. Quia peccator per peccatum non solùm pœnâ, sed etiam odio Dei redditur dignus, vt communiter docent Theologi. Ergo ad Deum pertinet, non solùm eum punire vt rerum, sed etiam illum odio habere vt inimicum.

73 Quinto denique probatur. Quia in odio inimicitiæ erga peccatorem vt talem nulla datur imperfectio repugnans Deo, vt ex eorum solutione, quæ Aduersarij opponunt, constabit. Ergo negandum non est, esse illud Deo possibile. Defacto autem eatenus illud habebit, quatenus ipsi fuerit decentissimum, seu honestissimum iuxta sæpe in præcedentibus dicta de alijs eiusmodi actibus, qui liberi Deo sunt.

74 Opponit tamen contra propositionem nostram Ruiz. Primò Hierony. Malach. 1. exponentem de odio metaphorico verba illa Prophetæ. *Esau autem odio habui*. Sed ego imprimis ipsum Hieronymum oppono asserentem ad illud Zachariæ 8. *Omnia hæc sunt, quæ odi. Iuxta Malachiæ verba dicentis. Et omnia, quæ oderam faciebatis. In præceptis, quæ ad vitam pertinent, & sunt perspicua, non debemus quærere allegoriam, ne iuxta Comicum nodum quæramus in scirpo*. Cùm enim tam perspicuè, tamque frequenter doceat Scriptura, Deum odio habere peccatores, nodum erit in scirpo quærere, velle eam ad metaphoram detorquere. Aliud est de loco Malach. Vbi per odium Esau, & dilectionem Iacob, illius reprobatio, & huius electio significatur facta; *Cùm nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*. vt exponit Paul. ad Rom. 9. Vnde non mirum, doceat Hieronymus odium ibi attributum Deo erga Esau metaphoricè esse accipiendum.

75 Secundò obijcit Ruiz quædam loca Scripturæ, & Patrum. In quibus aut significatur, aut asseritur, Deum peccatores diligere. Sed nobis hæc non aduersantur. Quia benè potest Deus diligere peccatores in quantum sunt homines ab ipso facti, & boni bonitate physicâ; & eos simul odisse, in quantum sunt peccatores, & mali moraliter. Quòd expresè docent August. lib. 1. ad Simplicianum q. 2. post medium, & S. Th. 1. p. q. 20 art. 2. ad 4.

76 Tertiò obijcit Dionys. de diuinis nominibus cap. 4. inter medium, & finem, & Damasc. in Dialogo contra Manich. longè post mediùm, asserentes, peccata quidem mala esse; peccatorum verò pœnas malas non esse. Ex quo videtur sequi, Deum non odio habere peccatores, dum illos punit. Respondeo ab istis, ab alijsque Patribus pœnam peccati sæpe inter mala non reputari; tum quia comparatione peccati nihili debet æstimari malitia eius: tum quia sæpe multa fert secum vera bona. Alioquin negari non potest, malum quoddam physicum esse; quod Deus in pœnam peccati, atque adeò etiam ex odio in peccatorem vt talem potest infligere. (Sit, aut non sit de conceptu punitionis, velle punito malum pœnæ, vt malum est eius, ex displicentiâ ipsius, de quo modò non curo). Tametsi sæpissimè Deus ex amore erga peccatorem, dum ille est in statu resipiscendi, ipsi malum pœnæ soleat infligere vel tanquam medicinam, vel tanquam materiam meriti, vel alio titulo proficuo.

Quartò obijcitur ex Pasqualigo. Omnis 77
displicentia & inquietudinem secum affert, & bonum complacentiæ minuit: quæ imperfectiones sunt repugnantes Deo. Ergo nulla displicentia datur in Deo verè, & propriè, & consequenter neque odium. Respondeo primò, si quid hoc argumentum probat, contra omnes Theologos probare, nullum affectum dari in Deo circa vllum malum prout tale. Vnde patet, nihil illud probare. Respondeo secundò; etsi displicentiæ nostræ eas secum ferant imperfectiones communiter; vel quia passiones excitant appetitus sensitiui; vel quia sunt de malis nobis nocibis; aft displicentias diuinas, vt pote purè rationales, de malisque nullatenus nocibis Deo, ab eiusmodi imperfectionibus prorsus immunes esse. Vide solutionem alterius obiectionis huius Auctoris, & aliorum disp. 33. q. 6. n. 85.

Quintò ex alijs obijcitur. Si quando Deus 78
peccatores odisset, maximè, cùm eos punit, volendo scilicet eis malum pœnæ ex displicentiâ ipsorum. Sed tunc non. Ergo nunquam. Minor probatur. Quia tantum abest, vt sit de conceptu punitionis odium puniti; quòd potiùs vitiosum sit ex odio punire. Vitio enim verteretur iudici, patri que creato, si ille reum, hic verò filium punirent ex odio. Respondeo; licèt in nobis sit vitiosum punire reum ex odio personæ secundum se; non tamen ex odio illius quatenus peccatoris, vt cum S. Th. 1. p. q. 20. art. 2. ad 4. docent multi Theologi. Vnde multò melius erit Deo integrum ex odio peccatoris quatenus talis punire eum: tametsi de conceptu punitionis non sit odium puniti. Quod ad rem nihil interest.

Propositio 3.

Quàm propriè, diximus quæst. 5. pro- 79
posit. 2. & 3. dari posse, defactoque dari in Deo affectum desiderij erga bonum. Tam propriè dicendum est modò, dari posse, aut etiam dari defacto in ipso affectum fugæ specialiter dictæ erga malum.

Quoniam fuga specialiter dicta affectus est directè oppositus desiderio, vt supra quæst. 2. num. 19. notauimus. Vnde Soar. Vazq. Henric. & alij citati quæst. 5. num. 46. qui in Deo desiderium admittunt, etiam admittunt fugam specialem; negantibus hanc, qui negant illud; & ibi etiam citati sũt. Itaque consentanè ad dicta de desiderio quæst. illa 5. propositione 2. asserimus, affectum, quo Deus potest nolle, vt existat malum in aliquo tempore siue futuro, siue præsenti, iure optimo vocari fugam specialem; sicut affectus, quo potest velle, vt existat bonum in aliquo tempore siue futuro, siue præsenti, meritò desiderium vocatur. Dico autem *specialem*. Quia nomen *fuga* generaliter etiam sumi solet pro omni displicentiâ de malo.

Porrò; sicut desiderium in simplex, & ef- 80
ficax diuiditur; ita etiam fuga specialis est ex tendenda in simplicem, & efficacem, vt loco citato notauimus; & vtraque citra dubium possibilis est Deo. Quia vtraque æquè, ac prædicta

dicta desideria, ab omni imperfectione est immunis. In qua autem mensurâ, & circa quæ obiecta dentur huiusmodi affectus fugæ defacto in Deo, per regulam sæpe repetitam aliorum actuum Dei liberorum metiendum est; nimirum prout honestissimum Deo fuerit, illos habere.

Propositio 4.

81 Tristitia propriè dicta nullatenus reperitur in Deo. Sicut nec dolor proprè acceptus.

Ita cùm S. Th. 1. par. quæst. 20. art. 1. docent omnes Theologi. Caiet. Mol. & alij expositores ibi, Vazq. disput 84. cap. 1. & disput. 242. cap. 1. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 7. Herice disput. 20. cap. 4. Alarc. tract. 3. disput. 7. cap. 3. Ruiz disput. 54. de Volunt. sec. 4. & alij. Non probo propositionem, vt Ruiz, & alij; eò quòd respectu Dei nihil sit malum reuerâ nociuum, & læsiuum, iuxta illud Iob. 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis? &c.* Nam id vt summùm probat, Deum de malis proprijs tristari, aut dolere non posse. Non posse verò de amicorum suorum malis, ipsis reuerâ nociuis, atque læsiuis, certè id non probat. Quare indo probanda est propositio. Quia tristitia, & dolor, anxietatem, & angustiam præ se ferunt in suo conceptu prorsus indignam Deo; ab eiusque summâ beatitutine longissimè alienam. Cum quo stat benè, sine vllâ imperfectione posse in Deo repereri affectum displicentiæ immunem à dictâ anxietate, quemadmodùm de quouis bono oppositum affectum gaudij potest habere, vt ex superiùs dictis liquidum est.

82 Ex quibus patet, in sensu metaphorico, aut translatitio accipiendam esse Scripturam, quoties in eâ tristitia, mœror, aut dolor Deo attribuitur; vt Genes. 6. *Tactus dolore cordis.* Ezechiel. 20. *Et in omnibus istis contristabas me, &c.*

Propositio 5.

83 Affectus etiam proprij timoris; & propriæ desperationis longè absunt à Deo.

Quia dicunt etiam in suo conceptu manifestam imperfectionem omnino repugnantem Deo; vt ex eorum definitionibus traditis quæst. 2. num. 19. compertum est. In quo nulla est inter Theologos controuersia.

84 Quod hìc solent etiam vocare in dubium, est, vtrùm ira propriè dicta conueniat Deo. Affirmat Soar. in Opusc. de Iustitiâ diuinâ sec. 5. num. 2. & lib. 3. de Attrib. cap. 7. num. 8. cum Lactantio lib. de Ira Dei cap. 17. Plerique tamen Theologi negant cum Magist. in 1. dist. 45. & S. Th. 1. par. quæst. 20. art. 1. Dequo plura Vazq. disp. 84. & cap. 4. Rniz. disp. 54. de Volunt sec. 5. Dissidium verò, vt & cætera huiusce generis, ad solum loquendi modum reducitur; alijs hanc, alijs illam definitionem iræ propriè dictæ assignantibus. Lactantius enim & cum eo Soar. iram dicunt, esse *motum animi ad coercendum peccata insurgentis.* Qui sanè motus absque vllâ prorsus imperfectione potest in Deo reperiri. Cæteri verò cum Arist. lib. 1. de Animâ tex. 16. *Ira*, inquiunt, *est appetitio doloris vicissim aduersario inferendi.* Siue, vt definit Nemes. lib. Animæ facultatibus cap. 2. *Ira est vecruciationis appetitus.* Id est affectus vlciscendi injuriam cum dolore, siue cruciatu animi acceptam: qualis in Deo citra dubium reperiri non potest. Ex hisce tamen duobus loquendi modis licèt secundus magis communis, ac magis receptus videatur apud Scholasticos, & Patres: quorum testimonia aliqua refert Ruiz. primus tamen videtur mihi præferendus, & retinendus propter sacram Scripturam; in qua passim tribuitur ira Deo absolutè, & absque limitatione. Scriptura enim, in ijs præsertim, quæ frequenter repetit, neutiquam ad sensum metaphoricum est detorquenda, cùm sumi potest in sensu proprio; vti in præsenti facilè potest, accepto vocabulo iræ pro voluntate vindicandi, seu puniendi peccata: quæ in Deo reuerâ, & citra imperfectionem datur: estque pars præcipua institiæ vindicatiuæ. Quam propriè in Deo reperiri, infra disput. 35. quæst. 3. statuemus cum Theologorum, & Patrum sententiâ communi.

QVAESTIO VIII.

An dentur, vel dari possint in Deo decreta efficatia conditionata ex parte obiecti. Et quid de cæteris actibus ex parte etiam obiecti conditionatis.

BIfariam vocari solet decretum conditionatum; primò ex parte actus; secundò ex parte obiecti solùm. Decretum conditionatum ex parte actus dicitur, quod absolutè non existit; existeret tamen, si poneretur talis conditio. Tale est decretum, quod Deus haberet conferendi gloriam Iudæ, casu, quòd decessisset in gratiâ; defacto verò non habuit, quia defuit ea conditio. Decretum autem conditionatum solùm ex parte obiecti est, quod, cùm existat absolutè, versatur tamen circa obiectum conditionatum, hoc est, affectum sub hypothesi aliquâ circunstantiâ, seu conditione. Tale est illud, quo quis absolutè decernit ingredi religionem, si suus pater consenserit, si incolumis è naufragio euaserit, vel si aliud euenerit. Igitur de decretis conditionatis exparte actus dubium non est, quin Deo conueniant: cùm constet fore, vt Deus innumera decreuisset, quæ non decreuit, si tales, aut tales subsisterent conditiones, quæ non subsititerunt, De conditionatis solùm ex parte obiecti est difficultas. 85

Vazq. 1. par. disput. 67. num. 21. existimat, huiusmodi decreta impossibilia esse in Deo. Quam sententiam latissimè defendit Alarc. tract. 3. cap. 8. & sequentibus, enixè contendens, nein voluntate quidem creatâ esse possibiles affectus ex parte obiecti conditionatos. Id quod sensisse etiam Vazq. 1. par. disput. 83. num. 2. 1. & 1. 2. disput. 42. cap. 3. & 4. latè conatur persuadere Alarc. pluribus tamen alijs eiusdem Vazq. discipulis refragantibus, qui op- 86

posi-

positum suadere contendunt. In quo nobis non vacat immorari. Citat autem Alarc. pro sententiâ negante Deo dicta coditionata decreta Henr. lib. vlt. de fine hominis cap. 4. num. 2. Mendocam, Augustinian. Quodl. quæst. 7. scholas concl. 3. num. 13. & Molin. 1. par. quæst. 14. art. 13. disput. 15. 17. & 18. Sed hi Doctores dumtaxat videntur reijcere decreta conditionata introducta à Thomistis tanquam necessaria ad hoc, vt Deus cognoscat veritates conditionatas, vtpote quorum pleraque non possunt non esse ociosa, & indigna Deo: non item alia vtilia, & Deo digna. Communis igitur Theologorum sententia est, non solùm esse possibilia, sed defacto etiam dari in Deo aliqua decreta conditionata ex parte obiecti. Ita Molina in Concordi à quæst. 19. art. 7. disput. 1. Salas 1. 2. tract. 6. disput. 1. sec. 5. Soar. in Opusc. lib. 2. de Scientiâ futur. cap. 7. & proleg. 2. de Gratiâ cap. 8. Arrub. 1. par. disput. 45. cap. 4. Herice disput. 7. num. 39. Ruiz disp. 71. de Scient. sec. 7. & sequentibus, & disput. 8. de Volunt. sec. 7. Tann. disput. 2. de Deo quæst. 10. dub. 3. Martinon disput. 14. sect. 9. Card. de Lugo tom. de Pœnit disput. 7. sec. 9. Ribaden. disput 22. de Volun. cap. 3. Carmelit. Salmant. cum alijs Thomistis 1. par. disput. 9. Felix cum alijs Scotistis cap. 6. de Scient. diff. 2. Et plerique alij Scholastici, qui vnanimi consensu docent, voluntatem, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri secundùm Paulum 1. ad Timot. 2. conditionatam esse exparte obiecti, prout videbimus in Tract. de Prou. disp. 40. q. 1.

Propositio 1.

87 **Decretum efficax conditionatum exparte obiecti, & absolutum ex parte actus possibile est Deo.**

Loquor indefinitè; quia modò non definio, an Deus huiusmodi decretum conditionatum possit habere circa omne bonum conditionatum, vel tantùm circa aliqua; de quo postea. Probo-que propositionem imprimis; quia quemadmodùm multa sunt obiecta conditionatè vera, atque ita cognoscibilia; sic etiam sunt multa obiecta conditionatè bona, atque ita amabilia, vt patet in ijs, quæ nos conditionatè amamus, quoties aliquid conditionatè pacisicimur, aut promittimus, aut proponimus: quod passim fit in conuictu humano. Ergo sicut Deus obiecta conditionatè vera citra omnem controuersiam potest cognoscere; sic etiam dicendus est amare posse obiecta conditionatè bona.

88 Respondent Aduersarij, nullum esse obiectum conditionatè bonum, quod per actum voluntatis existentem absolutè amabile sit. Quia voluntas non potest ferri absolutè in id, quod bonum non est, sed esset, si poneretur conditio. Quemadmodum visus in id, quod actu non est coloratum, sed esset, si poneretur conditio, per visionem actu existentem ferri non potest. Vnde infert Alarc. neque in nobis esse possibilem affectum ex parte obiecti conditionatum. In contractibus enim, promissionibus, votis, & cæteris actibus humanis, qui conditionati dicuntur, vt summùm reperiri affectum simplicem absolutum ex parte obiecti, qui vertute alium continet efficacem; quatenus ita afficit voluntatem, vt hæc citra dubium in affectum efficacem eiusdem obiecti prorumperet, casu, quod talis, aut talis poneretur conditio: quæ est doctrina Vazq. locis citatis. Ad exemplum autem scientiæ conditionatæ (quæ in Deo negari non potest) respondet Alarc. interea, & amorem conditionatum esse latum discrimen. Nam scientia in obiecto conditionato veritatem absolutam habet, in quam ferri possit; quæ itat in connexione conditionis cum conditionato. Amor verò non habet absolutam bonitatem; quia dicta connexio non apprehenditur vt bona voluntati: bonitas autem, quæ sub conditione Proponitur non est absolutè, sed esset, si poneretur conditio; atque ita non est amabilis, sed esset. Sicut paries, qui non est illuminatus, sed esset, non est visibilis, sed esset.

Multa in solutione ista tanguntur, quæ spe- 89 ciali egent examine. Incipio ab hoc postremo. Et primùm suppono in sententiâ Societatis, vt Deus cognoscat veritates conditionatas, nullâ opus esse connexione antecedentis cum consequente; quia scientia, quam nos mediam vocamus, conditionatorum contingentium non est illativa, sed coniunctiua: qua videlicet non iudicatur conditionatum tanquam quid illatum ex conditione, sed vt quid ei coextiturum, casu, quòd ipsa existat, prout supra disp. 28. q. 6. & 7. latè explicatum est. Quòdsi huiusmodi coexistentiam, seu coniunctionem conditionati cum conditione vocat Alarc. connexionem, imprimis malè loquitur. Deinde malè supponit, talem connexionem, quæcunque ea sit, esse absolutè, & de præsenti. Nam in veritate conditionatâ nihil est re ipsâ absolutè, sed esset, si poneretur conditio; nec per scientiam conditionatam quidquam absolutum cognoscitur, vt vult Alarc., alioquin non conditionata, sed absoluta scientia esset. Qui enim iudicat, consensurum Petrum, si vocaretur, existentiam consensus Petri, siue eius coexistentiam cum vocatione iudicat, non quæ est, sed quæ esset, si existeret vocatio. Dici tamen solet nihilominùs (quod forsan fefellit Alarc.) obiectum conditionatum absolutè, & de præsenti esse verùm, & cognoscibile; non quidem; quia aliquid eius sit absolutè, & de præsenti; sed quia id, quod est conditionatè, per actum absolute, & de præsenti existentem iudicabile verè est. Quemadmodùm existentia mea hodierna ab æterno dicitur fuisse vera, & cognoscibilis; non quia ipsa ab æterno fuerit; sed quia per actum ab æterno existentem ex tunc fuit verè iudicabilis, iuxta dicta etiam latè supra disp. 27. q. 2. & 3. Igitur quod contendimus impræsentiarùm est, quemadmodùm per actum absolutè existentem est cognoscibile obiectum, quod non est absolutè, sed esset sub hypothesi conditionis, ita pariter sub eadem hypothesi amabile esse. Cuius profectò nullum congruum discrimen adferri potest. Adde, malè negari ab Alarc. id, quod per scientiam conditionatam tangitur (quidquid sit illud) bonum, & amabile esse, & consequenter attingibile per conditionatum amorem: nam, quidquid est positiuè verum, non potest non esse bonum saltem transcendentaliter; quòd satis est, vt sit amabile, vti fatentur omnes. Præterquamquòd laus illud est bonum insuper respectiuè ad cognoscentem, quo nihil desiderare potest Alarc. quominùs sit amabile. Bonum quippe mihi est contendam mihi esse gloriam, si habuero merita: quod certa fide, atque conditionata credo. Et quibus patet, peiùs negari ab Alarc. in nobis possibi-

possibiles esse actus ex parte obiecti conditionatos. De quo inferiùs plura.

90 Illud habet difficultatem, quod ipse Alarc. ex Vazq. desumptum opponit ab exemplo visus; qui certè in obiectum non illuminatum absolutè per actũ absolutè existentem ferri non potest, quantumuis illud conditionati foret illumenandum. Tantumdemque in alijs potentijs ad obiecta sua comparatis euenire videtur. Vnde videtur pariter inferendum, neque voluntatem ferri posse per actum absolutè existentem in obiectum non bonum absolutè, sed conditionatè dumtaxat.

91 Docti quidam Recentiores, qui actus ex parte obiecti conditionatos tam in Deo, quàm in nobis tuentur, respondent ad difficultatem, dupliciter posse esse obiectum conditionatum. Primò ita, vt bonitas eius ponatur pro conditione, vt, *Volo me interficere, id si esset bonum*. Secundò ita, vt res alia diuersa à bonitate ponatur, vt, *Volo ingredi religionem, si pater consenserit*. Et in primum quidem genus conditionati obiecti, planè fatentur, esse impossibile, quòd feratur voluntas per actum absolutè existentem: quia, cùm non sit bonum, sed esset, neque est obiectum voluntatis, sed esset. In quo, inquiunt, voluntas conuenit cum visu, & cæteris potentijs, quæ actualiter ferri nequeunt in id, quod non est eorum obiectum, sed esset, si poneretur conditio. In secundum verò genus obiecti conditionati, dicunt, benè ferri posse voluntatem per actum absolutè existentem: quia in tali obiecto non est bonitas sub conditione, sed illud cum tali conditione repræsentatur vt absolutè bonum; atque ita sub eàdem conditione potest amari, intendente voluntate ex vi sui actus, coniungere obiectum ipsum cum ipsa conditione.

92 Non capio. Arguo sic. Cùm volo ingredi religionem, si pater consenserit, non moueor à bonitate, quam habet nudus ingressus religionis in se; sed à bonitate, quam habet vt vestitus circunstantiâ consensus paterni. Est certum: quia aliàs absolutè, & independenter à tali conditione mouerer, ac vellem ingredi religionem. Sed bonitas ingressus relegionis vt tali circunstantiâ vestiti non est, sed erit, posità conditione. Ergo idem est, volo religionis ingressum, si pater consenserit, ac, volo religionis ingressum, si fuerit bonus eâ bonitate, quam appeto, & quæ me mouet. Ergo nihil interest ad rem, quòd ponatur ex parte conditionis bonitas amanda in obiecto conditionato, vel aliud quidpiam. Et confirmari potest. Quia intellectus iudicans, Petrum consensurum, si vocetur, non iudicat veritatem obiectiuam, siue existentiam consensus Petri, quæ absolutè est, sed quæ erit ex hypothesi, quòd ponatur vocatio. Ergo nihil vetat, quòd voluntas amet bonitatem, quæ absolutè non est, sed erit, si ponatur conditio; siue conditio sit ipsa bonitas, siue aliud quidpiam, vnde ea est oriunda.

93 Stet igitur, intellectum, & voluntatem in verum, & in bonum conditionatum absque limitatione prædictâ optimè ferri posse per actum absolutè existentem: quauis visus pariter ferri non queat in coloratum, aut lucidum conditionatum, neque aliæ huiusmodi potentiæ in conditionatum obiectum. Etenim, præterquàm quòd intellectus, & voluntas ob suam vniuersalitatem, & perfectionem plura, pluribusque modis possunt attingere, quàm aliæ potentiæ inferiores, proprium intellectus est, posse facere hypotheses, sub quibus conditionatè iudicet, quid foret, aut non foret. Vnde voluntas, quæ ab intellectu dirigitur, conditionatè item tendere potest in id, quod foret, aut non foret sub hypothesibus ab intellectu factis. Quæ hypotheses cùm ab alijs potentijs sint prorsus alienæ, & modus tendendi in obiecta sua conditionatè, seù sub hypothesi alienus ipsis quoque est. Sed est aduertendum, obiectum conditionatum quoad entitatem, vt sicque proinde non habens esse absolutum, in ratione tamen obiecti eatenus posse, solereque dici absolutum, quatenus actus absolutè existentis aut intellectus, aut voluntatis obiectum est.

Obijcitur tamen contrà dicta. Iste actus 94
est impossibilis voluntati. *Volo me interficere, si id esset bonum*. Ergo obiectum, cuius bonitas ponitur in hypothesi, non est amabile à voluntate. Concesso modò antecedente. Nego consequentiam. Nam, si dictum obiectum à voluntate non est amabile, aliunde id habet quàm; quia bonitas eius ponitur in hypothesi. Est clarum: nam & hic actus est pariter voluntati impossibilis. *Volo Mariam ducere, si esset diues*. In quo tamen non bonitas, sed aliud quidpiam ponitur in hypothesi. Tum actus hic possibilis est, defactoque datur sæpissimè in voluntate. *Volo facere, quod petis, si mihi fuerit bonum*. Licèt ponatur in hypothesi bonitas eius.

Quod vt declarem, integræque resolutioni 95
quæstionis sternam viam, suppono primò ex sententiâ communi, nullam voluntatem posse absolutè, & efficaciter desiderare id, quod iudicat impossibile. Quia nequit voluntas totum suum conatum impendere ad ponendum id, quod iudicat, poni non posse. Quod de voluntate diuinâ certo certiùs est. Quæ quidem (quid quid sit de creatâ) ne simplici quidem desiderio ferri potest in impossibile iuxta doctrinam iam suprà stabilitam q. 5. posit. 4. Sunt autem hæc vera, loquendo tam de impossibili per se, quod tale est simpliciter, quàm de impossibili per accidens, quod tale est ex suppositione, iuxta dicta ibidem.

Hinc suppono secundò, nec desiderio con- 96
ditionato ex parte obiecti, & absoluto ex parte actus posse voluntatem ferri efficaciter in bonum conditionatum iudicatum absolutè impossibile, quale est illud, cuius conditio impossibilis iudicatur. Quia isto etiam genere desiderij impenderet voluntas totum suum conatum ad ponendum id, quod iudicat poni non posse; quod tamen seriò nequit facere, vt dictum num. preced. Etenim per desiderium efficax conditionatum etiam conatur voluntas, vt existat obiectum, licèt non absolutè, sed pro casu, quòd existat conditio, sub qua tale obiectum desiderat. Quò fit, vt voluntas neutiquam tale desiderium habere possit, nisi, dum spes adest, quòd talis conditio est extitura; qualis adesse nequit, quando conditio iudicatur aut impossibilis per se, aut non extitura, & consequenter impossibilis per accidens, siue ex suppositione. Demonstrat id in nobis experientia quotidiana. Siquidem nemo seriò, & ex animo valet cum altero contrahere sub conditione, de qua constat, esse impossibilem, aut non futuram. Quis enim non rideret illum, qui sic contraheret cum altero, *Cras ducam tuam simiam vxorem, si fuerit mulier. Hunc librum tibi dono, si non esset scriptus. &c.* Ex quibus patet, eiusmodi desideria efficacia obiectorum de conditione impossibili non solùm voluntati diuinæ, sed etiam creatæ repugnare. Qualiter diuinæ saltem (quid quid sit de creatâ) existimo repugnare etiam de-

sideria simplicia eorumdem obiectorum. Tametsi nec diuinæ, nec creatæ repugnent affectus alterius generis tendentes in eiusmodi obiecta; de quibus mox.

97 Ex his deprehendes, cur nequit voluntas affectu per verbum de præsenti modi indicatiui significato ferri in obiectum conditionatum, cuius conditio exprimitur per verbum de præterito subiunctiui. E. g. *Absoluo te, si esses dispositus. Volo Mariam ducere, si esset diues.* Ratio enim est. Quia per verbum præsens modi indicatiui significatur desiderium, per præteritum autem subiunctiuum supponitur, conditionem significatam reuerà non subsistere, atque adeò illam per accidens saltem esse impossibilem: desiderium autem tendere nequit in obiectum conditionatum de conditione iudicatâ impossibili, vt explicatum est. Vnde rursus apparet, quoties per verbum etiam subiunctiui, seu optatiui nostrum affectum significamus dicendo, *Absoluerem te, si esses dispositus. Vellem Mariam ducere, si esset diues*; actum, quem absolutè, & de præsenti regulariter habemus in tali casu circa obiectum conditionatum, non esse affectum desiderij adhuc simplicis, sed affectum peculiaris naturæ, prout exponemus propos. 7. Qui quidem affectus, licèt in se formaliter non sit efficax; (quia solus affectus desiderij potest esse talis); virtute tamen dicitur desiderium efficax eiusdem obiecti continere; eique subinde quoad moralitatem, & imputationem æquiualet, vt benè docuit Vazq. supra. Quia ita afficit, atque disponit voluntatem, vt hæc citra dubium in desiderium efficax eiusdem obiecti prorumperet, si conditio, sub qua illud placet, non cerneretur impossibilis per se, aut per accidens. Ita enim per talem actum voluntas ad tale obiectum sub tali conditione afficitur, vt non per ipsam, sed per conditionis impossibilitatem stet, quominus efficaciter illud hìc, & nunc velit, seu desideret. Vtrùm autem huiusmodi affectus virtualiter solùm, & æquiualenter efficax, sit ex parte obiecti absolutus, vt docent Vazq. & Alarc. vel potius conditionatus, in eadem propos. 7. determinandum est. Dixi, dum ita pronunciamus, *Hoc facerem, aut hoc vellem, si esset talis conditio*; regulariter nos habere affectum prædictum. Quia fieri potest, vt illud non habeamus. Nimirum, si dicta verba merè recitatiuè, speculatiuève proferamus ad denotandum non actum, quem de præsenti habemus, sed præcisè, quem haberemus, si daretur conditio. Quo casu nihil nobis de præsenti imputabitur. Sicut nec, cùm affectum alterius sub aliqua conditione futurum simili modo loquendi significamus.

98 Suppono tertiò, quando conditio, seu circunstantia, sub qua aliquod obiectum placet, iudicatur, iudicioque supponitur iam absolutè existens, siue purificata, nequaquam posse voluntatem per affectum conditionatum in huiusmodi obiectum ferri sub tali conditione. Quia bonitas talis obiecti eruunda ab ipsâ conditione iam non est bonitas conditionata, sed absoluta; atque ita non conditionati, sed absoluti affectus obiectum est: idemque est, quando conditio iudicatur necessariò extitura. Demonstat hoc etiam ipsa experientia. Quia nemo vnquam sanæ mentis ita contraxit. *Librum, quem scripsi, dabo tibi, si scriptus est. Tuum equum album emam, si fuerit albus. Si cras sol fuerit in cœlo, Romam ibo. &c.* Itaque desiderium conditionatum, præsertim efficax, neque esse potest de obiecto, cuius conditio iudicatur per se impossibilis; nec de obiecto, cuius conditio iudicatur iam absolutè deficiens, atque adeò per accidens impossibilis; nec de obiecto, cuius conditio iudicatur iam absolutè existens, aut necessariò extitura ob rationes dictas. Consequitur ergo, vt tantùm possit esse de obiecto, cuius conditio iudicatur possibilis, indifferensque ad existendum, & non existendum. Ob id namque in conuictu humano contractus conditionati suspensam tenent voluntatem contrahentium in ordine ad effectum per illos intentum, donec constet de purificatione conditionis, aut de eius defectu.

Itaque, vt voluntas per desiderium condi- 99
tionatum tendere possit in obiectum aliquod, prout subest alicui conditioni, seu prout connotans illam, necessè imprimis est, hypothesim de tali conditone præire, factam scilicèt ab intellectu per simplicem apprehensionem hypothesis constitutiuam. Deinde est necesse, præire iudicium de præcisâ possibilitate talis conditionis; & non præire iudicium vel de illius existentiâ, vel de illius necessitate per se, vel per accidens existendi: neque iudicium vel de illius non existentiâ, vel de illius necessitate per se, vel per accidens non existendi. Quæ omnia ex dictis satis sunt nota, His ita positis pergo ad reliqua.

Propositio. 2.

Deus nihil potest efficaciter, & conditionatè decernere, nisi sub conditione iudicatâ possibili, in differenteque ad existendum, & non existendum. 100

Constat ex dictis. Quia sub conditione quoquo modo impossibili, aut necessariâ in suâ existentiâ ne voluntas quidem creata potest quidpiam efficaciter desiderare, seu velle desiderio conditionato, vt vidimus.

Sed hinc contra propositionem sequi videtur, nullum omnino posse Deum habere decretum conditionatum ex parte obiecti. Quia nullum est obiectum conditionatum, de cuius conditione Deus planè non iudicet, eam absolutè existere, aut absolutè non existere pro suâ mensurâ. Certè, si nos certam, & claram. omnium euentuum notitiam haberemus, nihil decerneremus sub conditione; imo nec possemus decernere tali notitiâ instructi. Decernimus tamen; quia videntes esse possibiles circunstantias, sub quibus nobis obiecta placent, nescimus, an sint futura, vel non futuræ. Sicque, vt si forsan fuerint, quid pro tali casu velimus, conditionatè determinamus: qui modus cognoscendi, seu potius ignorandi euentus longè abest à Deo. Hoc argumentum benè probat, Deum ex indigentiâ necessitiæ de existentiâ circunstantiæ non cogi, vt nos, ad decernendum conditionatè, quod aliàs sub tali circunstantiâ oportet decernere: posset enim illud absolutè, vt subest tali circunstantiæ, decernere, ductus per scientiam absolutam de existentiâ ipsius circunstantiæ, aut abstinere à decreto, si videret, circunstantiam non extituram. Non tamen probat, non posse Deum decernere conditionatè obiectum antecedenter ad notitiam de existentiâ aut non existentiâ circunstantiæ, seu conditionis, ductum per aliam scientiam præuiam de possibilitate, & contingentiâ ipsius circunstantiæ, simul ac per eius hypothesim. Quemadmodùm enim, quòd

quòd Deus nequeat absolutè decernere rem, quam absolutè iam videt existere, vel non existere, ductus visione istâ absolutâ de rei existentiâ, aut non existentiâ, non tollit, posse eum illam absolutè decernere ductum scientiâ aliâ anteriori de eiusdem rei possibilitate. Ita, quòd nequeat Deus rem conditionatè decernere sub conditione, quam iam videt aut existentem absolutè, aut non existentem, ductus huiusmodi visione, siue notitiâ; non tollit, posse eum rem ipsam sub eadem conditione decernere conditionatè ductum aliâ scientiâ anteriore de possibilitate, & contingentiâ ipsius conditionis. Cernere id ipsum licet in promissionibus, comminationibus, alijsque huiusmodi actibus conditionatis; qui quidem æquè, ac decreta conditionata, repugnant Deo prout videnti iam absolutè existentiam, aut non existentiam conditionum: quia eadem de his, ac de decretis ratio est, vt perpendenti notum fiet. Et tamen, vt ex sacris Scripturis constat, multa Deus conditionatè promisit, comminatus est, & præcepit, siue consuluit. Aliterque id subinde non potuit præstare, nisi ductus notitiâ præuiâ de sola possibilitate, & contingentiâ conditionum.

102 Sed posset quispiam adhuc instare. Prædictum Dei decretum conditionatum videri prorsus inutile, & nugatorium. Nam, qui plane, & apertè cernit conditionem absolutè existentem, aut absolutè non existentem, perperam vtens scientiâ anteriore de contingentiâ ipsius conditionis videtur determinationem anteuertere, decernens rem conditionatè cum periculo frustrandi, seu cassum faciendi conatum suæ voluntatis: cùm posset, expectatâ aliâ notitiâ, decernere rem absolutè, vt subest tali conditioni, seu circunstantiæ, si ea existit absolutè, aut, si absolutè non existit, penitus abstinere à decreto; quandoquidem, vt ponimus, res non placet, nisi vt affecta conditione, seu circunstantiâ ipsâ. Respondeo, neutiquam esse inutile, aut nugatorium dictum decretum. Sicut nec sunt alij actus conditionati Dei, quorum conditiones Deus videt aut existentes absolutè, aut non existentes, nimirum promissiones conditionatæ, comminationes, præcepta, exhortationes, & consilia conditionata. Vti enim actus isti facti ex notitiâ de solâ possibilitate, & contingentiâ conditionum (quo solum pacto ferio, & ex animo fieri possunt) multas secum vtilitates adferunt ad hominum gubernationem; tametsi sæpe non consequantur effectum, ad quem diriguntur naturâ suâ. Ita decretum conditionatum multas pariter vtilitates ad eamdem gubernationem potest adferre, de quibus infra; tametsi sæpe non sortiatur effectum, quem intendit directè: quia non purificatur conditio. Quo casu dici non potest frustrari, aut cassari, loquendo propriè, conatus eius; quia non est conatus absolutus, sed conditionatus, nempe pro casu, quo subsistat conditio, non item pro casu, quo non subsistat. Et quidem, sicut decreta humana conditionata concepta prius tempore, quàm sciatur, num sit ponenda conditio, aut secus, inutilia non sunt, sed multa commoda adferunt in humano conuictu, etiam, quando integrum erat, illa suspendere, donec sciretur, num conditio erat extitura, vel secus. Ita decreta diuina conditionata concepta priùs naturâ, quàm sciatur, num sit extitura conditio, aut non extitura, non sunt inutilia censenda: quia, quod inter homines præstat ad rem prioritas temporis, sola prioritas naturæ valet præstare in Deo, vt in similibus casibus sæpe contingit.

Sed rursus præterea instari potest. Idcirco 103
Deus ductus iudicio de impossibilitate conditionis non potest conditionatè desiderare obiectum; quia desiderium quoduis de re iudicatâ impossibili per se euadit irritum, & inane, atque necessario frustrandum desiderato effectu. Sed eiusdem repugnantiæ est in Deo, concipere desiderium frustrationi expositum, ac, concipere desiderium necessariò frustrandum. Ergo nec potest Deus ductus iudicio de possibilitate, & contingentiâ conditionis conditionatè desiderare obiectum, exponendo, vt reuerâ exponeret, suum desiderium periculo non consequendi effectum defectu talis conditionis, quod esset exponere illud frustrationis periculo. Nego maiorem absolutè. Nam Deus non propterea nequit conditionatè desiderare obiectum sub conditione iudicatâ impossibili; quia tale desiderium per se, & necessariò cariturum est absolutè desiderato affectu. Sed quia tale desiderium suapte naturâ ex vnâ parte est conatus tendens ad dandam existentiam obiecto; ex aliâ verò ad id omnino est impotens, & inutile; cùm supponat, obiectum esse absolutè impossibile. Quæ duo compati nequeunt in eadem naturâ. Conatus quippe ad aliquid impossibile supponens illud esse impossibile implicatorius est: quia est essentialiter frustraneus, ex proprioque conceptu excludens potentiam ad id, ad quod est conatus. Cùm tamen de conceptu conatus sit, aut talem potentiam habere, aut saltem illam non excludere. Itaque hæc est ratio legitima, cur nulla voluntas per desiderium adhuc simplicem tendere possit in obiectum iudicatum impossibile vt tale. Non quia desiderium de obiecto absolutè impossibili de facto est cariturum affectu. Hoc enim desiderio simplici, & efficaci conditionato etiam diuino non repugnat, vt ex dictis est notum. Quibus proinde desiderijs neque repugnat, esse exposita periculo, seu contingentiæ non consequendi absolutè effectum, vt liquet.

Ex quibus palam deprehendes, cur, repug- 104
nante desiderio de obiecto indicato absolutè impossibili non repugnet desiderium de obiecto iudicato possibili. Quia nimirum hoc non est inutile, sicut illud, suapte naturâ ad causandam existentiam obiecti: cùm possit mouere desiderantem ad ponenda media pro illo obtinendo: quod alterum præstare non potest. Qui enim aut absolutè, aut conditionatè desiderat, quod, iudicat, se posse obtinere, ex tali desiderio moueri potest ad apponenda media pro illo obtinendo. Vti Deus ex desiderio, aut simplici, aut conditionato salutis possibilis Iudæ mouebatur ad conferenda ei auxilia, quibus conuerti posset. Si quis tamen desideraret simplici, vel conditionato affectu, quod iudicabat impossibile, inde ad ponenda media pro eo obtinendo moueri profectò non posset. Quia, sicut non potest voluntas intendere efficaciter, & absolutè id, quod iudicat impossibile: ita nec potest absolutè illud per media apposita procurare.

Stat itaque firmum, neque diuinam, neque 105
creatam voluntatem posse aut absolutè, aut conditionatè desiderare obiectum iudicatum absolutè impossibile vt tale; quale est illud conditionatum, cuius conditio impossibilis iudicatur: pariter enim non potest non ipsum iudicari impossibile, vt subest tali conditioni, qua ratione attingendum est per desiderium conditionatum. Quod

æquè est verum, siue per se, siue per accidens impossibile iudicetur prædictum obiectum, iuxta superiùs dicta. Cùm tamen benè possit quæuis voluntas desiderare obiectum quoduis iudicatum possibile, siue illud sit absolutum, siue sit condinionatum, cuius conditio iudicatur possibilis, & ipsum consequentero biectum, prout subest tali conditioni.

Propositio 3.

106 Possibilitas cognita conditionis, sub qua potest Deus conditionatè quidpiam decernere, non solùm metaphysica, aut physica, sed etiam moralis esse debet.

Ratio est in promptu ex dictis. Quia cùm moralis impossibilitas fere æquiualeat metaphysicæ in ordine ad praxim, quatenus nunquam ad existentiam peruenit, quod est moraliter impossibile, sed semper, & infallibiliter deest: nequit decretum de obiecto conditionato sub conditione iudicatà moraliter impossibili non esse suapte naturà inutile, & inane relatè ad praxim, atque adeò prorsus nugatorium, & indignum Deo. Quia ex vnà parte est conatus naturà suà tendens ad dandam existentiam obiecto; ex alià verò naturà etiam suà fert secum moralem impossibilitatem concurrendi ad illam, quatenus eiusdem obiecti moralem impossibilitatem suà ipsà naturà supponit, supponens esse moraliter impossibilem conditionem, sub qua vult illud. Quo fit, vt prudenter saltem, & cordatè à nulla voluntate concipi possit. Vide id in nobis, quorum si quis ita seriò, & ex animo decerneret, siue paciscetur. *Mille aureos dabo tibi, si fuero Papa. Templum Matriti edificato, si fuero Rex. Filiam tuam ducam vxorem, si in filium me Rex adoptauerit.* Ludibrio sane à cæteris exciperetur; stultusque reputaretur: cùm tamen talium decretorum, siue contractuum conditiones moraliter solùm sint impossibiles. Dixi, prudenter saltem, & cordatè a nullà voluntate posse talia decreta concipi. Quia existimo, ne physicè quidem posse. Æquè enim repugnat, quòd tendat per desiderium voluntas in id, quod iudicat moraliter impossibile; ac, quòd tendat in id, quod iudicat impossibile metaphysicè. Siquidem moraliter impossibile, etsi non simpliciter, & per se, per accidens tamen, siue ex suppositione est metaphysicè impossibile, quatenus semper supponitur non extiturum.

Propositio 4.

107 Non omnia obiecta conditionata de conditione possibili possunt decerni à Deo; sed ea solùm, quorum decreta honestam aliquam vtilitatem afferunt secum. Decreta quippe huiusmodi vtilitate vacua tanquam otiosa, & inania, atque adeò prorsus impossibilia sunt releganda à Deo.

Propositio est certissima. Quia Deus nihil potest velle inutiliter, & in honestè: cùm ad summam eius perfectionem pertineat, honestè semper, & vtiliter operari, vt est notissimum. Solùm est dubitabile, quænam decreta conditionata honestam vtilitatem secum adferre censenda sint. Quænam verò non item.

Dico, ea talem vtilitatem secum adferre, quæ 108
commoda aliqua adferunt consentanea prouidentiæ diuinæ. E. g. Ponamus, voluntatem illam, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, iuxta Apost. 1. ad Tim. 2. esse decretum conditionatum, & efficax, vt sentiunt plerique Theologi, quo Deus cunctis hominibus vult dare gloriam, si per ipsos non steterit, vel si decesserint in gratiâ. Ecce commoda prouidentiæ Dei consentanea, quæ ex tali decreto sequuntur. Per illud enim imprimis eximiè manifestatur amor Dei erga homines, & vehementia desiderij, quod habet, quantùm in se est, de salute omnium. Deinde nouo quodam titulo firmatur promissio, qua Deus cunctis in gratiâ decedétibus promisit gloriam; *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*; vt ait Paulùs in simili ad Hebræ. 6. Sic enim non solùm obligatione promissionis, sed etiam efficaciâ decreti habemus nobis Deum antedecenter deuinctum ad conferendam nobis gloriam, si per nos non steterit. Præterea promissio ipsa per dictum decretũ sincerior, & purior euadit, ab omnique specie fictionis, & simulationis detergitur. Nam, licèt ad verè, & validè promittendum necesse non sit, quòd promittens simul decernat efficaciter id, quod promittit; quia propositum implendi promissum comitans promissionem ad eius essentiam non requiritur; dummodò adsit animus se obligandi ad exequendum, quod promittitur, & consequenter ad volendum efficaciter exequi illud: quia tamen regulariter, connaturaliterque tale propositum, seu decretum solet comitare promissionem; idque subinde verba promissoria denotant communi hominum æstimatione: nequit non diuina promissio magis immunis ab omni fictione, magisque connaturalis euadere, si, dum Deus cunctis hominibus sub conditione gloriam promittit, simul sub eâdem conditione proponat, decernatque efficaciter illam dare. Quæ sanè commoda, & similia non prouenirent, si voluntas, quam Deus habet saluandi omnes, desiderium esset simplex salutis eorum. Cùm tamen e contrà vtilitates etiam talis desiderij in dicto decreto efficaci conditionato saluandi omnes reperiantur. Pari ratione, quoties Deus aliquid promittit, commi-natur, præcipit, aut consulit, vt sæpe in Scripturâ cernitur, non sine similibus commodis decretum conditionatum, & efficax eiusdem obiecti adstrui poterit; & vniuersim, quotiescunque ex tali decreto vtilitas aliqua similis consona prouidentiæ diuinæ, & digna Deo deprehendatur prouenturæ.

An verò, quoties nulla huiusce generis vti- 109
litas, siue commoditas ex decreto conditionato cernatur prouentura, confestim illud tanquam inutile, & inane, atque adeò Deo impossibile damnandum sit, non est facile determinare. Sicut nec regulam certam præscribere ad discernendum, quando huiusmodi decreta, aliàs de conditione possibili, tanquam otiosa, & inhonesta sint reijcienda à Deo. P. Soar. proleg. 2. de Gratiâ cap. 8. n. 22. & sequentibus, quem docti Recentiores sequuntur, ait, quoties conditio obiecti conditionati à solo Deo ponenda est independenter ab arbitrio creato, nullatenus tale obiectum posse à Deo sub tali conditione decerni; quia tale decretum esset vanum, frustraneum, & otiosum. Quo iure asserit, neutiquam decreuisse Deum pœnitentiam Tyriorum, & Sidoniorum, quam Christus prædixit Math. 11. sub conditione,

re, quòd in Tyro, & Sydone ab ipso factæ fuissent virtutes. Mouetur primò: quia perperam, & nugatoriè decerneret Deus aliquid sub conditione à se ponendâ, decernens simul absolutè eam non ponere. Secundò: quia per huiusmodi decretum Deus ex vnâ parte esset paratus ad exequendam rem decretam, ex aliâ verò non esset: quandoquidem, pendente conditione à se solo, neque hanc, neque rem decratam exequeretur.

110 Me verò rationes istæ ad assertionem P. Soar. non mouent. Non prima: quia non minùs est nugatorium decernere aliquid sub conditione absolutè præuisâ non exiturâ, quàm absolutè decreta non extitura. Et tamen, etsi Deus absolutè præuideat, non extituram conditionem pendentem ab arbitrio creato, antecedenter tamen ad talem præuisionem benè potest aliquid sub ipsâ conditione præuisâ vt possibili decernere, vt ex dictis hactenus constat: & ipse Soar. fatetur. Ergo, etsi Deus absolutè decernat, vt non existat conditio à solo suo arbitrio dependens; antecedenter tamen ad hoc decretum benè potest sub conditione ipsâ precognitâ vt possibili, & contingente aliquid ali d decernere conditionatè. Quod enim in nobis antecessio temporis ad rem præstare potest, in Deo antecessio naturæ præstare valet, vt supra n. 102. notabam. Constat autem, nos sæpe serio, & vtiliter decernere aliquid sub conditione a solo nostro arbitrio oriunda antecedenter ad tempus, in quo purificanda est illa, vel secus; vt, si quis ita proponat. *Si vesperi è domo exiuerim, amicum inuisam. Si me ad scribendum determinauero, à te calamum petam. &c.* Nec ratio secunda adducta à Soar. me mouet. Quia, sicut antecedenter ad præuisionem de non existentiâ conditionis oriundæ ab arbitrio creato per decretum conditionatum potest Deus esse paratus ad efficiendam rem decretam: tametsi in sensu composito cum tali præuisione iam paratus dici non possit: quia, tali præuisione suppositâ, est iam impossibile obiectum dicti decreti. Ita pariter, etsi Deus nequeat dici paratus ad efficiendam rem conditionatè à se decretam sub conditione à solo suo arbitrio pendente, postquam absolutè decreuit talem conditionem non ponere: antecedenter tamen ad hoc decretum obiolutum non est, cur non possit dici per illud conditionatum paratus: quia pro illo signo antecedente possibile, & contingens est, vt purificetur conditio; sicque res sub illâ decreta perueniat ad exequutionem.

111 P. Ruiz locis citatis n. 86. duplex genus decretorum conditionatorum distinguit. Alia vocat merè conditionata, quæ nimirum neque formaliter, neque virtualiter continentur in aliquo decreto absoluto. Qualia forent, inquit, omnia decreta, quæ non pertinerent ad regimen actualiter exercendum in aliqua differentiâ temporis, vt, si Deus decerneret, quæcunque futura essent ex hypothesi, quòd ipse alios Mundos crearet. Alia vocat decreta mixtè conditionata, ideſt, contenta in decreto aliquo absoluto, & vniuersali, ob idque pertinentia ad regimen actualiter, & absolutè exercendum. Qua ratione, ait, Deus decreuit Adamum in Paradiso retinere, si non peccaret; & Iudam in Apostolatu, si fur, & proditor non esset; tum omnes homines saluare, si legem seruauerint; & alia huiusmodi. Et de his quidem decretis asserit, possibilia esse Deo, & plura in ipso reperiri defacto. Quod probat. Quia ad rectam gubernationem, melioremque prouidentiam pertinet, multa decreta huius generis contineri. Qualia continentur, inquit, in legibus vniuersalibus, in promissionibus, in comminationibus, in alijsque prædictionibus conditionatis, quas passim legimus in Scripturâ. De alijs verò decretis merè conditionatis vniuersaliter asserit, impossibilia esse Deo. Quod probat primò: quoniam, suppositâ scientiâ visionis de non futuririone conditionum, inutile esset, & otiosum quoduis decretum purè conditionatùm; antecedenter autem ad talem præuisionem esset præmaturum, intempestiuum, & superfluum. Secundò: quia decretum purè conditionatum de re non futurâ absolutè, nihil conferret ad Vniuersi gubernationem; proindeque esset otiosum. De re verò absolutè futura esset superfluum: cùm satis sit absolutum decretum, vt illa absolutè ponatur. Tertiò: quia, si Deus cuncta decerneret conditionatè, antequam absolutè, nullum decretum absolutum haberet liberum; quia decreta conditionata cum conditionibus purificatis prorsus auferrent libertatem absolutorum. Vnde rursus inferri censet, fore Deum necessitatum ad dandam gratiam efficacem intuitu boni vsus eius. Hæc Ruiz latiùs.

Sed mihi profectò non placet. Primò; quia 112
non satis explicat discrimen inter decreta purè, & mixtè conditionata, nec continentiam, qua, dicit, alia contineri in absolutis, alia non item. Secundò; quia prima, & tertia ratio, quibus tanquam impossibil a reijcit decreta purè conditionata, si quid probant, de cæteris etiam omnibus probant, impossibilia esse. Ob id enim primam contra omne cõditionatum decretum obiecimus nos, atque deluimus supra n. 102. Tertia verò materiam tangit in Tractatu de Prouidentiâ agitandam; vbi videbimus, quomodò decretum conditionatum purificatâ conditione transeat in absolutum; quin aliud absolutum sit necessarium: & quomodò hoc, casu, quòd detur, liberum euadere possit non obstante priore. Tertiò non placet; quia in secundâ ratione ad idem assumptum adductâ non satis probat, cur decreta purè conditionata sint otiosa, & superflua. Si enim talia censenda sunt, quæcunque nihil commodi adferunt ad prouidentiam Dei absolutam, vt benè docet Soar. supra num. 10. quia, quod absolutè ad nihil est vtile, eo ipso formalissimè otiosum est quoad esse absolutum. Supererat adhuc probandum id, quod etiam prætermisit ipse Soar. decreta, quæ titulo otiositatis reijciuntur à Deo, (siue eâ purè conditionata, siue aliter nomines), nihil omnino conferre ad prouidentiam Dei absolutam: quod non est facile probatu, vt innuebam supra.

Ratio difficultatis est. Quia nullum est de- 113
cretum conditionatum obiecti aliàs honesti, & de conditione possibili, quod non sit vtile saltem ad hoc, vt Deus suam libertatem exerceat, vt habeatque nouam quamdam, & absolutam veritatem, quam cognoscat, & amet, & possit reuelare creaturis, vt cognoscatur, & ametur ab illis: vt habeat etiam materiam nouam, propter quam ab ipsis creaturis laudari possit. Si enim Deus nouâ laude, & gloriâ dignus efficitur, quòd liberè ponit in naturâ rerum lapillum; cur non, quia liberè ponit decretum excedens lapillum in perfectione, quantum exercitium liberum vitæ diuinæ excedit creaturarum vilissimam? Est etiam vtile quoduis decretum conditionatum ad infinitas denominationes extrinsecas ex illo cum cæteris entibus pullulaturas à Deo etiam, & creaturis cognoscibiles, & amabiles. Quæ sanè vtilitates

tes abundè sufficere videntur, ne vllum decretum conditionatum titulo otiositatis præcisè relegetur à Deo.

114 Dicendum tamen nihilominùs est, multa eo titulo præcisè venire releganda. Quoniam otiositas vituperabilis actus non excludit vtilitatem, quam actus secum fert essendi, & exercendi potentiam, cuius est actus, & terminandi sui cognitionem, & fundandi denominationes extrinsecas, quæ à coexistentiâ cum ipso participant cætera entia. Alioquin nullus actus humanus esset possibilis otiosus, & titulo otiositatis vituperabilis; cùm nullus possibilis sit, qui prædictas vtilitates secum non ferat. In eo igitur consistit vituperabilis otiositas actus, quòd nihil prorsus præstet ille in ordine ad finem, ad quem secundùm naturam, aut secundùm rectam rationem est ordinatus; quidquid ad alios præstet. Cùm ergo infinita sint excogitabilia decreta Dei conditionata, quæ neque ad executionem sui obiecti, quæ est finis, ad quem ordinantur secundùm naturam; neque ad alium finem honestum quidquam omnino præstent. Conficitur ea omnia superuacanea, & otiosa, atque adeò impossibilia esse Deo; quantumuis ex suo conceptu inseparabiliter ferant secum vtilitates essendi, exercendi Dei voluntatem, terminandi sui cognitionem, cæteris rebus coexistendi, & alias huiusmodi, quæ pravis, & bonis actibus communes sunt: ac proinde per se præcisè non possunt facere honestum actum, abstergendo eum à turpitudine otiositatis: qua semel stante, iam non manet ipse apta materia laudis Dei, neque aptum obiectum amoris. Vnde patet discrimen eius à creatione lapilli; quæ & finem, ad quem ordinatur, & alios honestos assequitur; ac proinde non est otiosa. Quæ cum ita sint, obiter colligo, solum titulum exercendi libertatem diuinam, nisi alij adsint, satis non esse ad eximendum Dei volitionem ab omni nota otiositatis: nisi fortasse talis volitio suapte naturâ ad eum dumtaxat finem sit ordinata.

115 Ex quibus omnibus palam est, quænam decreta conditionata titulo otiositatis præcisè sint releganda à Deo: qualia sunt haud dubiè penè omnia, quæ excogitari possunt circa obiecta conditionata futura à Deo, aut etiam à creaturis in aliis Mundis possibilibus ex hypothesi, quòd Deus illos crearet: vix enim erit aliquod huiusmodi excogitabilium decretorum, quod omni vtilitate honestâ non careat; vt benè argumentantur nostri contra Thomistas ponentes in Deo tot conditionata decreta, quot sunt veritates conditionatæ ab ipso cognoscibiles: quasi hæ nisi in huiusmodi decretis ab ipso cognosci non possint. De quo egimus supra disput. 28. quæst. 7.

Propositio 5.

116 **De facto multa dantur in Deo decreta efficacia conditionata ex parte obiecti. Infinita tamen sunt conditionata obiecta, quæ Deus de facto non decreuit conditionatè.**

Priorem partem propositionis probant imprimis loca Scripturæ, quibus Deus sub conditione promittit, aut comminatur aliquid, aut etiam præcipit, vel consulit. E. g. Gen. 4. *Si benè egeris, recipies.* Isai. 30. *Si conuersus fueris, & ingemueris, saluus eris.* Math. 6. *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater vester cœlestis delicta vestra.* 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri.* Subintellige, si per ipsos non steterit. Ioan. 13. *Si non lauero te, non habebis partem mecum.* Isai. 1. *Si volueritis, & audieritis me, bona terræ comedetis; si autem nolueritis, neque audieritis me, gladius deuorabit vos.* Genes. 18. *Si inuenero in Sodomis quinquaginta iustos, &c.* Deuter 11. *Si ergo obedieritis, &c.* Exodi 21. *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi, &c. Si vixati fuerint viri, &c. Si bos cornu percusserit virum, &c.* Huiusmodi enim promissiones, comminationes, & leges conditionatæ, aliaque, quæ passim occurrunt in Scripturâ sacrâ, sufficientissimè significant, habere Deum decreta, sine quibus illæ nec tam immunes ab omni specie fictionis, nec tam connaturales cuaderent, nec tot honesta commoda secum ferrent iuxta id, quod notabamus num. 108. Accedit, quòd huiusmodi conditionata decreta non parum videntur perficere, prouidentiam diuinam, Quod satis est, vt asseramus, ea de facto dari in Deo, cui perfectissimum atque ipsi decentissimum prouidendi genus debet de facto attribui iuxta doctrinam stabilitam disput. 32. quæst. 3.

117 Iam verò secunda pars propositionis ex dictis notissima est. Constat enim, obiecta conditionata de conditione quouis modo impossibili, & ea, quorum decreta otiosa forent, quæ quidem infinita sunt, de facto non decerni à Deo: cùm neque possint. Quibus adde ea obiecta conditionata, quæ, licet physicè possint à Deo decerni, moraliter tamen non possunt, quatenus, si illa Deus decerneret, non operaretur honestissimè, prout ex morali necessitate tenentur operari iuxta doctrinam nuper commemoratam.

118 Porrò, quæcunque in præcedentibus dicta sunt tum de desiderijs conditionatis generatim, tum de decretis Dei conditionatis volitiuis specialim; quæ affectus sunt prosequutionis tendentes in bonum; pariter, suâ proportione seruatâ, dicenda veniunt de affectibus oppositis fugæ conditionatis tendentibus in malum; nempe de fugis specialibus conditionatis, quæ desiderijs opponuntur, & de decretis Dei nolitiuis conditionatis, quæ decretis volitiuis opposita sunt. Quæ quia facilè possunt ab vnoquoque applicari, nobis in hoc morandum non est.

Propositio 6.

119 **Possibilis est etiam Deo, de facto que in eo sæpe datur affectus ille, quem velleitatem vocant, per verbumque optatiui modi significari solet, de quo mentionem fecimus supra num. 97.**

Ita sentiunt Salas, Lugo, & plerique alij ex commemoratis supra num. 86. pro secundâ, & communi sententiâ. Ratio autem est. Quia huiusmodi affectus honestissimus, vtilissimus, & valde consonus ad prouidentiam Dei esse potest; vtpote quo eximiè ostentatur bonitas Dei, einsque erga homines charitas, & alia attributa. Cùm enim affectus iste, etsi formaliter, & effectiuè sit simplex, virtualiter, & æquiualenter, siue

siue affectiuè sit efficax in ordine ad imputationem, vt loco citato dicebamus: consequitur, quoties affectiui efficaci conditionato non datur locus: quia conditio, sub qua appetendum est obiectum iudicatur impossibilis, iuxta doctrinam in superioribus statutam, tunc congruentissimè per istum eius vices suppleri.

120 Hoc igitur genere affectus, arbitror, amare Deum impunitatem Peccatorum, & gloriam Reproborum, etiam, postquam eos videt supplicio, & damnatione dignos: quia, quantùm de se est, vellet eos non punire, neque damnare, si, suppositis eorum peccatis, id fieri posset, seruatâ æquitate suæ iustitiæ. Quocirca ratione huius affectus, quem Deus, dum punit homines, habet, verificatur potissimùm, quod sæpe dicunt Patres, Deum scilicet coactum à Peccatoribus ferri ad eorum punitionem. Hoc etiam pacto censendus est Deus, postquam videt homines lapsos in scelere, velle, vt non lapsi fuissent, si id fieri posset, & alia huiusmodi obiecta: quorum amor citra dubium æquiualenter, & affectiuè, seu quoad imputationem efficax, honestissimus, atque dignissimus est Deo. Vt planè innotescat, semper, &, quauis facta suppositione, optare eum, quàm efficaciter est possibile, iustitiam, & salutem hominum, & vniuersim bonum suarum creaturarum, atque etiam gloriam sui nominis ex talibus bonis oriundam.

Propositio 7.

121 Affectus, quem velleitatem vocant, conditionatus est ex parte obiecti. Diuersusque à cæteris omnibus ex suo peculiari modo tendendi.

Prior pars huius propositionis ostenditur. Quia, dum Deus e. g. isto genere affectus amat Damnatorum gloriam, non amat eam præcisè quoad bonitatem, quam habet secundùm substantiam: vt sic enim nihil obstaret, quominùs eam efficaciter desideraret: atque ita amor eius non virtualiter solùm, sed formaliter esset efficax. Nequit enim esse affectus voluntatis efficax solùm virtualiter, nisi, quando habet obstaculum impediens affectum efficacem formaliter, quem voluntas, nisi illud adesset, conciperet vi præsentis dispositionis. Igitur Deus isto genere affectus gloriam Damnatorum amat quoad bonitatem, quam participaret à circunstantiâ iam impossibili defectus vel dignitatis pœnæ, quam Damnati supponuntur habere, vel æquitatis diuinæ iustitiæ, quæ secum necessariò fert talem pœnam, eius dignitate suppositâ. Est certum. Pergo. Sed talis circunstantia, qua ratione ad bonitatem gloriæ amatam conducit, non iudicatur à Deo absolutè esse, vel fore in casu suppositio; cùm sit in eo circunstantia impossibilis; sed tantum apprehenditur in hypothesi. Ergo affectus tendens in gloriam, vt subest tali circunstantiæ, nequit non esse ex parte obiecti conditionatus, neque absolutus esse potest. Patet consequentia. Quia, vt ex se, & ex dictis in præcedentibus satis est notum, non potest non esse affectus voluntatis conditionatus, quoties tendit in obiectum, vt subest alicui circunstantiæ, non absolutè iudicatæ, sed tamen apprehensæ in hypothesi.

122 Posterior autem propositionis pars probatur. Quia differentia dicti velleitatis affectus à gaudio, & ab amore stricto ex se est satis nota. Siquidem nec tendit in bonum, quia bonum est præcisè, vt amor strictus, nec in bonum, quia existens est, vt gaudium. Differre autem eum à desiderio conditionato, (cui magis videtur assimilari, vtpote quadantenus tendens in bonum vt existat, siue vt existeret), inde etiam apparet: quia desiderium conditionatum, vt in præcedentibus vidimus, supponit esse possibilem conditionem, sub qua tendit in suum obiectum; cùm tamen dictus affectus velleitatis potius supponat, eam esse impossibilem.

Ex quibus constat contra Vazq. & Alarc. 123
eiusmodi velleitatis affectum formaliter simplicem, & virtualiter efficacem, quem per verbum optatiuum *Vellem* denotare solemus, non posse esse absolutum ex parte obiecti, sed prorsus conditionatum esse debere. Neque esse affectum desiderij, vt multi incautè pronunciant, siue supponunt; sed velleitatis specialis suapte naturâ diuersus à cæteris prosequutionis affectibus.

Porrò, vt inter affectus prosequutionis circa 124
bonum iste velleitatis affectus tam in Deo, quàm in nobis censendus est: ita inter affectus fugæ circa malum affectus nolleitatis oppositus, illique in modo tendendi similis tam in Deo etiam, quàm in nobis censeri debet, vt satis ex dictis, & ex se notum est. Talis est affectus, quem Deus circa Damnatos, dum eos damnat, & punit, haud dubiè iuxta dicta habet; quo scilicet nollet, vt illi damnarentur, & punirentur, si id esset possibile, suppositis eorum peccatis, & æquitate suæ iustitiæ.

Propositio. 8.

Intra quoduis genus cæterorum 125
actuum voluntatis Deo possibilium tam prosequutionis, quàm fugæ actus conditionati ex parte obiecti dari possunt. Dabuntur autem de facto, prout ipsi fuerit decentissimum.

Ratio à priori primæ partis propositionis est. Quia intra quoduis genus affectuum Deo possibilium possibiles sunt, qui in obiectum proprium tendant prout subest alicui conditioni, seu circunstantiæ, non absolutè positæ, sed suppositæ per hypothesim, seu in hypothesi: quæ tendentia eo ipso non erit absoluta, sed conditionata ex parte obiecti, vt ex dictis in præcedentibus satis, superque notum est. Itaque (præter velleitatem, & nolleitatem, qui affectus semper conditionati sunt iuxta dicta) & amor strictus, & gaudium, & desiderium tam simplex, quàm efficax conditionata ex parte obiecti possunt in Deo esse. Necnon odium strictum, displicentia opposita gaudio, & fuga specialis tam simplex, quàm efficax opposita desiderio. Secundæ autem partis propositionis ratio ea est, cuius sæpe meminimus: quia nimirum Deus de facto in eâ mensurâ operatur semper, quæ sibi decentissima est, iuxta doctrinam stabilitam disput. 32. quæst. 3.

QVÆ-

QVAESTIO IX.

Quid de decretis, alijsque actibus voluntatis Dei ex parte obiecti disiunctiuis.

126 HAbere Deum scientiam de veritatibus obiectiuis vagis, seu disiunctiuis, æquè, ac de conditionatis, atque de cæteris omnibus cognoscibilibus, indubitatum prorsus est apud omnes Theologos. Quia nulla cognoscibilis veritas ignorari potest à Deo, vt constat. Qualis verò sit scientia, quam Deus de vagis, seu disiunctiuis veritatibus habet, ex ijs, quæ diximus supra disput. 28. quæst. 9. num. 466. quisque potest colligere. Vtrùm autem habeat Deus, aut habere possit decreta, aut alios actus voluntatis in obiecta disiunctiua tendentes controuersiæ subiectum est.

127 Nam Petr. Hurt. disput. 13. de Incarnat. sect. 8. negat, in Deo dari posse decreta ex parte obiecti disiunctiua. Affirmant tamen Ripald. tom. 1. de Ente supernatur. disput. 86. sect. 5. à num. 34. Arriag. 1. par. disput. 35. sect. 7. Aldret. disput. 26. de Incarnat. sect. 2. & alij Recentiores communiter. Quos refert & sequitur Ribaden. disput. 22. de Volunt. cap. 2. à num. 17. An verò decreta Dei ex parte obiecti disiunctiua à conditionatis ex parte obiecti differant ex modo tendendi, vel secus, etiam in dubium vertitur. Differre censent Aldret. dicta disput. 26. sect. 3. à num. 7. & Ribaden. disput. 22. citatâ cap. 5. à num. 43. contra doctos Recentiores tenentes oppositum. Pro quibus videtur stare Ripald. loco citato.

Propositio 1.

128 Decreta ex parte obiecti disiunctiua æquiualenter benè possunt in Deo dari. Secus verò disiunctiua formaliter.

Vt hæc propositio, eiusque veritas, plenè, & planè capiantur, omnino est recognoscenda doctrina, quam latè dedimus in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. & 5. de statu rerum vago, seu disiunctiuo. Ex ibi enim fusè expositis facillimè & propositio explicanda, & veritas eius monstranda venit. Statuimus ibi, quàm impossibile est, vt ex duabus rebus alterutra existat vagè, seu disiunctiuè, & neutra existat determinatè; tam impossibile esse, vt ex duabus rebus alterutra terminet per se aliquem actum, vel respectum vagè, seu disiunctiuè, & neutra terminet illum determinatè. Statuimus item, duas veritates conditionatas, determinatasque de A, e. g. si non sit B, & de B, si non sit A, vni disiunctiuæ æquialere de A, vel B sub disiunctione; atque ita, quoties actus, vel respectus per se tendit conditionatè, determinatèque in A sub conditione, quòd non sit B, & simul in B sub conditione, quòd non sit A, per æquialentiam censeri, tendere illum in A, vel B sub disiunctione. Dicimus ergo, Deum benè posse habere decretum, quo conditionatè, determinatèque velit; vt existat A, si non extiterit B, & simul, vt existat B, si non extiterit A. Non verò posse habere decretum, quo velit disiunctiuè, vt vel existat A, vel existat B. Quod ipsum est, dari in Deo posse decreta ex parte obiecti disiunctiua æquialenter; secus disiunctiua formaliter; vti fert propositio. Quo sufficienter ad propositum manet ea explicata.

Prior autem eius pars probatur. Primò; 129
quia huiusmodi decreta æquialenter disiunctiua nullam præ se ferunt imperfectionem repugnantem Deo. Ergo non sunt impossibilia Deo; sicuti nec cæteri actus immunes ab eiusmodi imperfectione. Secundò; quia decreta conditionata possibilia sunt Deo, vt quæst. præceden. confecimus. Ergo & æquialenter disiunctiua: quæ re ipsâ, & formaliter decreta quædam conditionata sunt: dumtaxatque differunt à cæteris ratione materiæ. Tertiò. Ideo potissimùm cum communi censuimus, esse Deo possibilia decreta conditionata: quia actus scientiæ conditionatæ, quibus ea similia sunt in modo tendendi, neutiquam Deo negari possunt. Sed neque actus scientiæ æquialenter disiunctiuæ negari Deo possunt iuxta doctrinam certam præmissam num. 126. Ergo pariter decreta æquialenter disiunctiua illis similia in modo tendendi Deo censenda sunt possibilia. Quartò. Deus potest prædeterminare voluntatem creatam ad vnum, vel alterum ex duobus actibus eius per prædeterminationem æquialenter disiunctiuam, vt constat ex latè dictis supra disput. 30. quæst. 11. Ergo & circa tales actus potest habere decretum pariter disiunctiuum. Quintò. Deus citra dubium de facto vult, vt exequutioni mandetur id, quod præcipit nobis, qua ratione nobis præceptum, nobisque obligatorium est. Sed præcepta Dei æquialenter sunt disiunctiua: quia non obligant ad vnum actum determinatum; sed ad aliquem vagè eius virtutis, ad quam vnumquodque eorum spectat. Ergo de facto habet Deus volitiones æquialenter disiunctiuas. Habere igitur benè potest decreta similia. Quòd si Deo talia decreta possibilia sunt: de facto illa Deus habebit, prout sibi honestissimum fuerit, iuxta sæpe in simili dicta.

Posterior autem propositionis pars clarè ex 130
doctrina indicata sequitur. Nam, cùm actus tum intellectus, tum voluntatis Dei ad sua obiecta terminentur, sicuti ea sunt in se re ipsâ, vt est notum; hoc ipso, quòd nullum obiectum in se re ipsa est vagum, seu disiunctiuum formaliter; manifestè consequitur, nullum actum aut intellectus, aut voluntatis posse Deum habere, qui sit ex parte obiecti vagus, seu disiunctiuus formaliter. Aliter cuenit in nobis pro statu præsenti, quorum actus obiecta sua in alienis subiectis, atque adeò aliter, quàm in se sunt, respiciunt; quo fit, vt habere possimus, sæpissimèque de facto habeamus actus ex parte obiecti vagos, seu disiunctiuos formaliter prout latiùs loco citato Phari explicatum est. Ex quibus appareret, quomodò actus, quos Deus habet ex parte obiecti disiunctiuos, conditionati sint reuera, ab actibusque proinde conditionatis in modo tendendi non differant. Per quæ ambæ difficultates num. 127. propositæ resolutæ manent.

Opponitur tamen ab Aduersarijs contra re 131
solutionem secundæ primò. Deus potest velle, vt Petrus habeat valetudinem, vel illâ careat. Sed talis actus nugatorius esset, si haberet modum

dum tendendi æquiualenter tantùm disiunctiuum, formaliterque conditionatum, quem explicuimus. Ergo alium proprium modum tendendi habet disiunctiuum formaliter. Maior supponitur vt certa. Minor autem probatur. Nam, cùm Petrum habere valetudinem, si illà non caret, & carere valetudine, si illam non habet, idem sit, ac, Petrum habere valetudinem, si habet, & carere illà, si caret; dictus Dei actus esset huiusmodi, *Volo, vt Petrus habeat valetudinem, si habet, & illà careat, si caret*; atque adeò nugatorius. Respondeo, Deum in valetudinem Petri, vel eius carentiam, per actum desiderij ferri non posse, quia tale disiunctum obiectum necessarium est: & Deus nequit desiderare id, quod aliàs est necessarium, vt supra statui quæst. 5. propos. 5. Complacere autem Deum aliter, quàm per desiderium, de eo, quòd Petrus valetudinem habeat, si habet, & non habeat, si non habet, nihil est quod vetet: quia talis conditionata complacentia nec est nugatoria, nec vllam aliam imperfectionem dicit repugnantem Deo.

132 Secundò opponitur. Modus tendendi disiunctiuus; volo A, vel B, non attingit bis A, & bis B, sed semel quodlibet, vt experientia probat. Sed modus tendendi conditionatus; volo A, si non detur B, & B, si non detur A; bis attingit A, & bis B, vt constat. Ergo sunt modi inter se diuersi. Respondeo, concedendo totum in nobis pro statu præsenti, vbi solùm experientia habet locum; negando verò maiorem, atque adeò & consequens in Deo. Quæ responsio constat ex dictis.

Propositio 2.

133 **Intra quoduis genus cæterorum actuum voluntatis Deo possibilium tam prosequutionis, quàm fugæ actus ex parte obiecti disiunctiui æquiualenter dari possunt. Secus disiunctiui formaliter.**

Posterior pars propositionis ex dictis circa præcedentem est nota. Prior autem ostenditur. Quia, vt supra quæst. 8. propos. 8. monstratum est, intra quoduis genus actuum voluntatis Deo possibilium actus ex parte obiecti conditionati dari possunt. Et actus ex parte obiecti disiunctiui æquiualenter reuerà, & formaliter sunt conditionati, vti explicuimus. De facto autem dabuntur in Deo huiusmodi actus, prout ipsi fuerit honestissimum, vt sæpe est in simili repetitum.

QVAESTIO X.

Quousque sit possibile, aut etiam de facto detur in Deo imperium voluntatis reflexum.

134 IMperium voluntatis reflexum dicitur affectus ille, qui per modum desiderij tendit in alium actum eiusdem voluntatis, ad eumque eliciendum mouet, inducitve voluntatem ipsam. Vnde tot modis, quot desiderium diuidi potest, nempe in imperium efficax, & inefficax; in conditionatum, & absolutum; in determinatum, & vagum, seu disiunctiuum, &c. De quibus differentijs actum est supra quæst. 1. Nunc de absoluto, & efficaci est nobis agendum potissimùm; tametsi de alijs non nihil tangemus ad extremum. Esse autem illud possibile in voluntate creatà supra disput. 30. quæst. 12. ostendimus cum sententiâ communi contra Vazq. singulariter opinantem, voluntatem titulo potentiæ liberæ immediatè sibi ipsi imperare non posse. De quo ibi plura, quæ ad rem videnda, & in præsenti supponenda. Posito autem, quòd tale imperium in voluntate creatà possibile sit; in voluntate quoque diuinâ possibile esse, plerique Theologi recentiores potiùs supponunt, quàm examinant. Imo nonnulli videntur supponere, nullum actum de suo liberum voluntatis diuinæ possibilem esse, qui per reflexum alium imperari non possit. Quo progressionem infinitam imperiorum reflexorum possibilem videntur admittere, tacitè saltem.

Propositio. 1.

Deus per imperium reflexum absolutum, & efficax aliquos actus suæ voluntatis imperare valet. 135

Quoniam huiusmodi imperium & vtile, & honestum, & immune ab omni imperfectione esse potest. Ergo non est, cur repugnet Deo. Potest enim vtile esse, imò & necessarium ad ordinandum actum imperatum in finem, siue in motiuum, in quod non ordinatur ille naturâ suâ, quæ ordinatio sæpissimè erit honesta. Vt, si Deus reflexè velit e. g. amare homines amore strictæ, & puræ amicitiæ eo fine, vt ab eis obtineat laudem, aut gratiarum actionem. Similiter, si velit reflexè odisse peccatum, & gaudere de honestate virtutis, vt videant homines, quibus affectibus prosequatur ipse malitiam, & honestatem morum. Et vniuersim, si velit actum quemuis vnius virtutis internum, ad finem, siue motiuum alterius virtutis ordinare, ad quod ille naturâ suâ ordinatus non est. Huiusmodi quippe ordinationes, per se patet, honestas esse: neque vllam imperfectionem præ se ferre. Esse autem ad eas imperium reflexum non solùm vtile, sed necessarium, inde constat; quia ordinare actum ad finem, siue motiuum, ad quem ipse nec proximè, nec remotè refertur suâ naturâ, solius imperij reflexi est. Quandoquidem, præter imperium reflexum, nullus est actus potens mouere voluntatem, qualiter ad ordinationem requiritur, ad actum non relatum intrinsecè vel proximè, vel remotè ad motiuum mouentis, iuxta doctrinam, quam dabimus agentes de fine in Tractatu de Prouid. Vbi electiones, quas materiales appellant, reijciemus.

Propositio 2.

Progressio infinita imperiorum efficacium, quorum primum per secundum, secundum per tertium, & ita deinceps imperentur, aut imperari possint, diuinæ voluntati repugnat. 136

Itaque non solùm quoad denominationem, sed etiam quoad entitatem repugnant in Deo huiusmodi imperia infinita. Quòd repugnent quoad denominationem probatur primò; quia in nullo genere est possibilis progressio infinita causarum, quarum vna per aliam, & hæc per tertiam, & ita deinceps causentur, quin sit peruenire ad aliquam, quæ prima sit totius seriei, vt tom. 1. disp. 13. q. 7. monstratum est. Constat autem, si Deus vnum imperium per aliud, & hoc per tertium, & ita sine fine imperaret, fore infinitam seriem causarum, quin peruenire esset ad primam: quia omne imperium causa est moraliter influens in actum imperatum, vt liquet. Secundò probatur; quia, cùm imperium efficax, de quo agimus, tollat libertatem actus imperati, vt modò probatum suppono ex dictis disp. 30. q. 12. si imperiorum esset in Deo infinita progressio, nullum eorum euaderet liberum contra suppositum quæstionis: quia nullum esset, cuius libertas per aliud prius non auferretur. Quo fieret, vt nec tota eorum collectio, nec actio externa ab vltimo imperio promanans esset Deo libera. Quod est absurdum.

137 Iam verò, quòd infinita imperiorum efficacium progressio adhuc quoad entitatem non detur in Deo, vt, vno eorum quoad denominationem concepto, possit Deus aliud, & aliud sine fine concipere; inde potissimùm est probandum; quia sequeretur, dari defacto in Deo seriem infinitam omissionum, quarum prima à secunda, secunda à tertia, & ita deinceps causarentur. Quod esset recidere in seriem causarum infinitam num. præced. reiectam. Id autem sequi, sic ostendo. Imperium secundum tollit libertatem ad primum, & tertium ad secundum, &c. Ergo omissio imperij primi supponit tanquam causam sui omissionem secundi, & omissio secundi omissionem tertij, &c. Nam vt vniuersaliter est demonstratum dicta disp. 30. q. 5. à n. 143. & q. 10. à n. 492. quoties aliquid tollit libertatem ad actum, non potest non eius carentia pertinere ad libertatem proximam tum actus tum omissionis eius, nec potest non subinde, quando actus omittitur, in omissionem ipsam influere. Secundò probatur idem ipsum. Nam, si infinita imperia subordinata quoad entitatem in Deo darentur, etiam quoad denominationem dari possent contra doctrinam nuper statutam: quia nullum esset, quod non posset virtualiter elici à Deo, vt ipsum denominaret volentem: nulliusque denominatio aliorum denominationibus opposita esset: atque ita integra denominationum multitudo posset à Deo simul poni. Nam, vt ex doctrina de infinito prædicta disp. 13. tradita constat, omnis multitudo infinita entium aliàs seorsim possibilium, & inter se non oppositorum, simul à Deo potest poni, seu existentia donari. Tertiò probati potest. Quia tot imperia efficacia subordinata aliunde, quàm ab infinitate, repugnant Deo, vt constabit ex propositione sequente.

Propositio 3.

138 **Non solùm infinita, sed magna etiam multitudo imperiorum efficacium ita ordinatè supra se reflectentium, vt primum per secundum, secundum per tertium, tertium per quartum, & sic deinceps imperentur, omnino est impossibilis Deo,**

Quoniam huiusmodi imperiorum longa progressio vel in nobis (nedum in Deo) esset futilis, & nugatoria. Quis enim non rideret eum, qui ita decerneret; volo velle velle velle velle velle velle velle velle velle velle dare Petro librum? Ratio à priori. Quia frustra, & consequenter irrationabiliter fiunt per plura, quæ per pauciora æquè benè fieri possunt. Cùm ergo Deus per pauca quædam reflexa imperia æquè benè, imo multò aptiùs consequi possit, quæcunq; per plura esset consequuturus; frustraneè; atq; adeò irrationabiliter plura multiplicaret: quę proinde multiplicatio prorsus repugnat Deo; vt pote cui repugnat irrationabiliter operari. Etenim imperium reflexum in Deo aliam honestam vtilitatem non videtur secum adferre, præterquàm ordinare actum imperatum ad motiuum ipsi extrinsecum, quando id est expediens, & consentaneum; vt sæpe est, iuxta doctrinam prop. 1. Ad hoc autem munus præstandum nunquam non erit impertinens longa imperiorum series: quia semper per pauca imperia poterit æquè benè, & longè expeditiùs præstari, quod erat præstandum per plura. Ponamus enim oportere, quòd actus directus de obiecto externo per imperium referatur ad motiuum A, quod suâ naturâ non respicit: demusque, si vis, rursus expediens esse, vt primum imperium per secundum referatur ad motiuum B. Certè si vlterius progrediaris, futilis, & nugatoria fiet progressio. Nam, si dixeris expediens esse, quòd imperium secundum per tertium referatur ad motiuum C, & tertium per quartum ad motiuum D, & sic deinceps. Ego dicam, satiùs, esse ponere loco imperij secundi alium intrinsicè respiciens omnia ea motiua. Per hoc enim solum præstabitur longè expeditiùs, quidquid præstandum prætendebas per eam longam progressionem. Quæ proinde superuacanea, atque adeò aliena à ratione censenda est.

Inferes tamen. Ergo pariter dici poterit, loco actus directi de obiecto externo posse alium eiusdem obiecti poni intrinsecè respicientem etiam motiuum primi imperij; quo è medio tollitur omne imperium diuinum tanquam superuacaneum. Nego consequentiam. Quia sæpe oportet, vt actus directus vnicum solum motiuum intrinsecum habeat proprium eius virtutis, ad quam spectat: quia sic est magis æstimabilis, vt in actibus puræ amicitiæ, puræ libertatis, & puræ misericordiæ cernere licet. Sæpe etiam expedit, vt talis actus ad alium motiuum extrinsecum referatur: quod sine imperio reflexo fieri non potest. Vnde actus directus vnius motiui, & imperium eius reflexum alterius motiui sæpe habent diuersam æstimationem moralem, ac actus directus complectens vtrumque motiuum. Quo fit, vt per hunc solum æquè benè nequeat præstari, quod per illos duos præstatur. Aſt plura imperia diuersorum motiuorum subordinata supra primum necunde sunt æstimabiliora, quàm vnum suâ naturâ complectens ea omnia motiua; longèque aptiùs, & expeditiùs per hoc solum præstatur, quidquid per illa omnia præstari posset, vt perpendenti notum fiet. Vnde eorum omnium multiplicatio superflua, & dissentanea rationi est, vt dicebamus. Adde, quoties per vnicum actum directum æquè benè secundum moralem æstimationem potest præstari, quidquid per directum simul, & reflexum præstari potest, vt sæpe continget, vel primum etiam actus directi imperium censendum esse superuacaneum; atque

atque adeò illud in tali casu Deo esse impossibile. Cui prorsus repugnat actus superfluus, & otiosus.

140 Ex quibus omnibus tandem concluditur, ita esse in multis casibus Deo possibile imperium efficax reflexum, vt etiam in alijs casibus illud ipsi repugnet. Huiusmodi autem discretio iudicio prudentis facienda est. Qui, pensatis omnibus, quo casu tale imperium rationi consentaneum sit, & quo dissentaneum, dijudicabit, vt inde pergat ad iudicandum, quo casu sit Deo possibile, quo verò impossibile.

Propositio. 4.

141 Etiam sunt possibilia Deo imperia absoluta simplicia: necnon conditionata, & disiunctiua æquiualenter tum simplicia, tum efficacia. In nullo tamen horum generum possibilis est longa progressio, nedum infinita, imperiorum.

Prima propositionis pars inde probanda venit. Quia ex vna parte intra quoduis istorum generum sunt Deo possibiles actus voluntatis directi, vt ex dictis in præcedentibus constat: ex aliâ verò reflexi, quos vocamus imperia, honestam vtilitatem ab omni imperfectione immunem possunt habere in Deo iuxta dicta circa propos. 1. Secunda autem propositionis pars ex dictis circa propos. 2. & 3. facilè venit inferenda. Facilèque subinde ex illis inferri potest ab vnoquoque. Quænam autem istorum omnium imperiorum defacto reperiantur in Deo, per regulam sæpissimè tactam de modo operandi Dei honestissimo dijudicandum est.

QVAESTIO. XI.

Quænam alia quæri soleant, aut etiam possint circa actus diuinæ voluntatis.

142 SVb hoc vniuersali quæstionis titulo quæstiunculas aliquot proponemus, breuiterque, prout earum materia postulat, resoluemus: quæ vel communiter agitari solent, vel agitari possunt, maiorique ex parte spectant ad passiones, seu affectiones vel metaphysicas, vel physicas actuum diuinæ voluntatis.

143 Primò enim quæritur. Quid sit voluntas signi, & quid voluntas beneplaciti: in quas volitio Dei (quæ voluntas hìc appellatur) celebri diuisione diuiditur à Theologis cum Magist. in 1. dist. 45. & 46. & S. Th. 1. p. q. 19. art. 11. & 12. Dico cum communi, voluntatem signi vocari, quæ reuerà non est in Deo; tribuitur tamen illi; quia signum aliquod externum datur, quod eam denotare solet, præsertim in nobis. Sic Deo punienti peccata ira, qualis nostra est, & ipse non habet, solet attribui. Sic ipsi aliquid præcipienti, vel comminanti voluntas de obiecto præcepti, vel comminationis, quam sæpe non habet, tribuitur, vt videri est in præcepto impositio Abrahæ de immolatione filij, & in comminatione facta per Ionam de subuersione Niniue: de quibus Deus voluntatem non habuit, saltem absolutè efficacem, prout denotabant verba, &c. Voluntas autem beneplaciti dicitur, qua Deus reuerà vult aliquid, vel illud amat, vel in eo complacet quoquo modo. Sed est aduertendum, semper, cùm dari dicitur voluntas signi, dari in Deo voluntatem beneplaciti, qua Deus causat ipsum signum, licèt nec detur ea voluntas, quam signum denotat, nec vlla alia de illius obiecto. Quo aliquorum Theologorum componitur, cessatque dissidium; alijs negantibus, & affirmantibus alijs, voluntatem signi semper ferre voluntatem beneplaciti secum coniunctam. Nam, neque negantes negant illam à qua procedit ipsum signum: neque affirmantes affirmant aliam.

Secundò quæritur. Quid sibi velit illa alia 144
celebris diuisio voluntatis Dei in antecedentem, & consequentem. Quam cum S. Th. 1. p. q. 19. art. 6. q. 23. de Verit. art. 2. & alibi tradunt communiter Theologi desumptam ex Chrysost. Homil. 1. in Epist. ad Ephes. & Damasc. lib. 2. Fidei, & in Dialog. contra Manich. alijsque Patribus. Dico, eam non eodem modo ab omnibus explicari. Nam quidam, arbitrantes voluntatem tantùm signi esse eam, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, voluntatem signi antecedentem, voluntatem autem beneplaciti consequentem esse, dixerunt. Sed hi communiter reijciuntur. Alij voluntatem antecedentem appellant in Deo eam, quæ absolutè est inefficax; eam autem consequentem, quæ efficax, & absoluta est. Alij volunt, vt solùm vocentur voluntas antecedens, & consequens, quæ in obiecta opposita tendunt; prior quidem inefficaciter; posterior efficaciter; vti volitio saluandi omnes, & volitio damnandi Reprobos. Cæteras autem Dei voluntates nec antecedentes esse propriè, nec consequentes. Alij denique voluntatem antecedentem dicunt, quamcunque Deus ex se concipit circa obiectum spectatum secundùm se, independenterque ab operibus creaturarum. Consequentem verò, quam Deus concipit, captâ occasione ab operibus creaturarum, præsertim liberis, de obiecto scilicet prout supponente, vel connotante opera ipsa. Qui modus loquendi & aptior, & communior cæteris, & sanctis Patribus conformior proculdubio est. Iuxta quem tum voluntas antecedens, tum etiam consequens vel efficax, vel inefficax esse potest, vt satis notum est. De quibus scribentes fusiùs videri possunt Vazq. 1. p. disp. 83. cap. 3. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 8. Ruiz de Volunt. disp. 19. & 20. Gran. tract. 5. disp. 1. Albelda 1. p. q. 19. disp. 56. Ioan. à S. Thomâ disp. 5. art. 8. Felix de Volunt. cap. 5. diff. 2. & Alij. Mihi enim hærere non vacat in hisce de nomine contrauersijs.

Tertiò quæritur. An amor, quem Deus 145
erga se ipsum, solaque sua bona intrinseca habet aliquo modo efficax sit. Affirmat Albiz. disp. 4. de Volunt. sect. 4. Quia, inquit, si per impossibile Deus non haberet *esse* à se, per talem amorem sibi ipsi communicaret *esse*. Idem affirmat Granad. tract. 6. dipt. 1. sect. 2. sed alio ex titulo. Quia nimirum talis amor nullum compatitur secum ôdium obiecti amati, aut amorem obiecti contradictorij. Consentit Ribaden. disp. 9. de Volunt. cap. 4. tum ex eodem titulo, tum ex alijs duobus. Primo; quia, sicut essentia diuina est à se ipsâ efficaciter negatiuè, quatenus

non habet *esse* acceptum ab alio distincto à se: ita & à suo amore: quia neque habet acceptum ab alio distincto à suo amore. Secundò; quia talis amor cum carentiâ obiecti sui, à quo est indistinctus, componi nequit: ob idque efficaciâ non quidem productiuâ, sed formali efficax est respectu illius. Ego verò censeo, has efficaciæ acceptiones valde improprias, & abusiuas esse. Quia efficacia, quæ ab efficiendo dicitur, dumtaxat attribui iure potest illi voluntatis affectui, qui obiecti sui est causatiuus: qualis amor Dei de Deo ipso esse non potest; cùm Deus causabilis non sit. Itaque efficacia tantùm cadere potest in affectum desiderij: quem Deus non habet erga sua intrinseca bona iuxta dicta q. 5. propos. 1. Minimè verò in affectus vel amoris stricti, vel gaudij, quos habet erga illa iuxta dicta quæst. 3. & 4. Quomodò autem affectus desiderij aut efficax, aut inefficax esse possit quæst. 2. num. 20. explicatum est.

146 Quartò quæritur. Vtrùm voluntas Dei semper, & infallibiliter impleatur; quin sit possibile illi resisti. Est autem quæstio de solâ voluntate Dei tendente in obiectum per modum desiderij; nam hæc solùm dici potest impleri, aut non impleri: non item, quæ in obiectum tendit per modum gaudij, aut amoris stricti, vt ex se est satis notum, & ex dictis num. præced. colligitur. Quo posito, certum imprimis est apud omnes, voluntatem Dei absolutam, & efficacem neutiquam posse non impleri: quia prorsus infrustabilis est; prout videbimus in Tract. de Prouid. Vnde nec tali voluntati potest vlla creatura cum effectu resistere; tametsi quandoque potentiam habeat ad eam impediendam, seu ad faciendum, quod non extiterit, iuxta dicenda ibidem. Deinde etiam est certum, posse absolutè non impleri voluntatem Dei inefficacem absolutam, atque etiam efficacem conditionatam. Quia neutra est incompatibilis cum negatione obiecti in quod tendit; vt ex dicendis etiam in eodem Tract. planè constabit. Vnde benè potest creatura priori cum effectu resistere, faciendo, vt non existat obiectum, qua ratione per ipsam volitum est. Posteriori verò propriè non dicetur resistere, etsi faciat, vt absolutè non existat obiectum eius, tollendo, seu impediendo conditionem, sub qua illud est volitum: quia id non est facere, vt non existat obiectum ex suppositione conditionis, quo solùm pacto est volitum per talem voluntatem.

147 Ex his, & illis, quæ iam statuta relinquimus n. 143. & 144. satis perspicuè apparet, quænam voluntas beneplaciti possit in Deo non impleri: quænam etiam voluntas antecedens, & quænam consequens aut possit, aut non possit. Sedataque manet contrauersia, qua in præsenti digladiantur Doctores. Contendentibus alijs, nullam voluntatem Dei beneplaciti posse effectu frustrari: quia putant, omnes, quæ non sunt signi, esse efficaces. Alijs, omnem voluntatem antecedentem, & nullam consequentem posse non impleri: quia omnem antecedentem absolutè inefficacem esse arbitrantur. Alijs denique, tam inter antecedentes, quàm inter consequentes esse aliquas, quæ possunt non impleri; aliquas, quæ non possunt: quia in vtrisque aliquas inefficaces, & aliquas efficaces ponunt. Diffidium tamen, vt cernitur, in alijs de nomine nititur commemoratis locis citatis. Quæ proinde si tollas, nulla hic lis remanet, vt constat.

Quintò quæritur. An inter actus voluntatis diuinæ aliquis ordo detur. Et qualis. Sermoque est de ordine prioris, & posterioris. Circa quem primò sunt supponenda omnia, quæ de illo, & eius speciebus latè scripta habemus in Pharo scient. disp. 15. Suppono secundò, ordinem prioris, & posterioris nisi inter distincta extrema dari non posse: quia vnum, & idem qua tale prius, & posterius se ipso esse non potest, vt est manifestum. Quare, qualis fuerit distinctio, talis dumtaxat ordo poterit esse: scilicet rationis tantùm, si fuerit distinctio tantùm rationis: virtualis tantùm re ipsâ, si distinctio fuerit re ipsâ dumtaxat virtualis: realis autem formaliter, adeòque absolutè, & simpliciter, si distinctio quoque talis fuerit. Vnde planè sequitur primò; eos, qui nullam distinctionem adhuc rationis admittunt inter actus diuinos, neque vllum inter illos ordinem prioris, & posterioris admittere posse. Secundò sequitur, Connotantes, qui per extrinseca connotata complent Dei actus, eumdem ordinem inter illos admittere posse, (vti defacto admittunt plerique), quem habent connotata ipsa inter se; hic autem realis formaliter, adeòque absolutè, & simpliciter talis esse solet, qualis quoque est ipsorum connotatorum distinctio. Inimperque inter formalitates intrinsecas Deo ordinem solius rationis admittere poterunt ij Connotantes, qui distinctionem solius rationis inter illas admittunt: secus verò, qui non admittunt, vt dictum est. Tertiò; quia inter formalitates intrinsecas Deo nemini fas est, ponere distinctionem simpliciter, & absolutè realem; nemini itidem fas est inter illas ponere ordinem prioris & posterioris simpliciter, & absolutè realem: de quo nullum est dubium. Quartò; qui inter formalitates diuinas, ex quibus actus diuini constant, distinctionem virtualem ponunt, (vti ponunt plerique non Connotantes), ordinem quoque virtualem prioris, & posterioris ponere possunt; atque adeò defacto ponunt. 148

Cum quibus ego dico breuissimè consentaneè ad doctrinam de constitutione diuinorum actuum, quam latè expositam relinquo disp. 31. quæst. 2. 3. & 4. inter actus intellectus, ac voluntatis Dei ordinem virtualem prioris, & posterioris dari spectantem ad seriem originis, siue causalitatis; quatenus alij causantur ab alijs virtualiter, causantesque proinde priores, & causati posteriores sunt virtualiter naturâ suâ secundùm talem seriem. Si autem in Deo sint aliqui actus non mutuò connexi citra omnem interuentum inter illos causalitatem, ordinem habebunt similiter virtualem prioris, & posterioris ad seriem connexionis spectantem. Tum, siqui eorum ex genere suo sint inæquales quoad perfectionem, ordo quoque virtualis prioris, & posterioris erit in illis secundùm seriem dignitatis. Secundùm seriem verò durationis nullus inter actus diuinos ordo prioris, & posterioris dabilis est: quia omnes, qui semel existunt, necessariò debent durare simul ab æterno, & in æternum, & semper iuxta dicta disp. 31. quæst. 6. Quæ omnia recolenti doctrinam de huiusmodi ordinibus loco citato Phari traditam conspicua fient. Vtrùm autem in decretis, quibus Deus decernit fines, & media, dentur duo ordines aliqua ratione diuersi, quos ordines intentionis, & executionis appellant, in Tract. de Prouid. exponemus. 149

Sextò queritur. Qua scientia duci possit volun-

voluntas Dei ad amandum, vel odio habendum vnum obiectum intrinsecè, vel semiextrinsecè connexum cum altero: id est, ad alterum relatum transcendentaliter relatione connexionis, vel semiextrinsecè denominatum ab altero tanquam a connotato prout tale, iuxta dicta de huiusmodi obiectis supra disp. 23. q. 5. vbi, quomodò Deus illa amare, vel odio habere possit statuimus. Modòque quærimus, qua scientia ad illa vel amanda, vel odio habenda dirigi possit. Cuius quæstiunculæ resolutio magni profectò momenti est propter vniuersalem vsum, quem in variis punctis ad materiam de Providentia Dei spectantibus habere potest. Agam autem imprimis de scientia dirigente ad amandum, siue volendum efficaciter vnum obiectum prout subest alteri, seu prout connotans alterum. Illaturus dein, quid de reliquis dicendum sit.

151 Dico itaque primò, ad decernendum efficaciter obiectum A prout connotans existentiam obiecti B optimè posse dirigi Deum per scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate obiecti A, & simul per scientiam visionis absolutam de existentia obiecti B: solam verò apprehensionē simplicem de existentia obiecti B, aut iudicium de possibilitate eius ad id non sufficere. Quoniā decretū de obiecto A prout connotante existentiam obiecti B ita cum hac essentialiter est connexum, vt eius causatiuum non sit, eo quod volitio eius non est, vti suppono, iuxta doctrinam supra statutam disp. 32. q. 5. proposit. 2. Vnde tale decretum suapte essentia supponit talem obiecti B existentiam aliunde positam, vel ponendam. Deusque proinde neutiquam potest illud concipere, nisi per scientiam præuiam ad ipsum dirigens de positione dictæ existentiæ aliunde oriundā securus reddatur, vt est manifestum; nam aliàs temerè, vel frustraneè, atque adeò prorsus chymæricè illud concipere conaretur. Nulla autem ad id muneris est aptior scientia, quàm scientia absoluta visionis de dictā existentia obiecti B, vt patet. Simplicem autem apprehensionem de tali existentia, iudiciumque de possibilitate eius ad talem præstandam securitatem inepta esse, inde perspicuè apparet; quia sunt actus indifferentes, qui tam cum ipsā existentia, quàm cum ipsius defectu compati possunt. Per quæ vtraque datæ assertionis pars satis clarè manet monstrata,

152 Dico secundò, ad decernendum efficaciter obiectum A prout connotans existentiam obiecti B etiam posse dirigi Deum unà cum scientia de possibilitate obiecti A per scientiam conditionatā de existentia obiecti B sub conditione, quòd existat obiectum A: quia, cùm ex suppositione huius scientiæ sit necessarium, vt existat obiectum B, si extiterit obiectum A, æquè per illam, atque per scientiam absolutam redditur Deus securus de existentia obiecti B pro casu, quo ipse per aliquod suum decretum efficax ponat existens obiectum A: securèque proinde poterit illud ponere existens per dectetum connexum cum existentia obiecti B, atque adeò per decretum de obiecto A prout connotante existentiam ipsam. Ex quo patet, benè posse Deum efficaciter decernere obiectum A prout connotans existentiam obiecti B antecedenter ad præscientiam absolutam de tali existentia ductum per conditionatam de eadem sub conditione, quòd existat obiectum A.

153 Dico tertiò, etiam antecedenter ad præscientiam tum absolutam, tum conditionatam de existentia obiecti B ductum per solam scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate amborum obiectorum A B benè posse Deum efficaciter, conditionatè tamen decernere obiectum A prout connotans existentiam obiecti B sub conditione, quòd aliunde ipsum obiectū B existens sit. Quod decretum absolutū euadet, si sit reuerā purificata conditio; sin minùs suspensum, & sine effectu manebit ex defectu purificationis eius. Nisi fortasse sit insuper decretum efficax absolutum de obiecto A secundùm se, & absque connotatione prædicta pro casu, quòd non sit existens obiectum B. Quæ omnia ex terminis ipsis satis, superque, nota sunt.

Dico quartò, si Deus vnico decreto indiuisim, efficaciterque decernat, vt existant ambo obiecta A B, simulque vel per idem decretum, vel per aliud cum eo connexum velit obiectum A prout connotans existentiam obiecti B, ad hoc totum præstandum per solam scientiam simplicis intelligentiæ dirigi poterit: atque adeò antecedenter ad præscientiam tum absolutam, tum conditionatam de existentia obiecti B. Quia in tali casu, cùm decretum de obiecto A prout connotante existentiam obiecti B vel per se ipsum, vel per aliud cum quo connectitur simul cum obiecto A ponat existens obiectum B, securus de existentia omnium requisitorum ad ipsum independenter ab aliā scientia potest Deus concipere illud. Sicut securus de existentia obiecti cuiusuis sui decreti efficacis, quæ ad illud requisita est, concipit Deus ipsum decretum ductus per solam scientiam simplicis intelligentiæ de possibilitate talis obiecti. 154

Ex his sequitur inferendum primò, eisdem quatuor modis posse Deum dirigi ad decernendum efficaciter obiectum A secundùm se, casu, quòd illud sit connexum intrinsecè cum existentia obiecti B, quo casu & decretum de obiecto A erit cum existentia ipsā connexum. Quòd enim decretum de A connectatur cum B propter semiextrinsecam connexionem ipsius A cum B, vti in casu præcedente, vel propter intrinsecam, vti in præsente, nihil prorsus interest ad rem. 155

Secundò infertur, ad affectum simplicem de obiecto A prout connotante obiectum B per præscientiam de hoc absolutam, aut conditionatam duci Deum posse iuxta primum, & secundum ex quatuor propositis modis; vel etiam per scientiam simplicis intelligentiæ de vtroque, si affectus conditionatus sit. Quartus verò modus pro affectu simplici locum non habet. Idemque venit dicendum de affectu simplici de obiecto A secundùm se, casu, quòd illud sit connexum intrinsecè cum obiecto B, consentaneè ad dicta in simili de decreto efficaci. 156

Tertiò infertur, quæ dicta sunt de affectibus prosequutionis circa obiecta bona, pariter intelligēda venire de affectibus fugæ circa mala, illisque pariter subinde, sua seruatā proportione, applicanda. 157

Quartò infertur, doctrinam, quam dedimus circa quæstiunculam præsentem eximiæ vtilitatis esse ad multas, grauissimasq; difficultates in variis materijs Theologicis componendas, & cōplanandas. Per illam siquidem venit sciendū, quot modis antecedenter ad præscientiam absolutam meritorum possit Deus decernere remunerare illa decreto remuneratiuo ab ipsis meritis nihilominùs dependente essentialiter. Per illam venit sciendum, quot modis potuerit Deus decernere 158

exi-

existentiam Christi Dòmini in remedium peccati ante huius absolutam præscientiam decreto nihil ominùs dependente à peccato ipso essentialiter. Per illam venit sciendum, quot modis potuerit Deus ante præscientiam absolutam meritorum Christi ex ipsis meritis, in eorumve compensationem eximere B.V. Mariam non tantùm à peccato originali, sed etiam à debito illius decreto nihilominùs compensatiuo, atque adeò dependente essentialiter ab ipsis Christi meritis. Per illam demum venit sciendum, quot modis Deus multa alia huiusce generis potuerit, possitque præstare independenter ab aliquâ præscientia absolutâ, cuius influxum ad ea præstanda tanquam necessarium omnino requisiuerunt vsque adhuc communiter Theologi.

559 Septimò quæritur. Vtrùm, quemadmodùm dari possunt in Deo actus voluntatis tum prosequutionis, tum fugæ inter se dissimiles, atque adeò specie diuersi, ut sunt actus amoris stricti, gaudij, desiderij efficacis, desiderij simplicis, &c. iuxta dicta in quæstionibus præcedentibus; ita dari quoque possint intra vnamquamque istarum specierum actus inter se inæquales quasi quoad intensionem: idque aut circa distincta obiecta, aut etiam circa idem. Tracto autem quæstiunculam hanc dūtaxat, stando in sententiâ non Connotantium, ponentiumque eiusmodi actus adæquatè intrinsecos Deó, præsertim vt à me explicatâ disp. 31. q. 4. an. 291. Nam iuxta Connotantium sententiam vix possunt quæstiones huiusmodi locum habere. Quo posito, pro parte affirmatiuâ eius stat Quiros 1. p. tom. 1. in Comment. S. Thom. q. 20. art. 3. & 4. cum alijs à se relatis. Pro negatiuâ autem stare omnes Scholasticos communiter, censet Ruiz disp. 53. de Volunt. sect. 1.

560 Ego imprimis suppono vt certum apud omnes, inter actus diuinæ voluntatis à parte rei nec dissimilitudinem, nec inæqualitatem formalem dari vllatenus posse. Quia tam dissimilitudo, quàm inæqualitas essentialiter petunt distinctionem inter extrema dissimilia, vel in æqualia: cùm euidens sit, idem sibi ipsi nec dissimile, nec inæquale posse esse. Et est certum apud omnes, actus diuinæ voluntatis à parte rei verè, & formaliter inter se distinctos non esse: sed summùm æquiualenter, seu virtualiter. Quocirca sententia communis Scholasticorum absolutè negantiū inæqualitatem, aut etiam dissimilitudinē actibus voluntatis diuinæ de inæqualitate, dissimilitudineque formali exponenda est. Cæteroquin Theologi, qui inter actus voluntatis diuinæ distinctionem aliquam æquiualentē, siue virtualem admittunt, non est, cur nequeant inter illos admittere non solùm dissimilitudinem; (quam citra dubium aut exprimunt, aut supponunt); sed etiam inæqualitatem, æquivalentem quoque, seu virtualem.

561 Dico itaque primò, actus diuinæ voluntatis, alioquin similes inter se, tendentes in obiecta distincta inæquales quasi intensiuè esse posse, sæpeque tales esse de facto, inæqnalitate scilicet virtuali. Quod probo primò; quia, vt tenent communiter Theologi cum S. Thom. 1. p. q. 20. art. 3. & 4. Deus non omnia, quæ amat, amat æqualiter: sed magis amat, quæ sunt meliora, quā, quæ sunt minùs bona. Sed hæc amorum inæqualitas non semper attribui potest effectibus eorum; quasi Deus ea solū subiecta veniat dicendus magis, quàm alia, amare, quibus maiora bona, quā alijs, confert; vti exponunt ipsorū Theologorum plerique. Ergo quandoque saltem debet attribui ipsis præcisè amorum actibus. Minor, quæ sola eget probatione, probatur primò; quia Deus non solùm creaturas existentes, sed etiam possibiles amat procùldubio inæqualiter penes maiorem, vel minorem bonitatem earum. Sed his nulla Deus confert bona inæqualia. Ergo inæqualitas amorum, quibus eas amat, in ipsis amoribus stat præcisè. Secundò; quia affectus simplices, quibus Deus complacet in bonitatibus absolutis creaturarum, penes talium bonitatum inæqualitatem inæquales sunt: ob id enim per tales affectus præcisè magis haud dubiè Deus amat iustos, quàm peccatores, & inter iustos magis eos, qui magis iusti sunt, etiam, quando nullis eorum confert vlla bona supra ea, quæ tales affectus in ipsis supponunt: imo verò, quando ipsis confert alia bona inæqualia, id ex inæqualitate talium affectuum solet ducere originem. Igitur eiusmodi simplices affectus non ab inæqualitate suorum effectuum, quos non habent, sed ab inæqualitate propriâ à se ipsis indistinctâ inæquales sunt. Tertiò; quia affectus gaudij de bonis inæqualiter æstimabilibus inæquales in Deo sunt citra dubium: (in quod probandum videtur tendere parabola de gaudente magis super vnâ ouem recuperatâ, quàm super nonaginta nouem non amissis Math. 18. & Lucæ 15.). Sed hæc gaudiorū inæqualitas ex parte effectuum eorum stare nequit, vtpote quos non habent. Ergo ex parte ipsorum actuum stat. Quarò; nam, quo iure asseritur à Theologis, Deum amare magis bona meliora, eodem debet quoque ab eis asseri, Deum odisse magis mala peiora. Sed inæqualitas odiorum Dei non semper eorum effectibus potest attribui: nam plùs citra dubium odit Deum peccatum mortale, quàm veniale, etiam, quando nihil efficit circa illa. Ergo nec inæqualitas amorum Dei potest eorum effectibus semper attribui; sed quandoque saltem ipsis amorum actibus est necessariò attribuenda. Ex quibus concluditur, actus diuinæ voluntatis per se ipsos posse esse, sæpeque de facto esse inquales. Quod erat probandum.

562 Secundò probatur idem ipsum quasi apriori; quia, sicut bonum eo ipso est amabile etiam à Deo; sic maius bonum eo ipso est magis amabile etiam à Deo. Sed substantia amoris, quo Deus potest amare bonum, ab ipso amore est indistincta. Ergo & quantitas amoris, qua Deus potest magis amare maius bonum, ab ipso amore est indistincta. Ergo amores, quibus inæqualia bona à Deo sunt inæqualiter amabilia penes quantitatem à se ipsis indistinctam sunt inæquales. Pariterque venit philosophandum de odiis, quibus inæqualia mala inæqualiter sunt odibilia à Deo.

563 Tertiò probatur; quia, esse à Deo inæqnalia bona inæqualiter amabilia, & inæqualia mala inæqualiter odibilia, idem est, ac, habere illa dignitates sibi intrinsecas inæquales ad actus amoris, & odij, Dei inæquales similiter ab intrinseco. Repugnarent autem in bonis, & malis inæqualibus dignitates taliter inæquales, si ad actus taliter inæquales non esset potestas in Deo, vt est notum; quia dignitas ad aliquid impossibile repugnans est. Necesse est igitur, vt ad tales actus sit potestas in Deo, eo ipso, quòd bona, & mala inæqualia amabilia, & odibilia sunt à Deo inæqualiter.

Quæ-

164 Quarto probatur ; quia in eo, quòd actus voluntatis diuinæ eiusdem speciei quoad suas perfectiones numericas quasi intensiue sint inæquales nulla cernitur imperfectio repugnans Deo : quandoquidem neque cernitur iuxta sententiam Theologorum communem in eo, quòd actus Dei, aliaque ipsius attributa intrinseca specie diuersa quoad suas perfectiones specificas inæqualia sint, prout nos explicauimus tom. 1. disp. 16. quæst. 5. Igitur, vti admittitur in Deo inæqualitas quoad suas specificas perfectiones inter actus intellectus, & voluntatis, inter ipsumque intellectum, & voluntatem, atque inter alia huiusmodi. Ita admittenda est in Deo inæqualitas quasi intensiua quoad suas perfectiones numericas inter duos actus vel amoris stricti, vel gaudij, vel desiderij, atque inter huiusmodi cæteros.

165 Pergo iam, & dico secundo, etiam esse actus eiusdem speciei diuinæ voluntati possibiles tendentes in idem obiectum, & inter se nihilominùs inæquales quoad perfectionem quasi intensiuam. Quod probo primò; quia neque in huiusmodi actuum inæqualitate cernitur vlla imperfectio repugnans Deo, vt ex argumento facto num. præced. colligitur. Ergo neque huiusmodi actibus talis est neganda inæqualitas. Secundò; quia, vt pertinet ad infinitudinem diuini intellectus, habere circa idem obiectum omnes actus diuersos inter se quoquo modo, qui non dicunt imperfectionem, iuxta doctrinam suprà statutam disp. 23. quæst. 4. Ita pertinet ad infinitudinem diuinæ voluntatis, illos similiter posse habere. Actus autem eiusdem speciei inæquales quasi intensiuè aliquo modo sunt diuersi inter se, & nullam dicunt imperfectionem. Negandum igitur non est, eos esse diuinæ voluntati possibiles. Tertiò; quia, vt pertinet ad perfectionem libertatis Dei posse quoduis bonum limitatum vel amare, vel non amare simpliciter, prout sibi placuerit, iuxta doctrinam stabilitam in præcedentibus quæstionibus. Ita proculdubio ad eiusdem libertatis pertinet perfectionem, posse quoduis bonum limitatum vel amare magis, vel minùs, maioreve, vel minorem amore, etiam eiusdem speciei, prout sibi placuerit. Ergo possibiles sunt Deo circa vnumquodque bonum limitatum amores quasi intensiuè inæquales etiam intra eamdem speciem, atque adeò quoad suas individuales perfectiones.

166 Defacto autem Deus vnumquodque bonum eatenus amat, vel non amat; eatenusque vel maiore, vel minore amore amat; quatenus sibi est decentissimum, siue honestissimum, iuxta doctrinam de morali necessitate Dei ad honestissimè operandum statutam supra disput. 32. quæst. 3. propos. 9. Et, quòd de actibus amoris relatè ad bonum dictum est, pariter de actibus odij relatè ad malum venit intelligendum.

167 Quomodò verò inæqualitati actuum voluntatis diuinæ non obstet eorum infinitudo; vti nec inequalitati aliorum attributorum Dei obstat infinitudo eorum, ex dictis tom. 1. disput. 16. quæstio. 5. citatâ constat.

DISPVTATIO 35.

De moralitate actuum Dei liberorum.

SErmo erit in hac disputatione de actibus Dei liberis tam internis pertinentibus ad voluntatem diuinam, quàm externis pertinentibus ad diuinam omnipotentiam; vtrique enim, & illi soli capaces sunt moralitatis, vt ex dicendis apparebit. Erit autem sermo, quantùm fieri possit, succinctus, vt cæteris, quæ in sequentibus restant scribenda, locum demus. Præmissaque vniuersali quæstione de ijs pertinentibus ad moralitatem actuum naturæ rationalis in genere, quæ tangi ad propositum oportuerit; doctrinam de moralitate actuum Dei, deque virtutibus moralibus eius alijs in duabus quæstionibus concludemus.

QVAESTIO I.

Quid sit moralitas actuum naturæ rationalis. Quotuplex. Et qualis.

PRo maiore distinctione, & claritate eorum, quæ circa moralitatem actuum naturæ rationalis in communi sunt perstringenda in hac quæstione, illa per distinctas propositiones, censui, edisserenda, vt sequitur. 1

Propositio 1.

Libertas actuum naturæ rationalis latiùs patet, quàm eorum moralitas. 2

Est contra Carleton tom. 1. suæ Theol. disp. 89. sect. 1. qui cum Salas, & alijs docet, omnem actum liberum eo ipso moralem esse, & imputabilem ad laudem, vel ad vituperium; actusque subinde moralitatem aliud ab eius libertate non esse. Oppositum tamen tenent nobiscum Molina apud eumdem, Esparza lib. 3. de act. hum. quæst. 16. & alij. Quoniam, vt actus naturæ rationalis sit moralis, siue moraliter imputabilis ad laudem, vel ad vituperium, non satis est, quòd ille sit liber quoad suam substantiam, seu entitatem physicam; sed insuper requiritur, quòd sit liber quoad suam vel honestatem, vel turpitudinem. Sed prima istarum libertatum sine secundâ stare potest. Ergo actus naturæ rationalis liber potest esse, quin sit moralis: quod ipsum est, libertatem eius latiùs, quàm eius moralitatem, patere. Maior est certa. Quia solùm euadit dignus aut laude, aut vituperio, qui liberè amplectitur, siue exequitur aut honestatem, aut turpitudinem. Consequentia autem legitima est. Et minor probatur. Quia fieri potest, sæpeque fit, vt actus quoad entitatem

tem liber quoad bonitatem, aut malitiam moralem, siue quoad honestatem, aut turpitudinem, quam de suo habet, liber non sit ex defecto cognitionis, vel aduertentiæ de tali honestate, aut turpitudine in eo, qui exercet talem actum. Vt enim dicebamus supra disp. 30. quæst. 4. pueri, & amentes non habentes vsum rationis aliquos actus citra dubium exercent quoad physicam entitatem liberos, libertate tamen inepta ad imputationem moralem; eo quòd ex defectu vsus rationis cognitionem rationalem non habent suorum actuum honestatem, aut turpitudinem discernentem; prout oportet ad earum imputationem. Adulti etiam sanæ mentis sæpe itidem proculdubio non peccant, exercentes nihilominùs libere aliquos actus de suo prauos: quia eorum malitiam moralem, seu turpitudinem vel ignorant, vel non aduertunt: pariterque sæpe non operantur honestè moraliter, dum actus, aliàs de suo honestos, exercent liberè; quia vel ignorant, vel non aduertunt eorum honestatem. Quomodò autem ad operandum moraliter imputabiliter, atque adeò liberè non solùm quoad physicam entitatem, sed etiam quoad bonitatem, aut malitiam operationis aduertentia, seu cognitio actualis de tali bonitate, aut malitia sit necessaria in operante, ex dicendis à propos. 3. constabit.

Propositio 2.

3 Esse actum bonum, aut malum moraliter, siue honestum, aut turpe, aliud non est, quàm, esse consentaneum, consonum, seu decentem; aut dissentaneum, dissonum, seu indecentem naturæ rationali prout tali.

Sic explicant Vazq. 1. 2. disp. 58. cap. 2. Tann. disp. 2. quæst. 5. dub. 1. Coninc. disp. 3. de Actib. dub. 1. Arriaga disp. 19. sect. 6. Carlet. disp. 89. sect. 2. & alij Recentiores communiter. Quoniam verò eiusmodi consonantia, aut dissonantia per iudicium rationale deprehenditur, ac percipitur, idcirco à multis bonitas, & malitia moralis actus per conformitatem, & difformitatem eius cum tali iudicio, siue cum rectâ ratione explicari solent. Re tamen verâ non consistunt in eâ conformitate, difformitateque cum iudicio rectæ rationis, sed in obiecto talis iudicij, quod est ipsa actus consonantia, vel dissonantia cum naturâ rationali prout tali. Varij alij modi, quibus ab alijs minùs benè bonitas, & malitia moralis actus solet exponi apud Arriag. disp. 19. citatâ proposita, & impugnati videri possunt.

4 Est tamen hìc notandum primò, bonitatem, & malitiam moralem, siue honestatem, & turpitudinem actus aliam materialem esse, formalem aliam. Materialis dicitur, quæ conuenit actui independenter ab eius libertate, seu præscindendo ab illâ: & hæc est ea, de qua loquuntur Doctores, cùm disputant in materijs moralibus, an talis, vel talis actus sit bonus, aut malus moraliter, honestus, aut turpis, licitus, aut illicitus. Formalis autem appellatur, quæ talis redditur per libertatem; per quam subinde & liber, & imputabilis ad laudem, aut vituperium euadit.

5 Secundò est notandum id, quod non satis apud Auctores video explicatum, actus scilicet, quibus conuenit honestas, aut turpitudo, seu materialis, seu formalis, alios esse voluntatis, quæ potentia libera est; alios aliarum potentiarum, quæ non sunt liberæ, sunt tamen libertati voluntatis subiectæ quoad exercitium suorum actuum: & actus quidem voluntatis interni dicuntur; cæteri verò omnes communiter appellantur externi (tametsi ex eorum numero sint aliqui actus intellectus, aut etiam aliqui imaginationis, & appetitus sensitiui; quod nil interest ad rem). Et quoniam actus externi capaces libertatis, atque adeò moralitatis obiecta internorum esse solent; idcirco moralitatem in formalem, & obiectiuam diuidunt Auctores non pauci, tribuentes formalem solis internis actibus voluntatis, obiectiuam verò omnibus obiectis eorum, quæcunque illa sint. Quo profectò non parum implicant, atque confundunt hanc materiam. Primò quidem; quia multa obiecta actuum voluntatis nullius moralitatis capacia sunt, vtpote quæ sub libertatem voluntatis nullatenus cadere possunt: sic est Deus obiectum actus charitatis; proximus actus beneuolentiæ, &c. Quòd si dicant, hæc etiam obiecta esse obiectiuè honesta, quatenus terminant actus honestos; pariter dicere tenentur, Deum esse obiectiuè turpem, quatenus terminat actus turpes odij de se. Quo quid absurdius? Secundò; quia perperam attribuunt actibus internis formalem, externis verò obiectiuam moralitatem; tum quia vtrique & formalem, & materialem iuxta diuisionem nuper factam habere possunt: tum quia conceptus alterius obiectiuæ moralitatis ab eis duabus distinctæ commentitius penitus est, vt ex indicatis colligitur, & ex dicendis innotescet.

6 Dicendum itaque est primò, tam actus externos, quàm internos libertati voluntatis subiectos suam moralitatem propriam habere, eamque vel purè materialem, si non sit libera, vel etiam formalem, & imputabilem, si libera sit: quia vtrique per se habent esse consonos, aut dissonos naturæ rationali prout tali. Secundò est dicendum, istam propriam actuum externorum moralitatem nullo congruo titulo appellari posse obiectiuam: quia illam non habent præcisè, quatenus actuum internorum obiecta sunt: (si quidem alia actuum internorum obiecta nullatenus eo titulo dici possunt, vt vidimus, vllam moralitatem habere): sed quatenus sunt illorum effectus, eoque titulo capaces participandi libertatem ab ipsis. Vnde tertiò dicendum sequitur, nullum obiectum voluntatis præcisè, vt est obiectum eius, vllam moralitatem habere, quia vt sic præcisè ad eius libertatem non pertinet, & consequenter nec ad mores imputabiles eius. Ex quo rursus fit, vt ne ipsi quidem actus externi, aliàs subiecti voluntati, vllam moralitatem habeant respectiuè ad eos actus simplices ipsius voluntatis, quorum mera obiecta esse possunt, & nullo modo effectus; cuiusmodi sunt actus gaudij, & alij similes de illis. Cum quo stat, vt actus interni voluntatis ad omnia prædicta terminati tanquam ad mera obiecta ab eis nihilominùs, seu potius respectiuè ad ea, suam propriam moralitatem habere dicantur, vti & dicuntur suam naturam, siue suam speciem habere. Quæ omnia ex dicendis ampliùs patebunt.

Pro-

Propositio 3.

7 Moralitas actuum tum internorum voluntatis, tum externorum ei subiectorum plerunque est ipsis actibus accidentalis; in quadamque denominatione eis semiextrinsecà consistit: aliquando verò illis est assentialis, consistens tamen etiam tum in quadam denominatione semiextrinsecà ipsis.

Primùm enim, si sermo sit de moralitate formali actuum externorum creaturarum, certum est, eam illis omnibus accidentalem, & semiextrinsecam esse: quia includit in se libertatem ipsarum creaturarum, quæ omnibus actibus externis earum accidentalis, & semiextrinseca est, iuxta sententiam omnium. Et quia iuxta meam, & communem omnibus item actibus internis voluntatis creatæ de facto saltem accidentalis est, & semiextrinseca libertas, prout supra disput. 30. quæst. 17. contra nonnullos præsertim Recentiores probatum est; ideo de talium actuum moralitate formali tantumdem itidem ex sententiâ communi venit dicendum contra eosdem. Qui consequenter docent, tam malitiam, quàm bonitatem moralem actibus internis voluntatis esse essentialem. Sic tenent Esparza lib. 3. de Actib. human. quæst. 26. & alij. Aliud est de moralitate formali actuum Dei tum externorum, tum internorum. Vtrique enim liberi essentialiter sunt, quatenus vtrique ex vnâ parte essentialiter pendent à Deo, ex alia verò nequeunt ab illo pendere prout operante necessariò; relinquiturque subinde, quòd essentialiter pendeant ab ipso prout operante libere; atque adeò cum libertate actus primi voluntatis diuinæ essentialiter connexi sint. Vnde, quoties moralitas materialis talium actuum eis essentialis fuerit, formalis quoque essentialis erit, vtpote quæ supra materialem dumtaxat addit libertatem.

8 Pergo igitur ad moralitatem materialem; loquensq; imprimis de creaturarum actibus assero primò, bonitatē materialem plerisque saltem actibus externis esse accidentalem, & semiextrinsecam. Id quod apud omnes Theologos communiter videtur in confessò. Et probatur. Quia plerique saltem actus externi vel à prauo fine, vel ab aliâ extrinsecâ circunstantiâ accidentaliter vitiari possunt, reddique mali, vt notum est. Ergo, vt sint boni defectus praui finis, & omnis circunstantiæ vitiantis eis debet adesse. Ergo eorum bonitas per talem defectum vt per quamdam circunstantiam negatiuam completur in suo conceptu reali. Ergo, cùm talis defectus eorum substantiæ, siue essentiæ accidentalis sit, & extrinsecus, vt constat. Conficitur, bonitatem completam per illum ipsis accidentalem, atque semiextrinsecam esse. Dixi autem plerisque saltem, & non omnibus, potissimè propter actum fidei diuinæ, qui inter externos censetur in præsentiarùm, & necunde fors potest vitiari iuxta dicenda postmodùm.

9 Secundò assero, bonitatem materialem etiam plerisque saltem actibus internis voluntatis esse accidentalem, & semiextrinsecam. Hoc est contra Recentiores n. 7. commemoratos: sed est haud dubie de mente aliorum omnium Theologorum communiter. Probaturque similiter. Quia plerique saltem actus interni, vel ex prauo fine, vel ab aliâ extrinsecâ circunstantiâ accidentaliter vitiari possunt, reddique mali. Recurritque argumentum factum pro externis n. 8. vt est notissimum, Eos autem accidentaliter vitiari posse, sicut externos, inde constat. Quia possunt vel per actum reflexum in prauum finem ordinari, vel à Deo prohiberi, sicque reddi illiciti, & mali, vel, si pro obiecto habent actum externum, vti euenit plerunque, hoc undecunque accidentaliter itiato, & ipsi accidentaliter vitiandi veniunt; eo quòd habentes in tali casu pro obiecto, aut etiam pro effectu aliquid malum, & prohibitum, & ipsi consequenter euadent mali, & prohibiti. Dixi autem, plerisque saltem, & non omnibus potissimè propter actus Theologicos Charitatis, & Spei, aut etiam propter alios supernaturales, qui iuxta sententiam communem nullatenus vitiari possunt prout infra propos. 29. dicemus.

Tertiò assero; etsi nonnullis actibus externis, vt mendacio, blasfemiæ, & similibus essentialis sit malitia materialis; eo quòd in solâ eorum essentiâ physicâ fundatur; plerisque tamen accidentalem illam, & semiextrinsecam esse. Quia plerique vel fortiuntur eam ab aliquo sibi accidentali, & extrinseco; (uti evenit ijs omnibus, qui eo solo titulo mali sunt, quòd ordinantur ad finem malum, aut fiunt sub tali, talive circunstantiâ infectiuâ sui); vel possunt eâ exui per aliquid pariter sibi accidentale, & extrinsecum; (vt potest furtū per circunstantiam extremæ necessitatis, vel imperij Dei; homicidium per circunstantiam auctoritatis publicæ, vel defensionis propriæ; fornicatio per circunstantiam coniugij, vel etiam imperii diuini; ceteraque similia similiter). 10

Quartò assero pariter; etsi nonnullis actibus internis voluntatis, vt odio Dei, infidelitati, & alijs huiusmodi essentialis sit malitia materialis, vtpote in nudâ essentiâ physicâ eorum fundata; plerisque tamen esse illam accidentalem, & semiextrinsecam. Nam plerique vel ideo præcisè sunt mali, quia per aliquid sibi accessorium inficiuntur, (vti evenit in omnibus casibus commemoratis n. 9.); vel ideo sunt mali, quia obiecta, in quorum solam entitatem physicā intrinsecè tendunt, alias sunt accidentaliter, & semiextrinsecè mala; ab eorumque subinde de malitiâ accidentaliter quoque, & semiexttinsecè ipsi inficiuntur. Hæc de actibus creaturarum. Venio ad actus Dei. 11 12

Et assero quintò; bonitatem aliquam materialem omnibus omnino actibus Dei liberis tam externis, quàm internis esse essentialem. Quia impossibile est, vt eorum aliquis sit malus. Ergo necessarium est, vt omnes sint boni. Quod ipsum est, bonitatem aliquam esse eis essentialem. Antecedens est certum; cùm omnino repugnet Deo, malè operari. Et consequentia est bona. Nam inter esse malum, aut bonum actum moralem non datur medium. Tum quia vel nobis etiam est impossibilis actus indifferens, prout videbimus propos. 26. Tum quia, estò nobis esset possibilis, Deo repugnaret, vtpote cui planè esset indecens indifferenter, siue aliter quàm honestè positiuè operari. Quòd si omnibus actibus liberis Dei est essentialis aliqua honestas materialis: & aliqua formalis est quoque essentialis: quia libertas, quam solam hæc addit, etiam est essentialis illis, vt num. 7. statuimus. Porro ea bonitas tum materialis, tum formalis om-

nibus actibus Dei essentialis est, quæ in solis prædicatis essentialibus eorum fundatur. Cum qua alias insuper bonitates accidentales habere possunt prouenientes eis vel à finibus, vel ab alijs circunstantijs ipsis accidentalibus.

13 Et quoniam omnis libertas cuiusuis actus, etiam, quæ illi est essentialis, ipsi est semiextrinseca iuxta doctrinam supra statutam disput. 30. quæst. 17. citatâ num. 817. Idcirco omnis etiam moralitas formalis cuiusuis actus, etiam, quæ illi est essentialis, ipsi semiextrinseca erit ratione libertatis, quam includit in suo conceptu reali. Imo verò, quia esse actum consonum, aut dissonum naturæ rationali prout tali (in quo stat esse eum bonum, aut malum moraliter) denominatio itidem est ex genere suo semiextrinseca actui: ideo vniuersaliter est dicendum, omnem omnino moralitatem actui, cui conuenit, semiextrinsecam esse ratione sui, siue ea sit materalis, siue formalis, siue sit accidentalis, siue essentialis ipsi actui, prout de libertate, de veritate, de alijsque denominationibus huiusmodi dicebamus loco citato. Per quæ integra propositio nostra probata manet.

Propositio 4.

14 Vt quæuis moralitas materialis cuiuslibet operationis euadat libera, & formalis, atque adeò imputabilis operanti, cognitio de illà in ipso operante omnino requisita est.

Hæc propositio certa est apud omnes. Cùm certum sit, non posse quempiam bonè, aut malè operari moraliter imputatiuè, qui aliqua ratione non cognoscit, operationem suam bonam, aut malam, siue honestam, aut turpem esse. Namquemadmodùm contra legem, aut iuxta legem positiuam nullus dicetur moraliter imputatiuè operari, qui nesciat, suam operationem aut contra, aut iuxta legem esse. Sic, qui nescit, operationem suam aut conformem esse, aut difformem naturæ rationali vt tali, in qua consistit naturalis lex, siue regula actionum moralium, nec consentaneè ad illam, nec dissentaneè moraliter imputatiuè operari dicetur, atque adeò nec benè, aut malè: siquidem, esse operationem bonam, aut malam moraliter, aliud non est, vt statuimus, quàm esse conformem, aut difformem, seu consonam, aut dissonam naturæ rationali vt tali. Itaque, sicut cognitio, qua cognoscitur actus conformis, aut difformis legi positiuæ, quædam est applicatio legis ad actum, siue actus ad legem; atque ita necessaria conditio, vt ipse actus imputetur tanquam conformis legi, aut difformis. Sic cognitio, qua cognoscitur actus conformis, aut difformis naturæ rationali, applicatio quædam est actus ad regulam totius turpitudinis, & honestatis; atque ita necessaria conditio, vt actus tanquam honestus, aut turpis euadat imputabilis. Cuius doctrinæ ratio apriori est; quia honestas, aut turpitudo operationis ab operante prorsus ignota ei voluntaria esse non potest, & consequenter neque libera, neque imputabilis. Qualis tamen nequit non esse, quoties ab operante suæ liberæ operationi annexa cognoscitur, etsi cognitio falsa sit.

15 Etenim, sicut respectu voluntatis, quæ est potentia cæca, parum, refert, quòd sit applicatio legis vera, vel falsa, vt contra legem, aut iuxta legem operetur imputatiuè; eo quòd voluntas non fertur in operationem, prout est reuerà, sed prout ab intellectu concipitur; ita, vt operetur benè, vel malè moraliter imputatiuè, parum refert, quòd sit vera, aut falsa cognitio, qua concipitur operatio conformis naturæ rationali, aut difformis; quia voluntas non amplectitur operationem prout in se est, sed prout concipitur ab intellectu. In quod etiam vt prorsus certum conueniunt omnes.

Ex quibus sequitur; si actus sit internus, 16
elicituisque à voluntate; tametsi possit ille liber euadere quoad substantiam, quin quoad substantiam cognoscatur, eo solùm, quòd circa obiectum cum indifferentiâ propositum eliciatur; quoad bonitatem tamen, vel quoad malitiam moralem eum non esse liberum, nisi ipsa cognoscatur bonitas, aut malitia. Quoniam substantia actus ab ipsius tendentia in obiectum nullatenus distincta est, atque adeò, dum per solius obiecti cognitionem redditur voluntas indifferens, seu libera ad tendendum in obiectum, vel non tendendum, non potest non reddi indifferens, liberaue ad substantiam actus. At verò bonitas, vel malitia moralis accidens est, siue proprietas aliquo modo distincta ab actus substantiâ, & ei superaddita, iuxta ea, quæ dicebamus num. 13. Vnde, nisi præcognoscatur ab operante, sub eius libertatem non cadit. Sicut homicidium sequutum ex liberâ proiectione sagittæ sub libertatem sagittarij non cadit, nisi ab illo præcognoscatur. Vniuersaliter enim, quidquid ex actu libero sequitur, aut ei coniungitur præter notitiam operantis, præter eius est intentionem, neque ipsi imputatur vllo modo.

Hinc tamen non licet inferre, quod intulit 17
Granad. 1. 2. contr. 6. tract. 5. disput. 3. sect. 2. nimirum hominem illum non peccaturum, qui sciens, opus aliquod externum prauum omnino esse, putaret nihilominùs inuincibiliter, sibi esse licitum internum animi propositum, quo intenderet efficaciter exequi tale opus. Hoc enim falsissimum est. Nam, si ignorans inuincibiliter, suum internum propositum malum esse, non peccat, etsi certò sciat, esse peccatum id, quod intendit efficaciter, pauci admodùm erunt, qui peccent, dum grauia quæque apud se moliuntur facinora; (quod sanè absurdum est, & contra existimationem communem): quia pauci sunt, qui animaduertant quasi reflexè, suas intentiones malas esse; perindeque est, quod ad rem attinet, de earum malitiâ internâ nihil cogitare, atque eam negare positiuè. Et quidem ex se videtur cunctis satis, superque notum, peccare citra omne dubium eum hominem, qui certò scit, esse peccatum id, quod vult exequi efficaciter. Qui enim fieri potest, vt ille non peccet, qui toto animi conatu vult in rerum naturâ ponere id, quod, scit, esse contra legem, & contra rationem; suoque affectu iam ponit, quantùm in se est; etsi exequutio differatur? 18

Sed opponit Granad. Nullus homo potest peccare, quandiu prudenter sibi persuadet, non esse peccatum id, quod facit. Sed qui inuincibiliter ignorat malitiam internæ voluntatis, prudenter sibi persuadet, non esse peccatum, illam elicere; quamuis obiectum, quod respicit malum esset. Ergo non peccat. Respondeo, eum hominem non peccaturum malitiâ propriâ voluntatis internæ; peccaturum tamen malitiâ sibi non ignotâ operis externi efficaciter à se intenti, & nondum

nondum mandati exequutioni ; a cuius malitiâ voluntas interna mala denominatur extrinsecè. Explico totam rem paucis verbis. Actus externus bonus, vel malus eatenus tantùm est voluntarius, & imputabilis operanti, quatenus hic efficaciter tendit in exequutionem illius per affectum liberum voluntatis cum sufficiente notitiâ de bonitate, aut malitiâ eius. Cùm enim affectus efficax voluntatis sit efficaciter causatiuus actus externi ; quicunque vult efficaciter actum externum præuidens illum bonum, aut malum, præstat, quantùm in se est, quidquid requiritur, vt actus externus existat cum suâ malitiâ, aut bonitate. Atque adeò, cùm primùm actum internum elicit, iam tum est ei voluntaria, & imputabilis malitia, aut bonitas actus externi ; tametsi huius exequutio mox non sequatur ; vel quia absolutè impeditur ; vel quia differtur. A malitiâ autem, aut bonitate actus externi, quæ tunc formaliter solùm adest in apprehensione operantis, imputatiuè autem in eius affectu efficaci tanquam in causâ, extrinsecè affectus ipse euadit, denominaturve malus, aut bonus moraliter imputatiuè: non quidem, quia propria malitia, aut bonitas eius libera, & imputabilis sit ; sed quia est id, à quo immediatè malitia, aut bonitas actus externi habet, esse liberam, & imputabilem respectu operantis. Vt enim actus internus propriâ malitiâ malus imputatiuè euadat, aut propriâ bonitate bonus, ea vtique ab operante cognosci debet, iuxta doctrinam generalem propositionis datæ.

19 Vnde inferendum rursus venit contra Theologos non paucos, actum internum efficacem, & actum externum, in quem tendit, non vnicam tantùm indiuisibilem habere malitiam, aut bonitatem moralem ; (quæ vel sita in actu externo deriuetur ad internum, vel vice versâ, iuxtà eorum varias sententias) ; sed duas distinctas. Nam hoc ipso, quòd actus efficax internus distinctus ab externo est, ipsumque respicit tum vt effectum, tum vt obiectum, non potest non habere per se propriam consonantiam, aut dissonantiam cum naturâ rationali, distinctamque ab eâ, quam per se habet actus externus, atque adeò propriam, distinctamque bonitatem, aut malitiam moralem. Vnde, qui ad illam aduertit, dum talem actum elicit, magis benè, aut malè moraliter imputatiuè operabitur, saltem extensiuè, quàm, qui solùm aduertit ad bonitatem, aut malitiam actus externi. Quòd si quis ad malitiam, aut bonitatem propriam actus interni aduertat, secus ad malitiam, vel bonitatem propriam actus externi, quem exequitur, (quod fere non continget in praxi), tunc quidem internus actus à propriâ malitiâ, aut bonitate euadet imputatiuè malus, aut bonus moraliter, actus verò externus non item. Quomodò autem cum hac doctrinâ benè cohæreat, actum externum exequutioni datum nihil bonitatis, aut malitiæ addere supra affectum efficacem internum, quod ad imputationem attinet, vt communis sententia fert, ex dictis facilè deducitur : quia scilicet tota bonitas, aut malitia moralis reperta formaliter in actu externo exequutioni dato imputatiuè præceserat in affectu efficaci interno. De quibus plura in sequentibus dicenda sunt.

20 Ex dictis autem in præsenti tandem infertur, affectum voluntatis inefficacem nullo modo posse euadere bonum, aut malum moraliter imputatiuè, nisi cognoscatur ab operante propria eius bonitas, aut malitia moralis, quantumuis cognoscatur malitia, aut bonitas moralis obiecti, si quam illud habet. Quia hæc operanti ratione talis affectus nullo modo imputatur, vtpote qui non est causa efficax eius. Excipio affectus quosdam, quos velleitates vocant, qui, licèt in se formaliter sint inefficaces, æquiualenter tamen, seu virtualiter sunt efficaces ; atque adeò de illis in presentiarùm eodem modo, ac de efficacibus philosophandum est. E. g. Cùm dicit aliquis, Vellem occidere Petrum, si id mihi esset possibile, affectum habet virtualiter, æquiualenterve efficacem occidendi Petrum : à cuius occisione non retardatur, aut desistit propter defectum voluntatis, sed propter impossibilitatem aut physicam, aut moralem, quam apprehendit. Vellet enim ex vi præsentis affectus efficaciter Petri occisionem, si eam iudicaret sibi possibilem ; ac proinde, quantùm in se est, eam efficaciter velle censetur, quod ad imputationem attinet. Vide, quæ diximus de naturâ huiusmodi velleitatum disput. 34. quæst. 8. propositt. 6. & 7.

Propositio 5.

Cognitio omnino requisita, vt quæuis moralitas materialis cuiuslibet operationis euadat libera, & formalis, atque adeò imputabilis operanti, præsens, formalisque esse debet. 21

Hæc propositio, quod attinet ad bonitatem moralem, de mente omnium videtur esse, vt apparebit ex dicendis propositt. 6. quod verò attinet ad malitiam, eam tenent Azor lib. 2. cap. 8. quæst. 12. Thom. Sanc. in Summ. lib. 1. cap. 16. Vazq. 1. 2. disput. 60. cap. 3. & disput. 107. cap. 3. Salas quæst. 21. tract. 8. disput. vnicâ sect. 3. Granad. disp. 3. Arriag. disput. 13. sect. 2. Gasp. Hurt. disput. 4. de Peccat. diff. 4. Palao tom. 1. tract. 1. disput. 1. punct. 4. & tract. 2. disput. 1. punct. 15. & alij plures apud Dian. par. 4. tract. 4. resol. 36.

Eius tamen prior pars est contra Medin. 1. 2. quæst. 19. art. 6. Manuel. Rodri. tom. 1. Summ. cap. 71. & Villalob. tom. 1. Summ. tract. 1. diff. 1. Qui censent, cognitionem præteritam de malitiâ operis non retractatam sufficere ad peccandum, etiam si, cùm opus exequutioni mandatur, præsens non sit. Sed malè. Primò ; quia, quo tempore malitia, aut bonitas operis ab operante non cognoscitur, nequaquam voluntas respectu eius potest in actu primo libera esse : eo quòd libertas actus primi per cognitiones obiectorum actu existentes constituitur, vt est notissimum. Ergo nec potest opus liberum esse in actu secundo ; atque adeò nec imputabile quoad malitiam, aut bonitatem. Quòd autem præcesserit cognitio de malitiâ, aut de bonitate operis, & non fuerit retractata ; sicut ad libertatem actus primi conferre non potest, vt constat ; ita neque ad imputabilitatem actus secundi. Secundò ; quia voluntas, vtpote cæca, in bonum, aut malum non potest ferri, nisi sibi illud reddatur præsens per cognitionem. At per cognitionem præteritam non est nunc voluntati præsens malum, aut bonum, sed olim fuit. Ergo ex vi præteritæ cognitionis non potest nunc voluntas in illud ferri ; atque adeò nec illud po- 22

test nunc imputari voluntati. Certè præterita cognitio ad exercitum imputabile voluntatis non magis præstat, quàm futura, si modo neutra præsens est. Tertiò; quia fieret ex tali sententiâ, Ethnicum, qui semel pntauit, omnia opera non facta propter Idolum, quod colit, eo ipso esse mala, peccare, quoties huius iudicij oblitus quælibet opera exequeretur, alioquin ex se bona. Hoc autem quis non censeat absurdum? Solutiones autem, quæ adhibentur ad illud vitandum, momenti non sunt. Et benè refutantur à Vazq. disput. illa 60. sub finem, & à Salas loco citato.

23 Posterior autem propositionis pars est contra Soar. 1. 2. tract. 2. disput. 4. sect. 3. Lorcam disput. 28. memb. 1. Gordonum tom. 1. Theol. moral. lib. 1. quæst. 8. cap. 10. & alios relatos à Vasq. disput. 107. citatà cap. 2. & à Dianâ vbi supra. Quia opinantur, ad peccandum necessariam non esse cognitionem formalem, & expressam de malitiâ operis, sed sufficere virtualem, & interpretatiuam; quam tunc, dicunt, adesse, quando operans cognoscens opus quoad entitatem voluntariè omittit ampliorem eius considerationem, quam si adhiberet, vti debebat, & quoad malitiam ipsum conciperet. Sed non benè. Primò propter duo priora argumenta facta num. præced. quæ in præsenti etiam locum habent, vt consideranti innotescet.

24 Secundò; quia nihil volitum, quin præcognitum, iuxtà receptum ab omnibus axioma. Sed malitia operis in casu Aduersariorum precognita reuerà non est. Ergo ne indirectè quidem est volita; & consequenter nec voluntaria, nec imputabilis esse potest iuxta doctrinam propos. 3. statutam.

25 Tertiò; quia, vt est impossibile, sub libertatem cadere primam cuiusuis obiecti cogitationem iuxta doctrinam Arist. lib. 7. Ethic. ad Eudemum cap. 18. receptam tanquam certam à S. Tho. 1. par. quæst. 82. art. 4. sæpeque alibi, & ab omnibus. Ita est impossibile, sub libertatem cadere eiusdem cogitationis primæ omissionem. Siquidem eadem est libertas voluntatis ad actum, & ad actus omissionem, vt est notissimum. Cuius vtriusque ratio conspicua est. Nam voluntas nequit esse proximè libera ad ponendam, vel omittendam vllam cogitationem, nisi præconcipiendo ipsam, & consequenter eius obiectum, sine quo ipsa concipi nequit, vt notum est. Si autem cogitatio prima alicuius obiecti, ejusque omissio sub libertatem caderent: & esset prima, vt supponitur, & non esset prima; quia supponeret per aliam priorem idem obiectum cogitatum. Quod est chymæricum. Hinc autem pro casu Aduersariorum, quem versamus, sequitur primò, cognoscentem opus, quod molitur, quoad eius entitatem præcisè, estò sit liber ad amplius de illo considerandum; (ad quod etiam prærequiritur de ampliori ipsâ consideratione reflexa cognitio); neutiquam liberum esse ad ponendam, vel non ponendam cognitionem vllam de tali operis malitiâ; foret, aut non foret illa sequenda ex ipsâ adhibitâ ampliori consideratione: sicuti liber ad proiectionem sagittæ, & nullam omnino habens cogitationem de sequuturo exillà homicidio, neutiquam ad hoc liber est; seu sequatur, seu non sequatur, vt constat. Vnde secundò sequitur, in casu dicto ne virtualem quidem cognitionem de malitiâ operis adesse: sine qua saltem nequit hæc esse imputabilis operanti ipso Aduersariorum iudicio: quia in casu dicto defectus cognitionis formalis de malitiâ operis voluntarius non est, prout ad cognitionem de illâ virtualem requirebatur iuxta Aduersarios ipsos. Tertiò sequitur, in casu eodem nullâ vrgeri operantem obligatione amplius considerandi de suo opere oriundâ ab obligatione vitandi malitiam eius; quia nemo vrgeri potest obligatione vitandi, quod nullo modo sibi venit in mentem: & quamuis hæc obligatio adesset, contra illam, vtpote incognitam, nihil fieret: incognitâ siquidem malitiâ, vt supponitur, obligatio ipsam malitiam euitandi nequit cognita esse.

Ex quibus omnibus concluditur, nullatenus 26
malitiam operis posse operanti liberam, & imputabilem esse, nisi eam ipse aliquo modo præconcipiat formali aliqua, & actuali cognitione. An autem hæc debeat esse iudicium, vel sufficiat dubium, aut suspicio, aut quæuis simplex apprehensio de tali malitiâ in sequentibus determinabimus.

Obijciunt tamen Aduersarij primò eos Pa- 27
tres, qui serio nos admonent, vt opera virtutum cum magnâ cautelâ, magnâque consideratione faciamus. Sed certè id non monent; quia putent, sine formali aliquâ consideratione malitiæ posse eiusmodi opera vitiari. Sed quia ex subreptione, ex paruâque attentione facilè detorqueri possunt ad prauum finem, aut alijs vestiri circumstantijs, quibus euadant venialiter mala: ad malitiam enim venialem vel minima aduertentia ipsius malitiæ satis est; tametsi semper formalis, & actualis esse debeat.

Secundò. Paulus 1. ad Corint. 4. dicit: *Nihil* 28
mihi conscius sum; sed non in hoc iustificatus sum. Ergo sentit, sine conscientiâ, seu cognitione formali malitiæ posse fieri peccatum. Nego consequentiam. Quia iuxta communem expositionem Paulus tantùm innuit eis verbis, se posse reuerâ reum esse alicuius peccati, quod ipsum tunc lateret; licèt non accusaretur à conscientiâ suâ; non quia cum defectu omnis aduertentiæ malitiæ commissum esset; sed quia factum cum aduertentiâ poterat obliuioni esse traditum, aut etiam non esse remissum.

Tertio opponunt; sequi ex nostrâ sententiâ, 29
vt omnes excusarentur ab innumeris peccatis, quæ proculdubiò ex ignorantiâ culpabili, aut ex inconsideratione fiunt. Respondeo, eos omnes excusari à peccato, qui sine actuali aduertentiâ malitiæ operantur. Hæc tamen rarò deest circa opera externa iure naturali prohibita, nisi quando subito fiunt sine vllâ deliberatione. Quandoque tamen opera externa prohibita iure positiuo sine malitiæ aduertentiâ fiunt, vt cum quis non aduertens, esse diem veneris, deliberatè comedit carnes: hunc autem peccare, quis dicat? In moribus autem internis frequentiùs accidit inaduertentia malitiæ, aut ea valde tenuis est: quo iure multi eorum motuum excusantur à culpâ, & plures à culpâ mortali. Neque ex hoc licet inferri, ex ignorantiâ culpabili nullum peccatum fieri. Quoniam ignorantia culpabilis non excludit, imo requirit aliquam malitiæ apprehensionem, aut dubium, aut suspitionem, aut formidinem, vt ex dicendis propos. 9. & 10. constabit amplius.

Quartò denique obijciunt, fore ex senten- 30
tiâ nostrâ, vt nemo peccaret mortaliter absque expressâ consideratione mortalis. Atque ita Ethnici, qui ignorant distinctionem peccati mortalis à veniali excusarentur à mortalibus. Quod est

est absurdum. Respondeo, duo in peccato mortali reperiri: primum, quòd sit graue malum: secundùm, quòd causet mortem animæ. Ex his illud primum, quod est de intrinseca ratione peccati, quodque cognoscere, satis est ad peccandum mortaliter, omnes cognoscunt, & discernunt: nemo enim non videt, num sit magna, vel parua malitia sui operis. Secundum verò, quod naturam peccati grauis consequitur, non opus est, vt cognoscatur ad peccandum morraliter. Alioqui neque in oppositâ sententiâ peccarent Ethnici mortaliter, Nam iuxta illam ad hoc, vt peccent, saltem debet esse in suâ potestate considerare, & cognoscere malitiam sui operis. Ethnici autem in suâ potestate non habent, cognoscere, num opera sua praua causent, aut non causent animæ mortem. Alia, quæ opponi possunt facillimè soluuetur ex dictis.

Propositio 6.

31 Cognitio omnino requisita, vt honestas materialis operationis euadat libera, & formalis, atque adeò imputabilis operanti, iudicantiua debet esse. Non tamen debet esse certa, sed sufficit, quòd sit probabilis,

In primâ parte huius propositionis omnes videntur conuenire, quandoquidem omnes illam supponunt. Pro secundâ verò nobiscum stant Thom. Sanc. in Sum. lib. 1. cap. 9. n. 18. Vazq. 1. 2. disp. 62. cap. 1. n. 6. Salas q. 21. tract. 8. disp. vnica sect. 4. n. 40. Lorca disp. 36. Montesin. disp. 29. q. 5. & alij, Contra Soar. 1. 2. tract. 3. disp. 12. Sect. 3. dicentem cum Nauarro, Corduba, & alijs, vt operatio euadat honesta formaliter, & imputatiuè, necessarium esse iudiciũ practicè certum de bonitate, siue honestate eius: neque probabile sufficere.

32 Supponunt autem omnes isti Doctores, conscientiam practicam siue certam, siue probabilem (de qua ipsi agunt, idemque est, ac iudicium practicum) ad formalem honestatem actus sufficere, etiamsi erronea, seu falsa sit. Quia eo ipso, quòd est certa, aut probabilis, est error inuincibilis, saltem moraliter. Error autem inuincibilis de honestate actus sufficiens est, vt ille euadat honestus formaliter; prout tenet sententia communis, quam tradunt Soar. vbi supra sect. 4. Salas sect. 3. n. 20. Lorca disput. 37. Thom. San. cap. 11. n. 17. Azor. lib. 2. cap. 8. q. vlt. Valent. disput. 2. quæst. 14. punct. 5. Gasp. Hurt. de Conscient. diff. 2. & alij.

33 Pro exactâ intelligentiâ, probationeque huius, atque sequentium propositionum supponendum est, ad bonitatem, aut malitiam moralem actus bifariam cognitionem eius posse conducere: primò vt puram propositionem ipsius bonitatis, aut malitiæ: secundò vt circumstantiam etiam ipsius actus boni, vel mali. Priori modo conducit ad hoc, vt actus evadat bonus, aut malus formaliter, & imputatiuè. Posteriori verò, vt in se re ipsâ sit bonus, aut malus materialiter, iuxta diuisionem factam supra n. 4. Nam, quemadmodùm actus ab alijs circumstantijs habere potest, esse in se re ipsâ bonum, aut malum materialiter: (vt cernere est in actu comedendi carnes in die Mercurij, qui, aduenientè circunstantiâ vigiliæ, redditur materialiter malus; rursusque, superveniente circumstantiâ ægritudinis, redditur respectu ægrotantis materialiter bonus). Ita id ipsum potest actus ab aliquâ sui cognitione tanquam à circumstantiâ habere. Sic enim actus, alias ex se reuerâ materialiter malus ab opinione probabili de sui bonitate redditur sæpe materialiter bonus. Potest autem contingere, vt coginitio sit sufficiens ad hoc, vt actus sit bonus, aut malus materialiter tanquam quædam circumstantia eius: & non sit sufficiens in ratione puræ propositionis, vt ille euadat bonus, aut malus formaliter, & imputatiuè. Atque etiam vice versâ. Ita enim iuxta sententiam Soar. & aliorum, iudicium probabile de bonitate actus non est sufficiens propositio, vt actus ex illâ euadat formaliter, & imputabiliter bonus; est tamen sufficiens circunstantia, per quam materialiter bonus ro ipsa redditur; talisque proinde iudicari potest verissimè per iudicium reflexum. Econuersò tamen iuxta sententiam meam infra exponendam dubium de bonitate, vel malitiâ actus in ratione circunstantiæ reuerâ inficit ipsum, seu malum materialiter reddit: in ratione verò propositionis sufficiens non est, vt formaliter, & imputabiliter euadat actus bonus, aut malus. Et iuxta sententiâ omnium vtramque sufficientiâ habet iudicium de bonitate, aut malitia actus vel euidens, vel certum. Porrò in hac materiâ ea dumtaxat cognitio practica solet appellari, à qua vt à purâ propositione euadit actus formaliter bonus, aut malus; non item ea, (cuiusuis in se naturæ sit), quæ ut circunstantia reddit actum bonum, aut malum materialiter.

Hac factâ suppositione, quæ præ oculis est habenda dinceps, prima pars propositionis datæ probanda imprimis est. Nempe, cognitionem requisitam, vt honestas materialis actus euadat formalis, & imputabilis, iudicatiuam esse debere, neque sufficere simpliciter apprehensiuam. Quæ pars, vt dicebam, supponitur quidem ab Auctoribus, dum omnes ad honestè formaliter operandum iudicium practicum de honestate actus requirunt aut certum, aut saltem probabile: sed apud nullum probatam reperi; cùm tamen non adeò nota videatur ex terminis. Posset fortasse illam quispiam probare. Quia simplex apprehensio de honestate actionis nullo comitata iudicio, prout de ipsâ loquimur, multò magis est obnoxia errori, vtpote imperfectissima cognitio, quàm quoduis iudicium improbabile, proindeque maius adhuc fert secum malitiæ periculum, quàm tale iudicium; atque adeò operari ex illâ nequit honestum esse. Cæterùm ratio hæc, etsi benè probet, dictam apprehensionem simplicem in ratione circunstantiæ deprauare actum, prout de iudicio improbabili dicemus propos. 7. tamen non probat, eam sufficientem esse in ratione puræ propositionis, vt actus formaliter imputabiliterque euadat honestus, iuxta dicenda etiam ibidem de dicto iudicio. Cur enim non euaderet talis, si malitiæ periculum per apprehensionem dictam inductum non animaduerteretur ab operante? 34

Probanda igitur dicta pars est. Quia nulla voluntas ferri potest liberè, & efficaciter, nisi in obiectum iudicatum; atque ita, quod simpliciter tantùm apprehensum est, non potest esse apprehendenti voluntarium, & imputabile. Indifferentia quippe apprehensionis simplicis, vt sit, vel non sit eius obiectum, quale apprehenditur, ineptam haud dubie reddit illam, per quam dirigatur voluntas ad illud volendum efficaciter. Nam quo pacto voluntas impendet 35

torum

totum suum conatum in obiectum per simplicem tantùm apprehensionem propositum, de quo nescit, an tale, quale est propositum, sit reuerà vel secus? Certè in ordine ad efficacem voluntatis affectum perinde se habet talis obiecti cognitio, ac si nulla esset. Nam ex se est satis, superque notum, moueri non posse voluntatem ad efficaciter volendum, vt existat obiectum, eo quòd taliter est bonum, nisi sibi sit persuasum, esse illud taliter bonum; quam persuasionem aliter, quàm per iudicium de tali bonitate habere non potest, vt constat. Quod cùm sit ita, planè consequitur, simplicem apprehensionem de honestate actus ideò non esse propositionem sufficientem, vt actus euadat honestus formaliter; quia non est sufficiens, vt honestas apprehensa sit voluntaria, & imputabilis operanti. Etenim, qui per suasus non est, suum actum secum ferre honestatem, quo pacto per exercicium talis actus seriò, & ex animo intendet, eam honestatem adipisci? Certè non magis id potest seriò intendi, quàm potest seriò intendi per fluminis applicationē combustio domus in tali applicatione apprehensa, prout vnusquisque, cùm libuerit, apprehendere potest. Quòd si directè non potest per causā intendi efficaciter effectus, nisi abeo, qui persuasus est, effectum esse sequuturū ex causā, neque indirectè censebitur effectus intendi, nisi ab illo, qui, dum apponit causam, eamdem habet apud se persuasionem. Huiusmodi autem persuasio solius iudicij est, non simplicis apprehensionis, vt dictum est.

36 Et quidem, si apprehensio simplex de bonitate actus in ratione propositionis sufficeret, vt actus euaderet bonus formaliter, multò magis apprehensio simplex de malitiā actus sufficeret, vt actus euaderet pariter malus formaliter, vt est notissimum. Hinc autem planè sequeretur, plerosque actus humanos simul esse bonos, & malos formaliter de facto, vtpote in quibus simul bonitas, & malitia apprehenduntur ab operante: (vel quia dictamen vnius fert secum formidinem, atque adeò apprehensionem alterius; vel quia, dum vna adstruitur, altera negatur, subindeque apprehenditur; vel quia vtraque casu se offert, aut etiam pro arbitratu). Cùm enim non aliā de causā apprehensio simplex possit sufficere in ratione propositionis, vt actus euadat ex illā aut bonus, aut malus formaliter, nisi quia sit sufficiens, vt bonitas, aut malitia in actu apprehensa fiat operaniti voluntaria, atque adeò imputabilis; quoties in actu simul apprehenduntur bonitas, & malitia, (siue stante iudicio pro alterā, siue non item), vtraque voluntaria erit, & imputabilis operanti; atque ita actus bonus simul, & malus formaliter euadet; æquè, ac si operans iudicaret, eum bonum simul, & malum esse, iuxta dicenda propos. 15. At hæc sequela absurda est, vt constat, Ergo apprehensio simplex de bonitate actus in ratione propositionis sufficiens non est ad benè operandū formaliter. Relinquiturque, vt ad id munus iudicium dumtaxat de ipsā sit sufficiens, atq; adeò requisitum, vt fert prædicta pars prima propositionis.

37 Quòd autem tale iudicium, non debeat necessariò esse certum, sed sufficiat, quòd sit probabile, quæ est pars propositionis secunda, probatur. Primò; quia, vt actus euadat formaliter bonus, sufficit, quòd bonitas materialis eius sit operanti libera, atque adeò imputabilis, vt ex se, & ex dictis hactenus liquidum est. Sed eo ipso, quòd operans iudicet, sibique persuadeat iudicio probabili, actum, quem exequitur liberè, talem bonitatem habere, eamq; secum ferre, nequit non ipsi talis bonitas libera, adeòque imputabilis esse, vt etiam ex se, & ex dictis est satis notum: quemadmodùm ponenti liberè causam liberā, est, & imputabilis positio effectus, quem ille tali causæ annexum, ex eāque sequuturum præuider, præiudicatve iudicio probabili. Igitur iudicium probabile de bonitate materiali actus sufficiens est, vt talis actus euadat bonus formaliter.

Dices, iudicium practicum probabile de 38
bonitate actus sufficiens quidem esse in ratione propositionis, vt actus euadat bonus formaliter; cæterùm in ratione circunstantiæ ipsum actum vitiare. Quia iudicium probabile de bonitate actus secum fert prudentem formidinem de malitiā eius: quo fit, vt, qui operatur cum tali iudicio, reuerà exponatur periculo malè operandi, Qui autem tali periculo expositus operatur, eo ipso non benè, sed malè operatur. Sed primùm obiectio hæc non habet locum casu, quòd certò constet actum non esse malum, formidoque subinde comitans iudicium probabile de bonitate eius non de malitiā, sed de carentiā bonitatis, siue de indifferentiā sit. Quo casu nullum erit periculum malè operandi; sed vt summùm contingentia operandi benè, aut indifferenter. Sed sit formido de malitiā actus. Hoc casu bifariam potest actus spectari, nempe aut præcisus à iudicio probabili de bonitate, aut coniunctus cum tali iudicio tanquam cum quadam circunstantiā. Si posteriori modo spectetur, vt sic periculū malitiæ deest reuerà in actu, etiam ex sententiā Aduersariorum. Ipsi enim dicunt, ex suppositione iudicij probabilis de bonitate actus, actum ipsum citra, dubium, & citra malitiæ periculum indicari bonum, & esse. Vnde iuxta eorum, & communem doctrinam non solùm non inficitur actus tanquam per circunstantiam per iudicium probabile de bonitate suā propter formidinem comitantem de suā malitiā, sed potiùs honestatur reuerā, non obstante tali formidine; vtpote quæ in conspectu talis iudicij morale, prudensve malitiæ periculum, quod iudicium ipsum excludit, inducere non valet. Etenim, considerato iam actu priori modo, præciso scilicet à iudicio probabili de suā bonitate, quo pacto obiectum eius est; tametsi vt sic ille per formidinem oppositam concipiatur cum aliquali contingentiā, siue periculo malitiæ; huiusmodi contingentiā, siue periculum moraliter censetur excluſum per dictum iudicii, quatenus per illud prudentissimè statuitur, actum esse bonum; & ex suppositione, quòd sit bonus, repugnat, quòd sit malus.

Secundò probatur eadem pars. Nam etsi 39
sit verum, plerunque homines de facto operari cum iudicio practico certo de bonitate operationis; negari tamen non potest, sæpissime etiam timoratissimos quosque, præsertim scrupulosos, operari cum iudicio practico adeò formidoloso, vt ampliùs non sit, quàm probabile; quin possint à se formidinē de malitiā oppositā ipsum committantem excutere: Quis autem horum omnium operationes tanquam peccaminosas condemnet; quas illi talem formidinem contemnentes, etiam ex consilio sapientum, prudentissimè exercent?

Tertiò probatur. Quia, si iudicium practicè certum de bonitate operationis necessarium esset ad honestè operandum; fieret vtique, vt nemini secundùm opinionem probabilem, quam vocant minùs tutam, liceret honestè operari; quod

quod est contra plerosqu; Theologos, & contra ipsos Aduersarios. Id autem sequi, facilè ostenditur. Nam, cùm in opinione positum sit, num iuxtà opinionem probabilem minùs tutam operari liceat, & consequenter non sit certum licere; nemo nixus minùs tutà opinione formare posset iudicium certum, quo practicè iudicaret, sibi licere operationem; quia non est certum, tali opinione suppositâ, operationem esse licitam; de obiectoque incerto non potest ferri iudicium certum. Nec dici potest, vt dicunt Recentiores in simili, per opinionem probabilem quasi reflexam de licentiâ vtendi opinione minùs tutâ certò honestari operationem. Quia, cùm hæc opinio reflexa sit quoque minùs ruta respectu talis operationis, eadem omninò de illâ, ac de directâ ratio est.

40 Quartò probatur. Quia sine fundamento idoneo, imò contra propriam doctrinam asseritur ab Aduersarijs, suppositâ opinione probabili de bonitate operationis, confestim formari posse iudicium practicè certũ de bonitate ipsius; quasi sit certum, per talem opinionem tanquam per circunstantiam operationem reddi bonam. Ideo enim ipsi arbitrantur, cum iudicio practico probabili non licere operari; quia per huiusmodi iudicium, vtpote secum ferens formidinem de malitiâ actus, exponitur homo periculo malè operandi. Sed, si quando exponitur homo tali periculo, non minùs, imo magis exponitur, quando bonitas operationis, quam aggreditur, nititur tanquam in circunstantiâ in aliquâ opinione, siue in aliquo iudicio probabili de bonitate ipsius: vtpote, quia talis opinio, siue iudicium etiam trahit secum formidinem, & contingentiam malitiæ; eaque per iudicium practicum reflexè, adeoque expressiùs ab operante aduertenda venit. Igitur aggredi operationem idcircò bonam, quia probabiliter iudicatur bona, secundùm Aduersariorum doctrinam illicitum est. Igitur, positò, quòd sit vera doctrina eorum, verum non est, operationem esse bonam, eo quòd per iudicium probabile iudicatur bona. Tantum abest, vt id sit certum, vti supponunt ipsi.

41 Obiiciunt tamen Aduersarij. Iudicium practicum, quo regulatur omnis honesta actio, est actus virtutis prudentiæ. Ergo non potest non esse illud certum, & euidens: quales sunt omnes actus virtutum intellectualium iuxta doctrinam Arist. lib. 6. Ethic. cap. 3. Verùm huic obiectioni omnes tenentur respondere. Quia actus virtutum intellectualium non solùm certi, & evidentes, sed etiam veri debent esse, vt ibidem docet Arist. Et tamen iudicium practicum dirigens ad honestè operandum falsum, & erroneum esse potest secundùm omnes, prout supra n. 28. dicebamus. Omissâ igitur solutione, quam ad obiectionem factam adhibet Vazq. 1.2. disp. 58. cap. 2. & disp. 81. cap. 1. & mihi non placet. Ego ad illam respondeo, iudicium practicum dirigens ad honestè operandum debere quidem esse prudens quasi obiectiuè, hoc est, conceptum ab intellectu iuxta prudentiæ regulas, vt sicque proinde oriundum veluti impetatiuè à virtute prudentiæ: quale citra dubium est iudicium probabile, estò nec sit certum, nec euidens, nec verum: non tamen debere esse ex actibus à virtute prudentiæ elicitis, quibus vt sumnùm certitudo, euidentia, & veritas debitæ sunt.

Propositio 7.

Iudicium practicum improbabile de bonitate materiali actus sufficiens est in ratione puræ propositionis, vt talis actus euadat bonus formaliter. In ratione verò circunstantiæ illum inficit, seu malum reddit. 43

Prima pars propositionis probatur. Nam vt supra arguebam n. 37. ad hoc, vt actus euadat formaliter bonus, sufficit, quòd bonitas materialis eius sit operanti libera, atque adeò imputabilis. Sed eo ipso, quòd operans per quoduis iudicium siue certũ, siue probabile, siue improbabile iudicet, sibique persuadeat, actum, quem exequitur liberè, talem bonitatem habere, eamque secum ferre, nequit non ipsi talis bonitas libera, atque imputabilis esse. Igitur quoduis iudicium, etiam improbabile de bonitate materiali actus sufficiens est in ratione puræ propositionis, vt talis actus euadat bonus formaliter. Quod confirmari potest. Quia falsitas iudicij practici erronei de bonitate materiali actus non obstat, quominùs ille euadat formaliter bonus, quando huiusmodi falsitas inuincibilis est, vt omnes fatentur. Sed minor est iudicij defectus improbabilitas, quàm falsitas. Ergo improbabilitas, siue imprudentia iudicij improbabilis de bonitate materiali actus nihil obstabit, quominùs ille euadat formaliter bonus, quando talis improbabilitas inuincibilis est, seu sub aduertentiam non cadit. Quod est, esse sufficiens tale iudicium ad bonitatem formalem actus in ratione puræ propositionis.

Secunda autem propositionis pars probatur. 44 Quoniam iudicium improbabile de bonitate materiali actus temerè relinquit expositum malitiæ periculo actum ipsum, quo pacto illam aggredi, non potest non iniquum esse: cùm sit rationi dissentaneum aggredi actum, de quo prudenter non iudicatur carere periculo malitiæ. Etenim eo ipso, quòd tale iudicium non honestat actum vt circunstantia, physicè, & moraliter manet cum eius malitiâ compatibile; atque ita periculum physicum, & morale inducit secum talis malitiæ. Quod est, inducere malitiam alteream fundatam in tali periculo.

Vnde constat; qui aduertit reflexè, suum iu- 45 dicium esse improbabile, & periculosum; quod in praxi sæpiùs contiget; neque tamen ab exequutione actus propositi desistit; non benè, sed malè operari. Qui tamen id non aduertit; quod rariùs accidet; haud dubiè operatur benè. Sicut inuincibiliter errans circa bonitatem operationis, honestè operatur secundùm omnes.

Hæc dicta sunt de iudicio practico improba- 46 bili ferente malitæ periculum respectu operantis: quod enim non fert tale periculum, ne vt circunstantia quidem actus excludit omnem bonitatem eius. Si quis enim, certò iudicans suum actum malum non esse, iudicaret improbabiliter, eum esse bonum, non quidem malitiæ, sed indifferentiæ tantùm actus periculum haberet. Periculum autem indifferentiæ non absorbet actionis bonitatem, vt ex dicendis apparebit.

Pro-

Propositio. 8.

47 Dubium quoduis de bonitate actus in ratione puræ propositionis sufficiens non est, vt actus euad t bonus formaliter. In ratione verò circuanstantiæ omnino vitiat actum, quando dubium est, vtrùm actus sit bonus, aut malus. Quando autem est dubium, an actus bonus sit, aut non bonus; & aliàs constat, malum non esse; illud quidem non est circunstantia bonitatem actus prorsus absorbens.

Suppono, quid, & quotuplex sit dubium, quid suspicio, quid coniectatio, & quid formido, ex dictis in Pharo Scient. disp. 2. q. 2. à n. 60. Et probo primam partem propositionis. Namvel dubium, de quo in eà agitur, est negatiuum, vel posititiuum. Si negatiuum; simplicem tantùm continet apprehensionem de bonitate actus. Constat autem ex dictis propos. 6. à n. 34. simplicem apprehensionem de bonitate actus, vt ille euadat bonus formaliter insufficientem omnino esse in ratione puræ propositionis. Si autem dubium sit positiuum, erit iudicium de incertitudine, seu dubietate, vt ita dicam, bonitatis actus: quod, vt sit bonitas ipsa voluntaria, sufficere non potest, vt constat; constabitque magis ex propos. 9. dum ostendemus, iudicium de probabilitate bonitatis actus non esse sufficientem propositionem, vt actus euadat bonus formaliter. Quippe iudicium de incertitudine bonitatis minùs potest esse sufficiens, quàm iudicium de probabilitate eius, vt patet ex se.

48 Iam secunda pars propositionis facilè ostenditur. Quia operari cum aperto periculo non solùm physico, sed etiam morali malè operandi, iniquum est, & contra rationem. Sed qui operatur dubitans, vtrùm operatio sua bona, vel mala sit, planè operatur expositus tali periculo. Ergo huiusmodi dubium prorsus inficit operationem, supra quam cadit.

49 Tertia denique propositionis pars inde videtur mihi probari: quia operari cum contingentiâ benè operandi, & sine periculo vllo operandi malè rationi consentaneum apparet, atque adeò bonum, quamuis non æquè bonum, ac operari benè absolutè sine eà contingentiâ. Quod confirmatur. Quia melius est, operando exponere se contingentiæ operandi benè, aut indifferenter, quàm abstinere ab operatione. Sed abstinere ab operatione malum non est, vti supponimus. Ergo erit bonum operari cum contingentiâ dictâ: quia, quod est melius non malo, absolutè est bonum. Certè, qui exponitur contingentiæ lucrandi, & non perdendi, prudenter se gerit. Sed sic se gerit, qui exponitur contingentiæ operandi benè sine periculo operandi malè. Ergo prudenter se gerit, & consentaneè ad rationem, atque adeò honestè.

Propositio. 9.

50 Iudicium quantumuis certum de probabilitate bonitatis actus, vt actus euadat bonus formaliter, sufficiens non est in ratione puræ propositionis. In ratione verò circumstantiæ actum ipsum honestat,

Primum probatur. Quia, nisi quis sibi persuadeat, dum operatur, suum actum esse bonum, nequit ei bonitas actus esse libera, & imputabilis, vt ex dictis in præcedentibus constat. Sed per iudicium dictum non persuadet sibi homo, suum actum esse bonum, sed tantùm esse probabile, quòd bonus sit. Igitur ex tali iudicio non potest bonitas actus esse operanti libera; atq; adeò nec actus ipse euadere formaliter bonus. Porrò, dum homo iudicat, esse probabile, quòd suus actus bonus sit, nõ eo ipso sibi persuadere, quòd verè sit bonus, patet: quia potest simul iudicare, eum non esse bonum, & tamen esse probabile, quòd bonus sit. Et confirmari potest. Quia iudicium, quo iudicaretur bonitas actus cognita, aut amata, nihil conferret in ratione propositionis, vt actus euaderet bonus formaliter, vt constat. Sed probabilitas bonitatis actus non minùs est quid distinctum à bonitate ipsa, quàm denominatio cognitæ, aut amatæ, vt eiam constat. Ergo iudicium de probabilitate bonitatis actus nihil confert in ratione propositionis, vt actus euadat bonus formaliter.

Hinc sequitur; si quis cum iudicio de pro- 51
babilitate bonitatis actus, & sine vllo alio iudicio directo de bonitate, aut de malitiâ eius operaretur, quod non euenit in praxi; actum nec bonum, nec malum formaliter euasurum: quia neque eius bonitas, neque malitia esset voluntaria operanti.

Iam verò, quòd prædictum iudicium hone- 52
stet actum vt quædam circunstantia eius, inde probandũ est; quia idem præstat tale iudicium, ac præstaret opinio probabilis de bonitate actus: cum per illud probabilitas obiecti ponatur, quæ æquiualet probabilitati opinionis. Supponimus autem in præsentiarũm ex communi Doctorum sententiâ, per opinionem probabilem de bonitate actus veluti per circunstantiam quamdam honestari actum ipsum. De quo in Tractatu de Conscientiâ.

Enimverò, quæ de iudicio certo de proba- 53
bilitate bonitatis actus diximus, eumdem omnino locum habent in iudicio probabili de eodem obiecto. Perindeque est verum in vtroque: siue adsit simul iudicium simile de probabilitate malitiæ eiusdem actus, siue secus. Quid autem de iudicio improbabili eiusdem obiecti dicendum sit, ex dictis in hac, & in 6. propos. facilè ab vnoquoque colligi potest. Et, quæcunque diximus hactenus de iudicio certo, probabili, vel improbabili, æquè vera sunt, siue talia iudicia vera, siue talia sint, seu erronea.

Sed rogabit hìc aliquis, vtrùm ad operan- 54
dum licitè, siue non malè requiratur etiam iudicium directum de licentiâ operandi, siue de carentiâ malitiæ; vel satis sit iudiciũ de probabilitate talis carentiæ. Respondeo, in ratione puræ propositionis ad operandum non malè nullam cognitionem requiri de catentiâ malitiæ: quia ad operandum non malè non opus est, quòd sit voluntaria operanti carentia malitiæ: sed satis est, non esse voluntariam malitiam. Cùmque in ratione circunstantiæ iudicium illud quasi reflexum de probabilitate carentiæ malitiæ iucunde possit actum vitiare; quando aut certum est, aut probabile, vt per se patet; si cum eo solo operetur homo non iudicans directè, se malè operari, haud dubiè

bie licitè operabitur. Adde, dictum iudicium circunstantiam esse reddentem licitam operationem veluti materialiter. Vnde, illo posito, verè, & prudenter poterit homo per aliud iudicium directè iudicare, sibi licere operationem, atque ita exercere eam licitè quasi formaliter. Si verò, stante eo iudicio de probabilitate carentiæ malitiæ, iudicet operans nihilominùs iudicio directo, vti potest, actum non carere malitiâ, sed esse malum, citra dubium actus ipse malus formaliter euadet; vtpote cuius malitia ob tale iudicium voluntaria erit, & imputabilis operanti, non obstante iudicio altero de dicta probabilitate. Quæ omnia
55 ex dictis in præcedentibus satis comperta sunt.

Ex dictis autem circa præsentem propositionem facilè constat, quid sit dicendum de suspicione bonitatis actus, tum prudente, tùm imprudente. Quia suspicio quasi reflexa etiam cognitio est, qua iudicatur, verisimile esse, quòd actio bona sit; atque ita pariter de illâ, ac de iudicio de probabilitate ipsius bonitatis philosophandum est. Dicendumque, eam ad honestatem actus nunquam sufficere vt propositionem puram; vt circunstantiam verò, quando prudens est, nonnihil conducere, nisi de probabilitate malitiæ, aut de malitiâ ipsâ iudicium certum
51 sit, aut probabile: hoc enim casu aio, suspicionem de bonitate nihil præstare, quominùs actus malus sit. Imo puto, neque eam ad bonitatem actus prodesse, quando adest suspicio prudens opposita de malitiâ eius. In quo suspicio bonitatis propter debilitatem à iudicio de probabilitate bonitatis differre videtur. De coniectatione autem stricta circa actus bonitatem tantumdem ferme venit dicendum, vtpote quæ suspicio quædam est de ipsius bonitatis illatione ex indicijs propositis. Formido verò cadens supra iudicium directum de bonitate actus, & de eius falsitate formidans non obstat, quominùs tale iudicium sufficiens sit in ratione purè propositionis ad talis bonitatis imputationem. De illo autem in ratione circunstantiæ penes ipsius qualitatem censendum est consentaneè ad dicta. Agamus iam speciatim de cognitione ad malitiam actus cõducẽte.

Propositio 10.

56 **Dubium de malitiâ actus in ratione puræ propositionis non sufficit, vt actus euadat malus formaliter: quia non sufficit, vt malitia sit libera, & imputabilis dubitanti, vti probatum est in simili proposit. 8. In ratione verò circunstantiæ omnino vitiat actum propter periculum, quod inducit, malè operandi.**

Sic sunt intelligendi Doctores, qui absolutè pronuntiant, illicitum esse operari cum huiusmodi dubio. Hi sunt Azor. lib. 2. cap. 18. q. 3. Thom. Sanc. lib. 2. de Matrim. disp. 41. n. 6. & in Sum. lib. 1. cap. 10. Soar. 1. 2. tract. 3. disp. 12. sect. 3. & tom. 5. in 3. p. disp. 40. Sect. 5. Vazq. disput. 65. cap. 1. Salas tract. 8. disp. vnic. sect. 16. Vbi plures, quàm 26. Auctores refert pro hac sententiâ. Quam tenent insuper Ioan. Sanc. in Selectis disput. 42. Palao tom. 1. tract. 1. disput. 3. punct. 1. & cæteri omnes communiter. Non quidem, quia à tali dubio præcisè actus euadat malus formaliter; quippe non euaderet talis, si fortè dubium ipsum ab operante nullatenus aduerteretur. Sed, quia tam aperta est malitia ab illo vt à circunstantiâ prouenies, vt vix, aut ne vix quidem illa operanti possit abscondi, dum dubium sese ipsum ei per experientiam clarè notificat.

Porrò, malitiam ex prædicto dubio nascentem nasci ab illo tanquam à circunstantiâ, & non 57
tanquam à propositione practicâ dubiæ malitiæ: probatur facile ex omnium mente. Quia malitia, quæ cognosci non potest, nisi cognoscatur reflexè actus intellectus, à quo dicitur prouenire, non potest non à tali actu tanquam à circunstantiâ nasci, vt ex dictis à nobis hactenus satis compertum est. Sed malitia actus cum prædicto dubio exercendi, nisi ipsum dubium cognoscatur, cognosci non potest, vtpote quæ tota ex periculo malè agendi, quod fert secum tale dubium, resultat. Igitur ea à tali dubio non tanquam à purâ propositione, sed tanquam à circunstantiâ nascitur. Clariùs. Omnes fatentur, eum, qui operatur cum dubio de malitiâ actus, id circo peccare: quia exponitur periculo malè operandi. Ergò, qui non aduertit se tali periculo exponi, non peccat. Sed id aduertere non potest, nisi aduertat, se dubitare. Ergò malitia peccati à dubio prouenientis nequit sine ipso dubio cognosci; atque adeò ab illo non vt à propositione practicâ prouenit; sed vt à circunstantiâ quadam ipsius actus.

Ad hæc. Aut dubium de malitiâ actus est 58
negatiuum, aut positiuum. Si negatiuum; cùm tantùm per illud apprehendatur simpliciter ipsa malitia, nequibit ea ex vi talis apprehensionis euadere operanti libera iuxta doctrinam stabilitam propos. 6. à n. 34. Aliàs bonitas apprehensa eodem iure euaderet libera: sicque dubitans, num actus sit bonus, aut malus, bennè simul, & malè formaliter operaretur de facto; quod est inauditum: vti operaretur ille, qui iudicaret, suum actum bonum, simul & malum esse, iuxta dicenda propos. 15. Si autem dubium sit positiuum, minùs in ratione propositionis potest sufficere, vt actus euadat malus formaliter. Tum quia iudicium de incertitudine moralitatis materialis insufficiens propositio est, vt euadat illa formalis: quia insufficiens est, vt euadat libera, iuxta dicta propos. 8. & 9. Tum quia non est, cur ex vi talis iudicij malitia potiùs, quàm eius defectus, imputaretur operanti: cùm dubium sit, an adsit malitia, vel desit. Tum denique quia ex cognitione dubiæ malitiæ nequit euadere libera, & imputabilis malitia certa; qualis est malitia actus operantis cum dicto dubio. Stet ergo à dubio de malitiâ actus, non vt à propositione ipsius malitiæ, sed vt à circunstantiâ quadam reddi ipsum actum malum, materiali scilicet malitiâ per ipsum dubium constitutâ, quæ proinde vt euadat formalis, hoc est libera, & imputabilis, atque adeò culpabilis, reflexè cognosci debet per aliud iudicium, vt semper, aut fere semper de facto cognoscitur ob suam magnam euidentiam.

Propositio 11.

De reliquis actibus intellectus eàdem 59
ad rem proportione philosophandum est relatè ad malitiam operationis, atque relatè ad bonitatem philosophati sumus.

Atque ita dicendum primò, quoduis iudi-

cium directum de malitiâ operationis sufficiens esse in ratione propositionis practicæ, vt operatio euadat mala formaliter: siue illud sit certum, siue probabile, siue improbabile: siue verum sit, siue falsum. Iudicia verò quoquo modo reflexa de quouis alio obiecto à malitiâ operationis distincto, & quamlibet apprehensionem simplicem ipsius malitiæ ad id muneris nullo modo sufficere.

60 Secundò dicendum, quamuis omnino cogitationem de malitiâ operationis aut simplicem, aut iudicatiuam, siue directam, siue reflexam in ratione circunstantiæ vitiare operationem, quoties pro parte oppositâ non adest iudicium saltem probabile aut de carentiâ ipsius malitiæ, aut de illius probabilitate. Itaque, nisi quis certò, aut probabiliter iudicet, suam operationem non esse malam, aut saltem, esse probabile, quòd mala non sit, hoc ipso, quòd de malitiâ illius cogitet quauis ratione redditur ipsa operatio mala respectu eius. Quoniam quæuis malitiæ cogitatio vt minimùm inducit periculum malè operandi respectu cogitantis, dum ei proponit malitiam vt annexam operationi ab ipso exercendæ. Quare, quoties tale periculum moraliter saltem non arcetur per iudicium probabile oppositum; necesse est, vt aggrediens operationem illi se exponat: adeòque iniquè, & contra rationem aggrediatur illam.

61 Vnde constat, illicitè vnumquemque operari, quoties formido, suspicio, aut quæuis alia cogitatio de malitiâ operationis animum suum pulsat: nec tamen prudenter iudicat, operationem non esse malam, aut saltem id esse probabile; quia, sic operando, temerè se exponit periculo malè operandi. Vt tamen peccet opus est, quòd aduertat tale periculum; reflexèque iudicet cum illo, aut cum tali dispositione se malè operari: Alioquin propter inaduertentiam malitiæ nequaquam peccabit; etsi exerceat operationem alioquin malam materialiter.

62 Atque hinc etiam nascitur obligatio, quam habet homo, dum de suæ operationis malitiâ cogitare incipit, acquirendi sibi dictamen probabile de bonitate eius, siue de carentiâ malitiæ, interimque abstenendi ab operatione, ne se periculo exponat malè operandi. Quæ tamen obligatio debet aduerti, vt homo illâ teneatur quasi in actu secundo: nam, deficiente aduertentiâ eius, in omissione consultationis, maiorisve considerationis, ad quam ea obligat, non erit peccatum. Ex quo constat, neminem ex ignorantiâ malitiæ sibi liberæ peccare posse; quia neque malitia ignota potest esse libera; neque malitia libera potest esse ignota. Dicitur tamen homo peccare ex ignorantiâ; quando ignorans, an sit operatio mala, nec ne, suamque ignorantiam aduertens, sine præmissâ diligentiâ ad excutiendam illam aggreditur operationem; ideo dumtaxat, quia in tali casu peccat homo ignorans malitiam, quam operatio habet secundùm se; at non peccat ignorans malitiam, quam operatio participat ab ipsius ignorantiâ tanquam circunstantiâ; quæque est malitia propria peccati sui ipsi libera, atque adeò nota. Si enim non sciret, se malè agere, dum cum prædictâ ignorantiâ pergit ad opus, neutiquam peccaret sic operando.

63 Postremò ex dictis facilè colligitur, quod genus scrupuli non depositi inficiat, & quod non inficiat operationem scrupulosi. Si enim scrupulus sit dubitatio, aut suspicio de malitiâ operationis nullo commitata iudicio probabili, seu prudente de carentiâ dictæ malitiæ, illicitum erit cum tali scrupulo operari; subindeque, qui cum illo operetur, peccabit vtique, dummodò aduertat, seu iudicet, se malè agere cum tali scrupulo operando: alioquin eâ aduertentiâ deficiente, peccatum in operatione non erit ob inaduertentiam malitiæ; multòque minùs erit peccatum, si scrupulosus aliquâ generali regulâ ductus iudicet bona fide, se benè agere, dum quemuis deuorat scrupulum. Si autem scrupulus sit formido, aut suspicio de malitiâ operationis comitans iudicium probabile de talis malitiæ defectu, quantumuis ea formido, aut suspicio sit prudens, nullatenus operationem inficiet; proindeque eâ reclamante, nec depositâ, licebit operari.

Ex dictis hactenus constat, ad hoc vt boni- 64
tas, aut malitia moralis cuiusuis actus naturæ rationalis euadat formalis, seu, quod est idem, libera, & imputabilis operanti, ab ipso debere præcognosci cognitione iudicatiua: atque ita solum iudicium practicum de ipsâ bonitate, aut malitiâ esse sufficiens in ratione propositionis ad libertatem, atque imputabilitatem eius: nec vllam aliam ad id muneris cognitionem sufficere. Tantumdemque de indifferentiâ actus ob eamdem prorsus rationem decendum est. Nam licet sub opinione sit, an aliquis actus naturæ rationalis possit reipsâ in indiuiduo indifferens esse, adeòque nec bonus, nec malus moraliter; de quo nos agemus inferius. Attamen, si ab operante iudicetur indifferens, seu vero, seu falso iudicio, libera vtique, & imputabilis euadet ipsi operanti talis indifferentia, vt apud omnes est in confesso: qualis non euaderet iuxta dicta, si non esset cognitio eius iudicatiua. Vtrùm autem per aliquam cognitionem indifferentiæ actus possit ipse tanquam per circunstantiam reddi aut bonus, aut malus, aut indifferens, ex dictis de cognitionibus bonitatis, & malitiæ reddentibus actus vt circunstantijs bonos, aut malos, poterit vnusquisque colligere. Nosque pergamus ad examen multorum casuum, siue modorum, quibus dictamen, siue iudicium practicum operantis ad bonitatem, malitiam, & indifferentiam moralem actus, siue actuum ipsius comparabile est.

Propositio 12.

Quot modis dictamen, siue iudicium 65
practicum naturæ rationalis ad bonitatem, malitiam, & idifferentiam moralem vnius, aut plurium actuum ipsius sit comparabile, determinare.

Dictamen, siue iudicium practicum vel potest referri ad vnum actum, considerando dumtaxat moralitatem eius; vel potest referri ad plures actus, considerando simul moralitatem omnium. Primùm de priore; deinde de posteriore est agendum. Supponoque primò, quod iam in præcedentibus tetigi, actum talem in esse moris euadere formaliter, & imputatiuè, qualis per dictamen, siue iudicium practicum, à quo procedit, concipitur ab operante; siue reipsâ talis sit, qualis concipitur, siue secus; adeòque, siue iudicium practicum sit verum, siue sit falsum. Itaque, si actus iudicatur bonus, formaliter, & imputatiuè euadit bonus; si malus, malus; & si indiffe-

indifferens. Id quod tenent omnes Theologi, quorum plures referunt Salas 1. 2. tractat. 8. disput. vnic. sect. 3. num. 32. Thom. Sanc. in Summ. lib. 1. cap. 11. num. 5. Et ratio est manifesta. Quia voluntas liberè operantis, vtpote cæca, non fertur in actum, nisi prout est sibi propositus per intellectum. Igitur talis euadet actus, procederque à voluntate quoad esse morale, qualis ipsi per intellectum propositus est. Clariùs. Ea dumtaxat moralitas actus est libera, & imputabilis operanti, quam operans cognoscit in actu, actuive iudicat annexam, dum illum exequitur. Sed actus ab eâ dumtaxat moralitate euadit moralis formaliter, & imputatiuè, quæ libera est, & imputabilis operanti; quidquid sit de moralitate, quam actus re ipsâ habet in se. Igitur ab eâ dumtaxat moralitate euadit actus formaliter, & imputatiuè moralis, quam operans cognoscit in ipso, seu ipsi iudicat annexam, dum illum exequitur: siue hæc sit eadem cum eâ, quam actus re ipsâ habet, siue non sit eadem.

66 Suppono secundò, ex plurimis casibus, qui circa vtramuis propositionis partem excogitari possunt vnum, aut alterum dumtaxat apud Auctores tactum, examinatumque, ac resolutum reperiri, cæteris omnibus prætermissis non sine iniuriâ vniuersalitatis doctrinæ. Quare præsentis propositionis intentum est, eos omnes recensere, qui ex terminorum combinatione factâ resultant. Vt resoluamus in sequentibus paucos quosdam selectos adeò vniuersales, vt ad eorum resolutiones non difficilè reuocari valeant resolutiones cæterorum.

67 Primò igitur, dum quis operatur, iudicare potest, suum actum esse malum. 1. malitiâ generica præcisâ ab specie, atque etiam à quantitate grauî, vel leui. 2. malitiâ generica grauî. 3. malitiâ generica leui. 4. malitiâ specificâ determinatæ speciei, sed præcisâ à quantitate grauî, vel leui. 5. malitiâ specifica grauî. 6. malitiâ specificâ leui. Totidemque casus veniunt eodem modo numerandi circa bonitatem, si iudicet operans, suum actum esse bonum. Et totidem circa indifferentiam si iudicet, esse indifferentem, Vnde omnes iuncti sunt 18.

68 Secundò, dum quis operatur, iudicare potest, suum actum esse. 1. simul bonum, & malum. 2. simul bonum, & indifferentem. 3. simul malum, & indifferentem. 4. simul bonum, & malum, & indifferentem. Et quoniam vnusquisq; horum trium terminorum sex differentias subire potest, de quibus num. 67. & omnes sex vnius cum singulis alterius seorsim concurrere possunt: vnusquisque trium priorum horum casuum cum dictis sex differentijs 36. casus componit: quia 6. differentiæ multiplicatæ per 6. reddunt 36. Quartus autem casus componit 216. quia 6. differentiæ vnius termini multiplicatæ rursus per 36. casus aliorum duorum reddunt 216. Sicque quatuor isti casus cum dictis sex differentijs suorum terminorum 324. casus differentes conficiunt.

69 Tertiò, dum quis operatur, iudicare potest, suum actum esse. 1. vel malum, vel bonum. 2. vel malum, vel indifferentem. 3. vel bonum, vel indifferentem. 4. vel malum, vel bonum, vel indifferentem. Qui quatuor casus perinde ac quatuor num. 68. cum predictis differentijs suorum terminorum, de quibus num. 67. totidem casus conficiunt, scilicet 324. Habemusque iam subinde casus differentes 648.

70 Quartò, dum quis operatur, concipere potest in suo actu binas, vel ternas, vel quaternas, &c. bonitates, aut malitias, aut indifferentias specie diuersas. Sed agamus solùm de binarijs, cæteris numeris prætermissis considerationi legentis. Itaque, dum quis operatur, iudicare potest, suum actum esse. 1. bonum simul bonitate iustitiæ, & temperantiæ. 2. bonum disiunctiuè bonitatè vel iustitiæ, vel temperantiæ. 3. malum simul malitiâ iniustitiæ, & sacrilegij. 4. malum disiunctiuè malitiâ vel iniustitiæ, vel sacrilegij. Similiterque de duabus indifferentijs. Habemusq, sex casus. Quorum vnusquisque cum tribus differentijs, quæ terminis suis conuenire possunt, videlicet præcisionis à quantitate, quantitatis grauis, & leuis, siue magnæ, & paruæ, 9. casus componunt. Suntque subinde omnes simul. 54. qui iuncti præcedentibus 702. casus conficiunt.

Quintò, dum quis operatur, iudicare po- 71
test, malitiam, bonitatem, aut indifferentiam suo actui annexam esse vel absolutè, vel sub aliquâ conditionè. Quo casus omnes recensiti hactenus duplicantur. Habemusque iam propterea casus 1404. Et hæc satis pro primâ propositionis parte.

Venio ad secundam comparantem dictamen, 72
siue iudicium practicum ad plures actus morales, respectu quorum libera in actu primo sit voluntas operantis. Fiet autem comparatio maioris distinctionis gratiâ circa binarium actuum; nam, quod de binario dictum fuerit, facile erit, ternario, & cuiuis numero accommodare.

Primò igitur binarius actuum septem om- 73
nino modis, quod ad rem attinet, se habere potest relate ad voluntatem liberam. Nam aut actus respectu voluntatis sunt inter se oppositi citra medium. Quo casu & omissiones actuum erunt itidem citra medium oppositæ inter se: voluntasque subinde nec poterit vtrumque actum simul amplecti, nec vtrumque simul omittere; atque adeò necessitata erit ad amplectendum vnum, & omittendum alterum, manebitque dumtaxat libera libertate puræ electionis inter vtrumque. Aut actus sunt inter se oppositi non citra medium. Quo casu omissiones actuum non erunt oppositæ: voluntasque subinde nequibit vtrumque actum simul amplecti: poterit tamen vtrumque simul omittere. Aut vice versâ omissiones actuum sunt inter se oppositæ non citra medium. Quo casu actus oppositi non erunt: voluntasque subinde poterit vtrumque actum simul amplecti; non tamen vtrumque simul omittere. Aut denique nec actus, nec omissiones habent inter se oppositionem. Quo casu voluntas poterit tum vtrumque simul amplecti, tum etiam vtrumque simul omittere. Rursus aut actus sunt inter se mutuò connexi. Quo casu & omissiones erunt inter se mutuò connexæ: sicque voluntas nec poterit alterum actum sine altero amplecti; nec alterum sine altero omittere. Aut actus sunt inter se connexi non mutuò. Quo casu & omissiones vice versâ erunt inter se connexæ non mutuò: sicque voluntas nec poterit actum connexum sine altero amplecti; nec actum non connexum sine altero omittere: poterit tamen actum non connexum sine altero amplecti, & actum connexum sine altero omittere. Aut denique nec actus, nec omissiones connexionem inter se habent: sicque voluntas vtrumuis sine altero tum amplecti, tum omittere poterit. Est autem hìc sermo de oppositione, & connexione metaphysicâ, quarum prima semper est mutua:

secus secunda: ob idque diuisio facta adæquata est; prout ex doctrinâ vniuersali de oppositione, & connexione tradita in Pharo Scient. disput. 14. constat.

74 Secundò in singulis septem casibus recensitis dictamen, siue iudicium practicum operantis sex imprimis diuersis modis potest ad binarium actuum referri. Potest enim iudicari per illud. 1. vterque actus bonus. 2. vterque actus malus. 3. vterque actus indifferens. 4. alter bonus, & alter malus. 5. alter bonus, & alter indifferens. 6. alter malus, & alter indifferens. Sex autem hi casus ducti per illos septem conficiunt casus 42. Et quoniam quilibet horum trium terminorũ (bonitas scilicet, malitia, & indifferentia) sex differentias subire potest de quibus num. 67. & omnes sex spectantes ad terminum repertum in altero ex duobus actibus cum singulis spectantibus ad terminum repertum in altero seorsim concurrere possunt: vnusquisque numeratorum casuum cum dictis sex differentijs 36. casus componunt. Quibus subinde ductis per dictos 42. habemus iam casus 1512. Quoniam rursus duæ ex prædictis sex differentijs, quæ tertia pars earum sunt, nempe grauitas, & lenitas, seu magnitudo, & paruitas trium dictorum terminorum respectiue ad binarium actuum, dequo agimus, alias duas differentias subire possunt, scilicet æqualitatis, & inæqualitatis; possunt enim bonitas, malitia, & indifferentia tum, quando sunt graues, seu magnæ, tum, quando sunt leues, seu paruæ, esse in dictis duobus actibus aut æquales, aut inæquales: idcirco tertia pars dicti numeri casuum, quæ est numerus 252. insuper duplicanda est. Quo casus diuersi iam accedunt ad 1764. Quoniam denique tres ex sex casibus propositis primo loco, quæ pars dimidia eorum est, nempe, quando ambo actus binarij aut sunt boni, aut mali, aut indifferentes, duas insuper differentias subire possunt, scilicet similitudinis, & dissimilitudinis: siquidem, bonitates, malitiæ, & differentiæ amborum actuum aut similes inter se, aut dissimiles esse possunt, seu, quod est idem, aut eiusdem, aut diuersarum specierum: ideo media pars casuum vltimi numeri, quæ est numerus 882. itidem duplicanda est. Eruntque tandem omnes casus ex combinationibus hucusque factis resultantes 2646.

75 Tertiò potest iudicium practicum operantis quatuor imprimis alijs modis ad binarium actuum comparari. Potest enim iudicari per illud. 1. vterque actus simul bonus, & malus. 2. vterque actus simul bonus, & indifferens. 3. vterque actus simul malus, & indifferens. 4. vterque actus simul bonus, & malus, & indifferens. Qui quatuor casus coniugati cum sex differentijs bonitatis, malitiæ, & indifferentiæ traditis num. 67. consentaneè ad doctrinam datam num. 68. imprimis reddunt duplum numerum casuum, ac reddiderunt quatuor positi in ipso num. 68. nimirum 648. quia doctrina illa in præsenti respectiuè ad vnumquemque actum seorsim, atque adeò octies habet locum, cùm ibi quater tantum habuerit. Deinde iuxta eamdem doctrinam casus spectantes ad vnum actum qui sunt 324. per casus spectantes ad alterum, qui pariter sunt 324. multiplicandi veniunt. Sicque ex hisce combinationibus tandem resultant casus diuersi 104976.

76 Quartò iudicium practicum operantis alijs rursus quatuor modis potest referri ad binarium actuum. Quia potest iudicari per illud. 1. vterque actus vel bonus, vel malus. 2. vterque actus vel bonus, vel indifferens. 3. vterque actus vel malus, vel indifferens. 4. vterque actus vel bonus, vel malus, vel indifferens. Circa quos quatuor casus eodem omnino modo ratiocinandum est, ac circa quatuor priores num. 75. quia eadem est doctrina data num. 68. vnde est ea ratiocinatio petita, ac data num. 69. vnde hæc pariter petenda erat. Atque ita totidem casus quatuor isti, atque quatuor illi, producunt, nempe 104976.

77 Quintò iudicium practicum operantis alijs preterea sex modis tendere potest in duos actus binarij, sumendo videlicet pro vnoquoque duas bonitates, duas malitias, aut duas indifferentias specie diuersas; iudicandoque. 1. vtrumque actum bonum simul bonitate iustitiæ, & temperantiæ. 2. bonum disiunctiuè bonitate vel iustitiæ, vel temperantiæ. Pariterque de duabus malitijs; & de duabus indifferentijs. Qui sex casus per ratiocinationem petitam ex dictis num. 70. eodem pacto, ac ratiocinatio facta num. 75. ex dictis num. 68. petita est, casus reddunt 17496. Quia, sicut se habent casus 324. collecti num. 68. ad casus 104976. collectos num. 75. Ita se habent casus 54. collecti num. 70. ad casus 17496. in præsenti colligendi.

78 Sextò tamen potest præterea per dictamen practicum ab operante iudicari bonitas, malitia, & indifferentia annexa actibus binarij aut absolutè, aut conditionatè. Quo numerus casuum valde augetur. Primum enim summa casuum collecta num. 74. triplicatur: quia, cùm in singulis eorum aut duo ex tribus terminis dictis, aut vnus bis ponantur, per adiunctas differentias absoluti, & conditionati ex vnoquoque casu resultant tres. Vt, si iudicetur e. g. annexa bonitas 1. vtrique actui absolutè. 2. vtrique actui conditionatè. 3. alteri actui absolutè, & alteri conditionatè. Deinde summæ casuum collectæ num. 75. & 76. & 77. dexcuplicantur: nam, cùm in singulis eorum aut vnus, aut plures dictorum trium terminorum ponatur quater, per adiunctas differentias absoluti, & conditionati ex vnoquoque casu resultant sex. Vt, si iudicentur e. g. annexæ bonitas, & malitia, siue duæ bonitates, siue duæ malitiæ 1. ambæ vtrique actui absolutè. 2. ambæ vtrique actui conditionatè. 3. ambæ vni actui absolutè, & ambæ alteri actui conditionatè. 4. ambæ vni actui absolutè, & alteri actui vna absolutè, & altera conditionatè. 5. ambæ vni actui conditionatè, & alteri actui vna conditionatè, & altera absolutè. 6. vna absoluta, & altera conditionatè vni actui, & alteri actui vna item conditionatè, & altera absolutè. Ex quibus omnibus tandem concluditur, summam casuum inter se differentium, & ad secundam partem propositionis spectantium, quæ ex omnibus combinationibus à num. 73. hucusque factis resultant, esse 1372626.

79 Hæc dicta sint partim vtilitatis, partim curiositatis gratia; vtque ex eis inferatur, quanta sit vis Artis combinatoriæ ad scientias humanas augendas. Prætermittoque, ne sim prolixior, alios casus innumeros, qui ex pluribus, quàm binatronibus, quæ adhuc ad rem possent, resultarent. Quicunque enim termini hactenus per iudicium practicum sunt applicati aut vtrique actui binarij, aut alteri eorum determinato, deinde possunt applicari vni, vel alteri eorum sub

sub disiunctione: ex qua applicatione distinctè, per suasque classes diuisim tractâ totidem fermè proculdubio, aut plures casus pullularent. Quid, si iam insuper iudicium practicum ad ternarium actuum comparetur? Quid si rursus ad quaternarium, &c. in infinitum propemodùm augebitur diuersorum casuum prouentus. Ex quibus omnibus paucos quosdam resoluam per sequentes propositiones adeò vniuersaliter, vt ex eorum resolutione non difficilè ab vnoquoque cæteri resoluendi veniant. Incipiamque ab eis quos tetigerunt Auctores ex spectantibus tum ad primam præsentis propositionis partem, tum ad secundam.

Propositio 13.

80 Si quis operetur iudicans, suum actum esse malum in genere cum præcisione à differentiâ specificâ, aut etiam indiuiduali: etsi genus tantùm malitiæ sit ipsi liberum, & imputabile: at peccatum, quod committit, singulare est, & indiuiduum: atque adeò ad speciem peccati infimam non potest non spectare.

Hæc propositio duas sententias specie tenus oppositas videtur conciliare. Alteram asserentium, actum, de quo in eâ agitur, genus dumtaxat malitiæ habere absque vllâ differentiâ specificâ, aut indiuiduali. Alteram asserentium, non posse non illum habere malitiam indiuidualem ad aliquam speciem infimam pertinentem. Primam tenet Gasp. Hurt. tract. de Bonit. & malit. disp. 1. diff. 4. & disput. 4. de Consc. diff. 4. & alij Recentiores. Pro secundâ verò stant Azor lib. 2. cap. 8. quæst. 6. Salas 1. 2. tract. 8. disput. vnic. sect. 3. num. 32. Thom. Sanc. in Summ. lib. 1. cap. 11. num. 5. Palao tom. 1. tract. 1. disput. 1. punct. 3. & apud eos alij.

81 Ego propositionem probo per partes. Et primùm, quòd in casu eius ratio tantùm generica malitiæ sit libera, & imputabilis operanti, ex dictis in præcedentibus satis est notum. Nam id dumtaxat est liberum, & imputabile operanti, quod ab ipso iudicatur annexum liberæ suæ operationi. Sed ponimus, solam rationem genericam malitiæ ab omni differentiâ specificâ, & indiuiduali præcisam ab operante iudicari annexam liberæ suæ operationi. Igitur ratio tantùm generica malitiæ est ipsi libera, & imputabilis. Vnde talis ratio sola respectu operantis formaliter moralis est. Nec mirum cuipiam videatur, quòd sola ratio generica libera, imputabilis, & formalis euadat reipsâ, quin talis euadat ratio specifica cum illâ identificata realiter. Nam denominationes desumptæ ab actibus intellectus, & voluntatis; quales istæ sunt, benè possunt conuenire vniformalitati, & non alteri identificatæ priori, eo ipso, quòd intellectus vnam sine alterâ potest concipere, & voluntati repræsentare.

82 Cæterùm, quia genus istud malitiæ (scilicet materialis) morale formaliter fit per libertatem singularem, qua singularis operatio, cui annexum concipitur, fit liberè, non potest non moralitas formalis eius, qua in esse malitiæ formalis constituitur, singularis esse, & indiuidua; à qua subinde ipsa operatio singulare, & indiuiduum peccatum est. Quemadmodùm enim in casu posito ex ratione generica malitiæ, & ex singulari cognitione, qua cognoscitur ab intellectu, resultat concretum quoddam singulare, quod cognitum hoc appellamus indiuiduo. Ita ex eadem ratione generica, & ex libertate singulari, à qua fit libera, coalescit concretum singulare, quod est hæc malitia formalis, à qua magis adhuc singularizatâ per singularem operationem, cui conuenit, euadit ipsa peccatum hoc singulare, siue indiuiduale.

Iam verò, quòd hoc peccatum indiuiduum 83
non possit non pertinere ad infimam aliquam speciem peccati, constat ex logicâ. Quia species infima non est aliud, quàm ratio quædam communis abstracta à pluribus indiuiduis similibus. Sed omnia peccata indiuidua, quibus homines peccare possunt concipientes operationes suas vt malas genericè, similia sunt. Ergo ratio communis ab eis abstracta erit species infima, ad quam ipsa pertinent. Hæc autem species peccati opponitur præcepto naturali, quo prohibemur malè operari. Quod præceptum, licèt ex parte obiecti generale sit; quia rationem tantùm genericam mali prohibet in singulis operationibus malis repertam: at veluti ex parte actus speciale præceptum est, prohibens malè agere in genere cum præcisione ab speciebus. Nec enim solùm est dissonum rationi, operari malum contractum in aliqua specie; sed etiam præcisum ab omni; siue id reipsâ, siue per intellectum tantùm operantis detur præcisum. Et quidem contra huiusmodi præceptum esset etiam peccatum eius, qui proponeret in vniuersum malè operari, vt plerique notant Auctores.

Ex his constat primò, qualiter operaretur 84
benè, qui conciperet operationem suam bonam in genere. Eadem enim per omnia est ratio de bonitate, ac de malitiâ, quod ad rem attinet. Imo & de indifferentiâ: quia possunt concipi indifferentiæ specificè diuersæ penes diuersitatem specificam actuum, quibus attribuuntur; & consequenter ratio generica talibus speciebus communis. Secundò constat, quo pacto benè, & malè, vel indifferenter operaretur, qui conciperet suam operationem vt bonam, vel malam, vel indifferentem quoad aliquam speciem præscindendo ab indiuiduis eius: quia eadem est ratio in præsenti de specie, ac de genere. Tertiò constat, quamodò etiam operaretur moraliter, qui suam operationem conciperet vt moralem, siue vt regulabilem per rationem sub genere vniuersaliore moralitatis abstractæ à bonitate, à malitiâ, & ab indifferentiâ morali.

Sed est notandum, quæ dicta sunt circa 85
præsentem propositionem, procedere ex hypothesi, quòd quis concipiat rationem genericam, aut specificam sine indifferentiâ indiuiduali. Existimo tamen per dictamen practicum rarò, aut nunquam concipi genus sine differentiâ indiuiduali genericâ, aut speciem sine specificâ. Quia in operatione singulari, ad quam tendit dictamen practicum, conceptus vniuersalis illi conueniens, non vt abstractus, sed vt contractus per differentiam indiuidualem sibi propriam concipi solet. Indiuiduum autem genericum in esse moris eiusdem rationis est cum genere abstractè concepto: sicut indiuiduum specificum cum specie etiam abstractè sumptâ.

Deinde est notandum, in casu præsentis pro- 86
positionis, & alijs adiacentibus dumtaxat nos loquutos fuisse de moralitate formali, quam

actus

actus percipiat à dictamine practico sumpto sub ratione puræ propositionis. Vtrùm enim, si sumatur vt circunstantia actus, aliquid aliud præstet in casibus dictis, constabit ex ijs, quæ dicemus circa propositionem sequentem.

Propositio 14.

87 **Si quis operetur iudicans, se malè agere præscindendo omnino à quantitate malitiæ, id est, non concipiendo illam grauem, aut leuem, seu magnam, aut paruam. Eius operatio à tali dictamine vt à purâ propositione peccatum leue, seu veniale euadet formaliter, & imputatiuè. Ab ipso verò vt à circunstantiâ grauiter inficietur; vt sicque proinde graue, seu mortale peccatum materialiter erit.**

Sic possunt etiam quadantenus conciliari duæ Doctorum sententiæ oppositæ. Prima asserentium, in casu propositionis peccatum mortale committi. Secunda asserentium tantum committi veniale. Tenent primam Vazq. 1. 2. disp. 59. cap. 3. Thom. Sanc. in Sum. lib. 1. cap. 1. nu. 9. & cap. 11. nu. 6. cum Azor. & Sayro. Ioan. Sanc. in Select. disp. 18. nu. 1. Bonac. disp. 2. de Peccat. quæst. 2. punct. 3. & Palao tom. 1. tract. 1. disput. 1. punct. 3. Secundam verò tenent. Nauart. Valent. Lud. Lop. Manuel, Salas apud Thom. Sanc. ibid. Cordoua, Cornejo, Granad. quos refert, & sequitur Gasp. Hurt. disput. 4. de Cons. diff. 4. Addens tamen, idcirco in casu proposito malitiam peccati leuem, seu venialem censendum esse: quia nullam quantitatem habet.

88 Sed primùm hoc additamentum falsum mihi est. Nam, licèt eiusmodi peccatum nullam ex parte materiæ sortiatur quantitatem: quia illa sine vllâ quantitate proposita est operanti per dictamen practicum: & talis euadit materia, qualis proponitur per tale dictamen, vt sæpe dictum est. At verò ex parte libertatis non potest non quantitatem aliquam participare. Quia quantitas operationum moralium imputabilium non à materia solùm, sed etiam à libertate desumitur: crescente siquidem libertate circa eamdem operationem, eius malitia, aut bonitas formalis, siue imputabilis dicitur crescere, vt in confesso apud omnes est. In quo quantitas peccati, aut virtutis ab eius essentiâ, seu specie discriminatur: quæ non à libertate, sed à materiâ dumtaxat dicitur sumi. Non quidem, quia libertas nihil conferat ad essentiam formalis peccati, aut virtutis, vti refert ad quantitatem: sed quia id, quod confert ad essentiam simile est, & ejusdem rationis in omni peccato, & virtute: eo quòd omnis libertas ex formali, præcisoque conceptu libertatis eiusdem est rationis, & speciei. At, quod confert ad quantitatem, non est æquale in omni peccato, & virtute: quia non omnis libertas quoad perfectionem indiuidualem, siue quoad propriam quantitatem æqualis est.

98 Iam igitur vt probem, operationem, de qua agimus, formaliter, & imputatiuè leue, seu veniale peccatum esse, quæ prima est pars propositionis, suppono vt certum apud omnes, quando quantitas peccati ex parte materiæ leuis, seu parua est, quantumuis crescat perfectio libertatis, peccatum ad quantitatem grauem, seu magnam non peruenire, atque adeò nunquam fieri mortale: quia non censetur grauiter, seu multum delinquere, qui amplectitur operationem leuiter deformem, seu parum dissonam rationi: quantumuis liberè amplectatur. At verò è contra, etsi materia grauis sit, posse esse culpam venialem ex parte libertatis, etiam est apud omnes certum: nam, licèt malitia operationis ex se sit grauis, leuiter tamen sit libera, & imputabilis operanti, quando libertas eius est tenuis, seu imperfecta: leuemque proinde, seu venialem culpam talis operatio cum tali libertate constituit.

Hinc facilè se dat probatio primæ partis 90 propositionis. Peccatum paruam habens quantitatem ex parte materiæ semper est leue, seu veniale: quidquid sit de quantitate, seu perfectione libertatis eius. Ergo peccatum nullam habens quantitatem ex parte materiæ, quale est peccatum casus nostri, multo potiori iure erit semper leue, seu veniale, quidquid sit de quantitate, seu perfectione libertatis.

Secunda autem propositionis pars inde pro- 91 batur. Quia iudicium practicum de malitiâ operationis præcisâ à quantitate contingentiam secum fert atque adeò periculum, vt ea sit vel grauis, vel leuis. Cui periculo se re ipsâ exponit operans cum tali iudicio. De suoque est peccatum graue, exponere se periculo amplectendi malitiam grauem. Huiusmodi tamen periculum nihil nocebit operanti, si ab ipso per iudicium reflexum vnà cum malitiâ graui fundatâ in illo non aduertatur; vt sæpe superiùs in simili dictum à nobis, atque statutum est. Quare in casu propositionis, si tale iudicium reflexum desit, operans cum solo directo, etsi ponat re ipsâ peccatum materiale graue, formaliter, & imputatiuè leuiter tantùm, seu venialiter peccabit; prout nostra propositio fert. Cuius doctrinam præfati Auctores tam primæ, quàm secundæ sententiæ aut non animaduerterunt, aut non explicarunt.

Ex qua colligo primò, si quis, dum opera- 92 tur benè, præscindat à quantitate bonitatis, qua suam operationem iudicat bonam, talem operationem leuiter, seu parum honestam formaliter euasuram à tali practico iudicio, vt propositio pura est: vt verò est circunstantia, plùs materialiter honestabit operationem propter contingentiam, quam inducit, operandi melius, aut optimè. Quæ contingentia cum suâ maiore bonitate si aduertarur, melior euadet formaliter operatio.

Secundò colligo pro casibus propos. 11. 93 dictamen practicum tendens in aliquem conceptum vniuersalem eorum, de quibus ibi sermo fuit, cum præcisione ab inferioribus, præter minus, quod præstat in ratione propositionis, de quo ibi, afferre secum in ratione circunstantiæ contingentiam incidendi in quodlibet ex inferioribus talis conceptus vniuersalis. Vnde, qui concipit suam operationem vt moralem dumtaxat, præscindendo à bonitate, & malitiâ, & indifferentiâ morali, in periculo est malè operandi, quod periculum cum malitiâ in eo fundatâ si animaduertat, peccabit operando, Et, qui concipit suam operationem vt malâ, præscindendo ab speciebus in periculo est incidendi in graniorem quamque speciem peccati: plùsque subinde peccabit, si tale periculum cum suâ malitiâ animaduertat. Sicut è contra honestiùs operabitur, qui concipi-

ens

ens suam operationem vt bonam genericè aduertit, se exponi contingentiæ operandi optimè. Sicque de similibus casibus philosophandum. Idem autem est, quod ad rem attinet, siue genus omnino concipiatur abstractum, siue concipiatur contractum per differentiam indifidualem generica cum præcisione ab specifica: quia eadem est contingentia in vtroque casu incidendi in varias species. Hæc tamen dicta sunt pro casibus, vbi moralitas generis non solùm iudicatur cum præcisione ab speciebus, sed etiam cum præcisione à quantitate magnâ, vel paruâ. Si enim iudicetur, vt fieri potest, vt magna, aut parua determinatè, iam tale iudicium non ferret secum contingentiam incidendi in vnam, vel alteram talium quantitatum; etsi retineat contingentiam incidendi in vnam, vel alteram talium specierum.

Propositio 15.

94 **Si quis per dictamen practicum iudicet, suam operationem esse simul bonam, & malam, benè simul, & malè formaliter operabitur.**

Qua tam bonitas, quàm malitia in operatione conceptâ libera ei erit, & imputabilis, atque adeò formalis. Nec refert, eumdem actum re ipsâ bonum, & malum simul esse non posse, vti communissima, & vera sententia fert: eo quòd bonum ex integrâ causâ coalescit, malum autem ex quocunque defectu. Quoniam propositio procedit in casu, quòd per conscientiam erroneam idem actus putetur simul bonus, & malus.

95 Obijci tamen potest primò, Idem actus re ipsa non potest esse simul bonus, & malus: quia verum, & reale bonum coalescit ex integrâ causâ. Ergo neque ex conscientiâ erroneâ potest euadere idem actus bonus simul, & malus formaliter. Probatur consequentia. Quia bonitas, & malitia formalis prouenies actui ex conscientiâ erroneâ non est bonitas, & malitia fictitia, sed verè existens à parte rei. Concesso antecedente; nego consequentiam. Ad probationem dico, bonitatem, & malitiam formalem prouenientem actui ex conscientiâ erroneâ verè, & non fictitiè esse in actu quoad imputationem; secus quoad consonantiam, & dissonantiam factam imputabilem, atque adeò formalem per libertatem operantis: hæc enim vera non est, sed tantùm apprehensa; tametsi æquè, ac, si vera esset, reddatur per libertatem imputabilis, & formalis. Addo, huiusmodi actum prout exercitum liberè simpliciter esse rationi dissonum, & nullo modo consonum: quia omnino est dissonum operari liberè id, quod iudicatur esse simul bonum, & malum: cùm sit iniquum prorsus amplecti malum, quantumuis illud cernatur mixtum cum bono. Hoc tamen tantùm probat, prædictum actum non esse re ipsâ simul bonum, & malum bonitate, & malitiâ materiali, adhuc eâ, quæ in formali fundatur: secus verò, non esse simul bonum, & malum imputatiuè, & formaliter, prout explicatum est.

96 Quod vt percalleas, nota; actus morales, sicut ab alijs circunstantijs sæpe sortiuntur malitiam, aut bonitatem materialem, qua mali sunt, aut boni secundùm se independenter à libertate, seu præscindendo ab illâ; quia vt sic sunt dissoni, aut consoni naturæ rationali vt tali, iuxta dicta posit. 2. ita semper, dum exercentur liberè, ab ipsâ libertate sortiri tanquam à quadam circunstantiâ alteram malitiam, aut bonitatem materialem, multò profectò maiorem eâ, quam præscindendo à libertate habent secundùm se: & quæ per libertatem ipsam redditur imputabilis. Eo enim ipso, quòd malum est, & rationi dissonum mentiri secundùm se; nequit non esse multò peius, & multò magis dissonum mentiri liberè: & eo ipso, quòd bonum est, & rationi consonum misereri secundùm se, nequit non esse multò melius, & multò magis consonum misereri liberè. Hæc tamen malitia aut bonitas materialis actus fundata in libertate tanquam in circunstantiâ, nisi reflexè cognoscatur ab operante, nec libera, nec imputabilis, nec formalis est respectu eius, etiam si constituatur per libertatem, à qua altera malitia, aut bonitas actus anterior directè ab operante cognita ipsi libera, & imputabilis, & formalis euadit. En igitur qualiter operatio, de qua in propositione agitur, possit esse malâ simpliciter malitiâ materiali ei proueniente à libertate tanquam à circunstantiâ; & nihilominùs possit quoque bona simul, & mala esse malitiâ alterâ, & bonitate ipsi simul imputabilibus, atque adeò formalibus.

Secundò obijci potest, sequi ex nostrâ 97
propositione, eumdem actum posse esse simul laudabilem, & vituperabilem, atque, etiam dignum præmio, & supplicio. Quod tamen repugnat. Sed neganda est sequela. Quia illo dumtaxat actus est dignus laude, & præmio, qui ita est bonus, vt non sit etiam malus imputabiliter. Qui enim simul malus, & bonus est, simpliciter est vituperio, & supplicio dignus: eo quòd amplecti liberè bonum, & malum indiuisim, absolutè est vituperabile. In nullo quippe casu decet, licetve amplecti malum; quantumuis illud occurrat mixtum cum bono.

Ex datâ propositione sequitur primò, ho- 98
minem iudicantem, suum actum esse simul malum, & indifferentem, malè simul, & indifferenter formaliter operarurum; in quo vituperabilis prorsus, nullatenusque laudabilis esset. Sicut eiam ille, qui putaret, actum esse simul bonum, & malum, & indifferentem, imputabiles faceret eas actus affectiones, sed vituperaliter penitus, & sine laudis lucro. Qui verò crederet, operationem suam bonam simul, & indifferentem esse, benè, & indifferenter formaliter operaretur, dignaque laudis existeret ea operatio.

Secundò sequitur, eum, qui iudicat in suo 99
actu duas, aut plures malitias, aut bonitates vel specie, vel tantùm numero differentes, eas omnes imputabiles, formalesque facere. Si quis autem putaret, grauiter simul, & leuiter esse malam, aut bonam operationem suam, stante libertate plenâ, grauiter simul, & leuiter operaretur imputabiliter malè, aut benè: quia bonitas, aut malitia grauis simul, & leuis plenè esset illi libera, & imputabilis. Pariterque de reliquis casibus similibus philosophandum est; sint illi reuerà possibiles, aut impossibiles.

Vnum hìc aduertendùm est. Quemadmo- 100
dùm, amplecti liberè malitiam genericam actus, contra præceptũ speciale est diuersum à reliquis, quæ vetant malitias specificas: pariterque iuxta specialem virtutem, amplecti genericam honestatem, iuxta dicta propos. 13. ita, amplecti liberè

duas,

duas, vel plures quasque simul malitias specie diuersas, contra præceptum speciale est diuersum ab alijs prohibentibus singulas: pariterque iuxta virtutem specialem diuersam ab alijs, amplecti liberè duas, vel plures quasque honestates specie diuersas.

Propositio 16.

101 Si iudicet operans, suum actum esse bonum, vel malum sub disiunctione, bonus, vel malùs sub disiunctione imputatiuè, & formaliter euadet ille à tali iudicio vt à purà propositione. Quod tamen vt circunstantia prorsus actum inficiet, malumque reddet malitià materiali.

Prima pars propositionis probatur. Quia, vt sæpe repetitum est, talis euadit actus in esse moris imputatiuè, & formaliter, qualis per iudicium practicum iudicatur ab operante. Sed in casu propositionis actus per iudicium eiusmodi iudicatur bonus, vel malus sub disiunctione. Ergo euadit bonus, vel malus sub disiunctione imputatiuè, & formaliter. Nec refert, disiunctum ex bonitate, & malitià prout tale à parte rei dari non posse, vt possit imputari operanti: quia nec ratio generica abstracta ab speciebus prout talis potest dari à parte rei; & nihilominùs operanti imputari potest iuxtà dicta propos. 13. Quocirca doctrina data ibi ad propositum huc pariter applicanda est.

102 Secunda pars propositionis comperta est ex sæpe etiam dictis. Nam, qui operatur iudicans, operationem esse bonam, vel malam, planè exponitur periculo malè operandi, siue incidendi in operationem reipsà malam; perinde, ac, qui operatur dubius de malitià, vel bonitate operationis. Exponi autem aperto periculo amplectendi malum, nequit non esse de suo, siue materialiter malum. Id quod formaliter etiam malum euadet, si tale periculum, talisque malitia fundata in ipso reflexè animaduertatur ab operante.

103 Verùm contra primam partem propositionis obijci potest primò. Iudicare, esse actum bonum, vel malum sub disiunctione, perinde est, ac, iudicare determinatè, esse actum bonum sub conditione, quòd non sit malus, & esse malum sub conditione, quòd non sit bonus, iuxta doctrinam de disiunctiuis latè à nobis expositam in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. Ergo ex iudicio disiunctiuo de bonitate, vel malitià actus non euadit ille bonus, vel malus sub disiunctione imputatiuè, & formaliter, sed bonus simul, & malus determinatè, sicuti in casu proposito propos. 15. Probatur consequentia. Quia, vt ostendetur propos. 17. iudicium conditionatum, determinatumque de bonitate, vel malitià actus, sufficiens est in ratione propositionis æquè, ac iudicium absolutum, vt actus euadat determinatè bonus, vel determinatè malus. Duo igitur iudicia conditionata, determinataque, alterum de bonitate, alterum de malitià actus, quibus æquialet disiunctiuum, æquè, ac, si essent absoluta, reddunt actum determinatè simul bonum, & malum. Tantumdemque subinde est dicendum de disiunctiuo illis æquialente. Respondeo consentaneè ad dicenda circa eamdem propos. 17. num. 109. quoties ex parte hypothesis iudicij conditionati ponitur carentia malitiæ, aut bonitatis actus, toties eam excludi ab imputatione respectu operantis; quia, quod per tale iudicium actui attribuitur, non vt coniunctum cum malitià, aut bonitate, sed potiùs vt coniunctum cum eius carentia attribuitur. (Cùm sit commune omni iudicio conditionato, adstruere suum conditionatum obiectum prout coniunctum cum conditione, iuxta doctrinam vniuersalem traditam supra disput. 28. quæst. 2. sæpeque alias). Cùm ergo in casu nostro duo iudicia conditionata æquialentia disiunctiuo ex parte hypothesis habeant carentias malitiæ, & bonitatis; licèt ambas simul non excludant; eo quòd ambas simul etiam adstruunt, vnamquamque sub conditione carentiæ alterius: at, sicut alterutram dumtaxat censentur adstruere, sicque subijcere imputationi, quatenus amborum veritas tantùm exposcit, vt absolutè existat alterutra; ita alterutram censentur relinquere excluſam ab imputatione. Vnaque subinde, vel altera sub disiunctione euadit imputabilis operanti, vt nostra propositio fert; vtraque verò simul nequaquam.

Sed obijci potest secundò. Licèt iudicanti, in actum esse bonum, vel malum disiunctiue formaliter (qualiter soli cognoscentes per species alienas iudicant iuxta dicta loco citato Phari) bonitas, vel malitia actus sub disiunctione sit imputabilis; at iudicanti, actum esse bonum, si non est malus, & malum, si non est bonus disiunctiuè tantùm æquialenter (qualiter iudicant iuxta dicta ibidem, tam, qui per proprias, quàm, qui per alienas species cognoscunt) non videtur posse esse imputabilis bonitas, vel malitia sub disiunctione; quia talis dumtaxat euadit imputabilis actus, qualis per iudicium practicum iudicatur ab operante, vt sæpe docuimus. Respondeo, vtrotius ex dictis duobus modis iudicetur actus bonitate, aut malitià affectus, alterutram sub disiunctione euadere iudicanti imputabilem: quia eo ipso, quòd illi æquialentes sunt absolutè; & in ordine ad imputationem sunt in præsenti æquialentes. Cuius conspicua ratio ex demonstratione facta dictà disput. 10. Phari quæst. 5. propos. 9. & 10. desumitur. Inde enim constat, tam veritatem disiunctiuam æquialenter, quàm disiunctiuam formaliter necessariò connexam esse cum eo, quòd non deficiant absolutè ambo extrema disiuncti, atque adeo, quòd absolutè detur vnum, vel alterum. Vnde siue priore, siue posteriore modo iudicet operans de bonitate, & malitià actus, vnam earum illo iudicio adstruit in actu, quæcunque ex duabus re ipsà sit, alterutraque proinde sub disiunctione venit imputanda ipsi vi talis iudicij.

Ex dictis facile quisque potest inferre consentaneè ad illationes factas circa propos. 15. quomodò sit philosophandum in casibus, quod iudicet operans, suum actum esse. 1. vel bonum, vel indifferentem. 2. vel malum, vel indifferentem. 3. vel bonum, vel malum, vel indifferentem. 4. bonum vnà, vel alterà bonitate specie diuersis, vt iustitiæ, vel misericordiæ. 5. malum vnà, vel alterà malitià specie diuersis, vt iniustitiæ, vel immisericordiæ. Quare in his singulatim explicandis non est, cur moremur.

Hoc vnum circa duos postremos casus adnuerto; quemadmodùm, amplecti liberè duas, aut pleres quasque simul malitias specie diuersas contra præceptum speciale est diuersum ab alijs prohibentibus singulas; pariterque iuxta virtu-

tem

tem specialem diuersam ab alijs, amplecti liberè duas, aut plures quasque honestates specie diuersas, iuxta dicta propos. 15. fine; ita similiter in præsenti de disiunctis duarum, aut plurium quarumque malitiarum, duarumque, aut pluriuni honestatum philosopandum esse.

Propositio 17.

107 Iudicium conditionatum de bonitate actus sufficiens est in ratione puræ propositionis, vt ille euadat bonus imputatiuè, & formaliter. In ratione verò circunstantiæ actum sæpe vitiabit, nisi adsit iudicium absolutum, saltem probabile, decarentiâ malitiæ.

Vt probem priorem partem propositionis, suppono primo, id, quod à voluntate intenditur efficaciter effectu conditionato, non minùs esse voluntarium operanti in ordine ad imputationem, quàm id, quod intenditur absolutè. Nam, si ego efficaciter volo occidere Petrum casu, quòd in me iactet tale conuicium, non minùs est mihi voluntaria, ac imputabilis malitia homicidij, quàm, si illud post irrogatam mihi iniuriam, aut independenter ab illâ absolutè decernerem. Et, si efficaciter propono dare eleemosynam, si mihi debitum soluatur, perinde mihi imputatur eius honestas, ac si absolutè proponerem, illam conferre. Ratio apriori. Quia hisce affectibus, quantùm ex me est, toto conatu tendo in exequutionem operis intenti, si fors subsistat conditio, sub qua illud volo. Quod perinde est, quod attinet ad imputationem operationis, ac, si tenderem absolutè.

108 Quod vt luculentiùs appareat, aduerto obiter, duplex esse genus volitionis efficacis conditionatæ. Alia enim tendit in obiectum sub conditione, cuius existentia, aut purificatio creditur, vel speratur futura, vt in exemplis nuper positis cernitur. Et hæc volitio efficax venit appellanda simpliciter: eo quòd sæpe mouet cum effectu ad apponenda media pro fine conditionatè intento, etiam ante purificationem conditionis: tum, conditione purificatâ, sæpe finem assequitur. Alia, quam velleitatem vocant, tendit in obiectum sub conditione, quæ non speratur purifanda; vel quia iudicatur impossibilis; vel quia supponitur non futura; vt si quis ita afficiatur. Vellem occidere Petrum, si esset mihi possibile. Eleemosynam erogarem, si essem diues. Et hæc velleitas, etsi dici soleat simplex affectus, eo quòd nihil ponit in esse reipsâ: at virtualiter censetur efficax, quod attinet ad imputationem operationis volitæ. Vnde non est minus peccatum, asserere ex animo. Ego occiderem modo Petrum, si haberem gladium, quàm absolutè asserere. Volo Petrum occidere. Recole, quæ de huiuscemodi velleitatibus diximus supra disput. 34. quæst. 8. propos. 7. & 8.

109 Cæterùm istos vtriusque generis conditionatos affectus hoc vnum eximit ab imputatione malitiæ, vel bonitatis; nempe, si exparte conditionis ipsius malitiæ, aut bonitatis defectus ponatur; vt si quis dicat. Si non esset peccatum occidere Patrum, illud occiderem. Si talis operatio non fuerit bona, illam agrediar. Quia nimirum in tali casu malitia, aut bonitas excepta non est in affectu voluntaria, nec imputabilis; eo quòd hic non tendit in illam adhuc sub conditione; quia non tendit in actum externum, prout illa affectum, sed potiùs prout affectum detectu eius.

Suppono secundò, si quis, dum aggreditur 110
efficaciter actum, iudicat eum esse bonum sub conditione aliquâ, voluntatem eius, eo ipso sub eâdem conditione intendere, siue amplecti efficaciter talem bonitatem. Quia, quod præstat absolutè respectu voluntatis aggredientis efficaciter actum iudicium absolutum de bonitate ipsius actus, idem ipsum præstat iudicium conditionatum conditionatè. Sed iudicium absolutum efficit, vt voluntas censeatur absolutè intendere, amplectiue efficaciter bonitatem per ipsum iudicatam; ob idque ea voluntati libera, & imputabilis euadit, vt ex dictis in præcedentibus notum est. Ergo iudicium conditionatum efficiet, vt voluntas censeatur conditionatè intendere siue amplecti efficaciter bonitatem iudicatam per ipsum.

Ex his prior pars propositionis probatur fa- 111
cilè. Quicumque, dum efficaciter aggreditur actum, iudicat, eum esse bonum sub conditione aliquâ, eo ipso bonitatem iudicatam intendit, amplectiturve efficaciter sub conditione eâdem iuxta suppositionem secundam. Sed bonitas conditionatè, & efficaciter intenta ab operante non minùs est ei voluntaria, & imputabilis, quàm, si absolutè intenderetur, iuxta suppositionem primam. Ergo iudicium conditionatum de bonitatè actus sufficiens est in ratione puræ propositionis, vt ille euadat bonus imputatiuè, & formaliter. Quod erat probandum.

Quòd si iudicium conditionatum de bonita- 112
te actus ad id muneris est sufficiens, etiam iudicium conditionatum de malitiâ, aut indifferentiâ actus sufficiens erit, vt ille malus, aut indifferens euadat imputatiuè, & formaliter, De quo nullum est dubium. Mitto alios casus, in quibus, sicut absolutè, ità potest actus conditionatè iudicari simul bonus, & malus, aut bonus, vel malus sub disiunctione, &c. Idque aut grauiter simul, & leuiter, aut grauiter, vel leuiter, aut præscindendo à quantitate, Idque rursus, aut in determinatis speciebus, aut præscindendo ab illis, &c. Qui omnes ex dictis ab vno quoque doctrinam datam perpendente non difficile resolui poterunt.

Iam verò, quòd iudicium conditionatum 113
de bonitate actus sæpe actum inficiat vt circunstantia, nisi adsit iudicium probabile de carentiâ malitiæ, quæ pars est propositionis posterior, inde probandum est. Nam, qui iudicat conditionatè, actum esse bonum, plerunque ignorat, aut dubitat an absolutè ille sit bonus, vel malus, aut saltem de malitiâ eius formidat. Vnde, nisi per iudicium probabile absolutè iudicet, actum non esse malum, aut saltem, esse probabile, quòd malus non sit, in eius exequutione absolutâ periculo se exponit malitiæ non solùm physico, sed morali: atque adeò malè materialiter operatur; aut etiam formaliter, si reflexè aduertat tale periculum, malitiamque fundatam in ipso, vt sæpe in simili dictum est. Et hæc satis pro casibus, vbi dictamen practicum operantis ad vnum tantùm actum refertur. Pergo ad alios, in quibus refertur ad plures.

Propositio 18.

114 Si quis se obligatum existimet ad duos actus oppositos, quorum alterum non potest non omittere, subindeque in vtriusuis omissione ineuitabiliter cernat peccatum: is quidem in neutrius omissione peccat, quando malitia concepta in omissionibus qualis est. Quando autem est inæqualis, si sequatur omissionem peiorem, peccat dumtaxat quoad excessum; si minùs malam, nullo modo.

Hæc propositio resoluit alterum ex duobus casibus, quos solos examinatos reperio apud Auctores ex innumeris commemoratis propos. 12. Pro cuius maiori explicatione præbeat nobis exempl m homo, qui assistens moribundo, quo tempore vrget præceptum audiendi missam, existimat, se simul esse obligatum ad assistendum moribundo, & ad audiendam missam; quod vtrumque simul nequit amplecti: atque ita, se in vtroque peccare; siue adeat ad templum audire sacrum, siue maneat cum moribundo. Quo in casu Granad. tract. 12. de Consc. disput. 7. sect. 2. putauit, neutrum dictorum extremorum amplecti posse sine peccato. Ne tamen admitteret, posse de facto constitui hominem inter duo peccata perplexum ita, vt vtrumque nequeat vitare, sed alterutro necessariò maculandus sit, satiùs sibi fuit visum, negare, casum posse accidere in praxi; non quòd ex naturâ rei non possit contingere, sed quòd ad Dei prouidentiam pertinet, illuminare hominem, reddereque vincibilem ignorantiam eius, vt se à dictâ perplexitate eripere possit. At Thom. Sanc. in Summ. lib. 1. cap. 11. num. 14. Petr. Hurt. de Incarn. disput. 26. num. 89. & 99. Card. Lugo de Incarn. disput. 26. sect. 10. num. 137. cum Coninc. Ioan. Sanc. in Select. disput. 47. num. 27. Palao tom. 1. tract. 1. disput. 1. punct. 5. cum Rodrig. & alijs, & communiter Recentiores constanter docent, hominem in supradictâ perplexitate positum, dum alterutrum elegit extremum, nequaquam peccare, quantumuis se peccare arbitraretur. Loquuntur autem in casu, quo vtrumque extremum iudicetur æqualiter malum. Nam si peius existimatur alterum, hoc vitare debet; aliàs peccabit homo eligendo, quod sibi peius appareret. Sic docent vterque, Sanc. Rodri. Hurt. & Lugo. Qui addit, dum homo eligeret maius malum, excessum dumtaxat illi imputandum fore. Ex quibus apparet, consensum Doctorum communem pro nostrâ propositione stare.

115 Huic accinit alter casus, quem in materiâ de Incarnatione, & in materiâ de Merito solent tangere Auctores, communi consensu asserentes, cùm homo est necessitatus ad alterutrum ex duobus operibus æquè bonis, solùmque suppetit libertas ad eligendum inter vtrumque, nihil mereri illum, quodcumque eligat ex extremis.

116 Ego, vt duorum istorum casuum, quorumdamque aliorum ex recensitis propos. 12. selectorum, prout oportuerit, resolutiones comprobem, suppono primò, vt homo reuerâ operetur benè, vel malè imputatiuè, & formaliter, satis non esse, quòd ipse putet, etiam inuincibiliter, se benè, vel malè operari, sed præterea esse necessarium, quòd operatio eius libera sit quoad esse physicum, si enim operatio entitatiuè non est libera, neque bonitas, aut malitia, quæ operationi annexa concipitur, libera erit: quippe quæ neque in se, neque in operatione tanquam in causâ est euitabilis; atque adeò neque imputabilis, neque formalis euadit.

Ex hoc manifesto principio infertur id, quod 117
docuerunt Thom. Sanc. Ioan. Sanc., & Palao supra, hominem in carcere detentum, quantumuis putet, se peccare, dum omittit Sacrum, nequaquam peccare; quia malitiâ, quam concipit in tali omissione, non est ei libera, nec imputabilis, eo ipso, quod ipsa omissio ei libera non est. Vnde etiam colliget Confessarius, quod sibi iudicium formandum sit de simplicioribus quibusdam hominibus, qui sæpe se accusant de actionibus, aut omissionibus, quas vitare nullatenus potuerunt, existimantes, se in illis grauiter delinquisse. In quo tamen decepti sunt.

Suppono secundò, honestatem formalem, 118
seu imputabilem operationis ita cum laudabilitate connexam esse, vt operatio nullâ laude digna nequaquam dici possit honesta, seu bona formaliter, siue imputabiliter: sicut è contra operatio nullo vituperio digna haud potest dici mala formaliter, siue culpabilis. Sic sentiunt Theologi communiter cum S. Tho. 1. 2 quæst. 21. art. 1. Estque principium, me quidem iudice, per se notissimum, in omniumque animis veluti insitum à naturâ. Nam quo pacto erit imputabiliter honestum, quod non est laudabile, aut culpabile, quod vituperari non potest? Cùm dicat S. Tho. dicto art. 2. in corp. *Nihil enim est aliud laudari, vel culpari, quàm imputari alicui malitiam, vel bonitatem sui actus.* Loquor de bonitate, & malitiâ formali seorsim in actu reperta. Nam actus simul bonus, & malus formaliter, si fors daretur, nullatenus esset laudabilis, sed vituperabilis prorsus, vti propos. 15. statuimus est.

Suppono tertiò, quando extrema sunt pror- 119
sus æqualia quoad bonitatem aut malitiam, in electione liberâ vnius præ alio nil dignum laude, aut vituperio reperiri. Quoniam, quæ sunt omnino æqualia, æquiualentia sunt: perindeque est, ponere vnum, ac alterum ponere: ponendoque vnum, ponitur alterum æquiualenter. Hac de causâ, qui opera præstant omnino æqualia, æquali sunt digni laude, vel vituperio, non alter, ac si singuli præstarent idem. Et qui ex duobus omnino æqualibus sibi propositis hoc potiùs assumit, quàm alterum, æquè laudabilis euadit, siue vituperabilis, ac si residuum assumpsisset. Hinc fit, libertatem electionis inter æqualia perinde se habere, ac si non esset in ordine ad laudabilitatem, aut vituperabilitatem actionis: æquiualenter enim non est libertas; si quidem, qui ponit vnum ex duobus æqualibus, æquiualenter ponit alterum, atque adeò æquiualenter non eligit inter illa duo. Vnde rursus efficitur, actum liberum solâ libertate electionis inter extrema omnino æqualia, neque posse laudabilem, neque vituperabilem esse: quia in ordine ad dignitatem laudis, vel vituperij æquiualenter non est liber. Est autem actus liber solâ libertate electionis, quando voluntas ex binario actuum alterutrum debet amplecti, neque vtrumque simul potest omittere; cùm tamen possit ex duobus eligere vtrumuis. Quo quidem casu actus electus à voluntate, etsi formaliter sit liber, in ordi-

in ordine ad imputationem moralem æquialenter non est liber: quia, licèt ipse ita existat, vt posset formaliter non existere, posito altero: at non potest non existere æquialenter; quia non potest non existere ipse, vel alter, quorum alterutrum in altero æquialenter est. Quocirca voluntas erga tales actus physicam tantùm libertatem habere dicitur, moralem verò minimè. Profectò, qui necessitatus conferret nummum, etsi illum ex pluribus, quos haberet, prorsus æqualibus liberò eligeret, neutiquam beneficus, seu liberalis, ac laude dignus censeretur: sicut neq; iniustus è contra, & vituperabilis, si eadem ratione ab altero nummum surriperet: idque ob defectum libertatis. Igitur neque erit voluntati imputandum ad laudem, vel ad vituperium, quòd actum bonum, aut malum ponat, illum ex pluribus omnino æqualibus eligendo, quando ad ponendum vnum eorum, omissis alijs, prorsus necessitata est. Etenim alio insuper titulo in tali casu nullam voluntas comparat dignitatem laudis, aut vituperij. Quia nimirum tantumdem boni, aut mali impedit, quantum ponit; atque ideo æquialenter nihil boni, aut mali ponit; æquialenterque subinde non operatur benè, aut malè, prout opus erat ad promerendum laudem, aut vituperium.

120 Itaque libertas puræ electionis inter actus æquales quoad bonitatem, aut malitiam ad laudabilitatem, aut vituperabilitatem actus electi non est sufficiens; & consequenter neque ad honestatem, aut malitiam formalem eius. Nam actus, qui non est laudabilis, nequit esse honestus formaliter; sicut neque malus formaliter, qui vituperabilis non est, iuxta suppositionem secundam. Quandò verò actus sunt inæquales sufficit libertas puræ electionis ad hoc, vt actus excedens alterum moralis formaliter euadat, si eligitur: euadet tamen eiusmodi dumtaxat quoad excessum aut bonitatis, aut malitiæ: nam quoad residuum æquialenter non erit liber; eo quòd operans in tali casu non potest non residuum excessus amplecti vel in se, vel in æquialente: cùm tamen excessum ipsum simpliciter posset omittere, eligendo alterum actum, qui minùs est bonus, aut malus. Qui tamen si eligatur libertate puræ electionis, moralis formaliter non erit: quia æquialenter non erit liber; eò quod nequit non poni ab operante vel in se, vel in æquialente, qualis est actus excedens perinde, & meliùs, ac, si esset æqualis.

121 Scio, doctrinam huius tertiæ suppositionis, quæ apud Theologos communissima, atque receptissima est, à quibusdam Recentioribus non approbari, quando actus æquialenter boni, liberique libertate puræ electiuà inter se dissimiles, siue specie diuersi sunt: in tali enim casu, dicunt, quicunque eligatur, honestum formaliter, atq; laudabilem euadere. Sed non sunt audiendi vllo modo. Primò; quia dissimilitudo bonitatum nullam secum afferens inæqualitatem, vti supponitur, nihil omnino præstat ad rem. Nam actus æqualiter boni, siue sint similes, siue dissimiles, æqualiter sunt perfectiui subiecti, æqualiterque æstimabiles, & amabiles: recurritque discursus factus. Siquidem eo ipso alteruter æquialet alteri, æquialenterve est in altero: sicque libertas puræ electionis inter vtrumque æquialenter non est libertas in ordine ad imputationem moralem, &c. Secundò; quia, cùm eadem proculdubio sit ad rem ratio de malitiâ, ac de bonitate morali, sequeretur, hominem necessitatum ad alterutrum ex duobus actibus malis dissimilibus, & æqualibus necessitatū esse ad peccandum. Quod haud dubie est absurdum. Doctrina igitur nostra, & communis tanquam vniuersaliter vera tenenda est.

Per quam iam integra propositio data facilè 122
constat. Nam in primo eius casu malitia omissionis electæ æquialenter non est homini libera: quia nequit non ponere illam, vel aliam æqualem. In secundo casu excessus ille dumtaxat est liber omnino. In tertio denique æquialenter non est libera malitia, quæ admittitur: cum vel illa, vel alia maior, atque adeò æquialens nequeat fugi. Mitto alias rationes, quibus doctrina ista confirmari solet: nam vel in idem recidunt, vel sunt parui momenti.

Sed opponit Granad. contra resolutionem 123
primi casus. Homo ille liberè amplectitur omissionem, quam iudicat malam. Ergo peccat. Distingo antecedens. Amplectitur liberè libertate physicâ; concedo: libertate morali; nego. Et nego consequentiam. Nec refert, quòd homo existimet se peccare. Quia non quisquis se, putat, peccare, peccat iuxta suppositionem primam: sed ille tantùm, cui libera est malitia peccati: qualis in casu nostro non est respectu hominis malitia omissionis, cùm eam necessariò aut in se, aut in æquialente teneatur admittere.

Est autem propositio vera, siue homo ne- 124
cessitatus ad omittendum alterum eorum actuum possit vtrumque simul omittere, vt in exemplo proposito num. 114. quo casu omissiones actuum oppositorum non erunt oppositæ: siue non possit: quo casu omissiones quoque oppositæ erunt. Qui duo casus eo inter se differunt, quòd in primo homo absolutè potest peccare: quia omissiones amborum actuum potest simul amplecti. In secundò verò; quia non potest; absolutè nequit peccare, quando concipit omissiones æqualiter malas: quando verò inæqualiter, quoad excessum tantùm peioris peccare potest. Eamdemque omnino doctrinam habet alter casus diuersus. Cùm scilicet homo putat, sibi esse prohibitum vtrumque actum: & tamen non potest non amplecti alterutrum; eo quòd omissiones eorum oppositæ sunt; siue actus quoque sint oppositi, siue non item. Et idem est, quando extrema præcepta, aut prohibita actus sunt, & omissio sub eâdem necessitate amplectendi, aut relinquendi alterutrum.

Hinc constat, quid sit dicendum, quando 225
aliquis necessitatus ad amplectendum alterutrum ex duobus actibus (siue sit simul necessitatus ad omittendum alterutrum, siue non item) iudicat esse vtrumque bonum æqualiter. Tunc enim quicunque actus eligatur, bonus formaliter non euadet ex defectu libertatis moralis. Si verò iudicentur boni inæqualiter, melior electus quoad excessum tantū euadet formaliter bonus; at minùs bonus nullo modo. Quod autem dicitur de duobus actibus positiuis, perinde est verum de duabus omissionibus, si pari ratione apprehendantur bonæ; tum de duobus actibus, quorum alter positiuus, & alter negatiuus sit.

Est autem æquè vera doctrina data, siue 126
bonitas, aut malitia concepta in actibus, vel omissionibus sit grauis, siue sit leuis, siue præscindens à quantitate, siue sit intra hanc, vel illam speciem virtutis, aut vitij, siue præscindens

ab speciebus. Quo multi casus ex recensitis propos. 12. sub hac vnicâ propositione resoluti manent. Itaque (vt eam vnico conceptu comprehendam) qui ad alterutrum ex duobus extremis, aut æquè malis, aut æque bonis necessitatus est, neutrius electio est ei imputabilis defectu libertatis moralis. Si verò extrema inæqualia sint quoad malitiam, aut bonitatem; electio sola extremi excedentis imputabitur tantùm quoad excessum. Vnde imputatio leuis persæpe erit; tametsi extremum complete sumptum grauissimè malum, aut bonum ab operante iudicetur; quia nimirum excessus malitiæ, aut bonitatis, qui solus imputatur persæpe vt præcisus à residuo censebitur quid leue. Ex quibus facilè etiam constat, quid sit dicendum, si dicta extrema ab operante concipiantur indifferentia. In quo non oportet morari.

Propositio 19.

127 Qui ad alterutrum ex duobus extremis aut positiuis, aut negatiuis, aut mixtis, atque inter se non oppositis necessitatus vtrumque simul amplecteretur, vt potest, iudicans vtrumque esse malum, vno solo peccato delinqueret; quantumuis ille putaret se comittere duo.

Pro exemplo sit homo commemoratus supra num. 114. casu, quod ille, vt poterat vtramque omissionem, quam malam putabat, simul amplecteretur, & relinquendo moribundum, & non audiendo missam, iudicans se duo peccata simul committere, alterum contra charitatem, & alterum contra religionem. Quo casu, dico, talem hominem vnicum solum commissurum peccatum. Cuius ratio ex superiùs dictis in promptu est. Quia, quamuis ambæ illæ omissiones sint tali homini quoad electionem liberæ, quatenus quamlibet earum per positionem actus oppositi vitare potest, retentâ alterâ: simpliciter tamen non sunt ei ambæ liberæ: quia nequit ambas simul vitare, ponendo simul actus, quos illæ remouent, nempe assistendo simul & moribundo, & missæ. Quo fit, vt altera dumtaxat talium omissionum malitia sit illi libera moraliter, atque adeò imputabilis.

128 Sed quænam earum talis est; quandoquidem non est maior ratio vnius, quàm alterius? Dico, esse alterutram earum vagè, seu disiunctiuè. Quia, sicut iudicanti suum actum bonum, vel malum esse bonitas, vel malitia eius sub disiunctione imputatur: similiterque volenti efficaciter furtum, vel homicidium malitia alterutrius; vt constat ex doctrinâ stabilitâ propos. 16. Ita habenti tantùm libertatem moralem comparatione vnius, vel alterius malitiæ sub disiunctione, vti euenit in casu præsenti, vna vel, altera malitia sub disiunctione imputanda venit.

129 Vnde facilè quilque inferet, quomodò sit philosophandum in casibus, vbi necessitatus ad alterutrum ex duobus extremis non oppositis vtrumque simul amplecteretur, iudicans, aut vtrumque bonum, aut vtrumque indifferens esse.

Propositio 20.

130 Qui ad alterutrum ex duobus extremis siue oppositis, siue non oppositis necessitatus est, si iudicet, alterum esse malum determinatè, & alterum bonum, in electione mali peccabit; in electione verò boni honestè formaliter operabitur; idq; siue inter se appareant æquales, siue inæquales bonitas, & malitia.

Quoniam in qualibet ex dictis electionibus non solùm libertas physica, sed etiam moralis reperitur; eo quòd bonitas extremi boni nullatenus æquiualet quoad imputationem malitiæ extremi mali, nec vice versâ; vti æquiualent inter se duæ bonitates, aut duæ malitiæ æquales, vt antea ostensum est. Aliunde autem, quàm per eiusmodi æquiualentiam, non tollitur libertas moralis extremi alias physicè liberi. Qua positâ, non est, cur tota bonitas, aut malitia extremi electi in casu propositionis non sit imputabilis. Solùm dubitari potest, an dicta bonitas, aut malitia minuantur in esse morali imputato ob minùs plenam libertatem. Existimo, minui. Nam, qui operatur necessitatus ad alterutrum ex extremis, minùs sponte eligit alterum, quam, si vtrumque posset omittere.

131 Iam verò, si in casu propositionis extrema opposita non sint, & operans amplectatur simul vtrumque, per alterum benè, & per alterum malè imputatiuè, & formaliter operabitur. Quia, quamuis nequeat vtrumque omittere, hoc ipso, quòd libertas electionis, quam habet ad omittendum alterutrum, est ei ad imputationem electi sufficiens, nequit non itidem esse sufficiens ad imputationem vtriusque, si amplectatur vtrumque.

131 Est autem propositio vniuersaliter vera, siue malitia, & bonitas extremorum concipiantur cum præcisione ab speciebus, siue in speciebus determinatis: tum, siue concipiantur cum præcisione à quantitate, siue aut graues, aut leues: tum, si altera cum vnâ istarum differentiarum, & cum aliâ altera concipiantur, omni combinatione factâ. Vnde etiam inferri facilè potest, quid sit dicendum, si alterum extremum bonum, & alterum indifferens concipiantur: aut alterum malum, & alterum indifferens, &c.

Propositio 21.

131 Qui ad alterutrum ex duobus extremis siue oppositis, siue non oppositis necessitatus est, iudicatque alterum bonum, & alterum malum sub disiunctione, neutrius electio est ei imputabilis ex defectu libertatis moralis.

Quia, iudicare disiunctiuè alterum esse bonum, & alterum malum, perinde est, ac iudicare de vnoquoque seorsim, esse bonum, vel malum, idque eâdem numero bonitate, & malitiâ, quæ sola concipitur esse in vno, vel altero. Vnde in conscientiâ operantis æqualia omnino sunt, & æquiualentia dicta extrema quoad bonitatem, & mali-

malitiam; cùm concipiatur vtrumque bonum, vel malum disiunctiuè eadem bonitate, & malitia. Quo fit, vt operans, dum ponit vnum, æquiualenter ponat alterum, atque adeò sine libertate morali requisitâ ad imputationem iuxta doctrinam statutam propos. 18. In neutrius igitur electione benè, aut malè formaliter operabitur. Et idem est, si quis concipiat solam bonitatem, aut solam malitiam in vno, vel altero extremo subdisiunctione. Quia etiam in hoc casu ambo extrema prorsus æqualiter concipiuntur aut bona, aut mala.

134 Quòd si in casu propositionis neutrius ex extremis electio euadit operanti imputabilis defectu libertatis moralis: neque ambo simul, neque alterutrum determinatè, sed alterutrum sub disiunctione imputabile euadet iuxta doctrinam propos. 19. casu, quòd simul ambo amplectatur, quando inter se non sunt opposita. Nam ad talem casum recurrit itidem doctrina eius propositionis, vt eam applicanti patebit.

135 Hinc multi veniunt resoluendi alij casus similiter, atque ex alijs propositionibus ex superiùs enumeratis prop. 12. In quibus scilicet conciperetur alterum dictorum extremorum indifferens, & alterum bonum, aut alterum indifferens, & alterum malum, seu tantùm genericè, seu specificè, aut alterum sub hac specie bonitatis, vel malitiæ, & alterum sub aliâ disiunctiuè; idque, siue bonitas, vel malitia, vel indifferentia conciperentur magnæ, siue paruæ, siue cum præcisione à quantitate, &c. In his enim casibus, & alijs multò pluribus ex eis miscendis per terminorum adæquatam combinationem eumdem prorsus habet locum doctrina propositionis datæ.

Propositio 22.

136 Qui ad neutrum ex duobus extremis necessitatus est, sed vtrumque simul potest omittere, formalem, & imputabilem sibi facit eam affectionem, quam concipit determinatè in extremo, quod eligit. Itaque, si iudicat, illud esse bonum determinatè, benè formaliter operatur: malè autem, si iudicat, esse malum, &c. siue tantumdem iudicet de altero extremo, siue aliud quidpiam: siue extrema sint inter se opposita, adeòque nequeat illa simul amplecti, siue non sint opposita.

Ratio propositionis perspicua est. Quia in electione prædicti extremi omnimoda reperitur libertas: cùm possit non solùm illud, sed etiam alterum relinqui. Vnde nihil deest, quominùs bonitas, malitia, aut indifferentia in eo determinatè concepta sit plenè imputabilis, ac formalis. Quemadmodùm etiam casu, quòd homo amplectatur simul vtrumque eorum extremorum, quando ea non sunt opposita, nihil deerit, quominùs vtrumque simul sit ei imputabile quoad bonitatem, malitiam, aut indifferentiam in vtroque iudicatam determinatè. Quamplurimos itidem ex recensitis supra casibus comprehendit hæc propositio. Sed quos ne indicare quidem opus est; cùm sit res ex dictis hactenus satis nota.

Propositio. 23.

Qui ad neutrum ex duobus extremis 137
necessitatus est, & iudicat alterum esse bonum, & alterum malum sub disiunctione, quodcunque eorum eligat, imputabiliter operabitur benè, vel malè sub disiunctione; hoc est, bonitas, vel malitia sub disiunctione erit ei imputabilis.

Nam iudicare, alterum extremum esse bonum, & alterum malum sub disiunctione, est iudicare de quouis seorsim, atque adeò de eo, quod eligitur, esse bonum, vel malum sub disiunctione, vt dictum est propos. 21. Constat autem ex dictis propos. 16. iudicanti, extremum, quod elegit, esse bonum, vel malum sub disiunctione, bonitatem, vel malitiam sub disiunctione euadere imputabilem, si aliunde non desit in tali electione libertas moralis, vti in præsenti casu non deest iuxta doctrinam propos. 22. Idque, siue extrema dicta sint opposita, siue secus. Quòd si amplectatur operans vtrumque extremum, quando ea non sunt opposita, per vtrumque operabitur benè, vel malè sub disiunctione modo dicto; quia vtrumque in casu propositionis est plenè liberum. Qualiter autem huius etiam propositionis doctrina ad plures alios casus ei annexos extendi possit, facilè ab vno quoque potest colligi ex dictis.

Propositio 24.

Si duo proposita extrema mutuò 138
connexa sint, ita, quòd neutrum sine altero ab operante possit amplecti, quale vnumquodque iudicabitur ab eodem, tale euadet imputabiliter, atque adeò formaliter.

Quia nihil est hìc, quod tali imputabilitati possit obesse, quando operans eiusmodi extrema amplectitur liberè. Itaque, si iudicetur vtrumque bonum, vtrumque euadet bonum formaliter: malum autem, aut indifferens, si iudicetur tale. Quòd si alterum bonum, & alterum malum determinatè iudicetur, talia quoque euadent formaliter, &c. Si verò iudicetur alterum bonum, & alterum malum sub disiunctione, vtrumque euadet disiunctiuè bonum, vel malum formaliter iuxta doctrinam propos. 23. quæ hìc etiam locum habet. Pariterque est de cæteris casibus similibus philosophandum consentaneè ad iam dicta.

Eademque prorsus est Philosophia, quando 139
extrema proposita aut connexionem non mutuam, aut nullam habent, si ambo simul ab operante amplectantur liberè. Si verò eligatur non connexum, quod solum eligi potest, relicto altero, omnino liberè eligetur; proindeque eodem pacto euadet morale formaliter, ac si seorsim esset propositum.

Mitto alios plures casus, qui speciatim re- 140
solui possent. Quia ex vniuersali doctrinâ datâ circa paucos prædictos, qui vniuersalissimi sunt, facilè cæteri adsimiles ab vnoquoque resolui poterunt. Mitto etiam multo plures, ne sim prolixior, in quibus per iudicium practicum conscientiæ ad duos actus comparatum bonitas, malitia,

tia, & indifferentia non iam absolutè, sed conditionatè ipsis annexa iudicaretur; aut partim absolutè, & partim conditionatè. Nam & hi non difficile resolui poterunt per doctrinam traditam propos. 17. iunctam cum tradita in sequentibus. Porrò, quæ de tali iudicio, deque conducentia eius ad imputationem moralitatis duorum actuum à propos. 18. hucusque sunt dicta, ipsi conueniunt considerato in ratione puræ propositionis. An verò illud in ratione circunstantiæ actus, quos respicit, inficiat, aut honestet aliquibus in casibus, de quibus à dicta propos. 18. hactenus egimus, ex doctrina in anterioribus propositionibus tradita facilè etiam quisque potest colligere. Quæ autem à propos. 4. hucusque scripta sunt, potissimùm spectant ad cognitionem vel requisitam, vel conducentem, vt moralitas materialis actuum naturæ rationalis ipsi imputabilis euadat, atque adeò formalis. Supersunt aliqua ad ipsam potissimùm moralitatem materialem spectantia, & per sequentes propositiones edisserenda.

Propositio 25.

141 Vt sit actus honestus non est necesse, procedere eum ex motiuo honestatis. Est tamen necesse, procedere eum ex fine proprio virtutis, ad quam ipse pertinet. Vt verò actus turpis sit, nec ex motiuo turpitudinis, nec ex fine vitij, ad quod spectat, debet procedere.

In posteriore parte propositionis omnes Theologi conueniunt. Circa duas verò priores confusè videntur loqui communiter; dum alij, vt actus sit honestus, honestatum ipsam, alij verò finem virtutis exposcunt pro motiuo eius: censentibus nihilominùs pleriſque eorum, vtrosque inter se conuenire; quasi finis virtutis, & honestas virtutis, actus videlicet externi, quem internus habet pro obiecto, de qua loquuntur, vnum, & idem sint; quod tamen est falsum. Videantur Vazq. 1. 2. disput. 51. cap. 3. & disput. 73. cap. 7. Salas tractat. 7. disput. 2. sect. 7. Tann. disput. 3. quæst. 2. dub. 3. Coninc. de Actib. hum. disput. 3. dub. 4. Arriag. disput. 15. Sect. 5. Esparza quæst. 25. artic. 5. Carleton disput. 89. sect. 5. & alij.

142 Ego imprimis propositionem, remq; ipsâ explicito per exẽpla, probaturus deinde. Pro quo suppono primò ex communi consensu Doctorum, finẽ virtutis iustitiæ æqualitatem dati, & accepti esse: finẽ autẽ oppositi vitij iniustitię oppositã inęqualitatem. Tum finem gratitudinis retributionem beneficij recepti esse: finemque ingratitudinis irretributionem oppositam. Quod sic intelligo, vt non ipsa æqualitas dati, & accepti secundùm se præcisè, sed eius causatio sit finis iustitiæ: nec ipsa retributio obiectiua pro beneficio, sed causatio eius sit finis gratitudinis: pariterque censeo dicendum de vitijs oppositis. Quod probo primò; quia id intendit iustitia vt finem, quod præcipit: præcipit autem non dictam æqualitatem, sed causationem eius. Et id intendit gratitudo, quod præcipit, aut consulit; hoc autem non est retributio dicta, sed eius causatio. Secundò; quia virtutes istæ (sicut & cæteræ) in actus operantium iuxta ipsas, qui soli capaces sunt honestatis earum, & qui propterea actus ipsarum dici solent, potiùs, quàm in effectus, siue terminos talium actuum censendæ sunt tendere tanquam in proprium finem. Tales autem sunt respectu iustitiæ causatio dictæ æqualitatis, & respectu gratitudinis causatio dictæ retributionis. Quæ nihilominùs æqualitas, & retributio fines ipsarum communiter esse dicuntur; quia effectus, & termini sunt eorum actuum, quos pro finibus proprijs habent. Et quidem; cùm actus aliquarum virtutum, vt fidei, spei, charitatis, beneuolentiæ, &c. non habeant pro termino effectum ab ipsis oriundum, qui possit subire rationem finis ab ipsis virtutibus consequibilis, atque adeò intenti: & de his saltem necessariò dicendum sit, non alios habere fines, præter suosmet actus: non est profectò, cur de cæteris tantumdem non dicatur.

Suppono secundò, etsi actus virtutum, qui 143
proprij fines earum sunt, eo ipso sint re ipsâ actus honesti honestate ipsarum virtutum; ipsas tamen virtutes in eos non tendere tanquam in fines prout honestos, seu proprer earum honestatem, sed prout habentes aliquam aliam physicam bonitatem. Quod probo primò; quia fieret inde, vt & ipsos præciperent prout honestos; cùm idem sit finis virtutis, ac præceptorum eius. Indeque fieret rursus, vt nemo posset implere præceptum virtutis, nisi operando honestè. Quod est absurdum. Constat enim, me posse implere præceptum iustitiæ soluendo debitum, quamuis talis solutio aliunde peccaminosa sit. Pariterque in similibus. Secundò probo; quia sequeretur inde contra statutam propositionem mox ostendendam, æquè necessarium esse ad honestatem actus, procedere eum ex motiuo honestatis, ac ex fine virtutis. Quod etiam esse absurdum, ex probatione propositionis constabit.

Sed rogas, quænam alia physica bonitas finis 144
virtutis sit, ratione cuius virtus tendit in ipsum. Dico esse absolutam bonitatem, qua in se bonus est ipse finis. Omne quippe ens esse in se bonum bonitate absolutâ consistente in quadam veluti venustate, nobilitate, seu dignitate eius, constat ex doctrinâ traditâ à nobis tom. 1. disput. 15. quæst. 1. Talem igitur bonitatem, quam trascendentalem appellant, arbitror, in suo fine prætendere vnamquamque virtutem, quæ pro diuersitate finium virtutum diuersa est. Quando quidem bonitas transcendentalis pro diuersitate entium, cui conuenit, non potest non esse diuersa, vt est notum. Et quidem bonitatem, quam in solutione debiti tanquam in fine suo iustitia respicit, non esse vllam ex respectiuis, quibus solutio ipsa est bona tum debitori, cui honesta est, tum creditori, cui commoda; inde constat; quia in bonitatem respectiuam ad subiectum prout talem aliter, quàm propter ipsum subiectum, & ex eiusdem complectentia tendi non potest iuxta doctrinam supra statutam disput. 33. quæst. 1. Si autem iustitia in solutionem debiti tenderet prout bonam vel debitori, vel creditori ex complacentiâ eius, iam non virtus iustitiæ, vt supponitur, sed virtus beneuolentiæ esset. Quod est implicatorium. Relinquitur ergo, vt iustitia in solutionem debiti tendat prout bonam non alteri respectiuè, sed in se absolutè.

Dices consentaneè ad doctrinam datam à 145
nobis loco citato, adhuc in solutione debiti superesse, præter bonitates honestatis, & commoditatis respectiuas ad subiectum, tertiam vtilitatis respectiuam ad finem, qui est æqualitas dati, & accepti per solutionem ipsam causata. Verùm enim-

enimverò super hoc non nimis contendam. Si enim velis, talem æqualitatem esse finem iustitiæ; cùm hæc in illam prout vtilem ad vlteriorem finem tendere nequeat, relinquitur, vt tendat in illam prout bonam absolutè in se: recidimusque in idem. Ego verò propter rationes datas suppositione primâ arbitror, finem iustitiæ censendam esse non dictam æqualitatem, sed causationem eius: in huiusque ad illam vtilitate, vtpote ab ipsius essentiâ indistinctâ, fundari ipsam absolutam bonitatem, quam in eâ iustitia respicit: nam ipsum causare talem æqualitatem est absolutè bonum in se.

146 Vnde suppono tertiò, bifariam posse voluntatem tendere in solutionem debiti. Primò, volendo æqualitatem dati, & accepti tanquam finem propter bonitatem absolutam, qua bona est in se, & solutionem debiti tanquam medium ob bonitatem relatam vtilitatis, quam habet ad ipsam æqualitatem, quatenus eius causatio est. Secundò, volendo vt finem ipsam debiti solutionem propter bonitatem absolutam, qua bona quoque est in se ipsâ vt talis æqualitatis causatio. Hi verò duo modi tendendi, quod attinet ad moralitatem actuũ, æquiualentes sunt; quia vtroque tangitur à voluntate directè finis virtutis; licet formalius posteriore, vt ego existimo, quàm priore.

147 Suppono quartò, triplex esse genus finium virtutum. Alij enim in aliquo morali consistunt coalescente ex aliquo actu voluntatis, ex alioque, aut alijs physicis fundamentis. Alij consistunt in aliquo physico citra omnem actum voluntatis per aliud, aut alia fundamenta physica constituto. Alij denique consistunt in solis aliquibus actibus voluntatis. Primi generis sunt fines virtutum iustitiæ, gratitudinis, liberalitatis, misericordiæ, &c. Siquidem eadem collatio externa pecuniæ penes diuersas volitiones internas, à quibus procedere potest, vel compensatio debiti, vel gratificatio beneficij, vel donatio liberalis, vel miseriæ subleuatio esse potest: qui fines diuersi sunt dictarum virtutum coalescentes ex collatione externâ pecuniæ, & ex diuersis internis volitionibus, scilicet compensatiuâ, gratificatiuâ, liberali, & misericordi. Secundi generis sunt fines virtutum fidei, veracitatis, fortitudinis, temperantiæ, &c. scilicet actus ipse fidei, veritas, mediocritas in irascibilibus, & mediocritas in concupiscibilibus. Tertij denique generis sunt fines virtutum charitatis, spei, beneuolentiæ erga alterum, beneuolentiæ erga se, &c. nempe actus ipsi

148 voluntatis ad istas virtutes spectantes.

Vbi adnotare oportet, de obiecto, quod habent volitiones constituentes fines virtutum primi generis, eamdem esse difficultatem cum eâ, quam tractant Doctores de obiecto volitionis, quam habet superior, obligandi subditum medio præcepto, & de obiecto volitionis, quam habet vnus homo, obligandi se alteri mediâ aliqua promissione, aut alio contractu, & de obiecto volitionis, quam habet Deus, condonandi peccata, aut ea puniendi, nec non renumerandi merita, &c. Circa quam difficultatem variæ sententiæ sunt, vt videre est apud Ripaldam de Ente supern. tom. 2. Oniedo 1. 2. Cardin. de Lugo tom. de Incarnat. disput. 3. sect. 5. & tom. de Pœnit. disput. 7. sect. 9. Arriagam disput. 2. de Legib. sect. 3. Carlet. disput. 122. sect. 3. & apud alios. Quorum non pauci, dum refugiunt concedere, eiusmodi volitiones obiectum sui ipsarum esse, in varias tricas incurrunt & minùs intelligibiles, & minùs veritati conformes. Quare ego omnino censeo dicendum, tales volitiones non posse non se se ipsas aliquo modo habere pro obiecto: Et in nobis quidem id vel experientiâ ipsâ videtur constare. Nam, dum homo vult se, vel alterum obligare, soluere debitum, gratificare beneficium, remunerare meritum, &c. manifestè habet pro obiecto volitionis suæ denominationem moralem, cuius vnum ex fundamentis est ipsa volitio, quâ subinde per ipsammet non potest non tangere sub eo denominationis conceptu confusè contentam; quemadmodùm, vt apud Logicos solemne est, definitio definitionis se ipsam confusè contentam sub conceptu cummuni definitionis per ipsammet definito tangit. Apud cognoscentes item per proprias species, non est, cur repugnet volitio, quæ & sui, & aliorum fundamentorum, quibus denominationes predictæ constituuntur, etiam distinctè conceptorum, volitio sit. Hoc obiter dicto.

149 Suppono quintò, ad finem virtutis insuper pertinere carentiam finis oppositi vitij. Sicut è contra ad finem vitij pertinere insuper solet carentia finis virtutis oppositæ. Sic ad finem iustitiæ tam pertinet omissio furti, quàm restitutio debiti; sicut è contra ad finem iniustitiæ tam pertinet omissio restitutionis, quàm furtum, & in cæteris pariter. De quo plura dicenda venient proposit. 31.

150 His ita suppositis, probo iam propositionem per partes. Et primùm, quòd ad operandum honestè necesse non sit, vt actus procedat ex motiuo suæ honestatis, probatur, Primò; quia sequeretur inde, actum perfectæ, puræque charitatis aut esse impossibilem; quia essentialiter postulat habere pro motiuo vnico bonitatem diuinam; quale non haberet, si eius motiuum esset honestas: aut non posse esse honestum: quia, habendo pro motiuo vnico bonitatem diuinam, nequit honestas esse motiuum eius. Sequela autem quàm sit absurda, nemo non videt. Quo argumento probatur pariter, nullum actum volũtatis habens pro motiuo vnico aliquid ab honestate suâ diuersum; quales sunt plerique actus interni virtutum; aut esse possibilem, aut posse honestum esse. Quod maius adhuc, seu latiùs patens absurdum est.

Secundò probatur; quia, cùm honestas sit 151
bonitas quædam respectiua reddens actum consentaneum, vt sicque bonum naturæ rationali operanti: nullumque bonum respectiuum quatenus tale amari possit, nisi ex complacentiâ subiecti, cui bonum est, iuxta doctrinam commemoratam num. 144. si, vt homo operaretur honestè, necesse esset, quòd vellet quemuis suum actum prout honestum formaliter; sequeretur solâ honestate beneuolentiæ propriæ posse eum honestè operari: quia solùm posset honestè operari, volendo sibi bonum aliquod ex complacentiâ sui, quæ solius beneuolentiæ propriæ actus est. Atque ita cæteræ omnes virtutes è medio tollendæ venirent. Quod etiam est magnum absurdum.

Tertiò probatur; nam absque omni funda- 152
mento idoneo asseritur ad operandum honestè debere esse honestatem ipsam motiuum operantis. Quæ enim ab Asserentibus adducuntur, dumtaxat probant, motiuum operantis debere esse finem proprium eius virtutis, secundùm quam honestè operatur. Quæ pars secunda nostræ propositionis est.

Ea

153 Ea autem probatur ex Arist. ab omnibus communiter impræsentiarùm allegato. Qui lib. 2. Eth. cap. 4. ad hoc, vt opus sit studiosum secundum aliquam virtutem, requirit, quòd fiat à sciente, & propter ipsum, nec satis esse ad operandum secundùm iustitiam, quòd fiat iustum, nisi etiam fiat iustè. His quippe loquendi modis tantùm requirit ad honestè operandum secundùm aliquam virtutem, quòd operans pro motiuo habeat finem ipsius virtutis, non verò honestatem; quæ quid diuersum est, vt constat ex dictis. In quo honestè operans ab operante turpiter differt. Nam hic ad turpiter operandum, sat est, quod finem vitij, ad quod pertinet operatio, ponat ex quocunque motiuo.

154 Cuius discriminis ratio inde trahitur ab aliquibus, quòd bonum ex integrâ causâ, malum autem ex quouis defectu consurgit, iuxta exioma ab omnibus receptissimum ex D. Dionys. cap. 4. de Diuinis nomin. Ex quo inferunt, ad benè operandum requiri, vt sit bonum, & id quod ponitur, & motiuum, ex quo ponitur; ad malè verò operandum sat esse, quòd sit malum alterutrum. Sed mihi non placent. Primò; quia existimo, exioma laudatum dumtaxat agere de constitutiuis intrinsecis boni, vel mali: atque adeò non benè illud applicari ad extrinseca eorum obiecta, siue motiua. Secundò; quia, estò applicetur, non probat intentum: eo quòd iuxta sensum illius, vt aliquid sit bonum, satis est, quòd nullam habeat mixtionem mali. Fieri autem potest, vt operatio non habens pro motiuo finem virtutis, nullam nihilominùs habeat mixtionem mali, adhuc extrinseci: quia motiuum eius malum non est; sed vel indifferens, vel aliud bonum à fine virtutis diuersum.

155 Censeo ergo dicendum, vnamquamque virtutem moralem suopte conceptu, & essentiâ ordinatam esse ad adstruendum, ponendumve in rerum naturâ aliquod bonum, & consequenter officium, siue munus proprium ipsius esse, per se, & directè intendere, ac procurare talis boni positionem vt proprium finem. Cuius subinde boni positio, si aliunde proueniat per accidens, præter virtutis intentionem, neutiquam ad huius munus, officiumve spectare censebitur. Quæ quidem principia sunt per se nota satis, superque. Ex quibus planè sequitur ad hoc, vt voluntas operetur secundùm virtutem, atque adeò honestè honestate ad ipsam spectante, necessarium esse, quòd motiuum operationis eius ipsius virtutis finis sit: neque sufficere, quòd talis finis aliàs per accidens, & præter directam intentionem voluntatis ponatur. Et quoniam proprium etiam virtutis est, vetare, seu prohibere, ne finis vitij sibi oppositi ponatur vllo modo; idcirco positio eius nequit non esse mala moraliter, ex quocunque demum motiuo procedat illa. Ex quibus patet, cur sit necesse, habere actum pro motiuo finem virtutis, ad quam pertinet, vt sit honestus: vt verò sit turpis, non sit necesse, habere eum pro motiuo finem vitij, ad quod spectat. Quo partes secunda, & tertia propositionis probatæ manent.

156 Pro maiori tamen explicatione oportet adnotare, doctrinam istam diuersimodè conuenire actibus diuersarum virtutum penes diuersitatem finium illarum expositam num. 147. Dum enim voluntas operatur secundùm aliquam ex virtutibus habentibus finem primi generis, eatenus eius finem intendit, quatenus per volitionem efficacem de tali fine & effectiuè causat actum externum, & formaliter simul cum illo constituit ipsum finem; vt, quando quis intendens soluere debitum volitionem concipit efficacem naturâ suâ compensatiuam talis debiti, quæ & effectiuè causat externam pecuniæ collationem, & formaliter simul cum illâ constituit ipsam debiti solutionem. Quo casu actus externus collationis pecuniæ per se præcisè non habet honestatem adhuc materialem iustitiæ, habet tamen illam prout coniunctus cum illâ internâ volitione: quia non per se, sed prout coniunctus cum illâ est solutio debiti. Volitio autem quoad substantiam præcisè componit simul cum dictâ collatione & solutionem debiti, & honestatem materialem iustitiæ ei conuenientem: prout libera tamen & ipsam solutionem liberam, & eius materialem honestatem formalem, siue imputabilem reddit; dummodò hæc tali solutioni annexa prægnoscatur. Quando verò voluntas operatur secundùm aliquam ex virtutibus habentibus finem secundi generis, non aliter eius finem intendit, quàm volendo efficaciter ponere actum alterius potentiæ, in quo consistit ipse finis; vt, cùm quis efficaciter vult elicere actum fidei. Quo casu honestas materialis fidei in solo ipso actu fidei stat. Requiritur tamen, vt euadat formalis, & imputabilis, volitio intentiua, liberaque ipsius actus fidei cum præuisione ipsius honestatis. Quando denique voluntas operatur secundùm aliquam ex virtutibus habentibus finem tertij generis, vt eius finem censeatur intendere, sat est, quòd eum suum actum eliciat, in quo consistit ipse finis; vt, cùm quis elicit actum charitatis: censetur enim saltem æquiualenter, quod ad rem attinet, intendere elicere ipsum. Quo casu honestas materialis charitatis ipsius actus substantia est, quæ per eiusdem libertatem euadit formalis, dum ipsi annexa prægnoscatur. Quomodò autem non solum actus, in quo consistit finis virtutis, sed etiam actus, qui assumuntur vt media causatiua talis finis, eorumque electiones eiusdem virtutis actus sint veluti secundarij: tantumdemque sit, suâ seruatâ proportione, de actibus, qui causatiui sunt finis tertij, infra propos. 27. explicandum est.

Propositio 26.

Aliqui actus morales dantur indifferentes quoad speciem. Nullus tamen datur indifferens in individuo. 157

Prima pars huius propositionis est communis inter Theologos. Secundam tenent S. Tho. 1. 2. quæst. 18. art. 9. & ibi eius Expositores communiter. Salas disput. 4. sect. 3. Valent. quæst. 13. punct. 6. Soar. tract. 3. disput. 9. sect. 3. Granad. tract. 2. disput. 2. Tann. disput. 2. quæst. 5. dub. 6. Carlet. disput. 90. sect. 2. & alij. Contra Vazq. disp. 52. cap. 2. Arriag. disput. 21. sect. 3. & 4. & alios sentientes oppositum. Agitur autem hic, quidquid nonnulli contradicant, non solùm de actibus voluntatis internis, sed etiam de externis illius libertati inbiectis: cùm vtrique suam moralitatem debeant habere; vt ex dictis in præcedentibus satis est notum. Estque sermo potissimùm de indifferentiâ materiali ipsis conueniente re ipsâ. Nam posse aliquem actum euadere indifferens formaliter, & imputatiuè, si iudicet operans siue verè;

verè, siue fallè, eum indifferentem esse, apud omnes est in confesso, & ex dictis in præcedentibus satis compertum.

158 Igitur prima pars propositionis inde probanda est. Quia sunt aliqui actus morales, qui secundùm suam specificam essentiam consideratam cum præcisione à circunstantijs ipsi accessorijs, siue accidentalibus neque boni, neque mali moraliter sunt, sed indifferentes ad bonitatem, vel malitiam. Tales sunt actus ambulandi, loquendi, cogitandi, & similes vt sic præcisè. Quia tamen illi cum eiusmodi præcisione à parte rei poni non possunt; sed necessariò eorum essentia specifica coniuncta cum aliquibus circunstantijs sibi accidentalibus ponenda est, è quarum numero est eius quantitas vel maior, vel minor, à talibusque circunstantijs nequit non reddi talis essentia vel bona, vel mala materialiter, vti probabimus; idcirco, licèt tales actus indifferentes sint quoad speciem modo dicto, in individuo tamen indifferentes esse non possunt. Qno præoccupata manet, atque solura quædam obiecto, quæ ab Aduersarijs ex primâ parte propositionis contra secundam sumi solet.

159 Cuius secundæ partis probatio communis sic ferme solet efformari. Natura rationalis titulo talis tenetur ordinare omnem suum actum liberum ad finem rationi consonum, atque adeò bonum: si ordinat, operatur benè: si non ordinat, operatur malè; quia deest à sua obligatione. At est necesse, quòd ordinet; vel non ordinet. Ergo est necesse, quòd operetur vel benè, vel malè: atque adeò impossibile, quòd operetur indifferenter. Verùm probatio hæc inde videtur posse infirmari: quia sine fundamento idoneo imponit naturæ rationali obligationem ordinandi omnem suum actum in finem bonum. Nullus enim potest adesse titulus, cur naturæ rationali maior obligatio imponatur, quàm non agendi malè. Sed ad non agendum malè, sufficit, quòd neque actus sit malus, nec finis, nec circunstantiæ eius, vt satis per se videtur notum. Ergo non est, cur adijciatur insuper obligatio ordinandi actum ipsum in finem bonum. Et confirmari potest. Quia licitum vnicuique est sepissimè, totam actus honestatem omittere, omittendo actum ipsum honestum, sed non obligatorium, qualis sæpissime est. Ergo potiore iure erit licitum sæpe vnicuique, omittere partem honestatis actus prouenturam a bono fine, non ordinando ipsum ad bonum finem. Ergo non semper obligatio talis ordinationis adest. Quo partis secundæ propositionis probatio facta corruit.

160 Ob id ego inde eam censeo probandam primò; quia existimo, bonitatem, & malitiam actus moralis extrema esse suapte essentia citra medium opposita: necessariumque subinde esse, vt omnis actus moralis in individuo vel bonus sit, vel malus. Vniuersaliter enim de omni per aliquam regulam mesurabili est necessarium citra medium, vt illud tali regulæ vel congruat, vel non congruat, eive vel adæquetur, vel non adæquetur, Sed regula omnis actus moralis natura rationalis vt talis est iuxta dicta prop. 2. Ergo est necessarium, vt vel ei congruat, & adæquetur, atq; adeò consonet; sicque sit bonus: vel ei non congruat, neq; adequetur, atque adeò dissonet; sicque sit malus. Secundò; quia consequenter etiam existimo, omnem actum naturæ rationalis externum, subiectumque libertati eius de suo, & cum præcisione à fine, & à circunstantijs exstrinsecis eo ipso, quod est vt sic per ipsam naturam rationalem regulabilis, non posse non ad materiam alicuius virtutis moralis habentem latitudinem pertinere: atque ita, si attingat medium à tali virtute præscriptum, bonus erit; si non attingat, sed ab eo exorbiter vel per excessum, vel per defectum, erit malus. Cùmque necesse sit, vt attingat, vel non attingat tale medium; necesse quoque est, vt sit bonus bonitate propriæ virtutis, vel malus malitiâ vitij oppositi. Insuperque penes diuersos fines ad quos potest ordinari, & penes diuersas circunstantias, à quibus circundari potest, diuersas alias bonitates, aut malitias potest subire. Actus autem naturæ rationalis interni penes diuersitatem motiuorum, quæ respiciunt intrinsecè, sunt secundùm se præcisè boni, aut mali moraliter. Ab alijsque etiam aut finibus, aut circunstantijs extrinsecis alias bonitates, aut malitias sortiri possunt.

Hinc constat, actus illos externos, quos Aduersarij censent indifferentes esse, vt ambulare, fricare manùs, scalpere barbam, emungere nares, & similes non posse non de suo esse reuerà bonos, aut malos maraliter. Erunt enim boni, si attingant medium virtutis, ad quam pertinent, sin minùs, erunt mali. Cæterùm, quia eorum bonitas, cùm medium virtutis attingunt, valde exigua est; similiterque eorum malitia, cùm parum à tali medio recedunt: vix, aut ne vix quidem est talis bonitas, aut malitia per se, & ex terminis sensibilis in illis, seu discernibilis. Tametsi per rationes vniuersales datas constet, non posse non vnumquodque eorum alterutram habere. Vnde fortasse sequutum potissimè est, vt putauerint Aduersarij, eos indifferentes esse. Deinde etiam sequitur, exercentibus tales actus aut rarò, aut nunquam reddi liberam, & imputabilem, atque adeò formalem bonitatem, aut malitiam materialem, quam re ipsâ habent, ex defectu cognitionis, siue aduertentiæ eius. Ex quo sequitur tandem, exercentes tales actus nec laude, nec vituperio dignos reputari communiter. Alia ad rem videri possunt apud præcitatos Doctores, quæ adiungere his, opus non est. 161

Propositio 27.

Qualiter finis, & medium, illiusque intentio, & huius electio comparentur inter se quoad bonitatem, & malitiam moralem, determinare. 162

Quid sit finis, quid medium, quid illius intentio, & eius electio; & quomodò intentio aut efficax, aut simplex naturâ suâ esse possit; cùm tamen electio semper sit efficax; ex dicendis disput. 36. suppono: loquorque imprimis de intentione efficaci. Et dico primò, quoties finis est malus, & intentionem eius, & electionem cuiusuis medij, & ipsum medium electum quatenus tale mala esse. Assertio hæc communis est inter Theologos. Indeque probanda. Quia intentio efficax obiecti mali eo ipso est mala, vt per se patet. Electio autem efficax medij prout vtilis ad tale obiectum eo ipso, quòd ordinet medium ipsum ad obtinendum, siue ad faciendum, quòd existat obiectum malum, non potest non pariter mala esse, vt etiam ex se constat. Ex quo fit, vt & medium ipsum prout ordina-

tum per electionem ad tale obiectum malum causandum similiter euadat malum. Conficiturque, quoties finis est malus, & eius intentionem, & electionem cuiusuis medij, & ipsum medium electum quatenus tale mala esse. Vnde sequitur primò, estò medium sit de suo bonum, dum eligitur ad finem malum, & ipsum, & electionem eius euadere mala; vt, si quis eligit dare eleemosynam propter inanem gloriam. Secundò sequitur, cùm quis eligit ad finem malum medium aliunde malum, talem electionem, taleque medium duas malitias habere; alteram propriam, alteram participatam à fine; vt si quis eligat furari propter fornicationem: erunt enim in tali casu furtum, & electio eius mala non solùm contra iustitiam, sed etiam contra castitatem.

163 Dico secundò, quando finis est bonus, mediumque ad ipsum electum est etiam aliàs bonum, & intentionem finis, & electionem medij, & ipsum medium esse bona. Quia in tali casu non est, vnde vllus horum actuum vitietur; vt, si quis eligat dare eleemosynam ad obtinendam charitatem. Quando verò finis est bonus, mediumque ad ipsum electum est de suo malum, & medium, & eius electio remanent mala; vt, si quis eligat furari, vt det eleemosynam. Bonitas quippe intenta eleemosynæ non potest excuere furtum, eiusque electionem à propriâ malitiâ iniustitiæ; vt constat.

164 Verùm circa duos istos casus nonnulla sunt dubia. Primò enim dubitatur, an electio medij boni ad obtinendum sumul duos fines bonos (vt, si quis eligat dare eleemosynam ad obtinendam charitatem simul, & fidem) duas talium finium participet honestates, an vnam veluti mixtam ex duabus, specieque diuersam à singulis. (Participare quippe vtramque alterutro saltem ex his duobus modis est certum). Censeo dicendum, consentaneè ad doctrinas datas supra propos. 2. 3. & 4. de distinctione moralitatum actus interni, & externi, de earumque imputabilitate, in casu posito tam intentionem, quàm electionem à duabus ipsis duorum finium bonitatibus bonas euadere imputatiuè, & quasi extrinsecè, vtpote quæ volitiones efficaces sunt tendentes ad dandum existentiam illis, vnaquæque suo modo, in quibus illæ subinde euadunt imputabiles: propriam verò, & quasi intrinsecam bonitatem tam intentionis, quàm electionis vnicam esse, & indiuisam, atque adeò veluti mixtam ex illis, specieque diuersam à singulis: ab aggregato verò ambarum (quod etiam specie differt à singulis) diuersa non est specie morali. Quia vniuersaliter moralitas actus interni efficacis, & actus externi ab eo oriundi, etsi sint distinctæ, non tamen sunt in esse moris specie diuersæ, sed partes similes vnius moralitatis ex eis coalescentis, ac veluti extensiuè tantùm maioris.

165 Secundò dubitatur, quando quis eligit medium bonum ad finem bonum, vt dare eleemosynam ad obtinendam fidem, an talis electio, taleque medium solâ bonitate finis; an verò bonitate finis simul, & propriâ possint bona esse. Primum asseritur ab aliquibus: quia eligens eleemosynam propter fidem dumtaxat habere potest pro motiuo finem virtutis fidei, non item finem misericordiæ: dumtaxatque subinde potest honestè operari honestate fidei, non item honestate misericordiæ, iuxta doctrinam communem stabilitam propos. 25. de motiuo requisito ad honestè operandum. Ego vero cum alijs secundum assero. Quia nihil est, quod vetet, vt in casu proposito eligat quis eleemosynam simul ex motiuo subleuandi miseriam pauperis, & mediâ tali subleuatione obtinendi fidem: quo pacto ambarum virtutum fidei, & misericordiæ fines habebit pro motiuo; ambarumque proinde honestate honestè operabitur.

166 Tertiò dubitatur, an, quando quis ad obtinendum finem bonum eligit medium malum, vt furari ad dandam eleemosynam, non solùm electio, & medium sint mala, sed intentio etiam bonis finis ab eis vitietur. Respondeo, casum trifariam posse euenire. Potest enim quis intendere finem bonum prout consequibilem per medium malum: & tunc intentio mala erit; quia virtualiter saltem erit volitio efficax medij mali. Deinde potest quis intendere finem bonum prout consequibilem per quæuis media siue mala, siue bona: & tunc etiam erit intentio mala; quia virtualiter saltem amplectetur media mala sub conditione, quòd non occurrant bona. Præterea potest quis intendere finem bonum consideratum vel secundum se præcisè, vel prout consequibilem per media bona, idque aut nihil cogitando de medijs malis, aut illa excludendo: & tunc talis intentio in prima sua conceptione bona erit. Quòd si verò post factam consultationem intentio illa boni finis vel perseueret, vel repetatur, & electionis mali medij ad illud obtinendum sit causa, iam à tali causatione vitiabitur: quia omnis causa effectus mali ab ipsa causatione eius redditur mala.

167 Quartò dubitatur, an, cùm quis eligit medium malum proprer finem bonum, talis electio, taleque medium minùs sint mala, quàm, si propter finem bonum non essent. Respondeo, per se loquendo non esse minùs mala: quia, sicut finis bonus non tollit malitiam mali medij, & electionis eius; ita nec minuit, si cætera sint paria. Quod addo: quia eligens malum propter bonum plerunque minùs voluntariè amplectetur illius malitiam, quàm si eligeret ex alio motiuo; atque ideo minùs malè operabitur. Hoc tamen quasi per accidens euenit; ob idque addidi etiam illam Particulam *per se loquendo*.

168 Quinto dubitari potest, qualiter explicanda sit ampliùs participatio à fine bono virtutis, vel malo vitij bonitatis, vel malitiæ repertæ in medio, in eiusque electione. Respondeo sic. Hoc ipso, quòd actus, vt sit honestus, ex fine virtutis debet procedere: non verò item ex fine virtij, vt turpis sit, iuxta propos. 25. vt actus, qui est medium efficax ad finem virtutis, eiusque electio participent illius honestatem, vtilitas ipsa talis medij ad talem finem debet esse electionis motiuum; nam aliàs tale medium non procederet ex tali fine. Vt verò actus, qui est medium efficax ad finem vitij, eiusque electio participent illius turpitudinem, non opus est, quòd sit motiuum electionis ipsa talis medij ad talem finem vtilitas, sed quæuis alia bonitas reperta in ipso medio esse potest.

Procedunt autem, quæ diximus hactenus in casibus, vbi intentio finis est efficax. Ex quibus ea sunt etiam vera in casibus, vbi intentio finis est simplex, quæ nascuntur ex prædicato communi intentioni simplici, & efficaci: ea verò secus, quæ nascuntur ex prædicato speciali intentionis efficacis, ipsique proprio. Est autem prædictum

tum commune intentioni efficaci, & simplici, tendere ad dandam existentiam fini intento: speciale autem, & proprium intentionis efficacis, necessitare voluntatem ad illam procurandam. Quænam autem ex dictis nascantur ex prædicato communi, & quænam ex proprio Lectori discernendum relinquo: quia ad alia propero.

170 Ex dictis circa præsentem propositionem facilè quisque potest colligere, qualiter imperium voluntatis reflexum, & ipsius actus imperatus inter se comparandi veniant quoad bonitatem, & malitiam moralem: suppositâ istorum actuum naturâ latè à nobis expositâ supra disp. 30. quæst. 12. per totam.

Propositio 28.

171 Qualiter actus naturæ rationalis bonus, vel malus moraliter à circunstantijs reddi possit, decernere.

Circunstantiæ actus appellantur impræsentiarùm omnia ea, quæ ipsius actus specificæ essentiæ, siue substantiæ accidentalia sunt, adeò, vt hæc sine illis existere reipsâ possit. Est autem certum apud omnes, eumdem actum externum naturæ rationalis à circunstantijs ei accidentalibus aut malum, aut bonum reddi posse; vt eadem comestio carnis à circunstantiâ præcepti prohibentis illam fit mala; rursusque à circunstantiâ ægritudinis superuenientis redditur bona.

172 Sed est difficultas, an omnes circunstantiæ reddentes malum, aut bonum actum externum, ita transeant in obiectum actus interni, à quo tanquam à causa efficaci ipse externus procedit, vt nulla earum sit circunstantia respectu illius: à nullâque ille subinde suam malitiam, aut bonitatem tanquam à circunstantiâ, sed tanquam ab obiecto sortiatur. Affirmat communis sententia. Sed ego distinguendum puto. Atque ita dico primò, circunstantias constituentes actum externum in ratione finis alicuius virtutis, eique proinde præbentes talis virtutis honestatem, respectu actus interni prout honesti item honestate eiusdem virtutis neutiquam circunstantias manere posse, sed necessariò in obiectum essentialis talis interni actus debere transire, non quidem semper volitum per actum ipsum, sed vel volitum, vel connotatum essentialiter, iuxta doctrinam vniuersalem de modis volendi vnum obiectum prout connotans alterum superiùs traditam disput. 32. quæst. 5. Cuius doctrinæ ratio est. Quia iuxta doctrinam statutam propos. 25. vt actus internus sit honestus secundùm aliquam virtutem, ipsius virtutis finem debet habere pro motiuo, & consequenter cuncta, quæ talem finem constituunt, intrinsecè, & essentialiter respicere siue respectu volitionis, siue respectu connotationis: cùm tamen eorum aliqua actus externi, in quem internus efficaciter tendit, circunstantiæ accidentales existere possint. E. g. respectu collationis peccuniæ paupertas, siue miseria Petri, cui confertur, circunstantia accidentalis est; quæ tamen essentialiter est requisita, vt ipsa collatio peccuniæ euadat subleuatio miseriæ Petri; quo pacto est finis virtutis misericordiæ. Cùm ergo ad hoc, vt volitio efficax de tali collatione peccuniæ euadat actus virtutis misericordiæ, necessarium sit, quòd tendat in illam prout est subleuatio miseriæ Petri, & consequenter quod respiciat suapte essentiâ ipsam miseriam Petri respectu saltem connotationis, vti reuerà respicit; conficitur, miseriam Petri respectu talis volitionis circunstantiam accidentalem esse non posse, sed quid intrinsecè constituens obiectum illius essentiale debere esse.

Dico secundò, circunstantiam constituentem actum externum in ratione finis alicuius vitij, eique proinde præbentem turpitudinem talis vitij sæpe manere circunstantiam etiam respectu actus interni per se præcisè considerati, ipsumque vt sic vitiare pariter eiusdem vitij turpitudine. Quia iuxta doctrinam traditam etiam propos. 25. vt actus internus sit turpis intra aliquod vitium, neque ex motiuo turpitudinis, neque ex fine vitij, ad quod ea pertinet, debet procedere. Sæpeque proinde actus internus, habendo vnicè pro obiecto solam substantiam actus ex interni, ab eadem circunstantiâ prout cognitâ, à qua actus externus, & ipse quoque inficitur semiextrinsecè; eaque proinde tam actus interni, quàm externi remanet circunstantia accessoria. E. g. cùm quis accedens ad coniugatam vult externum actum præcisè propter eius delectationem, prænoscitque cognitione merè concomitante circunstantiam coniugij, ab ipsâ tanquam ab accidente sibi accessorio tum actus externus, tum internus induunt malitiam iniustitiæ, sine qua proinde vterque ijdem quoad totam suam substantiam possent existere, tali circunstantiâ, taliue eius cognitione non existentibus. 173

Loquutus sum autem in istâ assertione de actu interno per se præcisè considerato, quo pacto volitio est formalis de solâ substantiâ actus externi. Si enim loquamur de actu interno prout coniuncto cum cognitione de circunstantiâ, deque malitiâ ex illâ oriundâ actus externi, aut etiam cum obligatione talem malitiam euitandi, quo pacto actus internus volitio indirecta, siue interpretatiua malitiæ actus externi censetur esse; tunc respectu actus interni vt sic circunstantia actus externi ipsi talem malitiam præbens non iam circunstantia, sed obiectum, interpretatiuum tamen, siue indirectum dici poterit. Qua ratione fortasse possunt exponi multi eorum, qui vniuersaliter docent, omnem circunstantiam siue honestantem, siue inficientem actum externum transire in obiectum comparatione actus interni. 174

Addo, actum internum voluntatis ratione sui, independenterque ab actu externo posse per aliquam circunstantiam sibi accessoriam reddi aut malum, aut bonum moraliter. Si quis enim votum faciat de aliquo suo actu interno non eliciendo, talis actus à tali voto tanquam à circunstantiâ sibi accessoriâ illicitus, atque adeo malus reddetur malitiâ contra Religionem. Si vero è contra de aliquo actu suo interno eliciendo quis faciat votum, talis actus per tale votum tanquam per circunstantiam sibi accessoriam reddetur honestus honestate Religionis; tametsi non per illud solum, sed insuper per volitionem reflexam implendi ipsum votum per actum ipsum, iuxta doctrinam propos. 25. Quod non interest ad rem. 175

Pergo, & dico deinde ex sententiâ communi, circunstantiarum alias esse, quæ præbent actibus primam eorum malitiam, aut bonitatem; alias, quæ supra malitiam, aut bonitatem, 176

quam iam actus aliunde habent, nouam eis addunt specie diuersam ab illa; alias, quæ malitiam, aut bonitatem actuum intra eamdem ipsius speciem augent. Primarum exempla sint finis malus appositus actui alias bono, vel actui aliàs indifferenti, (si talis detur); vt, si quis det eleemosynam propter inanem gloriam, vel è domo transeat in forum, vt occidat hominem; sicque eleemosynæ aliàs bonæ, transituique aliàs indifferenti primam malitiam tribuat: aut è domo transeat in forum, vt succurat misero; sicque transitui aliàs indifferenti (vt ponitur) primam det bonitatem. Secundarum autem exempla sint. Cùm quis accedit ad coniugatam; sicque malitiæ fornicationis adiungit malitiam iniustitiæ specie diuersam: aut dat eleemosynam Parenti pauperi; sicque bonitati misericordiæ adiungit bonitatem pietatis specie diuersam. Tertiarum denique exempla sunt circunstantiæ magnitudinis, & paruitatis, siue maioritatis, & minoritatis in ijs, quæ quantitatem aliquam habent: iuxta quas, qui pecuniæ summam maiorem furatur, cùm posset minorem, malitiam iniustitiæ censetur augere intra eamdem speciem; &, qui pecuniæ summam maiorem largitur pauperi, cùm posset minorem, bonitatem misericordiæ censetur augere intra eamdem speciem.

177 Addit ad rem Vazq. 1.2. disput. 53. cap. 2. quando id, quod aliàs est circunstantia, tribuit actui primam malitiam, transire in eius obiectum, siue substantiam: quia primo constituit actum in esse moris; neque ipsi prout morali accidit, vt oportebat ad hoc, vt circunstantia ipsius remaneret. Sed verò hic solùm potest esse quæstio de nomine. An scilicet dicendum sit circunstantia actus, quidquid accidit substantiæ physicæ eius, an id dumtaxat, quod accidit substantiæ eius morali. Videturque primus dicendi modus aptior, & fors communior, iuxta quem, quod tribuit actui primam malitiam, benè potest retinere conceptum circunstantiæ, vt constat. Adde, quod actui alioquin bono tribuit primam malitiam, eius substantiæ etiam morali constituræ per bonitatem accedere. Ergo, tametsi destruat illam, non penitus demeretur circunstantiæ nomen, adhuc eius acceptione retentâ, quam Vazq. sequitur.

Propositio 29.

178 Idem actus externus de bono in malum, & de malo in bonum transire potest. Atque etiam idem internus, qua ratione per diuisibile tempus potest durare.

In primâ parte propositionis Theologi conueniunt communiter. Secundam verò alij affirmant; & alij negant. Prima autem inde probanda venit: quia, vt ex dictis propos. 3. constat, actibus externis plerunque saltem est accidentalis tum bonitas, tum malitia moralis: atque ita nihil obstare potest, quominùs idem actus externus per tempus aliquod diuisibile perseuerans alterutram earum amittere, & alteram acquirere possit; sicque ab alterutrâ in alteram successu temporis transire. E. g. assistit quis ægrotanti eâdem continuatâ præsentiâ per vnam horam ex affectu aut beneuolentiæ, aut misericordiæ, quæ assistentia in primo horæ quadrante honesta est; quia nihil est, quod vitiet illam; in secundo verò quadrante; quia vrget præceptum audiendi missam, ab incompatibilitate cum eius adimpletione redditur mala: in quarto autem; quia tempus missarum iam transiuit, præceptique obligatio cessauit, rursus honesta redditur: eademque subinde præsentia primò de bonâ in malam, secundò de malâ in bonam transit successu temporis.

Cæterùm, quia actus externus per tempus diuisibile durans aut potest esse permanens, 179
vt præsentia in eodem loco; aut potest esse successiuus, vt motus localis; bifariam potest, & solet dici actus externus perseuerare idem per tempus successiuum, entitatiuè scilicet, si sit permanens; continuatiuè autem dumtaxat, si sit successiuus. Præsentia quippe in eodem loco durans per horam eadem entitatiuè est in primo quadrante, & in reliquis; tametsi per distinctas durationes eis correspondeat: motus verò localis durans per horam dumtaxat est idem continuatiuè in primo quadrante, & in reliquis; quatenus scilicet partes entitatiuè distinctæ, ex quibus coalescit, distinctis partibus temporis correspondentes continuò sibi succedunt intra integram horam. Quòd si actus externus perseuerans entitatiuè idem per horam nunc bonus, nunc malus, nunc iterum bonus esse potest penes eamdem sui entitatem, vti euenit in exemplo posito; consequens est, vt & actus externus perseuerans per horam idem tantùm continuatiuè, nunc bonus, nunc malus, nunc iterum bonus esse possit penes distinctas partes sui.

Imo hoc secundum multò certius putabit 180
aliquis esse, quàm illud primum: quia multo facilius videtur, quod ex distinctis partibus actus compositi successiuè fluentibus prima sit bona, secunda mala, & tertia bona; quàm, quòd totus idem actus simplex nunc bonus, nunc malus, & nunc iterum bonus sit. Verùm enim verò rem penitiùs considerata eadem ferme, quod ad rem attinet, est in vtroque actu seu facilitas, seu difficultas. Nam, vt ex doctrinâ tradita disput. 30. quæst. 14 notum est, non solùm actus successiuus, sed etiam permanens liberè continuatus per horam diuinctas libertates, atque adeò etiam distinctas moralitates sortitur in singulis partibus horæ, vtpote ad quas vtrasque intrinsecè pertinent distinctæ durationes tum voluntatis, tum ipsius actus distinctis partibus horæ correspondentes. Vnde & subiecta ipsa tum libertatis, tum moralitatis in singulis partibus horæ sunt distincta inter se: quia actus nec liber, nec rationi consonus, aut dissonus est in singulis partibus horæ, nisi prout in eis durans; vt sic autem eadem entitas actus cum durationibus distinctis distincta subiecta tum libertatis, tum moralitatis constituit. Ex quibus patet, quod ad rem attinet, nihil ferme interesse, quòd actus externi, de quibus pars prima propositionis agit, sint permanentes, aut successiui.

Hinc gradum facio ad explicandam, proban- 181
damque secundam agentem de internis. Pro explicatione autem suppono doctrinam iam alias supra suppositam dictâ quæst. 14. disput. 30. atque in locis citatis ibi, vbi eam tradidi. Nempe, plerosque saltem actus voluntatis creatæ (de qua hic solùm agimus) instantaneos esse suapte essentiâ, nec vltra primum instans suæ existentiæ durare posse eosdem entitatiuè: estò possint per tem-

tempus diuisibile durare ijdem continuatiuè ad instar motuum successiuorum, productis scilicet in singulis instantibus temporis nouis, distinctisque actibus quasi partialibus componentibus vnum quasi totalem suapte essentia successiuum, talique tempori alligatum. Quoniam vero perinde est ad præsens propositum, prout dictum est, quòd actus per tempus diuisibile durans sit permanens, sicque idem entitatiuè penes distinctas sui durationes distinctis partibus talis temporis correspondeat; atque, quòd successiuus sit, sicque idem tantùm continuatiuè correspondeat talis temporis partibus penes distinctas partes sui; idcirco, præscindendo à diuersis sententijs de duobus hisce diuersis modis continuationis, dixi in secundâ parte propositionis, posse eumdem actum internum transire de bono in malum, & de malo in bonum, quaratione per diuisibile tempus potest durare.

182 Quæ pars cum tali præcisione intellecta eodem prorsus modo, ac prima probatur. Quia nimirum, vt in eadem propos.3. statutum est, actibus item internis voluntatis creatæ plerunque saltem est accidentalis tum bonitas, tum malitia moralis: atque ita nihil obstare potest, quominùs idem actus internus per tempus aliquod diuisibile perseuerans quouis ex dictis duobus modis alterutram earum amittere, & alteram acquirere possit; sicque ab alterutrâ ad alteram successu temporis transire. Id qood in adducto exemplo cernitur pariter. Quandoquidem, si volitio interna seu beneuolentiæ, seu misericordiæ illius assistentis ægroto per illam horam continuaretur quouis ex dictis duobus modis, vt citra dubium posset, in primo quadrante bona esset, in secundo autem mala, vtpote vnà cum effectu suo prohibita, & ab illo vitiata, & in quarto iterum bona; atque ita de bonâ in malam, & de malâ in bonam transiens intra horam ipsam.

183 Quòd si actus tam internus, quàm externus de bono in malum, & de malo in bonum successu temporis transire potest; multò meliùs ob eandem rationem actus, qui in hoc tempore est bonus, in eodem potuit esse malus, & qui malus est, potuit esse bonus. De quo, suppositis dictis, nullum est dubium.

184 Quamquam verò plerique actus creaturæ rationalis tum interni, tum externi accidentaliter esse possint vel boni, vel mali moraliter, siue in diuersis temporibus, siue in eodem. Certum tamen imprimis est apud omnes Theologos, esse aliquos actus tum internos, tum externos ita essentialiter malos, vt nullatenus possint reddi boni. Internos quidem, vt odium Dei, infidelitas, & similes. Externos autem, vt mendacium, blasfemia, & alij. Cuius ratio est, quia huiusmodi actuum dissonantia, seu malitia moralis in solâ eorum substantiâ, siue essentiâ physicâ fundatur; ideoque ita illis annexa est, vt per nullam circunstantiam seu positiuam, seu negatiuam diuelli ab eis possit. Non tamen adeò certum est, an sint vice versâ aliqui actus saltem interni ita essentialiter honesti, seu boni moraliter, vt nullatenus possint vitiari, seu reddi mali. Nam, si qui sunt tales, maximè actus charitatis Dei super omnia, aut etiam actus fidei, & spei, alijque supernaturales. De his autem etsi communis Theologorum sententia sit, vitiari non posse, vt tenet Vazq. 1.2. disput.53.cap.4. Scot. verò, Salas, & alij, quos refert, & sequitur Carleton disput.92. cap.4. censent, venialiter saltem vitiari posse. Ego verò pro sententiâ communi esto. Quia excellentia actuum supernaturalium, præsertim virtutum Theologicarum, omni malitiæ morali videtur esse omnino opposita: sicut excellentia fidei supernaturalis omnino est opposita falsitati. Vnde dicendum arbitror; sicut habitus infusus fidei ad actum fidei supernaturalem concurrere nequit in casu, in quo ille, si eliceretur, esset falsus: ob idque in tali casu elicitur actus naturalis, vt communis sententia fert; ita habitus infusos fidei, spei, & charitatis ad actus supernaturales concurrere non posse in casibus, in quibus illi, si elicerentur, essent moraliter: mali ob idque in talibus casibus elici actus naturales.

Adiungo huic propositioni ex communi Doctorum, nullatenus posse eumdem actum moralem respectu eiusdem agentis esse reipsâ simul bonum, & malum moraliter; tametsi ex conscientia erronea imputatiuè, & formaliter bonus simul, & malus possit idem actus euadere, prout supra propos. 15. probatum, atque explicatum est. Cùm enim iuxta D. Dionysium receptum ab omnibus cap.4. de Diuin. nomin. bonum ex integrâ causâ, malum autem ex quouis defectu consurgat, prorsus repugnat, esse aliquid simpliciter, & absolutè bonum, & ferre nihilominùs secum mixtam rationem mali. Vnde nonnulli in oppositum contendentes, posse aliquem actum esse simul bonum ex obiecto, & malum ex fine, aut ex aliâ circunstantiâ, vel è conuersò, proprio conceptu, & vocabulo boni abutuntur. Quòd si nihilominùs velint, vt talis actus bonus saltem secundùm quid, & malus secundùm quid dicatur, non erit cum eis multum contendendum: cùm ad solum ferme loquendi modum contentio reducatur. Loquutus sum autem de eodem actu respetu eiusdem agentis. Quia, si idem actus à duobus agentibus liberis simul procedat, benè poterit esse simul bonus respectu vnius, & malus respectu alterius. Quo pacto quoties homo peccat, & Deus ad eamdem actionem simul cum eo titulo causæ primæ concurrit, talis actio prout à Deo honestissima est, quamuis sit prout ab homine turpis, & mala. 185

Propositio 30.

Qualiter actus internus, & externus inter se comparentur quoad bonitatem, & malitiam moralem, exponere. 186

Sermo est de actu interno efficaci, cuius externus effectus est. Circa quos primò discutitur à Doctoribus, (nec parum implexè à plerisque), in quonam eorum primariò resideat bonitas, aut malitia moralis. Suntque tres sententiæ præcipuæ. Prima asserentium tam bonitatem, quàm malitiam primariò, & intrinsecè conuenire actui interno voluntatis, ex eoque ad externum potentiæ subditæ secundariò, & extrinsecè deriuari. Ita tenent multi apud Vazq. 1. 2. disput.73.cap.1. quibus consentiunt Salas tract.7. disput.6.Coninc. de Actib. human. disput.3. dub.5. & alij. Secunda sententia extremè opposita est, tam bonitatem, quàm malitiam primariò residere in actu externo, indeque ad internum refundi. Tertia sententia media est, malitiam ex obie-

obiecto, & circunstantijs desumptam primariò in actu externo reperiri, & inde in internum deriuari; idemque esse de malitia proueniente ex fine, quando hic est actus externus operantis: bonitatem vero è conuersò semper conuenire primariò actui interno, & secundariò externo; idemque esse de malitia ex fine, quando hic non est actus operantis. Ita Vazq. disput. 73. citatâ à cap. 5. & alij eum sequuti. Arriaga verò disp. 16. sect. 3. Carleton disput. 96. sect. 2 & 3. & alij variè difficultatem hanc decidunt, vt apud ipsos videri potest.

187 Ego, vt clariùs, &, me quidem iudice, veriùs explicem illam, suppono primò ex iamdictis supra propos. 2. & 4. actum internum, & externum, de quibus agitur, duas sibi proprias moralitates materiales numericè distinctas habere: quia vnusquisque eorum per se, & ratione sui est consonus, vel dissonus naturæ rationali propriâ, peculiarique consonantiâ, vel dissonantiâ. Quod adeò verum est, vt etiam, quando bonitas actus externi per actum internum completur tanquam per vnum ex suis constitutiuis intrinsecis, (vti completur solutio externa debiti per volitionem compensatiuam, retributio externa beneficij per volitionem gratificatiuam, & externa eleemosyna per volitionem misericordem iuxta doctrinam traditam supra propos. 25.) talis bonitas propria ipsius actus externi est, ipsumque vt proprium subiectum reddit bonum; tametsi per actum internum vt per vnum ex cæteris suis fundamentis constituatur; alteramque ipse actus internus bonitatem sibi propriam habet. Nec enim eadem, sed distinctis consonantijs sunt rationi consona, dare eleemosynam, & velle illam dare; aut soluere debitum, & velle illud soluere. Imo verò bonitas etiam, aut malitia prouenies actui externo à fine, in quem ordinatur, siue ab ordinatione in illum, propria ipsius actus externi est æquè, ac cæteræ, quæ ei prouenium ab alijs circunstantijs, aliamque distinctam numericè, & sibi propriam habet ipsa interna ordinatio: quia non eadem, sed distinctis dissonantijs est dissonum dare eleemosynam propter inanem gloriam, & velle obtinere inanem gloriam media eleemosynâ. Cuius vniuersalis doctrinæ ratio à priori conspicua est. Quia, cùm eiusmodi moralitates sint quædam denominationes, quarum potissimum fundamentum est subiectum denominatum, euidenter est impossibile, vt illæ non sint inter se distinctæ, quando subiecta denominata sunt distincta inter se.

188 Suppono secundò doctrinam iam etiam traditam dictâ propos. 4. num. 18. Nempe volentem liberè, & efficaciter actum externum cum præscientiâ de bonitate, vel malitiâ eius, ita talem bonitatem, vel malitiam volitione suâ liberè amplecti, vt per hanc illa libera ipsi, & imputabilis ad laudem, vel ad vituperium euadat; ipseque subinde, dum talem volitionem elicit, iam tum per illam tali bonitate, vel malitiâ benè, vel malè imputatiuè dicatur operari. Quo iure bonitas ipsa, vel malitia propria actus externi conueniens ipsi reuerà veluti intrinsecè in volitione internâ, & efficaci eius dicitur esse imputatiuè, & quasi extrinsecè, cùm primum hæc cum dictâ præscientiâ elicitur à voluntate; siue sequatur post actus externus, siue secus. Recognoscantur alia ad rem dicta loco citato.

189 Hæc cùm ita sint de re ipsâ, iam circa difficultatem propositam maius dissidium superesse non potest, quàm de solo modo loquendi. Aio igitur primò, tam bonitatem, quam malitiam propriam actus externi eatenus dici posse primariò ipsi actui externo, & secundariò actui interno conuenire; quatenus in actu externo tanquam in proprio subiecto concipitur residere quasi intrinsecè, & physicè: actui verò interno tanquam alieno subiecto conuenit tantùm putatiuè, atque adeò veluti extrinsecè, & quodammodò intentionaliter. Secundò tamen nihilominùs aio, tam bonitatem, quàm malitiam propriam actus externi in alio sensu dici posse primariò in actu interno reperiri, & secundariò in ipso actu externo: quia actus internus, vtpote causa externi priùs, quàm ipse externus, existit semper prioritate causalitatis, & sæpe etiam prioritate temporis; atque adeo tam bonitas, quàm malitia propria actus externi, qua ratione in actu interno imputatiuè est, priùs in hoc, siue primariò, quàm in illo, est. Tertiò aio, bonitatem, aut malitiam propriam actus interni in hoc solo reperiri, ipsiue soli conuenire tanquam proprio subiecto, neque vllum titulum adesse, cur ea dicatur communicari actui externo: quia actus externus à solâ propria bonitate, vel malitiâ denominatur bonus, vel malus, non item à bonitate, vel malitiâ propriâ actus interni. Tametsi sæpe propria bonitas, aut etiam malitia actus externi per ipsum actum internum constituatur tanquam per vnum ex fundamentis, ex quibus coalescit, iuxta dicta num. 187.

Tria ad noto, quæ iam in præcedentibus tacta sunt. Primum. Bonitatem, aut malitiam actus interni sæpe non esse imputabilem operanti, quando imputabilis ipsi est bonitas, aut malitia actus externi: quia sæpe illa ex defectu cognitionis de se non est operanti libera, quando hæc, vtpote in actu externo cognita, libera ipsi est. Vtramque enim debere ab operante cognosci, vt vtraque libera ipsi, & imputabilis euadat, ex dictis propos. 4. & sequentibus conspicuum est. Secundum. Bonitatem, aut malitiam actus externi sæpe esse imputatiuè in actu interno, quando nullatenus datur in actu externo: & hoc bitariam; vel quia post elicitum actum internum externus non sequitur, sed eius existentia impeditur: vel quia hic reuerà talem bonitatem, aut malitiam non habet, sed ei annexa falsò ab operante concipitur per conscientiam erroneam. Ob id dixi num. 189. eam bonitatem, aut malitiam actus externi imputatiuè conuenire actui interno, quæ in actu externo tanquam in proprio subiecto concipitur residere; vt innuerem, semper id esse verum, siue reuerà resideat in illo, vti concipitur, siue secus. Tertium. Etsi bonitates, aut malitiæ propriæ actus interni, & externi distinctæ inter se sint numericè, aut etiam specificè in esse physico: eas tamen in esse morali eiusdem speciei esse: atque ita ex ambabus vnam bonitatem, aut malitiam coalescere maiorem extensiue singulis. Vnde fit, vt, cùm operans vtramque aduertens vtramque reddit sibi liberam, & imputabilem, meliùs, aut peiùs extensiuè operetur imputatiuè, & formaliter, quàm, cùm aduertit alteram tantùm.

Ex his facillimè se dat ratio sententiæ Theologorum communis circa aliud punctum, quod hic discuti solet. Num scilicet actus externus exequutioni mandatus aliquid addat actui interno bonitatis, aut malitiæ imputabilis, atque adeò meriti, vel demeriti; vel prorsus addat nihil.

Pro

Pro hac quippe parte secundâ stant Theologi communiter. Eiusque ratio facillimè deriuatur ex dictis. Cum enim tota bonitas, aut malitia actus ex interni liberè amplexa iam ab operante, & ipsi imputata sit per actum internum; quando accedit actus externus, nec accedit quidpiam denuò imputandum, vt constat; nec iam imputati accedit imputatio noua: eo quòd actus externus nullam nouam fert secum libertatem, sine qua nulla addi potest noua imputatio, vt etiam constat. Verum quidem est, ex positione actus externi occasionaliter, & per accidens maiorem imputationem bonitatis, vel malitiæ, maiusque meritum, vel demeritum resultare posse; sed cuius additamentum neutiquam per actum externum præbeatur, sed tantùm per actum internum. Id quod potest euenire dupliciter. Primò, si occasione exequutionis actus externi crescat bonitas, aut malitia propria actus interni; eo quòd hic vel intenditur magis, vel diutiùs durat, vel repetitur; quæ maior bonitas, aut malitia cognita, & imputata augebit meritum, aut demeritum. Secundò si occasione exequutionis actus externi crescat libertas actus interni de ipsâ bonitate, aut malitiâ externi: quo etiam casu crescet meritum, & demeritum; vtpote quod non solum fit maius per augmentum bonitatis, aut malitiæ, stante æquali libertate, sed etiam per augmentum libertatis, stante æquali, vel eâdem bonitate, aut malitiâ. Ex quibus iam facillimè item ab vnoquoque dilui poterunt, quæ contra istam certam, communemque Theologorum doctrinam solent opponi.

Propositio 31.

192 Qualiter pura omissio libera possit, aut non possit honesta esse, determinare.

Esse possibilem puram omissionem liberam in creaturis rationalibus, statui, & latè probaui supra disput.30. quæst.7. Esse item possibilem in Deo, statui similiter, latèque probaui disput. 31. quæst.5. Quibus in locis plures retuli Auctores tam ex negantibus, quàm ex asserentibus, illam esse possibilem. Ex quibus omnes negantes consequenter negant possibilitatem honestatis eius. Cùm tamen ex asserentibus alij affirment, & alij negent. Affirmat possibilem honestatem puræ omissionis in creaturis cum alijs à se relatis, & latè probat Ripalda disput.70. de Ente supernat. Affirmat etiam Ruiz tom. de Prouiden. disput.37.sect.1. Et consentire videtur Quiedo controuer.10.de Animâ punct.1.num.59. Pro parte verò negatiuâ stant Arriaga disput.8.de Anima sect.6. Carleton disput.26. de Animâ, & tom.1.Theolog. disput.126.sect.7. & alij. In Deo autem puram omissionem posse aut non esse honestam, aut esse, dictâ quæst.5.disput.31.arbitratus sum: ampliùsque in præsenti explicabo, postquam, quid censeam de purâ omissione creaturarum, protulerim.

193 Pro quo suppono primò consentaneè ad dicta iam supra circa propositionem 25. finem proprium vniuscuiusque virtutis actum ipsius virtutis esse; qui plerunque est actus externus, hoc est, alterius potentiæ distinctæ à voluntate, & ipsi subiectæ; interdum verò est actus ipsius voluntatis, vt in virtutibus spei, timoris, charitatis, beneuolentiæ, &c. Plerunque item actus externus, in quo consistit finis virtutis, alicuius est causatiuus, siue causatio, quod non est actus operantis, sed vel res quædam, vel actus alterius causæ, ad actumque virtutis comparatur vt terminus, siue vt effectus eius; vti in virtute iustitiæ æqualitas dati, & accepti; in virtute misericordiæ subleuatio miseriæ; in virtute religionis honor Dei, &c. qui quidem terminus, siue effectus actus, in quo finis virtutis propriè consistit, etiam dici solet finis eius, tametsi minùs propriè, prout notauimus propositione 25. citatâ. Quomodò autem actus, qui vt media assumuntur causatiua finis virtutis proximè, vel remotè, eorumque electiones actus quoque sint eiusdem virtutis veluti secundarij, vtpote honesti ipsius honestate, ex dictis propositione 27. constat.

Suppono secundò, virtutes non semper 194
præcipere suos actus, sed aliquando tantùm consulere. Et quando præcipiunt quidem, eorum omissiones malæ sunt; quia prohibitæ: quando verò tantùm consulunt, eorum omissiones malæ non sunt; quia non prohibitæ: vnde nec tunc pertinent illæ ad fines vitiorum, quæ talibus virtutibus sunt oppositæ: quia finis vitij semper est malus; sicut finis virtutis semper est bonus. Pro quo scire opus est, finem virtutis ex duobus semper altero positiuo, & altero negatiuo conflari, nempe ex actu positiuo ipsius virtutis, & ex omissione actus vitij sibi oppositi: finem autem vitij, etsi sæpe etiam confletur ex duobus, ex actu scilicet positiuo ipsius vitij, & ex omissione actus virtutis sibi oppositæ: aliquando tamen in solo actu eius positiuo consistere: tunc scilicet, quando virtus opposita non præcipit, sed tantùm consulit suum actum, atque adeò nec eius omissionem prohibet. E. g. finis iustitiæ semper ex ipsius actu, & ex omissione actus iniustitiæ coalescit: similiterque finis iniustitiæ ex ipsius actu, & ex omissione actus iustitiæ semper componitur; eo quòd iustitia semper, præcipiendo suum actum, prohibet eius omissionem; hæcque proinde semper, vtpote mala, ad finem pertinet iniustitiæ. Finis verò misericordiæ ex ipsius actu, & ex omissione actus immisericordiæ coalescit semper: quia misericordia semper prohibet actum immisericordiæ, ponendi scilicet positiuè miseriam proximi, eiusque subinde semper præcipit omissionem; semperque intendit actum proprium subleuandi scilicet ipsam miseriam, vel præcipiendo, vel consulendo ipsum. At verò finis immisericordiæ tunc tantùm ex actu ipsius, & ex omissione actus misericordiæ componitur, quando actus misericordiæ præceptus est: quando enim est tantùm consultus, eius omissio ad vitium immisericordiæ non pertinet: atque ita tunc huius finis in solo eius actu positiuo consistit, qui semper prohibitus est.

Suppono tertiò ex dictis generatim tom.1. 195
disput.15.quæst.7.& 11. sequentia principia. 1. Negatio mali, per se loquendo, semper est bona: quia per se, & de suo est semper bonum, quòd deficiat malum. 2. Negatio boni debiti per se, & de suo semper est mala: quia defectus boni debiti per se, & de suo semper indebitus, atque adeò malus est. 3. Negatio boni non debiti neque per se mala est; quia non est per se indebita: neque per se bona est; quia non est, cur sit per se bonus defectus boni. Est tamen in his principijs sermo dumtaxat de bono, & ma-

lo

lo per se, & formali prout condistincto à merè causatiuo; quod per se, & formaliter non est bonum, aut malum, sed tale dicitur: quia causatiuum illius est, vtileve ad ponendum illud, prout fusiùs expositum est disput. citatâ. Ex his principijs ibi latè probatis totidem conclusiones ad nostrum propositum veniunt in præsenti inferendæ, loquendo pariter imprimis de bono, & malo morali per se prout condistincto à causatiuo; deindeque etiam de causatiuo. Quæ quidem sigillatim sunt proponendæ, atque probandæ, prout sequitur.

196 Dico itaque primò, puram omissionem liberam actus mali, qui est finis vitij, vt actus furandi, honestate virtutis oppositæ honestam esse per se, & de suo, independenterque ab omni alio fine. Hanc assertionem probat haud dubiè (quidquid contradicant Aduersarij) locus ille Ecclesiastici 31. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit: ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Laudatur enim his verbis in Iusto satis clarè tanquam honesta, imo & digna præmio pura omissio actus mali; siquidem *non transgredi, & non facere*, quod solùm laudatur, aperte est pura omissio actus, nihil penitus positiuum habens admixtum, siue inclusum in suo conceptu obiectiuo, vt patet.

197 Deinde probat eam satis petspicua ratio. Quia nimirum pura omissio libera actus mali, qui est finis vitij, pars finis virtutis oppositæ est iuxta suppositionem secundam: atque ita, qui ponit eam liberè, finem virtutis liberè ponit. Sed ponere liberè finem virtutis independenter ab omni alio fine, interpretatiuè saltem est intendere illum, vt cernitur in ponente liberè actum charitatis, iuxta ea quæ dicebamus propos. 25. num. 156. Ergo ponere liberè dictam omissionem independenter ab omni alio fine, interpretatiuè saltem est operari ex fine virtutis: atque adeò honestè honestate ipsius virtutis iuxta doctrinam communem statutam dicta propos. 25.

198 Præterea probat eamdem assertionem alia ratio desumpta ex principio primo suppositione tertia suppositio. Si enim iuxta illud vniuersaliter est semper bona per se, & de suo negatio mali: consequenter erit per se, & de suo bona moraliter negatio mali moralis. At talis est omissio actus mali, de qua tractamus. Igitur est per se, & de suo bona moraliter.

199 Hinc sequitur adnotandum primò, vt talis omissio honesta sit, ex nullo alio motiuo honesto à se distincto debere procedere; sed satis esse, quòd amplectatur à voluntate propter se ipsam, vti pars altera positiua finis virtutis amplectitur propter se ipsam. Vnde, sicut voluntas, amplectendo liberè solutionem debiti propter ipsam, seu propter eius physicam bonitatem, & præuidendo honestatem eius materialem, hanc reddit sibi imputabilem, atque adeò formalem. Ita eadem voluntas, amplectendo libere omissionem actus furandi propter ipsam, seu propter eius negatiuam bonitatem veluti physicam, & præuidendo honestatem eius materialem, hanc sibi similiter reddit imputabilem, & formalem.

200 Secundò sequitur adnotandum; sicut volitio efficax soluendi debitum honesta est honestate iustitiæ; quia tendit in solutionem debiti, ipsamque causat; ita quoque omissionem puram volitionis efficacis furandi honestam esse honestate iustitiæ; quia tendit in omissionem puram actus furandi, ipsamque causat modo suo.

201 Tertiò; sicut solutio debiti ad alium nihilominùs finem extrinsecum ordinari potest: qui, si sit bonus, nouam ipsi præbebit honestatem; si verò sit malus, ipsam vitiabit, & reddet malam; sic omissionem puram actus furandi ex alio nihilominùs fine, siue motiuo extrinseco procedere posse; quod, si sit bonum, nouam præbebit ei honestatem; si verò sit malum, ipsam inficiet, & malam reddet. Posse quippe omissionem puram ex motiuo extrinseco procedere; & quando, qualiterque procedat ex illo, supra disput. 30. quæst. 7. à num. 279. & iterum quæst. 12. à num. 621. statutum, atque explicatum est.

202 Dico secundò, puram omissionem liberam actus mali, qui medium est ad finem vitij, vt actus eundi in templum ad ibi furandum, honestate virtutis oppositæ per se, & sic suo honestam non esse, fore tamen talem, si ex fine ipsius virtutis procedat, vt potest. Prima pars huius assertionis inde constat: quia talis pura omissio non est finis talis virtutis, prout opus erat, vt eius honestatem haberet per se, & de suo, iuxta dicta circa assertionem primam: sed tantùm est medium vtile ad talem finem. Hinc autem sequitur pars secunda: quia medium vtile ad finem virtutis tunc huius induit honestatem, cùm procedit ex illo, iuxta doctrinam stabilitam propos. 27. Quòd autem dicta omissio ex fine dictæ virtutis possit procedere, quæ pars est tertia, constat ex generali doctrina de motiuis puræ omissionis tradita locis citatis num. 201. Procedet enim de facto in exemplo dato, si ita dispositus homo sit, vt censeatur non ire in templum, ne ibi furetur. Quod autem dicta omissio ex alijs in super motiuis extrinsecis aut honestari, aut vitiari possit, constat ex dictis eodem num. 201.

203 Dico tertiò, puram omissionem liberam cuiusuis actus præcepti à quauis virtute semper esse turpem, seu malam moraliter malitia vitij oppositi. Quia semper est eo ipso à tali virtute prohibita. De quo nullum est dubium.

204 Dico quartò, puram omissionem liberam actus honesti non præcepti per se & de suo malam moraliter non esse. Posse tamen à motiuo extrinseco reddi malam moraliter. Primum constat: quia per se non est prohibita eo ipso, quòd actus contradictorius eius non est præceptus; & omne malum moraliter prohibitum est. Secundum constat: quia iuxta iam dicta potest ex malo fine procedere; & omne procedens ex malo fine non potest non participare malitiam eius.

205 Dico quintò, puram omissionem liberam actus honesti non præcepti per se, & de suo bonam moraliter non esse. Posse tamen à motiuo extrinseco reddi bonam moraliter. Redderur verò talis tunc solùm, quando bonitas à motiuo extrinseco participanda maior de suo sit, quàm bonitas actus omissi: & tunc item tantùm redditur bona quoad talis bonitatis excessum. Quæ cuncta vt clarè comprobem, suppono primò vt prorsus certum, & notissimum, libertatem voluntatis ad eligendum inter actum, & omissionem eius puræ electionis esse: quia vtrumque extremum nec simul amplecti, nec simul reliquere potest. Secundò suppono ex doctrinâ communi supra statutâ propos. 18. libertatem puræ electio-

electionis inter extrema quoad bonitatem, vel quoad malitiam æqualia ad eorum moralem imputationem ineptam esse: si verò extrema sint inæqualia, tunc aptam esse ad imputationem extremi vel magis boni, vel magis mali; sed quoad excessum dumtaxat, quo excedit alterum in bonitate, vel malitiâ.

306 His positis prima pars assertionis probatur. Quia, cùm iuxta principium tertium statutum suppositione tertiâ necunde posit per se, & de suo bunus esse defectus boni: necunde poterit omissio actus boni per se, & de suo, vt pote quidam defectus boni, esse bona. Sed estò ea vt sic aliquâ bonitate esset bona; cùm euidens sit, non posse talem benitatem esse maiorem bonitate actus oppositi; (quia euidens est, non posse esse melius per se, deficere bonitatem, quàm esse); perinde se se haberet omnino, ac si nullâ bonitate bona esset: eo quòd talis bonitas per libertatem puræ electionis, quam solam habet, nullatenus ei imputabilis reddi posset, iuxta factas suppositiones.

307 Ex quibus aliæ assertionis partes suo ordine probandæ veniunt. Et primùm, quòd bonitas dictæ omissionis ab extrinseco motiuo participata nullatenus ei sit imputabilis; quando illa est æqualis bonitati actus oppositi, aut minor ipsâ. Quia in his duobus casibus libertas puræ electionis, quæ sola est possibilis inter omissionem, & actum, ad talem imputationem inepta est. Quòd verò bonitas dictæ omissionis ab extrinseco motiuo participata, quando maior ea est bonitate actus oppositi, illi quidem sit imputabilis, sed tantùm quoad excessum. Quia in tali casu libertas puræ electionis possibilis inter omissionem, & actum ad imputationem quidem illius excessus bonitatis apta est; ad inputationem verò residuæ bonitatis nequaquam, prout dicta propos. 18. mostratum est. Vnde patet, in duobus casibus prioribus bonitatem materialem, quam ab extrinseco motiuo participat omissio, perinde se habere ad propositum, ac si nulla esset; cùm, eam imputabilem, atque adeò formalem reddi, prorsus sit impossibile. Itertio autem casu tantumdem esse de residuo bonitatis, præter excessum.

308 Quòd autem omissio actus boni non præcepti à motiuo extrinseco participare possit bonitatem, quæ vel sit minor, vel æqualis, vel maior, quàm bonitas ipsius actus, prout in assertione supponimus, est certum. Erit enim minor, si motiuum extrinsecum omissionis sit finis virtutis minoris, seu minùs bonæ, quàm est virtus, ad quam pertinet bonitas actus; æqualis autem, si sit æqualis; & maior, si sit maior, aut si pro pluribus motiuis habeat simul omissio plurium virtutum fines, (vt potest), qui omnes simul suam illi communicent bonitatem.

309 Ex dictis venit inferendum, quoties quis ad purè omittendum actum bonum non præceptum plura proposita habet bona motiua, vt plures fines plurium virtutum, ad quos est vtilis talis omissio; ab eius arbitrio vtimplurimùm dependere, quòd omissio ipsa aut nullo modo sit honesta, aut non sit honesta imputabiliter, aut imputabiliter sit honesta tantâ, vel tantâ honestate, neque maiore, neque minore. Quia iuxta doctrinam stabilitam disput. 30. quæst. 7. an. 279. & iterum quæst. 12. an. 621. ab eius arbitrio, vtimplurimùm dependebit, vim motiuam aut omnium eorum motiuorum, aut aliquorum præ alijs arcere, ne moueant ad talem omissionem, positis aliquibus displicentijs simplicibus de motiuis ipsis, vel alijs circunstantijs, quibus aut omnium, aut aliquorum vis motiua præpediatur, siue eneruetur. Sicque fieri poterit, vt dicta omissio vel propter se ipsam, aliquamve sui bonitatem physicam eligatur, nullo influente in ipsam motiuo extrinseco: quo casu ea nullo modo erit honesta. Vel, vt eligatur ex motiuo præbente ei bonitatem minorem bonitate actus omissi, aut illi æqualem: quo casu neutiquam illa euadet honesta imputabiliter, & formaliter. Vel, vt eligatur ex vno, aut pluribus motiuis præbentibus ei bonitatem maiorem bonitate actus omissi: quo casu quoad bonitatis excessum euadet illa honesta imputabiliter, & formaliter; quoad residuum verò bonitatis non item. Quæ omnia ex doctrinâ traditâ comperta sunt.

Quòd si in arbitrio creaturæ rationalis plerunque est positum, vt pura, liberaque omissio sibi possibilis actus honesti non obligatorij vel vnum, vel alterum, vel tertium istorum euentuum sortiatur. Non plerunque tantùm, sed semper erit idem ipsum positum in arbitrio Dei: cui similis, ea que sola omissio pura libera possibilis est, prout disput. 32. quæst. 5. stabiliuimus; & cui subinde doctrina de tali purâ omissione data in præsenti citra omne dubium est communis. Quoniam Deus longè præstantius, quàm creatura, habet sibi proposita omnia motiua possibilia cuiusuis singularis puræ omissionis liberæ sibi possibilis, longèque faciliùs, quàm creatura, potest per simplices displicentias, aut per aliàs circunstantias positas, vel omnium motiuorum, vel aliquorum præ alijs vim eneruare, vt, dum talem omissionem aggreditur, ad eam non concurrant; sicque subinde suam ipsi non communicent bonitatem; atque ita ipsa euadat in exercitio suo vel nullatenus honesta; vel non honesta imputabiliter; vel imputabiliter honesta tantâ, vel tantâ honestate, neque maiore, neque minore; prout diuinæ voluntati placitum fuerit. Suppono autem, solam omissionem puram liberam actus honesti non obligatorij Deo esse possibilem. Quia omissio actus turpis, vtpote repugnantis Deo, nequit Deo esse libera, & omissio actus obligatorij, vtpote mala, nequit non Deo repugnare, vt constat. 310

QVAESTIO II.

Qua ratione actus Dei liberi honesti moraliter sint.

SVppono primò tanquam omnino certum, actus Dei liberos tam internos, quàm externos honestos moraliter esse, idest consonos, siue consentaneos naturæ diuinæ prout rationali iuxta communem definitionem actus moraliter honesti quæst. 1. propos. 2. statutam. Quia non sunt turpes, id est, dissoni, siue dissentanei naturæ diuinæ prout rationali, atque adeò peccaminosi, iuxta dicta ibidem; cùm Deus sit omnino impeccabilis. Nec sunt indifferentes in indiuiduo, siue reipsa: tum quia ne in creaturis quidem dantur actus sic indifferentes moraliter, vt quæst. 1. propos. 26. est probatum: tum quia, estò 311

darentur in creaturis, Deo tanquam ipsi indecentes penitus repugnarent; tùm quia in creaturis solùm actus quidam leuissimæ notæ dicuntur à nonnullis Theologis indifferentes esse; alij verò minime: actus autem leuissimæ notæ multis ex titulis etiam repugnant Deo. Si autem actus liberi Dei nec turpes, nec indifferentes moraliter esse possunt, relinquitur, vt non possint non esse honesti moraliter. Quia nulla est alia excogitabilis differentia actus moralis, præter tres istas, vt est notissimum.

212 Suppono secundò etiam vt certum, actus Dei liberos non tantùm de suo, & materialiter, sed etiam imputabiliter, & formaliter esse moraliter honestos. Quia non materialis dumtaxat, sed imputabilis, & formalis est citra omne dubium honestas, quam actibus liberis Dei attribuunt Scripura, Patres, atque Theologi: dum ipsos absolutè, & sine limitatione appellant bonos moraliter, honestos, sanctos, iustos, laudabiles, &c. Quippe huiusmodi appellationes, seu denominationes diuinis actibus absque limitatione attributæ ab honestate merè materiali neutiquam possunt eis conuenire, præsertim, quando honestas materialis huiusmodi est, vt imputabilis, & formalis reddi non possit; qualis necessariò esset in actibus Dei, si quando in eis non esset simul imputabilis, & formalis, vt apparebit ex dicendis. Etenim honestas materialis, quæ imputabilis, & formalis reddi non potest, perinde se habet in actu, atque si in eo non esset, iuxta ea, quæ dicebamus quæst. 1. propos. 31.

213 Suppono secundò vt mihi etiam certum, & apud Theologos commune, imo & Fidelium omnium existimationi conforme, laudabilitatem, quæ in sacrâ Scriptura, & à Patribus, à Theologisque, & alijs Fidelibus communiter tribuitur, atque reuerâ conuenit actibus Dei liberis, strictam, & propriam esse; qualis honestatem formalem actuum moralium inseparabiliter sequitur, vti formalem turpitudinem sequitur vituperabilitas opposita. Huic suppositioni se opponunt Esparza lib. 3. de Actib. Human. quæst. 19. & alij Recentiores, negantes actibus Dei liberis dictam laudabilitatem, & consequenter honestatem formalem, cuius ea proprietas est, vt docet ipse Esparza ibidem quæst. 18. dumtaxat atque concedentes illis laudabilitatem gratificatoriam, penes quam confert is beneficium à recipiente illud venit laudandus. Censent enim, Deum dumtaxat habere libertatem puræ electionis inter duos actus internos, quoad honestatem prorsus æquales, vt inter volitionem, & nolitionem conferendi nobis beneficia: ob idque electionem vnius præ altero neq; laudabilem strictè, neq; honestam imputabiliter, & formaliter euadere posse respectu ipsius Dei: quia tamen respectu nostri; aut proficua, aut non proficua esse potest; si sit proficua, vt cum Deus eligit volitionem conferendi nobis beneficia, præ nolitione oppositâ, ipsi tenemur gratias rependere: ipseque proinde respectu nostri laudatione gratificatiua laudabilis euadit.

214 Cæterùm contra hos Recentiores doctrina communis suppositionis nostræ inde efficaciter probari videtur. Quia honestas formalis, & imputabilis, cuius laudabilitas stricta proprietas est, nullatenus videtur negari posse actibus Dei liberis, iuxta dicta suppositione secundâ: cùm sæpe in sacrâ Scripturâ ipsis attribui videatur satis aperte. Primò, vbicunque ea laudat opera Dei tanquam iusta, & sancta. Psal. 144. *Iustus Dominus in omnibus vijs suis; & sanctus in omnibus operibus suis.* Iustitia enim, & sanctitas operum aliud non est profectò ab eorum honestate formali. Secundò, quoties intendens inducere nos ad honestè cum perfectione operandum, hortatur nos ad imitandam sanctitatem, & perfectionem Dei. Leuit. 11. *Sancti estote; quia ego Sanctus sum.* & iterum mox. *Sancti eritis; quia ego sanctus sum.* 1. Petri. 1. *Sed secundùm eum, qui vocauit vos sanctum, & ipsi in omni conuersatione sancti sitis. Quoniam scriptum est. Sancti eritis; quoniam ego Sanctus sum.* Math. 5. *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est.* Et ad Ephes. 5. *Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi.* Compertum est enim, non posse nos imitari Deum operando honestè formaliter, ad quod exhortamur, si Deus non operatur honestè formaliter. Sicut nec possumus, imitando illum, veram, formalemq; virtutem misericondiæ honestè exercere; si ipse eam pariter non exercet: & tamen dicitur etiam Lucæ 6. *Estote ego misericordes, sicut & Pater vester misericors est.*

215 Accedit primò, quòd secundùm Scripturam, Patres, atque Theologos negari non potest, exercere Deum aliquas virtutes morales veras, & proprias, vt ostenderur quæst. 3. nimirum charitatem, misericordiam, liberalitatem, veracitatem, &c. Exercitium autem virtutum moralium, quæ verè, & propriè tales sunt, absq; honestate formali stare non posse, est certissimum. Accedit secundò, quòd propter exercitium eiusmodi virtutum moralium passim proponitur Deus in sacris Scripturis dignus laude ipsi ab omnibus exhibenda. Ergo non laude merè gratificatoriâ, & impropriâ, quæ solùm exhiberi debet à recipiente beneficium; (cùm aliud non sit ab actione gratiarum ipsi soli incumbente); sed laude strictè, & propriè dictâ debitâ ab omnibus honestati formali actionum; eamque proinde in ipsis actionibus supponente. Accedit tertiò, quòd gratificabilitas actuum benefacientis impropriè valde, & abusiuè vocatur laudabilitas; cùm actibus etiam prauis omnimodè vituperabilibus communis sit; siquidem recipiens beneficium, etiam per actum prauum, debet illud gratificare. Igitur, dum Scriptura passim prædicat laudabilitatem actuum Dei liberorum, fas non est eam exponere de laudabilitate gratificatoriâ adeò impropriâ, & abusiuâ; sed de laudabilitate propriâ, quæ sequitur, supponitque honestatem formalem actuum, debet exponi. Accedit denique ratio. Quia operari honestè formaliter, imputatiuèque subinde, & laudabiliter laudabilitate strictâ, & propriâ perfectio est absque imperfectione vllâ repugnante Deo. Nullatenus igitur ipsi neganda est.

216 Dices. Deus per suos actus liberos, quantumuis honesti considerentur, nequaquam perficitur, seu melior fit, vti creaturæ per suos, quando honesti sunt, perficiuntur, & meliorantur; quia Deus per nihil sibi accessorium, siue contingens perfici potest. Ergo actus liberi Dei, neq; formaliter honesti, neque laudabiles propriè, & strictè esse possunt, vt possunt actus liberi creaturarum. Concesso antecedente. Nego consequentiam. Quoniam Deus idcirco per nihil sibi contingens perfici potest: quia titulo Principij primi omnium contingentium nequit non præcontinere in se eminenter, & necessariò omnem omnino perfectionem, quam eis communicat formaliter,

liter, & contingenter; vnde per hanc vt sic sibi accidentem nec amplius, nec denuò perfici potest, prout fusiùs à nobis est explicatum tom. 1. disp. 16. Cæterùm, sicut hoc non tollit, quòd multa contingentia sint Deo conuenientia, seu bona bonitate physicâ, vt sicque tum à nobis ipsi, tum ab ipso sibi amabilia, iuxta illud Prouer. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. Ita nec tollit, quòd multa contingentia, scilicet ipsius actus liberi externi, & interni sint ipsi consentanea, seu bona bonitate morali, subindeque honesta formaliter, & consequenter laudabilia strictâ, propriâque laudabilitate. Itaque actus honesti Dei, & actus honesti creaturæ hoc inter se differunt, quòd hi perfectiui sunt sui subiecti, illi verò secus: hac tamen differentiâ præcisâ, quæ ex capacitate, incapacitateque subiectorum nascitur, de reliquo in conceptu honestatis ab illâ abstracto conueniunt, atque adeò in conceptu etiam laudabilitatis strictæ ex illo sequuto. Ex quibus omnibus concluditur, tales conceptus neutiquam Deo negandos esse, vt vera, & communis Theologorum sententia tenet.

217 Occurrunt tamen contra hanc veritatem duæ difficultates natæ ex capitibus diuersis. Prima est. Quia ex vnâ parte, vt actus sit honestus, pro motiuo formali debet habere finem virtutis, ad quam pertinet, iuxta sententiam communem à nobis statutam quæst. 1. propos. 25. ex aliâ verò fines virtutum, ad quas pertinent actus Dei liberi, quid creatum sunt: & Deus nihil creatum potest habere pro motiuo formali, sed se ipsum solum iuxta illud nuper relatum ex Prouer. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. Videntur igitur actus Dei liberi non posse honesti esse. Secunda est. Quia ex vnâ parte Deus puram omissionem liberam suorum actuum internorum habere non potest, atque ita dumtaxat habet libertatem puræ electionis inter duos actus positiuos; ex aliâ verò tales actus ob suam infinitudinem æquales sunt quoad bonitatem: & libertas puræ electionis inter extrema æqualia inepta est ad imputationem moralem iuxta sententiam etiam communem à nobis statutam quest. 1. propos. 18. Videtur igitur Deus non posse honestè operari imputatiuè, & formaliter.

218 Verùm enim verò duæ istæ difficultates apud nos nullæ sunt. Qui probauimus disp. 32. quæst. 2. aliquos actus internos Dei posse pro motiuo formali, etiam vnico, habere quid creatum. Et disput. 31. quæst. 5. ostendimus, Deum suorum actuum internorum, etiam omnium, puram omissionem liberam habere posse. Et quidem circa priorem difficultatem quid alij dixerint dictâ quæst. 2. retulimus, atque reiecimus. Nosque censuimus aptissimè omnium eam componi, si dicatur Deus circa quemuis actum externum cuiusuis virtutis moralis duos internos habere merè comitanter se habentes, quorum alterius motiuum formale sit finis ipsius virtutis, alterius verò Deus ipse. Quo fiet, vt quoties Deus ad extra operatur perfectissimè operetur simul & secundùm honestatem propriam eius virtutis, in cuius materiâ operatur, & secundùm honestatem charitatis, seu beneuolentiæ erga se. Recognoscantur dicta ibi: quibus non opus est in præsenti quidpiam aliud adijcere.

219 Circa posteriorem autem difficultatem; qui puram omissionem liberam denegant Deo, ipsumque subinde ne essitatum ponunt ad eligendum inter suos actus positiuos internos, dum illam componere conantur, in varias sententias distracti sunt. Prima est quorundam, qui putarunt contra communem, libertatem puræ electionis inter extrema æqualia, præsertim si sint specie diuersa, sufficientem vniuersaliter esse ad honestè, & laudabiliter operandum, atque ita, quantumuis actus diuini quoad honestatem sint æquales, Deum nihilominùs, dum vnum eligit præ altero, honestè, & laudabiliter operari. Sed hæc sententia iam satis à nobis est confutata quæst. 1. propos. 18. eamque reijciunt, & impugnant Card. Lugo disput. 2. de Incarn. sect. 4. num. 72. & disput. 26. sect. 7. num. 86. & sect. 10. num. 136. Ripalda tom. 2. de Ente supern. disput. 74. sect. 3. & sequentibus. Esparza lib. 3. de Actib. human. quæst. 19. & alij communiter. Quare contra illam non est, cur quidpiam amplius addamus.

Secunda sententia est asserentium, actus in- 220
ternos Dei, quantumuis sint infiniti quoad bonitatem etiam moralem, inæquales nihilominùs esse quoad illam inter se: quo locus datur, vt Deus cum libertate puræ electionis eligens magis bonum præ minus bono honestè, & laudabiliter operetur. Sic censent Herice 1. par. disput. 20. cap. 5. num. 31. Arriaga disput. 27. sect. 4. sub sect. 2. Ripalda vbi supra à num. 40. Bernal disp. 3. de Incarn. à num. 13. & alij.

Tertia sententia tenet, actus internos Dei 221
esse quidem æquales quoad honestatem propter suam infinitudinem: obiecta tamen, in quæ illi tendunt, inæqualem honestatem, seu bonitatem obiectiuam habere: idque satis esse, vt Deus eligens obiectum magis bonum, relicto minùs bonò, honestè, & laudabiliter operetur. Sic sentiunt Card. Lugo disp. 2. de Incarn. citatâ sect. 4. & 5. Quiros tom. 1. de Deo disput. 74. sect. 3. & alij.

Quarta sententia supponit, actus internos 222
Dei æquales esse quoad honestatem, & Deum circa illos solam habere libertatem puræ electionis. Supponit item, libertatem puræ electionis in actibus creaturæ esse ad eorum imputabilitatem, ac laudabilitatem ineptam. Asseritque nihilominùs, in actibus Dei esse aptam. Nam actus Dei solâ tali libertate liber æstimabilior est actu non libero in cæteris omnibus sibi simili, præterquàm in ipsâ libertate: quia hic est ex suo conceptu chymæra expers omni æstimabilitate. e. g. decretum efficax de existentiâ Mundi ei, quod Deus habet de facto, simile in cæteris, præterquàm in libertate, ex suo conceptu est decretum Dei efficax, & necessarium de existentiâ Mundi, atque adeò chymæricum. Ita opinatur singulariter Ribaden. disput. 24. de Volunt. cap. 2. Quæ mihi circa hanc quæstionem, præter iam dicta, restant dicenda, per sequentes propositiones exponã.

Propositio 1.

Per inæqualitatem actuum Dei in- 223
ternorum honestas formalis, ac laudabilitas eorum non benè componitur iuxta sententiam secundam relatam num. 220.

Quoniam cum solâ libertate puræ electionis, quam ea sententia supponit inter actus Dei inæquales, ille solus, qui melior est altero, potest, si eligatur, euadere honestus formaliter, ac laudabilis; idque dumtaxat quoad excessum bonitatis, quo excedit ipsum: qui verò minùs bonus

altero est, nullatenus honestus formaliter, laudabilisque reddi potest iuxta doctrinam communem, quæ etiam supponitur; expositaque, & probata anobis reliquitur quæst. 1. propos. 18. Hinc autem aliqua sequuntur incommoda non toleranda. Primum. Quòd Deus eligendo ex duobus quibusque actibus suis oppositis meliorem, tantùm quoad eius excessum potest honestè formaliter, & laudabiliter operari: quo nimium coarctatur honestas, & laudabilitas actuum Dei. Secundum maius. Quòd, cùm Deus ad ligendum quemlibet ex duobus actibus suis oppositis liber sit, eum, qui minùs est bonus eligere poterit; sicque positiuè operari; quin sit eius operatio laudabilis, vtpote non honesta formaliter, siue imputabiliter. Quod contra Scripturam, & Patres esse videtur; quatenus supponere videntur, nullum actum liberum positiuum posse in Deo dari, qui non sit laudabilis, & honestus imputabiliter. Tertium adhuc maius. Quia, licèt plerique actus Dei oppositi inter se sint inæquales, multi sunt etiam citra omne dubium æquales inter se, vt sæpe erunt amor, & odium eiusdem obiecti, duæ efficaces volitiones duorum obiectorum inter se citra medium oppositorum, & similes. Quibus in casibus neutrum talium oppositorum actuum poterit euadere in Deo honestus formaliter, & laudabilis iuxta doctrinam, quæ supponitur de solâ libertate puræ electionis inter illos: penes quam cum supponatur etiam Deus necessitatus ad eligendum alterutrum ex quibusque duobus actibus inter se oppositis, nequebit Deus non exercere de facto in omnibus casibus dictis actum, qui nec honestus formaliter, nec laudabilis sit. Quod clariùs Scripturæ, & Patribus aduersatur, clarè asserentibus, aut supponentibus, omnes actus liberos, quos Deus exercet defacto, honestos esse formaliter, atque laudabiles. Concluditur ergo per doctrinam dictæ sententiæ secundæ malè agi cum honestate, ac laudabilitate actuum Dei internorum; atque adeò eam ad propositum penitus reijciendam.

Propositio. 2.

224 **Per solam inæqualitatem obiectorum actuum internorum Dei honestas horum formalis, ac laudabilitas adhuc minùs benè componitur iuxta sententiam tertiam relatam num. 221.**

Quoniam adhuc maiora sunt absurda, quæ extali sententiâ sequuntur. Quæ vt ostendam, suppono primò ex doctrinâ datâ quæst. 1. propos. 4. & 30. actum internum efficacem, & actum externum, in quem tendit, duas bonitates numericè distinctas habere; sæpeque fieri, vt sola bonitas actus externi imputabilis, adeòque formalis euadat; secus bonitas actus interni; tametsi actus internus denominetur bonus ab ipsâ bonitate actus externi, quatenus hæc in illo imputatiuè, & quasi extrinsecè, ac veluti intentionaliter est. Suppono secundò ex dictis etiam quæst. 1. propos. 2. & 4. actum internum simplicem, seu non efficacem de quouis obiecto seu capaci, seu incapaci bonitatis moralis, nullatenus adhuc imputatiuè denominari posse bonum à bonitate ipsius obiecti: quia nullatenus est causa eius; quare, nisi propria illius bonitas reddatur imputabilis, ipse imputatiuè, & formaliter honestus non erit. Suppono tertiò, honestatem actuum Dei externorum iuxta Aduersariorum doctrinam necessariò debere esse finitam, hoc ipso, quòd ponitur inæqualis. Nam ipsi inter extrema infinita non agnoscunt inæqualitatem possibilem; ob idque actus internos Dei omnino æquales quoad bonitatem ponunt; quia quoad eam sunt infiniti. His positis.

225 Primum absurdum ex illorum sententiâ oritur est. Quòd Deus iuxtà illam non operatur honestè formaliter honestate propriâ suorum actuum internorum: cùm hæc in omnibus eis sit æqualis, dumtaxatque libera libertate puræ electionis; & consequenter actus eius interni per se, laudabilitateque propriâ non sunt laudabiles. Quod sanè à mente Scripturæ, & Patrum videtur alienum.

226 Secundum absurdum est. Quòd Deus tantùm operatur honestè formaliter honestate finitâ suorum actuum externorum, & consequenter finitè tantùm, & limitatè euadit laudabilis: atque adeò propter sua opera non est maior omni laude; laudarique vltra debitum potest à nobis contra Scripturam appellantem eum *Superlaudabilem*, ideſt, sine termino laudabilem. Daniel. 3. dicentemque Ecclesiastici 43. *Exaltate illum, quantum potestis: maior enim est omni laude.* Vnde illud Ecclesiæ. *Quantum potes, tantum aude; quia maior omni laude, nec laudare sufficis.* Tum possibile erit, creaturam honestiùs, & laudabiliùs operari, quàm Deum: quia possibile citra dubium est, dari etiam in creaturâ honestatem, ac laudabilitatem maiorem quauis aliâ finitâ. Quæ plura, & magna absurda sunt ex vno secundo deriuata.

227 Tertium absurdum est. Quòd Deus nullo modo honestè formaliter, ac laudabiliter operatur per suos actus internos simplices, quales sunt actus gaudij de bonis creaturarum, & actus amoris strictè earum. Quod clariùs Scripturæ, & Patribus videtur refragari, Quia propria honestas talium actuum, vtpote in omnibus æqualis, & solâ libertate puræ electionis libera, nequit euadere honesta formaliter, atque adeò neque laudabilis: & à bonitate aliorum actuum exercitè, & imputatiuè honesti formaliter, & laudabiles illi euadere nequent. Cum igitur ex prædictâ sententiâ talia absurda sequantur; consequens est, vt malè per illam componatur honestas formalis, ac laudabilitas actuum Dei.

Propositio. 3.

228 **Adhuc mihi displicet, vti & displicuit olim, tamquam prorsus inidonea ad propositum quarta sententia relata num. 222.**

Omissis autem alijs rationibus quibus illam tunc impugnaui, ea mihi nunc satis est; quia contra dictæ sententiæ Auctorem probatur haud dubiè, libertatem puræ electionis inter extrema quoad honestatem æqualia æquè in Deo, atque in creaturâ ineptam esse ad imputabilitatem morem, atque laudabilitatem, de qua tractamus: eiusactus Dei tali libertate liber æstimabilior sit alio actu in cæteris, præterquàm in libertate ipsâ, simili sibi; atque adeò chymærico. Ista enim æstimabilitas; cùm in ambobus actibus Dei liber-

liber-

libertate dictâ sit prorsus equalis, nihil penitus confert ad rem: quandoquidem semper remanet inter actus Dei sola libertas puræ electionis inter extrema æqualia ad imputabilitatem moralem, ac laudabilitatem inepta etiam Aduersarij iudicio. Etenim; vt volitio Dei efficax de existentiâ Mundi (inter quam, & oppositam nolitionem ponitur Deus habere solam libertatem puræ electionis) æstimabilior est aliâ volitione in cæteris, præter libertatem, simili sibi, atque adeò chymæricâ; ita etiam nolitio opposita æstimabilior est aliâ nolitione eodem titulo chymæricâ: idque æstimabilitatibus prorsus æqualibus: siquidem volitio, & nolitio quoad suas perfectiones tum entitatis, tum libertatis, in quibus stant æstimabilitates huiusmodi, omnino ponuntur æquales, de quo nullum est dubium. Vnde Deus tantùm est liber libertate puræ electionis inter volitionem, & nolitionem prursus æquales. Recurruntque argumenta ad rem facta quæst. 1. propos. 18. quibus concluditur, Deum æquiualenter non esse liberum in ordine ad laudabilitatem moralem. Tantumdemque boni debere eum excludere, quantum ponit, dum eligit seu volitionem, seu nolitionem. Quod æquialenter est nihil ponere boni; siue non operari benè, prout ad dictam laudabilitatem omnino requisitum est.

Respondes, concedendo totum, si sermo
229 sit de laudabilitate debitâ promouenti liberè bonum: hanc enim de plano fateris non reperiri in Deo. Addis tamen, reperiri aliam debitam maiori æstimabilitati, qua superat actus verus Dei chymæricum alium in cæteris omnibus, præterquam in libertate, similem sibi. Bene. Sed laudabilitas, quam vltro Deo negas, ea est moralis, vera, strictaque, & propria laudabilitas, de qua tractamus. Altera verò, quam actui Dei attribuis, aut prorsus commentitia, aut merè physica, valdeque impropria ad propositum, & abusiua laudabilitas est. Quòd enim actus æstimabilior sit alio quopiam ente, non reddit eum moraliter, & strictè laudabilem, dum ipsi deficit libertas ad imputabilitatem adeòque ad talem laudabilitatem idonea, quantumuis ea maior æstimabilitas ab aliqua libertate ad imputabilitatem inepta ipsi proueniat. Vide id in actu libero scientiæ visionis Dei de peccato Petri, qui iuxta tuam ipsam cogitationem æstimabilior est actu scientiæ in cæteris omnibus, preterquam in tali libertate, simili sibi, atque adeo chymærico: & tamen nec tu, nec alius quispiam dicet, talem actum scientiæ moraliter, strictèque laudabilem esse: nimirum, quia inepta est ad imputationem libertas, à qua ipsi talis æstimabilitas prouenit, vtpote quæ potiùs est contingentia quædam oriunda ab obiecto, quàm propria, & stricta libertas oriunda à principio. Pariter igitur in casu nostro omnino philosophandum est. Hæc satis ad rem: quia satis clara.

Propositio 4.

230 Honestas igitur formalis, atque ipsi annexa laudabilitas moralis, ac stricta actuum Dei liberorum dumtaxat benè possunt componi iuxta sententiam asserentium, puram omissionem liberam Deo esse possibilem. Componuntur autem optimè omnium iuxta illam prout comprobatam, expositamque à nobis supra disput. 31. quæst. 5.

Prior pars huius propositionis constat ex factâ huiusque refutatione cæterarum sententiarum, quæ in eo conueniunt, vt negent, Deo esse possibilem puram, & liberam omissionem.

Posterior autem pars probatur. Quia dicta 231
quæst. 5. disput. 31. non solùm ostensum à nobis est, Deo esse possibilem puram, & liberam omissionem cuiuslibet ipsius actus; sed insuper statutum, talem omissionem per se, & de suo honestam non esse; tametsi ab aliquo motiuo extrinseco possit honestari: posseque subinde Deum pro arbitrio suo eam vel cum nullâ, vel cum aliquâ honestate exercere: id quod quæst. præced. propos. 31. ampliùs expositum, atque probatum est. Hac autem suppositâ doctrinâ, manifestè consequitur, Deum pleniſſimam libertatem habere ad operandum honestè formaliter, atque adeò laudabiliter secundùm totam omnino honestatem, quam quilibet suus actus de suo, siue materialiter habet. Quod est, honestatem formalem, ipsique annexam laudabilitatem actuum Dei liberorum optimò omnium componi iuxta dictam sententiam nostram, vt pars posterior propositionis fert. Quandoquidem nullo meliori modo possunt componi, quàm, relinquendo Deum ita liberum, & expeditum ad honestè operandum, vt possit integram prorsus honestatem materialem cuiuslibet sui actus reddere sibi formalem, siue imputabilem, atque adeò laudabilem, vt constat. Quanquam enim libertas Dei ad eligendum inter quemlibet suum actum & puram eius omissionem, libertas sit puræ electionis coniuncta cum necessitate amplectendi alterutrum ex his duobus extremis, hoc tamen ipso, quòd pura omissio nullam honestatem habet, non est Deus necessitatus ad amplectendam vllam partem honestatis actus vel in se, vel in æquiualente: sed totam integrè omittere potest, omittendo actum, & totam integrè amplecti, actum amplectendo. Quod est, liberrimum ipsum esse ad reddendam sibi imputabilem, formalemve, atque adeo laudabilem totam integrè honestatem materialem cuiuslibet sui actus, prout dicebamus.

Propositio 5.

Honestas omnium, & singulorum 232 actuum liberorum Dei infinita est. Cum quo stat, eam in alijs eorum inæqualem in alijs æqualem esse posse, atque adeò defacto esse.

Prima pars propositionis quantùm ad actus Dei internos omnino certa, & satis manifesta est. Quia singuli actus interni Dei formalitatem claudunt in se realiter indistinctam à Deo, atque adeò continentem totam physicam perfectionem seu bonitatem Dei infinitam: vnde quiuis actus internus Dei ratione diuinæ formalitatis inclusæ in se bonum quoddam physicum est omnino infinitum. Nequit autem non esse infinitè consonum rationi, adeòque infinitè honestum, siue bonum moraliter, ponere a parte rei bonum physicum omnino infinitum. Exercitium igitur cuiusuis actus liberi interni Dei non potest non infinitam honestatem habere.

Quan-

233 Quantùm verò ad actus Dei externos (qui creaturæ quædam sunt) non adeò est certa, neque clara prima propositionis pars. Censeo tamen nihilominùs eam, esse omnino tenendam. Primò; quia propter actus suos externos potissimùm, vtpote nobis magis notos, prædicatur Deus haud dubie in sacris Litteris infinitè laudabilis. Secundò; quia, cùm huiusmodi actus exercitia quædam libera, propriaque sint eius Principij, qui prima summaque regula est totius honestatis; non possunt non illi à tali principio euadere honesti infinitè. Tertiò; quia consonantia ad naturam rationalem prout talem, in qua consistit honestas actus capacis libertatis, vti quæst. 1. propos. 2. statuimus, denominatio quædam est semiextrinseca includens in suo conceptu reali tanquam subiectum, atque adeò tanquam præcipuam partem sui ipsam naturam rationalem. Ergo consonantia ad naturam diuinam prout rationalem, in qua consistit honestas actuum Dei externorum, ipsam naturam diuinam cum tota suâ infinitudine includit in suo conceptu reali, à qua subinde non potest non infinitudinem etiam sui generis propriam participare.

234 Iam verò secunda propositionis pars ex doctrinâ de proprietatibus infinitorum tom. 1. disput. 13. quæst. 2. stabilitâ venit imprimis comprobanda. Ibi enim monstrauimus, extrema infinita quoad quantitatem seu physicam, seu metaphysicam inter se posse esse vel æqualia, vel inæqualia, non quidem formaliter, & reduplicatiuè prout infinita, sed materialiter, & specificatiuè prout re ipsâ sunt considerata. Poterunt igitur honestates actuum liberorum Dei infinitæ quoad suam metaphysicam quantitatem inter se esse æquales, vel inæquales. Quo posito, aliæ inæquales, aliæ æquales esse de facto citra omne dubium censendæ sunt. Et quidem, multa ex attributis Dei intrinsecis, & necessarijs sumpta formaliter ex genere suo esse inter se inæqualia quoad physicam suam, atque infinitam perfectionem, dicto tom. 1. disput. 16. quæst. 5. probatum à nobis est cum communi. Quidni igitur multi actus morales Dei, quo pacto inter se sunt distincti, erunt inter se quoque inæquales quoad suam moralem, & infinitam perfectionem, siue honestatem? Multos itidem actus voluntatis etiam eiusdem speciei dari in Deo inæquales quasi intensiuè quoad suam perfectionem physicam (vtique infinitam) censuimus, ac probauimus supra disput. 34. quæst. 11. à num. 159. Potiore ergo iure censendum est, multos quoque tum illorum, tum aliorum in eo dari inæquales quoad suam, infinitamque perfectionem moralem, siue honestatem.

235 Deinde dubitabile non videtur, quin maior sit honestas reperta in aggregato plurium actuum Dei, quàm reperta in singulis eorum seorsim: quandoquidem non est dubitabile, quin totum sit maius suâ parte: & tamen tam honestas singulorum actuum seorsim, quàm honestas aggregati ex omnibus infinita est, vti supponitur. Ergo infinitudo quorumlibet honestatum Dei, in quibuscunque illæ actibus reperiantur, non obstat, quominùs illæ possint esse inter se inæquales. Præterea eo ipso, quòd dantur in Deo virtutes morales propriè sumptæ, vt cùm communi Theologorum ostendetur quæst. 3. non possunt non illæ retinere in Deo, quidquid ipsis ex proprijs conceptibus est essentiale, vt est notissimum. Sed multis earum ex proprijs conceptibus essentiale est, esse inæquales quoad honestatem, vt non minùs est notum: charitas enim, & misericordia maiores virtutes, maioríue honestatis sunt, quàm liberalitas, & affabilitas. Igitur actus huiuscemodi virtutum tam interni, quàm externi non possunt non retinere in Deo suas, quas ex proprijs conceptibus, siue essentijs habent, inæqualitates quoad honestatem. Denique virtutes, quæ consistunt in medio habente (vti semper habet) aliquam latitudinem, non possunt non habere suapte naturâ aliquem, aut aliquos actus optimos, & alios minùs bonos: optimi enim sunt, qui exactè attingunt punctum indiuisibile æquè distans ab extremis vitiosis: minùs autem boni, qui à tali puncto intra dicti medij latitudinem versus talia extrema recedunt, iuxta ea quæ dicebamus disput. 32. quæst. 3. num. 59. Illæ igitur huiusmodi virtutum, quæ propriè reperiuntur in Deo, non possunt non retinere etiam in ipso eam inæqualitatem actuum, qui intra latitudinem medij sui à Deo possunt exerceri; tametsi Deus, præ creaturis, ad extrema ipsarum vitiosa nequeat pertingere, prout ibi notauimus. Ergo Deus actus inæqualiter honestos etiam intra eamdem virtutem exercere valet. Per quæ omnia pars secunda propositionis satis apertè videtur manere probata.

Sed est aduertendum, tametsi Deus ex ipsis actibus inæqualiter honestis sibi possibilibus minùs honestos, relictis honestioribus, absolutè possit eligere: de facto tamen semper eum eligere eos, qui, pensatis omnibus, sunt honestissimi. Quia vt dictâ quæst. 3. disput. 32. propos. 9. probauimus, moraliter est necessitatus ad eligendum optimum in genere moris; atque adeò ad operandum semper, pensatis omnibus, honestissimè.

Propositio 6.

236 Quænam alia actibus Dei liberis speciatim applicanda veniant ex generali doctrinâ de moralitate actuum naturæ rationalis tradità quæst. 1. determinare.

Præsto id per assertiones, vt sequitur. Dico primò. Actus externus Dei, & actus internus, à quo ille procedit, distinctas numericè bonitates morales habent tum materiales, tum formales. Est autem vtrique essentialis ea bonitas, quæ in solis ipsius prædicatis essentialibus fundatur. Præter quam alias bonitates accidentales subire potest. Et bonitates quidem amborum actuum propriæ in ipsis sunt veluti intrinsecè, & realiter. Insuper tamen bonitas propria actus externi est in interno imputatiuè, adeòque veluti extrinsecè, & intentionaliter. Bonitas verò propria actus interni in externo nullo modo est. Constant hæc omnia ex dictis quæst. 1. propos. 2. 3. & 30.

237 Dico secundò. Vt bonitas materialis actus tum interni, tum externi Dei euadat ipsi imputabilis, atque adeò formalis, scientia indicatiua de illâ prærequisita est. Constat ex doctrinâ datâ quæst. 1. propos. 6. Sufficiet autem scientia simplicis intelligentiæ, quando bonitas actus est essentialis. Quando verò est accidentalis pro-

uen-

uentura ab aliquâ circunstantiâ prout existente, insuper requisita erit vel scientia visionis de tali circunstantiâ, vel scientia conditionata ad rem æquiualens scientiæ visionis de qua egimus disput.34 quæst.11. à num.150. Nisi vel actus simul, & circunstantia decernantur absolutè, vel actus solus sub conditione circunstantiæ iuxta dicta ibidem.

239 Dico tertiò. Si Deus iudicet, aliquem suum actum, bonum, vel malum esse sub disiunctione; ductus tali iudicio præcisè, neutiquam poterit illum amplecti: quia iuxta doctrinam propos.16. quæst.1. liberè amplecteretur, eique imputaretur bonitas, vel malitia sub disiunctione: quod ipsi omnino repugnat, vt per se patet. Loquor tamen conditionatè: quia, licèt de quouis actu Dei sit disiunctiuè verum, esse bonum, vel malum, eo ipso, quòd bonum est; censeo tamen de tali veritate, prout sonat, nullum iudicium habere Deum posse, sed tantùm de fundamentis, in quibus ea nititur: nam, cùm actui Dei repugnet esse malum, ea veritas disiunctiua, *Est bonus, vel malus*, (sicut hæc *Petrus est homo, vel brutum*, & cæteræ similes) chymæram includit in suo conceptu obiectiuo ex genere earum, quæ per species proprias nullatenus sunt conceptibiles, sed tantùm per alienas iuxta doctrinam stabilitam in Pharo Scient. disput. 11. quæst.2.propos.3.Quare talis veritas disiunctiua, vt sonat, nequaquam à Deo conceptibilis, nedum iudicabilis est. Recognoscatur doctrina ista exposita latè loco citato.

240 Dico quartò. Iudicium conditionatum de bonitate materiali alicuius sui actus sufficiens Deo est in ratione propositionis, vt talis bonitas ipsi imputabilis, adeòque formalis euadat. Quocirca, suppositio altero iudicio, quo Deus absolutè iudicat de quouis suo actu, non posse esse malum, seu essentialiter esse bonum; si Deus dirigatur, vt potest, ad aliquem suum actum ponendum præcisè per iudicium conditionatum, quo iudicat, talem actum fore insuper bonum aliâ bonitate accessoriâ ex hypothesi, quòd ponatur, talis vtique bonitas ex vi talis iudicij conditionati præcisè Deo imputabilis, ac formalis euadet. Constant hæc ex doctrinâ datâ propos.17. quæst.1. Ex qua etiam infertur, si Deus per decretum conditionatum deceret aliquem suum actum sub conditione, quòd existat aliqua circunstantia honestans illum, iam tum honestatem actus decreti à tali circunstantiâ oriundam in ipso decreto fore Deo imputabilem; decretumque ipsum à tali obiecto suam quoque propriam honestatem materialem eiusdem speciei sortiri; quæ etiam prout cognita imputabilis, ac formalis euadet; & hæc quidem, siue conditio decreti sit purificanda, actusque decretus ponendus, siue secus: si autem conditio purificetur, actusque decretus ponatur, ipse quoque imputabiliter, & formaliter dicta honestate à dicta circunstantia oriunda euadet honestus. Quæ omnia consentanea etiam sunt ad doctrinam citatam num.238. ex disput.34. quæst.11. Quemadmodùm autem dictum decretum conditionatum: ita & velleitas, qua Deus vellet, aliquem suum actum existere cum tali, vel tali honestate, si id sub talibus circunstantijs foret possibile, honestas est in Deo imputatiuè, & formaliter tum honestate sui obiecti, quæ in ipsâ velleitate tanquam in volitione de se æquiualenter efficaci imputatiuè, & quasi intentionaliter est; tum honestate sibi propriâ in seque realiter existente; eo quòd talis obiecti suapte essentiâ velleitas est, iuxta doctrinam vniuersalem sæpe commemoratam. Quod etiam constat ex dictis propos. 17. citatâ. Quales autem actus sint velleitates huiusmodi; & quomodò reperiantur in Deo, disput.34. quæst.8. à num.119. explicatum, atque probatum est.

Dico quintò. Si Deus necessitatus ad eligendum vnum, vel alterum ex duobus actibus 241
suis honestis, & inter se non oppositis simul amplectatur vtrumque, vnius vel alterius tantùm honestas sub disiunctione erit ipsi imputabilis. Constat hoc ex doctrinâ datâ propos.19. quæst. 1. Porrò, licèt Deus nec ab extrinseco, nec à suâ naturâ possit necessitatus esse ad eligendum alterutrum ex duobus actibus suis non oppositis; (adhuc in sententiâ eorum, qui negantes Deo puram omissionem possibilem ipsum à naturâ necessitatum ponunt ad vnum, vel alterum ex duobus actibus oppositis); potest tamen Deus per imperium efficax disiunctiuum ad id se ipsum necessitare. Quo casu antecedenter erit iam ipsi in tali imperio imputabilis vna, vel altera honestas talium actuum sub disiunctione: ipsumque imperium propriam, determinatamque honestatem habebit à suo obiecto disiunctiuo: quæ specie diuersa erit ab ambabus dictorum actuum honestatibus, quando hæ fuerint inter se diuersæ. Quemadmodùm apud nos etiam, si quis efficaciter proponat expendere peccuniam, quam habet, aut sperat, vel dando eleemosynam, vel soluendo debitum, honestas eleemosynæ, vel solutionis debiti sub disiunctione euadet illi imputabilis in tali proposito disiunctiuo; ipsumque propositum à tali obiecto propriam, determinatamque sortietur honestatem diuersam specie ab honestate misericordiæ propriâ eleemosynæ, & ab honestate iustitiæ propriâ solutionis debiti.

Dico sextò. Si Deus necessitatus ad eligendum vnum, vel alterum ex duobus suis actibus iudicet disiunctiuè, vnum, vel alterum esse honestum honestate aliqua ipsi accessoriâ, vt iudicare potest, neutrius electio erit ipsi imputabilis ex vi talis scientiæ præcisè factæ. Quia iuxta doctrinam propos.21. quæst. 1. ambo illi actus in mente Dei vi talis scientiæ erunt quoad honestatem æquales: cùm de vnoquoque eorum sit verum, esse honestum tali honestate si alter eâ honestum non est. Libertasque subinde Dei ad alterutrum puræ electionis inter extrema æqualia erit. Quæ ad imputationem non sufficit iuxta communem doctrinam statutam quæst. 1. propos.18. 242

Dico septimò. Qualiter, vt actus Dei 243
sit honestus, non quidem ex motiuo honestatis, sed ex motiuo finis virtutis, ad quem ille spectat, debeat procedere, ex doctrinâ datâ quæst.1. propos. 25. facilè potest quisque colligere. Sicut & ex doctrinâ propos.17. dijudicare, qualiter in Deo finis, & medium, illiusque intentio, & huius electio sint comparanda quoad honestatem. Necnon ex doctrinâ propos.28. quomodò actus Dei à circunstantijs possint honestatem subire. Qualiter autem Deus per puram omissionem aut non honestè, aut honestè se possit exercere, propos.31. expositum est. In quibus omnibus explicandis, non opus est, amplius morari.

QVÆ-

QVAESTIO III.

Vtrùm virtutes morales propriè dictæ reperiantur in Deo. Et quænam illæ sint?

344 SVppono primò, virtutes, varijs diuisionibus solere diuidi communiter. Primùm enim diuiduntur in intellectiuas, quæ ad intellectum pertinent, & in morales, quæ pertinent ad voluntatem. Deinde intellectuales in quinque species diuisit Aristot. lib.6. Ethic. cap.3. quæ sunt Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, & Intellectus. Morales autem diuiduntur in Theologicas habentes pro obiecto formali Deum; quæ sunt tres, Fides, Spes, & Charitas: & morales; (strictiùs accepto hoc nomine); quæ ad tres præcipuas reuocantur, Iustitiam scilicet, Fortitudinem, & Temperantiam: quibus adiunctâ Prudentiâ, vtpote morum directrice, quatuor resultant, quæ nuncupantur Cardinales. Quæ omnes subinde in supernaturales, & naturales diuidendæ veniunt communi Theologorum sententiâ. Porrò vnicuique virtutum Cardinalium partes triplicis generis assignat S. Tho. 2. 2. quæst. 48. & 128. & 143. subiectiuas, quæ sunt species, de quibus virtus prædicatur vt genus: integrantes, quæ ad integritatem virtutis spectant aliquo modo: & potentiales, quæ virturem aliquo modo imitantur; ob idque ipsi annectuntur. Hinc partes subiectiuæ Iustitiæ, siue species quatuor numerari solent, nempe Iustitia commutatiua, distributiua, legalis, & vindicatiua: tametsi aliqui solùm numerent duas priores. De quo plura dicemus infra circa propositum. 6. Partes verò Iustitiæ potentiales, siue virtutes ei annexæ ponuntur Religio, Pietas, Obseruantia, Obedientia, Gratitudo, Vindicatio, Veritas, Fidelitas, Amicitia, Liberalitas, & Epicheia. Fortitudinis autem partes, siue virtutes annexæ sunt Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, & Longanimitas, Perseuerantia, & Constantia. Temperantiæ denique partes, ac virtutes annexæ numerantur Abstinentia, Sobrietas, Castitas, Pudicitia, Virginitas, Continentia, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas, Studiositas, & Eutrapelia. Et virtutes, quidem spectantes ad Iustitiam, ad alterum esse dicuntur: spectantes autem, ad Fortitudinem, & Temperantiam, esse dicuntur ad se ipsum. De prioribusque, versari circa operationes; de posterioribus verò circa passiones tanquam circa materiam, quam moderantur, docet, & bene explicat S. Tho. 1. 2. quæst. 60 artic. 2.

345 Suppono secundò, resolutionem huius quæstionis fere ab vsu communi, vsurpationeve vocabulorum dependere: quocirca difficultates in eâ tangendæ ferme de solo modo loquendi sunt. Pro cuius euidentiâ primò notandum est ex doctrinâ traditâ à nobis in Pharo Scient. disput. 17. quæst. 22. vocabulum vniuocum esse, quod significat vnum conceptum obiectiuum communem pluribus, eumdemque formaliter de illis omnibus, & singulis vt de subiectis prædicabilem. Vocabulum autem æquiuocum, quod significat plures conceptus obiectiuos inter se diuersos, & de diuersis subiectis prædicabiles: idque vel à casu, vel à consilio. Et æquiuocum quidem à casu nomen æquiuoci sibi retinet: æquiuocum verò à consilio communiter appellatur analogum. Estque illud, quod ad aliquem conceptum obiectiuum significandum primariò est impositum; inde tamen extensum est ad significandum alium propter habitudinem, quam primus cum secundo habet, vel alicuius similitudinis, vel alicuius causalitatis, vel alicuius alterius generis.

346 Secundò est notandum, vocabulum vniuocum, cùm sit proprium eius conceptus obiectiui, quem significat vnicè, propriè, siue cum proprietate dici de eis omnibus subiectis, de quibus prædicatur, quibusque conuenit talis conceptus obiectiuus; vt est manifestum. At vocabulum analogum, cum proprium sit eius conceptus obiectiui, ad quem significandum primariò est impositum, de subieto tantùm, cui conuenit talis conceptus, dicitur propriè, siue cum proprietate; de subiecto verò alterius conceptus, ad quem significandum extensum est, dicitur impropriè, seu metaphoricè, tropicève, seu translatitiè.

347 Tertiò est notandum, sæpe contingere, vt vocabulum principio analogum respectu duorum subiectorum, decursu temporis, & vsus reddatur vniuocum, mutatâ scilicet significatione eius à duobus conceptibus talium subiectorum diuersis ad vnicum vtrique communem: sic nomen *scientiæ* principio impositum ad significandam notitiam per demonstrationem acquisitam, qualis humana est; quo pacto propter analogiam, atque adeò tropicè tantùm poterat dici de scientiâ diuinâ, per vium Theologorum transijt ad significandam notitiam, seu perceptionem claram obiecti præcisè sumptam, quo pacto vnicum iam conceptum significat communem vniuocumque scientiæ humanæ, & diuinæ: quo fit, vt iam tam de diuinâ, quàm de humanâ propriè, siue cum proprietate dicatur. Et quidem, cùm sit intellectui humano pro statu præsenti valde procliue, ab extremis, quantumuis re ipsâ diuersis, conceptus exactè similes abstrahere, inde vnicumque subinde conceptum vniuersalem, communemque ipsis, & vniuocum adunare, prout expositum in Pharo Scient. dictâ disput. 17. quæst. 8. consequenter est etiam procliue, transferre ad significandum vnicum conceptum duobus extremis vniuocum illud vocabulum, quod antea in ipsis significabat duos diuersos propter eorum aliquam analogiam, alterum primariò, adeòque propriè, alterum verò secundariò, atque adeò impropriè, seu translatitiè: vti in exemplo proposito cernere est.

348 Vnde denique notandum sequitur, quòd, quocirca est controuersum, an vocabulum, quod propriè dicitur de vno subiecto, dicatur etiam de altero propriè, vel solùm metaphoricè, eò totam litem reduci, an tale vocabulum ex vsu communi talem conceptum obiectiuum significet, vel potius talem: quam litem esse purè de nomine, siue de puro loquendi modo, compertum est: ilicillimèque sedanda venit, dicendo, si tale vocabulum in tali significatione accipiatur, dicere de tali subiecto propriè; si verò in tali, metaphoricè. Vt hinc appareat, quò tandem tendit celebris illa controuersia, qua tantopere inter se decertant Theologi; an scilicet iustitia propriè dicta in Deo reperiatur, vel secus: eo namque tanta

tanta pugna reducitur; an nomen *iustitia* duos conceptus analogos significet in creatâ, & in diuinâ iustitiâ, vel potiùs vnicum vniuocum vtrique communem; quem tamen esse ab vtraque abstrahibilem indubitabile vtique, & extra controuersiam est, vt inferiùs videbimus.

249 Suppono tertiò, quoties conceptus obiectiuus, cuius vocabulum est proprium, aliquam imperfectionem Deo repugnantem fert secum, tale vocabulum de Deo propriè dici non posse: quia talis conceptus obiectiuus in Deo non datur. Vnde si dicatur de Deo, impropriè, siue metaphoricè tantùm dicetur; nempe ad significandum in ipso conceptum obiectiuum diuersum propter aliquam anologiam repertam inter vnum, & alterum. Hoc apud omnes est in confesso, ex seque, & ex dictis satis clarum.

250 His positis, circa priorem partem quæstionis conueniunt Theologi cum S.Tho.lib.1. contra Gent.cap.94.virtutes intellectuales ex Aristot.numeratas suppositione prima propriè in Deo reperiri secundùm conceptus abstractos immunesque ab imperfectionibus, cum quibus reperiuntur in nobis. Primùm enim datur in Deo Ars perfectissima, quæ est ratio, seu scientia practica faciendorum in genere physico. Quocirca Sapient. 7. diuina Sapientia dicitur *Omnium artifex*. Et August.lib.11.de Ciuit.Dei cap.21. ait: *Nec auctor est excellentior, nec ars efficacior Verbo Dei*. Deinde datur in Deo perfectissima Prudentia, quæ est ratio, seu scientia practica agendorum in genere moris. Præterea dantur in Deo perfectissimè Scientia, & Sapientia, quæ apud nos veritatum spectantium ad creaturas, & ad Deum scientiæ euidentes, atque speculatiuæ sunt. Datur denique in Deo perfectissimè ea notitia, quæ Intellectus principiorum apud nos dicitur: easque veritates pro obiecto habet, quæ sunt apud nos scientiarum principia.

251 Similiter conueniunt Theologi, ex tribus virtutibus Theologicis nec Fidem, nec Spem reperiri in Deo: quia Deus nec sibi credere, nec in se sperare potest, loquendo propriè, vt notum est. Reperiri verò Charitatem: quia Deus se amat. Cæterùm quia Deus quoad omnes suas intrinsecas perfectiones non liberè, sed necessariò omnino se amat, vt supra disput.33. quæst.2. propos.1. statutum est; actus amoris, quo se amat vnicè, non tam moralis, quàm physicæ virtutis Charitatis est. Quia tamen se simul, & creaturas liberè amare potest, vt ibidem etiam est statutum propos.2.idcirco actus amoris, quo se simul, & creaturas amat, seu potiùs, quo creaturas amat sibi ex complacentiâ sui, actus virtutis Charitatis moralis, atque adeò moraliter honestus, & imputabilis, & laudabilis est. Quibus sic stabilitis, de cæteris virtutibus moralibus restat dicendum.

252 Circa quas prima sententia est, nullam earum dari in Deo propriè, & formaliter: quia omnes illæ pro motiuo habere debent aliquid creatum iuxta doctrinam Aristot. receptam communiter, & à nobis stabilitam supra quæst.1. propos.25. Deusque nihil creatum habere potest pro motiuo suorum actuum, sed solam suam essentiam. Ita tenet Smising. 1.par.tract.3.disput.4. præsertim num. 31. & 113. Secunda sententia extremè opposita est, omnes dictas virtutes propriè, & formaliter reperiri in Deo, saltem quoad aliquos ipsarum actus: nam earum etiam actus, qui in subiectis proprijs aliquam imperfectionem important, ob præcisam ipsarum honestatem possunt intendi, aut etiam procurari à Deo absque vllâ sui imperfectione; vti, quando Deus vult, aut etiam procurat, vt homo sit castus, vel obediens, vel pœnitens ob talium virtutum honestatem: quibus in casibus actus ipsius Dei earumdem virtutum honestatem absque vllâ sui imperfectione sortiuntur: cùm sit eiusdem honestatis intendere finem virtutis siue in subiecto proprio, siue in alieno. Hanc sententiam tenet Martinon. 1.par.disput.17.sect.5. Pro eaque stat Scot.in 3.distinct.33. quæst.vnic. stareque etiam videntur, quotquot propter eamdem rationem in Christo Domino, & in Beatis ponunt virtutem pœnitentiæ, & cæteras virtutes morales, vt Alensis 3 par. quæst.12.memb.3 Gabriel in 2.distinct.29.quæst. 3.artic.3. Marsil. in 4.quæst.20. Bonauen.in 3.distinct.33. quæst.6. S.Tho.in 3.distinct.13.quæst.1. artic.2.& alij. Tertia sententia media, & Theologorum communis est, aliquas ex dictis virtutibus moralibus dari in Deo propriè, & formaliter; aliquas verò minimè. Ita tenent S. Tho. 1. par. quæst.21. artic.1. ad 1. & lib.1. contr.Gent. cap.94. Soar. disput.30.Metaphys.sect.16.Vazq.1. par.disput.85.cap.3. Tann.disput.2.quæst.10.dub. 2. Ruiz disput.55. de Volunt. Alarc. disput.8. Arriag, disput.26.sect.4. Carlet. disput.31.sect.2. & alij. Sed quænam ex virtutibus dictis cum proprietatè dentur in Deo: & quænam secus; variè commemorati Auctores determinant, prout videbimus in decursu quæstionis. Quæ iam per aliquot propositiones tam quoad secundam partem, quàm quoad primam est à nobis resoluenda, prout sequitur.

Propositio 1.

Aliquæ virtutes morales propriè dictæ reperiuntur in Deo. Aliquæ vero minimè. 253

Prior propositionis pars probatur. Quia in Deo reperiuntur virtutes propriè dictæ Amicitiæ, Misericordiæ, Iustitiæ, Liberalitatis, & aliæ huiusmodi, vt in sequentibus ostendetur. Ergo, &c. Nec obstat, virtutes istas pro motiuo ad earum honestatem requisito habere aliquid creatum. Quia etiam Deus potest habere aliquid creatum pro motiuo suorum actuum, vt constat ex dictis quæst.2.

Posterior autem propositionis pars probatur similiter. Quia, vt in sequentibus ostendetur, virtutes Obedientiæ, Abstinentiæ, Castitatis, Humilitatis, & similes nullo modo reperiuntur in Deo. Ergo, &c. Nec obstat, quòd Deus velit intendarve, aut etiam procuret in nobis actus harum virtutum ex motiuo honestatis earum. Quia vel isti Dei actus quasi reflexi non eamdem talium virtutum, sed diuersam sortiuntur honestatem, vt putant aliqui; vel, estò sortiantur eamdem, nomina tamen ipsarum ne metaphoricè quidem ad tales actus quasi reflexos extensa sunt; sed tantùm significant directos exercitos in earumdem proprijs subiectis. Nemo enim hominem deditum luxuriæ, aut gulæ vocauit vnquam castum, aut abstinentem; eo quòd aliorum castitatem, aut abstinentiam desiderat, aut etiam procurat. Pariter igitur nec dici potest reperiri in Deo castitas, aut abstenentia; eo quòd Deus desiderat, aut etiam procurat, vt si-

mus nos casti, aut abstinentes. Per quæ fundamenta primæ, secundæque sententiæ, quibus propositio nostra aduersatur, diluta monent.

Propositio 2.

255 **Iustitia virtus cardinalis propriè reperitur in Deo.**

Dico, *virtus cardinalis*. Primò, vt denotem, me non agere de iustitiâ in latissimâ significatione vsurpatâ pro omni virtute. Quo pacto sæpissimè sumitur in Scripturâ, vt cum dicitur. *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam. Qui faciunt iustitiam &c.* Quo sensu Chrysost. homil. 12. in Math. ait. *Iustitia nihil aliud est, quàm omnium mandatorum plena custodia*. Sed agere de virtute speciali Iustitiæ, quæ vna est ex quatuor Cardinalibus. Secundò, vt denotem, me agere de virtute istâ, prout genus est quatuor aliarum specialium, in quas tanquam species diuidi solet iuxta dicta num. 244. nempe Iustitiæ commutatiuæ, distributiuæ, legalis, & vindicatiuæ. Sic enim ponitur illa vna virtutum Cardinalium. Vnde, vt data propositio sit vera, sat est, quòd quælibet harum quatuor propriè reperiatur in Deo: quandoquidem in qualibet specie formaliter includitur genus. Quo casu accepta propositio fere est communis inter Theologos: quia pauci sunt, qui de aliquâ saltem dictarum specierum iustitiæ non affirment, in Deo propriè reperiri, vt videbimus, cùm agamus de singulis.

256 Sic igitur propositio intellecta probatur primò ex Scripturâ sæpe tribuente Deo iustitiam specialem prout condistinctam ab alijs virtutibus, imo supponentem in Deo debitum, in nobisque ius ad mercedem ab ipso nobis, prout tale ius exigit, reddendam; quæ propria sunt virtutis Iustitiæ. Psal. 84. *Misericordia, & veritas obuiauerunt sibi; iustitia, & pax osculatæ sunt. Veritas de terrâ orta est, & iustitia de Cœlo prospexit. Dominus dabit benignitatem; & terra nostra dabit fructum suum: iustitia ante eum ambulabit.* Psal. 114. *Misericors Dominus, & iustus.* Psal. 118. *Iustus es Domine, & rectum iudicium tuum.* 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, &c. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ; quam reddet mihi Dominus in illâ die iustus Iudex.* Ad Hebræ. 6. *Non enim iniustus Deus, vt obliuiscatur operis vestri.* Ad Rom. 4. *Ei autem, qui operatur, merces non imputatur secundùm gratiam, sed secundùm debitum.* Quo spectat tota parabola operariorum Math. 20. *Conuentione autem factâ cum operarijs ex denario diurno, misit eos in vineam suam, &c. Ite vos in vineam meam, &, quod iustum fuerit, dabo vobis, &c. Voca operarios, & redde illis mercedem, &c. Amice non facio tibi iniuriam, nonne ex denario conuenisti mecum. Tolle, quod tuum est, & vade.* Scripturam enim in his, alijsque multis locis similibus non de Iustitiâ propriâ, sed de metaphoricâ loqui, videtur profectò dici non posse. Præsertim, cùm in sensu proprio non in metaphorico à Patribus illa accipi videantur, vt ipsorum testimonia præseferunt.

257 Quibus probatur propositio secundò. August. lib. de Natur. & grat. cap. 2. ait. *Non est iniustus Deus, vt iustos fraudet mercede iustitiæ.* Et Serm. 16. de verbis Apost. *Debitorem se fecit, non tantùm sibi, sed & Christo, & nobis, vt illi dicere possimus. Redde quod promisisti: quia fecimus quod iussisti.* Pariterque loquitur alijs in locis. Ambros. in Psal. 118. serm. 7. *Vult Deus conueniri, vt, si quis proposita sequutus virtutibus præmia benè certauerit, fructum remunerationis expectet; quin etiam exigat: sicut habet scriptum. Certamen bonum certaui, & reposita est mihi corona iustitiæ.* Similiaque habent Fulgent. in Præfat. lib. ad Monimum, Chrysost. homil. 4 de Lazaro circa medium, & homil. 8. in epist. ad Rom. colum. 2. vbi Deum vocat *debitorem iustis, non vilium rerum, sed magnarum, sublimiumque*, Et Cyprian. lib. de Opere, & de eleemos. vbi de misericorde dicit, *Deum sibi computat debitorem*, Bernard. tract. de Liber. arbitr. fine. *Promissa ex misericordiâ ex iustitiâ soluenda*. Mitto alia,

Et probo ratione propositionem. Quia 258
virtus moralis in suo conceptu præcisio nullam importans imperfectionem Deo repugnantem propriè reperitur in Deo. Sed talis est virtus cardinalis iustitiæ sumpta genericè, prout de eâ loquimur. Ergo propriè reperitur in Deo. Maior apud omnes est certa. Et consequentia est legitima. Minor autem constabit; cùm in sequentibus probauerimus, singulas species virtutis Iustitiæ cardinalis in suis conceptibus præcisis nullam imperfectionem Deo repugnantem importare. Siquidem manifestum, est genus non posse imperfectionem importare, quando eam non importat species, in qua illud concluditur.

Propositio 3.

Iustitia commutatiua propriè dicta 259
reperitur in Deo.

Hanc propositionem tenent Scar. in Opusc. de Iustitia, & tom. 1. in 3. par. disput. 4. sect. 5. & lib. 12. de Grat. cap. 3. Valent. 1. par q. 21. punct. 1. Tann. tom. 4. disp. 1. quæst. 2. dub. 5. & 6. Fasol. 1. par. quæst. 21. art. 1. dub. 2. Granad. tract. 7. disput. 4. Rebell. lib. 1. de Iust. quæst. 4. sect. 4. Raynaud. in Theol. nat. disput. 8. quæst. 2. Martinon 1. par. disput. 17. Caret. disput. 35. & apud eos alij. Contra Vazq. 1. par. disput. 85. & 86. & 1. 2. disput. 223. & 3. par. disput. 7. & 8. Molin. 1. par. quæst. 21. art. 1. Alarc. tract. 3. disp. 8. cap. 6. & 7. Conine. de Actib. supern. disput. 8. dub. 5. Card. de Lugo tom. de Incarn. disp. 3. tenentes oppositam cum alijs à se relatis.

Probatur autem primò testimonijs Scriptu- 260
ræ, & Patrum pro proposit. 2. commemoratis; ijs præsertim, quibus ponitur redditurus nobis vt iustus Iudex gloriam tanquam coronam, siue mercedem debitam ex iustitiâ. Huiusmodi quippe gloriæ redditio ex conceptu suo manifestè est actus proprius iustitiæ commutatiuæ. Talis igitur iustitia cum proprietate accepta censenda omnino est in Deo adstrui per talia testimonia; vtpotè quæ nequaquam possunt ad sensum metaphoricum detorqueri.

Secundò probatur. Quia concors est Theo- 261
logorum, ac Iuristarum sententia, per promissionem onerosam, onere expleto, induci in promittente debitum proprium iustitiæ commutatiuæ, & in promissario ius exigendi rem promissam. Sed Deus nobis promittit gloriam sub onere; quòd rectè operemur, & eam nostris operibus ac laboribus mereamur. Igitur à nobis positis talibus meritis, ex propriâ iustitiâ commutatiua manet

manet Deus obligatus ad nobis gloriam conferendam: ipsaque subinde gloriæ collatio proprius ipsius iustitiæ commutatiuæ actus in Deo
262 est.

Tertiò probatur. Quia, vt arguebam num. 258. virtus moralis in suo conceptu præciso nullam importans imperfectionem Deo repugnantem propriè reperitur in Deo. Sed talis est virtus iustitiæ commutatiuæ ex suo præciso conceptu. Ergo propriè reperitur in Deo. Maior apud omnes est certa. Et consequentia est legitima. Minor autem ostenditur. Quia ad constituendum conceptum præcisum iustitiæ commutatiuæ tria præcisè sunt requisita iuxta doctrinam communem, & certam Theologorum, & Iuristarum num. 261. suppositam; promissio onerosa promittentis, & expletio oneris promissarij inducentes obligationem iustitiæ commutatiuæ in promittente, & ius ad rem promissam in promissario, talisque obligationis impletio per collationem rei promissæ. In his autem tribus, compertum est, nullam inuolui imperfectionem repugnantem Deo: quandoquidem citra vllam eiusmodi imperfectionem dantur de facto, dum nobis Deus sub onere meritorum promittit gloriam, ipsamque habentibus merita confert; vt ex Scripturâ constat. Igitur iustitia commutatiua ex suo conceptu præciso nullam imperfectionem
Deo repugnantem importat. Quæ minor osten-
263 denda erat.

Quartò probatur. Quia actus, quo Deus dat iustis gloriam tanquam ex sua promissione debitam propter eorum merita, ficque seruat ipsorum ius per merita ipsa acquisitum, prout constat ex locis Scripturæ, & Patrum supra indicatis; actus alicuius virtutis moralis est. Sed non alterius, quàm iustitiæ commutatiuæ. Ergo huius omnino. Cætera patent. Minor probatur. Quia, si esset alterius, maximè virtutis fidelitatis, vt cum Vazq. 1. 2. disput. 8. cap. 6. tenent communiter Aduersarij. Virtutis autem fidelitatis actum non esse. Probatur primò; quia, licèt ex promissione purè gratiosa, seu liberali possit nasci, fæpeque defacto nascatur obligatio standi promissis vel solius fidelitatis, vel iustitiæ commutatiuæ pro voluntate promittentis, vt benè docet Molina tom. 2. de Iustit. & iur. disput. 262. at ex promissione onerosâ semper nascitur obligatio iustitiæ commutatiuæ, vt cernitur in contractibus onerosis, quos homines inter se faciunt. Promissio autem, qua Deus hominibus promittit gloriam, non aliter dandam, quam propter merita, onerosa est, vt constat. Secundò; quia, vt benè etiam Molina ibidem, quando promissio solam inducit obligationem fidelitatis, non dat promissario actionem, seu ius ad rem promissam. At promissio Dei actionem, seu ius ad gloriam dat habenti merita, vt loca Scripturæ, & Patrum commemorata satis clarè indicant. Ergo obligatio, qua Deus ex suâ promissione tenetur dare gloriam habenti merita, non fidelitatis solius, sed iustitiæ commutatiuæ obligatio est: ad talemque proinde virtutem
264 spectat ipsa collatio gloriæ.

Multa contra propositionem datam opponunt Aduersarij. Sed quæ in eo tandem fundamento nituntur; quòd Deus titulo causæ primæ factiuæ, conseruatiuæque omnium amplissimum, ac perfectissimum dominium omnium habet, quod à se abdicare non potest, sicut nec titulum in quo fundatur. Hinc autem fit, vt in creatura ius contra Deum esse non possit, adhuc datum ab ipso Deo, cui teneatur satisfacere Deus, ex iustitiâ commutatiuâ quidpiam præstando. Teneretur enim id præstare, iure creaturæ obligante; & non teneretur, iure proprio dominij sui à tali obligatione existimente: quod est implicatorium. Ob id domini ad seruum, & patris ad filium non emancipatum iustitia commutatiua dari non potest iuxta Aristot. lib. 8. Ethic. cap. vltim. quia omnium pertinentium ad seruum dominus, & omnium pertinentium ad filium pater vniuersaliâ dominia habent.

Sed; quidquid sit de exemplis domini, & 265
serui, patrisque, & filij, inter quos iure saltem naturæ, & seclusis legibus positiuis, varijs in casibus iustitia commutatiua dari potest: inter quos item ex vnâ parte, & Deum, creaturamque ex alterâ variæ ad rem dantur disparitates, vt apud Auctores nostræ sententiæ videri potest. Sat nobis sit impræsentiarùm breuiter explicare, quomodò cum perfectissimo dominio Dei, & ei essentiali iustitia ipsius commutatiua erga creaturam componi possit.

Plerique Auctores nostræ sententiæ ideirco 266
censent, posse componi: quia, inquiunt, dominium vniuersale altum, atque supremum Dei dominio particulari, priuatoque creaturæ non aduersatur; cùm certum sit, quamlibet creaturam rationalem verum, propriumque dominium habere suarum rerum, etiamsi Deus earumdem quoque rerum dominium habeat: esse enim dominium creaturæ subordinatum dominio Dei, atque ita benè cum illo cohærere. Sed certè non animaduertunt, dominium vniuscuiusque subiecti ius ipsius esse respectiuum ad alia subiecta, & contra illa, obligans videlicet ipsa, ne ei contraueniant. Dominium autem, quod creatura habet suarum rerum, etsi tale sit respectiuè ad alias creaturas, & contra ipsas, at tale non est, nec esse potest respectiuè ad Deum, & contra ipsum, prout opus erat, vt Deus teneretur ei non contrauenire ex iustitiâ commutatiuâ. Stante enim dominio diuino cuiusuis rei, repugnat, quòd creatura vlla habeat dominium talis rei respectiuè ad Deum; quantumuis illud possit habere respectiuè ad alias creaturas. Vniuersaliter namque verissimum est, quod omnes Theologi, atque Iuristæ vnanimiter tenent, prout videri potest apud Vazq. tom. de Incarn. disput. 8. cap. 4. & disput. 87. cap. 6. Card. de Lugo tom. de Incarn. disput. 3. sect. 1. & tom. 1. de Iust. & iure disput. 2. sect. 1. & 2. Petr. Hurt. tom. de Incarn. disput 12. sect. 5. Vuading. tom. de Incarn. disput. 11. dub. 4. Arriag. 1. par. disput. 30. sect. 2. Carlet. 1. par. disp. 34 & apud alios. Nimirum, duo subiecta dominium eiusdem rei ad omnes eius vsus insolidùm habere non posse, prout traditur in leg. *Si certo*, ff. *De acquirendâ possessione*. Cuius ratio euidens est. Quia ius ad vtendum aliqua re supponit essentialiter potentiam ad talem vsum, vt constat. Cùmque ad impossibile non detur potentia; nec ius ad impossibile dari potest, vt est notissimum. Si autem duo subiecta duo dominia eiusdem rei haberent insolidùm, quorum alterum saltem esset ad omnes illius vsus, (quale semper est dominium diuinum), ius ad impossibile in talibus subiectis daretur, ad coniunctum scilicet chymæricum ex duobus quibusque vsibus inter se oppositis talis rei, quales sunt, eam simul conseruare, & destruere; alienare, & non alienare, mouere, & non mouere, &c. Re-

pugnant igitur in duobus quibusque subiectis, atque adeò etiam in creatura, & Deo duo huiusmodi dominia insolidùm eiusdem rei: qualia essent, si dominium, quod creatura habet suarum rerum, tale esset respectiuè ad Deum; vti est respectiuè ad alias creaturas. Vtrùm autem in instanti donationis in donante simul, & donatario duo sint dominia insolidùm rei donatæ, ad duos scilicet eius vsus donandi, & accipiendi, qui oppositi inter se non sunt: sub controuersiâ inter citatos Auctores est. Ego censeo cum Carleton, in solo donatario esse dominium talis rei pro tali instanti. Cuius probationes apud ipsum disput. 34. citatâ sect. 3. & sequentibus videri possunt. Ad nostrum enim propositum satis est, ex dictis concludere contra Auctores commemoratos, dominium, quod creatura habet suarum rerum compatibile cum dominio Dei impertinens esse ad hoc, vt Deus erga illam iustitiam commutatiuam habere possit: cùm non sit dominium respectiuè ad Deum, refundens in ipsum obligationem talis iustitiæ, ne sibi contraueniat.

267 Aliter ergo est expedienda compositio, quam venamur, iustitiæ commutatiuæ Dei erga creaturam cum vniuersalissimo illius, ac profectissimo dominio. Pro quo suppono primò principium certum paulò ante iam indicatum; scilicet dominium in Deo ad impossibile non dari; sicut neque datur potentia: sed tantùm ad possibile. Ex quo primò fit, Deum non habere Dominium ad ponendum simul duo quælibet extrema opposita; licèt ad ponendum quoduis eorum seorsim dominium habeat: quia quoduis seorsim est possibile; coniunctum verò ex ambobus est impossibile. Secundò fit, quando vnum extremum cum altero connexum est, Deum non habere dominium ad ponendum primum sine secundo: quia hoc est impossibile: licèt dominium habeat ad omittendum secundùm seorsim à positione primi: quia hoc est possibile. Vnde fit tertiò, dum Deus ponit vnum extremum oppositum alteri, quodammodò abdicare à se dominium ponendi alterum; &, dum Deus ponit vnum extremum connexum cum altero, quodammodò abdicare à se dominum omittendi alterum. Non quia Deus dominium aliquod amittat, quod semel habuit: id enim repugnat. Sed quia dominium absolutum, quod in Deo datur ad ponendum quoduis ex extremis oppositis in signo priori ante positionem vnius eorum, in signo posteriori ipsius positionis non datur: & dominium absolutum, quod in Deo datur ad omittendum extremum terminans connexionem alterius in signo priori ante huius positionem, non datur in signo posteriori ipsius positionis. Cæteroquin dominium conditionatum, siue ex suppositione, quod ex suppositionibus dictis Deus non habet, nunquam omnino habuit: quia est dominium ad impossibile; quale habere non potest. Sed verò; quia Deus purificando liberè conditiones talium suppositionum, liberè ponit impedimentum, quominùs dominium illud antecedens, & absolutum, quod verè habet possit prodire in actum; per talem purificationem virtualiter, siue æquiualenter censetur tale dominium à se abdicare. Sic, dum Deus ex duobus extremis oppositis vnum liberè ponit, virtualiter censetur abdicare à se dominium ponendi alterum: &, dum Deus ex duobus extremis habentibus inter se connexionem id ponit liberè, quod est connexum, virtualiter censetur abdicare à se dominium omittendi alterum, quod est terminus connexionis.

Suppono secundò etiam vt certum, promissionem diuinam essentialiter esse connexam cum obiecto suo, & consequenter oppositam negationi eius. Quia impossibile est, Deum non stare promissis, vt constat: & consequenter, existere promissionem Dei, quin existat obiectum eius pro tempore, pro quo est promissum. Vnde fit primò, promissionem, qua Deus promittit conferre homini gloriam, si habuerit merita, cum collatione gloriæ connecti, & eius negationi opponi sub conditione, quod sint merita; atque adeò etiam absolutè, quando absolutè merita existunt. Secundò fit iuxta vniuersalem doctrinam suppositionis primæ, dum Deus talem promissionem ponit, virtualiter abdicare à se dominium, quod ante eius positionem habet ad negandum homini gloriam, illudque in hominem transferre; conditionatis scilicet abdicatione, & translatione, antequam absolutè merita existant, sed, quæ tranleunt in absolutas, positis meritis absolutè. Ex quo fit tertiò, suppositâ promissione diuinâ, dum homo absolutè ponit merita vsque ad finem perseuerantiæ, dominium, siue ius absolutum ad gloriam habendam sibi acquirere, illudque respectiuè ad Deum, & contra ipsum: quia Deus ex suppositione tum suæ promissionis, tum meritorum hominis neque dominium, neque ius habet ad negandum homini gloriam; imo ex tali suppositione tale dominium, taleque ius ipsi est impossibile, & necessaria obligatio opposita, eaque iustitiæ commutatiuæ, conferendi gloriam ipsi homini, Obligatio quippe iustitiæ ad conferendum quidpiam alteri nullatenus est compatibilis cum dominio, siue cum iure ad negandum illud. 268

Quæ cum ita sint, iam liquidò apparet, quomodò cum dominio supremo, quod Deus habet omnium rerum, benè componatur in ipso obligatio iustitiæ commutatiuæ ad conferendum homini gloriam oriunda à suâ promissione, simul & ab hominis meritis: quomodòque subinde collatio, qua Deus homini confert gloriam propter merita, actus iustitiæ commutatiuæ sit. Habere quippe dictam abligationem, qua Deus obligatus manet ad conferendam homini gloriam, suppositâ promissione suâ, & meritis eius, sufficientissimam similitudinem cum obligatione iustitiæ commutatiuæ, quam habet vnus homo ad soluendum alteri quoduis debitum, ad hoc, vt ab vtraque abstrahatur vnicus conceptus vniuocus vtrique communis, (quæcunque demum sint inter fundamenta earum differentiæ reipsâ) ex se, suppositis dictis, manifestissimum est. Talem autem conceptum communem esse, qui ex vsu communi Scripturæ, Patrum, Scholasticorum, & omnium, per nomen iustitiæ commutatiuæ significatur, etiam constat ex dictis. Igitur iuxta doctrinam generalem num. 246. statutam nihil desideratur, quominùs absolutè veniat dicendum, obligationem iustitiæ commutatiuæ erga homines, & consequenter actus eius in Deo dari cum omni proprietate, prout nostra propositio fert. Vnde etiam patet, quomodò ad omnia argumenta, quæ contra illam congerunt Aduersarij, sit respondendum, nempe differentias omnes, quæ inter Deum, & homines ad rem obtendunt, nihil omnino ad rem obstare, suppositio quod dictus conceptus vniuocus nomine iustitiæ commutatiuæ significetur, prout ex doctrinâ nuper citatâ ex num. 246. manifestum est. 269

Vnum

270 Vnum tamen superest argumentum opponendum contra omnes, quod apud nullum reperio tactum; & probare videtur, actum, quo Deus confert habenti merita gloriam promissam neque ad iustitiam commutatiuam, neque ad fidelitatem, neque ad aliam virtutem moralem spectare posse. Quia videlicet talis actus supponit promissionem Dei, & merita hominis: ex hacque suppositione Deo liber esse non potest, sed necessarius ei esse debet. Actus autem, qui Deo liber esse non potest, ad nullam Dei virtutem moralem potest pertinere. Igitur Deus, conferendo gloriam promissam habenti merita, neque iustitiam, neque fidelitatem, neque vllam aliam moralem virtutem exercet. Quod contra omnes, imo contra Scripturam, & Patres esse videtur.

271 Respondeo primò, promissionem conferendi homni gloriam, positis meritis, Deum non obligare, atque adeò neque necessitare ad collationem gloriæ ponendam ex hoc potiùs, quàm ex alio motiuo: liberumque subinde manere Deum ad eligendum inter plures suos actus internos collatiuos gloriæ: & consequenter, dum eligit, illam conferre ex motiuo compensandi merita, satisfaciendique iuri homini quæsito, actum saltem internum exercet liberum, honestumque formaliter honestè propriâ iustitiæ commutatiuæ. Secundò respondeo, promissionem eamdem, positis meritis, neque obligare neque necessitare Deum adhanc determinatam collationem externam gloriæ, sed ad aliquam ex possibilibus: liberumque subinde manere Deum ad eligendum ex illis omnibus, quam maluerit: & consequenter, dum hanc determinatam eligit ex motiuo prædicto, tam actum externum, quàm internum exercet liberum, honestumque formaliter propria honestate iustitiæ commutatiuæ. Puta, quoad excessum honestatis, quo tales actus superant minimos possibiles, iuxta vniuersalem doctrinam de imputabilitate actuum liberorum solâ libertate puræ electionis traditam quæst. 1. num. 119. sæpeque aliàs reperitam. Tertiò respondeo, estò Deus per suam promissionem, positis meritis, obligatus, necessitatusque maneret ad vnicum actum tum externum tum internum determinatum, adhuc posse vtrumque honestum formaliter euadere honestate iustitiæ commutatiuæ ratione libertatis mediatæ ab ipsâ promissione participatæ. Id enim eueniret, si Deus promitteret Petro talem collationem gloriæ determinatam, si haberet talia merita, ductus ad talem promissionem faciendam per scientiam conditionatâ, qua præuideret, ex hypothesi, quòd existeret talis promissio, talia merita, & talem collationem gloriæ ponenda esse, taleque suum internum decretum de collatione ipsâ naturâ suâ compensatiuum talium meritorum, satisfactiuumque iuri iustitiæ tali promissario quæsito. Ita enim cuncta hæc à libertate promissionis libera Deo mediatè euaderent, collatioque gloriæ, & eius decretum honesta formaliter honestate propriâ iustitiæ commutatiuæ.

Propositio 4.

272 Iustitia distributiua propriè dicta reperitur in Deo.

Hanc propositionem tenent S. Tho. 1. par. quæst. 21. art. 1. & ibi Valent. Fasolus, alijque plures, Soar. Opusc. de Iustitiâ Dei sect. 3. Bellarm. lib. 5. de Iustific. cap. 16. Rebell. lib. 1. de Iust. quæst. 4. sect. 5. Ruiz. disput. 58. de Volunt. Card. de Lugo disput. 1. de Iust. sect. 3. num. 60., & 61. Martinon 1. par. disput. 17. & apud eos alij contra Vazq. 1. par. disput. 86. & 1. 2. disput. 223. Coninc. disput. 8. de Actib. supern. dub. 5. Mœrat. disput. 14. de Iust. Molin. & Arrub. 1. par. quæst. 21. art. 1. & alios tenentes oppositam.

Est autem illius ratio. Quia munus Iustitiæ distributiuæ est, distribuere bona communia, aut etiam onera inter partes communitatis, attenta, seruataque proportione geometrica inter quantitatem dignitatis, meriti, siue alterius tituli ipsarum partium, & quantitatem ipsorum bonorum, aut onerum, ita vt, quantum vnaquæque pars excedit alteram, vel excediturab altera in quantitate dignitatis, meriti, siue alterius tituli, tantumdem excedat alteram, vel excedatur ab altera in quantitate boni, aut etiam oneris recepti. Sed Deus in distributione bonorum, aut etiam onerum, quæ inter partes communitatis huius Vniuersi tum rationales, tum etiam irrationales distribuit, huiusmodi proportionem geometricam multifariam obseruat. Igitur iustitiam distributiuam exercet: talisque subinde virtus in ipso cum proprietate reperitur. 273

Sed obijci contra illam potest primò. Iustitia distributiua in Superioribus creatis eos obligat sub peccato ad distribuenda inter suos subditos bona, muneraque communia cum eâ æqualitate proportionali, quam ipsa præscribit. Sed Deus talis obligationis capax non est. Ergo nec talis iustitiæ distributiuæ. Respondeo, obligationem, quam habet superior creatus ad distributionem bonorum, munerumque communium cum æqualitate prædictâ inter suos subditos faciendam, potissimum nasci, non ex stricto aliquo iure, quod subditi habeant ad illam: (ob id namque talis obligationis transgressio non obligat Superiorem ad quidpiam subditis restituendum, vt cum Lessio, Rebello, & alijs tenet Card. de Lugo disput. 1. de Iust. sect. 3. num. 51.): sed nasci ex vi muneris, vel ex aliquo pacto tacitè inito cum communitate, quam gubernat. Propterea que conceptus iustitiæ distributiuæ præcisè sumptus, qualiter respectiuè ad obiectum potiùs, quàm ad subiectum, consideratur, ab istâ obligatione præscindit: atque ita in Deo sine illâ cum proprietate reperitur; vt benè docet ipse Lugo ibid. num. 61. & latiùs explicat disp. 35. sect. 6. à num. 80. Adde, licèt ius minùs strictum, quod subditi reuerà habent ad bona communia, obligationem sub peccato inducat perse respectu Superioris creati; neutiquam illam inducere respectu Dei: sicut nec inducit ius naturale, quod habent aliæ creaturæ ad ea, quæ connaturaliter ipsis debentur: tametsi aliud genus latioris debiti inducat: quod Deus honestissimè potest, quandocunque vult, non implere. Vnde conceptus iustitiæ distributiuæ abstractus, Deoque, & creato Superiori communis semper ab omni obligatione sub peccato præscindit. 274

Secundò obijcitur ex Vazq. Dum Deus hominibus retribuit præmia pro meritis, non attendit ad æqualitatem geometricam proportionum, quæ veluti per accidens datur inter merita, & præmia omnium; sed ad æqualitatem arithmeticam, quæ datur inter præmium vniuscuiusque, 275

cuiusque, & meritum eius. Ergo non exercet iustitiam distributiuam. Respondeo primò, estò id esset verum in retributione gloriæ essentialis meritis hominum promissa, siue talis retributio sit actus fidelitatis, vt putat Vazq. siue sit actus iustitiæ commutatiuæ, vt nos statuimus proposit. 3. in alijs tamen distributionibus bonorum, aut etiàm onerum, quas Deus facit, falsum esse. E. g. quando pluribus recipientibus Eucharistiam inæquales dat portiones gratiæ penes inæquales dispositiones eorum, ad æqualitatem geometricam proportionum attendit proculdubio, vt, quam proportionem inter se habent dispositiones, quas communicantes adferunt ad communionem, eamdem inter se habeant portiones gratiæ, quas ex eà referunt. Tantumdemque est de distributione gratiæ ex opere operato, quæ recipitur à fidelibus in alijs sacramentis vel maior, vel minor penes singulorum dispositionem maiorem, vel minorem. Similiter gerit se Deus in permissionibus tentationum, & aliorum laborum proportionaliter ad vires hominum distributorum iuxta illud 1. ad Corinth. 10. *Fidelis autem Deus est, qui non patietur, vos tentari supra id, quod potestis, &c.*

376 Respondeo secundò, etiam in retributione gloriæ essentialis attendere Deum ad proportionem geometricam præmiorum cum meritis; iustitiamque proinde distributiuam exercere. Nam talis proportio re ipsa datur ex vnà parte; siquidem quantum vnusquisque Beatorum excedit alterum, aut exceditur ab altero in quantitate meriti, tantum excedit alterum, aut exceditur ab altero in quantitate præmij: ex aliâ verò parte ponere, intendereque talem proportionem specialem habet honestatem. Igitur Deus ad illam attendere, ipsamque intendere censendus est. Nec refert, in retributione gloriæ essentialis promissæ meritis exercere Deum iuxta sententiam nostram iustitiam commutatiuam. Quia nihil prohiber, vtramque iustitiam simul circa eamdem materiam exerceri: vti ipse Vazq. ait, euenire, quando debitor omnibus suis creditoribus integrè soluere non potest; soluitque singulis, quantum potest, seruatà proportione geometricà inter solutiones, & debita.

Propositio 5.

277 **Iustitia legalis propriè dicta reperitur in Deo.**

Hanc propositionem tenent Rebell. lib. 1. de Iust. quæst. 4 sect. 4. Ruiz disput. 57. de Volunt. Martinon 1. par. disput. 17. sect. 2. Franc. de Lugo de Deo disput. 36. cap. 6. & alij contra Soar. Opusc. de Iust. Dei sect. 4. Fasol. 1. par. quæst. 21. artic. 1. dub. 4. Carleton disput. 35. sect. 9. & alios.

278 Probatur autem. Quia iustitia legalis ea virtus est, qua pars communitatis prout talis bonum commune totius, cuius pars est, intendit, atque procurat: hoc namque specialem habet honestatem diuersam ab honestate aliarum virtutum, quæ circa alterum versantur: reperiturque non solùm in inferioribus, sed etiam in Superiore, seu Principe communitatem gubernante, quatenus hic pars quoque eiusdem communitatis est, & omnium præcipua, vt contra alios sentientes oppositum docet Cardin. de Lugo cum Valentiâ, & alijs disput. 1. de Iust. sect. 4. num. 67. Sed opera Dei in bonum commune totius Vniuersi cedunt, siue ipsi Vniuerso bona sunt: Deusque proculdubio tanquam caput, atque adeò pars præcipua eius sub eo respectu sæpe saltem intendit illa. Ergo sæpe saltem exercet iustitiam legalem; atque adeò talis virtus in ipso cum proprietate reperitur. De quo nullum potest esse dubium, supposità definitione eius communiori à nobis præmissâ. Auctores enim, qui à nobis in datâ propositione dissentiunt, alium conceptum importem conuenire Deo appellant iustitiam legalem. In qua dissensione de nomine non est hærendum. Quomodò autem iustitia legalis pars subiectiua iustitiæ strictæ poni possit; nec solùm sit potentialis, mox explicabimus.

Propositio. 6.

In Deo iustitia vindicatiua datur cum omni proprietate. 279

Si nomine iustitiæ vindicatiuæ intelligatur virtus residens in Superiore, seu gubernatore communitatis, cuius munus est vindictam sumere de malefactoribus, eosve propter delicta sua punire, certissima apud omnes est propositio. Tum quia passim in Scripturâ sacrâ asseritur, supponiturve Deus vindictam sumens de suis inimicis, siue de peccatoribus, aut eos puniens, vel post hanc vitam puniturus. Tum quia ex se est euidens, esse Deo maximè proprium, atque adeò honestum, immuneque ab omni imperfectione suorum subditorum rationalium delicta punire, atque adeò iustitiam vindicatiuam, cuius id munus sit, cum omni proprietate habere.

Solùm igitur inter Theologos est dissidium, an iustitia vindicatiua sit pars subiectiua iustitiæ strictæ, vel solùm pars potentialis illi annexa. Primum affirmant aliqui. Alij secundum. Et his fauere videtur S. Thomas, quatenus inter partes potentiales Iustitiæ, vindicationem ponit; de eâque inter illas tractat 2. 2. quæst. 108. Idemque est inter Theologos dissidium circa iustitiam legalem, affirmantibus alijs, esse eam partem subiectiuam, alijs verò tantùm potentialem Iustitiæ strictæ. 280

Ego imprimis censeo dissidia ista, sicut & pleraque alia, quæ circa essentias rerum versantur, tandem ad dissidia de nomine reduci posse. Quoniam, semel statutis conceptibus, essentijsve specificis earum quatuor virtutum, quæ iustitiæ appellantur, nempe commutatiuæ, distributiuæ, legalis, & vindicatiuæ, siue, quod recidit in idem, semel statuto, quinam conceptus obiectiuus, seu quænam essentia per vnumquodque talium nominum significetur; facile nobis est eà, quam habemus, promptitudine ad præscindendum abstrahere conceptum dictis quatuor virtutibus, eisque solis communem, & vniuocum, atque adeò genericum. Qui subinde conceptus genericus si nomine iustitiæ strictæ significetur, iam citra omne dubium omnes dictæ quatuor virtutes iustitiæ strictæ erunt partes subiectiuæ siuè specificæ: dissidiaque cessabunt. Si verò nomine iustitiæ strictæ non talis conceptus omnibus quatuor dictis virtutibus communis significetur, sed alius vel communis duabus tantùm, vel proprius vnius; compertum est, cæteras, quæ à tali significatione excluduntur, non esse partes subiectiuas,

ctiuas, siue specificas iustitiæ strictæ, sed potentiales, siue ei annexas propter aliqualem cum illâ latiorem, seu non exactam similitudinem. Pariterque etiam in tali casu planè cessant dissidia. Vnde patet, illa tandem redduci ad dissidia de modo loquendi ab arbitraria impositione nominum dependentia.

282 Deinde igitur censeo dicendum consentaneè ad doctrinam S. Thomæ, dictas quatuor virtutes partes subiectiuas, siue specificas esse iustitiæ strictæ. Ita quidem, vt ratio generica iustitiæ, quæ in eo stat iuxta S. Thomam, & omnes, vt alteri reddat secundùm æqualitatem, quod ei debetur, primò diuidatur tanquam in duo genera intermedia in iustitiam commutatiuam reddentem alteri æquale æqualitate arithmeticâ, & in iustitiam distributiuam reddentem alteri æquale æqualitate geometricâ. Ex quibus prima rursus diuidatur in iustitiam commutatiuam specialem reddentem alteri bonum æquale iuri stricto, quod habet ad illud, quòd ius prouenire illi potest à varijs causis; & in iustitiam vindicatiuam reddentem alteri pœnam æqualem merito, quod ad illam habet sibi proueniens à delicto. Secunda verò diuidatur in iustitiam distributiuam specialem reddentem partibus bona communitatis secundùm æqualitatem geometricam, & in iustitiam legalem reddentem communitati bona partium pariter secundùm æqualitatem geometricam. Iustitia quippe legalis eo ipso, quòd est partium quatenus talium ad totum, nequit non etiam respicere æqualitatem geometricam: quia partes penes sui inæqualitatem, & non aliter, debent inæqualiter, proportionaliterque concurrere ad bonum totius. Iam verò præter has quatuor species iustitiæ strictæ, quæ conceptum eius genericum exactè participant, cæteræ virtutes, quæ eatenus assimilantur illi, quatenus sunt ad alterum: non tamen exactè participant talem conceptum; vel quia non reddunt æquale; vel quia non reddunt debitum; id circo partes potentiales ipsius iustitiæ, siue ei annexæ nuncupantur; prout benè exponit S. Tho. 2. 2. quæst. 80. artic. vnic.

283 Quàm autem omnia dicta sint consentanea doctrinæ eius, constat primò: quia iustitiam vindicatiuam in Superiore residentem, de qua modò agimus, ad commutatiuam reducit; tametsi vindicationem residentem in singulis ponat inter partes iustitiæ dumtaxat potentiales. Ait enim in citato artic. ad 1. *Dicendum, quòd vindicta, quæ fit auctoritate publicæ potestatis secundùm sententiam iudicis, pertinet ad iustitiam commutatiuam, sed vindicta, quam quis facit proprio motu, non tamen contra legem, vel quam quis à iudice requirit, pertinet ad virtutem iustitiæ adiunctam.* Secundo: quia in eâdem 2. 2. quæst. 58. postquam essentiam iustitiæ in genere definierit, & explicauerit, de iustitiâ legali, (quæ generalis dicitur), & de iustitiâ particulari tanquam de duabus iustitijs specialibus disserit: cùmque aliunde quæst. 80. citatâ, & sequentibus inter partes iustitiæ pontentiales iustitiam legalem non recenseat, videtur sanè sentire, eam non potentialem tantùm, sed subiectiuam, siue specificam partem esse iustitiæ strictæ. Sed de his ad rem satis.

Propositio 7.

Quænam ex virtutibus iustitiæ annexis propriè reperiantur in Deo: & quænam non item; determinare. 284

Dico primò. Certissimum apud omnes est misericordiam propriè dictam in Deo reperiri. Quia nulla est virtus aut magis propria Dei, aut, quæ frequentius ei tribuatur in sacris Litteris. Nec dubitabile est, quin conceptus eius ab omnique imperfectione præcisus, vt sicque Deo, & creaturis communis per nomen *misericordia* significetur. Quo fit, vt neque sit dubitabile, quin misericordia propriè dicta reperiatur in Deo, iuxta doctrinam vniuersalem supra traditam num. 246.

Dico secundò. Liberalitas propriè dicta 285
in Deo datur. Sic tenent S. Tho. 1. par. quæst. 21. artic. 1. ad 1. & lib. 1. contra Gent. cap. 93. Soar. disput. 30. Metaphys. sect. 16. num. 61. & in Relect. de Iustitiâ Dei sect. 1. Less. lib. 2. de Iust. cap. 47. dub. 8. num. 58. Tann. 1. par. disput. 2. quæst. 10. dub. 2. num. 13. Carleton disput. 31. sect. 2. num. 12. & alij contra Vazq. tenentem oppositum 1. par. disput. 85. cap. 7. Probatur autem assertio nostra. Primò; quia iuxta Scripturam Deus *dat omnibus affluenter*. Iacob. 1. Et ita dat largiter, vt ex largitione suâ nihil speret. Lucæ 6. *Dare autem* (ait S. Tho. cap. 93. citato ratione 6.) *non propter aliquod commodum ex datione expectandum, sed propter ipsam bonitatem, & conuenientiam dationis, est actus liberalitatis, vt patet per Philosophum in 4. Ethicor. Deus igitur est maximè liberalis: & vt Auicena dicit, ipse solus liberalis propriè dici potest.* Secundò probatur; quia munus donandi, siue benefaciendi alteri gratis secundùm se, & præcisum ab omni imperfectione, cum qua coniungi solet in nobis, euidenter est honestum, & dignum Deo, adeòque repertum in illo. Sed tale munus cum tali præcisione est, quod nomine liberalitatis significatur iuxta vsum eius communem. Ergo iuxta generalem doctrinam statutam supra num. 246. liberalitas propriè dicta reperitur in Deo. Per quam rationem diluta manent, quæ in oppositum adduci aut solent, aut possunt.

Dico tertiò. Gratitudo propriè dicta 286
etiam reperitur in Deo. Ita Vazq. 1. 2. disp. 215. cap. 1. & disput. 223. cap. 8. Lorca disput. 44. de Gratia §. *His præmissis*. Alarc. disput. 8. de Volunt. cap. 3. & alij contra Soar. lib. 12. de Gratiâ cap. 30. num. 12. Coninc. disput. 8. de Actib. supern. dub. 1. num. 8. Raynaud. in Theolog. natur. distinct. 8. quæst. 2. artic. 5. num. 94. Martinon disput. 17. de Deo num. 39. & alios tenentes oppositum. Probatur autem assertio nostra. Quia munus gratitudinis etiam in nobis non solùm est agere gratias alijs pro beneficijs ab eis acceptis vtilibus, seu commodis nobis; sed etiam pro alijs operibus nullatenus nobis proficuis, sed nobis tamen gratis, siue placentibus, aut etiam in gratiam nostram, siue ad nostrum beneplacitum factis; vt vel ipsâ experientiâ constat. Ergo, quanuis Deus suis creaturis gratias agere nequeat pro beneficijs ab eis acceptis vtilibus sibi, seu commodis: quia talium beneficiorum capax non est: potest tamen eis gratias agere pro earum operibus sibi gratis, siue placentibus, aut etiam in gratiam

tiam sui, siue ad suum beneplacitum factis: quæ quidem gratiarum actio de suo honesta, & Deo digna est procul dubio. Gratitudo igitur rependens opera grata, facta ve in gratiam gratificantis: quam solam prima sententia adstruit in Deo, neque negare potest secunda; ea est, quam dicimus in Deo propriè reperiri. Tametsi gratitudo rependens beneficia stricta facta gratificanti, quam solam remouet à Deo secunda sententia, neque prima dissentit, in Deo propriè non reperiatur: quod & nos fatemur. Quo & Theologorum dissidium, & ipsa res composita manent.

287 Dico quartò. Amicitia propriè dicta erga creaturas rationales etiam reperitur in Deo. Hæc assertio communis est inter Theologos. Probataque à nobis disput. 34. quæst. 6. proposit. 2. Egimus autem ibi de amicitiâ secundùm *esse* physicum eius. Quomodò autem eius honestas cum *esse* physico, cumque motiuo ipsius componatur, ex generali doctrinâ tradita in hac disput. quæst. 1. compertum est.

288 Hic tamen venit aduertendum, præter amicitiam strictam, de qua loco citato, aliam virtutem nuncupari etiam amicitiam, de qua agit S. Tho. 2. 2. quæst. 114. & proprio vocabulo dicitur Affabilitas. Cuius munus est ita conuersationem nostram cum proximis moderari in dictis, & factis, vt eis sit grata, & delectabilis. Hanc autem virtutem reperiri item in Deo propriè, benè docet Smising. Tract. 3. de Deo disput. 4. quæst. 6. num. 92. Quia nullam in suo præciso conceptu importat imperfectionem Deo repugnantem: imo summam diuinæ voluntatis præ se fert perfectionem, seu bonitatem. Exercet enim Deus cum hominibus virtutem hanc, quando variis, mirisque modis cum illis amicabiliter, atque adeò affabiliter conuersatur. Vt cùm Moysi *loquebatur facie ad faciem*. Exod. 33. Alijsque Prophetis, & specialibus suis amicis secreta sua communicabat; indiesque communicat.

289 Dico quintò. Veritas, siue veracitas, atque etiam fidelitas propriissimè reperiuntur in Deo. Assertio hæc omnino est certa. Quia conformare dicta cum mente, seu loqui verè; quod est munus veracitatis: & stare promissis, seu promissionem implere; quod est munus fidelitatis, ita citra omnem imperfectionem honestum est, vt etiam sit prorsus obligatorium sub peccato. Quo fit, vt prorsus sit impossibile, aut Deum loqui non verè, siue mentiri, aut, Deum promissis non stare, seu promissionem non implere. Quæ omnia clarè constant ex sacra Scripturâ. *Deus verax est*. Ioan. 3. & 8. ad Rom. 3. & sæpe alibi. *Fidelis Deus*. 1. ad Corinth. 2. & 10. 1. ad Thessal. 3. 2. ad Timoth. 2. sæpeque alias. *In spem vitæ æternæ: quam promisit, qui non mentitur*. ad Tit. 1. *Vt per duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habeamus*. ad Hebræ. 6. Vbi duas res immobiles, id est, immutabilis veritatis, vocat Dei promissionem, & iuramentum. Quomodò autem sit impossibile, mentiri Deum, adhuc per alium, latè tractatur à Theologis in materiâ de Fide.

290 Dico sextò. Virtutes, quæ ex conceptu suo dicunt, siue supponunt submissionem, siue subiectionem ad alterum tanquam ad superiorem in Deo propriè reperiri non possunt. Quia nullum Deus superiorem habet. Tales sunt Religio, quæ Deo vt supremo omnium Principio defert cultum à suis creaturis debitum. Pietas, quæ debitam reuerentiam, aliaque bona præstat Parentibus. Obseruantia, quæ Superioribus indignitate debitam reddit reuerentiam, & submissionem. Obedientia, quæ Superiorum implet mandata. Et Epicheia, quæ leges siue præcepta Superiorum interpretatur. In quo Doctores omnes conueniunt. Hactenusque de Iustitiâ, & alijs virtutibus ei annexis.

Propositio 8.

Fortitudo, contracto hoc vocabulo 291
ad virtutem, quæ in nobis moderatur passiones timoris, & audaciæ nullatenus conuenit Deo. Fortitudo verò ab omni imperfectione præcisa Deo concedenda videtur propriè, & formaliter.

Prior pars propositionis est certa. Quia in Deo non dantur passiones timoris, & audaciæ à virtute fortitudinis moderandæ; & hæc est fortitudo, quam S. Tho. 1. par. quæst. 21. artic. 1. ad 1. & latiùs lib. 1. contra Gent. cap. 92. alijque Theologi communiter denegant Deo.

Posterior autem pars probatur. Primò; 292
quia sæpissimè in sacrâ Scripturâ tribuitur Deo fortitudo. Genes. 46. *Ego sum fortissimus Deus.* 1. Reg. 2. *Non est fortis, sicut Deus noster.* 2. Esdr. 1. *Deus Cæli fortis.* Psal. 7. *Deus Iudex iustus, fortis, & patiens.* Psal. 70. *Et tu adiutor fortis.* Apocal. 18. *Quia fortis est Deus.* Num. 14. *Magnificetur ergo fortitudo Domini.* Apocal. 7. *Virtus, & fortitudo Deo nostro.* Ierem. 32. *Domine Deus ecce tu fecisti cœlum, & terram in fortitudine tuâ magnâ, & in brachio tuo extento.* Similiaque passim repetuntur. Moysesque in suo cantico Exod. 15. totus est in laudandâ fortitudine, qua Deus suum Populum transuexit per mare rubrum, submersis inimicis. *Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine. Quis similis tui in fortibus Domine, &c.* Eas quippe non est, tam frequentem, tamque repetitam sacræ Scripturæ loquutionem ad sensum translatitium traducere.

Secundò probatur; quia conceptus præ- 293
cisus honestè aggrediendi, atque operandi res magnas contra vim, siue impetum quorumuis impedimentorum aliarum causarum seu naturalium, seu liberarum se se opponentium, siue occurrentium, ex vnâ parte nullam fert secum imperfectionem repugnantem Deo; ex aliâ verò parte communis, & vniuocus est fortitudini Dei & fortitudini creaturæ; ex aliâ denique parte nomine fortitudinis prolato absolutè talis conceptus præcisus significari videtur iuxta communem vsum. His autem suppositis, planè sequitur absolutè dicendum, fortitudinem propriè dictam in Deo reperiri, iuxta vniuersalem doctrinam præmissam num. 246.

Propositio. 9.

Quænam ex virtutibus fortitudini annexis propriè reperiantur in Deo & quænam non item; determinare. 294

Dico

Dico primò. Magnificentia propriè dicta datur in Deo. Ita S. Tho. 1. par. quæst. 21. art. 1. ad 1. & alij. Probaturque primo ex sacrâ Scripturâ sæpissimè Deo virtutem hanc attribuente. Exod. 15. *Magnificus in sanctitate*. Isaiæ. 33. *Magnificus est Dominus noster*. Deuter. 33. *Magnificentia eius discurrunt nubes*. 1. Paralip. 29. *Tua est Domine magnificentia*, Psal. 67. *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus*. Psal. 110. *Confessio, & magnificentia opus eius*. Eccles. 43. *Admirabilis magnificentiæ eius*. & cap. 44. *Multam gloriam fecit Dominus magnificentiâ suâ à sæculo*. Sæpeque alibi. Tam reperita enim Scripturæ loquutio ad metaphoricum sensum detorqueri non potest.

295 Secundò probatur. Quia, vt definit Cicero apud August. Tract. 83. quæstionum quæst. 31. *Magnificentia est rerum magnarum, & excelsarum cum amplâ quadam, & splendida propositione cogitatio, atque administratio*, Constat autem exse, huius virtutis conceptum sumptum ita præcisè, & ab omni imperfectione immunem, & Deo, creaturæque communem esse: atque adeò in Deo cum proprietate reperiri.

296 Vnde inferendum venit, Magnanimitatem quoque conuenire Deo cum proprietate. Nam hæc virtus ab illâ tantùm differt penes maiorem amplitudinem materiæ suæ. Habet enim Magnanimitas pro motiuo rationem magni in materiâ omnium virtutum; cùm tamen Magnificentia eam respiciat tantùm in aliquo opere externo, vt docet, optimèque explicat S. Tho. 2. 2. quæst. 134. artic. 2. ad 2. *Vnde* (concludit ibi) *oportet, quòd, sicut Magnanimitas intendit aliquod magnum in omni materiâ, ita & Magnificentia in omni opere factibili*. De quo videri potest Lessius latè differens lib. 3. de Iust. cap. 2. dub. 2. & 4.

297 Dico secundò. Patientia, & Longanimitas cum proprietate etiam reperiuntur in Deo. Probatur primò; quia sæpe Deo attribuuntur in sacris Litteris. Exod. 34. *Dominator Domine Deus misericors, & clemens, patiens, & multæ miserationis, & verax*. Num. 18. *Dominus patiens, & multæ misericordiæ*. Iudit. 8. *Patiens Dominus est*. Psal. 7. *Deus iudex iustus, fortis, & patiens*. Psal. 85. *Deus miserator, & misericors, patiens*. Psal. 144. *Misericors Dominus, patiens*. Eccl. 5. *Altissimus enim est patiens redditor*. & cap. 18. *Patiens est Deus*. Ioel. 2. *Patiens, & multæ misericordiæ*. Ionæ 4. *Patiens, & multæ miserationis*. 2. Esdræ. 9. *Deus propitius, clemens, & misericors, longanimis, & multæ miserationis*. Psal. 102. *Longanimis, & multum misericors*. ad Rom. 2. *An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* 2. Petr. 3. *Domini nostri longanimitatem*. Similiaque alibi. Hæc autem non posse sumi metaphoricè, manifestum est. Tum quia tam multa. Tum quia patientia, & longanimitas plerunque inter alias virtutus recensentur; quæ propriè citra omne dubium reperiuntur in Deo.

298 Ratio autem assertionis est. Quia conceptus sufferendi, & tolerandi ea, quæ displicent, præcisus ab eo, quòd illa sint, aut non sint nociua subiecto, honestus est, ab omnique imperfectione immunis, atque adeò communis Deo, & creaturis; illeque citra dubium est, qui iuxta communem vsum significatur per nomen patientiæ, &, quando fert secum diuturnitatem temporis, per nomen longanimitatis. Igitur iuxta doctrinam sæpe citatam ex num. 246. Patientia, & Longanimitas cum proprietate reperiuntur in Deo.

Dico tertiò. Perseuerantia, & constantia 299
propriè non reperiuntur in Deo. Quia nomina hæc ex vsu, & conceptione communi virtutes morales significant firmantes subiectum suum in bonis propositis honestè, & laudabiliter operandi. Firmitas autem propositorum, seu decretorum Dei non ab aliqua morali virtute habetur; sed ab ipsorum physicâ proprietate omninò necessaria Deo, quæ est eorum immutabilitas.

Propositio 10.

Virtus temperantiæ propriè sumpta 300
non datur in Deo.

Ita S. Tho. 1. par. quæst. 21. artic. 1. ad 1. & latiùs lib. 1. contra Gent. cap. 92. & cæteri Theologi communiter. Ratio autem propositionis est. Quia nomen temperantia ex vsu communi dumtaxat significat propriè eam virtutem, quæ in moderandis delectationibus, præsertim corporalibus gustus, & tactus subiecti, in quo est, distinetur. Huiusmodi autem delectationum moderatio longissimè à Deo abest, vt constat.

Propositio 11.

Quænam ex virtutibus temperan- 301
tiæ annexis propriè reperiantur in Deo; & quænam non item; determinare.

Dico primò. Mansuetudo, & Clementia propriè reperiuntur in Deo. Cuius probatio prima est: quia sæpe in sacrâ Scripturâ Deo tribuuntur. Daniel 3. *Fac nobiscum iuxta mansuetudinem tuam*. 2. Reg. 22. *Mansuetudo tua multiplicauit me*. Psal. 85. *Quoniam tu Domine suauis, & mitis*. Exod. 33. *Clemens ero*. & cap. 4. *Misericors, & clemens*. 2. Paralip. 30. *Pius enim, & clemens est*. Dominus Deus vester. 2. Esdræ 9. *Deus propitius, clemens, & misericors*. & rursus. *Clemens es tu*. Ionæ 4. *Tu Deus clemens*. Iudic. 5. *Iustitiæ Domini, & clementia*. Frequensque Scripturæ loquutio non metaphoricè, sed propriè debet accipi, prout sæpe dictum est.

Ratione autem probatur assertio. Quia 302
mansuetudo virtus est in omnibus temperans iram, siue appetitum vindictæ. A qua solùm differt clementia, quòd propria Superiorum est, in eisque temperat pariter voluntatem vindicatiuam, seu punitiuam delictorum, rigoremque vindicationis, seu punitionis. Cùm ergo in Deo propriè reperiatur ira sumpta pro voluntate puniendi peccata iuxta ea, quæ dicebamus supra disput. 34. quæst. 7. num. 84. Tum etiam iustitia vindicatiua, prout nuper vidimus proposit. 6. Consequens est, vt, dum Deus pro suâ infinitâ bonitatè, eximiâque misericordiâ, vel peccatores ad pœnitentiam expectando, vel eis parcendo, vel eorum punitionem aut differendo, aut mitigando, iustam suam iram veluti reprimit, iustitiamve suam vindicatiuam quasi coercet, ne in actum prodeat; mansuetudinem, atque clemen-

tiam propriè dictas exerceat. Huiusmodi igitur virtutes cum proprietate dari in Deo, dicendum est.

503 Dico secundò. Ex cæteris virtutibus Temperantiæ annexis nulla alia propriè reperitur in Deo. Quoniam omnes illæ ex proprijs conceptibus iuxta vsum communem vocabulorum, quibus significantur, aut claudunt in se, aut essentialiter connotant, siue supponunt aliqua, quæ vel prorsus repugnant Deo, vel remotissima ab ipso sunt. Nempe Abstinentia, & Sobrietas affectum, & vsum in esculentis, & poculentis moderantur. Castitas, Pudicitia, & Virginitas delectationes, resque venereas secundùm rationis normam vel comprimunt, vel componunt, vel penitus compescunt. Continentia contra impetus passionum, præsertim carnalium, animum firmat. Modestia moribus, & gestibus corporis, cultuique, & apparatui externo modum imponit. *Humilitas est virtus*, (secundùm Bernard. lib. de Grad. humil.) *qua quis verissimâ sui cognitione sibi ipsi vilescit*. Studiositas sciendi appetitum moderatur, gubernatque iuxta rationis regulas. Eutrapelia denique in ludicris decorum seruat. Quarum virtutum omnium functiones, ac munia quàm à Deo sint aliena, nemo non videt.

TRACTATVS XI.

DE PROVIDENTIA DEI IN COMMVNI.

QVONIAM Prouidentia diuina tota est in ordinandis medijs ad suum finem, prima huius Tractatus disputatio, & iuxta totius Operis ordinem trigessima sexta, eaque secundùm ipsius Operis methodum Philosophica, de ordinatione mediorum in finem in vniuersùm erit. Secunda de naturâ Prouidentiæ Dei, & partium eius. Tertia de Prouidentiâ Dei adiuctrice causarum secundarum. Quarta de Pronidentiâ Dei prædefinitiuâ rerum. Quinta de Prouidentiâ Dei supernaturali.

DISPVTATIO 36.

De ordinatione mediorum in finem in vniuersùm.

IN hac disputatione de naturâ, & proprietatibus tum finis, tum mediorum, tum actuum, quibus hæc ad illum ordinantur, generatim, breuiterque tractandum nobis est.

QVAESTIO I.

Quid sit finis. Quid medium. Et quotuplex.

1 FInis secundùm Aristot. lib. 2, Phys. text. 39. & lib. 2. Metaph. text. 8. alioſque Philosophos *est, cuius gratiâ cætera fiunt*. Diuiditur autem finis communiter in finem *cui*, & finem *qui*. Finis *cui* dicitur subiectum, cui voluntas vult bonum. Finis autem *qui* dicitur ipsum bonum subiecto volitum. Multique absolutè pronunciant, finem integrum *cuius gratiâ* ex fine *cui*, & fine *qui* tanquam ex duabus partibus adæquari. Medium autem etiam secundùm omnes est id, quod assumitur ad consequendum finem, quatenus ad eius consequutionem aliquâ ratione conducens.

2 Ego, vt cuncta declarem, suppono, quæ ex dictis latiùs tom. 1. disput. 15. quæst. 1. & 3. aliàs suppositi supra disput. 32. quæst. 1. Primò; obiectum voluntatis in vniuersùm esse bonum, & malum; illud prosequutionis, hoc fugæ. Secundò; bonum aliud absolutum esse, aliud relatum: relatumque diuidi in honestum, delectabile, & vtile: sub delectabilique cadedere, quidquid cuiuis subiecto etiam insensibili conueniens est. Tertiò; bonum absolutum, honestum, & delectabile formaliter, & ratione sui esse bona, vtile verò tantùm esse bonum causatiuè, & quatenus conducit, vt existat quoduis aliorum trium. Quartò; malum pariter diuidendum in absolutum, & relatum: relatumque rursus in turpe, doloriferum, (sub quo quidlibet disconueniens subiecto), & vtile: quod vltimum causatiuè tantùm malum est; cùm mala formaliter sint alia tria. Quintò; obiectum voluntatis non solum bonum, & malum relatum esse; sed etiam bonum, & malum absolutum. Nec solum finem sed etiam media; de quo speciatim ibi num. 15. Sextò; voluntatem in bonum, aut malum absolutum tendere posse ibi sistendo absque dependentiâ à bono, aut malo relato; in bonum verò, aut malum relatum prout tale formaliter non posse tendere, nisi tendendo simul in terminum ad quem refertur; qualis est subiectum respectu boni honesti, & delectabilis, respectuque mali turpis, & doloriferi; & finis respectu boni vtilis, aut etiam mali. Huiusmodique tendentiam in bonum, aut malum relatum, & terminum eius vel per vnum, vel per duos actus peragi posse.

Ex his explicatis latiùs locis citatis infertur primò, rationem finis tribus prioribus bonis competere, absoluto scilicet, honesto, & delectabili: quia, cùm sint bona formaliter, & ratione sui, per se, & propter se sunt amabilia. Rationem verò medij vnicè competere bono quarto, & postremo, scilicet vtili: quia, cùm causatiuè tantùm bonum sit, dumtaxat amabile est prout conducens ad consequutionem, siue existentiam alterius boni, atque adeò propter illud. 3

Secundò infertur, diuisionem finis in finem *cui*, & finem *qui* solùm habere locum, quando finis est bonum relatum aut honestum, aut delectabile: quia tunc solùm debet voluntas suo actu (vel vno, vel duplici) tangere vtrumque, volendo scilicet tale bonum tali subiecto ex complacentiâ ipsius. Quo casu solum ipsum bonum relatum est finis à voluntate consequibilis, siue cuius existentiam ipsa prætendit: nam subiectum, cui illam prætendit, aliàs supponitur existens. Vnde hoc non tam propriè venit dicendum finis, quàm illud. Quia, licèt dicatur voluntas velle 4

bonum relatum propter subiectum, sed non vt propter finem à se obtinendum, (quemadmodùm dicitur velle medium propter ipsum bonum); sed vt propter id, cuius absoluta bonitas complacet sibi, ab hacque subinde mouetur ad volendum, siue intendendum bonum illi. Quando verò finis est bonum absolutum, tunc prædicta diuisio locum non habet: quia tunc non datur finis *cui*, sed vnicè bonum ipsum est finis, *qui* à voluntate intenditur, siue quod, voluntas vult, vt existat ob bonitatem absolutam, qua bonum est in se.

5 Tertiò infertur, malum absolutum, & malum relatum aut turpe, aut dolorificum suo etiam modo habere posse rationem finis, non quidem ponendi per sui volitionem, sed remouendi, seu impediendi per sui nolitionem: malumque vtile rationem medij remouendi pariter, seu impediendi per sui nolitionem, ne causet finem. Sed est notandum, tam respectu finis boni, quàm respectu finis mali duplex mediorum genus excogitari posse. Aliud eorum quæ vtilia sunt ad finem ponendum. Aliud eorum, quæ vtilia sunt ad finem ipsum remouendum, seu impediendum. Et vtraque eligibilia sunt ex intentione vniuscuiusque dictorum finium, prout explicabimus quæst. 2. Cæterùm, quia contradictorium mali bonum est, nolleque malum, æquiualenter saltem est, velle eius contradictorium bonum; idcirco Auctores agentes de fine, & medijs dumtaxat tractant de bono, & volitione eius, deque ijs, quæ vtilia sunt ad ponendum bonum, & eorum volitione. Quod & nos potissimùm præstabimus, nisi, dum aliud expresserimus.

6 Quartò igitur infertur, finem vel posse esse actionem, vel terminum per eam productum. Actio autem aut potest esse solius Dei, aut Dei, & causæ creatæ tum liberæ, tum necessariæ, cum qua Deus ipse concurrit: & hæc aut potest amari, siue intendi, prout est à Deo præcisè, aut prout est à causâ creatâ præcisè, aut prout est ab vtroque. Totidemque modis terminus actionis est diuidendus. Nomine autem actionis quamlibet causationem effectus ab ipso distinctam quoquo modo comprehendimus in præsenti.

7 Iam verò medium primò diuiditur in proximum, siue immediatum, quod per se immediatè conducit ad positionem finis; & remotum, siue mediatum, quod per aliud, vel per alia intermedia. Siue conducat vt causa cuiusuis generis, siue vt conditio causandi, siue vt terminus connexionis, sine quo finis nequit existere. Ad hæc enim tria capita reduci possunt omnes conducentiæ possibiles mediorum ad finem.

8 Secundò medium diuiditur in medium in actu primo; quo pacto potens est seu proximè, seu remotè ad causandum, siue ponendum finem; & in medium in actu secundo; quo pacto actualiter est causans, siue ponens finem, seu proximè etiam, seu remotè; in quocunque demum huiusmodi causatio, siue positio finis consistat. Et medium quidem prout in actu secundo causans, siue ponens actualiter finem essentialiter cum existentia finis connexum est, vtpote cumqua essentialiter est connexa ipsa causatio, seu positio finis, vt constat. Vnde medium in actu secundo semper est efficax.

9 Medium verò in actu primo. Aliud inefficax, siue purè sufficiens est. Aliud est efficax. Inefficax, siue purè sufficiens, quod potentiam habet ad causandum, seu ponendum finem, de facto tamen non causat, nec ponit illum. Efficax tamen; quod non solùm potest, sed de facto causat, seu ponit finem; atque adeò cum existentia eius necessariò connexum est: idque aut suapte natura & essentia; aut prout connotans futuritionem conditionatam ipsius existentiæ, seu veritatem conditionatam, qua antecedenter verum est, extiturum talem finem, si existat tale medium. Et hæc quidem, siue sit medium proximum, siue remotum. Si verò sit remotum, contingere poterit; & quòd sit illud efficax respectu medij propinquioris, secus respectu finis; quia medium propinquius non est efficax; & quòd sit efficax etiam respectu finis; quia cætera quoque media sunt efficacia vsque ad finem proximum inclusiuè.

10 Præterea medium tam efficax, quàm inefficax, seu purè sufficiens. Aliud est totale, Aliud partiale. Totale voco, quod est adæquatum principium, atque adeò proximum effectus: siue hic sit ipse finis, siue medium aliud propinquius. Partiale autem appello, quod se solo non valet effectum causare. Quod rursus tribus modis considerari potest. Primò vt coniunctum cum alijs requisitis ad constituendum medium totale, illaue connotans, aut supponens. Secundò vt coniunctum cum negatione alicuius requisiti ad constituendum medium totale, connotansve, seu supponens talem negationem. Tertiò secundùm se præscindendo à cæteris requisitis, & ab eorum negatione. Consideratum primo modo vtile est partialiter ad effectum, atque adeò amabile propter ipsum ratione talis vtilitatis. Consideratum verò secundo modo omnino est inutile; quia nequit vt sic causare effectum; atque adeò non est amabile vt medium ad illum. Consideratum verò tertio modo, si fit possibile, illud coniungi cum alijs requisitis, potentiam habebit, atque adeò vtilitatem ad constituendum cum illis medium totale; ratione cuius vtilitatis amari poterit propter medium totale immediatè, & mediatè propter effectum. Præter hanc tamen vtilitatem, quæ absoluta est, suppositâ possibilitate dictâ, aliam habebit vtilitatem conditionatam immediatè respicientem effectum, nempe potentiam ad causandum illum, si accedant cætera requisita. Quæ vtilitas propter effectum immediatè amabilis erit, saltem, quando hic non absolutè, sed conditionatè intenditur, iuxta dicenda postea. Adde, etsi omnia media re ipsâ non possint non esse vel efficacia, vel inefficacia, in apprehensione tamen intendentis finem plura posse esse ab efficaciâ, & ab inefficaciâ præcisa, vt sicque amari propter finem præcisè vt vtilia ad illum, quin sciatur ante electionem, num sint effectum habitura, vel secus.

QVAESTIO II.

Quid sit intentio finis. Quid electio medij. Et quotuplex.

HIc est supponenda explicatio omnium actuum voluntatis specie inter se diuersorum, quam supra disput. 34. quæst. 2. exhibuimus. Quæ posita,

posita, dico ex sententiâ communi. Intentio finis dicitur ille voluntatis affectus, qui tendit in bonum aut absolutum, aut honestum, aut delectabile quatale per modum desiderij latè sumpti, volendo scilicet, vt illud existat. Electio autem medij dicitur ille voluntatis affectus, qui tendit in bonum vtile qua tale etiam per modum desiderij latè sumpti, volendo vt illud existat. Quid autem sit desiderium latè sumptum quæst. citatâ num. 15. ampliùs est explicatum.

12 Cæterum; quia iuxta dicta ibidem num. 18. desiderium aut efficax, aut simplex, siue inefficax esse potest; non nulli censuerunt solum efficax appellandum esse intentionem. Sed malè. Quia simplex etiam appellari debet intentio. Vnde intentio finis imprimis in efficacem, & simplicem est diuidenda. Quid autem sit vtraque, ex loco citato est petendum.

13 Deinde; quia desiderium boni, quod de suo est finis (qualia sunt tria commemorata, absolutum scilicet, honestum, & delectabile) aut potest tendere in tale bonum secundùm se præcisè; aut in tale bonum prout connotans media, idest, prout consequibile, vel prout consequendum per media, eaque aut confusè, aut distinctè considerata. Nonnulli censuerunt solum desiderium dicti boni prout connotantis media, saltem confusè, mereri nomen intentionis; secus desiderium eiusdem boni secundùm se. Sed malè itidem. Quia omne desiderium boni, quod de suo est finis, intentio debet adpellari. Vnde intentio finis secundò venit diuidenda in eam, quæ tendit in finem secùndum se præcisè, & eam, quæ tendit in finem prout connotantem aliquo modo media iuxta dicenda minutiùs quæst. 3.

14 Addo, non solùm desiderium finis causabilis per media distincta ab ipso desiderio nuncupandum esse intentionem, sed etiam desiderium finis causabilis immediatè per desiderium ipsum: quale est imperium reflexum, quo voluntas vult, vt existat aliquis suus actus directus, & alij affectus similes. Vniuersaliter enim omnis affectus tendens per modum desiderij latè vsurpati in bonum, quod de suo est finis, intentio finis debet vocari iuxta definitionem datam.

15 Circa electionem autem medij notandum est primò, eam semper esse efficacem; (in quo ob intentione finis differt, quæ & simplex esse potest, vt diximus); quia, licèt circa bonum, quod de suo est medium, (quale dumtaxat est bonum vtile quatenus tale), & simplex, & efficax desiderium in voluntate dari potest; efficax tantùm, non item simplex, cadit sub nomen electionis iuxta communem eius vsum.

16 Secundò est notandum, medium vtile ad consequendum finem aut vnicum esse posse, aut vnum ex pluribus. Sunt autem multi Doctores, qui censent solum desiderium, quod tendit in vnum ex pluribus medijs, relictis alijs appellandum esse electionem: secus desiderium, quod tendit in vnicum medium. Quod vtique faciendum esset, si electio strictè accipienda foret: quia accepta sic discretionem præ se fert vnius ab alio, vel ab alijs. Multi verò alij Doctores, & nos cum illis latiùs accipimus electionem pro omni desiderio efficaci ab intentione condistincto; quale est, quod tendit in bonum, quod de suo est medium, scilicet vtile qua tale; siue hoc respectu finis intenti vnicum, siue vnum ex pluribus sit: quia satiùs est vniuersalitatis causa ita electionem vsurpare; prout in eius definitione datâ vsurpamus.

Tertiò est notandum, solum desiderium efficax de medio ab ipso desiderante exequendo vocari ab aliquibus electionem; non item desiderium efficax de medio exequendo ab alio supposito. Sed malè. Quia desiderium efficax de quouis medio prout vtili ad finem electio eius vocari debet iuxta dicta. Potest autem desiderari efficaciter prout vtile ad finem, non solum medium exequendum ab ipso desiderante, sed etiam medium exequendum ab alio supposito. Huius igitur desiderium debet itidem electio nuncupari. 17

Iam verò tum intentio finis, tum electio medij aut absoluta, aut conditionata ex parte obiecti potest esse. Rursusque vtraque ex parte obiecti aut determinata, aut vaga, seu disiuncta. Ac tandem vel de obiecto communi, vel de obiecto particulari, iuxta vniuersales diuisiones traditas disput. 34. quæst. 2. citatâ num. 20 quæ ad rem videndæ. 18

Hæc autem de intentione, & de electione, quæ versatur circa bonum, hucusque sunt dicta. Supereſt dicendum de intentione, & de electione, quæ circa malum versari possunt. Pro quarum explicatione suppono primò ex dictis tom. 1. disput. 15. quæst. 9. propos. 2. omnem negationem mali eo ipso esse bonam suo modo. Secundò supono ex dictis supra disput. 33. quæst. 8. cognoscentes per species alienas (vti cognoscimus nos pro statu præsenti) benè posse ferri per actum positiuum aut volitionis, aut nolitionis in negationem: cognoscentes verò per species proprias, siue intuentes non item, sed tantùm in ens positiuum: apud vtrosque autem nolitionem de ente positiuo malo æquialenter esse volitionem de negatione eius bonâ. Ex quibus imprimis sequitur, nos pro statu præsenti bifariam posse velle negationem mali: primò formaliter per volitionem de illa: secundò æquialenter per nolitionem ipsius mali, quod ipsa remouet. Intuentes verò solo secundo modo. Vnde rursus sequitur, apud nos pro statu præsenti eumdem locum habere, quæ diximus, de intentione, & electione boni per modum desiderij, siue tale bonum sit negatiuum, siue sit positiuum. Apud intuentes verò non item. 19

Apud vtrosque tamen tum intentio, tum electio mali, affectus est tendens in ipsum malum per modum fugæ oppositæ desiderio, nolendo scilicet, vt illud existat: eritque intentio, si sit malum aut absolutum, aut turpe, aut doloriferum; electio autem si sit malùm vtilè. De quibus perinde est philosophandum, suâ proportione seruatâ, ac de intentione, & electione boni philosophatum est quo ad cætera, quæ de his dicta sunt; & quæ ab vnoquoque facilè illis poterunt applicari. Tum quia contrariorum (qualia sunt intentiones, atque electiones boni, & mali comparatæ inter se) similis philosophia est. Tum quia intentio, electioque tendens in malum per modum fugæ æquialenter est intentio, electioque tendens in eius negationem bonam per modum desiderij iuxta dicta. 20

Supereſt, vt explicemus id, quod supra quæst. 1. num. 5. huc remissimus explicandum. Quomodò ex intentione finis tam boni, quàm mali duplex genus mediorum sit eligibile, vtilium scilicet ad illum aut ponendum, aut impediendum. Etenim intentio, siue volitio finis boni motiua voluntatis est, non solùm ad efficaciter 21

volen-

volendum, quod vtile est ad illum ponendum; sed etiam ad efficaciter nolendum, quod vtile est ad illum impediendum; & è conuerso intentio, siue nolitio finis mali motiua est voluntatis, non solùm ed efficaciter nolendum quod vtile est ad ponendum illum; sed etiam ad efficaciter volendum, quod vtile est ad impediendum illum. Vnde ex intentione finis boni duplex electio venit oriunda, altera per modum desiderij tendens in positionem medij conductiui ad existentiam finis intenti; alteram per modum fugæ tendentis in remotionem medij impeditiui existentiæ finis intenti. Et vice versâ ex intentione finis mali duplex electio venit oriunda; altera per modum fugæ tendentis in remotionem medij conductiui ad existentiam finis intenti, altera per modum desiderij tendentis in positionem medij impeditiui existentiæ finis intenti. Et hæc quidem tam cognoscentibus per species proprias, quàm cognoscentibus per alienas communia sunt. Insuper tamen apud cognoscentes per alienas ex intentione finis boni aliæ duæ electiones veniunt oriundæ; altera per modum fugæ tendentis in negationem medij conductiui ad existentiam finis intenti; altera per modum desiderij tendentis in negationem medij impeditiui existentiæ finis intenti. Et vice versâ ex intentione finis mali aliæ duæ electiones oriundæ veniunt; altera per modum desiderij tendentis in negationem medij conductiui ad existentiam finis intenti; altera per modum fugæ tendentis in negationem medij impeditiui existentiæ finis intenti. Quæ omnia ex se, suppositionibusque præmissis satis sunt nota.

QVAESTIO III.

Qualiter intentio finis, & electio medij possint, aut debeant inter se distingui, vel non distingui.

22 PRo resolutione suppono primò, obiectum transcentaliter relatum benè posse à voluntate amari, aut odio haberi, quin terminus eius ametur, aut odio habeatur. Nisi relatio sit formaliter bonitatis, vel malitiæ relatæ. Hæc enim amari, aut odio haberi non potest sine termino amato, aut odio habito. Tametsi necesse non sit, vt id per vnicum actum fiat. Fieri quippe potest per vnicum, vel per duos habentes inter se connexionem. Tota hæc suppositio constat ex dictis disput. 32. quæst. 5. propos. 1. iunctâ doctrinâ datâ antea quæst. 1. à num. 16. Recognoscantur omnia tradita ibi.

23 Suppono secundò, obiectum prædicamentaliter relatum siue extrinsecè, vel semiextrinsecè denominatum vt tale, adeòque prout connotans alterum benè posse à voluntate amari, vel odio haberi; quin ametur, vel odio habeatur terminus, ad quem comparatur tanquam ad extrinsecum connotatum. Licèt hic per talem amorem, aut odium non possit non essentialiter connotari. Hæc etiam suppositio in eâdem quæst. 5. propos. 2. ex professo est explicata, & probata. Indeque propterea eius explicatio, & probatio petendæ sunt; ne bis repetantur.

Suppono tertiò, duas præcipuas circa præsentem quæstionem esse sententias. Prima absolutè pronuntiat intentionem finis, & electionem medij actus esse inter se distinctos. Sic Vazq. 1. 2. disput. 33. cap. 2. Galp. Hurt. disput. 3. de Actib. diff. 4. & alij. Pro qua sententiâ sunt, quot quot absolutè docent, intentionem finis effectiuè simul cum voluntate concurrere ad electionem medij. Quorum plures citat, & sequitur Ruiz tom. de Prouid. disput. 36. sect. 5. à num. 11. Secunda sententia tenet, finem, & medium vel vnico actu, vel duobus amari posse; atque ita intentionem finis, & electionem medij vel vnicum actum, vel duplicem posse esse. Huius sententiæ sunt Salas 1. 2. tract. 5. disput. 1. sect. 6. & plurimi relati ab illo. Soar. 1. 2. lib. 1. disput. 8. sect. 6. Quiedo controu. 11. de Anima punct. 2. & alij. Ex Auctoribus autem tam primæ, quàm secundæ sententiæ multi dicunt, electionem, etiam quando ab intentione distinguitur, non posse non tangere siue respicere finem saltem indirectè: sicut neque intentio potest non respicere media, quando est intentio finis prout consequibilis per media ipsa. An verò respectus iste amoris, seu volitionis sit, vel puræ connotationis, non satis videntur explicare.

Propositio 1.

Finis secundùm se præcisè à voluntate amari, atque adeò intendi potest; quin ametur, aut absolutè, aut saltem eodem actu id, quod finis transcendentaliter respicit, etiam respectu connexionis; dummodò talis respectus non sit formaliter bonitatis relatæ: nam tunc subiectum, cui talis finis est bonus, amari debet vel eodem, vel distincto actu.

Tota hæc propositio constat ex doctrinâ suppositionis primæ, latè explicatâ, & probatâ locis ibi citatis, quæ ad rem recolenda. Est autem in eâ sermo de amore, siue intentione finis tam efficaci, quàm simplici, seu inefficaci. Sed agamus primùm de efficaci. Itaque, si finis sit bonum absolutum connexum quoad existentiam suam cum alio ente, secundùm se sumptum præcisè amari, intendique à voluntate efficaciter poterit, tali ente nullatenus amato, quando præcognoscitur hoc aliunde exiturum. Secus, quando non præcognoscitur: quia tunc talis finis efficaciter amari non potest, tali ente non amato efficaciter; vel eodem tamen actu, vel distincto; nam vtrumque est possibile: quòd si distincto, tunc amor, seu intentio talis finis ad amorem, seu electionem talis entis necessitabit voluntatem, iuxta dicenda quæst. 4. Si verò finis sit bonum relatum, honestum scilicet, aut delectabile, tunc ille à voluntate amari non poterit, non amato obiecto, cui bonus est, & quod respicit respectu formali bonitatis relatæ; vel eodem tamen actu, vel distincto; nam & hoc vtrumque pariter est possibile. Quòd si talis finis, præterquàm cum suo subiecto, cum alio ente connexus sit, puncto respectu huius philosophandum est de illo, ac de fine consistente in bono absoluto.

Ex his sequitur primò, quando finis cum aliquo medio determinato intrinsecè connexus est,

est, & consequenter fine eo posito obtineri nequit, bene posse nihilominus illum secundùm se præcisè amari, intendique à voluntate efficaciter, nullatenus tali medio amato, casu, quòd hoc prægnoscatur aliunde ponendum. Quo casu dabitur intentio efficax finis absque vllâ medij electione. Vti datur etiam, quando finis nullâ ad sui existentiam indiget positione medij, vt, cùm voluntas per imperium efficax reflexum efficaciter intendit aliquem suum actum directum. Quòd si verò prædictum medium aliunde ponendum non prægnoscatur, bifariam potest voluntas intendere efficaciter prædictum finem. Primò, volendo vnico, & eodem actu finem propter ipsum, & medium propter finem; quo casu idem actus erit intentio finis, & electio medij. Secundò, volendo vno actu finem propter ipsum, & altero actu medium propter finem; quo casu prior actus, qui erit intentio finis, ad posteriorem, qui erit electio medij necessitabit voluntatem.

27 Vnde secundò sequitur, trifariam posse voluntatem intendere efficaciter finem consideratum secundùm se. Primò ita, vt sola detur in eâ intentio finis absque vllâ medij electione; vt in primo, eoque bipartito casu extribus prædictis. Secundò, ita, vt idem actus voluntatis sit simul intentio finis, & electio medij, vt in secundo casu. Tertiò, vt in tertio, ita, vt voluntas duos actus habeat, quorum primus sit intentio finis, secundus verò electio medij: primusque ad secundùm necessitet ob intrinsecam connexionem, quam cum eo habet: ipsumque simul cum voluntate causet iuxta postea dicenda.

28 Tertiò sequitur, intentionem efficacem finis intrinsecè cum ipso fine esse connexam immediatè: mediatè autem cum medio, cum quo finis connexus est. Idque, siue tale medium non causet: quia aliunde prægnoscitur illud ponendum, siue illud causet per electionem indistinctam à se: quo casu actus, qui simul est intentio, & electio, tum medio fine, tum immediatè erit connexus cum tali medio: siue illud causet per electionem distinctam à se: quo casu intentio tum medio fine, tum etiam media electione cum ipso medio connexa erit.

29 Cæterùm, quæ hucusque sunt dicta, tantùm sunt indefectibiliter vera circa intentionem, & electionem Dei efficacem, vtpote prorsus infrustabilem, essentialiterque subinde connexam cum suo obiecto, & cum requisitis ad ipsum. Quod nobis est satis. Circa intentionem enim, & electionem efficacem creaturæ, vtpotæ varijs modis frustrabilem, sæpe ea falsificari poterunt. In quo minutiùs explicando, non est, cur immoremur.

30 Iam, quando in casu propositionis intentio finis simplex, seu inefficax est, benè poterit voluntas per illam amare finem, nullatenus amato medio, cum quo finis connectitur, etiam si hoc non prægnoscatur ponendum aliunde. Quia talis intentio, licèt pro arbitrio voluntatis in existentiam finis possit influere, cum illo tamen non est connexa, & consequenter neque cum medio: atque adeò in voluntate existere potest, nec fine existente, nec medio. Potest autem talis intentio influere in finem primò immediatè, quando finis ad sui positionem non indiget medio, vt cùm per imperium simplex reflexum mouetur voluntas ad eliciendum actum imperatum directum. Secundò mediatè, quando finis medio indiget ad sui positionem: idque bifariam, nempe vel mouendo voluntatem cum ipsaque concurrendo ad electionem à se distinctam de tali medio, vel identificando sibi electionem de medio ipso. Esse quippe possibilem actum voluntatis, qui simul sit intentio simplex finis, & electio efficax medij, ex dicendis proposit. 3. constabit. Quæ quidem itidem potissimùm in Deo sunt verâ: quidquid sit de veritate eorum in creaturis.

Omnia autem, quæ diximus de intentione 31
finis, & de electione vnius medij, quando finis cum vnico medio determinatè connexus est, eumdem locum habent, suâ proportione seruatâ, in intentione finis, & electione vnâ, vel multiplici plurium mediorum, quando finis cum pluribus medijs est connexus etiam determinatè. Quando verò finis tantùm est connexus cum aliquo, vel cum aliquibus medijs vagè, siue sub disiunctione, licèt etiam locum habeant, quæ diximus, sed cum aliquibus alijs adiunctis, de quibus agendum infra quæst. 4.

Propositio 2.

Finis prout consequibilis, aut prout 32
consequendus per aliquod medium à voluntate amari, atque adeò intendi potest; quin ametur aut absolutè, aut saltem eodem actu ipsum medium. Quod tamen talis intentio finis non potest non respicere intrinseco sibi, & essentiali connotationis respectu.

Hæc propositio ex vniuersali doctrinâ suppositionis secundæ, locoque ibi citato recognoscenda, constat. Quia, amari finem prout consequibilem per tale medium, aliud non est, quàm illum amari prout connotantem sui positionem per tale medium vt possibilem; &, amari finem prout consequendum per tale medium, aliud non est, quàm illum amari prout connotantem sui positionem per tale medium vt actualem. Amor autem vnius obiecti prout connotantis alterum hoc quidem respectu connotationis debet necessariò respicere; respectu verò amoris non item, iuxta dictam doctrinam.

Vnde apparet, duos casus propositionem 33
continere. Alter est, quando voluntas intendit finem prout connotantem possibilitatem positionis eius per tale medium. Alter verò, quando voluntas intendit finem prout connotantem existentiam positionis eius per tale medium. Quoniam autem iuxta eamdem doctrinam finis prout connotans aliud quidpiam eo ipso est connexus cum illo semiextrinsecâ connexione, quatenus prout connotans illud nullatenus sine illo existere potest, vt ex se patet: planè consequitur, quæcunquæ circa præcedentem propositionem sunt dicta, pariter circa præsentem venire dicenda, hoc solùm obseruato discrimine, quòd connexio finis cum alio quopiam, atque adeò cum medio ibi intrinsecâ erat, hic verò semiextrinseca est.

Prætermisso igitur præsentis propositionis 34
casu primo, vbi connexio semiextrinseca finis tantùm est cum causatione actiuâ medij, atque adeò cum medio ipso prout possibilibus, qualia ambo aliunde supponi debent, saltem vt voluntas efficaciter intendat finem prout consequibilem,

lem, seu prout causabilem per tale medium. Circa secundum casum, vbi connexio semiextrinseca finis est cum causatione actiua medij, atque adeò cum ipso medio prout existentibus, dicendum venit, quando aliunde medium, & causatio actiua eius extitura prœcognoscuntur, benè posse voluntatem intendere efficaciter finem prout consequendum, seu prout causandum per tale medium, non amatâ causatione actiuâ medij, & consequenter nec ipso medio; sed respectis tamen à tali intentione respectu connotationis dictâ causatione immediatè, & medio mediatè. Quando verò causatio actiua talis medij vnà cum ipso medio aliunde ponenda non prœcognoscitur, bifariam potest voluntas intendere efficaciter finem prout causandum per tale medium. Primò, volendo vtrumque eodem actu, nempe & finem prout causandum per tale medium, & medium prout actu causans ipsum finem. Secundò, volendo vno actu finem prout causandum per tale medium, & alio actu ex illo oriundo medium prout actu causans ipsum finem. Quorum duorum casuum in priore idem actus erit intentio finis prout causandi per tale medium, & electio talis medij prout causantis ipsum finem. In posteriori autem primus actus pariter erit intentio finis, & secundus ab illo oriundus electio medij.

35 Quibus positis, iam facilè vnicuique erit cætera, quæ circa præcedentem propositionem adiunximus, pariter circa præsentem etiam adiungere. In quo præstando proinde, non est, cur nos ampliùs moremur.

Propositio 3.

36 **Voluntas non potest amare medium vt vtile ad finem, nisi amando simul ipsum finem. Quod tamen bifariam potest præstare: vel vnico, & eodem actu, qui simul sit intentio finis, & electio medij: vel duobus actibus, quorum primus sit intentio finis; secundus autem ab illo oriundus electio medij.**

Tota hæc etiam propositio constat ex doctrinâ suppositionis primæ. Iuxta quam, quando relatio obiecti ad terminum est formaliter bonitatis relatæ, nullatenus potest amari obiectum prout ita bonum, quin simul ametur terminus bonitatis relatæ eius. Relatio autem medij prout vtilis ad finem relatio formaliter est bonitatis relatæ, qua medium respectiuè ad finem est bonum prout vtile ad illum. Hinc tamen non licèt inferre, vt malè nonnulli intulerunt, medium non habere bonitatem amabilem à bonitate finis distinctam. Habet etenim, vt cæteri fatentur. Nam ipsa vtilitas medij ad finem, quæ à bonitate finis distincta est, bonitas quædam per se amabilis est: estò non formalis, sed causatiua bonitas sit, vt sæpe aliàs diximus. Quia eo ipso, quòd est amabilis existentia boni formalis, nequit non esse quoque amabile, quidquid conducit, vt existat bonum formale. Quocirca contra eosdem Auctores supra disput. 32. quæst. 1. à num. 15. cum communi statuimus, ad obiectum voluntatis non solum finem, sed etiam media pertinere. Itaque, sicut bonitas relata ad subiectum per se amabilis est; licèt, subiecto non amato, amari non possit: ita etiam bonitas relata ad finem per se amabilis est; licèt, fine non amato, amari non possit.

Cæterùm quia, licèt medium vel simplici, vel efficaci affectu possit amari, sola volitio efficax eius venit dicenda electio; cùm tamen intentio finis & simplex, & efficax esse possit, prout supra quæst. 2. statum est. Notare opus est, vt medium a voluntate etiam efficaciter ametur, atque adeò eligatur, sat esse, quod finis ametur siue simplici, siue efficaci intentione. Idque, non solùm quando intentio finis, ab electione medij est distincta; quo casu, quod ad rem attinet, nulla est difficultas; sed etiam quando intentio finis, & electio medij sunt idem actus: quo casu, si medium electum sit efficax, non videtur intentio finis posse non esse efficax, vtpote connexa tunc intrinsecè cum existentiâ finis, cum qua electio medij à se indistincta intrinsecè est connexa, saltem mediate. Sed dicendum nihilominùs est, etiam quando medium electum est efficax respectu finis, eumdem actum benè esse posse intentionem simplicem respectu ipsius finis, & simul electionem efficacem respectu ipsius medij. 37

Pro cuius pleniore intelligentiâ suppono primò, actum bifariam posse esse efficacem respectu effectus, intrinsecè videlicet, & semiextrinsecè. Efficax intrinsecè dicitur, quando suapte naturâ determinat, necessitatque ad causationem effectus. Efficax verò semiextrinsecè, quando de facto causat effectum; tametsi non necessariò, sed contingenter causet illum. In præsentiarum autem de efficaciâ intrinsecâ loquimur, dum diximus intentionem finis in efficacem, & simplicem: cæteroquin intentio simplex, quæ intrinsecè inefficax est, benè potest semiextrinsecè efficax esse: talisque erit quando de facto causet finem. 38

Suppono secundò, actum non eo ipso, quòd cum suo obiecto, siue termino connexus intrinsecè est, esse intrinsecè efficacem respectu eius: quia potest nihilominùs ipsius causatiuus non esse: & sine vi causatiuâ intrinsecâ efficacia stare nequit, vt est certum, Ita enim gaudium de bono prout existente intrinsecè connexum est cum obiecto suo; & tamen respectu eius non est actus intrinsecè efficax, sed prorsus simplex: quia non est causatiuus eius. 39

Suppono tertiò vt apud omnes certum, eumdem actum, generatim loquendo, benè posse esse intrinsecè efficacem respectu vnius obiecti, & simplicem respectu alterius. Talis enim est apud omnes actus beneuolentiæ, quo vna persona alteri vult efficaciter bonum relatum ex complacentiâ ipsius: siquidem per talem beneuolentiam (supposito quod sit vnicus actus, vt plerique supponunt) simpliciter complacet personæ amans in bonitate personæ amatæ, & efficaciter vult illi bonum relatum. 40

Suppono quartò etiam vt certum apud omnes, quando eadem entitas actus intrinsecè respicit diuersos terminos, diuersa illi prædicata posse competere respectiuè ad singulos. Sic enim eadem entitas eductionis respectiuè ad agens est actio, ipsumque denominat agens, & respectiuè ad passum est passio, ipsumque denominat patiens; non tamen vice versa: & eadem entitas cognitionis respectiuè ad potentiam cognoscitiuam est cognitio quasi actiua, ipsamque denominat cognoscentem, & respectiuè ad obiectum cogni- 41

cognitio quasi passiua, ipsumque denominat cognitum: eademque entitas actionis, per quam producitur cognitio, respectiuè ad eamdem potentiam est vitalis, ipsamque denominat viuentem; respectiuè tamen ad Deum, cuius etiam est actio, nec est vitalis, nec ipsum viuentem denominat. Pariterque in alijs innumeris.

42 Ex his abundè colligitur, quomodò eadem entitas actus voluntatis intentio simplex possit esse respectu finis, & simul electio efficax respectu medij, adhuc, cùm medium efficax est seu semiextrinsecè, seu etiam intrinsecè. Primò; quia necessitas causandi medium aut etiam finem conueniens tali entitati ei potest conuenire dumtaxat quatenus est electio medij, & non quatenus est intentio finis; vti respectiuè ad medium dumtaxat conuenit ei esse electionem, qualis non est respectiuè ad finem. Vnde prout est intentio finis potest non esse intrinsecè efficax; licèt sit semiextrinsecè, iuxta suppositionem primam. Secundò; quia intrinseca connexio eius cum fine, estò ei necessariò competeret, vt est intentio, quod tamen est falsum, non cogeret, vt esset efficax intrinsecè, iuxta suppositionem secundam. Tertiò; quia non est, cur idem actus possit esse efficax respectu boni relati ad subiectum, & simplex respectu ipsius subiecti iuxta suppositionem tertiam: & non possit esse efficax respectu boni relati ad finem, & simplex respectu ipsius finis. Quartò denique; quia, cùm diuersa prædicata possint eidem actui respectiuè ad diuersos eius terminos vniuersaliter conuenire iuxta suppositionem quartam: consequens est, vt diuersa prædicata simplicis, & efficacis possint eidem actui conuenire respectiuè ad finem, & medium, qui sint diuersi termini eius. Concluditur ergo, non solùm esse possibilem actum voluntatis, qui idem sit intentio efficax finis, & electio efficax medij; sed etiam actum, qui idem sit intentio simplex finis, & electio efficax medij.

43 Porrò, quæ in hac quæstione dicta sunt de intentione per modum desiderij finis boni, suâ proportione seruatâ, sunt applicanda intentioni per modum fugæ finis mali. Et, quæ sunt dicta de electione per modum desiderij medij vtilis ad finem bonum, pariter applicanda sunt tum electioni per modum fugæ medij impeditiui finis boni; tum electioni per modum fugæ medij vtilis ad finem malum; tum denique electioni per modum desiderij medij impeditiui finis mali.

QVAESTIO IV.

Qualiter voluntas possit ordinare media ad finem; siue ex intentione finis eligere media.

44 SVppositis diuisionibus finis, & medij, intentionisque, & electionis datis quæst. 1. & 2. Suppono deinde, me in hac quæstione, sicut in totâ præsente disputatione, dumtaxat agere de intentione finis prout existente in eâdem temporis mensurâ, in qua per ipsam vel iam est proximè causabilis, vel est causanda medij electio; similiterque de electione medij prout existente in eâ temporis mensurâ, in qua per ipsam vel iam est proximè causabilis, vel est causanda medij; exequutio: siue vel intentio, vel electio in alijs temporis mensuris aut antecedentibus extiterit, aut subsequentibus sit extitura; siue secus. Talis quippe est conceptus intentionis, & electionis, de quo potissimùm in hac disputatione tractamus, vtpote qui solus est communis intentioni, electioni-que diuinæ, & creatæ. Nam in hoc, quod est, aut antecedere, aut subsequi dictam mensuram, valde illæ discrepant inter se: siquidem intentio, electioque Dei à parte ante, & à parte post necessariò est æterna; quod ab intentione, electione-que creaturæ longè est alienum.

Suppono secundò, me in hac quæstione 45
imprimis agere de intentione finis boni, deque electione medij vtilis ad positionem eius, ac de-spectantibus ad ipsas. Nam ex dicendis circa hæc breuiter inferam sub eius finem, quid de intentione finis mali, deque alijs electionibus num. 21. commemoratis dicendum sit.

Suppono tertiò, me in hac quæstione 46
tantùm agere de intentione finis, qui ad sui positionem aliquo indiget medio distincto ab intentione ipsâ, & consequenter aliquâ etiam talis medij electione. Non verò item de intentione finis, quæ per se immediatè exequutiua, siue causatiua est ipsius finis, quale est imperium, quo voluntas vel sibi ipsi, vel potentiæ sibi subditæ imperat aliquam actionem immediatè tali imperio subiectam, siue causabilem per ipsum. Tum quia huiuscemodi intentio nullam fert secum ordinationem mediorum in finem, de qua modò agimus. Tum quia de illâ quid ad rem sit dicendum, satis superque potest vnicuique innotescere ex dictis latè de imperio voluntatis supra disp. 30. quæst. 12.

Suppono quartò, tametsi possibile sit, vt 47
intentio finis & electio medij sint idem actus, vti quæst. 3. statuimus, me tamen in hac quæstione dumtaxat processurum in casu, in quo actus distincti sint, & secundus oriundus à primo. Tum quia philosophia ad rem versanda expeditior est in hoc casu, quàm in priore. Tum quia non pauca ex dicendis in hoc locum habent, quem tamen non habent in illo. Quibus suppositis, quæstionem præsentem sequentibus propositionibus resoluo.

Propositio 1.

Voluntas per simplicem, absolutam, & determinatam intentionem finis ad eligenda quæuis media ad ipsum finem vtilia moueri potest. Non tamen manet determinata, siue necessitata per illam ad eligendum vllum. 48

Prima pars huius propositionis satis est communis inter Theologos: imo multorum theologia sine illâ stare non potest, vt ex dicendis in hoc Tract. patebit. Eam tamen ex parte negat Vazq. 1. par. quæst. 89. cap. 13. quatenus ait, eum, qui intendit finem per media à se exhibita consequendum, non posse efficaciter eligere media, nisi efficaciter intendat finem; eum verò, qui intendit finem alteri propositum, & eius libertati commissum, vt per media ab ipso exhibita obtineatur, benè posse ex intentione simplici finis moueri ad eligenda, alterique conferenda media,

etiam efficacia, quibus de facto talis finis obtinendus est. Vnde infert, ex intentione simplici gloriæ, atque etiam meritorum benè posse moueri Deum ad conferenda Prædestinatis media efficacia gratiæ, quibus ipsi acipiscantur finem sibi propositum. Sed non benè. Quia, si intentio simplex finis valet mouere intendentem ad ponenda aliqua media, quæ dependent ab ipso solo, quando finis consequutio dependet insuper à voluntate alterius; vti euenit in exemplo posito: cur non valebit ad ponenda omnia media, quando finis consequutio dependet à solâ voluntate intendentis?

49 Probo ergo dictam propositionis partem vniuersaliter ecceptam primò à posteriori. Quia in omnium sententiâ Deus ex intentione operis boni confert auxilium sufficiens ad tale opus. Sed talis intentio nequit vllo modo esse efficax aut absolutè, aut conditionatè, vt infra disput. 37. quæst. 5. non obscurè ostendemus. Ergo Deus ex simplici intentione finis eligit medium; talisque subinde eligendi modus possibilis est. Respondent aliqui, ex intentione simplici finis benè posse eligi medium sufficiens; non verò itidem medium efficax. Sed contra. Quia, si semel electio medij vtilis ad finem ex intentione simplici finis potest procedere; potiore iure electio medij efficacis, quàm sufficientis, procedere poterit: quandoquidem efficax præstantiori modo, quàm sufficiens, est vtile ad finem. Nec est, cur intentio simplex finis ad electionem medij sufficientis, & non ad electionem medij efficacis mouere possit, vt ex dicendis apparebit.

50 Secundò eadem pars probatur à priori. Quia intentio simplex per modum desiderij tendens in finem suapte naturâ inclinat, & allicit voluntatem ad eligendum medium, quod ad talis finis consequutionem necessarium videtur. Cùm enim desiderare finem sit velle, vt finis existat, non potest non hic actus inducere desiderantem ad dandam existentiam fini per electionem medij: tametsi quando simplex est, ad id non cogat, sed tantùm veluti suadeat. Positâ autem istâ suasione, ex nullo capite repugnat, moueri voluntatem per illam ad eligenda quælibet media, quibus finis desideratus obtineri potest: cùm talia media naturâ suâ relatè ad talem finem sint amabilia. Dices, repugnantiam in eo esse, quòd electio efficax medij procedat ex intentione simplici finis. Nam, cùm electio sit amor medij propter finem intentum, non aliter videtur voluntas posse per illam in medium ferri, quam fertur in finem per intentionem. Ergo, quando hæc est inefficax, nequit electio efficax esse. Sed contra. Quia, vt electio sit amor medij propter finem intentum, satis est, quòd sit amor medij vt vtilis ad talem finem. Vt autem bonum vtile ad finem ametur efficaciter, satis est, quòd ametur finis simplici amore: sicuti vt bonum delectabile subiecto ametur efficaciter, satis est, quòd subiectum tangatur simplici complacentiâ, vt ex communi dicebamus quæst. 3. num. 40.

51 Tertiò probari potest eadem propositionis pars à simili. Quia, licèt intentio conditionata finis, quantumuis sit efficax in eo genere, non cogit ad absolutè eligendum aliqua media: tamen per illam moueri potest liberè intendens ad eligendum ea, quæ ad ipsius finis consequutionem vtilia sunt: quia talis intentio ad talem electionem inclinat, allicit, & suadet, prout videbimus proposit. 3. Ergo, licèt intentio simplex, & absoluta finis ad electionem absolutam medij non cogat; poterit tamen intendentem ad illam in actu secundo mouere: quandoquidem negari non potest, eam ad illam in actu primo inclinare, & allicere. Id quod vel experientiâ ipsâ demonstrat. Quis enim neget, desiderium simplex conseruandi merces valde inclinare proijcientem illas in mare causâ euadendi vitæ periculum, vt illas non proijciat, atque adeò, vt efficaciter eligat non proijectionem? siquidem cum magnâ repugnantiâ eas proijcit, coactus vrgentiore amore seruandi vitam.

Verùm contra statutam doctrinam obijciunt Recentiores. Electio medij vt efficacis est electio medij vt causantis finem. Ergo, qui vult efficaciter medium efficax vt tale, non potest non velle efficaciter causationem finis, & consequenter finem ipsum. Ergo electio efficax medij efficacis sine intentione efficaci finis consistere nequit. Respondeo, cùm medium efficax aliud sit tale in actu secundo, aliud in actu primo iuxta dicta quæst. 1. num. 8. si sermo sit de electione medij efficacis in actu primo, nil præstat argumentum, vtpote tantùm agens de electione medij efficacis in actu secundo. Sed neque contra hanc præstat quidpiam, vtpote quæ neque per se debet tangere finem, neque, etsi tangat, efficaciter debet tangere iuxta dicta quæst. 3. proposit. 3. Adde, estò non posset medium efficax efficaciter eligi, quin eodem actu efficaciter amaretur finis: non ob id esse negandum, ex simplici, & præuiâ intentione ipsius finis procedere posse talem electionem, vti contendimus in præsenti.

52 Secundò alij Recentiores opponunt. Si ex intentione inefficaci finis procederet electio medij, talis intentio & esset inefficax; quia id supponitur; & esset efficax: quia causaret finem mediâ electione. Qui sunt termini repugnantes. Leuis obiectio. Respondeo, talem intentionem fore inefficacem intrinsecè, (quod solum intendimus): & efficacem semiextrinsecè, quæ duo benè inter se cohærent iuxta dicta quæst. 3. num. 42.

53 Tertiò obijcit Gonzalez 1. par. disput. 73. sect. 2. à num. 14. Electio medij efficacis præ alijs, quæ talia non sunt, debet procedere in Deo ex intentione finis: aliàs talis electio casu, & præter intentionem accideret. Sed non potest procedere ex intentione inefficaci: quia hæc non plus ad media efficacia inclinat, quàm ad inefficacia. Ergo solùm potest procedere ex efficaci: ne discrimen illud, quo medium efficax differt à sufficiente sit casualis, & fortuitus, & præter intentionem Dei. Mala argumentatio. Iuxta quam electio itidem medij sufficientis præ efficacibus procedens ex intentione simplici casualis esset, & præter intentionem Dei. Tum etiam electio cuiusuis medij, præ cæteris eiusdem generis, prouenieus ab intentione efficaci. Quia neque intentio simplex inclinat plus ad media sufficientia, quàm ad efficacia: neque intentio efficax ad hoc potius medium, quàm ad aliud eiusdem generis, quando sunt plura. Respondeo ergo, electionem medij efficacis præ alijs, quæ vi eiusdem intentionis eligi possent, partim ab ipsâ intentione procedere, & partim à libertate intendentis; quatenus intentio tantùm inclinat ad eligendum vnum medium ex pluribus vtilibus ad finem: libertas autem intendentis determinat,

minat, vt sit hoc potiùs, quàm aliud. Vnde electio medij efficacis præ alijs, casualis non est; nec dici debet præter Dei intentionem: tametsi, vt præfert hoc medium alijs formaliter, non tam ab intentione finis, quàm à Dei libertate proueniat. Quia actus proueniens à libertate, & consilio Dei non est dicendus præter eius intentionem procedere; estò non procedat ab intentione finis, vt patet in ipsà intentione, quę ab aliâ non procedit.

55 Quartò objcitur ex Fasol. 1. par. quæst. 23. artic. 1. dub. 3. num. 60. Nequit esse certa conclusio, quando antecedens est tantùm probabile. Ergo neque electio potest esse efficax, quando intentio inefficax est. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia electio medij non indiget intentione finis, nisi, quia bonitas medij est relata ad finem. Vnde voluntas efficaciter potest amare medium, simpliciter tantùm amato fine: sicut & intellectus iudicare potest obiectum relatum, apprehenso tantùm simpliciter termino relationis: quia iudicium obiecti relati non indiget cognitione termini, nisi, quia veritas talis obiecti relata est ad ipsum. Ast conclusio obiecti, alias ex terminis non iudicabilis, non ideo indiget iudicio antecedentis, quia obiectum conclusionis ad antecedens relatum est; sed quia intellectus non potest determinari ad iudicandum obiectum ex terminis non iudicabile, nisi per iudicium alterius obiecti connexi cum illo, quod antecedens appellatur: atque adeò, sicut per simplicem apprehensionem antecedentis nequit induci intellectus ad iudicandum consequens, ita neque per iudicium probabile antecedentis potest induci ad iudicandum consequens cum certitudine. Adde, ex diuersis naturis potentiarum, actuumque earum, & obiectorum promanare, vt, licèt intellectus per simplicem apprehensionem antecedentis non solùm determinari, sed ne inclinari quidem possit ad iudicandum consequens; voluntas tamen per simplicem intentionem finis ad electionem efficacem medij inclinari possit, & allici.

56 Quartò objcitur ex eodem Fasolo ibi num. 64. Ex eàdem causà, nullâ variatione factâ, nequeunt varij effectus procedere. Sed ex intentione simplici finis procedit electio medij sufficientis, vt patet in Reprobis, quibus Deus ex simplici intentione eos saluandi confert auxilia sufficientia. Ergo ex intentione simplici finis non potest procedere electio medij efficacis. Respondeo, ex eàdem causà necessariâ inuariatâ non posse varios effectus procedere: benè tamen ex eàdem causà liberâ. Voluntas autem simul cum intentione simplici finis libera manet ad eligenda hæc media, aut illa, aut nulla, prout sibi placuerit.

57 Sextò objci potest ad probandum, voluntatem ex intentione simplici finis non posse eligere medium, quod videt esse inefficax. Quia medium inefficax vt tale annexam sibi habet negationem finis. Ergo est incompatibile cum fine. Ergo non retinet potentiam ad causandum finem. Ergo non est vtile, atque adeò nec amabile propter finem. Respondeo, argumentum probare, medium vt inefficax formaliter, seu reduplicatiuè non esse amabile propter finem. Cum hoc tamen stare, quòd materialiter, seu specificatiuè sumptum amabile propter finem sit: quia vt sic potentiam habet, atque adeò vtilitatem ad causandum finem. Quam potentiam præcisam à negatione finis, atque adeò ab inefficaciâ, quæ ex illâ desumitur, bene potest voluntas ordinare ad finem: tametsi intellectus præuideat eam cum tali negatione inefficaciâque coniungendam. Quomodo autem inaniter, & frustrà non operetur eligens propter finem medium, quod, præuidet, nihil in finem influxurum, inferiùs disput. 40. à quæst. 2. explicandum est. Vbi nonnullæ aliæ difficultates huc spectantes diluentur. Quòd si voluntas ex intentione simplici finis potest eligere medium præuisum inefficax ad talem finem: multò meliùs poterit eligere medium cognitum cum præcisione ab efficaciâ, & inefficaciâ. De quo plura etiam venient dicenda loco citato.

Iam verò secunda pars propositionis ex dictis obiter circa primam, & ex se ipsâ est satis nota. Siquidem intentio simplex dicitur is voluntatis tam lenis, tenuisque conatus in finem, qui ad eum exequendum, vel procurandum non determinat, seu necessitat illam; tametsi inclinet. Cùm tamen intentio efficax tam fortis, vehemensque voluntatis connatus sit, vt illam non solùm inclinet, sed prorsus determinet, ac necessitet ad finem intentum exequendum, vel procurandum (quando ille non præuidetur aliunde ponendus) propter connexionem intrinsecam, quam habet cum illo iuxta definitiones imperij, desiderijque tum simplicis, tum efficacis in vniuersùm traditas supra disput. 30. quæst. 12. num. 606. & disput. 34. quæst. 2. num. 18. 58

Porrò propositio data vniuersaliter est vera, siue intentio simplex, de qua agit, sit finis secundum se præcisè considerati, siue sit finis prout consequibilis, aut prout consequendi per aliquod medium. Quia quæuis talium intentionum ex vnà parte sine fine intento manere potest, vtpote non connexa cum illo; ex aliâ verò voluntatem inclinat ad eligenda quæuis media vtilia ad consequendum finem, prout per ipsam intentum est. Hoc inter ipsas est discrimen, quòd intentio finis secundùm se non facit, vt aliquod ex medijs alias ad illum vtilibus sit ad consequutionem eius necessarium; at verò intentio finis prout consequibilis, aut prout consequendi per aliquod medium determinatum facit, vt ad consequutionem sui obiecti sit necessaria talis medij aut possibilitas, aut existentia: eo quòd substantia finis intenti nec potest existere prout consequibilis per tale medium, atque adeò prout connotans eius possibilitatem sine ipsâ possibilitate; nec potest existere prout consequenda per tale medium, atque adeò prout connotans eius existentiam sine ipsâ existentiâ. 59

Propositio 2.

Voluntas per efficacem, absolutam, & determinatam intentionem finis ad eligenda quæuis media ad ipsum finem vtilia moueri potest. Ad eligenda autem media, quæ præcognoscit necessaria, vt finis cum effectu obtineatur, determinata, siue necessitata manet voluntas per talem intentionem; nisi simul præcognoscat talia media aliunde extitura. 60

60 Prima propositionis pars probatur. Quoniam intentio efficax finis non minorem, imò maiorem vim habet ad inclinandam voluntatem, vt eligat, quidquid est vtile ad existentiam finis, quàm intentio simplex: siquidem intentione efficaci vehementiùs desideratur existentia finis, quàm simplici. Sed intentio simplex finis mouere potest voluntantem ad quoduis medium eligendum, vt propos. 1. probatum est. Ergo tantumdem potiore iure est dicendum de intentione efficaci. Itaque voluntas per eam moueri potest ad eligendum quoduis medium siue efficax, siue inefficax, siue præcisum ab efficaciâ, & inefficaciâ.

61 Dices. Intentio efficax, vtpote connexa cum fine, necessariò exposcit medium efficax ad obtinendum illum, prorsusque inutile videtur ad eius efficaciam explendam medium inefficax. Igitur ad hoc eligendum nequit voluntatem mouere. Respondeo, quòd intentio efficax ob suam connexionem cum fine necessariò expoſcat mediũ efficax ad obtinendum illum, non tollere, quominùs ea sufficientur, imò superabundanter inclinet ad eligendum quodlibet medium, etiam inefficax, vtile ad ipsum finem. Nam eo ipso, quòd talis intentio est quoddam desiderium finis non potest non (præscindendo ab efficacia eius) reddere bonum, amabileque voluntati, quidquid est vtile ad talem finem; nec potest non eam inclinare subinde ad illud quoque desiderandum, atque adeò eligendum. Vnde, quanuis medium inefficax ad talis intentionis efficaciam de facto explendam satis non sit; nequit tamen absolutè dici ad id inutile: quia est vtile ad obtinendum finem; & aliud non est expleri efficaciam intentionis finis, quàm finem obtineri.

62 Iam secunda pars propositionis probatur. Quia cùm intentio efficax, de qua in ea est sermo, secundùm illius definitionem commemoratam nuper intrinsecè sit connexa cum fine, & consequenter cum omni requisito ad existentiam finis, nequit non ad hoc ponendum necessitare voluntatem (iuxta generalem doctrinam datam disput. 30. quæst. 5. propos. 11.), nisi id aliunde positum videatur. Tali enim in casu veluti obtunditur vis efficacis intentionis. Quæ amplùs non exposcit suapte essentia pro existentia finis intenti, quàm, vt existant ea, per quæ cum effectu finis est extiturus. Vnde, ijs aliunde iam existentibus, nihil exposcit. Porrò intentionem finis efficacem, de qua agimus, vniuersè loquendo, necesitare intendentem ad electionem mediorum, quæ necessaria iudicantur, vt finis ipse cum effectu obtineatur, communis est sententia Doctorum. Quam cum S. Thomâ tradunt Valent. 1. 2. disput. 2. quæst. 8. punct. 3. Vazq. disput. 43. cap. 4. Soar. disput. 8. sect. 4. Salas tract. 3 disp. 1 sect. 5. & apud eos alij. Recognoscantur dicta in simili de imperio efficaci dictâ disp. 30. quæst. 12. propos. 1.

63 Ex his infertur primò, per intentionem absolutam, determinatam, & efficacem finis necessariò determinari voluntatem ad electionem alicuius medij efficacis respectu talis finis, si id aliunde futurum non præuidet independenter à tali intentione: quia sine aliquo medio efficaci finis obtineri non potest. Vnde electio medij inefficacis, aut præscindentis ab efficaciâ, & inefficaciâ satis non est. Quia cum primâ solâ frustraretur intentio efficax finis; cum secundâ autem exponeretur frustrationi. Quòd prorsus redugnat saltem in Deo. Poterit tamen voluntas pro arbitrio suo moueri per dictam intentionem ad eligendum simul cum medio efficaci requisito ad existentiam finis quoduis aliud non requisitum, siue illud sit efficax, siue inefficax, siue præscindens ab efficaciâ, & inefficaciâ. Quia ad quoduis vtile inclinat talis intentio; etsi ad requisitum tantùm, aliàs non futurum, necessitet.

Secundò infertur, posse voluntatem amare 64
efficacitet finem, quin inde cogatur ad amandum aliquod medium; eo quòd omnia requisita ad existentiam finis aliunde extitura præcognoscit vel absolutè, vel sub conditione, quòd existat amor efficax finis, vel aliter iuxta doctrinam vniuersalem traditam disp. 34 quæst. 11. à nu. 150. de scientiâ, qua voluntas diuina, atque adeò etiam creata, duci potest ad amandum, vel ponendum quidpiam connexum intrinsecè, aut semiextrinsecè cum alio quopiam. Doctrina quippe tradita ibi apprimè facit ad hoc propositum; ad illudque sæpe applicanda veniet, prout in decursu huius, sequentisque tractatus patebit.

Tertiò infertur, quando voluntati intenden- 65
ti finem intentione, de qua tractamus, plura occurrunt media efficacia, per quorum quodlibet seorsim à reliquis potest obtinere finem intentum, ita eam necessitari per talem intentionem ad eligendum eorum aliquod vagè, siue sub disiuntione, vt libera maneat ad eligendum aut hoc, aut aliud, aut aliud determinatè. Nam talis intentio in tali casu prædeterminatio quædam est disiunctiua voluntatis ad talem electionem. Atque adeò (ne actum agamus) ei est applicanda doctrina generalis de prædeterminatione disiunctiuâ supra disput. 30. quæst. 11. latè tradita, quantùm ad omnes, & singulos casus ad rem possibiles; in quibus scilicet media, inter quæ facienda est electio, aut sunt inter se mutuò opposita; aut sunt inter se connexa vel mutuò, vel non mutuò; aut sunt inter se neque opposita, neque connexa. De quibus ibi sigillatim.

Quartò infertur, vt valeat voluntas efficaciter intendere finem, necessarium esse, quòd iudicet, possibile sibi esse illum obtinere. Quia, tali non præeunte iudicio, ne physicè quidem, (vt aliàs dixi), nedum prudenter, potest voluntas totum suum conatum ad finem consequendum impendere. Vnde consequenter iudicare etiam debet, sibi esse possibile ponere, quæcunque ad consequendum finem sunt requisita, aliundeque ponenda non prænoscuntur. Cum quorum omnium possibilitate subinde, saltem prout iudicatâ, siue præcognitâ intrinsecè talis intentio connexa est. Quæ omnia plùs, quàm certa sunt, loquendo de volnntate diuinâ. 66

Porrò propositio nostra vniuersaliter est vera, siue intentio efficax, de qua agit, sit finis secundùm se præcisè consideratus, siue sit finis prout consequibilis, aut prout consequendi per aliquod medium. Nisi quòd, quando est finis prout consequibilis per aliquod medium, talis medij possibilitatem supponit essentialiter; quando verò est finis prout consequendi per aliquod medium, necessariò debet, vel talis medij existentiam prout finem ipsum actu causantem supponere ponendam aliunde, vel simul in ipsam, vt sic, & in finem tendere; (ita, vt sit simul talis finis, talisque medij intentio, & electio); vel ad ipsius vt sic electionem à se distinctam voluntatem necessitare. Nam hi tres casus sunt possibiles, prout ex dictis quæst. 3. propos. 2. liquidum est. 67

Pro-

Propositio 3.

68 **Voluntas per intentionem conditionatam finis vt talem, quantumuis eâ efficax sit, ad nullam mediorum electionem necessitatur. Moueri tamen poterit pro arbitrio suo ad eligendum tum conditionatâ, tum etiam absolutâ electione media, quæ tum sub eâdem conditione, qua finis intenditur, tum absolutè ad ipsius finis consequutionem vtilia sunt.**

Supponit hæc propositio, possibilem esse in voluntate etiam diuinâ intentionem finis, & electionem medij conditionatam ex parte obiecti iuxta doctrinam stabilitam disp. 34. quæst. 8. Deindeque supponendum est iuxta dicta ibidem, volitionem conditionatam, non in quamcunque, sed in eam sui obiecti tendere bonitatem, quam ipsum tanquam à quadam circumstantiâ participat à conditione, sub qua tangitur per talem volitionem. Tangitur enim per illam prout subest tali conditioni, seu prout connotans illam, vt loco citato explicatum, & alias sæpe dictum est. Vnde sequitur, medium vtile ad finem intentum per intentionem conditionatam ad eam bonitatem debere esse vtile, quam talis intentio tangit in tali fine; nec sufficere, quòd sit vtile ad aliam.

69 Quibus suppositis, prima pars propositionis inde probatur. Quia intentio conditionata finis, quantumuis ea in suo genere efficax sit, suspensam habet efficaciam, quousque purificetur conditio, sub qua tendit in finem: conatur enim dare existentiam fini, non absolutè, sed eâ conditione suppositâ. Vnde ante purificationem conditionis, seu independenter ab illâ ad electionem mediorum determinare, seu necessitare non valet. Valebit tamen, conditione purificatâ, seu absolutè positâ. Quoniam intentio conditionata efficax quoad vim mouendi transit in absolutam, purificatâ conditione: atque ita prout coniuncta cum conditione purificatâ perinde necessitat voluntatem ad electionem, ac si esset absoluta. De qua plura dicemus infra agentes de Deo disput. 39. quæst. 3.

70 Iam secunda pars propositionis probatur facilè. Quia, vt ex præcedentibus constat, omnis intentio finis ad electionem cuiusuis medij vtilis ad ipsum finem inclinat: ita quidem, vt ad eamdem bonitatem finis obtinendam, quam prætendit intentio, referatur vtilitas medij, quod assumit electio; nam cui bonitas illa est amabilis, & hæc vtilitas consequenter amabilis est. Cùm ergo bonitas, quam pretendit intentio conditionata finis siue efficax, siue simplex, conditionata sit; (ea scilicet, quæ accrescit, concipiturque in obiecto conditionato ex hypothesi conditionis iuxta dicta num. 68.); ad eam vtilitatem medij ponendam per electionem inclinabit conditionata intentio, quæ ad obtinendam bonitatem conditionatam ab illâ prætensam refertur. Cùmque rursus ad obtinendam bonitatem conditionatam duplex communiter in medijs reperiatur vtilitas: altera proxima similiter conditionata sub eâdem conditione: altera absoluta remotior. Concluditur, intentionem conditionatam de bonitate conditionatâ finis ad duplicem electionem mouere posse; alteram conditionatam de vtilitate medij conditionata; alteram absolutam de vtilitate medij absolutâ. Quod erat probandum.

Exemplis cuncta hæc clara fient. Intendit 71
homo conditionatè sanitatem sub conditione, quòd eam amittat per morbum A; ad quem morbum expellendum vtile est medicamentum B; tum vtilitate remotâ à suâ virtute indistinctâ, tum vtilitate proximâ, quam dum morbo iam applicatur ab applicatione ipsa sortitur. Ex quibus duabus vtilitatibus prima absoluta est in tali medicamento; quia indistincta ab ipso: secunda verò, dum morbus non adest, tantùm conditionata sub conditione, quòd morbus adsit, & medicamentum ei applicetur. Ex quibus subinde secundâ electione conditionatâ, primam autem electione absolutâ eligere potest homo, sanitatem intendens modo prædicto. Qui duplex modus eligendi medium ex intentione conditionatâ finis sæpe apud nos in praxi est. Dum enim intendimus conditionatè aliquem finem, sæpe conditionatè pariter eligimus medium, quod, cernimus, fore sub eâdem conditione vtile proximè ad talem finem: quæ electio, sicut & intentio, suspensa manet, nec aliquid absolutè ponit in esse: seu sæpe item ob vtilitatem remotam, & absolutam, quam in tali medio respectu talis finis conspicimus, absolutè eligimus illud, nobisque paramus, & retinemus ad vtendum ipso pro casu, quòd purificetur conditio, sub qua intendimus ipsum finem. Deus similiter ex intentione, quam habet, efficaci, & conditionatâ, vt omnes saluentur, prout videbimus disput. 40. quæst. 1. absolutè eligit, & ro ipsâ causat multa media remotè vtilia ad salutem, etiam Reproborum, & quæ proximè vtilia fierent, si illi in gratiâ decederent; cuiusmodi sunt ipsorum merita. Credibileque est, habere etiam Deum electionem conditionatam mediorum ad talem finem conditionatè vtilium sub eâdem conditione decessus in gratiâ, vt solutionem post mortem debitæ pœnæ luendæ in Purgatorio, collationem luminis gloriæ, &, si quæ sunt alia ad gloriam proximè vtilia.

Per quæ iam tota propositio manet proba- 72
ta. Quæ vniuersaliter est vera, siue intentio, de qua in eâ est sermo, sit finis secundùm se, siue finis prout consequibilis, aut prout consequendi per modum aliquod, iuxta dicta circa præcedentes propositiones num. 59. & 67. Quæ pariter etiam præsenti, suâ seruatâ proportione, applicanda sunt.

Propositio 4.

Voluntas ex intentione disiunctiuâ, & efficaci vnius, vel alterius duorum finium ad eam mediorum electionem moueri poterit, quæ vtilis fuerit ad existentiam alterutrius. Ad eam verò necessitabitur, quæ necessariâ fuerit, vt cum effectu existat alteruter. 73

Hæc etiam propositio supponit, possibilem esse in voluntate etiam diuinâ intentionem finis, & electionem medij ex parte obiecti disiunctiuam, iuxtam doctrinam statutam supra disp. 34. quæst. 9. vbi satis est explicatum ex doctrinis alibi datis, qualiter volitiones diuinæ æquiualen-

ter

ter tantùm disiunctiuæ esse possint; cùm tamen nostræ insuper possint esse disiunctiuæ formaliter. Recognoscantur ibi dicta.

74 Quibus suppositis, probo breuiter vtramque partem propositionis. Quoniam intentio efficax finis ad eam electionem mediorum inducit intendentem, quæ vtilis est, vt existat id, quod intenditur, ea ratione, qua intentum est: ad eam autem necessitat, quæ ad id ipsum est necessaria, vt satis liquet ex dictis in propositionibus præcedentibus. Ergo intentio efficax huius, vel alterius finis sub disiunctione ad eam electionem mediorum inducet, quæ vtilis fuerit, vt existat hic, vel alter finis: ad eam autem necessitabit, quæ ad id ipsum necessaria fuerit. Quot autem modis electio mediorum vtilis, aut necessaria esse possit respectu disiuncti duorum finium intentorum, ex dictis in totâ hac disputatione, iunctâ doctrinâ de actibus disiunctiuis recognoscendâ loco citato, facilè erit vnicuique determinare. In quo proinde non opus est, vt amplius immoremur.

75 Dices. Intentio efficax disiunctiua duorum finium duabus conditionatis æquiualet, quarum vnaquæque efficacitor intendit suum finem sub conditione negationis finis alterius, iuxta dicta loco citato. Sed nulla intentio conditionata finis, quantumuis efficax, ad vllam mediorum electionem necessitat per se, vt posit.3. statutum est. Ergo nulla intentio efficax disiunctiua necessitat ad vllam electionem mediorum. Respondeo, nullam intentionem efficacem conditionatam per se, & seorsim à quauis alia quatenus talem necessitare ad vllam mediorum electionem, (quod solùm statutum relinquimus posit.3.); quia nulla vt sic necessariò fert secum purificationem conditionis. At duas simul, quarum vnaquæque habet pro conditione negationem obiecti alterius, cuiusmodi sunt illæ, quibus æquiualet disiunctiua, non posse non ad eam mediorum electionem necessitare, quæ necessaria fuerit ad absolutè consequendum finem alterutrius. Quia non possunt ambæ simul carere fine intento, quin ambarum conditio purificetur: cùmque, purificatâ conditione, repugnet, eas sine fine intento manere; consequenter repugnat, ambas simul manere sine vllâ electione; eo quòd, sublatâ omni electione, ambæ sine fine intento manerent; quem aliter, quàm mediâ electione, causare non possunt; vt supponitur.

76 Porrò, quæ diximus de intentione disiunctiuâ duorum finium, eodem pacto locum habent in intentatione disiunctiuâ plurium in quouis numero, vt notum est. Cum intentione autem disiunctiuâ efficaci conuenit disiunctiua simplex quoad primam partem propositionis: secus quoad secundam; vt etiam est notum. Omniaque dicta æquè sunt vera, siue fines per intentionem disiunctiuam tangantur secundum se præcisè, siue vt consequibiles, aut consequendi per aliquod medium, iuxta dicta in simili circa præcedentes propositiones. Quæ præsenti quoque, suâ seruata proportione, sunt applicanda.

Propositio. 5.

77 Voluntas ex intentione finis ad nullum actum voluntatis potest immediatè moueri, qui non sit electio formalis alicuius medij respiciens ipsum vt vtile ad talem finem. Cæteri enim actus voluntatis non possunt immediatè procedere ab intentione finis, quantumuis vtiles ad illum præuideantur.

Hanc propositionem tenent Soar. tom.1. de Gratiâ lib. 12. cap. 11. num. 15. Petrus Hurt. 2.2. tom.2. disp. 135. sect. 6. Ouied. controu. 9. de Animâ punct 13. & alij. Contra Ripaldam to. 1. de Ente super. disput. 66. sect. 3. & alios Recentiores, putantes, intentionem finis immediatè posse mouere voluntatem intendentis ad quemlibet alium actum ipsius voluntatis, qui præuidetur vtilis ad finem intentum, quodcunque ille obiectum habeat. Quo pacto censent, in Deo intentionem pœnitentiæ præcedentem præuisionem peccati mouere ipsum posse ad volitionem permittendi peccatum, ex quocunque alio fine, siue motiuo talis volitio concipiatur, hoc ipso, quòd ea, quodcunque demum motiuum habeat, vtilis reuerâ est ad pœnitentiam, talisque præuidetur. Et in nobis intentionem sanitatis mouere nos posse ad volitionem ambulandi propter delectationem, vel causâ inuisendi amicum, vel ob aliud motiuum, quando ambulatio ad sanitatem etiam vtilis præuidetur, etsi non ametur vt talis, & consequenter volitio eius, quodcunque motiuum habeat, vtilis quoque cognoscitur ad ipsam sanitatem. Eodemque modo de cæteris huiusmodi actibus philosophantur. Quos electiones materiales vocare solent.

Probatur autem propositio nostra primò ab 78
absurdo, agendo de Deo. Quia, si intentio finis vim habet ad mouendam voluntatem diuinam ad omnem actum præuisum vtilem ad talem finem; quoties de facto concipitur talis actus, supposità intentione, non poterit non ab illâ procedere: eo quòd influxus intentionis in actum non respicientem ipsam intrinsecè, qualis est actus, de quo loquimur, posita vtriusque existentiâ, inuitabilis est; vtpote qui in ipsâ coexistentiâ consistit reipsâ iuxta doctrinam à nobis traditam, & probatam in simili disput.30. quæst.12. de influxu imperij reflexi voluntatis in actum imperatum, quæ omnium huiusmodi causarum moralium influxui communis est. Hinc autem sequitur, nihil posse Deum de facto producere, quod non ordinet ad cætera omnia, quæ producit: quia nihil est, quod non sit aliquo modo vtile ad cætera omnia, saltem vt circumstantia quædam extrinseca, siue vt obiectum, ex cuius præuisione Deus pro arbitrio suo moueri potest ad producendum quodlibet. Hoc autem, quis non censeat, absurdum esse? Ex quo aliud non minus sequitur. Cùm enim omnia, aut saltem pleraque, vel aliqua, quæ Deus efficaciter amat, vtilia sibi mutuo fint; fieret, vt vel omnia, aut pleraque, vel aliqua diuina decreta mutuò se se causarent viciſſim secundùm existentiam physicam, quia quodlibet moueret ad cætera, vtpote vtilia ad suum obiectum, qua motione, & coexistentiâ posità, inuitabilis esset mutuus omnium influxus. Duo autem quæpiam, vel plura mutuò se se causare quoad existentiam physicam, atque in eodem genere causæ, vti eueniret in præsenti, impossibile omnino est iuxta sententiam omnium. Hæc duo absurda etiam in nobis locum habent, licèt non tam amplum, quàm in Deo, vt consideranti innotescet.

Secundò probatur propositio à simili. Quia 79
lo-

loquendo vniuersè, intentio finis non valet mouere immediatè potentiam subditam voluntati ad mediorum exequutionem, vt in confesso est apud omnes. Ergo nec valet mouere ipsam voluntatem ad omnes actus vtiles ad talem finem, nisi interueniat electio reflexa talium actuum. Nulla enim est idonea ratio, cur plùs, aut aliter sit voluntas subdita sibi ipsi in ordine ad actus extrinsecè, & accidentaliter respicientes intentionem finis, quales sunt cæteri, præter formalem electionem; quàm subditæ sunt voluntati aliæ potentiæ respectu suorum actuum. Vnde, sicut nulla harum moueri potest ad suum actum, nisi per imperium voluntatis habens pro obiecto actum ipsum; ita voluntas à se ipsa ad actum, qui non sit formalis electio, nisi per imperium reflexum habens talem actum pro obiecto moueri non poterit. Per imperium autem reflexum posse voluntatem mouere se ipsam immediatè ad aliquem alium suum actum disput.30.quæst.12. probatum est.

80 Tertiò probatur propositio à priori. Quia voluntas non aliter tendere potest ad dandam existentiam medijs, prout media sunt, quàm tendit ad dandam existentiam fini, ad quem vtilia sunt talia media. Sed ad dandam fini existentiam tendit voluntas amando ipsum finem; desiderandoque, vt existat. Ergo ad dandam existentiam medijs nequit aliter tendere ex vi amoris ipsius finis, quàm amando illa, & desiderando, vt existant, prout media sunt. Ergo intentio finis ad solum amorem mediorum, prout media sunt, qui formalis electio est, potest immediatè mouere. Non item ad alium amorem; quantumuis hic ad ipsum finem præuideatur vtilis.

81 Cum quo tamen stat, amorem, qui non est electio, subseruire nihilominùs posse intentioni, tametsi ab eà non procedat, ad obtinendum finem per ipsam intentum; si nimirum ille sit medium efficax ad talis finis consequutionem, aliundeque, quàm ab intentione ipsa, præuideatur extiturus. Id namque commune est omni medio efficaci, aut etiam necessario ad finem intentum, aliundeque, quàm ab eius intentione, extituro, vt sicque ab intendente præuiso, iuxta doctrinam statutam propos.2.

Propositio. 6.

82 **Voluntas ex intentione finis ad electionem medij remoti moueri potest, quin sit necesse, vt præcedat electio medij proximi; imò, quin hoc ametur vllo modo: maximè, si aliunde, quàm ab amore sui, præuideatur futurum.**

Doctrina huius propositionis ex definitione finis Aristotelicà, & receptà ab omnibus, quam dedimus quæst.1. videtur imprimis inferri. Nam dum in eà absolutè, & sine vllà distinctione dicitur. *Finis est, cuius gratia cætera fiunt.* videtur sanè denotari, cætera omnia eodem modo, atque adeò immediatè causari posse à fine. Vnde sequitur, intentionem finis, quantùm de suo est, æqualiter ad ponenda omnia media requisita ad ipsum finem mouere: quia intentioni finis tantùm interest, quòd illa cuncta existant ad hoc, vt existat finis per ipsam intentus, quocunque demum ordine illa eligantur à voluntate. Poterit igitur voluntas ex intentione finis moueri ad eligendum medium remotum, antequàm eligat medium proximum, vel ordine inuerso pro suo arbitratu; diuersis tamen electionibus, vt mox explicabitur. Cuius doctrinæ ratio à priori est. Quia, vt constat ex dictis quæst.1. medium prout tale non est bonum formaliter, sed tantùm causatiuè; atque adeò non est amabile, quia bonum, sed quia vtile ad bonum. Ob idque Arist.lib.8. Ethic.cap.2. enumerans amabilia noluit illud vocare bonum, sed vtile amabile. Ex quo fit, omnem mediorum vtilitatem siue remotam, siue proximam propter finem immediatè amabilem esse; in quo sita est formalis bonitas, quæ sola est amabilis propter se.

Et quidem, quando medium proximum 83
aliunde, quàm à voluntate intendente finem, præcognoscitur extiturum, certum videtur, posse ipsam voluntatem moueri immediatè ex intentione finis ad eligendum medium remotum, imò & teneri, quando illud est necessarium ad obtinendum finem, & finis intentio efficax est: quia in tali casu talis intentio necessitat ad electionem medij remoti, & ad electionem medij proximi ne inclinat quidem; eo quòd veluti obtunditur vis eius motiua à prænotione existentiæ aliunde futuræ medij proximi, vt constat ex doctrinà datà propos.2. Itaque in tali casu electio medij remoti necessariò nascitur immediatè ab intentione finis, nullatenus electo medio proximo, quod ne amari quidem debet vllo modo per electionem medij remoti; etsi debeat per illam connotari, iuxta statim dicenda. Poterit igitur voluntas, etiam quando medium proximum non præuidetur extiturum aliunde, eligere medium remotum, antequàm eligat proximum, vel è conuerso, prout sibi placuerit: tametsi connaturalius videatur, vt priùs eligat medium proximum, quàm remotum. Erit tamen inter hos duos casus discrimen; quòd electio medij remoti antecedens electionem medij proximi eo ipso erit electio vtilitatis mediatæ ad finem, essentialiterque subinde connotabit existentiam vtilitatis immediatæ, quam mediata fert secum, eoque iure causatiua erit simul cum intentione finis electionis medij proximi cum suà vtilitate immediatà, iuxta doctrinam datam in simili quæst.3.propos.2. Electio verò medij remoti subsequens electionem medij proximi solius vtilitatis immediatæ, quam habet medium remotum comparatione proximi electio erit: ob idque electionem medij proximi supponet tanquam causam sui. Hæc dicta, quando intentio finis est efficax. Quando enim est simplex, si fiat electio medij remoti ante electionem medij proximi, sat est, quòd connotetur per illam vtilitas immediata medij proximi tanquàm possibilis. Ob idque talis electio ne causatiua quidem erit, nedum determinatiua, electionis medij proximi.

Obijciet tamen aliquis contra dicta. Vti- 84
litas medij remoti ad finem includit in se vtilitatem medij proximi; quia est vtilitas mediata eatenus conducens ad finem, quatenus conducit ad medium vtile proximè ad ipsum finem. Ergo vtilitas ad finem medij remoti in nullo euentu potest amari non amata vtilitate medij proximi. Distinguo antecedens. Vtilitas ad finem medij remoti includit in se de connotato, & in obliquo vtilitatem medij proximi; concedo. Includit ex æquò, & directè; nego. Et nego consequentiam. Etenim vtilitas medij remoti denominatio quædam ipsi semiextrinseca est, qua vtile

me-

mediatè ad finem denominatur: cuius fundamenta realia sunt omnia, quæ à parte rei componunt duas vtilitates immediatas, alteram medij remoti respectu proximi, alteram medij proximi respectu finis: à quibus omnibus medium remotum vtile mediatè ad finem denominatur: quæ denominatio, sicut & cæteræ eiusmodi, directè importat subiectum denominatum, ipsum scilicet medium remotum, cætera autem in obliquo, siue de connotato. Quoniam autem quoduis subiectum denominatum semiextrinsecè prout connotans cætera, ex quibus eius denominatio desumitur, benè potest à voluntate amari, quin amentur talia connotata, tametsi non possint non ea per talem amorem essentialiter connotari, iuxta doctrinam vniuersalem quæst. 3. num. 23. suppositam; & latiùs alibi, prout ibi refertur, expositam: idcirco medium remotum benè potest amari, eligique à voluntate prout vtile mediatè ad finem, quin medium proximum, eiusque immediata vtilitas ad eumdem finem amentur aut vllo modo, cùm aliunde prænidentur futura, aut per eumdem actum, cùm non prænidentur.

85 Ex qua doctrinâ inferemus postea suo loco, Deum benè posse ex intentione pœnitentiæ permissionem peccati eligere, quin ob id teneatur ad amandum vllo modo peccatum, quatenus hoc respectu pœnitentiæ rationem habet medij proximi; permissionem autem eius medij remoti.

86 Porro, quæ in tota hac quæstione dicta sunt de intentione per modum desiderij finis boni, suâ seruatâ proportione, sunt applicanda intentioni per modum fugæ finis mali. Et quæ sunt dicta de electione per modum desiderij medij vtilis ad finem bonum, pariter applicanda sunt tum electioni per modum fugæ medij impeditiui finis boni; tum electioni per modum fugæ medij vtilis ad finem malum; tum denique electioni per modum desiderij medij impeditiui finis mali. Vti notauimus similiter quæst. 3. num. 43.

QVAESTIO V.

Qualiter inter finem, & media duplex ordo, alter intentionis, & alter exequutionis ponendus sit.

87 QVia finis causa est mediorum intentionalis, quatenus intentionaliter, siue obiectiuè voluntatem eum intendentis mouet ad ponenda media: media verò vice versâ causæ sunt finis physicæ; quatenus physicè causant ipsum. Ideo constans res est apud Philosophos, duos ordines prioris, & posterioris reperiri inter finem, & media; alterum intentionis, qui à fine incipit, & desinit in medium remotius; alterum exequutionis, qui incipit à medio remotiori, & desinit in finem. Priùs enim intenditur finis, quàm eligantur media: quia finis prout intentus, atque adeò obiectiuè conducit ad electionem mediorum: sed priùs exequutioni mandantur media, quàm finis; quia media prout exequuta, atque adeò physicè causant ipsum finem. Supposito igitur, quòd in creaturis hi duo reperiantur ordines inter finem, & media; an, & qualiter reperiantur etiam in Deo, nobis in præsenti quæstione potissimùm examinandum, & resoluendum est.

88 Conueniunt Theologi, duplicem ordinem intentionis, & exequutionis prædictum etiam in Deo dari. Neque id citra notam negari potest. Cùm certum sit ex sacris Litteris, Deum operari propter finem, mediaque ad finem ordinare: idque fieri non possit, nisi intercedat duplex ordo prædictus. Itaque vt minimùm fatendum est, Deum ex simplici intentione finis moueri ad eligenda media; eoque pacto finem vt intentum priorem esse, quàm media, & media vt exequuta priora, quàm finem. Difficultas est, an ex intentione efficaci, & absoluta finis ita Deus moueri possit ad eligenda media, vt eâ etiam ratione duplex prædictus ordo assignari possit. Basilius Legion. tom. Variar. quæst. 6. Scholast. cap. 8. & 9. & docti Recentiores negant, id esse possibile in sententiâ eorum, qui per extrinseca connotata decreta Dei libera complent, quos Connotantes appellamus. Alij vero Theologi communiter tam Connotantes, quàm non Connotantes absolutè censent, esse possibile. Ita Alexan. 1. par. quæst. 28. artic. 2. Bellarmin. lib. 2. de Gratiâ & liber. arbit. cap. 14. Arrub. 1. par. disput. 65. num. 10. Soar. lib. 1 de Essentiâ Prædestin. cap. 14. & lib. 3 de Auxil. cap. 19. & tom. 1. in 3. par. disput. 5. sect. 1. & disput. 10. sect. 4. Herice 1. par. disput. 17. cap. 3. & 4. Alarc. 1. par. tract. 3. disput. 5. cap. 4. & 5. Idem docet Vazq. 1. par disput. 82. cap. 5. & disput. 89. cap. 13. quando finis intentus à Deo est aliquid non dependens ab arbitrio creato. Tunc enim, inquit, talis finis potest esse priùs in intentione efficaci, & posteriùs in exequutione: secus, quando dependet ab arbitrio creato: quia tunc, si seruanda est libertas, censet, talem finem non efficaci, sed simplici tantùm intentione posse præintendi à Deo ante mediorum electionem.

89 Imprimis tanquam certum statuo, stando in sententiâ non Connotantium, optimè posse Deum intendere efficaciter finem, antequàm decreuerit media, ex eâque intentione moueri ad illa decernenda: atque ita cum intentione efficaci finis optimè posse in Deo duos prædictos ordines intentionis, & exequutionis componi. Quoniam ex vnâ parte iuxta eam sententiam facile est assignare inter decreta Dei ordinem prioris, & posterioris, atque etiam causalitatis (scilicet virtualis) independenter ab ordine, & causalitate obiectorum ad eum modum, quo reperitur in actibus nostræ voluntatis. Ex aliâ parte ordinare media in finem præintentum efficaciter non minorem, imo maiorem perfectionem videtur præferre, quàm ordinare media in finem inefficaciter tantùm præintentum: maximè, cùm apud Deum intentio prævia, & efficax finis neque defectu mediorum, neque defectu potentiæ frustrari possit, vti in nobis sæpe frustratur. Igitur, stando in eâ sententiâ, nullatenus negandum est, posse Deum priùs intendere efficaciter finem, indeque ad mediorum electionem moueri, ita, vt intentio illa hanc electionem aliquo modo causet, atque adeò antecedat: tametsi vice versâ media electa causent, & antecedant finem intentum: quia sunt duo ordines, de quibus agimus. Vtrum autem huiusmodi efficax intentio cum libertate crea-

creatâ cohærere possit, quando finis intendendus est actus liber, infra disput. 39. quæst. 2. examinabimus.

90 In sententiâ verò Connotantium res hæc difficile componitur. Neque enim alius ordo inter diuina decreta videtur assignabilis in eâ sententiâ, præter illum, quem habent obiecta ipsorum decretorum, qui est solus ordo exequutionis: quandoquidem, quod habeut omnia decreta de intrinseca entitate Dei, idem omnimodis est in omnibus, totaque eorum diuersitas ex obiectis connotatis desumitur. Et quidem, si connotata completiua decretorum Dei alia non sint ab eorum obiectis, vt plerique Connotantes censent; omnesque iuxta principia sua censere debebrent: posità sententiâ eorum, me iudice, non solùm in Deo dari non potest duplex ordo prædictus, sed nec dici potest cum proprietate, Deum operari propter finem; vt tanquam absurdum contra sententiam ipsam supra disput. 31. quæst. 4. à num. 256. inferebam. Aliud tamen erit, vt ibi notabam, si connotata decretorum Dei possent esse moduli quidam distincti ab eorum obiectis, quos Recentiores quidam excogitarunt.

91 Sed quidquid ad rem locum habeat in sententiâ Connotantium, quam ego impugnatam latè relinquo quæst. illa 4. citatâ. Supposito ex sententiâ communi, quòd duplex ordo prædictus intentionis, & exequutionis detur in Deo, ita vt ordo intentionis in decretis Dei reperiatur, ordo verò exequutionis in eorum obiectis. Difficultas supereest, circa quam acriter inter Soar. & Vazq. certatum est, num in ipsis decretis Dei, præter ordinem intentionis, alius insuper ordo exequutionis admitti possit respondens ordini exequutionis ipsorum obiectorum. Ita quidem, vt Deus per alia decreta intendat finem, & media; per alia autem vice versâ ordinata tam media, quàm finem exequatur: quasi decreta intentiua potentiam exequutiuam determinare nequeant ad opus, nisi accedant alia exequutiua. Hos duos ordines decretorum sæpe adstruit Soar. tum locis supra citatis, tum alibi ad componendas multas difficultates Theologicas. Eum tamen impugnat Vazq. 1. par. tom. 1 disput. 89. cap. 7. & 11. & 3. par. tom. 1. disput. 23. cap. 11. alijsque in locis. Vterque autem suos habet sequaces.

92 Ego, vt penitus rem declarem, suppono primò triplex genus decreti efficacis, & absoluti excogitari posse in Deo. Nempe decretum purè intentiuum, decretum purè exequutiuum, & decretum mixtum. Decretum purè intentiuum est, quod mouet diuinam voluntatem ad eligenda media pro exequutione rei decretæ; nequit tamen per se immediatè ad ipsam exequutionem mouere, seu determinare potentiam exequutiuam. Decretum purè exequutiuum est, quod per se immediatè determinat potentiam exequutiuam ad exequutionem rei decretæ; nec valet mouere voluntatem ad aliqua media eligenda vtilia ad ipsam exequutionem. Decretum autem mixtum appello, quod ad vtrumque munus vim habet: ad mouendam scilicet voluntatem Dei, vt eligat media, & ad determinandam omnipotentiam, vt exequatur rem decretam.

93 Suppono secundò, aliqua esse obiecta, quæ Deus per solum decretum purè intentiuum potest decernere efficaciter; non item per decretum purè exequutiuum, aut mixtum. Huiusmodi sunt res, quæ sine actione superadditâ produci non possunt. Decretum enim de eorum existentiâ præcisè nequit potentiam exequutiuam determinare ad exequutionem, donec accedat decretum de actione, sine qua talis existentia produci non valet. Ratio est; quia potentia exequutiua subdita voluntati tantùm potest determinari ad exequutionem sibi possibilem; idque dumtaxat per affectum efficacem ipsius exequutionis. Sed exequutio prædictarum rerum possibilis potentiæ exequutiuæ ea solùm est, quæ fit mediâ actione. Ergo potentia exequutiua ad solam actionem determinari potest; idque dumtaxat per efficacem affectum ipsius actionis. Decretum ergo termini actionis præcisè sumpti purè intentiuum est, mouens diuinam voluntatem ad electionem actionis tanquam ad medium necessarium ad existentiam talis termini. Confirmatur. Quia terminus actionis decretus indifferens est, vt per hanc, aut per illam actionem producatur. Ergo posito decreto talis termini, adhuc potentia exequutiua manet indifferens ad omnes actiones possibiles. Ergo quousque accedat decretum determinatæ actionis, nequit potentia exequutiua in exequutionem prodire prædicti termini, nedum per eius decretum immediatè determinari.

Actiones etiam causarum secundarum, 94
prout sunt ab ipsis, decreto solùm purè intentiuo possunt decerni à Deo. Quia decretum, quo Deus vult vt creaturâ operetur, non mouet per se immediatè, nedum determinat potentiam creatam ad operandum: cum hæc, vtpote distincti suppositi, non fit immediatè subdita voluntati Dei, vti est subdita omnipotentia: eo quòd voluntati immediatè potentiæ tantùm eiusdem suppositi ex quadam veluti sympathiâ subditæ sunt. Itaque, licèt decretum, quo Deus vult cooperari cum creaturâ possit determinare immediatè omnipotentiam ad eam actionem, prout est à Deo, atque ita esse exequutiuum; decretum verò, quo Deus vult, vt creatura ipsa operetur, tantùm potest determniare immediatè diuinam voluntatem, vt ponat media, quibus potentia creata est inducenda ad operandum, atque adeò tantùm potest esse purè intentiuum.

Quando verò obiectum est per diuinam 95
omnipotentiam immediatè exequibile, atque adeò amabile per decretum exequutiuum, duobus modis, quod ad rem attinet, potest illud decerni à Deo decreto absoluto, & efficaci. Primò præscindendo ab existentiâ circunstantiarum, sub quibus tale obiectum de facto exequendum est, seu conducentium, seu non conducentium ad existentiam eius; ita vt Deus tantùm præuideat, dum illud decernit, possibilitatem omnium circunstantiarum, cum quibus exequutio eius coniungi potest, & potestatem, quam ipse habet ad disponendas eas, prout sibi placuerit. Secundò dependenter ab existentiâ omnium circunstantiarum, sub quibus de facto dictum obiectum est exequendum; ita vt Deus, antequam decernat eius exequutionem, præuideat vel absolutè, vel sub conditione eiusdem exequutionis futuras eiusmodi circunstantias. Quocunque enim ex his modis illas extituras præuideat, satis est, vt absolutè decernat exequutionem ipsam dependenter ab existentiâ illarum: secus si præuideat eas tantùm possibiles; neque eas simul decernat eodem decreto. De quo casu modo non

loquimur. Videantur dicta supra disput. 34. quæst. 11. à num. 150. dicendaque infra disput. 41. quæst. 1. num. 11. & alibi de variis modis, quibus Deus potest decernere vnum obiectum dependenter ab alio, aut ab alijs tanquam à circunstantijs. Quo posito.

96 Dico vniuersaliter, decretum obiecti à Deo immediatè exequibilis præscindens ab existentia circunstantiarum, sub quibus de facto tale obiectum exequendum est, nullatenus esse exequutiuum, sed purè intentiuum. Quoniam omnipotentia diuina nequit ad rerum exequutionem determinari, nisi per decretum practicum tendens in ipsam exequutionem, vt subest omnibus circunstantijs, sub quibus hic, & nunc exercenda est. Cùm enim omnipotentia, supposito decreto eam determinante, in sua operatione non sit libera, neque cognitione ducatur, si per decretum non supponens circunstantias esset determinabilis, sæpe prodiret in actum, quando non oporteret; Deusque per illam cæco quodam modo operaretur nesciens peristasim rerum, in qua operabatur; ipsique esset inopinatum, & casuale, quòd operatio eius cum his potiùs circunstantijs, quàm cum alijs, coniungeretur: quæ planè repugnant perfectioni prouidentiæ diuinæ. Decretum ergo præscindens à circunstantijs: exequutiuum esse non potest. Potest tamen esse intentiuum mouens diuinam voluntatem ad electionem mediorum, aliarumque circunstantiarum, cum quibus res decreta exequenda est: quia diuina voluntas potentia est libera, & cognitione ducitur ad eligendum: sicque disponere potest, vt res decreta sub ijs circunstantijs, sub quibus expedit, exequutioni mandetur. Cui doctrinæ consonat August. lib. 15. de Ciuit. cap. 25. dum loquens de Deo ait. *In omnia sua opera erumpit præscius euentuum futurorum: neque aliquid ipsi inopinato accidit.*

97 Confirmatur primò doctrina ista. Quia, cùm omnipotentia diuina perfectissimè sit subiecta diuinæ voluntati in suis operationibus, nec possit quidquam operari à voluntate non imperatum, non videtur determinari posse ad agendam sub tali circunstantiarum peristasi, quando nullum est decretum in Deo imperans ei, vt sub ijs circunstantijs talem actionem exequatur. Secundò clariùs confirmatur, atque adeò efficaciùs. Quia impossibile est, poni à Deo in rerum naturâ aliquid ipsi non liberum, neque voluntarium; vt constat. Sed, si Deus poneret rem decretam, non præuisâ coniunctione eius cum circunstantijs, cum quibus de facto est coniungenda, talis coniunctio consequenter poneretur à Deo; ipsique non esset libera, nec voluntaria; vt etiam constat. Ergo impossibile est, vt decretum de tali re à tali coniunctione præscindens per se sit potens ponere talem rem cum tali coniunctione mediâ potentiâ exequutiuâ. Quod est, non posse ipsum exequutiuum esse. Confirmatur tertiò. Quia decretum præscindens à circunstantia temporis nequit determinare omnipotentiam ad operationem decretam, donec accedat aliud decretum imperans, vt operatio fiat in tali tempore determinato, vt satis ex se est manifestum. Ergo neque decretum præscindens ab alijs circunstantijs poterit determinare omnipotentiam ad operandum, donec accedat aliud decretum imperans, vt operatio fiat sub talibus circunstantijs determinatis. Concluditur itaque, decretum obiecti à Deo immediatè exequibilis tunc esse intentiuum, quando præscindit ab existentiâ circunstantiarum, sub quibus tale obiectum est exequendum; tunc verò exequutiuum, quando ab illâ in existentia suâ aliquo modo dependens est.

Quæ cùm ita sint, iam liquidò apparet, 98
qualiter sit possibilis, imo aliquando necessarius ter decreta Dei duplex ordo, quem adstruxit Soar. alter intentionis, & alter exequutionis. Quoties enim obiecta decreta vel non sunt capacia terminandi decreta exequutiua; vel, si sunt, decernuntur tamen suo ordine cum præcisione à medijs, alijsque circunstantijs, sub quibus singula eorum exequenda sunt, talis ordo decretorum ordo intentionis erit, incipiens à fine, & desinens in medium remotius. Quia tamen hæc decreta, vtpote purè intentiua, per se immediatè nequibunt determinarè omnipotentiam ad suorum obiectorum exequutionem, necesse erit, vt circa eadem obiecta alia decreta exequutiua concipiantur, quæ incipiendo à medio remotiori omnia vsque ad finem ad exequutionem perducant ordine inuerso exequutionis. Hæc tamen ordinum oppositio non adeò exactè debet procedere, vt totus ordo exequutionis continenti filo ordini intentionis opponatur. Fieri enim poterit, præsertim, si sit longa mediorum series, vt dicti ordines quoad oppositionem perturbentur. Illud tamen est necessarium in quocunque euentu, vt pro quouis obiecto, præter decretum purè intentiuum, quo priùs decernitur cum præcisione à medijs, & circunstantijs, aliud detur decretum exequutiuum supponens media, & circunstantias, sub quibus illud est exequendum. Per quam doctrinam multæ difficultates Theologicæ ad varias materias spectantes facilè complanandæ veniunt. Si quæ autem contra eam opponantur, per ipsam facilè diluentur.

Iam, si obiectum à Deo immediatè exe- 99
quibile decernatur ab ipso Deo dependenter ab existentiâ mediorum, aliarumque circunstantiarum, sub quibus illud est de facto exequendum, tale decretum & poterit esse pure exequutiuum, & poterit esse intentiuum simul, & exequutiuum. Erit purè exequutiuum, si supponat existentiam absolutam dictarum circunstantiarum, atque mediorum: quia vt sic nequibit mouere voluntatem diuinam ad electionem eorum; cùm tamen possit mouere omnipotentiam ad exequutionem sui obiecti. Erit autem simul intentiuum, & exequutiuum, si supponat existentiam tantùm conditionatam dictorum mediorum, ac circunstantiarum: quia Deus præuidens fore, vt existant talia media, & tales circunstantiæ, si existerit tale obiectum, aut, si ipse illud decreuerit, decernit illud vt exequendum per talia media, & sub talibus circunstantijs. Hoc enim casu, cùm Deus non præuideat, dum tale concipit decretum existentiam absolutam dictorum mediorum, & circunstantiarum, poterit ad eam decernendam moueri per ipsum decretum: sicque illud erit intentiuum. Postmodumque, accedente existentiâ absolutâ mediorum, & circunstantiarum, idem decretum determinabit omnipotentiam ad exequutionem; vt sicque exequutiuum erit. Hoc enim ipso, quòd tendit in suum obiectum vt exequendum sub talibus circunstantijs, ipsis absolutè existentibus, determinabit ad exequutionem; etsi antea non determinaret: sicut decretum conditionatum efficax de obiecto ab omnipotentiâ exequibi-

quibili, & in suo genere exequutiuum, purificatà conditione, sub qua tendit in illud, determinat ad exequutionem, ad quam non determinabat antea, iuxta mox dicenda.

100 Egimus enim hactenus de decretis Dei absolutis, atque determinatis. Restatque agendum de conditionatis, & disiunctiuis. Circa quæ, suppositâ doctrinâ traditâ, certum est, non posse non ea esse purè intentiua, quando versantur circa obiecta per sola decreta purè intentiua decernibilia, vt sunt effectus, qui sine actione superadditâ produci non possunt præcisè sumpti, & actiones causarum secundarum, prout sunt ab ipsis, iuxta dicta num.93. & 94. Quando verò versantur circa obiecta exequibilia immediatè per diuinam omnipotentiam, de decretis quidem conditionatis perinde, ac de absolutis, philosophandum est, hoc solùm interueniente discrimine, quòd ante purificationem conditionis suspensa manent, & nihil præstant; purificatâ tamen conditione, transeunt in absoluta iuxta doctrinam tactam supra quæst.4.num.69.& latiùs tradenda disput.39. quæst. 3. Vnde in tali casu, si præscindant ab existentiâ circunstantiarum, sub quibus obiecta sua sunt exequenda, erunt intentiua: si verò ab illâ in existentiâ suâ aliqua ratione dependeant, erunt exequutiua iuxta dicta de absolutis num. 96. Mixta autem erunt, si intra suum genus habuerint, quod habent decreta absoluta mixta, iuxta dicta num.99. Decreta verò disiunctiua, qualia possibilia sunt Deo iuxta doctrinam traditam supra disput.34.quæst.9. si versentur circa actus vel solius omnipotentiæ diuinæ, vel omnipotentiæ simul, & causæ creatæ necessariæ, exequutiua esse non possunt, sed purè intentiuâ esse debent. Nam, cùm eorum efficacia vnius, vel alterius extremorum disiuncti, in quod tendunt, sub disiunctione, & neutrius determinatè existentiam postulet: nec sit possibile, vt vnum, vel alterum sub disiunctione, & neutrum determinatè existat: repugnat, tali efficaciæ satisfieri, nisi interueniat electio determinata alterius præ altero oriunda ab aliquâ causâ liberâ; qualis nec est omnipotentia diuina nec causa necessaria creata. Ex quo patet, tunc talia decreta exequutiua posse esse, (stantibus cæteris ad id requisitis), quando extrema disiuncti, in quod tendunt, sunt actus omnipotentiæ diuinæ simul, & causæ creatæ liberæ potentis inter illos eligere vnum à se simul, & ab omnipotentiâ determinatè exequendum.

101 Quæ autem in hac quæstione sunt dicta de ordinibus repertis inter finem bonum, & media vtilia ad ipsum, pariter applicanda sunt, suâ proportione seruatâ, ordinibus repertis tum inter finem bonum, & media impeditiua eius; tum inter finem malum, & media tam vtilia ad ipsum, quàm ipsius impeditiua.

QVAESTIO VI.

Quænam alia circa finem & media examinanda, atque resoluenda supersint.

102 Dico supereſſe nonnulla, quæ per quæstiunculas aliquot hic proponenda, atque determinanda sunt, prout sequitur.

Primò quæritur, an finis vera, & realis causa sit. Certum quæ apud omnes est, esse causam veram. Quia verè influit in effectum causæ efficientis, ipsam mouendo ad causandum illum; verèque proinde cum eâ concurrit ad dandum illi *esse*, siue existentiam; quod ipsum est, esse verè causam illius. An verò sit causa realis non adeò est certum. Nam Soar.disp.23.Metaph.sect.1. absolutè affirmat. Negat tamen Petr. Hurt. disput.13.de Animâ sect.5.Sed in re non dissentiunt. Quia Soar. sumit reale pro vero distincto à fictitio. Hurt.autem sumit reale pro physico condistincto ab intentionali. Vnde ambo inter se, & cæteri cum ipsis conueniunt, finem reuerà, & non fictitiè esse causam: non tamen esse causam physicam causantem secundùm *esse* physicum, quod habeat existentialiter à parte rei; sed causam intentionalem causantem secundùm *esse* intentionale, seu obiectiuum, quod habet in mente illum concipientis. Quod vtrumque apud omnes prorsus est certum. Ob idque dixerunt nonnulli, finem metaphoricè tantùm mouere causam efficientem ad causandum effectum. Sed hæc loquutio admitti non debet. Quia finis intra suum genus causæ intentionalis, seu obiectiuæ cum omni proprietate, atque adeò non metaphoricè tantùm mouet, & causat. Aliud enim est non physicè, sed intentionaliter tantùm mouere, & causare. Aliud mouere, & causare non propriè, sed tantùm metaphoricè; vt constat. 103

Secundò quæritur, vtrùm ratio formalis causæ finalis consistat in ipso fine, vel in eius cognitione, vel in vtroque. Supponitur vt certum, finem non aliter, quàm cognitum, posse causare: quia causat mouendo voluntatem, sicque influendo cum illâ in eius effectum: voluntas autem ab incognito moueri non potest; quia non potest ferri in incognitum. Quo fit, vt in causatione causæ finalis non possit non interuenire cognitio finis, Totaque difficultas est, an interueniat vt causa; an vt conditio mera causandi. Nonnulli apud Vazq. 1.2.disput.2. cap.1. absolutè pronunciant, cognitionem finis esse rationem formalem causæ finalis. Ipse verò Vazq.cap.2.Soar.disput.23.Metaph.sect.8.Ouiedo controuer.11.Phys.punct.2. & alij censent, cognitionem finis meram esse conditionem causandi; integramque rationem causæ finalis in solo ipso fine cognito sitam esse. At Petr. Hurt. disput.13. de Animâ sect.6. & Lynce lib.4. Phys.tract.10.cap.2. ex vtroque conflant rationem integram causæ finalis, ex fine scilicet, & ex ipsius cognitione. Ego arbitror, suppositis nonnullis, quæ hìc apud omnes prorsus certa esse debent, vix supereſſe difficultatem plùs, quàm de nomine. 104

Primò enim est certum, id, quod voluntas intendit, cùm finem intendit, ipsum finem vnicè esse, non item eius cognitionem. Nam, qui vult consequi sanitatem, nullatenus per talem volitionem vult cognitionem, quam iam habet de sanitate, sed tantùm sanitatem ipsam, vt est notissimum. Secundò est certum, finem non intendi à voluntate secundùm *esse* apprehensum intentionale seu obiectiuum, quod, dum cognoscitur, habet in sui cognitione; sed secundùm *esse* reale, quod haberet, si physicè existens poneretur à parte rei: idque siue sit ille quid verum, siue tantùm apparens. Nam, qui vult consequi sanitatem seu possibilem reuerà, seu impossibilem, non vult, vt talis sanitas existat obiectiuè in suâ cognitione, 105

sed, vt existat realiter, siue physicè à parte rei. Tertiò nihilominùs certum est, ad hoc, vt finis vnicè à voluntate intendatur quoad existentiam physicam modo dicto, requisitum omnino esse, quòd ille à voluntate ipsâ præcognoscatur, in suique proinde cognitione præexistat obiectiuè. Quartò est certum, communi Philosophorum, ac Theologorum phrasi (receptâ etiam à Trident. dum agit de Gratiâ præueniente sess.6.cap.5. & canon.4.) non solùm dici voluntatem moueri ab obiecto sibi proposito per cognitionem, sed etiam moueri à cognitione, per quam proponitur ipsi obiectum: imò cognitio dicitur mouere formaliter; quia est forma coniuncta physicè voluntati: cùm tamen obiectum tantùm dicatur mouere obiectiuè. Quintò denique est certum, motiuum adæquatum voluntatis in actu primo ex cognitione finis, ex fineque cognito constare tanquam ex duabus partibus, quarum vnaquæque mouet suo modo, & neutra sine altera mouere potest: potentiam autem proximè causatiuam effectus finis, qui & voluntatis effectus est, in suo conceptu reali includere voluntatem, cognitionem finis, & finem cognitum, cæteraque comprincipia immediatè concurrentia ad causandum talem effectum.

106 Quibus omnibus tanquam certis suppositis, num cognitio finis pars integræ causæ effectus finis, vel potiùs conditio causandi sit appellanda, ferme de solo nomine quæstio est. Ego censeo meliùs loqui, qui dicunt, eam esse conditionem causandi. Tum quia approximatio physica agentis ad passum requisita, vt ab vtroque causetur effectus, ab vnoquoque suo modo, constanter dicitur apud omnes conditio causandi: & cognitio finis approximatio quædam est intentionalis voluntatis ad finem requisita, vt ab vtroque causetur effectus, ab vnoquoque suo modo. Pariter ergo dicenda est conditio causandi. Tum quia tantùm videtur iure appellari causa finalis, quod intenditur à voluntate, & cuius gratiâ cætera fiunt. Id autem non est complexum ex fine, & eius cognitione, sed solus finis. Relinquitur ergo, vt cognitio dumtaxat dicenda sit conditio causandi. Tum denique quia ad hoc non obstat, quòd conditio finis dicatur mouere voluntatem, concurrereque cum illâ, & cum fine ad causandum vtriusque effectum. Quia etiam approximatio physica dicitur iuuare agens, & passum, cum eisque concurrere ad causandum effectum amborum, & nihilominùs non causa, adhuc partialis, sed conditio causandi dicitur.

107 Tertiò quæritur, quinam sint effectus causæ finalis. Certum est, media electa, & exequuta ad consequendum finem effectus ipsius finis esse. Dubitatur tamen primò, an intentio finis effectus sit ipsius finis quatenus finis. Negat Vazq. 1.2. disput.3.cap.2. Affirmat verò Soar. disput.23. Metaph.sect.3. Sed hæc etiam controuersia multum de modo loquendi habere videtur. Cùm enim id dicatur finis; *cuius gratiâ cætera fiunt*; tò *cuius gratiâ*, exponit Vazq: *cuius amore*. Vnde ea tantùm, quæ procedunt ex amore, siue intentione finis, censet, dicenda effectus finis, è quorum numero non est ipsa intentio finis, vt constat. Soar. verò tò *cuius gratiâ*, exponit, *propter quem*. Et quia voluntas intendit finem propter ipsum mota ad talem intentionem ab ipsomet, idcirco ejusmodi etiam intentio effectus finis vt finis dicenda venit. Ego arbitror expositionem Soar. aptiorem esse, atque adeò cum eo loquendum. Quia in hoc potissimùm differt finis à medio, quòd bonitas finis amabilis est propter se: cùm tamen bonitas medij tantùm sit amabilis propter finem. Quare, quidquid causatur à voluntate allectâ, seu motâ à bonitate finis iure id effectus ipsius finis vt finis venit dicendum. Cuiusmodi inter cætera est ipsa etiam intentio finis. 108

Dubitatur secundò, an electiones mediorum dicendę sint effectus finis. Negant nonnulli apud Arriagam disp.8.Phys.sect.7. censentes, ea solùm dicenda esse effectus finis, quæ amantur propter finem; è quorum numero non sunt electiones mediorum. Sed malè, & contra communem. Quia non solùm, quæ amantur propter finem, sed etiam, quæcunque fiunt propter finem, dici debent effectus eius.

Dubitatur tertiò, an ipse finis prout exequutus suimet vt finis effectus sit. Affirmandum 109 est cum communi. Quia & ipse finis consequutioni mandatur propter se ipsum: ipseque vt cognitus, atque adeò existens intentionaliter, seu obiectiuè in sui cognitione, in suam existentiam physicam influit, mouendo intentionaliter voluntatem, vt illam causet physicè. In quo nullum est inconueniens. Tametsi sit prorsus impossibile, vt idem ens prout existens physicè in eamdem sui existentiam physicam physicè influat.

Quartò quæritur, in quo consistat causalitas 110 causæ finalis. Omissis aliorum explicationibus, dico breuiter consentanee ad dicta latiùs supra disput.30.quæst.12. à num.608. de causalitate imperij, quæ similis est; causalitatem, qua primò, & immediate causat finis intentionem sui, in suo conceptu partim physico, & partim intentionali ex tribus coalescere, nempe ex actione, qua voluntas physicè eamdam intentionem producit, ex cognitione finis physicè ipsi voluntati coniunctâ, & ex ipso fine intentionaliter, seu obiectiuè existente in sui cognitione. Ab his enim tribus finis denominatur semiextrinsecè causans sui intentionem in suo causæ finalis genere. Causalitas autem, qua finis mediâ intentione sui mediatè causat electionem alicuius medij, præter tria dicta, insuper claudit in suo conceptu ipsam intentionem, & actionem, qua voluntas physicè talem electionem producit. Nam ab his omnibus denominatur finis causans talem electionem mediatè tanquam causa finalis eius. Adiunctis autem præterea ipsâ electione, & actione qua potentia exequutiua physicè producit medium electum, denominabitur finis finaliter causans magis mediatè medium ipsum. Pariterque philosophandum est de electionibus, medijsque alijs remotioribus magis mediatè oriundis ab ipso fine. Contra quam doctrinam nihil momenti est, quod possit opponi, suppositâ doctrinâ latiùs in simili traditâ loco citato. Quæ ad rem recoli potest. 111

Quintò quæritur, vtrùm sit aliquis finis, qui in alium ordinetur. Conueniunt Doctores, eatenus vnum finem posse in alium ordinari, quatenus vnum, & idem ens duas bonitates potest habere, alteram propriam finis, ratione cuius ametur propter se, sicque rationem finis sortiatur; alteram propriam medij, ratione cuius ametur propter aliud, sicque sortiatur rationem medij. Ita enim, cùm eadem potio & possit esse delectabilis gustui, & possit esse vtilis ad sanitatem; si ametur vt delectabilis, atque adeò propter se, exercebit munus finis; si verò ametur vt vtilis, atque adeò propter aliud, exercebit munus medij.

Quo

Quo pacto idem ens & erit finis, & tanquam me-
112 dium ordinabitur ad alium finem.

Difficultas est, an vnum medium prout vtile ad finem respectu alterius medij remotioris quatenus vtilis ad se rationem finis habeat, & hac ratione vnus finis ordinetur ad alium. Affirmant Ocham. Ægid. Gregor. & Gabriel apud Vazq. 1.2. disp. 4. cap. 1. Ipse vero Vazq. cap. 2. & seqq. negatiuam sententiam sequitur, & latè probat. Pro qua ego etiam sto. Quia dumtaxat, propriè loquendo, habere potest rationem finis, quod formaliter bonum est, atque adeò amabile gratiâ sui, siue propter se: non item id, quod tantùm est bonum causatiuè, atque adeò non gratiâ sui, seu propter se, sed tantùm gratiâ alterius, seu propter aliud tanquam ad illud vtile amabile est. Sed quoduis medium qua tale tantùm est bonum causatiuè, amabileque gratiâ alterius, seu propter aliud tanquam vtile ad illud. Ergo nullum medium qua tale habere potest, propriè loquendo, rationem finis, adhuc respectu alterius medij vtilis ad se. Et quidem, stetisse etiam Arist. pro hac sententiâ, latè probat Vazq. loco citato, varijs eius testimonijs adductis,
113 quæ apud ipsum videri possunt.

Dices. Medium remotum vtile est ad medium proximum. Ergo medium remotum propter medium proximum, seu gratiâ eius amari potest. Ergo medium proximum rationem finis habere potest comparatione medij remoti: siquidem id habet rationem finis, propter quod, seu cuius gratiâ amatur aliud tanquam vtile ad ipsum. Et confirmari potest. Quia amor finis ideò mouet ad amorem medij proximi, ipsumque causat; quia medium proximum vtile est ad finem. Sed medium remotum similiter est vtile ad medium proximum. Ergo amor medij proximi similiter mouebit ad amorem medij remoti, ipsumque causabit. Et consequenter medium proximum rationem finis habebit comparatione medij remoti similiter, ac eam habet ipse finis
114 comparatione medij proximi.

Respondeo ad obiectionem, medium remotum esse quidem vtile ad medium proximum, & ideo amari, siue eligi posse ad hoc, vt per illud existat medium proximum: non tamen posse dici medium remotum amari propter medium proximum, seu gratiâ eius: quia istæ particulæ *propter*, & *gratiâ eius* propriè sumptæ significant id, propter quod, seu cuius gratiâ aliud amatur, propter se, seu gratiâ sui amari. Medium autem proximum qua tale non est amabile propter se, seu gratiâ sui, sed tantùm propter aliud, & gratiâ illius; quocirca rationem finis comparatione medij remoti habere non potest. Hinc patet ad confirmationem; quantumuis amor medij proximi moueat ad amorem medij remoti, ipsumque causet, medium proximum comparatione medij remoti finem non esse. Quia ex tali motione, causationeque tantùm sequitur, medium remotum amari, eligive ad hoc, vt existat medium proximum, non tamen propter ipsum, seu gratiâ ipsius; prout requirebatur, vt medium
115 proximum finis esset comparatione remoti.

Sextò quæritur, vtrùm voluntas ex duobus medijs vtilibus ad finem intentum quemlibet eligere possit, si æqualia sint: & minùs vtile, si sint inæqualia. Vtrumque negat Vazqu. 1.2. disput. 43. cap. 2. Reliqui fermè Theologi communiter affirmant vtrumque. Salas 1.2. tractat. 6. disput. 1. sect. 5. num. 49. cum multis à se relatus. Soar. 1.2. disput. 4. sect. 4. Ouiedo controu. 11. de Animâ punct. 6. & alij. Quorum sententiæ nos quoque subscribimus. Quia tamen eam sub vniuersaliori doctrinâ latè probatam contra Vazq. relinquimus supra disput. 30. quæst. 15. à num. 689. Idcirco ab eâ speciatim hìc comprobandâ supersedemus. Recognoscantur dicta ibi, & huc applicentur. 116

Septimò quæritur, vtrùm intentio physicè influat in electionem, hoc est, per physicam actionem à se simul, & à voluntate egredientem, vel tantùm moraliter, inclinando scilicet, siue impellendo, atque adeò mouendo voluntatem, vt ipsa eliciat electionem. Influre priori modo, opinantur Vazq. 1.2. disp. 33. cap. 4. num. 21. Salas tract. 6. disput. 5. sect. 6. num. 94. & Ruiz tom. de Prouid. disput. 36. sect. 5. num. 12. Ego verò cum Ouiedo controu. 11. de Animâ punct. 7. & alijs ab eo citatis opinor, posteriori modo tantùm influere. Primò; quia non sunt adstruendi physici influxus absque necessitate. Nulla autem est necessitas attribuendi intentioni respectu electionis influxum physicum: cùm illi satis, superque sit influxus moralis. Secundò; quia iuxta sententiam communem, quam ego amplexus sum in Pharo Scient. disput. 7. quæst. 1. hypoth. 1. cognitio non physicè sed moraliter, siue illuminatiue tantùm influit in actum voluntatis pendentem ab illâ: ob idque impresentiarùm intentio à solâ voluntate dependet physicè, moraliter influente in illam cognitione finis. Ergo pariter electio à solâ voluntate dependebit physicè, influente in illam moraliter ipsâ intentione. Tertiò; quia imperium voluntatis reflexum moraliter dumtaxat influit in actum imperatum, vt constat ex latè traditis à nobis supra disp. 30. quæst. 12. Ergo similiter philosophandum est de intentione comparatione electionis. Quartò; quia electio non minùs est effectus finis, quàm intentionis eius, & tamen à fine, vtpote non existente physicè, non potest dependere physicè, sed tantùm dependet moraliter, imò tantùm insuper intentionaliter. Ergo & ab intentione finis moraliter tantùm dependere dicenda est. Quintò; quia vis influxiua intentionis in electionem in eo stat, quòd suapte essentiâ formaliter inclinat, quando simplex est, impellitque, quando est efficax, voluntatem in actu primo ad electionem. Sed plerunque inclinat, aut impellit ad electionem vagam, huius scilicet, vel alterius medij sub disiunctione, qualem causare nequit physicè. Ergo vis influxiua eius in electionem, non physicè, sed tantùm moraliter est influxiua; egens plerunque nouâ determinatione voluntatis, vt influat de facto in hanc potius electionem, quàm in alteram, ad quas vagè, seu disiuntiuè inclinabat, aut impellebat. Sextò denique; quia intentio finis non sola, sed coniuncta cum cognitione de vtilitate medij influit simul cum voluntate ad eliciendam electionem. Sed influxus talis cognitionis in electionem moralis dumtaxat est iuxta dicta. Ergo tantumdem est dicendum de influxu intentionis. 117

Octauò quæritur, an, vt intentio moueat voluntatem ad electionem, debeat à voluntate ipsâ cognosci quasi reflexè. Affirmant nonnulli Thomistæ apud Vazq. 1.2. disput. 23. cap. 4. num. 21. Quibus consentiunt Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 6. n. 14. & Quiros tom. 2. de Deo disp. 4. sect. 3. Ipse tamen Vazq. & alij communiter negant. Quibus ego subscribo. Tum quia necunde est necessi-

tas

tas talis cognitionis quasi reflexæ, vt intentio mediâ illâ moueat voluntatem ad electionem, cùm possit intentio ipsa per se immediate præstare eiusmodi motionem, satisque ex se appareat, tale munus consentaneum esse naturæ eius. Tum quia vel experientia ipsa ostendit, per intentionem finis, citra vllam eius reflexam cognitionem, moueri nos immediatè ad inquirenda, & eligenda media.

118 Verum quidem est nihilominùs, intentionem solam mouere ad electionem non posse, nisi cognitione aliqua comitetur. Imprimis enim semper est requisitum iudicium de vtilitate, atque etiam de possibilitate medij eligendi. Deinde, vt intentio absoluta, & efficax necessitet voluntatem ad electionem mediorum necessariorum, vt finis obtineatur cum effectu, iuxta dicta quæst. 4. propos. 2. iudicium de tali mediorum necessitate requisitum est. Præterea, vt intentio absoluta, & efficax non influat, imo neque valeat influere in medium necessarium ad finem, quod præcognoscitur aliunde extiturum, iuxta dicta ibidem, talis eius præcognitio requisita est: per eam siquidem eneruatur vis influxiua intentionis in tale medium. Denique ad adstruendam, aut impediendam motionem intentionis vel conditionatæ, vel disiunctiuæ suæ quoque cognitiones ipsarum naturæ proportionatæ requisitæ erunt, vt consideranti innotescet. Addo tamen, quauis cognitio quasi reflexa de intentione necessaria non sit, vt moueat intentio voluntatem ad electionem; vtilem tamen posse esse illam, prout infra disp. 37. quæst. 6. num. 93. dicemus.

119 Quemadmodùm autem in præsenti de intentione finis comparatione electionis medij philosophatum est; ita pariter philosophandum de electione medij propinquioris comparatione electionis medij remotioris: necnon de electione medij purè intentiua, si detur, comparatione electionis eiusdem medij exequutiuæ iuxta ea, quæ de his dicemus etiam disp. 37. quæst. 6. n. 93.

120 Nonò denique quæritur, quibusnam agentibus conueniat, agere propter finem, atque adeò ordinare media ad finem. Creaturam rationalem, vt hominem, & Angelum agere propter finem, certissimum cunctis, atque exploratissimum est. Deum etiam propter finem operari, certa fide tenendum est, vtpote sæpissimè expressum in sacrâ Scripturâ. Idque quod & ratio persuadet. Quia operari propter finem, perfectio est propria naturæ rationalis nullam importans imperfectionem repugnantem Deo: quam proinde conuenire Deo, omnino asseuerandum est. Dumtaxat potest in dubium verti, an solæ operationes externæ omnipotentiæ diuinæ, an etiam internæ diuinæ voluntatis sint propter finem. Hoc enim secundum negant aliqui, dicentes, volitiones diuinas esse quidem propter rationem aliquam obiectiuam formalem, non verò propter finem. Quia finis est causa eorum, quæ propter ipsum sunt. Volitiones autem internæ Dei nec fiunt, nec causam sui habent. Oppositum tamen censeo omnino dicendum. Quia volitiones Dei liberæ prout tales non possunt non esse aliqua ratione causabiles à voluntate diuinâ, vt constat ex doctrinâ supra statutâ disp. 31. quæst. 3. propos. 7. Quo posito, nihil desideratur, quominùs & à fine quoque causabiles sint, propter quem Deus eas in rerum naturâ ponit, potens non ponere. Quo rursus nihil desideratur, quominùs illæ cum proprietate dicantur esse propter finem. Quæ omnia quàm benè componantur in mea sententia de contingentia, ac productione virtuali diuinarum formalitatum, ex dictis in eadem disput. 31. quæst. 2. 3. & 4. facilè quisque potest colligere.

Certum est item, causas naturales non cognoscitiuas neutiquam agere posse propter finem, quem ipsæ sibi præstituant, vti agunt causæ rationales. Quia modus hic agendi propter finem, qui proprius est, fine cognitione, & appetitu elicito stare non potest, vt constat. Dicuntur tamen minùs propriè agere propter finem ipsis præstitutum à Deo: quatenus suis inclinationibus naturalibus à Deo sibi cum naturâ inditis in certos quosdam effectus tendunt, qui veluti proprij fines earum sunt. 121

De brutis verò animalibus non adeò est certum, an illa, loquendo propriè, propter finem agant sibi à se ipsis præstitutum. Affirmant enim aliqui, vt Arriaga disput. 8. Phys. sect. 6. Communis tamen sententia negatiua tenenda est. Quam satis superque probatam contra Aduersarios inuenies in Pharo nostrâ Scient. disput. 1. quæst. 2. hypoth. 27. Recognosce dicta ibi. Quæ ad propositum satis sunt. 122

Aduerto ad extremum huius disputationis, omnia fermè, quæ generatim in ea sunt dicta de ordinatione mediorum in finem, deque actibus tum voluntatis, tum intellectus, qui in illa interuenire, ad illamve quoquo modo spectare possunt, & de eorum obiectis, Deo, & creaturæ communia esse: doctrinamque subinde in eâ traditam generatim perinde supponendam esse pro dicendis in sequentibus de prouidentiâ diuinâ, & partibus eius, ac, si speciatim tradita fuisset de diuinâ ordinatione mediorum in finem, de eiusque actibus, & obiectis. Dico *omnia fermè*. Quia fortasse erunt nonnulla, quæ propter imperfectionem, quam præseferant, soli creaturæ, non item Deo, possint attribui. 123

DISPVTATIO 37.

De naturâ prouidentiæ Dei, & partium eius.

IN hac disputatione, explicatâ imprimis naturâ Prouidentiæ Dei, & eius existentiâ stabilitâ, dum eam in suas partes diuido, quarum potissimæ sunt Prædestinatio, & Reprobatio, naturam etiam partium exponam, & quomodò illæ cum suo toto comparentur breuiter statuam; vt, quæ deinceps dixerim de Prouidentiâ Dei, facilius partibus eius, earum præcognitâ naturâ, valeant accommodari. Deinde actus diuinos tum intellectus, tum voluntatis, tum omnipotentiæ percurram, qui ad Prouidentiam Dei, & partes eius vel necessarij sunt, vel vtiles; vt tandem, in quibus eorum Prouidentia Dei, & eius partes consistant, definiam.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quid sit prouidentia diuina.

1 PRouidentia, quod attinet ad nominis etymologiam *proculuidentiam*, aut *anteuidentiam* sonat. Deriuatur enim à verbo *prouideo*, quod componitur ex verbo *video*, & præpositione *procul*, vel *pro*, prout significat *ante*. Quo fit, vt prouidentia ad ea, quæ ex loco distanti videntur, soleat aliquando referri; frequentiùs tamen refertur ad ea, quæ priùs tempore, quàm existant, noscuntur. Hinc prouidus vocatur, qui in præuidendis, & disponendis euentibus futuris, ordinando media ad suos fines, solertiam, & diligentiam habet. Vnde prouidentia sumpta vniuersè nihil est aliud, quàm præuia, & sedula ordinatio rerum in suos fines.

2 Omissâ igitur prouidentiâ creatâ, quæ soli creaturæ rationali competere potest, vtpote cui soli præ cæteris creaturis competit, agere propter finem, propriè loquendo. Prouidentia diuina secundùm S. Tho. 1. par. quæst. 22. artic. 1. in corp. *Est ratio ordinandorum in finem.* Seu, *Ratio ordinis rerum in finem in mente diuinâ existens.* Cui consonat Boetius lib. 4. de Consolat. prosa 6. dicens. *Prouidentia est illa ipsa diuina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.* Aliter definit Damasc. lib. 2. Fidei cap. 29. *Prouidentia*, inquit, *est voluntas Dei, per quam omnia, quæ fiunt, conuenientem gubernationem suscipiunt.* Concernit Nemesius lib. de Facult. animæ cap. 43. in tom. 9. Bibliothec. vbi ait. *Prouidentia est rerum procuratio à Deo suscepta.* Et rursus. *Prouidentia est Dei voluntas, per quam omnia, quæ sunt, aptè gubernantur.* Præter alias definitiones, quas alij Theologi compingunt. Ex quibus omnibus apparet, prouidentiam tum ad intellectum, tum ad voluntatem Dei pertinere, in ijsque actibus consistere, quibus Deus creaturis prospicit, atque consulit, perducendo eas per media idonea in proprios, & conuenientes fines. Vnde ad obiectum, siue materiam, circa quam diuina prouidentia versatur, duo spectant; creatura, cui prouidetur; & bonum, quod ei prouidetur, seu procuratur; sub quo tum finis creaturæ conueniens, tum media, quibus ille obtinetur, comprehenduntur.

3 De existentiâ boni prouisi comprehendentis finem, & media certum est, sub prouidentiam diuinam cadere tanquam effectum proprium, seu terminum à tali prouidentiâ habentem esse. De existentiâ verò subiecti, cui prouidetur, dubitant aliqui, an sit effectus prouidentiæ, vel quid ad illam præsuppositum. P. Soar. lib. 3. de Attrib. cap. 10. num. 2. & lib. 1. de Prædestin. cap. 18. num. 12. affirmat, existentiam rei, cui Deus prouidet, atque adeò etiam eius decretum quid præuium esse ad prouidentiam: quia ad prouidentiam non spectat dare existentiam rebus, sed eas iam existentes gubernare, & dirigere in suos fines. Consentit Tann. 1. par. disput. 3. de Prouid. & Prædest. in. quæst. 1. dub. 3. num. 13. & quæst. 2. dub. 3. num. 15. & quæst. 3. dub. 2. num. 6. cum Alex. Albert. & Duran. relatis à P. Didaco Ruiz tomo de Prouiden. disput. 4. sect. 5. num. 10. Et videtur supponere S. Tho. quæst. 5. de Verit. artic. 1. ad 9. Tradit hanc sententiam Nemes. supra cap. 42. circa medium. In eademque sunt sine dubio Patres, qui tanquam de aliquo præsuppositio ad prouidentiam loquuntur de creatione rerum. Sic Damasc. supra Ambros. lib. 1 Offic. cap. 13. & 1. Corinth. 1. Cyrill. lib. 5. Thes. cap. 2. Eidem sententiæ subscribit Herice tract. 3. disput. 22. cap. 7. num. 53. & 55. licèt pro oppositâ sententiâ citetur à Recentioribus. Qui quidem enixè contendunt, existentiam subiecti, cui prouidetur, sub prouidentiam cadere posse. Quod fiet, inquiunt, si Deus tale subiectum producat ex ipso eodem fine, ad quem per prouidentiam dirigitur; tunc enim illud æquè, ac cætera media in talem finem ordinata, erit effectus prouidentiæ. Sicut subiectum prædestinationis productum ex eodem fine, ex quo producuntur relequi prædestinationis effectus, effectus quoque ipsius prædestinationis est, vt fatetur Soar. supra, assignans quoad hoc discrimen inter prædestinationem, & prouidentiam, quod tamen latè impugnant hi Recentiores, quorum sententiæ nonnulli etiam Patres fauere videntur apud Ruiz supra, comprehendentes rerum creationem sub prouidentiam Dei.

Verùm controuersia hæc, vt & aliæ, quæ versantur circa definitiones rerum, in quæstionem recidit de nomine. Quam benè componit Ruiz supra distinguens duplicem prouidentiam; aliam latè sumptam, quæ rerum etiam existentiam comprehendit; aliam strictè, & propriè sumptam, quæ tantùm comprehendit rerum gubernationem, & præsupponit existentiam, qualem supponit gubernatio ex conceptu suo. Vt enim non dicitur res gubernari per primam productionem sui, ita neque ei per primam productionem dicitur prouideri, loquendo propriè. Ex quo fit, intentionem finis, ex qua prima rei productio procedit, non pertinere ad prouidentiam, qua prouidetur tali rei, sed esse quid præuium ad illam, vt docent Vazq. 1. par. disput. 87. num. 18. Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 5. num. 17. & Tann. quæst. 1. citatâ dub. 3. num. 15. tametsi exequutio ipsius finis per media prouisa effectus sit talis prouidentiæ, vt initio statuimus. De prædestinatione alia est ratio propter diuersam nominis acceptionem, vt explicabo quæst. 3. Addo, licèt creatio rei sub prouidentiam non cadat, qua eidem rei prouideri dicitur, cadere tamen posse sub prouidentiam, qua prouidetur alijs rebus, quibus illa est commoda, aut vtilis. Quo iure post primam Mundi creationem cætera omnia, quæ creantur, effectus vniuersalis prouidentiæ, qua Deus huic Vniuerso prouidet, vocari possunt propriè, & strictè: quia omnia, quæ creantur ad bonum commune Vniuersi conferunt vel tanquam partes ad totum, vel aliâ ratione. 4

Aduerto, dispositionem interdum pro prouidentiâ sumi, sæpius tamen, & propriùs capitur in sacris Litteris pro exequutione prouidentiæ, siue pro externâ rerum ordinatione à prouidentiâ promanante. *Fatum* autem sumptum catholicè illam concatenationem, & cohærentiam, quam res à prouidentiâ participant, significare potest. De quo plura Ruiz disp. 4. de Prouid. sect. 6. & Tann. disput. 3. quæst. 1. dub. 3. num. 14. 5

QVÆ-

QVAESTIO II.

Vtrùm in Deo detur prouidentia omnium rerum.

6 VArij fuerunt Philosophorum errores circa diuinam prouidentiam. Nam quidam eam absolutè negarunt, putantes, omnia vel casu accidere, vel fatali necessitate euenire. Alij dixerunt, prouidentiam Dei ad vniuersalia tantùm, & incorruptibilia se extendere; secus ad particularia, & corruptibilia. Alij arbitrati sunt, eam intra Cœlorum ambitum se continere; neque ad sublunaria descendere. Alij actus liberos dumtaxat à prouidentiâ Dei subduxerunt. Alij aliter ab scopo aberrarunt. Quorum errorum Auctores distinctè, & latè referunt Vazq. 1. par. disput. 87. cap. 1. Didac. Ruiz de Prouiden. disput. 1. sect. 2. Herice tract. 3. disput. 21. cap. 2. Tann. 1. par. disput. 3. quæst. 1. dub. 2. & alij plures ab eis relati.

Propositio vnica.

7 **Deus perfectissimam, & exactissimam prouidentiam habet omnium omnino rerum, quantumuis minimarum, distinctè, & in particulari.**

Propositio est de fide passim expressa in sacris Litteris. Sapien. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus.* Sapien. 8. *Attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Sapien. 11. *Omnia in mensurâ, & numero, & pondere disposuisti.* Sapien. 14. *Tua autem Pater prouidentia cuncta gubernat.* Math. 6. *Respicite volatilia Cœli; quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horreâ, & Pater vester Cœlestis pascit illa.* Et post pauca. *Considerate lilia agri, &c. Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit.* Math. 10. *Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadit super terram sine Patre vestro? Vestri autem capilli capitis omnes numerati sunt. Nolite ergo timere.* Et sæpius alibi.

8 Eamdem veritatem tradunt omnes Patres tam græci, quam latini; multique eorum ex professò, & latè confirmant, quos recensere operosum esset. Vide longum eorum Syllabum apud Ruiz supra: plures etiam referunt Vazq. Herice, Tann. locis citatis, & alij Doctores tractantes hanc quæstionem. Vide P. Hemelmam. tom. 2. in 1. par. tit. 12. disput. 1. cap. 1. vbi num. 11. eamdem veritatem confirmat ex Ethnicis philosophis.

9 Ratione etiam naturali demonstratur hæc veritas. Primò à priori; quia Deus est causa prima omnium omnino rerum, & perfectionum creatarum, non solùm primo producens, sed etiam conseruans, idque non temerè, & casu, sed cum ratione, & propter finem. Ergo de omnibus omnino rebus prouidentiam habet. Repugnat enim, cuncta creari, conseruari, & perfici à Deo ex aliquo fine, & eum non habere prouidentiam cunctorum: Cùm prouidentia non sit aliud, quàm ordinatio rerum in finem, vt quæst. 1. explicauimus. Secundò à posteriori; quia harmonia, & concordia tot dissimilium, & contrariarum partium Vniuersi neutiquam sine Dei prouidentiâ constare posset. Quam etiam mirabiliter demonstrat artificium rerum creatarum seu maiorum, seu minimarum, earum perfectiones, facultates, habilitates, operationes aptissimè ad singularum fines accommodatæ. Indicat item apertè prouidentiam diuinam innata propensio, qua homines, naturâ duce, eamdem prouidentiam efflagitant, cùm eâ opus habent tum erga se, tum erga res alias, quæ eorum dominio subduntur: qualia sunt pleraque sublunaria.

Quæ quidem rationes probant, Deum 10
per se, & immediatè prouidere singulis rebus; vti per se, & immediatè cuncta operatur. Quod non tollit, eum nonnulla gubernare per administros speciales siue Angelos, siue homines; cum quibus tamen ipse vt vniuersalis prouisor, & gubernator etiam concurrit duobus modis, nempe cooperando per influxum comitantem, & dirigendo eorum actus, aut illos permittendo per collationem principiorum ad tales actus concurrentium. Videatur Tann. supra dub 3.

Probant itidem rationes factæ, nihil re- 11
spectu diuinæ prouidentiæ, casu, & fortuitò accidere. Quia nihil est, quod Deus non præuideat futurum, & vel intendat, vel permittat ex aliquo fine. Vnde monstra etiam, & res aliæ nobis inopinatæ sub prouidentiam diuinam cadunt. In his consentiunt Theologi, & latè exornant Ruiz supra sect. 8. & sequentibus, & Tann. dub. 2. citato à num. 7.

Quinimo & mala culpæ, siue peccata 12
spectata etiam secundum formalem malitiam sub prouidentiam diuinam cadunt, non quidem vt effectus ipsius prouidentiæ aliquo modo intenti à Deo, sed vt effectus arbitrij creati permissi à Deo ex bono fine, vel vt materia, circa quam multa bona Deus velle potest, vt pœnitentiam, & humilitatem peccantis, humiliationem, patientiam, meritum eius, in quem peccatur, & alia huiusmodi. Sic docent communiter Theologi, Valen. Vazq. Soar. & alij, quos refert, & sequitur Tann. dub. 2. citato num. 10. & Ruiz disput. 2. de Prouiden. sect. 1. latè probans hoc & exornans ex sacrâ Scripturâ, & Patribus. Quomodò autem Mundus perfectior euadat ex permissione peccatorum, quàm, si nulla peccata permitterentur, ex communi Scholasticorum sententiâ probat ipse Ruiz eruditè sect. 3. 4. & 5. Iam verò, quòd materiale peccati, & mala pœnæ cadant sub prouidentiam, ex dictis certò certiùs colligitur. De quo Ruiz sect. 6. & 7.

Obijciet tamen aliquis contra veritatem 13
stabilitam illud Pauli 1. Corinth. 9. *Nunquid de bobus cura est Deo?* Quibus verbis videtur Apostolus indicare, prouidentiam Dei non extendi ad animalia huiusmodi. Cæterùm, si inspiciatur contextus, satis apertus est sensus Pauli. Intendit enim monstrare, operarijs Euangelij debitam esse sustentationem iuxta illud Math. 10. *Dignus enim est operarius cibo suo.* Afertque ad id probandum testimonium ex Deut. 25. inquiens. *An & lex hæc non dicit? Scriptum est enim in lege Moysi: non alligabis os boui trituranti. Nunquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique hoc dicit?* Quasi dicat Apostolus. Cùm Deus iussit, non alligare os boui trituranti, non-

tam

tam ad boues, de quibus ibi non curabat, quàm ad ministros Euangelij sub figura boum triturantium respexit. Ex quo nihil inferri potest contra Dei prouidentiam.

14 Deinde opponi potest Hieron. Qui in illud Abac. cap.1. *Mundi sunt oculi tui*. planè videtur negare Deo prouidentiam rerum minimarum. Cæterùm,catholicè sensisse Hieronymum de prouidentiâ huiusmodi rerum, perspicuè apparet ex alijs eius testimonijs, præsertim ex commentarijs in Math.cap.11. in epist.ad Ephes.cap.5. in Zachar.4. in Ierem.32. Vnde, quæ scripsit in locum Abac. citatum in bonum sensum trahenda sunt. Vide eorum interpretationem apud Valent.Mol.Vazq.1.par.quæst.14.art.5.apud Herice tract.1.disput.5. cap.1. & apud Ruiz disput.9. de Scient.sect.2.

15 Tandem opponi potest inæqualitas, & exorbitantia humanorum euentuum; qua multi stolidi Athei hallucinati sunt, vt Dei prouidentiam circa homines abnegarent. Quomodò scilicet iusti, & iniusti æquâ lance sæpe pensentur; quinimo peccatoribus, sacrilegis, atque impijssimis viris plerunque cuncta succedant prosperè, pijs verò, studiosis, ac sanctis aduersa fortuna obuersetur. Illi diuitijs, honoribus, dignitatibus affluere solent: hi paupertate, ignominiâ, despectuque oppressi iacere. Imo non rarò iusti ab iniustis iniustè torquentur, opprimuntur, vexantur citra omnem correptionem, & punitatem. Quæ omnia argumento videntur esse, longè ab istis rebus abesse prouidentiam diuinam. Cæterùm, vnde stulti ad prouidentiam negandam, sapientes ad eam adstruendam ducuntur. Nam hæc humanarum rerum, sortiumque inæqualitas planè demonstrat, esse aliam vitam, in qua cuncta ad æqualitatem reducenda sunt: argumentumque est validissimum omnium veritatum, quas Deus hominibus reuelauit. Adeòque cum illis cohærent huiusmodi Mundi successus peruersi specie tenus, & rationi repugnantes, vt manifestè appareat, eos non sine exactissimâ, & sapientissimâ prouidentiâ supremi Gubernatoris ita euenire.

QVAESTIO III.

Quotuplex sit prouidentia Dei.

16 DVplex imprimis prouidentia distingui potest. Altera moralis, qua Deus actiones liberas hominum, atque etiam Angelorum gubernat, & regit. Altera physica, qua cæteras res Vniuersi dirigit in suos fines. Deinde, prouidentia, quam Deus circa homines, & Angelos habet,in naturalem, & supernaturalem diuidi potest. Naturalis est, qua illis prouidet bona naturalia. Supernaturalis, qua prouidet supernaturalia. Præterea prouidentia supernaturalis alia est communis ijs, qui saluantur, & ijs qui pereunt: qua Deus illis dona aliqua supernaturalia impertitur in ordine ad supernaturalem finem æternæ beatitudinis, in quem tamen eam cum effectu non influunt. Alia est specialis Saluandorum,qua Deus eos per certa media infallibiliter, & cum effectu perducit ad vitam æternam. Et hæc vocatur Prædestinatio. Præter quas est alia insuper prouidentia specialis Reproborum,quæ Reprobatio dicitur. Diuiditurque in negatiuam, & positiuam. Prima est, qua Deus Reprobis negat prædestinationis beneficium. Secunda,qua eos damnat æternâ pœnâ.

Porro prædestinatio, quæ totius prouidentiæ diuinæ, pars est præcipua, & præstantissima, 17
à verbo *prædestino* trahit nomen, quod ex præpositione *præ*, & verbo *destino* est compositum. *Destinare* autem apud profanos Auctores variè vsurpari solet. Interdum enim significat *emere*, *alligare*, *deliberare*, *constituere*: frequentiùs tamen magis ad rem nostram accipitur pro *mittere*, seu *dirigere*, *ordinare*, *definire*, *decernere*, *deputare*, seu *designare*. In quibus significationibus etiam ab Scriptoribus sacris vsurpari solet. De particula *præ*, quæ antecessionem denotat putauit Catherinus Opusc. de Prædestin. cap.1. alijsque in locis, significare hìc dumtaxat antecessionem dignitatis, seu excellentiæ. Atque ita eos solos prædestinatos vocat, qui præ cæteris ad eximiam gloriam ante præuisa merita electi sunt; quo loco ponit Christum Dominum, B. Virginum, Apostolos, & alios eximiæ sanctitatis viros. Cæteros verò saluandos in secundo ordine collocat, eosque, censet, non esse appellandos prædestinatos, sed communi prouidentiâ cum Reprobis ad beatitudinem directos, ad eamque tandem electos post præuisionem boni finis, quo vitâ cedunt. Cùm tamen Reprobi, quos in tertio ordine collocat, post præuisionem mali exitus æternæ pœnæ deputentur. Verùm sententia hæc Catherini seuerè ab omnibus Theologis reprobatur. Perperam enim nomen prædestinationis ad solos eximiè sanctos restringit; quando vna vox est omnium Scholasticorum, & Patrum, solos prædestinatos saluari: neque aliquem saluandum esse, qui prædestinatus non sit. Videatur August.lib.de Dono perseuer.cap.8.& Fulg.de Fide ad Petrum cap.45. Alij, vt Pennotus lib.6. Propugnaculi cap.1.& Camerarius in Dialogo Catholico cap.1.§.2. referunt dictionem *præ* ad antecessionem, qua Prædestinati Reprobis præferuntur. Sed hæc antecessio non prædestinationis, sed electionis nomine solet à Theologis, à sacrisque Scriptoribus denotari. Alij volunt, dictam particulam antecessionem causalitatis exprimere, qua prædestinatio est causa nostræ saluris. Sed dicendum omnino est, eam iuxta communem sensum Scripturæ, Patrum & Theologorum antecessionem temporis significare, qua prædestinatio in actibus Dei internis consistens ab æterno præcedit existentiam prædestinatorum, exequutionemque mediorum, & finis in quæ sunt destinati. Sic docet S.Tho.1.par.quæst.23.artic.2.ad 1.& cum eo reliqui Scholastici: quorum plures refert, & sequitur Ruiz tom.1. de Prædestin. disput.1. sect.2. Itaque prædestinatio nihil est aliud, quàm præordinatio æterna Dei, vi cuius creatura rationalis per media certa dirigitur, & cum effectu perducitur in æternam salutem. Vnde August. lib. de Dono perseuer.cap.14. *Prædestinatio*, inquit, *est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur*. Consentaneè ad illud Apostoli ad Rom.8. *Quos præscriuit,& prædestinauit, &c. Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit, illos & glorificauit*.

Hinc fit, subiectum, circa quod versa- 18
tur prædestinatio propriè dicta, seu cui per eam

prouidetur, creaturam rationalem esse debere, quia sola hæc est capax consequendi gloriam, & mediorum, quibus ea obtinetur. Vtrùm autem persona solùm prædestinari possit, vti de facto sit, vel etiam natura à personalitate præcisa, quæstio est ad rem parui momenti, & quæ dependet ex alijs principijs. Ego vtrumque censeo possibile: quia natura etiam præcisa à subsistentia capax est gloriæ, & mediorum, quibus gloria obtinetur. De quo videri possunt Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 4. num. 8. Ruiz disput. 1. de Prædestin. sect. 3. num. 13. Fasol. 1. par. quæst. 23. artic. 1. num. 4. & Gran. 1. par. tract. 4 disput. 1. num. 11. Dubitare tamen posset aliquis propter definitionem prædestinationis, quam retulimus ex Augustino an ad prædestinationem requiratur, quòd persona, quæ prædestinatur, in peccato fuerit, à cuius miseriâ eripiatur per ipsam prædestinationem. Sed certum est, id non requiri. Nam Christus Dominus, & Angeli propriissimè prædestinati sunt; quin peccato infecti præcesserint. Augustinus autem, cùm dicit, per prædestinationem liberari, quicunque liberantur, aut loquitur de prædestinatione hominum, qui post communem lapsum à masâ perditionis seliguntur: aut sub verbo liberari præseruationem etiam à culpâ complectitur. Satis enim propriè liberari dicuntur, non solùm, qui à malo eripiuntur, sed etiam, qui ab illo præseruantur, iuxta illud orationis Dominicæ. *Sed libera nos à malo*. Quo sensu accipiunt verba Augustini Soar. supra cap. 4. num. 10. & Gran. num. 10. cum alijs.

19 Superest dicendum determino prouiso per prædestinationem subiecto, seu personæ prædestinatæ, ad quem ipsa destinari, seu prædestinari dicitur. De quo certum est secundùm fidem non esse malum culpæ. Quia neminem Deus ad culpam prædestinat, vt definitur in Triden. sess. 6. can. 17. & in Arausic. 2. can. 25. & tradunt Augustinus de Prædest. Sanctorum cap. 10. Prosper ad obiectiones Vincencianas, & ad Capitula Gallorum cap. 1. Fulgen. sæpe toto lib. 1. ad Monimum, & alij communiter. Cuius ratio est. Quia Deus non dicitur prædestinare quempiam, nisi ad id, quod vel facit ipse, vel vult simpliciter, vt fiat. Deus autem nec facere, nec velle potest, vt fiat malum culpæ. Deinde est certum, malum pœnæ non posse esse terminum prædestinationis propriè, & strictè sumptæ. Quia malum pœnæ vt tale non est beneficium supernaturale Prædestinati prouisum à Deo ex affectu spontaneæ beneuolentiæ erga ipsum; qualis debet esse terminus prædestinationis propriè dictæ iuxta definitionem Augustini relatam, & acceptionem communem Scripturæ, & Patrum. Est tamen malum pœnæ terminus prædestinationis minùs propriæ, & latiori modo vsurpatæ, qualiter eam accipiunt Patres, cùm dicunt, peccatores prædestinari ad pœnam; quo modo loquuntur Augustinus lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 1. & lib. 21. cap. 24. & in Enchiridio cap. 100. Fulg. lib. 1. ad Monimum cap. 7. 13. 14. 28. & 29. Prosper ad Obiect. Vincent. cap. 10. & 11. & ad Capitula Gallorum cap. 14. & 15. Isid. lib. 2. Sentent. de sum. bono cap. 6. Beda tom. 8. in lib. quæstionum quæst. 13. & alij. Sic docent, & pluribus exornant Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 5. Fasol. 1. par. quæst. 23. art. 1. num. 7. Herice tract. 3. disput. 21. cap. 1. & Ruiz tom. de Prædest. disput. 1. sect. 2. num. 12.

Cùm itaque prædestinatio sumpta pro. 20
prissimè pro termino habeat, beneficium supernaturale Prædestinati, qualis est gratia, & gloria; dissidium restat inter Doctores, an sola gratia, vel sola gloria, vel vtraque sit dicenda terminus eius. Quæ controuersia, licèt sit de modo loquendi, non tamen videtur contemnenda in materiâ præsenti. Okan. in 1. distinct. 40. quæst. 1. Gabriel ibid. artic. 2. Catherin. lib. 1. de Prædestin. cap. vltim. & lib. 3. cap. 2. & 3. solam gloriam ponunt pro termino prædestinationis propriè sumptæ; quasi ad finem solùm, & non ad media dicatur quis propriè prædestinari. Durand. verò in 1. distinct. 41. quæst. 1. Cartagena de Prædestin. discursu 2. conclus. 4. & Vazq. 1. par. quæst. 23. artic. 4. & disput. 89. cap. 8. num. 59. dumtaxat ponunt media gratiæ; eo quòd prædestinatio propria solùm videtur esse præparatio mediorum. Ast Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 5. à num. 13. Fasol. 1. par. quæst. 23. artic. 1. num. 8. Tann. disput. 3. quæst. 2. dub. 1. num. 10. & omnium latissimè Ruiz tom. de Prædest. disput. 4. per totam tàm gratiam, quàm gloriam assignant pro termino prædestinationis strictæ. Quia prædestinati propriè dicuntur, & strictè ad vtramque prædestinari iuxta communem modum loquendi Scripturæ, & Patrum. Dicitur enim Actor. 13. *Crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam*, id est, prædestinati, vt intelligit Augustinus de Corrept. & grat. cap. 9. Et ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos in adoptionem filiorum Dei*, id est, in gratiam. Consentit Triden. loquens de prædestinatione ad gloriam sess. 6. cap. 3. can. 17. & concilium Valentinum sub Lothario Imperatore cap. 3. Consentiunt & plurimi Patres loquentes tam de prædestinatione ad gratiam, quàm de prædestinatione ad gloriam, qui apud præcitatos Doctores videri possunt. Nec refragatur Augustinus lib. de Prædestinatione Sanctorum cap. 10. dicens. *Prædestinatio est gratiæ præparatio, gratia verò est ipsa donatio*. Quia vel hic ideo non meminit prædestinationis ad gloriam, de qua alijs in locis loquutus est, quòd solùm intendebat discriminare prædestinationem ad gratiam à gratiâ ipsâ: vel quia nomine gratiæ etiam comprehendit gloriam; quæ est gratia pro gratiâ iuxta Theologorum phrasim acceptam ex Paulo. In hac eâdem sententiâ est S. Tho. varijs in locis, quos refert Ruiz sect. 2. citatâ num. 16. Quomodò autem Doctor Angelicus distinguat dilectionem, & electionem à prædestinatione, inferiùs suo loco explicabimus.

Aduertere tamen oportet, prædestinatio- 21
nem ad gratiam, & prædestinationem ad gloriam vicissim non esse separabiles, retentâ verbi proprietate, sed ex vtraque vnam integrari prædestinationem propriè dictam respicientem finem, & media, vt benè notat Ruiz supra sect. 3. num. 9. & disput. 1. sect. 3. num. 2. Nam præordinatio ad gratiam vt præcisam, & non connexam cum gloriâ, qualis sæpe reperitur circa Reprobos, non est prædestinatio propria; licèt eam incompletam quamdam, & diminutam prædestinationem vocari posse admittant Less. de Prædestinatione sect. 1. num. 3. & Soar. supra num. 14. Quo etiam iure præordinatio Prædestinati ad aliquas gratias gratis datas non conducentes ad æternam salutem eius, siue non connexas cum illâ, prædestinatio ad gratiam absolutè, & propriè dici non potest, vt rectè docet S. Tho. in cap. 1. epist. ad Rom. lect. 3. Quia solùm dicitur propriè prædestinatio ad gratiam,

tiam, quæ præordinat ad gratiam, quæ est medium efficax ad gloriam. Vtrùm autem prædestinatio propria ad gratiam, & prædestinatio ad gloriam diuersi sint actus Dei, vel ijdem cum diuersis denominationibus; ex dicendis infra etiam suo loco compertum fiet.

22 Rogabis, an existentia Prædestinati sub prędestinationem propriè dictam cadat tanquam effectus eius casu, quòd Prædestinatus producatur à Deo ex fine gloriæ, sicut reliqui prædestinationis effectus. Respondeo cum Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 18. num. 12. & sequentibus, & cum Herice disp. 22. num. 55. Tann. 1. par. disp. 3. quæst. 1. dub. 3. num. 13. & quæst. 2. dub. 3. n. 15. & quæst. 3. dub. 2. num. 6. in tali casu Prædestinatum quoad suam existentiam primam esse effectum prædestinationis, & actus Dei, à quibus ea existentia procedit, non esse quid præsuppositum, sed quid inclusum in ipsâ prædestinatione: in quo prædestinatio à prouidentia vt sic distinguitur, vt benè aduertunt Soar. & Tann. Prima enim existentia rei, & actus Dei ad eam terminati non pertinent intrinsecè ad prouidentiam, qua tali rei prouidetur, sed præsuppponuntur ad illam, vt statuimus quæst. 1. num. 4. Ratio discriminis ex solâ verborum significatione desumitur. Nam primum *esse* rei non dicitur ipsi rei prouideri: benè tamen dicitur primum *esse* rei ad finem aliquem destinari, siue prædestinari. Vnde prædestinatio, licèt, qua prouidentia est, non possit complecti propriè loquendo existentiam primam Prædestinati, qua prædestinatio est, potest ob prouidentiæ specialitatem nomine prædestinationis significatam. Vtrùm autem Prædestinatus ex fine suæ gloriæ produci possit, sicut alij suæ prædestinationis effectus, inferiùs disp. 43. examinabitur.

23 Hæc dicta sunt de prædestinatione proprissimè, & strictè sumpta. Scire tamen oportet, prædestinationem minùs propriè interdum, atque latissimè vsurpari à Patribus pro prædefinitione, siue decreto, aut etiam consilio, quo Deus ab æterno decernit, & apud se statuit, quidquid in tempore posteà producit. Quo sensu loquuntur Dionys. cap. 5. de Diuinis nomin. prope finem, Damasc. orat. 1. de Imagin. pag. 3. & lib. 2. Fidei c. 30. Isidor. lib. 1. Sentent. cap. 18. Auctor Hypognosticon lib. 8. apud August. tom. 9. Greg. lib. 5. cap. 3. in 1. Reg. 13. Vnde Hugo Victor. lib. 1. Eruditionum Theolog. de Sacram. p. 2. cap. 21. *Potest*, inquit, *prædestinatio generaliter aliquando intelligi ipsa faciendorum dispositio, vt dicatur Deus, quidquid sic facturus fuit, ab æterno prædestinasse.* In hanc acceptionem vergit verbum *prædestinatio*, quando in negotio prædestinationis iustorum non solùm personæ, sed actiones etiam, & quælibet dona gratiæ tum interiora, tum exteriora prædestinata dicuntur. Quo modo loquitur Paulus 1. Corint. 2. & ibi Chrysost. homil. 7. colum. 3. Vnde Prosper. ad Capitula Gallorum cap. 14. ait. *Fides, charitatis opera, atque in eis vsque in finem perseuerantia, & quæ eis retribuenda sunt, prædestinata dicuntur.* Mittò alias improprias, & parum vsitatas acceptiones prædestinationis, quas refert Ruiz. disp. 1. citatâ sect. 3. & 4.

24 Ex quibus omnibus liquidò constat, quid sit pars hæc præstantissima diuinæ prouidentiæ, quam prædestinationem vocamus. Qualis verò pars ea sit, an subiectiua, an obiectiua, sub controuersia est. Dicitur pars subiectiua quodlibet inferius respectu vniuersalis, sub quo comprehenditur, vt homo respectu animalis. Pars verò obiectiua vocatur, quæ versatur circa partem integri obiecti alicuius facultatis, seu actus; siue sit insuper pars actualis componens facultatem ipsam, aut actum, siue non item. E. g. scientia, quæ agit de Elementis pars obiectiua est Physicæ; quia elementa pars quædam sunt integri obiecti Physicæ; siue Physica sit simplex habitus non compositus intrinsecè ex partibus; siue sit compositus ex scientia de Elementis, & ex alijs, quæ respiciunt cæteras partes integri obiecti. Igitur Doctores in eo videntur conuenire, prædestinationem esse quidem partem obiectiuam diuinæ prouidentiæ; quia prouidentia plura ex parte obiecti complectitur, quàm prædestinatio. Ita S. Thom. 1. par. quæst. 23. art. 1. & ibi Cajet. Vazq. disput. 87. cap. 5. fine. Fasol. ibid. dub. 2. à num. 15. Tann. disput. 3. quæst. 2. dub. 3. Ruiz tom. de Prædest. disput. 1. sect. 9. Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 18. Herice disput. 22. cap. 7. num. 65. & 67. Albiz. disput. 3. de Prædest. sect. 9. Arrub. disp. 63. cap. 5. Becan. de Prædest. cap. 14. quæst. 2. & alij. Ex quibus aliqui partem etiam actualem prouidentiæ appellant prædestinatiouem: quia prouidentia integra Dei intrinsicè etiam adæquatur ex pluribus prouidentijs partialibus, non quidem verè, & realiter, sed per rationem nostram, aut etiam virtualiter distinctis. Itaque prædestinatio pars obiectiua est, atque etiam nostro modo concipiendi actualis huius numero prouidentiæ, qua Deus de facto gubernat cuncta creata, iuxta sententiam communem Doctorum. Cæterùm, quia omnes omnino res creatæ, & earum euentus ad salutem Prædestinatorum ordinantur, & ei subseruiunt, subindeque ad gloriam Christi, & Dei iuxta illud Pauli 1. Corint. 3. *Omnia enim vestra sunt, siue Paulus, siue Apollo, siue Cephas, siue mundus, siue vita, siue mors, siue præsentia, siue futura. Omnia enim vestra sunt, vos autem Christi, Christus autem Dei.* vt probant Soar. supra num. 4. Ruiz. num. 12. & disp. 16. sect. 7. at sequentibus & disp. 37. Difficultas est tractanda inferiùs disput. 43. an propter hanc ordinationem cuncta omnino entia creata pertineant intrinsecè ad obiectum vniuersæ prædestinationis hominum, Angelorum, & Christi Domini, vel plura ad illud referantur exstrinsecè tanquam ad partem principalem integri obiecti prouidentiæ, Si dicatur primum; prædestinatio ita vniuersaliter accepta non erit pars obiectiua prouidentiæ: quia vtriusque obiectum est prorsus idem, nempe omnia creata; sed solùm erunt partes obiectiuæ prouidentiæ singulæ prædestinationes singulorum Prædestinatorum diuisiuè sumptæ: quo pacto etiam sunt partes obiectiuæ prædestinationis vt sic. Et ita sentit Ruiz. Si verò dicatur secundum, quod supponere videtur Soar. prædestinatio vt sic pars obiectiua erit prouidentiæ, eaque principalissima: quia eius obiectum non complectetur omnia, quæ obiectum prouidentiæ, sed quædam magis principalia, ad quæ cætera referuntur. Quid verò ego sentiam dicam loco citato.

Circa alteram partem dubij non ita concors est Doctorum sententia. Nam Vazq. Fasolus, Ruiz, Tann. Becan. supra cum alijs existimant, prædestinationem non esse partem subiectiuam prouidentiæ. Oppositum tamen docent Soar. Arrub. Herice, & Albiz. supra. Molina 1. p. quæst. 22. art. 1. disp. 2. ad 1. Hemel. tit. 14. disput. 3. cap. 6. num. 3. Pennotus lib. 2. Propugna. cap. 2.

25

num.5. & alij. Quæstio est ad rem parui momenti, & quæ varias mouet difficultates ad alias materias spectantes. Fasolus enim ideò negat, prædestinationem esse partem subiectiuæ prouidentiæ; quia putat, attributa diuinà vicissim se includere in suo conceptu, atque ita non posse concipi cum fundameeto plures prouidentias in Deo, quæ excludentes se ad inuicem partes subiectiuæ esse possint conceptus communis prouidentiæ. Ruiz verò id ipsum negat; quia putat, partes diuinæ prouidentiæ tendentes in diuersas creaturas esse eiusdem speciei propter idem obiectum formale, à quo omnes specificantur, quod est essentiâ Dei. Vnde infert, eas non esse subiectiuas respectu prouidentiæ in communi: quasi solæ species diuersæ sint partes subiectiuæ respectu generis. Addit tamen, partes diuinæ prouidentiæ, etsi non differant specie quoad esse physicum, differre tamen quoad esse morale: quæ duo an benè inter se cohæreant, non est hoc loco examinandum. Ego vno verbo dico, non posse non concipi à nobis plures partes diuinæ prouidentiæ aliqua ratione distinctas; qua destinctione suppositâ, quæcunque ea sit, possumus haud dubiè ab illis omnibus abstrahere conceptum prouidentiæ communem, in quo omnes conspirant; cuius subinde eiusmodi partes subiectiuæ partes dici debent; siue illæ inter se differant speciæ, siue secus, siue se vicissim includant, siue non item. Omne quippe inferius respectu conceptus vniuersalioris, sub quo continetur, pars eius subiectiuà vocatur. Ex quo patet, prædestinationem partem esse subiectiuam prouidentiæ diuinę prout abstrahentis à prædestinatione, & à reliquis integræ prouidentiæ partibus, imo, etsi prædestinatio vt sic complectens omnes particulares prædestinationes tam latè pateat, quàm prouidentia iuxta dicta num.præced: adhuc prædestinatio vt sic pars erit subiectiua prouidentiæ communis abstrahentis à prouidentia naturali, & supernaturali: quia hoc duplex genus prouidentię non potest non distingui in Deo, saltem ex diuerso modo ordinandi eadem obiecta. De quo etiam loco supra citato non nihil adijciemus.

26 Hìc distingunt aliqui plures prædestinationis species relatè ad diuersa subiecta, per quæ illa diriguntur ad æternam vitam. Quo pacto censent, prædestinationem hominum, & prædestinationem Angelorum specie distingui. Ita Herice de Prædest. disput.32. cap.7. num.66. Et Albiz disp.3.sect vltim. qui addit, plures etiam hominum prædestinationes specie inter se esse distinctas eâdem de causâ. Cæterùm distinctio hæc ad rem Theologicam, de qua in præsenti agendum, nihil refert. Vnde in eâ examinandâ non oportet morari.

27 Circa Reprobationem, quæ est altera prouidentiâ specialis Dei erga creaturas, rationales, aduerto, verbum *reprobare* ex propriâ significatione ad malum referri. Nam reprobare aliquid propriè est, id tanquam malum, indignumque, quod admittatur, reijcere. Hinc *reprobare* ad personas malas, quales sunt peccatores, refertur ab Scholasticis. In quorum Phrasi Deus eos dicitur reprobare, quos ob eorum peccata reijcit, & excludit à gloria: & prouidentiâ, qua id determinat, dicitur Reprobatio: ij autem, qui reprobantur vocantur Reprobi. Vocantur insuper *Præsciti*: nam, licèt Prædestinati etiam præsciantur à Deo, atque adeò reuerà sint præciti: hoc tamen participium absolutè prolatum Reprobis tantùm appropriatur: tum quia nomen generícum speciei ignobiliori appropriari solet, sicut *animal* bruto, tum quia peccata, ob quæ reprobantur impij, præscita tantùm sunt à Deo, non volita: cùm tamen merita, ob quæ præmiantur iusti, & volita, & præscrita sint. Dicuntur præterea Reprobi in Scriptura despici, repelli, expelli, proijci, &c. quibus verbis reprobatio eorum significatur. Hæc dicta de Reprobatione positiua, qua impij ob sua peccata damnantur, quæ propriissimè reprobatio dicitur. Inde tamen extensum est nomen ad Reprobationem negatiuam, qua Rebrobi antecedenter ad peccata beneficio prædestinationis destituti in ipsa peccata labi, & vsque ad finem persistere permittuntur: quæ quidem minùs propriè, quàm altera, vocatur reprobatio, cùm non sit reiectio alicuius tanquam mali.

Hinc constat, subiectum proprium reproba- 28
tionis, prout eam in presenti accipimus, esse creaturam rationalem: terminum autem malum aliquod eiusdem creaturæ, culpæ videlicet, aut pœnæ. Per positiuam enim reprobationem mancipatur rationalis creatura æternæ pœnæ damni, & sensus: per negatiuam autem reprobationem priuatur beneficio prædestinationis, siue termino eius, & permittitur labi in peccatum, ac mori in illo. Existentiam autem Reprobi sub reprobationem non cadere de facto, est certum. Quia Deus non creat homines, vel Angelos, vt illos reprobet. An autem idem de possibili sit dicendum, suo loco attingemus. Quomodò autem reprobatio sit pars prouidentiæ, ex dictis de prædestinatione colligi potest. Illud videtur certum inter Doctores, eam ad ordinem prouidentiæ supernaturalis spectare: tum quia priuat bono supernaturali: tum quia fortasse ad illam etiam spectat collatio donorum supernaturalium, sine quibus permissio peccati constare nequit. De quo suo loco. Videatur Ruiz tom.de Prædest. disp.2.sect 6.

Iam verò, dari in Deo prædestinationem, & 29
reprobationem, quod hactenus suppossuimus in hac quæstione, de fide est; vt patet ex pluribus Scripturæ testimonijs, quibus hæc veritas manifestatur; quæ adeò sunt obuia, vt nullum sit opus, recitare. Legatur præcipuè sacer Textus Math. 13, & 24. Ad Rom. 8. & 9. ad Ephes.1. 1. ad Corint.2. 2. ad Timoth.2.Sap.13.Act.13.&c. Patres etiam, & Concilia in hac veritate consentiunt. Prædestinationem autem, & reprobationem esse Deo liberam simpliciter, parem ceritudinem habet; vt ex ijsdem testimonijs, ex alijsque multis conuincitur: maximè ex illis, quibus circa omnia opera ad extra adstruitur libertas Dei. De quo plura Soar. lib.1.de Prædest.cap.3. & lib.5.cap.1. Ruiz disp.1.sect.4. & disp.2.sect.2. Vtrùm autem moraliter saltem fuerit Deo necessarium, aliquos ex ijs, quos condidit, prædestinare, pendet ex illâ quæstione, an Deus sit necessitatus moraliter ad operandum optimum. Circa quam quid sit dicendum supra disp.32.quæst. 3. determinauimus. Hinc fit, existentiam prædestinationis solâ ratione naturali, seclusis principijs fidei, demonstrari non posse, vt notant Herice 1. par. disput.21. cap.3.num.18.& Tann. disp.3.quæst.2.dub.1.num.15. Et idem est de existentiâ reprobationis.

De prouidentiâ supernaturali communi Prædestinatis, & Reprobis non opus est vt aliquid 30
mo-

modò in speciali dicamus, præter eà, quæ in sequentibus dicenda sunt. De alterà autem parte prouidentiæ, quæ circa creaturas irrationales versatur, etsi speciatim ex professò non sit impræsentiarùm tractandum, multa tamen pro eà notitia comparabitur tum ex ijs, quæ de prouidentiâ in communi, & de prædestinatione, ac reprobatione dicemus, tum ex ijs, quæ inferemus obiter ex pertinentibus ad illam.

QVAESTIO IV.

Quæ scientia sit necessaria vel vtilis ad prouidentiam Dei.

31 EX dictis in superioribus satis apparet, in prouidentiâ diuinâ non posse non interuenire actus Dei immanentes tum ad intellectum, tum ad voluntatem spectantes. Quoniam verò plures in Deo vtriusque potentiæ actus distingui solent, modò, vt natura prouidentiæ diuinæ, & partium, seu specierum eius magis nobis perspecta sit, incipimus inuestigare, quinam eiusmodi actum ad eam pertineant, seu requirantur. Incipimus autem in hac quæstione ab actibus scientiæ.

32 Supponendum autem imprimis est, scientiam Dei varijs diuisionibus solere diuidi, quas supra disp. 23. q. 5. dedimus: ex quibus illa inter Theologos communis sufficit nobis ad propositum, qua diuiditur in scientiam merè naturalem, qua Deus cognoscit omnes veritates necessarias &. in scientiam merè liberam, qua cognoscit omnes veritates absolutè contingentes; & in scientiam mediam, qua cognoscit omnes veritates contingentes sub conditione. Ad primum membrum spectat scientia possibilium, quam vocant simplicis intelligentiæ, & scientia, qua seipsum Deus intuetur, & scientia de quiditate, seu essentia rerum secundùm se spectatâ, deque alijs quibusuis veritatibus necessarijs seu absolutis, seu conditionatis. Ad secundum membrum pertinet scientia, quam vocant visionis futurorum absolutè contingentium; necnon scientia, qua Deus intuetur sua decreta libera. Ad tertium scientia conditionata eorum conditionatorum, quæ sub hypothesi conditionis indifferentis ad vtrumuis ex extremis contradictionis contingenter sunt futura, siue existentiâ conditionatè. His positis, fit.

Propositio 1.

33 Scientia merè naturalis ad prouidentiam Dei, atque adeò etiam ad prædestinationem, ac reprobationem requiritur.

Hæc propositio est omnium Doctorum. Et quidem, quod attinet ad scientiam de possibilitate rerum, siue de earum quiditate notissima est. Quia in qualibet prouidentiâ Dei non potest non interuenire aliquod efficax, atque adeò liberum decretum diuinæ voluntatis, vt patet. Omne autem decretum Dei supponit notitiam tum possibilitatis, tum bonitatis, seu physicæ, seu etiam moralis obiecti, in quod tendit; cùm nihil sit à Deo volitum, quin præcognitum: quę quidem notitia cum præueniat exertitum diuini arbitrij, non potest non esse naturalis, & necessariâ.

Quòd si decreta diuina, sicut & reliqui actus diuinæ voluntatis necessariò habent pro 34
obiecto formali bonitatem increatam ipsius Dei, vt multi opinantur, de quo nos agimus disp. 32. quæst. 2. scientia insuper naturalis de eadem bonitate diuinâ erit eo titulo requisita ad omnem prouidentiam Dei, vt constat.

Adde, creaturas possibiles cognosci non posse, nisi cognoscatur causa prima, ad quam 35
vt possibiles referuntur eo ipso, quòd sunt creaturæ, siue entia ab alio; quo etiam titulo scientia naturalis de causâ primâ, vt ea est terminus essentialis connexionis creaturarum, requiritur ad prouidentiam. Specialiter autem scientia aliquorum prouidentiæ obiectorum secum fert etiam scientiam ipsius Dei, cum quo ea obiecta connectuntur: qualiter visio beatifica, quæ præcipuum est prædestinationis obiectum, connectitur cum Deo viso.

Et quoniam Deus non potest velle aliquid efficaciter, nisi sciat, in suâ potestate esse, conse- 36
qui illud cum effectu, idcircò etiam requiritur ad prouidentiam Dei, quòd ipse sciat, se posse cum effectu consequi, quidquid aut à se, aut ab alio faciendum decernit. Porrò Deum non posse decernere aliquid efficaciter, nisi sciat, in suâ potestate esse, consequi illud cum effectu, duabus rationibus probatur. Prima. Quia Deus non potest decernere aliquid efficaciter, quod non iudicat, sibi esse possibile, seu consequibile à se cum effectu. Nam vt ex dictis supra disp. 35. quæst. 1. propos. 6. clarè colligitur, nulla voluntas potest ferri efficaciter, nisi in id tantùm, quod iudicat, sibi esse possibile. Sed nequit Deus iudicare, esse aliquid à se consequibile, nisi sciat, se habere in suâ potestate illud consequi: quia duo hæc sunt correlatiua. Ergo nequit Deus aliquid decernere efficaciter, nisi sciat, in suâ potestate esse, consequi illud cum effectu. Secunda ratio. Si Deus decerneret efficaciter id, quod non sciret, se posse cum effectu consequi, imprudenter se gereret: quia frustationi exponeret suum decretum cum magnâ indecentiâ, & dedecore: quod prorsus est Deo impossibile. Indecens enim esset, & valde indecorum, Deum toto voluntatis suæ conatu absolutè intendere aliquid, & illud postea defectu potentiæ aut non peruenire de facto, aut posse non peruenire ad exequutionem.

Sed occurret aliquis contra hanc rationem. Decretum efficax Dei suapte naturâ essentialiter 37
est infrustrabile. Ergo impossibile prorsus est, illud frustrari, quacunque demum ratione à Deo concipiatur. Ergo Deus illud concipiens sine notitia potestatis ad exequendam, seu consequendam rem decretam nulli periculo frustrationis exponeret; & consequenter neque imprudenter operaretur. Confirmatur. Non magis securus de exequutione rei decretæ potest Deus procedere, cognitâ naturâ ipsius decreti, vtpote quod essentialiter cum ipsâ re decretâ connectitur; quàm, cognitâ suâ potestate ad rem decretam consequendam. Ergo, præcisâ hac cognitione, cum illâ solâ procedet Deus sine vllo frustrationis periculo, atque adeò satis prudenter. Imprudentia enim aliunde, quàm ex eo periculo, nasci non potest. Respondeo, decretum efficax Dei idcirco infrustrabile esse per locum (vt aiunt)

intrin-

intrinsecum ; quia supponit in Deo potentiam consequutiuam rei decretæ indefectibiliter connexam, seu coniungendam cum existentia eius, casu, quòd ponatur decretum, & noticiam talis potentiæ essentialiter infallibilem ; atque ita, sublatâ per impossibile tali potentiâ, aut tali notitiâ, vti in ratione nostrâ supponitur, per locum etiam intrinsecum sequitur, decretum frustrabile fore, aut expositum frustrationi. Finge enim, Deum iudicare, sibi esse possibile aliquid, quod reuerâ impossibile est. Certè, eo iudicio semel in Deo posito, nihil deesset per locum intrinsecum, quominus diuina voluntas decreto efficaci tendere posset in illam rem impossibilem iudicatam possibilem ; vti de facto sæpe contingit in nobis, Quo casu decretum efficax de tali re necessariò euaderet frustrabile, imò frustrandum effectu, neque vllum haberet prædicatum repugnans frustrationi. Similiter, si fingas, Deum decernere aliquid, quod sibi iudicat bonum, nihil cogitando de potestate, quam habet consequendi illud, siue de eius possibilitate ad suam potentiam relata ; tale decretum frustrabile euadet, seu frustrationi expositum : quia tam obiectum, quàm principia, quæ respicit, indifferentia sunt ex suo conceptu, vt coniungantur cum potentiâ, aut cum impotentia perducendi ad exequutionem id, quod decernitur. Ex quibus patet solutio propositæ obiectionis. Ad confirmationem etiam patet ex dictis, Deum non posse cognoscere suum decretum vt infrustrabile, nisi cognoscat, procedere illud ex notitiâ infallibili prædictæ potestatis consequutiuæ rei decretæ. Quo nihil præstat confirmatio.

38 Vnum ex hac doctrinâ colligitur valde obseruandum pro dicendis propos. 3. Deum non posse quidquam decernere per aliqua media à se obtinendum infallibiliter, nisi cognoscat, eiusmodi media omnino esse efficacia, & metaphysicè infrustrabilia, atque adeò essentialiter connexa cum obiecto decreti. Si enim media, quæ Deus habet ad obtinendam rem decretam, non sint hoc modo infrustrabilia, neque Deus dicetur habere in suâ potestate simpliciter exequutionem rei decretæ ; neque decretum erit omnino infrustrabile : quandoquidem, postquam Deus fecerit, quantum potest, apponendo ea media, accidere poterit, vt illa non sortiantur effectum. Vnde consequenter efficitur, nisi Deus cognoscat eam mediorum efficaciam, non posse non decretum euadere frustrabile iuxta doctrinam datam, vtpote conceptum à Deo sine notitia potestatis requisitæ ad consequendam rem decretam cum omni infallibilitate. Quo tandem fit, vt decretum conceptum sine tali notitiâ non possit non esse impossibile.

39 Cæterùm, quia, vt decretum Dei sit infrustrabile, sat est, Deum posse cum effectu consequi rem decretam, casu, quòd ea decernatur, ideo scientiæ, quam ad decernendum prudenter requirimus in Deo, de potestate exequendi, seu consequendi rem decretam, non opus est, quòd sit absolutâ, sed sufficit conditionatâ, qua Deus ita cognoscat. *Si efficaciter decreuero talem rem in potestate meâ erit, eam ad exequutionem perducere.* Imò non potest non esse conditionatâ, quod attinet ad connexionem, seu coniunctionem cum re decretâ, quam habitura est talis potestas ex hypothesi, quòd sit decretum. Quæ quidem scientia naturalis erit, si potestas, aut eius connexio cum re decretâ cognitâ sub conditione decreti à nulla libertate dependeat, positâ tali conditione, vt sæpe fiet : libera autem, si dependeat, vt etiam contingere potest iuxta dicenda propositione 3.

40 Et quoniam ad potestatem consequendi aliquid per media pertinet potestas eligendi ipsa media, seu decernendi ea efficaciter, & hæc potestas sine scientiâ idoneâ eorumdem mediorum constare nequit ; ideo ad decernendum aliquid prudenter per media aliqua obtinendum debet à Deo præcognosci reflexè seu conditionatè, seu absolutè ipsa scientia mediorum, siue hæc sit scientia simplicis intelligentiæ, siue sit scientia media : vtrumque enim est possibile. Maior est difficultas, an etiam scientia ipsius obiecti decreti intentini, quâ ad illud decernendum ducitur diuina voluntas debeat cognosci reflexè, vt decretum prudens euadat. Affirmant quidam recentiores. Quia talis scientia spectat etiam ad potestatem, qua consequendum à Deo est, quod decernitur. Non placent. Quia potestas, cuius notitia directa requiritur ad decernendum prudenter, non est potestas decernendi, ad quam pertinet scientia obiecti decreti, sed potestas exequendi, suppositio decreto. Nullus enim, vt velit prudenter rem exequi, tenetur scire, se posse velle ; sat est, si sciat, se posse exequi. Tum quia nulla voluntas debet suum actum cognoscere, vt eum eliciat, iuxta sententiam communem Philosophorum, vnde nec possibilitatem eius debet cognoscere, nec potestatem, quam ipsa habet ad eum eliciendum tali possibilitati correspondentem. Tum quia defectus notitiæ potestatis volendi nullum conatum efficacem voluntatis exponit frustrationi ; sicut defectus notitiæ potestatis exequendi ; eo quòd ante volitionem in actu secundo nullus conatus præcedit ex parte actus primi. Prudentia autem operantis tantùm exposcit, ne quis suus conatus efficax frustrationi exponatur.

41 Sed dicet aliquis. Deus non potest cognoscere, suam potestatem exequutiuam, seu consequutiuam obiecti decreti indefectibiliter cum ipso obiecto connexam esse, prout oportet, vt illud, semel decreto posito, cum omni infallibilitate ad exequutionem perueniat, nisi cognoscendo ipsum decretum, à quo ea connexio promanat vt à principio determinante. Sed decretum perfectè cognosci non potest, non cognitis principijs, à quibus procedit, quorum vnum est scientia obiecti decreti, qua ad illud decernendum inducitur diuina voluntas Ergo talis scientia reflexè debet à Deo cognosci, vt prouidè, & prudenter decernat. Respondeo, satis esse ad infrustrabilitatem, atque adeò etiam ad prudentiam decreti, quòd potestas exequutiua obiecti eius præuideatur de facto coniungenda cum existentiâ ipsius obiecti casu, quòd ponatur decretum, siue hæc coniunctio nascatur ex connexione antecedenti ortâ ab ipso decreto, siue non nascatur. Ab hoc enim præscindi potest : & vtrumque possibile est, vt suo loco videbimus. Verumtamen quamuis dicta scientia reflexa non sit necessaria ad prouidentiam, potest tamen vtilis esse, si Deus illâ velit vti vel, prout in obiectione propositur, vel alio modo.

Pro-

Propositio 2.

42 Scientia merè libera sæpe requiritur ad prouidentiam Dei præsertim ad prædestinationem, & reprobationem.

Hæc etiam propositio est communis apud Doctores. Eamque tradunt Soar.lib.1.de Prædestin.cap.6.Fasol.1.par.quæst.23.artic.1.dub.2.num. 21.Herice disput.22.cap.2. à num.8.Albiz.disput. 3.de Prædestin.sect.3. & alij. Probatur facilè. Quia, licèt scientia visionis de aliquâ re ad decernendam existentiam eiusdem rei nequeat conducere; quia supponit rem existentem, atque adeò etiam decretum,à quo illa existentiam habet. De quo agemus inferiùs. Attamen scientia visionis vnius rei sæpe ad decernendam rem alteram conducere potest, & solet; eo quòd Deus ex præuisione absolutâ existentiæ primæ mouetur ad decernendam secundam: quo casu scientia visionis merè libera de existentiâ primæ necessaria est ad decretum secundæ, & consequenter ad prouidentiam, ad quam tale decretum pertinet. Hac ratione ex meritis Christi Domini absolutè præuisis mouetur Deus ad conferendum hominibus donagratiæ, & ex meritis Prædestinati absolutè præuisis mouetur etiam ad decernendum illi tumfinem gloriæ, tum vlteriora media gratiæ. Et ex peccatis præuisis Reprobi mouetur ad denegandum illi gratiam, & gloriam, necnon ad decernendum ei extremum Inferni suplicium. Sæpe etiam fortasse existentia subiecti non solùmprædestinationis, & reprobationis, sed etiamnaturalis prouidentiæ, atque adeò eius absoluta præscientia supponitur ad decreta, quibus Deus tali subiecto prouidet finem, & media; & consequenter dicta præscientia prorsus ad talemprouidentiam requisita est. Et vniuersim vix est res aliqua creata, cuius scientia visionis non possit pro arbitratu Dei ad rem alteram producendam conferre; atque ita necessario requiri ad decretum, quo illa ex tali præuisione decernitur; & consequenter ad prouidentiam includentem tale decretum, prout ex dicendis ampliùs constabit. Quando verò de facto scientia visionis vnius rei influat in decretum alterius, nisi ex reuelatione constet, certò non poterit definiri, sed summùm coniecturis vestigari, spectatâ materiâ & circunstantijs. Vnde in hac re prolixius non licet immorari. Quod autem dictum est de scientiâ visionis rei existentis,eumdem fere locum habet in scientiâ visionis decreti Dei liberi, quæ ad scientiam etiam merè liberam pertinet. Iamverò, esse possibilem prouidentiam, ad quamnulla scientia merè libera necessaria sit, aut conducens, certo certius est. Quia liberumest Deo, multa bona prouidere creaturæ independenter omnino ab omni præscientiâ alterius obiecti contingentis, atque etiam ipsius creaturæ.

Propositio 3.

43 Non ad omnem prouidentiamdiuinam est necessaria simpliciter scientia media. Ad prædestinationem verò, & reprobationem omnino necessaria est.

Primam partem propositionis,nemo est, qui neget. Secundam tamen negant communiter Thomistæ, qui efficaciam diuini auxilij in physicâ præmotione constituunt. De quo videndi sunt Aluarez de Auxilijs disput.7. præcipuè à num.16. & in epilogo operis num.10. Cabrera 3. par.quæst.62.artic.1.disput.12.§.3.à num.63.Nauarrete controuer.32. Nazarius, & Zumel 1.par. quæst.23. artic.5. vbi etiam Gonzalez disput.44. 45.& 69.Ioan.à S.Thom. Petrus Cornejo, & alij. Eam tamen pro viribus defendunt omnes nostri Doctores. Molin.1.par.quæst.21.artic.1.disput.2. & quæst.23.artic.4.disput.1. Vazq.disput.94.cap. 1.num.3.& disput.98.cap.6.num.39. Soar.lib.1.de Prædestin.cap.7.& in Opusc.lib.2.de Scient.condition. cap.2. & 4. Lessi. de Auxilijs cap.4.num.16. Bellarm. lib.2. de Grat. & liber.arbitr. cap.15. & lib.6. cap.25. Valent. 1.par.quæst.23.punct.4.§.6. Arrub.disput.71.cap.4.Becan. cap.14. de Prædestin.quæst.6.Fasolus 1.par.quæst.14.dub.13. num. 231.& dub.17.num.342. Herice disput.22.cap.3. Albiz disput.3 de Prædestin.sect.3.Ruiz tom.de Scient.disput.66.sect.3. & 4. & disput.69. per totam, & tom. de Prædestin. disput.3. sect.3.& disput.12.sect.6.Ribas 1.par.tract.6.disput.2. Gaspar Hurt.disput.2.de Prædestin. diff.4. Franc. de Lug. disput.37.cap.1. Martinon disput.20.sect.1. Amic. disput.15.Veken.1.par.disput.19.cap.6. & disput. 25.cap.3. Quiros tom.2. de Deo disput.5.Carlet. tom.1. Theol. disput 37. sect.5.& seqq. Ribaden. disput.17.de Prædestin. cum alijs pluribus externis tum apud ipsos, tum apud Didacum Baezatom.3.in Euang. lib.14.cap.16.§.35. Consentiunt Augustinus, & alij Patres, quorum testimonia referunt Soar.in Opusc.loco citato, & Ruiz disput. illa 69.citatâ.

Prima ergo pars propositiouis ostenditur. 44
Quia, vt Deus prouideat creaturis irrationalibus bona ipsis proportionata satis habet in scientiâ naturali, aut etiam merè libera, quibus penetrat quiditates omnium rerum tum possibilium, tum existentium earumque conuenientias, & disconuenientias: quippe his dumtaxat notitijs potest prouidere vnicuique, quod ipsi naturaliter conueniens est, quin egeat notitiâ aliquâ conditionalium veritatem pendentium ab aliquo arbitrio libero. Addo tamen interdum posse scientiam mediam requiri ad aliquam prouidentiam etiam non moralem de creaturâ irrationali, si Deus ad prouidendum illi moueatur, vt potest, ex præuisione conditionatâ alicuius euentus liberi: hoc enim casu decretum prouidumcirca talem creaturam dependebit à scientiâmediâ.

Iam verò secunda pars propositionis im- 45
primis, quod ad prædestinationem attinet, probanda nobis est iuxta sententiam asserentium,Prædestinatos eligi ad gloriam ante præuisa meritadecreto Dei absoluto, & efficaci, similique decreto eorum actus liberos prædefiniri. Standoenim in hac sententiâ ratio formatur in hunc modum. Deus non potest velle absolutè, & efficaciter finem, nisi sciat, se habere in suâ potestate media, quibus talis finis est obtinendus omnino efficacia, & infrustrabilia, atque adeò connexa essentialiter cum ipso fine, vt supra num.38. monstratum est. Sed nequit Deus scire, nisi per scientiam mediam, se habere in suâ potestate

media

media omnino efficacia, & infrustabilia, quibus obtinere possit actus liberos Prædestinatorum à se efficaciter, & absolutè prædefinitos, eorumque glorificationem ob ipsorum merita exequendam. Ergo prædestinatio inuoluens eiusmodi decreta prædefinitiua nullatenus sine scientiâ mediâ constare potest. Quòd autem Deus nequeat cognoscere, nisi per scientiam mediam, se habere in suâ potestate media prædicta, probatur. Quia efficacia talium mediorum, eorumque connexio cum fine sumitur à futuritione conditionata consensus liberi Prædestinati, quæ sine scientiâ mediâ cognosci non potest; cùm sit ipsissimum eius obiectum. Etenim eiusmodi media auxilia sunt diuinæ gratiæ, quæ Deus ex parte suâ producit ad obtinendum finem à se prædefinitum: efficacia autem auxiliorum aliunde desumi non potest, illæsâ libertate, quàm ex futuritione conditionatâ actuum liberorum, in quos influunt, iuxta sententiam nostrorum, aliorumque Doctorum, quam impræsentiarùm supponimus ex Tract. de Auxilijs.

46 Hæc ratio probat etiam, scientiam mediam necessariam esse ad reprobationem, quam adstruunt nonnulli Theologi, putantes, Deum ante præuisa peccata efficaciter, & absolutè decernere excludere Reprobos à gloria; ita, vt in exequutione eiusmodi exclusio non, nisi propter peccata, exequenda sit. Eiusmodi enim decretum prædefinitiuum essentialiter expostcit scientiam mediorum, quibus positis, infallibiliter sequuntur peccata: quæ infallibilitas, saluâ libertate, à sola futuritione conditionatâ peccatorum desumi potest iuxta eamdem doctrinam nostram de auxilijs. Imo hìc ob alias rationes Thomistica prædeterminatio locum non habet. Quia Deus ad peccata prædeterminare adhuc quoad materiale eorum, impossibile est, vt Nostri speciatim probant in hoc Tractatu, aut in Tractatu de Auxilijs.

47 Supponit autem ratio facta, dicta decreta prædefinitiua tendere in sua obiecta vt obtinenda per libertatem Prædestinati, aut Reprobi: quo pacto Deus illa obtinere non potest, nisi per media compatibilia cum dictâ libertate: quorum efficacia, vt vidimus, nisi per scientiam mediam cognosci non potest. Si enim Deus prædefiniret gloriam, præscindendo à meritis, & actus Prædestinati, præscindendo ab eorum libertate, decreta hæc benè possent à Deo concipi independenter à scientiâ mediâ: quia ad obtinenda eorum obiecta non indegeret Deus libertate Prædestinati; sed per media necessaria posset illa obtinere. Quòd si, semel statutis huiusmodi decretis, vellet Deus eorum obiecta per media libera obtinere (si id sit possibile de quo postea) tunc ad talia media adhibenda egeret scientiâ mediâ: quia sine hac nequit cognosci eorum efficacia.

48 Aduerto, nonnullos Doctores inde probare in præsenti, scientiam mediam esse necessariam ad prædestinationem: quia sine illa supradictæ prædefinitiones auferrent libertatem Prædestinatorum. Sed ratio hæc inefficax est. Quia principia; quæ libertatem tollunt, seclusâ scientiâ mediâ, etiam si illa adsit, tollent. Vnde præcisè ad componendam libertatem cum prædefinitionibus diuinis talis scientia necessaria non est, vt constabit ex dicendis disput. 39. quæst. 2. Solùm igitur censeri debet necessaria, propter rationem à nobis datam.

Per quam confutandus venit P. Didac. 49 Ruiz. Qui, nescio qua consequentiâ, cùm absolutè docuisset locis supra citatis, necessariam esse scientiam mediam ad certitudinem prædestinationis, ac prædefinitionis diuinæ, probans id latè disput. illa 69. de Scient. sect. 5. & 6. asserit nihilominùs disput. 10. de Prouidentia sect. 4. Deum decreto omnino efficaci, & metaphysicè infrustrabili benè posse independenter à scientiâ mediâ prædefinire actum liberum, cuius motiua, siue principia infallibiliter inferunt illum morali infallibilitate. Sufficere enim ad metaphysicam certitudinem talis decreti, quod Deus cognoscat vim, & energiam naturalem dictorum motiuorum, moralemque infallibilitatem, qua ea connectuntur cum actu. Verùm doctrina hæc omnino falsa est, apertèque videtur infutata ab ipso Ruiz disput. illa 69. de Scient. sect. 5. citata: & facilè ex doctrinâ cõmuni traditâ à nobis refutatur. Quoniam, vt vidimus supra num. 38. Deus citra periculum frustrationis decreti sui non potest aliquid decernere per aliqua media obtinendum, nisi præuideat, talia media metaphysicè esse connexa cum existentiâ rei decretæ. Ergo ad decernendum actum liberum decreto prorsus infrustrabili non satis est præuidere connexionem moralem, quam cum eo habent motiua, siue principia, quibus talis actus est obtinendus. Cùm enim eiusmodi principia, quantumuis moraliter cum actu connexa, metaphysicè sine actu manere possint; non potest non decretum illis innitens prout moraliter connexis cum actu frustrabile esse metaphysicè; etsi moraliter frustrari nequeat. Quod tamen decreto Dei efficaci prorsus repugnat.

Et confirmari potest. Nam, vt benè do- 50 cet ipse Ruiz disput. 80. de Scient. sect. 8. scientia de infallibilitate morali dictorum principiorum, etsi certa sit, & infallibilis metaphysicè, sine vlla repugnantiâ potest componi cum negatione actus. Quia non est scientia de existentiâ ipsius actus in se, sed de morali infallibilitate, seu connexione, quam habent eiusmodi principia cum actu ipso; & quæ cum negatione eius metaphysicè compatibilis est. Ergo decretum innitens tali scientiæ sine repugnantiâ etiam componi poterit cum negatione actus prædefiniti; atque adeò frustrabile erit: quod est impossibile. Vnde non video, quo iure Ruiz ipse loco citato de Prouidentiâ metaphysicam infrustrabilitatem dicti decreti prædefinitiui arguat ex metaphysicâ certitudine scientiæ, cui nititur: cùm hæc apud ipsum metaphysicè componi possit cum negatione actus prædefiniti.

Secundò arguit Ruiz, vt suam assertionem 51 probet. Deus penitissimè comprehendit, vim prædeterminationis moralis tantam esse, vt nunquam contingat, eam frustrari effectu; etsi id metaphysicè non repugnet. Ergo securè, & citra omnem contingentiam adhuc metaphysicam frustrationis decernit eiusmodi effectum per talem prædeterminationem obtinendum. Et confirmatur primò. Quia homines, visâ prædeterminatione morali, eiusque vi, & energiâ vehementissimâ cognitâ, certissimè per discursum inferunt, actum sequuturum fore. Ergo Deus sine discursu certissimè nosci, nunquam fore, vt ex tali prædeterminatione actus, ad quem ea impellit, non sequatur. Quod satis erit, vt illum possit decernere efficaciter. Secundò confirmari potest. Quia homo prudentissimè decernit

cernit id, quod, cognoscit, se posse consequi citra omnem contingentiam moralem; etsi metaphysicè illud sit impedibile. Ergo & Deus pariter prudenter decernere poterit id, quod, scit, moraliter non posse non consequi ex medijs a se adhibitis; estò metaphysicè possit.

52 Respondeo ad argumentum, Deum ex penetratâ naturâ moralis prædeterminationis non posse induci ad iudicandum actum esse futurum: quia connexio moralis cognita nequit determinare ad cognitionem termini certam & infallibilem metaphysicè, qualis est omnis cognitio Dei; sed tantùm ad cognitionem certam moraliter, qualis repugnat Deo. Solùm ergo potest Deus, cognitâ prædestinatione morali, iudicare, esse moraliter certum, & infallibile, actum sequuturum esse; id est, tantam esse talis prædeterminationis efficaciam ad inducendum actum, vt aliæ similes nunquam sine actu, ad quem inducunt, manere soleant. Hoc tamen iudicium; sicut potest metaphysicè cum negatione actus componi; quia non est iudicium de actu ipso, sed de aliquo compatibili cum negatione eius. Ita non est idoneum, cui nitatur decretum efficax prædefinitiuum ipsius actus. Ex quo patet ad primam confirmationem, Deum in prædeterminatione morali non posse cognoscere, actum esse futurum tanquam in aliquo connexo cum ipso actu: etsi possit homo, cui non repugnat cognitio fallibilis metaphysicè. Quo rursus fit, vt homo prudenter decernere possit actum ductus notitiâ moraliter tantùm certâ, imo & probabili de euentu futuro: quia non repugnat homini decretum frustrabile metaphysicè. Deus verò non itidem; cui tale decretum repugnat. Ex quo etiam patet ad secundam confirmationem. Stet ergo, sine scientiâ mediâ, qua sub hypothesi prædeterminationis moralis cognoscitur actus futurus, non vi connexionis, sed in se ipso, non posse Deum talem actum efficaciter, atque adeò prorsus infrustrabiliter prædefinire.

53 Venio iam ad probandam eamdem partem propositionis nostræ, stando in alterâ sententiâ, quæ non admittit prædefinitiones actuum liberorum Prædestinati, neque electionem eius ad gloriam ante præuisa merita. Probatur autem hac ratione. Prædestinatio, vt planè ex Scripturâ colligitur, & sentiunt vnanimiter Patres, & Scholastici, nosque ostendemus infra disput. 41. quæst. 4. specialis prouidentia est connexa essentialiter cum meritis, & cum gloriâ Prædestinati; adeò, vt impossibile sit in sensu composito, Prædestinatum non saluari. Ergo Deus per prædestinationem ex speciali affectu erga Prædestinatos prouidet illis media seu auxilia specialia adeò infallibiliter cum eorum meritis, & glorificatione connexa, vt prorsus repugnet, cum talibus auxilijs eorum damnationem componi. Ergo præcognoscit Deus hanc auxiliorum efficaciam, & specialitatem, antequàm illa conferat Prædestinatis. Vtraque consequentia est perspicua. Quia si Deus non conferret Prædestinatis præ Reprobis auxilia specialia prædicta, aut non agnosceret eorum specialitatem, neque affectus illa conferendi esset specialis erga Prædestinatos, neque prædestinatio erga illos esset prouidentia specialis connexa omnino infallibiliter cum eorum meritis, & gloriâ. Quippe nullus speciali modo benuolus, aut prouidus erga aliquem censeri potest, qui vel speciale beneficium illi præ cæteris non confert, vel confert ignarus omnino specialitatis. Pergo. Sed Deus nequit cognoscere, nisi per scientiam mediam, efficaciam, & specialitatem supradictorum auxiliorum, vtpote quæ iuxta sententiam Societatis, quam modo supponimus ex Tractatu de Auxilijs, aliunde non potest prouenire, saluâ libertate Prædestinati, quàm ex futuritione conditionatâ meritorum eius vt coniungendorum cum gloriâ. Igitur scientia media de huiusmodi meritorum futuritione omnino necessaria est ad prædestinationem, etiam in sententiâ, quæ non admittit prædefinitiones. Hac ratione vtitur P. Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 7. num. 10. & in eamdem ferme recidit, quam affert Vazq. 1. par. disput. 93. cap. 1. num. 4. & 5.

Eam tamen contra vtrumque Doctorem 54
contendit latè eneruare Herice disput. 22. cap. 3. à num. 21. Summa impugnationis eius hæc est. Aut Deus per voluntatem, qua prouidet Prædestinato auxilium efficax, directè tendit in efficaciam ipsam auxilij; aut tantùm in entitatem physicam eius, quam præuidet tali efficaciâ affectam. Si primum. Ergo Deus, dum efficaciter intendit talem efficaciam, efficaciter prædefinit consensum liberum Prædestinati, à quo reuerâ non distinguitur ipsa efficacia, cùm sit denominatio desumpta ab ipso consensu. Ergo ratio assignata destruit suppositionem, in qua procedit; nimirum, per prædestinationem non prædefiniri actus liberos Prædestinati. Si autem dicatur secundum. Ergo Deus per voluntatem conferendi auxilium efficax non confert Prædestinato formaliter speciale beneficium, neque est specialiter modo prouisor, aut benefactor eius contra id, quod ratio ipsa prætendit. His reijcit Herice nostram rationem. Sua autem, qua probat necessitatem scientiæ mediæ ad prædestinationem est. Quia ad perfectionem diuinæ prouidentiæ spectat scire, quem effectum sint sortitura media, quæ opponit ad finem intentum. Hoc autem in auxilijs physicè indifferentibus, quæ Deus Prædestinatis confert, nisi per scientiam mediam, scire non potest.

Cæterùm retorqueo imprimis contra 55
Herice sua ipsa argumenta. Ipse enim non negat, neque negare potest, prædestinationem esse specialem Dei prouidentiam erga Prædestinatum. Deinde admittit suppositionem auferentem prædefinitiones, imo eas censet impossibiles. Ergo & ipse ad sua argumenta tenetur respondere. Nam aut Deus per voluntatem, qua prouidet auxilium efficax intendit ipsius efficaciam: & sic inducitur prædefinitio consensus. Aut non intendit: & tollitur prouidentiæ specialitas iuxta argumenta facta. Responderet ipse per doctrinam, quam affert postea disput. 23. cap. 13. num. 170. prædictam Dei voluntatem tendere in entitatem physicam auxilij efficaciter, in denominationem verò efficacis inefficaciter dumtaxat. Quo cuncta videntur componi. Bene. Sed cur hoc sensu non accipit rationem Soar. & Vazq. & abstinet ab impugnatione.

Ego contra ipsum Herice, & contra 56
alios Recentiores existimo, Deum suâ voluntate prædestinante efficaciter intendere auxilium efficax, quod confert, vt efficax est; nec posse aliter eiusmodi voluntatem esse actum specialis beneuolentiæ erga Prædestinatum, quantumuis conciperetur à Deo ex præscientiâ efficaciæ. Moueor. Quia, vt quis dicatur benefactor alte-

rius, vel conferens ei beneficium, non satis est, si illi quoquo modo conferat bonum; sed oportet, vt ex intentione illud conferat, siue, vt directè intendat illud conferre. Non enim dicitur alteri beneficium conferre, qui, nihil curans de commoditate illius, aliquid ex alio fine operatur, vnde ei per accidens emolumentum obuenit; etsi præuideat, illud ex suâ operatione obuenturum: neque sic accipiens emolumentum illud tenebitur gratias rependere suo casuali benefactori. Cuius ratio a priori est. Quia voluntarium indirectum ex solâ præuisione euentus resultans non satis est, ad operandum secundùm virtutem beneficentiæ, sed requiritur, vt directè intendatur eius finis proprius, qui est, alteri benefacere; sicut requiritur ad operandum secundùm quaslibet alias virtutes, vt intendantur directè earum proprij fines, vt supra disput. 35. quæst. 2. propos. 2. ex communi statutum est. Neque ad beneficentiam externam quidquam præstare potest simplex complacentia de bono alterius, vtpote nihil influens in illud; tametsi ea sit aliqualis beneuolentia interna, cui aliqualis etiam gratificatio debita sit. Complacenti enim in tuo bono gratificari debes, non vt benefactori, sed vt beneuolo. Ex hoc principio manifestè consequitur, neque esse specialiter benefactorem eum, qui bonum speciale alicui præ cæteris confert, si non intendit directè eam specialitatem conferre, quidquid sit de eius præuisione, aut de eius simplici complacentiâ. Quia specialis benefactor, vt talis sit, eodem modo comparari debet ad boni collati specialitatem, sicut benefactor simpliciter ad adæquatum bonum, quod confert. Vnde rursus planè deducitur, Deum non posse se gerere vt specialem benefactorem Prædestinatorum in collatione auxilij specialis, quod ipsis præ Reprobis confert, nisi directè, & efficaciter velit eam auxilij specialitatem, seu excessum illum bonitatis, quo auxilium ipsum excedit auxilia Reproborum. Per hanc autem Dei voluntatem non prædefiniri consensum Prædestinatorum, à cuius futuritione conditionatâ ipsa specialitas, seu efficacia auxilij desumitur, facillimè constat. Quia futuritio conditionata dicti consensus quid præuium est, & independens à tali voluntate; nec potest Deus per eam intendere efficaciter, vt dicta futuritio sit, prout ad illam prædefiniendam requirebatur; cùm ante voluntatem ipsam præsupponatur, & præuideatur iam esse, qua ratione est. Dicitur tamen Deus velle efficaciter, atque adeò etiam efficere, vt sit à parte rei efficacia auxilij, quatenus non solùm vult efficaciter, vt sit entitas auxilij physica, sed etiam, vt sit aggregatum resultans ex ipsâ entitate, & ex futuritione conditionatâ consensus, quæ præsupponebatur esse: in quo aggregato à parte rei coalistit efficacia auxilij, cùm sit denominatio resultans ex his duobus fundamentis. Etenim, vt quis dicatur efficaciter intendere atque causare totum, sat est, si ex intentione totius adiungat partem alteri parti, quæ iam supponebatur esse; neque opus est, vt vtramque partem seorsim intendat, & causet. Vnde liquet, quo pacto Deus volens efficaciter dare auxilia specialia Prædestinatis, formaliter vt specialia bona sunt, specialem erga illos beneficientiam exerceat: nec tamen suâ voluntate eorum consensum prædefiniat, non solùm quoad absolutam futuritionem eius, sed neque quoad conditionatam. Adde, iuxta doctrinam vniuersalem de amore denominationum extrinsecarum, aut semiextrinsecarum sæpe in hac materiâ attingendam, & traditam supra disput. 32. quæst. 5. vt Deus efficaciter dicatur amare auxilium prout efficax, & prout speciale beneficium, sat esse, quòd amet cogitationem prout subest futuritioni conditionatæ consensus, nullatenus amatâ, sed connotatâ tantùm per talem amorem ipsâ futuritione consensus. Sicut Deus amat punitionem peccati, formaliter vt punitio est, nullatenus amato, sed connotato peccato. De quo videri possunt plura dicta loco citato.

57 Atque ex his constat solutio ad argumenta, quæ opponebat Herice. Ratio autem, qua probat ipse necessitatem scientiæ mediæ, mihi nullatenus probatur. Primò; quia aliqui censent, posse constare perfectam prouidentiam Dei si ex simplici desiderio finis præbeat media ad illum vtilia, antequam præuideat, quem effectum illa sint sortitura. De quo agendum infra suo loco. Secundò; quia necessitas scientiæ mediæ ad prædestinationem, quæ per talem rationem probatur, non est ea specialis necessitas, quam Doctores nostri prætendunt tanquam propriam doctrinæ nostræ Societatis, vt contra ipsum Herice, & quosdam Recentiores ex nostris ostendam disput. 38. quæst. 3. num. 122.

58 Ex dictis de prædestinatione colligitur, ad reprobationem negatiuam etiam requiri scientiam mediam iuxta communem sententiam non admittentem prædefinitiones excludentes Reprobos à gloria ante præuisa eorum peccata, aut prædefinientes peccata ipsa quoad materiale eorum. Quia reprobatio negatiua etiam est prouidentia specialis infallibiliter connexa cum damnatione Reproborum, non quidem conferens, sed negans eis specialia media ad salutem, vt constabit ex dicendis disput. 44.

59 Stat ergo ex omnibus, quæ dicta sunt, ad prædestinationem, & reprobationem eorum, qui de facto per opera propria acquirunt, aut amittunt salutem, necessariam esse scientiam mediam. De paruulis, qui opera libera non habent, dubitari posset. Verùm, quia neque eorum salus potest sine aliquâ operatione liberâ alicuius adulti constare iuxta ordinariam prouidentiam, ideo etiam ad prædestinationem paruulorum dicenda est requiri scientia media. Ad reprobationem autem eorum etiam requiretur, quoties illi auxilio sufficienti ad salutem posito in libertate adultorum non sunt destituti. De quo plura dicenda infra disput. 40.

60 Addo, ad prædestinationem, & reprobationem etiam requiri notitiam reflexam scientiæ mediæ, quatenus requiritur notitia potestatis, qua Deus exequitur id, quod decernit iuxta doctrinam datam supra num. 40. Quæ potestas, ignorâ scientiâ mediâ, cognosci non potest, vt ex ibidem dictis colligitur: cùm scientia media intrinsecè spectet ad potestatem, qua, Deus decernit conferre media efficacia Prædestinatis, & ea Reprobis negare, collatis sufficientibus. Hoc tamen additamentum tantùm est verum in sententiâ admittente prædefinitiones.

61 Addo præterea, etiam in sententiâ Thomistarum ponentium efficaciam auxilij in præmotione physica connexâ essentialiter cum consensu necessariam esse ad prædestinationem scientiam conditionatam, qua Deus cognoscat, ex hypothesi, quòd Prædestinatus physicè prædeterminetur, & eius meritum ponendum, & hoc tandem cum gloria ipsius coniungendum fore. Quia Deus, antequam decernat prædeterminationem conferre, atque

atque adeò etiam, antequam illa absolutè existat, plenè debet scire, eam esse efficax medium ad obtinendum meritum Prædestinati prout coniungendum cum ipsius gloriâ. Quę veritas per solam scientiam conditionatam est cognoscibilis à Deo iuxta omnem sententiam : tametsi iuxta Thomisticam talis veritas decretum Dei efficax de se absolutum ex parte actus, & conditionatum ex parte obiecti supponat ; iuxta nostram verò nequaquam.

62 Obijcitur tamen ab Aduersarijs contra doctrinam nostram primò. Si scientia media ad prædestinationem requiritur tanquam quid manuducens Deum, vt conferat Prædestinatis auxilia efficacia ; sequitur, Deum moueri ad danda eiusmodi auxilia, atque adeò ad prædestinandum, quia præuidet Prædestinatos cum illis benè operaturos, casu quod dentur. Hoc autem valde absurdum est. Quia iam ex parte Prædestinati causa moralis prædestinationis daretur contra Concilia, & Patres : eaque non alia, quàm merita conditionata, quæ Semipelagiani adstruebant ; quæque Concilia ipsa, & Patres tanquam fictitia omnino reijciunt. Imprimis retorquo argumentum in Aduersarios : qui etiam fateri tenentur, Deum moueri ad dandam physicam prædeterminationem, quia præuidet prædestinatum cum illâ benè operaturum, vt oportunè notauit Soar. lib. 1. de Prædest. cap. 7. num. 10. & ex doctrinâ numeri præcedentis apprimè confirmatur. Deinde respondeo, futuritionem conditionatam operis boni, à qua diuinum auxilium sortitur rationem efficacis, mouere Deum ad ipsum auxilium conferendum, non quidem per modum meriti per auxilium ipsum compensandi, sed per modum conditionis, seu circunstantiæ extrinsecæ augentis bonitatem, & æstimabilitatem auxilij, atque ita complentis donum collatum, qua ratione etiam mouet entitas ipsa physica auxilij. Hoc autem genus motionis obiectiuæ, quæ ad causam finalem reduci potest, compertum est, nihil obstare, quominùs diuina prædestinatio sit beneficium Dei omnino liberale, & gratuitum, prout Concilia, & Patres stabilire conantur, dum negant causam moralem prædestinationis. Etenim nullum potest esse donum adeò liberaliter collatum, cuius bonitas per intellectum cognita non moueat voluntatem benefactoris ad tale bonum conferendum. Sed de his plura dicenda inferiùs disp. 140. & 42. Vbi monstrabimus, extra rem obijci in præsenti merita conditionata Semipelagianorum. Estò enim, quis assereret, Deum auxilium conferre ob bonum eius vsum conditionatè præuisum tanquam ob meritum, adhuc abesset longè à meritis Semipelagianorum. De quo loco citato.

63 Secundò Gonzalez 1. par. disp. 70. sect. 1. vt excludat prorsus scientiam mediam à diuinâ prædestinatione, hoc fere argumentum compingit. Cùm Deus cognoscit hanc veritatem. *Si dedero Petro auxilium, consentiet* : non potest non intra se dicere. *Si dedero prouidè, & cognoscens efficaciam auxilij* : vel. *Si dedero improuidè, & cæco modo* : quia inter hæc duo non est medium. Secundum dicere non potest : quia impossibile est Deo, improuidè, & cæco modo aliquid dare. Si dicat primum : destruitur obiectum scientiæ mediæ : quia hæc veritas. *Si dedero Petro auxilium, sciens ipsum consensurum, consentiet* : omnino est naturalis, & necessaria ; imò vel cuilibet rudi comperta, & obuia. Tum admittitur vitiosus processus in infinitum conditionatarum cognitionum, vt consideranti patebit. Et confirmari potest. Quia, quod est necessarium in statu absoluto absolutè, etiam est necessarium in statu conditionato conditionatè. Sed ad collationem auxilij absolutam est necessaria prouidentia Dei absolutè. Ergo ad collationem auxilij hypotheticam erit necessaria prouidentia Dei conditionatè. Hoc argumentum eatenus etiam potest retorqueri in Auctorem, quatenus & ipse fateri tenetur, Deum ad prædeterminandum physicè Petrum prædestinatum hac simili veritate moueri. *Si dedero Petro physicam prædeterminationem, eliciet meritum cum gloriâ coniungendum*. Atque ita ; cùm nequeat dicere intra se : *Si dedero improuidè* : debere dicere. *Si dedero prouidè*, Recurritque vitiosus processus in infinitum reflexarum cognitionum : &, quod est absurdius, processus in in infinitum decretorum Dei actu existentium, conditionatorumque ex parte obiecti, qualibus in arguentis sententiâ indiget Deus ad eiusmodi veritates conditionatas sciendas.

Respondeo ergo ad agumentum ex doctrinâ 64
tradita supra disp. 28. quæst. 4. propos. 7. in illâ veritate conditionata. *Si dedero Petro auxilium, consentiet* : dumtaxat poni ex parte hypothesis auxilium cum præcisione ab eius causis, etiam essentialibus ; atque adeò cum precisione non solùm ab eâ prouidentiâ, qua de facto absolutè datur, & à qualibet aliâ determinatâ, (quatenus nullâ determinatâ Dei prouidentiâ indiget tale auxilium ad existendum, sed tantùm aliquâ vagè, siue sub disiunctione); sed etiam à prouidentiâ Dei vt sic. Vnde Deus per scientiam mediam, qua talem veritatem cognoscit, non tenetur intra se dicere. *Si dedero* vel *prouidè*, vel *improuidè* ; sed tantùm. *Si dedero*; præscindendo per eum actum ab omni prouidentiâ. Quo & scientia media de teli veritate manet illæsa, & cætera absurda per argumentum illata cessant.

Ad cuius confirmationem respondeo consen- 65
taneè itidem ad doctrinam traditam dictâ q. 4. disp. 28. prop. 4. licèt, quod est necessarium ad existentiam absolutam effectus in statu absoluto, sit etiam aliquo modo necessarium ad existentiam conditionatâ eius in statu conditionato; non tamen debere illud in statu conditionato poni ex parte hypothesis, sub qua existentia conditionata effectus conditionatè vera est; cùm sit manifestũ, nihil esse magis necessarium ad existentiam absolutam effectus, quàm ipse effectus; qui tamen sub hypothesi alterius conditionis à se destinctæ sæpissimè est conditionatè verus, atque adeò per scientiam conditionatam à Deo cognitus iuxta sententiam omnium. Vt summùm igitur, quod est necessarium ad existentiam absolutam effectus, debet in statu conditionato esse etiam verum sub eâdem hypothesi, sub qua verus est ipse effectus. Quo locus supereſt, vt sub hipothesi indifferenti possit esse verus effectus, vt sicque à Deo cognoscibilis per scientiam mediam ; quantumuis, quod necessarium est ad existentiam absolutam effectus, cum ipsâ existentiâ connexum sit. Vnde patet, optimè posse Deum cognoscere per scientiam mediam ex hypothesi solius cogitationis indifferentis fore extiturum consensum, simulque cum eo fore etiam extitura, quæcunque ad eius existentiam requisita sunt. Recognosce doctrinam vniuersalem loco citato traditam. 66

Tertiò ex aduersarijs obiici potest. Si scientia media de efficacia auxiliorum, aliàs entitatiuè

indifferentium, est requisita ad prædestinationem; sequitur, Deum non posse prædestinare homines quoscunque voluerit, aut certè in potestate hominum positum esse, quòd Deus eos prædestinare non possit. At hoc absurdum est, vt constat. Ergo & illud, vnde sequitur. Quòd autem hoc sequatur, probatur. Quia vel aliqui homines sunt tam peruersæ indolis, vt nullum Deus præuideat auxilium, cui illi consensuri sint, quodque subinde sit efficax respectum eorum; atque adeò penitus careat scientiâ mediâ ad eorum prædestinationem requisita; & consequenter illos non queat prædestinare: vel certè in potestate cuiusuis hominis positum est, reddere inefficax omne auxilium sibi possibile; sicque impedire scientiam mediam requisitam ad eius prædestinationem: atque adeò facere, quod Deus non

67 possit ipsum prædestinare.

Respondeo, nullum esse hominem possibilem respectu cuius Deus non præuideat per scientiam mediam infinita auxilia efficacia, quibus eum infallibiliter perducere possit ad gloriam, atque adeò respectu cuius non habeat cum superabundantiâ infinitâ scientiam mediam requisitam ad prædestinationem eius, vt infra disp. 6. q. 41. ostendemus. Vbi etiam determinabimus, an vnusquisque hominum potestatem antecedentem habeat, vel secus, ad reddenda inefficacia omnia auxilia sibi possibilia collectiuè sumpta, sicque ad impediendam scientiam mediam requisitam ad suam prædestinationem: ostendentes pariter in neutro horum extremorum vllum absurdum reperiri. Imo insuper ostendemus, esse necessariò dicendum tam in sententiâ Aduersariorum, quàm in nostrâ habere vnumquemque hominem absolutè existentem potestatem antecedentem ad suam prædestinationem impediendam; neque per id quidquam derogari perfectioni omnipotentiæ diuinæ.

QVAESTIO V.

Quinam actus voluntatis, aut etiam omnipotentiæ diuinæ sint necessarij, vel vtiles adprouidentiam Dei.

68 SErmo erit in hac quæstione de prouidentiâ Dei ordinante aliqua media ad aliquem finem obtinendum: siue actus Dei tam intellectus, quàm voluntatis per se causantes, atque adeò obtinentes finem aliquem absque vllo alio medio iuxta dicta disp. 36. quæst. 2. sint item prouidentia apellandi, siue non item. Supponitur autem ex dictis disp. 31. quæst. 4. quotiescunque actus voluntatis diuinæ distincti asseruntur, aut supponuntur, non de formali, sed de virtuali eorum distinctione sermonem esse. Igitur ad omnem Dei prouidentiam ordinatiuam mediorum in finem esse necessariam intentionem finis, & electionem mediorum, indubitabile est. Intentionem autem finis posse esse vel efficacem, vel simplicem, tametsi electio semper sit efficax; ex dictis quæst. illa 2. citatâ constat.

69 Addunt tamen Recentiores quidam non contemnendi tertium quoddam genus intentionis semiefficacis, qua Deus, inquiunt, aliquid ab alienâ libertate depedens ita intendit, quantùm est ex parte sui, vt maneat necessitatus ad præbendum alieno arbitrio, quantum requiritur, & sufficit, vt per se non stet, quominùs fiat, quod intendit; siue id voluntas aliena exequatur, siue non exequatur. Quo genere intentionis, dicunt, velle Deum, vt omnes homines salui fiant, atque etiam, vt sanctè viuant. Vnde hanc voluntatem salutis omium efficacem esse, asseuerant, quantùm est ex parte Dei. Adduntque, Deum per illam semper obtinere finem intentum, nempe, vt per se non stet, quominùs homines salutem consequantur. Ex quo rursus inferunt contra plerosque Theologos, prouidentiam, qua Deus etiam Reprobis gloriam procurat, collatis medijs sufficientibus, neutiquam suo fine particulari frustrari: quia hic non est Reproborum salus absolutè, sed prout à Deo, ita, vt defectus eius in Deum ipsum non reducatur.

Non placent. Quia actus, quo Deus dici- 70
tur velle efficaciter, quantum est ex se, salutem Reprobi, vel habet pro obiecto præcisè salutem ipsam; vel insuper media vtilia ad eam obtinendam, qualia sunt ex parte hominis merita, & ex parte Dei auxilia homini collata ad merendum. Si primum. Ergo talis actus non est efficax adhuc ex parte Dei. Repugnat enim, esse in Deo actum aliquâ ratione efficacem, per quem non obtineatur id, quod intenditur. Nec valet dicere, talem actum non esse efficacem respectu salutis reprobi; esse tamen respectu mediorum, ad quæ conferenda determinat Deum. Quia actus inefficax respectu finis non habet vim ad determinandum, siue necessitandum Deum ad eligenda media vtilia ad talem finem, vt in confesso apud omnes est. Si enim Deus efficaciter suo affectu non tendit in salutem Reprobi, quo iure manebit necessitatus ad eligenda media vtilia ad illam? Dicunt. Quia, licet non tendat plenè, & absolutè efficaciter, tendit tamen efficaciter, quantùm est ex se; id est, ita, vt ipsum non reducatur defectus salutis. Hic est tota Recentiorum æquiuocatio. Confundunt enim duo obiecta diuinę voluntatis. Aliud namque obiectum est salus Reprobi. Aliud, non reduci in Deum, vel ipsi attribui, aut posse attribui salutis defectum. Ex quibus obiectis, primum prorsus inefficaciter tangi, contendimus, hoc ipso, quòd non mandatur exequutioni. Secundum autem, quod Deus assequitur, plenè, & absolutè efficaciter dicendum est tangi, siue ambo eodem actu, siue distinctis tangi dicantur. Itaque, si Deus, præter salutem Reprobi, intendit insuper, vt sibi non imputetur salutis defectus, duos simul fines intendit: primum omnino simplici, secundùm omnino efficaci affectu: ex quibus primum non assequitur per auxilia collata Reprobo; benè tamen secundum: quia eiusmodi auxilia respectu salutis Reprobi tantùm sunt sufficientia, cùm tamen efficacia sint respectu alterius effectus, vt scilicet Deo non possit tribui defectus salutis. Vnde liquet imprimis, commentitiam esse efficaciam actus Dei, quæ plenè, & simpliciter non sit talis, sed tantùm, quantùm ex parte Dei est, ita, vt effectu intento frustrari possit. Quod enim Deus vult efficaciter, etiam ex parte sui, non potest non ex parte Dei mandari exequutioni, atque adeò re ipsâ existere prout à Deo, qualiter non existit Reprobi salus. Deinde apparet, inconsequenter philosophari præfatos Recentiores, fingentes ex vna parte actum Dei efficacem frustrabilem fine per ipsum intento,

to, nempe salute Reprobi; & asserentes ex aliâ, talem actum non frustrari suo fine: quia assequitur, vt salutis defectus Deo non tribuatur. Cùm tamen dicere deberent, ex duobus finibus intentis per eiusmodi actum alterum non obtineri à Deo; alterum obtineri: atque adeò respectu prioris actum ipsum simpliciter inefficacem esse; respectu autem posterioris efficacem plenè, & simpliciter.

71 Iam verò, si dicant, per supradictum actum simul cum salute Reprobi amare Deum media sufficientia, quæ Reprobo præbet, atque ita illum esse efficacem, quantùm est ex parte Dei; quia est efficax respectu mediorum prouenientium à Deo; nihil speciale dicent, præterquàm, quòd eodem actu amat Deus finem simpliciter, & media efficaciter: quod esse possibile fatemur. Hoc tamen pacto nequibunt componere, quod addunt, Deum scilicet per talem actum determinari ad eligenda media dicta, & per eiusmodi media assequi prouidentiam Dei finem intentum: quandoquidem ipse actus ipsissima est electio mediorum, quæ ad se determinare nequit, & salus Reprobi per eumdemmet actum intenta vt finis non obtinetur. Hæc dicta sunt ex hypothesi, quòd prædictus actus ponatur absolutus ex parte obiecti, vti videntur ponere Recentiores. Si enim conditionatus ex parte obiecti esse dicatur, quod ijdem Recentiores non ægrè ferunt; aliter res est transigenda, & ipsi impugnandi. Ponamus enim, Deum velle efficaciter salutem Reprobi sub conditione, quòd habeat merita, & hoc esse, velle illam efficaciter, quantùm est ex se. Certè hac ratione ipsa merita velle non poterit. Cùm tamen Recentiores prædicti eodem modo philosophentur de affectu, quo Deus vult salutem Reprobi, & de affectu, quo vult eius merita. Ratio conspicua est. Quia nulla est excogitabilis conditio, sub qua Deus velit efficaciter meritum Reprobi, nisi vt summùm collatio auxilij ad tale meritum. Sub conditione autem collationis auxilij Deus non vult efficaciter meritum Reprobi; quandoquidem, purificatâ conditione, non sequitur meritum. Repugnat enim, actum Dei efficacem conditionatum frustrari effectu, si semel purificetur conditio, vt apud omnes notum est. Dixi *vt summùm*. Quia fortasse ex alio capite repugnat, vt sub conditione à se ponenda, qualis est collatio auxilij, velit Deus aliquid efficaciter. Id enim opinantur Soar. & alij, vt vidimus disput. 34. quæst.8. num.109. Vnde obiter concluditur, Deum ex desiderio omnino simplici meriti, siue boni operis Reprobi moueri ad conferendum illi auxilium sufficiens. Cùm tale desiderium neque absolutè, neque conditionatè possit efficax esse. Deinde, si Deus sub conditione meritorum vult efficaciter salutem Reprobi, sequitur contra prædictos Recentiores primò, per talem actum non manere Deum necessitatum ad conferenda auxilia sufficientia ipsi Reprobo: quia intentio conditionata finis non determinat ad absolutam electionem mediorum, vt ostendimus disput.36. quæst.4. proposit. 3. Secundò sequitur contra eosdem, diuinam prouidentiam non assequi reuerà finem per talem actum intentum. Quia non purificatur conditio. Tertiò sequitur, quod hic contendimus, præter desiderium plenè, & omnino efficax, & desiderium omnino simplex, nullum esse in Deo possibile desiderium absolutum ex parte obiecti, quod inter ea duo sit medium, *vti illud* ponunt Recentiores. Tametsi sit possibile desiderium tum efficax, tum etiam simplex ex parte obiecti conditionatum, quod non negamus. Vtrùm autem sit huius generis, quod Deus habet de salute, seu glorificatione Reprobi, ex dicendis disput.40.quæst.1. constabit.

Præter intentionem autem finis, & electionem mediorum, alium actum voluntatis ab eis distinctum requirunt communiter Thomistæ tanquam necessarium ad prouidentiam tum creatam, tum etiam diuinam, quem appellant vsum actiuum: & est ille, quo voluntas, post factam electionem alicuius medij immediatè applicat, determinatque potentiam exequutiuam eius ad exequutionem ipsius. Censent enim, omnem medij electionem ad ordinem intentionis spectare, actumque proinde purè intentiuum esse: & ideo alium actum purè exequutiuum requiri, qui ad exequutionem perducat medium electum, nimirum dictum vsum actiuum. Cæteri verò Doctores communiter eiusmodi vsum actiuum reijciunt tanquam non non necessarium, imo superfluum ad prouidentiam, præsertim diuinam. Ego relictâ prouidentiâ creatâ, de qua tractant ad rem Theologi cum S.Tho.1.2.quæst.16. & agens solùm de diuinâ dicendum arbitror, electionem medij ad illam spectans decretum esse posse vel purè intentiuum, vel purè exequutiuum, vel mixtum iuxta doctrinam supra statutam disput.36. quæst. 5. Si sit purè intentiuum, tunc necessarium erit aliud decretum exequutiuum mouens omnipotentiam diuinam ad exequutionem talis medij: quia decretum purè intentiuum iuxta ibi dicta nequit per se mouere illam. Si verò electio medij sit decretum aut purè exequutiuum, aut mixtum; tunc aliud decretum eiusdem medij exequutiuum non solùm non necessarium, sed omnino superfluum erit: quia sola talis electio per se immediatè valebit omnipotentiam mouere, mediumque electum ad exequutionem perducere. Vnde patet peimò, vsum actiuum, quem Thomistæ adstruunt post medij electionem ad prouidentiam diuinam necessarium non esse, absolutè loqnendo: quia per ipsam electionem potest exequutioni mandari medium electum, quando ea exequutiua est: tametsi, quando est purè intentiua, aliud decretum exequutiuum ad id requiratur, siue illud appelles vsum actiuum, siue electionem exequutiuam, quod non interest ad rem. Secundò patet, absque idoneo fundamento supponi ab Aduersarijs, omnem electionem medij esse actum purè intentiuum; plerunque siquidem esse potest aut purè exequutius, aut mixtus, vt satis constare videtur ex dictis à nobis loco citato. 72

Itaque omnes actus voluntatis ad diuinam prouidentiam pertinentes vel intentiones finium, vel mediorum electiones sunt. Quotuplices autem sint vtræque, & quot diuersis modis ad diuersas prouidentias pertinere, ealve componere possint, abunde explicatum est totâ disp.36. Quare in præsenti opus non est, quidpiam adijcere. Dicta enim in eâ disput. Deo & creaturæ sunt communia iuxta aduertentiam ibi subiunctam num.123. 73

Superest ergo, vt videamus, quinam actus omnipotentiæ diuinæ pertineant ad prouidentiam Dei. Et qualiter. Pro quo supponendum est primò, omnipotentiam Dei appellari eam facultatem actiuam, qua Deus ad extra pro- 74

producere, siue effectiuè causare potest, quidquid possibile est, tanquam causa efficiens omnium prima. Secundò, omnipotentiam vnum esse ex attributis, siue prædicatis diuinis realiter identificatis cum Deo. Qualiter autem aut per rationem, aut etiam à parte rei virtualiter à cæteris distincta sit, sub controuersia inter Theologos est.

75 Alij enim censent, omnipotentiam Dei ab ipsius essentiâ prorsus esse indistinctam. Quam sententiam cum Durando tenet Soar. disput. 30. Metaphys. sect. 17. num. 47. & libro 3. de Attrib. cap. 9. num. 2. Secunda sententia in voluntate diuinâ ponit omnipotentiam Dei. Hanc tenent cum Scot. Caiet. & Ferrar. Molina 1. par. quæst. 25. artic. 1. disput. 2. Smising. tract. 3. disput. 7 quæst. 2. num. 24. Veken. disput. 21. cap. 6. intelligentes nomine voluntatis, non potentiam volitiuam, sed actualem volitionem Dei necessariam antequam liberè terminetur ad creaturas. Tertia sententia, quam tenent Valent. 1. par. disput. 1. quæst. 25. Granad. 1. par. tom. 2. in apendice de omnipot. disput. 2. Ioan. à S. Tho. 1. par. quæst. 26. artic. 2. & alij est, omnipotentiam Dei in intellectu eius simul, & in voluntate consistere. A qua sententiâ in eo solùm dissentit Vazq. 1. par. disput. 102. cap. 3. & 4. quòd non in intellectu, sed in actuali intellectione simul, & in voluntate ponit omnipotentiam. Quarta sententia est, omnipotentiam peculiare Dei attributum esse ab intellectu, & à voluntate, ab actibusque intelligendi, & volendi conditinctum, & eis superadditum. Hanc tenent Machin. 1. par. disput. 51. sect. 2. Auersa quæst. 25. sect. 2. Arriag. disput. 40. sect. 1. Raynaud. in Theolog. natur. distinct. 8. quæst. 5. artic. 6. Martinon 1. par. disput. 22. sect. 1. Carleton disput. 47. sect. 1. & multi alij. Quibus cogo subscribo.

76 Assero itaque imprimis, omnipotentiam Dei formaliter eius essentiam esse non posse, vtpote quæ in subiecto radicali consistit omnium attributorum, siue prædicatorum Dei, quorum vnum est ipsa omnipotentia, vt latè exposui tom. 1. disput. 1. quæst. 10. Deinde assero, neque in intellectu, aut eius actu, neque in voluntate, neque in vtroque consistere formaliter omnipotentiam Dei. Id quod expressit S. Tho. 1. par. quæst. 15. artic. 1. ad 4. dicens, *Potentia non ponitur in Deo vt aliquid differens à scientiâ, & voluntate secundùm rem, sed solùm secundùm rationem: in quantùm scilicet potentia importat rationem principij exequentis id, quod voluntas imperat, & ad quod scientia dirigit.* Et artic. 5. ad 1. *Potentia intelligitur vt exequens; voluntas autem vt imperans, & intellectus, & sapientia vt dirigens.* Moxque concludit. *Ideo Deus aliquid facit; quia vult: non tamen ideo potest; quia vult.* Ratione autem id ipsum probatur primò; quia potentiæ penes diuersitatem suorum actuum euadunt inter se diuersæ. Sed intellectus, voluntas, & omnipotentia Dei valde diuersos inter se ex conceptibus suis habent actus, intelligendi scilicet, volendi, & producendi ad extra. Igitur potentiæ sunt inter se ex suis conceptibus diuersæ. Secundò; quia intellectus Dei nec per se immediatè, nec mediâ suâ intellectione potest influere physicè in actionem externam: nam hæc non potest non esse Deo libera; ideoque inter ipsam, & intellectum debet voluntas cum suo actu libero intercedere: solùmque proinde intellectus media suâ intellectione potest concurrere dirigendo, mouendoque voluntatem, vt liberè decernat dictam actionem, iuxta doctrinam stabilitam ex Scripturâ, & Patribus supra disput. 31. quæst. 2. Vnde ne partialiter quidem potest omnipotentia in intellectu, aut in intellectione consistere: siquidem omnipotentia illa Dei formalitas est, quæ in actionem externam per se immediatè influit physicè.

Quæ ratio etiam probat, omnipotentiam non posse consistere in voluntate in actu primo: quia nec hæc potest per se immediatè in actionem externam physicè influere; cùm debeat etiam actus volitionis liberæ eius interuenire, qui ab ipsâ non solùm distinctus, sed & productus virtualiter est; prout latè probatum est quæst. illa 2. & duabus sequentibus 3. & 4. Vnde etiam sequitur, neque in volitione actuali necessaria, qua Deus se amat, posse consistere omnipotentiam. Quia, antequam ea euadat volitio libera actionis externæ, non potest esse causa eius; nam actio externa à volitione liberâ sui quatenus liberâ debet procedere ad hoc, vt sit verum, vt prorsus debet, ideo Deum agere ad extra; quia liberè vult, iuxta doctrinam certam abundè etiam comprobatam à nobis dictâ quæst. 4. 77

Iam quòd in volitione Dei liberâ quatenus liberâ non possit omnipotentia consistere, videtur apud omnes certum. Primò; quia omnipotentia conceptione omnium, attributorum Dei est necessarium: volitio autem libera vt talis contingens attributum est. Secundò; quia, quot sunt in Deo decreta libera distincta inter se, saltem virtualiter: tot essent in Deo potentiæ productiuæ ad extra inter se distinctæ adstruendæ: Deusque ea omnipotentiâ, quam modò habet, carere potuisset; aliamque habere, quam non habet. Imo omni prorsus omnipotentiâ carere esset, nihil liberè cernendo producendum ad extra; atque adeò non esse omnipotens. Quæ omnia planè sunt absurda, præter alia, quæ omitto. 78

Concludoque ex dictis, omnipotentiam non posse non esse formalitatem, atque adeò attributum intrinsecum Dei ab eius essentiâ metaphysicâ, ab intellectu, & voluntate, ab intellectione, & volitione, à cæterisque conditinctum, saltem formaliter, seu per rationem: cuius conceptus est, esse facultatem siue potentiam Dei productiuam ad extra, atque ideò immediatè exequutiuam eorum, quæ Deus decernit ad extra producere; & consequenter ita subditam voluntati diuinæ, vt per huius decreta libera, & exequutiua tanquam per quædam imperia mouenda, determinandaque veniat ad eiusmodi productiones, ad eum modum, quo in nobis facultates, siue potentiæ subditæ voluntati per huius actus imperantes mouentur ad suas operationes. Vnde necessariò consequitur, omnipotentiam, non solùm per rationem, sed etiam re ipsâ virtualiter esse distinctam ab omnibus saltem actibus liberis, siue contingentibus Dei tam intellectus, quàm voluntatis, vtpote quibus reuerâ conuenit prædicatum contingentiæ: cùm tamen eius contradictorium omnipotentiæ conueniat etiam reuerâ. 79

His positis, actus omnipotentiæ proprius est omnis actio, qua Deus aliquid ad extra producit seu per se solum, seu simul cum causâ secundâ adiuuans eam ad agendum. Actio autem productiua ad extra est duplex. Alia educitiua, qua producitur effectus dependenter ab aliquo subie-

subiecto: ob idque simul est actio, & passio: actio, quatenus effectus per illam fit ab agente; & passio, quatenus per illam effectus recipitur in passo. Alia creatiua, qua producitur effectus ex nihilo, id est, independenter ab omni subiecto: ob idque dumtaxat est actio, qua & agens efficit effectum, & effectus fit ab agente. Vtraque autem est quædam entitas modalis distincta realiter à suo principio; siue increato, quando à Deo solo nascitur; siue increato, & creato, quando nascitur à Deo simul, & à causâ creatâ. A termino autem per eam producto plerunque est etiam distincta realiter; sicque modus quidam est intermedius inter efficiens, & effectum: non repugnant tamen effectus, qui te ipsis sine intermediâ actione à suis efficientibus fiant. Quæ omnia vt magis communia, & longè certiora oppositis suppono ex Philosophiâ. Cætera autem ferme, quæ de Dei omnipotentiâ tractant Theologi cum S. Tho. 1. par quæst. 25. in tom. 1. huius Operis tractata à me sunt.

81 Quibus suppositis, dico tandem, ad omnem prouidentiam Dei non solùm aliquem, aut aliquos actus internos intellectus, & voluntatis, sed etiam aliquem, aut aliquos externos omnipotentiæ pertinere. Quia nulla est prouidentia Dei, per quam non producantur ad extra aliquis, aut aliqui externi effectus: repugnatque, effectum vllum produci ad extra sine aliquâ externâ sui productione, vt constat. Etenim ordo quorumuis actuum merè internorum Dei in nullum prodeuntium effectum externum sub nomen prouidentiæ non cadit: atque adeò, omni externo effectu deficiente, omnis deficeret Dei prouidentia. Loquor de prouidentia Dei positiua circa positiuos effectus, & eorum productiones. Nam ordo actuum internorum, quem circa eorum negationes, & omissiones liberas haberet Deus casu, quòd nullum vnquam produceret effectum positiuum ad extra, prouidentia negatiua potest non incongruè appellari.

82 Ex dictis in hac quæstione infertur primò, aliquod imperium spectans ad voluntatem in actu ve voluntatis consistens ad omnem prouidentiam Dei positiuam requisitum esse. Tale enim est omne decretum exequutiuum, quo voluntas imperare dicitur omnipotentiæ tanquam sibi subditæ, vt in externam actionem prodeat, siue ipsam exequatur, iuxta doctrinam S. Tho. relatam num. 76. & apud Theologos communem. Secundò infertur, aliud imperium spectans etiam ad voluntatem, in actuve voluntatis consistens, quo voluntas reflexè imperat sibi ipsi aliquem suum actum directum, aut necessarium, aut vtile posse esse ad aliquam prouidentiam Dei. Quia ex vnâ parte tale imperium possibile est Deo, vt supra disput. 34. quæst. 10. statutum est; ex aliâ verò Deus vti eo potest in ordine ad obtinendum aliquem finem, reflexè imperando intentionem eius, vel electionem alicuius medij vtilis ad ipsum. Intentio autem finis non solet appellari imperium ad voluntatem spectans respectu electionis mediorum; tametsi ad eam moueat, imo & necessitet, quando est efficax: quia non habet eam pro obiecto: & de ratione imperij in vniuersùm videtur esse, quòd aliquo modo habeat pro obiecto rem imperatam. Si tamen quis velit intentionem vocare imperium, quo voluntas sibimet imperat electionem: eo quòd illa ad hanc mouet, siue necessitat; in quo cæteris imperijs similis est: non multum contendendum erit cum illo. Supereſt agendum de imperio, si quod est, ad intellectum pertinens. Pro quo sit sequens quæstio.

QVAESTIO VI.

Vtrùm ad prouidentiam diuinam aliquod imperium ad intellectum pertinens aut necessarium sit, aut vtile.

FAmiliare est multis Theologis, ponere in quouis agente intellectuali siue creato, siue increato quoddam imperium monasticum, quo sibi ipsi, vel suis potentijs imperet eâ ratione, qua per imperium politicum, & externum Superior imperat suis subditis. Et quoniam imperium politicum, & externum ex proprio conceptu nihil est aliud, quàm insinuatio, seu intimatio quædam subditis facta de voluntate Superioris. Insinuare autem, intimare, seu notificare ad intellectum pertinere videtur. Ideo dicunt, huiusmodi imperium in actu intellectus consistere. In eo tamen assignando non omnes conueniunt. 83

Quidam enim dicunt, neque esse simplicem apprehensionem, neque iudicium, neque discursum, sed actum alterius generis respondentem verbo modi imperatiui, *Fac hoc*. Sic docent loquentes de Deo Capreol. in 1. distinct. 40. quæst. 1. artic. 1. & 2. Caiet. 1. par. quæst. 22. artic. 1. & quæst. 23. artic. 1. Valent. tom. 2. quæst. 12. punct. 1. Granad. 1. par. controuer. 4. tract. 5. disput. 3. sect. 2. & alij. Quibus consentit Quiros tom. 2. de Deo disput. 4. sect. 2. Præter eos, qui simile imperium ponunt in nobis. Quorum plures refert, & sequitur Salas 1. 2. tract. 6. disput. 2. sect. 2. Alij verò putant, dictum imperium iudicium quoddam esse insinuans voluntatem imperantis, atque adeò habens illam pro obiecto. Sic censent de imperio diuino Hemelman 1. par. tom. 2. tit. 13. disput. 1. cap. 3. num. 4. & cap. 4. num. 6. Gonzal. disput. 69. sect. 3. Nazar. quæst. 19. artic. 1. controuer. vnic. Cornejo quæst. 23. artic. 1. disput. vnic. Ruiz tom. de Prouiden. disput. 3. sect. 7. & seqq. & alij. 84

Adhuc tamen inter hos Auctores lis est circa actum cadentem sub imperium, & circa potentiam, cui imperatur. Nam Hemelm. & Gonzal. supra, alijque Thomistæ communiter existimant, postquam diuina voluntas intendit finem, & facto iudicio de medijs, aliquod eorum elegit, intellectum ipsi voluntati imperare, vt alium actum eliciat exequutiuum medij electi, qui dicitur vsus. Quo pacto itidem de imperio creato philosophantur. Granad. tamen, Ruiz supra, & alij, hunc actum vsus non admittentes, dicunt, imperium immediatè dirigi ad potentiam exequutiuam, ipsique imperari per illud exequutionem medij electi. Cui sententiæ consentire videtur Bellarmin. lib. 2. de Grat. & liber. arbit. cap. 9. fine, & Soar. disput. 10. Metaphys. sect. 7. num. 13. Alij denique, dictum actum vsus non admittentes, opinantur, voluntatem, postquam intendit finem, per dictum imperium sibi impera- 85

re

re mediorum electionem. Cum quibus sentit Quiros disput. 4. citata sect. 3. Omnes autem aut supponunt, aut exprimunt, potentiam, ad quam eiusmodi imperium dirigitur, quæcunque illa sit, omnino per ipsum necessitari ad actum imperatum.

86 Hoc igitur imperium monasticum, omnes ferme commemorati Doctores censent requiri ad prouidentiam Dei. Quibus adde Carmelit. in cursu Theologic. tom. 1. tract. 5. disput. 2. dub. 2. & Ioan. à S. Tho. 1. par. tom. 1. disput. 7. de Prædestin. artic. 2. & 3. aliosque citatos ab ipsis. Contra quos omnes cæteri Theologi communiter tale imperium tanquam non necessarium, aut etiam inutile ad prouidentiam Dei reijciunt. Molin. 1. par. quæst. 25. artic. 1. disput. 1. Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 16. & 17. Vazq. 1. par. disput. 81. cap. 2. num. 9. & disput. 87. cap. 3. num. 13. Fasol. 1. par. quæst. 22. artic. 1. dub. 1. Arrub. disput. 63. cap. 3. Alarc. tract. de Prædestin. disput. 1. cap. 2. Herice disput. 22. cap. 4. Tann. disput. 3. quæst. 2. dub. 2. Albiz disput. 3. de Prædestin. sect. 4. Gasp. Hurt. disput. 1. diff. 2. Arriag. disput. 32. sect. 1. Veken. 1. par. disput. 25. cap. 3. Carleton disput. 37. sect. 1. & alij Recentiores communiter. Qui in nobis etiam negant simile imperium. Non negant tamen, actum intellectus, quo Deus ducitur ad operandum, imperium appellari posse per analogiam quamdam ad proprium imperium, vtpote cui in eo assimilatur, quòd suadet, aut etiam impellit ad opus.

87 Pro resolutione suppono primò, imperium politicum, quo Superior imperat subditis, quodque propriissimè omnium imperium vocatur, directè quidem in signo aliquo consistere iuxta sententiam omnium, quo subditis insinuatur, seu intimatur voluntas Superioris, non qualiscunque, sed ea, quam habet eis præcipiendi, seu eos obligandi: quam voluntatem subinde indirectè, siue de connotato includit imperium in suo conceptu reali; ex hisque duobus dumtaxat constatur tota eius essentia, iuxta doctrinam à me traditam in Tract. de Legib. disput. 1. quæst. 3. vbi monstraui, legem positiuam, quæ imperium quoddam est, in loquutione externa consistere, qua subditis insinuatur dicta Superioris voluntas prout connotante eamdem voluntatem.

88 Vnde infero primò contra Theologos non paucos, imperium politicum in actu intellectus Superioris consistere non posse. Quia imperium, vti fatentur omnes, ille dumtaxat actus est, quo imperans suam voluntarem notificat, insinuat, siue intimat ei, cui imperatur. Per nullum autem actum intellectus potest Superior subdito à se distincto notificare, insinuare, siue intimare voluntatem suam, vt fit per imperium politicum. Eo quòd actus intellectus non alijs, sed ipsi intelligenti insinuant, siue notificant obiecta; neque intelligens per actus intellectus loquitur alijs, sed tantùm sibi ipsi. Dices. Omni loquutioni externæ respondet interna intellectio, pro qua illa subrogatur. Ergo & imperio exteriori respondet imperium internum in intellectione consistens, cuius illud est substitutum. Respondeo, etsi exteriori imperio, sicut & alijs loquutionibus, interna intellectio respondeat, hanc tamen non esse imperium, quo Superior imperat subditis; sicut non est loquutio, qua illis loquitur. Addo, non semper loquutioni externæ eam intellectionem, pro qua subrogatur, in mente loquentis respondere; vt patet in eo, qui affirmat exteriùs, quod non iudicat interiùs; vel quia iudicat oppositum, vel quia negatiuè se habet. Quo casu loquutio externa non definit esse loquutio significatiua; imo & potest esse vera, si verè subsistat id, quod significat; estò id aloquente non cognoscatur.

89 Ex quo colligitur, actum intellectus internum præcepto externo correspondentem, quem Aduersarij imperium vocant, ad verum, & obligatorium imperium, quo Superior imperat subditis requisitum non esse. Quia sine tali actu intellectus potest Superior verba præceptiua proferre, eisque suam, quam habet, voluntatem verè obligandi subditos ipsos manifestare: quo nihil ad verum præceptum, verumve, & obligatorium imperium desiderabitur. Pro cuius maiori intelligentia nota, signum externum præceptiuum, cuiusuis demum illud rationis sit, hoc ipso, quòd est præceptiuum, esse ex institutione suâ significatiuum siue directè, siue indirectè voluntatis verè præcipiendi, seu obligandi subditos conceptæ à Superiore, qui tale signum serio profert. Vnde Superior serio præcipiens, ne mendax sit, interiùs debet iudicare, se eam voluntatem habere, quam per externum signum notificat subditis. Cæterùm, licèt id non iudicet, atque adeò formaliter mentiatur: si tamen verè habeat voluntatem obligandi subditos, quam per externum signum significat, materialiter dicet verum: atque ita verum, non fictum proferet præceptum. Verum enim præceptum est, quo subditis insinuatur, siue intimatur voluntas, quam reuerà Superior habet, subditos obstringendi, seu obligandi ad id, quod præcipit. Neque aliud ad verum, obligatoriumque præceptum, siue imperium requiritur.

90 Sed estò, sit imperium internum ille actus intellectus, qui signo externo ordinariè in mente præcipientis respondet. Rursus infero ex dictis, talem actum neutiquam posse esse diuersum ab apprehensione simplici, iudicio, & discursu, vt multi ex præcitatis Doctoribus esse contendunt; sed iudicium prorsus esse debere. Primò; quia solas illas tres species actuum recognouit in intellectu Aristot. lib. 1. de Interpret. cap. 1. quarta autem, quam addunt dicti Doctores, ne in mentem quidem venit Aristot. Secundò; quia intellectus essentialiter, & adæquatè est potentia cognoscitiua. Ergo nullum actum habere potest, qui non sit cognitio. Omnis autem intellectus cognitio sub aliquam ex illis tribus speciebus cadit, vt constat. Tertiò; quia nemo vnquam expertus est in suo intellectu actum diuersum ab illis tribus; vnde eius existentia non est per se nota. Sed neque est fundamentum idoneum, ex quo illa colligi possit. Ergo ea penitus conficta censenda est. Cætera patent. Minorem probo. Nam, quòd signum externum præceptiuum possit, aut soleat esse verbum imperatiui modi, nihil directè affirmans, aut negans, (in quo vnicè Aduersarij fundantur), nullius ad rem momenti est. Quandoquidem idem omnino præceptum datum per verbum modi imperatiui, *Fac hoc*, (subintellige ex obligatione), potest, imo frequentiùs solet dari per verba modi indicatiui, *Impero*, *Mando*, *Præcipio tibi hoc*, *Volo vt ex obligatione facias hoc*, *Impono tibi obligationem adhoc*, &c. Malèque proinde propter vnum verbum imperatiui adstruitur quasi illi respondens in intellectu actus exoticus, & vix percep-

perceptibilis; quando propter tot verba indicatiui, quibus idem ipsum significari intenditur, iudicium affirmatiuum eis plane respondens adstrui debet. Cuius doctrinæ ratio à priori iam supra insinuata est. Quia, cùm tota vis obligatoria præcepti promanet ex voluntate, quàm habet superior obligandi subditum per illud: quodcunque signum externum iuxta communem acceptionem, vsumque hominum præceptiuum eo ipso siue directè, siue indirectè, siue formaliter, siue æquiualenter significat, dari in Superiore talem voluntatem; actusque proinde intellectus ei connaturaliter correspondens, in mente Superioris alius non est, nec esse potest, quàm iudicium affirmatiuum de voluntate eâdem: siue signum præceptiuum sit loquutio cuiusuis modi vel imperatiui, vel indicatiui, siue sit aliquis nutus, siue aliud quidpiam.

91 Posito autem, quòd actus intellectus interueniens in imperio politico alius à iudicio esse non potest, manifestè consequitur, etiam iuxta mentem Aduersariorum, neque actus intellectus spectantem ad imperium monasticum alium à iudicio esse posse. Quod dubitabile non est proinde, ea facta suppositione; quia tota philosophia imperij monastici ex similitudine ad politicum desumpta est.

92 Pro quo iam suppono secundò, si exacta similitudo obseruanda foret, imperium monasticum in signo aliquo ponendum esse, quo intra idem subiectum potentiæ subditæ intimaretur actus vooluntatis tanquam superioris, non quicunque, sed obligans morali obligatione potentiam subditam ad eum actum, quem ille pro obiecto habet. Cæterùm, quia inter potentias eiusdem agentis eiusmodi obligatio non datur, loco obligationis, quæ necessitas quædam moralis est, succedit necessitas physica. Imperiumque subinde monasticum cum omni proprietate possibili ille actus intellectus venit dicendus, quo insinuatur, siue notificatur potentiæ subditæ actus voluntatis vt superioris, non qualiscunque, sed necessitans subditam ad eum actum, quem ille insinuatus pro obiecto habet. Quo iure S.Tho.2.2.quæst.83.art.1. in corp. ait de ratione imperij abstrahentis à politico, & monastico esse, aliquam necessitatem imponere. Actum autem intellectus eiusmodi imperium monasticum constituentem alium à iudicio esse non posse, ex dictis hactenus palam est: atque etiam ex se; siquidem insinuare, siue notificare quidpiam potentiæ percipienti solius iudicij munus est, vt constat.

93 Pergo, & suppono tertiò, licèt intentio finis per se immediatè, atque adeò independenter à cognitione quasi reflexâ sui valeat intendentem mouere ad electionem medij, prout supra disp.36. quæst.6.num.117. statutum est; possibile nihilominùs esse, vt etiam moueat mediâ sui cognitione. Quia, vt potest quis moueri ad volendum aliquid ex præuisione cuiusuis alterius entis; ita, imo titulo specialori, moueri poterit ad volendum medium ex præuisione intentionis finis. Vnde Deus bifariam pro arbitrio suo moueri potest ad eligendum medium ex intentione efficaci finis. Primò independenter à præuisione ipsius intentionis. Secundo dependenter. Similiterque iuxta ibi etiam dicta moueri potest bifariam ex electione medij propinquioris ad electionem medij remotioris. Atque etiam, casu, quòd electio medij sit purè intentiua iuxta ea, quæ dicebamus q.5.num.72. eisdem duobus modis poterit Deus ex illà moueri ad electionem exequutiuam eiusdem medij; quæ in tali casu ipsissimus erit actus vsus actiui, quem semper tanquam necessarium requirunt Thomistæ, iuxta dicta etiam ibidem. Pariterque imperium efficax Dei reflexum ad voluntatem pertinens iuxta dicta num.81. ad actum imperatum ipsius voluntatis mouere poterit vel per se immediatè, vel mediâ præuisione sui.

Imperium verò efficax Dei etiam ad voluntatem pertinens, consistensque in decreto exequutiuo mouente omnipotentiam diuinam ad actionem externam iuxta dicta ibidem per se immediatè dumtaxat valet illam mouere; non item per sui præuisionem. Quia omnipotentia (vtpote quæ per se formaliter merè est potentia exequtiua operationum ad extra) nec est perceptiua, sicut est voluntas, obiecti per cognitionem propositi, vt possit ab illo, sicut potest voluntas, mediâ ipsa cognitione moueri ad operandum: nec est subdita intellectui, sicut est voluntati, vt possit per actum intellectus ad agendum immediatè moueri, sicut potest per actum voluntatis. Neque ad intellectum pertinet, sed ad solam voluntatem, applicatio immediata potentiarum exequentium (è quarum classe est omnipotentia) ad suas proprias actiones; vt cum S.Thom.1.2.quæst.17. tenet communior Theologorum sententia, teste Soar.lib.1. de Legib.cap.4. num.11. Quòd si per imperium in iudicio consistens omnipotentia ad suam actionem non potest immediatè moueri, multò minùs poterit per imperium consistens in alio actu intellectus à iudicio diuerso, reiectoque iam vt aliunde impossibili supra num.90. 94

Ex dictis colligitur, imperium monasticum propriè dictum esse. Primò iudicium de electione medij purè inrentiuâ mouens ad electionem eiusdem medij exequutiuam; quæ, quando ex purè intentiua nascitur, vsus actiuus venit dicenda iuxta phrasim Thomisticam. Secundò iudicium de imperio efficaci reflexo voluntatis mouens ad eumdem actum imperatum per illud. Tertiò, iudicium de electione medij mouens ad eius exequutionem per se immediatè omnipotentiam; si id esset possibile. Quia in his tribus casibus tali iudicio insinuatur potentiæ subditæ actus voluntatis vt superioris necessitas subditam ad eum actum, quem ille insinuatus pro obiecto habet. Omitto actum illum intellectus exoticum à iudicio diuersum, à nobisque explosum vt impossibilem num.90. Qui in tribus etiam dictis casibus imperium propriè dictum esset, si possibilis esset. Imperium verò monasticum, minùs propriè sic nuncupatum, est. Primò iudicium de intentione finis mouens ad electionem medij vtilis ad illum obtinendum. Secundò iudicium de electione medij propinquioris mouens pariter ad electionem medij remotioris. Tertiò iudicium practicum mouens simul cum intentione finis ad electionem exequutiuam medij iudicati per ipsum iudicium vtilis ad obtinendum talem finem. Quartò actus reflexus voluntatis ipsam mouens ad alium ipsius actum, quem illa habet pro obiecto. Quintò actus efficax, quo voluntas aliam potentiam sibi subditam ad aliquem actum eius mouet, atque determinat. Singuli enim horum quinque actuum, etsi in aliquibus desciscant ab imperio proprio monastico, in eo tamen assimilantur illi, quòd actus sunt, medijs quibus potentia superior potentiam sibi subditam mouet ad aliquem actum ipsius. Ob id- 95

que & illi bono iure imperia nuncupantur. Quòd si verò ad actum imperatum non tantùm moueant, sed etiam necesitent, vt in plerisque casibus fiet, potiori iure, & cum maiori proprietate imperia dicentur. Quibus omnibus suppositis, sit iam.

Propositio. 1.

96 **Imperium monasticum propriè dictum neque est necessarium ad prouidentiam Dei, vt medio illo diuina voluntas concipiat actum vsus exequutiuum medij electi: neque, vt potentia exequutiua prodeat in actum exteriorum.**

Prior pars propositionis probatur primò contra Gonzalez, Hemelm. & alios suæ factionis citatos num. 84. quia eiusmodi actus vsus ad Dei prouidentiam necessarius non est, vt vidimus supra quæs. 5. num. 72. Ergo neque imperium mouens ad ipsum est necessarium. Secundò; quia, licèt esset necessarius talis actus vsus consistens in electione exequutiua medij antea electi purè intentiuè; electio precedens purè intentiua per se immediatè posset mouere, atque necesitare ad ipsum actum vsus; quin opus esset, vt interueniret imperium intellectuale ad eumdem mouens, ac necesitans iuxta doctrinam staturam disp. 36. quæs. 6. num. 117. rursusque supra in hac quæstione num. 93. commemoratam. Igitur adhuc dato casu necesitatis talis vsus, tale imperium ad Dei prouidentiam necessarium non esset.

97 Posterior pars propositionis contra Granados, Ruiz, & alios eiusdem sententiæ probatur primò; quia, cùm in nobis potentia exequutiua immediatè moueatur per actum voluntatis; quin opus sit imperio intellectus talem actum insinuante, vt experientiâ ipsa noscimus, sine fundamento asseritur, in Deo omnipotentiam, quæ exequutrix potentia est, non posse moueri immediatè à decreto voluntatis exequutiuo sine interuentu vllius actus intellectus, qui imperium immediatum sit. Secundò; quia vniuersaliter est impossibile, vt aliqua potentia exequutiua etiam diuina subiecta voluntati moueatur immediatè per intellectuale imperium prout num. 94. relinquimus probatum. Ergo nequit esse id necessarium ad prouidentiam Dei.

98 Reijciunt autem argumenta facta necesitatem imperij monastici propriè dicti, atque adeò ad intellectum pertinens à prouidentia Dei: siue dicatur tale imperium in iudicio consistere, siue in actu imperatiuo alterius generis à iudicio diuerso. Huius tamen posterioris necesitas aliunde insuper per ipsius impossibilitatem num. 90. probatam manet excluſa.

Propositio 2.

99 **Imperium monasticum propriè dictum impossibile est in Deo (sicut & in nobis) respectu potentiæ exequutiuæ distinctæ à voluntate: ad nullamque proinde Dei prouidentiam potest conferre. Respectu verò voluntatis possibile est: atque adeò vtile ad aliquam Dei prouidentiam.**

Priorem partem propositionis probat argumentum vltimum præcedentis. Quia scilicet potentia exequutiua distincta à voluntate non est capax insinuationis per intellectum factę, in qua consistit tale imperium.

Posterior antem pars probatur. Quia possibile est Deo iudicium de electione purè intentiua medij mouens ad electionem exequutiuam eiusdem medij: tum iudicium de imperio efficaci reflexo voluntatis mouens ad actum imperatum per illud; vt constat ex doctrinâ data num. 93. Ergo poterit Deus talibus iudicijs ad aliquam prouidentiam vti. Talia autem iudicia imperia monastica sunt propriè dicta, prout in dictis num. 95. cernere est. 100

Propositio 3.

Imperium aliquod monasticum minùs proprium ex quinque num. 95. recensitis ad omnem Dei prouidentiam necessarium est. Cætera autem quatuor ad aliquam Dei prouidentiam sunt saltem vtilia. 101

Nam ad omnem Dei prouidentiam ordinatiuam mediorum in finem, de qua tractamus, necessarium est iudicium practicum de vtilitate medij mouens ad electionem exequutiuam eius, suppositâ intentione finis. Quod est imperium tertium ex numeratis loco citato. Cæteris autem quatuor posse Deum vti ad aliquam sui prouidentiam, ex dictis hactenus satis, superque notum est. Ad quam proinde saltem vtilia non possunt non esse. 101

Iam verò quæcunque contra doctrinam nostram ab Aduersarijs opponantur, per illam eamdem nullo negotio poterunt dilui. Quocirca in eis proponendis, & refellendis non est, cur immoremur. 101

QVAESTIO VII.

Vtùm scientia visionis merè liberæ possit esse causa sui obiecti proximè, vel remotè: sicque conferre ad aliquam prouidentiam Dei.

STatuimus supra quæst. 4. propos. 2. scientiam visionis de existentiâ vnius rei ad aliam rem causandam posse concurrere; sicque ad prouidentiam Dei pertinere. Nunc quærimus, an possit concurrere ad causandam eamdem rem, cuius existentiam habet pro obiecto. Duasque partes habet quæstio. Prima. An possit concurrere proximè. Secunda. An possit concurrere remotè. 103

Circa primam quæstionis partem multorum Thomistarum sententia absolutè pronunciat, scientiam visionis non solùm posse, sed etiam de facto esse causam earumdem rerum, quarum existentiam habet pro obiecto. Hanc tenent Aluarez de Auxil. disp. 16. Cabrera 3. par. quæst. 62. art. 5. concl. 6. Nauarrete controu. 56. Ledesma tract. 104

tract.de Auxil.disp.2. de Scient.diff.1.dub.4.Palacios in 1.dist. 38. quæst. 2. disp.2. Rippa 1.par. quæst.14.art.13.dub.4. Gonzal.disp.38. Carmel. discalceat.tract.3.disp.5. dub 2. Cornejo disput. 2. Ioan. à S. Tho.disput.18.art.3. & alij. Opositam tamen sententiam tenent Molin.1.par.quest. 14.art.13.disput.17. Valent.punct.5.& 8.Bellarm. lib.4. de Grat. & libero arb.cap.13. Less. de Auxil.cap.3.15.& 19. Soar.lib.1. de Concursu Dei cap.13. & lib.1. de absolutâ scientiâ contingent. cap.5. & lib. 3. de Attrib. cap. 4.& in Proleg.2. de grat.cap. 10.Vazq.1.par.disp.68.cap.6. Arrub. disput.32. cap.3. Herice disput.10. cap.1. Fasol. 1.p. quæst.14. art.8.dub.3. Ruiz tom. de Scient. disput.15.dub.10. Arriaga disput. 18. sect.1. Ribad.disput. 18.de Scientiâ cap.2. Smising. tract. 3.disput.2.quæst.4.num.115.Bricenn.controu.11. dist.2.art.3.a n. 23. Veken. de Deo disput. 20. cap.1. Martinon disput.12. sect.7. Carleton disp. 22.sect.14. & apud eos alij plures.

105 Pro cuius clariori intelligentiâ noto primò, bifariam excogitari posse, scientiam visionis causare proximè suum obiectum. Primò mouendo per se immediatè omnipotentiam ad eius exequutionem. Secundò mouendo per se immediatè voluntatem ad decretum exequutiuum eius.

106 Secundò noto, duplicem actum scientiæ visionis adsruí communiter in Deo vniuscuiusque obiecti prout existentis. Alter, quo illud videtur in se ipso, hoc est, ipsius existentiâ determinante diuinum intellectum ad sui visionem. Alter, quo illud videtur in decreto de se, hoc est, decreto Dei de illius existentiâ determinante diuinum intellectum ad visionem eius.

107 Tertiò noto, Ruiz de Prouid. disput.3. à sect.9.latè contendere, scientiam visionis, qua Deus videt suum decretum exequutiuum cuiusque rei, & in decreto rem ipsam prout existentem imperium esse immediatè mouens omnipotentiam ad ipsius rei exequutionem. Sicque proinde talem scientiam visionis immediatè esse causam rerum. Pro qua sententia citat ibi num. 26. Conradum, & Fonsecam, Soariumque dicentem, esse probabilem. Pro eâdemque tenentur stare, quotquot docent ex vnâ parte, imperium monasticum in Deo mouere immediatè omnipotentiam ad exequutionem rei decretæ, ex aliâ verò, tale imperium consistere in iudicio, quo Deus cognoscit decretum rei exequutiuum, & consequenter rei existentiam in ipso decreto. Vnde,non hæc scientia visionis in decreto, sed ea, qua res existens in se ipsâ videtur, est, quam, ipse Ruiz cum communi Nostrorum latè tuetur, non esse causam rerum, disput. illâ 15. de Scient. antea citatâ, prout ipsemet declarat in præsenti sect.10.num.2. Verùm sententia ista per dicta quæst.ptæced. manet satis reiecta: longiùsque adhuc reijcietur per dicenda in præsenti.

108 Quartò noto, Quiros tom. 1. de Deo in comm.S.Thom.quæst.15.art.8. à num. 59. asserere, scientiam visionis, qua res existens à Deo videtur in suo decreto, ipsius rei causam esse: secus autem scientiam visionis, qua res existens à Deo videtur inse ipsâ. Sed hoc profectò, desserere videtur esse sententiam secundam, & adhærere primæ. Nam Auctores sententiæ secundæ, vno, aut altero excepto, vniuersaliter haud dubiè censent, nullam Dei scientiam visionis esse causam rerum: siquidem id absolutè pronunciant, & argumentis suis intendunt probare, prout ex dicendis apparebit. Auctores autem sententiæ primæ de solâ scientiâ visionis Dei in decreto loquuntur: cùm dicunt, eam esse causam rerum: ponunt enim eam penitus indistinctam ab imperio intellectuali, quo Deus videns suum decretum, & in eo existentiam rei decretæ per illud, vel mouet voluntatem suam ad actum vsus actiui, qui decretum est ipsius rei exequutiuum, vt plerique opinantur, censentes decretum, in quo res videtur existens, esse merè intentiuum; vel mouet suam omnipotentiam immediatè ad exequutionem, vt cum Ruiz citato num. præced. putant nonnulli, censentes, decretum, in quo res videtur existens vltimum prorsus, adeòque exequutiuum esse. His propositis sit.

Propositio 1.

Nnlla omnino scientia visionis, qua Deus videt rem existentem, vllatenus 109
potest rei causa proxima esse: siue sit scientia visionis, qua res existens videtur à Deo in se ipsâ; siue, qua videtur à Deo in aliquo decreto ipsius: tum, siue talis scientia dicatur causa rei proxima; quia mouet diuinam voluntatem ad vltimum, exequutiuumque rei decretum; siue quia post omne decretum eius mouet diuinam omnipotentiam ad rei exequutionem.

Hæc propositio probatur primò ex Scripturâ loquente de scientia visionis, qua Deus videt res à se factas tanquam de aliquo posteriore ad earum effectionem, & ad decretum, quo fiunt. Genes.1.*Dixitque Deus. Fiat lux. Et facta est lux, Et vidit Deus lucem, quòd esset bona.* & infra. *Viditque Deus cuncta, quæ fierat; & erant valde bona.* Hæc enim posterioritas non est temporis; cùm scientia visionis, qua Deus videt res à se factas, per æternitatem præcedat effectionem earum. Ergo est posterioritas naturæ. Ergo scientia visionis, qua Deus videt res à se factas potiùs est aliquo modo effectus, quàm causa effectionis earum. Negari autem non posse ab Aduersarijs, eiusmodi posterioritatem sine manifestâ violentiâ verborum Scripturæ, ex ipsis verbis palam est.

Dicere autem fortasse poterunt aliqui eo- 110
rum, scientiam visionis, quam posteriorem effectione rerum ponunt verba Scripturæ, eam esse, qua res factæ, siue existentes in se ipsis à Deo videntur: hoc tamen non obstare, quominùs altera scientia visionis, qua in ipsius decreto videntur, earum causa sit; atque adeò anterior earum effectione. Hinc amouenda est extorta quædam apprehensio, qua nonnulli decipiuntur haud dubiè, imaginantes, per scientiam, qua res existens in Dei decreto videri dicitur, adeò eam contentam, & quasi obuolutam respici in ipso decreto, vt non tam res existens immediatè, siue per se à tali scientiâ, quàm decretum ipsum tangatur. Quod planè falsum est. Quia, rem existentem videri in decreto, aliud non est, quàm, decretum determinare intellectum Dei ad concipiendam visionem de re ipsâ existente; sicut, & rem existentem videri in se, aliud non est, quàm, ipsam rem existentem, vtpote obiectiuè veram in se, determinare intellectum Dei ad concipiendam visionem de se ipsâmet: cæroquin ambarum scientiarum idem penitus est obiectum.

tactum immediatè, siue per se, nimirum eadem omnino existentia actualis rei: idque solum inter illas datur discrimen, quòd scientia de re in decreto pro determinatiuo habet decretum, pro obiecto autem simul decretum, & existentiam rei; scientia verò de re in se ipsà tam pro determinatiuo, quàm pro obiecto habet vnicè existentiam rei. Adde, ambas scientias insuper habere pro determinatiuo existentiam conditionatam rei sub conditione ipsarum iuxta doctrinam vniuersalem traditam supra disput. 23. quæst. 9. fine. Vbi, & disput. 24. ac. 25. multa ad rem dicta poterunt recognosci.

111 Hinc sequitur primò, argumenta, quæ probant, scientiam visionis, qua res existens videtur à Deo, causam illius esse non posse, vniuersaliter id probare tam de scientiâ, qua res existens videtur in decreto, quàm de scientiâ, qua videtur in se, prout ex dicendis apparebit. Ex quo sequitur secundò, scientiam visionis rei in decreto, & scientiam visionis rei in se comitanter se habere, neutramque alterâ priorem, aut posteriorem naturâ esse. Vnde sequitur tertiò, verba Scripturæ commemorata, dum absolutè ponunt scientiam visionis rerum post earum effectionem, non de alterâ duarum prædictarum dumtaxat, sed de vtràque debere intelligi. Id quod aliunde venit probandum. Quia nimirum sermo in eis est de rebus per creationem factis ab omnipotentiâ diuinâ citra omne dubium. Vbi propterea nullum interfuit decretum intentiuum; sed per vnicum decretum exequutiuum sunt illæ decretæ simul, & exequutæ. Tum sic. Scientia visionis rerum in tali decreto non potuit mouere immediatè omnipotentiam ad earum exequutionem iuxta doctrinam stabilitam quæst. præced. Sed nec potuit mouere voluntatem ad concipiendum ipsum decretum, vtpote per ipsam scientiam iam existens præuisum, vt est manifestum. Ergo in eo casu nullam habuit Deus scientiam visionis de rebus à se factis, quæ earum effectione anterior esse potuerit, atque adeò non cadens sub verba Scripturæ, ponentia absolutè scientiam visionis ipsâ effectione posteriorem.

Secundò iam probatur eadem pars propo-
112 sitionis ex Patribus vnanimiter sentientibus, non ideo aliquid esse existens, quia à Deo præuidetur existens; sed potiùs è conuersò, ideo à Deo præuideri illud existens, quia reuerà est existens. Audiamus aliquot eorum verba. Origin. lib. 7. in epist. ad Rom. ad illud cap. 8. *Quos præsciuit*. ait. *Non propoerèd erit aliquid, quia id scit Deus futurum: sed quia futurum est, scitur à Deo, antequam fiat.* Iustin. lib. qq. ad Orthodox. respons. 58. *Non est prænotio causa eius, quod futurum erat; sed, quod futurum erat, causa est prænotionis. Non enim prænotionem sequitur res futura; sed rem futuram prænotio. Nec vllo modo, qui prænoscit, causa est rei futuræ.* Euseb. lib. 6. de Præparat. Euang. cap. 3. *Non est præcognitio Dei causa futurorum: neque enim ad peccandum quemquam Deus impellit, aut mouet: sed potiùs dicendum est, etsi alicui fortè videatur absurdum, id, quod futurum est, est causa, cur Deus præuideat. Non ergo ideo fit, quia præscitur, sed quia futurum erat, præscitur.* Hieron. in cap. 26. Ieremiæ. *Non ex eo, quòd Deus scit futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, Deus nouit.* Tantumdemque habet in cap. 16. Isaiæ, & in cap. 2. Ezech. & Dialogo 3. contra Pelagian. Chrysost. homil. 60. in Math. tractans illud *Væ Mundo à scandalis.* dicit. *Non quia futura prædixit, idcirco euenient: sed quia omnino euentura erant, idcirco prædixit.* Cyril. lib. 9. in Ioan. c. 10. *Quoniam ita nonnulli sponte facturi erant, idcirco præscius Spiritus sanctus futura prædixit.* Leo serm. 13. de Passione c. 3. *Non impias furentium manus immisit in se Dominus, sed admisit; non præsciendo, quod faciendum esset, coegit, vt fieret.* Beda lib. Variar. qq. q. 3. *Coegit nos Deus, vt mali sibi videremur ab æterno? Absit. Nam potiùs nos coegimus eum, vt nos malos videret.* Damasc. in in Dialogo aduersus Manichæos. *Vis Dei præsciens à nobis causam haud quaquam habet. At verò, vt ea, quæ facturi sumus, præsciat, à nobis proficiscitur. Nam si facturi non essemus, nec ipse quidem, quod futurum non esset prænosceret. Et quidem Dei præscientia vera, atque inuiolabilis est. Verùm ipsa haud quaquam causa est, cur omnino fiat id, quod futurum est. Quin potiùs, quia hoc vel illud facturi sumus, idcirco prænoscit.* Augustlib. 4. de Genesi ad litt. cap. 32. ait. *Neque enim cognitio fieri potest, nisi cognoscenda præcedant.* Ex quo generali principio cum creatâ libertate componit præscientiam Dei lib. 3. de liber. arbitr. c. 4. vbi habet. *Sicut enim tu memoriâ tuâ non cogis, facta esse, quæ præterierunt: sic Deus præscientia non cogit facienda quæ futura sunt. Et, sicut tu quædam, quæ fecisti meministi; nec tamen quæ meministi, omnia fecisti. Ita Deus omnia, quarum ipse auctor est, præscit: nec tamen omnium, quæ præscit, ipse auctor est.* Et lib. 5. de Ciuit. c. 9. & 10. post multa ad rem dicta ita concludit. *Neque enim ideo peccat homo, quia Deus, illum peccaturum, præsciuit: imo ideo non dubitatur, ipsum peccare, cùm peccat; quia ille, cuius præscientia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud, sed ipsum peccaturum esse præsciit; qui si nolit, vtique non peccat; sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præsciit.* Tenent eamdem doctrinam Boetius lib. 5. de consolat. prosa 4. & 6. & alij. Anselmusque totum suum librum de Concordiâ præscientiæ Dei cum libero arbitrio in hoc fundat principio. Quod Deus ideo præscit futura; quia futura sunt: non verò è contra ideò futura sunt; quia præscit. Pretereàque Patres commemorati, & alij præuisionem Dei de futuris comparant nostræ visioni oculari, quæ suum supponit obiectum; nullatenusque instat in illud.

Per quæ omnia satis clarè perspicitur, iux- 113
ta mentem, atque consensum communem Patrem nullam scientiam visionis Dei de existentiâ rerum ipsius existentiæ causam proximam esse posse: quandoquidem vniuersaliter pronunciant, non ideo res existere, quia Deus prænoscit, eas existere. Imo existentiam rerum aliquo modo causam esse omnis scientiæ visionis Dei de existentiâ ipsarum: siquidem aliqui eorum expresè id asserunt, & cæteri vniuersaliter etiam dicunt, idcirco Deum præuidere res existentes; quia ipsæ reuerà sunt existentes. Quo citra dubium idem ipsum significatnr tacitè.

Respondent aliqui ex Aduersarijs, cùm 114
dicunt Patres, non ideo res existere, quia præscit Deus, eas existere, tantùm intendere, præscientiam Dei non esse causam rerum ex conceptu scientiæ præcisè; nam alias omnis scientia Dei esset causa sui obiecti. Quod est absurdum. Sed hæc solutio communiter ab alijs deseritur. Faciléque reijcitur. Primò: quia de eâdem præscientiâ loquuntur Patres, cùm è conuersò dicunt, ideo

ideo res à Deo præsciri existentes ; quia reuerà existunt. Quod de scientiâ vt sic nequit intelligi: alioquin omnis scientia Dei penderet ab existentiâ rerum. Quod est plusquam absurdum. Secundò ; quia ab eâ Dei scientiâ intendunt remouere Patres causalitatem rerum, quam, putabant hæretici, nostram libertatem euertere, vt est certissimum. Ea autem non est scientia Dei in genere; sed præscientia de existentiâ nostrorum actuum, vt non minùs est certum. Tertiò; quia aliqui ex Patribus addunt pro suæ sententiæ confirmatione, ex defectu præscientiæ Dei, de qua loquuntur, non sequi per locum intrinsecum defectum rerum. Quod tamen de defectu scientiæ Dei vt sic nullatenus dici potest ; vt constat.

115 Propterea solutio communis Aduersariorum est, Patres propositione suâ dumtaxat velle, scientiam visionis non esse causam rerum per se solam, sed vt coniunctam cum decreto diuinæ voluntatis. Contra tamen est. Primò ; quia Patres suis loquutionibus planè significant, aut etiam exprimunt, vt in eorum testimonijs appareat, scientiam visionis nullo modo esse causam rerum. Quod planè esset falsum, si causa rerum esset illa coniuncta cum decreto. Secundò; quia Patres idcirco negant præscientiæ Dei influxum in actus nostros per eam præuisos, ne euertat eorum libertatem. Sed potiori iure eam euerteret,si simul cum decreto in illos influeret. Igitur Patres longè absunt à concedendo illi influxum prout coniunctæ decreto.

116 Iam ad alteram Patrum propositionem, qua asserunt, ideo præscire Deum, res esse existentes, quia sunt existentes. Respondent, nullam in illâ causalitatem importari, sed tantùm bonitatem illationis ab existentiâ rerum ad præscientiam Dei: quia benè infertur ex eo, quòd res existunt, Deum præscire, eas existere. Sed contra est. Quia sicut ab existentiâ rerum ad Dei præscientiam de illâ bona est illatio; ita à præscientiâ Dei de existentiâ rerum ad ipsam illarum existentiam bona etiam illatio est. Ergo titulo illationis præcisè æquè verum est, ideo res existere ; quia Deus præscit eas existere ; ac est verum, ideo Deum præscire, res existere ; quia ipsæ existunt. At Patres vnanimiter negant primum, & affirmant secundum. Ergo per eiusmodi propositiones non bonitatem illationis, sed causalitatem prætendunt. Quam certè particulæ *ideo*, & *quia* in eis inclusæ manifestè significant.

117 Dicet aliquis. Res existentes in tempore præscientiam æternam Dei causare non possunt. Ergo propositio illa Patrum ; ideo Deus præscit res existere, quia ipsæ existunt, non potest importare sensum causalem. Distinguo antecedens. Res existentes in tempore præscientiam æternam Dei causare non possunt causalitate physicâ; concedo. Causalitate intentionali; nego. Et nego consequentiam. Itaque ; cùm intellectus diuinus ab æterno sit suapte naturâ & cognoscitiuus omnium verè cognoscibilium ; quia nihil potest ignorare: & non cognoscitiuus omnium non verè cognoscibilium ; quia non potest falli : consequens est, vt per veritates obiectiuas rerum ab ipsarum *esse* seu quiditatiuo, seu existentiali indistinctas sit determinabilis ad concipiendos actus scientiæ de rebus ipsis ; talibusque subinde veritatibus egeat ad talem determinationem. Quo rursus fit, vt potentia proxima intellectus Dei ad aliquod obiectum sciendum per huius obiectiuam veritatem tanquam per quamdam extrinsecam, intentionalemque conditionem complenda veniat. Vnde tandem efficitur, vt vnaquæque veritas obiectiua, in quocunque ea statu, & tempore, & loco detur, siue ponatur, seu necessariò, seu contingenter, non possit non simul cum intellectu diuino ad actum scientiæ de se intentionaliter concurrere, dum ille ab æterno prodit in talem actum ; sicque cum intellectu ipso talem actum aliquâ ratione causare. Quod maximè locum habet, clariùsque cernitur in sententiâ expositâ, & comprobatâ supra disput. 23. quæst.2. proposit.3. & 4. iuxta quam intellectus Dei non potest non esse principium virtualiter productiuum omnium suorum actuum scientiæ : atque adeò nec possunt non simul cum illo ad talium actuum virtualem productionem concurrere, saltem vt conditiones causandi, omnia illa, quæ ad productionem ipsam sunt necessariò requisita, è quibus potissimùm sunt veritates obiectiuæ per ipsos actus cognoscendæ. De quo plura aliàs dicta videri possunt disput.23. quæst.7. & tota disput.27. & disput.28. quæst.7. præsertim à num.339.

Hinc obiter impugnandus venit Ribaden. 118
quatenus disput.16.de Prædestin.cap.3. & 4. contendit, scientiam visionis de existentiâ actus nostri liberi realiter existentia ipsâ non esse posteriorem vllo modo, sed tantùm per rationem nostram. Quia, inquit, non est posterior naturâ in serie connexionis, eo quòd, sicut talis scientia titulo suæ infallibilitatis cum suo obiecto connexa est ; ita tale obiectum titulo creaturæ cum Deo prout ipsum sciente est connexum ; nam est connexum cum Deo summè perfecto, atque adeò nihil ignorante : & inter extrema mutuò connexa prioritas, aut posterioritas ad seriem connexionis spectans non datur. Sed neque est posterior naturâ in serie causalitatis : eo quòd existentia temporalis nostri actus liberi neque causat, neque causare potest physicè æternam de se scientiam Dei. Quod tanquam certum supponit, & quasi ab hac parte securus pergit ad reliqua : quasi possibilis non esset alius causandi modus, præterquàm physicè : cùm tamen insuper modus causandi intentionaliter, & modus causandi moraliter in multis casibus necessariò debeant admitti.

Et quidem in præsenti nostro influxum 119
intentionalem obiectorum in scientiam Dei, quem adstruximus,admirti necessariò debere, probatur efficaciter. Primò ; quia per solius rationis nostræ prioritatem, aut causalitatem fictitiam testimonijs Patrum supra relatis nullutenus potest satisfieri ; vtpote quibus aliquam causalitatem veram, & non fictitiam tribuunt haud dubiè obiectis, de quibus agunt, comparatione scientiæ Dei : quandoquidem ad intentum eorum seruandi illæsam nostram libertatem re ipsâ, talium obiectorum prioritas, causalitasve, purè fictitia nihil conferre poterat, vt est manifestum.

Secundò; quia, quidquid ita existit, vt 120
potuerit non existere, non potest non habere aliquam causam suæ existentiæ, vt est manifestum : nam omne contingenter existens eo ipso non est ens à se, sed ab alio : cùm de ratione entis à se sit necessariò existere. Sed scientia Dei de obiecto contingente ita existit, vt potuerit non existere. Ergo scientia Dei de obiecto contin-

gente

gente non potest non habere aliquam causam suæ existentiæ. Quæ quidem causa alia ab intellectu diuino esse non potest, vt ex se patet. Ast intellectus diuinus non causat talem scientiam per se solum, nudèque sumptus: quia, cùm sit causa tum in essendo, tum in causando necessaria, si per se solum causaret illam, non contingenter causaret, sed necessariò: fieretque vt scientia diuina de obiecto contingente non contingens, sed necessaria esset in existendo, & consequenter fallibilis, quod est impossibile: siquidem ipsa necessariò existente, obiectum eius posset deficere. Causat igitur talem scientiam intellectus diuinus adiutus, determinatusque ad causandam illam per aliquid sibi accessorium, atque contingens: quod aliud non est à veritate contingente obiecti ipsius scientiæ. Talis ergo veritas obiectiua tanquam conditio quædam causandi simul cum intellectu diuino influit reuerà, concurritque ad causandum scientiam contingentem de se. Quod erat ostendendum.

121 Tertiò probatur idem ipsum; quia, quoties ex actu nostro libero aliquid necessariò sequitur non potest non illud esse nobis voluntarium, & liberum, & imputabile, saltem, quando præuidetur à nobis, id sequuturum, vt est certissimum. Sed ex actu nostro libero necessariò sequitur scientia visionis de ipso actu. Ergo existentia talis scientiæ, saltem, quando præuidetur à nobis ex actu nostro sequutura, (vt semper potest præuideri, cùm id sit euidens), non potest non esse nobis voluntaria, & libera, & imputabilis. At omne nobis voluntarium, & liberum, & imputabile nequit non esse à nobis causatum, vt ex se notum est, & apud omnes in confesso. Ergo scientia visionis de nostro actu libero nequit non esse à nobis causata medio ipso actu, saltem, cùm sequutura ex illo præuidetur à nobis. Et consequenter actus ipse nequit non esse influxiuus, de factoque influere in existentiam talis scientiæ. Quod erat probandum.

122 Quartò probatur: quia, quidquid cum actu nostro libero connexum est, vt eius libertatem non tollat, necessariò debet in suâ existentiâ dependere ab ipsâ eius libertate, vt constat ex doctrinâ statutâ supra dispot. 30. quæst. 5. propos. 12. Sed scientia visionis de actu nostro libero cum ipso est connexa, & eius libertatem non tollit, vt est certissimum. Igitur in existentiâ suâ ab eius libertate dependet. At hæc dependentia non potest non esse causalitatis. Igitur scientia visionis de nostro actu libero dependentiâ causalitatis dependet in suâ existentiâ à libertate eius, ipseque proinde in talem existentiam aliquem influxum causatiuum confert. Quod erat probandum. Cætera constant præter subsumptam. Ea autem ostenditur. Nam, cùm omnis dependentia vnius ab alio quoad existentiam ad dependentiam causalitatis, vel connexionis reducatur; nec aliâ sit excogitabilis, vt est manifestum; conficitur, omne dependens ab alio quoad existentiam, non posse non dependere ab illo dependentia causalitatis. Quoniam ab illo prout absolutè existente vel dependet dependentiâ causalitatis, & habetur intentum; vel dependet dependentiâ connexionis; & sic ab eodem prout conditionatè existente nequit non dependere dependentiâ causalitatis: quo rursus habetur intentum; atque adeò simpliciter. Nam, vt dicta quæst. 5. disput. 30. propos. 9. monstratum est, potentia proxima causatiua entis connexi cum alio intrinsecè constituitur per veritatem conditionatam de existentiâ termini connexionis sub conditione existentiæ ipsius entis connexi. Quo fit, vt, dum ens connexum causatur, licèt terminus connexionis eius prout absolutè existens in illum influere non debeat, vt ex dictis ibidem propos. 6. constat, at prout existens conditionatè non possit non influere in illum. Manet igitur demonstratum, suppositis principijs citatis, hoc ipso, quòd scientia visionis de nostro actu libero cum ipso est connexa, & eius non tollit libertatem, non posse non illam ab hoc dependere dependentiâ causalitatis. Vt hinc appareat, quanto iure Patres ad ostendendum contra infideles, scientiam visionis Dei de existentiâ nostrorum actuum eorum libertatem non tollere; non solùm assumebant vt principium, talem scientiam non causare ipsos actus, sed etiam, tales actus è contra causare scientiam ipsam. His obiter stabilitis contra Auctorem præcitatum, & alios.

123 Pergo iam, & probo tertiò propositionem ex S. Tho. 1. par. quæst. 14. artic. 8. vbi ex professò tractat de scientiâ Dei, quæ est causa rerum; planèque sentire videtur, eam non scientiam visionis, sed scientiam simplicis intelligentiæ esse. Primò; quia dicit, scientiam Dei se habere ad omnes res creatas, sicut scientia artificis se habet ad artificiata. Scientia autem artificis, quæ ad artificiata se habet vt causa, non est ea, qua cognoscit illa iam facta, sed alia anterior respiciens illa vt factibilia, vti ipse S. Doctor clarè significat in solutione ad 3. Igitur censet, scientiam Dei de rebus, non vt iam factis, quæ est visionis, sed vt factibilibus, quæ est simplicis intelligentiæ, causam earum esse. Secundò; quia de scientiâ, quæ est causa rerum, dicit, se habere ad oppositа; & ideo non posse causare, nisi determinetur ad vnum per voluntatem. Scientia autem visionis non est indifferens ad oppositа, sicut est scientia simplicis intelligentiæ, sed ad id, quod iam factum respicit, determinata; idque non per voluntatem, sed per se ipsam. Quod amplius declarat artic. 16. ad 1. dicens, scientiam causatiuam rerum, quarumdam esse causam in actu, nempe actualiter existentium, quarumdem tantùm in potentiâ, earum scilicet, quæ remanent purè possibiles. Id quod de solâ scientiâ simplicis intelligentiæ, non item de scientiâ visionis verificari potest; vt constat.

124 Quintò probatur propositio ratione à priori. Quia in Deo scientia visionis, de qua agimus, ad res causandas prorsus inepta est; solumque est ad id muneris apta scientia simplicis intelligentiæ. Ergo non prima, sed tantùm secunda dicenda est causa rerum esse. Consequentia est bona. Et antecedens probatur. Quia scientia agentis intellectualis non aliter res causare valet, quàm ipsi proponendo res ipsas, inaque propositione dirigendo, suadendo, mouendoque, vt illas efficiat. Ad hoc autem inepta est prorsus scientia proponens res vt iam factas, qualis est scientia visionis; aptaque solum proponens illas vt factibiles, qualis est scientia simplicis intelligentiæ: vt est notissimum. Frustra enim, & ineptè suadebis Sculptori, vt faciat statuam, quam illi iam factam ostendis. Frustra, & ineptè petes ab amico, vt tibi det domum, quod iam ab ipso acceptum apud te cernis. Frustra,

stra, & ineptè iubebis famulo, vt equum ascendat, quem iam supra equum sedentem vides, &c. Cuius ratio conspicua est. Quia agens intellectuale potissimùm agit per voluntatem, præeunte intellectu: actus autem voluntatis ad agendum idoneus dumtaxat est decretum efficax tendens per modum desiderij in rem efficiendam, quo vult voluntas, vt illa fiat: ad quod decretum concipiendum inepta prorsus est propositio rei vt iam factæ, aptaque solùm propositio rei vt factibilis: siquidem propositio rei vt iam factæ, non ad desiderium, sed ad gaudium de effectione eius inclinat. Adde, ex terminis apparere impossibile, vt denuò fiat id, quod supponitur iam factum. Voluntas autem in id, quod impossibile apparet, ferri efficaciter non potest, vt sæpe alias dictum est. Concluditur ergo, non scientiam visionis, quæ rem vt iam factam voluntati proponit; sed scientiam simplicis intelligentiæ, quæ rem proponit vt factibilem, aptam, & idoneam propositionem ad illam efficiendam, atque adeò causandam esse.

125 Quòd si scientia visionis de quauis re ad mouendam voluntatem diuinam, vt concipiat decretum efficax de ipsâ exequendâ, inepta propositio est: multo magis erit inepta ad mouendam, determinandamque per se immediatè omnipotentiam, vt illam efficiat. Tum quia omnipotentia per nullam scientiam, sed tantùm per aliquam volitionem est immediatè determinabilis ad operandum, vt quæst.6.propos.1.statuimus. Tum quia, estò esset, per scientiam tantùm de re vt factibili, secus per scientiam de re vt iam facta determinabilis esset. Nam facere denuò, quod supponitur iam factum, impossibile est, vt diximus.

126 Quintò denique probatur propositio ab absurdo. Sequitur enim ex aduersâ sententiâ, scientiam visionis de nostris actibus eorum libertatem penitus tollere. Nam iuxta illam scientia visionis de quouis actu nostro vel determinat voluntatem diuinam ad decretum immediatè exequutiuum talis actus, illudque æquè connexum cum existentiâ eius determinatè, ac est connexa scientia ipsa: vel determinat immediatè omnipotentiam diuinam ad ipsius actus exequutionem. Si dicatur primum. Tale decretum non potest non intrinsecè includi in potentiâ proximâ ad talem actum, vt constat ex generali doctrina statuta supra disput.30.quæst.5.propos.4. Si autem dicatur secundum. Ipsa scientia visionis erit in tali potentiâ proximâ inclusa iuxta eamdem doctrinam. Sicque in vtroque casu aliquid connexum cum actu erit inclusum in potentiâ proximâ ad actum. Aft omne inclusum in potentiâ proximâ ad actum, & connexum cum actu omnino tollit libertatem ad ipsum actum, vt in eâdem quæst.5.propos.11. latè monstratum est. Igitur iuxta aduersam sententiam scientia visionis de nostris actibus non potest non eorum libertatem penitus tollere. Quod erat probandum.

127 Superest, vt argumenta diluamus quibus contra propositionem nostram militant Aduersarij. Opponunt enim nobis primò August. lib.15.de Trinit.cap.13.dicentem. *Vniuersas autem creaturas suas & spirituales, & corporales, non quia sunt, ideo nouit: sed ideo sunt, quia nouit. Non enim nesciuit, quæ fuerat creaturus. Quia ergo sciuit creauit; non, quia creauit, sciuit.* Similiaque habent tum ipse August. lib.6. de Trinit. cap.10.& lib.15.de Ciuit.cap.9. Tum Gregor.Mag. lib.20.Moral.cap.23.alias 24.& lib.32.cap.6. Respondeo, hos Patres ijs in locis non de scientiâ visionis, de qua tractamus, sed de scientiâ simplicis intelligentiæ loqui; vt ex eorum contextibus colligi potest. August.autem cum alijs Patribus alijs in locis clarè pro nobis stare, ex dictis num. 112.constat.

Secundò obijciunt. Modus perfectior causandi tribuendus est Deo, si sit illi possibilis. Sed perfectior causandi modus est per scientiam visionis, vtpote clariorem, quàm per scientiam simplicis intelligentiæ, vtpote minùs claram. Et talis modus causandi est possibilis. Ergo. Etenim solùm posset eius possibilitati obstare vel, quòd scientia visionis habeat suum effectum pro obiecto; vel, quòd supponat decretum de effectu causando. Primum autem non obstat; quia etiam decretum exequutiuum, quod apud nos est causa rei, habet suum effectum pro obiecto: & scientia visionis æterni Patris iuxta sententiam Theologorum communem habet pro obiecto Verbum æternum ab illâ procedens. Sed neque obstat secundum: quia decretum præcedens scientiam visionis potest ad rem causandam non esse sufficiens absque intellectuali imperio in ipsâ scientiâ consistente. Respondeo, modum causandi per scientiam visionis neque esse de suo perfectiorem; quia scientia simplicis intelligentiæ non est minùs clara, aut minùs perfecta intra suum genus, quàm scientia visionis intra suum. Neque esse possibilem, vt satis superque constat ex ijs, quæ attulimus pro impugnatione eius. Exempla autem, quæ opponuntur, non sunt ad rem. Nam decretum exequutiuum rei apud nos non supponit rei existentiam, ad quam terminatur, sed eam facit: quia scientia, qua voluntas dirigitur ad tale decretum concipiendum, non proponit illi rem ipsam vt iam factam, sed vt factibilem. Similiter scientia visionis, à qua Verbum procedit, non supponit ipsum vt iam productum, sed producit: quia Verbum vt productum non proponitur tali scientiæ per aliam scientiam, nec proponitur per ipsam alicui potentiæ, vt moueatur ad productionem eius, sed nascitur immediatè ab ipsâ scientiâ, qua videtur, vt terminus eius. De hoc tamen plura dicuntur in Tract. de Trinitate. 128

Tertiò obijciunt. Res creatæ liberè causantur à Deo. Ergo per scientiam liberam, seu contingentem. Sed sola scientia visionis, non item scientia simplicis intelligentiæ, libera, seu contingens est, vt est notum. Ergo per illam, non per hanc, causantur à Deo res creatæ. Hoc argumentum contra Aduersarios ipsos est: qui non negant, neque negare possunt, scientiam simplicis intelligentiæ esse etiam causam rerum, tametsi remotiorem. Respondeo ergo pro omnibus facillimè, res creatas causari à Deo liberè; quia causantur per scientiam, quæ in causando illas libera est, quatenus ita causat, vt possit non causare: cùm causet dumtaxat medio decreto libero, ad quod inclinat, & quod liberè potest à voluntate omitti, ipsa scientiâ supposità: non verò; quia causantur per scientiam, quæ in existendo libera, seu contingens est, id est ita existens, vt possit non existere. Hoc enim ad liberam causationem eius necessarium non est; vt patet in omnipotentiâ, quæ, cùm in existendo sit necessaria, liberè causat: quia per decre- 129

tum

tum liberum voluntatis determinatur ad causandum.

130 Quartò obijciunt. Scientia dirigens voluntatem diuinam ad decernendum rem causandam debet ei proponere idem ipsum, quod ab illa decernitur: quia nihil volitum, quin præcognitum. Sed quod decernitur ab illa non est possibilitas rei, sed existentia eius. Ergo non scientia de possibilitate rei, quæ est simplicis intelligentiæ, sed scientia de rei existentiâ, quæ est visionis, dirigit voluntatem diuinam ad decernendum, adeòque ad causandum rem ipsam. Hoc etiam argumentum contra Aduersarios ipsos est. Nam apud eos scientia, qua dirigitur voluntas Dei ad primum decretum rei intentiuum ante omnem scientiam visionis, eius scientia simplicis intelligentiæ est, neque visionis esse potest, vt constat: & tamen per tale decretum non rei possibilitas, sed rei existentia decernitur; vt est certissimum: quia nunquam vult Deus efficaciter, vt res sit possibilis; (imo nec potest iuxta dicta disput. 34. quæst. 5. propositione 5. quia id est necessarium); sed tantùm, vt existat. Respondeo ergo, per scientiam simplicis intelligentiæ non solùm possibilitatem rei, sed etiam existentiam, & cætera omnia prædicata eius, quæ reuerâ sunt vnum, & idem diuinæ voluntati proponi, non tamen prout in statu existentiali, sed prout in quiditatiuo præcisè: quod satis est, vt Deus efficaciter velit, quòd talis res cum omnibus à se indistinctis ponatur in statu existentiali: quod ipsum est, loquendo absolutè, velle efficaciter, vt existat.

131 Quintò obijciunt. Scientia causatiua rerum, eorum tantùm, quæ causantur, est scientia. Sed talis est scientia visionis; quia scientia simplicis intellligentiæ multorum etiam, quæ non causantur scientia est. Ergo scientia causatiua rerum non scientia simplicis intelligentiæ est, sed scientia visionis. Hoc item argumentum militat contra Aduersarios, vt constat ex dictis. Respondeo ad illud cum S. Thom. 1. par. quæst. 14. artic. 16. ad 1. Quòd scientia Dei causatiua rerum, causa est. *Quorundam quidem actu, scilicet eorum, quæ secundùm aliquod tempus fiunt. Quorumdam verò virtute, scilicet eorum, quæ potest facere, & tamen nunquam fiunt.* Constat autem, hanc esse scientiam simplicis intelligentiæ. Quæ, licèt, quantùm est ex se, omnium possibilium sit causatiua, ea tamen solà causat de facto, ad quæ causanda determinatur per voluntatem.

132 Sextò denique obijcitur. Scientia, quæ causa est rerum, practica est. Sed scientia simplicis intelligentiæ merè est speculatiua: quandoquidem pleraque eius obiecta non perueniunt ad praxim. Ergo non illa, sed scientia visionis, cuius obiecta omnia ad praxim perueniunt, est causa rerum. Respondeo, duplici titulo posse, & solere scientiam aliquam dici practicam. Primò; quia potest causare suum obiectum. Secundò; quia illud causat de facto. Ex quibus duobus titulis propter primum scientia simplicis intelligentiæ potest dici practica respectu omnium suorum obiectorum, quæ causare potest: propter secundum autem respectu eorum, quæ de facto causat. At scientia visionis propter neutrum potest practica dici: quia neque causat suum obiectum; neque causare potest; prout constat ex dictis.

Ex quibus facillimè quisque diluere poterit cætera, quæ opponi possunt, aut etiam solent, argumenta contra nostram propositionem. Circa quam quoties in præcedentibus dixi, solam scientiam simplicis intelligentiæ esse causam rerum, aduerto, me tantùm voluisse excludere scientiam visionis, de qua in illa est sermo: non verò item alias Dei scientias, de quibus statutum est quæst. 5. necessarias esse, vel vtiles ad prouidentiam eius. Et hæc de priore parte præsentis quæstionis. Pergo iam ad posterioris resolutionem.

Propositio 2.

Deus ex præuisione absolutà existentiæ effectus moueri potest ad decernendum quoduis principium, aut etiam quamuis causalitatem talis effectus; dummodò hæc in ipso effectu inclusa non sint. Atque ita scientia visionis benè potest obiecti sui esse causa remota. 133

Doctrina huius propositionis non parum est vtilis ad varias difficultates Theologicas enodandas. Quam vt distinctiùs explicem; suppono primò, duplicem excogitari posse motionem in effectu absolutè præuiso respectu suorum principiorum. Alteram propriam causæ finalis. Alteram alterius generis, Mouebit vt causa finalis, si moueat ad amandum talia principia præcisè, vt sunt vtilia ad ipsum effectum. Aliter autem, quàm vt finis, mouebit, si moueat ad amandum illa, prout habent bonitatem alterius rationis pendentem in suâ amabilitate ab existentia præuisa ipsius effectus vel tanquam à circunstantiâ quadam, vel tanquam à conditione, vel alio modo. Propositio igitur data de hoc posteriori motionis genere intelligenda imprimis est. Vtrùm autem de priori etiam possit intelligi, inferiùs definiam.

Suppono secundò, ex præuisione conditionatâ effectus citra omne dubium posse, imo de facto moueri Deum ad amanda, & producenda principia eius, etiam qua vtilia sunt ad ipsum effectum. Ita enim mouetur ad danda auxilia efficacia Prædestinatis; eo quòd præuideat, eos cum talibus auxilijs operaturos, casu, quòd dentur. De præuisione ergo absolutà est dumtaxat sermo in præsenti. 134

Suppono tertiò iuxta doctrinam propositi. 1. statutam, ex præuisione absolutà effectus nullatenus posse Deum moueri ad decernendum efficaciter, vt existat effectus ipse. Quia frustra intenderet, vt existat, quod iam videt existere. Tum quia diuina voluntas nequit ferri per modum desiderij in id, quod præuidet existere: cùm desiderium eorum dumtaxat esse possit, quæ nondum existere cognoscuntur. Decretum autem efficax effectus, imo & intentio simplex desiderium quoddam est eius. Adde, voluntatem diuinam in obiectum necessarium seu per se, seu per accidens per desiderium ferri non posse, vt supra disp. 34. quæst. 5. propos. 5. statutum est. Obiectum autem præuisum iam existens prout tale per accidens, sine ex suppositione est necessarium iuxta dicta ibi. 135

Suppono quartò, principium effectus (idem intelligo semper de causalitate) aut posse esse 136

esse essentiale respectu ipsius effectus, ita, vt hic nullatenus nisi à tali principio possit existere. Aut posse esse accidentale, ita, vt, licèt ab eo de facto accipiat existentiam effectus, potuisset tamen fieri, vt non ab illo, sed ab alio eamdem existentiam acciperet. Propositio ergo data de vtroque genere principiorum potest intelligi: tametsi de principijs accidentalibus sit longè verior, seu probabilior. De quibus subinde imprimis probanda est.

137 Probatur autem primò à simili; quia, si Deus mihi reuelaret aliquem effectum futurum, non reuelatâ causâ eius, possem haud dubie per eam reuelationem moueri ad causam ipsius effectus ponendam, vt per me fieret, quod absolutè faciendum erat. Ergo & Deus per cognitionem intuitiuam effectus absolutè extituri ad decernendum eius causas moueri poterit. Secundò; quia Deus ex præuisione enticatis posterioris secundùm tempus potest decernere priorem, vt est certissimum. Ergo etiam ex præuisione entitatis posterioris secundùm naturam, qualis est effectus, poterit decernere priorem, qualis est causa. In hoc enim nulla maior, quoad rem attinet, cernitur repugnantia.

138 Tertiò probatur; quia Deus ex intentione efficaci, & absolutâ effectus mouetur secundùm omnes ad decernendam eius causam. Ergo ex præuisione absolutâ effectus poterit ad id ipsum moueri. Quoniam intentio efficax, & absoluta effectus ex vnâ parte non minùs connectitur naturâ suâ cum existentiâ ipsius effectus, quàm eius absolutâ præuisio: ex aliâ verò parte talis intentio non dat per se immediatè effectui ipsam existentiam, quam respicit, sed per media ad quæ mouet. Ergo non est, vnde repugnet, idem præstari à præuisione. Imo P.Soar lib.1.de Prædestin. cap.6. num. 14. & alij citati à nobis supra disput. 36. quæst. 6. existimat, intentionem efficacem finis non posse mouere Deum ad eligenda media, nisi vt præuisam simul cum ipso fine. Itaque asserunt, positâ intentione efficaci finis, statim sequi scientiam, qua Deus videt talem intentionem, & in ipsâ finem intentum futurum absolutè: ex istâque scientiâ, & intentione moueri Deum ad electionem mediorum. Quod est, moueri ad ponendam causam ex scientiâ, qua effectus ex vi decreti intentiui eius videtur absolutè extiturus in suo signo posteriori. Quod ego vniuersè contendo. Tametsi sentiam contra Soar. & suos primò, vt intentio finis moueat ad electionem mediorum, non esse necessarium, quòd illa præuideatur ab intendente, prout loco citato probaui. Secundò, licèt possibile sit, vt intentio finis, non solùm per se immediatè, sed etiam mediâ sui cognitione moueat ad electionem mediorum, prout supra quæst.6. num.93. explicatum est; præuisionem tamen finis prout existentis ad electionem mediorum præcisè prout vtilium ad ipsum mouere non posse, vt infra probabo.

139 Ex his apparet, scientiam visionis Dei de obiecto creato causam remotam posse esse sui obiecti; atque adeò priorem illo naturâ suâ. Nam, sicut, quod est causa causæ, est causa causati; ita, quod est prius causâ naturâ suâ, nequit non esse prius effectu naturâ posteriore ipsâ causâ. Cùm certum sit non posse non, quod est prius priore, & posteriore prius esse prioritate mediatâ in eodem ordine naturæ, vt monstratum à nobis est in Pharo Scient.disput.15.quæst.7.propos.1.Vnde perperam nonnulli Recentiores contra communem existimationem absolutè dixerunt, causam remotam non esse priorem naturâ respectu effectus remoti. De quo plura dicta ibi videri possunt.

Sed dicet aliquis. Scientia visionis sup- 140
ponit suum obiectum existens, & prius se aliquâ prioritate reali, prout num.119.& sequentibus nuper à nobis statutum est. Ergo nequit esse prior illo prioritate naturæ, adhuc mediatâ. Nego consequentiam. Nam, vt quæst.illa 7. Phari propos.7. & 8. monstratum est, quod prius naturâ altero est, eodem posterius ex accidente benè esse potest. Vnde scientia visionis, de qua tractamus, benè potest esse prior remotè obiecto suo prioritate physicâ, quæ prioritas naturæ est: tametsi sit posterior eodem posterioritate intentionali, quæ est posterioritas ex accidente.

Vbi obiter nota, dupliciter obiectum pos- 141
se intentionaliter influere in scientiam diuinam, de se, vel in aliud quidpiam. Primò per se immediatè, quatenus illud ipsum *esse*, quod reuerà habet in suo statu, in suâque temporis mensurâ, morali quodam modo adest intellectui diuino ab æterno adiuuans, determinansve vim eius intellectiuam ad concipiendam scientiam de obiecto ipso. Quo pacto res existens prout existens intentionaliter influit in quamlibet scientiam visionis de se, prout supra à num.119.probatum, atque explicatum est: ipsâque scientiâ consequenter prior est prioritate intentionali. Secundò potest obiectum intentionaliter influere in aliquid aliud, illoque subinde esse prius prioritate intentionali mediâ aliquâ cognitione, vel volitione sui. Quo pacto finis mediâ sui cognitione intentionaliter influit in intentionem sui, & mediâ intentione in electionem medij, & mediâ electione in ipsum medium. Et hac ratione res existens prout existens mediâ visione sui, de qua agimus, intentionaliter potest influere in decreta Dei de suis causis, & medijs decretis in causas ipsas, atque adeò illis prior esse prioritate intentionali.

Ex dictis infertur, duplicem esse posse 142
in Deo scientiam visionis. Alteram influentem remotè in obiectum suum, vtpote mouentem Deum ad ponendum causam eius: quæ subinde prior natura erit suo obiecto physicâ, mediatâque prioritate; tametsi posterioritate intentionali sit illo posterior ex accidente. Alteram nullo modo influentem in obiectum suum; nulloque modo proinde priorem illo; sed posteriorem illo simpliciter dictâ posterioritate intentionali. Inter quas duas scientias id datur discrimen. Quòd secunda omni decreto, seu intentiuo, seu exequtiuo de obiecto suo simpliciter posterior est: quia posterior est obiecto suo, & consequenter omni, quod illud antecedit, quale est quoduis decretum eius: aliundeque nullam talis obiecti causam, nullumque decretum præcedit. Prima autem aliquod saltem decretum exequtiuum de causâ sui obiecti debet præcedere; cum supponatur in illam influere; nec possit aliter, quàm medio aliquo decreto eius. Debet tamen necessariò supponere aliquod decretum intentiuum de obiecto suo, illoque esse posterior. Tum, vt vi talis decreti ipsum obiectum euadat existens, idoneumque ad determinandam vt sic scientiam ipsam. Tum, vt Deus liberè causet tale obiectum. Alioquin si scientia visionis eius omne decretum Dei anteuerteret, non liberè illud, sed necessariò causaretur à Deo. Quod prorsus repugnat.

143 Inferet tamen hinc fortasse non nemo, doctrinam hanc non benè cum doctrina Patrum cohærere, vniuersaliter asserentium, non ideo rem existere; quia prævidetur à Deo; sed ideo prævideri; quia existit. Hoc namque non videtur verificari posse de præsisione, quam ponimus causam remotam rei existentis. Sed neganda est illatio. Quia talis præsisio, licèt remotè influat in rem existentem, quatenus proximè influit in causam eius; non tamen est, propriè loquendo, causa, vt existat res, sed tantùm vt res, aliàs extitura, existat per hoc medium. Quocirca, etiam loquendo de illâ, verificatur propriissimè, non ideo rem existere; quia prævidetur à Deo; sed ideo prævideri; quia existit.

Ex dictis præterea est inferendum id, quod à nobis est demonstratum loco citato Phari, possibilem esse mutuam causalitatem, quarum altera physica, & altera intentionalis sit. Siquidem effectus vt præsisus concurrere intentionaliter potest media scientiâ sui ad ponendam causam, à qua ipse causatur physicè. Quod quidem genus mutuæ causalitatis omnes confitentur inter finem, & media. Finis namque vt cognitus, & amatus concurrit ad media intentionaliter, à quibus ipse causatur physicè. Neque est, cur id negetur in nostro casu, Imo in vtroque idem secundùm *esse* obiectuum causat se ipsum remotè quoad *esse* physicum. Hinc tamen non licèt inferre, possibilem esse mutuam causalitatem physicam. Nam hæc planè repugnat, vt ex communi ostendimus in eâdem Pharo Scient. disput. 9. quæst. 5. proposit. 29.

144 Mutua verò causalitas intentionalis possibilis haud dubie est; sicut & mutua prioritas ex accidente, prout ex doctrinâ etiam statutâ disput. illa 15. Phari quæst. 7. proposit. 9. constat. Ponamus enim e. g. me habere reuelationem de existentiâ entitatis A; mouerique ex illâ, vt est possibile, ad causandam physicè entitatem B: ponamus, simul factam esse réuelationem Petro de existentiâ ipsius B; eumque per talem reuelationem moueri, vt etiam possibile est, ad causandam physicè entitatem A. Ecce in hoc casu A, & B mutuò se se causabunt intentionaliter. Talem autem casum esse possibilem, satis superque ex se manifestum est.

145 Quòd si in agentibus duobus intellectualibus hæc mutua intentionalis causalitas possibilis est; etiam erit possibilis in eodem, saltem increato, per distinctas cognitiones perinde ipsum mouentes, ac si mouerent agentia distincta. Atque ita Deus poterit ex præsisione existentiæ A moueri ad causandum physicè B, & simul ex præsisione existentiæ B moueri ad causandum physicè A. In hoc enim nulla cernitur repugnantia. Dices. Si Deus, dum decernit B prævidet existens A, non poterit rursus moueri ad decernendum A ex præsisione existentiæ B: quia repugnat, Deum velle, vt existat id, quod iam videt existere, vt supra dictum est. Respondeo, repugnare quidem, quòd Deus velit, vt existat id, quod iam videt existere, motus ad id volendum eâdem scientiâ, qua videt, illud existere; & hoc est, quod supra statuimus. Ast non repugnare, quòd Deus ex vi scientiæ, qua non videt, obiectum existere, moueatur ad volendum existentiam eius, vti accidit in casu proposito. Dices rursus. Hoc ipso, quòd simul est in Deo cum quauis aliâ scientiâ scientia de existentiâ obiecti, nequit moueri ad volendum, vt illud existat: quia iam vellet, vt existat, quod videt existere. Respondeo, assumptum huius obiectionis plùs quàm falsum esse in sententia omnium. Quia certum est, in eâdem durationè, qua Deus decernit creaturam, habere scientiam visionis de existentiâ creaturæ, qua tamen, sicut non mouetur ad tale decretum, sed scientiâ aliâ de creaturæ possibilitate; ita neque ab illo retrahi potest, aut impediri. Itaque, cùm Deus cognoscit existens A, simul cognoscit B possibile: hisque duabus scientijs mouetur ad B decernendum, & cum cognoscit existens B, simul cognoscit A possibile, hisque pariter mouetur ad decernendum A.

Obijci tamen potest contra doctrinam 146
propositionis. Effectus, quem Deus videt existentem est ens ab alio. Ergo non potest illum videre, nisi dependentem ab alio. Ergo non potest illum videre, non visâ actione, atque adeò etiam principio proximo, à quo dependet. Sed principium proximum nequit ob eadem rationem videri, non viso suo principio. Ergo de primo ad vltimum repugnat, Deum præuidere effectum existentem, quin præuideat omnia principia, à quibus dependet. Ergo impossibile est, vt ex præsisione effectus ad ea decernenda moueatur: cùm sit impossibile, vt Deus decernat id, quod iam præuidet existere, iuxta doctrinam proposit. 1.

Hoc argumentum vt summùm probat, 147
Deum ex præsisione effectus non posse moueri ad decernenda principia essentialia, actionesque, cum quibus effectus vel titulo entis ab alio, vel alio titulo essentialiter connexus est: nam sine his vt summùm, sicut non potest effectus existere, ita neque videtur posse existens prævideri. De principijs autem, & actionibus accidentalibus nihil probat: nam, licèt ab his de facto accipiat existentiam effectus, nullum tamen intrinsecum respectum habet ad illa in ipsâ existentiâ; cùm possit ab alijs existere; atque adeò sine illis potest existens prævideri. Vnde ex præsisione effectus moueri Deus poterit ad decernendam hanc numero actionem, per quam fit: quia effectus non postulat essentialiter fieri per hanc determinatè; sed per hanc, vel per illam subdisiunctionè: atque adeò Deus, præsisâ existentiâ effectus, non tenetur simul futuram prævidere hanc determinatam actionem; sed summùm futuram hanc, vel aliam sub disiunctione: quod est, videre singulas futuras sub conditione negationis aliarum iuxta dicta de veritatibus disiunctiuis à Deo scibilibus in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 2. Quæ conditionata præsisio locum relinquit, vt Deus absolutè eligat, atque decernat ex dictis actionibus, quam maluerit. Tantumdemque censendum de principijs, quorum aliquod vagè sumptum postulat essencialiter effectus, non verò hoc, aut illud determinatè.

Dixi, argumentum factum vt summùm 147
probare, quod intendit, de principijs, & actionibus essentialibus, secus de accidentalibus: quia existimo nec de essentialibus probare. Nam, cùm in meâ sententiâ relatio possit cognosci, quin per eamdem cognitionem tangatur terminus; dummodo tangatur per aliam, cumqua prior connexa sit, vt supra disput. 23. quæst. 6. latè probaui; efficitur, vt Deus per eumdem actum quo videt effectum existentem, non debeat videre existens principium essentiale, quod effectus ipse respicit respectu connexionis. Quo rursus sit, vt

præue-

præuisio effectus mouere possit Deum ad decernendum tale principium, & consequenter ad cognoscendum illud existens. Adde, etsi præuisio effectus necessariò tangere debeat existens principium eius essentiale, adhuc posse moueri Deum ex eà præuisione ad decernendam existentiam ipsius principij; quia hoc per talem præuisionem non iudicatiuè, sed apprehensiuè tantùm debet attingi, vt ex dictis etiam loco citato constat. Apprehensio autem simplex rei existentis (quam in Deo etiam esse possibilem ostendi disp. 23. citatà quæst. 3.) non impedit, sicut iudicium, quominùs Deus possit decernere, vt res ipsa existat; eo quòd apprehensio simplex cum suo obiecto non est connexa, sicut est iudicium; neque illud, sicut iudicium, persuadet. Et quidem, posse Deum attingere suà cognitione rem existentem, præscindendo à principijs eius etiam essentialibus, siue ea non attingendo, saltem eodem modo, circa obiectum scientiæ mediæ negari non potest. Cùm certum sit inter Nostrates, dum cognoscit Deus consensum futurum sub conditione auxilij, ex parte hypothesis præscindere à causis ipsius auxilij, siue eas non ponere in hypothesi; prout latiùs explicatum est supra disp. 28. quæst. 4. propos. 7. & quæst. 7. num. 322. & disput. 37. quæst. 4. à num. 63.

149 Stat ergo ex dictis, Deum motum ab existentiâ effectus absolutè præuisâ amare posse efficaciter eius causas, & causalitas in ipso effectu non inclusas; nam, quæ includuntur, non possunt ex præuisione effectus, qua & ipsæ præuidentur, amari efficaciter iuxta propos. 1. Superest determinandum an talis amor possit esse electio tendens in eas causas, & causalitates præcisè, vt media sunt vtilia ad effectum. Censeo, non posse. Quia, sicut ex præuisione effectus nequit Deus moueri ad volendum, vt effectus existat; ita neque ad volendum, vt existant media ad eum vtilia præcisè vt vtilia sunt; eo quòd velle, vt existat medium præcisè vt causaturum est finis, æquiualenter, seu virtualiter est, velle, vt existat finis. Ob aliam ergo, bonitatem ab existentiâ effectus aliquâ ratione pendentem amanda sunt principia eius, quando ad eorum amorem mouet existentia effectus præuisa. Cæterùm, quia simul cum præuisione effectus non potest non dari in Deo decretum efficax intentium ipsius effectus à tali præuisione independem, & ipsâ præcium iuxta dicta num. 142. ideo ex hoc decreto poterit Deus moueri, si velit, ad amandam vtilitatem mediorum predictorum vel alio decreto adæquato, ad quod dumtaxat moueat intentio efficax effectus, vel eodem, quo amatur altera ipsorum mediorum bonitas, ad quod moueat simul intentio, & præuiso effectus. Dixi, *si velit*. Quia, licet intentio efficax effectus necessitet Deum ad amandum efficacirer principium essentiale effectus, quatenus vtile ad illum est, quando aliàs tale principium ex alio motiuo efficaciter non amatur: non tamen necessitat, quando amatur, ex eoque amore futurum præuidetur. Quoniam intentio efficax finis nequit necessitare ad media, quæ aliunde præuidentur futura, iuxta doctrinam datam supra disp. 36. q. 4. propos. 2.

150 Sequitur iam, vt ad extremum indicemus, qualiter ex doctrinâ datâ circa præsentem propositionem variæ difficultates Theologicæ suis locis veniant enodandæ. Imprimis enim per illam venit probandum principium meriti, saltem non essentiale, optimè sub ipsum meriturm etiam absolutè præuisum cadere posse. Et quæ sequuntur ex hac vniuersali assertione, quæ multa sunt. Deinde, etsi Christus Dominus fuerit decretus post peccatum Adami absolutè præuisum, potuisse nihilominùs B. V. Mariam à pacto inito cum Adamo, sicque à peccato originali, & debito eius exclusam esse ex meritis Christi etiam absolutè præuisis; ita, vt peccatum Adami simul cum pacto sint causa intentionalis existentiæ Christi; & rursus Christus cum suis meritis sit causa intentionalis pacti prout excludentis B.V. Hic enim tanrùm interuenit mutua causalitas intentionalis, quam, probauimus, esse possibilem. Ex quibus præterea sequitur, potuisse datam esse Adamo iustitiam originalem, atque etiam gratiam, qua suum peccatum vitare potuit, ex meritis Christi etiam absolutè præuisis. Potuisse ex ipsis meritis similiter absolutè præuisis datam esse B.V. maternitatem Christi, aut etiam gratiam qua B. V. ipsam mereretur maternitatem. Aliaque demum multa huiusmodi in varijs materijs ex prædictà doctrinà facilè quisque potest inferre.

QVAESTIO VIII.

Qualiter scientia visionis, quam Deus habet de nostris actibus liberis, cum eorum libertate benè cohæreat.

QVæstio hæc oportunè adiungitur præcedenti: 151
quia difficultas eius ex principijs in illà statutis faciliùs expedietur. Circa quam duo ab omnibus Catholicis supponuntur tanquam omnino certa secundùm fidem. Primum. Nos multos actus liberè, atque adeò meritoriè, vel demeritoriè exercere. Secundum. Deum tales actus ab æterno videre prout existentes in suà differentiâ temporis scientiâ penitus infallibili, atque adeò essentialiter cum eorum existentiâ connexâ; quæ scientia visionis nuncupatur: quorum duorum cohærentia difficilis videtur. Nam, quo tempore ego pono existentem aliquem meum actum, vt ille sit liber, potentiam proximam habere debeo ad illum omittendum, quam tamen videor non posse habere, suppositâ præscientiâ diuinâ de tali actu. Quia nullam potentiam habere videor ad ponendam à parte rei omissionem actus: non enim ad ponendam illam coniunctam cum tali præscientiâ; nam id esset, præscientiam falsificare, quod est impossibile; sed neque ad ponendam non coniunctam; nam id esset, posse me facere mediâ omissione actus, vt non præexisterit ab æterno præscientia de actu: quod etiam impossibile est: cùm ad præteritum non detur potentia. Aliter autem omissio actus non potest poni à parte rei, quàm vel coniuncta, vel non coniuncta cum dictâ præscientiâ: cùm inter extrema contradictoria non detur medium.

Hæc difficultas in duos oppositos errores 152
distraxit aliquos Infideles. Alterum negantium Deo præscientiam de actibus nostris, vt horum libertatem seruarent: è quibus fuit Cicer. lib. de Fato, & lib. 2. de Diuinat. De quo ait August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 9. *Vt homines faceret liberos, fecit sacrilegos.* Alterum negantium actibus nostris libertatem, vt Dei præscientiam

de illis retinerent : è quorum numero fuerunt Vvicleph. apud Vvaldens. tom. 1. cap. 22. & 25. & alij hæretici.

153 Catholici verò Scriptores, vt, difficultate propositâ superatâ, præscientiam diuinam de nostris actibus cum eorum libertate componant, in varios dicendi modos diuisi sunt. Alij enim dicunt, quo tempore voluntas nostrâ operatur liberè, potentiam habere ad faciendum, quòd Dei præscientia de suâ liberâ operatione non præexisterit ab æterno; atque ita ad ponendam à parte rei omissionem operationis suæ seiunctam à tali præscientiâ. Ita Magist. S. Thom. S. Bonau. Scot. Albert. Alens. Ocham. Gabr. Gregor. Armacan. Adam. Marsil. Maior, Durand. Capreol. Vvaldens. Bellarm. Holcot. Aliac. Dried. Vega. Bann. Valens. & alij apud Ruiz tom. de Scient. disput. 31. sect. 2, apud Quiros tom. 1. de Deo disput. 47. initio, & apud alios mox referendos. Quibus consentiunt ex modernioribus Card. de Lugo dis. 26. de Incarnat. sect. 3. Moncæ. in Select. disp. 3. cap. 21. Arriag. 1. par disp. 19. sect. 5. subsect. 1. & disput. 35. sect. 1. subsect. 3. Martinon disput. 9. sect. 4. num. 35. Ribas disp. 5. de scient. cap. 9. Petr. à S. Ioseph. disp. 2. sect. 8. Ripald. tom. 2. de Ente supern. disput. 72. num. 8. Ribaden. disput. 17. de Scient. cap. 1, Quiros disput. 47. citatâ, & alij Recentiores communiter.

154 Istum tamen dicendi modum, licèt adeò communem, vehementer reprobant, imo seueris notis inurunt Soar. Opusc. de scient. Dei lib. 1. cap. 9. Molin. 1. par. quæst. 14. art. 13. disput. 16. & in Concord. disput. 49. Ruiz dictâ disput. 31. & apud eos alij. Censent enim, quo tempore voluntas nostra operatur, iam non esse contingens, sed absolutè necessarium, quòd Deus ab æterno præsciuerit eius operationem: iamque subinde in tali tempore non dari in voluntate nostrâ potentiam ad faciendum, quòd præscientia de operatione suâ non præexisterit ab æterno: eo quòd ad præteritum non datur potentia. Verum; cùm hi Doctores fateantur, neque negare possint, voluntatem nostram, quo tempore operatur liberè, ita posse suam operationem omittere, vt, si eam omitteret, iam tum Deus non habuisset ab æterno præscientiam de operatione, sed de omissione eius; arbitror, eos in re ab Auctoribus primæ sententiæ non dissentire; nam illi loquutione suâ ampliùs re ipsâ non videntur pretendere.

155 Fuerunt nonnulli, qui, veluti mediâ viâ incedentes apud Molin. vbi supra, dixerunt, voluntatem nostram, quo tempore operatur liberè, potentiam habere ad impediendam præscientiam de suâ operatione; hanc tamen non esse potentiam ad præteritum; quia præscientia diuina (cuius æterna duratio est indiuisibilis, & tota simul) semper est præsens, & nunquam præterita. His consentire videntur Bann. 1. p. q. 14. art. 13. Valent. quæst. 14. punct. 5. Arrub. disput. 33. cap. 6. & alij. Cæterùm explicatio hęc ponsus propositæ difficultatis aut parum, aut nihil videtur eleuare. Quoniam, licèt præscientia diuina eatenus sit semper præsens, quatenus nullum est tempus præsens, cui non correspondeat; non tamen est semper correspondens de præsenti omni tempori; eo quòd neque omne tempus est semper præsens, sed aliud præsens, aliud præteritum, aliud futurum; vnde correspondentia, quam præscientia Dei habuit cum tempore præterito, iam non est præsens, sed præterita; sicut, quam habebit cum tempore futuro, nondum est præsens, sed futura. Cùmque præscia Dei de actu libero nostræ voluntatis hodierno tam sit omissioni eius opposita prout correspondens tempori præterito, quàm prout correspondens præsenti, propter connexionem essentialem, quam cum actu ipso prout existente hodie habet, in quocunque illa tempore existat; conficitur, potentiam impediendi præscientiam Dei in voluntate operante liberè ab Aduersarijs requisitam necessariò debere esse per se impediriuam talis præscientiæ, non solùm prout correspondentis tempori præsenti, sed etiam prout correspondentis tempori præterito; etiam si per impossibile præsenti non corresponderet. Recurritque integra difficultas de impossibilitate potentiæ ad præteritum. Quæ clarius adhuc cernitur in casu reuelationis Dei purè præteritæ de actu libero hodierno, quæ perinde, ac præscientia, obstabit libertati eius, nisi hodie voluntas habeat potentiam impediendi illam impeditione purè præterita. Quid ego in hac materia dicendum sentiam, ex sequentibus propositionibus apparebit.

Propositio. 1.

Quidquid connectitur cum actu aliàs 156
libero voluntatis, (connexione scilicet metaphysicâ, seu essentiali, de qua in præsenti materiâ semper est sermo), & eius libertatem non tollit, non potest non à nutu libero ipsius voluntatis dependere, in existentiâ suâ; siue ea respectu talis actus sit præsens, siue præterita, siue futura.

Constat hæc propositio ex generalibus principijs de libertate stabilitis supra disp. 30. quæst. 5. præsertim prop. 12. 13. & 14. Speciatim autem probatur primò; nam, si sit voluntas aliàs ad suum actum proximè libera, vti in casu propositionis supponitur, impossibile est, quòd talis actus à tali voluntate eliciatur, quin ea se se ipsam sponte suâ determinet ad eum eliciendum, vt dicta propos. 13. monstratum est; & consequenter, quòd talis actus existat aliter, quàm dependenter à libero nutu, siue ab arbitrio talis voluntatis. At ens connexum cum actu non potest non in suâ existentiâ dependere ab eo, à quo dependet actus: cùm euidenter sit necessarium, vt id, quod sine actu nequit existere, sine eo consequenter nequeat existere, sine quo ipse actus nequit existere. Igitur ens connexum cum actu aliàs libero voluntatis, & eius libertatem non tollens, non potest non in suâ existentiâ dependere à libero nutu, siue ab arbitrio ipsius voluntatis.

Secundò probatur; quia causa immediata 157
entis connexi cum actu aliàs libero voluntatis nequit habere potentiam proximam ad dandam ipsi enti existentiam, nisi sit conditionatè verum talem actum sine contradictione extiturum in suâ differentiâ temporis, si in suâ existerit tale ens, iuxta doctrinam stabilitam dictâ q. 5. propos. 9. Sed quod id sit conditionatè verum, dependet à nutu libero voluntatis proximè liberæ ad talem actum, iuxta doctrinam stabilitam etiam vbi propos. 14. Ergo potentia proxima causæ immediatæ entis connexi cum actu aliàs libero vo-

voluntatis à nutu libero ipsius voluntatis dependet in existentiâ suâ. At tale ens nequit non dependere in suâ à tali potentiâ proximâ suæ causæ immediatæ. Ergo de primo ad vltimum tale ens nequit non dependere in existentiâ suâ à dicto nutu libero voluntatis.

158 Ex huius propositionis doctrinâ vniuersali sequitur, præscientiam diuinam de actu libero voluntatis creatæ non posse non dependere in existentiâ æternâ suâ à nutu libero ipsius voluntatis prout existente, exercitoque in eâ differentiâ temporis, in quo liberè talis actus à tali voluntate producitur. Quia talis præscientia ob suam infallibilitatem cum tali actu connexa est, & eius libertatem non tollet, vt supposuimus ex fide. Huiusmodi autem dependentia in eo stat, prout dicebamus quæst.7. num.117. quòd intellectus diuinus ad dandam existentiam æternam tali præscientiæ, virtualiter scilicet producendo formalitatem eius, ab æterno determinatur, tanquam per extrinsecam quamdam intentionalemque conditionem, per existentiam talis actus in suo tempore contingenter futuram, à nutuque libero subinde talis voluntatis oriundam. Per talem enim conditionem completur potentia proxima intellectus Dei, atque adeò (cùm sit potentia necessaria) necessitatur ad talem præscientiam concipiendam ab æterno. Itaque ex suppositione, quòd voluntas creata pro nutu suo libero producit in suo tempore eliquem actum, non potuit non esse ab æterno verum, (hoc est, iudicabile verè), talem actum in tali tempore extiturum, & consequenter intellectus diuinus, vt pote omnis veri cognoscitiuus, non potuit non concipere ab æterno præscientiam de existentiâ in tali tempore talis actus. Quæ præscientia proinde nec potuit non dependere in suâ æternâ existentiâ à nutu libero voluntatis, determinantis medio suo actu existentiam ipsam modo dicto.

Propositio 2.

159 Impossibile est, vt voluntas ad actum, quem producit, sit libera, nisi potentiam habeat ad impediendum, siue ad faciendum, quòd non existat, quidquid cum tali actu connexum estitit.

Hæc vniuersalis propositio ijs omnibus argumentis probanda venit, quibus disp.30.quæst. 10.propos.1. latè probauimus, voluntatem physicè prædeterminatam ad aliquem actum idcirco ad illum non esse liberam; quia physica prædeterminatio ex vnâ parte cum tali actu connexa est, ex aliâ verò voluntas ad impediendum illam, siue ad faciendum, quòd non existat, potentiam non habet. Eò enim tendunt omnia argumenta illa, vt probent, existente prædeterminatione connexâ cum actu, & à voluntate non impedibili, nullam esse in voluntate potentiam ad omittendum actum, atque adeò nec libertatem ad actum: quia neque est in voluntate potentia ad ponendam à parte rei carentiam actus coniunctam cum prædeterminatione; cum talis coniunctio sit chymærica: neque ad ponendam seiunctam à prædeterminatione, coniunctamve cum carentiâ eius: cùm voluntas prædeterminationem impedire, seu eius carentiam ponere nequeat: nullusque sit alius modus possibilis ponendi à parte rei carentiam actus, quam vel coniunctam cum prædeterminatione, vel ab eâ seiunctam, coniunctamve cum carentiâ eius, vt constat. Quod idem per eadem argumenta vniuersaliter venit probandum in casu existentiæ cuiuslibet omnino entis connexi cum actu voluntatis, & à voluntate non impedibilis, vt ex se manifestum est, & clariùs innotescet applicanti dicta argumenta cuilibet enti eas duas conditiones habenti. Quod facilè quisque ad propositum facere poterit, ne nos actum agamus.

Quòd si, existente quolibet ente connexo 160
cum actu, & à voluntate non impedibili, libertas ad talem actum in voluntate dari non potest, conficitur, existente quolibet ente connexo cum actu, libertatem ad talem actum in voluntate dari non posse, nisi detur in eâ potentia ad impediendum tale ens. Atque adeò impossibile esse, vt voluntas ad actum, quem producit, sit libera, nisi potentiam habeat ad impediendum, quidquid cum tali actu connexum existit, vt nostra propositio fert.

Ex qua planè sequitur, voluntatem no- 161
stram nullatenus posse esse liberam ad actum, quem producit, nisi potentiam habeat ad impediendum, siue ad faciendum, quod non extiterit ab æterno præscientia Dei de tali actu, vtpote quæ cum ipso actu est connexa titulo suæ infallibilitatis; vt est certissimum.

Propositio 3.

Voluntas creata in eâ temporis mensurâ, in qua est proximè libera ad aliquem 162
actum producendum, vel omittendum, eo ipso habet potentiam proximam ad faciendum, quòd præscientia Dei de existentiâ ipsius actus extiterit, vel non extiterit ab æterno.

Quoniam libertas proxima voluntatis ad aliquem actum producendum, vel omittendum in duabus potentijs proximis (scilicet per solam rationem nostram distinctis) consistit, altera ad actum, & altera ad omissionem eius, vt ex doctrinâ sæpe reperitâ supra disp.30.constat. Potentia autem proxima voluntatis ad actum ipsissima est potentia proxima ad faciendum, quòd extiterit ab æterno præscientia diuina de ipso actu, & potentia proxima ad omissionem actus ipsissima est potentia proxima ad faciendum, quòd non extiterit ab æterno præscientia diuina de actu; extiterit tamen opposita de ipsâ omissione actus. Nam, vt ex dictis circa ptoposit. 1. constat, per positionem temporaneam actus liberi voluntatis necessariò determinatur intellectus diuinus ad concipiendam ab æterno præscientiam æternam de illo, & per eius omissionem ad concipiendam præscientiam oppositam. Vnde voluntas ponens actum, medio illo determinat existentiam præscientiæ æternæ De illo; sicut ponens omissionem præscientiam oppositam. Potentia igitur proxima, quam habet voluntas ad ponendum vel actum, vel omissionem, potentia est ad determinandam existentiam præscientiæ æternæ Dei vel de actu, vel de omissione: Quod ipsum est, voluntatem habere potentiam proximam ad faciendum, quòd præscientia Dei de existentiâ actus extiterit, vel non extiterit ab æterno, vt nostra propositio fert.

Pro

Propositio 4.

Vt defendatur libertas, quam vo-
163 luntas nostra ad quemlibet actum, quem liberè producit, habet, necessariò dicendum est, dari in eâ simul potentiam ad impediendum, siue ad faciendum, quòd non extiterit præscientia, quam Deus ab æterno habet de tali actu.

Quia non potest in voluntate nostrâ dari libertas ad actum, quem producit, nisi detur in eâ simul potentia ad impediendum, siue ad faciendum, quòd non extiterit præscientia, quam Deus ab æterno habet de tali actu; vt constat ex proposit. 2.

Obijcitur tamen contra doctrinam nostram primò. Ad præteritum non datur potentia.
164 Ergo in voluntate nostrâ nequit potentia dari ad impediendam præscientiam, quam Deus ab æterno habet de ipsius actu. Respondeo, eatenus ad præteritum non dari potentiam, quatenus impossibile est, vt vlla potentia suum actum proprium exerceat in tempore, quod iam est præteritum; quia nulla potentia potest exercere suum proprium actum, nisi in eodem tempore, in quo ipsa existit; & in tempore iam præterito nulla potentia potest existere; eo quòd tempus præteritum nullatenus potest reuerti. In quo tempus præteritum differt à tempore futuro. Futurum enim accedere potest in seque existentes recipere pleraſque potentias, & actus earum. Ob idque absolutè dicitur, dari potentiam ad præsens, & ad futurum: ad præteritum verò minimè. Vide hoc axioma latiùs expositum à nobis in Pharo Scient. disput. 8. quæst. 4. proposit. 7. Cuius veritati nihil obstat, iuxta dicta etiam ibi, quòd actus proprij diuersarum potentiarum existentium in diuersis temporibus connexionem inter se habeant quoad suam existentiam in illis, vt sæpe fit. Sicque potentia tempore posterior, vel ponendo, vel omittendo in eo suum actum, faciat, quòd potentia tempore anterior in eo quoque vel posuerit, vel non posuerit suum. Id quod in nostro casu euenit. Vbi propter connexionem, quam quoad existentias suas inter se habent actus voluntatis creatæ, & actus præscientiæ Dei de illo, voluntas creata, vel ponendo, vel omittendum suum actum in tempore suo, potest facere, quòd intellectus diuinus vel posuerit, vel non posuerit suum in suâ æternitate. Atque ita, dum voluntas creata in tempore suo liberè actum suum ponit, eadem potentia, quam habet ad omittendum illum, est potentia ad impediendum media tali omissione præscientiam Dei æternam de illo. Similiter, quia reuelatio diuina de peccato futuro Antichristi cum ipso peccato connexa est, à Deo poni non potuisset in tempore anteriori, nisi foret peccatum ab Antichristo ponendum in tempore posteriori. Potentiaque proinde, quam Antichristus habebit ad non peccandum, quando peccet, potentia erit ad impediendum, siue ad faciendum, ne præexisterit reuelatio de peccato eius.

Et quidem, innumeros actus æternos tum intellectus, tum voluntatis diuinæ à voluntate
165 creatâ liberâ esse modo dicto impedibiles, negari non potest: quia negari non potest esse eos quoad existentiam æternam suam connexos cum terminis à voluntate creatâ liberâ impedibilibus; 20
& nequit non esse impedibilis res connexa ab eâ causâ, à qua terminus connexionis eius impedibilis est. Cùm sit manifestum, cautam potentem efficere, vt non existat B, sine quo nullatenus potest existere A, eo ipso esse potentem efficere, vt non existat ipsum A. Sic Prædestinatus potens efficere, vt non existiant sua merita, eo ipso potest efficere, vt non extiterit decretum Dei remunerandi illa. Et Reprobus potens impedire sua peccata, eo ipso potest impedire decretum Dei puniendi illa. Et iustus potens per peccatum expellere à se habitû gratiæ, impedire potest decretum, quod Deus habet conseruandi illum. Et vnusquisque potens omittere orationem, quâ facit, decretum Dei exaudiendi illam impedire potest. Pariterque in similibus. Istique omnes consequenter, imo potiore quodâ iure, impedire possunt præscientiam de suis prædictis actibus liberis, atque adeò impedibilibus à se.

Obiiciunt tamen nihilominùs contra hanc 166
doctrinam Aduersarij secundò. Per illam prorsus è medio tolli certitudinem, securitatemque, quam habemus de euentibus liberis futuris subnixam præscientiæ, reuelationibusque diuinis. Nam, si Antichristus in suo tempore futuro præscientiam, reuelationemque diuinam de suo peccato impedire potest, omittendo illud. Ergo adhuc contingens est, vt impediat. Ergo dubitabile est, an de facto sit impediturus, nec ne; & consequenter, an fundamenta certitudinis, securitatisque de peccato futuro eius reuerâ subsistant. Quo certitudo ipsa, securitasque penitus corruit. Sed hoc argumentum imprimis contra omnes est; ab omnibusque proinde soluendum. Quia nemo negare potest, Antichristum, cùm liberè sit in suo tempore peccaturus, potentiam in illo habiturum esse ad omittendum suum peccatum, atque adeò contingens fore, vt illud omittat. Vnde pariter inferri potest. Ergo dubitabile est, ad de facto sit illud omissurus, necne. Cum qua dubitabilitate certitudo, securitasque de futuritione illius stare non potest: quia consequenter iuxta argumentum oppositum redditur dubitabilis vel existentia, vel veritas præscientiæ, reuelationisque diuinæ: siquidem deficiente peccato, scientia, reuelatioque de peccato necessariò debet vel deficere, vel falsa reddi: & vtrumuis est æquè oppositum certitudini, securitatique de peccato in tali præscientiâ, reuelationeque fundatæ.

Respondeo igitur pro omnibus ad argu- 167
mentum factum; euentum liberum, licèt in signo antecedente ad suam existentiam siue præsentem, siue futuram contingens sit, hoc est, potens existere, vel non existere, indifferenisque subinde ad existendum, vel non existendum; in signo tamen consequente existentiæ suæ necessariam esse necessitate consequente, siue ex suppositione, subindeque determinatum ad existendum. Vnde, licèt ex vi signi prioris præcisè sit dubitabile, an sit extiturus, vel secus; ex vi tamen signi posterioris certum esse potest, quòd existit. Erit autem certum, quòd existit, habenti notitiam certam de existentiâ eius; qualis in Deo est scientia visionis de quouis euentu libero reuerâ existuro, & in nobis actus fidei de existentiâ futurâ eius fundatus in reuelatione diuinâ, quando de tali existentiâ datur. Sicut igitur indifferens tia antecedens, quam habebit Antichristus ad peccandum, & non peccandum, potentiaque illa inclusa, quam habebit ad impediendum suum ec-

peccatum, non obstat, quominùs tale peccatum in suo signo posteriori sit extiturum de facto, imo necessariò necessitate consequente: ita eadem indifferentia, potentiaque antecedens, quam habebit Antichristus ad impediendum mediâ omissione peccati sui præscientiam Dei, reuelationemque, & fidem de ipso peccato, atque adeò certitudinem vel indistinctam ab eis, vel in eis fundatam de existentiâ futurâ eius, non obstat, quominùs talis præscientia, reuelatio, fides, & certitudo existant de facto, imo necessariò necessitate consequente. Ex quibus tum argumenti oppositi patet solutio; tum aliorum, si quæ opponantur, prompta solutio erit.

QVAESTIO IX.

Vtrùm prouidentia diuina consistat in actu intellectus, vel in actu voluntatis, vel in vtroque.

168 CErtum est apud omnes, & notum ex hactenus dictis, ad prouidentiam diuinam, atque adeò etiam ad prædestinationem, & reprobationem tam actus intellectus, quam actus voluntatis necessarios esse. Nam sine intellectu ducente voluntas nihil potest decernere; & sine decreto voluntatis nihil potest intellectus ad exequutionem perducere, prout ad omnem prouidentiam necessarium est. Solùm igitur controuertitur, an prouidentia formaliter, & directè consistat in actibus intellectus, suppositis, vel connotatis actibus voluntatis; vel contra in actibus voluntatis, suppositis, vel connotatis actibus intellectus; vel in vtrisque ex æquo.

169 Triplex est sententia. Prima asserentium prouidentiam, & prædestinationem directè in actu intellectus consistere connotante actum voluntatis. Ita videtur sentire S.Tho. 1.par. quæst. 22.artic.1.& quæst.23.artic.6.& tradunt ibi communiter Thomistæ, Caiet.Bann.Zumel, Nauarrete, Nazarius, Albelda, & alij. Qui in illo suo imperio monastico, de quo egimus quæst.6.essentiam prouidentiæ, atque prædestinationis constituunt. Consentiunt ex nostris Bellarmin. tom.4. lib.2.de Gratiâ,& liber.arbitr.cap 9.fine, Valent. 1.par.quæst.22.punct.1.& quæst.23.punct.2. Fonseca tom.3.Metaph.lib.6 cap.2.quæst.5.sect.2.Granad.1.par.controuer.4.tract.5.disput.2.Ruiz tom. de Prouiden.disput.3.sect.3. & apud eos alij. Ex quibus nonnulli, non admittentes imperium Thomisticum, in scientiâ practicâ, quæcunque illa sit, constituunt essentiam prouidentia. Secunda sententia in actu voluntatis connotante actum intellectus ponit essentiam prouidentiæ, & prædestinationis Eam tenent S. Bonauen. in 1.distinct. 40.artic.1.quæst.2.Scot.ibi quæst.1.Soar.lib.1.de Prædestin. cap.17. Vazq. 1.par. disput.87.cap.3. Less.de Prædestin.sect.2.§.1.& alij. Tertia sententia est,prouidentiam, & prædestinationem vtrumque actum dictum complecti simul, & directè. Ita Molin.1.par.quæst.22.artic.1.disput.1.§.*Quod si petas*. & quæst.23.artic.1.disput.2.§. *Statuenda est*. Becan.cap.14.quæst.2.Herice disput.22.cap.6. cum alijs ex Antiquioribus, quos referunt Soar. & Ruiz.

Tota hæc controuersia est de nomine, & 170
parui momenti, vt benè notarunt Valent. Soar. Vazq. & alij. In eo enim versatur cardine, an nomine prouidentiæ, vel prædestinationis directè actus intellectus, vel potiùs actus voluntatis, vel simul vterque significetur iuxta communem acceptionem. Breui me expedio.

Propositio vnica.

Prouidentia, & prædestinatio in- 171
terdum ad actus intellectus diuini, interdum ad actus diuinæ voluntatis referuntur. Pròpriùs tamen videntur accipi pro actibus diuinæ voluntatis prout connotantibus actus diuini intellectus.

Prior pars propositionis ex sacra Scripturâ, & Patribus potissimùm petenda est. Et primùm de prouidentia constat, referri ad intellectum in Scriptura, quoties per verba significantia cognitionem mentio eius habetur. Exodi 2. *Respexit Dominus filios Israel*. Exodi 3. *Vidi afflictionem populi mei*. Iob. 34. *Oculi enim eius super vias hominum*. Ad Rom. 11. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius! &c.* Quæ verba & similia passim repetuntur: Ambrol. etiam in illud ad Rom.12. *Prouidentes bona*. Anselm. in Elucidario circa medium. Beda tom. 5. in lib. Cui titulus *Mundi constitutio* prope finem Nazian.orat.2.in Iulian. sub initium. Basil. homil. in Psal.48.col.penult Boet.& S.Tho.relati à nobis supra quæst.1.expræsè dicunt, prouidentiam esse actum rationis, seu cognitionis, qno præcognoscuntur futura. Id ipsum constat specialiter de prædestinatione iustorum, quam sæpe nomine præscientiæ, aut cognitionis significat Scriptura. Ad Rom. 11. *Non repulit Dominus plebem suam, quam præsciuit*. 2.ad Timoth. 2. *Nouit Dominus, qui sunt eius*. 1. Petri 1. *Electis secundùm præscientiam Dei Patris in sanctificationem*. & sæpe alibi. Consentiunt in eodem modo loquendi Patres August. lib. de Dono perseuerantiæ cap.17. & 18. Prosper lib.1.de Vocat. Gent.cap.10. & ad Excerpta Genuensium in dub. 8. & ad Capitula Gall.cap.15.Anselm.in locum citatum ad Rom.11. Fulgent.lib.1.ad Monim.cap.24.prope medium, & cap.26.circa principium. Beda in Collectaneis ad Epistolas Pauli varijs in locis, Auctor Hypognost.apud August. lib.6. paulò post principium Gregor.in lib.1.Reg.cap.14.lib.5.versus finem, & alij. Aduerto tamen in huiusmodi testimonijs Scripturæ, & Patrum nullatenus posse esse sermonem de imperio illo à nobis reiecto dicta quæst. 6. quod non tam scientia, aut notitia, quàm impulsus quidam dici potest iuxta eius Assertores, sed de scientiâ aliâ practicâ, qua ad prouidè decernendum aliquid voluntas diuina mouetur.

Iam prouidentiam referri ad voluntatem 172
Dei constat ex illis Scripturæ locis, in quibus cura dicitur Sapien. 6. *Æqualiter est illi cura de omnibus*. 1.Petri 3. *Quoniam ipsi est cura de vobis*. Cura enim ad voluntatem pertinet. Sub quo nomine de prouidentiâ differunt Ambros. lib.1. Offic.cap.13.& 1.Corinth.1.par.4.Nazanz.orat.3.in Iulian.

Iulian. versus medium, Gregor. lib. 24. moral. cap. 11. alias 26. Chrysost. 1. ad Timoth. 5. homil. 14. sub initium, Hugo Victorin. lib. 1. de Sacramen. par. 2. cap. 19. Damasc. & Nemesius expresè asserunt, prouidentiam esse actum voluntatis, vt vidimus quæst. 1. De prædestinatione etiam constat, sæpissimè sub nomine electionis, propositi, dilectionis, & complacentiæ, qui sunt actus voluntatis, in Scriptura significari. Math. 20. *Pauci verò electi.* Ioan. 13. *Ego scio quos elegerim* ad Ephes. 1. *Prædestinauit nos secundùm propositum voluntatis suæ.* & iterum. *Prædestinati secundùm propositum.* Qua phrasi sæpe vtitur Apostolus 2. ad Timoth. 1. Ad Rom. 4. 8. & 9. ibi. *Vt secundùm electionem propositum Dei maneret.* Ibidem. *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et infrà. *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* Lucæ 12. *Complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* Augustin. etiam prædestinationem ad voluntatem refert, vocans eam præparationem gratiæ, & beneficiorum Dei lib. de Prædest. Sanctor. cap. 10. & de Dono perseuer. cap. 14. Quod magis declarat Fulgentius lib. 1. ad Monim. cap. 7. dicens. *Vtrumque autem prædestinando Deus præparauit in illà incommutabili voluntate, in qua sic futurum effectum hominis renouandi disposuit.* Consentit Prosper ad Capitula Gallorum cap. 8. & alij.

173 Venio ad secundam partem propositionis. Quam probo primò: quia nomen *prouidentia*, etsi, spectatà eius origine, ad intellectum pertinere videatur; ast iuxta vulgatum eius vsum actum potiùs voluntatis sedulum, accuratum, & prouidum, atque adeò connotantem consilium prudens intellectus videtur directè significare. Prouidere enim propriè est, aliquid prudenter disponere, determinare, & statuere, maturè, & ante tempus illud, in quo est exequendum. Nomen autem *prædestinatio* propriè actum voluntatis significat iuxta illud 1. ad Corinth. 9. *Vnusquisque prout destinauit in corde suo.* De quo plura diximus quæst. 3. Id quod satis clarè videtur denotare ipse Paulus ad Rom. 8. condistinguens prædestinationem à præscientiâ. Ibi *Quos præsciuit, & prædestinauit.* Secundò *prouidentia*, & *prædestinatio* actum Dei liberum significant, ob quem ei debetur actio gratiarum: libertas autem non actibus scientiæ, sed actibus voluntatis conuenit. Tertiò *prouidentia* actum Dei significat, à quo causatur ordinatio rerum ad extra: *prædestinatio* autem actum, per quem infallibiliter Prædestinati ad gloriam cum effectu perducuntur. Quæ omnia propriùs, & immediatiùs conueniunt actibus diuinæ voluntatis, quàm intellectus. Igitur *prouidentia*, & *prædestinatio* directè actus diuinæ voluntatis significant, quibus Deus res præordinat in suos fines; conceptos tamen prudentissimè, maturè, prouidè, ex peculiari notitiâ ipsorum finium, & mediorum. Quod est, significare indirectè actus intellectus diuini, quibus Deus ducitur ad prouidendum. Et consequenter conceptus per ea nomina significatus directè in actibus voluntatis, ex connotato autem in actibus intellectus consistit. De reprobatione idem censendum. Nam Reprobi dicuntur communiter præsciti; quod pertinet ad intellectum. Tum despecti, repulsi, reiecti; quod pertinet ad voluntatem. Reprobatio autem propriè sumpta æquè, ac prædestinatio, videtur actum diuinæ voluntatis directè, obliquè autem actum diuini intellectus significare.

QVAESTIO X.

Vtrùm de ratione prouidentiæ diuinæ sit consequi finem intentum.

DVplex finis spectari potest in prouidentiâ 174
Dei. Alter particularis, quale est particulare bonum alicuius creaturæ. Alter vniuersalis, quale est bonum vel alicuius communitatis creaturarum, vel totius Vniuersi, vel ipsius Dei. Ad cuius gloriam cuncta ordinantur, iuxta illud Prouer. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Certum est ergo, de facto nullam esse prouidentiam, per quam finis aliquis vniuersalis non obtineatur, saltem enim ille vltimus diuinæ glorificationis, atque ostensionis attributorum Dei nunquam non obtinetur. Superest igitur duplex difficultas in hac quæstione examinanda. Prima, an aliqua sit de facto prouidentia Dei, quæ finem suum particularem non consequatur. Secunda, an sit possibilis prouidentia in Deo, qua nullus finis intentus obtineatur adhuc vniuersalis.

Circa primam difficultatem Caiet. 1. par. 175
quæst. 22. artic. 1. Bann. & Rippa ibidem. Nauarrete tom. 2. controuer. 30. & Aluarez de Auxilijs disput. 30. num. 4. vniuersaliter affirmant, nullam esse prouidentiam in Deo, qua finis, etiam particularis, reuerà intentus à Deo non obtineatur. Si quando enim aliquis videtur non obtineri, tunc illum non verè, sed apparenter tantùm esse intentum à Deo. Consentiunt, licèt diuersâ viâ, quidam Recentiores ex nostris, quorum meminimus supra quæst. 5. num. 69. dicentes, diuinam prouidentiam semper assequi finem intentum, eâ ratione, quâ intentus est; licèt absolutè illum non assequatur. Communis autem Theologorum sententia est, diuinam prouidentiam non semper assequi particularem finem, in cuius consequutionem reuerà dirigit, & exequitur media. Ita Molin. 1. par. quæst. 22. artic. 1. disput. 2. Valent. ibidem punct. 1. §. *Est autem.* Vazq. disput. 87. cap. 4. Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 18. à num. 7. & lib. 2. de Concursu Dei cap. 7. num. 18. & 19. & Relect. de libertate voluntatis diuinæ disput. 1. sect. 2. & in Metaphys. disput. 13. sect. 10. num. 11. Arrub. 1. par. disput. 69. cap. 2. Herice disput. 21. à num. 21. Ruiz tom. de Prouiden. disput. 4. Granad. tract. 3. disput. 1. Tann. disput. 3. quæst. 1. dub. 4. Hemelm. tit. 14. disput. 3. Fasolus quæst. 22. artic. 1. dub. 2. à num. 10. Gonzalez 1. par. disput. 65. sect. 3. num. 19. Apud quos alij plures. Et tenet expresè S. Tho. quæst. 6. de Verit. artic. 1. & 3. in corpore, & in 1. distinct. 10. quæst. 1. artic. 2. Videtur etiam 1. par. quæst. 22. artic. 2. ad 2. & lib. 3. contra Gent. cap. 94.

Circa secundam difficultatem non ita ex- 176
pressè loquuntur Doctores. Sentire tamen videntur communiter, de ratione diuinæ prouidentiæ esse, vt aliquis finis per eam obtineatur; dum prouidentiam non consequentem particularem finem idcirco vindicant ab omni imperfectionis notâ; quia, inquiunt, Deus iustissimus de causis, & ob altiores, vniuersalioresque fines, quos assequitur, prudentissimè permittit, ne-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

nem particularem intentum non peruenire ad exequutionem. Vnum Ruiz legi, qui ex professò docet, & probat supra sect. 3. de ratione diuinæ prouidentiæ esse, assequi finem aliquem vniuersalem.

Propositio 1.

177 **Diuina prouidentia non semper assequitur suum finem particularem.**

Constat id planè in prouidentiâ supernaturali, qua Deus homines ad gloriam æternam ordinauit; ex intentioneque, vt illam omnes consequerentur, innumera exequutus est, & in dies exequitur media. Misit Filium suum in Mundum, qui viam ad regnum aperiret; suisque meritis, exemplis, verbis, Sacramentis, cæterisque gratiæ adiumentis vniuersum hominum genus ad illud adipiscendum promoueret. Sparsit deinde Apostolos per totum Orbem. Quotidieque prædicatores mittit. Aliaque multa auxilia gratiæ tum interna, tum externa passim immittit, vt omnes, & singuli homines salutem æternam consequantur. Et tamen multi sunt, qui finem hunc à Deo per tot media intentum non assequuntur: cassamque suâ culpâ reddunt quoad huius finis consequutionem diuinam prouidentiam. Igitur prouidentia diuina non semper assequitur suum finem particularem. Respondent Aluarez, & Nauarrete supra, Deum reuerà non intendere per media prædicta salutem eorum, qui reprobantur, sed tantùm quoad apparentiam, & voluntate quadam signi, quæ non est vera, & realis voluntas Dei, sed tantùm quoad speciem. Quo fit, vt prouidentia diuina nullum non assequatur finem reuerà à Deo intentum. Cæterùm solutio hæc sustineri non potest. Quia Deus verâ, & reali voluntate vult omnes homines saluos fieri iuxta Paulum 1. ad Timoth. 2. ex eâque intentione producit suprædicta media, vt infra disput. 40. monstrabimus. Nostri verò Recentiores respondent, diuinam prouidentiam etiam in Reprobis obtinere finem intentum. Quia Deus non absolutè, sed tantùm, quantum est ex se, intendit eorum salutem, ita vt per ipsum non stet, quominùs illam consequantur; quod Deus verè consequitur per media, quæ apponit. Hanc tamen doctrinam satis, superque impugnauimus supra quæst. 5. à num. 70.

178 Probant deinde propositionem datam aliqui ex monstris, quæ sæpe proueniunt à causis naturalibus præter earum intentionem: quasi hæc etiam proueniant contra intentionem Dei. Probatio tamen hæc non est tuta. Quia, quanuis eiusmodi monstra præter, aut contra intentionem causarum naturalium esse dicantur, quatenus ab earum exigentiâ, & appetitu innato exorbitant; eo quòd natura semper exigit, appetit, atque conatur in id, quod perfectum est intra propriam speciem; abhorretque ab imperfectionibus effectuum monstrosorum: necunde tamen constat, tales effectus esse contra intentionem elicitam Dei. Quia non est fundamentum ad asserendum Deum intentione elicitâ intendere, vt in omnibus, & singulis euentibus effectus causarum naturalium prorsus perfecti, & absque vllâ monstrositate euadant.

179 A priori ergo probanda propositio est. Quia prouidentia diuina non poscit ad suam perfectionem, vt omnis finis per eam intentus obtineatur. Id enim ex duplici capite posset ad Dei prouidentiam expostulari: vel quia Deus, nisi ex efficaci intentione finis, ad apponenda media moueri non posset: vel quia, suppositâ intentione simplici finis, ex eâ ad media dumtaxat efficacia, non itidem ad sufficientia posset moueri. Vtrouis enim modo fieret, vt non posset non prouidentia Dei omnem finem intentum assequi. Sed neuter tamen modus est necessarius ad perfectionem prouidentiæ diuinæ. Nam, vt constat ex dictis supra disput. 36. quæst. 4. propos. 1. Deus ex intentione simplici finis ad quæuis media eligenda potest procedere, non solùm, quæ efficacia, sed etiam, quæ inefficacia sunt relatè ad talem finem.

Verùm contra doctrinam nostram multa 180
Aduersarij obijciunt. Et primùm opponunt S. Tho. 1. par. quæst. 22. artic. 2. ad 1. & artic. 4. ad 2. asserentem, nihil effugere posse ordinem diuinæ prouidentiæ; eumque adeò esse certum, & immobilem, vt ea, quæ per ipsum prouidentur, cuncta eueniant eo modo, quo prouidentur, & lib. 3. contra Gent. cap. 94. vbi ait, ordinem prouidentiæ diuinæ mutari non posse, aut cassari. Ob quæ testimonia Caiet. & eius asseclæ putarunt S. Thomam mutasse sententiam, quam tradiderat alijs in locis pro nobis citatus supra num. 175. Cæterùm Sylueft. 1. par. Conflat. quæst. 22. artic. 1. Ferrar. loco citato ex lib. 3. contra Gent. & Vazq. 1. par. disput. 87. cap. 4. num. 18. ab hac retractatione vindicant Doctorem Angelicum; facilèque conciliant testimonia eius. Nam benè stat, omnia sub prouidentiam diuinam cadere, eamque certam omnino esse, infallibilem, immobilem, immutabilem, infrustrabilem, atque inuincibilem; & nihilominùs per illam finem aliquem non obtineri intentum simplici tantùm intentione. Hoc enim nihil derogat certitudini, quam prouidentia diuina habet à scientia infallibili Dei, neque immutabilitati, infrustrabilitatique, quam habet à decretis Dei efficacibus respectu effectuum, quos decernit, & modi, quo ipsos decernit. Etenim, cùm Deus ex simplici desiderio saluandi Reprobum auxilia sufficientia illi confert, certissimè noscit, quid confert, & quid ex tali prouidentiâ tandem est obuenturum; quomodò salus Reprobi non est obtinenda; sunt tamen obtineudi alij fines spectantes ad gloriam ipsius Dei, & ostensiones suorum attributorum. Vnde talis prouidentia prorsus est infallibilis. Est etiam immutabilis, & infrustrabilis: quia, quidquid efficaciter in eâ decernitur, aliter euenire non potest; neque enim fieri potest, semel à Deo tali prouidentiâ conceptâ, vt Reprobus non habeat auxilia, quibus possit, si velit, suam salutem procurare, quibusque de facto non procurabit, sed amittet suâ culpâ. Quo fiet, vt & Dei æquitas erga Reprobum, & misericordia erga Prædestinatos, & alia diuina attributa magis luceſcant.

Secundò obijciunt Aduersarij. Quòd pro- 181
uidentia suum finem noe assequatur, vel oritur ex ignorantiâ, vel ex impotentiâ, vel ex negligentiâ. Hæc omnia aliena sunt à Deo. Ergo prouidentia Dei non potest suum finem non assequi. Respondeo, posse etiam id oriri ex voluntate prouidentis intendentis iustis de causis simplici tantùm affectu finem, nolentisque ad eius exequutionem media efficacia, sed tantùm sufficientia adhibere; prout Deus citra omnem commo-

moratam imperfectionem circa salutem Reproborum segerit.

182 Tertiò obijciunt. Electio efficax mediorum ex simplici intentione finis prouenire non potest. Ergo Deus nequit media producere nisi ex intentione efficaci finis. Ergo prouidentia Dei nullum finem, ad quem aliqua media dirigit, potest non obtinere. Nego antecedens, iuxta dicta in illà quæst. 5. propos. 1. citatà.

183 Quartò obijciunt. Sequi ex nostrà sententià, prouidentiam diuinam voluntates repugnantes includere, nempe voluntatem dandi gloriam Reprobo, & voluntatem eum excludendi a gloriâ: atque adeò aliquid inuoluntarij admixtum habere; quod videtur absurdum. Respondeo, eas voluntates, repugnantes non esse. Quia prima simplex dumtaxat est, seu conditionata, qua Deus ex se, & antecedenter ad peccata Reprobi desiderat ei gloriam dare; quæ subinde optimè cum aliâ voluntate componitur, qua Deus post præuisa peccata Reprobi efficaciter in eorum pœnam illum à gloria excludit. Quæ exclusio licèt nonnihil habeat admixtum in voluntarij propter voluntatem priorem obiecti oppositi; id nihil imperfectionis præ se fert; potiùs summoperè commendat perfectionem misericordiæ Dei: qui ex se nullum damnare vellet: vnde quasi reniteus damnat tractus ab hominum peccatis, vt communiter docent Patres, quorum plura testimonia congerit noster Ruiz tom. de Volunt. disp. 16. sect. 2. & seqq. & disput. 21. sect. 2. Mitto alia leuiora, quæ, facile est, ex dictis soluere, & apud Ruiz num. 175. citatum videri possunt. Quomodò autem Deus ex intentione finis, quem præuidet non obtinendum, vtiliter nihilominùs, & non inaniter apponat media, ex dicendis statim constabit.

Propositio 2.

184 **Impossibilis est prouidentia in Deo, per quam non obtineatur aliquis, finis aliquidve habens rationem finis, vtpote amabile propter se.**

Probatur. Quia frustra, & inaniter, atque adeò stultè, & contra rationem eliguntur media propter finem, qui certò scitur non obtinendus per talia media, quando ex tali mediorum electione aliud emolumentum non capitur propter se amabile, atque adeò habens rationem finis, præterquàm vtilitas mediorum ad finem intentum. Quis enim non censeret stultum hominem, qui ex desiderio regnandi Matritum iret, Regem Hispaniæ alloqueretur, ab eoque poscceret, vt à se dominium Regni abdicaret, in ipsumque transferret, certissimè sciens, per talia media neque obtinendum esse regnum, neque aliud quidpiam emolumenti capiendum, præter sumptum, & laborem ipsorum mediorum. Certè genus hoc prouidentiæ stultum est, & irrationale; tametsi in hominibus physicè sit possibile. Ergo prorsus repugnat Deo. Itaque Deus non posset ex intentione conuersionis Reprobi eligere auxilium inefficax præcisè vt vtile ad talem finem, præuisâ eius inefficaciâ, nisi videret pariter, ex tali electione alia bona sequutura fore propter se amabilia, & intenta etiam ab ipso Deo: qualia sunt ostensio diuinorum attributorum, glorificatio Dei, libertas actus primi ipsius Reprobi, bonitas ipsius auxilij cum absoluta, tum respectiua diuersa ab vtilitate ad finem intentum. Electio enim eius vtilitatis præcisè cum præuisione inefficaciæ eius frustranea esset, & inanis, atque adeò indecens Deo.

Dices. Ergo huiusmodi electio semper manet frustranea respectu auxilij inefficacis prout 185
vtilis ad conuersionem Reprobi. Quia, quòd tale auxilium vtiliter, & non frustraneè propter alios fines ponatur, non tollit, illud frustra poni propter finem, qui præuidetur non obtinendus. Igitur Deus nequit ex fine non obtinendo eligere medium, etiam, quando per illud alij fines obtinendi sunt. Atque adeò nequit in Deo prouidentia esse: per quam aliquis finis intentus non obtineatur; etiamsi obtineantur alij, contra doctrinam statutam propos. 1. Respondeo, hoc ipsum, quod est, eligere Deum auxilium inefficax vt vtile ad conuersionem Reprobi, secum adferre commoda alia, ob quæ talis electio frustranea non est: ostendit enim Deus per illam se sincerè, & ex animo desiderare, tametsi affectu simplici, salutem Reprobi; seque curam habere ei prouidendi media, quibus illam possit lucrari; iustificatur insuper tali electione causa Dei; vt planè innotescat, non per Deum, sed per Reprobum stetisse, quominùs ipse saluetur. Itaque, licèt frustra eligatur efficaciter medium propter finem non obtinendum, etiam, quando simul ob alios fines obtinendos eligitur, vt contendit obiectio, casu, quod ex tali electione vt relata ad finem non obtinendum nihil amplius sequatur, quàm vtilitas medij ad talem finem; non tamen frustra eligitur, quando ex ea electione quasi reflexè alij fructus proueniunt; vt accidit in casu proposito. Ex quo patet solutio ad obiectionem ipsam. Et quidem negari non potest, Deum efficaciter velle auxilium inefficax vt vtile ad conuersionem Reprobi. Quia negari nequit, Deum ei conferre tale auxilium ex fine, vt conuertatur. Ex qua doctrinà etiam colligitur, quo pactò possit optimè frustranea non esse electio, qua ex intentione conditionatà finis medium eligitur; tametsi præuideatur per illam non obtinendus talis finis defectu purificationis conditionis, sub qua intentus est.

Obijciet tamen aliquis contra propositio- 186
nem. Si Deus ex intentione alicuius finis eligeret medium re ipsà inefficax, non præuisà inefficaciâ eius, non censeretur frustra operari ob contingentiam, cui se exponeret obtinendi finem; tametsi ex tali electione nullum alium videret fructum sequuturum. Nam modus iste operandi propter finem apud homines non est frustraneus, neque à ratione alienus: sæpe enim eligimus media vtilia in actu primo ad finem, nescientes, an ea efficacia reipsà, vel inefficacia futura sint. Ergo possibilis est prouidentia in Deo, per quam nec finis intentus, nec aliud quidpiam habens rationem finis obtineatur. Respondeo, apud homines, qui sæpe præscire non possunt efficaciam, aut inefficaciam mediorum, indecens non esse, media apponere ad obtinendum finem cum contingentiâ supradictâ; quia spes obtinendi finem per talia media compensat periculum, cui se exponunt frustra operandi. In Deo verò, qui cum omni certitudine euentuum potest semper operari, si velit, spes ambigua obtinendi, quod intendit, non est æstimabilis; atque adeò semper est indecens, eligere medium cum periculo non obtinendi finem, nec aliud quidpiam habens rationem finis.

Quia

Quia hoc esset exponi periculo frustra operandi. Vnde hoc in Deo est impossibile.

187 Cæterùm, si ex electione medij præcisè vt potentis causare finem certi alij fructus capiendi præuideantur, præter contingentiam obtinendi finem intentum, quam secum tale medium fert; dubitari potest, an Deo repugnet huiusmodi eligendi modus. Videtur enim esse possibilis prouidentia, qua Deus ex simplici desiderio finis eligat media vtilia in actu primo ad finem intentum, nondum præuisa efficaciâ, aut inefficaciâ, quam habitura sunt talia media respectu talis finis. Nam suppositis (vt supponuntur) alijs commodis, quæ certò ex tali genere prouidentiæ sequentur, nulli periculo frustra operandi exponetur Deus in tali mediorum electione. Pro qua parte stare videtur Arriaga 1. par. disp. 32. sect. 4. subsect. 2. Ego arbitror, si sermo sit, vti est in præsenti, de electione exequutiua medij præscindente ab efficaciâ, & inefficaciâ eius, aliunde, quàm à periculo frustrationis, in casu posito esse Deo talem electionem impossibiliem: quia nimirum nullum decretum exequutiuum dari in Deo potest præscindens a circunstantijs, cum quibus defacto est coniungendum obiectum decretum, vt supra disput. 36. quæst. 6. statutum est; quale talis electio esset, vt constat. Si verò sit sermo, vti absolutè potest esse, de electione purè intentiuâ medij præscindente ab efficaciâ, & inefficaciâ eius, possibilis erit Deo talis electio: quia non erit, vnde illa repugnet, vt ex dictis etiam dicta quæst. 5. facilè quisque potest colligere.

DISPVTATIO 38.

De prouidentia Dei adiutrice causarum secundarum.

BIFARIAM potest Deus adiuuare causas secundas ad operandum. Primò, conferendo illis omnia complementa potentiæ proximæ operandi. Secundò cooperando cum illis, seu concurrendo ad ipsarum operationes. De quibus duobus adiuuandi modis agendum est in hac disputatione. Primùm de priore. Deinde de posteriore. Et quidem, quod attinet ad causas necessarias, nihil est quod speciatim oporteat in præsenti notare. Nam vel prouidet Deus illis complementa potentiæ proximè operandi, concurrendo simul cum alijs causis ad illa causanda; vel per se solum. Si primo modo, qualiter id præstet, constabit ex dicendis inferiùs, cùm sermo sit de concursu Dei cum causis secundis. Si autem secundo modo, ex dicendis circa causas liberas constabit etiam, quid circa necessarias dicendum sit. De prouidentiâ ergo agendum nobis imprimis est, qua Deus causis liberis prouidet complementa potentiæ proximè operandi, constitutiua videlicet libertatis ipsarum in actu primò; hoc est de actibus voluntatis, & intellectus Dei aut vtilibus, aut necessarijs ad talia complementa, siue constitutiua dictæ libertatis præbenda citra libertatis ipsius iacturam.

QVAESTIO I.

Vtrùm quoduis constitutiuum libertatis voluntatis in actu primo necessariò debeat à Deo decerni per decretum exequutiuum indifferens ad vtrumuis exactibus secundis liberis.

AGamus claritas gratia de cogitatione, siue de auxilio, quo voluntas in actu primo redditur libera ad consensum, & a dissensum (nomine autem dissensus semper intelligam carentiam, siue omissionem consensus). Ponamusque huiusmodi auxilium eatenus respectu consensus efficax esse, vt taleque præuisum à Deo per scientiam mediam, quatenus conditionatè est verum, voluntatem cum eo consensuram, si ei conferatur. Ponamus item id, quod de facto plerunque saltem fit, cùm fert Deus auxilium efficax, conferre videlicet illud, quia efficax est; atque adeò per decretum connexum cum consensu, subindeque oppositum dissensui, siue cum eo incompatibile. Quibus positis, difficultas præsentis quæstionis est, an, præter decretum collatiuum auxilij connexum cum consensu, debeat in Deo dari de facto aliud decretum sufficienter etiam collatiuum eiusdem auxilij, indifferensque, & compatibile tam cum dissensu, quàm cum consensu, ad hoc, vt in voluntate maneat libertas ad consentiendum, vel dissentiendum. 1

Affirmat, & latè probare intendit Riba- 2
den. disput. 2. de Prædest. referens pro se Lessium. Eidemque sententiæ subscribunt docti Recentiores citantes pro illa Herice 1. par. disp. 23. cap. 14. à nu. 190. & Aldrete tom. 1, de Incarn. disput. 22. sect. 9. num. 19. Opposita tamen sententia communis citra dubium est inter nostros Doctores. Videntur enim eam planè supponere; tametsi quæstionem hanc non tractauerint: eámdemque docti alij Recentiores ex nostris ex professò & latè tuentur.

Pro resolutione ex principijs de libertate 3
latè stabilitis supra disput. 30. præsertim quæst. 5. & 10. suppono primò, libertatem voluntatis ad consentiendum, vel dissentiendum in duabus potentijs proximis, per rationem tantùm distinctis, consistere, altera ad consensum, & altera ad dissensum. Quibus proinde existentibus in voluntate, non potest non in eâ libertas existere. Deficiet autem hæc, quoties alterutra illarum defecerit; deficiente videlicet aliquo ex eius constitutiuis intrinsecis. Quod quidem ex potentiâ proximâ ad dissensum deficiet, quoties potentia proxima ad consensum ratione alicuius in se inclusi fuerit connexa cum consensu. Vnde, quando omnia constitutiua potentiæ proximæ ad consensum indifferentia sunt ad vtrumuis, atque adeò compatibilia cum dissensu, tunc nequit non dari in voluntate potentia proxima ad vtrumuis, atque adeò libertas. Semel autem posito, quòd detur in voluntate libertas, si quid existat connexum cum vno ex duobus actibus contradictorijs, ad quos illa libertas est, non potest non esse illud impedibile per alterum: & si quid deficiat requisitum ad vnum ex eisdem actibus, non potest non esse acquisibile per ipsum pro nu-

tu voluntatis. Ex quo planè sequitur; si quid existat connexum cum vno ex duobus actibus contradictorijs non impedibile per alterum pro nutu voluntatis, non posse non illud esse inclusum in potentiâ proximâ ad ipsum actum; atque adeò euertens libertatem: &, si quid deficiat requisitum ad vnum ex duobus actibus contradictorijs non acquisibile per ipsum pro nutu voluntatis, non posse non defectum eius alicuius constitutiui intrinseci potentiæ proximæ ad talem actū defectum esse: atque adeò libertatem excludens. Quæ omnia ex demonstratis locis citatis comperta sunt.

4 Suppono secundò, quando actus causæ cum aliquo termino connexus est, veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus vnum esse ex constitutiuis intrinsecis potentiæ proximæ talis causæ ad talem actum; prout quæst. 5. citatâ propos. 9. monstratum est. Vnde, quando actus causæ liberæ cum aliquo termino connexus est, vt ea sit proximè libera respectu talis actus, verum conditionatè esse debet, extiturum sine contradictione terminum, si existat actus.

5 Suppono tertiò, per positionem termini connexionis actus causam actus, aliàs necessariam, ad actum ipsum determinatam, siue necessitatam euadere; causam verò actus, aliàs liberam, non item. Quia, quandò absolutè existit terminus connexionis actus, conditionatè est verum, ipsum sine contradictione extiturum, si existat actus: per quam veritatem conditionatā potentia proxima ad actum (suppositis, vt supponuntur, cæteris eius constitutiuis) completur, iuxta doctrinam propos. 9. citatæ. Per potentiam autem proximam ad actum completam causa, aliàs necessaria eius, proximè determinata, siue necessitata manet ad ipsum iuxta demonstrationem factam dictâ quæst. 5. propos. 14. num. 221. causa verò eius, aliàs libera, proximè ad ipsum, & ad oppositum manet indifferens, siue libera; prout constat ex dictis ibidem. Per remotionem verò termini connexionis actus causa actus, aliàs seu necessaria, seu libera, ad contradictorum actus euadit determinata, siue necessitata. Quia, deficiente absolutè termino connexionis actus, deficit veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus: per quam potentia proxima ad actum complenda erat; atque adeò ipsa potentia proxima ad actum deficit. Causa autem actus, aliàs seu necessaria, seu libera, impotens proximè ad actum, eo ipso ad eius contradictorium est proximè necessitata, siue determinata, Quæ omnia ex se, & ex dictis etiam locis citatis constant.

6 Suppono quartò, per positionem actus connexi cum termino titulo connexionis præcisè nullatenus determinari, siue necessitari causam termini ad ipsum ponendum. Quia titulus connexionis præcisè conferre non potest ad hoc, vt actus pertineat intrinsecè ad potentiam proximam termini iuxta doctrinam certam statutam quæst. 5. citatâ propos. 7. Tametsi alijs titulis actus cum termino connexus sæpe possit determinare causam termini ad ipsum ponendum: vti determinat imperium ad actum imperatum; intentioque efficax finis ad electionem medij, & cætera huiusmodi. Casus autem remotionis actus connexi cum termino ad præcedentem suppositionem reducitur; quia est casus positionis termini, cum quo aliud connectitur: siquidem, quando actus est connexus cum termino, remotio termini est connexa cum remotione actus, vt constat. In quibus verò casibus, vt causa actus connexi cum termino euadat ad talem actum proximè potens, indigeat, quòd causa termini aliunde ad ipsum ponendum determinetur; & in quibus in item, ex propositione 14. dictæ quæst. 5. est petendum; vbi id ex professò & satis latè monstratum est.

7 Iam ad resolutionem quæstionis accedens suppono quintò, paulò aliter esse in eâ philosophandum de decreto collatiuo auxilij efficacis ad consensum, ac de decreto collatiuo auxilij merè sufficientis, siue efficacis ad dissensum, seu ad carentiam consensus. Quod nullus ex commemoratis Doctoribus animaduertit. Agam igitur imprimis cum illis de primo casu. Deinde de secundo.

Propositio 1.

8 Decretum Dei collatiuum auxilij efficacis ad consensum connexum cum consensu libertatem voluntatis ad ipsum consensum non tollit.

Conueniunt in hac propositione Auctores vtriusque sententiæ citata num. 2. Quia vtrique censent, & benè, tale decretum extra conceptum esse potentiæ proximæ ad consensum, & à voluntate impedibile per dissensum; quo nihil in eo supereset aduersum libertati ad consensum, Certum quippe est, tale decretum non influere immediatè, sed tantùm mediatè in consensum, quatenus mouet Deum ad conferendum auxilium influxurum immediatè simul cum voluntate in consensum. Vnde consequenter est certum, tale decretum in potentiâ proximâ ad consensum intrinsecè non claudi vt vnum ex eius constitutiuis, sed extra illam aliundè integrè constitutam existere. Per id autem, quod non includitur in potentiâ proximâ ad consensum, quantumuis cum ipso consensu connexum sit, nullatenus auferri potest libertas ad consensum; vt latè demonstratum relinquimus disp. 30. quæst. 5. propos. 12. Semel autem statuto, quòd connexum cum consensu componitur cum libertate ad vtrumuis, non posse non illud in suâ existentiâ à nutu libero voluntatis dependere, atque adeò per ipsius dissensum liberum esse impedibile, constat ex dictis tum ibidem, tum disput. 37. quæst. 8. propos. 1. & 2. tum ex doctrinâ suppositionis primæ præsentis quæstionis.

9 Bifariam autem dictum decretum est impedibile à voluntate per dissensum iuxta doctrinam suppositionis tertiæ. Primò mediâ impeditione scientiæ mediæ, cui illud subnititur. Secundò per se immediatè. Cùm enim sit decretum de auxilio prout efficaci, quale est præuisum per scientiam mediam; bifariam illud connectitur cum consensu: primò interuentu scientiæ mediæ, quam essentialiter supponit; secundò per se immediatè. Atque ita voluntas potens remouere consensum per omissionem eius, eo ipso & potest necessitare intellectum diuinum, ne talem scientiam mediam habuerit; & potest necessitare voluntatem diuinam, ne conceperit tale decretum: impediendo scilicet tum potentiam proximam intellectus Dei ad dictam scientiam; tum potentiam

tiam proximam voluntatis Dei ad dictum decretum, prout dicta suppositione tertia explicatum est: & hoc secundum duplici titulo; nimirum quia voluntas remouendo consensum, remoueret terminum, cum quo decretum duplicem connexionem habet, alteram immediatam ratione sui, alteram mediatam ratione scientiæ mediæ, cum qua insuper immediatè connexum est. Huiusmodi autem impedibilitas dicti decreti per dissensum supponit potentiam proximam, atque adeò libertatem ad ipsum dissensum: ad quam Aduersarij alterum decretum indifferens absolutè existens requirunt: nos verò dumtaxat requirimus veritatem conditionatam, de qua propos.it. 2. Quòd si deficiat dicta libertas, non à decreto dicto connexo cum consensu formaliter, sed aliunde deficiet, prout infra explicabimus num. 29.

Propositio 2.

10 Decretum Dei collatiuum auxilij efficacis ad consensum indifferens, & compatibile tam cum dissensu, quàm cum consensu ad voluntatis libertatem consentiendi, vel dissentiendi nullatenus requisitum est.

Hæc propositio est contra Auctores primæ ex sententijs relatis num. 2. Eam autem probant Recentiores tenentes nobiscum secundam. Quia, licèt decretum indifferens de auxilio sit requisitum ad dissensum prout liberum, quatenus in casu, quòd daretur dissensus coniunctus cum auxilio, deesset decretum de auxilio connexum cum consensu, auxiliumque, vtpote creatura, sine aliquo decreto Dei de se non posset existere: modò tamen voluntas instructa auxilio, sicut habet in suâ liberâ potestate impedire dissentiendo existentiam decreti connexi cum consensu, per quod de facto existit auxilium: ita quoque habet in suâ liberâ potestate determinare existentiam decreti indifferentis, per quod existeret idem auxilium, casu, quòd voluntas, vt puta est, liberè dissentiret: quemadmodùm voluntas auxilio instructa medio suo dissensu potest, non solùm impedire scientiam mediam, quam Deus habet, de consensu, sed etiam determinare scientiam mediam oppositam, quam Deus haberet de dissensu, casu quòd illa dissentiret.

11 Non tamen benè. Primò; quia iuxta doctrinam statutam suppositione tertia, licèt voluntas nostra possit dissentiendo, non solùm impedire scientiam mediam de consensu, sed etiam determinare scientiam mediam de dissensu; eo quòd intellectus diuinus potentia necessaria est, atque adeò determinabilis, non solùm ad carendum vno actu scientiæ per remotionem obiecti, quod terminus est connexionis eius; sed etiam ad concipiendum alterum actum scientiæ per positionem obiecti, quod pariter connexionis eius terminus est: at circa decreta, siue actus voluntatis diuinæ, quæ potentia est libera, aliter voluntas nostra se habet. Potest quippe impedire vnum decretum, siue illius carentiam determinare per remotionem termini connexionis eius: non tamen potest vice versâ per positionem termini connexionis eius vllius decreti determinare existentiam: quia, posito termino connexionis cuiusuis decreti, adhuc voluntas diuina manet indifferens ad tale decretum ponendum, vel omittendum. Sed neque potest voluntas nostra per positionem alicuius actus sui determinare voluntatem diuinam ad aliquod decretum titulo connexionis talis actus cum tali decreto iuxta doctrinam suppositionis quartæ. Igitur in casu, quem versamus, voluntas nostra nullo titulo potest medio suo dissensu libero determinare voluntatem diuinam ad concipiendum decretum vllum de auxilio, quod modò non datur: quantumuis possit tum impedire decretum de auxilio, & scientiam mediam de consensu, quæ modò dantur, tum determinare scientiam mediam de dissensu, quæ modò non datur.

Id quod secundò probandum venit per 12
doctrinam vniuersalem traditam disput. 30. quæst. 5. propos.it. 13. & 14. Inde enim constat, per actum vnius voluntatis, quantumuis connexum cum actu positiuo alterius, hanc ad talem actum positiuum determinare non posse; atque ita primam ad suum actum tunc solùm esse proximè liberam, quando simpliciter est verum, secundam liberè se se determinaturam ad suum ex hypothesi, quòd se se etiam ad suum determinet prima. Igitur in casu nostro, quantumuis dissensus voluntatis creatæ prout coniunctus cum auxilio sit connexus cum aliquo Dei decreto, quod modò non datur, voluntas diuina ad tale decretum per talem dissensum determinari non potest: atque ita voluntas creata tunc solùm erit proximè libera ad dissentiendum cum tali auxilio, quando simpliciter fuerit verum, voluntatem diuinam liberè se se ad tale decretum determinaturam ex hypothesi, quòd voluntas creata cum tali auxilio se se ad dissentiendum determinaret.

Est tamen hìc adnotandum id, quod Re- 13
centiores isti videntur non satis explicasse; ad dissensum scilicet voluntatis creatæ prout liberum in casu nostro decretum collatiuum auxilij indifferens requisitum non esse determinatè; sed vel indifferens, vel connexum cum ipso dissensu: eo quòd vtrumlibet sufficit ad causandam existentiam auxilij: & connexum cum dissensu dissensus libertatem non læderet casu, quòd voluntas dissentiret; sicut modò, quando consentit, non lædit libertatem consensus decretum collatiuum auxilij connexum cum ipso consensu, quod in casu dari supponitur.

Eiusmodi ergo Recentiorum nobiscum in 14
propositione consentientium probatione reiectâ, ex generali, legitimâque doctrinâ iam indicatâ, traditâque locis citatis probanda illa à nobis est. Quia nimirum, vt voluntas A sit proximè libera ad actum connexum cum actu voluntatis B, necesse non est, aut quod actus voluntatis B sit absolutè existens, aut quod sit ille determinabilis per actum voluntatis A; sed sufficit, quòd sit conditionatè verum, actum voluntatis B sine contradictione fore extiturum pro libero nutu, ac determinatione ipsius B ex hypothesi, quòd existeret actus voluntatis A. Per talem enim veritatem conditionatam libertas proxima voluntis A ad suum actum ita completur, vt iam in suâ liberâ potestate habeat, & ponere suum actum actum, & per positionem eius tanquam per purificationem conditionis acquirere sibi terminum connexionis eius, qui est actus voluntatis B infallibiliter in tali casu ab ipsâ ponendus. Igitur, vt voluntas creata instructa auxilio efficaci ad consensum sit proximè libera ad dissensum, ad coniunctionem ve dissensus cum tali auxilio

conne-

connexam cum aliquo decreto Dei de auxilio ipso compatibili cum ipso dissensu, necesse non est, aut quòd sit absolutè existens tale decretum, aut quòd sit illud determinabile per coniunctionem ipsam; sed sufficit, quòd sit conditionatè verum, tale decretum sine contradictione fore extiturum pro nutu libero, ac determinatione voluntatis diuinæ ex hypothesi, quòd existeret dicta coniunctio dissensus cum auxilio posita à voluntate creatâ. Dum ergo huiusmodi veritas conditionata adsit, voluntas instructa auxilio efficaci ad consensum omnino erit ad dissensum proximè libera, quantumuis tale auxilium per vnicum decretum Dei cum ipso consensu connexum collatum sit.

15 Dices. Deus de facto aut semper, aut plerunque saltem confert auxilium efficax ad consensum, non collaturus illud per vllum decretum, si non foret efficax. Ergo de facto aut semper, aut plerunque saltem non adest veritas illa conditionata de existentiâ alterius decreti diuini de tali auxilio compatibilis cum dissensu ex hypothesi, quòd voluntas creata cum tali auxilio non consentiret, sicque illud non foret efficax ad consensum. Ergo iuxta doctrinam nostram aut semper, aut plerunque saltem in voluntate creatâ instructâ auxilio efficaci ad consensum non datur libertas ad dissensum ex defectu veritatis prædictæ.

16 Hìc est cauenda æquiuocatio. Aliud enim est, per nullum decretum fore decernendum à Deo auxilium A ex hypothesi, quòd auxilium A non fuisset à Deo præuisum efficax. Aliud, per nullum decretum fore decernendum à Deo auxilium A ex hypothesi, quòd auxilium A existeret sine efficaciâ. Et primum quidem non solùm possibile, sed plerunque saltem verum de facto est: eo quòd Deus ad decernendum auxilium non solùm potest moueri ex præuisione efficaciæ eius; sed ita mouetur de facto ex illâ, saltem plerunque, vt, si illud non præuideret efficax, de facto non decerneret. Secundum verò non solùm falsum, sed penitus impossibile est: quia ex hypothesi, quòd existeret auxilium sine efficaciâ, prorsus repugnat, non extiturum aliquod Dei decretum de illo. Cuius ratio à priori est: quia duo ista conditionata obiecta, vtpote per diuersas hypotheses constitura, diuersa sunt: alterumque proinde negatiuè, & alterum affirmatiuè vera esse possunt. Benè ergo inter se cohærent hæ duæ veritates conditionatæ circa auxilium efficax de facto Petro collatum. *Hoc auxilium per nullum decretum decerneretur à Deo, si esset præuisum sine efficaciâ. Hoc auxilium per aliquod decretum decerneretur à Deo, si esset existens sine efficaciâ.* Vbi obiter nota, suppositâ existentiâ absolutâ talis auxilij, potentiam constitutam per illud, quam habet Petrus ad dissentiendum, atque adeò ad reddendum ipsum inefficax, consequenter esse potentiam ad impediendam priorem duarum disiarum veritatum. Quia, si tali auxilio existente, Petrus, vt potest, non consentiret, ipsumque redderet inefficax, tunc non fuisset conditionatè verum, illud à Deo non decernendum, si præuisum fuisset inefficax.

17 Ex quibus patet, nihil doctrinæ nostræ præiudicare, quòd de facto sit verum, pleraque saltem auxilia efficacia, quæ Deus decernit, ab ipso decernenda non fore, si fuissent præuisa inefficacia. Quinimo ex veritate istâ, quam omnes supponimus, efficaciter redarguendi veniunt nostri Aduersarij, quatenus, illâ suppositâ, neutiquam euitant ipsi difficultatem, quam per doctrinam suam euitare contendunt. Difficultas enim in eo sita, quòd voluntas nostra instructa auxilio efficaci collato sibi vnicè per decretum connexum cum consensu non videtur potestatem habere ad acquirendam sibi determinationem liberam voluntatis diuinæ requisitam ad dissensum prout liberum, qualis est decretum de auxilio compatibile cum ipso dissensu: ob idque requirunt, vt tale auxilium insuper conferatur à Deo voluntati de facto per decretum indifferens, seu compatibile tam cum dissensu, quàm cum consensu. Ait, prædictâ veritate suppositâ, hæc difficultas ab Aduersarijs per decretum suum indifferens superadditum non euitatur. Ergo huiusmodi additamentum inutile ad finem intentum; atque adeo absolutè superfluum, ac prorsus superuacaneum est. Cætera patent. Probo minorem. Nam eo ipso, quòd est verum, nullum decretum de auxilio extiturum, si hoc non fuisset præmissum efficax, non potest non omne decretum de auxilio, etiam indifferens, de facto dependere aliquo modo à præscientia de efficacia auxilij; aliàs non esset verum, vti supponitur, illud defecturum, deficiente tali præscientiâ. Ergo libertas, siue nutus, siue determinatio libera Dei circa tale decretum, tali præscientiâ constituitur: quia omne quoquomodo influens in actum liberum eius libertatem, actus primi, à qua liber euadit, constituit intrinsecè, vt constat. Ergo, licèt, casu, quòd poneretur à voluntate dissensus, adhuc maneret quoad substantiam decretum indifferens; at libertas actus primi, determinatioque, & nutus Dei ad eum habendum, vi cuius extitit de facto, non maneret. Cùmque repugnet, vt existat decretum Dei sine aliquâ libertate, ac determinatione diuinâ, nedesse esset, vt, posito dissensu, alia libertas, determinatio, seu nutus Dei daretur de tali decreto, quæ de facto non est: quæ subindè à voluntate per suum dissensum acquireretur. Recidimusque in difficultatem, quam Aduersarij per suum decretum indifferens prætendebant vitare. Cùm ergo ab omnibus necessariò dicendum sit, voluntatem nostram instructam auxilio efficaci in casu suppositro potestatem habere ad acquirendam sibi aliquam determinationem liberam Dei ad suum dissensum prout liberum requisitam, quæ absolutè non extat; latiùs proculdubio erit asserere, talem determinationem esse decretum causaturum idem auxilium casu, quòd daretur ipse dissensus, quàm onerare de facto voluntatem diuinam decreto indifferente prorsus superfluo.

Sed dicet aliquis rursus contra nos ex nostrâ vniuersali doctrinâ in præmissis suppositionibus indicatâ, & latiùs traditâ in locis ibi citatis. Ex hypothesi, quòd voluntas nostra instructa auxilio efficaci collato vnicè per decretum connexum cum consensu coniungeret cum ipso auxilio dissensum, sicque impediret tale decretum, adhuc maneret libera voluntas Dei ad ponendum, vel non ponendum decretum alterum compatibile cum dissensu, ipsiusque auxilij causatiuum; atque adeò ad faciendum quod verum sit sub tali hypothesi huiusmodi decretum extiturum, aut sine contradictione aut cum contradictione. Ergo contingens est, saepeque proinde eueniet de facto, vt tantùm sit verum, cum contradictione extiturum; deficiatque veritas conditionata ad libertatem voluntatis constituendam requisita iuxta doctrinem nostram. Ergo iuxta illam sæpe de facto eueniet, vt voluntas nostra

nostra instructa auxilio efficaci ad consensum, cæter isque omnibus ad libertatem requisitis, ex solius dictæ vritatis conditionatæ defectu non maneat libera, atquæ adeò necessariò, & sine merito consentiat. Quod est absurdum.

19 Respondeo, voluntati nostræ instructæ auxilio efficaci ad consensum nunquam de facto dictam veritatem deesse, atque ita nunquam non esse liberam propter defectum eius solius; sicut nunquam de facto non est libera propter defectum solius concursus generalis Dei. Nam, sicut connaturale est prouidentiæ diuinæ, vt nunquam desit voluntati nostræ solus concursus generalis in actu primo, quando adsunt cætera cuncta ad libertatem eius in actu primo requisita; ita pariter, vt nunquam desit prædicta veritas. Nunquam autem deest: quia Deus de facto semper dat voluntati nostræ auxilium efficax ad consensum tale, cum talibusque circunstantijs, quibus præuidet esse veritatem ipsam annexam ex suo libero, conditionatoque beneplacito; eo quòd verum conditionatè est, ex hypothesi, quòd tale auxilium existeret simul cum dissensu, exiturum sine contradictione pro nutu libero voluntatis diuinæ decretum alterum de auxilio ipso cum ipso dissensu compatibile, atque adeò diuersum a decreto de eodem auxilio, quod existit absolutè, & de facto connexum cum consensu; & quod ex eadem hypothesi non extiteret; quia impediretur. Ex quibus obiectionis factæ clarè patet solutio.

20 Pergo iam, & probo secundò meam propositionem. Nam eius Aduersarij fatentur, neque negare possunt, decretum indifferens collatiuum auxilij efficacis ad consensum, quod ipsi ponunt requisitum ad libertatem dissentiendi, nullatenus esse influxiuum immediatè in consensum, vel in dissensum, sed tantùm in auxilium, atque ita intrinsecè non pertinere ad potentiam proximam consentiendi, vel dissentiendi, in qua stat libertas; sicut neque pertinet decretum alterum etiam collatiuum auxilij connexum cum consensui; quandoquidem hoc iuxta sententiam ipsorum per libertatem ipsam est impedibile. Quo posito, manifestè consequitur, per defectum talis decreti indifferentis libertatem ad dissensum tolli non posse, prout ipsi putant. Primò; quia iuxta doctrinam latè a me demonstratam disp. 30. quæst.5.propos.10. à num. 143. contradictorium eius, quod necessitat voluntatem ad vnum ex eius actibus contradictorijs, in potentia proximâ ad alterum necessariò debet includi. Si igitur dictum decretum indifferens, in potentia proximâ ad dissensum incluſum non est, apertè sequitur, esse impossibile, vt per defectum eius necessitetur voluntas ad consensum contradictorium; sicque libertate careat ad dissentiendum. Secundò; quia, quoties voluntates potentiam proximam habet ad actum positiuum compatibilem, seu coniungibilem cum negatiuo contradictorio, non potest non habere libertatem proximam ad vtrumque, vt ibidem est demonstratum num.151. Sed eadem potentia proxima, quam habet voluntas ad consensum, compatibilis cum dissensu iuxta Aduersarios in casu existentiæ sui decreti indifferentis, dabitur in casu defectus eius solius; siquidem per defectum eius solius nullum decidit iuxta dicta ex constitutiuis intrinsecis talis potentiæ. Igitur eadem libertas, quam habet voluntas in casu existentiæ dicti decreti indifferentis, dabitur in casu defectus eius solius: per talemque subinde defectum libertas voluntatis nequaquam tollitur. Bretuùs. Solus defectus dicti decreti non est defectus potentiæ proximæ consensus compatibilis cum dissensu, in qua stat libertas, hoc ipso, quòd tale deficetum pars talis potentiæ non est. Ergo non est defectus libertatis. Sed neque inducit defectum libertatis à se distinctum; cum supponatur, nihil aliud deficere, præterquam decretum ipsum. Ergo.

Tertiò probatur propositio. Quia iuxta 21
sententiam Aduersariorum, quam nos cum ipsis tuebimur quæst.2. impossibile est, quòd Deus conferat auxilium sine scientia mediâ, vel de eius efficaciâ, quando efficax est; vel de eius inefficaciâ, quando est inefficax. Ergo ad existentiam auxilij prout efficacis scientia media de efficaciâ, & ad existentiam auxilij prout inefficacis scientia media de inefficacia omnino requisita est. Consequentia est euidens. Pergo. Ergo, vt voluntas instructa auxilio efficaci illud, impeditâ efficaciâ, cum inefficacia coniungeret dissentiendo, scientia media de inefficacia omnino requisita est, atque adeò non minùs, quam est requisitum decretum de auxilio ipso compatibile cum dissensu. Et tamen talis scientia neque datur, neque dari potest de facto; eiusque defectus nihilominùs nullatenus præiudicat libertati voluntatis ad dissentiendum. Ergo nec defectus talis decreti vllatenus potest tali libertati præiudicare. Probo hanc consequentiam. Ideo non præiudicat defectus scientiæ; quia hæc per dissensum liberum voluntatis est acquisibilis. Sed etiam decretum per dissensum liberum voluntatis est acquisibile, qua ratione explicatum est. Ergo nec defectus decreti præiudicabit.

Quartò probatur. Quia requisitum ad 22
actum vt terminus connexionis eius titulo talis non est prout absolutè existens intrinsecum constituiuum potentiæ proximæ ad talem actum, vt supra disp.30.quæst.5.propos.5.monstratum est. Ergo decretum de auxilio compatibile cum dissensu, ad ipsum dissensum prout liberum, seu prout coniunctum cum tali auxilio requisitum vt terminus connexionis eius titulo talis non est prout absolutè existens intrinsecum constitutiuum potentiæ proximæ voluntatis ad ipsum dissensum. Igitur, tali decreto absolutè non existente, si cætera constitutiua talis potentiæ adsint, vt possunt, proximè potens erit voluntas ad dictum dissensum: quo casu, cùm supponatur aliunde proximè potens ad consensum, nihil desiderabitur, quominùs sit proximè libera ad consentiendum, & dissentiendum. Quia tamen, licèt terminus connexionis actus prout absolutè existens potentiam proximam ad actum non constituat intrinsecè, constituit tamen ipsam veritas conditionata de existentiâ sine contradictione termini sub conditione existentiæ actus, vt ibidem propositum.9. monstrauimus. Ideò in casu nostro, vt voluntas sit proximè potens ad coniungendum suum dissensum cum auxilio, atque adeò libera ad vtrumuis, necesse est, quòd verum sit, ex hypothesi, quòd coniungeret, exiturum sine contradictione decretum de auxilio compatibile cum ipso dissensu. Quomodò autem id semper de facto verum sit, supra iam expositum est. Quoniam verò decretum de auxilio compatibile cum dissensu vel potest esse indifferens, vel connexum cum dissensu: & quoduis eorum ad rem sufficit modo dicto. Concluditur tandem contra

Ad-

Aduersarios decretum indifferens de auxilio nec prout absolutè existens, prout ab eis ponitur, nec prout hypotheticè extiturum, atque adeò nullatenus (prout diximus in propositione) esse determinatè sumptum requisitum ad libertatem,

23 Restat vt argumenta diluamus, quibus Aduersarij & sententiam suam adstruere, & nostram labefactare conantur. Arguunt sic primò. Voluntas vocata auxilio efficaci collato per vnicum decretum connexum cum consensu potentiam non habet acquirendi sibi alterum decretum de eodem auxilio requisitum ad dissensum. Ergo nec habet potentiam ad dissentiendum. Consequentia est bona. Quia voluntas, cui deest aliquod requisitum ad actum ab eâ per actum non acquisibile, eo ipso caret potentiâ ad actum. Antecedens autem probatur. Quia, cùm existentia auxilij supponat essentialiter aliquod decretum, nec detur aliud, præter connexum, potentia constituta per auxilium essentialiter supponit decretum connexum cum consensu. Repugnat autem, vt potentia essentialiter supponens decretum connexum cum consensu sit acquisitiua medio dissensu alterius decreti; quandoquidem decretum connexum cum consensu essentialiter est inconiungibile cum dissensu. Confirmant primò. Quia in potestate voluntatis non est, quòd vocetur, iuxta illud August. in lib. octoginta trium qq. quæst. 68. *Propterea, etsi quisquam sibi tribuit, quòd venit vocatus; non sibi potest tribuere, quòd vocatus est.* Esset autem in potestate voluntatis, quòd vocetur, si esset in potestate voluntatis decretum de suâ vocatione. Confirmant secundò. Quia in voluntate creatâ potestas non est ad determinandam, seu, quod est idem, necessitandam diuinam ad aliquod decretum. Ergo nec ad sibi acquirendum decretum, quod de facto non datur. Ergo, si non datur de facto decretum de auxilio requisitum, vt voluntas creata possit coniungere cum illo dissensum, ex defectu potestatis illud acquirendi deficiet in illâ libertas ad dissentiendum cum tali auxilio.

24 Antequàm adhæc respondeam, aduerto, malè ab Aduersarijs solere confundi duo ista. Voluntatem creatam per aliquem suum actum posse determinare Deum ad aliquod decretum ponendum; & posse acquirere sibi aliquod Dei decretum. Sunt enim diuersa. Nosque, vt ex superiùs dictis constat, negamus primum: quia Deus per actum voluntatis creatæ ad aliquod decretum ponendum necessitari nequit. Affirmamus verò secundum: quia, quando conditionatè est verum, fore, vt Deus sponte suâ, ex liberâque suâ determinatione poneret aliquod decretum ex hypothesi, quòd voluntas creata poneret aliquem actum suum; tunc potentia, quam voluntas creata habet ad talem actum ponendum, potentia est ad acquirendum sibi tale decretum: etsi non sit potentia ad determinandum diuinam voluntatem ad illud. Constat autem apud omnes, vt voluntas creata sit proximè libera, sat esse, quòd possit sibi acquirere quouis ex dictis modis decretum Dei, cum quo suus actus connexus est.

25 Iam ad argumentum respondeo, voluntatem creatam vocatam auxilio efficaci collato per vnicum decretum connexum cum consensu benè posse habere potentiam acquirendi sibi per dissensum alterum decretum de eodem auxilio, non quidem componendo dissensum cum decreto connexo cum consensu, sed illud simul impediendo, vtpote intrinsecè non inclusum in potentiâ proximâ ad dissensum, quæ eadem ipsa quoque est potentia proxima ad consensum. Nec refert, talem potentiam per tale auxilium constitutam essentialiter supponere aliquod decretum de auxilio ipso vel connexum, vel non connexum cum consensu, de factoque non dari nisi connexum: quia eo ipso, quòd cum alterutro ea contenta est, dummodò per idem ipsum, per quod amitteret vnum, acquireret alterum, nihil deesset, petitum ab ipsâ essentialiter. Vide id in actibus scientiæ mediæ de efficaciâ, & de inefficaciâ auxilij, quorum alterutrum iuxta Aduersarios petit existentia auxilij essentialiter. Et tamen illi nec debent, nec possunt existere simul, vt voluntas instructa auxilio sit libera ad vtrumuis; eo quòd per idem ipsum, per quod potest voluntas impedire vnum, potest simul acquirere alterum; sicque facere vt non desit, quod petit existentia auxilij essentialiter. Cùm ergo existentia auxilij similiter amplius non petat essentialiter, quàm alterutrum ex decretis connexo, inconnexoque cum consensu, impertinenter profectò ponuntur ambo simul, vt voluntas instructa auxilio sit libera ad vtrumuis; quando ipsa per idem ipsum, per quod potest impedire vnum, potest simul acquirere alterum, sicque petitionem auxilij implere; vti de facto semper potest, prout probatum relinquimus. Iam verò, quòd antecedentia naturæ mediatæ, quam habent decreta ista respectu actuum voluntatis, non obstet, quominùs ea per ipsos actus, aut impedibilia sint, aut acquisibilia, ipsorum Aduersariorum sententia est; & omnium, qui iam communiter docent, principium remotum actus liberi benè sub libertatem eius cadere posse. De quo, præter multa in præcedentibus dicta, plura dicenda veniunt infra disput. 39. Ad primam confirmationem respondeo, tametsi in potestate voluntatis non sit, quòd vocetur, posse tamen ab arbitrio voluntatis aliquo modo dependere, quòd decretum de vocatione sit hoc potiùs, quàm illud. Adde, August. verbis obiectis tantùm intendere excludere meritum vocationis: cùm dicat immediatè antea. *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur. Propterea, &c.* Cæteroquin non solùm decretum de vocatione, sed etiam vocationem ipsam sæpe dependere aliquo modo ab actu libero voluntatis aliter, quàm à merito, nemo negare potest in casu, quo Deus conferet auxilium efficax, non collaturus, si non foret efficax. De quo vide dicta supra disput. 37. quæst. 4. num. 62. dicendaque loco ibi citato. Ad secundam confirmationem constat, ex dictis; benè posse voluntatem creatam acquirere sibi aliquod Dei decretum; tametsi ad nullum determinare, siue necessitare possit voluntatem diuinam.

Secundò arguunt. Auxilium efficax es- 26
sentialiter connectitur cum decreto connexo cum consensu, si deest non connexum. Sed quando confertur vnicè per connexum, deest non connexum. Ergo tunc essentialiter connectitur cum connexo, & medio illo cum consensu. Ergo tunc tollit libertatem ad consensum. Quia quoties aliquid inclusum in potentiâ proximâ ad actum (quale est auxilium) essentialiter cum actu connexum est siue immediatâ, siue mediatâ connexione, non potest non illud tollere libertatem

rem ad actum iuxta doctrinam vniuersalem statutam à nobis supra disput. 30. quæst. 5. posit. 11.

27 Hoc argumentum, cui valde fidunt Recentiores, sophisma est. Cuius fallacia imprimis per instantiam detegitur. Nam eo ipso, quòd potentia proxima voluntatis creatæ ad vnum, vel alterum ex extremis contradictorijs connectitur titulo creaturæ cum Deo, cui deesse nequit scientia tum media, tum visionis de alterutro dictorum extremorum, non potest non talis potentia connecti disiunctiuè cum vno, vel altero ex actibus scientiæ Dei de dictis extremis, & consequenter cum vnoquoque eorum determinatè, si desit alterum: cùmque ex dictis actibus scientiæ propter oppositionem citra medium, quam inter se habent, semper, & necessariò vnus adsit, & alter desit, concluditur, dictam potentiam proximam voluntatis cum vno eorum determinatè semper, & necessariò connexam esse: & consequenter iuxta argumentum factum (si quid probat) nunquam posse esse liberam; quia medio actu scientiæ de consensu, cùm adest, erit connexa cum consensu, & medio actu de dissensu, cùm adest, erit connexa cum dissensu: semperque necessarium est, vt vnus adsit, & alter desit. Ex quibus patet, nihil omnino per tale argumentum probari.

28 Respondeo ergo ad illud, connexionem cum actu potentiæ proximæ voluntatis ad ipsum, vt tollat libertatem iuxta doctrinam à nobis statutam dicta posit. 11. intrinsecam esse debere ipsi potentiæ: neque sufficere semiextrinsecam fundatam partim in aliqua extrinsecâ suppositione, maximè, cùm talis suppositio ab eiusdem voluntatis dependet arbitrio, vti euenit in proposito. Quòd enim desit scientia de dissensu, & ex suppositione defectus eius, voluntas mediâ scientiâ de consensu cum ipso consensu determinatè connectatur ab arbitrio ipsius voluntatis dependens est; quæ liberè eligens consensum præ dissensu facit, vt & scientia de dissensu desit, & connexio determinata sui cum consensu mediâ scientiâ de ipso adsit. Pariterque in casu nostro voluntas liberè consentiendo, facit, vt desit decretum de auxilio compatibile cum dissensu, suaque proxima potentia ad consensum cum ipso consensu connexa euadat, determinatè quidem, sed semiextrinsecè medio decreto, quod solùm adest, connexo cum eodem. Mitto alia, quæ Recentiores congerunt. Quia vel in iam dicta recidunt, vel facilè diluenda per iam dicta venient.

29 Inferoque ex omnibus dictis primò, licèt, stante auxilio efficaci collato vnicè per decretum connexum cum consensu, semper de facto detur in voluntate libertas, vti explicatum est; possibile tamen esse, vt non detur. Quia tunc non daretur, quando sub hypothesi coniunctionis dissensus cum entitate auxilij efficacis non esset conditionatè verum, extiturum sine contradictione alterum decretum compatibile cum dissensu, pro nutu libero, atque conditionato Dei. In tali autem casu ideo formaliter deesset libertas; quia deesset dicta conditionata veritas, quæ est vnum ex constitutiuis intrinsecis eius: non verò, quia decretum connexum cum consensu per se formaliter titulo talis connexionis induceret necessitatem libertati oppositam. Hanc enim tantùm potest inducere connexum cum actu inclusum in potentiâ proximâ ad actum: dictum autem decretum etiam in eo casu maneret extra potentiam proximam ad consensum.

Secundò infero, etiam, stante auxilio efficaci collato per duo decreta, altero connexo cum consensu, & altero indifferente, prout illud ponunt Aduersarij, possibile esse, vt non detur in voluntate libertas. Quia adhuc in tali casu est possibile, vt desit prædicta conditionata veritas constitutiua libertatis: cùm sit possibile, vt ex hypothesi coniunctionis dissensus cum entitate auxilij nullum à Deo foret decretum sine contradictione ponendum, pro libero ipsius, conditionatoque arbitratu. Vnde patet, decretum indifferens actu existens, quod Aduersarij ad libertatem necessarium esse arbitrantur, non tantùm non necessarium ad illam, sed omnino impertinens esse. Quòd est valde notandum. 30

Pergo iam ad decisionem quæstionis pro casu, quòd auxilium merè sufficiens, siue inefficax sit, collatumque per decretum vnicum connexum cum dissensu, hoc est, cum carentiâ consensus. 31

Propositio 3.

De casu auxilij inefficacis collato voluntati vnicè per decretum Dei connexum cum dissensu perinde ad rem philosophandum est, ac de casu auxilij efficacis collati voluntati vnicè per decretum Dei connexum cum consensu: nonnullà tamen exiguà interueniente differentiâ. 32

Atque ita dicendum primò, si detur in tali casu conditionata veritas de existentiâ sine contradictione alterius decreti Dei compatibilis cum consensu ex hypothesi, quòd voluntas consensum cum auxilio coniungeret, nihil ad eius libertatem desiderari. Quia per huiusmodi veritatem potentia proxima ad consensum completur, aliundeque potentia proxima ad dissensum supponitur completa: in quibus duabus potentijs libertas voluntatis consistit. Dari autem in tali casu semper talem veritatem de facto, ad ordinariam, connaturalemque Dei prouidentiam pertinet. atque ita semper in tali casu datur in voluntate dicta libertas. Si quando autem non daretur, vt est possibile pro arbitrio Dei, ex defectu dictæ veritatis proueniret formaliter eius defectus; non verò ex existentiâ decreti connexi cum dissensu. Et quoniam talis veritatis, talisque subinde libertatis defectus etiam posset accidere, stante absolutè simul cum decreto connexo altero decreto indifferente de auxilio iuxta sententiam Aduersariorum; consequitur huiusmodi decretum indifferens in casu itidem præsenti non tantùm non necessarium, sed omnino impertinens esse ad libertatem voluntatis. Quæ omnia ex dictis circa casum præcedentem de auxilio efficaci satis, superque comperta sunt.

Ex eis autem sequitur dicendum secundò, potentiam proximam, quam voluntas in præsenti casu habet ad consentiendum, ad coniungendumque consensum cum entitate auxilij, consequenter esse quoque potentiam ad acquirendum sibi decretum de auxilio compatibile cum consen- 33

su, non quidem determinando, neceſſitandove voluntatem diuinam ad tale decretum, ſed purificando conditionem, ſub qua conditione eſt verum, fore, vt decretum ipſum exiſteret pro libero nutu, determinationeque ſpontaneà voluntatis diuinæ ex hypotheſi, quòd cum tali auxilio coniungeret ſuum conſenſum voluntas creata. Eſt item in caſu præſenti potentia proxima voluntatis ad conſentiendum potentia ad impediendum decretum connexum cum diſſenſu, per quod vnicè confertur auxilium de facto, mediâ impeditione ſcientiæ mediæ, cui tale decretum ſubnititur, ſiue cum qua connexum eſt. Quam impeditionem præſtaret voluntas, ſi conſentiret, neceſſitando intellectum diuinum, vtpote potentiam neceſſariam, ad carentiam talis ſcientiæ, & mediâ carentiâ, ſiue remotione ipſius ſcientiæ neceſſitando etiam voluntatem diuinam (etſi ea ſit potentia libera) ad carentiam talis decreti, iuxta doctrinam ſtatutam ſupra ſuppoſitione tertiâ. Quæ etiam ex dictis circa caſum præcedentem ſunt nota.

34 Reſtat tamen vnum, circa quod caſus præcedens, & præſens differentiam habent in propoſitione indicatam. In caſu enim præcedente potentia proxima, quam voluntas creata habet ad diſſentiendum, potentia eſt ad impediendum per diſſenſum decretum connexum cum conſenſu, neceſſitando voluntatem diuinam ad carentiam eius, non ſolum mediâ impeditione ſcientiæ mediæ, cum qua eſt connexum tale decretum, ſed etiam immediatè, iuxta ea, quæ dicebamus ſupra num. 9. ex doctrinâ ſuppoſitionis tertiæ. In caſu verò præſenti potentia proxima, quam habet voluntas creata ad conſentiendum, dumtaxat eſt potentia ad impediendum per conſenſum decretum connexum cum diſſenſu, neceſſitando voluntatem diuinam ad eius carentiam mediâ impeditione ſcientiæ mediæ, cum qua connectitur tale decretum; immediatè verò non item. Cuius diſcriminis ratio ex doctrinâ generali traditâ diſput. 30. quæſt. 5. propoſit. 14. petenda eſt. Ex dictis enim, ac demonſtratis ibi in vniuersùm conſtat, quando decretum diuinum connectitur cum conſenſu creato, & conſequenter carentia conſenſus cum carentiâ decreti, tunc voluntatem creatam impotem eſſe ad immediatè impediendum tale decretum per ſuum conſenſum; quia deficiente eius impedibilitate mediatâ, non manet voluntas creata libera ad conſentiendum; vt ampliùs conſtabit ex dicendis diſput. 39. quæſt. 2. propoſit. 5.

QVAESTIO II.

Qualiter per ſcientiam mediam poſſit, aut debeat dirigi Deus ad conferendum voluntati creatæ quodlibet ex conſtitutiuis libertatis eius in actu primo.

AGamus claritatis gratiâ de cognitione, ſiue 35
de auxilio, quo voluntas in actu primo conſtituitur libera ad conſenſum, & ad diſſenſum (nomine autem diſſenſus ſemper intelligam carentiam, ſiue omiſſionem conſenſus). Supponoque primò, huiuſmodi auxilium eatenus reſpectu conſenſus efficax eſſe, vt taleque præuiſum a Deo per ſcientiam mediam, quatenus conditionatè eſt verum, voluntatem cum eo conſenſuram, ſi ei conferatur: eatenus verò eſſe inefficax, ſiue purè ſufficiens, vt taleque præuiſum a Deo ſimiliter per ſcientiam mediam priori oppoſitam, quatenus conditionatè eſt verum, voluntatem cum eo non conſenſuram, ſi conferatur.

Suppono ſecundò, auxilium efficax biſa- 36
riam à Deo conferri poſſe voluntati creatæ. Primò per decretum determinatè connexum cum ipſius efficaciâ, atque adeò & cum voluntatis conſenſu. Secundò per decretum connexum cum ſolâ entitate phyſicâ auxilij, atque adeò indifferens, vt vel cum ipſius efficaciâ, vel cum ipſius inefficaciâ poſſit coniungi, & conſequenter vel cum conſenſu, vel cum diſſenſu voluntatis. Dabitur autem auxilium primo modo, ſi Deus illud decernat, quia efficax eſt; idque vel volendo ſuo decreto coniunctum ex entitate auxilij, & ex veritate conditionatâ conſenſus, in qua ſtat efficacia eius; vel volendo ſuo decreto entitatem auxilij, prout ſubeſt tali efficaciæ, ſiue prout connotantem illam. Secundo autem modo dabitur auxilium, ſi Deus decernat illud, non quia efficax, ſed quia bonum aliter, quàm ab efficaciâ; volendo videlicet eius entitatem, vel quia in ſe bona eſt bonitate abſolutâ, vel quia bona eſt voluntati præcisè quatenus illam reddit potentem ad conſentiendum, vel diſſentiendum. Pariterque eiſdem duobus modis poteſt à Deo conferri auxilium inefficax. Primò per decretum connexum determinatè cum ipſius inefficaciâ; (quod varijs modis fieri poſſe, oſtendam ſuo loco). Secundò per decretum connexum cum ſola entitate phyſicâ auxilij, atque adeò indifferens, vt cum ipſius inefficaciâ, vel cum ipſius efficaciâ coniungi poſſit.

Suppono tertiò, certum eſſe apud om- 37
nes; ſi conferatur à Deo auxilium efficax per decretum connexum cum ipſius efficaciâ, tendens videlicet in ipſum, quia efficax eſt; neceſſariò debere Deum dirigi ad concipiendum tale decretum per ſcientiam mediam de ipsâ efficaciâ tanquam per aliquid præuium, ſiue naturâ antecedens decretum ipſum, vt vnum ex conſtitutiuis intrinſecis potentiæ proximæ voluntatis ad ipſum concipiendum: nec poſſe non tale decretum cum tali ſcientiâ intrinſecè connexum eſſe. Ita tenent omnes noſtri Doctores ijs in locis præſertim, vbi de neceſſitate ſcientiæ mediæ ad prædeſtinationem agunt.

agunt. Quorum plures supra disput.37.quæst.4. num.43. citatos reperies. Cuius ratio euidens est. Quia nihil volitum, quin præcognitum. Ergo non potest voluntas Dei velle auxilium efficax prout efficax, nisi præcognoscatur prout efficax. Ast prout efficax cognosci nequit, nisi per scientiam mediam: (in sententiâ scilicet Societatis, in qua duntaxat quæstio præsens procedit). Ergo scientia media de efficaciâ auxilij necessariò præire debet vt quid constituens potentiam proximam voluntatis diuinæ ad volendum illud prout efficax. Pariterque,& ob eamdem rationem est necessaria scientia media de inefficaciâ auxilij ad conferendum illud prout inefficax, atque adeò per decretum cum eius inefficaciâ connexum, si quando ita conferatur. Quando autem de facto Deus conferat auxilium efficax prout efficax: & an nonnunquam etiam inefficax conferat prout inefficax ex dicendis disp.40. conctabit.

38 Vtrùm autem, vt Deus conferat auxilium efficax, non quia efficax, sed ex alio motiuo, atque adeò per decretum non connexum cum efficaciâ eius, sit nihilominùs necessaria scientia media de ipsius efficaciâ; & qua ratione, sub controuersiâ est apud nostros Recentiores; qui soli quæstionem hanc ex professò examinarunt. Eademque est quæstio circa scientiam mediam de inefficaciâ, quandò confertur auxilium inefficax, non verò quia inefficax. Quatuor sunt sententiæ. Prima tenet, scientiam mediam de efficaciâ auxilij ad eius collationem factam à Deo modo prædicto nullatenus necessariam esse. Ita Arriaga 1. par-disp.32. sect.4. Secunda sententia est, ad eiusmodi collationem auxilij efficacis scientiam mediam de eius efficaciâ esse quidem requisitam, sed non prærequisitam: non enim requiri, quòd ea sit prior naturâ, quàm decretum Dei de tali auxilij collatione: requiri tamen, quòd comitans tale decretum simul cum eo constituat prouidentiam diuinam de collatione ipsâ. Sic Ribaden. tom. de Prædest. disput. 4. & 17. Tertia sententia est, ad dictam collationem auxilij efficacis scientiam mediam de efficaciâ eius, non solùm esse requisitam, sed prærequisitam, præcedentem scilicet naturâ decretum collatiuum talis auxilij; non tamen vt quid vllo modo influens in illud, sed vt quid constituens libertatem in actu primo, quam, dum illud concipit, habet diuina voluntas. Ita docent, latèque probare contendunt quidam acuti Recentiores. Quarta denique sententia tenet, ad dictam collationem auxilij dictam scientiam mediam prærequiri, vt quid naturâ antecedens, influensque in decretum de illâ. Pro hac stant Quiros tom.2. de Deo disp.7. Carleton tom.1. Theolog. disp.37. à sect.5.& alij.

Propositio 1.

39 **Ad quamlibet collationem auxilij efficacis oriundam a Deo scientia media de efficaciâ eius requisita est.**

Hæc propositio contra primam est ex quatuor sententijs relatis; conrordat tamen cum alijs tribus. Probatur autem; quia ad perfectionem diuinæ prouidentiæ pertinet, non posse ponere à parte rei vllum ens per decretum exequtiuum, nisi præuisis omnibus circunstantijs, cum quibus illud de facto coniungendum est, vt supra disp. 36. quæst. 5. statuimus; eo potissimùm, quòd omne causatum à Deo, qualis est coniunctio entis ab eo producti cum omnibus suis circunstantijs, ipsi voluntarium, ac liberum, atque adeò ab ipso præuisum necessariò esse debet. Ergo Deus non potest conferre auxilium efficax per vllum decretum exequutiuum, nisi prævidendo per scientiam mediam, illud cum consensu esse coniungendum de facto ex hypothesi, quòd conferatur. Recognoscantur alia vniuersè adicta loco citato.

Itaque, licèt auxilium efficax quoad entitatem determinatè non requirat ad existendum scientiam mediam de suâ efficaciâ, sicut neque efficaciam ipsam: quia tamen sine aliquâ prouidentiâ diuinâ exequutiuâ sui existere nequit: & prouidentia diuina exequutiua eius ad suam perfectionem requirit scientiam mediam de illius efficaciâ,quando de facto est efficax; (vti requireret scientiam mediam oppositam de inefficaciâ illius, si inefficax foret): idcirco auxilium efficax, suppositò, quòd de facto est efficax, scientiam mediam de suâ efficaciâ requirit ad existentiam, adeòque ad collationem sui. 40

Propositio 2.

41 **Ad quamlibet collationem auxilij efficacis oriundam à Deo scientia media de efficaciâ eius non solùm requisita est; sed prærequisita. Idque non aliter, quàm vt quid influens in collationem ipsam.**

Tota hæc propositio conuenit cum quartâ sententiâ: opponiturque primæ, & secundæ: tertiæ autem etiam opponitur quoad secundam sui partem; loquendo scilicet de collatione auxilij efficacis oriundâ à Deo per decretum non connexum cum efficaciâ eius. Si enim sermo sit de collatione auxilij efficacis oriundâ à Deo per decretum connexum cum eius efficaciâ, concors omnium sententia est, talem collationem medio tali decreto à scientiâ mediâ de tali efficaciâ dependere tanquam à causâ; vtpote à quâ decretum ipsum tanquam à causâ, imo essentiali, ab ipsove essentialiter præsuppositâ, dependens est.

42 Probo igitur ante omnia secundam propositionis partem contra Auctores tertiæ sententiæ. Primò; quia argumenta, quæ probant, scientiam mediam de efficaciâ auxilij semper, & necessariò præcedere collationem eius prioritate naturæ, non de aliâ prioritate, quàm causalitatis, id probant, vt ex dicendis apparebit. Secundò; quia prioritas naturæ, quam ipsi attribuunt constitutiuo libertatis actus primi, præcisè, quia constitutiuum est eius, quin influat vllo modo in actum secundum, commentia est, & inaudita, vt quæ inter prioritates ab Aristotele, & alijs enumeratas non continetur, nec ad earum vllam reduci potest. Tertiò; nam inde probant, scientiam mediam de efficaciâ auxilij semper esse naturâ priorem ipsius auxilij collatione, siue in eam influat, siue non influat; quia semper est in statu idoneo ast influendum: eo quòd potest Deus moueri per illam ad conferendum auxilium efficax, quia efficax est; atque adeò per decretum connexum cum efficaciâ eius; & si non semper sic moueatur. Quare, inquiunt, talis scientia semper est prior naturâ tali collatione seu fa-

età per decretum connexum cum efficaciâ auxilij; quo casu in illam influit, vt omnes tenent; seu facta per decretum non connexum cum efficaciâ auxilij; quo casu in illam non influit, vt ipsi putant. Sed hæc probatio prorsus est nulla. Quia causa non est prior natura effectu, quem de facto non causat, quantumuis sit potens causare illum, vt apud omnes est confessò. Ergo, quòd scientia media de efficaciâ auxilij semper est potens in collationem eius influere medio decreto connexo cum ipsius efficacia, impertinens est ad hoc, vt tali collatione sit prior naturâ, etiam, quando de facto non influit in illam. Concluditur ergo contra prætatos Recentiores, scientiam mediam de efficaciâ auxilij idcirco collationem huius semper; & necessariò naturâ præcedere; quia semper, & necessariò influit in illam, quando, tali scientiâ existente, confertur auxilium, prout nostra propositio fert.

43 Quæ subinde integrè sumpta hoc potissimùm syllogismo probanda venit. Scientia media de efficaciâ auxilij non potest non pertinere intrinsecè ad integram liberratem proximam voluntatis diuinæ, qua auxilium efficax ipsum confertur à Deo, tanquam vnum ex requisitis constitutiuis eius. Sed integra libertas proxima voluntatis non potest non naturâ procedere prioritate causalitatis actum secundum liberum procedentem ab illâ. Ergo scientia media de efficaciâ auxilij non potest non naturâ præcedere prioritate causalitatis liberam collationem talis auxilij. Consequentia est euidens. Quia non possunt non omnes partes concurrere, vnaquæque suo modo, ad id, quod indiuisim præstat suum integrum totum: nec possunt non esse omnes partes, vbicunque suum totum integrum est. Minor autem abundè ostensa à nobis est supra disp. 30. quæst. 15. à num. 704. contra Ribaden. asserentem, cogitationem retractiuam, carentiamque necessitatis antecedentis, tametsi sint partes constituentes libertatem proximam voluntatis, nec influere in actum secundum liberum eius, nec ipsum natura præcedere. Recognoscantur dicta ibi; quibus necesse non est quidquam addere pro dictæ minoris probatione, Solum igitur in præsenti restat probanda maior.

44 Ea autem probatur. Primò; nam ideò potissimum est requisita scientia media de efficaciâ auxilij ad prouidentiam, qua Deus entitatem eius causat ex quouis motiuo, vt coniunctio talis entitatis cum consensu a Deo de facto per talem causationem ponenda, ipsi sit voluntaria, & libera, iuxta dicta num. 39. Sed, si talis scientia in libertate proxima ad talem causationem diuinæ voluntatis non clauderetur, ad id muneris nihil conferret: quia sola libertas actus primi atque adeò constitutiua intrinseca eius conferunt, vt actus secundus euadat voluntarius, & liber. Ergo talis scientia in tali proximâ libertate omnino dicenda est includi. Confirmatur, & declaratur vno verbo. Tali scientiâ deficiente præcisè, deficeret diuina libertas ad dictam coniunctionem, vt constat; constabitque amplius ex dicendis. Sed ad id, ad cuius præcisum defectum deficit totum, non potest non esse pars eius iuxtà demonstrationem datam in Pharo Scient. disp. 9. quæst. 5. proposit. 19. Ergo.

45 Secundò probatur idem assumptum. Quia, quoties quis liberè causat aliquem effectum, cognoscens actu talem effectum cum alio quopiam ente esse de facto coniungendum, non potest non talis coniunctio esse illi voluntaria, & libera, vel directè, si intendit illam, vel indirectè saltem, quantumuis illam non intendat. Sic cognoscenti, se iactu libero sagittæ occisurum hominem, voluntaria, & libera est occisio hominis, quantumuis illam non intendat. Sic scienti, opus, quod liberè exequitur, esse contra præceptum, voluntaria, & libera est transgressio præcepti, quantumuis ea non sit intenta. Sic facienti ignem, vt carnem coquat, voluntaria est combustio syluæ, quam ex tali igne præuidet sequuturam: pariterque in similibus. Quòd si ponens liberè effectum de facto cum alio ente coniungendum, talem coniunctionem prorsus ignorat, tunc illi talis coniunctio nullatenus voluntaria, aut libera est; vt in exemplis positis homicidium ex iactu sagittæ sequutum nihil de illo cogitanti nequaquam est liberum; sicut nec transgressio præcepti libera est nescienti penitus, tale præceptum dari; nec syluæ combustio facienti ignem absque vllà suspicione de illâ. Itaque, si in operante liberè datur cognitio de coniunctione sui operis cum alio quopiam, non potest non libera esse illi talis coniunctio: è contra verò nequit libera esse, si sola talis cognitio desit, cæteris cunctis persistentibus. Quæ quidem omnia certa apud omnes sunt.

Ex eis autem sequitur manifestè, voluntatem, alias proximè liberam ad substantiam operationis, nec posse non reddi insuper proximè liberam ad eius coniunctionem cum alio quopiam per cognitionem de tali coniunctione extiturâ; nec posse non talem cognitionem esse constitutiuum intrinsecum talis proximę libertatis iuxta demonstrationem citatam ex Pharo scient. Quandoquidem per huius solius defectum illa deficeret. Vnde tandem concluditur, voluntatem Dei, alias proximè liberam ad conferendam entitatem auxilij efficacis, nec posse non reddi insuper proximè liberam ad coniunctionem eius cum consensu per scientiam mediam de efficaciâ eius; nec posse non talem scientiam esse constitutiuum intrinsecum integræ libertatis proximę, qua à Deo confertur ipsum auxilium efficax. Quod erat probandum. 46

Ex dictis infertur primò, quoties Deus confert auxilium efficax, non posse non ad talem collationem dirigi per scientiam mediam de eius efficaciâ, quam tunc habet; siue illud conferat per decretum connexum cum ipsius efficaciâ, quo casu huiusmodi directionem omnes fatentur: siue conferat per decrerum connexum cum solâ illius entitate, atque adeò tam cum inefficaciâ, quàm cum efficaciâ ipsius compatibile: quo casu talis directio à multis negatur. Nos tamen semper asserendam censemus, posito, quòd in dictis ambobus casibus non posset non dicta scientia media concurrere cum voluntate diuinâ (eam videlicet mouendo, atque adeò dirigendo) ad decernendam collationem auxilij, prout explicatum, atque probatum est. Quod autem est dictum de scientiâ mediâ de efficaciâ comparatâ cum collatione auxilij efficacis, similiter dicendum est de scientiâ mediâ de inefficaciâ comparatâ cum collatione auxilij inefficacis. Posse enim itidem auxilium inefficax conferri à Deo tum per decretum cum eius inefficaciâ connexum, tum per inconnexum, infra disp. 40. q. 4. ostenderur. 47 48

Secundò infertur, influxum scientiæ mediæ in decretum collatiuum auxilij realiter in coexistentiâ amborum consistere; vti vniuersè influxus cau-

causæ moralis per se inclinantis, siue mouentis causam physicam ad suum actum in coexistentia talis causæ moralis, talisque actus fiat re ipsa, vt sæpe alias diximus, præsertim disput. 30. quæst. 12. agentes de influxu imperij in actum imperatum, & quæst. 15. agentes de influxu intellectionum in volitiones. Est tamen discrimen inter casum decreti connexi determinatè cum efficacia, aut cum inefficacia auxilij, & consequenter cum scientia media de ipsa efficacia, aut inefficacia; & casum decreti inconnexi, indifferentisque ad vtrumuis. Quòd in priori scientia media, à qua decretum procedit, causa essentialis eius est: quia sine illa in se influente existere nequit. In posteriori verò non item: quia, licèt à scientia media, quæ de facto datur, procedat; etiam ab oppositâ, si daretur, procedere posset; eo quòd cum neutrâ earum determinatè, sed cum alterutrâ disiunctiuè tanquam cum causâ connexum est.

49 Sed dicunt Aduersarij. Quando Deus confert auxilium efficax, non quia efficax est, sed propter aliam ex bonitatibus, quas habet entitas eius, præcisâ efficacia, scientia media de efficacia ipsâ non mouet diuinam voluntatem ad talem collationem, & consequenter nec ad decretum de illa: multòque minùs, quando Deus confert auxilium inefficax propter bonitatem entitatis eius præcisè, mouet ad talem collationem, decretumque de illâ scientia media de inefficaciâ, cùm potiùs ab eâ retrahat. Ergo in neutro ex his casibus scientia media est causa collationis auxilij, & eius decreti. Respondeo, incipiendo ab hoc postremo ex doctrinâ traditâ in simili disput. 30. quæst. 15. num. 713. sicut cogitatio retractiua ab actu secundo simul cum attractiuâ ad eum inclinationem quandam temperatam constituunt voluntatis in actu primo, qua ad ipsum actum secundum mouetur voluntas de facto, sicque ambæ cogitationes indiuisim influunt in illum; quin talis actus vllo respectu intrinseco respiciat cogitationem retractiuam, aut eius obiectum, prout ibi fusiùs est explicatum: ita scientiam mediam de inefficaciâ auxilij, si retrahit ab eius collatione, simul cum aliâ scientiâ attractiua inclinationem temperatam ad illam constituere voluntatis in actu primo, qua ad ipsam collationem decernendam mouetur de facto voluntas; sicque ambæ scientiæ indiuisim in tale decretum, atque adeò in talem collationem influere, quantumuis ipsum decretum nullo respectu intrinseco dictam scientiam mediam, aut obiectum eius respiciat. Vnde pariter ad priorem casum collationis auxilij efficacis per decretum non connexum cum efficaciâ eius est respondendum, scientiam mediam de tali efficaciâ simul cum aliâ scientiâ de bonitate entitatis auxilij in huius nihilominùs collationem, decretumque de illâ indiuisim influere, quantumuis tale decretum talem scientiam mediam, eiuique obiectum nullo intrinseco respectu respiciat; eo quòd ambæ dictæ scientiæ integram inclinationem constituunt voluntatis in actu primo, qua de facto voluntas
50 ipsa mouetur ad talem collationem per tale decretum exequendam.

Vniuersaliter enim omnes cognitiones, quæ in voluntate dantur de facto simul de aliquo obiecto ab ipsâ causando, tam attractiuæ ad causationem eius, quàm retractiuæ ab illâ vnicam componunt inclinationem voluntatis in actu primo, (tantam, aut tantam pro naturâ, quantitate, ac qualitate ipsarum cognitionum); qua indiuisim inclinatur voluntas ad talem causationem: quo posito, non possunt non omnes huiusmodi cognitiones simul cum voluntate indiuisim etiam in causationem ipsam influere; atque adeò in decretum exequutiuum eius, quodcunque illud sit; nempe siue illud omnia dictarum cognitionum obiecta, siue eorum aliquod, aut aliqua tantùm præ reliquis intrinseco respiciat. Cuius ratio conspicua est. Quia ex vnâ parte inclinatio determinata voluntatis in actu primo ad causationem effectus eo ipso est inclinatio disiunctiua ad vnum, vel alterum, vel alterum ex decretis exequutiuis eius, & consequenter rursus est inclinatio determinata ad illud, quod de facto datur supposito, quod alia non dentur. Ex aliâ verò parte influere causam moralem simul cum causâ physicâ ad actum secundum, aliud non est, quàm hanc elicere physicè actum secundum inclinatam in actu primo per illam ad eliciendum ipsum.

Quæ quidem doctrina apertè est iuxta 51
mentem omnium Patrum, qui respondentes ad eas hæreticorum quæstiones. *Cur Deus creauit Angelos, & homines, quos præsciebat peccaturos?* & vniuersim. *Cur opera patrauit, ex quibus præuidebat malum exitum futurum malitiâ voluntatis creatæ?* non solùm supponunt, habere Deum præscientiam conditionatam de huiusmodi malis euentibus prouenturis ex suis operibus; sed etiam vi talis præscientiæ potuisse eum retrahi à talibus operibus exequendis; atque adeò illam ad libertatem actus primi exequutionis eorum intrinsecè spectare; vt planè constat ex latè dictis à nobis supra disput. 28. quæst. 6. à num. 143. & quæst. 7. à num. 197. Quæ ad rem recognoscenda iunt.

Verùm contra doctrinam statutam oppo- 52
nitur primò. Scientia media de futuritione consensus sub hypothesi collationis auxilij, purificatâ conditione, connectitur cum consensu. Ergo, si influit in collationem auxilij, & consequenter in consensum, ipsumque proinde naturâ antecedit, non potest non necessitatem antecedentem inducere, atque adeò ipsius consensus libertatem euertere. Respondeo, principium remotum actus connexum cum actu, quale dumtaxat est dicta scientia media, non inducere necessitatem simpliciter antecedentem, qualis est, quæ libertati opponitur; atque adeò nec libertatem actus tollere, vt constat ex generali doctrinâ stabilitâ disput. 30 quæst. 5. propositi. 12. sæpeque in præcedentibus tactâ, & pluries in sequentibus repetendâ.

Secundò opponitur. Quando deest vo- 53
luntati requisitum ad dissensum per ipsum dissensum non acquisibile, libertas quoque ad dissensum deest. Sed voluntati instructæ auxilio efficaci ad consensum deest scientia media de dissensu requisita ad dissensum, & ideo per dissensum neutiquam erit acquisibilis, si mediâ collatione auxilij sit influxiua in ipsum. Ergo, si scientia media seu de consensu, seu de dissensu in collationem auxilij, in ipsumque subinde seu consensum, seu dissensum sit influxiua, non potest non è medio tolli libertas ad consentiendum, & dissentiendum. Respondeo, quòd scientia media de dissensu requisita ad dissensum sit principium remotum eius, nullatenus obstare, quominùs illa per ipsum dissensum sit acquisibilis, vt constat ex doctrinâ iam traditâ quæst. præceden. Quo cessat obiectio. Itaque voluntas instructa auxilio efficaci ad consensum potentiam habet

ber ad dissentiendum, & medio dissensu tum impediendum scientiam mediam de consensu, quæ adest, tum acquirendum scientiam mediam de dissensu, quæ deest. Recolantur ibi iam dicta in simili.

54 Tertiò vrgentiùs specie tenus opponitur contra id, quod est certum; Deum scilicet ita de facto plerunque saltem, dirigi, mouerique per scientiam mediam de efficaciâ auxilij ad conferendum ipsum, vt, nisi præuideret efficax, nequaquam conferret. Libertas constituta per auxilium efficax ad consensum ita collatum non potest exerceri per dissensum. Ergo non est vera libertas. Consequentia est bona. Antecedens probatur. Quia si exerceretur per dissensum, existeret simul, & non existeret. Quod est impossibile. Existeret; quia exerceretur; & non existeret; quia supponitur auxilium, per quod constituitur, non extiturum si non foret præuisum efficax ad consensum: quale præuisum non foret, si libertas constituta per illud exerceretur per dissensum, vt constat. Confirmatur. Coniunctio talis auxilij cum dissensu infert defectum præscientiæ de efficaciâ eius, qua præscientiâ deficiente, ipsum auxilium non existeret. Ergo infert defectum ipsius auxilij. Ergo si tale auxilium coniungeretur cum dissensu, rursus existeret simul, & non existeret. Nequit ergo coniungi. Adeòque libertas, quam ipsum constituit, rursus non est vera libertas.

55 Hìc iterum cauenda est æquiuocatio, quam supra num. 16. notaui. Verum quidem est, tale auxilium non extiturum, si non fuisset à Deo præuisum efficax; falsum tamen est, imo impossibile, tale auxilium non extiturum si iam existens coniungeretur cum dissensu; sicque esset inefficax. Sunt quippe ista duo conditionata obiecta valde diuersa, vtpote per diuersas hypotheses constituta, prout ibi dicebam. Vnde ad argumentum factum respondeo, ex hypothesi, quòd prædicta libertas exerceretur per dissensum, vt potest, nullatenus sequi, ipsam non extituram: sequi tamen, defecturam veritatem prioris ex dictis duobus conditionatis obiectis: eo quòd potentia ad dissentiendum constituens talem libertatem potentia est ad impediendum medio dissensu veritatem conditionatam de non existentiâ prædicti auxilij sub hypothesi non existentiæ præscientiæ de efficaciâ eius. Talis enim veritas ex vnâ parte connexa cum consensu est, suppositâ existentiâ talis auxilij, ex aliâ verò ad potentiam proximam eius neutiquam pertinet intrinsecè: vnde per generalem doctrinam sæpe in similibus repetitam, non potest non relinquere libertatem ad dissensum prorsus indemnem, nec potest non esse impedibilis per ipsam libertatem. Hinc ad confirmationem dicito, coniunctionem dicti auxilij cum dissensu inferre quidem defectum præscientiæ de efficaciâ eius; non tamen inferre defectum ipsius auxilij: quia in casu talis coniunctionis verum non esset, tali præscientiâ deficiente, tale auxilium non extiturum.

56 Quartò, ponamus auxilium efficax ex directione scientiæ mediæ ita collatum, vt non conferretur si præuisum esset inefficax, esse A. Rursusque contra talem casum opponitur hic syllogismus. Si Deus præuideret inefficax auxilium A, non existeret auxilium A. Sed si auxilium A coexisteret dissensui, Deus præuideret inefficax auxilium A. Ergo si auxilium A coexisteret dissensui, non existeret auxilium A. Consequens impossibile est, & minor necessaria. Ergo, cùm syllogismus sit legitimus, non potest non esse impossibilis casus contentus in maiori. Respondeo, tàm maiorem, quàm minorem esse verissimas: ideoque consequens esse impossibile; quia forma syllogismi non legitima, sed prorsus fallax est. Vide id in alijs similibus. Sit primus. Si existat auxilium A, existet consensus. Sed si existant auxilium A & carentia consensus, existet auxilium A. Ergo si existant auxilium A, & carentia consensus existet consensus. Sit secundus. Si existant extrema vnibilia, existet carentia vnionis. Sed si existat vnio existent extrema vnibilia. Ergo si existat vnio, existet carentia vnionis. En in vtroque syllogismo maior contingenter est vera, id enim supponitur; & minor necessariò est vera; & tamen conclusio necessariò est falsa. Forma ergo non est legitima. Itaque hæc arguendi forma fallax, & illegitima est. Si existat B existet C. Si existat A, existet B. Ergo si existat A existet C. Ratio autem est; quia casus existentiæ C, sub hypothesi existentiæ B potest esse oppositus casui existentiæ B sub hypothesi existentiæ A, vti euenit in exemplis datis: eo quòd singulæ propositiones conditionatæ singulos diuersos casus efficiunt, singulasve quasi partes diuersas status conditionati; ad eum modum quo singula instantia temporis faciunt diuersos casus status absoluti. Vnde, sicut ex eo, quòd B, & C simul coexistant in vno instanti, & A, & B simul coexistant in altero, non infertur A, & C simul in aliquo instanti coexistere. Ita ex eo, quod B, & C simul coexistant in aliquo casu status conditionati, & A, & B in altero, non sequitur, A, & C in aliquo esse extitura simul.

Per quæ facilè quisque diluet cætera 57
sophismata, quæ contra doctrinam stabilitam fieri possunt, aut etiam solent. Quare non opus est, in eis proponendis, atque diluendis morari.

Oportet tamen obseruare. Licèt decreta 58
exequutiua auxiliorum, quæcunque illa sint, non possint non à scientiâ mediâ de efficaciâ, aut de inefficaciâ eorum dependere tanquàm à causâ: eo quòd decreta exequutiua supponunt notitiam circunstantiarum, cum quibus suum obiectum de facto coniungendum est, iuxta dicta circa propos. 1. Ob idque talis scientia in talia decreta non possit non esse influxiua, de factoque influens, prout explicauimus. At decreta purè intentiua, siue de auxilijs ipsis, siue de alijs quibusque rebus tunc solùm à scientiâ media dependebunt, quando respectu intrinseco respexerint eius obiectum, vtpote suapte naturâ in illud tendentia aut directè, aut connotatiuè.

Alioquin verò secus. Vnde in illis casibus: secus in cæteris, erit scientia media influxiua, adeòque influens in decreta purè intentiua.

QVÆ-

QVAESTIO III.

Qualiter Deus prouideat causis secundis suum concursum generalem.

59 SVppono primò cum communi Doctorum, causas secundas effectiuas (de quibus nobis sermo est) non tantùm in esse, & conseruari, sed etiam in operari, siue agere ita pendere à Deo, vt nullum omnino effectum illæ possint efficere, quin Deus cum eis immediatè, simulque concurrat ad eumdem effectum efficiendum. Recole suppositionem hanc latè probatam supra disput.30.quæst. 9.à num. 317.

60 Suppono secundò etiam ex communi Doctorum, quando Deus, & causa secunda eumdem effectum simul producunt, per vnicam,& eamdem actionem concurrere indiuisim ad producendum illum. Hanc etiam reperies probatam, & explicatam ibi à num. 326.

61 Suppono tertiò, præter huiusmodi concursum Dei simultaneum, nullatenus esse admittendum alium concursum præuium consistentem in qualitate aliquâ physicâ à Deo impressâ causæ secundæ antecedenter ad eius operationem, qua Deus causam ipsam ad operandum præmoueat, atque prædeterminet physicè. Hæc constat ex productis fusissimè contra Thomistas quosdam quæst.illa 9.citatâ, & 10. sequente.

62 Quibus suppositis, tractandum in præsenti supereſt, per quem actum voluntatis, aut etiam intellectus præbeat Deus dictum concursum simultaneum, causetve actionem sibi, & causæ secundæ communem, qua ad producendum eumdem effectum indiuisim ambo concurrunt. Agemus autem imprimis de concursu Dei cum causis liberis, in quo est potissima difficultas, acturi ad finem de concursu cum causis necessaris.

63 Prima sententia est, Deum suum concursum simultaneum præbere causæ liberæ per decretum efficax antecedens, & absolutum, quo determinatè decernit cum tali causâ liberâ ad talem operationem concurrere. Ita tenent Thomistæ commemorati, qui insuper concursum præuium addunt, seu physicam prædeterminationem causæ creatæ impressam. Cum quibus, quod attinet ad decretum præcisè (physicâ prædeterminatione reiectâ) conueniunt communiter Scotistæ. Ex quibus tamen aliqui scientiam mediam prærequirunt ad tale decretum, ne euertat libertatem. Alij verò omnino independens à scientiâ mediâ ponunt illud. Pro priori parte citantur Philipp. Fauer in 1.distinct.39. disput.54. cap.4. & 5. Hugo Cabellus in 2.distinct.37.num. 13.Hieron.Tamarit.in Florib. Theolog.quæst.2.de Scient.Meurisse tom.2. Metaph.cap.3.par.5.quæst. 3.& Ludou. Caspensis disput.6. de Scient. sect.6. Pro posteriori autem parte referuntur Ildeph. Bricennus in 1.tom.1. controuer. 11. distinct. 3. artic.1.Felix varijs in locis Primi Principij,& Tentatiuæ Complutensis, Theodor.Smising.1.p.Tract. 3.disput.2.quæst.5.& Angel.à Montepiloso 1.par. tom.2.disput.30.& 47.

Secunda verò, & valde communis aliorum Theologorum sententia est, Deum non per decretum antecedens determinatum, & absolutum præparare voluntati creatæ suum concursum simultaneum; sed per decretum antecedens indifferens, & conditionatum, seu quasi conditionatum, quo omnipotentia diuina applicatur, subditurque creatæ voluntatis arbitrio, vt hæc illius influxu vtatur pro nutu suo, ad eum modum, quo solet vti influxu habituum sibi infusorum ad actus supernaturales. Pro hac sententiâ stant Lessius de Gratiâ efficaci cap.4. à num. 12. Molin. 1.par. quæst.19. artic.6. disput.3. & in Concord.quæst.14.artic.13.disput 26.& 32.Soar. plures allegans ex antiquioribus disput.22. Metaphys. sect.4 & in Opusc.lib.1. de Concursu Dei cap.14 & 15.& Prolegm. 2. de Gratiâ cap.8. & tom.2.lib.3.cap.5.Ruiz tom.de Scient. disput.25. sect.10.& 11.Herice disput.3. cap.3. & disput.19. cap.4. Alarcon. Tract.2. disput.5. cap.8. Mœrat. tom.1. Tract. de Deo disput.26. sect.3. Marrinon 1.par.disput.34 sect.7. Ouiedo controuer.10. Physic. punct.4 §.4. Soar. Lusitan.Tract.6 de Animâ disput.2.sect.4.§.10.& alij. Quod quidem decretum indifferens in sententiâ non Connotantium, siue ponentium illud adæquatè intrinsecum Deo facilem explicationem habet, vti videbimus. Connotantes verò, qui ad illius complementum extrinseco connotato egent, ægrè tale connotatum reperiunt. Ex quibus Herice vbi supra dicit, connotatum talis decreti esse negationem impedimenti, quo Deus posset impedire voluntatem creatam, ne operaretur liberè; quam negationem dum Deus decernit ex fine, vt voluntas maneat expedita ad operandum, sufficienter intelligitur applicare suam omnipotentiam voluntati. Insuper tamen necessariò admittendum est, inquit Herice, aliud decretum comitans cuius obiectum est ipse actus secundus prout à Deo. Nam, posito nouo connotato, in suâ sententiâ, non potest non esse nouum decretum. Alarcon verò, reiecto Herice, ait, diuinam omnipotentiam applicari voluntati creatæ per moralem obligationem ortam ex promissione, qua Deus promisit se cooperaturum cum causis secundis iuxta earum naturam, & exigentiam. Hac enim factâ promissione, de qua nobis constat ex Scripturâ, Deus, inquit, necessitatus manet ad sequendum nutum voluntatis creatæ eo concurrens cum illâ per aliud decretum comitans ad actum, quem ipsa elegerit pro arbitratu suo. 64

Cæterùm Vazq. Connotantium potissimus ab istis ambagibus abstinens planè censet 1. par. disput.99. cap.7. nullam esse necessariam præuiam applicationem specialem omnipotentiæ Dei, præter eam, quam suapte naturâ habet per immensitatem, vt voluntas creata reddatur proximè potens ad operandum liberè. Atque ita ait, decretum concurrendi non esse aliud ab eo, quod pro connotato completiuo sui habet actum secundum, siue actionem Deo, & creaturæ communem; quodque subinde non antecedens, sed comitans ipsam actionem est. Addit tamen, vt Deus per tale decretum opportunè valeat concurrere cum creaturâ liberâ, necessarium omnino esse, vt per scientiam conditionatam præuideat, illam in tali instanti operaturam esse, si tali vocatione vocetur, & suus concursus illi non desit. Cum Vazq. sentiunt Bellarmin. lib.4.de Gratiâ, & liber.arbitr.cap.15.& 16.Arrub.1.par. disput. 65

disput. 65. & 66. Gasp. Hurt. disput. 5. de Prædestin. diff. 12. Diotaleuius, Pensantius, Corduba, & multi alij, teste Soar. Prolegom. 2. de Gratiâ cap. 8. num. 15. Est itaque tertia istorum sententia, Deum cum creaturis liberis concurrere per decretum efficax, determinatum, & absolutum, non tamen antecedens, sed comitans, subnixumque scientiæ mediæ de consensu creaturæ, qua ratione cum libertate eius benè cohæret.

66 Quarta sententia aliquorum Recentiorum est asserentium, voluntatem creatam sufficienter compleri in actu primo ad operandum liberè, ad determinandumque omnipotentiam diuinam, vt secum concurrat, per cogitationes, cæteraque comprincipia indifferentia ad actum secum, & negationem omnis necessitatis antecedentis ad ipsum. Atque ita, præter decreta Dei requisita, vt voluntas creata ijs omnibus instructa euadat in actu primo, nullum aliud decretum Dei ad actum secundum terminatum requiri, vt omnipotentia diuina sufficienter maneat applicata ad concurrendum cum tali voluntate pro ipsius arbitrio ad ipsum actum secundum. Addunt tamen alij, aliquam præterea volitionem Dei ad actum secundum terminatam, non tamen efficacem, interuenire necessariò debere; quæ variè à varijs explicatur.

67 Quinta sententia est cuiusdam Recentioris ex nostris asserentis, postquam voluntas creata in actu primo instructa est eis omnibus, & solis, quæ requirit quarta sententia, vt Deus cum illâ concurrat ad consensum bonum, necessarium esse decretum comitans ipsum. De quo decreto (supponentes esse adæquatè intrinsecum Deo) sequentia dicunt. Primò, esse illud determinatè connexum cum consensu. Secundò, esse efficax non effectiuè, sed affectiuè: atque ita nullum influxum causalitatis habere in consensum. Tertiò, per illud determinare Deum voluntatem creatam ad consensum; huiusque etiam determinare existentiam per connexionem necessariam, quam cum eo habet. Tametsi addant, voluntatem creatam mutuò determinare Deum ad habendum tale decretum. Quartò, ita Deum in suo dominio immediato habere existentiam consensus, vt, positis quibusuis auxilijs sufficientibus in voluntate creatâ, Deus pro suo nutu possit velle tali decreto, vt existat consensus infallibiliter. Atque ita nullum esse possibile auxilium sufficiens, quod Deus non possit reddere efficax per tale decretum. Quintò, posse Deum impedire quamlibet scientiam mediam de futuritione dissensus sub conditione cuiusuis auxilij, ponendo veritatem oppositam per positionem sui decreti, & consensus, ad quem illud determinat. Sextò, nullam scientiam contingentem de determinatione voluntatis creatæ ad consensum sub conditione auxilij, & concursus Dei simultanei requiri, vt Deus cum illâ concurrat opportunè: imo prorsus esse impossibilem huiusmodi scientiam. Habere enim Deum in suâ potestate immediatâ facere per suum decretum, quòd voluntas consentiat, quacunque cogitatione vocetur, nullatenus expectatâ propriâ determinatione eius. Iam verò ad consensum moraliter prauum, apertè sentit iste Recentior cum Durando, Deum immediatè non concurrere, adhuc quoad illius physicam entitatem. Tametsi, vt sententiam hanc (vtpote communiter exosam, grauibusque censuris inustam) verbis obtegeret, dissimularetque in suis scriptis, retento haud dubiè sensu reali eius, dicit, Deum ad actum moraliter malum concursu sufficiente concurrere, non verò concursu efficaci.

Propositio 1.

Decretum Dei concurrendi cum causâ liberâ antecedens, determinatum, & absolutum, quale ponitur à Thomistis, & Scotistis pro primâ sententiâ relatis nullatenus componi potest cum illius libertate. 68

Quoniam huiusmodi decretum proximè influit vna cum omnipotentiâ diuinâ in actum secundum Deo, & creaturæ communem; intrinsecèque proinde pertinet ad potentiam proximam, qua Deus concurrit ad talem actum, & consequenter etiam est constitutiuum intrinsecum potentiæ proximæ causæ creatæ ad actum ipsum: quandoquidem, cùm duæ causæ immediatè, indiuisimque concurrunt ad eundem actum, non possunt non ambarum potentiæ proximæ ad ipsum vicissim se se includere, vnicamque adæquatam potentiam proximam ad talem actum constituere, prout suprà disput. 30. quæst. 5. propos. 4. monstratum est. Cùmque aliunde dictum decretum, vtpote efficax, cum dicto actu connexum sit absolutè, & determinatè. Conficitur, non posse non illud libertatem causæ creatæ ad actum ipsum prorsus euertere. Nam, vt ibi etiam propos. 11. latè monstrauimus, omne inclusum in potentiâ proximâ ad actum, & connexum cum actu prorsus tollit libertatem ad actum. Adde, decretum huiusmodi omnino requisitum esse ad actum, in quem influit, eoque titulo, & quia inclusum in potentiâ proximâ ad ipsum actum omnimodis inimpedibile, siue ineuitabile esse ab arbitrio causæ creatæ. Quo cunctas conditiones sortitur, propter quas physicam prædeterminationem Thomisticam libertati aduersari, multis, varijsque argumentis probauimus dictâ disput. 30. tota quæst. 10. Quare omnia illa argumenta, eàdem omnino vi militant contra decretum istud, vt ea recognoscenti, & applicanti clarè innotescet.

Hinc planè sequitur, subsidium scientiæ mediæ nihil penitus prodesse posse ad hoc, vt per tale decretum non tollatur libertas. Quia, quod suapte essentiâ est exclusiuum libertatis, vti est tale decretum, ex quacunque scientiâ procedat, non potest non excludere libertatem; eo quòd essentiâ suâ fraudari non potest. Vnde fit, vt per nullam scientiam conditionatam possit Deus præuidere liberum actum causæ creatæ, nisi præuidendo illum coniunctum cum entitatè talis decreti. A scientiâ autem habente pro obiecto suam carentiam decretum ipsum procedere, prorsus repugnat; quia connecteretur illud cum tali scientia, iuxta dicta quæst. 2. & mediâ illâ cum suâ carentiâ. Quod est absurdum. 69

Pro-

Propositio 2.

70 **Stando in sententiâ non Connotantium, (qualis nostra est), decretum Dei concurrendi cum causis liberis indifferens necessariò esse debet, vt earum libertas seruetur, id est, compatibile absolutè cum vtrouis ex actibus secundis, circa quos versatur ipsa libertas. Requiritur autem ad libertatem non solùm actus positiui, sed etiam negatiui. Nec potest non esse conditionatum ex parte obiecti.**

Prima pas propositionis probatur. Quia, cùm constet ex sacris Scripturis, & Patribus, nihil Deum operari ad extra, quod ab ipsius decreto efficaci tanquam à causâ non procedat, iuxta ea, quæ latè produximus disput.31. quæst.4. à num.195. & in sententiâ non Connotantium omne decretum efficax Dei ipsi sit adæquatè intrinsecum, neque per suum effectum compleatur tanquam per connotatum, vti in sententiâ Connotantium completur; planè consequitur, in sententiâ non Connotantium decretum Dei de concursu comitante non posse non concursum ipsum antecedere antecedentiâ causalitatis, atque adeò intrinsecè requisitum esse ad potentiam proximam tum Dei, tum causæ creatæ, à qua procedit actus secundus vtrique communis, cum quo realiter est idem talis concursus. Quo posito, tale decretum nõ potest esse absolutè, determinatèq; connexum cum tali actu: quia iuxta doctrinã propos.1. tolleret eius libertatem. Debet igitur, vt ea seruetur, esse indifferens, siue absolutè compatibile cum tali actu, & eius opposito, vt propositionis præsentis pars prima fert.

71 Aliter res se habet ad propositum, stando in sententiâ Connotantium. Apud eos enim, cùm compleatur decretum Dei de concursu comitante tanquam per connotatum per ipsum concursum, seu (quod est idem) per actum secundum communem Deo, & causæ creatæ, non potest illud ex parte actus primi, seu potentiæ proximæ ad ipsum actum secundum requisitum esse; atque adeò nec potest ad hunc tanquam quid antecedens, sed tanquam quid comitans requiri. Quo fit, vt antequam intelligatur tale decretum per actum secundum completum, adsit iam ex parte actus primi antecedentis ipsum actum secundum, quidquid requiritur tam ex parte Dei, quam ex parte creaturæ ad potentiam proximam operandi. Vnde rursus duo alia notabilia sequuntur pro doctrinâ tradendâ postmodùm prop.3. Primum. Decretum de concursu simultaneo determinatum, & absolutum esse posse in sententiâ Connotantium, quin obsit libertati creatæ: quia non antecedit, sed comitatur actum secundum eius. Secundum. Tale decretum completè acceptum nullatenus requisitum esse ad libertatem actus primi ipsius creaturæ: imo neque aliquod aliud ad illam intrinsecè requiri. Quia tam Deus, quàm creatura libertatem actus primi proximam habent ad suum actum secundum ab omni decreto Dei condistinctam prout ex dicendis propos.3. constabit amplùs. Quomodò autem cum hac doctrinâ componi possit proprietas Scripturarum dicentium, Deum operari ad extra, quia vult, omnemque operationem Dei ad extra procedere à volitione diuinâ; viderint ipsi Connotantes. Nos enim vel ex hoc capite non pauca protulimus supra disp.31. quæst.4. à num.195. contra eorum sententiam. 72

Probo iam secundam partem propositionis. Nam causa creata nequit esse libera in actu primo ad operandum, & non operandum quousq; adsint omnia principia proxima ex parte actus primi requisita ad operationem; aliquo enim deficiente, deficit potentia proxima ad operandum, sine qua libertas actus primi consistere nequit. Sed decretum concurrendi est vnum ex comprincipijs proximis ex parte actus primi requisitis, vt causa creata operari possit, stando in sententiâ non Connotantium; quandoquidem illud proximè ad operationem concurrit, mouendo scilicet omnipotentiam Dei, nec ad sui complementum expectat operationem ipsam, vt constat ex dictis. Ergo decretum concurrendi, stando in sententiâ non Connotantium, ad libertatem actus primi causæ creatæ est requisitum, & consequenter etiam ad libertatem actus secundi, non solùm positiui, qui est operatio, sed etiam negatiui, qui est omissio operationis. Quod erat probandum.

Pergo ad tertiam propositionis partem, in 73
cuius explicatione paulò plùs immorandum est. Itaque decretum istud indifferens, de quo in eâ loquimur, conditionatum esse debet ex parte obiecti. Quod vt declarem suppono, per tale decretum ita applicari diuinam omnipotentiam potentiæ voluntatis creatæ, eiusque arbitrio quasi subdi, vt eam voluntas creata pro libito trahere possit, vt secum concurrat ad actum, quem ipsa elegerit; quin sit iam, semel decreto posito, libertas in Deo ad non concurrendum. Qua ratione enim habitus charitatis ita suapte naturâ est subditus arbitrio voluntatis, vt, eâ se ad actum determinante, cum illâ concurrat, & eâ se sistente, se sistat citra omnem habitus libertatẽ. Ita diuina omnipotentia virtute prædicti decreti subdita voluntatis efficitur. Neq; hæc voluntaria subiectio dedecet Deo: potiùs eius bonitatem, & alia eius attributa commendat, adhuc, quãdo sic se subijcit respectiuè ad eos actus, qui respectu voluntatis creatæ sunt moraliter mali, iuxta illud Isaiæ 43. *Seruire me fecisti in peccatis tuis.*

Hinc fit, applicationem hanc, aut subiectionem diuinæ omnipotentiæ in genere causæ formalis prouenire à dicto decreto: cùm nihil aliud sit reipsâ, quàm omnipotentia diuina, voluntas creata, & decretum ipsum. Vnde ea nequit esse obiectum decreti, nisi hoc se ipsum pro obiecto habeat: quod videtur incommodum. Sed non hæreo hic. Probo, illud debere pro obiecto habere ipsum concursum simultaneum, ad quem ordinatur. Quia Deus, vt pote perfectissimum agens intellectuale, nihil operatur ad extra, quod non velit operari ea ratione, qua operatur. Sed nequit esse aliud decretum, quo Deus velit concursum simultaneum, quem creaturæ præstat. Ergo per hoc, de quo loquimur, debet velle illum. Consequentia est bona. Maior autem, præterquam per se videtur nota, constat ex Scripturâ. Dicitur enim Sapient.11. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti: nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti. Quomodò autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ad Ephes.1. *Qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* & Psal.134. *Omnia, quæcunque voluit, Dominus fecit.* Alibique simi- 74

lia. Consentiuntque Patres. Quorum nonnulla ad rem testimonia videri possunt supra disp. 31. quæst. 4. num. 195. Quòd verò nequeat esse aliud decretum, (exequutiuum scilicet, de quo sermo est), quo Deus velit concursum simultaneum, præter indifferens, de quo agimus, (quæ est minor syllogismi facti); inde patet; quia per decretum determinatum iuxta sententiam, in qua procedimus, tolleretur libertas, vt constat ex dictis. Ex quo planè colligitur, absq; interuentu alterius decreti exequutiui, ex vi præcisè indifferentis, quod ponimus, moueri omnipotentiam diuinam ad concurrendum cum voluntate creatâ, quando
75 ipsa se determinat ad operandum.

Quæ cum ita sint, iam apparet, huiusmodi decretum conditionatum esse, vt benè animaduerterunt Lessi. Soar. & alij ex citatis supra. Per illud enim Deus vult efficaciter cooperari cum creaturâ liberâ, si ipsâ se determinauerit ad operandum, ex fine adimplendi munus causæ primæ, sine cuius cooperatione nihil possunt agere causæ secundæ. Cui doctrinæ non parum consonat Concilium Arausic. 2. Can. 25. inquiens, Fideles, Christo auxiliante, & cooperante, posse, & debere, si fideliter laborare velint, adimplere, quæ ad salutem pertinent. Itaque Deus per dictum decretum efficaciter vult eam actionem, prout est à se, non absolutè, sed pro casu, quo creatura se ad illam eliciendam determinauerit, prout est ab ipsâ; ex qua efficacia nascitur, vt, semel tali decreto liberè à Deo posito, iam creatura habeat in sua manu omnipotentiam Dei, vt eam in sui adiutorium trahat, si velit. Hæc est aperta mens, & doctrina nostrorum Doctorum. Vt obiter pateat, quàm sinistrè de eâ senserit Nauarrete 1. par. controu. 25. §. 6. Vers. *Sed detegamus*, dum scripsit. *Itaque concursus indifferens Dei, quem isti ponunt, si rectè perpendatur eorum sententia, nihil positiuum denotat ad extra, præter conseruationem rerum in suis naturis.* Profectò nihil magis a sensum vel à mente, vel à verbis nostrorum Doctorum excogitari potuit. Videantur
76 locis citatis.

Hinc, quando voluntas creata ex parte actus primi cæteris requisitis ad liberratem contradictionis instructa est. e.g. ad amandum, vel non amandum, Deus præparat illi suum concursum per decretum, quo efficaciter decernit cum eâ concurrere sub conditione, quòd ipsa se se ad amandum, siue ad eliciendum amorem determinauerit. Quando verò est instructa cæteris requisitis ad libertatem contrarietatis. e. g. ad eliciendum amorem, vel odium oppositum, tunc Deus decernit efficaciter cum eâ concurrere tum ad amorem sub conditione, quòd ipsa se ad eum determinauerit, tum ad odium sub conditione, quòd ipsa se determinauit ad illud. Quòd vel per duo decreta ad ea duo obiecta seorsim terminata, vel per vnicum terminatum ad vtrumque potest præstare Deus, prout sibi placuerit. Pariterque per vnum, aut plura decreta decernit Deus cum voluntate concurrere sub conditione determinationis eius ad plures actus non oppositos, quando ad libertatem anonymam respectu eorum habet illa cætera requisita. Per quod decretum concurrendi, seu vnum, seu multiplex libertas proxima voluntatis in actu primo ad actus secundos completur tanquam per vnum ex intrinsecis constitutiuis suis.

77 Porrò decretum huiusmodi concurrendi respectu voluntatis nostræ pro statu præsenti non est concurrendi ad quemlibet ex pluribus actibus eiusdem speciei, & solo numero differentibus, quos illa potest elicere cum his comprincipijs, quibus præuenta est; sed concurrendi ad vnicum solum determinatum in indiuiduo. Nam, cùm voluntas nostra pro arbitrio suo non possit se ad hunc numero actum potiùs, quàm ad alium determinare; quia neque discernit differentias numericas suorum actuum, neque vi obiecti sibi propositi, aut cognitionis, quo proponitur, potiùs ad hunc, quàm ad illum exijs, qui solo numero differunt, permouetur: necesse est, vt aliunde ad hunc numero, quem elicit, determinetur. Vel ergo determinatur à circunstantijs, vt quibusdam placet. Vel determinatur à Deo, vt ego verius puto. Si à circunstantijs: illis suppositis, solus ille actus indiuiduus, ad quem determinant, erit in eâ rerum peristasi voluntati possibilis; subindeque ad illum solum parabit Deus suum concursum: nam ad impossibilem voluntari parare non potest. Si autem Deus est, qui per se immediatè determinat ad actus indiuiduationem; cùm aliter per se immediate determinare non possit, quàm volendo ad hunc actum concurrere, & non ad alium; sequitur planè, vt voluntatem nostram determinet ad hunc actum numero, debere eum ad hunc solum, & non ad aliud concursum suum præparare per decretum indifferens. De Beatis, qui discernentes differentias numericas suorum actuum electionem habent circa illos, aliter est dicendum. Nam hi, vt ad eiusmodi electionem plenè sint liberi, concursum debent habere præparatum per decretum indifferens ad omnes actus indiuiduos pro qualibet occasione sibi possibiles: atque adeò credibile est, ita de facto habere; ne hac libertate eligendi inter omnes actus destituantur, quam, suppositâ
78 scientiâ infusâ, connaturaliter habere possunt.

Itaque voluntas nostra, vt ad illam reddeamus, excitata per cognitiones ad amandum, vel odio habendum obiectum aliquod, per decretum indifferens determinatur, vt casu, quòd illud amet, fiat per hunc numero actum, & non per alium, & casu, quòd illud oderit, similiter per hunc numerò actum, & non per alium fiat. Vnde triplex est determinatio spectanda, quando voluntas amat, nempe quoad specificationem actus, quoad eius indiuiduationem, & quoad exercitium. Prima, & tertia sunt à voluntate. Secunda à Deo. Nam per decretum, quod Deus liberè ponit, voluntas hypoteticè manet determinata, vt casu, quòd amet, fiat per hunc actum amoris, & non per alium, quæ est determinatio quoad actus indiuiduationem: ipsa verò voluntas, dum se liberè ad amandum determinat, pariter determinat Deum, vt secum concurrat in actu exercito, quæ est determinatio, quoad exercitium, &, vt potiùs ad actum amoris, quàm ad actum odij concurrat, quæ est determinatio quoad actus specificationem.

Iam verò ex dictis facilè est intelligere, 79
quomodò per hoc genus decreti indifferentis concurrat Deus ad actionem physicam peccati; quin vel minimam incurrat notam aut auctoris, aut amatoris peccati. Concurrit enim ad eam physicam actionem prout est à se, quo pacto ne materialiter quidam praua, sed omnimodis honesta est: non verò concurrit ad eam prout est à creatura, qua ratione est praua, seu turpis, seu inhonesta. Posse enim eumdem actum, à duabus causis liberis etiam creatis indiuisim oriundum, esse

esse bonum respectu vnius, & malum respectu alterius tum physicè, tum moraliter, est manifestum: nam id eueniret, si homo sanus, & homo eger ita portarent idem pondus, vt eo exercitio primus suam sanitatem, secundus verò suum morbum augeret. Itaque per eandem actionem & creatura frangit præceptum, & Deus munus suum causæ primæ adimplet, atque adeò & creatura praue, & Deus honestè operatur: ipsaque proinde actionis entitas prout à creaturâ praua, & prout à Deo honesta est. Accedit, quòd Deus adhuc prout à se non vult absolutè talem actionem, potiùs absolutè desiderat, vt ea non existat; sed tantùm vult illam sub hypothesi, quod se creatura ad illam determiner, ne muneri suo adiuuandi creaturam ipsam deficiat. Vnde, dum absolutè ad talem actionem concurrit, non à se, sed à creaturâ determinatus, ac veluti coactus concurrit: neque intentiuè circa illam, prout est á creaturâ, sed tantùm permissiuè se habet; ponendo videlicet suam omnipotentiam in arbitrio voluntatis creatæ per suum decretum prædictum, & permittendo, vt voluntas creata vtatur illâ ad actionem prauam. In quo purissimè, rectissimè, atque sanctissimè procedit.

80 Sed contra hanc doctrinam obijci solet primo. Nihil causat creata voluntas, quod non causet Deus. Sed voluntas creata causat actionem prauam prout fundat malitiam. Ergo & Deus. Distinguo maiorem. Quod non causet Deus, prout est à se; idque non à se, sed ab alio determinatus, atq; adeò elicitiuè tantùm, & permissiuè; concedo. Quod non causet Deus, prout est à voluntate creatâ; idque non ab illâ, sed à se ipso determinatus; nego. Pariterque minorem. Sed voluntas creata causat actionem, prout fundat malitiam; quia causat illam vt cunque; nego: quia causat, prout est à se, idque se se ad eliciendam illam determinando; atque adeò faciendo insolidùm, vt hic, & nunc existat; concedo. Et nego consequentiam.

81 Secundò obijcitur. Deus per nos determinat ad indiuiduationem actus. Ergo est radix, & causa, vt existat hic actus numero. Ergo, vt existat hæc numero malitia. Nonnulli censent, Deum absque vllâ indecentiâ posse esse causam per se, vt existat hoc numero peccatum potiùs, quàm aliud eiusdem omnino qualitatis, & quantitatis, supposito, quòd voluntas creata aliquod eorum est patratura, vt videre est apud Ruiz tom. de Volunt. dis. 44. sect. 5. & dis. 49. sect. 4. Sed neutiquam placent. Ego ex dictis respondeo, Deum Determinare ad indiuiduationem actus, prout à se exit bonus, non, prout à creaturâ exit malus; idque non absolutè, & quoad exercitium, sed conditionatè, subdendo concursum suum arbitrio creaturæ, vt illo quoad hunc actũ indiuiduũ, & non quoad alios vti possit. Vnde patet, Deum esse quidẽ causam per se huiusce determinationis conditionatæ actus prout boni; prout mali verò nullo modo. Determinationis autem absolutæ actus quoad exercitium ne vt sic quidem esse Deum causam, sed creaturam solam: quia sola creatura absolutè determinat existentiam eius.

82 Tertiò obijcitur ex auctoribus primæ sententiæ. Quidquid Deus facit, potest velle: quia, quidquid Deus facit, bonum est, vt ab ipso fit; cùm Deus malè operari nequeat. Sed Deus in actu secundo absolutè causat actionem physicam peccati. Ergo potest velle eam absolutè causare. Ergo & decernere prædefinitione absolutâ; quin opus sit recurrere ad decretum indifferens. Respondeo primò; etsi Deus decreto absoluto, & determinato posset sine vllâ notâ decernere actionem physicam peccati prout causandam à se; aliunde tamen tale decretum admitti non posse: quia euerteret prorsus libertatem creatam, vt proposit. 1. monstratum est, atque adeò decretum indifferens omnino necessarium esse, stando in sententiâ non Connotantium, in qua procedimus. Secundò respondeo, hoc ipso, quòd dictum decretum determinatum, & absolutum, vtpote exequutiuum, potentiam proximam voluntatis creatæ ad suum actum compleret intrinsecè, eoq; iure libertatẽ eius euerteret iuxta dicta propos. 1. fore vtique, vt non posset nõ voluntas ipsa per illud ad suum actum determinari: & consequenter nec posset non Deus per illud causare talem actum, non tantùm, prout est à se, sed etiàm, prout est à voluntate. Quo notam auctoris peccati nullatenus posset subterfugere.

Quartò obijcitur, sequi ex hoc genere con- 83
cursus, Deum non aliter ad actionem honestam, quàm ad actionem prauam concurrere. Quod est absurdum. Nego sequelam absolutè. Quia, licèt Deus per immediatum decretum concurrendi eodem modo applicet suam omnipotentiam, & præparet suum concursum respectu actionis prauæ, ac respectu actionis honestæ; atque adeò æqualiter erga vtramque exerceat munus causæ primæ; quidquid nonnulli contradicant; multis tamen modis influit in actionem honestam, quibus non influit in prauam: nempe consulendo, exhortando, præbendoque auxilia ad illam, idque ex intentione, vt illa existat, prout est à voluntate creatâ; ex qua etiam intentione suum concursum ad eam parat aliter, quam ad prauam; quam, prout à voluntate creatâ est, nullatenus intendit, aut vult, sed prorsus detestatur, & odit.

Quintò Thomistæ aliqui obijciunt, sequi ex 84
sententia nostrâ, Deum non habere prouidentiam actuum liberorum. Nam si Deus absolutè, & determinatè non prædefinit actus liberos, casuales erunt illi, & fortuiti respectu Dei; & consequenter extra spheram prouidentiæ eius. Respondeo, vt actus liberi non sint casuales respectu Dei, satis, superque esse, Deum certissimè cognoscere, vti cognoscit per scientiam mediam, quando, & quomodò, & ex quibus causis à se productis illi sint obuenturi. Hoc enim pacto prouidentissimè potest illos cum omni certitudine consequi, siue permittere, prout voluerit; quin sit ad id necessaria prædefinitio absoluta, atque determinata eorum: quæ potiùs obesset prouidentiæ; cùm eorum læderet libertatem. Mitto alia, quæ ex eisdem Thomistis opponi possent: ex dictisque supra disput. 30. quæst. 9. & 10. satis diluta manent.

Propositio. 3.

Stando in sententiâ Connotantium, vt Deus concurrat cum causis liberis, non est necessarium decretum indifferens antecedens; sed per decretum determinatum comitans concurrere potest; præeunte tamen scientiâ idoneâ ad opportunè concurrendum. 85

Probatur. Quia, stando in hac sententiâ,

decretum indifferens antecedens nec est necessarium, vt omnipotentia diuina subdatur voluntati creatæ, nec, vt voluntas ipsa proximè libera reddatur. Ad aliud autem non potest esse necessarium, vt constat. Etenim voluntas creata, positis cæteris comprincipijs, & conditionibus requisitis, proximè est potens ad operandũ & non operandũ, eo ipso, quòd Deus proximè etiam est potens ad concurrendum, & non concutrendum, iuxta doctrinam vniuersalem citatam propos. 1. Deus autem id habet suapte naturâ in hac sententiâ, hoc ipso, quòd est agens indifferens ad ponendum, & non ponendum connotatum extrinsecum, sine quo nequit intelligi completum decretum eius libertum, prout supra disp. 31. quæst. 4. explicatum est. Vnde in hac sententiâ non eget voluntas creata ad libertatem actus primi aliquâ applic[illegible]one omnipotentiæ Dei, præter eam, quam [illegible]us habet per immensitatem. Itaque Deus, & voluntas creata duæ causæ sunt liberæ per se immediatè ad eumdem actum concursuræ: ad quem tamen neutra potest alteram trahere, nisi ipsa pariter se se ad illum determinet liberè; atque adeò vtranis in elicientia illius à nutu dependet, ac determinatione liberâ alterius. Pone Petrum & Paulum ad pondus ferendum conuenire, [illegible]d neuter ferre potest sine alterius iuuamine: [illegible]tè vterque liberè ad eam latione concurrit; quia neuter trahit ad illam alterum necessitatum: & tamen vtrique latio imputabilis est. Pari ratione in hac sententiâ concurrit Deus, & voluntas creata ad eumdem actum, vt optimè supponit Vazq. 1. par. disput. 99. cap. 7. Vnde de istis duabus causis liberis respectu eiusdem actus positiui eodem modo philosophandum venit, ac supra disput. 30. quæst. 5. propos. 14. philosophati sumus de duabus causis liberis respectu duorum actuum positiuorum, & connexorum mutuò inter se.

86 Sed tota difficultas est modò in assignandâ scientiâ, qua Deus ad hoc genus concursus præstandum mouendus est, vt opportunè concurrat cum volontate creatâ. Vazq. loco citato dicit, Deum ad concurrendum duci scientiâ conditionatâ, qua videt, voluntatem creatam cum tali auxilio operaturam, si ipse illi non deficiat, siue illam adiuuet concursu simultaneo. Quæ sententia communiter reijci solet; existimo, quia non benè penetrata. Aliqui eam impugnant. Quia obiectum illius scientiæ est nimis verum, & cuilibet, quantumuis rudi, perspicuè notum. Cùm sit idem. *Voluntas aget, si Deus concurrerit cum illâ*, ac. *Voluntas aget, si egerit*. propter identitatem actionis voluntatis, & Dei. Non placet impugnatio. Quia, licèt Deus, & voluntas eodem actu indiuisibili agant, Deum tamen agere, & voluntatem agere eo actu, diuersæ veritates sunt propter diuersa connotata. Vnde hæc propositio. *Voluntas aget, si Deus concurrerit*, non habet eumdem sensum, atque hæc. *Voluntas aget, si egerit*. Sed estò, habeat eumdem sensum, & sit nimis aperta veritas: quid interest, vt à Deo cognoscatur? Numquid Deus solas veritates nobis absconditas debet cognoscere? aut respectu Dei est aliqua veritas notior aliâ? minimè quidem.

Alij meliùs sententiam P. Vazq. impugnant.

87 Quia scientia, quam ponit in Deo prorsus est necessaria: cùm sit impossibile Deum cum voluntate concurrere, & voluntatem non operari. Deus autem per scientiam obiecti necessarij ad opportunè concurrendum duci non potest, vt satis notum est. Si enim necessariò, & semper est verum, acturam voluntatem, si Deus concurrat, siue quando absolutè agit, siue quando omittit actionem, quomodò per talem scientiam poterit discernere Deus, quando egressurus est ad illam iuuandam, & quando non item. Cæterùm neque hæc impugnatio præmit, si mens P. Vazq. & veritas ipsa inspiciatur. Etenim, stando in sententiâ, in qua procedimus, Deus per simultaneum concursum neutiquam potest trahere voluntatem ad operandum, nisi ipsa se determinet sponte suâ: sicuti neque voluntas potest trahere Deum contra ipsius liberam determinationem. Id enim est proprium potentiæ liberæ, nullatenus posse ab eâ sine eius libero nutu extorqueri actum secundum, nisi eius dominio spolietur, sublatâ libertate actus primi. Quo fit, vt non minùs repugnet, stante libertate actus primi in voluntate creatâ, Deum ad actum secundum eius concurrere, ipsâ non se determinante ad illum sponte suâ, quàm, Deum concurrere ad ipsum actum, voluntate non existente. Hinc sequitur, veritatem illam. *Si Deus non deficiat voluntati, ipsa aget liberè*; cuius notitia mouetur Deus ad concurrendum, non esse necessariam, sed contingentem, pendentemque à nutu libero voluntatis.

Quod vt plenè capias, nota, quod paulò 88
ante tetigi, etsi Deus, & voluntas creata eâdem omnino actione agunt, diuersas tamen veritates esse ratione diuersorum connotatorum, Deum agere, &, voluntatem agere, &, Sicut diuersæ sunt veritates, agens agere, &, passum pati; tametsi actio, & passio sint idem: alioquin, & passum agere, & agens pati non minùs verè dici possent: quod est absurdum. Ex hoc sequitur, ex parte hypothesis illius conditionalis. *Si Deus in hoc instanti egerit, voluntas aget*. primam tantùm earum veritatum poni, & præscindi à secundâ. Vnde veritas posita in hypothesi indifferens manet, vt coniungatur conditionatè cum determinatione voluntatis, vel cum chymærâ impossibili: cuius contintingentiæ determinatio dependet à nutu libero voluntatis. Itaque, sicut Deus, suppositio, quòd in hoc instanti non exitit voluntas, habet hanc scientiam. *Si ego elicuero hanc actionem in hoc instanti, sequentur duo contradictoria*. quia repugnat, talem actionem elici à Deo, non existente voluntate, cuius actio est. Ita, suppositio, quòd voluntas in hoc instanti liberè omissura est hanc actionem, Deus habet hanc scientiam. *Si ego elicuero hanc actionem in hoc instanti, sequentur duo contradictoria*. quia non minùs repugnat, talem actionem elici à Deo sine nutu voluntatis proximè liberæ in actu primo, quàm, elici à Deo, voluntate non existente. A nutu ergo libero voluntatis dependet, quòd Deus in statu conditionato sub hypothesi sui concursus cognoscat vel cooperationem voluntatis ab omni contradictione immunem, vel coniunctum ex duobus contradictorijs. Quando cognoscit primum, duci per talem scientiam poterit ad suum concursum opportunè præstandum; quando verò secundum, minimè. Ex quibus patet solutio argumenti facti contra Vazq.

Hæc autem omnia solidum fundamentum 89
habent in generali doctrina stabilitâ à nobis in simili disput. 30. quæst. 5. propos. 14. pro cuius, quòd

quòd actus positiui duarum liberarum causarum A, & B mutuò inter se connexi sint. Nam, sicut in tali casu neque causa A potest suum actum positiuum elicere sine nutu libero causæ B; neque causa B suum sine nutu libero causæ A; libertasque proxima causæ A ad suum actum completur per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actus causæ B sub conditione existentiæ actus causæ A; pariterque per similem veritatem completur libertas proxima causæ B: ad actum verò negatiuum neutra talium causarum indiget nutu alterius; quia vnaquæque potest ad illum necessitare alteram: quæ omnia loco citato latè monstrata sunt. Ita in nostro casu ad eumdem actum positiuum creaturæ liberæ, & Dei neque Deus potest concurrere sine nutu libero creaturæ; neque creatura sine nutu libero Dei; libertasque proxima Dei ad talem actum completur per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione concursus creaturæ sub conditione existentiæ concursus Dei; pariterque per similem veritatem completur libertas proxima creaturæ: ad omissionem verò talis actus neutra harum causarum indiget nutu alterius; quia vnaquæque potest ad illam necessitare alteram; quæ omnia per dicta loco citato à quolibet pariter, facilèque monstrari poterunt.

90 Vnde infero, prout ibi in simili inferebam, quando Deus simul, & creatura libera ponunt suum actum, vtrique talem positionem liberam, & imputabilem esse: quia vtrique adest conditionata veritas completiua libertatis proximæ ad illam; à neutraque ex his causis procedit illa sine nutu libero alterius. Quando verò Deus simul, & creatura libera omittunt suum actum, bifariam id euenire poterit. Primò, ita vt adsit conditionata veritas completiua libertatis diuinæ; secus conditionata veritas completiua libertatis creatæ: quo casu omissio soli Deo erit libera, & imputabilis. Secundò, ita vt vice versâ adsit conditionata veritas completiua voluntatis creatæ: secus conditionata veritas completiua voluntatis diuinæ: quo casu soli creaturæ erit libera, & imputabilis omissio. Tertius verò, & quartus casus, qui ad adæquatam combinationem desunt, in quibus scilicet omissio aut ambabus causis libera, aut ambabus necessaria sit, impossibiles sunt, vt constat ex dictis in simili loco citato. De facto autem quoties actus connaturaliter omittitur, pro solius creaturæ libertate omittitur: quia Deus connaturaliter non negat liberè suum concursum creaturæ. Potest tamen illum negare miraculosè; vti euenire, si Deus præuidens creaturam sine contradictione acturam ex hypothesi, quòd ipse cum illâ concurreret, talem concursum liberè omitteret.

91 Porro iuxta hunc modum philosophandi ideo peccatum Deo non attribuitur vt auctori eius, vel amatori; quia ad physicam illius actionem concurrit, ipsamque amat, non prout à creaturâ est, qua ratione fundat malitiam, sed prout est à se, quo pacto est honestissima, iuxta iam dicta num. 79. Et, licèt Deus in hac sententiâ ad talem actionem concurrat liberè, atque adeò non determinatus physicè à creaturâ; vti in sententia nostrâ concurrit, iuxta dicta ibidem: concurrit tamen determinatus ab illâ quasi moraliter, vt impleat munus causæ primæ, cum ipsâ cooperando.

Propositio 4.

Præter decreta, quibus Deus confert voluntati creatæ cætera cuncta constitutiua libertatis eius in actu primo, aliud insuper est necessarium decretum ad actum secundum terminatum, per quod Deus ad ipsum actum secundum simul cum illâ concursu simultaneo concurrat. 92

Hæc propositio est contra sententiam quartam relatam num. 66. Probaturque facilè. Quia iuxta opinionem non Connotantium, in qua procedit ea sententia, omnipotentia diuina nec est per se potentia libera, vt possit se ipsam ad actum secundum determinare independenter ab omni alio ipsam mouente, ac determinante; nec est per se subiecta voluntati creatæ, vt ab hac per se moueri, determinarique valeat, nisi priùs illi per voluntatem diuinam (cui vnicè subdita est) medio aliquo actu eius subiecta reddatur. Talis autem actus voluntatis diuinæ alius esse non potest à decreto terminato ad actum secundum, ad quem omnipotentia ipsa mouenda tandem, atque determinanda est. Tum quia cætera decreta terminata ad constitutiua libertatis voluntatis creatæ in actu primo nihil ad id conferre possunt, vt satis ex se est notum. Tum maximè quia quæuis voluntas non aliter mouet, determinatque potentiam sibi subiectam ad eius actum, quàm per decretum efficax de ipso actu, vt cernitur in voluntate nostrâ, dum efficaciter imperat potentiæ nostræ loco motiuæ, vt moueatur: idemque est subinde dicendum de voluntate diuinâ, dum imperat omnipotentiæ, vt agat ad extra. Tum denique quia ad perfectionem diuinæ prouidentiæ spectat, quòd Deus efficaciter velit id, quod per se causat; nec possit per se quidpiam causare aliter, quàm efficaciter volendo causare illud: quo fit, vt, dum concurrit cum voluntate creatâ causando actum secundum sibi, & ipsi voluntari communem, non possit non talem actum efficaciter velle, atque adeò decretum efficax ad ipsum terminatum habere. Ex quibus omnibus concluditur, Præter decreta, quibus Deus confert voluntati creatæ cætera cuncta constitutiua libertatis eius in actu primo, aliud insuper necessarium esse decretum ad actum secundum terminatum, per quod Deus ad ipsum actum secundum simul cum illâ concursu simultaneo concurrat. Quod erat probandum. Quod decretum (stando in sententia, in qua procedimus, non Connotantium) cùm nequeat esse determinatum, & absolutum; quia libertatem euerteret iuxta dicta propositione 1. necessariò debet esse indifferens, & quasi conditionatum, prout propositione 2. expositum, atque statutum est. Ex quibus etiam patet, affectum simplicem de concursu simultaneo, quem addunt aliqui ex Auctoribus sententiæ citatæ, nullius omnino vtilitatis, atque adeò prorsus impertinens esse ad propositum.

Pro-

Propositio 5.

Opinatio Recentioris relata num. 67. & singularis; & falsa omnino; & sententiæ Societatis nostræ de auxilijs prorsus aduersa est.

93 Est singularis. Quia, licèt dictus Recentior citet pro se Vazq. Arrub. Alarc. Gasp. Hurt. & alios quosdam commemoratos à nobis supra num. 65. hi tamen ab illius opinione remotissimi sunt. Primò; quia sunt ex Connotantibus, ideoque decretum Dei concurrendi cum voluntate creatâ comitans eius actionem ponunt, quia censent, illud per ipsam actionem tanquam per connotatum compleri. At dictus Recentior suum decretum comitans ponit adæquate intrinsecum Deo, nullatenusque iubinde completum per actionem voluntatis creatæ. Secundò; quia dicti Auctores scientiam mediam prærequirunt in Deo de determinatione voluntatis creatæ sub conditione auxilij, concursusque simultanei Dei, vt Deus per illam duci possit ad opportunè concurrendum, vti expressit Vazq. nosque proposit. 3. explicauimus. Quam scientiam dictus Recentior, non tantùm non prærequirit, sed opinatur, esse impossibilem. Tertiò; quia dicti Auctores per suum comitans decretum nullatenus censent, sicuti Recentior dictus per suum, Deum determinarè ad agendum voluntatem creatam; ob id illi ipsum ponunt tam ad prauam, quam ad bonam actionem: hic verò secus; quia fas non est dicere Deum ad actionem prauam determinare. Quartò denique; quia dicti Auctores longissimè sunt ab opinando cum dicto Recentiore, posse Deum per decretum comitans concurrendi cum voluntate creatâ, vel per omissionem illius reddere efficax, vel inefficax pro arbitrio suo quoduis omnino auxilium ipsi voluntati possibile; atque adeò quamlibet scientiam mediam de illius efficaciâ, aut inefficaciâ ponere, aut impedire. Ex quibus patet, opinationem Recentioris prædicti à mente Auctorum, quos pro eâ ipse intuitos trahit, alienissimam, ideoque singularem esse. Quod erat probandum.

Quòd autem sit falsa omnino, multis monstrari potest. Sit primum. Quia impossibile 94 omnino est, vt duæ potentiæ liberæ A B ad duos actus suos positiuos mutuò inter se connexos mutuò se se determinare valeant in omni euentu, ita, vt vnaquæque ad suum actum à se ipsâ immediatè, simulque ab alterâ medio actu eius determinetur; & viciſſim. Ergo opinatio Recentioris omnino falsa est. Consequentia est bona. Nam apud ipsum voluntas diuina, & voluntas creata duæ potentiæ liberæ sunt; duo autem earum actus positiui mutuò inter se connexi sunt, prioris quidem decretum comitans, posterioris autem consensus; & vnaquæque cum sibi arrisserit, adeòque in omni euentu se ipsam ad suum actum, & medio illo alteram ad suum valet determinare, & viciſſim. Probo ergo antecedens. Quia iuxta consensum Doctorum haud dubiè communem de conceptu potentiæ operantis liberè tam est, quòd ad suum actum non determinetur ab alio, quàm, quod determinatur à sè. Ergo tam repugnat, eam à se simul, & ab alio determinari ad suum actum, quam repugnat, eam liberè simul, & non liberè operari. Et ratio à priori est; quia quæuis determinatio ad actum essentialiter infert existentiam actus, vt est manifestum. Ergo ex suppositione, quòd potentia A medio suo actu determinet potentiam B ad actum eius, necessarium est, vt existat actus potentiæ B, siue detur, siue non detur determinatio ad eumdem ipsius potentiæ B. Ergo, suppositâ determinatione potentiæ A ad vtrumque actum, nequit ab arbitrio potentiæ B dependere, quòd existat, vel non existat actus ipsius potentiæ B. Quod ipsum est, potentiam B non posse se liberè ad suum actum determinare, suppositâ determinatione ad ipsum potentiæ A: & consequenter, has duas determinationes ad talem actum incompatibiles omnino, & repugnantes esse inter se. Dices, determinationem potentiæ A ad actum potentiæ B à determinatione ad eumdem ipsius potentiæ B dependere; atque ita suppositionem, quam facimus de primâ necessario ferre etiam secum suppositionem de secundâ: vnde apparet, & eas compatibiles esse; & non esse incommodum, quòd ex suppositione ambarum non detur alia tertia. Contra tamen est; quòd potentia A, vt se determinet ad suum actum, dumtaxat egeat existentiâ actus potentiæ B propter connexionem illius cum hoc, ex quacunque demum determinatione proueniat talis existentia. Ergo, si potentia A (vt Aduersarius ponit) valet medio suo actu determinare potentiam B ad suum, atque ita facere, vt hic existat, ad ambas determinationes potentiæ A est prorsus impertinens determinatio ad suum actum potentiæ B; adeò, vt illæ æquè benè possent existere, etiam si hæc esset aliunde impossibilis, vti euenirèt, si non libera, sed necessaria esset de suo potentia B. Quo & proposita obiectio cessat, & argumentatio nostra firma persistit.

Deinde probatur idem assumptum. Quia, 95 causam A medio suo actu determinare causam B, vt ponat suum, aliud non est ex proprio conceptu, quàm, causam A vi sui actus efficere, vt ponat suum causa B; quod ipsum est, causam A per vim actus sui trahere, cogere, compellere, siue necessitare causam B ad eiusmodi positionem. Hoc autem stare non potest cum eo, quòd causa B sponte suâ, ex nitru proprio, ex propriâque determinatione, & electione in talem positionem eat. Repugnat ergo, vt causa B liberè se ad ponendum suum actum determinet, & simul ad illum ponendum determinetur à causâ A. Ob id supra disput. 30. quæst. 5. proposit. 13. tanquam principium per se notum in materiâ de libertate, mihique euidens, ac prorsus certum statui, causam proximè liberam, ipsius libertate retentâ, nullâ vi alterius causæ posse trahi, cogi, siue necessitari, atque adeò neque determinari ad suum actum eliciendum, nisi illa sponte suâ, ex proprio nutu, ex propriâque, atque adeò ita determinatione prodeat in illum. Recognoscantur dicta ibi. Itaque determinatio causæ liberæ ad actum aliunde, quàm à sola illius libertate prouenientis nullatenus à necessitate oppositâ ipsi libertati separabilis est.

Præterea probatur idem ipsum. Quia, 96 vt dicta quæst. 5. proposit. 14. in eodem casu, quem verlamus, monstratum est, quando causa B liberè suum actum omittit, neutiquam ad

ad ponendum suum remanet libera causa A ex defectu veritatis conditionatæ completiuæ libertatis ipsius de existentiâ sine contradictione actus causæ B sub hypothesi existentiæ actus causæ A: est siquidem in tali euentu verum oppositum; nempe, ex hypothesi, quòd existeret actus causæ A extiturum simul, & non extiturum actum causæ B: extiturum; quia id infert talis hypothesis, & non extiturum; quia pro nutu libero causæ B aliàs extiturum non est, & actus causæ A, si daretur, nullatenus esset causa vt existeret; quandoquidem, vti supponitur, nullatenus in illum est influxiuus. De quo plura ibi. Igitur impossibile est, vt causæ A B ita sint liberæ, quòd possint se se in omni euentu vicissim ad actus suos determinare; prout aduersa sententia fert.

97 Contra quam secundum argumentum sit. Quoniam ex eâ sequitur, Deum voluntatem creatam determinare ad peccatum omissionis cuiusuis actus eius præcepti, atque adeò obligatorij. Quod est absurdum. Nam, quando voluntas creata talem actum omittit, duæ dantur omissiones mutuò inter se connexæ, & à duabus voluntatibus liberè oriundæ, altera actus præcepti oriunda à voluntate creatâ, altera decreti comitantis determinatiui ad actum ipsum oriundâ à voluntate diuinâ. Ergo iuxta Aduersarij doctrinam non potest non vnaquæque earum omissionum ad alteram determinare: atque adeò nec potest non Deus mediâ omissione sui decreti determinare voluntatem creatam ad omissionem peccaminosam actus ipsi præcepti. Consequentia constat. Quia iuxta Aduersarij doctrinam tota ratio, cur voluntates diuina, & creata vicissim se se determinant ad actus positiuos, quando eos ponunt, ipsorum actuum mutua connexio est. Sed æquè sunt mutuò connexi actus negatiui contradictorij. Ergo non possunt non pariter se se vicissim determinare ad eos, cùm ponunt ipsos. Etenim nulla ad rem idonea disparitas inter actus positiuos, & negatiuos reddi potest. Quinimo, si veritas sit attendenda, pro negatiuis potius, quàm pro positiuis stat ad rem causa. Nam, quando duarum causarum liberarum actus positiui, atque adeò & negatiui contradictorij mutuò inter se connexi sunt, etsi neutra illarum medio suo actu positiuo possit determinare alteram ad actum positiuum eius; vnaquæque tamen earum potest medio suo actu negatiuo determinare alteram ad eius actum negatiuum, prout disput. 30. quæst. 5. propositi. 14. iam citatâ fusè monstratum est.

98 Tertium argumentum contra aduersam sententiam sit. Quia impossibile est, vt aliqua causa determinetur ad suum actum per aliquid ab ipso actu distinctum, & quòd hoc non influat in illum, priusque naturâ sit illo simul cum ipsâ causâ. Ergo impossibile est, vt voluntas creata determinetur ad suum actum per decretum Dei ab ipso actu distinctum nullatenus influens in illum simul cum ipsâ voluntate, atque adeò non antecedenter, sed comitanter ad illum se habens, vti Aduersarius ponit. Consequentia est euidens. Et antecedens probatur. Primò; quia, quæcunque ad actus à se distinctos determinant causas, in illos influere censentur communi omnium Philosophorum, atque Theologorum conceptione: sic species impressæ in actus cognitionis; sic actus cognitionis in alios, & in actus appetitionis; sic actus causarum imperantium in actus causarum, quibus imperant; sic approximationes, & omnes conditiones causandi in actus causarum, quas iuuant; sic omnes impulsus tum physici, tum morales in actus, ad quos dicuntur impellere, &c. Quod manifestum signum est, ita esse de conceptu determinantis causam ad actum distinctum à se, influere simul cum causâ in illum, vt eiusmodi determinare sine influere penitus impossibile sit. Secundò probatur; quia, entitatem A determinare causam ad producendum actum B, aliud non est, quàm, entitatem A facere per existentiam suam, quòd causa producat actum B. Hoc autem intelligi nequit sine eo, quòd existentia entitatis A moueat, impellatve aliquo modo causam ad talem productionem. Quod ipsum est, entitatem A simul cum causâ influere in productionem ipsam. Tertiò probatur in casu nostro; quia decretum, quod Aduersarij ponunt, volitio efficax est de actu, siue de actione communi voluntati creatæ, & omnipotentiæ diuinæ determinans has ambas potentias ad talem actionem. Ergo nequit non voluntas diuina medio tali decreto influere simul cum illis vt cum potentijs sibi subditis in ipsam actionem. Patet consequentia. Quia iuxta communem omnium consensum non aliter determinat quæuis voluntas quamuis potentiam sibi subditam ad eius actum, influendo in ipsum simul cum illâ, quàm per volitionem efficacem, qua talem actum vult. Et confirmatur. Quia voluntas Dei non aliter influit in alias actiones omnipotentiæ, quàm volendo illas efficaciter. Ergo, dum hanc, de qua agimus, vult efficaciter, non potest non in ipsam influere. Per hoc argumentum confirmatur discursus argumenti primi, seu potiùs detegitur eius vis. Si enim decretum determinans voluntatem creatam ad suum actum non potest non immediatè in illum influere, consequens est, vt decretum determinans voluntatem creatam ad suum actum tollat libertatem eius ad talem actum; siquidem omne connexum cum actu, & immediatè influens in ipsum ipsius libertatem euertit iuxta communem, etiam Aduersarij, sententiam.

Sed dices. Voluntas se ipsam determinat ad suum actum per ipsum actum; per eumdemque determinat habitum infusum, vt secum concurrat ad ipsum. Sed talis actus in se ipsum nequit influere. Ergo benè stat, quòd causa determinetur ad suum actum per aliquid non influens in illum, atque adeò non antecedenter, sed comitanter dumtaxat ad illum se habens. Tale ergo poterit esse aliquod Dei decretum respectu actus voluntatis creatæ. Hinc forte traxit originem deceptio Recentioris. Duplex determinatiuum distingui debet. Alterum in genere causæ formalis, quo subiectum indifferens ad habendas denominationes diuersas ad earum aliquam habendam determinatur. Alterum in genere causæ efficientis, quo causa efficiens indifferens ad ponendos actus diuersos determinatur ad ponendum eorum aliquem. Ex quibus determinatiuis primum ipsa forma est, quæ talem, præ alijs, præbet denominationem subiecto: secundum verò est id quod causam efficientem mouet, impellit, ac necessitat ad ponendum talem actum, præ alijs. Igitur determinatiuum, quo voluntas se ipsam, & habitum infusum ad actum 99

per

Per ipsum actum determinare dicitur, in genere causæ formalis est: voluntas quippe, & habitus formaliter per actum ipsum redduntur, seu denominantur agentes. Tametsi determinatio sumpta pro positione talis formæ soli voluntati, non item habitui, tribuatur: eo quòd voluntas, præ habitu, causa libera, dominatiua, & electiua respectu talis formæ est, iuxta ea, quæ dicebamus disput.30. quæst.4.num.40. At verò determinatiuum, per quod causa efficiens determinatur ad ponendum aliquem suum actum distinctum ab illo, non potest esse in genere causæ formalis; quia per tale determinatiuum non redditur, denominaturve talis causa ponens, seu agens talem actum tanquam per formam, sed per actum ipsum. Debet ergo illud esse determinatiuum in genere causæ efficientis: simulque proinde cum ipsà causà ad ipsum actum efficiendum concurrere; prout satis per antea dicta manent probatum.

100 Et confirmari potest amplius. Quia, vt aliquid distinctum ab actu dicatur determinare causam eius ad ipsum ponendum, non satis est, quòd illud sit connexum cum actu, vti supponit Aduersarius, dum ponit, suum decretum comitans determinare causam creatam ad suum actum ponendum præcisè titulo connexionis, quam cum eo habet. Ergo insuper est requisitum, quòd sit illud influxiuum in actum. Consequentia est bona: quia, stante connexione, & influxu, certum est, determinationem adesse. Antecedens autem probatur. Quia, si sola connexio cum actu sufficeret ad determinandum ad actum, omne connexum cum actu determinaret ad actum, vt constat. Hoc autem planè falsum est. Quia nemo est, qui dixerit, scientiam visionis, aut reuelationem, aut actum fidei diuinæ ad actus, quos pro obiecto habent, tametsi cum eis connectuntur, determinare.

101 Postremò confirmari potest id ipsum. Quia causa necessaria per nullum ens à suo actu distinctum ad eum determinari dici vllatenus potest, nisi tale ens potentiæ proximæ talis causæ ad talem actum sit completiuum, & consequenter influxiuum in actum ipsum. Ergo tantumdem est censendum de causà liberà, vniuersaliterque subinde de omni causà efficiente. Consequentia est bona: quia, quod ad rem attinet, inter causas necessarias, & liberas nulla excogitari potest idonea disparitas. Antecedens autem probatur. Quia, quoties causa necessaria, deficiente aliquo ente, non agit, ipso tamen posito statim agit, non potest non tale ens in potentiâ proximâ talis causæ ad talem actionem includi. Cùm enim causa necessaria habens potentiam proximam ad agendum non possit non agere, consequens est, vt, quoties non agit, potentia proxima ad agendum illi deficiat. Igitur ens, ad cuius solius defectum causa necessaria non agit, nequit non esse ens, ad cuius solius defectum deficit in tali causâ potentia proxima ad agendum; vt est manifestum. Ens autem, ad cuius solius defectum deficit in causâ potentia proxima ad agendum, in tali potentiâ proximâ includi vt partem eius constitutiuam, ex vniuersali demonstratione factâ in Pharo Scient. disput.9. quæst.3. propos.19. compertum est.

102 Dices tamen rursus. Si habitus infusus, & voluntas concurrerent ad eumdem amorem per distinctas actiones, adhuc voluntas per suam actionem determinaret habitum, vt poneret suam: & tamen illa in hanc non influeret. Et vniuersim non repugnat, duos actus duarum causarum ita inter se esse mutuò connexos, vt neuter in alterum sit influxiuus: & tamen alter ad alterum determinare valeat. Præterea non repugnat, quòd vna causa sit potens producere duos actus mutuò inter se connexos, quorum alter possit ad alterum determinare, quin influat in illum. Ergo necesse non est, vt omne determinatiuum ad actum distinctum à se in ipsum influxiuum sit. Poterit igitur decretum Dei, de quo sermo est, determinare voluntatem creatam ad suum actum, quin in illum influat.

Pro solutione horum, luculentioreque ad 103
rem, atque vniuersaliore doctrinâ suppono primò, nullum ens titulo solius connexionis cum actu causæ esse determinatiuum ad ipsum. Aliàs scientia visionis, & reuelatio Dei de peccato Iudæ ad ipsum determinasset Iudam. Quod est absurdum.

Suppono secundò, omne ens connexum 104
cum actu causæ, & influens immediatè in illum cum causâ causam ipsam determinare, atque adeò necessitare ad talem actum. Constat hoc ex doctrinâ statutâ disput.30. quæst.5. propos. 11.

Suppono tertiò, quando actus cuiuscumque 105
aliquo ente connexus est, per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione talis entis sub hypothesi existentiæ talis actus potentiam proximam ad hunc talis causæ intrinsecè constitui, atque adeò compleri, cùm adsunt cætera constitutiua eius. Hoc est clarè ostensum ibid. propos. 9. Et quoniam talis veritas conditionata cum existentiâ talis actus connexa non est; tametsi in illum sit influxiua; si causa actus fuerit libera, euadet quidem per talem veritatem (stantibus cæteris requisitis) proximè potens ad talem actum; non tamen determinata, siue necessitata ad illum, sed adhuc indifferens, & libera. Si verò causa actus sit necessaria, per talem veritatem (stantibus cæteris requisitis) non solùm euadet proximè potens ad talem actum, sed etiam determinata, siue necessitata ad illum. Nam potentia proxima causæ necessariæ ad suum actum connexa cum illo, atque adeò ad illum determinata, siue necessitata est: ac proinde, quidquid, suppositis cæteris eius constitutiuis, talem potentiam proximam complet, non potest non talem causam ad talem actum determinare, siue necessitare. Idem autem dicendum est, quando idem actus à duabus causis procedit, quatenus ille prout oriundus ab vnâ secum prout oriundo ab alterâ connexus est, prout constat ex doctrinâ statutâ supra propos. 3. Quomodò autem terminus connexionis actus titulo talis ad potentiam proximam actus intrinsecè non spectet prout absolutè existens; tametsi spectet prout conditionatè exiturus sine contradictione, in eàdem quæst.5. citatâ propos. 6. monstratum est.

Suppono quartò, trifariam posse duos 106
actus duarum causarum mutuò inter se connexos esse. Primò ita, vt ambæ causæ sint liberæ. Secundò ita, vt ambæ sint necessariæ. Tertiò ita, vt altera libera, & altera necessaria sit. Pariterque supponendum est, quando vna causa est potens producere duos actus mutuò connexos inter se, aut liberam illam respectu amborum; aut necessariam respectu amborum; aut liberam respectu vnius, & necessariam respectu alte-

alterius esse posse. Poterit autem etiam fieri, vt in omnibus hisce sex casibus connexio reperta inter duos actus siue duarum causarum, siue vnius mutua non sit. Quando autem duæ causæ ad eumdem actum concurrunt influxus vnius, & alterius nequeunt non esse mutuò connexi: causæ verò aut ambæ liberæ, aut ambæ necessariæ, aut vna libera, & altera necessaria poterunt esse.

106 His suppositis, dico primò. Si causa A sit libera, & causa B necessaria, earumque actus mutuò connexi, causa A, ponendo suum actum, causam B determinabit ad actum eius; non quia primus cum secundo nonnexus est propter doctrinam suppositionis primæ; sed quia terminat connexionem eius, positusque absolutè inducit veritatem conditionatam completiuam potentiæ proximæ causæ B necessitatæ ad illum iuxta dicta suppositione tertiâ. Causa verò B causam A, vtpote liberam, nequibit determinare eo modo, iuxta mox dicenda. Hinc patet, quomodò voluntas determinare posset habitum infusum ad agendum; habitus verò voluntatem non item, casu, quòd voluntas, & habitus per duas actiones influerent in eumdem amorem. Imo de facto, dum per vnam influunt, voluntas habitem determinat, non solùm ponendo determinatiuum eius formale modo dicto num. 99. sed insuper, & propriori modo inducendo determinatiuum eius effectiuum, quale est conditionata veritas completiua potentiæ proximæ eius ad cooperandum cum voluntate, iuxta doctrinam suprà datam in simili propos. 3. iunctam cum datâ nuper suppositione tertiâ. Vnde infertur, quid vniuersaliter sit dicendum de determinatione duarum causarum ad eundem actum quando altera libera, & altera necessaria est. Quid verò, quando vel ambæ liberæ, vel ambæ necessariæ sunt, ex dicendis statim de illis prout comparatis ad duos actus facilè, suppositis dictis, inferet vnusquisque.

107 Dico secundò, si ambæ causæ A B sint liberæ, earumque actus mutuò connexi, neuter horum poterit determinare ad alterum, aut titulo connexi cum illo propter suppositionem primam, aut titulo terminantis connexionem illius; quia veritas conditionata, quam vt sic inducet completiua potentiæ proximæ ad illum, hanc non determinabit ad ipsum, sed indifferentem relinquet, vt constat ex dictis suppositione tertiâ. Quòd si verò alter talium actuum, præterquàm connexus cum altero, in ipsum influxiuus sit, tunc ad ipsum determinabit, necessitabitque causam eius iuxta suppositionem secundam. Vnde rursus patet contra Aduersarium, decretum Dei concurrendi, quod ipse ponit, nullo modo determinare posse voluntatem creatam ad actum eius, nisi in ipsum sit influxiuum, atque adeò non comitans, sed antecedens, planèque tollens libertatem ad talem actum.

108 Dico tertiò. Si ambæ causæ A B. sint necessariæ, earumque actus mutuò connexi, eatenus vterius eorum dici poterit determinare ad alterum, quatenus vterius complebit potentiam proximam illius necessitatam ad illum per veritatem conditionatam, quam inducet vt terminus connexionis illius, iuxta doctrinam suppositionis tertiæ. Quia tamen causa necessaria, vt non dicitur determinare se ipsam, ita nec propriè venit dicenda determinare alteram; ideo in casu posito, causa libera, quæ ambas eas necessarias compleuerit cæteris intrinsecè requisitis ad earum potentias proximas agendi, propriùs dicetur ambas simul ad suos actus determinare.

Dico quartò. De vnicâ causâ potente 509
producere duos actus mutuo connexos proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt de duabus, philosophandum est. Atque ita dicendum. Si respectu vnius illorum sit causa libera, & respectu alterius necessaria, per primum determinare se poterit ad secundum modo antea dicto; sed non vice versâ. Si verò respectu amborum libera sit, per neutrum eorum poterit se ad alterum determinare: sed tantùm per se immediatè ad vtrumque simul duabus libertatibus immediatis. Si denique respectu amborum sit necessaria, tametsi minùs propriè dici possit per eorum vtrumuis posse se ad alterum determinare: propriùs tamen dicetur determinari ad ambos à causâ liberâ complente ipsius potentiam proximam ad vtrumque, quo pacto dictum est in simili num. præced.

Dico denique quintò. Qua ratione in 510
prædictis casibus philosophatum est, quando duo actus duarum causarum, vel vnius mutuò inter se connexi sunt: eàdem est philosophandum, seruatis seruandis, quando inter se sunt connexi non mutuò. Quod quia facile quisque præstare potest, non est, cur in eo explicando minutiùs dititiùs immoremur. Recognoscantur plura ad rem præsentem quoque spectantia, quæ latè sunt tradita supra disp. 30. q. 5. propos. 14. Modoque ad reliqua pergamus.

Quartum argumentum contra sententiam, 511
quam impugnamus ab absurdis, quæ ex eâ sequuntur venit sumendum. Primum absurdum est, quòd iuxta illam concursus simultaneus, quo Deus concurrit ad actum liberum creatum, à Deo prout ipsum volente efficaciter non procedit tanquam à causâ: qualiter à Deo debet procedere omne ens creatum secundùm Scripturam, & Patres iuxta dicta disput. 31. quæst. 4. & supra propos. 2. num. 74. Et hoc, licèt sermo sit de concursu ad actum bonum; quandoquidem decretum Dei de illo, quòd Aduersarius ponit, nullum causalitatis influxum præstat in ipsum. Si verò sit sermo de concursu ad actum malum, secundum, & longè maius absurdum sequitur; nimirum, Deum nullo modo concurrere ad illum adhuc quoad eius physicam entitatem. Quod, licèt Aduersarius amplexetur, dissimulatum tamen, ac tectum verbis, prout supra num. 67. notaui, magnum communiter absurdum reputatur contra Durandum. Illud autem ex Aduersarij sententiâ sequi, est clarum. Censet enim ex vnâ parte, Deum nullum habere decretum concurrendi ad actum malum, sicut habet ad actum bonum; quia, sicut ad bonum determinat in suâ sententiâ, determinaret ad malum; quod dici non potest: ex aliâ verò parte censet, secundùm Scripturam, & Patres nihil ab omnipotentia diuinâ produci physicè, quod effi aciter non velit diuina voluntas. Ex his autem duobus apertè sequitur, actum malum physicè non produci ab omnipotentiâ diuinâ. Quod ipsum est, Deum ad illum nullo modo concurrere, adhuc quoad eius physicam entitatem. Et quidem, cùm necessitas concursus Dei nascatur ex necessitate, quam habet creatura, vt Deus ad causandum ens quodlibet adiuuuet illam, nescio qua consequentia Aduersarius omnino requisitum censet concursum Dei, & eius decretum

ad causandam entitatem actus boni; ad causandam verò entitatem actus mali non item. Tertium absurdum est; quòd Deus iuxta dictam sententiam plenum dominium non habet sui concursus simultanei, ita, vt illum negare possit pro beneplacito suo creaturæ liberæ, ipsa inuitâ. Quandoquidem hæc, suppositis cæteris requisitis ad suam libertatem, semper habet in potestate suâ determinare Deum pro suo arbitratu, vt secum concurrat medio decreto comitante. Quod quidem quamdam pre se fert subiectionem indignam Deo. Quartum absurdum est coniunctio duorum oppositorum, quam ponit Aduersarius dicens, nostrum consensum Deo esse liberum, sub eiusque dominium cadere medio decreto comitante; & hoc nihilominùs in illum nullatenus influere. Hæc quippe duo inter se pugnant: quia non potest stare libertas actus secundi, de qua est sermo, imo nec ratio voluntarij, nisi in effectu respectu causæ, vt constans, certaque omnium sententia est. Quintum absurdum sequutum ex opinione prædictâ est; non solùm, quòd Deus media omissione decreti comitantis determinet voluntatem creatam ad peccatum omissionis actus præcepti, prout dictum iam est in argumento secundo; sed etiam, quòd voluntas creata vicissim determinet Deum, atque adeò trahat, vt mediâ suâ determinatione ipsam adiuuet ad patrandum tale peccatum. Mitto alia, quæ in sequentibus attingentur.

112 Quintum argumentum contra Recentiorem, quem impugnamus, sit. Quòd fundamenta quibus ille subnititur multò minùs solida sunt, quàm oporteret, ad inducendam opinionem tam singularem, tam nouam, tamque inconuenientibus obnoxiam, prout ex illorum propositione, ac solutione conspicuum fiet.

Affert enim primò pro se loca Scripturæ, quibus significatur, ad existentiam cuiusuis rei decretum Dei efficax requisitum esse. Sed primùm huiusmodi loca in ipsum retorquentur: nam exigunt volitionem Dei efficacem ad existentiam omnium rerum, in quibus non potest non includi entitas physica peccati, vt cernitur in illo Sap. 11. *Diligis enim omnia, quæ sunt &c. Quomodò autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses?* Ille autem pro physicâ existentiâ peccati nullum in Deo ponit decretum. Deinde absque vllo prorsus fundamento vult, vt Scriptura intelligatur de suo exotico, & hactenus inaudito decreto concurrendi potiùs, quàm de quouis alio eorum, quæ ponunt alij Theologi, vnusquisque iuxta suam sententiam.

113 Secundò affert pro suo decreto loca Scripturæ, & Patrum, quibus asseritur, Deum facere, vt faciamus, actusque nostros magis in potestate Dei, quàm in nostrâ esse, iuxta illud August. lib. de Corrept. & grat. cap. 14. *Deus magis habet in potestate voluntates hominum, quàm ipsi suas.* Sed verò ad explicanda eiusmodi loca nihil penitus prodesse posse dicti Recentioris decretum comitans, videtur manifestum: siquidem talis conditionis ab illo adstruitur, ne lædat libertatem, vt tam sit in potestate voluntatis creatæ illud impedire, quàm est in potestate voluntatis diuinæ illud ponere. Hoc enim ipso quod ambæ (vt dicit) vicissim se se determinare valent, nequeunt non ambæ esse æquè potentes ad faciendum quod existant, vel non existant ambarum actus. Hinc autem euidenter infertur, Deum ex vi præcisè potentiæ proximæ, quam habet ad ponendum, vel non ponendum suum decretum comitans, non magis habere in suâ potestate voluntates hominum; quàm ipsi suas; nec potiori iure dici eum posse per tale decretum facere, quòd homines faciant: quàm possunt dici homines facere per suos actus, quod faciat ipse. Impertinens ergo est, & extra rem tale decretum ad explicanda loca Scripturæ, & Patrum commemorata. Tantum abest, vt per ea vel apparenter probetur, illud in Deo dari. Dicendum igitur est cum omnibus nostris Doctoribus, id circo in locis pretatis dici Deum facere, vt nos faciamus; quia confert nobis auxilia efficacia, & cætera comprincipia, quibus, infallibiliter videt, nos esse facturos. Et quoniam acquirere, habereque nos talia comprincipia, non in nostrâ est, sed in solâ Dei potestate, & sine illis nihil possumus; ideò Deus dicitur magis habere in suâ potestate nostros actus liberos, quàm nos ipsi eosdem. De quo videri possunt Soar. lib. 3. de Auxilijs cap. 15. & tom. 2. de Gratia lib. 5. cap. 33. & sequentibus, Ruiz sæpe tangens hoc punctum in suis operibus, & alij nostri Auctores.

Tertiò argumentatur. Quia perfecta subordinatio actus liberi creati boni ad Deum vt infinitè actiuum postulat, eum non existere, nisi Deus ipsum faciat. Ergo perfecta subordinatio eiusdem actus ad Deum vt infinitè dominum postulat, eum non existere, nisi Deus ad ipsius existentiam determinet. Quod aliter quàm per decretum comitans præstare nequit: quandoquidem per antecedens illius euerteret libertatem. Confirmatur. Quia omnis effectus creatus est Deo perfectè voluntarius iuxta capacitatem ipsius effectus. At actus liber bonus capax est, vt per decretum determinatum, & absolutum decernatur; atque ita Deo sit voluntarius: nec sic per aliud, quàm per dictum decretum comitans, saluâ ipsius libertate, decerni potest. Ergo. Primò retorqueo argumentum in actu libero malo. Cuius physicâ entitas à Deo debet fieri iuxta certam sententiam: & tamen iuxta arguentem per simile decretum comitans à Deo determinari non potest. Deinde respondeo. Licèt perfecta subordinatio creaturæ ad Deum vt infinitè actiuum postulet, vt illa immediatè fiat à Deo: at perfecta subordinatio creaturæ ad Deum vt infinitè Dominum non postulat, vt illa immediatè determinetur à Deo quoad existentiam: nam hoc repugnat libertati creaturæ. Quandoquidem, vt satis in præcedentibus ostensum est, repugnat, actum liberum voluntatis creatæ ab alio, quàm à voluntate ipsâ determinari quoad existentiam, saluâ illius libertate. Sufficit ergo pro perfectâ subordinatione creaturæ ad infinitum dominium Dei, vt possit Deus pro libero suo beneplacito facere, quod vel existat creatura, vel non existat; aut per se immediatè determinando existentiam, vel non existentiam eius; aut ponendo id, vnde prætuidet infallibiliter fore eam à libertate creatâ determinandam. Vnde ad confirmationem patet, actum liberum creatum vt talem non posse esse Deo voluntarium medio vllo decreto determinante immediatè existentiam eius. Quin imo nec voluntarium fore, vt supponit arguens, medio decreto comitante, estò daretur hoc; eo quòd per ipsum non fieret, supra iam tetigimus contra ipsum num. 14.

Quartò argui potest sic ex eodem. Repugnat, vt aliquid sit possibile, & non possit fieri, siue reddi existens à Deo. Sed multa possibilia 115

non

non possent fieri, siue reddi existentia à Deo, si Deus non posset determinare voluntatem creatam ad quemuis actum liberum eius medio suo comitante decreto. Ergo, posse determinare sic illam, necessariò dicendum est. Maior videtur certa: quia nemo dubitare posse videtur, quin possit Deus facere, vt sit existens, quidquid est possibile. Minor autem prebatur. Quia omne coniunctum ex libertate actus primi voluntatis creatę, & ex actu secundo, ad quem ea est libertas, possibile est; siquidem à voluntate habente talem libertatem existens reddi potest tale coniunctum; vt constat. Sed, si Deus non posset medio suo decreto comitante determinare voluntatem creatam ad quemuis actum liberum eius, multa eiusmodi coniunctorum possibilium non possent à Deo reddi existentia; ea scilicet omnia, quæ voluntas creata pro liberâ suâ determinatione de facto positura non est: quia talis determinatio omissiua, suppositâ tali libertate, à Deo non non posset impediri, siue in positiuam mutari. Ergo, &c.

117 Huic argumento Recentior, cum quo ago, valde fidebat, donec per manifestam instantiam eius inefficaciam, siue fallaciam ego ipsi detexi. Etenim eumdem locum habet illud in coniunctis ex libertate actus primi voluntatis creatæ, & actu secundo, ad quem ea est libertas, siue sit talis actus bonus, siue malus moraliter; siquidem omnia æquè sunt possibilia: & tamen illa, quæ ex actibus malis constant, quando à voluntate creatâ liberè ponenda non sunt, à Deo poni non possunt: quia Deus nequit ad actum malum determinare, etiam secundùm Aduersarium. Actus etiam connexi cum dictis coniunctis non ponendis, vt reuelationis, fidei, &c. possibiles cùm sint, à Deo produci non possunt; quia sine suis obiectis, quæ Deus ponere non potest, existere nequeunt.

118 Dicendum igitur est, maiorem primi syllogismi argumenti tacti fallam esse. Quia Deus reuerà omnia commemorata possibilia non potest facere, siue existentia reddere, suppositò, quòd voluntati creatæ talem det libertatem, (relinquens illam in manu consilij sui), cum qua pro liberâ suâ determinatione operatura non est. Poterit quidem Deus cuiusuis voluntatis creatæ quemlibet actum secundum liberum obtinere per quamlibet ex innumeris libertatibus actus primi possibilibus, & efficacibus, quas habet in suâ manu, & cum quibus, videt per scientiam mediam, talem actum à tali voluntate ponendum, si quæuis earum illi detur. Cum nullâ tamen ex alijs libertatibus inefficacibus etiam possibilibus, cum quibus, videt non ponendum, poterit obtinere illum. Vnde, si aliquam harum det voluntati, coniunctum ex illâ, & ex actu, aliàs ipsi voluntati possibile, iam non erit in manu Dei: quia, suppositâ, saluâque libertate actus primi, cum qua voluntas sponte suâ, ex liberâque determinatione suâ actura non est, repugnat, vt per determinationem alienam, oppositamque actus ab illâ extorqueatur, prout ex dictis in præcedentibus notum est. Quare non mirum, quòd id à Deo fieri non possit; à quo nequeunt impossibilia fieri. Et hæc est doctrina omnium Nostrorum, qui libertatem actus primi ita ponunt intrinsecè indifferentem, (qualis haud dubiè debet poni), vt efficacia, vel inefficia eius aliunde desumi non possit, quàm ab existentiâ conditionatâ vel actus, vel carentiæ eius pro libero nutu voluntatis ponendâ ex hypothesi, quòd talis libertas illi detur.

Hinc pergo ad probandam tertiam partem propositionis. Nimirum, sententiam Recentioris de decreto comitanti, quam refutaui, sententiæ Societatis nostræ de auxilijs prorsus aduersam esse. Primò; quia ex illa sequitur, vt ipse fatetur, posse Deum facere pro suo libero beneplacito, quòd omne omnino auxilium possibile respectu cuiusuis actus boni voluntatis creatæ aut sit efficax, aut inefficax: erit enim efficax, si adiungat illi suum decretum comitans, inefficax verò, si non adiungat; quod vtrumuis liberè potest. Vnde consequenter pro libero suo nutu potest impedire omnem scientiam mediam, quam modo habet, aut de effica iâ, aut de inefficaciâ cuiusuis omnino auxilij possibilis, scientiamque oppositam, quam modò non habet, comparare. Ex quo primò colligitur, Deum per quoduis omnino auxilium possibile, etiam eorum, quæ de facto præuidentur inefficacia, nostrum consensum posse obtinere: quia facere potest, vt ea sint præuisa efficacia, & vice versa per ea, quæ de facto sunt præuisâ efficacia, facere potest, quod omittamus consensum, atque adeò, quòd sint præuisâ inefficacia. Quare, non solùm erit beneficium speciale, dare nobis auxilium efficax, sed etiam, præuidisse illud efficax: gratiasque subinde tenebimur Deo reddere, non solùm, quia dedit nobis auxilium efficax, sed etiam, quia præuidit illud efficax, antequam daret. Secundò colligitur, nihil nobis interesse, quòd auxilium nobis collatum sit vehemens, & valdè inclinans in actum bonum, vel sit languidum, & parum inclinans; sicut nec, quod tentatio opposita sit valde grauis, vel valde leuis; nihil, quòd addatur exhortatio, aut consilium, aut præceptum: siquidem æquè certò, & securè consentiemus in omnibus ijs casibus, si Deus ponat suum decretum comitans; aut non consentiemus, si omittat; quorum vtrumuis pro mero suo beneplacito potest. Tertiò colligitur, efficaciam auxilij potiùs per prædictum decretum comitans, quam per futuritionem conditionatam nostri consensus constituendam esse. Atque ita dicendum, auxilium efficax intrinsecè, & physicè esse cum consensu connexum: nam sic connectitur cum illo coniunctum ex quauis cogitatione, & tali decreto. Ac demum de efficaciâ cogitationis inclinantis ad actum bonum longè aliter philosophandum erit, quàm de efficaciâ cogitationis inclinantis ad actum malum. Quæ omnia in Schola Societatis hucusque inaudita, & à doctrinâ eius de auxilijs prorsus aliena sunt.

119

Ex his autem secundò sequitur aliud non modò alienum, sed ex diametro oppositum doctrinæ nostræ. Nempe, per opinionem Recentioris, quam refutamus, penitus tolli è medio necessitatem tantopere à nostris Doctoribus celebratam, tantis, torque expensis assertam scientiæ mediæ ad negotium prædestinationis, ad eiusque infallibilitatem, securitatem, & certitudinem. Quippe Deus speciali, efficaci, certâque, & infallibili prouidentiâ, qualis prædestinatio est, nullatenus potest perducere prædestinatum vsque dum per merita sua gloriam, & coronam obtineat, nisi præsciens, habere in suâ manu media ad id consequendum connexa certò, & infallibiliter cum talibus meritis; qualia potissimùm sunt auxilia gratiæ efficacia; prout constat ex se, latiùsque supra disput.37. propositi.2. explicatum

120

est. Id autem iuxta dicta ibid. neutiquam in Scholâ nostrâ potest præscire Deus aliter, quàm per scientiam mediam: siquidem efficacia auxiliorum ipsissimum est obiectum scientiæ mediæ, vt constat. Ast, Recentioris opinione suppositâ, quàm optimè potest id Deus præscire independenter à scientiâ mediâ, per scientiam merè naturalem, qua scit, se habere in suâ manu quælibet possibilia coniuncta ex quibusuis auxilijs, & suis decretis comitantibus, & talia coniuncta suapte naturâ esse connexa cum meritis prædestinati. Igitur talis opinio è medio tollit penitus necessitatem scientiæ mediæ ad prædestinationem ab omnibus Nostris assertam: nostræque subinde doctrinæ ex diametro oppositа est.

121 Sed affectat nihilominùs illius Auctor, se à sententiâ Nostrorum de necessitate scientiæ mediæ ad prædestinationem non dissidere, dicens, ad perfectionem cuiusuis prouidentiæ diuinæ, atque adeò prædestinationis requisitum esse, quòd Deus positurus quemuis effectum præsciat, cum quibus ille circunstantijs de facto coniungendus sit; ne talis coniunctio sit Deo casualis, & non voluntaria. Id autem præscire non potest, nisi per scientiam mediam, quando effectus est indifferens, vt coniungatur cum circunstantijs contradictorijs, quale est quoduis auxilium conferendum Prædestinato: de quo proinde præscire Deus debet per scientiam mediam, antequàm conferat, num cum consensu Prædestinati, num verò cum omissione consensus sit coniungendum, si conferatur. Vnde concludit, etiam in suâ sententiâ esse necessariam scientiam mediam ad prædestinationem.

122 Sed contra primò. Quia ista necessitas, (estò ea adsit, de quo mox), longè diuersa est ab illâ, quam ponunt nostri Auctores. Illi enim eo titulo scientiam mediam esse necessariam ad prædestinationem definiunt, vt Deus præsciat, se habere in potestate suâ media omnino certa, infallibiliterque connexa cum fine per prædestinationem intento. Hoc autem titulo iuxta opinionem Recentioris manifestè non est necessaria ad prædestinationem scientia media; siquidem, stando in tali opinione, independenter à scientiâ mediâ, per scientiamque merè naturalem præscit Deus, se habere in potestate suâ media omnino certa, infallibiliterque connexâ cum fine per prædestinationem intento; coniuncta scilicet ex quibusuis auxilijs, & suis decretis comitantibus. Opinio igitur Recentioris doctrinæ nostrorum Auctorum manifestè aduersatur. Quidquid sit de necessitate, qua ipse alio diuerso titulo scientiam mediam ad prædestinationem requirit.

123 Contra tamen secundò. Quia nec hæc quidem necessitas, quam ipse adstruit, adest iuxta ipsius opinionem. Iuxta eam enim, licèt Deus det Prædestinato auxilium indifferens ductus per solam scientiam simplicis intelligentiæ de bonitate physicâ eius, neque præsciens per scientiam mediam, vtrùm illud cum consensu, vel cum carentiâ consensus sit de facto coniungendum, si detur: talis coniunctio, quæcunque illa sit, neutiquam erit Deo casualis, & non voluntaria: quia adæquatè dependens erit à liberâ determinatione Dei: quandoquidem, postquam iam auxilium sit absolutè existens, pro liberâ determinatione Dei, & non aliter, veniet coniungendus cum illo vel consensus, vel defectus, siue carentia eius. Ponenti autem effectum sine præscientiâ de circunstantiâ, cum qua est illa coniungendus de facto, tunc solum est casualis, & non voluntaria talis coniunctio, quando talis circunstantia aliunde, quàm à liberâ determinatione ipsius ponentis effectum, ponenda, vel iam posita est. Vnde patet, stando in opinione Recentioris neque ad perfectionem prouidentiæ, aut prædestinationis diuinæ esse necessariam scientiam mediam de efficaciâ, vel inefficaciâ auxiliorum eo titulo, ne eorum coniunctio cum consensu, aut cum carentiâ eius casualis, & non voluntaria Deo sit. Talemque opinionem subinde omnimodis excludere necessitatem scientiæ mediæ ad prædestinationem: omnimodisque consequenter esse illam doctrinæ nostræ Societatis aduersam. Considerent nunc illi, ad quos attinet, omnibus, quæ hucusque diximus, benè perspectis, an in Auctore Societatis talis opinio permittenda, vel toleranda sit.

Propositio 6.

Cum causis secundis necessarijs per 124
decretum determinatum, & absolutum potest concurrere Deus in quauis sententiâ. Secus per decretum indifferens simile ei, quo concurrit cum causis liberis iuxta sententiam nostram. Tametsi per deretum aliquod conditionatum etiam possit concurrere.

Prima pars propositionis est clara. Quia, postquam causa secunda necessaria cæteris intrinsecè requisitis ad suam potentiam proximam agendi constituendam instructa est, Deus suo decreto exequutiuo determinato, & absoluto decernere potest simul cum eâ concurrere ad talem determinatam actionem. Quo posito talis actio à causâ secundâ simul, & ab omnipotentiâ diuinâ necessariò egredietur. Erit autem tale decretum, necessitasque ad talem actionem per illud completa antecedens iuxta sententiam non Connotantium, quam nos amplectimur. In sententiâ verò Connotantium non potest non esse vtrumque conlitans, si decretum, vt ipsi autumant, per ipsam actionem compleatur. Quomodò autem cum hoc possit componi, quòd actio procedat à decreto, ipsi viderint. De quo plura contra eorum sententiam diximus disp. 31. q. 4.

Secunda pars propositionis probatur. Quia, 125
vt constat ex dictis propos. 2. decretum indifferens, quo Deus iuxtà sententiam nostram concurrit cum causis liberis, conditionatum est; per quod scilicet Deus omnipotentiæ iuæ imperat, vt talem determinatam actionem communem sibi, & causæ secundæ simul cum eâ eliciat, si causa ipsa secunda sponte suâ se se ad eliciendam illam determinauerit. Hoc autem modo nequit Deus decernere concurrere cum causis necessarijs: quia causa necessaria nequit se ipsam ad suam actionem determinare, vt constat.

Tertia pars propositionis probatur. Quia, 126
antequam Deus præuideat causam necessariam instructam cæteris requisitis ad operandum, potest conditionatè decernere cum illâ concurrere sub conditione, quod illi adiungatur tale, vel tale requisitum nondum præuisum. E.g. potest decernere concurrere cum tali igne ad comburendum talem domum sub conditione, quod talis ignis tali domui applicetur. Imo, postquam cau-

causa necessaria præuisa iam est cæteris cunctis ad agendum requisitis instructa; præternaturaliter saltem potest Deus non absolutè, sed conditionatè decernere concurrere cum illâ sub aliqua conditione extrinsecâ ponendâ ab aliquâ aliâ causâ, præsertim liberâ. Dico, præternaturaliter saltem. Quia causæ necessariæ instructæ iam cæteris omnibus requisitis ex parte actus primi ad necessariò agendum connaturaliter est debitum decretum Dei determinatum, & absolutum concurrendi cum illâ. Quemadmodùm etiam causæ liberæ instructæ pariter cæteris omnibus requisitis ex parte actus primi ad agendum liberè connaturaliter est debitum decretum Dei indifferens cum illâ concurrendi. Si quando autem Deus decreuerit cum causâ necessariâ concurrere per decretum conditionatum, purificatâ conditione, transibit illud in absolutum quoad vim causatiuam; eumdemque proinde præstabit effectum, ac si absolutum esset, iuxta dicenda de decretis conditionatis disput. 39. quæst. 3.

DISPVTATIO 39.

De prouidentiâ Dei prædefinitiuâ rerum.

OMne decretum Dei prædefinitio, seu decretum prædefinitiuum vocari solet; sumptâ particulâ *præ*, prout denotat antecessionem temporis: quia nullum est in Deo decretum, quod per totam æternitatem non antecedat rem per ipsum definitam, siue statutam. In præsenti tamen disputatione præsiùs vsurpatâ particulâ *præ*, prout denotat antecessionem causalitatis, prædefinitionem vocamus, seu prædefinitiuum decretum illud, quod ordine causalitatis præcedit rem decretam, seu prædefinitam. Acturique in ea sumus potissimùm de prædefinitionibus, seu decretis prædefinitiuis actuum voluntatis creatæ.

QVAESTIO I.

Quid sit, & quotuplex prædefinitio, seu decretum prædefinitiuum actus voluntatis creatæ.

1 ESt desiderium, siue volitio efficax, qua Deus in actum voluntatis creatæ tendit, volendo, vt ille existat. Nonnulli, tametsi minùs propriè, appellant etiam prædefinitionem actus in suâ ausâ illud decretum, quo Deus non actum ipsum, sed causam eius efficacem decernit, quale est auxilium efficax respectu talis actus. Propriè tamen, & absolutè loquendo, solùm dici solet prædefinitio actus decretum, quod actum ipsum habet pro obiecto. Porro prædefinitio, siue decretum prædefinitiuum actus illud dumtaxat desiderium actus vocatur, (accepto latè desiderio, iuxta dicta disput. 34. quæst. 2.) quod efficax est: minimè verò, quod est simplex: hoc enim sub decreti nomen non cadit.

2 Diuiditur autem decretum prædefinitiuum actus primò in decretum purè intentiuum, decretum purè exequutiuum, & decretum mixtum. Quæ diuisio latè est iam exposita supra disput. 36. quæst. 5. à num. 92. Recognoscatur ibi.

3 Secundò decretum prædefinitiuum actus purè intentiuum aut potest esse de actu prout libero, aut de actu prout necessario, aut de actu quoad substantiam præcisè. Erit de actu prout libero, si per illud intendatur vel coniunctum ex actu, & libertate eius ex æquò; vel actus prout subest libertati, seu prout connotans illam. Similiterque erit de actu prout necessario, si intendatur per illud vel coniunctum ex actu, & eius necessitate; vel actus prout subest necessitati, seu prout connotans illam. De actu autem quoad substantiam præcisè erit, si intendatur per illud sola entitas actus præscindendo à libertate, & necessitate; quas esse actui accidentales, & accessorias, supponimus ex sententiâ communi. Quæ diuisio decreto purè exequtiuo, vel mixto competere nequit: quia decretum quauis ratione exequutiuum iuxta dicta loco citato nequit præscindere à circumstantijs, inter quas censentur libertas, & necessitas actus.

4 Tertiò decretum prædefinitiuum actus purè intentiuum præscindens à libertate, & necessitate, aut potest esse de actu secundùm se sumpto, aut de actu prout consequibili per sola media libera; aut de actu prout consequibili per sola media necessaria; aut de actu prout consequibili per vtrauis. (Recognosce similem diuisionem intentionis finis datam supra disput. 36. quæst. 3.). Dicuntur autem media libera, quæ indifferentia sunt ad actum, & ad carentiam eius, actusque subinde libertatem non tollunt, imo constituunt; media autem necessaria dicuntur, quæ cum actu connexa sunt, atque ideo eius libertatem euertunt, constituuntque necessitatem. Est quippe sermo de medijs exequutiuis, atque adeò proximè, seu immediatè influxiuis in actum ipsum. Nec putes, hanc diuisionem confundi cum præcedente, quasi decretum actus vt consequibilis per media libera, aut per necessaria non præscindat à libertate, & necessitate: præscindit enim in sensu, in quo de decreto præscindente impræsentiarùm sermo est. Nam aliud est, velle actum vt liberum formaliter, vel vt necessarium formaliter; aliud velle actum vt consequibilem per media libera, vel necessaria: priori enim modo aut simul cum actu amatur libertas eius, siue necessitas, aut amatur actus prout connotans libertatem, siue necessitatem actualem: posteriori autem modo tantùm amatur aut simul cum actu possibilitas positionis eius per eiusmodi media, aut solus actus prout connotans talem possibilitatem. Et ideo, licèt actus non possit amari vt liber simul, & necessarius: quia tale obiectum inuoluit contradictionem: at potest amari vt consequibilis simul per media libera, & necessaria; quatenus simul est possibile, vt ponatur per hæc, & per illa; licèt istæ duæ possibilitates non possint simul reduci ad actum. Stet ergo, decretum præcisiuum quatuor dictis modis tendere posse in actum per illud prædefinitum. Et

quo-

quoniam Deus nequit decreto intentiuo decernere actum, nisi præuideat, se habere in suâ potestate media efficacia ad eius exequutionem: necesse est, vt quoduis ex dictis decretis supponat suapte natura efficaciam eorum mediorum, per quæ Deus videt, se posse cum effectu consequi actum, quem prædefinit, siue ea sint libera, siue necessaria, siue vtraque. Ex quibus medijs aut aliquod tantùm, aut aliqua, aut omnia intra quoduis genus possibilia potest supponere decretum suapte naturâ (licèt non omnia, sed aliquod, vel aliqua ad eius exequutionem necessaria sint) iuxta scientiam vel vnius, vel plurium, vel omnium illorum, quam essentialiter præsupponit.

Quartò quoduis ex prædictis decre- 5
tis aut potest esse absolutum ex parte obiecti, ideſt, absolutè tendens in existentiam actus prædefiniti per illud: aut potest esse conditionatum ex parte obiecti, ideſt, tendens in existentiam actus sub hypothesi, quòd aliqua conditio detur.

Quintò quoduis rursus ex prædictis de- 6
cretis aut potest esse determinatum, ideſt, tendens in vnicum actum determinatè sumptum: aut potest esse disiunctiuum, ideſt, tendens in disiunctum ex duobus actibus, seu, quod est idem, tendens in vnum, vel alterum duorum actuum sub disiunctione. Quemadmodùm autem est possibile decretum determinatum de vnico actu; ita est possibile decretum determinatum de coniunctione ex duobus actibus, vel pluribus in quouis numero. Et quemadmodùm est possibile decretum disiunctiuum de disiuncto ex duobus actibus; ita est possibile decretum disiunctiuum de disiuncto ex tribus actibus, vel pluribus in quouis numero.

Sextò quoduis iterum ex prædictis de- 7
cretis aut potest esse de actu positiuo; aut de actu negatiuo, seu actus carentiâ æquiualenter. Dico æquiualenter. Quia Deus per volitionem formalem non potest tendere in carentiam, seu negationem entis, vt sæpe aliàs à nobis statutum est; tendere tamen æquiualenter in eam censetur per nolitionem formalem entis negati. Itaque nolitio efficax actus æquialenter est prædefinitio carentiæ eius, vtpote cuius causatiua suo modo est, cum ipsâque connexa essentialiter.

Septimò quoduis ex recensitis decretis 8
prædefinitiuis aut de actu moraliter bono seu positiuo, seu negatiuo, aut de actu moraliter malo potest excogitari, aut etiam de actu moraliter indifferente, si talis est possibilis. De quibus omnibus in sequentibus figillatim agendum est.

QVAESTIO II.

Vtrùm decretum Dei prædefinitiuum actus voluntatis creatæ absolutum, & determinatum cum ipsius actus libertate cohærere possit.

SErmo est in hac quæstione tum de decreto per se immediatè exequutiuo quouis modo; tum 9
de decreto purè intentiuo actus prædefiniti. Decretum exequutiuum antecedens, adeòque prædefinitiuum actus voluntatis creatæ cum eius libertate benè componi, censent Thomistæ, & Scotistæ commemorati supra disput. 38. quæst. 3. Tale enim ponunt vtrique decretum Dei concurrendi cum voluntate creatâ. Tametsi Thomistæ addant insuper prædeterminationem ipsi voluntati impressam; quam negant Scotistæ, prout ibi dictum est. Communis tamen aliorum Theologorum sententia est, eiusmodi prædefinitionem exequutiuam cum libertate actus prædefiniti cohærere non posse, iuxta ibi etiam dicta. Circa prædefinitionem autem purè intentiuam non concordant illi inter se.

Nam P. Vazq. omne decretum prædefini- 10
tiuum nostrorum actuum tanquam inimicum libertatis acerrimè reijcit, vbicunque incidit in illud. Ita 1. par. disput. 98. cap. 10. & disput. 99. cap. 3. & 3. par. disput. 23. cap. 10. & 11. sæpeque alibi. Pro qua sententiâ ardenter etiam pugnant Herice disput. 7. cap. 5. & disput. 19. cap. 2. & disput. 23. cap. 9. & Alarc. tract. 4. disput. 1. cap. 6. & seqq. Pro eâdemque stant Martinon 1. par. disput. 19. sect. 6. Becan. 1. par. cap. 14 quæst. 5. Gasp. Hurtad. disput. 5. de Prædestin. diff. 12. Vvading. de Incarnat. disput. 9. num. 25. Soar. Lusitan. in suo Cursu philosoph. tom. 2. tract. 6. de Animâ disput. 2. sect. 5. §. 5. Cartagena de Prædestin. discurs. 4. dub. 3. & discurs. 10. dub. 2. & alij apud ipsos, & apud Ruiz disput. 9. de Prouiden. sect. 1.

At P. Soar. ex opposito censet, decre- 11
tum prædefinitiuum actus voluntatis creatæ supponens scientiam mediam de efficaciâ mediorum indifferentium optimè cohærere cum libertate actus prædefiniti. Ita docet 1. par. lib. 1. de Prædestin. cap. 8. num. 18. & cap. 13. num. 9. & Prolog. 1. de Gratiâ cap. 5. num. 13. & cap. 6. & in Opusc. lib. 1. de Scientiâ absolutâ futurorum cap. 6. num. 6. & fusiùs lib. 3. de Auxil. cap. 7. & alibi. Loquitur autem Soar. de decreto tendente in actum formaliter vt liberum, vti videre est in loco citato de Auxil. Sequuntur autem hanc sententiam Fasol. 1. par. quæst. 23. artic. 4. dub. 4. Tann. disput. 3. quæst. 5. dub. 6. Ruiz tom. de Prouiden. disput. 6. & seqq. vbi latissimè prædefinitiones defendit. Granad. 1. par. controuer. 4. tract. 11. disput. 2. sect. 3. Franc. Amic. disput. 14. de Volunt. sect. 5. Franc. de Lugo lib. 1. disput. 39. cap. 3. Ribas tract. 6. disput. 3. cap. 1. Quiros tom. 2. disput. 8. & 9. Carleton. disput. 25. de Animâ, & disput. 41. de Deo, Ribad. tom. de Prædestin. disput. 18. & apud eos alij.

Inter has mediam, vt ipse vocat, scien- 12
tes

tentiam tuetur Arrubal.1.par.disput.67. & 68.dicens, Deum sine præiudicio libertatis actus bonos nostros prædefinire, non quidem præcisè, & separatim, sed coniuncti, & simul cum causâ, hoc est, cum gratiâ congruâ præueniente, per quam efficiuntur; ita, vt prædefinitio actus tanquam finis non sit ante electionem medij, à quo procedit ipse actus; sed idem Dei decretum sit intentio finis, & electio medij indiuisim. Complet autem Arrubal (vtpote vnus ex Connotantibus) istud decretum per solam actionem productiuam medij, vt ita possit esse antecedens, adeòque prædefinitiuum respectu finis.

13 Docti verò Recentiores ex nostris asserunt primò, decretum prædefinitiuum actus liberi suapte naturâ connexum, cum actu ipso, ita, vt antecedenter sit impossibile, cum negatione actus illud componi, omnino destruere libertatem, quantumuis supponat scientiam mediam. Pro qua assertione ex aduerso pugnant contra Soar. proindeque etiam de decreto tendente in actum liberum formaliter vt liberum loqui videntur. Secundò asserunt, possibile esse aliud decretum prædefinitiuum absolutum, & efficax, quod, licèt consequenter ratione auxiliorum efficacium, quæ necessariò infert, non possit frustrari effectu, antecedenter tamen, quantùm est ex vi sui influxus, irritabile est; neque repugnat, illud cum negatione effectus, siue actus prædefiniti componi. Non enim, inquiunt, maiorem habet connexionem cum tali actu, quàm habent media, quæ infert. Vnde, sicut hæc antecedenter cum negatione actus possunt componi, non verò consequenter, ita & decretum secundùm se præcisè spectatum. Et de hoc decreto, quod benignum appellant, dicunt, nullatenus lædere libertatem, siue supponat scientiam mediam, siue non supponat: supponere tamen illam de facto; non quia necessaria sit ad libertatem creatam seruandam; sed quia sine illâ nequit constare perfecta prouidentia Dei. Exponeretur enim Deus periculo frustrandi dictum decretum, si illud sine præuiâ scientiâ mediâ conciperet.

14 Iam verò de decreto præscindente à libertate, & necessitate actus prædefiniti dissidium est inter Recentiores, an tollat libertatem: siue illud sit de substantiâ actus secundùm se, aut prout consequibili tantùm per media necessaria, atque adeò indipendens à scientiâ mediâ in existendo, etsi dependeat in operando; siue sit de substantiâ actus prout consequibili per media libera, aut per libera, & necessaria, atque adeò à scientiâ mediâ non solùm in operando, sed etiam in existendo dependens. Aliqui enim de vtroque putant, tollere libertatem, etiam, quando actus prædefinitus exequutioni mandatur per media libera. Plerique tamen censent oppositum. Ex quibus sunt Ribaden. disput. illâ 12. citatâ cap. 3. Quiros disput.9. etiam citatâ sect.6. De alio verò, quod iuxta diuisionem factam quæst.1. restat, decreto tendente in actum prædefinitum prout necessarium, certum est apud omnes non posse cum libertate eius componi: quia infert essentialiter media necessaria; adeòque prædeterminantia, necessitantiaque voluntatem. Porro ex commemoratis Recentioribus aliqui existimant, ac supponunt, decreta prædefinitiua prædicta, non immediatè, sed ratione mediorum, ad quæ determinant, cum actu prædefinitiuo connecti.

Pro resolutione quæstionis suppono primò; etsi ea fortasse suum possit habere locum etiam iuxta sententiam Connotantium fusè à nobis reiectam supra disput. 31. quæst. 4. quia tamen illum indubitatè habet in sententiâ non Connotantium, quam nos amplectimur; & quia faciliùs iuxta illam intelligenda venient omnia dicenda; in illius semper suppositione nos processuros, non solùm in præsenti quæstione, sed etiam in sequentibus. Ex dicendis enim à nobis non Connotantibus haud difficilè Connotantes poterunt sumere, quæ sibi fuerint opportuna. 15

Suppono secundò contra Recentiores præfatos, quoduis decretum prædefinitiuum mediatè tantùm influens in actum prædefinitum, non quidem mediatè, sed immediatè cum ipso actu connexum esse: aliud enim est influxus, aliud connexio: in quo ipsi solent æquiuocari. Et quidem, eiusmodi decretum non posse existere sine actu, atque adeo connecti cum illo aliquo modo, fatentur Recentiores. Addunt tamen, ideo connecti cum actu, quia connectitur cum medijs essentialiter connexis cum actu; non verò vicissim: atque ita immediatè quidem cum medijs, mediatè verò cum actu connexum esse. Ego oppositum contendo. Quia quoduis decretum efficax intentiuum non ideo expoſcit existentiam finis, quia expoſcit existentiam mediorum; sed potiùs contra: quia postulat, vt finis existat, postulat vt existant media, sine quibus finis nequit existere. Si enim finis sine medijs existere posset, neutiquam decretum efficax finis expoſceret, vt existerent media, sed tantùm, vt existeret finis; vt patet in decreto immediatè exequutiuo ipsius finis. Et ideo, quando finis intentus per plura media est consequibilis, decretum finis non poſcit hoc medium, neque illud determinatè, sed aliquod vagè: quia tantùm poſcit, quod requiritur ad existentiam finis. Hæc notissima. Ergo decretum intentiuum finis non ideo connectitur cum fine, quia connectitur cum medijs; sed è conuersò, ideo connectitur cum medijs, quia connectitur cum fine, qui nequit existere, nisi per media. Expoſcere enim decretum existentiam finis, & cum eâ connecti, in idem recidit. Ergo connexio decreti intentiui cum fine immediata est; connexio verò cum medijs mediata: connectitur enim cum medijs; quia connectitur cum fine, & finis cum ipsis medijs connexus est. Quod inde præterea innotescit. Quia decretum finis non connectitur cum medijs vtilibus tantùm, & non necessarijs ad existentiam finis, tametsi in ea possit influere: eo quòd finis cum medijs sibi non necessarijs connexus non est. Igitur decretum finis non immediatè, sed medio ipso fine connectitur cum medijs: alioquin connexio eius cum medijs non penderet à connexione finis cum ipsis medijs. Ratio à priori huius doctrinæ est. Quia omne decretum Dei efficax ex prædicato efficacis, & diuini habet, non posse frustrari, atque adeò etiam non posse existere, quin existat res per ipsum decreta, qua ratione decreta est. Quod est connecti essentialiter cum existentiâ eius. Repugnat enim, Deum toto suæ voluntatis conatu aliquid desiderare, intendereque, & illud non consequi. Quando igitur res decreta sine medijs potest existere: quia per se, nullo interueniente medio, à Deo consequibilis est, neutiquam decretum efficax eius connectitur cum medijs. 16

dijs. Quando autem res decreta nequit existere sine medijs: quia, nisi per media aliqua, à Deo non est consequibilis, consequens est, vt decretum connexum cum re decretà connectatur etiam cum ipsis medijs. Nam quod connectitur cum A non potest non mediatè connecti cum B, cum quo A est connexum. Ex quo satis, superque liquet, quoduis decretum Dei intentiuum determinans ad ponenda media pro consequutione finis intenti immediatè quidem cum fine, mediatè autem cum ipsis medijs connexum esse. Atque adeò primariò quidem cum negatione finis non posse componi; cum negatione autem mediorum consequenter, & secundariò.

17 Suppono tertiò, minùs benè ponere Arrub. mediam inter negantem, & affirmantem prædefinitionem actus liberi sententiam suam expositam num. 12. Primò; quia iuxta sententiam Connotantium, in qua ipse procedit, decretum completum per solam actionem productiuam auxilijs efficacis, solius actionis, aut auxilij etiam vt summùm decretum est, non verò item actus à tali auxilio procedentis. Non ergo per tale decretum prædefinitur actus in se, sed tantùm in suà causà. Secundò; quia Vazq. & alij Connotantes decretum productiuum auxilij efficacis, completumque per illius productionem ponunt, neque negare possunt; & tamen negant, prædefiniri à Deo actum à tali auxilio oriundum. Reque ipsà subinde idem ponentes, quod Arrub. id prædefinitionem actus esse, non volunt. Vnde inter eorum sententiam, & oppositam, sententia Arrub. media non est re ipsà, sed in ipsius dumtaxat apprehensione.

18 Suppono quartò contra Recentiores citatus num. 13. decretum illud prædefinitiuum absolutum, & efficax, quod ipsi benignum appellabant, irritabile antecedenter, non verò consequenter, atque adeò, quantum est ex vi suà, compatibile cum negatione actus prædefiniti, etsi consequenter non possit compati, omnino esse chymæricum, & impossibile. Ostendo planè. Vel, non posse compati tale decretum consequenter cum negatione actus, quem prædefinit, habet à se essentialiter; vel à suppositione ipsius actus sibi accidentali, & contingenti. Si primum. Ergo non solùm consequenter, sed etiam antecedenter est irritabile, & incompatibile cum negatione actus: quia, quod decretum habet à suà naturà essentialiter, in omni signo habet, in quo esse concipitur, siue sit antecedens, siue consequens. Si dicant, in quocunque signo sit decretum, naturà suà, & essentialiter, supponere futuritionem actus, atque adeò consequenter tantùm esse infrustrabile; secus antecedenter: implicant contradictionem in terminis. Quia, si decretum suapte naturà, & essentia supponit futuritionem actus. Ergo in nullo signo potest illud cum negatione actus componi: atque adeò, non solùm consequenter, sed etiam antecedenter est infrustrabile. Repugnat enim, esse in aliquo signo potentiam ad componenda duo contradictoria: qualis esset potentia ad componendum cum negatione actus decretum essentialiter supponens existentiam eius. Si autem dicant, huiusmodi decretum non à naturà suà, sed à suppositione actus ei contingente esse consequenter infrustrabile. Ergo illud non est naturà suà efficax, sed accidentariè, & extrinsecè; quemadmodùm cogitatio congrua apud nos: atque adeò neque est decretum, neque prædefinitio, sed simplex quoddam Dei desiderium accidentaliè connotans futuritionem conditionatam actus desiderati, nullatenusque determinans Deum ad ponenda media efficacia in ordine ad eum obtinendum. Quo nihil alienius à re præsente, & à mente ipsorum Recentiorum. Deinde argumentor aliâ viâ. Quoduis decretum Dei absolutum, & efficax per se, & immediatè est connexum cum existentiâ sui obiecti, atque adeò per se, & primariò incompatibile cum negatione eius, vt ostendi num. 16. Sed decretum Recentiorum per se, & naturà suà spectatum cum negatione actus, quem habet pro obiecto, est compatibile, atque adeò antecedenter irritabile. Ergo decretum Recentiorum non est absolutum, & efficax, vti ipsi supponunt. Dicunt, esse quidem absolutum, & efficax; non quia connectatur per se, & immediatè cum actu; sed quia connectitur cum medijs, quibus de facto obtinendus est actus, qualia sunt auxilia efficacia; imo non maiorem habere connexionem cum actu, quam habent hæc media; ob idque non minùs, quam media ipsa, cohærere cum libertate. Contra tamen est. Quia, si non connecteretur per se, & immediatè cum actu, non connecteretur cum medijs, vt constat ex dictis. Ergo nequit habere maiorem connexionem cum medijs, quam cum actu ipso. Sed estò, connectatur immediatè cum medijs, quæ sunt prædicta auxilia. Argumentor sic. Aut connectitur cum medijs præcisè secundùm potentiam, quam illa habent ad causandum actum prædefinitum, nihil curando de efficaciâ eorum: aut connectitur cum medijs prout efficacibus, & causaturis actum de facto. Si primum. Ergo Deus per tale decretum non magis determinatur ad ponenda media efficacia, quam merè sufficientia: atque adeò illud sine vllo medio efficaci potest consistere, prorsusque frustrabile est etiam consequenter. Si autem dicant secundum; vt certè dicunt. Ergo tale decretum suapte naturà, & essentia, mediatè saltem, est connexum cum actu prædefinito, cum quo medium efficax vt tale connexum est. Ergo quam est impossibile, vt auxilium efficax vt efficax coniungatur cum negatione actus, tam est impossibile, vt decretum inferens essentialiter tale auxilium cum eâ negatione coniungatur. Patet hæc consequentia. Quia si decretum; & negatio actus simul existerent, aut existerent simul decretum, & negatio auxilij efficacis; aut existerent simul auxilium efficax, & negatio actus. Quorum vtrumque est impossibile: (ea est vis mediatæ connexionis). Ergo nulla est omnino potentia adhuc antecedens ad coniunctionem decreti cum negatione actus, vtpote inuoluentem duo contradictoria; atque adeò neque ad frustrandum tale decretum. Ergo decretum Dei absolutum, & efficax antecedenter frustrabile, seu irritabile omnino est chymæricum, & impossibile. Quod erat ostendendum.

Suppono quintò, decretum prædefinitiuum ij actus vt liberi eo ipso tangere auxilium efficax immediatum ad ipsum actum: quia tangit libertatem actus, cuius constitutiuum est tale auxilium. Quare, vt per huiusmodi decretum tanquam per intentionem actus vt finis possit Deus moueri ad electionem auxilij efficacis immediati ad actum vt medij, non solùm respectu actus, sed etiam respectu auxilij debet illud esse intentiuum.

tiuum. Quod varijs modis fieri potest. Primò, si sit decretum actus vt liberi, non tali libertate determinatè, sed aliquâ vagè, siue sub disiunctione. Idque siue sit decretum actus, & libertatis eius ex æquo; siue sit decretum actus prout connotantis libertatem. Secundò, si sit decretum actus vt liberi, tali quidem determinatâ libertate, sed cum præcisione ab alijs circunstantijs tum actus tum libertatis eius. Idque rursus, siue sit decretum actus, & libertatis eius ex æquo; siue sit decretum actus prout connotantis libertatem. In omnibus enim his casibus purè intentiuum erit decretum tum respectu actus, tum respectu libertatis eius, vt ex generali doctrinâ tradita disput.36.quæst.5.satis est notum. Locusque subinde supererit, vt Deus per illud moueatur ad electionem exequutiuam talis auxilij efficacis determinatè, per quod de facto talis actus vt liber obtinendus, talisque determinata libertas eius constituenda est.

30 Sextò denique suppono, omnia prædefinitiua decreta Dei absoluta, & determinata, (tendentia scilicet in actus moraliter bonos), de quibus per sequentes propositiones est nobis sigillatim agendum, possibilia esse de suo: quia nulla in illis cernitur repugnantia, suppositâ præsertim doctrinâ à nobis in præcedentibus traditâ de multitudine, & varietate actuum diuinæ voluntatis, deque eorum naturâ, vt singula inspicienti innotescet. Solùmque proinde est quæstio præsens, an illa cum libertate creatâ cohærere possint, vel secus. Pro cuius resolutione tandem est supponenda doctrinâ de libertate fusè traditâ à nobis supra disput.30. præsertim pars eius stabilita quæst. 5. sæpeque aliàs in præcedentibus disputationibus commemorata.

Propositio 1.

31 **Decretum absolutum, quo Deus decernit conferre voluntati creatæ auxilium efficax prout efficax; estque prædefinitio quædam actus in suâ causâ; illæsam prorsus relinquit libertatem ad talem actum.**

Hæc propositio certa est, & apud omnes in confessò. Quia dari de facto tale decretum; idque cum libertate componi, à nemine negari potest. Et quidem in sententiâ eorum Thomistarum, qui putant, auxilium efficax esse aliquid physicè prædeterminans suapte naturâ, & essentiâ connexum cum consensu, non habet propositio difficultatem: nam, si prædeterminatio physica non tollit libertatem, multò minùs eam tollet decretum, quo prædeterminatio ipsa confertur. Apud nos verò, qui affirmamus, physicam prædeterminationem non posse cum libertate componi: ob idque auxilij efficaciam ponimus in denominatione desumptâ à futuritione consensus conditionatâ, non ita facilè est explicare, quomodò prædictum decretum cum nostrâ libertate cohæreat.

22 Ratio difficultatis est; quia tale decretum ex vnâ parte naturâ suâ antecedit consensum voluntatis; cùm sit causa auxilij efficacis, à quo procedit consensus: ex aliâ parte essentialiter est connexum cum consensu ipso; cùm sit connexum cum auxilio efficaci vt efficaci, quod vt tale nequit esse sine consensu. Vnde videtur tale decretum non posse non inducere necessitatem antecedentem ad consensum, atque adeò libertatem eius euertere. Similisque difficultas nascitur ex scientiâ mediâ prout coniunctâ cum entitate auxilij. Quoniam eiusmodi coniunctum ex vnâ parte præcedit ordine causalitatis consensum in statu absoluto; eo quòd scientia media est causa entitatis auxilij, & entitas auxilij causa consensus: ex aliâ autem parte nequit cum negatione consensus componi; quia repugnat, Deum infallibiliter cognoscere, fore consensum, si ponatur entitas auxilij, &, positâ entitate auxilij, non sequi consensum.

Solutio communis huius difficultatis, & 23
satis vulgaris inter Nostrates est, necessitatem ortam ex prædicto decreto, atque etiam ex coniuncto scientiæ mediæ, & entitatis auxilij non esse antecedentem, sed consequentem, vtpote supponentem futuritionem consensus conditionatam, quæ obiectum est scientiæ mediæ, suppositum etiam à decreto. Non placet. Quia prioritas ex accidente intentionalis, quam habet consensus prout conditionatè præuisus respectu decreti, coniunctique ex scientiâ mediâ, & auxilio, non impedit prioritatem naturæ physicam, quam tale decretum, taleque coniunctum habet respectu consensus, iuxta doctrinam vniuersalem de huiusmodi prioritatibus supra disput.37.quæst.7. propos.2. commemoratam ex dictis latiùs in Pharo Scient. disput.15. quæst.7. Ergo nec impedire potest, quominùs tale decretum, & tale coniunctum necessitatem ad consensum inducant naturâ, & physicè antecedentem, atque adeò libertati eius aduersam. Vide id in physicâ prædeterminatione. Quæ, licèt conferatur a Deo ex præuisione conditionatâ, aut etiam absolutâ consensus, (vt potest iuxta doctrinam statutam loco citato); ob idque consensu posterior ex accidente intentionaliter euadat; suam nihilominùs prioritatem naturæ physicam respectu consensus retinebit, necessitatemque proinde ad illum antecedentem, oppositamque libertati eius inducet, vt omnes Nostri confitentur.

Dices cum doctis Recentioribus, discri- 24
men esse. Quia decretum, licèt præcedat in statu absoluto consensum, non præcedit in statu conditionato; nam, cùm sit causa remota, non ponitur in eo statu ex parte hypothesis ad consensum, vti poni debet physica prædeterminatio; quia est causa immediata eius. Quo fit, vt prædeterminatio physica, vtpote in vtroque statu præcedens consensum, necessitatem antecedentem eius libertati oppositam adferat: secus verò decretum. Sed contra est. Quia, vt constat ex doctrinâ statutâ disput.28.quæst.4.propos.4. ad veritatem conditionatam effectus non omnes eius causæ immediatæ poni debent ex parte hypothesis in statu conditionato; nam plerunque sufficit, poni aliquam cum præcisione à reliquis. Poterit igitur physica prædeterminatio non poni, (præsertim si sit causa non essentialis, sed accidentalis consensus, vt esse potest), quando ex præuisione conditionatâ consensus datur: quo casu in solo statu absoluto, non item in conditionato prior consensu erit; & nihilominùs libertatem eius euertet, vt tenent omnes Nostri. Deinde nihil prohibet, poni in statu conditionato decretum supradictum ex patre hypothesis, ita, vt Deus præuideat, fore consensum, si tale auxilium per tale decretum ponatur; moueaturque per talem scientiam ad ipsum decretum ponendum. Quo certè

casu decretum non magis, quàm modò, lædet libertatem consensus, vt nemo negabit. Præterea, si causa remota cum consensu connexa ad potentiam proximam eius sit essentialiter requisita, quantumuis ab eà præscindatur in statu conditionato, libertas ad consensum tolletur propter mediatam connexionem, quam potentia proxima eius tunc habebit cum ipso, iuxta doctrinam statutam disput. 30. quæst. 5. proposit. 11. Ergo vniuersè, quòd causa consensus cum eo connexa non tantùm in statu absoluto, sed etiam in conditionato ipsum vel præcedat, vel non præcedat, ad hoc, vt cum ipsius libertate vel cohæreat, vel non cohæreat, impertinens omnino est.

25 Sed dices rursus ex eorundem Recentiorum doctrinà, physicam prædeterminationem ideo libertatem auferre; quia nequit dari ex præuisione conditionatà actus vt liberi: nam in statu conditionato nequit actus liber videri, nisi ponatur ex parte hypothesis negatio prædeterminationis, qualiter poni nequit, quando futura non est in statu absoluto: decretum tamen suprà dictum à Deo poni ex præuisione conditionatà actus vt liberi: nam ideo decernit Deus per illud conferre auxilium efficax; quia videt, voluntatem cum tali auxilio liberè consensuram. Vnde per tale decretum nequit tolli libertas: cùm prorsus repugnet, fuisse conditionatè verum, voluntatem liberè consensuram, si ponatur tale auxilium, & eo posito, non consentire liberè. Contra tamen est, quòd in hac solutione manifestè petitur principium. Ego enim pariter dicam, ad hoc, vt, consensus præuideatur liber in statu conditionato, non minus requiri, quòd ex parte hypothesis ponatur negatio dicti decreti, quàm, quòd ponatur negatio prædeterminationis: atque ita æquè repugnare, poni decretum in statu absoluto ex præuisione conditionatà actus vt liberi, quàm poni prædeterminationem.

26 His igitur propositæ difficultatis reiectis solutionibus, & alijs, quas ex dictis, & ex dicendis poterit vnusquisque reijcere, per doctrinam vniuersalem à nobis statutam disput. 30. quæst. 5. proposit. 12. facillimè illa, verissimèque soluenda venit. Dico enim, ideo decretum, quo Deus decernit auxilium efficax vt efficax, libertatem non tollere, quantumuis præcedat consensum naturà suà, & essentialiter cum illo connexum sit; quia ad potentiam proximam consensus intrinsecè non pertinet, nec ad illam essentialiter est requisitum; tametsi causet illam ponendo auxilium, remotumque subinde principium consensus sit. Quo fit, vt benè possit poni dependenter à libertate principij proximi, vti de facto ponitur: neque enim Deus per tale decretum decerneret auxilium efficax, nisi, posito tali auxilio, esset voluntas consensura. Et idem est de coniuncto ex scientiâ mediâ, & entitate auxilij: quod id circo libertatem non lædit; quia scientia media, à qua habet tale coniunctum esse connexum cum consensu, principium tantùm remotum est eius positum dependenter à libertate. Idem etiam dicendum est de decreto, quo Deus confert auxilium inefficax dependenter ab inefficaciâ; & de coniuncto scientiæ mediæ dependenter ab inefficaciâ, & entitatis ipsius auxilij: quia de his omnibus est eadem ratio. Ex quibus patet, necessitatem inductam à principio remoto, quæ necessitas remotè antecedens iure vocari potest, nequaquam opponi libertati; sed tantùm ei opponi necessitatem inductam à principio proximo. Quæ sola absolutè, & simpliciter necessitans antecedens vocari solet apud Scholasticos, & Patres, vt apparebit ex dicendis proposit. 3.

Quomodò autem decretum collatiuum auxilij connexum cum actu voluntatis per huius libertatem sit impedibile, suppositâ ipsius auxilij existentiâ absolutâ. Et quomodò cum illo solo stet libertas independenter ab alio decreto indifferente ad vtrumuis de existentiâ eiusdem auxilij, quod tanquam necessarium ad libertatem Recentiores aliqui superaddunt, disput. 38. quæst. 1. latè à nobis explicatum, atque probatum est. 27

Propositio 2.

Decretum prædefinitiuum actus absolutum, determinatum, & immediatè exequutiuum; quale ab aliquibus Thomistis, & Scotistis ponitur decretum, quo Deus concurrit cum creaturâ liberâ, prout vidimus disput. 38. quæst. 3. nullatenus componi potest cum libertate eius. 28

Hæc propositio eadem est cum proposit. 1. datâ in dictâ quæst. 3. Quo circa probatio eius ibi videnda est.

Propositio 3.

Decretum prædefinitiuum actus prout liberi absolutum, determinatum, & purè intentiuum illæsam prorsus relinquit libertatem actus prædefiniti. 29

Probant propositionem hanc Soar. Gran. & plures alij. Quia huiusmodi decretum suapte naturâ supponit scientiam mediam, & existentiam conditionatam liberam actus prædefiniti; cùm concipiat illud Deus, postquam præuidit, voluntatem liberè consensuram, si tale auxilium ei conferatur. Quo fit, vt necessitas ad actum, quam tale decretum inducit, non sit antecedens, sed consequens, nihilque officiens libertati: nam, collato ex vi decreti eo auxilio, cum quo ante illud visa est voluntas liberè consensura, non potest non ea libere consentire, nihil impediente decreto. Non placent. Quia, vt arguebam in simili proposit. 1. num. 23. prioritas ex accidente intentionalis, quam habet consensus prout conditionatè præuisus comparatione decreti, non impedit prioritatem naturæ physicam, quam habet decretum comparatione consensus tanquam causa remota eius: atque adeò neque impedire potest, quominùs necessitas, quam inducit decretum respectu consensus, sit antecedens, atque adeò libertati eius opposita. Vti in physicâ prædeterminatione cernere est: quæ, si conferatur, vt potest, ex præuisione conditionatâ, aut etiam absolutâ consensus, posterior illo ex accidente, intentionaliterque euadet; & nihilominùs necessitatem naturâ, & physicè antecedentem respectu illius, eiusque subinde libertati aduersam inducet. Quomodò autem disparita-

ritates, quas aliqui ad rem conantur reddere inter physicam prædeterminationem, & dictum decretum, subsistere nequeant, ex dictis ibidem num.24. & 25. compertum est. Quippe de decreto collatiuo auxilij connexo cum consensu, de quo ibi agebamus, & de decreto prædefinitiuo consensus prout liberi, de quo agimus modò, eadem prorsus, quod ad rem attinet, Theologia est, vt ex se est satis notum; ampliùsque postmodùm innotescet.

30 Propterea docti Recentiores num.13. commemorati, vt propositionem nostram defendant, supponunt, decretum prædefiniens actum prout liberum antecedenter esse irritabile, neque maiorem connexionem habere cum actu prædefinito, quàm habent media libera, at quæ determinat: ex qua suppositione inferunt, illud non magis lædere libertatem, nec maiorem necessitatem inducere, quàm ipsa media. Cæterùm, quàm sit implicatoria suppositio, in qua Recentiores isti nituntur, ibidem satis, superque ostendimus, eâ autem sublatâ, tota eorum doctrina corruit. Vnum hìc addo, apud hos Recentiores eiusdem difficultatis esse componere cum libertate nostrâ decretum collatiuum auxilij efficacis, de quo egimus propos.1. ac decretum prædefinitiuum actus prout liberi, de quo agimos modò; affirmant enim id expressè. Et tamen nec illi, nec alij hactenus dixerunt, decretum collatiuum auxilij efficacis esse irritabile antecedenter. Ergo decretum prædefinitiuum actus prout liberi aliter, quàm per antecedentem irritibilitatem, deberent cum libertate componere, vti componitur apud omnes decretum collatiuum auxilij efficacis.

31 Porro eamdem ad propositum esse Theologiam de decreto prædefinitiuo actus prout liberi, ac de decreto collatiuo auxilij efficacis prout efficacis manifestum est. Quia vtrumque decretum æquè est principium remotum actus essentialiter connexum cum actu, atque adeò æquè est antecedens remotè antecedentiâ naturæ physicâ: tum æquè est dependens à scientiâ mediâ de futuritione actus conditionatâ; atque adeò æquè est supponens ipsam actus futuritionem, siue posterius illâ posterioritate ex accidente intentionali. Hinc autem necessariò, ac satis euidenter infertur, æquè quoque debere vtrumque vel tollere libertatem ad actum, vel cum eâ benè componi. Vnde non possum non mirari, quantopere Vazq. Heric. Alarc. & Assectæ conantur reijcere tanquam libertati inimicum decretum prædefinitiuum actus prout liberi: cùm tamen teneantur admittere tanquam amicum libertati decretum collatiuum auxilij efficacis prout efficacis: quandoquidem apud omnes est certum, Deum de facto plerunque saltem conferre nobis auxilium efficax, quia efficax est; atque adeò per decretum essentialiter cum consensu connexum mediâ auxilij efficaciâ, in illumque remotè influens medio auxilio ipso.

32 Propositio igitur præsens perinde, ac prima per doctrinam vniuersalem citatam num.26. facillimè iuxta, atque verissimè venit probanda. Dico itaque, decretum prædefinitiuum actus prout liberi absolutum, determinatum, & purè intentiuum ideo relinquere libertatem actus prædefiniti prorsus illæsam, quantumuis precedat actum naturâ suâ remotè, & essentialiter cum illo connexum sit, quia ad potentiam proximam actus intrinsecè non pertinet, nec ad illam est essentialiter requisitum; tametsi causet illam de facto, determinando voluntatem diuinam ad ponendum auxilium efficax completiuum ipsius, sicque principium sit remotum actus prædeniti, cum quo prout libero suapte essentiâ connexum est. Quo fit, vt non possit non ab ipso actu prout libero in suâ existentiâ dependere; atque adeò nec possit non per libertatem, quam habet voluntas creata ad talem actum esse impedibile: potentia siquidem proxima, quam voluntas creata instructa per auxilium efficax oriundum a d cto decreto habet ad omittendum actum, eo ipso est potentia ad impediendum, seu ad faciendum, quòd non extiterit ipsum decretum. Nec mirum cuiquam sit, quòd decretum naturâ antecedens actum ab actu naturâ posteriore dependeat in existentiâ suâ vt à termino connexionis; subindeque per omissionem ipsius actus à voluntate creatâ sit impedibile: quandoquidem scientia visionis de actu ipsum æternitate antecedens ab ipso tempore posteriore dependet in suâ æternâ existentiâ tanquam à termino connexionis, subindeque per omissionem ipsius actus à voluntate creata est impedibilis, vt omnes confiteri tenentur, prout vidimus disput.37.quæst.8. Difficilius enim adhuc videtur primo aspectu, quòd prius tempore quoad suam existentiam dependeat à posteriore tempore, perque eius subindeoppositum sit impedibile, quàm, quòd prius naturâ quoad suam existentiam dependeat à posteriore naturâ; impedibileque subinde sit per eius oppositum.

Itaque voluntas instructa auxilio efficaci ad 33
actum prædefinitum, sicut potest omittendo talem actum facere, vt tale auxilium non fuerit efficax, atque adeò, vt non præexiterit scientia media de efficaciâ eius; ita potest facere, vt non præextiterit decretum prædefinitum, vtpote quod suapte essentiâ supponit talis auxilij efficaciam prout tali scientiâ mediâ præuisam, ab eaque proinde dependet in suâ existentiâ. Modò enim dumtaxat agimus de casu, in quo auxilium efficax, per quod exequutioni mandatur actus prædefinitus, ex illis est, quorum efficaciam præuisam supponit essentialiter decretum prædefinitiuum. Si enim non sit ex illis, vt fieri potest, (eo quòd non opus est, vt tale decretum essentialiter supponat præuisa omnia media efficacia, quibus actus prædefinitus obtineri potest, iuxta dicta num.4.fine), non ita facilè innotescit, quomodò decretum in suâ existentiâ possit pendere à libertate, sine quâ dependentiâ libertas ipsa nequit componi cum decreto. Sed de casu isto modò non agimus, acturi postea propos.5.

Quod autem dictum est de decreto prædefinitiuo actus prout liberi, pariter est dicendum de decreto prædefinitiuo omissionis, siue carentiæ actus prout liberæ, exiguo tamen interueniente discrimine, iuxta dicta in simili supra disp.38. quæst.5.propos.3. Vt enim constat ex vniuersali doctrinâ traditâ disput.30. quæst.5 propos.14. voluntas creata proximè libera ad consensum, & eius carentiam duobus modis potest impedire prædefinitionem de consensu necessitando voluntatem diuinam ad carendum illâ. Primò, quatenus potest omittendo consensum necessitare intellectum diuinum immediatè ad carendum scientiâ mediâ de existentiâ consensus sub hypothesi talis auxilij, & mediatè voluntatem diuinam ad carendum dictâ prædefinitione, vtpote connexâ essentialiter cum tali scientiâ mediâ. Se- 34

cundò, quatenus potest omittendo consensum immediatè insuper necessitare voluntatem diuinam ad carendum dictâ prædefinitione, vtpote connexâ insuper immediatè cum ipso consensu. At verò prædefinitionem de carentiâ consensus priori tantùm ex duobus dictis modis potest voluntas creata impedire: posteriori non item, vt ex dicendis circa propos. 5. sub finem conspicuum fiet.

35 Verùm contra propositionem nostram multa Aduersarij obijciunt. Et primùm Herice disput. 23. cap. 9. à num 114. & Alarc. tract. 4. disput. 1. cap. 6. à num. 6. opponunt nobis testimonia quædam Hieronimi, Augustini, Chrysostomi, & Damasceni, quibus indicari videtur, Deum non prædefinire nostros actus, ne eorum lædat libertatem. Respondeo vno verbo, si quid huiusmodi indicant ea testimonia, & similia, de prædefinitione exequutiuâ explicanda esse: quæ reuerâ inducit necessitatem libertati oppositam iuxta propos. 2.

36 Secundò obijciunt. Posito decreto quouis prædefinitiuo consensus, repugnat non esse consensum: quia decretum Dei absolutum, & efficax non potest effectu frustrari. Sed ponitur antecedenter ad consensum; cùm sit causa eius saltem remota. Ergo inducit necessitatem antecedentem: quæ iuxtà Anselmum ab omnibus receptum opposita est libertati. Necessitas enim antecedens respectu consensus ea est, quæ prouenit ex aliquo antecedente consensum ipsum. Hoc argumentum, quod est præcipuum Aduersariorum, latè prosequitur Alarc. à num. 11.

37 Respondent ad illud quidam Recentiores ex nostris, decretum prædefinitiuum, de quo agimus in præsenti, antecedere quidem consensum secundùm suam nudam entitatem; secundùm hanc verò non esse connexum cum consensu, sed vt coniunctum cum ipso consensu prout conditionate futuro, cuius scientiam supponit, & à quo tanquam à formâ extrinsecâ suam sumit connexionem. Quo fit, vt decretum, prout est connexum cum consensu, non antecedat illum atque adeò, vt necessitas à tali connexione prouenies non sit antecedens, sed consequens, subindeque benè cohærens cum libertate. Sed contra planè. Primò; quia iam ostendi num. 16. contra nos, & alios Recentiores, quoduis decretum prædefinitiuum absolutum, & efficax suapte naturâ, & essentiâ habere immediatam connexionem cum actu prædefinito; tametsi remotè tantùm influat in illum. Secundò; quia negari nequit, decretum hoc per suam entitatem intrinsecè, & essentialiter esse connexum cum consensu saltem mediatè, quatenus connectitur cum medijs efficacibus prout inferentibus essentialiter consensum ipsum: aliàs nec esset decretum efficax, nec essentialiter inferret eiusmodi media: quo nihil remotius à mente ipsorum Recentiorum. Igitur decretum hoc non à consensu conditionato tanquam à forma extrinsecâ, sed à se intrinsecè habet connecti cum consensu. Ergo vt connexum cum consensu præcedit ipsum, prout argumentum factum intendit. Et quidem, cùm tale decretum ab intrinseco, & essentialiter sit infrustrabile, vt Recentiores ipsi asseuerant, non potest non habere prædicatum intrinsecum, ratione cuius prorsus repugnat, illud componi cum negatione consensus. Cuius ratio manifesta est. Quia, si entitas intrinseca decreti coniungeretur cum negatione consensus, non possent non simul coniungi vel decretum, & negatio omnis medij efficacis ad consensum, vel medium aliquod efficax ad consensum, & negatio consensus; quorum vtrumque est impossibile, vt constat. Ergo posito decreto præcisè secundùm suam entitatem, necessitas iam est ad consensum. Sed ponitur vt sic ante consensum, vti fatentur. Ergo huiusmodi necessitas est antecedens: quod est intentum argumenti.

Ad illud igitur respondendum omnino est, 38 iuxta doctrinam traditam supra disput. 30. quæst. 8. necessitatem antecedentem libertati oppositam, de qua loquuntur Anselmus, & alij Patres, atque Theologi, & quæ absolutè, & simpliciter necessitas antecedens vocatur, eam dumtaxat esse, quæ prouenit ex aliquo influente proximè in actum; non verò eam, quæ prouenit ex aliquo influente tantùm remotè, & quæ non absiure necessitas antecedens remotè venit dicenda. Hæc enim optimè cum libertate componi potest non minùs, quàm necessitas consequens, aut necessitas attecedens tantùm antecedentiâ temporis, qualis est necessitas inducta per præscientiam æternam Dei. Necessitas autem, quæ prouenit ex prædicto decreto remotè tantùm est antecedens: sicut etiam, quæ nascitur ex decreto collatiuo auxilij efficacis, iuxta dicta propos. 1. Quòd autem Patres, & Scholastici commemorati, quorum testimonia latissimè recitat Ruiz tom. de Scient. disput. 33. & 34. non loquantur de necessitate proueniente ex principio remoto, cùm dicunt, necessitatem antecedentem opponi libertati, manifestum est. Tum quia ipsi non ignorabant, prædestinationem diuinam, quam cum libertate nostrâ conabantur componere, esse principium remotum nostri consensus inducens ad illum necessitatem aliquam, vtpote quid prorsus incompatibile cum omissione eius. Tum quia per necessitatem antecedentem eam tantùm intelligunt, quæ ponitur independenter à nutu libero voluntatis; qualis est solum, quæ prouenit ex principio proximo actus; non verò item, quæ prouenit ex remoto, vt ex dictis, & ex dicendis conspicuum fiet. Porro Anselmum, à quo potissimum Scholastiti eam distinctionem necessitatis antecedentis, & consequentis sumpserunt, vocare necessitatem antecedentem eam solùm, quæ prouenit ex causâ proximè influente, diserte notauit Albert. Mag. 1. par. quæst. 61. memb. 8. Cui alij etiam Scholastici consentiunt relati à Ruiz disput. 33. citatâ, sect. 6. Ex ipsisque Anselmi contextibus non obscurè colligitur, vt videre est in lib. de Concord. liberi arbit. cum gratiâ, & prædest. cap. 1. & 2. in lib. 2. *Cur Deus homo* cap. 18. & in Elucid. prope medium.

Tertiò argui potest, vt in simili arguit He- 39 rice supra num. 99. eiusque argumentum validissimum, quo Nostri impugnant Prædeterminantes. Voluntas nequit componere cum prædicto decreto negationem consensus: quia talis coniunctio est chymærica. Sed neque habet potestatem ad impediendum, quominùs decretum ponatur: quia ponitur, antequam voluntas habeat auxilium, quo talis potestas implenda erat. Ergo per tale decretum simpliciter redditur voluntas impotens ad consensum. Retorqueo primò argumentum in decreto collatiuo auxilij efficacis prout efficacis: contra quod eodem modo formari potest; sicut etiam contra coniunctum ex scientiâ mediâ, & entitate auxilij, de quibus negari nequit, benè cohærere cum libertate. Vnde patet illud in præsenti fallax esse. Deinde respon-

respondeo, voluntatem instructam auxilio efficaci in suo signo posteriori ad decretum, à quo de facto tale auxilium procedit, potestatem habere ad faciendum mediâ omissione consensus, vt non extiterit decretum in signo suo priori; sicut potestatem habet ad faciendum mediâ eâdem omissione, vt non extiterit præscientia consensus toto tempore antecedente. Nam quemadmodùm, si voluntas nunc non consentiret, vt potest, non fuisset ab æterno præscientia de consensu eius; sic, si non consentiret in signo posteriori ad decretum, non fuisset decretum ipsum in signo anteriori. Non enim maior repugnantia videtur in eo, quòd voluntas possit omittere consensum, quem elicit, eâque omissione impedire decretum de ipso consensu naturâ antecedens, quàm in eo, quòd voluntas possit omittere consensum, quem elicit, eâque omissione impedire præscientiam de eodem consensu tempore antecedentem. Nec enim maior potentia requiritur ad faciendum, vt non extiterit, quod extitit priùs naturâ; quàm ad faciendum, vt non extiterit, quod extitit priùs tempore: imo hoc secundum speciem tenus difficilius adhuc videtur, quàm illud primum. Cuius doctrinæ ratio à priori est. Quia, quoties aliquid antecedens ab aliquo posteriori dependet tanquam à termino connexionis, quidquid vndecunque facere potest, vt non existat terminus, facere etiam potest, vt non extiterit illud antecedens. Sicuti è contra, quidquid vndecunque facere potest, vt terminus existat, conducere pariter potest, vt illud antecedens extiterit.

40 Inferet aliquis. Ergo etiam enadet actus liber, quamuis decretum prædefinitiuum intrinsecè sit requisitum ad potentiam proximam eius; imo & quamuis causa immediata cum actu ipso connexa sit per physicam prædeterminationem. Probatur illatio. Quia semper erit verum principium connexum cum actu siue remotum, siue proximum ab existentiâ ipsius actus dependere à posteriori; atque adeò esse impedibile per negationem actus. Quod iuxta dicta satis videtur ad libertatem. Respondeo, principium connexum cum actu, quodcunque illud sit ab existentiâ actus pendere semper à posteriori: tunc verò solùm per negationem actus esse impedibile, quando negatio actus possibilis est. Cæterùm, quando causa immediata actus vel immediatè cum actu connexa est, vel medio aliquo ad se requisito connexo cum actu, negatio actus non est possibilis respectu talis causæ: nam eo ipso, quòd est illa connexa cum actu incompatibilisque subinde cum omissione actus, potentiam ad talem omissionem habere non potest, & consequenter nec ad impediendum mediâ omissione ipsâ principium, vnde talis connexio prouenit. Non ita res se habet in nostro casu. Quia causa immediata actus, hoc ipso, quòd non est connexa cum actu, vt ponimus, indifferens est ad vtrumuis, compatibilisque non solùm cum actu, sed etiam cum eius omissione: potentiamque proinde proximam potest habere non solùm ad actum, sed etiam ad omissionem actus, & consequenter ad impediendum mediâ ipsâ omissione, quidquid connectitur cum actu. Quæ ex vniuersali doctrinâ sæpe in præcedentibus tacta satis sunt nota.

41 Quartò objicit Alarc. num. 32. ex Vazq. & Herice. Prædefinitio actus vt liberi; quæ secundum Assertores eius non potest non connotare media; vel connotat media determinata; vel in confuso. Determinata non potest: quia est ante omne medium præuisum. Media autem in confuso Deus neque videt, neque amat. Ergo. Respondeo, decretum purè intentiuum actus vt liberi variis modis posse connotare, seu respicere media; prout explicauimus supra num. 19. Vnde huius argumenti solutio sumenda est.

Postremo objiciet aliquis. Si prædefinitio esset extrinsecè requisita ad potentiam proximam actus prædefiniti læderet libertatem, quantumuis esset principium remotum. Ergo, quòd sit principium remotum, non tollit, eam opponi libertati. Respondeo, casu, quòd prædefinitio esset extrinsecè requisita ad potentiam proximam actus, sublatam fore libertatem, non quidem per prædefinitionem, sed quia esset aliquid proximè in actum influens connexum cum actu essentialiter mediâ prædefinitione. Vnde patet, principium remotum per se nunquam auferre libertatem. Mitto alia leuiora, quæ opponi possent: & ex dictis nullo negotio ab vnoquoque diluentur.

Hæc de decreto prædefiniente actum formaliter vt liberum. De alio verò decreto prædefiniente actum formaliter vt necessarium nihil est, quod dicamus. Quia certum est, libertatem actus cum illo cohærere non posse. Tum quia determinat, necessitatque Deum ad obtinendum actum per media necessaria omnino opposita libertati. Tum quia, cùm sit infrustrabile, nequit sine obiecto manere. Cum obiecto autem talis decreti, qui est actus necessarius vt talis, nequit eiusdem actus libertas componi. 42

Supereſt dicendum de decreto prædefiniente actum cum præcisione à libertate, & à necessitate eius. Quod duplex ad rem excogitari potest. Alterum tendens in actum prout consequibilem aut tantùm per media libera, aut per libera, & necessaria: quod eo ipso essentialiter, & intrinsecè connectetur cum medijs liberis prout Deo possibilibus, atque adeò etiam cum scientiâ mediâ de eorum efficaciâ: & consequenter à tali scientiâ mediâ vt à termino connexionis intrinsecæ sua existentia dependebit. Alterum tendens in actum aut secundùm substantiam eius præcisè, aut prout consequibilem tantùm per media necessaria: (tametsi sit ille etiam per libera consequibilis); quod, vtpote cum nullâ scientiâ mediâ connexum intrinsecè, a nullâ tanquam à termino connexionis intrinsecæ dependebit in existentiâ suâ. Poterit tamen Deus vtrumuis istorum decretorum ad exequutionem perducere, siue per medium liberum, siue per medium necessarium, prout sibi placuerit. Et quidem, si per necessarium perducat, nullatenus actum posse esse liberum, certissimum est: cùm medium necessarium (vt supra posuimus) illud dicatur, quod actus necessitatem inducit, ipsiusque subinde libertati oppositum est. Si verò perducat per medium liberum, determinandum sequitur, an cum eiusmodi prædefinitiuis decretis libertas actus prædefiniti componi possit. Agemus autem priùs de priore, deinde de posteriore. 43

Propositio 4.

Decretum prædefinitiuum absolutum, determinatum, & purè intentiuum præscindens à libertate, & necessitate 44

tate actus prædefiniti, dependensque in suâ existentiâ à scientiâ mediâ de medijs liberis vt à termino connexionis intrinsecæ, benè cohæret cum libertate talis actus, quando hic per aliquod ex talibus medijs exequutioni mandatur.

Hæc propositio, suppositâ præcedente, nullam habet difficultatem; nec ab admittentibus illam negari potest: per doctrinamque generalem, quibus illa à nobis probata est, pariter venit comprobanda. Quia nimirum decretum, de quo in eâ est sermo, ex vnâ parte titulo principij remoti actus connexi cum actu non lædit libertatem actus secundùm doctrinam stabilitam disp.30.quæst.5 propositi.12. ex aliâ verò parte voluntas instructa auxilio efficaci, à cuius scientiâ mediâ dependet illud in suâ existentiâ vt à termino connexionis intrinsecæ, potens est, impedire illud saltem mediatè, ipsâ scientiâ mediâ impeditâ. Quo nihil desiderari potest, quominùs actus per illud prædefinitus à tali voluntate oriundus liber euadat, prout ex dictis in præcedentibus satis, superque notum est.

46 Quo eodem pacto venit etiam probandum, decretum simile de carentiâ, seu omissione actus benè cum eius libertate cohærere, quando obtinetur talis omissio per medium liberum, à cuius scientiâ mediâ dependet pariter in suâ existentiâ tale decretum. In quibus non est, cur ampliùs moremur.

Propositio 5.

47 Decretum prædefinitiuum absolutum, determinatum, & purè intentiuum præscidens à libertate, & necessitate actus prædefiniti à nullâque scientiâ mediâ de medijs liberis dependens in existentiâ suâ tanquam à termino connexionis intrinsecæ, benè nihilominùs cohæret cum libertate talis actus, quando hic exequutioni mandatur per medium liberum.

Hæc propositio difficilior est, quàm præcedentes: eamque propterea negant aliqui ex affirmantibus illas. Ratio autem difficultatis est. Quia decretum, de quo in eâ est sermo, cum nullo medio libero prout efficaci est intrinsecè, & determinatè connexum, vti sunt connexa decreta, de quibus in præcedentibus tractatum est; atque adeò æquè benè posset existere, etiam si nullum medium liberum possibile Deo foret efficax. Hinc autem planè sequi videtur, nullatenus posse voluntatem instructam medio libero efficaci ad actum per tale decretum prædefinitum impedire decretum ipsum per omissionem actus; quantumuis dicatur posse per omissionem actus reddere inefficax ipsum medium; siquidem decretum ab efficaciâ talis medij non est necessariò dependens in suâ existentiâ, vt supponitur. Voluntas autem sine potestate ad impediendum decretum per omissionem actus, hoc ipso caret potestate ad omissionem ipsam; adeòque libertate ad actum: quandoquidem propter connexionem decreti cum actu nullatenus poni potest omissio actus, perstistente decreto. 48

Recentiores aliqui boni nominis, qui nobiscum in propositione conueniunt, de plano fatentur, in casu eius voluntatem nullam habere potestatem impediendi decretum: manere tamen nihilominùs liberam ad actum; quia decretum est quid extrinsecum, & remotè tantùm influens in actum: libertasque auferri non potest, nisi per aliquid inclusum in potentiâ proximâ ad actum, connexumque cum illo; atque adeò determinans, necessitansve potentiam ipsam ad ipsum actum. 49

Hæc tamen doctrina falsissima mihi semper fuit, à cæterisque Recentioribus prorsus explodituer. Quoniam impossibile vniuersaliter est, vt voluntas ad actum, quem producit, sit libera, nisi potentiam habeat ad impediendum, siue ad faciendum, quod non existat, quidquid cum tali actu connexum est: prout supra disp. 37. quæst.8. propositi.2. statui propter argumenta ibi indicata. Quorum potissimum illud est, quo solemus Prædeterminantes vrgere. Quia nimirum voluntas impotens impedire existentiam entis connexi cum suo actu nullam omnino potentiam habet ad omittendum talem actum. Ergo nec habet libertatem ad ipsum. Consequentia est euidens. Et antecedens ostenditur. Quia non habet potentiam ad ponendam à parte rei omissionem actus vel coniunctam cum tali ente; cùm talis coniunctio sit chymæra; vel coniunctam cum carentiâ talis entis; cùm talis carentia non detur, nec possit à voluntate acquiri, ipso ente impedito. Ponì autem omissionem actus à parte rei aliter, quàm vel coniunctam cum tali ente, vel cum carentiâ eius, prorsus repugnat; cùm inter duo contradictoria non detur medium. Omitto effugia, quæ prætati Recentiores excogitarunt ad huius argumenti vim in casu nostro declinandam: quia facilè ea ab vnoquoque considerata attentè præcludi poterunt. 50

Illud autem quod dicunt, decretum, de quo tractamus, vi connexionis suæ cum actu non tollere libertatem ad actum; quia in potentiâ proximâ voluntatis ad ipsum actum non includitur; verissimum est. Sed inde sequitur manifestè, non posse non tale decretum esse impedibile à voluntate per omissionem actus: quia potentia proxima voluntatis ad omissionem actus constituens eius libertatem ad actum non potest non esse potentia ad impediendum, siue ad faciendum, quòd non existat, quidquid est connexum cum actu, & consequenter oppositum ipsi omissioni. Semel autem statuto, quòd dictum decretum non foret à voluntate impedibile; tametsi per illud formaliter non tolleretur libertas ad actum aliunde tamen non posset non illa deficere; ex defectu scilicet complementi potentiæ proximæ ad omissionem actus. Etenim libertas voluntatis ad duo quæque extrema opposita duplici ex titulo deesse potest. Primò; quia adest aliquid connexum cum vno eorum inclusum in potentiâ proximâ ad ipsum. Secundò; quia deest aliquod constitutiuum potentiæ proximæ ad alterutrum. Igitur; cùm omissio actus in casu nostro conexa sit cum carentiâ decreti eo ipso quòd decretum est connexum cum actu; nequit non esse vnum ex constituciuis potentiæ proximæ ad omissionem veritas conditionata de existentiâ sine con-

contradictione carentiæ decreti sub conditione existentiæ omissionis, iuxta doctrinam statutam disp.30.proposit.9. quæ veritas necessariò deesset, & cum eâ potentia proxima ad omissionem, atque adeò libertas; dato, quòd voluntas non posset impedire decretum; proindeque nec sibi acquirere carentiam eius, vt est notum. Ex quibus manifestè concluditur, voluntatem vel posse impedire decretum, si est libera ad actum; vel non esse liberam ad actum, si non potest impedire decretum.

51 Dicendum est igitur, idcirco prædictum decretum benè cohærere cum libertate actus prædefiniti, quando hic exequutioni mandatur per medium liberum; quia voluntas prout tali medio instructa potentiam habet ad impediendum illud, siue ad faciendum quòd non extiterit. Quanquam enim tale decretum ad existentiam suam non magis poscat medium liberum, quàm necessarium, sed cum vtrouis indifferenter possit existere: nihilominùs, quando de facto apponitur medium liberum, ab eius influxu dependet in suâ existentiâ, & consequenter ab arbitrio voluntatis prout tali medio instructæ. Etenim decretum ab eâ causâ dependet in suâ existentiâ de facto, à qua de facto dependet actus, cum quo illud connexum est. Sed, quando de facto ponitur medium liberum, (quod non potest nõ ex proprio conceptu omne medium necessarium excludere tanquam sibi oppositum, vt constat), à voluntate prout tali medio instructâ accipit actus existentiam. Ergo, quando de facto ponitur medium liberum, à voluntate prout tali medio instructâ dependet existentia decreti; per illiusque subinde arbitrium impedibile est. Itaque, quemadmodùm, licèt substantia actus ad suam existentiam non magis poscat voluntatem indifferentem, quàm prædeterminatam; posito tamen, quòd de facto voluntas sit indifferens, non potest non existentia actus ab eius nutu libero dependere. Sic, licèt decretum ad suam existentiam non magis postulet, quòd voluntas exequatur actum instructa medio libero, quàm, quòd exequatur instructa medio necessario; posito tamen, quo de facto medio libero est instructa, non potest non existentia decreti ab eius nutu libero dependere medio ipso actu.

52 Accedit, quòd decretum cum actu connexum eo ipso est connexum cum medio efficaci vel libero, vel necessario sub disiunctione: quia cum alterutro sub disiunctione ipse actus connexus est; cùm sine alterutro nequeat existere. Ergo ex hypothesi defectus medij necessarij, quem secum necessariò fert medium liberum, cum medio libero prout efficaci est decretum connexum determinatè: siquidem omne connexum cum vno, vel altero duorum extremorum sub disiunctione cum quouis eorum determinatè est connexum ex hypothesi defectus alterius, vt est certissimum. Ergo, quando in voluntate de facto ponitur medium liberum, & consequenter hypothesis de defectu medij necessarij purificatur, non potest non dictum decretum euadere determinatè connexum cum efficaciâ talis medij; (tametsi connexio hæc non intrinseca, sed semiextrinseca sit tali decreto; quod non interest ad rem). Ergo voluntas potens in tali casu impedire ipsius medij efficaciam, eo ipso est quoque potens impedire
53 decretum ipsum.

Confirmatur primò hæc doctrina. Quia multi sunt alij actus Dei citra dubium possibiles, qui, cùm per se præcisè considerati à libertate creatâ non dependeant quoad existentiam, & consequenter nec per illam sint vt sic impedibiles; ex aliquâ tamen suppositione illis accidentali, imò posteriore illis naturâ, & tempore euadunt à libertate creatâ dependentes, atque adeò etiam impedibiles quoad existentiam. Ergo, quòd decretum præscindens, de quo tractamus per se præcisè consideratum à libertate creatâ non dependeat quoad existentiam, & consequenter nec per illam sit vt sic impedibile; vti eueniret, si actus per illud prædefinitus per medium necessarium à voluntate, cuius est actus, obtinetur; non obstat, quominùs ex suppositione ipsi accidentali, ipsoque posteriore naturâ, & tempore, quòd medium liberum, & efficax ad obtinendum talem actum in tali voluntate ponatur, iam tum illud à libertate ipsius voluntatis dependens quoad existentiam, adeòque impedibile sit. Consequentia est euidens. Et antecedens ostenditur, assignantis nonnullis actibus ex contentis in illo. Sit primus actus scientiæ mediæ de existentiâ cuiusuis consensus sub conditione cuiusuis auxilij efficacis: qui quidem actus per se præcisè à libertate creatâ absolutè existente non dependet quoad existentiam, neque per illam est vt sic impedibilis: quandoquidem, illâ non existente, ex defectu purificatæ conditionis, ipse actus scientiæ nihilominùs inimpedibiliter existeret; & tamen ex suppositione ipsi accessoriâ, ipsoque posteriore naturâ, & tempore, quod purificetur conditio, collato absolutè dicto auxilio voluntati creatæ, iam tum ab huius libertate dependet actus ipse scientiæ quoad existentiam, & per eam est impedibilis, vt certum apud omnes est. Secundus sit actus scientiæ visionis, quo Deus ab æterno videt hanc meam scriptionem quoad eius substantiam præcisè: qui quidem actus in Deo nihilominùs ab æterno extitisset à meâ libertate independens, si ego nunc necessitatus scriberem: & tamen ex suppositione illi accidentali, & posteriore tempore, quòd ego nunc sum liber ad scribendum, iam num ipse quoad existentiam à meâ libertate dependens, & per eam impedibilis est; vt etiam est certum apud omnes. Sit tertius actus, decretum, quo Deus decerneret nullum conferre Petro auxilium non efficax: quod quidem decretum independenter à Petri libertate existeret, si Deus nullum Petro auxilium conferret, vt posset; si tamen conferret aliquod efficax, vt etiam posset; iam tum existentia dicti decreti à Petri libertate penderet. Et idem est de actu sciantiæ, quo Deus præsciret, se nullum auxilium non efficax Petro daturum. De quibus Dei actibus & similibus infra quæst.5. redibit sermo. Sit quartus actus, decretum purè intentiuum conditionatum de aliquo actu voluntatis, aliàs ad eum proximè liberæ: qui vtique ab eius libertate independens erit, si non purificetur conditio; si verò purificetur dependens. Sit quintus decretum disiunctiuum de consensu voluntatis A vel de consensu voluntatis B, qui à libertate voluntatis A dependebit, si detur ei soli, vt potest, auxilium efficax: secus si detur soli B. Sit sextus denique actus prædefinitio de nostro consensu prout iibero, quam inconsequenter, quod ad rem attinet, tuentur plerique impugnantium prædefinitionem, de qua modò agimus, præcisiuam. Si enim Deus ex multis medijs liberis efficacibus, quæ habet

pos-

possibilia ad obtinendum finem illius eligat medium A præ medio B, independens illa erit quoad existentiam à libertate constitutâ per medium B; à qua tamen erit dependens, si Deus Præ A eligat ipsum B.

55 Quæ omnia secundò confirmantur ratione à priori. Quia nimirum omnes actus Dei commemorati, & per multi similes alij, qui excogitari possunt, suapte naturâ sunt connexi cum aliquo exercitio libero voluntatis creatæ connexione conditionatâ, quæ in absolutam transit quando purificatur conditio. Atque ita, eâ purificatâ, tales actus non possunt non à tali exercitio libertatis absolutè dependere quoad existentiam. Quandoquidem omne absolutè connexum cum alio non potest non absolutè dependere ab illo quoad existentiam tanquam à termino connexionis, vt notum est.

55 Tertiò confirmatur eadem doctrina ex vniuersaliore traditâ supra disput. 30. quæst. 5. propositi. 14. Vbi ostendi, quoties actus positiuus causæ A cum actu positiuo causæ B connexus est, si causa B sit ad suum actum proximè libera, neutiquam posse ponere suum causam A independenter à nutu libero causæ B. Atque ita tunc solùm causam A ad suum actum ponendum esse proximè liberam, quando conditionatè est verum, extiturum sine contradictione actum causæ B, si extiterit actus causæ A. Sed in casu nostro actus positiuus voluntatis diuinæ cum actu positiuo voluntatis creatæ connexus est; & voluntas creata per medium liberum sibi collatum supponitur ad suum actum proximè libera. Igitur voluntas diuina independenter à nutu libero voluntatis creatæ non potest ponere suum actum, decretum scilicet prædefinitiuum, de quo tractamus. Atque ita, suppositâ veritate conditionatâ de positione solius medij liberi pro obtinendo actu prædefinito, si decretum ponatur, alterâ veritate conditionatâ indiget voluntas diuina, qua compleatur potentia proxima eius ad ponendum tale decretum, nempe de existentiâ sine contradictione actus prædefiniti ponendi pro nutu libero voluntatis creatæ ex hypothesi, quòd ipsum decretum ponatur à voluntate diuinâ. Vnde patet, qualiter potentia, quam in dato casu habet voluntas creata ad omittendum suum actum, sit potentia ad impediendum dictum decretum, ablatâ à voluntate diuinâ potentiâ proximâ ad ponendum illud per ablationem dictæ veritatis conditionatæ.

56 Quæ cùm ita sint, iam facilè constat, quomodò decretum prædefinitiuum, de quo est sermo in propositione, cum libertate actus prædefiniti benè cohæreat, quando hic exequutioni mandatur per medium liberum. Quia videlicet ex vnâ parte nec inclusum in potentiâ proximâ ad actum, nec requisitum ad illam est; ex aliâ verò in casu posito à voluntate creatâ est impedibile, prout vidimus. Quo nihil desideratur, vt benè cum libertate cohæreat, vti ex principijs statutis circa præcedentes propositiones est manifestum

57 Objcitur tamen contra præsentem primò. Decretum prædictum dumtaxat exigit ad existendum, vt existat actus voluntatis, cuius prædefinitio est, per aliquod medium efficax siue necessarium, siue liberum, siue hoc, siue illud. Ergo ex eo, quòd voluntas cum tali determinato medio actum omitteret, non sequitur, decretum non fore, sed potius, fore aliud medium à Deo ponendum, quo obtineretur talis actus, & expleretur exigentia decreti. Ergo, licèt in voluntate tali determinato medio libero instructa admittatur, posito decreto, potentia ad omittendum actum, ea non erit potentia ad faciendum, quòd non extiterit decretum, sed potiùs potentia ad faciendum, quod extiterit aliud medium causans cum effectu actum, & satisfaciens exigentiæ decreti. Sublatâ autem à voluntate potentiâ impeditiua decreti, penitus corruit eius libertas, iuxta dicta. Imprimis hoc argumentum pariter fieri potest contra decretum prædefinitiuum actus prout liberi, (quod à plerisque admittitur), dicendo, potentiam, quam voluntas determinato medio libero instructa habet ad omittendum actum, non esse potentiam ad impediendum decretum, sed ad faciendum, quòd extiterit aliud medium causaturum actum cum effectu. Deinde pro solutione cauenda est æquiuocatio, aliàs notata supra disput. 38. quæst. 1. num. 16. & quæst. 2. num. 55. Aliud enim est, fore aliud medium à Deo ponendum ex vi decreti, si hoc, quod positum est, de facto non fuisset à Deo præuisum efficax in statu conditionato, id est, causaturum actum, si existeret. Aliud, fore aliud medium a Deo ponendum, si hoc, quod supponitur iam existens, cum omissione actus coniungeretur. Primum est verum. Secundum prorsus implicatorium. Quia ex hypothesi, quòd hoc medium liberum iam existens coniungeretur cum omissione actus, vt potest, cum illo vt sic nullum aliud medium efficax ad talem actum seu liberum, seu necessarium posset componi; quia coniungerentur simul actus, & eius omissio, quæ sunt contradictoria: medium autem necessarium speciatim alio insuper titulo componi non posset; quia scilicet medium liberum suapte essentiâ omne necessarium includit, vt sæpe aliàs dictum est. Ex quibus patet, potentiam, quam habet voluntas instructa de facto medio libero efficaci, & determinato ad omittendum actum, non quidem ad aliud medium comparandum, sed potiùs ad impediendum tum omne aliud medium, tum decretum potentiam esse. Quo obiectio facta ruit.

58 Secundò obijciunt Recentiores. Cum huiusmodi decreto non potest componi negatio consensus. Sed positio eius est antecedens libertatem. Ergo necessitas, quam inducit, est antecedens, & libertati opposita. Catera tanquam firma supponunt, & toros se impendunt in probanda maiore syllogismi facti. Cuius profectò probationes in aliud decretum, quod ipsi admittunt prædefiniens actum vt liberum, retorqueri possunt: cùm & hoc non possit non esse incompatibile cum negatione actus etiam antecedenter. Ego igitur, concessâ maiore, ad catera respondeo, decretum hoc, etsi antecedat vt causa, à qua remotè procedit actus, pendere tamen à libertate talis actus à posteriori: atque adeò non inducere necessitatem absolutè, & simpliciter antecedentem; qualis vocatur dumtaxat, quæ nascitur ex aliquo pertinente intrinsecè ad potentiam proximam actus, & quæ sola libertati opposita est; prout iam dictum relinquimus circa propositi. 3. Et quidem negari non posse, decretum prædefiniens actum vt liberum, imo & decretum collatiuum auxilij efficacis vt talis etiam antecedere actum ipsum tanquam causam remotam, & cum omissione eius non posse com-

poni

poni, ibi etiam iam notatum est.

59 Tertiò obijciunt ijdem. Posito dicto decreto, non manet Deus indifferens ad non ponendam substantiam actus prædefiniti. Ergo; cùm possit illam ponere independenter à libertate creatâ; non potest non, decreto posito, omnino esse necessitatus ad eam ponendam; cum qua necessitate componi nequit libertas voluntatis creatæ. Vel aliter. Posito dicto decreto, nullatenus manet contingens actus prædefinitus: cùm sit absolutè impossibile, non existere actum, decreto existente. Ergo, posito dicto decreto, nullibi est libertas ad actum: quia ad actum non contingentem nulla potest esse libertas. Hoc etiam argumentum retorqui potest contra decretum prædefinitiuum actus vt liberi, imo & contra collatiuum auxilij efficacis vt talis. Respondeo breuiter ex iam dictis, dictum decretum in sua positione tum à libertate Dei dependere, tum à libertate creaturæ, quando hæc medio libero instruitur ad exequendum actum ipso decreto prædefinitum. Atque adeò, dum existit decretum, actum simpliciter contingentem manere tam respectu Dei, quàm respectu creaturæ; quia tam Deus, quàm creatura facere possunt, vt sit negatio actus, decreto impedito; tametsi eam cum decreto nec Deus, nec creatura componere vllo pacto possint.

60 Quartò obijciunt casu, quòd actus prædefinitus dicto decreto sit negatiuus, e. g. omissio odij Dei. Cum tali decreto impossibile est, Deum concurrere ad actum odij. Ergo, stante tali decreto, impossibilis est actus odij: atque adeò omissio prædefinita nequit esse libera. Consequentia est bona; quia, Deo non concurrente, impossibile est, quidpiam fieri. Antecedens probant. Quia decretum efficax absolutum alicuius finis necessitat Deum ad medium essentialiter requisitum ad talem finem. Sed ad omissionem odij est essentialiter requisita negatio concursus Dei ad odium. Ergo posito tali decreto necessitatus manet Deus ad negandum talem concursum. Et confirmari potest. Quia, cùm concursus ad actum odij realiter ab ipso actu non distinguatur, non possunt non decretum concurrendi ad actum odij, & decretum prædefiniens omissionem ipsius actus habere obiecta contradictoria: quo fit, vt talia decreta in Deo componi non possint. Repugnat enim, Deum simul decernere efficaciter duo extrema contradictoria, vt est notissimum. Hæc etiam eâdem vi militant contra decretum prædefiniens actum prout liberum. Vnde & ab Aduersarijs debent solui.

61 Ego pro solutione suppono, decretum concurrendi esse illud indifferens applicatiuum omnipotentiæ, quod adstruximus disput. 38. quæst. 3. proposit. 2. iuxta sententiam non Connotantium, in qua etiam modò procedimus. Et respondeo ad argumentum, prædefinitâ omissione odij, posse Deum nihilominùs suam omnipotentiam applicare per dictum decretum indifferens, quo posito, voluntas creata potens proximè erit ad eliciendum odium, & ad trahendam omnipotentiam Dei, vt secum concurrat. Quo fit, vt dum liberè omittit, liberè se, & omnipotentiam ad talem omissionem determinet. Nec tenetur Deus ex vi decreti prædefinitiui omissionis à tali decreto concurrendi abstinere. Quia, licèt negatio concursus simultanei sit essentialiter requisita ad omissionem odij per decretum prædefinitiuum intentam, vtpote quid indistinctum ab omissione ipsâ; sed non negatio concursus antecedentis, quale vocari solet decretum concurrendi. Hoc namque posito decreto, aliâ viâ potest Deus obtinere finem intentum, nempe ponendo in voluntate auxilium, cum quo, præuidet, illam liberè se, & omnipotentiam determinaturam ad omissionem odij. Ad confirmationem autem respondeo, optimè posse Deum simul decernere efficaciter duo extrema contradictoria, quando alterum conditionatè decernit, alterum absolutè; nam istæ duæ voluntates non sunt oppositæ inter se. Decretum autem concurrendi ad actum odij conditionatum est, prout explicauimus loco citato. Vnde benè potest componi cum prædefinitione absolutâ omissionis odij. Benè enim componitur, velle Deum concurrere ad odium sub conditione quod voluntas se ad illud determinet, & simul absolutè velle, vt neque voluntas se determinet, neque existat odium. Sicut benè componitur, velle Deum, vt existat pœnitentia sub conditione, quòd sit peccatum, & simul velle absolutè, quòd nec peccatum existat, nec pœnitentia. Tum velle dare gloriam Reprobo sub conditione, quòd habeat merita, & velle absolutè eum à gloria excludere; quia absolutè non habet merita. Mitto alia leuiora, quæ ex dictis, & ex dicendis facilè ab vnoquoque poterunt solui.

Ex quibus omnibus palam est, quomodò cum quouis decreto prædefinitiuo cohærere possit libertas, etiam, quando medium liberum, quo exequutioni mandatur actus prædefinitus, non sit ex illis, quorum efficaciam præuisam supponit decretum suapte essentiâ, sed ex alijs, quæ postea videntur efficacia ad obtinendum finem præintentum. Qui erat casus huc remissus ex num. 33. 62

Iam verò, si decretum, de quo impræsentiarùm est sermo, non actus positiui, sed negatiui, hoc est, carentiæ, seu omissionis actus prædefinitio sit, illud etiam cum libertate benè componi, quando omissio prædefinita exequutioni mandatur per medium liberum, pariter est dicendum: sed cum quodam discrimine non semel iam in præcedentibus tacto. Etenim iuxta generalem doctrinam supra statutam disput. 30. quæst. 5. proposit. 14. quando prædefinitio est actus positiui, voluntas instructa medio libero efficaci ad talem actum, potentiam habet ad talem prædefinitionem impediendam per omissionem ipsius actus tum immediatè, tum mediâ impeditione scientiæ mediæ de efficaciâ ipsius medij liberi. Quando verò prædefinitio est actus negatiui, seu omissionis actus, voluntas instructa medio libero efficaci ad talem omissionem dumtaxat potest per positionem actus oppositi talem prædefinitionem impedire mediâ impeditione scientiæ mediæ de efficaciâ ipsius medij liberi; immediatè verò non item. 63

Itaque prædefinitio præcisiua, de qua tractamus, siue sit actus positiui, siue negatiui à voluntate instructâ medio libero efficaci ad actum prædefinitum est impedibilis mediatè, media scilicet impeditione scientiæ mediæ de efficaciâ ipsius medij liberi: quod satis est, vt cum libertate ipsius actus benè illa cohæreat. Quia, quanuis illa cum nullâ scientiâ mediâ de medijs liberis efficacibus ad obtinendum actum prædefinitum connexa sit intrinsecè, & absolutè; ob idque sine tali scientiâ mediâ posset existere 64

cum solâ scientiâ simplicis intelligentiæ de medijs necessarijs: ex suppositione tamen, quòd ad obtinendum talem actum ponitur medium efficax liberum, semiextrinsecè connexa euadit cum ipsius efficaciâ, cum scientiâque mediâ de illâ iuxta dicta num.52. Quo fit, vt potentia, quam voluntas instructa tali medio habet ad impediendam eius efficaciam, & scientiam mediam de ipsâ per positionem actus oppositi, potentia consequenter sit ad impediendam prædefinitionem mediatè, vtpotè ex tali suppositione connexam iam determinatè cum ipsâ efficaciâ, & scientiâ mediâ.

65 Habet autem voluntas insuper potentiam ad impediendam prædefinitionem actus positiui per positionem actus oppositi negatiui immediatè, independenterque ab impeditione scientiæ mediæ; secus ad impediendam prædefinitionem actus negatiui per positionem oppositi positiui. Quia in priori casu propter connexionem actus positiui voluntatis diuinæ cum actu positiuo voluntatis creatæ, potens est hæc per omissionem sui actus immediatè necessitare illam vt omittat suum. In posteriori verò casu propter oppositionem actus positiui voluntatis diuinæ cum actu positiuo voluntaris creatæ non est hæc potens per positionem sui actus necessitare illam, vt suum actum omittat: tum quia voluntas diuina potentior est ad ponendum suum actum positiuum, quàm est voluntas creata ad ponendum suum; ob idque nutu libero huius illa non eget ad sui actus positionem: tum quia, licèt voluntas diuina poneret suum actum dependenter à nutu libero conditionato voluntatis creatæ; eo tamen absolutè posito, voluntas creata potentiam proximam non haberet ad suum ponendum, illo impedito immediatè, nisi haberet illam, vti habet, ad suum ponendum illo impedito mediatè per impeditionem scientiæ mediæ prædictam. Habet autem in hoc posteriore casu voluntas creata potentiam ad impediendum per positionem sui actus immediatè scientiam mediam, secus prædefinitionem: quia scientia mediæ actus est potentiæ necessariæ, nempe intellectus; prædefinitio verò est actus potentiæ liberæ, nempe voluntatis: potentiaque necessaria ad vtrumuis ex suis actibus positiuis promptè est determinabilis; potentia verò libera secus. Quæ omnia ex doctrinâ generali loco citato latè expositâ conspicua fient vnicuique illam recognoscenti, ad præsensque propositum applicanti.

QVAESTIO III.

Qualiter decretum Dei prædefinitiuum actus voluntatis creatæ conditionatum ex parte obiecti cum libertate ipsius voluntatis ad talem actum componi possit.

66 QVid sit, quotuplex, & quale decretum Dei conditionatum ex parte obiecti. Quomodò sit Deo possibile. In ipsoque etiam detur de facto. Et circa quæ obiecta. Supra disput.34. quæst.3. latè expositum est. Quomodò item decretum ex parte obiecti conditionatum aut purè intentiuum esse possit, aut purè exequutiuum, aut mixtum, supra etiam disput. 36. quæst.5. à num.92. est abundè explicatum. Quare omnia ibi dicta hìc sunt imprimis supponenda, & à Lectore recognoscenda.

Deinde supponendum est ex communi 67
Theologorum consensu id, quod iam etiam tactum est dictâ disput.36. quæst.4. num 69. decretum scilicet ex parte obiecti conditionatum, purificatâ conditione, quoad vim mouendi transire in absolutum: quia, conditione purificatâ, siue absolutè positâ, perinde, ac, si absolutum esset, mouet, & determinat absolutè vel voluntatem ad electionem mediorum, si sit intentiuum, vel potentiam exequutiuam ad exercitium actus decreti, si sit exequutiuum. Quod tamen non præstat, nec potest ante quàm purificetur conditio: nam quousque purificatio conditionis accedat, tota eius efficacia manet suspensa perinde, ac si efficax non esset. Sed dubitari potest, an, vt decretum conditionatum vim habeat absolutam mouendi, & determinandi aut voluntatem diuinam ad electionem, aut omnipotentiam diuinam ad exequutionem, satis sit, vt conditio re ipsâ purificetur, vel requiratur insuper, vt à Deo purificata præuideatur. Censeo, id non requiri, nisi in casu, quòd decretum sub conditione etiam talis præuisionis conceptum sit: alioquin sufficiet, reipsâ purificari conditionem, sub qua decretum conceptum est, vt illud in absolutum tranieat quoad vim mouendi. Quia decretum conditionatum non per aliud, quàm per conditionem suam, transit in absolutum quoad vim mouendi; præuisio autem non est conditio illius, nisi, quando simul cum obiecto suo sub huius hypothesim cadit.

Hinc sequitur, conditionem purificatam 68
non posse non simul cum decreto conditionato influere in actum, ad quem decretum ipsum determinat, purificatâ conditione; siue talis actus sit electio medij efficacis ad finem intentum oriunda à voluntate, quando est decretum intentiuum, siue sit exequutio ipsius finis oriunda ab omnipotentiâ, quando est decretum exequutiuum: quia non potest non conditio purificata includi in potentiâ proximâ, à qua procedit talis actus per modum cuiusdam conditionis causatiuæ ipsius actus. Quod planè constat primò; quia decretum non aliter, quàm prout absolutè efficax causat actum, ad quem absolutè determinat: absolutæ autem efficaciæ decreti intrinsecum constitutiuum est purificata conditio, vt patet ex dictis. Secundò constat: quia iuxta demonstrationem factam disput.38.quæst.3.num.101.quoties causa necessaria, deficiente aliquo ente, non causat, eo tamen posito, statim causat, non potest non tale ens in potentiâ proximâ talis causæ ad talem causationem includi. Sed coniunctum ex potentiâ actus ad quem determinat, siue necessitat decretum, & ex ipso decreto causa est necessaria respectu talis actus (aut virtualis, si est voluntas, aut formalis, si est omnipotentia): & quando est decretum conditionatum, deficiente purificatione conditionis, non causat actum ipsum, eâ autem positâ, statim causat. Ergo conditio purificata non potest non includi in potentiâ proximâ talis coniuncti ad talem actus causationem.

Sed est notandum, non semper includi 69
prout absolutè existens, sed sæpe prout existens conditionatè sub conditione existentiæ actus tunc scili-

scilicet saltem, quando actus est connexus cum illâ, & illa aliàs in actum ipsum influxiua per se non est; iuxta dicta in simili vniuersaliter determino connexionis actus supra disp. 30. quæst. 5. propositi. 6. & 9. Sic conditio, sub qua Deus per decretum indifferens statutum disput. 38. q. 3. propositi. 2. decernit concurrere cum creaturâ liberâ ad eamdem ipsius actionem, si ipsa se ad illam determinauerit, non vt absolutè, sed vt conditionatè existens complet potentiam proximam ad talem concursum: quia existentia absoluta actionis prout à creaturâ in se ipsam prout à Deo nequit influere; benè tamen existentia conditionata in absolutam: quemadmodùm possibilitas cuiusuis actus in existentiam absolutam eiusdem influit iuxta doctrinam statutam disput. 30. quæst. 5. propositi. 5. Itaque, suppositio dicto decreto, per veritatem conditionatam (quæ antecedenter adest, cùm creatura se determinat ad absolutè agendum) de existentiâ sine contradictione actionis prout à creaturâ sub conditione existentiæ eiusdem actionis prout à Deo completur ipsius decreti efficaciâ, atque adeò potentia proxima omnipotentiæ determinata ad concurrendum. De quo iterum redibit sermo propositi. 2. Vide etiam dicta in simili supra disput. 38. quæst. 3. à num. 103.

70 Tertiò est supponendum, quemadmodùm decretum absolutum intentiuum necessitat voluntatem diuinam ad eligendum medium efficax, quo obtinendus est finis, aut necessitate disiunctiuâ, si medium eligendum sit vnum ex pluribus possibilibus, aut necessitate determinatâ, si medium est vnicum tantùm possibile: ita coniunctum ex decreto conditionato intentiuo, & ex conditione purificatâ necessitare pariter. Et, quemadmodùm decretum absolutum exequutiuum necessitat omnipotentiam diuinam ad actionem externam determinatam, quæ vel est actio solius Dei, vel est actio Dei simul, & causæ creatæ: ita coniunctum ex decreto conditionato exequutiuo, & ex conditione purificatâ necessitare pariter. Vnde ad huiusmodi necessitates inducendas, & voluntas Dei ponens decretum conditionatum, & causâ purificans conditionem non possunt non simul cuncurrere. Quæ ex dictis notissima sunt.

71 His positis de decreto conditionato ex parte obiecti generatim, in hac quæstione tantùm agendum nobis est de decreto conditionato ex parte obiecti prædefinitiuo actus voluntatis creatæ vel in se ipso, quale est, quod ipsum actum habet pro obiecto, vel in ipsius causâ, quale est, quod pro obiecto habet auxilium efficax ad eumdem.

Propositio. 1.

72 **Si Deus conditionatè decernat conferre voluntati creatæ auxilium efficax prout efficax ad aliquem actum, tale decretum, purificatâ conditione, idem præstabit, ac si absolutum esset. Vti constat ex dictis.**

Atque ita auxilium efficax in voluntate creatâ ponet, & libertati eius ad talem actum nihil præiudicabit, Id namque præstat decretum simile absolutum iuxta dicta quæst. 2. propositi. 1. quæ & huic sunt applicanda. Cæterùm, quia in præsenti principium remotum actus connexum cum actu, quod à voluntate debet esse impedibile, ne noceat eius libertati, non est decretum solum, sed coniunctum ex decreto, & ex conditione purificatâ; & tale coniunctum potest esse impedibile, vel impeditâ alterutrâ ex partibus eius seorsim, vel vtraque simul; dubitare quis posset, quidnam in præsenti sit à voluntate impedibile; decretum ne solum an conditio sola, an vtrumque. Dico, decretum solum: quia illud sine scientiâ mediâ de efficaciâ auxilij collati, quam essentibliter supponit existere nequit, talisque scientia à voluntate per omissionem actus est impedibilis, vtpote connexa cum actu, suppositâ existentiâ auxilij: conditio autem cum actu connexa non est, vti suppono, atque adeò nec à voluntate impedibilis per omissionem actus: si tamen in aliquo casu connexa cum actu fuerit, vt est possibile, tunc illa quoque per omissionem actus erit à voluntate impedibilis. Quæ omnia ex dictis in præcedentibus notissima sunt.

Propositio 2.

Decretum prædefinitiuum actus conditionatum, & immediatè exequutiuum purificatâ conditione, cum libertate actus componi nequit. Nisi, quando conditio est ipsemet actus prout oriundus à voluntate creatâ. 73

Suppono, decretum hoc aliud esse non posse à decreto concurrendi cum voluntate creatâ ad actum eius sub hypothesi, quod ponatur conditio aliqua; quia tantùm potest esse immediatè exequutiuum respectu actus prout oriundi ab omnipotentiâ diuinâ; secus respectu actus prout oriundi à voluntate creatâ, iuxta doctrinam supra statutam disput. 36. quæst. 5. num. 94. Decretum autem de actu voluntatis creatæ prout oriundo ab omnipotentiâ diuinâ ipsissimum est decretum concurrendi cum illâ, vt constat. Igitur, quando conditio purificata aliud quid est ab actu prædefinito, coniunctum ex decreto, & conditione cum libertate talis actus componi non posse, ex dictis in præcedentibus est manifestum. Quia tale coniunctum decreto absoluto, determinato, & immediatè exequutiuo æquiualet quoad efficaciam, & influxum, iuxta nuper suppositâ. Tale autem absolutum decretum cum libertate actus prædefiniti per illud componi nequit iuxta propositi. 2. statutam quæst. 2. Quando verò conditio purificata est ipsemet actus prædefinitus prout oriundus à voluntate creatâ, coniunctum ex decreto & ex conditione neutiquam potest libertati talis actus nocere; quia conditio purificata ipsemet actus est prout ab ipsâ voluntate exercitus liberè. Hoc quippe est decretum indifferens ex parte obiecti conditionatum, quo de facto concurrit Deus cum creaturâ liberâ iuxta communem sententiam Nostrorum, & nostram stabilitam supra disput. 38. quæst. 3. propositi. 2. Perinde vtraque pars præsentis propositionis probata manet.

74 Obijci tamen potest contra secundam. Efficacia absoluta istius decreti concurrendi completur per veritatem conditionatam de existentiâ sine contradictione actionis prout à creaturâ sub

conditione existentiæ eiusdem actionis prout à Deo; subindeque per eamdem veritatem completur potentia proxima omnipotentiæ diuinæ ad concurrendum cum creaturâ prout dictum à nobis est num.69. Sed hæc potentia proxima omnipotentiæ proximè antecedit actionem, vtpote causa proxima eius: cum ipsâque actione est connexa, vtpote includens in se decretum Dei conditionatum, & purificationem conditionis. Ergo necessitat ad actionem; actioque proinde non libera, sed necessaria euadit. Concesso toto antecedente, distinguo consequens. Necessitat ad actionem omnipotentiam; actioque proinde præcisè prout est ab omnipotentiâ, non libera, sed necessaria euadit, idque necessitate secundùm quid dumtaxat antecedente, & simpliciter consequente; concedo. Necessitat ad actionem creaturam liberam; actioque proinde tum prout est à creaturâ ipsâ, tum simpliciter non libera, sed necessaria euadit; nego. Quo obiectio facta penitus corruit. Recognosce generalem doctrinam de concursu duarum causarum ad eamdem actionem, traditam supra disp.30.quæst.5. propositt.4. Inde enim perspicies, quomodò in casu præsenti potentia proxima omnipotentiæ completa per veritatem prædictam solius omnipotentiæ est propria, terminataque ad actionem præcisè prout est ab ipsâ omnipotentiâ, & in suo esse dependens à nutu libero creaturæ, vtpote à quo dependet veritas conditionata, per quam completur; vnde, quòd sit illa cum actione connexa, nihil huius libertati præiudicat; nam talis connexio solùm præstat, quòd omnipotentia ad actionem, prout est à se, necessitata concurrit; quo iure, nihil vetat, quòd actio prout ab omnipotentiâ necessaria dicatur, necessitate tamen secundùm quid antecedente, & simpliciter consequente. Cæterùm, quia potentia proxima ad actionem communis creaturæ, & omnipotentiæ, omnimodisque independens ab exercitio actionis, & potentia proxima propria creaturæ ad ipsam actionem, prout à se indifferentes sunt ad vtrumuis, positio actionis ab eis oriunda determinatio est libera, qua se creatura determinat tum ad ponendam actionem, prout est à se, tum ad necessitandam omnipotentiam, vt illam quoque prout est à se, ponat. Quo fit, vt actio non solùm, prout est à creaturâ, sed absolutè, & simpliciter libera euadat.

Propositio 3.

75 Omne decretum conditionatum purè intentiuum, & prædefinitiuum actus siue prout liberi formaliter, siue quoad substantiam eius præcisam à libertate, & necessitate, etiam, purificatâ conditione, cum libertate actus benè cohæret, quando hic exequutioni mandatur per medium liberum.

Quia tale quoduis conditionatum decretum prout conjunctum cum conditione purificatâ simili decreto absoluto æquiualet prorsus, quod ad rem attinet, vt ex se, & ex dictis est notum. Sed simile quoduis absolutum decretum benè cohæret cum libertate actus per illud prædefiniti, quando hic exequutioni mandatur per medium liberum, vt constat ex sigillatim dictis de singulis quæst. 2. Ergo tantumdem est dicendum de tali quouis conditionato decreto prout conjuncto cum conditione. Quomodò autem illud tolsum sit à voluntate impedibile per omissionem actus, impeditâ scientiâ mediâ, (cum qua non potest non aliquo modo esse connexum iuxta dicta quæst.2.); conditio verò secus, nisi aliàs & illa sit connexa cum actu, ex dictis propos.1. constat. In quibus ampliùs morari, necessarium non est.

QVAESTIO IV.

Qualiter decretum Dei disiunctiuum prædefiniens aliquem actum voluntatis creatæ vagè, siue sub disiunctione cum libertate ipsius voluntatis ad talem actum possit componi.

76 SVppono primò, licèt decreta ex parte obiecti vaga, seu disiunctiua formaliter in Deo dari non possint, dari tamen posse decreta ex parte obiecti vaga, seu disiunctiua æquiualenter; tendentia videlicet determinatè in existentiam vniuscuiusque ex extremis disiuncti sub conditione negationis alterius, siue aliorum, si sint plura, quàm duo, prout supra disp.34 q.9.fusiùs explicatum est, & probatum.

Suppono secundò, eiusmodi disiunctiua decreta aut posse esse purè intentiua, aut posse esse exequntiua, si sint de actibus oriundis ab omnipotentiâ diuinâ simul, & à causâ creatâ liberâ; secus, si sint de actibus oriundis aut à solâ omnipotentiâ diuinâ, aut ab omnipotentiâ diuina simul, & à causâ creatâ necessariâ, prout supra etiam relinquimus fusiùs expositum disput.36. quæst.5. à num.92. In præsenti autem quæstione tam exequutiua, quàm intentiua locum habent: cùm sermo sit de prædefinitiuis actuum oriundorum à voluntate creatâ, & ab omnipotentiâ diuinâ.

77 Suppono tertiò, per decretum disiunctiuum aut posse prædefiniri actum determinatum in disiuncto suarum causarum, aut disiunctum actuum in se ipso. Disiunctum autem aut potest esse duorum tantùm extremorum, aut plurium in quouis numero. Agemus tamen claritatis gratiâ de decretis tendentibus in disiuncta duorum tantùm extremorum: nam, quæ de eis dicta fuerint, facilè accommodanda venient tendentibus in disiuncta plurium. Duorum autem actuum disiunctum duorum actuum potest esse aut eiusdem voluntatis, aut distinctarum. Potest item decretum disiunctiuum esse de existentiâ aut vnius, aut duorum actuum in vno, vel altero ex duobus instantibus temporis, priore scilicet, vel posteriore.

78 Suppono quartò, duo quæuis extrema A B bifariam posse prædefiniri à Deo disiunctiuè æquiualenter. Primò per duo decreta simultanea, quorum alterum sit de existentiâ extremi A sub conditione negationis extremi B, alterum de existentiâ extremi B sub conditione negationis extremi A. Secundò per vnicum decretum tendens

dens simul in existentiam extremi A sub conditione negationis extremi B, & in existentiam extremi B sub conditione negationis extremi A. Vtrouis autem ex his modis fiat, nihil interest ad rem. Quare semper compendij gratiâ de decreto Dei disiunctiuo tanquam de vnico loquemur.

Propositio 1.

80 Decretum disiunctiuum conferendi voluntati creatæ ad obtinendum actum eius præcisè quoàd substantiam vel medium liberum, vel medium necessarium prout efficacia (quod prædefinitio quædam erit actus in suâ causâ vel liberâ, vel necessitatâ) benè cum ipsius actus libertate cohærebit, si de facto ille per medium liberum exequutioni mandetur.

Quia, licèt tale decretum cum solâ substantiâ actus sit connexum intrinsecè, proindeque ad existentiam suam dumtaxat petat, quòd ille existat siue per medium necessarium, siue per liberum; posito tamen, quòd de facto ponatur medium liberum pro illius existentiâ obtinendâ, voluntas tali medio instructa non pnteſt non potentiam habere ad impediendum dictum decretum, (vtpote quod respectu actus tantùm est principium remotum); atque adeò nec potest non manere libera ad actum ipsum; prout constat ex dictis circa decretum præcisiuum quæst. 2. propos. 5. Quæ ad casum præsentem sunt applicanda tanquam ad similem omnino, quod ad rem attinet.

81 Quòd si decretum de medio necessario, vel medio libero benè cum libertate actus componitur in casu propositionis; multo melius componetur cum illâ decretum de vno, vel altero medio libero; vt constat.

Propositio 2.

82 De decreto disiunctiuo immediatè exequutiuo, prædefinienteque vnum vel alterum duorum actuum aut eiusdem voluntatis creatæ aut distinctarum, idque vt extiturum aut in eodem instanti temporis, aut in vno instanti, vel altero sub disiunctione, eodem omnino modo philosophandum est, ac de predeterminatione similiter disiunctiuâ.

Suppono, decretum hoc aliud non esse a decreto concurrendi cum voluntate creatâ ad alterutrum ex extremis disiuncti, circa quod versatur; vti de decreto conditionato immediatè exequutiuo dicebam quæst. 3. propos. 2. quia per hoc etiam decretum decernitur conditionatè vnumquodque ex extremis talis disiuncti prout exequendum sub conditione negationis alterius ab omnipotentiâ diuinâ concurrente cum voluntate creatâ. Vnde, sicut decretum exequutiuum conditionatum ad actum prædefinitum necessitat, si ponatur conditio, iuxta ibi dicta; ita decretum exequutiuum disiunctiuum ad alterutrum ex extremis prædefinitis necessitat, si ponatur negatio alterius; & consequenter non permittit, vt ponatur negatio amborum: absolutèque subinde necessitat, vt vnum, vel alterum ponatur. Id quod ipsissimum munus est prædeterminationis disiunctiuæ. De huiusmodi igitur decreto eodem omnino modo philosophandum est, ac de prædeterminatione similiter disiunctiuâ, vt propositio data fert. Quocirca omnia, quæ latè scripta relinquimus disput. 30. quæst. 11. de prædeterminatione disiunctiuâ, deque omnibus casibus possibilibus ad eam spectantibus, à Lectore recognoscenda, & huic decreto applicanda sunt, ne actum agamus.

Propositio 3.

Decretum quoduis disiunctiuum 83
purè intentiuum prædefiniens vnum, vel alterum duorum actuum siue prout liberum, siue quoad substantiam præcisè, illæsam prorsus reliquit vtriusuis libertatem, quando ille exequutioni mandatur per medium liberum.

Suppono, stante tali decreto, dumtaxat teneri Deum ponere medium efficax ad obtinendum vnum talium actuum: quia ad id tantùm necessitata manet per illud diuina voluntas. Poterit tamen ponere ad vtrumque media efficacia, si ibi placuerit. Igitur, si ambo actus sint vnius voluntatis, & ipsa ad eliciendos ambos medijs efficacibus liberis instruatur, libera manebit ad omittendum ambos simul, sicque impediendum dictum decretum; si verò ad eliciendum vnum solùm instruatur medio efficaci libero, habens pro eliciendo altero vel medium purè sufficiens, vel nullum, libera manebit ad omittendum illum vnum, altero quoque vel liberè, vel necessariò simul omisso, sicque pariter impedito decreto ipso. Cuius ratio ex dictis in præcedentibus promptissima est. Quia nimirum eiusmodi decretum in potentiâ proximâ voluntatis ad dictos actus nequaquam includitur, cùm tantùm sit principium remotum vnius, vel alterius eorum; atque adeò quando in voluntate adest talis potentia per media libera completa, & consequenter tam ad omissiones, quàm ad actus intrinsecè indifferens; nec potest deesse in voluntate libertas, vtpote in tali potentiâ consistens essentialiter; nec potest deesse potestas ad impediendum quidquid extra potentiam ipsam est connexum cum actibus, oppositumque subinde omissionibus actuum.

Hinc sequitur, tantumdem esse dicendum 84
primò; si decretum disiunctiuum sit de vno, vel altero duorum actuum duarum voluntatum; & vel traque, vel altera tantùm instruatur medio libero. Erit enim tunc in illis potestas, aut in vtraque, aut in alterâ tantùm libera ad omittendum simul ambos actus, sicque impediendum tale decretum. Secundò; si decretum sit de existentiâ vnius, aut duorum actuum in vno, vel altero instanti temporis. Poterit enim tunc esse libertas in voluntate vel vnâ, vel duplici ad omittendum talem existentiam simul in ambobus instantibus, sicque impediendum similiter tale decretum.

QVÆ-

QVAESTIO V.

Qualiter alij actus aut intellectus, aut voluntatis Dei, qui excogitari possunt connexi cum actu voluntatis creatæ, cum illius nihilominùs libertate componi possint.

85 NOnnullos eiusmodi actus Dei excogitarunt Recentiores, quorum cohærentia cum libertate voluntatis creatæ non parum eis facessit negotium. Sit primus decretum, quo Deus ante præuisam per scientiam mediam efficaciam auxiliorum possibilium (entitatiuè scilicet indifferentium iuxta sententiam Societatis; nam de his est hìc sermo) decernat vniuersè sic. *Nullum dabo auxilium, nisi efficax.* Sit secundus actus scientiæ Dei de eodem obiecto. Sit tertius hoc particulare decretum. *Non dabo auxilium A, si præuidero inefficax.* Sit quartus actus scientiæ Dei de eodem obiecto. Alijque similes. Huiusmodi enim actus cum libertate voluntatis creatæ non videntur componi posse. Nam ex vnà parte, posito in voluntate auxilio, cum eius efficaciâ, atque adeò cum consensu voluntatis sunt illi necessariò connexi: alioquin cum auxilij inefficaciâ, ac proinde cum opposito illius, quod vel decernunt, vel affirmant, essent coniungibiles: quod prorsus repugnat. Ex aliâ verò parte voluntas per omissionem consensus non potest illos impedire. Igitur libertatem eius prorsus euertunt. Nam, quidquid cum consensu voluntatis connexum est, ab ipsàque non est impedibile per oppositam omissionem, non potest non libertatem eius prorsus euertere; vt ex dictis à nobis in præcedentibus satis, superque notum est. Non posse autem voluntatem impedire tales actus per sui consensus omissionem, inde constare videtur primò; quia illi in suâ primâ existentiâ non dependent à voluntatis consensu; quandoquidem si, semel illis positis, nullum Deus voluntati conferat auxilium, vt potest, benè illi cum negatione consensus voluntatis cohærebunt. Secundò; quia non videtur intelligibile, quomodò ego per carentiam mei consensus impedire valeam id, quod cum carentiâ ipsâ est compatibile suapte naturâ. Tertiò; quia, vt tales actus in suo signo priore ponantur existentes, non indigent voluntatis consensu; siquidem cum hoc non connectuntur per se, sed ex suppositione eis accessoriâ, & posteriore, quòd voluntati detur auxilium. Igitur ab existentiâ suâ, quam per se præhabent, neutiquam possunt à voluntate deturbari, quantumuis hæc postea per accidens auxilio instruatur. Quartò; quia voluntas instructa auxilio amplius non potest, quàm reddere illud inefficax. Sed hæc potestas non est ad impediendos actus prædictos: quandoquidem illi æquè benè possent existere, etiam si nullum auxilium possibile foret efficax. Ergo.

86 Propterea Ant. Perez 1. par. disput. 5. de Prouiden. alijsque in locis ibi citatis enixè contendit, Deum nullatenus posse, illæsâ nostrâ libertate, ita conferre nobis auxilium efficax, quia efficax est, vt non conferret, ni præuidisset illud efficax. Quod planè non solùm falsissimum, sed contra omnes nostros Doctores est, vnanimiter asserentes, aut supponentes, Deum non solùm posse, sed de facto etiam nobis conferre plerunque saltem auxilium efficax, non collaturum, ni præuidisset efficax, absque vllâ omnino libertatis nostræ læsione. Mouetur autem hic Auctor ad opinionem tam singularem: quia putat, scientiam illam conditionatam, quam Deus in tali casu non potest non habere, de non existentiâ, seu de defectu talis auxilij ex hypothesi, quòd non fuisset præuisum efficax, & quæ, existentiâ suppositâ ipsius auxilij, cum nostro consensu connexa est, nullatenus esse à voluntate nostrâ impedibilem, atque adeò illam non posse non necessitatem inducere lædentem nostram libertatem. Addit tamen, & latè probare contendit cap. 4. & 6. manere in nobis nihilominùs in eodem casu libertatem quamdam non integram, seu dimidiatam, non obstante necessitate ad consensum, quam dicta scientia inducit. Quia putat, posse dari in voluntate potentiam proximam indifferentem ad consensum, & omissionem eius, etiam si extra illam adsit aliquid connexum cum consensu, nullatenusque à voluntate ipsâ impedibile. Quod etiam omnino falsum est. Nam, vt constat ex doctrinâ, sæpe in præcedentibus repetitâ, duo ista penitus pugnant inter se: quandoquidem penitus repugnat, quòd detur in voluntate potentia ad omittendum consensum, quæ non sit potentia ad impediendum, quidquid connectitur cum consensu. Circa quod recole dicta nuper quæst. 2. propos. 5.

Ad rem ergo nostram omnino dicendum 87 est, supradictos Dei actus à voluntate creatâ prout instructa auxilio efficaci entitatiuè indifferente ad vtrumuis impedibiles esse, & ideo libertati eius nihil prorsus obesse. Quia, licèt illi absolutè, & intrinsecè cum consensu voluntatis connexi non sint; atque adeò per se præcisè, & absolutè benè possent cum eius defectu coniungi; ex suppositione tamen, quòd ponatur in voluntate dictum auxilium, iam semiextrinsecè cum efficaciâ eius, atque adeò cum voluntatis consensu connexi euadunt: potentiaque proinde, quam voluntas instructa tali auxilio habet ad omittendum consensum, non potest non esse potentia ad impediendam efficaciam ipsius auxilij, & consequenter existentiam dictorum actuum, quantumuis hæc sit antecedens, & intrinsecè non connexa cum efficaciâ ipsâ; vt probant argumenta facta in simili supra quæst. 2. propos. 5. pro impedibilitate decreti præscindentis, de quo ibi. Quæ proinde eâdem vi poterit Lector ad præsens propositum applicare, ne nos actum agamus; atque etiam per illorum doctrinam facilè, quæ opposita sunt n. 85. diluere.

Cæterùm contra possibilitatem illius de- 88
creti Dei. *Nullum dabo auxilium, nisi efficax.* Aliunde, quàm ab eius oppositione cum libertate creatâ, Recentiores quidam valde diffusè argumentantur ab absurdo. Summa autem argumentationis est. Sequi ex positione talis decreti, omne auxilium possibile esse efficax in statu conditionato; quòd planè absurdum est. Quia de omni auxilio possibili verum erit, cum consensu coniungendum esse, si existat; in qua veritate conditionatâ consistit auxilij efficacia. Cùm enim tale decretum suapte essentiâ sit oppositum coniuncto ex existentiâ cuiusuis auxilij possibilis, & ca-

& carentiâ consensus; illo existente, necessariò sequitur, esse verum de quouis auxilio possibili, quòd coniungetur, si extiterit, non cum carentiâ consensus, sed cum consensu. Verumtamen argumentum hoc, pariter fieri potest suo modo contra quoduis decretum Dei prædefinitiuum cuiusuis actus liberi ad probandum, omne auxilium respectu talis actus possibile in statu conditionato esse efficax: atque adeò nullum purè sufficiens: quod etiam est absurdum. Quia tale decretum essentialiter est connexum cum efficaciâ eius auxilij, quod vnicè eligitur, & existit pro obtinendo actu prædefinito. Ergo essentialiter est oppositum coniuncto ex existentiâ cuiusuis auxilij possibilis, & negatione cæterorum, & carentiâ consensus. Ergo, supposito tali decreto, de quouis ex dictis auxilijs possibilibus verum est, quòd coniungetur cum consensu si extiterit vnicè. Quod est, illud in statu conditionato efficax esse.

89 Ad primum igitur argumentum respondeo, omnia auxilia possibilia, quæ in statu conditionato de facto sunt inefficacia, non existente in Deo decreto illo, *Nullum dabo auxilium, nisi efficax*, mansura nihilominùs inefficacia, si illud existeret. Quia tamen existentia talis decreti essentialiter opposita est existentiæ omnis auxilij inefficacis, hypothesis de existentiâ cuiusuis illorum, quæ sunt de facto inefficacia, in sensu composito ipsius decreti chymærica est, exque subinde duo simul contradictoria sequuntur; coniungendum scilicet tale auxilium cum consensu, si existeret in consortio decreti; quia eam coniunctionem infert decretum; & non coniungendum, quia aliàs pro nutu libero voluntatis talis coniunctio non est futura; decretumque positum nullatenus illam causaret: quia neque necessitaret voluntatem ad illam, vt constat ex prædictis; neque voluntas, eo existente, mutaret determinationem liberam, quam sine illo habet, vti supponitur. Vnde patet, auxilia possibilia, quæ modò in statu conditionato sunt inefficacia, nullatenus reddenda efficacia ob positionem dicti decreti: nam efficacia auxilij in verâ existentiâ consensus sub eius hypothesi consistit, non in chymæricâ; qualem dumtaxat secum ferrent hypotheses de existentiâ talium auxiliorum in casu positionis decreti. Hinc ad secundum argumentum pariter respondetur, decretum prædefinitiuum actus essentialiter esse oppositum cuiuis auxilio, aliàs ad actum inefficaci, prout vnicè existenti: atque ita ex hypothesi, quòd simul cum tali decreto vnicè existeret quoduis illorum, quæ præscindendo ab existentiâ illius inefficacia sunt, non sequitur coniungendum esse illud simpliciter cum consensu, sicque efficax fore; sed coniungendum simul, & non coniungendum; sicque fore chymæram. Per quæ fallacia eiusmodi argumentorum manet detecta.

90 Noto ad extremum huius quæstionis, quæcunque in præcedentibus dicta sunt de coherentiâ, vel oppositione diuinarum prædefinitionum cum libertate actuum voluntatis creatæ, imprimis intelligenda esse de prædefinitionibus actuum moraliter bonorum. Quæ tamen ex hypothesi, quòd non repugnent aliunde similes prædefinitiones actuum moraliter malorum, eis quoque poterunt adaptari. Quia, quod attinet ad coherentiam, vel oppositionem cum libertate actuum prædefinitorum, omnes prædefinitiones ex conceptu suo similes æquales sunt: siue illæ sint prædefinitiones actuum moraliter bonorum, siue actuum moraliter malorum. Vtrùm autem aliunde repugnet Deo actus moraliter malos prædefinire adhuc quoad eorum physicam entitatem; vel secus; quod hic aliqui examinant, ego in Tractatum de Auxilijs remitto examinandum. Vbi de physicâ prædeterminatione ad materiale peccati, atque adeò de prædefinitione eius tractari solet.

QVAESTIO VI.

Vtrùm Deus de facto prædefiniat actus liberos voluntatis creatæ.

QVæstio non est de actibus moraliter malis iuxta num. præced. Sed de moraliter bonis. De quibus certum omnino est, prædefiniri de facto in suâ causâ, hoc est in auxilio efficaci, quo Deus præuenit voluntatem creatam, excitat, & cum effectu mouet ad tales actus exequendos. Dubitatur tamen, an etiam in ipsis decreto efficaci, & antecedenti prædefiniantur. 91

Suppono ex communi huiusmodi prædefinitiones actuum simpliciter necessarias non esse ad prouidentiam Dei. Ita, præter eos, qui negant, illas cum libertate creatâ componi posse citatos supra quæst.2.num.10.tenent Soar.lib.2.de Concursu Dei cap.7. à num.4. Fasol. 1.par. quæst. 14.artic.13.& quæst.22.artic.1.2.& 3.Ruiz disp.9. de Prouiden.sect.11.Arrub.1.par.disput.68.cap.2. Franc.Amic.disput.14. de Volunt. sect.5.Ribas 1. par. tract.6. disput.3. cap.3. & alij communiter. Probatur autem primò; quia, vt constat ex doctrinâ traditâ supra disput.36.quæst.4.propos.1. possibilis est prouidentia, qua Deus ex simplici intentione finis moueatur ad eligenda media efficacia, quibus reuerâ obtineat finem intentum; quin opus sit, talem finem efficaciter prædefiniri. Poterit ergo Deus ex intentione simplici actus honesti moueri ad dandum auxilium efficax, quo illum consequatur, quin sit necesse ad prouidendum homini talem actum, illum antecedenter prædefinire. 92

Secundò probatur id ipsum; quia Deus prouidentiam habet, eamque perfectissimam circa actus prauos, quin eos prædefiniat, adhuc quoad materiale; vt nostra, & communis sententia fert, imo, quin eos præintendat, adhuc affectu simplici. Ergo multò meliùs absque vllâ prædefinitione poterit prouidentiam habere de actibus bonis. Tota igitur difficultas ad factum reducitur. 93

Circa quam quotquot censent prædefinitiones diuinas auferre libertatem, eas consequenter negant de facto. Ex cæteris verò plerique illas de facto admittunt. Thomistæ quidem, & Scotistæ illas suas prædefinitiones exequutiuas, de quibus mentionem fecimus quæst. 2. Reliqui verò purè intentiuas, quæ solæ, vt ibi probauimus, componuntur cum libertate. Sequuntur autem hanc sententiam Soar. Arrub. Fasol. Granad.Tann.& Ruiz ibid.citati, & apud eos alij plurimi præsertim apud Ruiz disput.9. de Prouiden. sect.2. Qui vnanimiter censent, Deum prædefi- 94

nire

nire actus honestos, non in communi solùm, & vagè, vt putarunt aliqui, quos taciro nomine refert, & refellit Soar. lib. 3. de Auxilijs cap. 17. num. 2. & 14. & lib. 1. de Prædestin. cap. 13. à num. 4. & lib. 3. cap. 10. num. 3. sed in particulari, & distinctè cum omnibus circunstantijs determinatis. Addit tamen Ruiz disput. 8. etiam dari de facto prædefinitiones vagas, seu disiunctiuas tum circa actus diuersarum personarum, tum circa diuersas species actuum eiusdem generis, tum circa diuersa individua eiusdem speciei; necnon circa diuersas actuum conditiones, & circunstantias temporis, loci, motiui, durationis, intensionis, &c. Quod latè probat totâ eâ disputatione, adducens pro se S. Tho. & alios Scholasticos, quos citat sect. 6. Vtrùm autem omnes actus boni tam naturales, quam supernaturales prædefiniantur à Deo de facto, sub controuersiâ est. Affirmat Ruiz cum alijs pluribus disput. illâ 9. citatâ. Negant Soar. lib. 1. de Concursu Dei cap. 7. à num. 11. Fasolus supra dub. 6. & alij. Qui censent, actus honestos naturales, saltem maiori ex parte, non prædefiniri de facto; benè tamen supernaturales, præsertim, qui salutares sunt, & proprij Prædestinatorum. De actibus enim bonis Reproborum, etiam supernaturalibus, non ita certum est, à Deo prædefiniri.

Propositio 1.

94 **Deus de facto prædefinit opera salutaria, quibus Prædestinati consequuntur vitam æternam.**

Propositio hæc non est certa; quia nihil est, quod illam cum certitudine conuincat. In eam tamen inclino vt longè probabiliorem oppositâ; tum propter maius pondus auctoritatis, quod pro se habet; tum propter non contemnende argumenta, quæ ad illam comprobandam peti possunt ab Scripturâ, & Patribus, & à ratione. Arguitur enim primò ex Paulo ad Ephes. 2. dicente, *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus*, id est, *quæ prædestinauit Deus*. vt intelligunt August. de Prædestin. Sanctor. cap. 10. initio. Beda in hunc locum, Prosper ad Capitula Gallorum respons. 14. & lib. 1. de Vocat. Gentium cap. 5. Theophilactus, Anselmus, & S. Thom. verba Apostoli interpretantes. Ac demum Fulgentius lib. 1. ad Monimum, vbi plura dicit ad rem. Quale est illud cap. 24 initio. *Deus itaque omnia opera horum siue bona, siue mala præsciuit: quia eum latere nihil potuit. Sed sola bona prædestinauit.* Idemque reperit ex mente Augustini cap. 29. ad finem. Eamdemque sententiam habet Prosper ad Obiection. Vincenti. obiect. 10. 11. & 12. ad Capitula Gallorum respons. 15. Quam ambo sumpserunt ex August. sæpe eam tradente, præsertim cap. 10. citato de Prædestinat. Sanctor. & cap. 17. & 19. Eamdemque doctrinam de prædestinatione bonorum operum, & non malorum sequuntur etiam, & exprimunt Hypognost. lib. 6. col. 2. Leo nonus epist. 4. ad Pet. Antiochen. col. 4. Beda lib. Quæstion. quæst. 13. post medium. Hugo Victor. de Sacram. lib. 1. par. 2. cap. 18. & indicat satis clarè Concilium Valentinum 3. sub Lothario Imperatore cap. 3. Docet ergo Paulus ex mente horum Patrum, Deum prædestinare bona opera iustorum, quod idem est, ac prædefinire, vt expressiùs dixit Athanasius explicans eadem Pauli verba. *Parauit Deus, quæ differri non potuerunt, nec prætermitti, quin peragantur, tanquam diuinitus sint præfinita.*

Secundò arguitur ex Paulo frequenter 95
appellante Prædestinatos *vocatos secundùm propositum voluntatis Dei*; vt videre est ad Rom. 8. ad Ephes. 1. & 2. ad Timoth. 1. & alibi. Quæ vocatio Prædestinatorum propria celebratissima est apud Augustinum innumeris in locis, præsertim in libris de Correptione, & gratia, de Prædestinatione Sanctorum, & de Dono perseuerantiæ. De qua ait cap. 3. de Prædestin. Sanctor. *Vocatio secundùm propositum Dei non omnium, qui vocantur, est, sed tantùm Electorum.* Propositum autem Dei esse actum efficacem diuinæ voluntatis ad obiectum aliquod terminatum, certissimum est apud omnes, & apud Augustinum notissimum. Ex quo sic. Propositum, secundùm quod Prædestinati specialiter vocati dicuntur, non est voluntas Dei efficax ad vocationem terminatam: quia si esset, omnes vocati essent vocati secundùm propositum contra mentem Pauli: quia omnes vocantur in tempore, prout Deus ab æterno proposuit, illos vocare. Ergo est voluntas Dei efficax terminata ad aliquid præintentum à Deo, ad quod ordinatur vocatio, iuxta illud ad Rom. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit.* Quod non potest esse aliud, nisi vel gloria, vel merita, vel vtrumque: nam, si Deus efficaciter prædefinit gloriam, consequenter prædefinit merita, vt paulò inferiùs ponderabimus. Igitur ex phrasi Pauli, & Augustini efficaciter sequitur, Deum efficaciter prædefinire merita Prædestinatorum. Adde ex lib. de Dono perseuer. cap. 14. & 22. & de Prædestin. Sanctor. cap. 18. & 20. satis constare, prædestinationem secundùm Augustinum propositum esse Dei, siue voluntas efficax præuia ad voluntatem vocationis congruæ; nimirum prædefinitionem vel gloriæ, vel fidei, & bonorum operum, vel vtrorumque.

Tertiò arguitur ex Paulo ad Ephes. 1. 96
Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti. Ex quo loco August. lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 8. infert. *Non ergo, quia futuri eramus, sed vt essemus. Ideo quippe tales eramus futuri; quia elegit ipse prædestinans, vt tales per gratiam eius essemus.* Ergo præstituit Deus, vt sancti essemus, puta per opera sancta. Ergo prædefiniuit talia opera, eaque prædefinitione nos elegit, vt essemus sancti. Clariùs August. lib. 1. ad Simplicia. quæst. 2. col. 4. *Non, quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cœlorum.* Audi etiam Chrysostomum in eumdem locum serm. 1. col. 2. *An omnibus fere epistolis diligenter illud ostendit; nimirum, non esse recentiora, quæ nobis obueniunt, sed ab initio diuinitus præfigurata; neque esse ex pœnitentiâ, sed ita dispensa, ac præfinita, idque multâ prouidentiâ.* Et Theodoretum ibidem. *Ab initio, & ante constitutionem Mundi, quæ ad nos pertinebant, præsciuit, & prædefiniuit.*

Quartò arguitur ex illis Scripturæ locis, 97
quæ potentiam, & efficaciam diuinæ voluntatis commendant. Psal. 113. *Omnia, quæcunque voluit, fecit.* Hester 13. *Non est, qui possit tuæ resistere*

resistere voluntati, si decreueris saluare Israel. Sapien. 12. *Subest enim, cùm volueris, posse*. Ad quæ loca respiciens August. lib. de Corept. & gratiâ cap. 14. ait, *Volenti Deo saluum facere nullum resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, neque superet potestatem*. Et infra. *Non est dubitandum, voluntati Dei, qui omnia, etiam quæ futura sunt, facit, voluntatem creatam non posse resistere: quandoquidem etiam de ipsis voluntatibus facit ipse, quod vult, & cùm vult, facit*. Certè hæc de voluntate, quam Deus habet congruè vocandi ad bona opera, aptè nequeunt intelligi. Ergo de voluntate præuiâ prædefiniente opera ipsa intelligenda sunt. Hæc enim est, quæ per se immediate est infrustrabilis: hæc, cui propriè resisteret homo, si posset resistere, non itidem altera, quæ tantùm est infrustrabilis ratione obiecti inuoluentis nostrum consensum conditionatum; cuique propriè non resisteret homo, etsi per impossibile ipsa persistente non consentiret. Ponderanda insuper illa verba vltima Augustini. *De ipsis voluntatibus facit ipse, quod vult*. Ergo vult efficaciter vt fiant: quod est, illas prædefinire. Adde locum illum Prouer. 21. *Cor Regis in manu Domini, sicut diuisiones aquarum, quocunque voluerit, vertet illud*. Vtique quòcunque voluerit efficaci prædefinitione, vertet per auxilium eo fine collatum.

98 Quintò arguitur ex promissionibus absolutis, quibus Deus in Scripturâ promittit aliqua opera libera. Promissio enim absoluta voluntatem absolutam, & efficacem arguit, atque requirit exequendi id quod promittitur. Ezechiel 36. *Faciam, vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*. In quem locum August. lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 11. *Attendite fratres, & videbitis, Deum illa permittere factum se, vt faciant, quæ iubet, vt fiant*. Clariùs hoc comprobat locus alius August. eodem lib. cap. 10. vbi agens de promissione factâ Abrahæ ait. *Promisit enim, quod ipse facturus fuerat, non quod homines: quia, etsi facerent homines bona, quæ pertinent ad colendum Deum, ipse facit, vt illi faciant, quæ præcepit: non illi faciunt, vt ipse faciat, quod promisit*. Accedit Prosper lib. 1. de Vocatione gentium cap. 9. dicens. *Obdituros promisit, qui dixit, dabo illis cor alterum, vt timeant me: perseueraturos promisit, qui dixit, timorem dabo in cor eorum, ne discedant à me*.

99 Benè video, omnia testimonia adducta posse ab Aduersarijs eludi, interpretantibus illa de prædestinatione, siue prædefinitione bonorum operum in suâ causâ, vt in radice, hoc est, in auxilio efficaci, siue vocatione congruâ, per quam Deus talia opera obtinet ab arbitrio creato. Aut etiam de prædefinitione non ordine causalitatis, sed temporis tantùm antecedente opera, quæ dicuntur prædefinita. Sed non est, cur ad has translatitias, aut minùs strictas interpretationes confugiamus, quando citra incommodum possumus auctoritates accipere iuxta omnem sermonis proprietatem, vt in præsenti accidit.

100 Venio ad rationes, & argumentor sextò. Deus de facto prædefinit gloriam Prædestinatis ante præuisa eorum merita, vt probabo infra disput. 41. quæst. 3. Ergo & merita ipsa prædefinit. Probo consequentiam. Quia merita media sunt, quibus gloria prædefinita obtinetur. Intendens autem efficaciter finem, consequenter amat etiam efficaciter media, quibus finis est obtinendus, quando hæc ab illo sunt amabilia, vti sunt merita respectu Dei. Quanquam enim intento efficax finis non necessitet ad amanda media, quæ aliunde præuidentur futura, vt supra disput. 36. quæst. 4. propos. 2. statutum est: ob idque Deus ex intentione efficaci gloriæ tantùm teneatur ad ponenda auxilia, ex quibus præuidet, sequutura merita re ipsâ. Ast, quando media citra incommodum ab intendenti amari possunt, vti euenit in proposito, connaturalius est, vt amentur eo ordine, quo conducunt ad finem. Quod satis est, vt dicamus, Deum de facto ex intentione efficaci gloriæ immediatè moueri ad electionem meritorum, indeque progredi ad electionem auxiliorum, quibus sunt obtinenda merita, quæque sunt media remotiora respectu gloriæ intentæ.

Argumentor septimò. Quia, quando non 101
est, quod efficaciter retrahat à consequutione finis, sed cum effectu est consequendus, perfectior ex genere suo, & magis connaturalis prouidentia videtur esse, illum præintendere efficaciter, quàm ex simplici intentione moueri ad illum consequendum per medium efficax: imo multi censent, intentionem simplicem finis ad electionem medij efficacis mouere non posse. Ergo de facto saltem, est dicendum, Deum, non ex simplici intentione bonotum operum, quæ consequitur, moueri ad apponenda media efficacia pro eorum consequutione; sed ex intentione efficaci, quæ sit talium operum prædefinitio: tametsi oppositum sit ei possibile iuxta doctrinam statutam dicta quæst. 4. propos. 1. Confirmatur primò. Nam prædefinire ineuitabiliter opera, quæ aliàs liberè, & pro nutu voluntatis creatæ sunt exequenda, maximopere commendat sapientiam Dei. *Quæ attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter*. Sapien. 8. Confirmatur secundò. Quia, cùm Deus propensissimus sit ad amorem bonorum operum, non est cur illa non amet efficaciter, quando aliunde non retrahitur cum effectu ab eorum exequutione: quandoquidem in tali casu, vtrouis modo præintendat illa, nihil de exequutione admittur, & solùm detrahitur de amore, si præintendit simpli affectu. Quod ab ardenti desiderio videtur alienum, quod Deus habet salutis, atque iustitiæ hominum.

Hinc argumentor octauò. Amor, & bene- 102
uolentia, quam Deus erga Prædestinatos habet, quamque Scriptura, & Patres prædicant, & exaggerant, eximiè commendatur, si illorum opera salutaria æquè, ac salutem ipsam, prædefiniat; sin minus, nonnihil demitur de præstantiâ eius. Ergo, cùm talis prædefinitio aliunde non repugnet, vt vidimus; de facto vtique asserenda est. Consequentia est bona. Probò antecedens. Quia maior, & præstantior est amor, atque beneuolentia, præintendere alicui efficaciter salutem, & opus salutare, ad eumque finem obtinendum illi conferre gratiam congruam, quàm ex desiderio tantùm simplici talis finis eidem talem gratiam communicare. Quæ ratio suum etiam habet locum circa quælibet pia opera etiam Reproborum: nam & hæc proueniunt ex gratiâ, amore, & beneuolentiâ Dei. Vnde etiam sequitur, huiusmodi bonorum operum prædefinitionem maiorem obligationem imponere beneoperantibus

agendi gratias Deo sic præuenienti volentes eorum, eumque ob tantum amorem redamandi. Quod argumentum etiam est, talem prædefinitionem de facto dari.

103 Postremo, suppositâ possibilitate prædefinitionum, vix potest negari, esse de facto prædefinitos aliquos actus supernaturales pertinentes ad bonum commune omnium Prædestinatorum, vt sentiunt communiter Doctores nostræ sententiæ. Cuiusmodi sunt consensus B. Virginis in opus Incarnationis; actus voluntatis, quo Christus Dominus mortem acceptauit; prædicatio Apostolorum, &c. Ergo à simili idem erit dicendum de cæteris actibus salutaribus ipsorum Prædestinatorum.

Propositio 2.

104 Deus etiam prædefinit de facto actus supernaturales Reproborum. Et vniuersim quosuis actus honestos, etiam ordinis naturalis.

Hæc propositio minùs est certa, quàm præcedens. Eam tamen probant quoad vtramque partem aliqua ex argumentis factis pro præcedente præsertim 1. 4. 5. 7. & 8. in quibus denuò applicandis non opus est morari. Et hæc de prædefinitione determinata actuum bonorum in singulari.

Propositio 3.

105 Verisimile mihi est, etiam dari de facto in Deo prædefinitiones vagas, seu disiunctiuas ex parte obiecti circa actus bonos tum diuersarum personarum, tum etiam eiusdem. Atque etiam prædefinitiones conditionatas.

Consentio in hac propositione cum P. Didaco Ruiz, & alijs Auctoribus ab eo relatis loco supra citato. Eam autem mihi suadeo; quia huiusmodi prædefinitiones possibiles sunt Deo, vt ex dictis in præcedentibus quæstionibus constat: valdeque consentaneæ videntur prouidentiæ diuinæ. Ergo de facto etiam sunt admittendæ. Etenim negari non potest, Deum ex primariâ intentione sæpe procurare bonum commune aut totius Ecclesiæ, aut alicuius Congregationis, aut etiam personæ priuatæ; ex eoque fine moueri ad apponenda media efficacia. Ex fine enim, vt omnes homines saluarentur, & benè viuerent, misit Deus suum Filium in Mundum: ex fine, vt Mundus conuerteretur, misit Apostolos ad prædicandum: ex peculiari affectu ad aliquas prouincias, aut ciuitates misit, & indies mittit prædicatores, qui incolas ad benè operandum prouocent. Ergo credendum est, Deum ex affectu efficaci bonorum operum harum communitatum vt talium moueri ad talia media apponenda secundùm argumenta facta propos. 1. Sed hic affectus non est determinatus circa opera, quæ de facto per talia media obtinentur; quia hæc non sunt bona conuenientia toti communitati; sed tantùm alicui parti eius. Ergo est affectus vagus tendens in opera omnibus, & singulis personis communitatis conuenientia vagè saltem, seu disiunctiuè. Hoc enim genere affectus magis se Deus ostendit beneuolum erga talem communitatem vt talem, quàm, si vel simplici desiderio bona eius opera præoptaret, vel efficaciter tantùm prædefiniret ea determinata opera, quæ ab aliquibus communitatis de facto per medium adhibitum obtinenda sunt. Eàdemque de causâ, quoties Deus priuatæ personæ medium confert aptius ex se ad plura, vel præstantiora opera, quàm illa, quæ causat de facto, credi potest, Deum ex efficaci, & vagâ intentione circa talia opera medium illud conferre: quia sic magis se beneuolus ostendit erga talem personam; dum illi officaciter maius bonum, quàm id, quod assequitur, disiunctiuè saltem, præoptat. Porro huiusmodi prædefinitiones vagæ, seu disiunctiuæ non tollunt alias determinatas eorum operum, quæ de facto obtinentur, sed eas in signo aliquo naturæ antecedunt: sicut voluntas conditionata saluandi Prædestinatos.

Quemadmodùm autem Deus antecedentem voluntatem habet saluandi omnes, quæ prædefinitio quædam est gloriæ efficax, & conditionata, vt plerique censent; & nos probabimus disput. 40. quæst. 1. Ita etiam possunt admitti in Deo prædefinitiones aliquas conditionatas bonorum operum de facto: in quibus etiam sua beneuolentia erga homines specialiter eluceat: sicut elucet in prædefinitione gloriæ conditionatâ, omnibusque communi: ex qua non parum confirmatur propositio nostra quoad prædefinitiones disiunctiuas, maximè, cùm probabile etiam sit, dari de facto prædefinitionem gloriæ vagam, seu disiunctiuam vt videbimus disput. 41. quæst. 3. Mitto alia indicia, & congruentias, quibus propositio hæc confirmari posset, & apud Ruiz loco citato videri possunt. Certiùs autem esse videtur, prædefinitiones, quæ de facto dantur, non esse præscindentes à libertate. Quia, supposito, quòd Deus actus honestos prædefinit, non est, cur illos solùm quoad substantiam physicam prædefiniat; & non itidem quoad honestatem moralem, quæ in suo conceptu inuoluit libertatem. 106

Rogabit aliquis ad extremum huius quæstionis, an ex suppositione, quòd prædefinitio diuina absoluta, & determinata omnino esset necessaria, seu requisita ad actum prædefinitum, cum huius nihilominùs libertate benè posset cohærere. Respondeo, benè posse; dummodò ad potentiam proximam talis actus non sit illa pariter requisita. Quoniam in tali casu mutua connexio, quam actus prædefinitus cum prædefinitione haberet, nec obstaret, quominùs actus prædefinitus posset à voluntate creatâ liber euadere; nec obstaret, quominùs prædefinitio posset à voluntate diuinâ liberè concipi. Nam, vt constat ex generali doctrinâ supra statutâ disput. 30. quæst. 5. propos. 14. quando duo actus positiui duarum voluntatum sunt mutuò connexi inter se, vtrauis potest esse proximè libera ad suum actum ponendum, vel omittendum, qua ratione ibi explicatum, atque probatum est. Iam verò, si prædefinitio sit requisita ad potentiam proximam actus, seu (quod est idem) hæc cum illâ connexa, neutiquam actum posse esse liberum, inde est manifestum: quia potentia proxima actus mediâ prædefinitione erit connexa cum actu ipso: & quoties potentia proxima actus cum ipso actu connexa est, siue immediatâ, siue mediatâ connexione, nullatenus habet locum li- 107

ber-

bertas actus iuxta doctrinam latè stabilitam ibidem proposit. 11. & sæpe aliàs repetitam.

DISPVTATIO 40.

De prouidentiâ Dei supernaturali.

IN hac disputatione eæ sunt nobis examinandæ, atque resoluendæ quæstiones, quarum materia aliqua ratione fuerit communis Prædestinationi, & Reprobationi; quæ potissimæ species sunt Prouidentiæ supernaturalis sumptæ genericè, prout modò eam sumimus.

QVAESTIO I.

Qualis sit voluntas, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri iuxta Apostolum 1. ad Timoth. 2.

1 DVplicem voluntatem distinguunt in Deo Theologi cum S. Tho. 1. par. quæst. 19. artic. 11. alteram beneplaciti; alteram signi. Voluntas beneplaciti est, qua Deus reuerà complacet in aliquo obiecto, illudque amat. Voluntas verò signi dicitur, quæ reuerà in Deo non est, ipsi tamen tribuitur; quia signum aliquod externum datur, quod eam denotare solet, præsertim in nobis. Deinde voluntas beneplaciti rursus distinguitur à Theologis in voluntatem antecedentem; & consequentem. Antecedens est, quam Deus ex se ipso concipit independenter à nostris operibus bonis, aut malis. Consequens autem, quæ nostra opera supponit, ab illisque subinde dependet. De quo vide plura dicta supra disput. 34. quæst. 11. num. 143. & 144.

2 Eo autem posito, certum est, Deum per modum gaudij reuerà complacere in possibilitate gloriæ omnium hominum, vti complacet in eo, quòd sint possibiles cæteræ creaturæ. Deinde est certum, Deum voluntate absolutâ, & efficaci non velle salutem eorum, qui damnandi sunt, neque antecedenter, neque consequenter ad eorum opera: alioquin non damnarentur, sed salui fierent. Solùm est difficultas, an Deus voluntate aliquâ antecedente simplici, vel conditionatâ reuerà per modum desiderij tendat in salutem omnium, etiam Reproborum, eamque intendat verè, & ex animo, adeò, vt ex tali intentione moueatur ad conferendum Reprobis auxilia sufficientia, quæ confert.

3 Prima sententia est, huiusmodi voluntatem circa salutem Reproborum in Deo non dari. Sed tantùm voluntatem signi. Eatenus enim Deum dici velle, vt omnes homines saluti fiant, quatenus omnibus confert auxilia sufficientia ad salutem; non quia reuerà Deus eorum salutem, seu glorificationem desideret. Ita Caiet. in locum Pauli citatum, Bann. 1. par. quæst. 19. artic. 6. conclus. 2. Zumel ibidem disput. 2. Aluar. de Auxil. disput. 23. num. 4. & Basil. Legion. 1. par. Variarum quæst. 6. scholast. Vbi latè defendit hanc sententiam, pro eâque refert nonnullos ex antiquioribus Scholasticis. Secunda sententia docet, reuerà dari in Deo voluntatem aliquam beneplaciti, qua salutem omnium hominum, etiam Reproborum, desiderat, intenditque antecedenter ad eorum opera. Ita tenent Fasolus 1. par. quæst. 19. artic. 6. dub. 1. cum pluribus ex antiquis à se relatis. Sotus in cap. 9. ad Roman. ad illa verba. *Quòd si Deus volens ostendere iram, &c.* & ibid. Stapleton num. 19. Bellarmin. lib. 2. de Grat. cap. 5. Less. disput. de Prædestin. sect. 6. num. 66. Molin. 1. par. quæst. 19. artic. 6. disput. 1. & 2. Vazq. disput. 83. cap. 2. Soar. 1. par. lib. 3. de Attrib. cap. 8. num. 11. & lib. 4. de Prædestin. cap. 1. & 2. & in Opusc. Relect. de Libertate diuina disput. 1. sect. 2. num. 9. Tann. 1. par. disput. 2. quæst. 10. dub. 4. Becan. 1. par. tract. 1. cap. 12. quæst. 1. Arrub. disput. 30. cap. 2. Petauius tom. 1. Theolog. dogmat. lib. 3. cap. 3. Ripalda tom. 3. de Ente supernat. disput. 23. sect. 7. Carmel. discalciati 1. par. quæst. 19. artic. 6. Turrianus Opuscul. 5. de Voluntate Dei disput. 4. Herice disput. 17. cap. 3. & disput. 23. cap. 11. Gran. controuer. 3. de Voluntate Dei tract. 4. disput. 4. Alarc. tract. 3. disput. 6. cap. 3. Albiz disput. 9. de Volunt. sect. 2. Hemelm. tom. 2. tit. 14. disput. 3. cap. 3. Salas 1. 2. tract. 11. disput. 2. sect. 3. Ruiz latissimè tom. de Volunt. disput. 19. 20. & 21. Martinon. 1. par. disput. 20. sect. 3. & 4. Quiros tom. 2. disput. 18. & 19. Carlet. disput. 38. à sect. 1. Ribaden. disput. 6. de Prædestin. cap. 2. & apud eos alij plures. Huiusmodi autem voluntatem liberam esse, aut affirmant, aut supponunt communiter omnes pro ea citati: nec refragatur Vazq. quidquid aliqui censuerint, vt benè notat Alarc. supra num. 22. Addunt plerique contra paucos quosdam, eam esse conditionatam ex parte obiecti: quod latè probat Ruiz ex Scholasticis, & Patribus disput. 20. citata. Recentiores verò, quorum memin mus supra disput 37. quæst. 5. num. 69. dicunt, huiusmodi voluntatem efficacem esse, quantùm est ex parte Dei, prout ibi explicauimus. Vtrùm autem Deus hanc voluntatem saluandi omnes habeat, non solùm antecedenter ad peccatum Adami, sed etiam post illud præuium, sub controuersiâ est. Nam Vazq. disput. 95. cap. 6. cum alijs Recentioribus sentit, post peccatum Adæ præuisum Deum in eius pœnam auxilia etiam sufficientia negare aliquibus paruulis; atque adeò consequenter ad tale peccatum non habere voluntatem saluandi illos, etsi eam habeat antecedenter. Oppositum tamen docent Alarc. supra Arrub. disput. 29. cap. 2. &, quotquot tenent, nulli, etiam paruulorum, negare Deum auxilia sufficientia ad salutem. De quo quæst. 2.

Propositio 1.

4 Deus vero, & formali affectu desiderij vult, vt omnes omnino homines salui fiant. Atque etiam, vt sanctè viuant.

Vtraque pars huius propositionis adeò est expressa, & obuia in sacrâ Scripturâ, vt meritò nonnulli ex Doctoribus pro illa relatis mirentur, quòd aliqui ausi fuerint illi contrauenire. Dicitur enim Ezechiel. 18. *Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus, & non, vt conuertatur à vijs suis, & viuat.* Et cap. 33. *Nolo mortem impij, sed vt conuertatur impius à viâ suâ, & viuat.* Math. 18. *Sic non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* Vbi S. Thom. *Minùs dicit, & plùs significat; quia voluntas eius est, vt saluentur.* Ad Thessal. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* 2. Petri 3. *Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti.*

5 Ssd clarissimè omnium expressit hanc veritatem Paulus 1. ad Timoth. 2. inquiens. *Obsecro igitur primùm omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate: hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines, vult, saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Vnus enim Deus, vnus & mediator Dei, & hominum homo Christus Iesus, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* In quibus verbis contineri veram, & propriam voluntatem Dei beneplaciti circa salutem, ac pietatē omnium omnino hominum, etiam Reproborum, præter Doctores supra citatos docent præstantissimi Scripturæ interpretes ad hunc locum, S. Thom. Dionys. Carthus. Salmeron, Estius, Iustinianus, Cornelius à lapide, & alij. Tenent etiam plurimi Patres, quorum testimonia referunt relati Doctores, præsertim Ruiz, Iustinianus, Petauius, & Ripalda. Hi sunt Damascenus lib. 1. de Fide cap. 29. & in Dialogo contra Manich. sæpe. Hieron. in cap. 1. ad Ephes. ad illa verba, *Secundum consilium voluntatis suæ.* Clemens Rom. lib. 2. Constitut. Apost. cap. 39. Dionysius de Cœlesti hierarchiâ cap. 9. & lib. de Diuin. nomin. sæpe, præsertim cap. 4. Chysost. pluribus in locis, Homil. 7. In Ioan Homil. 15. & 16. ad Roman. Homil. 11. & 21. in cap. 2. Genes. Ad Ephes. serm. 1. Homil. 9. de Laudibus D. Pauli, Homil. 80. in Ioan. & alibi. Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 11. & lib. 11. cap. 21. Nysenus lib. de Oratione dominicâ ad illa verba. *Fiat voluntas tua.* & orat. 10. in Cant. circa medium. Ambros. lib. de Paradiso cap. 8. & in locum Pauli relatum, tum serm. 8. in Psal. 118. & lib. 2. de Cain, & Abel. cap. 9. Anselm. lib. de Volunt. Dei post medium. Laurent. Iustin. lib. de Contemptu mundi cap. 8. Irenęus lib. 4. cap. 71. Hilarius lib. 1. de Trinit. ante medium. Prosper ad Capitula Gallorum cap. 7. & 8. & lib. 1. de Vocatione Gent. à cap. 4. & toto lib. 2. sæpe, præsertim cap. 9. 10. & 14. necnon cap. 23. 24. 25. & 28. & ad Obiectiones Vincentianas respons. 2. 7. & 16. Nec dissentit alijs in locis citatis pro se ab Aduersarijs, vt perpendenti notum fiet. In eâdem sententiâ est S. Thom. multis in locis: videatur in locum Pauli citatum lect. 1. & lib. 3. contra Gentes cap. 159. ad finem, & in 1. dist. 40. quæst. 4. art. 2. & dist. 46. quæst. 1. art. 1. & quæst. 23. de Verit. art. 2. & 1. par. quæst. 19. art. 6. ad 1. Consentit S. Bonau. in 1. dist. 40. art. 3. quæst. 1. ad 1. & dist. 48. art. 2. quæst. 2. in corpore.

Solus Augustinus videtur refragari, quate- 6
nus verba Pauli relata tribus modis interpretatur longè alienis à sensu, quem nos prætendimus, & verba ipsa præ se ferunt. Primus est, Deum velle omnes homines saluos fieri, quicunque salui fiunt. *Sicut integrè loquimur*, (verba sunt eius), *cùm de aliquo litterarum magistro, qui in ciuitate solus est, dicimus; Omnes iste hic litteras docet; non quia omnes discunt, sed quia nemo, nisi ab illo discit, quicunque ibi litteras discit.* Hanc expositionem tradit Augustinus in Euchiridio cap. 103. & lib. 4. contra Iulian. cap. 8. & Epist. 107. ad Vitalem. & lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. Eamque complectuntur Fulgentius de Incarnat. & gratiâ cap. 31. & lib. 2. de Remiss. peccat. cap. 2. Prosper de Libero arbitr. ad Ruffinum post medium; & ad capit. Gallorum obiect. 8. & lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 1. Anselm. & Beda 1. ad Timot. 2. Secunda expositio est, particulam *omnes* capi non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, vti aiunt Dialectici; vt sensus sit, Deum velle, non quòd singuli homines saluentur, sed, quòd ex omni hominum genere saluentur aliqui; puta ex Principibus, ex plebeijs, ex viris, ex fœminis, &c. Hanc habet loco citato Enchiridij, & lib. de Corrept. & grat. cap. 14. Sequunturque Fulgentius, & Prosper. Tertia expositio est, quam tradit lib. de Corrept. & grat. cap. 15. his verbis. *Potest etiam sic intelligi, quòd omnes homines vult Deus saluos fieri, quoniam nos facit velle: sicut misit Spiritum Filij sui clamantem Abba Pater, id est, nos clamare facientem.* Cæterùm per hasce expositiones non excludere Augustinum sensum genuinum verborum Pauli, quem cæteri Patres amplectuntur, de voluntate beneplaciti antecedente, quam Deus habet saluandi omnes, nullo dempto, argumento est; quòd sæpe alijs in locis hanc voluntatem admittit in Deo ipse Augustinus, vt videre est lib. 3. de Liber. arbitr. cap. 19. & lib. de Natur. & grat. cap. 67. & lib. de Spirit. & litt. cap. 33. Vnde ad loca hæc videtur S. Doctor referri, cùm lib. de Corrept. & grat. cap. 14. antequam proponeret secundam, & tertiam expositionem relatam, præmittit. *Quod scriptum est, quòd vult, omnes homines saluos fieri, nec tamen omnes salui fiunt; multis quidem modis intelligi potest, ex quibus in alijs opusculis nostris aliquos commemoranimus: sed hic vnum dicam.* Accedit, quòd Prosper, Anselmus, Beda, & cæteri Patres Augustiniani nostram expositionem tanquam Augustinianam, cohærentemque cum cæteris ab Augustino datis recipiunt. Etenim, vt notat S. Thom. in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. ad 1. Augustinus tribus expositionibus prædictis de voluntate propriâ Prædestinatorum, atque adeò absolutè efficaci interpretatur verba Apostoli: quo non excludit voluntatem antecedentem communem etiam Reprobis, cuius alijs in locis meminit, quamque textus Apostoli clarè præ se fert. Tali enim voluntate exclusâ, non benè tres dictæ expositiones constare possent, vt benè ponderat supra noster Iustinianus. Itaque tot modis videtur Augusti-

gustinus verba Apostoli interpretatus, vt indicaret, in illis plenam voluntatem Dei contineri circa salutem hominum iuxta vniuscuiusque gradum, & capacitatem: nimirum erga omnes antecedentem, & absolutè inefficacem; erga Prædestinatos verò consequentem, & efficacem absolutè. Ex quo patet, Augustinum parum, aut nihil fauere sententiæ oppositæ.

7 Iam verò sensum litteralem verborum Pauli planè esse, quem nos contendimus, præter auctoritatem tot Patrum, & Interpretum id asserentium satis apertè, verba ipsa præ se ferunt iuxta rigorem, & proprietatem sermonis, à qua in exponendâ sacrâ Scripturâ non licet recedere secundùm regulam Augustini ab omnibus receptam lib.3. de Doctrinâ Christianâ cap. 10. nisi, quando ex retentiâ verborum proprietate cogimur in absurdum; quale in præsenti nullum sequitur ex admissâ in Deo voluntate beneplaciti circa salutem omnium hominum. Contextus etiam Pauli relatus id ipsum manifestat. Dum enim dicit Apostolus, acceptum esse coram Deo, qui vult omnes homines saluos fieri, vt vitam quietam, & tranquillam agamus in omni pietate, & castitate, planè significat acceptum, & gratum esse Deo vt rectè viuamus, & saluemur; atque adeò Deum id ipsum optare ex animo verâ voluntate beneplaciti. Et dum eodem tenore verborum dicit Apostolus, Deum velle, vt omnes salui fiant, ac dixerat prius pro omnibus orandum esse, subditque postmodùm, Christum dedisse se redemptionem pro omnibus, apertè denotat, nullum omnino hominum excludi à voluntate, quam Deus habet, salutis omnium; cùm certum sit, nullum ab oratione debere excludi; & Christum pro omnibus omnino, & singulis oblatum esse redemptorem. Ex quibus liquet, per voluntatem efficacem, qua Deus omnibus hominibus confert auxilia sufficientia ad bene viuendum, quæ tantùm est voluntas signi respectu operum pietatis, & gloriæ eorum, nullatenus posse satisfieri sensui litterali Scripturæ, vti contendunt Auctores oppositæ sententiæ; sed necessariò admittendam esse in Deo voluntatem beneplaciti, qua vult, vt omnes, & singuli homines salui fiant, & sanctè viuant.

8 Modò à ratione probemus propositionem datam. Primò; quia totum fundamentum, quo Aduersarij nituntur ad negandum Deo voluntatem beneplaciti circa salutem Reproborum, est; quia putant, impossibile esse, vt voluntas Dei beneplaciti non impleatur. Hoc autem fundamentum inane est: quia negari nequit, esse in Deo voluntatem beneplaciti, qua vult, vt homines adimpleant præcepta ab ipso imposita; quandoquidem pro eodem sæpissimè accipitur in Scripturâ, implere præcepta diuina, & facere, seu implere voluntatem Dei, vixque præcepta sine huiusmodi voluntate à fraude, & fictione liberari possunt. Et tamen talis voluntas toties non impletur, quoties præcepta ipsa franguntur. Decretum etiam, quo Deus cum causis liberis concurrit, voluntas beneplaciti est; & tamen iuxta communiorem sententiam, cùm sit antecedens, & indifferens, sæpissimè non habet effectum; toties videlicet, quoties causa libera liberè omittit operationem. Igitur non repugnat voluntas beneplaciti in Deo, quæ non impleatur. Hac autem repugnantiâ sublatâ, non est, cur negetur, Deum reuerâ desiderare salutem æternam, iustificationemque, & sanctitatem omnium omnino hominum. Siquidem obiecta hæc valde sunt amabilia in se, amorque, & desiderium eorum valde commendat bonitatem, pietatem, misericordiam, beneuolentiamque Dei erga homines ipsos, eriam eos, qui suâ culpâ reprobandi sunt. Accedit, quòd sine huiusmodi voluntate ægrè liberari possunt à simulatione, & fictione plurimæ inuitationes ad pœnitentiam, & ad æternam salutem, quibus Deus omnes, etiam Reprobos, inuitat in sacrâ Scripturâ, aliaque signa eximiæ charitatis, ac liberalitatis Dei erga ipsos. Pacta etiam conditionata plurima, quibus Deus promittit hominibus bona gratiæ, & gloriæ; qualia sunt illa Math.19. *Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.* Et Ioan.8. *Si quis sermonem meum seruauerit, mortem non videbit in æternum.* Et Ioan.12. *Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus, &c.* Hæc, inquam, pacta delusoria viderentur sine voluntate antecedente adimplendi illa, seu conferendi donum sub conditione promissum.

Secundò. Deus quasi coactus, & renitens 9
damnat, & punit peccatores iuxta illud Bernardi serm.5 in Natali Domini. *Nam quod iudicat, & condemnat, nos eum quodammodò cogimus.* Quod etiam docent alij Patres apud Ruiz disp. 19. de Voluntate sec.1. & sequentibus, & disp. 21. sec. 2. Valdeque congruit Scripturis sacris varijs in locis, vt benè ex sententiâ Patrum ponderat ipse Ruiz ibi. Hoc autem verum non esset, nisi Deus verâ voluntate antecedente vellet, quantùm in se est, vt homines non damnarentur, sed salui fierent. Quam etiam voluntatem opprimè arguunt in Deo affectus alij, qui ei in Scripturâ tribui solent: vt dolor, & tristitia de perditione, & peccatis hominum, gaudium de eorum iustitiâ, & salute; nam tristitia, & dolor de bono non consequuto supponit eius desiderium: quod etiam supponit gaudium de bono ipso adepto. Sed de his plura Ruiz disp. 21. citatâ per totam.

Tertiò. Qui vult media formaliter vt vti- 10
lia ad finem, non potest non intendere, & amare finem verâ, & formali voluntate. Sed Deus vult media salutis omnium omnium hominum vt vtilia ad eorum salutem. Ergo necesse est asserere, eum verâ, & formali voluntate intendere salutem omnium. Consequentia est nota. Maior constat ex doctrinâ datâ disput.36. Minor ostenditur primò in medijs vniuersalibus; qualis fuit Incarnatio Christi Domini, & passio eius, sacramenta, predicatio eius, &c. Constat enim ex Scripturâ, Christum pro omnibus mortuum esse, id est, vt omnes suis meritis saluos faceret; eoque fine fuisse à Patre deditum Mundo. De quo latè, & eruditè Ruiz disput.20. de Voluntate sect.6. & sequentibus. Nouissimèque definitum est ab Innocentio X. contra Iansenium in Bulla edita anno 1653. quæ incipit. *Cum occasione*. Vbi decernitur. *Christum Dominum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse; & sanguinem fudisse.* Id quod expressit Paulus 1. ad Timoth.2. dicens. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus* Et 1. Ioan. 2. dicitur. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi.* Vnde etiam constat, ipsum pro omnibus instituisse sacramenta, & sui Euangelij prædicationem indixisse. Quocirca dixit Marc.16. *Prædicate Euangelium omni creaturæ.* Secundò id ipsum ostenditur in medijs specialibus prouisis à Deo, etiam Reprobis, qua-

qualia sunt auxilia gratiæ tum internæ inspirationis, tum externæ protectionis. De quibus sæpe in Scripturâ diuinâ dicitur, conferri à Deo, vt homines conuertantur, & viuant, suamque salutem obtineant.

11 Adde, Deum de facto suâ ordinatione omnes homines ad finem supernaturalem suæ æternæ beatitudinis euexisse, & eleuasse, vt est certum. Hæc autem ordinatio, & eleuatio constare non potest sine aliquâ verâ intentione, qua Deus intenderit, omnibus æternam salutem conferre, vt satis notum est.

12 Iam argumenta, quibus Aduersarij ducuntur ad negandum Deo prædictam voluntatem beneplaciti eò præcipuè tendunt, vt probent, esse imperfectionem in Deo, habere aliquam voluntatem per modum desiderij, quæ non impleatur. Hoc tamen non est censendum, imperfectio, quando non nascitur ex impotentiâ, aut ignorantiâ, aut negligentiâ, sed ex libertate desiderantis, vti accidit in Deo; qui iustissimis de causis non voluntate absolutè efficaci, sed desiderio tantùm simplici, aut conditionato optat salutem omnium hominum, quod sine vllâ imperfectionis notâ optimè sine effectu desiderato potest consistere. Quomodò autem huiusmodi desiderium non sit incompatibile cum voluntate efficaci, qua Deus post præuisa peccata excludit Reprobos à gloriâ, supra disp. 37. quæst. 10. propos. 1. explicauimus. De quo plura apud Ruiz disp. 20. citatâ sec. 4. & 5. Vnus Basilius Legionensis probat, impossibilem esse in Deo voluntatem beneplaciti circa salutem Reproborum, sicut & quamlibet aliam simplicem liberam, ex eo, quòd nullum dari potest ad extra connotatum contingens, quo talis voluntas compleatur. Est enim hic auctor ex factione Connotantium, qui per connotata ad extra affectus Dei liberos complent, Absurè tamen quoad hoc discedit à cæteris Connotantibus, Vazq. Arrub. Turrian. Herice, Alarc. & alijs. Qui non audentes negare Deo voluntatem liberam saluandi omnes, eam nihilominùs componunt cum suâ sententiâ de connotatis. Vel quia est voluntas indiuisim terminata tum ad salutem hominum, tum ad auxilia illis collata, vt censent Arrub. & Herice: quo pacto connotatum contingens eius sunt ipsa auxilia. Vel quia est voluntas, qua amatur salus hominibus prout existentibus, vt explicant Turrian. & Alarc. qua ratione connotatum contingens talis voluntatis est existentia ipsorum hominum. Præterquàm quòd resolutio præsentis controuersiæ non debet speciali opinioni, & minùs probabili de connotatis alligari. In sententiâ autem non Connotantium, sine vllâ difficultate concipitur, quomodò quilibet actus diuinæ voluntatis absque vllâ obiecti contingentiâ possit liber euadere.

Porrò, prædictam voluntatem de salute, 13 & sanctitate omnium hominum esse in Deo liberam ex argumentis factis colligitur. Nam loca Scripturæ, & Patrum, quibus illa adstruitur; necnon rationes traditæ theologicæ, quibus confirmatur, apertè indicant, aut supponunt, eiusmodi voluntatem esse beneficium quoddam Dei erga homines, quod Deus posset illis negare, si vellet: esseque principium, & fundamentum cuiusdam supernaturalis prouidentiæ erga illos, à qua liberè posset Deus abstinere. Ob idque omnes Theologi, qui talem voluntatem admittunt, imo & qui negant, aut affirmant, aut supponunt, eam liberam esse.

Quomodò autem voluntas hæc non tendat 14 in meram possibilitatem salutis hominum per modum complacentiæ, sed in existentiam eius per modum desiderij, constat ex dictis. Quia Deus per hanc voluntatem non complacet, quòd sit possibilis salus hominum, sed desiderat, vt ea existat. In quo Doctores nostræ sententiæ communiter conueniunt contra Salazar tom. de Concept. cap. 24. §. 3. sect. 4. num. 71. putantem, hanc voluntatem terminari ad salutem hominum abstractum ab existentiâ.

Addo contra Vazq. citatum num. 3. etiam 15 post præuisum peccatum Adæ perseuerare in Deo voluntatem saluandi omnes eius posteros. Quia, licèt demus in pœnam eius peccati negare Deum aliquibus paruulis auxilia proximè sufficientia ad salutem, de quo quæst. 2. nulli tamen negat media vniuersaliora passionis, & meritorum Christi. Quod argumento est, adhuc eis omnibus desiderare salutem, ad quam ea media ordinantur. Sed estò negaret omnia media, non esset firmum argumentum ad affirmandum illis non optare salutem; quia voluntas, qua Deus omnibus vult salutem, non determinat ipsum ad media aliqua ponenda, vt statim ostendam; atque adeò perseuerare in Deo posset, etiam respectu eorum, quibus nulla media conferrentur. De factoque dicendum esset perseuerare propter locum Pauli citatum, iuxta quem dicendum proculdubio est, Deum omnibus hominibus, dum viuunt, salutem æternam desiderare, quantumuis illi peccatis etiam proprijs videantur infecti: quandoquidem nullus est, pro quo, dum viuit, non sit orandum, quique non habeat remedium in Christo redemptore. Nec putet aliquis, verba illa Pauli, *Vult omnes homines saluos fieri*, limitari ad adultos propter alia, qua sequuntur, *& ad agnitionem veritatis venire*; quæ non videntur paruulis conuenire. Nam per *agnitionem veritatis*, aut potest intelligi visio beata, vt exponit August. lib. 4. contra Iulianum cap. 8. vel potest intelligi fides tum habitualis propria, tum actualis Ecclesiæ, ad quam paruuli venire dici possunt, dum veniunt ad Baptismum. Vel certè, etsi alia cognitio intelligatur paruulis non conueniens, non ob id putandum est, per posteriorem clausulam limitatam esse priorem; quæ in rigore, & proprietate vniuersalis est; sed ambas cum distributione, accommodâ intelligendas esse iuxta subiectorum capacitatem. Maximè, cùm aliæ ponderationes circa contextum supra factæ de oratione pro omnibus fundendâ, & de redemptione Christi Domini omnibus communi, satis apertè ostendant, prædictam clausulam priorem, etiam paruulis conuenire. Quod etiam sentiunt Patres, & Interpretes, atque Doctores pro sententiâ nostrâ relati cum Augustino dicente supra. *Nunquid paruuli homines non sunt, vt non pertineant ad id, quod dictum est, vult omnes homines saluos fieri?* Vide Soar. lib. 4. de Prædest. cap. 4. num. 5. & Ruiz disput. 49. de Prædest. sect. 2.

Stat ergo ex dictis, Deum verâ voluntate 16 beneplaciti antecedente desiderare, vt omnes & singuli homines salui fiant: atque etiam vt piè viuant, si adulti sunt. Superest videndum modò, an hæc voluntas sit ex parte obiecti conditionata, vel absoluta: & an sit aliqua ratione intrinsecè efficax.

Pro-

Propositio 2.

17 Voluntas antecedens, qua Deus desiderat, vt Reprobus conuertatur, & piè operetur, quaque mouetur ad dandum illi auxilium purè sufficiens, non est ex parte obiecti conditionata. Neque aliter esse potest intrinsecè efficax.

Constat hæc propositio ex doctrina tradita supra disp. 37. quæst. 5. num. 71. Quoniam, vt dicebamus ibi, non est excogitabilis conditio, sub qua Deus efficaciter velit, vt conuertatur Reprobus, aut benè operetur, & cuius purificationis defectu conuersio, aut bonum opus intentum non obtineatur. Talis enim esse non potest ipsa conuersio, aut bonum opus, vt notum est: nam Deus nequit velle, vt Reprobus benè operetur sub conditione, quòd benè operetur, vt patet. Neque esse potest auxilium, quod Deus confert ad obtinendum bonum opus. Quia iam, purificatâ conditione, necessariò sequeretur opus ipsum contra suppositionem: id enim fert secum natura voluntatis Dei efficacis conditionatæ, vt constat. Aliud autem, quod possit esse conditio, imaginabile non est. Hinc constat secunda pars propositionis. Nam, si voluntas prædicta est absoluta ex parte obiecti, non potest respectu obiecti intrinsecè efficax esse, non solùm absolutè, & simpliciter, sed neque, quantùm ex parte Dei est, ita vt Deum necessariò determiner ad ponenda media, vt contra Recentiores supra commemoratos satis, superque monstrauimus loco citato, cuius doctrina modò recognoscenda, non repetenda est. Dico, talem voluntatem intrinsecè, & suapte naturâ, non esse efficacem: quia extrinsecè, & accidentariè, nil vetat, eam efficacem vocari, seu potiùs efficientem respectu auxilij, quod Deus per illam motus liberè confert, & posset, si vellet, non conferre. Quòd si dicta voluntas nec conditionatè, nec absolutè efficax est, relinquitur, vt sit prorsus simplex, & absoluta. Nam simplex, & conditionata sine fundamento, & sine fructu adstrueretur, etiam si ea sit possibilis. Quod valdè est dubium propter defectum idoneæ conditionis.

18 Hinc constat, quoties Deus ex intentione operis boni confert auxilium tantùm sufficiens, non posse non talem intentionem esse absolutam, & prorsus simplicem intrinsecè. Id quod etiam dicendum est de intentione antecedenti operis boni, quod Deus assequitur per auxilium efficax apud eos, qui de facto non admittunt prædefinitiones efficaces: quia, his sublatis, eodem modo intendit Deus opus bonum, quod obtinet per auxilium efficax, ac opus bonum, ad quod confert auxilium dumtaxat sufficiens. Ex quo rursus sequitur, nihil obesse, quominùs ex intentione absolutâ, & simplici gloriæ possit Deus moueri ad danda omnibus media gratiæ iuxta doctrinam generalem datam disput. 36. quæst. 4. propos. 1. De facto tamen aliter videtur dicendum, vt iam iam probo.

Propositio 3.

19 Voluntas, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, conditionata, & efficax est: optat enim Deus vehementer, vt saluentur omnes, si non steterit per ipsos, vel si decesserint in gratiâ.

Talis voluntatis Dei possibilitas supponitur ex generali doctrinâ de decretis Dei conditionatis tradita disput. 34. quæst. 8. Propositioque subinde tantùm agit de facto; ob idque ab auctoritate præcipuè probanda venit, quæ in quæstionibus de facto potissimum argumentum est. Auctoritas autem imprimis sumitur ex omnibus ijs locis Scripturæ, quorum mentionem fecimus supra num. 8. Vbi Deus sub aliqua conditione pacisci tur cum hominibus, eisque promittit suam gloriam, promissio enim conditionata voluntatem conditionatam, & efficacem fert secum implendi promissum, saltem secundùm connaturalem, communemque promittendi modum; idque verba ipsa promissoria denotant iuxta communem acceptionem; quæ proinde ficta censentur, dum talis voluntas non adest in promittente. Accedit auctoritas Patrum. Ambrosius enim in 1. ad Timot. 2. ideo, dicit, voluntatem, quam Deus habet saluandi omnes, in Reprobis non impleri, quia deest conditio, quæ in eâ latet. *Vult enim*, inquit, *Deus omnes saluos fieri, sed si accedant ad eum: non enim sic vult, vt nolentes saluentur; sed vult illos saluare, si & ipsi velint.* Idem disertis verbis docent Hieron. ad eundem locum, Anselm. Math. 6. ad illa verba. *Fiat voluntas tua*. Fulgent. lib. 1. de Remiss. peccat. cap. 11. & S. Thom. in 1. dist. 46. quæst. 1. art. 1. Consentiunt Beda lib. Variarum quæstionum quæst. 13. in fine. Athanas. de Passione, & cruce Domini pag. 2. August. in Enchirid. cap. 104. & alij. Accedunt præterea plerique Scholastici, qui in Deo adstruunt voluntatem beneplaciti saluandi omnes, docentes, eam esse ex parte obiecti conditionatam, vt supra n. 3. notauimus: quorum longum syllabum, præter citatos ibi, habet Ruiz disp. 20. de Voluntate sect. 1. num. 15.

20 Ratione item non contemnenda potest probari propositio. Quia, vt ex sacris Litteris, ex ipsâque infinitâ Dei bonitate planè colligitur, Deus ardentissimo amore diligit omnes homines. Cùm ergo ardentissimè amantis proprium sit, velle amato communicare bona, quàm efficaciter fieri possit; credendum proculdubio est, Deum potissimum omnium bonorum æternæ suæ beatitudinis omnibus hominibus communicare velle totâ eâ suæ voluntatis efficaciâ, quæ compatibilis est cum ordinariâ suâ, connaturali, atque ordinatissimâ prouidentiâ, quæ quidem (ne rebus vim extraordinariam, aut minùs connaturalem inferat) multos homines ipsorum culpâ perire permittit. Cum huiusmodi autem prouidentiâ, si non absoluta, conditionata tamen efficacia in voluntate diuinâ saluandi omnes est compatibilis. Eam igitur in illâ dari de facto censendum est.

21 Sed dicet aliquis. Non minùs ardenter eisdem ex titulis credendus est Deus desiderare de quouis homine, vt sanctè viuat, quàm, vt saluus fiat. Et tamen voluntas, qua Deus desi-

de-

siderat, vt Reprobus conuertatur, & piè operetur, non est adhuc conditionatè intrinsecè efficax, sed merè simplex iuxta propos. 2. Ergo tantumdem est dicendum de voluntate saluationis cuiusuis hominis. Respondeo inter has duas Dei voluntates magnum ad rem esse discrimen. Nam voluntas de operatione hominis obiectum habet exequendum pro liberâ determinatione voluntatis alienæ ipsius hominis: voluntas verò saluationis hominis obiectum habet exequendum pro liberâ determinatione voluntatis propriæ ipsius Dei. Vnde, vt prima in genere suo sit ardentissima, quantùm citra efficaciam absolutam possibile est, sufficit, quòd sit tantus conatus in sanctam operationem hominis, vt moueat cum effectu Deum ad dandum illi auxilium sufficiens ad sanctè operandum: siquidem conditionatè efficax esse non potest iuxta dicta propos. 2. Secunda verò, nisi esset conditionatè efficax, vt potest, non censeretur in genere suo esse ardentissima, quantum citra efficaciam absolutam possibile est. Talem ergo esse de facto prorsus censendum est.

22 Dubitari tamen hìc potest, an, sicut Deus habet voluntatem antecedentem conferendi omnibus hominibus gloriam, si habuerint merita; habeat etiàm voluntatem antecedentem damnandi omnes homines, si habuerint demerita, seu peccata: quod obiectum etiam est amabile à Deo. Respondeo, estò ea voluntas sit Deo possibilis, de quo disput. 44. non esse tamen fundamentum ad illam adstruendam de facto: potiùs ad illam negandam. Primò; quia Deus non habet à se vnde inclinetur ad volendum malum hominibus; vti à se habet, vnde inclinetur ad volendum eis bonum. Secundò: quia Patres, dum communiter dicunt, Deum per peccata hominum trahi, vt eos damnet, & puniat, clarè supponere videntur, ante absolutam existentiam peccatorum Deum nullam concipere voluntatem damnandi quemquam. Id quod exprimunt Damascenus, & alij, qui dicunt, voluntatem puniendi peccata esse semper consequentem. Nec comminationes Scripturæ talem indicant voluntatem. Quia comminatio, sicut non obligat ad insligendum malum comminatum; eo quòd tantùm est quædam eius prædictio, ita neque arguit voluntatem illud exequendi. In quo differt à promissione, vt docet Soar. Relect. de Libertate diuinâ disput. 2. sect. 2. à num. 35.

QVAESTIO II.

Vtrùm Deus omnibus hominibus prouideat media sufficientia ad salutem.

23 DVas habebit partes hæc quæstio. Prima aget de hominibus adultis, qui ad vsum rationis perueniunt. Secunda de paruulis decedentibus ante illum. Circa primam conueniunt Theologi, Deum omnibus, & singulis adultis, qui vsum rationis adepti sunt, (de perpetuò enim amentibus ab infantiâ idem est, ac de paruulis), aliquod auxilium gratiæ prouidere sufficiens, vt possint consequi salutem, si per ipsos non steterit. Ita S. Tho. lib. 3. contra Gent. cap. 159. & quæst. 14. de Verit. artic. 11. & 3. par. quæst. 86. artic. 1. S. Bonauen. in 2. distinct. 28. artic. 1. quæst. 3. Scot. in 1. distinct. 46. Bellarmin. lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 5. & sequentibus. Molin. 1. par. quæst. 19. artic. 6. disput. 1. & in Concord. quæst. 14. artic. 13. disput. 10. Valent. 1. par. disput. 1. quæst. 23. punct. 4. sub finem, & latiùs 1. 2. quæst. 3. punct. 4. Soar. lib. 4. de Prædestin. cap. 3. Vazq. 1. par. disput. 97. cap. 3. Herice disput. 34. à cap. 4. Less. disput. de Prædestin. sect. 6. Arrub. disput. 90. cap. 2. Tann. tom. 2. disput. 6. quæst. 2. dub. 2. Eann. 1. par. quæst. 23. artic. 3. dub. 3. & ibi Zumel à quæst. suâ 3. Aluar. de Auxil. disput. 112. Franc. de Lugo de Deo disput. 43. cap. 1. Quiros tom. 2. disput. 19. sect. 5. Carlet. disput. 38. sect. 4. & alij.

Circa secundam partem quæstionis Vazq. 24
1. par. disput. 96. cap. 2. cum Gregor. Ricard. Gabri. & alijs docet, non omnibus paruulis fuisse à Deo prouisa media sufficientia ad salutem. Oppositam tamen sententiam tenent Bellarmin. Valent. Less. Tann. & Quiros vbi supra. Soar. cap. 4. Arrub. disput. 91. cap. 3. Herice disput. 35. cap. 2. Franc. de Lugo cap. 3. Carlet. sect. 8. & alij communiter.

Propositio 1.

Deus auxilia sufficientia ad obti- 25
nendam salutem prouidet omnibus omnino adultis, qui vsum rationis adepti sunt.

Probatur primò ex illo Ioan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum.* Lumine scilicet gratiæ suæ, vt communiter exponunt Patres. Cui si nullus homo resisteret, nullus periret. Vnde Ambros. serm. 8. in Psalm. 118. de sole iustitiæ, & pluuiâ gratiæ interpretatur illud Math. 5. *Qui solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super iustos, & iniustos.* Et Clem. Alex. Orat. ad Gent. ait. *Lux est communis, omnibus illuxerit hominibus.* Id quod latiùs prosequuntur Chrysost. homil. 7. in Ioan. & Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. Vbi cap. 10. ad illud Pauli 1. ad Timoth. 4. *Qui est Saluator omnium hominum.* dicit. *Est Saluator omnium hominum: quia dat omnibus, vnde saluari possint.* De quo plura in Bellarmino videri possunt loco citato.

Secundò probatur ex locis Scripturæ su- 26
pra à num. 4. indicatis; quibus adstruitur voluntas, quam Deus habet, vt omnes homines saluentur, & nullus pereat. Ex hac enim Dei voluntate manifestè colligitur, talem erga omnes homines consequenter esse debere Dei prouidentiam, quæ non patiatur vllum eorum medijs ad suam salutem consequendam sufficientibus manere destitutum. Quæ prouidentia pariter clarè deducitur ex illâ ordinatione, qua Deus electos omnino homines ad finem supernaturalem æternæ suæ beatitudinis, ordinauit, & eleuauit, vt fide sanctum est. Frustranea siquidem foret tum illa vniuersalis voluntas, tum hæc ordinatio respectu eorum, quibus de nullis medijs sufficientibus ad beatitudinem consequendam prouisum esset.

Tertiò probatur propositio ex illo alio 27
fidei dogmate, quo credimus, Christum Dominum pro redemptione omnium omnino hominum

in

in Mundum veniſſe; & ſanguinem ſuum pretioſum fudiſſe, Sacramenta inſtituiſſe, prædicationem Euangelij indixiſſe, aliaque media vniuerſalia adhibuiſſe, prout dictum num. 10. Nam quid profuiſſent tantæ expenſæ; aut qua veritate dici poſſent pro illis factæ, quibus nullum particulare medium, nullum auxilium datum eſſet, quo redderentur ſufficienter potentes ad illarum fructum comparandum, ſi vellent?

28 Quartò probatur. Quia certum ſecundùm fidem eſt, quemlibet hominem rationis compotem, quando peccat, auxilium ſufficiens habere ad vitandum peccatum iuxta illud Eccleſiaſt. 15. *Ne dixeris per Deum abeſt.* Et illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodò in me auxilium tuum.* Alioquin præceptum, quod homo tranſgreditur, quando peccat, illi eſſet obſeruatu impoſſibile. Cuius oppoſitum eſt definitum contra hæreticos in Trident. ſeſſ.6.cap.11. & Can.18. Nouiſſimèque ab Innocent. X. in ſuâ Bullâ contra Ianſenium citatâ ſupra num. 10. Tum nemo vnquam ad peccandum libertatem haberet, contra definitionem eiuſdem Trident. datam in eâdem ſeſſ.6. Can.5. & conſequenter neque vllus vnquam peccaret. Quia ſine auxilio ſufficiente ad non peccandum neque libertas ad peccandum, neque peccatum eſſe poſſunt, vt conſtat. Si igitur nulli hominum vnquam deeſt auxilium ſufficiens ad non peccandum, conſequens eſt, vt nulli deffi iat auxilium ſufficiens ad ſalutem. Nam quicunque nunquam peccaret, citra omne dubium ſaluaretur, vt ex mox dicendis patebit. De quo etiam plura apud Bellarm. vbi ſupra cap.7.videri poſſunt.

29 Obijcitur tamen primò contra propoſitionem. Multi ſunt Infideles, ad quos notitia Euangelij nunquam peruenit: adeòque myſteria fidei nullatenus credere potuerunt. *Sine fide autem impoſſibile eſt placere Deo.* ad Hebræ. 11. Ergo his medium ſufficiens ad ſalutem prouiſum non eſt. Reſpondent Theologi communiter cum S.Tho. quæſt.14. de Verit. artic. 11. & lib.3.contra Gent. cap.156. licèt eiuſmodi Infideles non habeant auxilium ſufficiens ad proximè credendum myſteria fidei, eos tamen auxilio ſufficiente ad ſalutem diſtitutos non eſſe. Quia multa habent auxilia Dei ſufficientia tum ad legem naturalem ſeruandam, tum ad naturaliter cognoſcendum, amandumque vnum auctorem, gubernatoremque Vniuerſi, tum ad exercendos actus virtutum moralium: quæ auxilia ſi efficacia redderent ſuis conſenſibus, vti poterant; eis cætera media neceſſaria ad obtinendam cum effectu ſalutem fuiſſent à Deo citra omne dubium prouiſa. Ob id Apoſtolus ad Rom.1. dicit, eos inexcuſabiles eſſe.

30 Secundò obijcitur. Sine dono perſeuerantiæ nemo ſaluari poteſt. Sed Reprobo deeſt tale donum. Ergo medium ſufficiens ad ſalutem. Reſpondeo, deeſſe quidem Reprobo donum perſeuerantiæ, quatenus ei deeſt auxilium efficax ad perſeuerandum: non tamen deeſſe ei medium ſufficiens ad ſalutem: nam tale eſt auxilium ſufficiens ad perſeuerandum; quo nunquam caret.

31 Tertiò obijcitur. Aliqua ſunt peccata irremiſſibilia iuxta illud ad Hebræ 6. *Impoſſibile enim eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, &c. & prolapſi ſunt, rurſus renouari ad pœnitentiam.* & illud Marc. 3. *Qui autem blaſfemauerit in Spiritum ſanctum, non habebit remiſſionem in æternum.* Ergo, qui ſemel committit talia peccata, non habet vlterius auxilium ſufficiens ad ſalutem. Nego antecedens. Nam, vt ait S.Tho.3.par. quæſt. 86. artic. 1. *Dicere, quod aliquod peccatum ſit in hac vitâ, de quo quis pœnitere non poſſit, erroneum eſt. Quod autem non poſſit per veram pœnitentiam aliquod peccatum remitti, eſt etiam erroneum.* Vt enim Concil. Lateran. in cap. *Firmiter.* definit. *Si poſt ſuſceptionem Baptiſmi quiſquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentidm reparari.* Id quod ſupponitur in ſacris Litteris Sapien.11. & 12. ſæpeque alibi; & vbicunque Deus abſque vllâ exceptione omnes peccatores inuitat ad pœnitentiam. Vnde patet, per argumentum factum nihil probari. Loca quippe Scripturæ, quæ opponit, tantùm ſignificant aut magnam difficultatem, aut etiam impoſſibilitatem moralem remiſſionis peccatorum, de quibus agunt: quæ phyſicam poſſibilitatem, ac ſufficientiam non excludit. Circa quæ Interpretes ſunt videndi. Mitto alia quæ in Bellarm. cap. 8. videri poſſunt.

Propoſitio 2.

Omnibus etiam omnino paruulis prouidet Deus media ſufficientia ad ſalutem. 32

Hanc propoſitionem planè probant ſecundum, & tertium argumentum facta pro primâ. Nam dogmata, in quibus fundantur, paruulis, & adultis communia ſunt, vt eſt manifeſtum. Quare non eſt, cur immoremur in eâ amplius comprobandâ.

Contra illam tamen eſt. Quòd multi ſunt paruuli, quibus nullâ humanâ induſtria potuit Baptiſmum applicari; vel quia mortui in vtero materno: vel quia nati, vbi, & quando, fuit impoſſibile, ante mortem eis adminiſtrari Baptiſmum; vel quia mortui inter infideles Baptiſmum ignorantes. Qui omnes proinde perire videntur remedio ſufficiente ad ſalutem penitus deſtituti. 33

Reſpondent aliqui, ad hoc, vt eiuſmodi paruuli dicantur medio ad ſalutem ſufficiente deſtitutos non eſſe, ſufficere, quòd generalia remedia inſtitutionis ſcilicet, publicationis, & præceptionis Baptiſmi pro omnibus à Deo fuerint prouiſa ex intentione, deſiderioque antecedente, vt omnibus omnino proc eſſent: præter quam intentionem, adeòque per accidens eſt, quòd multis de facto non profint, id impediente curſu ordinario, concurſuque cauſarum naturalium, quem Deus, ſpectatâ ſuâ ordinariâ, connaturalique prouidentiâ rerum, non debet alterare. 34

Alij verò reſpondent melius, ad paruulorum parentes pertinere curam ſalutis eorum perinde, ac propriæ; ſubindeque parentum operibus liberis vtramque eſſe alligatam. Vnde, ſicut adultus carens auxilio proximo ad fidem, ſine qua ſaluari non poteſt, non ob id dicitur carere auxilio ſufficiente ad ſalutem; cùm habeat auxilia ſufficientia ad diuertendum à malo, & faciendum bonum, quibus ſi benè vteretur, ei citra dubium de cæteris requiſitis ad ſalutem, deque ipsâ ſalute prouideretur, iuxta dicta circa propoſitionem 1. Ita paruulus carens auxilio pro- 35

ximo ad recipiendum Baptismum, sine quo saluari non potest, non ob id dicendus est carere auxilio sufficiente ad salutem; cùm eius parentes auxilia sufficientia habuerint ad ea præstanda, quæ si præstassent, de Baptismo, deque salute paruulo ipsi citra dubium prouisum esset. Pro qua doctrinâ stat S. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 23. dum ait. *Non irreligiosè, arbitror, credi, quòd isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper vniuersis est impensa nationibus; qua vtique si benè vterentur eorum parentes, etiam ipsi per eosdem iuuarentur: omnia namque exordia paruulorum, totaque illa principia necdum rationalis infantiæ sub arbitrio iacent voluntatis alienæ.*

36 Hìc dubitant aliqui, quomodò fieri possit, vt Deus ex seriâ intentione salutis, bonæque operationis hominis conferat illi auxilium sufficiens, præsciens, non sortiturum illud effectum intentum. Videtur enim à prudentiâ prorsus alienum, atque adeò Deo impossibile, seriò, & ex animo medium apponere ad consequendum defideratum finem, quod clarè ad id muneris præuidetur prorsus inefficax. Quandoquidem frustra, & inaniter, atque adeò stultè, & contra rationem eligitur medium propter finem, qui certò præscitur non obtinendus per tale medium.

37 Respondent Recentiores, scientiam mediam de non obtinendo fine intentum per electionem medij inefficacis ad ipsum eatenus obstare tali electioni, quatenus retrahit intendentem ab illâ; sicque eum moraliter, aut etiam physicè necessitat, vt illam non faciat: Deum autem liberè decernere posse, vt scientia media de inefficaciâ auxilij non retrahat ipsum ab illius collatione; quo posito decreto, reuerà non retrahet; æquiualenterque subinde erit posterior electione, collationeque auxilij; ad remque se habebit, ac si non daretur in Deo; atque ita nihil obstabit, quominùs ex seriâ intentione finis prædicti eligat Deus auxilium inefficax vt vtile ad obtinendum illum secundùm se præcisè, & in actu primo. Obstabit tamen, inquiunt, si Deus non ponat dictum decretum, vt liberè potest. Quo casu proinde nequibit Deus tale medium ad talem finem obtinendum eligere.

38 Non placent. Primò; quia, cùm ijdem Recentiores sentiant, & doceant alibi vniuersaliter, ad perfectionem prouidentiæ diuinæ cuiuslibet auxilij collatiuæ intrinsecè, atque adeò essentialiter pertinere scientiam mediam de illius efficaciâ, aut inefficaciâ; eo quòd Deus non potest quidpiam producere, siue exequutiuè decernere, nisi, præuisis circunstantijs, cum quibus est illud coniungendum, si re ipsâ ponatur: inconsequenter casum præsentem excipiunt re ipsâ citra dubium ab eâ vniuersali doctrinâ. Cùm sit manifestum, stando in illo, scientiam mediam de inefficaciâ auxilij redditam per prædictum decretum quoquo modo posteriorem collatione auxilij ad prouidentiam diuinam de collatione ipsâ intrinsecè pertinere non posse. Secundò; quia ægrè percipitur, quomodò prædictum decretum præstare possit, vt scientia media de inefficaciâ auxilij ab huius collatione non retrahat; cum munus retrahendi ab ipsâ scientiâ prout coniuncta voluntati diuinæ nullatenus videatur esse distinctum. Tertiò; quia ante decretum, quo Deus vult, ne se retrahat à collatione auxilij scientia media de inefficaciâ eius, scientia reflexa de ipsâ scientiâ mediâ debet necessariò præcedere, dirigens ad decretum ipsum, vt constat. Hæc autem, vtpote scientia etiam saltem virtualis de obiecto illius, nequit non etiam retrahere à collatione auxilij. Per tale ergo decretum non euitatur absolutè talis retractio. Quartò; quia durum videtur, asserere, posse Deum per omissionem dicti decreti se reddere ineptum ad dandum hominibus auxilia purè sufficientia ex fine, vt piè operentur, & salui fiant: præsertim cùm certum sit apud Theologos iuxta dicta, dari illa sic à Deo omnibus Reprobis defacto: dari autem defacto tale decretum respectu omnium eorum, non modò incertum sit, sed hactenus omnino inauditum. Quintò, denique; quia iuxta doctrinam stabilitam disput. 38. quæst. 2. consentaneè ad sententiam communem Patrum omnis auxilij collatio à scientiâ mediâ de ipsius efficaciâ, aut inefficaciâ debet necessariò procedere. Malè igitur ad fugiendam difficultatem præsentem per subterfugia forte difficiliora deseritur illa doctrina vera, & communis.

Planiùs ergo incedendo, illâ retentâ, di- 39
cendum est, quantumuis scientia media de inefficaciâ auxilij collationem eius præcedat vt quid in ipsam influxiuum, posse Deum nihilominùs ex supradicti finis seriâ intentione seriò, & ex animo, & prudentissimè eligere, conferreque tale auxilium quatenus vtile ad talem finem. Nam eo ipso, quòd talis finis non aliter, quàm per liberam determinationem creaturæ ponendus intenditur; & vtilitas talis medij in eo stat, quòd ipsam creaturam reddit potentem ad illius positionem; non potest non electio talis medij prout vtilis ad talem finem ferre secum alia commoda, siue alia bona, ob quæ illa valde proficua, non frustranea, & inanis, atque adeò seria, & prudens, nec vllo modo contra rationem, subindeque non tantùm possibilis, sed decentissima, conuenientissimaque Deo censenda venit; quantumuis finis directè intentus per illam non obtinendus præuideatur; prout latiùs explicatum supra disput. 37. quæst. 10. propos. 2. Recognoscantur omnia ibi scripta, quæ apprimè ad propositum faciunt, atque etiam sufficiunt.

QVAESTIO III.

Qua ratione collatio auxilij inefficacis, seu purè sufficientis benefica sit ei, cui confertur, à voluntateque Dei beneuolâ proficiscens.

PRocedit hæc quæstio, & duæ sequentes iuxta 40
sententiam ponentem efficaciam auxilij (aliàs entitatiuè indifferentis ad vtrumuis) in denominatione constitutâ per futuritionem conditionatam actus, ad quem datur, sub conditione, quòd detur: inefficaciam autem per futuritionem conditionatam actus contradictorij. Actus autem (seu positiuus, seu negatiuus), ad quem datur auxilium inefficax, aut potest esse præceptus; quo casu constitutiuum inefficaciæ auxilij peccatum conditionatum erit: (& de tali auxilio inefficaci speciatim habendus nobis sermo est in istis quæstionibus). Aut potest non esse præceptus; quo casu constitutiuum inefficaciæ auxilij

lij non erit peccatum conditionatum, sed actus alius aut bonus moraliter, aut indifferens. Quibus primò suppositis.

41 Suppono secundò vt omnino certum apud Catholicos, auxilium ad benè, & salutariter operandum purè sufficiens, atque adeo inefficax beneficium Dei esse, ex eius beneuolentia erga eum, cui confertur, proueniens. Quod constat primò; quia sæpe significat sacra Scriptura, & exprimunt Patres, Deum non solùm iustis, sed etiam iniustis conferre dona gratiæ suæ iuxta illud Math.5. *Pluit super iustos, & iniustos*: pluuia gratiæ, vt exponit Ambros. citatus num. 25 Secundò; quia, vt etiam significat sacra Scriptura, & docent Patres, aut supponunt, auxilia sufficientia, quibus peccatores resistunt, dona sunt Dei iuxta illud Actor.7. *Vos semper Spiritui sancto resistitis*. Id quod etiam supponunt Concil. Triden. sess.6. cap.6. & 13. & Can.4. & Concil. Senon.in Decreto fidei cap.15.Tertiò; quia gratia præueniens, quale etiam est auxilium sufficiens, effectus est misericordiæ, atque adeò beneuolentiæ Dei iuxta illud Psal.58. *Misericordia eius præueniet me*. Quartò; quia sæpe Deus conquæritur de peccatoribus, quasi de ingratis pro beneficijs acceptis, propter abusum suorum auxiliorum iuxta illud Isaiæ 5. *Quid est, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei?* Quintò; quia vt constat ex Concilijs, & Patribus agentibus contra Pelagium, omne auxilium, etiam purè sufficiens, ad salubriter operandum naturæ est indebitum, atque adeò gratia, & beneficium ex gratuitâ Dei, atque beneuolâ liberalitate procedens. Sextò denique; quia existentia data Reprobo beneficium est Dei, etiam si Reprobus cum illa præuideatur damnandus, vt docent communiter Patres apud Ruiz disput.17.de Prædestin. Ergo auxilium inefficax datum homini beneficium est Dei, etiam si homo cum illo præuideatur peccaturus.

42 Verùm contra certam hanc veritatem grauis insurgit difficultas. Non enim videtur esse materia idonea beneficij, atque adeò nec beneuolentiæ ex parte dantis, nec gratitudinis ex parte recipientis id, quod longè maius malum fert secum annexum, quàm bonum. Sed auxilium inefficax, cum quo homo de facto peccaturus est, aut etiam damnandus, incomparabiliter maius malum, quàm bonum, fert secum annexum. Ergo tale auxilium nec beneficij, nec beneuolentiæ ex parte Dei, nec gratitudinis ex parte hominis est idonea materia.

43 Recentiores commemorati supra num 37. censent, auxilium inefficax nullatenus euadere posse beneficium Dei ex eius beneuolentia proueniens, nisi scientia media de illius inefficacia posterior sit decreto collatiuo eius, atque adeò ita ad rem se habens, ac si non daretur in Deo. Reddi autem eam sic posteriorem, saltem æquiualenter, putant, per decretum, quo Deus liberè vult, ne se illa retrahat à collatione talis auxilij, prout ibi retulimus. Cæteri verò Theologi, qui hoc punctum tangunt, aut supponunt, aut exprimunt, quantumuis scientia media de inefficacia auxilij (siue de coniunctione eius cum peccato, casu quòd detur) præcedat collationem, decretumque collatiuum eius, posse illud nihilominùs ex affectu beneuolentiæ Dei procedere, atque adeò beneficium hominis, cui confertur, euadere. Sic tenent Quiros tom.2. de Deo disput.21. sect.4. Carlet. tom. 1. Theolog. disput.120. sect.6. num.5. Esparza lib.1. de Deo quæst.35. in respons. ad 4. & 5. & alij. Addunt prædicti Recentiores, si auxilium inefficax inducat per se necessitatem moralem ad peccandum, (vt euenit, si eadem cogitatio simul inclinet, tepidè quidem ad honestatem virtutis, ardentissimè autem ad delectationem vitij oppositi), tale auxilium nullatenus esse posse idonea materia beneficij. Si verò auxilium inefficax cum necessitate morali ad peccandum coniungatur per accidens, (vt quando cogitationi tepidè inclinanti ad virtutem per accidens adiungitur altera inclinans ardentissimè ad vitium oppositum), tale auxilium beneficium Dei esse posse, si decretum collatiuum eius præcedat scientiam de coniunctione conditionata eius cum tali necessitate morali: secus, si non præcedat. Philosophantur enim hìc, sicut in casu coniunctionis auxilij cum peccato.

Propositio. 1.

Auxilium inefficax beneficium Dei esse potest ab eius beneuolentiâ procedens, quantumuis eius collatio etiam procedat (vti debet) à scientiâ mediâ de inefficaciâ ipsius. 44

Hæc propositio probatur primò; quia ea est citra dubium de mente omnium Patrum. Qui, dum eas hæreticorum quæstiones versant, *Cur Deus creauit homines, & angelos malos: aut cur eis libertatem dedit, &c. præsciens ex eis donis vel naturæ, vel gratiæ tot illis mala esse prouentura tum culpæ, tum pœnæ*; ita variis modis respondent, vt plane supponant, per scientiam mediam de malo exitu eorum donorum, atque beneficiorum Dei ab eorum collatione potuisse Deum retrahi, atque adeò illam ad libertatem actus primi eiusmodi collationis intrinsecè spectare. Videantur testimonia Patrum tradita, & ponderata latè supra disput.28.quæst.6.à num.143.& quæst.7.à num.197. Secundò; quia Recentiorum opinio propositioni oppositæ subsistere nequit, adhuc in ipsorum principijs, vt constat ex argumentis contra illam factis num. 36. Quæ ad præsens propositum etiam faciunt, & applicanda sunt. Tertiò; quia iuxta generalem doctrinam supra statutam disput.38.quæst.2. omnis collatio auxilij à scientiâ mediâ de illius efficaciâ, aut inefficaciâ debet necessario procedere. Et quidem in præsenti materiâ valde absurdum esse videtur dicere, quòd Deus possit conferre auxilium, nesciens antecedenter, an conferat re ipsâ bonum, aut malum, beneficium, aut damnum. Quod necessariò est dicendum iuxta Aduersariorum doctrinam. Quia necessarium est, vt auxilium, de quo agimus, re ipsâ coniungatur vel cum peccato, vel cum carentiâ eius. Si est coniungendum cum peccato, à parte rei est maximum malum, materiaque omnino inepta beneficij, vt Aduersarij docent: si verò cum carentiâ peccati, magnum est bonum. Ergo, dum Deus confert illud, nesciens, an cum peccato, vel cum carentia peccati sit coniungendum: id sanè confert, de quo nescit, an sit à parte rei bonum, aut malum, beneficium, aut damnum. Vnde fit rursus, iuxta Aduersariorum doctrinam nullum auxilium coniungendum cum peccato re ipsâ esse realiter, siue à parte rei materiam aptam beneficij; atque adeò nullum posse euadere beneficium ex Dei beneuolentiâ procedens, quacunque demum ratione conferatur à Deo:

quia Deus nullatenus potest esse verè, & realiter beneficus, ac beneuolus, conferendo quauis ratione id, quod verè, & realiter est materia inepta beneficij, vt est notum.

45 Ad difficultatem ergo propositam omnino est dicendum, materiam idoneam beneficij penes bonitatem præcisè, quæ prouenit ex voluntate, & actione benefacientis pensandam esse; non item penes abusum doni collati prouenientem à voluntate, & actione beneficiati. Alioquin ratio beneficij in qualitate rei collatæ, voluntateque, & actione conferentis non staret; sed vsus liber recipientis expectandus esset: ab huiusque proinde libertate postea superueniente penderet, quòd accepisset beneficium, vel secus; & vel per ipsum ingratitudinis peccatum efficere posset, vt beneficium non accepisset. Quæ planè absurda sunt. Itaque, quoties id, quod prouenit ex parte dantis, simpliciter est bonum, materia est apta beneficij; quantumuis maius malum sit id, quod ex parte recipientis est illi adiungendum præter intentionem, adeòque sine influxu dantis. Sed id, quod prouenit ex parte Dei dantis in auxilio inefficaci, nempe eius entitas præcisè, simpliciter est bonum, vt constat. Ergo est apta materia beneficij, talisque remanet reuerà, quantumuis maius malum sit, quod ex parte hominis recipientis adiungitur illi præter ipsius Dei intentionem, adeòque sine influxu eius, nempe peccatum. Etenim bonitas entitatis auxilij prouenientis à Deo non adimitur, imo neque minuitur per coniunctionem cum malitiâ peccati prouenientè ab homine: tametsi coniunctum siue aggregatum ex tali bonitate, & malitiâ non tantùm includat in se maius malum, quàm bonum, sed simpliciter malum sit; quia malum ex quocunque defectu. Sicuti bonum à Deo collatum Petro non minuitur per coniunctionem cum malo eidem Petro inflicto à Ioanne: tametsi aggregatum ex tali bono, & malo simpliciter sit Petro malum. Atque ita quantumuis collatio auxilij inefficacis ex scientiâ mediâ de ipsius inefficaciâ procedat, ex beneuolentiâ Dei nihilominùs, vt verumque hominis beneficium procedere potest; vti est reuerà, nec potest non esse de suo penes intrinsecam bonitatem. Quemadmodùm bonum, quod Deus confert Petro, beneficium Petri esse potest ex Dei beneuolentiâ procedens; tametsi procedat etiam ex scientiâ mediâ, qua Deus præuidet, tale bonum, si conferatur, in Petro coniungendum esse cum malo inflicto ipsi à Ioanne, vt satis est ex se manifestum.

46 Vnde deprehendenda venit deceptio Recentiorum putantium, auxilium per coniunctionem cum peccato omnem amittere bonitatem, prorsusque reddi materiam ineptam beneficij. Quod falsum est. Quia bonitas intrinseca eius, penes quam præcisè apta materia est beneficij, per coniunctionem cum peccato nec potest amitti, nec minui; sicut nec potest amitti, nec minui entitas eius, à qua talis bonitas indistincta penitus est. Quo fit, vt præscientia de tali coniunctione obstare non possit, quominùs penes talem bonitatem possit auxilium & à Dei beneuolentiâ procedere, & hominis beneficium euadere. Cæteroquin, si per coniunctionem cum peccato redderetur auxilium materia inepta beneficij verè, & realiter, collatio eius, quantumuis præcedens scientiam mediam de tali coniunctione, benefica verè, & realiter esse non posset, vti arguebamus nuper; sed summùm imaginariè, & delusoriè; qualem esse comparatione Dei omnino repugnat, vt patet.

Adhuc tamen contra dicta potest opponi, 47
Auxilium efficax per efficaciam, seu coniunctionem cum actu bono crescit in bonitate, maiorisque beneficij apta materia fit. Ergo auxilium inefficax per inefficaciam, seu coniunctionem cum actu malo minuitur in bonitate, tantumque minui potest penes malitiam actus, vt non maneat bonum, sed malum, materiaque inepta beneficij. Respondeo, auxilium efficax eatenus dici crescere in bonitate per efficaciam, quatenus ex bonitate suæ entitatis, quæ intrinsecè inuariata manet, & ex bonitate efficaciæ resultat maius quoddam bonum, maioris beneficij materia, vtpote cuius ambæ partes sunt bonæ. Hoc autem pacto etiam ex entitate auxilij inefficacis, & ex eius inefficaciâ resultat quoddam, non tantùm minùs bonum, sed vel semper, vel plerunque saltem simpliciter malum, materiaque inepta beneficij, vtpote cuius vna pars mala est, & plerunque saltem magis mala, quàm est altera bona. Quia tamen entitas auxilij quoad bonitatem à se indistinctam semper manet intrinsecè inuariata, quoad hanc præcisè semper manet materia idonea beneficij, prout dictum est.

Sed instari potest. Totum coniunctum ex 48
entitate auxilij efficacis, & efficacia prouenit à Deo, eiusque beneficium est, licèt ab actu libero hominis efficacia sumatur; eoquòd Deus illud confert ex præscientiâ efficaciæ. Ergo, si auxilium inefficax conferat etiam ex præscientiâ inefficaciæ, totum coniunctum ex entitate auxilij, & inefficaciâ proueniet a Deo, licèt ab actu libero hominis patiter inefficacia summatur. Vt sicque proinde Deus nullum conferet beneficium, sed potiùs maleficium: quandoquidem iuxta dicta tale coniunctum, vtpote malum, inepta beneficij, apta verò maleficij materia est. Respondeo, totum coniunctum ex entitate auxilij efficacis, & efficaciâ prouenire a Deo, & esse beneficium eius, non quidem, quia Deus conferet illud ex præscientiâ efficaciæ, sed quia illud confert volendo efficaciam ipsam simul cum entitate auxilij. Hinc enim prouenit, vt aggregatum ex vtraque effectus sit Dei ipsi voluntarius, & liber; etiam si efficacia ab actu libero hominis desumatur: ipsumque proinde aggregatum quoad suam totam bonitatem beneficium Dei esse possit ab eius beneuolentiâ procedens. Auxilium verò inefficax etsi Deus conferat etiam ex præscientia inefficaciæ, siue præeunte tali præscientiâ, non tamen confert volendo ipsam inefficaciam, quæ potiùs ei displicet, sed volendo solam entitatem auxilij. Vnde è conuerso prouenit, vt non aggregatum ex vtraque, sed sola entitas auxilij sit Dei effectus ipsi voluntarius, & liber: ipsaque sola proinde quoad suam intrinsecam bonitatem possit esse Dei beneficium ab eius beneuolentiâ procedens: malum autem inefficaciæ, non Deus homini, sed homo infligat sibi ipsi.

Cuius doctrinæ ratio a priori est. Quia, 49
(vt tradunt communiter Theologi tanquam principia certa ad 1.2.S.Tho.quæst 6), quando causa A intendit per suum actum liberum consequi actum liberum causæ B, (vti fit per exhortationem, consilium, præceptum, &c.), actus sequutus causæ B, etsi ab ipsâ liberè positus, effectus est etiam causæ A, ipli voluntarius, & liber; & imputabilis; beneficiumque proinde poterit effactum à causâ A causæ B, si huic bonum sit;

male-

maleficium autem, si malum. Quando verò ex actu libero causæ A præter ipsius intentionem sequitur actus liber causæ B, quantumuis hic sequuturus præuideatur à causâ A, (dummodò ad illum cuitandum non sit ea obligata), tunc actus causæ B nec est effectus causę A, nec ipsi est vllatenus imputabilis tanquam ipsi voluntarius, & liber: proindeque vt sic nec potest esse beneficium factum à causâ A causæ B, si huic bonum sit; nec maleficium, si sit malum. Ad rem igitur, quando Deus intendit consequi actum hominis bonum per collationem auxilij efficacis, actus bonus hominis, etsi ab ipso liberè positus, effectus est Dei ipsi voluntarius, & liber; eiusque subinde beneficium vnà cum ipso auxilio esse potest. Quando verò ex collatione auxilij inefficacis factâ à Deo præter ipsius intentionem sequitur (vti semper sequitur) actus hominis malus, (ad quem impediendum Deus obligatus non est), quantumuis sequuturus præuideatur à Deo, tunc ille nec est Dei effectus, nec ipsi est liber, aut voluntarius vllo modo; proindeque nec rationem maleficij homini à Deo inflicti subire potest, nec obstare, quominùs entitas auxilij præcisè sumpta rationem beneficij possit subire, vtpote quæ & homini bona, & Dei effectus voluntarius, & liber est.

50 Quoniam verò tum efficacia, tum inefficacia auxilij iuxta Scholam nostram ab actu libero hominis tum bono, tum malo desumitur, seu per illum completur, non prout absolutè existentem, sed prout conditionatè extiturum: proindeque homo, antequàm ab olutè operetur, iam habet auxilium vel efficax, vel inefficax completum in esse talis per veritatem conditionatam antecedentem de existentiâ conditionatâ sui actus vel boni, vel mali. Scire opus est, doctrinam datam in vtroque casu coniunctionis entitatis auxilij cum actu locum habere; in casu scilicet coniunctionis antecedentis cum actu prout conditionatè extituro, & in casu coniunctionis consequentis cum actu prout absolutè existente. Dicimus itaque, quando Deus confert beneuolè homini auxilium efficax, prouidens per scientiam mediam, extiturum actum bonum ab illo, si conferatur, efficaciter velle homini non solam entitatem auxilij, sed coniunctum ex illâ, & ex existentiâ conditionatâ actus præuisâ; quod coniunctum longè est homini magis bonum, quàm sola entitas auxilij, propter metaphysicam connexionem, quam præ illâ habet, cum existentiâ absolutâ actus homini bonâ. Et quia tale auxilium vult Deus ex intentione obtinendi medio illo talem actum, consequens est, vt etiam velit Deus homini coniunctum ex entitate auxilij, & existentiâ absolutâ actus. Quo fit, vt existentia absoluta actus, etsi ab homine liberè posita, effectus nihilominùs sit Dei, & beneficium eius. De quo plura dicenda venient, quæst. 5. Quando verò Deus confert beneuolè homini auxilium inefficax, prouidens per scientiam mediam, illud ipsius hominis culpâ coniungendum esse, si detur, cum actu malo, solam entitatem auxilij cum eius bonitate intrinsecâ vult efficaciter homini ex intentione simplici, vt ille eliciat actum bonum, per solamque subinde illius collationem præstat homini beneficium: coniunctum verò ex auxilio, & ex actu malo tum prout conditionatè, tum prout absolutè extituro nec vult, nec velle potest Deus. Quo fit, vt Deus nec sit causa talis coniuncti, nec malum eius infligat homini, dum illi dat auxilium bonum; sed homo sibi ipsi infligat tale malum, abutens dato sibi bono, iuxta illud Oseæ 31. *Perditio tua Israel; tantummodò in me auxilium tuum.* De quo etiam quæst. 4. & 5. dicenda venient alia quædam.

Ex dictis diluenda veniunt cætera, quæ 51
obijciuntur contra rationem beneficij in auxilio inefficaci repertam. Primò sic. Non est beneficium hominis id, cuius oppositum est illi longè melius. Sed longè melius est homini carere auxilio inefficaci, & omnibus malis ex eo de facto deriuandis, quàm illud cum talibus malis habere: cuiusmodi sunt peccatum, & sæpe amissio gratiæ præhabitæ, & sæpe damnatio sempiterna. Ergo. Secundò. Non est beneficium hominis id, quod prudentissimè mallet homo sibi denegari, quàm conferri. Sed tale est auxilium inefficax propter sequuturu ex illo mala prædicta. Ergo. Tertiò. Non fuit beneficium Iudæ creari à Deo, dicente Christo Domino Math. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, id est melius. Ergo multò minùs erit beneficium cuiusuis hominis auxilium inefficax, ex quo prouentura est ei æterna damnatio.

Respondent ad hæc Recentiores supra citati, 52
eis applicando suam illlam doctrinam de præcedentiâ decreti collatiui auxilij inefficacis antescientiam mediam de malis sequuturis ex illo; atque ita asserendo, tale auxilium prægnitum cum præcisione à talibus malis benè posse esse Dei beneficium; secus, si prægnoscatur coniunctum cum illis: quia per coniunctionem cum illis reuerà euadit materia prorsus inepta beneficij. Non tamen benè. Quia, præter alia argumenta iam supra à nobis contra dictam doctrinam facta, illud specialiùs vrget ad rem. Nullateuus scilicet posse Deum verè, & realiter conferre homini beneficium, conferendo ei auxilium ineffi ax, etiam antecedenter ad scientiam de malis sequuturis ex illo: quia prorsus repugnat, quòd sit collatio beneficij verè, & realiter, & non deluforiè, ac fictitiè, collatio eius, quod à parte rei, atque adeò verè, & realiter est materia beneficij prorsus inepta. Id autem, quod consequenter asserunt de creatione Iudæ; ipsius scilicet beneficium fuisse illam; quia à Deo est decreta antecedenter ad scientiam mediem de malis ex illa prouenturis, clariùs adhuc, quàm cætera refragatur sententiæ communi Patrum apertè supponentium oppositum, dum respondent ad quæstiones commemoratas num. 44. vt in testimonijs eorum ibi citatis quisque potest videre.

Igitur ad argumenta proposita consentaneè ad doctrinam nostram est respondendum, 53
coniunctum ex auxilio inefficaci, & ex malis sequuturis ex illo, vtpote peius homini, quàm eius carentiam homini, beneficium esse non posse, aut beneuolè conferibile à Deo, aut prudenter eligibile ab homine: hoc tamen non obstare, quominùs tale possit esse auxilium inclusum in eo coniuncto, quoad suam intrinsecam bonitatem. Pariterque coniunctum ex entitate existente Iudæ, & ex malis ei prouenturis, vtpote peius ipsi, quàm nunquam existere, iuxta verba relata Christi beneficium eius non fuisse; benè tamen entitatem existentem præcisè, siue secundùm se. Quæ omnia ex dictis in præcedentibus satis, superque nota sunt. Quomodò autem homini purè possibili possit esse bonum, aut me-

melius non existere, quàm existere, tom. 1. disputat. 15. quæst. 10. explicatum à nobis est.

54 Præterea contra dicta potest opponi. Possibile est, aut etiam fortasse sæpe datur de facto auxilium inefficax consistens in cogitatione, quæ eadem inclinet voluntatem ad actum bonum, & ad actum malum oppositum, magisque ad malum, quàm ad bonum, ob maiorem vinacitatem circa delectabilitatem mali, quàm circa honestatem boni, quas repræsentat. Sed tale auxilium secundùm suam entitatem præcisè, independenterque ab actu malo de facto oriundo ab illo magis est malum, quàm bonum homini. Ergo adhuc secundùm suam entitatem præcisè non est apta materia beneficij. Cætera constant; & minor probatur. Quia tota bonitas talis auxilij in vtilitate eius ad actum bonum posita est: &, sicut vtilitas ad actum bonum est bonitas eius; ita vtilitas ad actum malum est eius malitia. Est maior est vtilitas eius ad actum malum, vtpote ad quem magis inclinat, quàm ad actum bonum. Igitur maior est malitia eius, quàm bonitas: magisque subinde malum est illud homini, quàm bonum: & consequenter materia inepta beneficij. Quod erat probandum. Adde, argumentum hoc etiam fieri posse contra auxilium consistens in cogitatione, quæ vnicè inclinat in actum bonum, habet tamen alteram comitem inclinantem in malum saltem, quando maius est malum ex secundâ obuenturum, quàm bonum, in quod inclinat prima, vti plerunque eueniet. Nam, licèt tale auxilium non sit vtile ad actum malum titulo inclinantis ad illum, est tamen vtile tum titulo constituentis libertatem ad eius malitiam requisitam; tum titulo temperantis inclinationem alterius cogitationis, atque adeò concurrentis simul cum illâ etiam ad entitatem physicam actus mali, iuxta doctrinam traditam supra disput. 30. quæst. 15. Quæ quidem vtilitas, vtpote ad maius malum, maior in eo malitia erit; quàm est bonitas vtilitatis, quam habet ad minus bonum: sicque secundùm se præcisè homini erit magis malum, quàm bonum; atque adeò inepta beneficij materia.

55 Hoc argumentum æquè militat contra auxilium efficax sumptum præcisè quoad entitatem: imo contra libertatem actus primi ad benè, vel malè operandum, saltem, quando malitia extremi mali maior est, quàm bonitas extremi boni. Cùm tamen certum sit, auxilium efficax, & libertatem actus primi perfectiones hominis esse ei simpliciter bonę. Vt ergo respondeam ad illud, suppono primò ex doctrinâ traditâ tom. 1. disput. 15. quæst. 1. & 3. bonum vtile vt tale non formaliter, sed causatiuè tantùm esse bonum, quatenus conducit ad existentiam boni formalis. Similiterque malum vtile vt tale non formaliter, sed causatiuè tantùm esse malum, quatenus conducit ad existentiam mali formalis. Sicut autem id, quod causatiuè tantùm est bonum, formaliter esse potest simpliciter malum, vt patet in peccato causatiuo penitentiæ, atque adeò vtile ad illam: ita, quod causatiuè tantùm est malum, formaliter potest esse simpliciter bonum, si aliunde nihil admixtum habeat malitiæ formalis, vt patet in omnipotentiâ diuinâ causatiuâ malorum pœnæ; atque adeò vtili ad illa. Suppono secundò, medium vtile ad finem malum aut posse esse suapte essentiâ efficax ad talem finem, vtpote essentialiter cum eo connexum; aut posse esse suapte essentiâ tantùm sufficiens, vtpote indifferens quoad suam essentiam ad talem finem causandum, vel non causandum. Si sit efficax, tam malum erit æquiualenter in genere suo, quàm finis per illud causatus; quia totam huius malitiam ferret necessariò secum annexam. Si verò sit tantùm sufficiens, aut nihil, aut parum malitiæ adhuc in suo genere habebit, præsertim respectu subiecti liberi, pro cuius arbitrio est determinanda illius indifferentia ad causandum, vel non causandum malum finem: quia ex vnâ parte per se non nocet tali subiecto; cùm non sit ipsi malum formaliter, sed tantùm causatiuè; ex aliâ verò parte, etsi nocere illi possit causando finem, in ipsius subiecti potestate liberâ est, quòd causet, vel non causet, adque adeò, quòd noceat, vel non noceat.

Ex his ad argumentum factum dico, quod- 56
uis auxilium per suam essentiam, seu entitatem sufficiens, atque adeò indifferens ad actum bonum, & ad actum malum, vtlibet proinde ad actum malum vno ex modis supradictis, ex vnâ parte simpliciter esse bonum homini bonitate formali, (ponimus enim, nullam habere aliunde malitiam formalem admixtam); ex aliâ verò parte malitiam causatiuam, quam habet, in ea vtilitate ad actum malum consistentem tam leuis, aut nullius ponderis, adhuc intra suum genus esse respectu hominis, cui tale confertur auxilium, vt nequaquam obstare possit, quominùs illud sit beneficium eius, ex Deique beneuolentiâ promanans. Maximè, cùm Deus dumtaxat possit velle illud homini quatenus bonum tum formaliter, tum causatiuè; secus quatenus causatiuè malum: eo quòd Deus actum malum, ad quem illud est vtile, velle non potest: vtilitasque ad finem amari non potest à non potente amare finem iuxta doctrinam generalem traditam disp. 36.

Propositio 2.

Auxilium inefficax ad actum bo- 57
num coniunctum per accidens cum alio quopiam ente necessitante moraliter voluntatem ad actum oppositum malum, beneficium Dei esse potest. Idque, licèt procedat ex scientiâ mediâ de tali coniunctione.

Prior pars huius propositionis ex dictis circa præcedentem est nota. Quia si auxilium inefficax ad actum bonum penes suam intrinsecam bonitatem præcisè potest esse Dei beneficium, non obstante coniunctione sibi accidentali cum actu formaliter malo, vt ostensum est: multò meliùs poterit tale esse, non obstante coniunctione sibi accidentali cum ente necessitante moraliter ad actum ipsum, quod eo titulo dumtaxat est malum causatiuè. Secunda autem pars contra Recentiores sæpe citatos similiter probatur ex dictis. Nam, si scientia media de coniunctione entitatis auxilij cum ipso actu formaliter malo præcedens auxilij collationem, decretumque collatiuum eius obstare non potest, quominùs auxilium quoad suam intrinsecam bonitatem sit beneficium, vt etiam ostendimus: multò minùs ob-

obstare poterit scientia media de illius coniunctione cum dicto ente necessitante moraliter, & malo tantùm causatiuè, vt est manifestum.

Propositio 3.

58 **Auxilium inefficax ad actum bonum, qui idem per se sit necessitans moraliter voluntatem ad actum oppositum malum, beneficium Dei esse potest.**

Casus propositionis est, si detur cogitatio, quæ eadem adeò tepidè representet honestatem actus boni, adeòque ardenter delectabilitatem actus mali, vt voluntas eâ instructa necessitata moraliter ad ipsum actum malum euadat. Igitur, talem cogitationem beneficium Dei esse posse, ex doctrinâ datâ nuper num 55. videtur inferri, Quia talis cogitatio ex vnâ parte prout inductiua ad actum malum tantùm est mala causatiuè, cum quo stat, vt possit ea esse, de factoque sit, vti supponitur, simpliciter bona formaliter. Ex aliâ parte non fert secum necessariò actum malum necessitate metaphysicâ, sed tantùm necessitate morali relinquente in voluntate libertatem, atque adeò potentiam proximam ad actum malum euitandum: quo fit, vt ne æquiualenter quidem nociua sit per se præcisè, sed tantùm esse possit per actum nociuum à se causabilem pro nutu libero voluntatis; & consequenter, vt malitia causatiua, siue vtilitatis, quam habet respectu actus mali parui saltem momenti censenda veniat comparata cum bonitate formali, qua simpliciter bona est formaliter, & cum causatiuâ, siue vtilitatis, quam habet respectu actus boni. Ex aliâ denique parte Deus talem cogitationem velle potest prout bonam formaliter, prout vtilemque ad actum bonum, quin velit illam, imo quin possit velle prout vtilem ad actum malum. Quibus omnibus positis, illatisque ex dictis loco citato, nihil desiderari videtur, quominùs talis cogitatio, seu tale auxilium, alias inefficax, Dei beneficium possit esse, vt propositio data fert.

QVAESTIO IV.

Vtrùm Deus possit decernere auxilium prout inefficax, seu per decretum cum eius inefficaciâ connexum.

58 SErmo est in hac quæstione de auxilio inefficaci ad actum præceptum seu, positiuum, seu negatiuum; cuiusuis subinde inefficacia peccatum sub conditione ipsius extiturum includit in conceptu suo. Circa quam duplex est sententia. Altera negatiua; quam Recentiores quidam sequuntur, & alij non pauci supponunt. Altera affirmatiua: quam reipsâ tenent, qui opinantur, posse Deum decernere permissionem vnius peccati in pœnam alterius; (quam opinionem cum multis à se relatis amplectitur Ruiz tom. de Volunt. disp. 43.): necnon, qui censent, posse Deum eligere permissionem peccati vt vtilem ad humilitatem, aut pœnitentiam: quorum plures referemus inferiùs disp. 42. quæst. 3.

Pro resolutione suppono ex generali doctrinâ 59
traditâ supra disp. 32. quæst. 5. auxilium inefficax bifariam posse amari prout inefficax. Primò amatâ simul cum entitate auxilij inefficaciâ eius. Secundò amatâ solâ entitate auxilij prout connotante inefficaciam; nullatenus amatâ inefficaciâ ipsâ; connotatâ tamen, adeòque respectâ essentialiter per talem amorem. Quo pacto amatur flagellatio prout pœna, seu punitio peccati, nullatenus amato peccato, sed connotato tamen essentialiter per talem amorem; & sanguinis missio amatur prout remedium febris, nullatenus amatâ, sed connotatâ essentisliter ipsâ febre: & eleemosyna amatur prout subleuatio miseriæ pauperis, non amatâ, sed connotatâ miseriâ. De quo plura loco citato recognoscenda sunt. Quibus suppositis, sit.

Propositio 1.

Deus neutiquam potest decernere 60
auxilium inefficax prout inefficax, decernendo, atque adeò volendo simul cum entitate auxilij inefficaciam eius, totumve ex vtràque resultans.

In hanc propositionem consentiunt omnes, nec ampliùs, quàm illam, censendi sunt velle plerique ex auctoribus, qui stant pro primâ sententiâ negatiuâ. Ratio autem eius perspicua est. Quia, vt ex doctrinâ stabilitâ supra disput. 33. quæst. 7. compertum est, Deus neutiquam potest velle, aut quoquo modo amare peccatum siue vt absolutè existens, siue vt possibile, siue vt extiturum conditionatè. Sed inefficaciâ auxilij, de quo tractamus, includit in conceptu suo peccatum prout conditionatè extiturum, vt præmisimus. Ergo Deus neutiquam potest talem inefficaciam velle, aut amare quoquo modo: & consequenter nec tale auxilium decernere prout inefficax, decernendo, atque adeò volendo simul cum entitate auxilij inefficaciam eius, totumve ex vtràque resultans.

Propositio 2.

Deus benè potest decernere auxi- 61
lium inefficax prout inefficax, nullatenus decretâ, seu volitâ, seu amatâ inefficaciâ eius, sed tantùm connotatâ essentialiter per tale decretum.

Hanc propositionem dumtaxat censendi sunt velle Auctores, qui stant pro secundâ sententiâ affirmatiuâ. Neque eam negarent haud dubiè multi ex stantibus pro negatiuâ. Tametsi eam negent, & impugnent Recentiores commemorati. Probatur autem primò; quia iuxta expositionem August. lib. de Dono perseu. cap. 12. quam amplectitur Vazq. 1. 2. disput. 95. cap. 9. Deus permittit peccata Reprobis ex intentione ostendendi diuitias gratiæ suæ erga Prædestinatos secundùm illud Apostoli ad Rom. 9. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suâ, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum; vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa*

vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam. Huiusmodi autem permissio per auxilium inefficax constituta non est medium vtile ad talem ostensionem, nisi prout connotans ipsa peccata, vt ex se apparet. Vt sic ergo eligit Deus illam ad talem finem.

63 Secundò probatur; quia vt docent communiter Theologi cum S. Tho. 1.2. quæst. 87. art. 5. permissio peccati in pœnam alterius peccati solet decerni à Deo iuxta illud Psal. 68. *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum*. & illud ad Rom. 1. *Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, &c.* & infra. *Tradidit illos Deus in reprobum sensum*. De quo videri possunt Vazq. ad eum artic. disput. 140. & Ruiz disput. 43. de Volunt. supra citata. Sed auxilium inefficax constituens permissionem peccati nequit esse pœna peccatoris secundùm suam entitatem præcisè, quo modo est illi bonum, sed prout connotans peccatum, qua ratione illi malum est. Ergo decernere Deum tale auxilium in pœnam peccati, aliud non est, quàm decernere illud prout connotans peccatum, seu procurat coniungendum cum illo, atque adeò, prout inefficax est.

64 Tertiò probatur; quia vt cum multis Patribus, & Theologis ostendemus inferiùs disput. 43. quæst. 3. sæpe permittit Deus peccatum ex intentione humilitatis, aut etiam pœnitentiæ, atque adeò auxilium inefficax constituens talem permissionem decernit prout vtile ad eas virtutes. Sed talem vtilitatem non habet, nisi prout connotans peccatum, iuxta ibi fusiùs dicenda. Igitur Deus prout connotans peccatum decernit illud, adeòque prout inefficax.

Quartò probatur; quia solùm posset obstare, quominùs Deus auxilium inefficax posset decernere prout inefficax, atque adeò per decretum cum eius inefficacià connexum, quòd teneretur Deus per tale decretum velle, seu amare aliqua ratione peccatum, quod ei repugnat. Sed nullatenus ad id tenetur, vt constat ex doctrinâ certâ præmissâ num. 60. Ergo nihil est, quod obstet, quominùs Deus decernere possit auxilium inefficax prout inefficax.

65 Fatentur citati Recentiores propositioni nostræ aduersantes, decretum Dei de auxilio inefficaci prout inefficaci non eo ipso esse amorem vllo modo peccati: proindeque nec Deo repugnare eo titulo, quòd aliquo modo amor peccati fit. Repugnare tamen, quia est quædam determinatio Dei ad peccatum: & non minùs repugnat Deo determinare ad peccatum, quàm amare peccatum. Vniuersaliter enim censent, actum Dei connexum cum actu voluntatis creatæ, & eius existentiam absolutam non supponentem absolutè præuisam, eo ipso ad talem ipsius existentiam determinare.

66 Contra tamen est primò. Quia, vt constat ex argumentis contra eosdem Recentiores factis supra disput. 38. quæst. 3. propos. 5. impossibile est, vt voluntas creata ad aliquem suum actum determinetur per vllum actum Dei connexum cum illo, nisi hic immediatè influat in illum, illiusque subinde libertatem prorsus euertat. Sed decretum Dei de auxilio inefficaci prout inefficaci nec influit immediatè in peccatum, nec tollit libertatem ad illud, vt est certissimum. Alioquin decretum de auxilio efficaci prout efficaci idem præstaret respectu actus boni. Ergo decretum de auxilio inefficaci prout inefficaci nullatenus est determinatio Dei ad peccatum; nullatenusque subinde eo titulo repugnat Deo. Recognoscantur ibi dicta, & ad propositum applicentur, suâ seruatâ proportione.

Contra secundò. Quia, si decretum de 67
auxilio inefficaci prout inefficaci titulo connexi cum peccato, & non supponentis existentiam eius absolutè præuisam ad ipsum peccatum determinaret, omne decretum de auxilio inefficaci prout coniunctum cum scientiâ mediâ de inefficacià eius determinaret ad peccatum: quia quodvis tale decretum prout coniunctum cum tali scientiâ cum peccato est connexum, & non est supponens existentiam absolutam eius absolutè præuisam, vt constat. Quo fieret, vt nullum auxilium inefficax posset Deus per vllum decretum decernere. Quod est immane absurdum.

Contra tertiò. Quia, stando etiam in 68
Aduersariorum principijs, impossibile est, quòd vna causa libera medio suo actu determinet alteram ad suum; quin actus causæ determinatæ euadat voluntarius, & liber, & imputabilis causæ determinanti. Quare, vbi talis libertas, ac imputabilitas deest, & talis determinatio desit, necesse est. Sed Deo decernenti auxilium inefficax, etiam prout inefficax, neque est liberum, neque imputabile peccatum sequuturum ex illo, eo ipso, quòd non decernit tale auxilium ex intentione obtinendi tale peccatum, iuxta doctrinam Theologorum communem statutam nuper quæst. 3. num. 49. Ergo Deus decernens auxilium inefficax, etiam prout inefficax ex alio fine, quàm obtinendi per illud peccatum sequuturum, neutiquam determinabit ad tale peccatum.

Contra denique quartò. Quia, vt Ad- 69
uersarij confitentur, optimè potest Deus decernere quodlibet prout connotans peccatum, atque adeò per decretum cum ipso peccato connexum ex præuisione absolutâ peccati; quin vllo modo per tale decretum amet peccatum, aut determinet ad illud, aut illud causet; ita enim citra omnia eiusmodi incommoda decernit de facto malum pœnæ, quod in punitionem peccati infligit peccatori. Sed, quod ad rem attinet, præuisio conditionata peccati sub conditione auxilij æquiualens est præuisioni absolutæ in ordine ad decernendum auxilium prout connotans peccatum, etiam vt absolutè existens. Ergo Deus ductus per præuisionem conditionatam peccati sub conditione auxilij optimè potest decernere auxilium prout connotans peccatum, etiam vt absolutè existens; quin vllo modo per tale decretum amet peccatum, aut determinet ad illud, aut illud causet. Cætera constant. Et minor iam manet probata sub doctrinâ generali traditâ supra disp. 34. quæst. 11. num. 152. Vbi vniuersaliter ostendimus, vt Deus absolutè decernat obiectum A prout connotans existentiam absolutam obiecti B, fut esse, quòd præuideat conditionatè, extiturum B, si extiterit A. Quòd si Deus ductus per scientiam de existentiâ conditionatâ peccati sub conditione existentiæ auxilij potest citra præcisa incommoda decernere auxilium prout connotans existentiam absolutam peccati, multò melius poterit decernere illud prout connotans ipsam existentiam conditionatam peccati, quæ talis scientiæ obiectum est ab ipsâ suppositum, & à qua ipsum auxilium habet, inefficax esse, prout satis, superque ex se, & ex dictis comperrum est.

est. Ex quibus omnibus concluditur, Deum citra omne prorsus incommodum, atque adeò honestissimè posse decernere auxilium inefficax prout inefficax, non obstante connexione essentiali, quam habet cum peccato tale decretum, prout expositum est.

QVAESTIO V.

Qualiter Deus in prouidendis, & conferendis auxilijs efficacibus specialem exerceat beneficentiam erga eos, quibus illa confert.

70 SVppono primò, ex duobus auxilijs quoad entitatem, siue quoad vim inclinatiuam voluntatis æqualibus alterum efficax, & alterum inefficax esse posse; imo ex duobus inæqualibus minus posse esse efficax, & maius inefficax; eo quòd voluntas siue vna, siue duplex cum altero ex æqualibus, aut cum minore ex inæqualibus pro arbitrio suo est consensura, cum altero non item. Hanc suppositionem tenent omnes nostri Doctores. Eaque sub vniuersali doctrinâ manet probata à nobis supra disput.30.quæst.16.

71 Suppono secundò, auxilium efficax prout efficax in actu primo maius beneficium esse de suo, siue maius bonum, quàm inefficax, seu purè sufficiens. Semper quidem, quando illa quoad entitatem æqualia sunt: vt plurimùm autem etiam, quando inefficax longè maius, siue præstantius est, quàm efficax entitatiuè: toties videlicet, quoties coniunctum ex auxilio efficaci, & actu, cæterisque bonis infallibiliter deriuandis ex illo maius est bonum, quàm sola entitas auxilij inefficacis. Tota hæc suppositio certa est, ex ipsisque terminis satis euidens. Ampliùs tamen potest ostendi primò; quia auxilium efficax in actu primo à veritate conditionatâ, qua constituitur, de existentiâ actus secundi sub conditione existentiæ suæ, ab ipsâque suâ existentiâ purificatâ, siue absolutè positâ metaphysicam connexionem sortitur cum ipso actu secundo, pariterque à veritate conditionatâ de existentiâ cæterorum bonorum à se oriundorum quoquo modo sub conditione existentiæ suæ, ab eâdemque suâ existentiâ purificatâ metaphysicam etiam connexionem sortitur cum eis omnibus bonis. Hinc autem fit, vt illud per se tam æstimabile sit, tamque bonum æquiualenter, seu virtualiter, seu moraliter, quàm erit formaliter coniunctum ex ipso, & dictis omnibus bonis. Nam possidens formaliter vnum bonum metaphysicè connexum cum alijs æquiualenter, seu virtualiter, seu moraliter censetur iam possidere alia, sine quorum possessione possessio illius nullâ potentiâ existere potest.

72 Secundò ostenditur idem ipsum; quia quantitas beneficij, seu boni non à solâ ipsius entitate, sed à circunstantijs, cum quibus illud coniungitur, aut est coniungendum, si detur, pensanda venit: maior enim beneficium est pauperi famelico, extremèque indigenti vnus panis, quàm centum diuiti saturo, & nihilo egenti. Ob id dixit Seneca lib. 1. de Benef. cap. 11. *Contingit, vt beneficia opportunitate grata sint, & non vulgaria, quæ, etiam si pretiosa naturâ non sint, tempore, & loco fient.* Ergo, licèt auxilium efficax non solùm æquale, sed longè minus bonum sit entitatiuè, quàm auxilium inefficax, à circunstantijs tamen actus secundi, aliorumque bonorum, cum quibus efficax, si existat, coniungendum est, præ inefficaci, longè maius bonum illud, quàm hoc, euadere poterit.

73 Id quod veluti à posteriori tertiò potest ostendi; quia longè vberiora dona gratiæ entitatiuè accepit Iudas, quàm alij multi, qui saluantur, quæ tamen respectu illius longè minora beneficia extiterunt: siquidem melius fuisset ei illa non accepisse; sicut & *natum non fuisse*. Math.26. Multi etiam ex Angelis, qui ceciderunt maiora, entitatiuè auxilia ad non peccandum habuerunt quàm multi ex ijs, qui steterunt; quæ tamen in illis propterea minora fuerunt beneficia. Etenim, vt docent communiter Thologi cum S.Tho. 1.par.quæst.62.artic.6.dona gratiæ communicata Angelis in viâ proportionalia fuerunt ad eorum naturam, ita quòd, prout vnusquisque præstantioris naturæ erat, eo quoque gratiæ dona collata sint ei præstantiora. Estque certum, multos ex ijs, qui peccarunt, præstantioris naturæ esse, quàm multi ex ijs, qui perseuerauerunt in gratiâ acceptâ: siquidem ex omnibus, & singulis Hierarchijs aliqui ceciderunt, & aliqui steterunt. Multi etiam ex hominibus cum minoribus entitatiuè auxilijs perseuerant vsque ad mortem in gratiâ, & salui fiunt, interim multijs alijs ab eâ cadentibus, & pereuntibus, qui maiora acceperunt. Cùm tamen perseuerantiæ donum magnum sit iuxta Trident.sess.6. can.16. Et sine dubio multò maius simpliciter, quàm illa entitatiuè maiora collata Reprobis.

74 Suppono tertiò vt prorsus certum, non solum auxilia efficacia, sed etiam actus honestos prouenientes ex illis beneficia esse Dei. Quod docent communiter Patres, vt apud Ruiz disput.34.de Prædestin. videri potest. Constatque ex Trident. sess.6. cap.16.dicente. *Cuius tanta est erga omnes homines bonitas, vt eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.* Et docet Apostolus, dum ait ad Ephes. 2. *Gratiâ enim estis saluati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum est.* & 1. ad Corinth. 4. *Quid autem habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* Itaque ne de nostris quidem actibus liberis gloriari possumus quasi de bonis non acceptis à Deo. Cuius veritatis ratio est. Quia vt constat ex generali doctrinâ quæst.3. num.49. indicatâ, eo ipso, quòd Deus per collationem auxilij efficacis actum hominis bonum à se præintentum consequi vult, talis actus non solùm hominis, à cuius libertate procedit, sed etiam Dei effectus est, ipsi quoque voluntarius, & liber; ipsiusque subinde beneficium homini factum potest esse.

75 Suppopo quartò, vt aliquis conferens alteri bonum sit propriè beneficus erga illum, propriumque ei conferat beneficium, propriâ gratitudine dignum, necessarium esse, quòd conferat ex motiuo benefaciendi, volendo videlicet illi tale bonum, quia bonum illius est. Ob id enim Seneca lib. 1. de Beneficijs cap. 6. dicit, *Non quid fiat, aut quid detur, refert, sed qua mente. Quia beneficium non in eo, quod fit, aut datur, consistit, sed in ipso dantis, aut facientis animo.* Cuius ratio est. Quia vt operetur quis secundùm virtutem, proprium virtutis finem intendere de-

bet iuxta communem Philosophorum, atque Theologorum doctrinam statutam à nobis supra disput. 35. quæst. 1. propos. 25. Finis autem beneficentiæ proprius est benefacere alteri; quem solum intendit ille, qui præstat id, quod alteri est bonum, quia bonum illius est. Quare, si Petrus quidpiam præstet, quòd re ipsâ cedit in bonum Ioannis, non ex fine benefaciendi Ioanni, sed ex alio motiuo, nec est beneficus erga Ioannem, nec beneficium illi confert. Atque ita Ioannes pro tali facto non tenetur Petro gratias referre, aut se illi exhibere gratum tanquam benefactori. Quo circa dixit idem Seneca in eodem lib. 1. cap. 7. *Ingrata sunt, licèt re, ac specie magna videantur, quæ danti aut extorquentur, aut extidunt.* Hinc planè sequitur, vt quis erga alterum sit specialiter beneficus propter specialitatem boni, quod illi confert, eam ipsam specialitatem debere intendere, siue velle illi directè. Vnde tandem ad nostrum propositum infertur, vt Deus specialiter sit beneficus erga hominem, cui confert auxilium efficax, propter specialitatem efficaciæ, quam illud habet præ inefficaci, directè debere intendere efficaciam illius, volendo scilicet illud homini, quia efficax est, siue quoad integram bonitatem, quam habet prout efficax. His positis sit

Propositio 1.

76 **Deus de facto confert hominibus auxilia efficacia prout efficacia, volendo videlicet illis integram bonitatem, quam habent quatenus efficacia.**

In hanc propositionem consentiunt omnes nostri Doctores, fortasse excepto Lessio, qui in disput. de Prædest. & Reprobat. præsertim sect. 5. à num. 51. docere videtur, Deum in distributione suorum auxiliorum non attendere ad eorum efficaciam, vel inefficaciam præuisam, sed cuncta conferre motum à sola bonitate, quam entitatiuè habent secundùm se, volendo tamen, vt cuncta euadant efficacia. Cæterùm, quoties Deus confert de facto auxilia efficacia, illa seligere de industriâ, hominibusque conferre, quia efficacia sunt, non solùm cæterorum Nostrorum, sed omnium Scholasticorum, omniumque Patrum communiter sententiam esse, latissimè probat Ruiz tom. de Scient. disput. 66. & 67.

77 Nostra igitur, & communis propositio probatur primò; quia vt docet Paul. ad Rom. 9. *Deus cuius vult miseretur*; conferendo scilicet ei auxilium efficax, seu vocationem congruam. Sed, vt ait August. lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Cuius autem miseretur, sic eum vocat, quomodò scit, ei congruere, vt vocantem non respuat.* Idest, eum eligens de industriâ vocandi modum, quem ad obtinendum vocati consensum præuidet efficax, atque adeò quia talis est. Igitur Deus, quando confert auxilium efficax, illud vult, decernitve conferre, quia efficax est, atque adeò prout efficax.

78 Secundò probatur; quia Deus per collationem auxiliorum efficacium discernit Prædestinatum à Reprobo, iuxta illud Pauli 1. ad Corinth. 4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* Sed discernit ex intentione: sicut & ex intentione confert dona, quæ ab ipso Prædestinatus accipit, è quorum numero est efficacia auxiliorum. Ergo confert ei auxilia efficacia quatenus efficacia. Quo solùm pacto sunt ipsius discretiua.

Tertiò probatur; quia dicit Paulus ad Roman. 9. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Quasi dicat, quòd homo benè velit, & currat, non ipsi, sed misericordiæ Dei tribuendum est, vtpote danti homini auxilium, non quo præcisè possit velle, & currere, (vt sic enim homini posset attribui actualis volitio, & cursus); sed quo infallibiliter actu velit, & currat; quale est auxilium, non datum vtcunque, sed prout efficax. Accedit, quòd in phrasi Scripturæ eius dicitur Deus misereri, cui se exhibet specialiter beneficum in distributione suorum donorum, conferendo scilicet illi auxilia efficacia præ cæteris, quibus illa non confert, iuxta illud eiusdem capitis Apostoli, *Miserebor cuius miserebor: & misericordiam præstabo, cuius misarebor.* Et rursus. *Ergo cuius vult miseretur;* (dando scilicet auxilia efficacia); *& quem vult indurat;* (nempe illa negando). Ast specialiter beneficus non est, qui non intendit specialitatem beneficij, quod confert, iuxta dicta suppositione quartâ. Ergo Deus, dum confert auxilia efficacia, illa intendit, seu vult conferre prout efficacia. 79

Quartò probatur; nam, vt ait August. lib. de Dono perseuer. cap. 9. *Ex duobus impijs cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur; ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur: inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs cur huic donetur perseuerantia vsque in finem; illi autem non donetur: inscrutabiliora sunt iudicia Dei.* Sed hæc inscrutabilitas iudiciorum, seu consiliorum Dei non stat in eo, quòd Deus præsciat, istum responsurum vocationi, illum verò secus; tum quia actus hi non sunt Deo liberi; tum quia alios Deus habet, quibus præscit è contra, illum tali vocationi responsurum, istum autem tali non item. Nec stat in eo, quòd Deus præcisè velit vocare vtrumque; quia talis affectus vtrique esset prorsus communis. Ergo stat in eo, quòd Deus alterum præ altero ita vocare velit, vt de facto respondeat. Quod ipsum est, velle dare illi præ altero vocationem congruam, prout congruam, auxiliumve efficax prout efficax. 80

Quintò probatur; quia vt ait Prosper lib. 1. de Vocat. Gent. cap. 25. *Profunditas illius quæstionis*, (cur scilicet huic homini potiùs, quàm illi, gratia efficax detur), *quam secundùm admirationem Apostoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrij velle, & nolle non soluitur: quia, licèt insit homini bonum nolle; tamen nisi donatum, non habet bonum velle.* Solueretur autem quæstio per liberi arbitrij velle, & nolle, neuterque hominum illorum haberet velle donatum; si vtrique ex æquali affectu darentur à Deo auxilia entitatiuè æqualia; nec ei, qui de facto vult, daretur ex affectu speciali auxilium efficax, vt satis ex se est notum. 81

Sextò probatur ex S. Thoma dicente 1. par. quæst. 23. artic. 5. ad 1. *Vsus gratiæ præsitus non est ratio collationis gratiæ, nisi secundùm rationem causæ finalis.* Duo enim his verbis docet, vt constat ex contextu. Nempe, actum bonum ex gratiâ efficaci oriundum non mouere Deum per modum meriti ad talem gratiam conferendam: mouere tamen per modum finis, quatenus 82

tenus scilicet Deus præintendens talem actum vt finem, ideo moueatur ad talem gratiam conferendam vt medium ad obtinendum illum; quia præscit conditionatè exituruum illum à tali gratiâ, si conferatur. Quod est, moueri ad talem gratiam conferendam; quia ad talem actum efficax est.

83 Septimò probatur; quia, vt supra disput. 39. quæst. 6. traditum est, Deus omnes, & singulos actus bonos, quos homines re ipsâ exercent, prædefinit, atque adeò efficaciter intendit de facto. Vnde iuxta doctrinam generalem supra statutam dispnt. 36. quæst. 4. propos. 2. necessitatus manet Deus per talem intentionem ad eligendum medium idoneum pro vnoquoque talium actuum obtinendo, non vtcunque, sed prorsus infallibiliter, prout efficax Dei intentio postulat: quale est dumtaxat aliquod efficax auxilium; siquidem purè sufficiens ineptum ad id est, vt constat. Cùmque ex vnâ parte vtilitas auxilij efficacis ad consequutionem actus intenti omnino infallibilem per ipsius auxilij efficaciam constituatur; ex aliâ verò parte Deus ex intentione talis finis moueri non possit ad eligendum tale medium, nisi prout vtile ad ipsum finem, vt etiam constat ex vniuersali doctrinâ illius disput. 36. Concluditur planè, quoties Deus confert homini aliquod auxilium efficax ad obtinendum aliquem actum eius bonum, illud conferre, decernereque prout efficax est. Et, quanquam sat esset ad propositum decernere auxilium efficax prout efficax, non quidem amatâ, sed aliter connotatâ essentialiter per tale decretum illius efficaciâ, iuxta generalem doctrinam commemoratam in simili quæst. 4. num. 60. dicendum nihilominùs est, per eiusmodi decretum de facto amari à Deo auxilij efficaciam: tum quia non est, cur id negetur, cùm sit Deo amabilis; tum quia id efficaciter persuadent alia argumenta pro nostrâ propositione tradita, & mox tradenda. Porro per præsens argumentum speciatim probatur, ita Deum conferre auxilium efficax prout efficax, vt ipsum non conferret, si non foret efficax. Quod est intelligendum, considerato tali auxilio cum eisdem circunstantijs, cum quibus datur, solaque efficaciâ sublatâ. Nam, cùm, suppositâ prædefinitione actus, ad quem obtinendum ponitur hoc auxilium, necessarium omnino sit, vt aliquod efficax ponatur; si hoc cum suis circunstantijs non fuisset præuisum efficax, hoc vtique cum suis circunstantijs non poneretur, sed aliud loco eius, vt est manifestum. Quod tamen non tollit, posse hoc idem in tali casu cum alijs circunstantijs fore ponendum, si fuisset cum illis præuisum efficax. Posse enim idem auxilium à Deo præuideri, de factoque sæpissimè præuideri in statu conditionato sub aliquibus circunstantijs inefficax, sub alijs verò efficax, indubitabile prorsus est.

84 Octauò probatur propositio; quia iuxta loca Scripturæ, & Patrum indicata, & multa alia similia Deus specialiter est beneficus erga eum, cui confert auxilium efficax, præ altero, cui confert inefficax; (sicut specialiter est beneficus erga eum, quem prædestinat, præ altero, quem imprædestinatum relinquit); vt satis superque ex se est manifestum. Sed non esset Deus specialiter beneficus erga eum, cui confert auxilium efficax, præ altero, cui confert inefficax, nisi vellet primo bonitatem, qua efficax ratione efficaciæ excedit inefficax; vt constat ex doctrinâ præmissâ num. 75. Ergo, cui Deus confert auxilium efficax, illud conferre vult prout efficax.

Nonò probatur; nam accipiens à Deo 85
auxilium efficax speciales tenetur ipsi reddere gratias, præ accipiente solum inefficax; vti sibi haud dubiè persuasum habent Fideles, atque ex prædictis locis Scripturæ, & Patrum colligitur. Quas quidem reddere non teneretur, si specialitas doni accepti, quam auxilium efficax præ inefficaci habet à sua efficaciâ, directè ex intentione Dei non procederet; quia tunc à Deo dante auxilij entitatem non tam daretur, quàm excideret, iuxta dictum Senecæ relatum num. 75.

Decimò probatur; quia vt statuimus 86
tanquam omnino certum suppositione tertiâ, ipsi actus honesti nostri beneficia sunt à Deo collata nobis, ac proinde effectus eius à liberâ ipsius determinatione nascentes. Tales autem non essent, nisi Deus ad ponendos illos eligeret auxilium efficax quatenus efficax: quia in tali casu sola libertas nostra, non item diuina, determinaret existentiam honestam illorum; nobisque subinde solis, non item Deo voluntarij, & liberi essent, prout sunt honesti. Quod est ad rem valde notandum. Etenim actus liberi nostri prout sunt à nobis, (quo pacto euadunt boni, aut mali moraliter respectu nostri), immediatè non determinantur à Deo, neque determinari possunt, eorum saluâ libertate: (quidquid sit de eorum determinatione prout sunt à Deo quatenus immediatè ad illos nobiscum concurrente). Vnde fit, vt Deus dumtaxat possit determinare actus nostros honestos prout honestos (ad hoc vt sibi quoque prout tales sint voluntarij, & liberi) determinatione mediatâ ponendo videlicet liberè aliquid, ex quo illi cum metaphysicâ infallibilitate sequantur; quale dumtaxat esse potest auxilium efficax prout efficax. Conficitur ergo, necessariò dicendum esse, auxilia efficacia ad actus honestos à Deo decerni, conferriquo nobis quatenus efficacia, vt dici possit, sicut debet, eiusmodi actus vt tales beneficia esse nobis collata à Deo; idque voluntariè, libereque, prout opus est, vt sint reuerà beneficia. Mitto alia; quia pro doctrinâ adeo communi, & certâ hæc sunt satis, superque.

Contra illam tamen argui potest ex do- 87
ctrinâ, quam habet Lessius disput. de Prædestin. citatâ, præsertim sect. 2. à num. 11. Si enim Deus seligit pro Prædestinatis de industriâ auxilia efficacia prout efficacia, de industriâ etiam videtur illa negare Reprobis, & dare inefficacia, cum quibus infallibiliter damnandos præuideret; cùm tamen & illis quoque facile posset dare efficacia, quibus saluarentur. Quod videtur neque cum bonitate diuinâ, neque cum sincero, ardentique desiderio, vt omnes saluentur, quod præhabet Deus, consistere posse. Confirmatur; quia iuxta doctrinam S. Tho. & communem num. 73. commemoratam Deus distribuit Angelis auxilia gratiæ entitatiue maiora, aut minora proportionaliter ad maiorem, aut minorem perfectionem naturæ singulorum; a quæ adeò, non habitâ ratione efficaciæ, vel inefficaciæ illorum. Ergo tantumdem est dicendum de distributione auxiliorum, quæ confert hominibus.

Respondeo primò, ad hoc argumentum 88

ipsum Lessium debere respondere. Quia sæpe ipse fatetur, neque negare potest, Deum longè inæqualia entitatiuè auxilia gratiæ impertiri hominibus, adeòque magna dedisse aliquibus Sanctis, vt, si tam magna omnibus hominibus daret, vti potuit, omnes haud dubiè saluarentur. Et tamen hæc donorum Dei inæqualitas arbitrium libertatis humanæ omnino præueniens, & quæ radicalis occasio est, tum saluationis, tum condemnationis multorum, nec opponitur bonitati diuinæ, nec desiderio antecedenti communi, & æquali salutis omnium, quod Deus habet, vt est certissimum. Ad rem quippe nihil interesse videtur, quòd inæqualitas donorum Dei à solâ eorum entitate, aut insuper ab eorum efficaciâ, vel inefficaciâ proueniat. Et quidem, cùm Deus sua auxilia distribuat certissimè præuidens, quænam eorum sint efficacia, sortituraque tandem saluationem eorum, quibus dantur; & quænam sint inefficacia, & cum damnatione eorum, quibus dantur, tandem iungenda, præsertim iuxta sententiam doctrinæ Patrum consentaneam stabilitam supra à nobis disput. 38. quæst. 2. Nihil etiam videtur ad rem interesse, quod priora formaliter prout efficacia decernantur à Deo, vel quoad entitatem præcisè.

89 Respondeo ergo ad argumentum secundò, Deum omnia auxilia sua omnibus hominibus dare ex vero, sinceroque desiderio, vt cum illis piè operentur, & salui fiant. Quia tamen suorum donorum dominus est, pro suo libero beneplacito, & iuxta iustissima sua, sed occulta nobis consilia non omnibus dat auxilia æqualia, sed alijs maiora, alijs minora; idque tum quoad bonitatem entitatiuam præcisè, tum quoad moralem eis prouenientem ab actibus hominum liberis cum quibus coniungenda sunt. Quemadmodùm ergo auxilia entitatiuè inæqualia quoad totam bonitatem, quam habent, siue maiorem, siue minorem confert ex intentione Deus; quia quoad totam confert ex affectu beneuolentiæ, quoad totamque beneficus est erga illum, cui confert; ita auxilia moraliter inæqualia (qualia sunt efficacia, & inefficacia comparata inter se) quoad totam bonitatem, quam habent confert ex intentione Deus ob eamdem rationem. Quo fit, vt auxilium efficax quoad bonitatem resultantem ex entitatè, & ex efficaciâ, quam totam habet, atque adeò quatenus efficax conferat Deus ex affectu beneuolentiæ; auxilium verò inefficax quoad bonitatem entitatiuam præcisè, quam solam habet, atque adeò non prout inefficax, quia vt sic non bonum, sed potius malum est. Et quemadmodùm Petrus de Deo conqueri iure non potest, quòd sibi conferat auxilium entitatiuè bonum tantùm vt duo, dum confert Paulo auxilium entitatiuè bonum vt octo pro mero suo beneplacito: ita Reprobus de Deo conqueri iure non potest, quod sibi conferat auxilium purè sufficiens, dum Prædestinato confert auxilium efficax pro mero suo beneplacito. Quanquam enim auxilium purè sufficiens non tantùm sit minus bonum, quàm efficax, sed à peccato sibi adiungendo euadat ingens malum, hoc tamen malum nullatenus prouenit à Deo, sed illud sibi adsciscit Reprobus, atque adeò propter illud non de Deo, sed de seipso conqueri debet. Et quamuis Deus facillimè posset vt omnipotens tale malum vitare, vt Dominus tamen, vniuersalisque Gubernator omnium suarum creaturarum ad id non tenetur; sæpissimèque subinde non vitat, sed iustissimis decausis permittit. *Et quis dicere potest, cur ita facis?* Iob. 9. *Ergo cuius vult miseretur*, (dando auxilia efficacia), *& quem vult indurat*, (illa negando). *Voluntati enim eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo. Numquid dicit figmentum ei, qui se finxit. Quid me fecisti sic? An non habet potestatem figulus luti ex eadem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam?* ad Rom. 9. Per quæ ad argumentum propositum abundè satisfactum est.

Ad confirmationem respondeo, Angelis 90
quoque, qui steterunt, contulisse Deum auxilia efficacia prout efficacia. Id namque probant pariter argumenta facta pro hominibus. Nec refert, quod dederit eis Deus auxilia proportionalia eorum naturis quoad perfectionem entitatiuam. Cùm enim certum sit, alia eorum fuisse efficacia, & alia inefficacia: potuit Deus eligere efficacia prout efficacia pro Angelis prædestinatis, relictis cum solis inefficacibus Angelis reprobis.

Propositio 2.

Auxilium efficax nequit euadere 91
maius beneficium, quàm inefficax, à scientiâ de efficaciâ, & inefficaciâ, si affectus Dei collatiui amborum æquales intrinsecè sint, prout volunt quidam Recentiores.

Casus eorum est, si Deus efficaciter velit dare Petro auxilium efficax, & Paulo auxilium inefficax entitatiuè æqualia, affectusque collatiui amborum sint huius naturæ. Volo tibi dare hoc auxilium propter omnem vtilitatem, quam habet re ipsâ ad conuersionem. In quo casu, dicunt, isti affectus æquales sunt ex parte obiectorum; quia confundunt efficaciam, & inefficaciam, quam obiecta habent re ipsâ: indeque fit, vt obiecta, in quæ tendunt, respectu eorum maneant omnino æqualia: accedente autem scientiâ mediâ de illorum efficaciâ, & inefficaciâ, extrinsecè euadunt ab illâ affectus quidem auxilij efficacis magis beneficus, affectus verò auxilij inefficacis longè minus: eo quòd per primum simul, & scientiam de efficaciâ auxilium efficax quoad entitatem simul, & efficaciam euadit voluntarium: per secundum verò simul, & scientiam de inefficaciâ auxilium inefficax quoad entitatem dumtaxat voluntarium euadit: quo tandem fit, vt auxilium efficax multò maius beneficium euadat, quàm inefficax.

Contra tamen est primò. Nam vel Deus 92
ad concipiendos dictos affectus dirigitur per scientiam mediam de efficaciâ, & inefficaciâ dictorum auxiliorum: vel non dirigitur. Si dicatur primum; impossibile est, quòd tales affectus non sint obiectiuè inæquales; quia idem erit in tali casu ferri voluntatem diuinam in auxilium efficax propter omnem vtilitatem, quam re ipsâ habet ad conuersionem, ac ferri in illud propter omnem vtilitatem talis auxilij expresè sibi repræsentatam per scientiam mediam, quæ ipsissima vtilitas est, quam habet illud re ipsâ, coalescens ex suâ entitate, & ex suâ efficaciâ: similiterque idem erit in tali casu, ferri voluntatem diuinam in auxilium inefficax propter omnem vtilitatem, quam re ipsâ habet ad conuersionem, an ferri in illud

illud propter solam vtilitatem entitatis eius, quam solam habere re ipsâ detegitur per scientiam mediam de inefficacia; eo ipso, quòd inefficaciâ non vtilitas ad conuersionem, sed impedimentum potiùs est. Constat autem affectus voluntatis, quorum vnus pro obiecto habet bonitatem coalescentem ex entitate, & efficaciâ auxilij, & alter bonitatem solius entitatis, obiectiuè inæquales esse. Iam verò, si dicatur secundum; nempe ad concipiendos dictos affectus non dirigi Deum per scientiam mediam de efficaciâ, & inefficaciâ dictorum auxiliorum; manifestè consequitur, eiusmodi scientiam nihil penitus conferre posse ad hoc, vt efficacia prioris auxilij, & sola entitas posterioris Deo sint voluntariæ: quo Aduersariorum doctrinâ penitus ruit. Quandoquidem ad hoc, vt effectus sit voluntarius ea sola cognitio conferre potest, per quam voluntas dirigitur, seu ducitur ad causandum illum, iuxta communem Theologorum doctrinam ad 1.2.S.Tho. De qua nos plura supra disput.38.quæst.2.

93 Secundò absolutè contra casum Aduersariorum est. Quòd voluntas diuina ad concipiendos affectus collatiuos auxiliorum necessariò dirigi, siue duci debet per scientiam mediam de eorum vel efficaciâ, vel inefficaciâ; prout statutum relinquimus quæst.2. citatâ. Quo posito, affectus ab Aduersarijs assignati pro casu, quem excogitarunt, non possunt non esse obiectiuè inæquales, vt constat ex dictis: casusque ipse subinde cum suâ doctrinâ iterum corruit. Et nostra propositio probata manet.

Propositio 3.

94 Possibile est, de factoque forte sæpe eueniet, vt duo auxilia efficacia omnino æqualia ad duos actus virtutis etiam æquales duobus hominibus dentur, quorum alter iustus sit, alter verò peccator. Quo casu affectus collatiui talium auxiliorum inæquales erunt obiectiuè: maiusque beneficium erit quod à minore affectu procedit, quàm quod à maiore.

Pro intelligentiâ suppono primò, virtutem beneficentiæ (quæ vel eadem cum beneuolentiâ, vel pars eius est) directè tendere ad conferendum alteri bonum, prout bonum illius est; quod bonum proinde relatum erit ad illum vt ad subiectum; atque ita amari non poterit, ipso subiecto non amato. Quocirca voluntas beneuola tunc erga alterum actum beneficentiæ, siue beneuolentiæ exercet, quando illi vult bonum ex complacentiâ ipsius; atque idcirco illi vt subiecto bonum relatum vult, quia complacet in bonitate absolutâ, qua tale subiectum in se bonum est. Vnumquodque autem subiectum bifariam est bonum in se. Primò bonitate essentiali à suâ essentiâ indistinctâ. Secundò bonitate accidentali proueniente ab accidentalibus essentiæ adiunctis, & eam perficientibus; atque adeò reddentibus eam magis bonam in se absolutè, quàm erat per se solam. Hinc fit, vt, quando voluntas beneuola duobus subiectis vult duo bona relata, quantumuis hæc sint inter se æqualia, affectus nihilominùs obiectiuè inæquales esse, quando subiecta inæqualiter sunt in se bona bonitate absolutâ: quia, cùm obiectum integrum, in quod tendit affectus beneuolentiæ, coalescat ex duobus bonis, altero relato, & altero absoluto, ex parte vtriusuis potest ille obiectiuè crescere, vel decrescere. Quæ omnia constant ex generalibus doctrinis de bono, & malo, de obiectisque, & actibus voluntatis traditis in hoc Opere disput. 15. 32.& 34.

Suppono secundò, quanuis Deus odio inimicitiæ prosequatur peccatorem, vt peccator est, illum tamen nihilominùs prosequi simul amore beneuolentiæ, vt homo est, iuxta illud Sapient. 11. *Diligis enim omnia, quæ sunt; & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Maiore tamen affectu beneuolentiæ prosequitur iustum: quia hunc non tantùm diligit, vt homo est, sed etiam, vt iustus est; quo pacto à bonitate iustitiæ sibi adiunctæ magis est in se bonus absolutè, quàm, vt homo est præcisè. 95

Suppono tertiò, quando Deus duobus hominibus, alteri iusto, & alteri peccatori confert æqualia bona, etsi affectus beneuolentiæ erga peccatorem propter minorem eius bonitatem absolutam obiectiuè sit minor: beneficium tamen ipsi collatum propter eius indignitatem censetur absolutè maius: quia præstantioris citra dubium beneuolentiæ est, indigno, & inimico benefacere, quàm digno, & amico, vtrique bona æqualia dando. Per quæ integra nostra propositio manet explicata, & probata; quin opus sit quidpiam adijcere. 96

TRACTA-

TRACTATVS XII.

DE PRAEDESTINATIONE SANCTORVM, & Reprobatione Impiorum.

HAE sunt duæ partes potissimæ totius Diuinæ Prouidentiæ; ad quarum plenam intelligentiam fermè ordinantur, quæcunque in præcedente Tractatu de Prouidentia Dei in communi tradita sunt. Restat, vt in præsente, & vltimo de illis speciatim agamus, suppositis, quæ generatim, aut etiam speciatim ad easdem spectant ex iam prædictis. Absoluetur autem hic Tractatus quatuor disputationibus. Prima (& ordine 41.) erit de essentiâ, & proprietatibus Prædestinationis. Secunda de eius causis. Tertia de eius effectibus. Et quarta de Reprobatione.

DISPVTATIO 41.

De essentiâ, & proprietatibus Prædestinationis.

QVID sit prædestinatio, satis explicatum relinquimus disput. 37. quæst. 3. Ex ibi dictis constat, eam esse specialem, atque certissimam prouidentiam, qua Deus per media infallibilia Electos suos perducit in vitam æternam. Statuimus autem in eadem disput. quæst. 9. prædestinationem directè in actibus diuinæ voluntatis consistere, connotatis actibus diuini intellectus ad illam necessarijs; de quibus latè egeramus quæst. 4. Actus autem diuinæ voluntatis ad prædestinationem spectantes alij esse non possunt ab intentione finis, qui est gloria Prædestinati, & electione mediorum, quæ sunt ex parte Dei auxilia gratiæ, & ex parte Prædestinati merita bonorum operum, iuxta dicta vniuersè ibidem quæst. 5. Quoniam verò Deus varijs modis potest finem intendere ex eâque intentione moueri ad ponenda media secundùm doctrinam generalem traditam disput. 36. quæst. 4. potissima difficultas in hac disputatione ex aminanda est, ex qua intentione circa gloriam moueatur Deus de facto, aut moueri possit ad procuranda medijs auxilijs gratiæ merita Prædestinatorum, ob quæ gloria ipsa confertur. Ad quam difficultatem pertinet quæstio illa celebris, an electio Prædestinatorum ad gloriam fiat à Deo ante præuisa absolutè, vel post præuisa eorum merita. Vocant namque Theologi electionem Prædestinatorum ad gloriam decretum efficax, quo Deus illis præ Reprobis gloriam dare decernit. Igitur in hac disputatione istam imprimis difficultatem examinabimus, postmodùmque alias affectiones diuinæ prædestinationis percurremus. Oportet tamen animaduertere, prædestinationem, prout dicit actum voluntatis, ab aliquibus ad solum decretum dandi gloriam ante præuisa merita referri; ab alijs ad sola decreta conferendi media efficacia, quibus tandem est obtinenda gloria: à plerisque tamen ad omnes actus voluntatis Dei, quibus tam media, quàm finis procurantur Prædestinato, iuxta diuersas sententias de termino prædestinationis, de quibus egimus disput. 37. quæst. 3. citatâ à num. 19. vbi Auctores earum dedimus.

QVAESTIO I.

Vtrùm electio absoluta, & efficax Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa merita possibilis sit, supposito, quòd in exequutione gloria confertur propter merita.

VOcatur electio Prædestinatorum ad gloriam, vt notabamus nuper, decretum efficax, quo Deus decernit conferre gloriam Prædestinatis. Supponimus autem vt certum secundùm fidem, & omnibus Catholicis notissimum, etsi Deus vt supremus Dominus posset hominibus suam gloriam conferre independenter ab omni merito; de facto tamen statuisse, vt nullus adultus illam obtineat, nisi per merita morte consummata, neque vllus paruulus, qui à labe originali non iustificatus decesserit. Qua veritate suppositâ, celebris est inter Theologos controuersia, an Deus decreto absoluto, & efficaci præligat adultos Prædestinatos ad gloriam, ipsisve gloriam ipsam conferre decernat ante præuisa absolutè merita eorum; ex eoque decreto moueatur ad dandum illis auxilia efficacia, quibus merita comparent. Vel potiùs merita ipsa expectet, neque decernat gloriam dare, ante quàm absolutè præuideat, futura merita, ob quæ illa cum effectu conferenda est. Quæ controuersia suum etiam locum habet circa paruulos, quorum iustificatio ab originali instar meritorum est, quod ad rem attinet. Et ita de vtrisque eodem modo philosophantur plerique Doctores referendi. Exagitant autem Doctores

ctores communiter quæstionem hanc de facto. Suntque circa illam duæ præcipuæ, & inter se oppositæ sententiæ. Prima negantium præelectionem absolutam, & efficacem Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa eorum merita. Secunda illam adstruentium.

2 Negatiuæ sententiæ sunt Vazq.1.par.disput. 89. per totam, & 3. par. disput.23. cap.10. & 11. Lessius disput.de hac re, quam habet inter opuscula. Franciscus Turrianus opusc. de Elect. Prædestin. Fonseca rom.3. Metaph. cap.2.quæst.3. sec.1. Becan. 1.par. cap.14. Basil. Legion.quæst.6. Scholast.cap.12. Alarcon 1.par. tract.4. disput.2. cap.11. Moncœus disp. 4. cap.4. Luis. Turrianus Opusc. de Elect. ad gloriam, Coninc.2.2. tract. de Spe disp.20.dub.13.Mœratius 1. par. disp.41.sec. 1.Gasp.Hurt.tract.de Prædest. disp.2.diff.5.Franc. Amic. disput.15. sect.4. Martin. disput.20.sect.6. Carlet.disput.40.sect.4. Salas tom. de Grat. non typis excuso tract.15.disput.14. sect. 2. vbi alios triginta Auctores congessit pro hac sententia, vt testatur Herice 1. par. disput.23. sect.3. Consentiunt ipse Herice, & Arrub.disput.72.& 73. licèt cum limitatione quadam, de qua postea. Citantur etiam pro hac sententia Valent. & Molina, quorum tamen mens dubia est. Eamque ex antiquis tradiderunt Argentina, Maior,, Aureolus, Abulensis, Vvaldensis, Alensis, Albertus, Ricardus, Enric. Bonauent. & alij, apud præcitatos Doctores, præsertim apud Lessium, Heric. & Amic.

3 Affirmatiuam verò sententiàm adstruentem electionem Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa merita tenent communiter Thomistæ 1.p.q. 23.art.4.vbi illis fauet S.Th. Caiet. Bann. Zumel, Ripa, Nauarius, Nauarrete, Cornejo, Gonzalez disput.73.sect.2. Machin disput.47. Ledesma de Auxilijs disput. de hac re concl. 5. Aluarez lib.5. de Auxilijs disput.37. concl.3. Cursus Carmelit. disput.9.dub.2. Ioan. à S. Thom. disput.8.art.4. Marc. Serra dub. vnico. Consentit Scot. in 1. dist.41. §. *Potest aliter*, & ibi eius Asseclæ. Ex nostris Tolet. in cap.8. epist.ad Roman. annot.31. Pereira ibid.disput.12.13. & 22. Salmeron. disp. 20. & 21. Bellarm.lib.2. de Gratia, & liber. arbitr. cap.15. Henriquez de Fine hominis cap.11. Iustinianus in cap.9. epistolæ ad Rom. Lorinus 2. Petri 1.v.10. Soar. lib.1. de Prædest.cap.8. & lib. 3. de Auxilijs cap.13. Fasolus 1.par.quæst.23.art. 1. dub.3. num.26. Granad. 1.par. Contr.4.tract. 7. dispdt.4.sect.2. Ruiz tom. de Prædest. disp. 7. & sequentibus, Tann.1.par.disput.3.quæst.5.dub. 3. Arriaga disput.35. & 36. Franc. de Lugo disp. 39.cap.4. Ribas disput.3. Ribaden. disput.13. de Prædest. Quiros tom.2. de Deo disput. 12. & alij multi ex Antiquioribus apud præcitatos Doctores, præsertim apud Enriq. Ruiz, & Tann.

4 Inter quas duas sententias extremè oppositas medium locum tenet sententia eorum, qui dixerunt, quosdam eximiè prædestinatos vt B. Virginem, Iannem Baptistam, Apostolos, & similes Sanctos electos ad gloriam fuisse ante præuisa merita; reliquos verò prædestinatos non item. Auctores huius sententiæ sunt, vt fertur, Ocham.in 1.dist.41.quæst.1.Gabriel. ibid.quæst. 1. art.2. Chatarinus Opusc. de Prædest. lib.1.cap. vlt. & lib.3.cap.1. & 2. Quibus consentire videtur Eckius in Chrisopasso centuria 2. num.94. Nec desunt Recentiores, qui sententiam hanc amplectantur.

5 Quartam sententiam aliter mediam inter duas extremas relatas videntur adstruere Arrubal supra & Herice disput. 23. citatà cap. 13. Quorum primus ait, Deum ante præuisa merita decernere gloriam Prædestinatis non in se ipsà, sed in causà, nempe in auxilijs efficacibus. Secundus autem ait, Deum ante præuisa merita eodem indiuisibili actu velle gloriam Prædestinatis, & ipsa merita, & auxilia efficacia gratiæ; qui tamen actus respectu gloriæ, & meritorum simplex affectus est, efficax verò dumtaxat respectu auxiliorum.

Quinta sententia est noster Alcasar Comentario in Apocalypsim ad illa verba cap.3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Vbi ait, ante præuisa merita certum numerum Prædestinatorum fuisse à Deo designatum, non designantis personis, quibus ille est complendus; posteaque designasse Deum personas in particulari, ita, vt, quotiescunque aliquis vocatus ad gloriam, & iustificatus exciderit, semper alius illius loco substituatur. Consentit Ruiz tom. de Prædest.disp.53.sect.4.num.4. 6

Hæc sentiunt Doctores, quorum plerique quæstionem tractant solùm de facto. Verùm, quia potissima argumenta, quibus impugnari solet electio absoluta ad gloriam ante præuisa merita, eo tendunt, vt probent, eam esse impossibilem, suppositò, quòd in exequutione confertur gloria propter merita. E conuersò autem multi ex Doctoribus illam adstruentes adeò necessariam esse arbitrantur, vt sine illà negotium prædestinationis non possit peragi. Operę pretium erit, examinare imprimis, quid de possibili; vt postea quæstio de facto facilè possit expediri. Ob id in præsenti quærimus, an fieri possit, vt Deus absolutè, & efficaciter eligat Prædestinatos ad gloriam ante præuisa merita, suppositò, quod illam non dat, nisi propter merita, vt fide sanctum est. Tractabimus autem hanc, & sequentes quæstiones iuxta sententiam constituentem decreta Dei intrinseca omnino, quæ nostra est, & expeditior. Difficile autem non erit Connotantibus, pleraque dicenda sententiæ suæ accommodare. 7

Igitur pro resolutione suppono primò vt certum secundùm fidem, in potestate hominum esse, consequi gloriam suis operibus, aut illam amittere: (loquor semper de adultis, nam, quid de paruulis sit dicendum, breui definiam ad extremum). Constat hæc veritas ex doctrinà Pauli 2. ad Timot. 2. vbi docet, vnumquemque emundando se à peccatis posse fieri ex vase contumeliæ vas in honorem. Constat etiam ex illo 1. Corint.9. *Ne forte, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar*. & Apocalyp.3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*, ex illàque petitione orationis dominicæ. *Adueniat regnum tuum*. Hæc enim, & similia planè suppununt in nobis potestatem amittendi, & acquirendi gloriam nostris operibus. 8

Suppono secundò, vt certum etiam secundùm fidem, gloriam Prædestinatis per actionem remuneratoriam conferri vt coronam, præmium, mercedem, & retributionem meritorum. Quæ veritas passim exprimitur in Scripturis. Sap. 5. *Apud dominum est merces eorum.* Sap.10. *Reddidit iustis mercedem laborum suorum.* Math.20. *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Math.25. *Euge serue bone, & fidelis; quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam, intra in gaudium Domini tui.* & infra. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine Mundi: esu-* 9

rini

viui enim, & dedistis mihi manducare, &c. 2. ad Tim. 4. *Reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illà die iustus Iudex.* Psal. 118. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et sæpe alibi. Hæc duo dogmata sunt præcipua capita difficultatis. Nam electio ad gloriam antè præuisa merita nec cum libertate Prædestinatorum ad amittendam gloriam, nec cum remuneratione meritorum videtur cohærere posse.

10 Suppono tertiò, vt actio, qua confertur bonum merenti, sit remuneratoria, necessariam esse in præmiante voluntatem compensandi meritum per talem actionem; non aliter, quàm, vt præceptum externum sit verè obligatorium, requiritur in præcipiente voluntas per illud obligandi, vt ostendimus in Tractatu de Legibus. Collatio enim facta merenti indifferens est, vt sit donatio merè gratuita, vt sit solutio alterius debiti distincti à merito, & vt sit compensatio meriti. Quæ indifferentia non aliter, quàm per voluntatem conferentis tale bonum determinatur: qui, cum illud confert ex intentione compensandi meritum, suâ voluntate constituit eam actionem intra speciem remunerationis. Quo fit, vt talis voluntas intrinsecè spectet ad rationem remunerationis, siue compensationis meriti: sicut voluntas obligandi subditum intrinsecè pertinet ad rationem præcepti obligatorij. Quod non obstat, quominùs ipsa compensatio sit obiectum talis voluntatis: quia hæc in nobis valde confusè cadit sub conceptum compensationis; quo pacto non est inconueniens, vt sit obiectum partiale sui: sicut definitio definitionis in communi obiectum est partiale sui, vt comprehenditur sub definitione in communi, vti vel Logici sciunt. In Deo autem nihil impedit, quominùs voluntas compensandi meritum sit aliquo modo reflexiua supra se ipsam. Vt in simili de voluntate obligandi subditos per præcepta diximus in Tractatu de Legibus. Igitur voluntas hæc, qua constituitur collatio boni in ratione remunerationis prorsus est onerosa, & compensatiua, neque gratuita potest esse; cùm sit pars ipsius compensationis necessaria, atque adeò debita merito. Cæterùm, si quis per aliam voluntatem reflexam intendat meritum compensare, habendo pro obiecto compensationem iam constitutam per voluntatem prædictam compensatiuam; huiusmodi voluntas reflexa gratuita poterit esse, & liberalis entitatiuè; tametsi obiectum eius sit quid onerosum: quia ea nec est debita merito, nec pertinet ad compensationem eius. Sicut voluntas, qua Legislator reflexè vellet condere legem, intrinsecè ad legem non spectaret, neque esset per se obligatoria: & sicut voluntas, qua ego volo, vt Petrus remuneret meritum Pauli, gratuita potest esse respectu Pauli; etiam si pro obiecto habeat compensationem meriti eius faciendam à Petro. Vniuersaliter enim voluntas, qua reflexè amatur integer actus alicuius virtutis, entitatiuè non est actus, neque materia propria eiusdem virtutis; tametsi ab illà vt ab effectu quadamtenus ipsius honestatem participet imputatiuè, & extrinsecè, quando voluntas efficax est. Sic namque voluntas reflexa de actu charitatis neque est actus charitatis, nec bonitatem habet intrinsecam charitatis; quidquid sit de imputabilitate extrinsecà. Et voluntas reflexa de actu iustitiæ non est intrinsecè actus, nec materia iustitiæ. Pariterque de cæteris est dicendum. Ex quibus liquet, voluntatem, qua reflexè amatur compensatio meriti entitatiuè posse esse gratuitam; etsi voluntas constituens, & complens compensationem ipsam sit onerosa: quia hæc entitatiuè, & intrinsecè materia propria est virtutis remunerantis meritum; illa verò intrinsecè materia est liberalitatis; tametsi, quando efficax est, imputatiuè, & extrinsecè honestatem remunerationis, quam imperat, dicatur aliquo modo participare. Stet itaque, actionem collatiuam boni semiextrinsecè denominari remunerationem meriti tum ab existentiâ meriti, tum à voluntate compensandi meritum ipsum per tale bonum: huiusmodi autem voluntas constitutiua compensationis, non opus est, quòd sit per se exequutiua; potest enim intentiua sufficere; vt patet in eo, qui per ministerium famuli remunerat meritum, aut quoduis aliud debitum soluit. Hic enim tantùm habet voluntatem intentiuam remunerandi, seu soluendi.

Suppono quartò ex generali doctrinâ tradità supra disput. 32. quæst. 5. & disput. 34. quæst. 11. à num. 150. de modis, quibus voluntas ferri potest in obiecta relata vel semiextrinsecè, vel intrinsecè; suppono, inquam, Deum quatuor modis posse velle efficaciter volitione compensatiuà conferre quoduis bonum in præmium meriti. Primò, præuidendo scientiâ absolutâ, existere meritum, & decernendo collationem boni in compensationem meriti. Secundò, præuidendo scientiâ conditionatâ, extiturum meritum, si extiterit collatio boni, & decernendo, vt existat collatio boni in præmium meriti. Tertiò, nullâ præeunte scientiâ de existentiâ meriti, sed tantùm de possibilitate, decernendo simul eodem decreto, vt existat meritum, &, vt existat collatio boni in præmium eius. Quartò, nullâ similiter præeunte scientiâ de existentiâ meriti, sed tantùm de possibilitate, decernendo conditionatè, conferre bonum in præmium meriti, si existens meritum; sin minus, aut non conferre, aut gratis conferre. Quos quatuor modos præmiandi meritum esse possibiles ex generali doctrinâ citatâ constat, eo ipso, quòd in collatione boni denominatio semiextrinseca est, esse præmium meriti. Quoniam autem volitio compensatiua meriti aut potest esse exequutiua, aut purè intentiua, vt dictum est; quatuor dicti modi diuersi decernendi meriti compensationem duplicandi veniunt. 11

Iam volitione reflexâ, & entitatiuè gratuitâ, eâque subinde purè intentiuâ, quatuor similiter modis potest Deus imprimis decernere collationem boni quatenus semiextrinsecè præmium est meriti. Primò, præuisâ absolutâ existentiâ tum meriti, tum volitionis compensatiuæ eius. Secundò, præuisâ eorumdem existentiâ conditionatâ sub conditione existentiæ collationis boni. Tertiò, independenter ab eis præuisionibus decretâ simul eodem decreto absoluto existentiâ omnium trium. Quarto, decretâ conditionatè collatione boni ponendâ vt præmium meriti, si extiterint meritum, & voluntas compensatiua eius, sin minus, aut non ponendâ, aut gratis ponendâ. Deinde potest Deus simul decernere collationem boni, & voluntatem compensatiuam, connotato merito solo quatuor prædictis modis. Et viceuersâ simul decernere collationem boni, & meritum, connotatâ solâ voluntate compensatiuâ. Resultantque modi duodecim, quibus Deus volitione reflexâ, & gratuitâ potest decernere collationem boni, prout remuneratiua meriti semi-

semiextrinsecè est. Præterea tamen potest volitionem reflexa, & gratuitâ decernere volitionem compensatiuam, quæ intrinsecè est talis, atque adeò connexa intrinsecè cum collatione boni, & cum merito. Idque quatuor similiter modis prædictis, scilicet præuisis aut absolutè, aut conditionatè collatione boni, & merito; aut decretis simul cum volitione compensatiua; aut hac solâ decretâ sub conditione, quòd illa existant. Tandemque Deus reflexâ, gratuitâque volitione decernere poterit simul cum volitione compensatiuâ aut collationem boni, connotato merito solo quatuor modis prædictis, aut vice versâ meritum, connotatâ solâ collatione boni similiter. Quo alij duodecim resultant modi diuersi decernendi volitionem compensatiuam, & mediâ illâ compensationem meriti. Quæ clarè innotescent recognoscenti doctrinam generalem citatam.

13 Ex his pergo, & suppono quintò, electionem Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa absolutè merita tribus imprimis modis posse respicere gloriam ipsam. Primò, vt conferendam omnino gratis, exclusis positiuè meritis. Secundò, vt conferendam tanquam coronam intuitu meritorum. Tertiò, vt conferendam secundùm substantiam præcisè, non determinato modo collationis seu gratuitæ, seu onerosæ. Hanc diuisionem dedit Soar. lib. 3. de Auxilijs cap. 19. à num. 25. ex eoque alij Recentiores sumpserunt. Sed quia eius membra minutiùs, & distinctiùs non dissecarunt, quibusdam se implicauerunt difficultatibus; quas, si accuratiùs rem distinxissent, fortasse in radice præcidissent. Tantum interest, exactus, & adæquatas diuisiones præmittere, & omnes quæstionum casus distinctè proponere.

14 Omisso igitur decreto conferendi gloriam omnino gratis, quod in præsenti prouidentiâ locum non habet, vt videbimus. Decretum conferendi gloriam vt coronam ante præuisa absolutè merita aut potest esse directum, & compensatiuum meritorum; illudque aut exequutiuum, aut purè intentiuum: aut potest esse reflexum, purè intentiuum, & entitatiuè gratuitum. Si fuerit compensatiuum meritorum, & exequtiuum, tribus modis poterit concipi à Deo; & totidem, si fuerit compensatiuum meritorum, & purè intentiuum iuxta dicta num. 11. de decreto compensatiuo cuiusuis meriti aliter, quàm ex præuisione absolutâ eius, per collationem cuiusuis boni. Si autem fuerit decretum reflexum purè intentiuum, & entitatiuè gratuitum, octodecim modis poterit concipi à Deo iuxta dicta ibidem de simili decreto tendente in compensationem cuiusuis meriti aliter, quàm ex præuisione absolutâ eius, faciendam per collationem cuiusuis boni; vt applicanti doctrinam illam ad propositum fiet compertum. In quo ampliùs nos morari, opus non est.

15 Restat decretum de collatione gloriæ quoad substantiam præcisè: quod eo ipso debet esse purè intentiuum, vtpote præscindens à circunstantijs, sub quibus de facto gloria datur, è quorum numero sunt merita prout existentia. Potest autem collatio gloriæ per illud respici primò secundùm se præcisè; secundò prout consequibilis à Deo per hominum merita; tertiò prout consequibilis aliter, quàm per merita; quartò prout consequibilis vtroque modo, iuxta similè diuisionem traditam supra disput. 39. quæst. 1. prædefinitionis de actu voluntatis creatæ præscindentis à libertate eius, atque necessitate. Porro decretum collationis prout consequibilis per merita suapte naturâ supponit, Deum in suâ potestate habere auxilia efficacia, quibus possit obtinere merita ipsa, vti dicebamus ibi de decreto actus voluntatis prout consequilis per media libera. Agimus autem in præsenti de decretis absolutis, determinatisque ex parte obiecti, dicturi nonnihil ad calcem quæstionis de condinionatis, & disiunctiuis.

Ex dictis obiter, & breuiter ardens quædam 16
pugna sedanda est inter Doctores admittentes decretum absolutum gloriæ vt coronæ ante præuisa absolutè merita. Alij enim vt Gran. 1. par. tract. 7. disput. 4. sect. 4. num. 33. Ruiz disput. 12. de Prædest. sect. 7. num. 9. & Recentiores Salmaticenses contendunt, præter decretum illud antecedens merita, quo decernitur gloria vt corona, nullâ aliâ voluntate opus esse, qua Deus, positis meritis, in eorum præmium gloriam conferat. Alij verò, vt Soar. lib. 3. de Auxilij cap. 19. num. 4. & lib. 1. de Prædest. cap. 14. Arrub. disp. 65. nu. 20. & Recentiores Complutenses enixè contendunt oppositum. Ex dictis verò palam est, vtrumque possibile esse. Nam, si decretum præcedens merita, tendensque in gloriam vt coronam compensatiuum sit formaliter, atque etiam exequutiuum respectu gloriæ aliquo ex modis supra explicatis, nullâ aliâ voluntate opus erit, qua gloria in exequutione ob merita ipsa conferatur. Si verò decretum præcedens merita, tendensque in gloriam vt coronam entitatiuè sit gratuitum, vtpote non constituens, sed constitutam respiciens compensationem meritorum, omnino opus est aliâ voluntate compensatiua, à qua collatio gloriæ rationem remunerationis sortiatur tanquam à quadam formâ extrinsecâ. Nan sine huiusmodi voluntate conceptus remunerationis de facto collationi gloriæ conueniens nullatenus constare potest: nec potest voluntas illa præuia gratuita compensatiua esse formaliter, vt satis superque ex dictis manifestum est. Vnde planè refutandus venit Ruiz; qui, cùm sæpe asserat, & supponat totâ disputatione citatâ, prædictum decretum gloriæ antecedens esse gratuitum, & liberale, adiungit nihilominùs, per illud in exequutione dari gloriam ob merita, nullo alio decreto interueniente. Hoc tamen planè falsum est: quia repugnat, esse veram remunerationem meritorum sine aliquâ voluntate remunerantis, quæ debita sit meritis ipsis, ad eorumque remunerationem intrinsecè pertinens; & consequenter, quæ non gratuita, sed onerosa sit. Porro argumenta, quibus Recentiores commemorati hinc inde decertant, ne tempus sine fructu teram, omnino missa facio. Nam quid ea momenti habeant, facilè ex dictis hìc perspiciet, quisquis in illa inciderit; facillimèque diluet, quidquid in illis doctrinæ nostræ visum fuerit aduersum. His positis.

Propositio. 1.

Decretum conferendi gloriam Prædestinatis omnino gratis, & sine dependentiâ à meritis impossibile est in Deo, suppositâ præsenti prouidentiâ, qua gloria de facto confertur intuitu meritorum. 17

Est certum apud omnes. Quia dare gloriam omnino gratis, & sine vllo respectu ad merita, & dare illam propter merita, obiecta sunt contradictoriè opposita. Ergo, supposito decreto, quo Deus dat gloriam propter merita, repugnat decretum dandi illam omnino gratis. Quia Deus absolutè, & efficaciter non potest velle, vt existant simul duo obiecta contradictoria, vt notum est.

Propositio 2.

18 **Decretum prædefiniens gloriam vt coronam ante præuisa absolutè merita quolibet ex modis commemoratis num. 14. ex nullo capite repugnat Deo, etiam suppositâ prouidentiâ præsenti, qua Deus de facto gloriam confert in præmium meritorum.**

Hanc propositionem, saltem secundùm aliquem eius casum, amplectuntur Doctores omnes supra relati, qui admittunt de facto electionem ad gloriam ante præuisa merita. Ea autem non aliter probanda venit, vtpote assertio de possibili, quàm soluendo argumenta omnia, quibus Auctores sententiæ oppositæ supra etiam citati repugnantiam moliuntur, & conantur adstruere. Sit primum, quod sumunt ab oppositione inter voluntatem gloriæ antecedentem merita, & voluntatem, qua de facto gloria confertur propter merita. Ex quo capite arguunt sic primò. Deus in tempore dat gloriam propter merita. Ergo & propter illa decreuit ab æterno dare. Ergo non decreuit dare ante merita: nam, si independenter à meritis decreuisset dare, nullo habito respectu ad merita daret in tempore. Certum enim est, eo modo cuncta decerni à Deo ab æterno, quo in tempore exequutioni mandantur. Secundò. Deus habet decretum non conferendi gloriam, nisi decedenti cum meritis. Ergo nequit habere decretum conferendi illam ante merita; quia decretum hoc titulo efficacis non potest non sortiri effectum, siue adsint, siue non adsint merita, atque adeò nequit non opponi priori. Velle enim dare gloriam, siue adsint, siue non adsint merita; & velle non dare, nisi ex meritis, oppositæ voluntates sunt, omnino in Deo incompatibiles. Tertiò. Aut decretum gloriæ antecedens merita est remuneratorium, aut est liberale. Non remuneratorium; quia, ante quàm præuideantur merita, non potest esse voluntas remunerandi illa. Non liberale; quia, cùm gloria de facto non gratis conferatur, sed propter merita, repugnat decretum efficax liberale conferendi illam: nam conferre liberaliter, & propter merita, sunt obiecta contradictoria. Nec dici potest, eiusmodi decretum entitatiuè esse liberale, obiectiuè autem remuneratorium. Contra id enim arguitur quartò. Affectus efficax voluntatis, & actus externus, quem habet pro obiecto, constituunt vnum quid, & idem intra genus moris. Ergo repugnat, collationem externam gloriæ esse opus iustitiæ, aut gratitudinis, &, decretum efficax eius esse actum liberalitatis. Quintò. Cùm sine meritis nequeat constare remuneratio, repugnat, huiusmodi decretum esse obiectiuè remuneratorium; quia ex vnâ parte non supponit merita: ex aliâ verò, si amat illa simul cum gloriâ, eo ipso nequit amare gloriam propter merita, prout opus erat, vt haberet pro obiecto remunerationem meritorum. Sextò. Idem actus externus nequit efficaciter amari ex motiuo liberalitatis, & simul ex motiuo iustitiæ vel gratitudinis. Sed collectio gloriæ de facto amatur à Deo ex motiuo iustitiæ, vel gratitudinis, cùm ametur vt merces, & præmium meritorum. Ergo nequit ea, adhuc per diuersum decretum, amari exmotiuo liberalitatis. Ergo nullum decretum gloriæ liberale potest componi in Deo cum prouidentiâ præsenti; quia nequit esse liberale decretum, quod ex motiuo liberalitatis non est.

Argumenta hæc per doctrinam paulò ante præmissam nullo negotio diluuntur. Respondeo ad primum, Deum quidem ab æterno decreuisse dare gloriam propter merita, prout illam dat in tempore; atque adeò ab æterno habuisse decretum aliquod compensatiuum eorumdem meritorum. Potuisse verò illud concipere vel ante merita absolutè præuisa aliquo ex modis commemoratis num. 11. vel post merita absolutè præuisa, præeunte tamen alio decreto eiusdem compensationis reflexo, & entitatiuè gratuito aliquo ex modis recensitis num. 12. Ad secundum respondeo, cum decreto non dandi gloriam, nisi ex meritis, benè componi decretum dandi gloriam vt coronam: quale est omne decretum, quod nos ponimus ante præuisa absolutè merita. Decretum autem gloriæ vt coronæ non potest suum effectum sortiri, siue adsint, siue non adsint merita; cùm essentialiter expolcat illa; nec sine illis potest esse. Ad tertium respondeo, decretum gloriæ antecedens merita aliquo ex modis traditis num. 11. remuneratorium esse, prout ibi est explicatum. Decretum verò antecedens merita aliquo ex modis recensitis n. 12. entitatiuè posse esse liberale, etiam si pro obiecto habeat compensationem meritorum, vt constat ex doctrinâ traditâ num. 10. 19

Ad quartum respondeo, actum externum, & affectum eius efficacem tunc absolutè, & simpliciter vnumquid, & idem constituere intra genus moris, quando actus externus alioqui indifferens, per affectum determinatur, & ponitur intra aliquam speciem virtutis. Quo pacto largitio pecuniæ facta ex affectu soluendi debitum, vnum opus iustitiæ constituit cum ipso affectu: facta verò ex affectu gratificandi beneficium constituit cum tali affectu vnum opus gratitudinis: factaque ex affectu subleuandi miseriam pauperis constituit opus misericordiæ, &c. Quando verò affectus efficax tendit in actum externum vt constitutum iam intra speciem determinatæ virtutis per alium affectum; tunc ex tali affectu reflexo, & actu virtutis externo absolutè non resultat vnum opus virtutis: quia affectus reflexè tendens in actum proprium cuiusuis virtutis aliam habet bonitatem intrinsecam diuersam à bonitate obiecti, tamesi ab illo vt ab effectu extrinsecè, & imputatiuè participet eamdem bonitatem, prout dicebamus citato num. 10. Ex quo patet, decretum tendens in collationem gloriæ vt constitutam per aliud decretum intra genus remunerationis intrinsecè non esse compensatiuum, atque adeò benè posse esse materiam liberalitatis. Ad quintum respondeo, etsi eodem decreto indiuisibiliter amentur gloria, & merita, benè posse amari gloriam vt præmium meritorum: quia nihil est, quod vetet, eumdem actum tendere inæquatè in plura formalia obiecta, in quæ diuer- 20

uersi actus tendere possent. Si ergo Deus potest diuersis actibus amare merita vt pretium gloriæ, & gloriam vt mercedem meritorum, vtrumque simul sub eisdem motiuis poterit amare eodem actu. Præter quàm quod aliter, quàm amando simul gloriam, & merita, multis alijs modis potest dari decretum antecedens merita, & remuneratiuum eorum tum formaliter, tum obiectiuè, prout constat ex dictis.

21 Ad sextum docti quidam Recentioros ex nostris censent, eamdem externam donationem simul amari posse efficaciter ex motiuo liberalitatis, & ex motiuo remunerandi merita: idque non solùm per duos affectus, sed etiam per eumdem complectentem ea duo motiua. Quæ, putant, non esse inter se opposita: quia libelalitas positiuè non excludit merita, quæ postulat remuneratio, sed ab eis prescindit, tendendo in donationem externam secundùm honestatem dandi præcisè. Addunt tamen, donationem ipsam externam in tali casu non fore liberalem: quia donatio externa liberalis omne meritum, omnemque gratificandi affectum excludit. Ob id namque ad perfectam rationem gratiæ omne prorsus meritum excludunt Theologi, & Patres; nec satis putant, quòd gratia procedat ex affectu aliquo liberali: si enim simul, detur ex affectu, qui nostra merita respiciat, absolutè dicetur ea gratia acquisita meritis nostris, & labore. Non placet mihi doctrina hæc: quia censeo, voluntatam formaliter liberalem, & remuneratoriam circa idem obiectum pugnare. Id quod vt certum sæpe supponit Vazq. citatus supra, cui annuere videntur Becan. & Turrian. Et certè motiuum liberalitatis non esse externam donationem præcisè, vt est quædam collatio boni, apertè supponit Soar. lib. 3. de Auxil. citato cap. 19. num. 26. dum ait, decretum dandi gloriam secundùm se cum præcisione à meritis nec liberalem donationem, nec iustitiæ retributionem habere pro obiecto, sed tantùm collationem eius boni.

22 Id quod probari potest primò; quia, si collatio boni secundùm conceptum dandi præcisè esset proprium motiuum liberalitatis, nulla esset voluntas remuneratoria, aut quouis modo compensatiua, quæ simul non esset liberalis; quod est absurdum: quia nulla est, quæ plenè non tangat tale motiuum; tametsi aliquid aliud addat. Quod maximè verum est in sententia Recentiorum dicentium, eumdem numero affectum posse esse dandi liberaliter, & dandi ex meritis. Nam quid, quæso, hic affectus tangeret ampliùs ex parte obiecti, quàm tangit quilibet affectus purè compensatiuus? Nihil profecto. Vterque enim tangeret totam substantiam externæ donationis, quam ipsi dicunt esse motiuum liberalitatis, addendo insuper rationem compensationis, quæ est motiuum virtutis compensatiuæ. Secundò; quia collatio boni præcisè indifferens est, vt sit gratuita, vel onerosa. Ergo conferre bonum præcisè non est motiuum proprium liberalitatis. Alias, qui diceret, se bonum contulisse præcisè, statim gratis contulisse intelligeretur; quod falsum est. Sicut statim intelligitur contulisse titulo iustitiæ, qui dicit, se aliquid contulisse ad soluendum debitum. Tertiò; quia donatio externa, vt sit liberalis, ex nullo affectu debet esse compensatiua, vt ipsi Recentiores fatentur. Ergo liberalitas omnem rationem compensationis excludit. Ergo motiuum liberalitatis collatio boni est, non præscindens, sed positiuè excludens omnem rationem compensationis. Si enim reipsa gratis non donat, qui iam donationem non exuit ab omni ratione compensationis, neque gratis donare vult, qui non vult donationem externam exutam ab omni ratione compensationis. Stet ergo, velle dare bonum præcisè, non esse affectum liberalitatis: sed solum velle dare gratis, quæ particula positiuè excludit a donatione omnem rationem compensationis.

Dices. Dare bonum præcisè est honestum. 23
Non honestate alius virtu is. Ergo liberalitatis. Respondeo, dare bonum præcisè esse honestum honestate quasi abstractà ad specialem virtutem non pertinente, eo fere modo, quo benè operari vt sic honestatem abstractam habet. Quia à parte rei non reperitur hoc, quod est, dare bonum præcisè, nisi vel coniunctum cum ratione aliqua compensationis; quo pacto est motiuum alicuius ex virtutibus compensatiuis; vel positiuè seiunctum ab omni ratione compensationis; quo pacto est motiuum proprium liberalitatis.

24 His obiter contra Recentiores statutis, ad argumentum illud sexto loco positum concedimus, suppositâ præsenti prouidentiâ, non posse esse in Deo decretum aliquod conferendi gloriam, quod sit liberale formaliter, nam tale decretum iam exclusimus propositi. 1. Supposito enim, quòd Deus dat gloriam ex meritis, nequit efficaciter decernere dare illam gratis; quod est motiuum proprium decreti liberalis formaliter. Per hoc tamen non efficitur, in præsenti prouidentia omne decretum dandi gloriam debere esse remuneratorium. Quia illud dumtaxat tale est, quod constituit collationem gloriæ in ratione remunerationis, vt supra explicauimus: secus, quod tendit in illam vt iam constitutam. De quo subinde sæpe diximus, posse esse liberale: non, quia natura suâ sit actus formalis liberalitatis; sed quia est materia proxima huius virtutis; cum sit bonum quoddam reipsa collatum gratis; tametsi non ex intentione expressa conferendi illud gratis; qualiter sine actu reflexo conferri non potest. In quo decretum hoc gratuitum à compensatiuo discriminatur, quod nullo modo potest esse materia liberalitatis; quia suâ naturâ, & essentia constituit compensationem oppositam liberalitati.

25 Venio ad secundum argumentum petitum ab oppositione, quam, putant Aduersarij, habere decretum antecedens gloriæ cum libertate amittendi illam. Ex quo capite sic arguitur. Decretum hoc est antecedens merita, & consequenter omne exercitium libertatis Prædestinati. Deinde titulo efficacis essentialiter est connexum cum gloriâ, atque adeo incompatibile cum carentia eius. Ergo inducit necessitatem consequendi gloriam prorsus antecedentem. Ergo aufert à Prædestinato libertatem amittendi ipsam gloriam. Rursus, positio huius decreti non dependet à meritis, & consequenter nec dependet ab arbitrio Prædestinati, vtpote quid antecedens omnem vsum liberum eius. Sed, eo posito, repugnat, Prædestinatum manere sine gloriâ: quia est decretum essentialiter infrustrabile. Ergo absolutè Prædestinatus nequit manere sine gloriâ. Ergo nequit per suum arbitrium illam amittere.

Respondent Soar, & alij communiter, huiusmodi decretum prædefinitiuum gloriæ supponere scientiam conditionatam meritorum Prædestinati: atque ita nec inducere necessitatem obtinendi gloriam simpliciter antecedentem meritâ:

nec poni omnino independenter à meritis ipsis: quo fit, vt libertatem non auferat amittendi gloriam. Non placet hæc solutio. Eam in simili reieci supra agens de prædefinitione actus liberi disp.39.quæst.2. propos.1. & 3. Quare dicta ad rem ibi huc sunt trahenda, & applicanda. Docti verò Recentiores, quorum in eadem quæst. num.13. mentionem feci, eadem ratione philosophantur de prædefinitione gloriæ, ac de prædefinitione actus liberi, censentes, vtramque antecedenter esse frustrabilem, non verò consequenter: atque adeò neutram auferre potestatem antecedentem, & consequenter nec libertatem aut omittendi actum, aut amittendi gloriam prædefinitam. Verùm, quàm sit implicatorium hoc genus decretorum Dei irritabilium antecedenter, & non consequenter abunde constat ibidem num. 18. Recognoscantur ibi dicta.

27 Ego igitur imprimis argumentum factum in ipsos Aduersarios retorqueo. Certum enim est, prædestinationem diuinam in eorum, & omnium sententiâ antecedere merita Prædestinatorum, vtpote eorum causam; atque etiam ita essentialiter cum Prædestinatorum glorificatione connecti, vt prorsus repugnet in sensu composito, Prædestinatum non saluari. Et tamen non minùs est certum, per prædestinationem libertatem amittendi gloriam non tolli. Ergo ex eo, quòd decretum prædefinitiuum gloriæ præcedat merita, atque adeò etiam omnem vsum liberum voluntatis Prædestinati, & cum eius gloriâ essentialiter connexum sit, non benè infertur, per illud tolli libertatem amittendi gloriam. Deinde ad argumentum ipsum respondeo per doctrinam datam in simili quæst. illâ 2. citata propos.3. decretum prædefinitiuum gloriæ vt coronæ connexum essentialiter cum illâ prout sic; atque adeò cum meritis Prædestinati, præcedere quidem ipsa merita prioritate naturæ mediatâ, quatenus est causa remota eorum per auxilia, ad quæ conferenda Deum mouet: atque adeò necessitatem quamdam antecedentem, remotam tamen, inducere obtinendi gloriam. Idcirco verò libertatem eam amittendi non tollere: quia nec pertinet intrinsecè ad potentiam proximam, quam habet Prædestinatus ad obtinendam gloriam ipsam per exercitium suorum operum, nec ad illam est requisitum. Quo fit, vt positio talis decreti à libertate ipsius Prædestinati dependeat, quatenus dependet à meritis dependentiâ connexionis à posteriori. Etenim potentia proxima, quam voluntas Prædestinati instructa auxilijs efficacibus ad merendum habet ad omittenda merita, eo ipso est potentia ad reddenda talia auxilia inefficacia; atque adeò ad impediendum scientiam mediam de efficaciâ illorum, & consequenter decretum prædefinitiuum gloriæ vt coronæ, quod tali scientiæ essentialiter subnixum est, siue ab eâ dependens essentialiter in suâ existentiâ, vti supponitur. Vide plura dicta loco citato huc transferenda proportionaliter. Nam de prædefinitione actus liberi prout liberi connexâ cum ipsius libertate; & de prædefinitione gloriæ prout coronæ siue prout premij meritorum connexâ cum ipsis meritis eadem, quod ad rem attinet, philosophia est. Vtrùm autem prædefinitio entitatiuè gratuita gloriæ vt coronæ habens pro obiecto aliud decretum Dei formaliter compensatiuum meritorum aliquo ex modis recensitis num.12. huius immediatam libertatem tollat necessariò, vel secus, ex dicendis propos.4. constabit.

Tertium caput, ex quo Aduersarij varia depromunt argumenta contra decretum gloriæ antecedens est oppositio, quam illud habere arbitrantur cum alijs actibus prouidentiæ diuinæ, aut etiam cum bonitate, & iustitiâ Dei. Primò enim, tale decretum malè videtur cohærere cum seriâ, & sincerâ voluntate, quam Deus de facto habet saluandi omnes, vt statuimus disput. 40.quæst.1. Nam quo pacto dici potest ex animo velle saluare omnes, qui paucos quosdam ex se, & antecedenter ad eorum opera, reiectis reliquis, eligit ad salutem? Quos enim Deus ex se relinquit, antequam ab eis relinquatur, non videtur saluare velle. Imo verò istis, vtpote ab eâ electione exclusis, clausa videtur ianua Cœli, ne saluari possint: quandoquidem soli electi ex irrefragabili Dei statuto saluandi sunt. Quo fit, vt Deus, suppositâ eâ antecedente electione, non minùs teneatur procurare, vt non electi per sua demerita amittant gloriam, à qua excluduntur, quàm, vt electi per sua merita lucrentur gloriam, ad quam destinantur. Quæ omnia absurda sunt, & aliena à paternali prouidentiâ Dei. 28

Secundò, supradictum decretum eligens aliquos ad gloriam, & cæteros ab illâ excludens, componi non potest cum vniuersali promissione, & comminatione, qua Deus omnibus benè operantibus promittit gloriam, & malè operantibus minatur exclusionem ab illâ; nec potest componi cum vniuersali vocatione, & exhortatione, qua omnibus sæpe exhortatur Deus in Scripturis, vt suam salutem procurent medijs bonis operibus. Nam, postquàm Deus absolutè eligit aliquos ad gloriam, & cæteros ab illâ excludit, non potest seriò, & ex animo promittere gloriam exclusis, & eius carentiam minari electis. Quis enim non censeat fraudulentam, aut iocularem promissionem gloriæ factam sub conditione operum ijs, qui antecedenter ad opera ab ipsâ gloriâ sunt iam exclusi: similiterque comminationem exclusionis à gloriâ factam etiam sub conditione operum ijs, qui ante ipsa opera absolutè, & infallibiliter sunt ad ipsam gloriam electi? Imo promissio conditionata gloriæ respectu eorum, qui iam ad illam absolutè supponuntur electi, frustranea prorsus, & nugatoria videtur. Sicut etiam comminatio conditionata exclusionis à gloriâ respectu eorum, qui iam absolutè ab illâ supponuntur excluſi. Iam verò exhortatio ad procurandam gloriam medijs operibus inutilis omnino videtur respectu vtrorumque, atque adeò etiam fraudulenta prorsus, & elusoriâ. Nam quid possunt prodesse opera pro consequendâ gloriâ ijs, qui iam ante ipsa opera vel sunt ad gloriam ipsam absolutè electi, vel ab eâ absolutè excluſi? 29

Tertiò alienum à diuinâ bonitate videtur, ex se, & antecedenter ad opera omnium quosdam ad tam eximium bonum, quale est gloria, efficaciter destinare, desertis plerisque exclusis à tali beneficio. Ob id enim Deus cætera, quæcunque ex se, & antecedenter ad opera præparauit suis creaturis, omnibus omnino communia fecit, vt patet in euectione naturæ rationalis ad statum supernaturalem; in sanctificatione Angelorum, & hominum ante peccatum; in vocatione post peccatum; in donatione Redemptoris; in oblatione sacrificij ipsius; in sacramentis, &c. Deinde, Deus ex se nunquam statuit, quod est hominibus perniciosum, iuxta illud Oseæ 3. *Perditio tua Israel. Tantummodò in me auxilium tuum.* 30

Quæ

Quæ autem maior pernicies hominum, quàm eos excludere à numero saluandorum? Et sanè, si Deus ex se, & antecedenter ad opera eligeret Prædestinatos ad gloriam, incredibile est, tam paucos electurum, tam multosque deserturum, vt sunt de facto Prædestinati, & Reprobi. Quod argumento est, eiusmodi electionem cum prouidentiâ præsenti non esse compatibilem.

31 Quartò, hic modus electionis omnem solicitudinem benè viuendi eriperet à mortalium cordibus. Iuxta eam enim habet locum illa hæreticorum ratiocinatio. Vel sum de numero electorum. Vel non sum. Si sum; impossibile est, vt damner: quia Deus antecedenter ad vsum meæ libertatis habet decretum omnino infrustrabile me saluandi. Si non sum; impossibile est me saluari, quantumuis crucier in benè operando: quia soli electi saluantur. Vt quid ergo cum tanto labore sequor præcepta, & consilia Dei? Deinde, per eiusmodi electionem zelus animarum extinguitur. Nam, si omnes saluandi ante omnem præuisionem mediorum electi sunt; quid prodest prædicatio Euangelij; quid exortatio ad bonum? quandoquidem citra media hæc saluabuntur, qui electi sunt; cæteri autem, etiam eis adhibitis, peribunt. Adde, electionem istam populo explicatam scandalum parere, licentiam in malis, torporemque in bonis injicere, necnon amaritudinem

32 animæ, & sæpe desperationem adferre.

Respondeo primò, hæc fere esse eadem ipsa argumenta, quæ olim S. Augustino à Pelagianis, & Massilienſibus obiecta sunt contra prædestinationem gratuitam ab omni merito solius arbitrij independentem, vt videre est apud ipsum Augustinum lib. de Corrept. & grat. & lib. de Prædestin. Sanctor. & lib. de Dono perseuerantiæ. Et apud Prosperum, & Hilarium in epistolis ad Augustinum, quæ habentur ante citatum librum Prædestin. Sanctor. Ex quo apparet, illa non minùs impugnare electionem Prædestinatorum ad gratiam antecedentem merita arbitrij, qualem Catholici omnes fateri tenentur, vt videbimus disput. 42. quàm electionem ad gloriam antecedentem merita gratiæ. Quocirca vis eorum, si quam habent, in electione ad gratiam prorsus gratuitâ, & Prædestinatorum propriâ infringenda est. Etenim electio ad gratiam propria Prædestinatorum eadem, quod ad rem attinet, sortitur proprietates, atque præelectio ad gloriam, de qua loquimur. Est enim voluntas efficax prorsus gratuita, & antecedens omne meritum, magisque ab illo vt tali independens, quàm præelectio ad gloriam. Est etiam essentialiter connexa cum gloriâ ipsâ, vtpote quæ, non gratiæ vtcunque est voluntas, sed gratiæ præuisæ infallibiliter coniungendæ cum gloriâ. Quo fit, vt non minùs sit impossibile in sensu composito, non saluari electum ad gratiam speciali hac electione, quàm non saluari præelectum ad gloriam: tametsi vterque in sensu diuiso possit amittere beatitudinem, vtramque electionem impediendo modo dicto supra num. 27. De quo iterum redibit sermo quæst. 5. E contra verò æquè est impossibile in sensu composito saluari non electum ad gratiam huiusmodi speciali electione, quàm saluari non præelectum ad gloriam: tametsi vterque æquè similiter possit saluari in sensu diuiso. In qualibet enim sententiâ catholicâ de prædestinatione diuinâ sicut est verum, Prædestinatum posse damnari, non quia cum prædestinatione possit componere damnationem, sed quia potest suis demeritis facere, vt non fuerit prædestinatus, prædestinatione impeditâ, prout explicabitur inferiùs quæst. 5. ita è conuerso verum est, non Prædestinatum saluari posse, non quia possit componere saluationem cum negatione omnis prædestinationis, sed quia potest suis meritis facere, vt aliquo modo fuerit prædestinatus, prout etiam explicabitur ibi.

Hinc ad argumentum primum respondeo, voluntatem antecedentem, quam Deus habet saluandi omnes cum præelectione Prædestinatorum ad gloriam æquè benè componi, ac cum speciali electione ad gratiam: quia, sicut benè stat cum eâ voluntate generali saluandi omnes, Deum ex se, & ante omne meritum, vel demeritum paucos quosdam prædestinare per electionem specialem ad gratiam, cæteris omnibus relictis; ita benè stabit cum eadem, Deum ex se etiam, & ante merita, vel demerita præeligere eosdem ad gloriam, relictis cæteris. Cur autem Deus ex se illos eligat, & hos relinquat, in solam eius voluntatem iustissimam referendum est, qui vt Dominus omnium suorum donorum potestatem habet, quemadmodùm figulus, ex eadem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam iuxta Apostolum ad Rom. 9. scilicet per collationem, vel subtractionem suorum donorum. De quo plura infra disput. 42. quæst. 9. Quomodò autem non præelecti saluari possint nihilominùs, constat ex dictis; constabitque amplùs ex dicendis quæst. 5. Quibus profectò non tenetur Deus, imo nec potest positiuè procurare demerita, ob quæ damnentur. Tum quia eos positiuè non destinat ad pœnam, quando alios elegit, atque adeò non est vnde obligetur ad procurandum demerita, ob quæ puniantur. Tum quia, licèt ita destinaret (quod an sit possibile dicemus disp. 44.) non ad procurandum, sed ad permittendum tantùm ipsa demerita teneretur. In quo nullum absurdum cernitur. 33

Ad secundum respondeo, promissionem, comminationemque vniuersalem, qua Deus hominibus promittit gloriam sub conditione, quòd benè operentur, eiusque carentiam minatur, si malè vixerint, non esse ponendam in ordine decretorum Dei post electionem Prædestinatorum ad gloriam, sed potiùs ante illam, quo cessant omnia incommoda, quæ opponebantur. Quia, antequàm Deus quidquam specialiter statuerit de Prædestinatis, sicut ex se seriò, & ex animo desiderat omnibus in generali gloriam sub conditione, quòd benè operentur, ita sub eadem conditione potest illam omnibus promittere, comminando interim amissionem eius ijs, qui non benè, sed malè operati fuerint. Cum quo benè stat, Deum postea absolutè eligere aliquos ad gloriam per opera bona obtinendam, relictis cæteris, antequàm absolutè præuideat opera eorum. Sed estò præcedat huiusmodi electio decreta promissionis, & comminationis vniuersalis, adhuc illæ locum habent citra omne incommodum: quia tam electi quam non electi (positiuè enim excluſi non supponuntur) adhuc habent in suâ potestate amittere, & lucrari gloriam operibus suis malis, aut bonis, vt ex supra dictis notum est. Quo fit, vt seriò, veraciter, & vtiliter possit Deus vtrisque gloriam promittere, & amissionem eius minari sub conditione operum; quo illi moueantur ad procurandam suis operibus eius consequutionem; quo etiam titulo est illis vtilis, & proficua exhortatio ad eumdem finem ordinata. Ex quo patet, inania, & fictitia esse omnia incommoda, 34

quæ

quæ per argumentum propositum prætexebantur.

35 Ad tertium respondeo, alienum non esse à bonitate Dei ex se antecedenter ad opera hominum conferre quibusdam eorum beneficium, quod negat alijs, vt patet in beneficio prædestinationis, quod iuxta quamlibet sententiam catholicam ex se communicat Deus aliquibus, & negat alijs; quin his censeatur iniuriam facere. Potest enim, quod suum est, prout sibi libuerit, distribuere. Neque hæc negatiua reprobatio per se præcisè perditio est hominum; cùm secum ferat ex parte Dei auxilium sufficiens ad salutem. Ipsi homines se perdunt peccando ea perditione, de qua Oseas loquitur. Iam, quòd numerus Electorum sit tam exiguus comparatione Reproborum mysterium est æquè inscrutabile in qualibet sententiâ catholicâ de prædestinatione; quandoquidem iuxta quamlibet prædestinatio donum est Dei collatum independenter à meritis hominum.

36 Ad quartum denique dico, sententiam de præelectione ad gloriam nihilo magis obesse solicitudini benè viuendi, & zelo animarum, nec quidquam ampliùs scandali parere, quàm quælibet alia sententia catholica de prædestinatione. Cùm certum sit, secundùm quamlibet prædestinatum infallibiliter esse saluandum, & non prædestinatum damnandum, idque certitudine antecedente ortâ ex ipsâ prædestinatione, ac negatiuâ reprobatione. Quo fundant impij, & insipientes hæretici ratiocinationem illam, quæ opponebatur, Perperam tamen; quia non est minùs certum, tam, qui saluantur, quàm, qui damnantur, suis ipsorum operibus saluari, vel damnari, contrariam citra omne dubium sortem subituros, si contraria opera haberent, de quo plura dicenda infra quæst. 5. Si quis autem ex arcano mysterio prædestinationis, aut etiam præscientiæ diuinæ scandalum cæperit, aut animi perturbationem, vitio suo, vel insipientiæ vertat, non veritati; quæ propter eos, qui nequiuerint capere, reticenda non est, vt docet ad propositum August. lib. de Dono perseu. cap. 16. Credant sincerè Patribus, & Ecclesiæ, & piè cum fiduciâ operentur, qui ab isto scandalo, & perturbatione cupiunt esse securi: eruntque haud dubiè iuxta illud Prophetæ Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.*

37 Denique opponit Herice supra cap. 11. contra propositionem nostram. Posita electione ad gloriam ante præuisa merita, vel est gloria iam futura; vel non. Si primum. Ergo ante ordinem exequutionis habet iam gloria existentiam; quod prorsus repugnat: quia nihil existere potest, antequàm exequutioni mandetur. Tum tollitur penitus locus meritis: quia nequit dari propter merita, quod independenter à meritis supponitur datum. Si autem dicatur secundum. Ergo electio illa non est efficax: quia nequit esse efficax voluntas Dei, quæ non extrahit suum obiectum ab statu possibilitatis ad statum existentiæ. Leuis obiectio. Certum enim est iuxta sententiam non Connotantium, in qua procedimus, quoduis decretum Dei efficax priùs naturâ esse, quàm obiectum: quia est causa eius. Ex quo patet, electionem ad gloriam in signo aliquo ante gloriam ipsam existere. Vel ergo eiusmodi electio est decretum per se immediatè exequutiuum gloriæ, vt esse potest iuxta priores casus propositos num. 11. & sic vi eius in signo proximè sequente ex meritis confertur gloria, siue exequutioni mandatur. Vel est decretum purè intentiuum, vt in alijs casibus eiusdem numeri, & sequentis: & sic vi eius in signo proximè sequenti ponitur alterum decretum exequutiuum gloriæ ob merita, quæ iam tum sunt: in tertio autem signo ponitur ipsa gloria. Quo nihil deest, vt electio illa intentiua sit efficax intra suum genus. Mitto alia leuioris momenti: quæ ex dictis facilè solui possunt. Illud autem, quo contendit Vazq. eumdem debere esse ordinem inter decreta Dei, qui est inter eorum obiecta; & non alium; iam supra disput. 36. quæst. 5. repudiatum est.

Hactenus egimus de decreto prædefinien- 38
te Prædestinato gloriam ante absolutè præuisa merita eius, prout conferendam tamen ipsi tanquam coronam in præmium meritorum. Sequitur, vt agamus de decretis prædefinientibus Prædestinato gloriam quoad ipsius substantiam præcisè iuxta diuisionem eorum factam num. 15. Et quidem de decreto prædefiniente gloriam prout consequibilem à Deo aliter, quàm per Prædestinati merita, certum est, non esse compatibile cum prouidentiâ præsenti, qua gloria datur propter merita. Quare de eo nihil est quod ad rem dicatur. Dicendum ergo superest de decreto prædefiniente substantiam gloriæ prout consequibilem vel solum per merita, vel per merita, & aliter, quàm per merita: quod præstabimus proposit. 3. Et de decreto prædefiniente substantiam gloriæ secundùm se præcisè: quod præstabimus propos. 4.

Propositio 3.

Decretum prædefiniens substantiam 39
collationis gloriæ prout consequibilem per merita, atque adeò essentialiter connexum cum scientiâ mediâ de existentiâ talium meritorum sub conditione auxiliorum gratiæ, ex nullo capite repugnat Deo, etiam suppositâ prouidentiâ præsente, qua Deus defacto gloriam confert in meritorum compensationem.

Hæc propositio correspondet proposit. 4. datæ disput. 39. quæst. 2. de prædefinitione actus voluntatis creatæ secundùm substantiam prout consequibilem per media libera, & cum libertate talis actus benè cohærente. Probanda autem venit ex eisdem capitibus, ac præcedens. Quia nimirum prædefinitio gloriæ, de qua agit, neque pugnat cum remuneratione meritorum. Neque cum libertate Prædestinati ad amittendam gloriam. Neque cum alijs actibus prouidentiæ præsentis, aut cum diuinâ bonitate. Primum, & tertium constabunt ex dicendis proposit. 4. quæ huic, quod attinet ad ea duo, similis est. Secundum autem facilè ostenditur ex doctrinâ sæpe in præcedentibus repetitâ. Quia scilicet voluntas Prædestinati instructa auxilijs efficacibus ad merendum potentiam habet ad impediendum per liberum meritorum defectum scientiam mediam de efficaciâ talium auxiliorum, & consequenter prædefinitionem gloriæ prædictam, vtpote connexam essentialiter cum tali scientiâ mediâ, vt supponitur. Quo nihil deest, quominùs gloriam

in

in sensu diuiso ipsius prædefinitionis per defectum liberum meritorum possit amittere.

Propositio 4.

40 **Decretum prædefiniens substantiam collationis gloriæ secundùm se præcisè, atque adeò cum nullâ scientiâ mediâ de meritis connexum essentialiter ex nullo capite repugnant Deo, etiam suppositâ prouidentiâ præsente, qua Deus de facto gloriam confert in meritorum compensationem.**

Hanc propositionem exprofesso impugnant quidam Recentiores, qui prædefinitionem collationis gloriæ vt coronæ ante absolutè præuisa merita admittunt. Pro eâ tamen stant Soar. cap. illo 19. de Auxilijs num. 26. Ribaden. disp. 14. de Prædestin. cap. 5. & alij Recentiores. Pro ipsâque aduocari fortasse possunt ij Doctores factionis nostræ, qui absolutè, & indistinctè pronunciant, Deum ante præuisa merita eligere Prædestinatos ad gloriam. Ea autem ex ijsdem capitibus, ac duæ præcedentes probanda est. Nimirum, quia prædefinitio collationis gloriæ, de qua tractat, neque pugnat cum remuneratione meritorum. Neque cum libertate Prædestinatorum ad amittendam gloriam. Neque cum alijs actibus præsentis prouidentiæ, aut cum bonitate diuinâ.

41 Primum ex doctrinâ traditâ num 22. est notum. Cùm enim collatio gloriæ præcisè sumpta quoad substantiam indifferens sit, vt sit remuneratoria, vel liberalis, vti ibi monstrauimus; qui vult præcisè gloriam conferre, nihil ponit incompatibile cum remuneratione; sed omnino manet indifferens, vt illam postea per aliam volitionem exequutiuam aut conferat omnino gratis; aut in meritorum compensationem. Itaque dicta prædefinitio præcisiua gloriæ (quæ eo ipso est purè intentiua, vt notauimus num. 15.) entitatiuè quidem gratuita, & ex obiecto indifferens, cum alio decreto exequutiuo ipsius gloriæ, remuneratiuoque meritorum benè cohæret: imo faciliùs fortasse, & melius, quàm prædefinitio gloriæ vt coronæ; vt perpendenti notum fiet, pensatâ doctrinâ, quam circa punctum hoc tradidimus propos. 2. Quæ, quidquid in proposito opponi posset, satis superque reiectum, atque dilutum est.

42 Venio ad secundum punctum de libertate Prædestinatorum ad amittendam gloriam. Quod in præsenti est difficilius. Et suppono primò totam doctrinam traditam disput. 39. quæst. 2. propos. 5. circa similem prædefinitionem actus voluntatis creatæ quoad illius substantiam præcisè, & nihilominùs compatibilem cum ipsius actus libertate. Iuuare enim poterit doctrina ibi data ad præsentis difficultatis resolutionem; quamuis casus ille de prædefinitione præcisiuâ actus voluntatis creatæ non sit quoad omnia similis casui præsenti de prædefinitione præcisiuâ collationis gloriæ, vt ex dicendis apparebit.

43 Suppono secundò, decretum prædefiniens substantiam collationis gloriæ, de quo modò agimus, citra omnem controuersiam relinquere Prædestinatum liberum ad merendum, & demerendum; quia non est connexum cum meritis, nec cum demeritis. In quo differt à decreto prædefiniente collationem gloriæ vt coronæ: de quo, vtpote connexo cum meritis, dubitabile erat, an eorum impediat libertatem. Solùm igitur controuerti potest, an per decretum hoc præcisiuum Deus ita necessitatus maneat ad dandam gloriam, siue adsint, siue non adsint merita, vt homo non possit non obtinere illam; etsi possit merita non habere. Nam, si Deus per huiusmodi decretum non ita necessitetur ad dandam gloriam, sed, eo posito, liber nihilominùs maneat ad eam negandam casu, quòd homo non habeat merita; non erit, vnde homo necessitetur ad consequendam gloriam; sed liber ad eam amittendam manebit, non obstante tali decreto: quod modò probandum mihi est.

Pro quo suppono tertiò, decretum hoc 44
gloriæ præcisiuum eo ipso esse purè intentiuum, vt iam notaui, secundùm generalem doctrinam traditam supra disput. 36. quæst. 5. atque adeò alio decreto exequutiuo opus esse, quo obiectum eius mandetur exequutioni. Hoc autem aut potest esse formaliter liberale nullum respiciens meritum, aut formaliter compensatiuum supponens merita, ac proinde etiam auxilia collata ad merendum, & cætera media remotiora. De quo nullum est dubium.

Suppono quartò, intentionem efficacem 45
finis dumtaxat cogere intendentem ad eligendum medium, ex quo posito, infallibiliter præuidet, sequuturam esse exequutionem finis intenti quauis ratione. Constat hoc ex doctrinâ vniuersali traditâ dictâ disput. 36. quæst. 4. & inconfessò est apud omnes. Nec solùm habet locum, quando exequutio finis est actus alterius suppositi, sed etiam, quando est actus proprius ipsius intendentis; quia de vtroque est eadem ratio, vt patet. Ex quo ad propositum sequitur primò, per intentionem efficacem, & præcisiuam gloriæ Deum tantùm esse necessitatum ad eligendum aliquod medium, ex quo posito, præuideat, sequuturam esse cum effectu substantiam gloriæ prædefinitam, quocunque modo ex eo sequatur. Secundò sequitur, quoties Deus ex aliquâ posità circunstantiâ, aliàs independenter à prædefinitione intentiuâ gloriæ, mouendus erat ad illam liberè exequendam per aliquod decretum exequutiuum, vt satisfaciat efficaciæ dictæ prædefinitionis, sat esse, si talem circunstantiam eligat, præuidens, ex illâ pro nutu suæ libertatis sequuturam esse exequutionem gloriæ prædefinitæ; eâ ratione, qua efficaciæ prædefinitionis actus humani satisfacit, eligendo cogitationem, ex qua, præuidet, pro nutu libertatis humanæ infallibiliter sequuturum actum prædefinitum, vtex dictis disput. 39. quæst. 2. notum est. Quòd si prædicta circunstantia à libertate voluntatis creatæ dependeat in suâ existentiâ, sat erit eligere medium, cum quo voluntas creata videtur illam causatura.

Hinc dico, (secluså modò promissione diuinâ gloriæ, de qua postmodùm), per decretum 46
prædefiniens gloriam cum præcisione à meritis, de quo agimus, non solùm non necessitari Deum ad dandam gloriam, etsi non sint merita, sed neque amittere libertatem ad eam negandam, etiam suppositis meritis; atque ita illam posse conferre per decretum exequutiuum, compensatiuumque meritorum, quod in se, & formaliter sit liberum, non obstante decreto prædefinitiuo. Ratio est in promptu; quia, vt Deus satisfaciat efficaciæ dicti decreti intentiui prædefinientis substantiam gloriæ, satis habet, eligere, conferreque homini auxilium

xilium efficax, quo posito, præuidet, hominem habiturum merita, & se liberè collaturum ei gloriam incompensationem meritorum. Quo casu collatio gloriæ à libertate hominis dependebit, atque etiam à libertate immediatâ Dei, non obstante præuio decreto eiusdem collationis prædefinitiuo. Quod tantùm erit principium remotum tum gloriæ, tum decreti exequutiui eius; obidque nihil derogans libertati propriæ ipsius decreti exequutiui, & collationis gloriæ; eâ ratione, qua decretum prædefinitiuum, ac purè intentiuum actus humani eius libertati nihil derogat, quando medium ex vi eius electum ad talem actum obtinendum liberum seu indifferens est, vt statuimus disput. 39. quæst. 2.

47 Itaque de decreto hoc præcisiuo gloriæ perinde ad propositum philosophandum est, ac ibi propos. 5. philosophati sumus de decreto præcisiuo actus humani. Sicut enim; etsi decretum illud ex se non magis poscat medium necessarium, quam liberum, pro exequutione actus prædefiniti; casu tamen, quòd Deus eligat medium liberum, (quod medij necessarij negationem eo ipso fert secum), actus non potest non liber euadere, licèt negatio actus essentialiter sit incompatibilis cum ipso decreto; eo quòd in tali casu positio decreti non potest non esse dependens à nutu voluntatis creatæ, potentis mediâ omissione actus facere, vt non extiterit decretum pro signo suo antecedente, vt abundè ibi explicatum est. Ita; etsi decretum hoc præcisiuum gloriæ non magis poscat pro exequutione gloriæ prædefinitæ medium necessarium, quàm liberum; casu tamen, quòd Deus eligat liberum, libera euadet gloriæ exequutio; non quia negatio eius cum dicto decreto gloriæ intentiuo sit compatibilis; sed quia in tali casu positio talis decreti pendebit à nutu voluntatis prout exequentis gloriam medio alio decreto libero exequutiuo: quæ vt sic hoc ipso, quòd habeat potentiam proximam ad impediendam exequutionem gloriæ, consequenter poterit facere, vt non præextiterit decretum gloriæ intentiuum pro signo suo antecedente. Ecce quomodò casu, quòd Deus pro exequutione gloriæ dicto decreto prædefinitæ non eligat immediatè decretum exequutiuum independens à meritis, (quod esset medium necessarium apponere), sed auxilium efficax, ex quo præuidentur futura liberè tum merita à voluntate hominis, tum exequutio gloriæ ex meritis à voluntate Dei, (quod est apponere medium liberum), ipsa gloriæ exequutio ex meritis & erit libera respectu Dei volentis sponte sua præmiare talia merita, & erit libera respectu hominis quatenus liberè ponit merita, sine quibus hìc, & nunc gloria illi non conferretur; quin aliquid obstet his libertatibus decretum antecedens intentiuum, prædefinitiuumque ipsius gloriæ cum præcisione à meritis.

48 Ex his apparet, quomodò homo proximè liber ad merendum in casu posito potentiam habeat ad impediendum mediâ omissione meritorum decretum Dei tum exequutiuum, tum etiam intentiuum gloriæ, & consequenter ad amittendam gloriam ipsam. Nam ex vnâ parte, cùm Deus sit proximè liber ad exequendam gloriam medio decreto exequutiuo eius compensatiuoque meritorum, potentiam eo ipso habet ad impediendum mediâ omissione gloriæ decretum ipsius intentiuum: quæ vtique potentia non tolleretur; sed potiùs firmaretur in Deo, sublatâ ab ipso proximâ libertate ad talem gloriæ exequutionem. Cùmque ex aliâ parte talis libertas (vtpote ad exequutionem gloriæ compensatiuam meritorum, atque adeò connexam cum meritis essentialiter) per scientiam de existentiâ ipsorum meritorum constituatur; conficitur, potentiam, quam homo habet ad omittenda merita, potentiam esse ad tollendam talem Dei libertatem, sublatâ tali scientiâ; & consequenter ad impediendam talem exequutionem gloriæ, impeditis simul cum illâ decretis tum exequutiuo, tum etiam intentiuo eius.

Alio modo, posito dicto decreto præcisiuo, ac intentiuo gloriæ, potest homo manere liber ad impediendum tum illud, tum alterum exequutiuum; (etiam si hoc, illo supposito, non sit Deo proximè liberum); & consequenter ad amittendam gloriam ipsam. Si nimirum Deus insuper habeat aliud decretum exequutiuum conditionatum quo efficaciter nolit, vt conferatur homini gloria, si caruerit meritis. Ex suppositione enim huius tertij decreti alijs duobus conditionatè oppositi carentia meritorum, vtpote purificatio conditionis eius, eijsdem duobus erit opposita; atque adeò potentia hominis ad omittenda merita potentia erit ad ambo illa impedienda: sicque ad amittendam gloriam. Cæterùm, quia dicere quis fortasse poterit; licèt positâ carentiâ meritorum dictum decretum conditionatum simul cum illâ alijs duobus oppositum absolutè euaderet, atque ita omnia tria simul cum ipsâ meritorum carentiâ nullatenus existere possent; tamen maiorem rationem non esse, cur per carentiam meritorum illa duo potiùs absoluta decreta, quàm conditionatum istud impedirentur; cùm talis carentia dumtaxat pugnet cum vno, vel altero eorum extremorum sub disiunctione & cum neutro determinatè. Quidquid sit de hoc. 49

Sit tertius modus possibilis, & magis certus ad intentum. Si decreta Dei indifferentia concurrendi cum homine ad merita, ipsiusque libertatem proximam ad merendum constitutiua iuxta doctrinam stabilitam supra disput. 38. quæst. 3. proposit. 2. eadem ipsa sint indiuisim (vt citra dubium esse possunt) nolitiones conditionatæ, quibus Deus efficaciter nolit, vt conferatur homini gloria, si caruerit meritis. Ita enim fiet, vt homo impotens determinatè fit ad impediendum per omissionem liberam meritorum huiusmodi nolitiones, vtpote ipsius libertatem ad merendum, & non merendum constitutiuas; supereritque subinde, vt potestas, quam habet ad omittenda liberè merita, potestas sit ad impediendum determinatè alia duo decreta absoluta de collatione gloriæ (vtpote quæ cum dictis nolitionibus conditionatis, & carentiâ meritorum simul nequeunt existere); & consequenter ad absolutè amittendam gloriam. Ex quibus iam liquido constat, quot modis libertas Prædestinati ad amittendam gloriam benè possit cohærere cum decreto præcisiuo, ac prædefinitiuo ipsius gloriæ, de quo in propositione nostrâ sermo est. 50

Modò, antequam vlteriùs pergamus, ex 51
datâ doctrinâ est inferendum contra Recentiores sæpe citatos, per decretum prædefinitiuum gloriæ vt coronæ, de quo egimus proposit. 2. Deum non necessariò amittere libertatem proximam exequutionis ipsius gloriæ, vt ipsi tanquam certum statuunt, censentes, decretum illud entitatiuè gratuitum, & obiectiuè remuneratorium, quod solum ipsi admittunt, non posse non necessitare diuinam voluntatem ad aliud decretum exequutiuum gloriæ, compensatiuumque meritorum. Verùm enim verò, qualiter sit possibile oppositum,

tum, ex tradita paulò ante doctrinâ compertum est. Addo, cum aliis decretis prædefinitiuis gloriæ vt coronæ ante præuisa absolutè merita, quæ primo loco posuimus possibilia supra num. 11. proximam libertatem exequutionis gloriæ manifestè cohærere: cùm ipsa eadem per se sine aliorum decretorum iuuamine sint gloriæ exequutiua, & libera libertate propriâ.

52 Egimus hactenus de prædefinitione gloriæ, præscindendo à promissione, qua Deus defacto promittit gloriam ipsam sub conditione meritorum. Videndum modò superest, an cum huiusmodi promissione (qua Deus moraliter obligatus, atque adeò metaphysicè necessitatus manet ad dandam gloriam habenti merita, cùm nequeat non stare promissis) libertas exequutionis gloriæ, suppositis meritis, componi possit, æquè, ac cum decretis prædefinitiuis. Existimo posse, sed diuersâ ratione. Pro cuius explicatione noto primò, promissionem non per se immediatè, vt decretum, sed mediâ cognitione sui necessitare Deum ad exequendam rem promissam: necessitat enim quatenus inducit obligationem moralem, à qua vt cognitâ voluntas diuina, vtpote impeccabilis, nullatenus deflectere potest. Noto secundò, Deum defacto conferre gloriam, non solùm, vt compenset merita, sed etiam vt impleat suam promissionem, vel pactum, vt constat ex omnibus Scripturæ locis, vbi Deus iustus, & fidelis vocatur in adimplendâ hac promissione: iustitia enim, & fidelitas directè intendunt satisfacere obligationi pacti, vel promissionis. Videantur præsertim cap. 6. & 10 Epist. ad Hebræos, & cap. 1. 2. & 4. Epist. 2. ad Timoth. & Trident. sess. 6. cap. 16. Noto tertiò, hanc gloriæ promissionem, cùm sit conditionata, tum primùm incipere obligare absolutè, cùm absolutè existunt merita, quæ sunt conditio eius. Vnde, quidquid dixero claritatis, & breuitatis gratiâ de promissione absolutâ Dei, de coniuncto ex promissione, quæ defacto datur, & meritis intelligendum est.

53 His positis, quatuor modis compono libertatem exequutionis gloriæ cum promissione absolutâ eius. Primò, si Deus eodem decreto indiuisibili exequutiuo decernat promittere, & adimplere promissionem per collationem gloriæ. Secundo, si Deus ante absolutam præuisionem promissionis decernat decreto absoluto, & exequutiuo conferre gloriam intuitu talis promissionis, vt ei satisfaciat; quod facere potest ductus scientiâ conditionatâ, qua præuideat futuram promissionem ipsam sub conditione, quòd existat collatio gloriæ, iuxta doctrinam datam in simili supra num. 11. Tertiò, si Deus decreto conditionato, & exequutiuo ante præuisionem absoluram promissionis decernat conferre gloriam ex motiuo illi satisfaciendi, casu, quòd fit, iuxta dicta ibidem. In his enim tribus casibus decretum exequutiuum gloriæ plenè est liberum, & consequenter ipsa gloriæ exequutio. Quia potentia proxima decreti prorsus est indifferens; eo quòd promissio non necessitat voluntatem diuinam ad impletionem sui, nisi vt absolutè præuisa, qualiter ad nullum ex dictis decretis præuisa præsupponitur. Præuisio autem absoluta promissionis post dicta decreta succedens iam ad nihil necessitare potest, cùm supponat promissionem ipsam impletam: promissio enim semel impleta ad nihil ampliùs obligat. Quartò denique modo erit gloriæ exequutio libera, posità promissione Dei, si decretum adimpletiuum promissionis, ad quod cognitio absoluta ipsius promissionis necessitat, sit purè intentiuum, vt potest; ex eoque Deus moueatur ad ponendam aliquam circunstantiam, cum qua comungendam præuidet exequutionem liberam gloriæ per aliud decretum exequutiuum cuiusuis motiui faciendam, vti philosophabamur in simili agentes de decreto gloriæ prædefinitiuo. Ad hoc enim, vt collatio gloriæ sit compensatiua meritorum, & satisfactiua promissionis, satis est eam procedere a decreto purè intentiuo elicito ob ea motiua, quidquid sit de motiuo decreti exequutiui, vt supra tetigimus num. 10. confirmantes id exemplo debitoris soluentis debitum per famulum, cuius actio satisfactiua est debiti à voluntate purè intentiuâ debitoris, quidquid sit de motiuo voluntatis famuli eam actionem exequentis. Porro quocunque ex his modis liberè fiat exequutio gloriæ, non potest non promissio Dei in suâ existentia ab eius libertate pendere propter rationem generalem sæpe in præcedentibus repetitam. Quia nimirum est quid absolutè connexum cum ipsâ exequutione, & ad potentiam liberam eius non requisitum.

His tribus postremis modis (vt hoc obiter notem) pulchrè, & facilè venit in Tractatu de Incarnatione componenda cum impeccabilitate Christi Domini obedientia formalis, & plenè libera cuiusuis præcepti positiui, quo præcipiatur ei quilibet actus etiam determinatus in individuo, cadensque sub præceptum ipsum, non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad circunstantias omnes. Primò videlicet, si præuidens Christus conditionatè extiturum præceptum de actu, si existat actus, determinet se tali scientia ductus ad ponendum actum, vt satisfaciat præcepto. Secundò, si præcunte tantùm scientiâ de possibilitate præcepti determinet se ad ponendum actum ex intentione conditionatâ satisfaciendi præcepto dato illo, si extiterit. Tertiò, si præuidens, se alias liberè posituram actum præceptum, si talis circunstantia ponatur, talem circunstantiam ponat, vt per actum liberè ex illâ sequuturum satisfiat præcepto. In quibus casibus à libertate actus præcepti pendebit existentia præcepti. Quæ tantùm indicasse, sat sit. 54

Iam verò, redeundo ad propositum, si decretum adimpletiuum promissionis, ad quod absoluta cognitio ipsius promissionis necessitat, non purè intentiuum sit, sed exequutiuum, non poterit non exequutio gloriæ, promissione suppositâ, euadere necessaria respectu Dei. Tametsi defacto à libertate hominis pendeat, quatenus promissio, quæ defacto datur, quoad vim absolutè obligandi à meritis hominis dependet. Hæc autem, quæ de promissione gloriæ diximus, æquè habent locum in sententia non admittente prædefinitiones gloriæ ante merita, atque in nostrâ admittente. 55

Venio iam ad tertium caput, ex quo Aduersarij argumentantur contra decreta prædefinitiua gloriæ ante præuisa merita, quod est oppositio, quam eis adscribunt, cum aliis actibus diuinæ prouidentiæ, aut etiam cum diuinis attributis, vti vidimus propos. 2. à num. 28. Ex quo capite nihil video, quod specialiter obijci possit contra prædefinitionem præcisiuam gloriæ, de qua modò agimus, præter ea, quæ ibi obiecta sunt contra prædefinitionem gloriæ vt coronæ. Ea autem non magis hic, quàm ibi vrgent. 56

Quandoquidem, vt liquet ex dictis, posità huiusmodi præcisiuâ electione ad gloriam, compositàque cum prouidentiâ præsenti, qua Deus statuit, non dare gloriam, nisi ob merita, non minùs manent liberi ad obtinendam, & amittendam gloriam tum Electi, tum non Electi, quàm, tali electione sublatâ, & positâ tantùm electione ad gloriam vt coronam, vel etiam nullâ. Seruatâ autem in omnibus tam Electis, quàm non Electis eiusmodi libertate, argumenta loco citato obiecta nullam vim habent. Vnde illa impræsentiarùm non oportet repetere.

57 Supererat argumenta diluere, quibus specialiter Recentiores sæpe commemorati, qui, admittentes prædefinitionem gloriæ, vt coronæ, hanc nostram præcisiuam totis viribus refutare conantur. Sed, quia ex doctrinâ hucusque traditâ facilè illa ab vnoquoque dissolui poterunt, satiùs duxi in eis proponendis, & diluendis non immorari. Concludo ergo ex omnibus dictis, possibilem esse, & compatibilem cum præsenti Dei prouidentiâ electionem absolutam, & efficacem Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa absolutè merita eorum, qua illis gloria decernitur, non solùm vt corona, sed etiam cum præcisione à meritis. Quòd si id respectu adultorum, qui solùm decedunt cum meritis propriè dictis bonorum operum, est possibile; multò meliùs erit possibilis electio paruulorum ante præuisum absolutè decessum eorum in gratiâ, qua illis decernatur gloria, non solùm vt hæreditas correspondens gratiæ adoptionis, sed etiam cum præcisione ab ipsâ gratiâ. In quo nulla noua difficultas occurrit.

57 Hæc autem dicta sunt de prædefinitione absolutâ, atque determinatâ gloriæ. Addendum tamen est, possibilem etiam esse, & cum prouidentiâ præsenti compatibilem prædefinitionem gloriæ vagam, seu disiunctiuam ex parte obiecti: quæ circa diuersas personas, vel circa diuersos gradus gloriæ eiusdem personæ vagetur. Quoniam, suppositâ possibilitate huiusmodi decretorum disiunctiuorum, de qua egi disput. 34. quæst. 9. non est cur illa circa gloriam possibilia non sint. Esse autem compatibilia cum prouidentiâ præsenti, est notum. Quia nihil prohibet, Deum voluntate quadam antecedente prædefinire certum numerum Prædestinatorum, non determinatis personis, vt dixit noster Alcasar supra citatus; & postea determinare personas, eisque in exequutione gloriam ob earum merita conferre. Tum potest Deus determinatam personam ad aliquem gradum gloriæ vagè acceptum eligere, & postea certum illi gradum determinare, vel post, vel etiam ante præuisa merita eius. Quòd si circa gloriam huiusmodi prædefinitiones vagè versari possunt; etiam poterunt circa merita; ita vt prædefinitio gloriæ connotans merita, aut connotet hæc merita determinata, aut hæc, vel alia sub disiunctione: vel, positâ prædefinitione, electio meritorum primùm sit vaga; ex qua deinde procedatur ad determinatam. Iam verò, possibilem etiam esse prædefinitionem gloriæ conditionatam, constat in voluntate, quam Deus habet saluandi omnes sub conditione, quòd decedant in gratiâ, quæ efficax est, vt statuimus disput. 40. quæst. 1. atque adeò prædefinitio gloriæ conditionata.

59 Porro nullam prædefinitionem gloriæ ex prædictis cum prouidentiâ, quam Deus habet de facto circa Prædestinatos, conferendo illis gloriam ex meritis, componi posse, nisi interuentu scientiæ mediæ; ex dictis disput. 37. quæst. 4. propos. 3. est notum. Ibi enim ostendimus, omnino esse necessariam scientiam mediam ad prædestinationem iuxta sententiam admittentem huiusmodi prædefinitiones.

Quod autem hactenus dictum, & probatum est de prædefinitione gloriæ hominum antecedente eorum merita, eodem modo est intelligendum de prædefinitione gloriæ Angelorum. Nam de vtrisque est eadem ratio, vt benè docent Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 9. Bellarm. lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 17. Molin. 1. par. quæst. 23. art. 3. disput. 1. memb. 7. & Ruiz disput. 50. de Prædestin. Vbi de prædestinatione Angelorum latè disserit: discriminaque congerit, quibus Angeli, & homines tum prædestinati, tum reprobi à diuinâ prouidentiâ consentaneè ad eorum naturam discriminati sunt. 60

QVAESTIO II.

An sit possibilis electio ad gloriam, præuisis meritis, ita, vt ante merita præuisa nulla intentio ipsius gloriæ absoluta, & efficax præcesserit.

Possibilem esse huiusmodi electionem affirmant, quotquot illam adstruunt defacto, eos citauimus supra num. 2. Ex ijs etiam, qui eam defacto negant, multi censent, esse possibilem contra Thomistas, & alios oppositum sentientes. Ita Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 16. num. 8. Ruiz tom. de Prædestin. disput. 12. sect. 1. num. 1. Tann. 1. par. disput. 3. quæst. 5 dub. 4. assert. 4. & alij. Tota autem difficultas eò reducitur, an Deus ex solâ intentione simplici, aut conditionatâ gloriæ moueri possit ad dandum Prædestinatis præ Reprobis media efficacia, quibus merita, decessumque in gratiâ comparent, quo obtineant gloriam ipsam. Suppositâ namque præuisione absolutâ meritorum, & decessus in gratiâ, dubium non est, quin sit possibile decretum dandi illis gloriam intuitu meritorum, & gratiæ: quod vocatur electio ad gloriam post merita præuisa: 61

Propositio 1.

Ex intentione simplici, vel conditionatâ gloriæ benè potest Deus moueri ad dandum Prædestinatis præ Reprobis media efficacia, quibus comparent gloriam ipsam. Vnde electio ad gloriam, præuisis meritis, de qua in titulo quæstionis, possibilis est. 62

Secunda pars propositionis constat ex notatione præmissâ. Prima autem nouâ probatione non eget, præter eam, qua disput. 36. quæst. 4. propos. 1. & 3. vniuersaliter probauimus, posse vnumquemque, atque adeò Deum ex intentione absolutâ, & simplici finis, atque etiam ex conditionatâ moueri ad apponenda quælibet media pro consequendo fine intento, non solùm sufficientia, sed

sed efficacia. Vnde planè consequitur, ex intentione simplici, vel conditionatâ gloriæ posse Deum moueri ad conferenda Prædestinatis media, quibus re ipsâ obtineant gloriam. Recognoscantur quæ ibi tradidimus, vbi etiam argumenta, quæ modò obstare possent, diluimus.

63 Sed dubitant tamen hìc nonnulli, an stando in istâ sententiâ de electione ad gloriam ex præuisis meritis, vt Deus sit specialis benefactor Prædestinatorum, eosque diligat præ Reprobis, ab illisque discernat, vti reuerâ diligit, & discernit, necessaria sit specialis intentio gloriæ, quam Deus erga Prædestinatos habeat, & non erga Reprobos; vel satis sit intentio communis, qua vult, vt omnes salui fiant. Affirmant quidam Recentiores. Alij verò negant.

Propositio 2.

64 **Deus ex intentione gloriæ communi, qua vult, vt omnes homines salui fiant, moueri potest ad dandum Prædestinatis media specialia, quibus infallibiliter gloriam ipsam videntur adepturi. Et hoc satis est, vt illos à Reprobis discernat: sitque specialiter erga illos beneficus, atque beneuolus: quin sit necesse, præintendere illis gloriam affectu speciali.**

Prima pars huius propositionis constat ex præcedente. Quia intentio gloriæ, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, aut simplex est, aut conditionata, vt vidimus disput. 40. quæst. 1. Quòd autem sit communis, nihil obstare potest, quominùs ex eâ moueatur Deus ad apponenda media efficacia pro consequutione finis respectu Prædestinatorum, & non respectu Reproborum. Quia huiusmodi intentio non aufert à Deo talem optionem, vt satis constat ex generali doctrinâ traditâ quæst. illâ 4. disput. 36. Imo verò neque aufert à Deo libertatem negandi omnibus omnia media salutis adhuc sufficientia. Quia ad nullum medium absolutè ponendum necessitat; cùm nullo modo sit absolutè efficax, iuxta dicta quæst. illâ 1. disput. 40.

65 Iam verò secunda pars propositionis probatur clarè. Quia, vt Deus sit specialiter beneficus, atque beneuolus erga Prædestinatos, eosque discernat à Reprobis, satis est, si illis præ Reprobis scienter, & ex animo conferat, vt verè confert, speciale beneficium, quale est auxilium efficax præuisum infallibiliter coniungendum cum eorum gloriâ. Per collationem enim huiusmodi auxiliorum, factam præsertim ex affectu tendente in illa, prout talia sunt, atque adeò ex beneuolentiâ speciali, prout ostendimus disput. 40. quæst. 5. reuerâ Prædestinati discernuntur à Reprobis, ac secernuntur à massâ perditionis. Deusque specialis benefactor, dilectorque eorum constituitur.

66 Sed obijciunt. Aut voluntas, qua Deus confert Prædestinatis prædicta auxilia, tendit in eorum efficaciam, aut tantùm in entitatem, quæ est efficax. Si primum. Ergo prædefinitur consensus, à quo efficacia sumitur, quod locum non habet in hac sententiâ. Si secundum. Ergo Deus per talem voluntatem non constituitur specialis benefactor, dilectorque Prædestinati. De hoc argumento egi contra Herice, & alios Recentiores supra disput. 37. quæst. 4. à num. 50. Constatque item solutio eius ex doctrinâ dictæ quæst. 5. disput. 40.

Secundò obijciunt. Etiam Reprobis 67
confert Deus auxilia efficacia ad benè operandum. Ergo collatio auxiliorum efficacium non est in Prædestinatis speciale beneficium. Distinguo consequens. Prout sunt efficacia ad benè operandum præcisè; transeat. Prout sunt efficacia respectu gloriæ mediâ perseuerantiâ finali; nego. Qualiter non sunt efficacia auxilia, quæ conferuntur Reprobis.

Addo, impossibilem esse volitionem gloriæ seu simplicem, seu conditionatam non connexam absolutè cum gloriâ ipsâ, quæ ita sit specialis Prædestinatorum, vt nequeat esse communis Reprobis. Quia volitio non connexa cum gloriâ eo ipso est compatibilis cum reprobatione, atque adeò & Reprobis conuenire potest. Poterit tamen Deus defacto velle Prædestinatis gloriam speciali voluntate etiam simplici, qua non velit gloriam Reprobis; vel vice versâ: volendo videlicet illis plures gradus gloriæ, vel teneriori, vel intensiori, seu ardentiori affectu, iuxta dicta de inæqualitate actuum voluntatis diuinæ disp. 34. quæst. 11. à num. 159. 68

Quod autem sit possibilis voluntas tendens indiuisibiliter in gloriam, & in media gratiæ, ita, vt respectu gloriæ, & meritorum sit simplex desiderium, respectu vero auxiliorum efficax, vti eam ponebat Herice citatus num. 5. ex generali doctrinâ traditâ disput. 36. citatâ compertum est. Ex qua etiam constat, possibilem esse prædefinitionem gloriæ in suâ causâ, vti eam posuit Arrubal ibidem citatus, siue per eamdem simpliciter ipsa gloria tangatur, siue per alium actum præuium. 69

Adiungo hìc duas obseruationes. Prima 70
est. Etiam si Deus non conferret Prædestinatis auxilia efficacia prout sunt efficacia tum ad opera salutaria, tum etiam ad gloriam, vti reuerâ confert defacto iuxta doctrinam stabilitam disput. 40. quæst. 5. & consequenter decreta collatiua eorum intrinsecè connexa non essent cum ipsis operibus, & cum gloriâ; adhuc nihilominùs dici posset, prædestinationem prouidentiam esse infallibiliter, certissimèque perducentem Prædestinatos ad gloriam mediis talibus operibus prout cum illâ coniungendis defacto. Quia nimirum coniunctum eiusmodi prouidentiam constituens ex talibus decretis, & ex scientiâ mediâ de futuritione tum operum salutarium, tum gloriæ sub conditione existentiæ auxiliorum; (quæ scientia etiam in eo casu dirigeret ad talia decreta, iuxta doctrinam statutam supra disput. 38. quæst. 2.), Tale, inquam, coniunctum essentialiter esset connexum cum futuritione absolutâ tum operum salutarium, tum gloriæ: atque adeo illam infallibiliter omnino, certissimèque inferret. Nempe propter notissimum illud, & euidens principium statutum à nobis in Pharo Scient. disput. 10. quæst. 5. propos. 4. Quòd coniunctum ex veritate conditionatâ, & ex purificatione conditionis metaphysicè connexum est cum veritate absolutâ conditionati. Idem namque est de coniuncto ex scientiâ mediâ de veritate conditionatâ, vtpote connexâ cum ipsâ veritate, & ex decreto de purificatione conditionis, vtpote connexo cum ipsâ purificatione, vt patet.

Sit secunda obseruatio. Possibilis est pro- 71

uidentia, quaDeus homini conferat auxilia efficacia ad merendum, adeòque & ipsa merita, alias digna gloriæ, ex alio motiuo, quàm conferendi gloriam in eorum præmium, sed præscindendo ab hoc fine: & nihilominùs postea præuidens talia merita morte consummata decernat in eorum præmium gloriam conferre. Quæ prouidentia, licet eosdem sortiretur effectus, quos de facto sortitur prædestinatio; loquendo rigorosè prædestinatio talis hominis ad gloriam non diceretur: quia non esset destinatio, seu ordinatio eius, siue operum eius ad gloriam tanquam ad finem. Eatenus tamen nihilominùs dici posset prædestinatio, quatenus esset prouidentia connexa cum gloriâ. Quia non posset Deus talia auxilia conferre, nisi præeunte scientiâ mediâ de coniunctione eorum cum gloriâ, iuxta doctrinam statutam disput. 38. quæst. 2. nec posset non connecti cum gloriâ coniunctum ex decreto collatiuo, & ex tali scientiâ iuxta dicta num. præced.

QVAESTIO III.

Vtrùm de facto Deus ante præuisa merita eligitat Prædestinatos ad gloriam: vel tantùm post illa præuisa.

72 STatutâ vtriusque electionis possibilitate, compositâque cum prouidentiâ, quam Deus de præsenti habet, restat modò examinandum, quænam earum de facto detur. Sententias, & Auctores dedimus supra quæst. 1. à num. 2.

Propositio 1.

73 Deus de facto ante præuisa merita eligit Prædestinatos ad gloriam.

Inclino in hanc propositionem tanquam in longè probabiliorem oppositâ, tum propter maius pondus auctoritatis, quæ in quæstionibus de facto magni facienda est, tum propter vrgentiora argumenta, quæ pro se habet, petita ab Scriptura, à Patribus, & à ratione. Primum desumitur ex loco illo Pauli ad Roman. 9. in hac materiâ celeberrimo. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (vt secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia maior seruiet minori. Sicut scriptum est. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi Paulus exemplo electionis Iacob præ Esau siue ad bona tantùm temporalia, siue etiam ad æterna (in quo sunt diuersæ opiniones) probare intendit, electionem Prædestinatorum præ Reprobis merè gratuitam esse, factamque non ex operibus, sed ex solâ misericordiâ Dei, vt patet ex toto contestu; & est certùm secundùm fidem. Vnde Augustinus passim ad id ipsum probandum vtitur hoc testimonio Apostoli. Esse autem hìc sermonem non solùm de electione ad gratiam Prædestinatorum propriam, vt volunt Aduersarij, sed etiam de prælectione ad gloriam ante præuisa merita, imprimis indicant illa verba. (*vt secundùm electionem propositum Dei maneret*). Deinde colligitur; quia terra promissionis, ad quam electus est Iacob, reprobato Esau, figura erat gloriæ Cœlestis. Præterea; quia, cùm collegisset Paulus, *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei.* Idque probasset exemplo figuli potentis pro suo arbitratu, *ex eadem massâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam.* Subdit. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multa patientiâ vasa iræ apta in interitum, vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* id est, prædestinauit, seu prælegit. Cùm tamen de vasis iræ tantum dicat, *sustinuit.*

Secundò arguitur ex illis verbis Lucæ 12. 74 *Nolite timere pusillus grex; quia complacuit Patri vestro, dare vobis Regnum.* Vbi Maldonatus ait. *Quod ab omnibus hoc loco est obseruatum, verum est, significari hìc, regnum cœlorum gratuitâ Dei voluntate, benignitateque esse nobis prædestinatum*; nempe *sine meritis nostris*, vt statim addit. Quo sensu de Prædestinatis ad gloriam interpretantur hunc locum Beda, & Cyrillus apud S. Tho. in catenâ, Theophilactus, Albertus magnus, S. Bonauentura, Hugo Card. Nicolaus de Lyra, Dionys. Carth. Bellarm. Ioan. Cagn. Ioan. Alboreus, Toletus, Saa, Barrad. Iansen. in Concord. cap. 82. relati à Fasolo 1. par. quæst. 23. art. 1. dub. 3. n. 58. Quanquam enim relata verba alias interpretationes patiantur: hæc grauitate, & multitudine Interpretum videtur præferenda.

Tertiò arguitur ex illo Actorum 13. *Et* 75 *crediderunt, quotquot erant præordinati ad vitam æternam; Ideſt, prædefiniti*, vt ait Chrysost. Homil. 30. in Acta. Quem locum, probat Lorinus, intelligendum esse de prædestinatione Dei *gratis omnino eligentis ad vitam æternam.* Id quod verba ipsa satis indicant; dum pro causâ fidei assignatur præordinatio in vitam æternam, quasi prælectio Prædestinatorum ad vitam æternam priùs fuerit in mente diuinâ, quàm voluntas dandi eis donum fidei. Audi Augustinum lib. de Prædest. Sanctor. cap. 20. subiungentem ad verba Scripturæ relata. *Quibus ostenditur Deus ad regnum etiam cœlorum, & ad vitam æternam parare, & conuertere hominum voluntates.* Vtique ad vitam æternam præintentam efficaciter, vt ex contextu colligitur; & ex cap. 6. de Corrept. & gratiâ, vbi eadem versat August. Actor. verba.

Quartò arguitur ex verbis illis Christi Do- 76 mini Math. 24. *Et, nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro; sed propter electos breuiabuntur dies illi.* Vbi nomine electorum non possunt non intelligi electi ad gloriam antecedenter ad merita, & cætera media gratiæ; quandoquidem vnum ex medijs erit breuiare dies illos plenos periculis. Quod tamen propter electos factendum dicitur, atque adeò post eorum electionem decretam tanquam medium proportionatum ad finem, ad quem sunt electi.

Quintò arguitur ex illis verbis Ioan. 6. *Hæc* 77 *est autem voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitem illud in nouissimo die.* Quasi dicat, vt sumi potest ex August. tract. 25. in Ioan. Quos per æternam electionem mihi velut proprium peculium consignauit Pater, eos mediâ doctrinâ, & gratiâ dirigam, vt, ad quam prædestinati sunt gloriam, eam denique resuscitati consequantur. Vbi rursus æterna electio, & prædestinatio supponitur ad voluntatem mediorum. Id quod etiam significant illa verba Ioan. 10. *Vos non creditis quia*

quia non estis ex ouibus meis : oues meæ vocem meam audiunt. Vbi obeditionis causa assignatur conscriptio inter oues Christi, siue prædestinatio ad gloriam, vt August. ibid. & Beda intelligunt. Idem significant illa verba Ioan.17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi : quia tui sunt* : nimirum electione æternâ. Quandoquidem hoc medium orationis Christi ipsam supponit electionem. Quæ subinde non potest non esse electio ad gloriam tanquam ad finem antecedentem media gratiæ. In quem eumdem sensum ponderandus est locus ille 1. Ioan. 2. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis : nam, si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum*. Ad quem locum August. lib. de Dono perseu. cap. 8. ait. *Non erant ex eis ; quia non erant secundùm propositum vocati, non erant in Christo electi ante constitutionem mundi : non erant in eo sortem consequuti; non erant prædestinati secundùm propositum eius, qui vniuersa operatur: nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.* Vtique accepto dono perseuerantiæ, de quo ibi agit Augustinus. Igitur causa conferendi, atque adeò etiam decernendi hoc donum, quod est potissimum salutis medium, ipsius salutis prædestinatio est : atque adeò hæc omne meritum, omneque donum gratiæ antecedit. Adde præterea illud Pauli ad Rom.8. *Scimus, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt sancti*. Nimirum quia sunt prædestinati. Subdit enim. *Nam quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui* (Vtique non solum in vitâ, sed etiam in gloriâ iuxta illud 1. Ioan. 3. *Cùm apparuerit, similes ei erimus*). *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit; quos autem iustificauit, illos & glorificauit*. Vbi ex prædestinatione Dei cætera significantur nasci, vt ex decreto circa finem nascuntur decreta mediorum.

Sextò arguitur ex omnibus eis Pauli locis, 78 vbi Prædestinatos apellat vocatos secundùm propositum voluntatis diuinæ. Per propositum enim non potest congruè intelligi aliud à voluntate efficaci conferendi gloriam antecedenter ad decretum conferendi media gratiæ, vt ponderauimus disp.39.quæst.6.num.95. & testimonijs Augustini non inefficaciter confirmauimus : recolantur ibi dicta. Omitto alia quæ ad rem ex sacris Scripturis congeri possent, & videri possunt apud Ruiz tom. de Prædest. totâ disput.8.& apud alios Doctores nostræ sententiæ.

Venio ad Patres. In quibus primum sibi 79 locum vendicat Augustinus, cuius auctoritas vbique magna, in re præsenti maxima est, atque firmissima, vtpote cuius doctrina de prædestinatione, & gratiâ non solùm est à summis Pontificibus approbata, sed passim etiam reperitur sacris Canonibus inserta. Eam approbauit, & commendauit primus Cœlestinus Papa in Epistola ad Episcopos Galiæ. Post eum Leo Magnus inepistolâ ad Nicetâ. Qui etiam ad Concilium Arausicanum 2. misit articulos de gratiâ, & prædestinatione ab eodem Concilio recipiendos ; in quibus non solùm mens Augustini, sed etiam plurima eius verba retinentur. Deniquæ Gelasius Papa in Concilio septuaginta Episcoporũ scripta Augustini, & Prosperi approbauit. Eiusdemq; Augustini doctrinã commendat in epistola 7. ad Episc. per Picenum.

Igitur, sensisse Augustinum, Deum ante 80 præuisa merita eligere Prædestinatos ad gloriam, imprimis vno ore testantur omnes Doctores nostræ sententiæ citati supra quæst.1 nu.3. Quorum multi in scriptis Augustini versatissimi fuerunt. Deinde etiam consitentur nonnulli ex Aduersarijs vt Osorius, Camerarius, & Catherinus, teste Arrub. disput.72. cap.4. Quorum omnium testimonia non leuem fidem faciunt de mente Augustini. Quem etiam pro nobis stare ex varijs doctrinæ eius locis probari potest. Sit primus ex cap.7. libri de Corrept. & grat. vbi, cùm dixisset ex massâ humani generis in Adamo damnatâ quosdam gratuitò a Deo esse discretos, & alios in suâ damnatione relictos, subdit. *Quicunque ergo ab illâ originali damnatione istâ diuinæ gratiæ largitate discreti sunt, non est dubium, quòd & procuratur eis audiendum Euangelium, & cum audiunt, credunt, & in fide, quæ per dilectionem operatur, vsque in finem perseuerant, &, si quando exorbitant, correcti emendantur*. Ex mente ergo Augustini discretio Præstinatorum à Reprobis per aliquid præuium fit, à quo procedit procuratio, atque adeò decretum collatiuum donorum gratiæ vsque ad finalem perseuerantiam. Quod non potest esse aliud à prælectione gratuitâ ad gloriam. Vnde subdit. *Hæc enim omnia operatur in eis, qui vasa misericordiæ operatus est eos, qui & elegit eos in Filio suo ante constitutionem mundi per electionem gratuitam*. Addit enim ex Apostolo ad Rom.11. *Si autem gratia iam non ex operibus ; alioqui gratia iam non est gratia*. Starimque magis se explicat dicens, *Profecto electi sunt per electionem, vt dictum est gratiæ, non præcedentium meritorum suorum*. Inferiùs autem exponens, ad quid fuerint electi inquit. *Electi autem sunt ad regnandum cum Christo*. Et paulo post. *Illos ergo elegit ad obtinendum regnum suum*. Vbi verba hæc, *ad regnandum cum Christo*, &, *regnum suum*, apertè significant gloriam, vt verba ipsa præ se ferunt, & ex contextu patet. Accedit, quòd ait August. cap.12. eiusdem libri. *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam prædestinatis tale datur adiutorium, vt perseuerantia ipsa donetur*. Vbi rursus vides, prædestinationem ad regnum causam poni adiutorij gratiæ, & perseuerantiæ. Et iterum cap. 13. *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in Regnum Dei*. Et infra. *Numerus ergo Sanctorum per Dei gratiam Dei Regno prædestinatus, donatâ sibi etiam vsque in finem perseuerantiâ, illuc integer perducetur, & illic integerrimus iam sine fine beatissimus seruabitur*. Neque audiendi sunt interpretantes hæc loca de electione, ac prædestinatione ad gratiam ; quasi hæc etiam in radice dicatur ab Augustino electio, & prædestinatio ad gloriam ; hæc enim expositio extorta est; cùm sit contra propriam verborum significationem. Capite autem 14. eiusdem libri hæc habet Augustinus. *Volenti salum facere nullum resistit arbitrium*. Vbi de salute æternâ loquitur, subiungens illud Apostoli. *Vult omnes homines saluos fieri*. Quod ad rem de voluntate efficaci saluandi Prædestinatos interpretatur, omissis alijs interpretationibus, quas, dicit, posse habere. *Ita dictum est*, inquit, *omnes homines vult saluos fieri, vt intelligantur omnes prædestinati : quia omne genus in eis est*. Igitur ex mente Augustini Deus voluntatem habet efficacem conferendi gloriam Prædestinatis, cui hominum arbitrium non resistit : quæque subinde præuia est, & antecedens opera Prædestinatorum. Fruſtra enim diceret Augustinus, voluntati subsequenti præuisionem operum hominum arbitrium non resistere. Neque

que huius non resistentiæ illam causam redderet, *Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nollentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Accedat huc alius locus ex lib.5. contra Iulianum cap.3. Vbi ait Augustinus. *Ipsi ergo electi, & hoc ante mundi constitutionem, ab eo, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam si sint. Sed electi per electionem gratiæ. Vnde dicit idem Doctor, & de Israel. Reliquiæ per electionem gratiæ salvæ factæ sunt. Et, ne forte ante constitutionem mundi ex operibus præcognitis putarentur electi, sequutus est, & adiunxit: si autem gratia, iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia. Ex isto numero electorum, & prædestinatorum etiam, qui pessimam duxerunt vitam, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam. Ex his nemo perit, quacunque ætate moriatur. Absit enim, vt prædestinatus ad vitam sine sacramento Mediatoris finire permittatur vitam.* Ecce ex mente Augustini electio, & prædestinatio, qua homines prædestinantur ad æternam vitam omnem meritorum præuisionem præcedit, ex eaque tanquam ex causâ procedunt ipsa merita mediâ pœnitentiâ in ijs, qui cadunt. Huc etiam faciunt loca Augustini, quæ in superioribus tetigimus, præsertim celebris ille, quem latè prosequitur lib. de Dono perseu. cap. 14. Vbi de Tyrijs, & Sidonijs ait. *Quoniam, vt crederent, non erat eis datum*: nempe æterno Dei proposito, & electione. *Ideo vnde crederent est negatum*: ideſt, auxilium congruum. Subdit enim, multis negari tale auxilium: quia *Dei altiori iudicio à perditionis massâ non sunt gratiæ prædestinatione discreti.* Vnde patet, iuxta Augustinum priùs discernere Deum per prædestinationem gratuitam prædestinatos; indeque moueri ad decernenda illis auxilia ad merendum. Huc denique faciunt insuper omnia loca Augustini, vbi passim insistens pharaſi Apostoli, prædestinatos appellat, *vocatos secundùm propositum*: nam per *propositum*, vt dicebamus nu.78. aliud non potest congruè intelligi nisi voluntas efficax Dei præuia ad voluntatem vocandi, & conferendi media gratiæ, qualis est prædefinitio gloriæ.

81 Mitto alia innumera loca, quibus Augustinus docet, Prædestinatos gratis omnino, & non ex præuisis operibus fuisse electos à Deo, vt videre est lib. 5. contra Iulianum lib. de Prædest. & gratiâ, tract.86. in Ioan. Epist. 105. ad Sixtum, & 206. ad Bonifacium. Maximè vero in libris de Corrept. & grat. de Prædest. Sanctorum, & de Dono perseuer. Loqui autem Augustinum ijs in locis de electione ad gloriam gratuitam, & non solùm de electione ad gratiam, vti contendunt Aduersarij; tum ex his quæ adduximus constat; tum quia electio absolutè prolata potiùs electionem ad gloriam, quàm electionem ad gratiam sonat, aut saltem non est, cur ad hanc restringatur, priori exclusâ. Quamquam enim potissima intentio Augustini in prædictis locis sit excludere merita arbitrij, quæ Semipelagiani adstruebant, ex quorum præscientiâ, putabant, moueri Deum ad eligendum Prædestinatos, eosque discernendum à Reprobis: per hoc tamen non efficitur, Augustinum de electione tantùm ad gratiam loqui, quotiescunque asseuerat, Prædestinatos gratis omnino, & non ex operibus electos esse à Deo, & à massâ perditionis discretos. Quoniam eius instituto parum intererat, vtrùm huiusmodi discretio per electionem ad gratiam, vel per electionem ad gloriam fieret; dummodò ea ex gratuitâ Dei liberalitate diceretur procedere, & non ex meritis electorum. Imo, loqui Augustinum vel vnicè, vel principaliùs dictis in locis de electione ad gloriam, ex hoc eodem eius scopo non obscurè probatur. Quia Semipelagiani non solùm initium iustificationis, sed etiam perseuerantiam in gratiâ acceptâ vsque ad mortem arbitrio humano attribuebant; atque ita electionem ad gloriam ex meritis per arbitrium partis, ac conseruatis factam dicebant, vt ostendit Ruiz disput.14. de Prouid. sect.4. & disput.5. de Prædest. sect. 4. Constatque apertè ex Epistolis Hilarij, & Prosperi ad Augustinum, quæ habentur tom.7. ante librum de Prædestinatione Sanctorum, & ex ipso Augustino libro de Dono perseu.cap.17. Cùm ergo Augustinus ex instituto contendat prædictis in locis, errorem Semipelogianorum conuellere, directè quidem intendit monstrare electionem Prædestinatorum ad gloriam ex meritis arbitrij non fieri. Dum tamen eam ex sacris Litteris omnino gratuitam esse demonstrat. Consequenter eam etiam factam ostendit ante præuisa merita gratiæ, ob quæ iuxta doctrinam Catholicam in exequutione confertur. Sufficiant hæc ex Augustino. Accedo ad alios Patres.

Quorum primum locum tenent discipuli Au- 82
gustini, vtpote qui in præsenti causâ eamdem Augustini sententiam, non solùm fideliter loquuti sunt, sed etiam accerrimè propugnarunt. Prosper igitur ad capitula Gallorum cap.8. dicit. *Qui saluantur, ideo salui fiunt, quia illos voluit Deus saluos fieri, & qui pereunt, ideo pereunt, quia, perire meruerunt.* Idem docet ad Excerpta Genuens.dub.9. sæpissimèque in varijs Opusculis doctrinam Augustini de gratuitâ discretione electorum illustrat, & defendit Prosper, supponens satis clarè, ex illâ cætera dona Dei illis collata deriuari. Fulgentius autem lib.1. ad Monimum cap.13. ait. *Quos prædestinauit ad gloriam, præstinauit ad iustitiam.* Sentit ergo decretum gloriæ prius esse, quàm decretum iustitiæ. Id quod clariùs significat lib. de Fide ad Petrum cap.3. & 35. & lib. de Incarnat. sub finem. Petrus Diaconus discipulus etiam Augustini lib. de Incarn. & gratiâ Iesu Christi cap.7. *Desinant*, inquit, *quærere, cur alios saluet gratuito dono: alios derelinquat iusto, & occulto iudicio: qui potestatem habes ex eadem massâ aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam.* Loquitur autem de salutione quoad intentionem, vt constat; nam in exequutione nemo saluatur gratuito dono. Eodem pacto videtur loquutus Chysost. ad Colos. sen. 1. serm.2. ad illud. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in lumine.* *Qua ratione*, inquit, *sortem vocat, vt ostendat, neminem ex propriis suis virtutibus acquirere Regnum: sed quemadmodùm sors magis ex euentu est, & casu; ita & hìc.* Similiter habet Theophilact. ibid. Et clariùs Anselm. *Sors enim*, inquit, *vocatur hæreditas, quando non meritis humanis, sed electione diuinâ datur.* Hoc etiam sensu dixit Marcus heremita lib. de Paradiso tit.2. cap.2. *Regnum coelorum non est merces operum*, (intellige, prout in intentione); *sed gratia domini fidelibus seruis præparata.* Similiter Oecumen. in illud ad Ephes. 2. *Non ex operibus, ne quis glorietur.* ait, *Ne quis arrogantiæ ansam accipiat: quasi ex propriis operibus factus sit saluus.* Hieron. in illud ad Ephes.1. *Sicut elegit nos in ipso &c.* ait nos eligi à Deo *secundùm propositum voluntatis suæ, non se-*

cun-

eundùm opera nostra. Gregor. Magn. in lib. 1. Reg.c.14. ad illa verba. *Porro Philisthym abiere.* omnia media gratiæ reuocans in prædestinationem tanquam in causam, concludit. *Qui ergo non prædestinati sunt, siue audiant Doctorum verba, siue non audiant, vocari in Dei habitaculum nequeunt.* Et lib.33.Moral.cap.20. pariter loquitur ad rem. Isidorus de Summo bono lib.2. cap.5. ait. *Spiritualis gratia non omnibus distribuitur, sed tantummodò Electis donatur.* Et infra. *Electi verò conuersionis dona accipiunt, & perseuerantiam doni.* Et cap.6. Vtraque (nempe prædestinatio, & reprobatio) *agitur diuino iudicio, vt semper, Electos superna, & interiora sequi, faciat: semperque Reprobos vt infima, & exteriora deserendo sectari permittat.* Sentit ergo ab electione (vtique ad gloriam) cuncta Electorum dona nasci. Bernardus serm.23. in Cant. *Omnis, qui natus est ex Deo, non peccat: quia generatio cœlestis seruat eum. Generatio cœlestis æterna prædestinatio est; qua electos suos Deus dilexit.* Ea ergo secundùm Bernard. est causa non peccandi. Et serm.67. in Cant. *Neque, vt te eligerem, tua merita inueni; sed præueni.* Loquitur autem de electione, sicut Augustinus, ex quo hæc deprompsit. Laurentius Iustinianus in Fasciculo amoris cap.10. *Vt quisque eligatur ad vitam, gratificetur ad veniam, & in vnitate persistat, in Dei pendet arbitrio. Quem enim prædestinauit ad gloriam, per gratiam vocando iustificat.* Et infra. *Qui ad gloriam prouehuntur, priusquàm fierent, prædestinati sunt, eorum nullis præcedentibus meritis.* Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore cap.3. *De prædestinatione*, inquit, *placet iuxta auctoritatem Apostolicam, quæ dicit. An non habet potestatem figulus &c.* Et post relata verba Apostoli subdit. *Fideliterque fatemur, prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem: in electione tamen salvandorum misericordia Dei præcedere meritum bonum: in damnatione autem perituroruṁ meritum malum præcedere iustum Dei iudicium.* Prædestinatio ergo ad vitam, electioque ad gloriam iuxta Concilium præcedit merita præuisa: quod confirmat per ea, quæ adiungit: in quibus se profitetur inhærere doctrinæ Augustini. Auctor Hypognostici, & ipse Augustinianus tom.7. operum Augustini lib.6. ante medium ait. *Quia verò iustus, & misericors Dominus Deus præsciusque futurorum ex hac damnabili massâ non personatum acceptione, sed iudicio æquitatis suæ irreprehensibili, quos præscit misericordiâ gratuitâ præparat, id est prædestinat ad æternam vitam. Cæteros autem pœnd, vt prædixi, debitâ punit: quos ideo punit, quia quid essent futuri præsciuit.* Quod testimonium clarè pro nobis est. Leo Magn. serm.7. de Pass. *In saluandis hominibus per crucem Christi communis erat voluntas Patris, & Filij, & commune consilium: nec vllâ poterat ratione turbari, quod ante æterna sæcula & misericorditer erat dispositum, & incommutabiliter prædefinitum.* Decretum ergo de saluandis hominibus secundùm Leonem misericorditer, & non intuitu meritorum conceptum fuit à Deo. Postremò S.Thom. in hac eàdem fuisse sententiâ, fere omnes eius Interpretes confitentur. Eam enim pluribus in locis pronunciat satis expresè. Videatur 1.par. quæst. 23. art.4. & 7. in 1. dist.41. quæst.1. art.2. & 3. & quæst.6. de Veritate art.1.& 2. Hæc, satis sit, decerpsisse ex Patribus. Plura videri possunt apud Auctores nostræ sententiæ, præsertim apud Ruiz disp.11.de Prædest.& apud Tann.q.3.dub.4.

A ratione autem argumentor primò; 83
quia quando finis cum effectu obtinendus est, perfectior ex genere suo, & magis connaturalis prouidentia videtur, illum præintendere efficaciter, quàm simplici affectu, vt arguebamus in simili disput.39. quæst.6. Ergo de facto talem dicendus est Deus prouidentiam habere circa Prædestinatos, vt ex efficaci intentione gloriæ procedat ad procuranda illis merita quibus illam sunt adepturi. Maximè, cùm in huiusmodi prouidentia eximiè luceat sapientia Dei, atque etiam desiderium flagrans, quod habet, salutis hominum, vt expendebam loco citato.

Secundò; quia amor, & beneuolentia qua 84
Deus iuxta Scripturam, & Patres prosequitur Prædestinatos, maximopere commendatur, si illis ante præuisa merita prædefiniat gloriam. Ipsique huiusmodi prædefinitione plùs deuinciuntur, & obligantur ad redamnandum Deum, atque ei pro tam maximo, indebitoque beneficio gratias agendum, vt ibidem etiam ponderaui.

Tertiò; quia hoc electionis genere meliùs 84
ostendit Deus diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam, prout intendit per electorum prædestinationem ostendere, testante Paulo ad Rom.9.

Quartò; quia huiusmodi præelectio ad glo- 85
riam maiorem laudem conciliat omnipotentiæ Dei. Maioris quippe potentiæ est, prædestinando causare opera bona, quàm supponere præuisa, vt docet Augustinus lib. de Corrept. & grat.cap. 11. in medio, & cap.12. in fine.

Quintò. Cum hoc genere prouidentiæ me- 86
liùs intelligitur, quomodò discretio Prædestinatorum à Reprobis factam per præuiam illorum electionem ad gloriam à solo Deo sit, nihil ad illam cooperante nostro libero arbitrio, iuxta sententiam Pauli 1. ad Corint.4. *Quis enim te discernit?* &c. Quod non ita facilè explicatur, si per electionem ad gratiam congruam dicatur facta ista discretio: cùm specialitas huius gratiæ à futiritione conditionatâ consensus Prædestinati proueniat. Vnde etiam efficitur, si huiusmodi discretio per electionem ad gratiam fieret, minùs occultam, saltem specie tenus, fore causam, cur Deus istum eligat, illo relicto, quàm prædicat Paulus ad Rom.9. & 11. & omnes Catholici confitentur.

Sextò. Suppositâ possibilitate electionis ad 87
gloriam ante præuisa merita, vix videtur posse negari hoc genere electionis electos esse Christum Dominum, B. Virginem, Apostolos, & alios eximiæ sanctitatis viros, quos Deus tantopere dilexit, atque confirmauit in gratiâ. Ergo idem à simili dicendum est de cæteris Prædestinatis.

Restat nunc, vt argumenta diluamus, quæ 88
contra nostram propositionem solent obijcere Aduersarij. Obijciunt autem primò ea Scripturæ loca, quibus vita æterna tanquam merces benè operantibus præparata, aut etiam conferenda asseritur, vt Math.25. *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum ab origine mundi. Esurini enim, & dedistis mihi manducare, &c.* 1. Corint. 2. *Oculus non vidit, &c. quæ præparauit Deus ijs, qui diligunt illum.* Iacob. 2. *Nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo diuites in fide, & hæredes Regni?* Respondeo primò in vniuersùm, hæc testimonia posse intelligi de prædefinitione intentiua gloriæ vt coronæ, quæ, licèt præcedat merita vt absolutè præuisa, præparat tamen gloriam vt conferendam propter merita.

Re-

Respondeo secundò, posse etiam intelligi de decreto exequutiuo gloriæ propter præuisa merita, quo etiam optimè dici potest gloria ab æterno præparata esse in præmium meritorum. Respondeo tertiò, primum, & tertium locum potiùs stare pro nobis. Primum quidem; quia illa causalis. *Esuriui enim* &c. non respondet verbo *paratum*, sed verbo *possidete*: vt sensus sit: quia dedistis mihi manducare, &c. possidete regnum paratum vobis ab origine mundi, idest largiter prædefinitum ante præuisa vestra merita. Addes, per illas particulas, *Benedicti Patris mei*, præuiam etiam electionem denotari Prædestinatorum, à qua tanquam à primo fonte omnia bona gratiæ, & gloriæ illis prouenit. Tertium autem locum stare pro nobis probatur ex August. ita illum interpretante lib. de Prædest. Sanct. cap. 17. *Eligendo ergo facit diuites in fide, sicut heredes regni. Rectè quippe in eis hoc eligere dicitur, quod vt in eis faciat, eos eligit.* Sicut ergo gratis eliguntur ad fidem, vt nemo negare potest, ita etiam gratis eliguntur ad regnum iuxta Augustinum, atque adeò ante præuisa merita. Ex quibus patet, quomodò sint intelligenda cætera Scripturæ testimonia, quibus sæpissimè docemur, gloriam vt brauium esse nobis propositam, vt præmiumque, & mercedem conferri nostrorum meritorum.

89 Secundò obijciunt illa Scripturæ loca, in quibus præscientia diuina anteponitur prædestinationi, vt ad Rom. 9. *Quos præsciuit, & prædestinauit.* ad Rom. 11. *Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit.* 1. Petri 1. *Electis aduenis secundùm præscientiam Dei Patris.* His enim significari videtur, præscientiam meritorum præcedere prædestinationem, seu electionem. Hoc argumentum contra omnes est. Nemo enim non Semipelagianus potest asserere, prædestinationem, seu electionem qua Prædestinati discernuntur à Reprobis ex præuisis meritis fieri. Respondeo ergo, his in locis nomine præscientiæ non intelligi scientiam visionis meritorum; sed scientiam practicam prout talem tum simplicem, tum conditionatam, à qua procedit, & dirigitur prædestinationis decretum: quæque subinde aliquando pro ipsâ prædestinatione vsurpatur. Audi August. lib. de Dono perseu. cap. 18. fine, & cap. 19. principio, ita etiam exponentem antiquiores Patres, qui præscientiam itidem prædestinationi præponebant. *Nullus igitur*, inquit, *qui hæc intelligit, negare, vel dubitare permittitur, vbi ait Apostolus. Non repulit Deus plebem suam, quam præsciuit, prædestinationem significare voluisse. Præsciuit enim reliquias, quas secundùm electionem gratiæ fuerat ipse facturus: hoc est ergo prædestinauit. Sine dubio enim præsciuit, si prædestinauit. Sed prædestinasse est, hoc præscijsse, quod fuerat ipse facturus. Quid ergo nos prohibet, quando apud aliquos verbi Dei Tractatores legimus Dei præscientiam, & agitur de vocatione electorum, eamdem prædestinationem intelligere?* Adde, Augustinum sæpe hoc modo loquendi vti. *Prædestinatione Deus præsciuit, quæ fuerat ipse facturus:* ita habet cap. 10. de Prædest. Sanct. & cap. 17. *Electi sunt itaque ante mundi constitutionem eâ prædestinatione in qua Deus sua futura facta præscijt.* Hæc tamen scientia visionis est de effectu ex prædestinatione prouenturo, qua ille videtur siue in ipsâ prædestinatione vt in causâ, siue in se ipso. Respondeo secundò, prædicta loca de scientiâ aprobationis intelligi posse, quæ dilectionem aliquam, aut beneplacitum diuinum circa obiectum scitum supponit: qualis est scientia, de qua sermo est Ierem. 1. *Priusquàm te formarem in vtero, noui te.* & Ioan. 10. *Cognosco oues meas.* & 2. ad Tim. 2. *Cognouit dominus, qui sunt eius.* Quę expositio communis est. Eamque sequuntur Caiet. ad Rom. 8. expos. 2. Salmer. ibi disput. 19. Iustinia. vers. 19. Bellarm. lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 13. & alij.

Tertiò obijcitur illud epistolæ ad Roman. 90
cap. 11. *Vide ergo bonitatem, & seueritatem Dei: in eos quidem qui ceciderunt, seueritatem: in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate: alioquin & tu excideris. Sed & illi, si non permanserint in incredulitate, inserentur.* Illud etiam Apocal. 3. *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.* Respondeo, per hæc tantùm probari, gloriam non dari, nisi ob merita: omnesque habere potestatem ad eam acquirendam, vel amittendam suis operibus. Quod nullus negat: neque catholicè negare potest.

Quartò obijcitur illud 2. Petri 1. *Quapropter fratres magis satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem facialis.* 91
Minùs hoc premit: nam vel illud *certam* significat idem, ac notam vobis, vel alijs. Et sensus erit. Curate, vt per bona opera vestra vel vos, vel alij, quantùm humana coniectura fieri potest, certi reddamini de vestra salute. Ita explicant Oecumen. Hugo, Beda, & Carthus. Vel significat idem, quòd firmam, ac stabilem, vt legunt alij ex Græco. Et sensus erit. Curate per vestra opera, vt vestra electio firma sit, neque à posteriori impediatur vestris demeritis. Negari enim non potest in quauis sententiâ, Electos posse habere ad amittendam gloriam in sensu diuiso; atque adeò ad faciendum, amissa gloriâ per demerita, quod non exciterit eorum electio, vt constat ex dictis quæst. 1. amplìùsque constabit ex dicendis quæst. 6.

Quintò opponunt nobis August. lib. 1. ad 92
Simplicianum quæst. 2. vbi tractans locum illum epistolæ ad Rom. 9. de Iacobo, & Esau. *Cum nondum nati fuissent &c.* ait. *Non ergo secundùm electionem propositum Dei manet, sed ex proposito electio: id est, non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius; sed quia illud manet, vt iustificet credentes, ideo inuenit opera, quæ iam eligat ad regnum Cælorum. Nam, nisi esset electio, non essent electi: nec rectè diceretur. Quis accusabit aduersus electos Dei. Non tamen electio præcedit iustificationem, sed electionem iustificatio. Nemo enim eligitur, nisi iam distans ab illo, qui reijcitur. Vnde, quod dictum est; quia elegit nos Deus ante mundi constitutionem, non video, quomodò sit dictum nisi præscientiâ.* Card. Bellar. lib. 2. de Grat. & liber. arb. cap. 15. & cum eo Granad. tract. 7. disput. 4. sect. 6. respondent, Augustinum libros ad Simplicianum composuisse initio sui episcopatus, vt ipse testatur lib. 2. Retract. cap. 1. & lib. de Prædest. Sanct. cap. 4. In maturiori verò ætate aliter sensisse de electione ad gloriam, atque adeò sententiam mutasse, asserens sæpe electionem gratuitam præcedentem omne meritum. Quamuis enim expressè non retractauerit, quod in testimonio citato scripsit ad Simplicianum, tacitè tamen retractasse videtur, retractato eius doctrinæ fundamento, nimirum, electionem non posse esse inter æquales. Quod retractat lib. 1. Retract. cap. 23. passim admittens postea electionem gratiæ nullam supponentem inæqualitatem, discrimen, seu distantiam in

in eo, qui eligitur, ab eo, qui reijcitur, vt videre est lib. 5. contra Iulian. cap. 3. lib. de Corrept. & grat. cap. 7. lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 13. & 17. epist. 105. & 106. & alibi. Cæterùm, quanquam responsio hæc videatur probabilis. Arbitror, nec oportere, nec opus esse, quòd tribuatur Augustino tacita retractio doctrinæ contentæ in loco nobis obiecto. Maximè, cùm ipse lib. 2. Retract. cap. 1. mentionem faciens librorum ad Simplicianum nihil ex eis retractet expressè. Potiùs commendat eorum doctrinam, ad eamque Semipelagianos remittit lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 4. & de Dono perseuer. cap. 20. & 21. Dico ergo, in verbis citatis Augustinum nihil dixisse contrarium nostræ sententiæ, & suæ, quod egeret retractatione. Tantùm enim, retinendo adhuc illam electionis acceptionem, quæ supponit inæqualitatem, & distantiam inter eligendum, & reijciendum, dicit, solùm posse esse electionem ad gloriam ex meritis gratiæ. Quod est verissimum, sumptà in tali sensu electione: quia solùm per merita gratiæ fit ea inæqualitas, & distantia; cùm nullum præcedere possit ad gratiam meritum ex arbitrio. Non tamen negat decretum, & propositum Dei efficax merè gratuitum. Quod, licèt ibi noluerit electionem vocare, postea tamen senior factus sæpissimè vocat electionem gratiæ, vt constat ex locis paulò ante citatis. Huiusmodi autem gratuitum decretum, seu propositum Dei habere pro obiecto non solam vocationem congruam, vti Aduersarij putant, sed potiùs iustificationem, & gloriam ipsam, vt nos contendimus, apertè docet Augustinus ipso eodem loco qui nobis obijcitur. Quid enim nisi propositum iustificationis antecedens opera, atque adeo gratuitum significant illa verba. *Non quia inuenit Deus opera bona in hominibus, quæ eligat, ideo manet propositum iustificationis ipsius. Sed quia illud manet, vt iustificet credentes, &c.* Audi modò decretum gloriæ gratuitum in verbis immediatè sequentibus post integrum locum relatum. *Hìc autem quod ait, non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei, quia maior seruiet minori, non electione meritorum, quæ post iustificationem gratiæ proueniunt, sed liberalitate donorum Dei voluit intelligi, ne quis de operibus extollatur. Gratia enim Dei salui facti sumus*, (id est, decreto gratuito); *& hoc non ex nobis, sed Dei donum est; non ex operibus; ne fortè quis extollatur.* Hæc August. Ex quibus patet, apud ipsum duo esse decreta circa gloriam; alterum merè gratuitum, & præueniens merita, (quod hìc nondum appellat electionem; quia nullam inæqualitatem supponit; postea tamen in alijs operibus sæpe vocat electionem gratiæ); alterum remuneratorium, & supponens merita (quod hìc electionem appellat, quæ supponit inæqualitatem). Quo sensu benè docuit Soar. lib. 3. de Auxil. cap. 18. & 19. duplicem esse electionem ad gloriam apud Augustinum. Alteram antecedentem merita merè gratuitam, & intentiuam. Alteram supponentem merita remuneratoriam, & exequutiuam. Quantumuis eum impugnet Vazq. tom. 1. in 3. par. disput. 23. cap. 7. Quam duplicem electionem videtur coniunxisse August. serm. 7. de Verbis Domini in Math. dicens. *Quos voluit Dominus, hos elegit: elegit autem, sicut dicit Apostolus, & secundum suam gratiam, & secundum illorum iustitiam.*

94 Mitto alia leuiora, quæ ex Augustino opponi solent; facilèque interpretari possunt per dicta num. præceden. atque etiam num 90. Per quæ eadem exponendi sunt alij Patres, si quando contrà sententiam nostram stare videantur, dicentes, Deum eos, quorum opera præsciuit, prædestinasse ad gloriam, vel gloriam illis propter opera prædestinasse. Nam vel loquuntur de præscientia practicâ non supponente, sed causante medio decreto prædestinatiuo opera ipsa iuxta explicationem Augustini datam dicto num. 90. Vel, si loquuntur de præscientia meritorum iam futurorum absolutè, agunt dumtaxat de decreto remuneratiuo, ac exequutiuo gloriæ: quod omnes fateri tenemur, non negantes decretum gloriæ intentiuum, atque gratuitum, quem nos superaddimus. Vide plura huiusmodi Patrum testimonia proposita, & expositа apud Ruiz disput. 11. de Prædestinatione sect. 2. 6. 7. & 8. In quibus singillatim explicandis non est necessarium morari. Alia etiam quædam, quæ dubiâ fide ex Augustino opponi solent, apud Ruiz etiam videri possunt disput. 10. sect. 5.

Stet itaque, Deum defacto ante præuisa 95
adultorum merita; atque adeò etiam ante præuisum decessum in gratiâ paruulorum prædefinisse vtrisque gloriam decreto aliquo entitatiuè gratuito, ac liberali ex ijs, quæ possibilia recensuimus supra num. 12. Id enim probant pleraque argumenta, quæ adduximus. Quæ quidem communia sunt omnibus Prædestinatis. De omnibusque subinde, quod ad rem attinet idem omnino censendum est. Ex quo patet, defacto non habere locum aliquam earum sententiarum mediarum, quas retulimus quæst. 1. num. 4. & 5. Quarum prima electionem ad gloriam præcedentem merita tantùm tribuebat paucis quibusdam eximiè prædestinatis, non verò reliquis. Secunda autem, quæ erat Arrubalis, & Herice, dumtaxat admittebat prædefinitionem gloriæ in suâ causâ, non verò in se ipsâ.

Sed dubitari potest primò, an huiusmo- 96
di prædefinitio gloriæ, quam adstruimus defacto, sit gloriæ quoad substantiam præcisè, vel potiùs gloriæ vt coronæ. Censeo dicendum, esse prædefinitionem gloriæ vt coronæ. Quia, licèt altera sit possibilis, etiam secundùm præsentem prouidentiam. Attamen, velle Deum voluntate antecedente, & vniuersali omnes homines saluos fieri sub conditione meritorum, vt statuimus disput. 40. quæst. 1. cunctilque gloriam vt brauium suis operibus obtinendam proponere in sacris Scripturis, argumento est, quòd Deus illam Prædestinatis independenter à meritis non prædefiniat. Maximè, cùm gloriosius etiam sit illis suis proprijs meritis gloriam acquirere: ad quod Deus respexisse censendus est.

Secundò dubitari potest, an defacto eo- 97
dem indiuisibili decreto prædefiniat Deus simul gloriam, & merita, atque etiam cætera media gratiæ; vel potiùs diuersis decretis. Vtrumque enim esse possibile ex dictis in præcedentibus constat. Censeo, id fieri per diuersa decreta. Quia iste est modus magis connaturalis ordinandi media ad finem intentum. Ita quidem, vt Deus priùs decernat gloriam Prædestinato; deinde moueatur ad decernenda illi merita, & alia media gratiæ eo ordine, quo illa conducunt ad finem intentum. Quomodò autem hoc possit etiam habere locum respectu eorum meritorum, quæ supponunt peccatum constabit ex dicendis disp. 43. Vbi ostendemus, pœnitentiam benè posse prædefiniri à Deo ante præuisum absolutè peccatum, atque

adeò etiam ante decretam peccati permissionem.

98 Tertiò dubitari potest, an post decretum intentiuum, & merè gratuitum gloriæ vt coronæ, quod defacto dari statuimus, variisque modis possibilibus poni potest iuxta dicta num. 12. detur defacto aliquod ex decretis compensatiuis meritorum, & horum præuisionem absolutam antecedentibus, quæ possibilia numerauimus num. 11. Existimo, non dari. Quia connaturaliùs etiam esse videtur, vt Deus post dictum decretum gloriæ vt coronæ gratuitum, & intentiuum expectet absolutam præscientiam meritorum ad decernendum præmiare illa per ipsius gloriæ collationem decreto compensatiuo, & immediatè exequutiuo eius. Hæc dicta sunt de prædefinitione gloriæ determinatâ, & absolutâ. Nam ea est, quam probant argumenta, quæ adduximus. Superest modò, vt nonnihil etiam dicamus de prædefinitione gloriæ vagâ, & conditionatâ.

Propositio 2.

99 **Etiam habet Deus defacto prædefinitionem vagam, qua gloriam prædefinit hominibus ante præuisa eorum merita: quæ circa varias personas, vel etiam circa varios gradus gloriæ eiusdem personæ vagatur. Sicuti habet prædefinitionem conditionatam, qua vult, vt omnes salui fiant, si per ipsos non steterit.**

Priorem propositionis partem, quod attinet ad prædefinitionem vagantem per personas diuersas, probat mihi sententia illa, quam ex Alcasar, & Ruiz retuli quæst. 1. num. 6. Censeo enim valde probabile, Deum antecedenti quodam decreto statuisse, ac prædefiniisse numerum Prædestinatorum, non determinatis personis, quibus ille complendus erat: quod subinde circa personas vagè, seu disiunctiuè versabitur; ita quidem, vt per huiusmodi decretum statutum sit vt mille e. g. saluentur; quòd autem sint isti, vel illi nondum per illud maneat determinatum. Dari autem defacto tale decretum probatur primò; quia aliquem finem censendus est respexisse Deus in eo, quòd tot homines saluarentur, quot re ipsa saluandi sunt, nec plures, nec pauciores, nimirum vel, vt implerentur sedes, quas Angeli apostatæ amiserunt, vel, vt mansiones extructæ in illâ cœlesti Ciuitate iusto Ciuium numero habitarentur. Sed ad huiusmodi finem nil interest, quòd homines saluandi sint isti, vel illi. Ergo credendum est, priùs determinasse Deum ex intentione talis finis numerum saluandorum, quàm determinatas personas, quibus ille adimplendus erat. Hic enim modus decernendi priùs, quod proximè ad finem intentum est necessarium, deindeque, quod remotiùs ad illum conducit, valde connaturalis est, atque adeò non negandus Deo defacto. Maximè, cùm consentaneum, congruumque sit sapientiæ, atque prudentiæ Fundatoris volentis ciuitatem fundare, priùs habitationum numerum, ciuiumque sibi præfigere; deindeque determinare materiam, formamque domorum, personasque, quibus illæ habitandæ sunt. Quod certè præstitisse Deum in fundatione illius cœlestis Ciuitatis optimè declarat Bernardus serm. 78. in Cant. ex seque diuinæ sapientiæ videtur satis consentaneum.

Secundò; quia Apocalip. 3. dicitur, *Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam*. 100
Quo manifestè significatur, numerum Prædestinatorum ita esse prædefinitum à Deo, vt cadente vno, alius loco eius infallibiter subrogandus sit. Vnde Gregor. lib. 25. Moral. cap. 8. aliàs 10. circa illud Iob 34. *Conteret multos, & innumerabiles, & stare faciet alios pro eis*; ait. *Dum, alijs cadentibus, ad standum alij solidari perhibentur; Electorum numerus certus, ac definitus ostenditur. Vnde etiam dicitur. Tene quod habes, &c.* Et August. lib. de Corrept. & grat. cap. 13. *Facite ergo*, inquit, *dignum fructum pœnitentiæ, & nolite dicere apud vos metipsos, Patrem habemus Abraham. Potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Vt ostendat, sic istos esse amputandos, si non fecerint fructum, vt non desit numerus, qui promissus est Abrahæ. Tamen apertiùs in Apocalypsi dicitur. Tene, quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Si enim alius non est accepturus, nisi iste perdiderit, certus est numerus.* Pro qua expositione citantur etiam Primasius, Beda, Rupertus, Haymo, Lyra, & alij ad eumdem locum. Consentiuntque Magist. in 1. distinct. 40. & communiter Scholastici cum S. Tho. 1. par. quæst. 23. artic. 6. ad 1. vbi ait. *Non permittit Deus, aliquos cadere; quin alios erigat secundùm illud Iob. Conteret multos, &c.* Ex his formo argumentum. Cadente vno à gratiâ, alius loco eius est subrogandus certò, & infallibiliter, vt accipiat coronam gloriæ amissam ab illo, qui cecidit, aliàs illam non accepturus, nisi ille caderet. Ergo aliquod extat decretum determinans Deum ad talem subrogationem faciendam: sublato enim omni decreto ad eam determinante, non est, cur illa semper, & pro omni casu esset facienda à Deo, vt supponunt Scriptura, & Patres. Huiusmodi autem decretum aliud esse non potest à decreto certi numeri Prædestinatorum non determinante personas. Quia tale decretum dumtaxat potest Deum cogere ad subrogandum alium pro quolibet cadente, casu, quòd cadat, vt re ipsâ gloriam obtineat, aliàs non obtenturus, si ille non caderet.

Tertiò id ipsum probatur; quia amor, & 101
beneuolentia, quam Deus erga homines habet, præstantior erit, si ex se, & ante omnia eorum merita omnibus, & singulis velit gloriam affectu efficaci disiunctiuo, quàm, si velit tantùm affectu simplici, vel conditionato, vt constat. Ergo defacto admittendus est in Deo talis affectus, vt pote eximiè commendans diuinam bonitatem. Illum autem eo ipso habet, quòd per decretum efficax antecedens decernit, vt certus numerus ex totâ hominum multitudine gloriam obtineat, non determinatis personis vi talis decreti, quibus impletendus est talis numerus.

Iam verò, quòd Deus singulis Prædestina- 101
tis defacto prædefiniat gloriam prædefinitione vagante per varios gloriæ gradus; hac vltima ratione nuper datâ probatur. Quia nimirum per talem prædefinitionem maiorem Deus erga Prædestinatos exercebit amorem, quàm si illam non habeat: quandoquidem per illam plus gloriæ volet singulis efficaciter affectu disiunctiuo, quàm cum effectu habituri sunt. Quo eodem iure diximus disput. 39. quæst. 6. propos. 3. Deum bona opera hominum prædefinire vagè. Cæterùm, licet

eunt vaga operum prædefinitio non tollit prædefinitionem determinatam singulorum operum individuo, & quoad omnes circunstantias, vt ibidem notauimus. Ita prædefinitio gloriæ vagans vel per varias personas, vel per diuersos gradus eiusdem, non tollit electionem determinatam determinatarum personarum, quæ defacto saluandæ sunt; nec prædefinitionem determinatam eiusdem numero gradus gloriæ, quem vnaquæque reuerà consequutura est. Nisi, quòd quæuis prædefinitio vaga pro signo aliquo antecedente præcedit semper prædefinitionem determinatam obiecti pertinentis ad ipsam vagam vel præcedentiâ conducentiæ, vel præcedentiâ maioris vniuersalitatis.

103 Posterior pars propositionis ex professò probata est supra disput. 40. quæst. 1. Vnum hìc adnoto, per voluntatem saluandi omnes Deum singulis hominibus tantam gloriam desiderare, quanta fuerint eorum merita casu, quòd illa habeant. Vnde tot gradus gloriæ desiderat vnicuique sub hypothesi meritorum, quot gradus meritorum respectu cuiusque possunt in hypothesi poni; eorum saltem, qui singulis sunt possibiles iuxta ordinariam prouidentiam, quam Deus erga homines habet, aut etiam iuxta specialem, quam habet erga aliquos.

104 Quæcunque autem statuta sunt de existentiâ prædefinitionis gloriæ hominum determinatâ, vagâ, & conditionali, eodem iure locum habent in prædefinitione gloriæ Angelorum. Nam argumenta facta æquè probant, si eorum motiua inspiciantur, Angelos prædestinatos ad gloriam modis prædictis electos esse ante præuisa eorum merita, vt benè docet Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 9. Tametsi pleraque testimonia adducta ex Scripturâ, & Patribus de hominibus tantùm loquantur.

105 Hìc tractant aliqui de ordine, quem in mente diuinâ habent prædestinationes hominum, Angelorum, & Christi Domini tum inter se, tum comparatæ cum peccatis Adami, aliorum hominum, & Angelorum, qui peccarunt. Verùm hæc quæstio exactè hìc resolui non potest: quia pendet vnicè ex illâ celebri controuersiâ, quam circa motiuum Incarnationis Verbi diuini tractant Theologi in Tractatu de Incarnatione. Ob id ad eum Tractatum illam remitto.

QVAESTIO IV.

Quanta sit certitudo tum formalis, tum obiectiua diuinæ prædestinationis.

106 NOn agimus de immutabilitate prædestinationis, (quam aliqui sub nomine certitudinis comprehendunt), supponentes vt certum secundùm fidem, probatumque disp. 31. quæst. 6. Deum ita esse immutabilem in suis decretis, vt neque retractare, quod semel decreuit, neque, quod antea non decreuit, postea successu temporis decernere possit. Ex quo patet, quem semel Deus prædestinauit, postea reprobare non posse; sicut nec postea prædestinare, quem reprobauit semel.

107 Omissis igitur varijs acceptionibus certitudinis, eam hìc tantùm vsurpamus ex parte quidem prædestinationis pro connexione, quam illa habet cum suo obiecto, quæ in actibus intellectus infallibilitas, in decretis autem voluntatis infrustrabilitas propriè vocatur; ex parte autem obiecti pro necessitate essendi, quam illud habet, suppositâ prædestinatione.

Propositio 1.

Diuina prædestinatio adeò certa est metaphysicè, vt prorsus sit impossibile in sensu composito Prædestinatum non saluari. 108

Ita docent omnes Theologi cum Magistro in 1. distinct. 40. & S. Tho. 1. par. quæst. 23. artic. 6. Probatur primò ex verbis Christi Domini Ioan. 10. Vbi agens de Prædestinatis ait. *Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis; & non peribunt in æternum, & non rapiet eas quisquam de manu meâ. Pater meus quod dedit mihi, maius omnibus est, & nemo potest rapere de manu Patris mei.* Quibus verbis satis clarè significatur omnimoda certitudo, & infallibilitas, quam habent Prædestinati obtinendi gloriam. Vnde August. tract. 48. in Ioan. ait. *De ouibus istis nec lupus rapit, nec latro interficit. Securus est de numero earum, qui pro eis nouit, quod dedit.* Id ipsum significant verba illa Pauli 2. ad Timoth. 2. *Firmum fundamentum Dei stat habens signaculum hoc. Cognouit Dominus, qui sunt eius.* vt bene ponderat August. lib. de Corrept. & grat. cap. 7. circa finem. Ad quem vtrumque locum respiciens Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 29. ait *Quod Pater Filio dedit, Filius non amittit, nec quisquam potest de manu eius rapere, quod accepit. Firmum fundamentum Dei stat; & mansuri in æternum templi ædificatio non vacillat.* Accedat illud Christi Domini Ioan. 6. *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eiciam foras.* Et paulò post. *Hæc est autem voluntas eius, qui misit me, Patris, vt omne, quo dedit mihi, non perdam ex eo.* Quæ loca egregiè ad rem versat August. lib. de Corrept. & grat. cap. 9. vbi ait. *Quicunque ergo in Dei prouidentissimâ dispositione præsciti, prædestinati, vocati, iustificati, glorificati sunt, &c. omnino perire non possunt.* Confirmatque verbis Christi relatis. Idem probat locus ille 1. Ioan. 2. *A nobis exierunt; sed non erant ex nobis. Si enim ex nobis fuissent, permansissent vtique nobiscum.* Quod ita exponit August. lib. de Dono perseuer. cap. 9. *Non erant ex eis; quia non erant secundùm propositum vocati: non erant in Christo electi ante constitutionem mundi, &c. non erant prædestinati. Nam si hoc essent, ex illis essent, & cum illis sine dubitatione mansissent.* Eamdem veritatem confirmant ea loca Scripturæ, quæ docent consilium Dei, & voluntatem diuinam effectu frustrari non posse. Isaiæ 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et sæpe alibi. Confirmant etiam ea loca, quæ omnino subiectas prædicant voluntates humanas arbitrio, ac potestati Dei. Prouer. 21. *Cor regis in manu Domini, quocunque voluerit, vertet illud.* Math. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ad Rom. 11. *Potens est Deus inserere illos,* nempe in bonam oliuam. Et alia id genus. Quæ planè denotant, Deum cum omni certitudine, & infallibili-

tate posse inducere, ac ordinare voluntates hominum, vt per bona opera consequantur æternam vitam. Quod est, illos prædestinare. Denique eadem veritas efficaciter comprobatur, dum dicitur Math. 24. *Ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Nam illud, *si fieri potest*, clarè denotat, fieri non posse, vt electi inducantur in errorem, videlicet finalem, quo pereant; vt notat noster Maldonat. atque adeò eorum electionem omnino esse certam, & infallibilem.

109 Secundò probatur propositio ex Augustino ita definiente prædestinationem lib. de Dono perseuer. cap. 14. *Prædestinatio est præscientia, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.* Particula enim *certissimè* eam certitudinem adscribit prædestinationi, qua nulla maior esse potest, qualis est metaphysica. Et cap. 17. rursus. *Nam in suâ, quæ falli, mutarique non potest præscientia, opera sua futura disponere, id omnino, neque aliud quidpiam est prædestinare.* Loquitur Augustinus de præscientiâ practicâ connotante decretum prædefinitiuum, vt constat ex ijs quæ diximus supra quæst. 3. num. 90. Augustino consentit Concilium Valentinum sub Leone Papa 1. cap. 3. Consentiunt etiam Prosper ad obiect. 2. Vincent. obiect. 12. Isidorus lib. de Summo b cap. 18. Consentiunt & alij Patres communiter. Accipe vnum Fulgentium lib. de Fide ad Petrum cap. 35. dicentem. *Firmissimè tene; & nullatenus dubites, omnes, quos vasa misericordiæ gratuitâ bonitate Deus fecit ante constitutionem mundi, in adoptionem Filiorum Dei prædestinatos à Deo; neque perire posse aliquem eorum, quos Deus prædestinauit ad regnum cœlorum; neque quemquam eorum, quos non prædestinauit ad vitam, vllâ posse ratione saluari.* Loquitur autem Sanctus in sensu composito cum prædestinatione, aut reprobatione. Vnde patet, eum sentire, prædestinationem essentialiter cum gloriâ prædestinati connecti.

110 Tertiò probatur propositio; quia prædestinatio non potest non includere in se aliquos actus Dei essentialiter connexos cum gloriâ. Ergo non potest non esse metaphysicè certa respectu gloriæ; quo sensu in præsenti accipimus certitudinem. Consequentia est nota. Probo antecedens. Nam si prædestinatio dicatur includere decretum exequutiuum gloriæ in compensationem meritorum; quod datur defacto secundùm fidem; compertum est ratione talis decreti esse eam essentialiter connexam cum gloriâ. Si autem dicatur prædestinatio non claudere in se dictum decretum: sed tantùm intentionem gloriæ, & electiones mediorum efficacium ad illam. In nostrâ quidem sententiâ, secundùm quam talis intentio prædefinitio est efficax gloriæ, iam ratione talis prædefinitionis erit prædestinatio connexa cum gloriâ essentialiter. In omni autem sententiâ erit connexa ratione dictarum electionum mediorum efficacium ad gloriam, saltem prout coniunctarum cum scientiâ mediâ de ipsorum efficaciâ. Quod addo propter eos, (si qui sunt), qui putant, Deum non decernere Prædestinatis auxilia efficacia prout efficacia, sed quoad eorum entitatem præcisè. Adhuc enim, hoc posito, non potest non coniunctum ex decreto de entitate auxilij, & ex scientiâ mediâ de efficaciâ eius ad gloriam esse essentialiter connexum cum ipsâ gloriâ, prout, dictum est num. 70. In communi verò, & certâ sententiâ stabilitâ à nobis supra disput. 40. quæst. 5. iuxta quam Deus decernit Prædestinatis auxilia efficacia ad gloriam (quatenus efficacia ad meritа coniungenda cum gloriâ), prout taliter efficacia sunt, decreta de talibus auxilijs per se sunt intrinsecè, & essentialiter connexa cum gloriâ; sicut & efficacia ipsa, quam pro obiecto habent, prout talis cum ipsâ gloriâ connexa est. Ex quibus patet, quot titulis sit prædestinatio connexa cum gloriâ, atque etiam cum meritis coniungendis cum illâ, & consequenter metaphysicè certa respectu ipsius gloriæ, & meritorum.

Obijci tamen solent contra propositionem 111 aliqua Scripturæ loca, quibus indicari videtur, prædestinationem non esse certam. Nempe 2. Petri 1. *Satagite, vt per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis.* 1. ad Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in seruitutem redigo, ne fortè, cùm alijs prædicauerim, ipse reprobus efficiar.* Ad Rom. 9. *Optabam ego ipse anathema esse in Christo pro fratribus meis.* & Exod. 32. *Aut remitte eis hanc noxam, aut, si non facis, dele me de libro tuo.* Psal. 68. *Deleantur de libro viuentium.* Apocal. 3. *Non delebo nomen eius de libro vitæ.* & in eodem cap. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam.*

Ad primum locum respondi supra quæst. 113 3. num. 92. Ad secundum dico, per illum tantùm denotari libertatem, quam Paulus habebat amittendi gloriam, qualem habent omnes Prædestinati. Nisi particula *reprobus* significet non reprobatum à gloriâ, sed improbum, seu malum moraliter, vt alij interpretantur. In tertio, & quarto loco Paulus, & Moyses tantùm volebant damnationem velleitate quadam conditionatâ præscindente ab existentiâ, & certitudine suæ prædestinationis. Nisi, non de damnatione æternâ, sed de temporali aliquâ priuatione bonorum seu gratiæ, seu gloriæ, sint loquuti, vt multi Patres interpretantur apud Ruiz disput. 60. de Prædestin. sect. 7. & 8. In cæteris locis vel tantùm significatur potestas, quam habent Prædestinati amittendi gloriam suis demeritis. Vel certè libertas, & contingentia, quam habent omnes iusti cadendi à iustitiâ, sicque amittendi ius ad gloriam in iustitiâ fundatum, ratione cuius quodammodò iam ad librum vitæ, & coronatorum numerum pertinere videntur. De quo plura S. Tho. 1. par. quæst. 23. artic. 3. & ibi eius Interpretes, Pereira in Apocal. cap. 3. quæst 9. Soar. lib. 1. de Prædestin. cap. 24. Ruiz disput. 60. citata sect. 6. & alij.

Ex dictis infero, reprobationem etiam es- 114 sentialiter cum exclusione Reprobi à gloriâ connexam esse, atque adeò metaphysicè certam quoad hunc, & cæteros eius effectus. Nam, si fit sermo de reprobatione positiuâ: cùm ea sit decretum efficax excludendi à gloriâ Reprobum in pœnam peccatorum; compertum est, non posse eam isto effectu frustrari. Si autem sit sermo de reprobatione negatiuâ, qua negatur Reprobis beneficium prædestinationis; etiam talis reprobatio est essentialiter connexa cum negatione gloriæ. Quia est prouidentia permissiua peccatorum, quæ præuidentur coniungenda cum exclusione à gloriâ. Atque adeò coniunctum saltem ex decreto de permissione, & ex scientiâ mediâ de illius coniunctione cum exclusione à gloriâ (talem prouidentiam constituens) cum ipsâ exclusione à gloriâ est metaphysicè connexum iuxta dicta supra insimili.

Pro-

Propositio 2.

114 Numerus Prædestinatorum non solùm formaliter, sed etiam materialiter sumptus certissimus est metaphysicè. Idque non solùm ex vi præscientiæ, sed etiam ex vi prædestinationis diuinæ.

Materialiter dicitur sumi numerus pro ipsis personis determinatis, quæ illum complent: formaliter pro quantitate ipsius numeri, præscindendo à personis. Igitur propositio inter Catholicos certa est. Vnus Calderinus videtur abeà deuiare in expositione Psal. 50. Massilienses etiam quoad punctum hoc errarunt, censentes, numerum Prædestinatorum certum non esse, vt referunt Prosper, & Hilarius in epistolis ad Augustinum. Cæterùm veritas nostræ propositionis ex dictis circa præcedentem est manifesta. Eamque probant testimonia Scripturæ, & Patrum ibi commemorata. Accedat tamen Augustinus dicens Epist. 106. versus finem. *Nouit quippe, quid agat, & quantus numerus esse debeat primitiùs omnium hominum, deinde Sanctorum, sicut siderum, sicut Angelorum.* Et lib. de Corrept. & grat. cap. 13. *Hæc de his loquor, qui prædestinati sunt in regnum Dei, quorum ita certus est numerus, vt nec addatur eis quisquam, nec minuatur ex eis.* Et Prosper epistolâ de Libero arbitrio ad Rufinum paulò post medium. *Cùm certus apud Deum, definitusque sit numerus prædestinati in vitam æternam populi.* Consentit Hugo Victor. in Epist. ad Rom. quæst. 220. Consentiunt & cæteri Patres, quos allegauimus propos. 1. & alij communiter cum omnibus Scholasticis.

115 Et manifesta ratio est. Quia hoc ipso, quòd Deus præscit, quot sint saluandi, & quot damnandi, vti sine errore in fide negari non potest, non potest non numerus Saluandorum esse certus à tali scientiâ, similiterque numerus Reproborum. Deinde hoc ipso, quòd Deus per Prædestinationem certam prædestinat omnes saluandos, similiterque per certam reprobationem omnes damnandos reprobat, non potest non numerus Saluandorum à tali prædestinatione; & numerus Reproborum à tali reprobatione eamdem certitudinem participare, vt constat. Obiectum enim extrinsecè dicitur certum ab actus certitudine.

116 Ex quo etiam manifestè consequitur, certos quoque esse gradus gloriæ, quos singuli Prædestinatorum sunt habituri. Similiter & media gratiæ, quibus ad illos sunt perducendi. Sicuti etiam certi sunt gradus pœnæ, ad quos Reprobi sunt damnandi. Cuncta enim hæc certissimè à Deo, ac distinctissimè præsciuntur, cum omnique decreta sunt infallibilitate. In quo morari non opus est. Videatur Ruiz disput. 53. de Prædestin. sect. 5. 6. & 8. Porrò, quod dictum est de certitudine tum formali, tum obiectiuâ prædestinationis, reprobationisque hominum, eâdem ratione verum est de certitudine prædestinationis, reprobationisque Angelorum.

QVAESTIO V.

Qua ratione diuina prædestinatio cum nostrâ libertate cohæreat, Et an homo habeat in suâ potestate prædestinari, vel reprobari.

SVpponit, quæstio tanquàm certum secundùm fidem, per prædestinationem diuinam, atque etiam per reprobationem illæsam prorsus relinqui hominum libertatem tum ad benè, & malè operandum, tum ad obtinendam, & amittendam beatitudinem. Quod dogma constat ex dictis num. 8. constabitque rursus ex dicendis disput. 42. quæst. 3. De quo plura Bellarmin. contra Sectarios lib. 3. de Grat. & liber. arbit. & lib. 3. de Iustificat. Si quando autem Patres, vt Fulgentius lib. de Fide ad Petrum cap. 35. Gregor. in lib. 1. Reg. libro suo 5. cap. 4. & alij absolutè pronunciant, Prædestinatum nullatenus damnari posse, nec Reprobum saluari, in sensu compositio loquuntur; & quidem verissimè. Constat enim ex dictis quæstione præcedente, nec prædestinationem cum exclusione à gloriâ, nec reprobationem cum gloriâ posse vllâ ratione componi. Ex quo patet, libertatem, quam omnes Catholici confitemur tum in Prædestinato ad amittendam gloriam, tum in Reprobo ad eam lucrandam, dumtaxat esse libertatem in sensu diuiso à prædestinatione, & reprobatione, non itidem in sensu compositio. 117

Igitur prima pars quæstionis ex dictis in præcedentibus satis est expedita. In sententiâ enim non admittentium electionem Prædestinati ad gloriam ante præuisa merita solùm posset obstare Prædestinati libertati tum ad omittendum merita, tum ad amittendum gloriam decretum efficax, quo Deus ei confert auxilia efficaciâ respectu meritorum, & gloriæ, aut etiam scientia media de tali efficaciâ auxiliorum. Per huiusmodi autem duos actus Dei, quibus iuxta dictam sententiam prædestinatio constituitur, ne minimum quidem lædi libertatem creatam, abundè monstratum est supra disput. 39. quæst. 2. propos. 1. In sententiâ verò nostra admittente prædefinitiones tum gloriæ Prædestinati, tum meritorum eius, istæ solùm prædefinitiones possent obesse libertati tum non merendi, tum amittendi gloriam. Eas verò nihil omnino his libertatibus obesse ex dictis ibidem propos. 3. 4. & 5. & in hac disput. 41. quæst. 1. propos. 2. 3. & 4. liquidum est. Ex quibus etiam patet, per reprobationem nihil derogari Reprobi libertati merendi, & acquirendi gloriam. Nam reprobatio negatiua, præter omissionem prædestinationis, vt summùm claudit decretum permittendi demerita, & scientiam conditionatam, qua illa cum negatione gloriæ præuidentur iungenda. Huiusmodi autem actus libertati Reprobi non aduersari, ex doctrinâ datâ locis citatis satis superque notum est. Ex qua multo apertiùs constat, reprobationem positiuam eidem libertati nihil officere. Quia, cùm sit decretum priuandi Reprobum gloriâ in pœnam demeritorum finalium, longè abest 118

ab

ab auferendâ libertate, quam plenè exercitam supponit.

119 Venio ergo ad secundam quæstionis partem. Circa quam fere non est controuersia plùs quàm de modo loquendi, vt notant plerique Auctores mox referendi. Modò enim non quærimus, an possit homo per sua merita, vel demerita comparare sibi prædestinationem, aut reprobationem negatiuam; eoque nomine in suâ potestate habere prædestinari, aut reprobari: de quo grauis expectat nos controuersia tum cum Semipelagianis, tum cum aliquibus Theologis dirimenda disput. 42. quæst. 3. & 4. & 5. Sed tantùm quærimus, an, vt defacto peragitur prædestinatio, ac reprobatio negatiua absque vllis meritis, vel demeritis, quæ ex parte Prædestinati, aut Reprobi moueant ad vnum eligendum, & ad alterum relinquendum, prout ostendemus locis citatis; tota nihilominùs prædestinatio, ac reprobatio negatiua in potestate hominis sit. Valent. 1. par. quæst. 23. punt. 4. §. vlt. concedit dici posse, prædestinationem esse in nostrâ potestate cum gratiâ Dei solum à posteriori, quatenus in nostrâ potestate est perseuerantia finalis, sine qua prædestinatio constare non potest. Consentit Tann. disput. 3. quæst. 6. dub. 3. num. 3. Addunt tamen rectiùs dici absolutè, prædestinationem in nostrâ potestate non esse. Arrub. disput. 77. cap. 1. dicit; etsi prædestinatio quoad primam gratiam non sit in hominis potestate, esse verò in potestate hominis, quòd prima gratia sit effectus prædestinationis, & non communis prouidentiæ; quo sensu, inquit cap. 2. verum est, prædestinationem esse in potestate eius, qui prædestinatur. Fauet Molin. 1. par. quæst. 23. artic. 5. disput. 1. memb. vltim. ad ductus ab eodem Arrub. Ruiz disput. 55. de Prædestin. sect. 2. duo dicit. Alterum. Absolutè loquendo, prædestinationem non esse in potestate Prædestinati. Alterum. Secundùm quid, & impropriè loquendo, dici posse, prædestinationem esse in potestate Prædestinati. Vazq. verò 1. par. disput. 92. cap. 2. Herice disput. 28. cap. 4. & alij absolutè censent, esse dicendum, prædestinationem non esse in potestate Prædestinati.

120 Pro clariori resolutione suppono primò, bifariam dici posse, prædestinationem in hominis potestate esse, seu (quod est idem) à libertate hominis in suâ existentiâ dependere. Primò, quatenus homo prædestinatus liberè potest suam prædestinationem impedire, seu facere, quòd non exiterit. Secundò, quatenus homo non prædestinatus liberè potest suam prædestinationem acquirere, seu facere, quòd exiterit.

121 Suppono secundò, prædestinationem, quæ defacto datur; cùm sit prouidentia certò, & infallibiliter perducens Prædestinatum ad gloriam; in omni sententiâ esse connexam essentialiter tum cum gloriâ tanquam cum fine, tum cum meritis Prædestinati prout coniungendis cum ipsâ gloriâ tanquam cum medijs efficacibus ad illam. Siue dicatur Deus ex prædefinitione gloriæ ad prædestinationem meritorum moueri, & ex vtrâque ad decernenda auxilia efficacia tum ad merita immediatè tum ad gloriam mediatè, vt nos opinamur; siue dicatur Deus ex simplici affectu tum gloriæ, tum meritorum moueri ad decernenda eadem auxilia efficacia, vt opinantur alij. Iuxta priorem enim opinionem manifestum est, prædestinationem cum gloriâ, & meritis connecti essentialiter. Iuxta posteriorem verò, si Deus decernit auxilia efficacia formaliter prout efficacia ad merita, & gloriam iuxta communem, & certam Theologorum sententiam stabilitam disput. 40. quæst. 5. etiam est manifestum, tale decretum essentialiter connecti cum meritis & gloriâ. Si quis verò velit, dicta auxilia non prout sic efficacia, sed quoad entitatem præcisè decerni à Deo, coniunctum saltem ex tali decreto, & ex scientiâ mediâ de meritis, & gloriâ sequuturis ex ipsis auxilijs cum ipsis meritis, & gloriâ connexum erit iuxta dicta num. 110.

122 Suppono tertiò, promissionem, qua Deus hominibus promittit gloriam sub conditione, quòd habeant merita morte consumata, cum prædestinatione, quæ datur defacto connexam non esse; quia est promissio communis etiam non prædestinatis, siue Reprobis: qui quidem vi eius consequerentur gloriam, si implerent conditionem, vt possunt; quacunque demum prouidentiâ foret ipsis in eo casu prouisa conditionis impletio. Enim verò potentia, quam habet Reprobus defacto constitutam per auxilia sibi collata à Deo ad habenda merita morte consumata, potentia est, non solùm ad comparandam gloriam per talia merita, sed etiam ad mutandam prouidentiam, qua ipsis defacto talia auxilia prouisa sunt; hac videlicet impeditâ, & alterâ pro Dei beneplacito subrogatâ, iuxta doctrinam statutam disput. 38. quæst. 1. Quæ prouidentia in tali casu prædestinatio quædam esset, vtpote connexa cum gloriâ, iuxta dicta num. 70. & 71. siue eiusdem rationis cum eâ, quæ defacto datur, siue diuersæ. His positis.

123 Certum est primò, omnes effectus prædestinationis in potestate Prædestinati non esse. Quia in potestate eius meritoria prima gratia ad salutaliter operandum non est, vt videbimus disput. 42. In potestate autem physicâ nec illa, nec vlla cogitatio prima in quouis negotio. Constat autem, pleraſque huiusmodi cogitationum effectus prædestinationis esse. Dices, Deum has cogitationes conferre, quia præuidet conditionate eas iungendas cum consensu Prædestinati, atque adeò illas in suâ existentiâ pendere à libertate talis consensus; subindeque esse in potestate Prædestinati eas habere, vel non habere. Sed contra est; quòd consensus conditionatus non est absolutè in potestate Prædestinati, ante quàm conditio purificetur, sed erit, purificatâ conditione. Ego enim non habeo nunc in meâ potestate eos omnes actus, quos Deus præuidet à meâ voluntate futuros sub conditione, quòd tales, aut tales cogitationes mihi darentur; quæ tamen absolutè non dantur. Ergo multo minùs habet Prædestinatus in suâ potestate absolutè id, quod dependet à suo consensu conditionato. Ergo, quamuis Deus nunc ad dandam ei talem cogitationem moueatur per scientiam mediam de consensu extituro sub conditione, quòd illa existat. Inde tamen non fit, in potestate Prædestinati nunc positum esse absolutè quod detur ei, aut non detur prædicta cogitatio. Clariùs. Potestas libera Prædestinati ad consensum constituitur per ipsam cogitationem. Ergo nequit ab eius potestate liberâ dependere quòd cogitatio ipsa existat, vel non existat; vt ex se, & ex dictis latiùs supra disput. 38. quæst. 1. satis superque notum est. Hac de causâ Aristot. lib. 7. Ethicorum ad Eademum cap. 18. & lib. 2. Magnorum moral. cap. 8. & cum eo S. Tho. 1. 2. quæst. 109. artic. 2. ad 1. & alij Philosophi, atque Theologi vnanimiter docuerunt, primam cuiusque negotij cogitationem in hominis pote-

potestate non esse; sed aliunde quam ab arbitrio eius necessariò prouenire debere.

124 Secundò est certum, Prædestinatum gloriam posse amittere diuisim à prædestinatione, omittendo liberè merita, ob quæ illa conferenda ipsi est; & consequenter posse prædestinationem impedire, seu facere, quòd non extiterit, vtpote connexam essentialiter cum ipsis meritis, & gloriâ iuxta suppositionem secundam. Constat enim ex doctrinâ statutâ disput.39.quæst.2.& sæpe alibi, voluntatem creatam proximè liberam ad merendum eo ipso habere potentiam ad impediendum per omissionem liberam meriti quemlibet actum Dei seu intellectus, seu voluntatis connexum essentialiter cum ipso merito. Vnde potentia Prædestinati ad prædestinationem impediendam, consequenter rursus est potentia ad mutandam prouidentiam, qua defacto libertas actus primi ad merendum ipsi prouisa est, in aliam, quæ non prædestinatio, sed reprobatio quædam esset, casu, quòd cum tali libertate merita omitteret, vt potest, iuxta dicta in simili de Reprobo suppositione tertiâ.

125 Tertiò certum est, Reprobum gloriam posse acquirere diuisim à reprobatione, ponendo liberè merita morte consummata, quibus gloria promissa est; & consequenter reprobationem impedire, & aliquam prædestinationem acquirere, mutatâ in aliam prouidentiâ, qua defacto est illi prouisa libertas, quam habet ad talia merita ponenda, iuxta dicta suppositione tertiâ. Est quippe huiusmodi libertas potestas ad purificandam conditionem promissionis diuinæ, atque adeo ad obligandum Deum, vt conferat gloriam promissam. Adde, secluså promissione, quanuis homo non posset per positionem meritorum determinare, siue necessitare voluntatem diuinam ad decretum collatiuum gloriæ, fore tamen, vt posset illud simul cum gloria acquirere, si verum conditionatè fuisset, vt fuisset procul dubio, collaturum Deum pro suo nutu libero homini gloriam, si haberet merita prædicta, iuxta generalem doctrinam statutam disput.30. quæst.5.propositi.14. & disput.40.quæst.1.specialiter ad casum, de quo ibi, applicatam.

126 Cæterùm, quanquam hæc ita sint, censeo absolutè, & sine addito dicendum non esse. quemlibet hominem habere in potestate suâ à Deo prædestinari, vel reprobari, Quia iste modus loquendi absolutus Semipelagianismum sapit: denotat enim, quemlibet hominem viribus proprijs posse suam prædestinationem, vel reprobationem acquirere. Dici tamen optimè potest, quemlibet hominem diuinâ gratiâ adiutum, quæ nemini deest, in suâ potestate habere talia opera facere, quæ si fecerit, infallibiliter erit prædestinatus; sin minus, reprobus erit etiam infallibiliter. Quod ex vnâ parte non leue solamen est pro ijs, qui in hac re vacillare, aut perturbari solent. Ex aliâ verò cunctis debet esse iugis stimulus, vt *abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc sæculo expectantes beatam spem*, iuxta consilium Pauli ad Tit. 2. Nescimus enim an à primo peccato futuro nostra cuiusque reprobatio exordienda sit, quam subinde præcauebimus, illud non committendo.

127 Ex dictis colligitur facilè, quomodò aliqua prædestinatio sit necessaria ad obtinendam salutem per propria merita, quanuis non eiusdem rationis cum eâ, quæ defacto datur. In quo proinde distinctiùs explicando non opus est morari. Circa illam autem difficultatem de discretione Prædestinati à Reprobo, quam hîc versant aliqui, exponentes illud Apostoli 1.ad Corinth.4. *Quis enim te discernit, &c.* abundè est iam à nobis dictum supra disput.28.quæst.7.à num.261.

QVAESTIO VI.

An sit possibilis creatura rationalis, quam Deus non queat ad gloriam prædestinare per eius merita obtinendam.

SErmo est de prædestinatione, qualis defacto datur connexa essentialiter cum gloriâ, & meritis, saltem medijs auxilijs efficacibus, quæ confert ad obtinenda merita ipsa. Tota autem difficultas eo reducitur, an sit possibilis creatura rationalis adeò prona ad malum, vt nullum sit possibile respectu eius auxilium efficax ad bonum. Quæ difficultas; etsi fortasse in alijs etiam sententijs de efficaciâ auxilij posset habere locum; dumtaxat est examinanda intra nostram constituentem efficaciam auxilij per futuritionem conditionatam consensus boni. Qua posita, quæritur, an sit possibilis creatura repugnatura omnibus auxilijs ad bonum; quæ Deus illi existenti conferre posset, casu, quòd conferrentur. 128

Prima sententia absolutè negat, talem creaturam esse possibilem. Pro qua videntur stare Soar.lib.3.de Auxilijs cap.14.num.16.& tom.2. de Grat.lib.5.cap.24.num.18.Coninck lib.1. de Actib.supernat.disput.2.dub.7.num.98. & 112.& disput.17.de Incarnat.dub.2.num.36.Tann.tom.2. disput.6.quæst.2.dub.6.num.110.Mascaren.disput. 3.de Auxilijs part.4.num.10. Rn2 tom.de Prouid. disput.8.sect.11.num.18.& disput.11.sect.4.num.9. Esparza lib.1.de Deo quæst.24.artic.2.& alij. Secunda verò sententia absolutè affirmat, dictam creaturam omnibus auxilijs sibi possibilibus dissensuram possibilem esse. Pro qua sunt Herice 1. par. disput.22.num.18. Arriaga disp.35. sect.1.num.5. Quiedo 1.2.tract.de Necessit.grat.in fine. Aldrete disput.70.de Incarnat.sect.3.Quiros tom.2.disp.6. & plures alij. 129

Quoniam verò pauci istorum Auctorum examinarunt exprofessò quæstionem hanc, non omnium mens est satis perspecta circa illam, vtpote quæ duos sensus habere potest. Primus est. An inter omnes creaturas possibiles (rationales semper intellige) aliqua sit, quæ defacto esset dissensura omnibus auxilijs ad bonum sibi possibilibus ex hypothesi, quòd ei darentur: vel nulla sit creatura talis, sed de qualibet possibilium sit verum, consensuram ipsam, defacto aliquibus ex auxilijs sibi possibilibus, si darentur: tametsi omnibus non solùm distributiuè, sed etiam collectiuè sumptis dissentire posset defacto citra omnem repugnantiam inde sequutam. Secundus sensus est. An de qualibet creaturâ possibili non solùm verum, sed etiam necessarium sit, consensuram eam aliquibus ex auxilijs sibi possibilibus si darentur, ita vt, licèt posset ea singulis distributiuè sumptis resistere, (nam hoc requiritur ad libertatem): metaphysicè tamen repugnet, 130

pugnet, omnibus collectiuè consideratis fore eam restituram.

131 In hoc secundo sensu Recentiores aliqui latè probare, atque defendere conantur, impossibilem metaphysicè esse creaturam omnibus auxilijs sibi possibilibus dissensuram. Pro seque adferunt Auctores citati pro primâ sententiâ contracitatos pro secundâ, quos clarè sibi habent aduersos. Sed plerique saltem ex prioribus ampliùs forte non volunt, quàm, non dari vllam inter creaturas possibiles dissensuram defacto omnibus auxilijs sibi possibilibus; quin censeant tamen, ex oppositio vllam metaphysicam repugnantiam oriundam fore. Posteriores autem haud dubie olam eiusmodi metaphysicam repugnantiam nesgare videntur, quin affirment, dari aliquam creaturam possi bilem omnibus auxilijs sibi possibilibus defacto restituram. Hoc enim negari non potest, loquendo saltem de creaturis à Deo defacto productis, producibilibusque eiusdem ordinis, vt ex dicendis apparebit.

132 Omitto alios, qui extra rem loquentes dixerunt, etsi detur creatura omnibus auxilijs restitura, posse Deum nihilominùs eam prædestinare: quia vt Deus dicatur posse conuertere, atque adeò etiam prædestinare talem creaturam, sat est, posse illi dare auxilia, quibus ea possit conuerti, & saluari; qualia sunt auxilia sufficientia. Hanc, inquam, abusiuam loquutionem tanquam ab instituto præsente prorsus alienam prætermitto. Loquimur enim de potentiâ proximâ Dei ad prædestinandum creaturam supponente, habere iam Deum in manu suâ auxilia præuisa efficacia respectu talis creaturæ, quibus eam infallibiliter perducere possit ad ipsius merita, & ad gloriam: qualia Deus non haberet respectu creaturæ omnibus auxilijs sufficientibus restitura, vt est notum.

133 Igitur pro clarâ, & verâ resolutione quæstionis suppono primò, omnem creaturam possibilem, quæ cognitione ducitur, vi cogitationum boni, & mali constitui in actu primo liberam ad vnum, vel ad alterum amplectendum, vt in confessò apud omnes est: ita quidem, vt pro maiore, vel minore viuacitate, seu claritate, seu congruitate cogitationis vnius extremi magis, aut minùs creatura in ipsum extremum propendeat, seu inclinetur.

134 Suppono secundò, cum æqualibus cogitationibus circa bonum, & malum aliquas creaturas suopte ingenio, vel propter insurgentes, adiunctaique earum passiones magis propendere in id, quod malum est, quàm in bonum; aliquas magis in bonum, quàm in malum; aliquas denique æquè in vtrumque. Vndecunque tamen proueniat maior propensio creaturæ ad alterum extremum, per minorem viuacitatem cogitationis ipsius extremi, & per maiorem cogitationis alterius poterit compensari: ita, vt contrarij illi veluti impulsus, quibus creaturæ voluntas hinc inde trahitur, se se vicissim attemperent, in quodamque æquilibrio, æquibalique libertate creaturam constituant. Itaque quoties vis principiorum inclinantium voluntatem ad vnum ex extremis contradictionis, siue etiam contrarietatis, & vis principiorum inclinantium ad oppositum inter se sunt æquales, voluntas in æquilibrio est: quando verò sunt inæquales, eò magis ad alterum ex extremis propendet, quo maiori vi ad illud trahitur, quàm ad oppositum, per principia inclinantia ad ipsum: quæ vis ex duplici capite augeri potest; ex accremento scilicet virtutis principiorum inclinantium in tale extremum, & ex decremento virtutis principiorum inclinantium in oppositum. In quibus vtrisque principijs inclinatiuis potissimum locum habent cogitationes; à quibus prouenit præcipuè vis inclinandi voluntatem.

Suppono tertiò tanquam certum tum ex communi Doctorum sensu, tum ex principijs de Infinito à nobis traditis tom. 1. disput. 13. respectu cuiusuis omnino ex creaturis possibilibus duas esse series possibiles cogitationum proportionaliter se excedentium quoad viuacitatem, siue quoad vim motiuam voluntatis talis creaturæ: alteram cogitationum mouentium ad bonum; alteram cogitationum mouentium ad malum oppositum: quarum serierum prima à latere, versus quod ascenditur, secunda verò à latere, versus quod descenditur; sint infinitæ; ita, vt in prima nulla sit cogitatio, qua maior alia non sit possibilis, in secundâ autem nulla, qua non sit possibilis alia minor: aut saltem possibilem esse alterutram huiusmodi serierum cogitationum; quod ad rem satis est. Quo posito; cùm sit etiam certum, quò maior est cogitatio quoad viuacitatem, siue quoad vim motiuam, eò magis inclinare voluntatem ad id extremum, ad quod mouet, & eò minùs, quò minor est; manifestè conficitur, nullam esse excogitabilem propensionem seu inclinationem voluntatis ad malum, quæ per inclinationem ad bonum oppositum non possit tum compensari, tum superari; ita, vt voluntas vel ponatur in æquilibrio, vel magis, & magis, & magis inclinata ad bonum, quàm ad malum, sine fine reddatur quouis excessu inclinationis possibili citra necessitatem physicam, seu metaphysicam; nimirum, vel ponendo in voluntate cogitationem magis, & magis, & magis motiuam ad bonum sine fine; vel ponendo cogitationem minùs, & minùs, & minùs motiuam ad malum pariter sine fine; vel præstando simul vtrumque, si vtrumque simul sit possibile. 135

Suppono quartò, quoties voluntas æquabili potitur libertate actus primi, nec magis ad vnum, quàm ad alterum ex extremis oppositis propensa, seu inclinata est, nullum inde argumentum posse dessumi ad iudicandum, quod sit defacto extremum amplexura. Si verò ad alterutrum extremorum sit magis inclinata notabiliter, quàm ad oppositum, argumentum inde probabile sumi poterit ad iudicandum, eam amplexuram tale extremum; quod argumentum eò erit probabilius, quò excessus inclinationis maior fuerit; tantusque esse poterit excessus, vt certitudinem faciat moralem, quòd voluntas defacto prodiet in extremum, ad quod cum tanto excessu inclinationis propensa est. Certitudo verò metaphysica euentus, siue actus secundi neutiquam ex actu primo voluntatis capi poterit, dum ipsa manserit metaphysicè libera, vt notum est. 136

Suppono quintò, posito, quòd daretur creatura omnibus auxilijs plenè indifferentibus restitura, adhuc eam posse prædestinari à Deo ad gloriam meritis obtinendam. Quia posset Deus illam prædeterminare, & necessitare quoad specificationem, vt aiunt, ad honestè operandum, vti erat Christus Dominus necessitatus, relinquendo ei libertatem electionis inter diuersa opera honesta, prout ad merendum satis esset. Negari enim non potest, esse Deum 137

Deum potentem ad quamlibet creaturam liberam necessitandam, prout sibi placuerit. His positis.

Propositio 1.

138 Nullus est homo creatus, aut creandus in hoc rerum ordine, quem Deus non posset prædestinare ad gloriam meritis obtinendam.

Hanc propositionem probant vt minimùm testimonia Scripturæ, & Patrum, quæ sequuntur. Prou.21. *Cor Regis in manu Domini; quocunque voluerit vertet illud.* Math. 3. *Potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ.* Ad Rom.9. *Cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat.* & cap.11. *Potens est enim Deus iterum inserere illos.* & cap.14. *Potens est enim Deus statuere illum.* 2. ad Corint.9. *Potens est autem Deus, omnem gratiam abundare facere in vobis.* In Epist. Iudæ fine. *Potens est vos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ.* Et plura similia. Quæ omnino subiectas prædicant voluntates humanas arbitrio, & potestati Dei. Ex Patribus autem Augustin. in Enchir. cap. 98. ait. *Quis porro tam impiè desipiat, vt dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, & ibi voluerit, in bonum non posse conuertere?* Et lib.1. ad Simplician. quæst. 2. circa medium. *Quis audeat dicere, defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad eam fidem mentem applicaret, voluntatemque coniungeret, in qua Iacob iustificatus est?* & infra. *Cùm deserit, non sic vocando, quomodò ad fidem moueri potest, quis etiam dicat, modum, quo ei persuaderetur, Omnipotenti defuisse?* Et lib.de Corrept. & grat. cap.14. *Volenti saluum facere nullum hominis resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, vt diuinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem.* Et infra, alijsque in locis similia habet. Qualia etiam habent Ambrôs. Hieron. Prosp. apud Ruiz disput.18. de Volunt. sect.8.

139 Quòd si quis dicat, per hæc non conuinci, nullum esse hominem creatum, vel creandum omnibus auxilijs plenè indifferentibus restituendum. Nam, estò esset aliquis, allata testimonia firma persisterent: siquidem per prædeterminationem ad honestè operandum posset Deus talem hominem prædestinare iuxta suppositionem quintam; & per auxilia ad eligendum inter diuersa opera honesta posset illum etiam vertere, quocunque vellet, plenèque sibi habere subiectum in ordine ad opera honesta libera. Contra tamen est; quòd ex sacris Litteris, ex Patribus, & Theologis constat, Deum iuxta præsentem prouidentiam nullum purum hominem necessitare ad operandum honestè, ita, vt à potestate peccandi maneat exemptus. Quare testimonia relata non possunt non intelligi de potestate, quam Deus habet mouendi quemlibet ad bonum per auxilia indifferentia etiam ad malum.

Propositio 2.

140 Nulla est omnino creatura rationalis in tota possibilitatis latitudine, quam Deus non posset prædestinare ad gloriam obtinendam per merita adæquatè liberacitra omnem necessitatem quoad speciem.

Hæc propositio inassertione de facto nititur; atque adeò, seclusâ reuelatione, certitudinem metaphysicam habere non potest. Eam tamen certissimam esse moraliter, sic ostendo. Nulla est voluntas in toto cumulo possibilium adeò peruersè de suo propensa ad malum, vt nequeat vel per viuacitatem cogitationis de bono, vel per remissionem cogitationis de ipso malo, vel per vtramque ita in actu primo constitui, vt inclinatio eius ad bonum inclinationem ipsius ad malum excedat omni excessu possibili citra metaphysicam necessitatem, iuxta doctrinam statutam suppositione tertiâ. Sed ex inclinatione voluntatis ad bonum eximiè excedentem oppositam capitur certitudo moralis, quòd voluntas in actu secundo complectetur de facto bonum, iuxta suppositionem quartam. Ergo nulla est possibilis voluntas, de qua non sit certum moraliter, benè de facto operaturam ex hypothesi, quòd per cogitationes ipsi possibiles taliter in actu primo constitueretur physicè libera, vt necessitata moraliter maneret ad bonum. Et consequenter, de qua non sit certum moraliter, à Deo posse prædestinari ad gloriam meritis adæquatè liberis obtinendam. Quod erat probandum. Adde, satis esse probabile, loca Scripturæ, & Patrum commemorata ad omnes voluntates possibiles extendi. Quo posito, satis etiam probabiliter poterit affirmari, certum metaphysicè esse propter diuinam reuelationem, nullam in totâ possibilitate esse liberam voluntatem, quæ omnibus auxilijs possibilibus restitura esset, si darentur; atque adeò, quæ à Deo non possit prædestinari ad gloriam prædictis meritis obtinendam.

Propositio 3.

Licet sit certum saltem moraliter iuxta dicta proposit 2. de quauis omnino 141
creaturâ rationali possibili, eam non omnibus auxilijs sibi possibilibus dissensuram, sed multis consensuram de facto ex hypothesi, quòd ei darentur; nullatenus tamen est id necessarium necessitate metaphysicâ antecedente, adhuc loquendo de auxilijs non distributiuè sumptis, sed collatiuè.

Est contra Recentiores citatos num.131. Probatur autem primò; quia ex ipsis terminis videtur notum, nullam esse metaphysicam repugnantiam in eo, quòd voluntas omnibus auxilijs sibi possibilibus etiam collectiuè consideratis de facto dissentiret, si ei darentur, (non quidem omnia simul, nam de hoc casu, fortasse impossibili, non agimus; sed seorsim, & singulatim); quandoquidem omnibus illis distributiuè consideratis dissentire de facto posset, vt dicti Recentiores fatentur, & est certissimum: nam aliàs non essent omnia illa entitatiuè indifferentia ad consensum, & ad dissensum, vti supponitur. Quanquam enim, vt exposuimus tom.1. disp.10. quæst.3. proposit.20. aliqua sunt prædicata, quæ conueniunt omnibus partibus aggregati distributiuè sumptis, sumptis verò collectiuè (quali-

ter sunt aggregatum ipsum) non item ; vti prædicatum præteritiræ conuenit omnibus partibus æternæ durationis Angelicæ distributiuè acceptis; toti verò earum collectioni neutiquam. Ast etiam sunt aliqua prædicata, quæ, si conueniunt omnibus partibus aggregati distributiuè sumptis, nō possunt non & ipsi aggregato conuenire ; vti prædicatum entis ab alio non potest non conuenire aggregato entiū, quorum singula sunt ab alio: alioquin possibilis esset progressio infinita entium ab alio quæ non esset ab alio : quo potissima demonstratio causæ primæ corrueret. Prædicatum autem indifferentiæ ad consensum, & ad dissensum (sicut & alia similia loco citato adducta) huius posterioris generis esse videtur: atque adeò repugnare, vt conueniat illud omnibus auxilijs possibilibus voluntati distributiuè sumptis, & non conueniat integrę eorum collectioni. Vnde patet, Aduersarios ad suam sententiam defendendam non tuto protegere se priori prædicatorum genere.

142 Secundò præbatur propositio nostra potissimè ; quia nullum datur fundamentum idoneum ad adstruendam necessitatem metaphysicam antecedentem, quam Aduersarij intendunt, de aliquibus auxilijs efficacibus pro quauis voluntate possibili mouendâ ad amplectendum bonum. Ergo huiusmodi necessitas prorsus est reijcienda. Consequentia est bona. Et antecedens ex solutione argumentorum, quæ pro se faciunt Aduersarij, manifestè constabit.

143 Primò enim arguunt ex auctoritatibus Scripturæ, & Patrum commemoratis à nobis propos. 1. Sed ijs plenissimè satisfit, dicendo, Deum de facto habere in manu suâ multa auxilia efficacia pro singulis creaturis possibilibus mouendis ad amplectendum bonum, vt ostendimus propos. 2.

144 Secundò arguunt à perfectione omnipotentiæ, & dominij Dei supra omnes actus liberos omnium creaturarum possibilium : quasi talis perfectio essentialiter, atque adeò cum metaphysicâ, antecedenteque necessitate poscat, quòd habeat Deus in manu suâ aliqua auxilia efficacia pro obtinendis quibuslibet actibus bonis, & impediendis malis cuiusuis creaturæ possibilis. Sed hoc argumentum imprimis nimium probat : dictam scilicet perfectionem realiter indistinctam à Deo cum dictis auxilijs efficacibus, atque adeò cum veritatibus contingentibus, quibus constituuntur connexam essentialiter esse. Quod est plùs quàm absurdum : cum & fide sanctum, & euidens sit, Deum cum nullo contingente posse esse connexum essentialiter. Deiude, quàm falsum sit assumptum ipsius argumenti, planè constat ex doctrinâ communi latè à nobis stabilitâ tom. 1. disput. 4. quæst. 2. de omnimodâ independentiâ Dei ab omni creaturâ etiam possibili. Qua suppositâ independentiâ, compertum est, nullam perfectionem diuinam posse poscere essentialiter, & absolutè quidpiam à se distinctum, adhuc necessarium, qualis est possibilitas creaturarum, nedum contingens, qualia sunt auxilia prædicta. Solùmque proinde spectabit ad Dei perfectionem & posse creaturas producere, suppositò, quòd aliàs illæ sunt producibiles, & posse prædictis auxilijs vti, suppositò, quòd aliàs illa dantur, prout exposuimus.

145 Tertiò arguunt à paritate necessitatis moralis vagæ, secus determinatæ, siue impossibilitatis moralis collectiuæ, secus distributiuæ, quæ ex aliquâ multitudine solet enasci. e. g. suppositâ multitudine hominum, qui in Mundo sunt, necessarium moraliter est, quòd aliqui eorum scandalosè peccent, licèt de nullo determinatè sit id necessarium, adhuc moraliter, iuxta illud Math. 18. *Væ Mundo à scandalis. Necesse est enim, vt veniant scandala*. Vnde consequenter moraliter est impossibile, vt omnes homines collectiuè sumpti vitent talia peccata ; licèt omnes distributiuè sumpti benè possint, etiam moraliter, illa vitare. Similiter moraliter est impossibile, vt homo sine speciali Dei priuilegio vitet omnia peccata, etiam venialia, in tota vitâ, siue in omnibus partibus eius collectiuè sumptis ; licèt in singulis sumptis distributiuè possit ; iuxta definitionem Trident. datam sess. 6. can. 23. Vnde consequenter est moraliter necessarium, vt homo, secluso speciali Dei priuilegio, aliqua peccata venialia committat in tota vitâ ; licèt ad nullum determinatè committendum habeat necessitatem moralem. Aliaque huiusmodi exempla ab vnoquoque excogitabilia passim sunt obuia. Igitur in casu nostro benè poterit quæuis creatura rationalis esse metaphysicè necessitata ad consentiendum aliquibus auxilijs sibi possibilibus vagè; quin sit necessitata ad consentiendum vlli eorum determinatè. Consequenterque metaphysicè impossibile erit, vt omnibus auxilijs collectiuè sumptis resistat, tametsi singulis distributiuè sumptis benè possit resistere.

Respondeo, per huiusmodi paritatem, tantùm probari, esse possibilem necessitatem metaphysicam vagam, quæ determinata non sit, & oppositam impossibilitatem collectiuam, quæ non sit distributiua. De quo nullum est dubium. Nam vt constat ex doctrinâ traditâ supra disp. 30. quæst. 11. si detur prædeterminatio physica disiunctiua (haud dubiè possibilis) ad vnum, vel alterum actum vagè, siue vnius, siue duarum voluntatum, necessitas metaphysica vaga erit, vt existat alterutrum absque determinatâ, vt existat aut hic, aut ille. Consequenterque erit impossibilitas metaphysica collectiua, vt ambo simul deficiant, absque distributiua, vt deficiat tum hic, tum ille. Cæterùm huiusmodi possibilitas neutiquam probat, dari de facto necessitatem metaphysicam disiunctiuâ sine determinatâ, vt quæuis creatura rationalis aliquibus auxilijs sibi possibilibus consentiat ; impossibilitatemque subinde metaphysicam collectiuam sine distributiuâ, vt resistat omnibus. 146

Quod vt clariùs ostendam, obiterque difficultatem remoueam valde implexam inter Theologos (vt cernere est apud Ruiz tom. de Prouid. disput. 8. per totam) componendi scilicet cum necessitate morali vagâ libertatem determinatam, cum oppositaque subinde impossibilitate morali collectiuâ libertatem distributiuam ; suppono primò, necessitatem moralem vagam duplicem esse. Altera est simpliciter antecedens proueniens ab aliquâ prædeterminatione morali constituente actus primos causarum aliàs indifferentium. Altera est quodammodò consequens, proueniens ab aliquâ connexione, vel oppositione morali repertâ inter actus secundos causarum, aliàs indifferentium, propter illorum contingentiam, & multitudinem. 147

Pro quarum explicatione suppono secundò, 148
tunc causam physicè liberam esse prædeterminatam, atque adeò antecedenter necessitatam moraliter ad actum A determinatè, quando per constitutiua suæ libertatis adeò magis inclinata ad

eum

eum ponendum, quàm ad omittendum, euadit, vt moraliter sit infallibile, illum de facto posituram. Tunc autem causa physicè liberà erit prædeterminata, atque adeò antecedenter necessitata moraliter ad actum A, vel actum B sub disiunctione, siue vagè, quando per constitutiua suæ libertatis adeò magis inclinata euadit ad ponendum quàm ad omietendum A ex hypothesi, quòd non ponat B, & ad ponendum, quàm ad omittendum B ex hypothesi, quòd non ponat A, vt moraliter sit intallibile, posituram'eam de facto A, si non ponat B, & posituram de facto B, si non ponat A. Quod ipsum est, illam habere impotentiam moralem ad omittendum vtrumque actum simul, seu collectiuè, iunctam cum potentia morali ad omittendum illos seorsim, seu distributiuè. Quod autem dicimus de morali prædeterminatione, necessitateque antecedente disiunctiuà, seu vagà respectiuè ad duos actus eiusdem causæ, pariter est dicendum de morali prædeterminatione, necessitateque antecedente disiunctiuà, seu vagà respectiuè ad duos, vel plures actus duarum, vel plurium causarum in quouis numero. Quia de omnibus hisce casibus eadem prorsus doctrina est.

148 Vnde per illam, quam latè tradidimus disput.30.quæst 11. de physica prædeterminatione, deque necessitate metaphysicà antecedente per eam inductà disiunctiua, seu vagà respectiuè ad duos, vel plures actus, siue vnius, siue duarum, siue plurium causarum in quouis numero, facilè erit vnicuique colligere, quid impræsentiarùm dicendum sit. Recognoscat ergo Lector doctrinam ibi datam circa prædeterminationem physicam disiunctiuam, &, suà seruatà proportione, applicet eam prædeterminationi disiunctiuæ morali, ijs præsertim in casibus, huic magis proprijs, vbi actus, respectiuè ad quos datur, alias inter se neque connexi sunt, neque oppositi.

149 Iam verò, quòd sententia Recentiorum reiecta nullum pro se argumentum capere possit à paritate huius necessitatis disiunctiuæ moralis prouenientis à prædeterminatione morali, est manifestum. Quia in totà materià dictæ sententiæ nulla est excogitabilis prædeterminatio physica disiunctiua, qua vnaquæque voluntas metaphysicè, vagèque euadat necessitata ad consentiendum aliquibus ex auxilijs sibi possibilibus: quandoquidem dumtaxat est sermo de auxilijs plenè indifferentibus: neque in aliquo prædicato diuino potest talis prædeterminatio consistere; quia iuxta dicta num.144. esset Deus cum aliquo contingente connexus. Quod ei prorsus repugnat. Et hæc de necessitate morali vagà prioris generis. Venio ad alteram posterioris.

150 Pro cuius explicatione suppono secundò, quando multitudo causarum physicè, & æquabiliter liberarum ad aliquod genus operationis valde magna est, ab ipsarum multitudine, & libertate prouenire, vt sit moraliter infallibile, aliquas operaturas esse de facto, & aliquas non operaturas: non enim est verisimile, atque adeò neque possibile moraliter, vt tot causæ in actu primo æquabiliter liberæ eodem modo se gerant in actu secundo, vel operantibus omnibus, vel non operantibus, sed aliqua vaga varietas actuum secundorum est moraliter necessaria; quam veluti connaturaliter fert semper secum multitudo iuncta cum libertate causarum. Quæ quidem necessitas moralis, vt aliquæ dictarum causarum operentur, & aliquæ non operentur de facto, non nascitur ex vlla prædeterminatione morali vagà, habente se ex parte actus primi talium causarum; cùm ponamus, eas omnes, & singulas æquabiliter esse liberas, atque adeò æquè inclinatas in actu primo ad suos actus secundos positiuos, & negatiuos contradictorios. Sed nascitur ex connexione mutuà morali, & vagà, quam ipsi actus secundi positiui, & negatiui inter se contrahunt semiextricsecè à multitudine, & libertate suarum causarum. Qua posità, neque vllus actus positiuus potest moraliter existere sine aliquo, vel aliquibus negatiuis, neque vllus actus negatiuus sine aliquo, vel aliquibus positiuis. Quod autem dicimus de multis causis respectiue ad earum actus, eodem modo locum habet in vnà causà prout existente successiuè in multis partibus temporis, respectuè ad actus in eis ab illa exercendis; vtpote quæ vt sic in ordine ad illos multis causis æquiualet ratione multarum durationum, quibus constituitur proximè potens ad agendùm, vel non agendum in ipsis multis temporis partibus, vt est notum.

Hinc primò apparet, (consentaneè ad 151
doctrinam traditam disput. 30. quæst. 5. proposit. 14. de libertate physicà multorum actuum inter se metaphysicè connexorum), quomodo in casu posito ità sit necessarium moraliter necessitate vagà, quòd aliquæ dictarum causarum ponant, & aliquæ omittant suum actum, vt nulla earum determinatè aut ponat, aut omittat suum actum necessitata moraliter, sed plenè liberè. Eo enim ipso, quod actus vniuscuiusque causæ cum aliquibus omissionibus aliarum moraliter connexus est, similiterque omissio vniuscuiusque cum aliquibus actibus aliarum, moraliter est necessarium, vt neque omnes simul ponant suos actus, neq; omnes simul eos omittant; & consequenter, vt aliquæ ponant, & aliquæ omittant. Cùmque propter huiusmodi connexionem potentia proxima moralis vniuscuiusque causæ ad ponendum suum actum compleatur per veritatem conditionatam de existentia aliquarum omissionum aliarum causarum sub conditione existentiæ talis actus; similiterque potentia proxima ad ipsius actus omissionem per veritatem conditionatam de existentia aliquorum actuum sub conditione existentiæ talis omissionis; eo ipso, quòd de facto aliquæ dictarum causarum ponunt suos actus, & aliquæ suos omittunt, vnaquæque totius multitudinis habet pro se eas duas veritates conditionatas, quibus completur libertas moralis proxima eius ad suum actum ponendum, vel omittendum: atque adeò, quæcunque ponunt, plenè liberæ etiam cum libertate morali ponunt; & quæcunque omittunt, plenè liberæ etiam cum libertate morali omittunt. Sicque propterea cum necessitate morali, vt neque omnes collectiuè ponant suos actus, neque omnes collectiuè eos omittant, atque adeò, vt aliquæ vagè ponant, & aliquæ vagè omittant, optimè cohæret plena libertas etiam moralis, qua omnes, quæ ponunt, distributiuè sumptæ liberè ponunt; & omnes, quæ omittunt, distributiuè sumptæ liberè omittunt. Quod erat ostendendum,

Vnde secundò apparet, quomodò neque 152
ex hoc genere necessitatis moralis quidpiam subsidij pro suà sententià capere possint Recentiores sæpè citari. Quia, licèt multitudo causarum iuncta cum earum indifferentia eiusmodi necessi-

tatem moralem fundare possit: metaphysicam verò propter diuersam eius naturam neutiquam potest. Aliàs tuto dicere quisque posset, in Mundo dari de facto necessitatem metaphysicam, vt veniant scandala; & in vnoquoque homine non priuilegiato specialiter, vt venialiter peccet. Quod est absurdum. Licèt ergo multitudo auxiliorum indifferentium cuique creaturæ rationali possibilium fundet necessitatem moralem de efficaciâ aliquorum; at metaphysicam neutiquam potest fundare. Quod autem neque in diuinis perfectionibus illa fundari possit, iam relinquimus demonstratum.

DISPVTATIO 42.

De causis prædestinationis.

Bifariam capi solet præpestinatio in præsenti disputatione. Primò pro actibus internis Dei, in quibus illa consistit. Secundò pro effectibus ipsorum actuum. Putant autem nonnulli, præsertim ex Connotantibus, causas prædestinationis quoad actus Dei hìc non esse quærendas; sed tuntùm quoad effectus: quia actus interni Dei nullam possunt habere causam. Ita Zumel 1. par. quæst.23. artic.5. Molin. ibid. disput.1. mem.1.7. & 8. Vazquez disput.91. cap. 1. & disput.94. cop.1. Herice disput. 25. cap.1.& alij plures, quos refert Ruiz disput.3. de Prædest. sect.2. Meliùs tamen ipse Ruiz sect.3.& seqq.Soar. lib.2. de Prædest. cap.1. & 22. Less. disput. de Prædest. sect.1. Gasp. Hurt. tract.de Prædest.disp. 4. diff.1. & alij censent, controuersiam præsentem etiam esse de causis prædestinationis secundùm actus internos Dei. Quia, licèt isti nequeant habere causas phyficas, possunt tamen habere causas morales aliqua ratione mouentes ad eos concipiendos, vti mouent merita ad voluntatem dandi præmium, & finis ad voluntatem mediorum, iuxta doctrinam supra statutam disput.32. quæst.4. Igitur de causis prædestinationis tam quoad actus præsertim voluntatis, (ad quos tota præsens controuersia reuocatur, vt ex communi benè notat Soar. lib.2.de Prædest. cap.23.), quàm quoad effectus agendum nobis impræsentiarùm est. Possunt autem excogitari huiusmodi causæ vel ex parte Prædestinati, vel ex parte Christi domini, vel ex parte alterius hominis, vel ex parte Dei. Per quæ capita suo ordine procedemus. Præmissâ imprimis vniuersali quæstione, & vtilissimâ non solùm hic, sed etiam in alijs materijs, de modis quibus Deus moueri potest ex meritis ad conferendum præmium, præsertim, quando hoc aliquo modo antecedit merita.

* *
*

QVAESTIO I.

Vtrùm, quod antecedit meritum, sub meritum cadere possit, seu esse præmium eius.

Tribus modis, quod ad rem attinet, potest aliquid meritum antecedere. Primò prioritate temporis. Secundò prioritate originis, siue causalitatis. Tertiò prioritate inconnexionis non mutuæ iuxta doctrinam de prioritatibus latè à nobis expositam in Pharo Scient.disput.15. Quæstio ergo est, an id, quod aliquo ex his modis prius est merito, sub ipsum meritum possit cadere tanquam merces eius, seu præmium. 1

Circa primum genus prioritatis S.Thom.3. par. quæst.19. art.3. in corpore absolutè docere videtur, id solum sub meritum cadere posse, quod est posterius ipso merito secundùm tempus. Ait enim agens de Christo Domino. *Vnde nec gratiam, nec scientiam, nec beatitudinem animæ, nec diuinitatem meruit: quia cum meritum non sit nisi eius, quod nondum habetur, oporteret, quòd Christus aliquando istis caruisset.* Et quidem, quòd pro merito nondùm existente nequeat conferri præmium, inde videtur probari: quia pro demerito, seu delicto nondum patrato nequit infligi pœna: nemo enim iure punitur, ante quàm peccet. Vnde Deus ante commissum peccatum neminem punit, vt in confessò est apud omnes, & expressè docuit S. Greg. lib.27. Moral. cap.2. dicens, *Peccata Deus, antequàm sint perpetrata, non punit.* Et S.August.lib.11. de Genesi ad literam cap.17. *Nunquid*, inquit, *Deus prius vltor, quàm Dæmon peccator? Absit. Neque enim Deus damnat innocentes.* Idem docet D. Hieron. Dialogo 3. contra Pelagian. Et D. Basil. in Scolijs ad Psal.104. Quo argumento ductus Arrubal 1.par. disput.176. cap.1. num.4. censuit, nec propter meritum de condigno nondum existens, sed futurum posse anticipatè dari præmium, nisi illud sit infiniti valoris; qualia fuerunt merita Christi. Quam sententiam sequitur Lugo de Incarn. disp. 27.sect.3. à num.40. Vterque autem probat quia neque peccatum est dignum eâ supplicij anticipatione, neque meritum finitum anticipatione mercedis: benè tamen meritum infinitum, Huic doctrinæ subscribit Alarc.1. par. tract.4. disput.3. cap.4. num.61. eamque extendit ad meritum de congruo dicens, neque hoc vt futurum mouere posse, vt eius intuitu detur præmium. Soar. verò 3. par. tom.1. disput.10. sect.4. & disput.41. sect.1. dicit propter meritum futurum præmium anticipatè dari non posse, spectatâ naturâ meriti, & de lege ordinariâ: benè tamen de potentiâ absolutâ. Vnde dispensationem fuisse ordinariæ legis, quòd propter merita Christi futura antiquis Patribus dona gratiæ collata fuerint; vt fidei sanctum est. Idemque sentire videntur, qui putant, principium meriti naturaliter non posse cadere sub meritum; benè tamen supernaturaliter, quos statim referam. Alij verò Theologi communiter passim docent, aut supponunt, ob quod uis meritum absolutè futurum posse etiam naturaliter conferri præmium anticipatè ab eo, qui rale meritum futurum præuidet. De discrimine autem

autem inter meritum, & demeritum ferè omnes tacent. Hæc quoad primum casum quæstionis.

3 Quoad secundum solemne Theologorum axioma est, *Principium meriti non posse cadere sub meritum*. Dicitur autem principium meriti, quidquid in meritum influit quauis ratione, atque adeò prius est illo prioritate originis, siue causalitatis. Cæterùm huiusmodi exioma variè à diuersis recipitur, & intelligitur. Nam Soar. disput.illâ 10.citatâ sect.4.& 1.par.lib.2.de Prædestin. cap.20. num.20. & lib. 6. de Angelis cap.4. num.5.Coninc.tom.de Fide disput.8.dub.7. Cartagena de Prædestin. discurs.9. Gran. 1.2.controuer.8. tract.12. disput.4. Ruiz tom.de Prædestin. disput.6.sect.2.num.15.& disput.7.sect.3.num.15. & alij Recentiores existimant, principium meriti siue proximum, siue remotum naturaliter quidem non posse cadere sub meritum; benè tamen de potentiâ Dei absolutâ. Nimirum quia meritum suapte naturâ se habet ad præmium, sicuti via ad terminum, aut medium ad finem; atque ita naturaliter postulat, esse prius præmio, neque ab illo in suâ existentiâ tanquam à principio pendere: tametsi supernaturaliter hic ordo à Deo posit inuerti. Secunda sententia est asserentium, nec de potentiâ Dei absolutâ posse principium meriti, quodcunque illud sit, sub meritum cadere. Ita Vazq.1.par.disput.91.num. 34.& 36. & tom.1. in 3.par. disput.22. num.44. Gasp.Hurt. de Incarnat. disput.6. diffic.4.& alij. Loquuntur autem de principio per se influente in meritum siue proximè, siue remotè: aliud enim putant de ijs,quæ concurrunt per accidens. Tertia sententia est, principium essentialiter requisitum ad existentiam meriti nullo modo posse sub illud cadere; benè tamen, quod non est essentiale, etsi per se concurrat. Ita docent aliqui, quos tacito nomine citat Alarc. tract.4. disput.3. cap. 3. num. 14. Ipse verò putat, principium immediatum meriti sub illud cadere non posse; benè tamen remotum. Vnde cap.4.num.59. concedit, primam gratiam benè cadere posse sub meritum operum subsequentium;etsi defacto non cadat. Quarta sententia est quorundam Recentiorum duplex meritum distinguentium. Aliud vocant meritum remunerandum, quod absolutè existens videri debet pro aliqua temporis differentiâ, vt moueat ad conferendum præmium. Aliud appellant meritum in spe, siue per modum solutionis, quod futurum sub conditione collationis præmij cognoscitur: atque ita ad conferendum præmium mouet vt principium eius. Sub primum, dicunt, nullatenus eius principium, quantumuis remotum, cadere posse: sub secundum verò omnia principia posse cadere præter ea, quæ dant valorem merito, aut essentialiter requiruntur ad illud. Et quidem meritum hoc mouens vt præuisum sub conditione præmij expressè admittitur à Coninc. supra, imo de eo loquitur, dum ait, posse principium meriti sub meritum cadere supernaturaliter. Quoad tertium quæstionis casum nihil tractant Auctores.

4 Pro exactâ resolutione suppono primò, meritum aliud esse de condigno; quale vocatur, quod est æquale premio: aliud de congruo; quale vocatur, quod est præmio inæquale; prout latiùs explicabimus infra quæst.4.In præsenti autem quæstione de vtroque sermo est.

5 Suppono secundò tanquam certum, modum causandi meritorum valde esse diuersum à modo causandi causæ finalis. Constat id ex Augst.lib.de Corrept.& grat.cap.9.& lib.de Prædestin.Sanctor.cap.19. & lib. de Dono perseuer.cap. 13.& 14. Tum ex Hieron.Anselm.& alijs Patribus, ex illo ad Ephes. 1. *Elegit nos in ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus Sancti*, ita arguentibus contra hæreticos ad excludendum meritum nostræ prædestinationis. *Vt essemus Sancti*. Ergo non quia eramus Sancti, aut futuri eramus Sancti. Eodemque modo arguit Concilium Aurasican. 2.Can. 25. & alij Patres citati à Ruiz tom.de Prouiden.disput.18.sect.3.ex illo 1.ad Timoth. 1. *Misericordiam consequutus sum, vt sim fidelis*. Quo argumentandi genere planè supponunt Patres, causalitatem finis, quam indicat particula *vt*, diuersam esse à causalitate meriti, quam indicat particula *quia*; & hanc; non illam tollere ab effectu causato rationem gratiæ. Meritum quippe mouet præmiantem ad conferendum præmium in sui remunerationem, siue compensationem: finis verò mouet intendentem ad apponenda media pro sui consequutione, siue adeptione. Vnde, quod confertur vt præmium operis boni, siue ad ipsum remunerandum, eo ipso non confertur gratis, atque adeò neque est gratia. iuxta illud ad Rom.11. *Si autem gratia, iam non ex operibus: alioquin gratia iam non est gratia*. Quòd verò confertur vt medium ad consequendum opus bonum, benè potest gratis conferri, atque adeò gratia esse.

Hinc venit prorsus reijcienda diuisio illa 6
meriti, quam inuexerunt Recentiores citati, in meritum remunerandum, & meritum in spe, siue per modum solutionis, quatenus hoc secundum, prout ab eis explicatur, diuersumque ponitur esse à ptimo, non aliter mouere videtur ad id, quod propter ipsum confertur, quàm per modum finis ad medium: quo pacto solutio pretij postea ab emptore conferendi pro re sibi venditâ venditorem mouet ad rem ipsam anticipatè tradendam; tradit enim eam ex intentione, & spe, quam habet, obtinendi solutionem pretij pro ipsâ re venditâ stabilito; quæ solutio finis est venditionis, ac traditionis talis rei. Quo iure neque probare possum modum loquendi Vazq.dicentis 1.par. disput.94. cap.3.num.21. Christum Dominum meritò suæ passionis persoluisse, quod erat debitum pro gratiâ collatâ antiquis Patribus in spe eius,& 3.par. disput.77.cap.6.num.29. repetentis, tempore passionis persolutum esse pretium, in cuius spe illa gratia collata fuit. Itaque, quidquid mouet vt meritum, non aliter, quàm,vt remunerandum per præmium, mouere potest; nam id est proprium essentiæ meriti: subindeque aliud genus meriti, præterquàm remunerandi, nullatenus debet admitti.

Non nego id, quod reuerâ est meritum, 7
vt sicque ad remunerationem sui mouet, posse etiam mouere vt finem ad sui consequutionem: hæ tamen duæ motiones valde diuersæ sunt, per accidensque coniunguntur in eodem opere meritorio. Videid in meritis Christi respectu gratiæ collatæ antiquis Patribus ex suppositione, quòd Deus illam contulerit, vt potuit ex duplici motiuo, nempe ex motiuo obtinendi à Christo gratiarum actionem pro tali collatione, & ex motiuo compensandi ipsam gratiarum actionem. Quo posito, priori modo contulit Deus dona Patribus, vt Christus gratias ageret, quæ est propria causalitas finis. Posteriori modo contulit, quia

Chri-

Christus erat gratias acturus, quæ est propria causalitas meriti. Illa ad rationem meriti comitanter, & accidentariè se habet. Hæc ipsum meritum in actu secundo constituit. Esse autem has duas causalitates in ipsis etiam meritis separabiles, patet. Quia Deus potuit conferre dona Patribus, non ex motiuo obtinendi merita Christi, sed præcisè ex motiuo compensandi anticipatè illa, quæ aliàs futura præuidebat aut absolutè, aut sub hypothesi collationis ipsorum donorum, iuxta dicenda postmodùm. Quo casu merita, non vt finis, sed præcisè vt merita concurrent ad talem collationem. Quinimo, quoties præmium anticipatè collatum ad existentiam meriti nihil conduxerit, vt multis modis potest accidere, tunc ne possibilis quidem erit in merito causalitas finis respectu præmij. Tantum abest, vt illa spectet ad rationem meriti. Dum igitur Augustinus, & alij Patres commemorati colligunt ex verbis Apostoli, gratiam primam, siue prædestinantem, siue auxiliantem nobis conferri, vt simus sancti, & non quia sumus, vel futuri sumus sancti; planè excludunt meritum talis gratiæ tum præcedentium operum, tum subsequentium; relinquentes in subsequentibus, quibus sancti reddimur, solam causalitatem finis defacto; non tamen negantes illis possibilitatem causalitatis meriti, sed potiùs eam supponentes, vt constabit ex dicendis quæst. 5.

8 Ex his contra id, quod docebant præcitati Recentiores, sequitur primò, ad remunerationem anticipatam meriti præuisi sub conditione collationis præmij impertinens esse, quòd remunerans intendat, siue desideret obtinere meritum per talem præmij collationem tanquam per medium: quamuis enim nullo modo meritum amet, potest velle illud per præmium remunerare, hoc ipso, quòd præuidet illum futurum sub conditione præmij. Vnde consequenter apparet huiusce generis meritum anticipatè præmiatum omnino abusiuè vocari meritum in spe. Secundò sequitur, nec vllatenus opus esse, vt merens velit per suum meritum soluere præmium datum anticipatè. Sat enim est, eodem pacto, & ex eisdem motiuis benè operari, ac operaretur, si nullum præmium recepisset, aut si eius collationem ignorasset. Idem enim ipsum meritum, quod per remunerationem subsequentem posset remunerari, est, quod per antecedentem remunerari potest, dum illud futurum sub conditione præmij anticipatè præuidetur. Vnde rursus apparet, huiusce generis meritum anticipatè præmiatum abusiuè quoque appellari meritum per modum solutionis.

9 Iam igitur suppono tertiò, duas hìc quæstiones debere distingui, quas Recentiores sæpe citati videntur confudisse. Prima est; quidnam sit apta materia præmij, reipsà; an id solum, quod subsequitur meritum, an etiam quod meritum antecedit tempore, vel naturâ. Secunda est, qua scientiâ possit dirigi Deus ad compensandum meritum per collationem eius, quòd aliàs supponitur esse apta materia præmij. Ambarum autem harum quæstionum est in præsenti resolutio tradenda.

10 Pro quo suppono quartò doctrinam iamdatam disput. 41. quæst. 1. num. 11. ex generaliori tradita latiùs locis ibi citatis. Nempe, quatuor modis posse Deum velle efficaciter volitione compensatiuâ conferre aliquod bonum in præmium meriti. Primò, præuidendo scientiâ absolutâ, existere meritum, & decernendo absolutè collationem bni in compensationem meriti. Secundò, præuidendo scientiâ conditionatâ, extiturum meritum, si extiterit collatio boni, & decernendo absolutè, vt existat collatio boni in præmium meriti. Tertiò, nullâ præeunte scientiâ de existentiâ meriti, sed tantùm de possibilitate, decernendo simul eodem absoluto decreto, vt existat meritum, & vt existat collatio boni in præmium eius. Quartò, nullâ similiter præeunte scientiâ de existentiâ meriti, sed tantùm de posibilitate, decernendo conditionatè conferre bonum in præmium meriti, si extiterit meritum; sin minùs, aut non conferre, aut gratis conferre. Quæ decreta aut exequutiua esse possunt, aut purè intentiua. His autem casibus agentibus de merito, & de præmio determinatis plures alij possent adiungi, in quibus sermo esset de merito, & de præmio vagis, seu disiunctiuis. Quos tamen, ne prolixus sim, prætermitto. Nam ex resolutione horum poterit quisque illorum resolutionem colligere, suppositâ generali doctrinâ sæpe tactâ in hoc Opere de actibus Dei obiectiuè vagis, seu disiunctiuis.

Oportet tamen adnotare, contra secundum 11
casum de remuneratione absolutâ meriti oriundâ ex præuisione conditionatâ eius sub conditione præmij acriter quondam inuexisse Recentiores quosdam, quasi continentem errorem de meritis conditionatis Semipelagianorum. Sed fuit inuectiua prorsus impertinens, & extra rem, Nam, vt constat ex relatione factâ supra disput. 28. quæst. 7. à num. 269. de erroribus Semipelagianorum, merita conditionata eorum imprimis à solo arbitrio sine Dei gratiâ erant oriunda; deinde nunquam erant absolutè futura, & nihilominùs dicebantur absolutè præmiari à Deo. Quod fuit Augustino valde mirabile. At merita de quibus in nostro casu sermo est, imprimis sunt oriunda à diuinâ gratiâ; deinde sunt reuerà extiturâ absolutè, imo necessariò extitura ex suppositione, quòd existat præmium sub cuius conditione extitura præsciuntur à Deo: quo fit, vt in ordine ad decernendum absolutè remunerare illa per tale præmium talis præscientia conditionata præscientiæ absolutè eorum æquiualens sit, atque adeò nihil desideretur, quominùs optimè per illam dirigi possit eorum absoluta remuneratio. Videbit clarissimè eximium istud meritorum conditionatè præuisorum discrimen, quisquis recognouerit relata loco citato. Quare in eo ampliùs ostendendo, non opus est ampliùs morari.

Quintò demum suppono doctrinam sta- 12
tutam supra disput. 37. quæst. 7. propos. 3. Vbi probaui, Deum ex præuisione absolutâ existentiæ effectus benè posse moueri ad decernendum quoduis principium, aut etiam quamuis causalitatem talis effectus, dummodo hæc in ipso effectu inclusa non sint. Atque ita,

scientiam visionis benè posse
obiecti sui esse causam
remotam. His
positis sit.

Pro-

Propositio 1.

13 Pro merito posteà futuro, siue illud sit de congruo, siue de condigno, siue finiti valoris, siue infiniti, benè potest anticipatè conferri præmium. Quanuis in tali collatione non possit non interuenire ex parte præmiantis ordinatio quædam libera merito indebita, atque adeò præter naturam, seu exigentiam eius.

Præscindit hæc propositio à præscientiâ qua meritum, de quo in eâ est sermo, præuidendum est à præmiante. De quo postea. Prior autem eius pars quoad meritum infinitum constat in meritis Christi, pro quibus, multò ante quàm existerent, collata fuit gratia antiquis Patribus, vt fide sanctum est. Ratione etiam monstratur. Quia, licèt anticipatio illa, vtpote quid æstimabile, valorem præmij augeat, id tamen augmenti valorem meriti infiniti ne attingere quidem potest, nedum superare. Meritum enim infinitum, sicut est dignum quocunque præmio, ita etiam est dignum quacunque præmij anticipatione. Poterit ergo quoduis præmium pro tali merito dari condignè quocunque tempore, antequàm meritum existat. Quoad meritum autem finitum de condigno id ipsum probatur. Quia, licèt præmium ipsi æquale nequeat condignè anticipatè conferri; quia valor anticipationis reddit illud excedens; poterit tamen detrahi ex præmio ipso, quantum valet anticipatio; sicque præmium anticipatum æquale manebit merito, & de condigno. De præmio autem superabundante, seu excedente, quale respondet merito de congruo, non est cur anticipatè non possit dari etiam nihil detrahendo eius, quod aliàs suo tempore daretur; quia inter huiusmodi meritum, & præmium non solùm non debet seruari æqualitas, verùm nec determinata, & certa proportio.

14 Iam secunda pars propositionis probatur, & declaratur. Quia meritum, quousque existat, neque inducit dignitatem in merente, neque debitum aliquod in præmiante. Ego enim nunc non sum dignus laude, vel præmio pro opere, quod facturus sum anno sequente, neque mihi tale præmium modò debetur. Ergo, quòd præmium conferatur, quo tempore nondum est meritum, nequit esse debitum merito, atque adeò id ex liberâ dispositione præmiantis, non ex obligatione, aut debito per meritum inducto nascitur. Itaque, aliud est tale meritum esse condignum tali præmio, imo infinitè superexcedens totum eius valorem, aliud pro tali tempore merito præmium ipsum deberi. Primum sine secundo reperiri potest; imo non potest non reperiri: quia meritum, quantumuis infinitum, pro tempore, quo non existit, sicut meritum non est, ita neque præmio aliquo dignum est, neque debitum aliquod inducit in præmiante conferendi præmium. Vnde, si tunc conferatur, non ad exigentiam meriti, neque ex obligatione per ipsum inducta, sed liberè confertur. Cum quo benè componitur, vt talis collatio nihil liberale, aut gratuitum habeat; quia fit adæquatè pro merito futuro: sicut in contractibus iustitiæ qui priùs dat, vt recipiat, nihil præstat gratis, aut liberaliter, cùm tamen antequam receperit, liberè, & sine obligatione det.

Hinc sumenda est ratio, cur pœna infligi non possit ante patratam culpam; quia pœna, nisi ad exigentiam culpæ infligenda non est. Alienum enim est à iustitiâ, punire culpam nondum commissam, & nondum debitam puniri, etsi à ratione non sit alienum, Præmiare merita nondum patrata, & nondum debita præmiari. In quo meritum, & demeritum, præmium, & supplicium discriminantur: quippe præmium nondum debitum veluti in spe meriti dare, nihil est, quod prohibeat. Infligere verò pœnam non debitam æquitas punitionis iustæ non patitur. Dico, iustæ punitionis: quia alio titulo, quàm puniendi, sicut potest pœna aliqua infligi non peccanti, ita & poterit post peccaturo. Explicarique potest ampliùs discrimen istud. Quia puniens peccatum instar creditoris se gerit exigentis à peccatore debitas pœnas: remunerans verò meritum instar debitoris soluentis debitum merenti. Creditor autem non potest citra iniuriam extorquere à debitore debiti solutionem, antequam hic sit obligatus ad illud soluendum. Cùm tamen Debitor citra omnem iniuriam, citra omneque aliud vitium possit Creditori debitum soluere, antequam vrgeatur obligatione soluendi illud. 15

Igitur cùm præmium anticipatum vltra exigentiam meriti detur, atque adeò quasi supra naturam ipsius meriti sit huiusmodi præuia compensatio, consequenter censendum est, hunc præmiandi modum à prouidentiâ ordinariâ præmiantis exorbitare; atque adeò defacto, quoties aliunde non constat, donum collatum, antequam meritum existat, intuitu meriti futuri, & in eius præmium conferri, (vti de donis collatis antiquis Patribus constat ob Christi merita collata esse), aut id ex coniecturis validis non deducitur, existimandum vtique est, huiusmodi donum à donante gratis potiùs, & liberaliter, quàm in præmium meriti nondum existentis conferri. Idemque est, quod ad hoc attinet, de merito subsequente donum posterioritate naturæ, ac de merito subsequentè donum secundùm tempus. Quo sensu accipio sententiam Soar. & aliorum, qui dicunt, id, quòd aliquo ex dictis modis meritum antecedit, non posse sub ipsum naturaliter cadere, siue de potentiâ ordinariâ. 16

Propositio 2.

17 Nullum est omnino principium meriti, quod nequeat cadere sub meritum de potentiâ absolutâ. Tametsi præter naturam, & exigentiam meriti sit, per suum principium præmiari.

Hæc etiam propositio præscindit à præscientiâ, qua meritum cognoscendum est à præmiante. Eam autem tenent Soar. Coninc. Granad. Ruiz, & alij, vt vidimus num. 3. Quibus consentiunt Recentiores ibi etiam citati quoad cætera principia, præter essentiale, & dignificans. Sed non est, cur hæc excipiantur, vt ex dicendis hìc constabit. Probari autem potest propositio quoad primam partem primò à priori. Quia, vt aliquid possit esse præmium, sat est, quòd sit

bonum

bonum merenti non improportionatum merito ex genere suo, & quod intuitu meriti in eius remunerationem conferri possit. Sed quoduis omnino principium meriti hæc omnia habere potest, vt ex dicendis apparebit. Ergo quoduis omnino principium meriti sub meritum cadere potest. Secundò probatur propositio per illa Alexandri celebratissima exempla tum conferentis equum, & arma militi in præmium ægregiorum facinorum, quæ præuidebat præstanda à milite medijs armis, & equo: tum vendentis alteri vineam soluendam ex ipsius fructibus. Quibus exemplis, & similibus hactenus ab Aduersarijs satisfactum non est, vt benè notauit Soar. quantumuis id multis modis tentauerint; quos nunc refellere non vacat. Videantur Vazq. 1. par. disput. 91. cap. 5. & Herice disput. 28. cap. 3. Tertiò denique eadem pars propositionis ex solutione argumentorum, quæ contra fieri possunt, patebit.

18 Primò enim obijci potest ex doctrinâ dictorum Recentiorum. Totus valor meriti prouenit à principio dignificante. Ergo, qui dat tale principium, censetur dare totum meritum. Ergo non potest per meritum ipsum fieri solutio doni dati, nec compensatio; quia idem per se ipsum nec soluitur, nec compensatur. Nego antecedens, Quia, licèt præcipuè meriti valor à principio dignificante procedat, aliquid etiam ad talem valorem confert libertas operantis. Valor enim meriti fundatur in essentiâ meriti, vel est idem cum ipsâ. Certum est autem ad essentiam meriti requiri operantis libertatem: quì igitur intelligi potest, vt id, sine quo essentia meriti constare nequit, nihil conferat ad valorem eius? Itaque verum est, opus solius arbitrij sine principio dignificante nihil omnino habere valoris meriti; (quod fors fefellit Recentiores). Hinc tamen non sequitur, totum valorem meriti omnino prouenire à principio dignificante: quia etiam est verum, sublato exercitio libero operantis, etsi maneat principium dignificans, nihil manere valoris meriti; quia non manet meritum: & tamen inde non colligitur, valorem meriti dumtaxat prouenire ab arbitrio. Ergo meriti valor, sicut & essentia, ex vtroque conflatur, ex principio dignificante, & ex actione libera operantis; sicut homo conflatur ex corpore, & animâ; licèt valor, & æstimatio meriti potissimùm ex principio dignificante proueniat; sicut valor, & æstimatio hominis præcipuè prouenit ex animâ. Ex quo patet, qui reddit meritum, accepto dignificante principio, ampliùs reddere, quàm accepit: sicut, qui redderet hominem acceptâ animâ, redderet ampliùs, quàm accepisset. Vnde infertur rursus, per meritum exhibitum saltem de congruo solui posse principium dignificans acceptum, atque adeò hoc intuitu talis meriti, & tanquam præmium eius conferri posse. Dixi, saltem de congruo: quia per meritum nequit æqualis solutio, seu compensatio fieri pro principio dignificante incluso in ipso merito, quia licèt meritum, quod redditur, possit esse æquale in ratione meriti principio dignificanti in ratione doni: quia tamen principium ipsum quodammodò redditur incluſum in ipso merito, etsi redditio sit æqualis, sed non est æqualis compensatio: quia ex parte tantùm est compensatio, & ex parte veluti simplex redditio eiusdem, quod acceptum est. Vnde eiusmodi meritum nunquam videtur posse esse condignum reuerà prædicti principij: quia nunquam eius exhibitio potest esse æqualis in ratione compensationis; atque adeò meritum de congruo dici poterit. Sed quod sufficiens est citra dubium, vt principium intuitu eius collatum non fuerit donum gratuitum, & liberale.

Secundò obijcitur ex eisdem Recentiori- 19
bus. Principium essentialiter requisitum ad opus continet virtualiter ipsum opus. Ergo, qui dat tale principium, in radice censetur dare ipsum opus. Ergo non potest per opus solui collatio principij. Hoc argumentum de quouis principio etiam non essentiali fieri potest, quod Recentiores non excludunt à ratione præmij. Quia principium etiam non essentiale continet effectum virtualiter. Respondeo ergo, principium essentiale, & quoduis aliud virtualiter continere opus, quod causat. Verùm, quando ex principio posito non sequitur opus necessariò, sed ex arbitrio eius, qui tale accipit principium, qui dat principium, eatenus vt summùm censetur dare ipsum opus, quatenus illud causat moraliter, mouens per principium collatum voluntatem exequutiuam operis, vt illud liberè exequatur. Quod, sicut non tollit ab opere rationem meriti respectu alterius præmij, ita nec tollit ab eo rationem meriti respectu sui principij. Itaque fateor, non solùm principia nobis ad merendum collata, sed ipsa etiam merita esse dona Dei, vt supra disput. 40. quæst. 5. num. 74. statutum est. Cæterùm, quòd merita nostra sint dona Dei, sicut non tollit, ea esse merita respectu aliorum donorum à se distinctorum, ita non est, cur tollat, ea esse merita respectu principiorum suorum: quæ dona distincta ab ipsis sunt. Tametsi nequeant esse merita respectu sui, ita, vt idem sub eadem ratione sit simul meritum, & præmium sui. Hoc enim repugnat, vt ex se constat: quia meritum ex suo conceptu alterius doni à se distincti est meritum, vt satis norum est.

Inferet tamen hinc aliquis. Ergo auxi- 20
lium efficax vt efficax, quo pacto speciale donum seu beneficium est, sub meritum, ad quod confertur, non potest cadere: quandoquidem iuxta sententiam nostram efficacia auxilij meritum ipsum inuoluit in suo conceptu reali vt conditionatè futurum: meritum autem se ipsum mereri non potest, vt dictum est. Imprimis transeat consequens. Ad meam enim propositionem sat est, si auxilium efficax quoad entitatem præcisè possit sub meritum ab ipso immediatè prouenions cadere; quo pacto adæquatum præmium à merito distinctum erit. Deinde nego consequentiam. Quia licèt auxilium efficax vt tale inuoluat in suo conceptu futuritionem conditionatam meriti, sub ipsum meritum vt absolutè futurum benè cadere potest. Tum quia futuritio conditionata, & absoluta meriti sufficienter distinguntur, quod ad rem attinet, ratione diuersorum statuum: quandoquidem prima à secundâ non pendet in suâ existentiâ. Tum quia auxilium efficax vt efficax beneficium est à solo Deo ponendum antecedenter ad meritum in statu absoluto, quo nihil desiderari potest, vt illud intuitu meriti ponendi ab homine absolutè conferri queat.

Iam secunda pars propositionis ex doctri- 21
nâ præcedentis constat. Nam, sicut præter naturam, & exigentiam meriti est, præmiari prius tempore, quam existat, ita & præmiari prius naturâ ob eamdem rationem: qualiter quoduis prin-

principium meriti meritum ipsum antecedit. Imo multò magis alienum est à naturâ meriti, præmiari per suum principium, quod per se, & naturâ suâ supponit, quàm præmiari per aliquod antecedens secundùm tempus, quod tantùm supponit per accidens. Et quidem, si res ipsa benè inspiciatur, satis ex se videtur notum, præter naturale esse respectu meriti, per suum principium præmiari. Accedit tamen, quòd meritum relatè ad præmium ipsi merenti conferendum instar cuiusdam dispositionis moralis est, aut certè valde est congruum, & consentaneum naturæ eius, vt munus dispositionis exerceat. Constat autem de conceptu dispositionis esse, præcedere saltem naturâ formam, ad quam disponit.

22 Ex doctrinâ huius propositionis inferemus infra quæst. 5. gratiam primam de potentiâ Dei absolutâ propter meritum operum subsequentium, aut etiam boni vsus eius conferri posse, vt confitentur Doctores nostræ sententiæ. Tametsi defacto asserendum sit, eam sub nullum meritum cadere: quia constat ex sacrâ Scripturâ, Conciliis, & Patribus, eam omnino gratis conferri, prout expedit quidem, spectatâ naturâ meriti, vt constat ex dictis.

23 Deinde etiam infertur, Christum Dominum absolutè potuisse mereri suam vnionem hypostaticam operibus etiam primi instantis per vnionem ipsam significatis. Tum etiam existentiam suæ humanitatis, & integram suam substantiam. Sicut quæuis creatura rationalis potuit de potentiâ absolutâ mereri suam productionem, & existentiam: quod etiam docent relati Auctores. Defacto tamen Christus nihil eorum meruit. Tum quia id constat ex communi sententiâ Patrum, & Theologorum. Tum quia hoc genus merendi, vt diximus, exorbitat à meriti exigentiâ, & prouidentiâ communi. Tum quia specialiter in Christo minùs deceret tale meritum; cùm non posset esse condignum iuxta doctrinam datam. Tum denique quia congruentiùs fuit, vt principium omnium meritorum sub propria merita non caderet. Vnde etiam apparet, cur nulla creatura de facto suum primum esse promereatur. Quomodo autem doctrina data nullatenus dici possit, ne quoad speciem quidem, fauere errori Semipelagianorum, ex dicendis quæst. 4. & 5. manifestè constabit.

Propositio 3.

24 **Id, quod antecedit meritum prioritate inconnexionis non mutuæ, sub ipsum meritum benè cadere potest de potentiâ absolutâ. Secus de potentiâ ordinariâ. Nisi quando est posteriùs ipso merito secundùm tempus.**

Prior pars propositionis ex præcedente est nota. Quia facilius intelligitur, posse cadere sub meritum, quod ipsum præcedit secundùm inconnexionem non mutuam, quàm quod præcedit ipsum secundùm originem. Cùm prioritas originis strictior sit, quàm altera. Tametsi hæc etiam sufficiat, vt præter naturam sit meriti, per aliquid ita prius præmiari. Ex quo patet secunda pars propositionis. Tertia autem inde probatur; quia, quod est posterius secundùm tempus, non est, cur sit præter naturam, & exigentiam meriti præcedentis, etiam si sit prius illo secundùm inconnexionem non mutuam, vt esse potest: in quo hæc prioritas differt à prioritate originis, vt latiùs tractatur suo loco. Ex quo etiam infertur, simultaneitatem mutuæ connexionis nihil obstare, quominùs aliquid sub meritum etiam naturaliter possit cadere. Quia, quod nullo modo præcedit meritum, non est, cur dicatur præter naturam, vel exigentiàm eius esse.

Ex dictis igitur in tribus propositionibus datis constat, nullum omnino bonum esse distinctum à merito, ipsique merito non improportionatum, (quale est bonum supernaturale respectu meriti naturalis, vt constabit ex dicendis quæst. 4.), quod non possit cadere sub meritum, si aliàs non desit præscientia meriti in præmiante sufficiens ad remunerationem; qualem nunquam deesse in Deo, tum ex dictis supra num. 10. tum ex dicendis in sequentibus propositionibus notum fiet. Solùm ergo meritum excluditur à ratione præmij tum respectu sui, tum etiam respectu alterius meriti eiusdem suppositi: quia nemo potest suum proprium meritum remunerare, non solùm per ipsummet meritum, vt constat, sed neque per aliud distinctum; eo quòd meritum, & remuneratio eius ex suo conceptu suppositâ distincta concernunt, vt satis notum est. Quòd si verò eadem actio à duobus suppositis procedat liberè, benè poterit quatenus procedit ab vno esse præmium respectu alterius: idque non solùm meriti actionis distinctæ, sed eiusdem. Quippe actio à duobus distinctis suppositis procedens liberè, duas habet honestates, duasque laudabilitates, ac proinde etiam duo merita respectu eorum; prout aliàs diximus. Quid ergo vetabit, vnum eorum suppositorum iuuare, alterum ad eam actionem in præmium meriti, quod actio habet, prout est ab illo, qui iuuatur; quandoquidem hoc iuuamen ipsi merenti est commodum, à suoque merito distinctum, saltem ex connotato, & ab alienâ libertate procedens?

Propositio 4.

Id, quod in conceptu reali meriti intrinsecè clauditur, sub ipsum meritum prout absolutè præuisum nullatenus cadere potest. 26

Est certum. Quia, qui absolutè præuidet meritum, eâdem scientiâ præuidet quidquid in conceptu reali meriti inclusum est; atque adeò ad illud decernendum in meriti remunerationem moueri non potest. Scientia enim de existentiâ absolutâ rei nequit ad illam decernendam mouere, vt constat ex doctrinâ datâ disput. 37. quæst. 7. propos. 1.

Ex hac propositione infertur primò, primum auxilium gratiæ sub meritum absolutè præuisum primi actus à tali auxilio procedentis nullo modo cadere posse. Quia tale auxilium intrinsecè pertinet ad libertatem, & ad valorem talis meriti. 27

Secundò infertur, primam gratiam habitualem sub meritum condignum absolutè præuisum actus eliciti in eodem instanti, in quo ipsa confertur, cadere nullo modo posse. Quia ad valorem talis meriti intrinsecè spectat gratia ipsa. 28

Tertiò infertur, vnionem hypostaticam 29

sub meritum absolutè præuisum operis Christi facti in primo conceptionis instanti, dignificatique ab ipsâ vnione, vel mediâ vnione à diuinitate, nullatenus cadere potuisse. Quia in conceptu talis meriti includitur vnio. Et idem ob eamdem rationem est de cæteris, quæ ad substantiam Christi pertinent, intrinsecèque aliquo modo spectant ad meritum. Pariterque de similibus philosophandum est.

Propositio. 5.

30 **Id, cum quo meritum essentialiter connexum est vel tanquam cum principio, vel aliter, sub meritum absolutè præuisum benè cadere potest: si tamen ad rationem præmij libertas ad illud negandum non requiratur in præmiante.**

Ratio est. Quia iuxta suppositionem quintam Deus ex præuisione absolutâ effectus ad decernendum eius principium essentiale moueri potest (& idem est de quouis alio termino connexionis); tametsi hæc motio non libera, sed necessaria sit; eo quòd præuisio effectus necessitat Deum ad ponendum id, cum quo effectus essentialiter connexus est, si aliunde illud ponendum non videtur. Ergo ex præuisione absolutâ meriti Deus necessariò moueri poterit ad ponendum terminum cum quo meritum connexum est, si aliunde non præuideatur ponendum. Manere tamen liber poterit quoad motiuum; sicque illud vel in compensationem meriti, vel ex alio motiuo ponere poterit, prout libuerit. Si igitur hæc libertas sufficit ad rationem præmij, (de quo suo loco), nihil in casu propositionis desiderabitur ad meriti remunerationem. Oportet tamen, vt meritum non sit essentialiter connexum cum prædicto termino vt conferendo liberè: qualiter actio gratiarum Christi Domini connectitur cum beneficijs collatis antiquis Patribus. Quia in tali casu ex præuisione absolutâ meriti, nequibit procedere terminus connexionis eius; cùm nequeat liberè procedere.

31 Quòd si præuisio absoluta meriti non sit infallibilis, qualis in Deo est, sed fallibilis; ea quidem non necessitabit præmiantem ad ponendum terminum connexionis meriti; quia non erit essentialiter connexa cum tali termino. Quo fiet, vt hic plenè liberè possit conferri in præmium. Sicuti etiam conferri poterit, si connexio meriti cum illo non sit metaphysica, & essentialis. Quo iure si actio gratiarum Christi Domini cum donis datis antiquis Patribus non connexa essentialiter poneretur, nihil obstaret, quominùs Deus ex eius præuisione absolutâ moueri posset ad ea dona liberè conferenda in præmium ipsius actionis gratiarum: & idem est de alijs actibus Christi Domini supponentibus dona gratiæ collata: de quibus mentionem faciemus num. 43. Quæ omnia doctrinam de libertate supponunt tradi tam fusè disput. 30.

Propositio. 6.

Principium meriti neque inclusum in merito, neque ad meritum essentialiter requisitum, quodcunque demum illud sit, sub meritum absolutè præuisum benè cadere potest de potentiâ Dei absolutâ. 32

Constat id ex doctrinâ suppositionis quintæ recognoscendâ loco ibi citato: vbi ostendimus, ex præuisione absolutâ effectus liberè posse eligi causam, siue causalitatem non inclusam in ipso effectu, neque ipsi aliter essentialem. Poterit ergo ex præuisione absolutâ meriti similis causa, siue causalitas decerni liberè. Quo nihil ampliùs desiderari potest, vt in meriti remunerationem decerni possit; si aliàs sit idonea materia præmij respectu eius, vt supponimus.

Sed obijciet aliquis ex Herice disput. 28. cap. 2. à num. 9. quem Recentiores imitantur, Merita absolutè præuisa causant secundùm existentiam, quam habent à parte rei, nec minùs requiritur, quòd verè existant ad causandum, quam, si causarent physicè; estò eorum causalitas sit moralis: in quo distinguntur à fine; qui causat vt possibilis. Ergo repugnat, merita causare suam causam, non minùs, quàm repugnat, ignem vicissim causare ignem, à quo producitur: quia repugnat, vt causa dans eis existentiam ab illis prout existentibus illam accipiat. Cauæquiuocationem. Aliud est, merita debere existere in aliqua mensurâ temporis, vt absoluta præuisio, qua mediâ causant, sit vera: aliud, causare prout existentia re ipsâ, vel secundùm statum existentiæ physicæ. Existentia quidem meritorum causat, sed non secundùm statum physicum, quem in se habet: (aliàs merita futura, quo tempore nondum existunt, causare non possent collationem præmij anticipati, quod est absurdum): sed secundùm statum intentionalem, quem habet in cognitione. Vnde prout sunt obiectiuè in cognitione, benè possunt concurrere ad dandum esse causæ, à qua ipsa accipiunt existentiam physicam. Nam, sicut præuisa causare possunt id, quod antecedit secundùm tempus; tametsi causent per existentiam; ita etiam & faciliùs causare poterunt id, quod antecedit naturâ. Hoc ferè pacto, cùm sit eadem entitas finis, quæ possibilis est, & quæ existit, estò ea secundùm statum existentiæ nequeat ad suam causam concurrere, potest tamen in sententiâ omnium secundùm statum possibilitatis. Quid ergo mirum, si eadem entitas, siue existentia meriti, quæ secundùm statum physicum nequit ad suam causam concurrere, possit ad illam concurrere secundùm statum intentionalem. Vide ad rem plura loco citato. Vbi alia argumenta, quæ opponi possent, sub generali doctrinâ diluta sunt.

Modò ex propositione datâ sequitur primò, 34 primam gratiam sub meritum absolutè præuisum sequentium operum ab ipsâ remotè procedentium cadere posse, etsi defacto non cadat, vt videbimus quæst. 5.

Secundò sequitur, Christum Dominum 35 per merita absolutè præuisa potuisse mereri actionem determinatam, qua producta est vnio hypostati-

statica : tum actionem determinatam, qua eius humanitas fuit producta : necnon motiuum determinatum Incarnationis, id est, quòd ex hoc potiùs, quàm ex alio fine, fuerit facta à Deo. Quia nihil horum est essentiale meritis Christi significatis per vnionem.

36 Tertiò sequitur, existentiam B. Virginis, & eius maternitatem (etsi efficienter influat in filium) sub meritum Christi absolutè præuisum benè cadere potuisse. Vti cecidisse de facto, docent multi Thheologi.

37 Quartò sequitur, B. Virginem potuisse mediâ gratiâ collatâ ex meritis Christi absolutè præuisis suam etiam maternitatem promereri de congruo. Vti de facto promeruisse, docent communiter Theologi

38 Et quoniam non solum principium physicum, sed mutò meliùs intentionale meriti sub meritum absolutè præuisum cadere potest; mutuaq; intentionalis causalitas possibilis est, etsi repugnet physicâ, vt loco citato monstraui. Sequitur quintò, Progenitores Christi Domini, & antiquiores Patres benè potuisse de congruo Incarnationem, quoad substantiam mereri: (vti de facto meruisse non pauci Theologi asseuerant). Ita quidem, vt merita Patrum absolutè præuisa in Incarnationem influxerint intentionaliter; ipsa autem Incarnatio, seu vnio hypostatica cum meritis Christi, in quibus inuoluitur, absolutè etiam præuia vicissim influxerit in merita Patrum, non immediatè, sed mediâ gratiâ ipsis collatâ.

Vnde etiam sequitur sextò id, quod inferebam loco sæpe citato fine; etsi Christus decretus fuerit post absolutè præuisum peccatum Adami, & pactum cum ipso percusum, potuisse nihilominùs B. Virginem ex meritis Christi etiam absolutè præuisis à dicto pacto excludi, atque adeò immunem esse à debito peccati originalis. Ita, vt merita Christi causa fuerint intentionalis pacti prout excludentis Virginem: & pactum simul cum peccato Adami causa vicissim intentionalis existentiæ, & meritorum Christi.

40 Ex quo rursus sequitur septimò, posito decreto Incarnationis Christi vt supra, potuisse etiam B. Virginem de congruo per gratiam ex Christi meritis datam suam exclusionem à pacto meruisse, & immunitatem à debito; ita, vt merita B. Virginis sint causa obiectiua immediata pacti prout excludentis ipsam Virginem; tametsi pactum mediatè causet obiectiuè merita Virginis, causando Christum, à quo illa promanant.

41 Octauò sequitur, vnionem hypostaticam, etsi moraliter concurrat ad suam continuationem, atque adeò ad merita facta post primum instans, quatenus Deus ideo conseruat illam; quia primò produxit: potuisse nihilominùs cadere quoad primam existentiam sub merita temporis subsequentis absolutè præuisa, in quibus prout primò producta non clauditur. De facto tamen non cecidit, sed gratis fuit collata, vt supra num.23. dicebam. Pariterque alia similia ex datâ propositione deduci possunt.

Propositio 7.

42 **Quidquid aliàs est apta materia præmij iuxta dicta propositione 1.2. & 3. sub meritum conditionatè præuisum benè cadere potest, saltem de potentiâ absolutâ; quando conditio sub qua præuidetur, id ipsum est, quod in præmium conferendum est.**

Probatur; quia nihil est, quod non possit conferri in meriti compensationem, si meritum præuideatur futurum sub conditione, quod conferatur, & alias illud sit materia idonea remunerationis talis meriti, vt constat ex doctrinâ præmissâ num.10. Illud autem posse conferri liberè, etiam, quando meritum cum eo connexum est, inde perspicuè patet; quia scientia conditionata non necessitat ad conditionem purificandam, vtpote non connexam cum illâ. Quo nihil ad rationem remunerationis desiderari potest, etiam in casu dictæ connexionis.

Ex hac propositione sequitur, ea omnia, 43
quæ sub meritum absolutè præuisum cadere possunt, quæque propositione 5. & 6. recensita sunt, multò meliùs cadere posse sub meritum præuisum conditionatè. Et insuper cætera cuncta, quæ ibi locum non habuerunt, vt sunt prima gratia tam actualis, quàm habitualis, vnio hypostatica, & alia huiusmodi principia respectu meriti in quo includuntur tanquam aliquid dans ei valorem, vel libertatem, vel quid simile. Necnon dona gratiæ antiquis Patribus collata respectu actionis gratiarum Christi supponentis essentialiter eorum liberam collationem. Ac denique cætera dona gratiæ hominibus collata respectu eos actus Christi, qui ea essentialiter supponebant; qualiter dolor de peccatis hominum supponebat gratiam sufficientem datam ad ea vitanda; & actus patientiæ, quibus Christus tolerauit iniurias omnes sibi inflictas, hominumque ingratitudinem, supponebant dona gratiæ hominibus data ad eas iniurias vitandas, cæteraque beneficia, quibus erant ingrati. Pariterque de similibus dicendum est. De quibus in proprijs locis latiùs tractatur.

Propositio 8.

Sub meritum cognitum tantùm vt possibile, eodemque decreto Dei simul cum præmio ipso decretum benè potest saltem de potentiâ absolutâ cadere, quidquid respectu talis meriti rationem præmij aliàs habere potest iuxta dicta propositione 1.2. & 3. 44

Constat hæc propositio ex doctrinâ statutâ num.10. nec maiori egere probatione. Ex eâ autem colligitur, hoc etiam pacto posse sub meritum cadere, quidquid, in speciali diximus propositione præcedenti, cadere posse sub meritum præuisum conditionatè sub conditione præmij. Quæ non opus est repetere.

Propositio 9.

Quidquid est apta materia præmij iuxta superiùs dicta, conditionatè cadere potest, saltem de potentiâ absolutâ, sub meritum positum in hypothesi secun- 45

dùm quartum casum possibilem dicto num. 10. commemoratum.

Ex cuius doctrinâ satis constat hæc propositio. Ex eâ autem sequitur, hoc etiam modo sub meritum cadere posse, quidquid cadere, posse, diximus, cæteris modis propositionum præcedentium.

46 En semina jecimus in hac quæstione adeò referta virtute ob suam vniuersalitatem, vt immensum propemodum resolutionum fructum pro varijs Theologiæ materijs quisque ex illis possit colligere. Nulla est enim excogitabilis difficultas circa meritorum compensationem, seu remunerationem, quæ multis, & varijs modis per doctrinam hic traditam non queat solui: siue sit sermo de remuneratione factâ iuxta naturam, & exigentiam meriti, siue de factâ supernaturaliter præter eius naturam, & exigentiam.

QVAESTIO II.

Quas causas physicas habeat prædestinatio.

47 CAusa physica est, quæ per propriam, & realem causalitatem, qualis est actio, vel passio, in effectum influit. Causa autem moralis in vniuersùm dicitur, quæcunque aliquo modo mouet, excitat, allicit, trahit, vel impellit causam physicam ad causandum effectum. Cuius subinde causalitas non est actus proprius realis distinctus ab actu causæ physicæ, sed denominatio quædam semiextrinseca ab illo prouenies. Vnde causa finalis, & quælibet alia obiectiua sub causâ morali ita vniuersaliter sumptâ comprehenditur. Cæterùm, quia in præsenti materiâ solùm vocari solet causa moralis, quæ mouet per modum meriti, impetrationis, satisfactionis, aut dispositionis moralis, ideo causam finalem, aut aliter quomodolibet obiectiuam, præterquàm quatuor modis dictis, ad classem causarum physicarum reducimus; de eisque etiam tractamus in præsenti quæstione.

Hoc posito, certum est, prædestinationem quoad actus internos Dei nullam habere causam physicam, quæ verè, & formaliter sit talis; tametsi virtualiter, seu æquiualenter ab intellectu, & voluntate Dei causentur, iuxta doctrinam à nobis traditam disput. 23. quæst. 2. & disput. 31. quæst. 2. Nequit tamen non habere pro causâ obiectiuâ bonitatem obiectorum, qua Deus ad prædestinandum allicitur. Quia, quidquid Deus decernit liberè, allectus, & inuitatus ab aliquâ eius bonitate propositâ per cognitionem decernit.

48 Deinde est certum, prædestinationis quoad effectus externos, qui ad gratiam vniuersè sumptam, ad gloriamque reduci possunt, Deum causam physicam, & principalem esse tum efficientem, tum finalem iuxta illud Psal. 83. *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, & Prou. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*. Causam verò materialem, aut formalem huiusmodi effectuum Deum esse non posse, compertum est.

49 Præterea est certum, Prædestinatum causam physicam esse ferè omnium suæ prædestinationis effectuũ tum efficientem, tum materialem. Quia ferè omnes sunt actus suarum potentiarum vitalium, ab eis producti, & in eis recepti. Quo fit, vt illi vt plurimum nullam formalem causam habeant; cùm potiùs ipsi formæ sint. Nonnulli verò prædestinationis effectus extra subiectum prædestinatum poterunt esse. Quorum subinde alia erit causa physica tum efficiens, tum materialis, vt constabit ex dicendis disp. 43.

Denique certum est, cæteros prædestinationis effectus ad gloriam Prædestinati tanquam ad finem ordinari. Cæterùm, quia & ipsa gloria effectus prædestinationis, isque præcipuus est, vt contra Durand. in 1. dist. 41. quæst. 2. docent Soar. lib. 2. de Prædest cap. 2. Vazq. disput. 91. cap. 3. & alij Theologi comuniter, vt videbimus dictâ disput. 43. Ideirco totius prædestinationis adæquatè sumptæ quoad effectus nullus datur finis Prædestinato competens; sed tantùm est finis eius glorificatio Dei, 50

QVAESTIO III.

Quid sit statutum, & certum secundùm fidem circa causam moralem prædestinationis.

VArij fuerunt errores circa causam prædestinationis; eos succintè indicabo cum locis, vbi aut damnantur, aut refelluntur. Primus error fuit Manichæorum, Bardesianorum, Priscillianistarum, aliorumque reuocantium omnes nostras actiones ad fatalem necessitatem ex vario stellarum aspectu profectam. Qui subinde, sublato cum libertate omni merito, atque demerito, in astra vt in causam reijciebant integram hominum prædestinationem, atque reprobationem. Damnatur hic error in Concilio Bracharen. 1. cap. 8. & à Leone 1. epist. 91. cap. 11. Et contra eum eleganter disputant Hieronim. epist. 8. quæ est ad Demetriadem, & August. lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. 51

Secundus error fuit Caluini lib. 2. Inst. cap. 3. & lib. 3. cap. 21. & 22. Qui, sublatâ similiter humanâ libertate, non vi astrorum, sed vi fatalis decreti Dei, nullius effectus prædestinationis relinquit causam moralem ex parte nostrâ. Caluino ferè consentiunt Lutherus, Melancton, & cæteri Sectarij Nouatores; qui è medio tollunt libertatem. Quorum error damnatur in Trid. sess. 6. cap. 5. & 6. & can. 4. 5. & 6. 52

Tertius error est Prædestinatianorum asserentium piè viuentibus bona opera nihil prodesse; & peccatoribus nihil obesse crimina; si primi iam sunt prædestinati ad mortem; secundi autem iam sunt prædestinati ad vitam. Quem errorem iam diu sepultum ab inferis reuocarunt Vvicleph us Anglus, & Ioannes Huss. Bohemus. Quæ pestis etiam nunc, vt fertur, grasatur in Anglia inter Caluinistas, & Puritanos. Contra quam olim indictum fuit in Gallia Concilium Valentinum sub Lothario Imperatore, & Leone IV. quod inscribitur contra Prædestinatianos. Posteaque idē error damnatus est in Concilio Constantiensi sess. 15. & in Trid. sess. 6. can. 17. 53

Por-

55 Porro errores isti, & alij huius farinæ, qui merita bonorum operum auferunt, eatenus præsenti causæ præiudicant, quatenus à nobis auferunt causam moralem præcipuj effectus prædestinationis, qui est gloria, contra illum fidei articulum, quo passim in Scripturis sanctis monemur, gloriam adultis vt præmium meritorum conferri, vt supra disput.41.quæst.1.num.9. statuimus. Itaque fide sanctum est, ex parte Prædestinati adulti causam moralem, & meritoriam dari prædestinationis quoad aliquem eius effectum, nempe gloriam. Imo dari etiam quoad plerosque, præter primum, concors Theologorum sententia est. Quia, accepto primo auxilio efficaci, à quo incipit series effectuum prædestinationis, de congruo saltem potest Prædestinatus mereri cæteros subsequentes effectus; de factoque haud dubie meretur illos, saltem maiori ex parte. Videamus modò errores, qui in partem aduersam declinantes tantum arbitrio detulerunt Prædestinati, vt ipsi totius prædestinationis causam moralem, aut etiam meritoriam adscripserint.

56 Horum primus fuit Origenis asserentis, totum Prædestinatorum, ac Reproborum discrimen fuisse natum ex diuersitate meritorum, quam contraxerunt animæ, priùs quàm infunderentur in corpora. Somniabat enim, animas omnes simul cum Angelis ab initio fuisse creatas, & postea successu temporum corporibus addictas. Quem errorẽ ex Platone videtur Origenes traxisse. Quoniam in Timæo posuit Plato animas existentes, priùs quàm vnirentur corporibus, teste Hieron. epist. 150. ad Hedibiam. Damnatus est hic error in sexta Synodo generali, quæ est Constantinopolitana 3. action. 11. Contra quem ex professò disputat Cyrillus lib.1. in Ioan.cap.9. & August. epist.28. ad Hieron. & lib. de Anima, & eius origine cap.19. Greg. Nyssen. lib. de Opificio hominis cap. 28.& 29. & Hieron.epist.61. ad Pamachium. Scribunt insuper contra hunc errorem S. Thom. 1.par. quæst.9. artic.4. & sæpe alibi. Sixtus Senensis lib.5. cap. 185. & 236. Castro lib.2. contra hæreses verb. *Anima*. Bellar.lib.4. de Amissione gratiæ cap.11. Soar.lib. 2. de Prædest. cap.4. Ruiz disput.5. de Prædest. sec.1. & alij Theologi communiter in hoc tractatu. Apud quos plura.

57 Secundus error fuit Pelagij asserentis, præter donum creationis, & externam legis propositionem, quæ gratis conferre concedebat, nullam aliam gratiam necessariam esse ad seruandam totam legem, & acquirendam de condigno vitam æternam; tametsi ad hæc faciliùs obtinenda gratia, & dona supernaturalia darentur intuitu meritorum liberi arbitrij. Constat hic error Pelagij ex multis spriptis Augustini, præsertim ex toto libro de gestis Pelagij, & ex epistolis 90.95. 105.106. & 107. Ex Hieron. epist ad Etesiphon, & Dialogis contra Pelagianos. Ex Prospero epist. ad Rufinum, & lib. de Ingratis cap.1. Ex quo deducebat Pelagius, teste Augustino lib.de Prædest. Sanct. cap.18. & 19. homines propter merita proprij arbitrij elegi à Deo, & ad æternam vitam prædestinari. Atque adeò ex parte Prædestinatorum causam moralem, imo & condignam repetiri integræ prædestinationis. Damnatus tamen est error iste in multis Concilijs. Quorum postremi sunt Arausi.2. can.7.9.20. & sequentibus. Et Trid. sess.6. cap.1.5. & 6. & can.1. & 2. In quo etiam confutando egregiè laborarunt Patres. Quorum plures refert Ruiz disput.5. de Prædest. sec.6. Sed potissimè omnium Augustinus varijs locis suorum Operum. Qua de re plura traduntur in Tractatu de Gratiâ. Videatur noster Ripalda tom.1. de Ente supern. disput.15. sect.2. latè referens Sectatores huius erroris, eiusque Impugnatores.

Tertius denique error fuit eorum, qui Semipelagiani, aut Reliquiæ, Cinereſve Pelagianorum vocati sunt. Erant autem viri, aliàs pij, & catholici, florentes in totâ Galliâ fere sub annum 430. sed præsertim Massiliæ; vnde etiam Massilienses vocantur. Quorum dux dicitur fuisse Cassianus, vt clarè denotant liber Prosperi, & alij Tractatus scripti contra Collatorem; cui adhæserunt Faustus Regiensis Episcopus, & alij. Hi ergo, cùm concederent contra Pelagium gratiam datam per Christum necessariam omnino esse, nec solùm vtilem ad benè viuendum, & acquirendum gloriam; aliquid tamen nihilominùs viribus arbitrij tribuebant, dicentes, esse in nobis aliqua initia nostro labore parta sine interuentu alicuius gratiæ Christi, quibus incipimus, quorunque intuitu gratia postea donatur, conatus nostros promotura. Quæ initia, dicebant, esse non solùm bonum desiderium, fidem, & orationem, sed alia etiam aliqua bona opera, vt videre est apud Cassianum lib.12. de Inst. Cœnobior. cap.13. & 14. Quæ quidem aliquod meritum continere respectu gratiæ, arbitrabantur, vt constat ex eodem Cassiano, ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad August. ex ipsoque August. locis infra citandis. 58

An autem censuerint, tale meritum esse condignum, vel congruum, non omnino exploratum est. Nam censuisse eos, dictum meritum tantùm esse de congruo, plerique Doctores asseuerant. Vazq. 1.par,disput.89.cap.5. num.32. & 1.2. disput.119. cap.1. Soar. lib. 2. de Prædest. cap.6.num.27. Granad. 1. 2. tract.6. de Gratiâ disput.1.sect.1. Herice disput. 25. cap.3. Tann.1. par. disput.3.quæst.4. dub.3. num. 12. & alij. Satisque videtur constare ex Cassiano loco citato, & Collat.13. cap.13. ex Fausto Regiensi lib. 1. de Gratiâ, & liber. arbitr. & ex epistola Hilarij ad August. Non desunt tamen, qui putent meritum, quod Semipelagiani adscribebant operibus arbitrij respectu donorum gratiæ condignum fuisse. Ita Franciscus Turrianus lib.2.Confess. August.cap.3. §. 11. & 12. Toletus in illud ad Rom. 11. *Si autem gratia, iam non ex operibus*. Vega lib.2. in Trid. cap.5. Sotus lib.1. de Naturâ, & gratiâ cap.21. ad 2. & cap.4. fine. Coninc de Merito disput.8.num. 103. Idemque videntur sensisse multi alij Scholastici citandi quæstione sequenti: qui non sunt veriti tribuere operibus arbitrij meritum congruum respectu donorum gratiæ. Ripalda disput.15. citatâ sect. 3. multis contendit, Semipelagianos in prædictis operibus interdum meritum condignum posuisse. Proindeque controuersiam Patrum cum illis fuisse de merito vt sic talium operum præscindendo à condignitate, & merâ congruitate. Vtrumque verò genus meriti intendisse Patres, & Concilia excludere à dictis operibus, dum contra Semipelagianos definiunt. 59

Ego primæ, & magis communi sententiæ adhæreo. Tum quia eam satis, superque videtur expressisse Cassianus locis citatis, vt manifestum fiet legenti. Tum maximè, quia sæpissimè repetit, quoties de illis suis arbitrij meritis ser- 60

mo-

monem habet, per ea nihil præiudicari rationi gratiæ. Incredibile autem est, censuisse Massilienses condigna merita non aduersari conceptui gratiæ; quando præ oculis habebant, defendereque conabantur illud dogma Apostoli, *Si autem gratia, iam non ex operibus*. Quippe nullo strictiori modo potest aliquid excogitari esse ex operibus, quàm si sit ex meritis de condigno. Non ergo meritis de condigno, sed meritis tantùm de congruo adiungebant gratiam. Argumenta autem, quæ in oppositum adducit Ripalda non præmunt, vt perpendenti notum fiet. Addebant præterea Massilienses, posse nos etiam in gratiâ acceptâ proprijs arbitrij viribus perseuerare, vt supra disput. 41. quæst. 3. num. 81. notauimus. Vnde tandem circa causam prædestinationis, de qua nunc loquimur, errabant; asserentes, prædictos qualescunque conatus arbitrij, quibus præuisi sunt Prædestinati ex se incepturi, & in bono accepto perseueraturi, causam ex parte eorum esse, ob quam illi præ Reprobis eliguntur, ac prædestinantur à Deo. Cùmque à Prospero, & Hilario vrgerentur in pueris ante vsum rationis decedentibus; quorum alij mundati per Baptismum ab originali obtinent gloriam, alij sine Baptismo morientes reijciuntur ab illâ. Respondebant, Deum præscire, quid illi forent facturi, & quem finem habituri, si peruenirent ad adultam ætatem; eosque prædestinare, & eligere ad gloriam, qui benè ex se operaturi, si viuerent, præuisi sunt; eos autem reijcere, & reprobare, qui præuisi sunt, si viuerent, vitâ tandem in peccatis functuri. Eodemque pacto rationem discriminis reddebant inter eos, quibus prædicatum est Euangelium, & eos, ad quos non peruenit notitia eius; vt supra disput. 28. quæst. 7. à num. 269. retulimus.

61 Constant hæc omnia ex epistolis Prosperi, & Hilarij ad Augustinum, quæ habentur tom. 7. ante librum de Prædestinatione Sanctorum. Tum ex ipso Augustino dicto libro de Prædest. Sanct. & libro de Dono perseuerantiæ. Necnon ex Cassiano dicto lib. 12. à cap. 11. & Collat. 13. citatâ ferè per totam. Ex Prospero in libris contra Collatorem, ad obiectiones Vincent. & contra Capit. Gallorum, & ex epistolâ 1. Celestini ad Episcopos Galliæ. De quo videri possunt Bellarm. lib. 2. de Gratiâ, & liber. arbitr. Valentia 1. par. quæst. 23. artic. 5. disput. 1. pun. 4. & 1. 2. disput. 8. quæst. 6. pun. 4. Molin. 1. par. quæst. 23. artic. 4. disput. 1. & in Concord. disput. 6. Vazq. 1. par. disput. 89. cap. 4. & 5. & disp. 91. cap. 8. Soar. lib. 3. de Prædest. cap. 5. & seqq. & Prolegem. 6. de Gratiâ, vbi fusissimè totam rem hanc ediserit, Herice disput. 25. Arrub. disput. 75. Iustinian. in epist. ad Philip. cap. 2. Ruiz tom. de Prouid. disp. 14. & seqq. Ripalda tom. 1. de Ente supern. disp. 15. & seqq. & apud eos alij plures. Qui diligenter examinant, quinam in prædictum errorem inciderint. Num aliqui Patres, præsertim Chrysostomus, in eo bona fide fuerint. Et cætera ad rem spectantia.

62 Pugnauit autem contra hunc errorem acerrimè Augustinus innumeris in locis; vbicunque demum scripsit contra Pelagianos. Ita enim, inspirante Deo, vel vltimas fibras, & capillamenta radicum Pelagianæ hæresis eradicauit, vt ante exortum Semipelagianorum errorem suis scriptis suffocauerit; præsertim in libro de Correptione & gratiâ, vt testatur Prosper in initio suæ epistolæ. Expressiùs tamen extirpat illum in libro de Prædestinatione Sanctorum, & libro de Dono perseuerantiæ, quos scripsit contra Massilienses. Eumdem errorem detestati sunt multi alij Patres, quos referunt præcitati Doctores, præsertim Soar. & Ruiz. Eumque damnarunt imprimis Cælestinus Papa Epist. 1. ad Episcopos Galliæ, Vbi aliorum etiam Pontificum sententiam dicto errori oppositam refert. Et Leo Magn. epistola ad Nizetam. Damnauit deinde Concilium Arausicanum 2. contra Semipelagianos coactum ferè per totum. Et postea etiam Trid. sess. 6. cap. 5. & 16. & can. 3. Nec non Maguntina Synodus prouincialis cap. 7. §. 2. cum alijs relatis à Soar. Prolegom. 6. citato.

Itaque conclusio catholica est, nullum in 63
nobis dari conatum, initiumve ex viribus solius arbitrij profectum, quo per modum meriti, aut impetrationis obtineamus primum auxilium gratiæ; atque adeò neque vllam ex parte nostrâ dari causam aut meritoriam, aut impetratoriam totius prædestinationis. Quæ veritas quæst. seq. proposit. 1. & 2. demonstranda est.

Fundamenta autem, quibus Semipelagiani 64
nitebantur, parui momenti sunt. Dicebant primò, si non sit in potestate arbitrij, præbere initium, quo Deus moueatur ad nos eligendum, ac perducendum mediâ gratiâ collatâ ad gloriam, imprimis tolli libertatem acquirendi, vel amittendi gratiam, & gloriam. Secundò tolli solicitudinem eam procurandi. Tertiò auferri vim exhortationum. Quartò tolli è medio orationem. Quintò Deum fore acceptorem personarum, alios eligendo præ alijs, nullo præuiso eorum discrimine. Verùm nihil horum sequi ex negato initio salutis oriundo ex viribus arbitrij, notissimum est. Primum non sequitur. Quia, licèt homo nequeat acquirere, vel amittere primum auxilium gratiæ, potest tamen per illud (quod nemini Deus negat) acquirere iustificationem, & gloriam. Similiterque vtramque amittere suis peccatis. Sicuti prima cogitatio, à qua prouenire debebant naturalia illa Massiliensium initia, in hominis potestate non est, vt constat; & tamen per hoc non efficitur, hominem ad illa acquirendum non esse liberum. Quomodò autem cum prædestinatione, & reprobatione negatiuâ libertas acquirendi, & amittendi gloriam cohæreat, disput. 41. quæst. 1. & 5. explicatum est. Secundum verò, & tertium non sequi, ex dictis in eadem quæst. 1. à num. 32. constat. Nec sequitur quartum. Quia, licèt primum auxilium gratiæ nequeat oratione impetrari, possunt tamen reliqua. Denique non sequitur quintum. Quia, vt dictum est etiam loco citato, Deus vt dominus suorum donorum absque vllâ notâ acceptionis personarum (quæ solùm habet locum, vbi adest obligatio iustitiæ) potest illa pro suo arbitratu inæqualiter impertiri. Quod optimè declarant Augustinus de Dono perseu. cap. 8. & S. Thom. 1. par. quæst. 23. art. 5. De quo plura videri possunt apud Ruiz disput. 18. de Prædest. per totam. Præterquàm quòd omnibus omnino hominibus distribuit Deus auxilia sufficientia, quæ quisque pro nutu suo potest facere efficacia, si velit.

Opponebant præterea parabolam illam ta- 65
lentorum datorum vnicuique secundùm propriam virtutem Math. 25. Verùm sensus illius parabolæ, quos multos patitur, omnes sunt prorsus alieni à Massiliensium sensu, vt videri potest apud Maldona. ad eum locum, Salmeron. tom. 7. tract. 39.

Vazq.

Vazq. disput. illâ 91. cap. 18. Ripald. disput. 17. sect. 8. Velent. supra, & Ruiz disput. 24. de Prouid. sect. 5. sufficiat nunc, quod profert ad rem Prosper lib. 2. de Vocat. gent. cap. 8. aliàs 2. dicens. *Vnicuique secundùm propriam virtutem, id est, secundùm propriam, & naturalem possibilitatem; non autem secundùm proprium meritum.* Alia autem plurima Scripturæ loca, quibus significatur, misericordiam diuinam subsequi ad nostra opera, aut illa quoquo modo præsupponere, aut expectare; de gratiâ subsequente intelliguntur, non ad merita soliùs arbitrij, sed ad merita procedentia ex priori gratiâ. De quo plura Ruiz supra, & disput. 27. sect. 6.

QVAESTIO IV.

Vtrùm ex parte predestinati concedi possit respectu totius prædestinationis aliquod meritum de congruo, vel aliqua dispositio moralis, vel aliqua impetratio prouenies ex viribus arbitrij ante omne donum gratiæ.

66 VOcamus hìc integram, siue totalem prædestinationem, quæ complectitur omnia dona gratiæ naturæ indebita vsque ad gloriam; quidquid sit de alijs donis naturalibus, quæ etiam inter effectus prædestinationis censeri solent, vt videbimus disput. 43. Nam tota præsens difficultas eò reuocatur, an ex parte solius arbitrij Prædestinati concedi possit aliquod meritum, seu dispositio ad dona gratiæ, & consequenter ad prædestinationem, qua ille mediis istis donis infallibiliter perducitur ad obtinendam gloriam. Idque, siue prædestinatio, præter decreta exequutiua mediorum, & finis, inuoluat alium ordinem decretorum intentiuorum, siue seeus, iuxta diuersas sententias asserentium, & negantium electionem Prædestinati ad gloriam ante præuisa merita à quibus modò est præcindendum.

67 Multi ex Theologis catholicis in hac re, saltem specie tenus, videntur minùs cautè accessisse ad hæresim semipelagianam. Quidam enim dicunt, actus virtutum elicitos solis naturæ viribus posse, & sufficienter disponere hominem ad gratiam iustificantem, eamque de congruo mereri. Ita Gabriel, Almai. Duran. Iauel. Ricardus, Pet. Bergom. Turrecrem. Camerar. & Caiet. Idem, censent plures Theologi, tenuisse S. Th. in sententiarijs., sed retractasse 1. 2. q. 109. art. 6. quanquam non desunt, qui omnino ab istâ sententiâ liberent S. Th. vt Vazq. & Thomas Elicius. Expressiùs ei ad hæsisse dicitur Scotus; tametsi & hic ab Angles, Vega vindicetur. Quos omnes apud Auctores infra dandos inuenies citatos. Secunda sententia est aliorum, qui dicunt, opera naturalia disponere ad iustificationem remotè, merendo videlicet de congruo auxilia gratiæ ad proximam dispositionem. Pro hac referuntur Driedo, Decanus, Enricus, Conradus, Clingius, Viguerius, Gerson, Guandus, Alensis, Bacho, Ocham, Argentina, Antonius Panthusa, Ricardus, Albertus, Palacios, Alexius Gomez, Michael Medina, Sotus, & alij. Tertia, & certa sententia reliquorum Theologorum est, nullum omnino meritum adhuc de congruo, aut positiuam dispositionem posse ex solis viribus naturæ ad iustificationem præcedere, eamve promereri proximè, vel remotè. Ita S. Th. 1. 2. disput. 109. art. 6. & ibi eius interpretes. Bellarm. lib. 6. de Gratiâ cap. 1. & seqq. Zumel 1. 2. q. 109. art. 3. & 6. Sot. de Natur. & grat. lib. 2. cap. 3. & 4. & in 4. dist. 14. q. 21. art. 5. Lorca disput. 11. & 50. de Gratia, Tiletanus Apologia in Trident. Valent. 1. p. q. 23. art. 4. disput. 1. punct. 4. Molina ibid. disput. 1. & in Concord. disp. 1. mem. 4. Vazq. 1. p. disput. 91. cap. 10. Lessius Opusc. de Auxil. cap. 10. Soar, lib. 2. de Prædest. cap. 7. & Proleg. 6. de Grat. & lib. 8. cap. 7. Turr. Opusc. 4. disput. 1. dub. 2. Herice disput. 26. Ruiz tom. de Prouid. disput. 17. & seqq. Ripalda tom. 1. de Ente supern. disput. 17. & apud eos alij plurimi. Quos, longum esset, recensere.

67 Suppono pro resolutione quæstionis, de conceptu meriti sumpti vniuersè esse, inducere aliquale ius, siue debitum, siue exigentiam in merente respectu præmij. Id enim manifestè consequitur ad naturam meriti, vt vel nomen ipsum meriti videtur præ se ferre, Quod ius condignitatis erit, si meritum fuerit condignum; congruitatis verò, & decentiæ, si meritum fuerit tantùm congruum. Porrò meritum condignum, siue de condigno vocatur, quod est æquale præmio, meritum verò congruum, siue de congruo, quod est præmio inæquale. Æqualitas autem meriti condigni cum præmio aut potest esse mathematica, siue rei ad rem; aut potest esse solùm proportionalis, siue proportionis ad proportionem. Prima reperitur, quando opus meritorium æqualem valorem, seu æstimabilitatem habet, ac habet præmium, comparatis his inter se absolutè; vti se habent merces operariorum, & eorum operæ. Secunda autem reperitur, quando, pensatâ qualitate præmiantis cum omnibus circunstantijs interuenientibus, æqualis est proportio præmij ad præmiantem, ac meriti ad merentem, ita, vt licèt premium secundùm se longè superet valorem, ac æstimabilitalem meriti; at iustè hìc & nunc à tali præmiante conferatur: quia maius nõ est præmianti, tale præmium conferre, quàm merenti, tale exhibere obsequium. Hoc pacto magnus Princeps in natali sobolis eximia præmia proponit, ac confert iustè pro exiguo obsequio. Hoc etiam pacto inquit S. Th. in 2. dist. 27. q. 1. art. dist. 3. in corp. *Secundùm æqualitatẽ proportionis ex condigno meremur vitam æternam. Attenditur enim æqualitas proportionis, quando æqualiter se habet hoc ad illud, sicut aliud ad alterum. Non autem maius est Deo, vitam æternam tribuere, quàm nobis actum virtutis exibabere; sed sicut hoc congruit huic, ita illud illi. Et ideo quædam proportionis æqualitas inuenitur inter Deum præmiantem, & hominem merentem.* Vtrùm autem condigna merita iustorum proportione tantùm, vi dicit S. Th. vel etiam mathematicè sint æqualia gloriæ, qua præmiantur, non est huius loci. Videatur Ripalda tom. 1. de Ente supern: disput. 15. sec. 3. & seqq. Id modò statuo, meritum congruum neutram earum æqualitatem attingere respectu præmij, atque adeò in eius remuneratione non posse non aliquam gratiam interuenire, quæ deest in compensatione meriti condigni. Ob id meritum condignum meritum iustitiæ; congruum verò meritum misericordiæ vocari solent.

Hinc

69 Hinc discrimen meriti ab impetratione, & satisfactione explicandum. Vazque 1. 2. disput. 216. cap. 4. Turriam. Opus. 8. disput. 6. dub. 6. & Pennotus lib. 8. cap. 19. non distingunt inter impetrationem, & meritum congruum. Soar. lib. 12. de Gratia cap. 34. num. 8. impetrationem soli orationi adscribit. Communis tamen sensus Catholicorum esse videtur, in quolibet opere meritorio reperiri meritum, impetrationem, & satisfactionem. Nonnulli autem satisfactionem non distingunt à merito, nisi exparte præmij, quod, inquiunt, respectu satisfactionis est remissio pœnæ; cùm tamen respectu meriti sit aliud quidquis. Fere est de nomine hæc dissensio. Dico tamen cum S. Th. 1. 2. quæst. 114. art. 9. ad 1. & 2. 2. quæst. 83. art. 15. & 16. & cum Soar. & Ripal. supra, impetrationem strictè sumptam soli orationi conuenire: oratio enim, vt est petitio, & obsecratio, peculiari modo mouet superiorem, vt conferat, quod petitur, distincto ab eo, quo mouent merita: quo peculiari motionis genere propriſſimè dicitur impetrare, quod petitur. Cum quo stat, vt cætera pia opera distincta ab oratione impetratoria etiam, tametsi minùs propriè, dicantur; quatenus motione suâ obtinent aliquid. Satisfactoria autem propriſſimè dicuntur opera; quatenus per illa vindicta quædam sumitur de peccato commisso, qua pro pœnâ ipsi debitâ satisfit: (modò enim non agimus de satisfactione pro culpâ). Quo fit, vt ad satisfaciendum pro pœna opus pœnale requiratur; vt cum communi docet Soar. tom. 4. in 3. p. disput. 37. sect. 6. Itaque quodlibet opus qua obsequiosum Deo est meritorium, qua flectens, & alliciens eius voluntatem, impetratorium, qua onerosum operanti, commissamque culpam vindicans satisfactorium. Quæ tria etiam conueniunt orationi: quia, præter peculiarem vim, quam habet impetrandi, etiam est obsequiosa Deo, & oranti onerosa. Quoniam verò meritum congruum specialiter respicit misericordiam Dei, in quo orationi magis assimilatur, specialiùs, & propriùs, quàm meritũ condignũ, solet vocari impetratoriũ.

70 Superest videndum, quomodò dispositio moralis distinguatur à merito. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 7. num. 29. & Herice disput. 26. cap. 2. num. 9. censent, dispositionem à merito congruo non distingui. Oppositum censent Thomistæ, qui dicunt, dispositionem ad gratiam illam non mereri adhuc de congruo. Ita Sot. lib. 2. de Natur. & gratiâ cap. 3. & 4. Med. 1. 2. q. 109. art. 6. conc. 4. Zumel q. 114. art. 5. disput. 3. conc. 3. Aluarez de Auxil. disput. 59. num. 10. Dicendum censeo cum Ripaldâ supra disput. 18. sect. 1. dispositionem distingui à merito. Primò, quòd meritum debet esse obsequium cedens in commodum, aut henorem alterius, non item dispositio, quæ tantùm est adaptatio quædã subiecti, ad aliquam formam, aut munus. Secundò, quòd meritum respicit præmium sibi, aut alteri conferendum; dispositio verò respicit munus dandum soli subiecto disposito. Tertiò quod dispositio negatiuè etiam dici solet; secus meritum: subiectum quippe non indispositum per aliquod impedimentum dispositum vocatur; subiectum verò non merens non dicitur merens vllo sensu. Quartò, meritum aliquod genus debiti, seu exigentiæ inducit respectu præmij; quod, non opus est, vt dispositio inducat respectu formæ, aut muneris. Etenim dispositio etiam positiua duplex est. Altera, quæ exigit formam, ad quam disponit vti in naturalibus dispositio vltima præuia ad generationem suapte naturâ exigit formam producendam. Altera, quæ non exigit formam, sed potius exigitur ab illâ, vti in artificialibus teneritudo ceræ non exigit formam sygilli, hæc tamen, vt aptè imprimatur exigit ceræ teneritudinem. Hoc ergo duplex genus dispositionis positiuæ potest etiam in moralibus excogitari, præter dispositionem negatiuam, quæ ad secundum genus reducitur. Dico ergo, dispositionem positiuam prioris generis nusquam sine merito congruo reperiri. Tum quia actus moralis, qui titulo adaptationis subiecti exigit formam vt sibi aliquo modo debitam, potiori iure exiget illam titulo honestatis, à qua procedit ea subiecti aptitudo, atque adeò titulo obsequij fundati in honestate ipsâ, qui est proprius tutulus meritorum. Tum maximè quia, vbi aliquod bonum quouis titulo est intra spheram exigentiæ alicuius actus honesti, nihil obstare potest, quominùs sub meritum talis actus possit vt præmium cadere. Solùm enim à ratiome præmij eximitur bonum, quod omnem transilit exigentiam actus, vti supernaturalia transiliunt exigentiam actuum naturalium. Vocemus igitur distinctionis gratiâ cum Recentioribus huiusmodi meritoriam dispositionem congruam congruitate intrinseca respectu formæ, ad quam disponit. Alteram verò, quæ nullo modo exigit formam, sed à formâ exigitur, congruam congruitate extrinseca vocare possumus: qualis est etiam negatiua dispositio consistens in negatione impedimenti, quod redderet minùs aptum subiectum, aut prorsus ineptum ad formam. His positis.

Propositio 1.

Per nullum meritum solis viribus arbitrij sine gratiâ Christi conceptum potest homo promereri, adhuc de congruo, donum gratiæ, siue sanctificantis, siue auxiliantis, & consequenter neque integram suam prædestinationem. 71

Ab hac propositione nemini iam Catholicorum fas est recedere. Probatur primò ex constanti Scripturæ, Conciliorum, Patrumque doctrinâ, asserentium, liberum arbitrium absque adiutorio gratiæ nihil facere posse, quod ad iustitiam, & salutem proficuum sit, quodve iustificationi, & saluti præbeat initium, exordium, conatum, motum, aut inchoationem. Constat enim, quodvis meritum, etiam de congruo, si daretur respectu gratiæ ex viribus arbitrij, & fore ad iustificationem, salutemque valde proficuum, & fore initium, exordium, atque conatum, quo homo proprijs viribus moueretur, aggrederetur, & inciperet negotium suæ iustificationis, salutisque, & æternæ vitæ.

Loca igitur Scripturæ, quæ assumptum pro- 72
probant, innumera propemodùm sunt. Sufficiant tamen pauca hæc, quæ sequuntur. Ioan. 15. *Sine me nihil poteſtis facere.* Psal. 55. *Pro nihilo salues facies illos.* 2. ad Corint. 3. *Non, quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est.* Ad Philip. 1. *Qui cepit in vobis opus bonum, perficiet vsque in diem Christi Iesu*, & cap. 2. *Deus est enim, qui operatur in vobis velle, & perficere pro bonâ voluntate.* Psal.

Psal.58. *Misericordia eius præueniet me*. Sap.6. *Præoccupat, qui se concupiscunt*. Isaię 63. *Inuentus sum à non quærentibus me*. Ioan.15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos*. Mitto cætera; quorum nonnulla in decursu tangam.

73 Accedant deffinitiones Pontificum,& Conciliorum. Innocentius in epistola ad Concilium Cartaginensem, & in epistola ad Concilium Mileuitanum, quæ sunt apud August.91. & 93. definit. *Cùm in omnibus diuinis paginis voluntati liberæ non,nisi adiutorium Dei, legamus, esse nectendum: eamque nihil posse cœlestibus auxilys destitutam*. Celestinus epist.1.cap.12. ait. *Non dubitemus ab ipsius gratiâ omnia hominis merita præueniri*. Statuerat autem cap.8. *In bonis quibusque voluntatis humanæ singulis motibus magis Dei, quàm arbitrij auxilium valere*. Concilium in Palestina coactum contra Pelagium decreuit, teste Augustepist.106. *Gratiam Dei, & adiutorium, etiam ad singulos actus dari; eamque non dari secundùm merita nostra, sed per eius misericordiam, qui dixit. Miserebor,cuius misertus ero,&c.* Concilium Arausic.2. coactum in Gallia iusu Leonis I. contra Semipelagianos definit can.3. *Si quis, ad inuocationem humanam gratiam Dei, dicit, posse conferri; non autem ipsam gratiam facere, vt inuocetur à nobis, contradicit Isaiæ, &c.* Et Can.4. *Si quis, vt à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare, contendit, non autem, vt etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri, confitetur; resistit ipsi Spiritui sancto*. Et Can.5. *Si quis, sicut augmentum, ita etiam initium fidei, ipsum credulitatis affectum, quo, &c. non per gratiæ donum,&c. sed naturaliter nobis inesse, dicit, Apostolici dogmatibus aduersarius approbatur*. Et can.6. *Si quis, sine gratiâ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis misericordiam, dicit, conferri: non autem diuinitùs, vt credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus,per infusionem, & inspirationem sancti Spiritus in nobis fieri, confitetur. Aut humilitati, aut obedientiæ humanæ subiungit gratiæ adiutorium; nec,vt obedientes, & humiles simus, ipsius gratiæ donum esse,consentit, resistit Apostolo dicenti. Quid habes, quod non accepisti?* Et can.7. *Si quis, per naturæ vigorem bonum aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, vt expedit, aut eligere; siue salutari, id est, Euangelicæ prædicationi consentire posse, confirmat, absque illuminatione, & inspiratione Spiritus sancti, &c. hæretico fallitur spiritu*. Et can.17. *dicit,nobis infundi charitatem nullis meritis gratiam præuenientibus*. Et can.25. post medium. *Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod in omni opere bono non nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adiuuamur: sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis, & fidem, & amorem sui priùs inspirat*. Multaque similia pronunciat in alijs canonibus. Concilium Trid. sess.6. cap.5. ait, *Declarat præterea* (sancta Synodus) *ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum, præueniente gratiâ sumendum esse, hoc est, ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur; vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque iuuantem gratiam ad conuertendum se ad suam ipsorum iustificationem eidem gratiæ liberè assentiendo, & cooperando disponantur: ita, vt, tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens; quippe qui illam & abijcere potest; neque tamen sine gratiâ Dei mouere se ad iustitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit*. Et cap.6. *Disponuntur autem ad iustitiam, dum excitati diuinâ gratiâ, &c.* Et cap.16. *Cùm enim ille ipse Christus Iesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites in ipsos iustificatos iugiter virtutem influat: quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur; & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possent*. Et can.3. *Si quis dixerit, sine præueniente Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit*. Tandem Concilium Moguntinum cap.5.sic decernit. *Homines nondum adiuti gratiâ Dei ea, quæ sunt Spiritus, & ad salutem conferunt, non agnoscere, nedum appetere queunt*. Et cap. 7. *Iustificationis initium ex Dei gratiâ prouenire, qua ante omne meritum excitati, & adiuti, & eidem gratiæ excitanti, & adiuuanti consentientes, & cooperantes ad iustificationem disponuntur*.

Consentiunt eidem sententiæ plurimi Patres; 74
præsertim Cyprianus, Ambrosius, Hieronimus, Augustinus, Prosper, Fulgentius, Anselmus, Gregorius. Quorum prope innumera testimonia, eaque expressissima longum esset nunc recensere. Videantur apud præcitatos Doctores, præsertim apud Soar. Ruiz, & Ripalda.

Secundò probatur propositio; quia, si ali- 74
quod genus meriti ex solis viribus arbitrij gratiam præcederet, iam gratia non esset gratia, vt arguit Paulus ad Rom.11. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salue factæ sunt. Si autem gratia iam non ex operibus; alioquin gratia iam non est gratia*. Vnde August.de Prædest.Sanct. cap.1.ait. *Dei gratia omnino nulla est, si secundùm merita nostra datur*. Et cap. 2. *Quæ vtique non est gratia, si eam vlla merita præcedunt*. Similem sententiam repetit passim, & cum eo Prosper, Fulgentius, Isidorus, Anselmus, Gregorius, Bernardus. Quorum testimonia refert Soar.lib.2.de Prædest. cap 6. num.29. Consentit S.Thom. 1. 2. quæst.114. art.5. in corpore. Imo Concilium Paiest. apud August. epist.106. definit, *Gratiam non secundùm merita nostra dari, vt vera sit gratia*. Et Trid. sess 6. cap.8. ait. *Si enim gratia est, iam non ex operibus; alioquin, vt idem Apostolus inquit, gratia iam non est gratia*. Qua etiam de causâ Concilia commemorata, vt vidimus, vnanimiter detestantur omnia omnino naturæ merita antecedentia dona gratiæ.

Respondent Vega lib.8. in Trid.cap.5.& alii, 75
sola merita de condigno excludere rationem gratiæ, non item merita de congruo. Ob id Concilia, & Patres decretis supra dictis tantùm explodere merita de condigno solius arbitrij, secus merita de congruo. Quod confirmari potest primò; quia donum perseuerantiæ gratis datum asseritur à Patribus quanuis interdum merito de congruo impetretur. Secundò; quia Trid.sess. 6. cap.8. ait. *Gratis autem iustificari ideo dicimur: quia nihil eorum, quæ iustificationem præcedunt, siue fides, siue opera, ipsam iustificationis gratiam promeretur. Si enim gratia est, &c.* vt supra. Ex quo sic. Concilium tantùm excludit ex mente Apostoli meritum de condigno tanquam oppositum gratiæ iustificationis; quia de congruo, certum est, fidem iustificationem mereri, vt concedit August. epist.106. & probat Soar. tom.7.de

Gratiâ lib.12. cap.32. Ruiz tom.de Prouid.disp. 19. sect.4. Igitur meritum de congruo non est oppositum conceptui gratiæ. Tertiò; quia,quòd donum conferatur ad petitionem donatarij,non tollit rationem propriæ donationis, vt pluribus probat Molin. tract.2. de Iust. disput. 208. 238. 243. 244. & alijs in locis. Quo spectans Soar.lib. 2. de Prædest. cap.6.num.24. dixit, impetrationem non tollere rationem gratiæ: quia petitio non inducit debitum. Ergo idem dicendum erit de quolibet merito merè congruo; quale etiam fert secum impetratio, aut petitio.

77 Nihilominùs doctrinâ Andreæ de Vegâ, & aliorum ferenda nullo modo est. Primò; quia Concilia, & Patres, atque etiam Apostolus vniuersaliter loquuntur; nullaque merita, permittunt, anteuertere dona gratiæ. Ergo non est eorum sententia restringenda ad sola merita de condigno. Secundò; quia Semipelagiani, contra quos Patres, & Concilia decernunt, tantùm volebant vt fides adiungeretur nostris conatibus; ratioque electionis vnius præ alio *non in incertum voluntatis Dei deduceretur, sed in qualecunque initium nostræ vnluntatis*, vt refert Hilar. in epist. ad August. Vel, vt refert Prosper, *Ideo accipiat, ideo inueniat, ideo introeat; quia petendo, quærendo, pulsando bono naturæ benè vsus est*. Ad quæ munera satis, superquerat illis meritum congruum ex arbitrio. Igitur Patres, & Concilia, dum eorum errorem reijciunt, meritum etiam de congruo citra dubium reijciunt. Tertiò; id meritum reijciunt Concilia, & Patres ab operibus solius arbitrij, quod non negant eisdem operibus factis etiam à peccatore, si proueniant ex auxilio gratiæ, vt planè constat ex Augustino cap.2. de Prædest.Sanct. & ex Prospero cap.6. contra Collatorem. Sed meritum operum peccatoris, etiam ex gratiâ factum, tantùm est de congruo,vt catholicè sentiendum est. Ergo etiam meritum de congruo operum ex naturâ arbitrij nascentium damnant Concilia, & Patres respectu gratiæ. Quartò; SemiPelagiani non arbitrabantur, sua illa qualiacunque initia orta ex arbitrio merita esse de condigno respectu gratiæ, sed tantùm merita de congruo, vt supra num.60. statuimus ex magis communi sententiâ. Ergo Concilia, & Patres damnantes eiusmodi initia vt gratiæ opposita, planè censent, esse illi opposita merita quæuis,etiam de congruo. Quintò; Patres, qui cum Semipelagianis decertarunt, vt Augustinus, Fulgentius, Prosper, imo & Concilia ipsa ijs loquendi modis vtuntur, quibus omni omnino quantulocunque merito congruo orto ex arbitrio contradicunt. Dicunt enim, naturam ante gratiam nihil habere, quod muneribus compensetur, sed solùm,quod supplicijs castigetur. Quo sensu Araus.2. can.22. dixit, *Nemo habet de suo nisi mendacium, & peccatum*. Dicunt, nihil boni hominem posse sine Deo. Vnde idem Concilium can.20. *Nulla verò facit homo bona, quæ non Deus præstet, vt faciat homo*. Dicunt, gratiam dari homini, vt benè agat; non quia benè aliquid egit; & alia in huc modum.

Ad primum ergo argumentum, quod op-
78 ponebatur, respondeo, quæcunque dona fundantur in meritis prouenientibus à gratiâ, gratis donari in phrasi receptissimâ à Patribus. Quia sunt gratia pro gratiâ; qualia non essent, si niterentur in meritis arbitrij. Vnde vita æterna gratia appellata est ab Apostolo ad Roman.6. & à Trid. sess.6. cap.16. Quo etiam sensu perseuerantia gratia dicitur, etsi detur intuitu meriti de congruo.

Ad secundum respondeo, intentionē Conci- 79
lij in citatâ clausulâ esse excludere merita arbitrij, quam Semipelagiani ponebant in fide, & in alijs operibus respectu gratiæ iustificationis. Vnde per *gratiam iustificationis* id ipsum intelligit Concilium, quod Semipelagiani adiungebant conatibus arbitrij; siue id fuerit sola forma iustificans; siue alia insuper auxilia gratiæ, quæ ad eius acquisitionem præcedunt. Per fidem autem, & alia opera præcedentia iustificationem aut possunt intelligi ea fides, & opera elicita viribus arbitrij, quæ Semipelagiani adstruebant: aut possunt intelligi fides, & opera supernaturalia prouenientia ab auxilio gratiæ, quæ reuerà præeunt saltem prioritate naturæ formalem iustificationem. Si primum: facillimus est sensus Concilij; cùm certum sit, fidem, & opera naturalia facta absque auxilio gratiæ, prout à Reliquijs Pelagianorum adstruebantur, nullo modo promereri iustificationis gratiam, quidquid per iustificationis gratiam intelligatur. Si autem dicatur secundum: etiam est planus sensus Concilij; nempe, ideo nos gratis iustificari; quia licet fides, & opera iustificationem præcedentia de congruo promereantur ipsam iustificationem formalem, gratiam tamen iustificationis non promerentur; quia gratia iustificationis inuoluit, præter formam iustificantem, integram seriem donorum supernaturalium, quibus forma ipsa iustificans comparatur, incipiendo ab auxilio primo. Hanc autem seriem adæquatè, compertum est, sub meritum fidei, aliorumque operum non cadere saltem defectu auxilij primi, quod iam supponitur collatum omnino gratis; quodque subindè adeò propriè, & strictè est gratia, vt ratione eius tota subsequens donorum series gratia iustificationis dicatur simpliciter, & absolutè; qualis dici non posset, si primùm auxilium, sub aliquod meritum caderet, vt Cineres Pelagij intendebant. Videatur Vazq. 1.2. disput.218. à num.43. & Soar. lib.2- de Præsciet. cap.6. a num. 50. vbi alias insuper expositiones clausulæ Concilij adiungunt.

Ad tertiū respondeo, hoc nomen *gratia* bifa- 79
riâ sumi cum proprietate. Latè videlicet, & strictè. Latè dicitur gratia, quidquid non debetur ex iustitiâ. Quo pacto meritum congruum, petitio, & alij tituli se habētes ex parte donatarij, cui gratiâ fit, nec gratiæ, nec donationi opponuntur. Et hoc sensu loquuntur Molina, & Soar. locis citatis. Iuxta quem dona etiam naturalia gratia dicuntur, tametsi iure creationis debita sint. In qua acceptione fraudulenter vsurpauit gratiam Pelagius, vt Patres Concilij Palestini deciperet, teste August. epist.105. & in libris de Gratiâ Christi, & sæpe alibi. Strictè verò sumitur gratia pro dono omnino liberaliter collato absque vllo titulo id exigente quouis modo ex parte donatarij. Quæ est acceptio gratiæ Theologica, atque dogmatica, qua vtitur Scriptura diuina, quamque contra Pelagium, & eius Cineres semper vsurpati sunt Concilia, & Patres, vt satis ex superiùs dictis apparet. Et huic gratiæ prorsus gratuitæ non solùm meritum de congruo, sed quæuis omnino exigentia siue innata, siue elicita ex parte donatarij aduersatur. Quo iure bona naturæ debita non sunt gratia in hoc sensu. Dona etiam ad petitionem donatarij collata rationem gratiæ strictæ amittunt, vt diserte docet Soar. cap.illo 6. cita-

citato num.41. quod etiam tradit Ripalda disput. 19. sect.2. num.9. & Ruiz disp.18. de Prou. sect. 3. quia petitio multum detrahit de perfectione liberalitatis, ac proinde de perfectione gratiæ Theologicę, quam Patres ex Scripturis adstruunt. Vnde & vulgo solet dici care emi, quod petitur. De quo vide dicenda infra num.108. Addit tamen Soar. & cum eo Vazq.1.par.disput.92.num. 124. estò petitio inter homines non obstet strictissimæ gratiæ; quia homo ex petitione aut nullum recipit obsequium, aut ad illud non attendit; respectu verò Dei obstat; quia oratio Deo facta rationem habet cultus & obsequij; atque adeò etiam cuiusdam meriti de congruo, quatenus est recognitio quædam humilis diuinæ potestatis, ac superioritatis, propriæque inferioritatis, & indigentiæ iuxta illud Psal. 49. *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.*

81 Pergo, & probo propositionem tertiò ab exemplo Christi, qui est nostræ sanctitatis, atque etiam prædestinationis exemplar. Certum est enim, excelsam illam humanitatem nullo prorsus opere ex proprijs viribus elicito meruisse vniri Verbo hypostaticè, aut ad talem vnionem prædestinari, vt cum August. lib.13. de Trinit. cap.17. & lib. de Corrept. & grat. cap.11.& de Prædest.Sanct.cap.15. & de Dono perseu. cap. vlt. & sæpe alibi tradunt Theologi cum Mag. in 3. dist.6. & cum S.Thom. ad 3. par. Ergo nec nos per opera arbitrij mereri possumus ad gratiam adoptionis, & gloriam euehi, aut ad illam prædestinari. Quo argumento vtuntur August. locis citatis, & Fulgent. lib. de Incarnat. & grat. cap.19.

82 Quartò. *Quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis iustificationis, sine qua impossibile est, placere Deo,* vt decernit Trid. sess.6.c.8. Ergo ante fidem nullum præcedit meritum, quod sit salutis, & iustificationis inchoatio. Sed sine præueniente auxilio gratię nemo potest credere, sicut oportet, vt idem Trid. definit eâdem sess.6.can.3. supra citato. Ergo sine præueniente gratiâ nullum haberi potest meritum, quod sit initium, aut inchoatio salutis.

83 Quintò. Deus non elegit nos in Christo ante Mundi constitutionem, quia futuri eramus sancti, sed vt *essemus sancti*, iuxta Paulum ad Eph.1. vt sæpe ex hoc loco ratiocinatur Augustinus, & alij Patres, prout dicebamus quæst.1. num.5. Rursus. *Misericordiam consequutus sum, vt fidelis essem*, ait Paulus 1. ad Timot. 1. vt legit Concilium Arausi.2.can.25. prope medium, subdens, *Non dixit, quia fidelis eram, sed vt essem.* Ergo ex parte arbitrij nulla omnino merita aut fidei, aut boni operis præcedit misericordiam Dei donantis nobis dona gratiæ, ad illamve eligentis.

84 Sexto. Si aliquod esset ex arbitrio initium iustificationis, iam à se haberet homo, quo se ab alijs discerneret: haberet etiam aliquid, in quo posset gloriari, quasi non acceperit, contra Paulus 1. ad Corint.4. *Quis enim te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti, quid gloriaris, quasi non accepisti?* Quo loco sæpe vrgent Semipelagianos Concilia, & Patres. Rursus non sorte obtigisset homini gratia Dei, contra illud ad Eph.1. *In quo nos sorte vocati sumus.* Et ad Colos 1. *Qui dignos nos fecit in partem sortis Sanctorum in Lumine.*

85 Septimò. Ecclesia perenni consuetudine, vt Patres testantur, & vsus docet, & ex Apostolo colligitur 2. ad Thesal.3. & 1. ad Timot.2. orat pro infidelibus, vt fidem, ac iustificationem recipiant. Quorum plerique ita sunt deprauati, vt nulla præhabeant bona opera orta ex arbitrij viribus, quibus iustificationis initium attribui possit. Ergo supponit Ecclesia, eos absque vllo huiusce modi initio arbitrij per meram, atque gratuitam misericordiam Dei conuertendos esse. Quod argumentum sæpe ad rem vrgent Patres contra Pelagium, eiusque Cineres.

Octauò. Apostolus ad Rom.1.& 6. ad Eph. 86
1. 1. ad Thesal.2. & 2. ad Corint.2. scribens ad fideles, gratias Deo agit pro fide ab illis receptâ: ipsis verò, quòd eam receperint, gratias non agit. Ergo supponit, nihil ex proprijs, solisque viribus ad eam contulisse, sed totum esse donum gratiæ, ac liberalitatis Dei. Quo etiam argumento vtuntur Patris satis frequenter contra Semipelagianos.

Nonò. Præsumptio est sæpe in sacris Litte- 87
ris damnata, confidere hominem in suis viribus circa ea, quæ pertinent ad suam iustitiam, & salutem. Ergo ne minimum quidem initium potest homo ex proprijs viribus ad illam præbere. Asumptum constat ex Prou.3. *Habe fiduciam in Domino ex toto corde tuo, & ne initaris prudentiæ tuæ.* & cap.12. *Qui bonus est, hauriet gratiam à Domino: qui autem confidit in cogitationibus suis, impiè agit.* ad Philip.3. *Qui spiritu seruimus Deo, & gloriamur in Christo Iesu: non in carne fiduciam habentes.* Vnde Trid.sess.6. cap.vlt. prope finem ait. *Abfit autem, vt Christianus homo in se ipso vel confidat, vel glorietur, & non in Domino.*

Decimò. Præuenientis, & adiuuantis gra- 88
tiæ necessitatem, vel ipsâ experientiâ deprehendunt in se, & in alijs Magistri rerum spiritualium. Mirum est enim, quam varijs modis homo interiùs se sentiat affectum vel circa idem pro diuersis temporibus, vel circa diuersa pro eodem. Modò enim, perspectâ etiam malitia peccati, atque damnationis periculo, vires non habet ad se continendum, & tentationi succumbit. Modò eximiâ suauitate, & facilitate se sistit, nec cedit tentationi, quantumuis validæ. Modò eidem cum graui quidem dolore, sed cum fortitudine magnâ resistit. Modò veluti in medio quodam statu fluctuat, nec planè assentiendo tentationi, nec planè ab illâ se expediendo. Sæpe se promptum ad difficiliora experitur, dum se simul pigrum, & inertem sentit ad faciliora. Quæ omnia necessitatem, quam habemus diuinæ gratiæ ad malum vitandum, & bonum amplectendum, ostendunt.

Denique ratio à priori doctrinæ stabilitæ est. 89
Quia merita solius naturæ omnino sunt improportionata respectu præmij supernaturalis, quale est donum gratiæ, nec possunt vllatenus illud attingere, non solùm de condigno, sed nec de congruo; cùm sint intra ordinem rerum longè diuersi generis. Ob id, vbi Patres incidunt in præmium operum naturalium, in bona tantum temporalia huius vitæ referunt. Legatur Prosper lib.1. de Vocat.gent. cap.2. & 7. & lib. de Ingratis cap. 39. & 41. Itaque de conceptu meriti est aliquale ius ferre secum, seu exigentiam respectu præmij, ad quod comparatur, vt quæst.1. dictum est. Repugnat autem opus solius naturæ, quantumuis illud honestum sit, inducere ius aliquod, seu exigentiam respectu rei

supernaturalis. Quia, cùm hæc ex proprio conceptu sit supra omne debitum, omnemque exigentiam naturæ: æquè repugnat, naturam habere ius aliquod ad illam elicitum, siue morale, ac repugnat, habere innatum, siue connaturale: elicitum enim nequit sine innato saltem mediato consistere. Haberet autem elicitum, si aliquod opus solis naturæ viribus perpetratum rei supernaturalis meritum esset.

Scire tamen oportet, duas esse inter Theo-
90 logos sententias celebres circa necessitatem gratiæ ad benè operandum. Alteram defendit acerrimè Vazq. 1. par. disput. 21. & 1.2. disput. 190. & cum eo alij dicentes, nullum omnino opus moraliter bonum, quantumuis merè naturale, sine gratiâ datâ per Christum effici posse. Atque adeò omne opus bonum moraliter, quantumuis naturale, meritorium esse de congruo donorum gratiæ, atque adeò conducens ex se ad iustificationem, & salutem. Vnde consequenter affirmant, totam controuersiam Patrum cum Semipelagianis eò reuocari, an aliquod bonum opus morale ex solis viribus arbitrij possit procedere. Dato enim, quòd posset, mox sequeretur, humanum arbitrium sine gratiâ initium iustificationis, atque adeò causam prædestinationis præbere posse. Quod est Semipelagianismum damnatum. Altera verò sententia longè communior, & mihi verior, in qua subinde deinceps procedendum est, quamque non minùs acriter tuetur Soar. lib. 2. de Prædest. à cap. 10. & latiùs tom. 1. de Grat. & cum eo alij plurimi, est, hominem absque auxilio gratiæ datæ per Christum aliqua opera moraliter honesta ordinis merè naturalis facerè posse. Huiusmodi verò opera nullatenus esse meritoria adhuc de congruo donorum gratiæ propter improportionem, quam habent cum illis, vt num. præced. dicebam. Vnde asserores huius sententiæ constanter affirmant, gratiam de qua Concilia, & Patres loquuntur contra Pelagium, & eius Cineres, donum esse Dei supernaturale omnem ordinem naturæ transcendens; sine quo voluntas humana, etsi aliquid boni possit agere, nihil tamen agere potest, quod sit proficuum, aut salutare, conducensve per se ad salutem, & vitam æteruam. Ob idque Pelagium, ac Semipelagianos damnatos esse, quòd absque huiusmodi dono dicebant, posse arbitrium aliquid agere, sicut oportet, ad obtinendam iustitiam, & vitam æternam: non quòd dicebant, aliquod opus bonum moraliter viribus solius arbitrij effici posse. Itaque, quidquid sit de controuersiâ istâ Theologicâ, de qua in Tractatu de Gratiâ. Illud est dogma contra Semipelagianos statutum. Arbitrium humanum nihil omnino sine gratiâ Christi facere posse, *sicut oportet, quod ad salutem vitæ æternæ pertineat*; quibus particulis, aut similibus Concilia, & Patres vti solent. Quod autem per dogma istud meritum etiam congruum primi auxilij gratiæ excludatur ortum ex viribus arbitrij, satis superque hactenus ostensum est.

91 Quòd si primum auxilium gratiæ, à quo exorditur tota series effectuum prædestinationis, de quibus nunc agimus, ex merito arbitrij esse non potest, conficitur planè, neque posse ex parte nostrâ esse causam aliquo modo meritoriam totius prædestinationis; siue integra prædestinatio sumatur pro cumulo omnium effectuum eius, siue etiam pro actibus diuinis, in quibus ea consistit. In quo articulo etiam errarunt Massilienses, vt quæst. 3. notauimus. Quibus ex Catholicis supra relatis nonnulli videntur accessisse, vt Baco, Iauelus, Argentina, & Michael Medina. Quamquam autem quoad hoc Concilia expressè non damnent Semipelagianos; virtute tamen damnant apertè, quoties decernunt, nullum ex parte nostrâ dari meritum gratiæ Dei. Sublato enim merito omnis gratiæ, necessariò tollitur meritum totius prædestinationis, quæ, quouis modo accipiatur, donum omnino gratuitum est; vt contra Semipelagianos ex instituto demonstrant Augustinus, Fulgentius, & Prosper varijs in locis suorum operum ex diuinis Scripturis, præsertim ex illo ad Rom. 11. *Reliquiæ secundùm electionem gratiæ salua factæ sunt*. Adde, nonnullos ex Auctoribus Catholicis, qui aliquod genus meriti, aut dispositionis admittunt ex parte arbitrij ad dona gratiæ; negare nihilominùs causam integræ prædestinationis. Quia censent, eiusmodi meritum, aut dispositionem inter effectus prædestinationis debere computari. Ita Durand. Ricard. Scot. Driedo, & alij. Quod qua ratione possit esse verum, ex dicendis disput. 43. constabit.

Propositio 2.

Homo solis arbitrij viribus nequit 92
ad dona gratiæ disponi; & consequenter nec toti suæ prædestinationi causam præbere per aliquam positiuam dispositionem, quæ congrua sit congruitate intrinsecà.

Hæc propositio ex doctrinâ præcedentis est manifesta. Nam, vt statuimus supra num. 70. dispositio congrua congruitate intrinsecâ respectu gratiæ non potest non illam mereri saltem de congruo. Constat autem ex doctrinâ propositionis præcedentis meritum congruum respectu gratiæ ex viribus solius abitrij haberi non posse. Adde, dispositionem congruitate intrinsecâ congruam ex proprio etiam dispositionis conceptu præciso à conceptu meriti repugnare conceptui gratiæ ratione exigentiæ, & iuris, quod habet ad illam; quod satis est, vt nequeat præcedere dona omnia gratiæ iuxta argumentum secundum factum pro præcedente propositione.

Obijciunt tamen aliqua Doctores Catholi- 93
ci contra doctrinam huius, & præcedentis propositionis. Primò Durand. Natura suis viribus præparat materiam ad animam rationalem infundendam à solo Deo. Ergo poterit suis viribus præparare animam ad gratiam; licèt hæc à solo Deo infundenda sit. Nego consequentiam. Quia anima rationalis est forma naturalis, cuius exigentia non repugnat naturæ. Secus gratia. Sed estò possibile esset, vt natura se ad gratiam disponeret dispositione eam exigente; defacto fas non esset talem dispositionem admittere ob argumenta supra facta.

Secundò obijcitur. Attritio vndequaque 94
naturalis est dispositio sufficiens ad sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, atque adeò ad recipiendam gratiam etiam iustificantem per sacramentum conferendam: cuius impetratoria est attritio intra sacramentum, vt habetur in Trid. sess. 14. cap. 4. Ergo actus à solo arbitrio procedens potest disponere ad gratiam, & illam impetrare. Concedunt antecedens Sot. Can. Vict. & Vega cum

cum alijs Thomistis apud Soar.lib.2. de Prædestin. cap.7.num.11.& tom.4.in 3.par.disput.2.sect.2.& disput.8.sect.6. Et apud Ripald. disput.17.sect.9. Et negant consequentiam. Quia sacramenta sunt priuilegiata. Sed hæc doctrina non videtur tuta: quia Triden. supra de attritione disponenti ad iustificationem definit, fieri ex dono, & auxilio Spiritus sancti. Sine quo nullus actus potest esse idonea dispositio ad iustificationem, vt satis ex argumentis supra factis est notum. Quare negandum est antecedens huius: de quo plura Soar.locis citatis.

95 Tertiò obijcitur. Actus supernaturalis potest mereri de congruo vnionem hypostaticam. Ergo actus merè naturalis poterit mereri auxilium gratiæ; vtpote quod minus excedit quoad valorem actum naturalem, quàm vnio supernaturalem. Nego consequentiam. Quia vnio hypostatica non transcendit exigentiam actus supernaturalis, quantumuis eum superet in valore: quia pertinet ad eumdem ordinem supernaturalitatis cum illo. Auxilium verò supernaturale supra exigentiam est actus naturalis; etsi eum non ita superet in valore: ob idque sub meritum eius cadere nequit. Sed estò posset absolutè: de facto, seu iuxta præsentem prouidentiam non posset. Cùm constet ex Ecclesiæ definitione, actus à solâ naturâ manantes non promereri donum gratiæ.

96 Quartò obijcitur commune illud, & receptissimum Theologorum axioma. *Facienti, quod in se est, Deus non denegat gratiam.* Ex quo videtur inferri conatibus naturalibus solius arbitrij gratiam adiungi. Variæ sunt exiomatis expositiones. Prima asserentium, facienti, quod in se est, viribus naturæ, conferri gratiam tanquam merenti illam de congruo, aut se disponenti ad illam proximè, vel remotè. Horum plures citauimus num.67.pro primâ, & secundâ sententiâ. Eorum tamen doctrinâ in superioribus reiecta est. Secunda expositio est aliorum, qui dicunt, facienti, quod in se est, viribus naturæ adiungi gratiam ob opus factum, non tanquam ob meritum, aut dispositionem; cui gratia aliquo modo debita sit, sed tanquam ob conditionem, cui ex lege Dei est alligata. Hos etiam reijciemus propositione 4. Tertia expositio est Soar. lib.3. de Auxil. cap.2.à num.6.& lib.2.de Prædestin.cap.18. & aliorum apud Ripald. disput. 20. num.2. qui etiam intelligunt dictum exioma de faciente, quod in se est, viribus naturæ. Non quia opera naturæ quidquam conferant positiuè ad obtinendam gratiam; sed quia negatiuè conferre possunt, impediendo scilicet peccata, quæ obstare possent gratiæ. Huic expositioni consentit Ruiz disput.22. de Prouiden. sect.3. Addens, facere, quod in se est, per vires naturæ, prodesse etiam ad obtinendam gratiam tanquam causa per accidens, & occasio, non data ab homine, sed à Deo accepta, iuxta dicenda propos.6. Quarta expositio est Vazq.1.par.disput.91.cap.10. & aliorum explicantium exioma de faciente, quod in se est, ex auxilio gratiæ præuenientis; cui ob id confert Deus vlteriora, & copiosiora auxilia. Quinta expositio est Herice disput.27.cap.5. aientis, facientem, quod in se est, viribus naturæ physicè manere magis dispositum, seu aptum ad dona gratiæ, quàm non facientem: æquè, ac homo physicè aptior est ad ea dona, quàm brutum, & habens bonam indolem, quàm habens prauam. Deum autem statuisse lege infallibili vel pro suo beneplacito, vel ob eam physicam aptitudinem, conferre gratiam facienti, quod in se est: quod longè abest à Semipelagianismo, nec quidquam detrahit rationi gratiæ. Sexta denique expositio est Ripald. dictâ disput.20. per totam, dicentis, quoties homo agit iuxta id, quod sibi datum est, vt actum virtutis moralis eliciat, Deum ex infallibili lege adesse illi per præuium auxilium supernaturale, vt salutariter operetur, vel eliciendo simul cum actu naturali actum supernaturalem eiusdem motiui, vel mouendo se ad actum naturalem per supernaturale auxilium, quod satis erit, vt ille euadat meritorius. In quam sententiam adducit Molinam. Modò explicationes istas examinare non oportet, remitto examen ad Tractatum de Gratiâ. Sat sit sciuisse, quot modis exioma propositum in sensu omnino tuto in fide possit exponi. Ex quibus patet, quo pacto Infideles etiam, qui non audierunt Euangelium, faciendo, quod in se est, possint ad salutem venire. De quo plura Ripalda disput. citatâ.

Restat nunc, vt videamus qua censurâ 97
digna sit sententia, quæ meritum aliquod, seu dispositionem meritoriam ortam ex viribus solius arbitrij præmittit ante dona gratiæ. Eam liberant à censurâ erroris Semipelagiani, qui censent, Semipelagianos meritum de condigno respectu gratiæ tribuisse viribus arbitrij, Conciliaque, & Patres subinde hoc solum meritum detestasse; ita Franc.Turr.Vega, & Coninc. citati quæst.præceden. num.59. Quàm verò sit falsum fundamentum, quo Doctores isti nituntur, satis, superque supra monstratum est. Consentit Lessius cap. 10. de Efficaciâ gratiæ num. 29. volens, Massilienses solùm damnatos, quod proximam dispositionem ad iustificationem ex viribus arbitrij posuerint; contra quod non est, admittere meritum congruum remotè impetrans auxilia gratiæ præuia ad iustificationem. Sed hoc etiam falsum esse, ex dictis in hac, & præced. quæst. constat. Propterea sententiam dictam grauibus censuris notant Doctores relati num.67.pro tertiâ sententiâ. Zumel ait, vt minimùm esse erroneam. Sotus, & Lorca, malè apud Scholasticos audientem. Bellarmin. Molin. Vazq. & alij Pelagianam. Tyletanus, in Trident.damnatam; quibus subscribit Ripalda asserens, esse contra Concilia,& Patres.Soar. lib.2.de Prædestin.cap.7.num.21. de sententiâ asserente ex viribus arbitrij dispositionem proximam ad iustificationem ait, eam ab errore Pelagianorum, nedum Semipelagianorum, defendi non posse. Dixerat autem cap.6.num.47. sententiam ponentem meritum congruum ante primum auxilium gratiæ, etsi non sit aperta hæresis; quia non est prorsus certum,Concilia excludere plùs,quàm merita de condigno, esse tamen doctrinam vitandam,vtpote iam offendentem multorum aures.

Sed quid dicendum de tot, tamque gra- 98
uibus antiquis Doctoribus, qui supradictam sententiam sequuti sunt. Dico eos varijs modis à recentioribus excusari. Tametsi Soto, Lorca, & alij, illos in Semipelagianismum incidisse pronuncient. Nonnulli,vt Ruiz disput.21.de Prouiden.& alij dicunt, admittentes dispositionem ad gratiam ex viribus arbitrij de dispositione negatiuâ, aut per accidens occasionali posse piè exponi iuxta doctrinam tradendam infra propos.6. Qui verò dicunt, per sua naturalia posse hominem ad iustificationem disponi, eos interpretatur Ripalda

supra

supra num.60. de actibus à gratiâ procedentibus circa motiua naturalia occurrentia iuxta ordinariam seriem causarum. Qui verò expressè ponunt meritum congruum ex arbitrio respectu gratiæ, vt sunt Duran. Gab. Scot. Beagom. & Almay. eos etiam interpretatur Ruiz de merito impropriè, & negatiuè sumpto, pro defectu scilicet demeriti. Ripalda verò, omnes vniuersaliter, censet, probabiliter exponi posse demerito, seu dispositione non exigente gratiam, sed extrinsecè terminante exigentiam eius; quam dispositionem supra num.70. extrinsecè tantùm congruam cum eodem Ripaldà appellauimus, eodemque modo appellat ipse meritum, sed valde impropriè: quia meritum nullo modo dicitur, quod aliquo modo non exigit præmium, etsi dicatur dispositio, quæ nullo modo exigit formam, sed ab illâ exigitur. Alij denique antiquiores excusant, quòd non aliter, quàm ex gratuitâ lege Dei, censuerint, operibus naturæ dona gratiæ alligata esse, iuxta dicenda propos.4.

Propositio 3.

99 Iuxta prouidentiam præsentem, quam testantur Scriptura, Concilia, & Patres, nequit natura proprijs viribus disponi ad gratiam, adhuc dispositione extrinsecè congruâ, atque adeò neque istud genus causæ præbere ad totam prædestinationem.

Ita Ripalda disput.18.sect.2.num.7. Idemque censendi sunt velle omnes Theologi citati pro tertiâ sententiâ num. 67. dum vniuersaliter reijciunt omnem dispositionem ad gratiam moralem, & positiuam, partamque viribus naturæ. Pleraque etiam argumenta facta pro primâ propositione hanc probant efficaciter. Nam, si dispositio ad gratiam, de qua in eâ est sermo, daretur, humanum arbitrium propriâ virtute, & sine gratiâ faceret aliquid proficuum ad salutem, ipsiusque salutis præberet initium, exordium, aut inchoationem; in eamdemque proprijs viribus conaretur, & moueretur. Deinde Deus nostram voluntatem expectaret, gratiaque daretur homini, non solùm vt bene agat, sed quia benè egit. Præterea fides non esset humanæ salutis initium. Denique discretio Prædestinati à Reprobo ab humano arbitrio sumeretur; homoque de aliquo posset gloriari, quod non acceperit. Quæ omnia absurda sunt contra Scripturam, contra Concilia, & Patres, vt ex dictis circa primam propositionem constat.

100 Addo cum eodem Ripaldà num.8. neque ex naturâ rei, seclusâ lege prouidentiæ præsentis, posse naturam proprijs viribus disponi ad dona gratiæ per dispositionem congruam tantùm extrinsecè, de qua nunc agimus. Quia, licèt non repugnet, ens supernaturale exigere ad sui existentiam aliquid naturale, vti omnia dona gratiæ exigunt animam vt subiectum; quæ est quid naturale. Cæterùm ad adstruendam in ipsis donis gratiæ huiuscemodi exigentiam respectu alicuius dispositionis moralis merè naturalis, à soloque arbitrio productæ; prout oporteret, vt ea esset extrinsecè congrua, nullum est fundamentum; potiùs adest ad talem exigentiam negandam. Quia non est credendum, gratiam defacto contra propriam exigentiam conferri. Ast confertur absque omni præuiâ dispositione naturæ, vt ostendimus. Ergo exigentiæ gratiæ non est, supponere aliquam dispositionem naturæ. Et quidem ad gratiam actualem non apparet, quomodò dispositio moralis possit requiri; maximè, cùm ea defacto hominibus non quærentibus Deum, sed ipsi repugnantibus, atque adeo positiuè indispositis conferatur. Dona autem habitualia si quam dispositionem exigunt, supernaturalem vtique exigent, vtpote sibi magis proportionatam, non verò naturalem: præterquam quòd neque est certum, supernaturalem exigere itapte naturâ; tametsi defacto illam aliquando supponant, vt patet in habitu iustificante, cuius dispositio est contritio. Hoc enim non ex naturâ habitus, sed ex lege Dei congruâ, & morali accidere, probabiliter dici potest. De quo suo loco.

Rogas, an sit Semipelagianum, adscribere arbitrio hoc genus moralis dispositionis ad gratiam. Respondeo ita videri propter argumenta facta. Maximè, cùm Cassianus eos conatus naturæ tribuerit, quos gratia Dei exigat, vel expectet, vt videre est Collat.13. cap.13. quæ est proprietas dispositionis, de qua nunc loquimur. Nihilominùs Ripalda supra num. 13. non censet improbabile, alienum esse à Semipelagianismo, tribuere naturæ ante gratiam istud genus dispositionis extrinsecè tantùm congruæ: quasi sola congrua intrinsecè sit in Semipelagianis damnata. Atque ita excusat Theologos antiquiores tanquam loquutos de priori: adducens pro suâ opinione Ricardum, Ariasmontanum, Lessium, Valent. Soar. Pennotum, & Lorcam. 101

Propositio 4.

Operibus solius arbitrij, adhuc ex lege merè gratuitâ Dei, non sunt annexa dona gratiæ defacto. Proindeque neque hac ratione possunt illa causam prædestinationi præbere. 101

Suppono, nullam esse legem staturam à Deo de non conferendis donis gratiæ, nisi habentibus præuia aliqua opera naturæ. Quia certum est, non habentibus sæpe illa conferre. Vnde Isaiæ 65. dicit. *Inuentus sum à non quærentibus me*. Et Concilium Arausic.2.can.4. damnat eum, qui dixerit, Deum ad conferendam gratiam expectare voluntatem humanam. Patres etiam id sæpe probant exemplo eorum, qui dum vacabant prauis operibus, vocati sunt à Deo, & conuersi, vt Paulus, Mathæus, & alij. Id quod etiam fatebantur Massilienses, vt constat ex Cassiano locis citatis supra dicente, nonnunquam gratiam anteuertere conatus voluntatis: & ex Prospero sæpissimè id ipsum testante in libro contra Collatorem cap. 7. & sequentibus.

Deinde suppono, Deum pro suo beneplacito benè potuisse alligare gratiam operibus solius arbitrij, quin hæc ob id vllam rationem meriti, aut dispositionis sortirentur respectu gratiæ; quemadmodùm, si statuisset inducere formam ignis in subiectum album, non ob id albedo esset dicenda dispositio ad formam ignis, & multò minùs meritum eius. Quod autem defacto non ita alligauerit lege aliquâ vniuersali gratiam operibus arbitrij, vt habenti talia 101

talia opera gratia infallibiliter conferatur, id est, quod propositio præsens affirmat.

104 Quàm nobiscum tenent Vazq. 1. par. disput. 91. cap. 10. Soar. lib. 2. de Prædestin. cap. 7. num. 24. Torres Opusc. 4. disput. 1. dub. 2. Granad. controuer. 8. de Gratiâ tract. 6. disput. 1. sect. 7. Ex Thomistis Aluarez de Auxil. disput. 56. Albelda 1. par. disput. 74. sect. 2. Zumel 1. 2. quæst. 112. artic. 3. Machin 1. par. disput. 47. sect. 2. cap. 3 & communiter recentiores Dominicani. Quorum aliqui vnum assertorem huius legis faciunt nostrum Molinam, sicut alia ei attribuunt ab eius mente aliena, adeò vt illum, si Deo placet, Semipelagianismi damnent. Quem tamen egregiè ab istis vindicant Herice 1. par. disput. 27. cap. 2. & Ripalda disput. 18. sect. 3.

105 Probatur igitur propositio fere, vt præcedens. Quia, si conatibus arbitrij, adhuc ex lege Dei, subiungeretur infallibiliter gratia. Iam proprijs viribus homo aliquid saluti proficuum operaretur. Iam præberet initium, & exordium suæ iustificationi sine adiutorio gratiæ. Iam vigilantibus, quærentibus, pulsantibus absque gratiâ adiungeretur misericordia Dei. Iam Deus sæpe saltem expectaret voluntatem humanam ad conferendum illi gratiam. Iam homo proprijs viribus ab alio discerneretur: de suoque posset gloriari, quasi non acceperit. Quæ omnia absurda sunt damnata à Concilijs, & Patribus, vt vidimus propos. 1. Accedit, quòd sæpe relinquitur, qui pluribus bonis operibus incumbebat, & assumitur ad gratiam, qui pauciora, vel nulla opera honesta præmiserat, vt habet August. lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. & probat Soar. lib. 2. de Prædestin. cap. 7. num. 20. Quod non fieret, si prædicta lex esset statuta. Denique dari defacto huiusmodi legem, aliter, quàm ex diuino testimonio, constare non potest. Sed nullum datur testimonium illam adstruens. Ergo non est asserenda. Probo minorem. Quia testimonia, quibus annectuntur dona gratiæ operibus nostris, qualia sunt ea, quibus actibus virtutum moralium promittitur remissio peccatorum, & abundantia donorum cœlestium, aptiùs explicantur de operibus factis ex gratiâ, quàm de operibus solius arbitrij. Illud etiam *Facienti, quod in se est, &c.* aptiùs etiam alijs modis explicatur, quàm per hanc legem, vt vidimus num. 96. Quòd autem Deus omnibus auxilia sufficientia ad salutem infallibiliter prouideat, iuxta illud Pauli *vult, omnes homines saluos fieri*, potiùs arguit legem præueniendi omnes auxilijs gratiæ, quàm adiungendi hæc conatibus arbitrij. De quo vide plura apud Ripald. disput. 20. per totam.

106 Nihilominùs non est improbabile, sententiam adstruentem huiusmodi legem ab errore Massilienium posse excusari. Quandoquidem eam probabilem reputant Medina 1. 2. quæst. 109. artic. 6. & 3. par. quæst. 49. artic. 6. Canus Relect. de Sacram. par. 2. Pennot. lib. 6. cap. 13. Lessius de Auxil. in append. ad cap. 10. Ripald. disput. 18. sect. 3. fine. Fauent Corduba lib. 2. quæst. 4. Cartag. discursu 8. de Prædestin. ad primum. Vega lib. 3. in Triden. cap. 12. S. Tho. quæst. 14. de Verit. artic. 11. ad 1. & in 4. distinct. 20. quæst. vnic. artic. 1. quæst. 1. in corp. & alij. Imo Pennotus, & Lessius aiunt, maiorem partem Theologorum antiquorum per trecentos annos, & ampliùs huic adhæsisse opinioni. Quare eos, qui illam erroris Semipelagiani damnant rigidos censores appellant.

Propositio 5.

Defacto, & iuxta prouidentiam præsentem oratio habita ex viribus solius arbitrij dona gratiæ non valet impetrare; atque adeò nec toti prædestinationi causam præbere. 107

Propositio est certa, etiam loquendo de oratione præcisè secundùm vim, quam habet impetrandi sibi propriam, in quantùm est manifestatio, siue propositio quædam propriæ indigentiæ, ac desiderij facta Deo; quæ vis diuersa est à vi merendi competente etiam orationi, in quantùm est obsequium Dei. Probatur primò; quia Paulus ad Roman. 8. ait. *Quid oremus, sicut oportet, nescimus, sed spiritus postulat pro nobis*; id est, inspirat postulandi affectum, vt interpretatur August. epist. 105. Et Ioan. 15. dicit Dominus, *Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque volueritis petetis, & fiet vobis*. Quod ad rem exponit Chrysost. homil. 75. Secundò hæc veritas expresè definitur in Concilio Arausic. 2. can. 3. & 6. quorum verba habes supra num. 73. Tertiò hanc veritatem tradunt etiam Patres, dum causam agunt gratiæ contra Semipelagianos, August. de Dono perseuer. cap. 23. Iosper contra Callatorem cap. 4. & lib. de Ingratis cap. 25. & lib. 1. de Vocat. gent. cap. 8. Eisdemque vniuersalibus argumentis probatur præterea, quibus præcedentes. Quia oratio impetrans gratiam, opus est salutare. Initium, exordium, & inchoatio salutis. Inuoluit etiam in suo conceptu desiderium salubre gratiæ petitæ. Ergo nequit ex viribus arbitrij procedere. Alioquin per eam homo se discerneret; de suoque posset gloriari. &c. vt in superioribus ratiocinati sumus.

Addo, per orationem non solùm, vt meritoria est apud Deum, sed etiam, vt est specialis modo impetratoria, auferendam penitus forè rationem perfectissimæ gratiæ Theologicæ, quam prædicant Scripturæ, & Patres, si ea ex viribus solius arbitrij præcederet, atque impetraret gratiam ipsam, vt dicebamus supra num. 80. Etenim oratio, etsi non inducat debitum obsequij meritorum proprium præcisè, qua impetratoria est specialiter, non potest non, si competentur fiat, aliud quoddam genus debiti cuiusdam connaturalitatis inducere, vt benè docet Ruiz disput. 18. de Prouidentia sect. 3. num. 9. Primò; quia omnis causa per se iure exposcit effectum, in quem suapte naturâ propendet, eique subinde effectus debito quodam connaturalitatis debitus est. Oratio autem causa per se moralis est effectus per ipsam petiti; in quem tantâ vi propendet naturâ suâ, vt vel durissimi, & auarissimi homines soleant eâ flecti ad concedendum, quod petitur; imo & cogi, si ea sit constans, & diuturna: præces enim importunæ, vt aiunt, vim coactionis habent; vt patet in parabolâ illâ petentis ab amico tres panes, eosque vel propter improbitatem, perseuerantiamque obtinentis Lucæ 11. Secundò; quia omnis exigentia competens, atque rationabilis ius sibi vendicat accipiendi id, quod exigitur tanquam aliquo modo debitum, vt patet in exigentiâ causarum respectu effectuum, & in exigentiâ meriti respectu præmij. Sed oratio suapte 108

pte

pte naturâ est exigentia, & petitio, ad cuius instar metaphoricè cæteræ dicuntur exigentiæ, vel petitiones. Ergo, si competenter fiat, aliquale ius sibi vendicat ad obtinendum id, quod petitur. Quo non potest non detrahere aliquid de strictissimâ ratione gratiæ, ac liberalitatis dantis.

109 Hinc infero contra Ripaldam disput. 19. sect. 3. neque in alio genere prouidentiæ posse hominem per orationem merè naturalem à solo arbitrio sine auxilio gratiæ nascentem impetrare à Deo dona supernaturalia. Quoniam impetratio orationis propria non est, vbi id, quod confertur, debito aliquo congruitatis, seu connaturalitatis non est debitum orationi. Repugnat autem, orationi merè naturali dona supernaturalia deberi quouis modo, vtpote quæ ex proprio conceptu omne ius, omnemque exigentiam rerum naturalium transcendunt. Itaque non minùs repugnat, per orationem, quàm per meritum solius arbitrij dona supernaturalia impetrari. Per meritum autem adhuc de congruo ortum ex solo arbitrio ea impetrari non posse, adhuc diuinitùs, constans res est apud Ripaldam. Nec refert, quod opponit. Deum non minùs oratione naturali, quàm naturali miseriâ hominis moueri posse ad ei miserendum. Nam istud genus motionis etiam merito naturali potest competere iuxta dicenda proposit. 6. & 7. Illud tamen ad propriam impetrationem nil confert. Quia non est motio per se ab obiectis istis proprio aliquo titulo, siue iure inducta, sed tantùm à Deo pro suo mero beneplacito ex illis occasionaliter accepta. Ex quibus patet, orationem doni supernaturalis à solo arbitrio procedentem improportionatam petitionem esse eius doni, eâque de causâ, licèt rauerâ sit exigentia, seu petitio formalis eius, nullum tamen sibi ius vendicare impetrandi illud.

Propositio 6.

110 **Deus ex operibus solius arbitrii, non solùm bonis moraliter, sed etiam prauis sæpe accipit occasionem ad conferenda dona gratiæ: sicut & ex alijs rebus arbitrio non subditis tum intrinsecis homini, tum ei extrinsecis. Vnde huiusmodi occasiones præbere prorsus per accidens conducentes ad collationem talium donorum, à viribus humani arbitrij alienum non est: quin aliquid ob id detrahatur de perfectione gratiæ Dei.**

Nullus Theologorum dissentire potest ab hac propositione, nec vllum de eâ Catholicis potuit cum Semipelagianis esse dissidium. Eius doctrinam latè prosequitur Ruiz disput. 16. de Prouiden. per totam. Probanda autem est, & declaranda tum in omissionibus, tum in actibus humani arbitrij, à quibus Deus occasionem capit dona supernaturalia impertiendi iuxta suauem dispositionem sapientiæ, ac prouidentiæ suæ. Primùm enim, cùm peccatum impedimentum sit legitimum diuinæ gratiæ, quidquid quoquo modo peccata, eorumve malitiam præcauet, vitat, minuit, vel extenuat, id occasio solet esse, ac veluti causa per accidens consequutionis gratiæ. Ita se gessit ignorantia Pauli respectu gratiæ, quam accepit à Deo, ipso testante 1. ad Timoth. 1. *Misericordiam consequutus sum; quia ignorans feci in incredulitate.* Ita etiam sæpe continget, vt homo se à peccatis abstinens, & in operibus virtutum naturalium se exercens, quantùm ex viribus arbitrij possibile est, diuinæ largitatis dona recipiat, quæ non recepisset, si gratuitum criminum obstaculum opposuisset; quo solent homines interdum ita diuinæ gratiæ venam obstruere, vt miserè obcæcati in cœno peccatorum hæreant vsque ad extremam cordis duritiam. Solet etiam Deus ex ipsis peccatis ansam sumere ad tangendum suâ gratiâ corda, sæpe enim videmus homines peccatis deditos ipsâ peccatorum experientiâ, aut etiam nauseâ erudiri ad meliorem frugem, iuxta illud Ierem. *Arguet te malitia tua.* Siue, vt legit Hierem. *Erudiet te peruersitio tua.* Siue, vt legit Irenæus lib. 4. aduersus hæres cap. 72. *Emendauit te abscessio tua.* Non quòd peccatum, aut abscessio sit causa per se erudiens, aut emendans; sed quia est occasio per diuinam gratiam accepta. Huc facit parabola illa filij familias dilapidantis bona sua cum meretricibus, & postea ad patrem suum redeuntis Lucæ 15. & alia id genus.

Præterea bona indoles, acies ingenij, iudi- 111
cium maturum, bona educatio, bonorum contubernium, exempla, libri pij, recessus à tumultibus, & his similia occasiones sunt, quæ diuina gratia frequentiùs accipit, quàm oppositas, vt satis experientia comprobat. Scientiæ etiam naturales, vt Dialectica, Philosophia, Astrologia, aliæque naturalium rerum, atque historiarum cognitiones non rarò ad diuinam gratiam viam occasionaliter solent sternere. Ægritudo itidem, corporis dolor, lassitudo virium, inedia, vigiliæ, tranquillitas animi vel innata, vel acquisita, & alia huiusmodi non partuam oportunitatem ad accipiendam gratiam præstant. Quippe omnia hæc non abs iure, & sine vllâ iniuriâ diuinæ gratiæ dispositiones dici possunt, quæ physicè aptiorem reddunt animam ad eam recipiendam cum fructu, quasque proin- 116
de Deus nonnunquam vt conditiones quasdam intuetur ad eam conferendam. Negari enim non potest, gratiam sine vllo sui detrimento exigere subiectum aptum naturalis ordinis, cui inhæreat; quale est humana natura, præ bellumâ, eiusque naturales potentiæ intellectus, atque voluntas. Quidni inter homines alij alijs physicè aptiores erunt ad dona gratiæ recipienda, fouenda, & fœcundanda. Idque vel ex natiuâ complexione, vel ex adiunctis accidentibus solius naturæ viribus acquisitis. Inter quos non malè recensuit Herice disput. 27. cap. 5. actus virtutum naturalium eliciti viribus arbitrij. Nam & hi physico quodam modo adaptant magis subiectum gratiæ ad eam cum fructu recipiendam.

Cæterùm; vt conspicuè appareat, præ- 113
dictas causas per accidens, siue conditiones siue occasiones, siue physicas dispositiones tum positiuas, tum negatiuas ad dona gratiæ vberiora aliqualiter conducentes nihil omnino derogare conceptui strictissimæ gratiæ; scire oportet, cuncta hæc nullum omnino ius, nullum debitum, nullam exigentiam siue physicam, siue moralem inducere respectu gratiæ. Ex quo duo sequuntur. Primum. Etsi Deus intuitu eorum quandoque gratiam conferat, liberrimè nihilominùs illam conferre. Secundum. Etsi ex eis Deus ad conferendam gratiam moueatur, ea tamen propriè non esse

esse causas morales per se inducentes Deum ad id ipsum; sed occasiones quasdam, quas Deus assumit ad impertienda dona sua suauiter, & accomodatè ad naturas rerum, earumque seriem, & ordinem naturalem. Nec refert, Deum quandoque huic gratiam conferre; quia talem habet dispositionem physicam: illi autem similem negare gratiam; quia simili dispositione caret. Hoc enim nihil derogat gratiæ ob rationem dictam: quia etiam confert Deus homini gratiam, quam negat bruto; quia homo habet capacitatem, quam brutum non habet: & tamen gratia facta homini non ob id amittit quidquam de perfectione gratiæ.

113 Vtque plenius constet, quàm liberè Deus suæ gratiæ dona distribuat, non obstantibus ansulis prædictis, quibus ad ea distribuenda occasionaliter induci solet modo explicato, sæpe ijs, qui magis apti physicè videbantur ad dona gratiæ vel à naturâ ipsa, vel ab adiunctis arbitrio adquisitis gratiam Deus negat, quam confert alijs simili aptitudine, aut dispositione carentibus. Quod frequenter ponderat Augustinus varijs in locis, præsertim lib.de Dono perseuer.cap.14.& de Prædestin. Sanctor. cap.15. adducens illud Pauli 1.ad Corinth. 1. *Stulta mundi elegit Deus, vt confundat sapientes: & infirma mundi elegit Deus, vt confundat fortia: & ignobilia mundi, & contemptibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, vt ea, quæ sunt destrueret: vt non glorietur omnis caro in conspectu eius.* Et lib. 1. ad Simplicianum quæst.2. circa finem ait. *Non enim habeo, quod intuear in eligendis hominibus ad gratiam salutarem, si ad examen huius electionis aliqua cogitatione præmittor, nisi vel maius ingenium, vel minora peccata, vel vtrumque: addamus etiam, si placet, honestas, vtilesque doctrinas.* Et paulò post. *Sed cùm hoc stauero, ita me ridebit ille, qui infirma mundi elegit, vt confundat fortia; & stulta mundi, vt confundat sapientes, vt eum intuens pudore correptus, ego irrideam multos & præ quibusdam peccatoribus castiores, & præ quibusdam piscatoribus oratores.* Consonat Isidorus lib. 2. de Summo bono cap.6. & alij. Ex quo patet primò, prædictam physicam aptitudinem etiam in ijs, vbi reperitur, non esse certam rationem gratiæ acceptæ: quia fieri poterit, vt Deus ex illâ ad gratiam dandam motus non fuerit. Secundò, Deum iuxta diuersos suæ prouidentiæ fines interdum ex maiori subiecti aptitudine, interdum ex minori occasionem capere ad sua dona gratiæ largienda.

114 Sed dicet aliquis. Massilienses non videntur ampliùs expostulasse, quàm occasiones ad gratiam, dicente Cassiano Collat. 13. cap. 13. *Occasiones quodammodò quærens, quibus humanæ segnitiæ torpore discusso, non irrationabilis munificentiæ suæ largitas videatur.* Et nihilominùs damnati sunt. Ergo fas non est, tribuere arbitrio adhuc occasiones captandæ gratiæ. Respondeo, Cassianum loqui de occasione per se influente, & exigente gratiam permodum meriti, vt clariùs loquitur in alijs locis. Id quod hic etiam satis explicat, vt constat apertè ex contextu. Occasiones autem, quas nos admittimus, longè diuersæ rationis sunt, vt satis explicatum est.

115 Addo, Deum ex prædictis occasionibus, conditionibus, seu physicis dispositionibus, aut saltem ex plerisque earum fortasse non moueri de facto ad decernendam gratiam, ita, vt simpliciter sit verum, Deum gratiam conferre homini; quia talem dispositionem habet; sed potiùs contra verum sit, Deum talem dispositionem ei procurare, vt aptior ad suscipiendam gratiam euadat: quo casu huiusmodi dispositio, etsi physicè ad gratiam aliqua ratione conducat, aut etiam intentionaliter ordine exequutionis, ordine tamen intentionis potiùs erit effectus gratiæ in genere causæ finalis. Quo fiet, vt nullo modo sit ansa, occasione integræ prædestinationis: quia erit vnus ex effectibus eius iuxta doctrinam tradendam infra disput.43.

Propositio 7.

Opera à solo arbitrio sine ope gratiæ facta benè possunt de potentiâ Dei absolutâ præbere causam, & motiuum prædestinationis, atque etiam discretionis Prædestinatorum à Reprobis: non quidem per modum meriti, aut impetrationis, sed per modum cuiusdam conditionis, cui Deus suam gratiam alligaret. 116

Ratio est; quia in tali genere prouidentiæ nulla est repugnantia. Deus enim quibuscunque operibus bonis etiam improportionatis ad meritum donorum gratiæ, & gloriæ, potest pro suo arbitratu alligare collationem talium donorum, eorumque prædestinationem. Maximè, cùm opera honesta, naturalia amabilia sint, & expetibilia respectu Dei. Consentit Ruiz disput.26.de Prouiden.fine, & disput.5. de Prædestin. sect.5. Addens tamen, huiusmodi genus prouidentiæ moraliter esse impossibile Deo: quia esset minùs congruum, & decens diuinam sapientiam, & bonitatem. Quæ additio doctrinam supponit de necessitate morali, quam secundùm hunc Auctorem Deus habet ad eligendum optimum. De qua nos egimus latè supra disput.32.quæst.3.

QVAESTIO V.

An per opera ex gratiâ facta mereatur quis, aut mereri possit totam suam prædestinationem.

OChamus in 1.distinct.41. quæst.1. & Gabriel quæst.1. artic.2.& 3. intelligentes nomine prædestinationis solum decretum dandi gloriam, consequenter dixerunt, hominem per opera ex gratiâ facta suam prædestinationem mereri. Similiter Bonauen.in 1.distinct.41. artic.1. quæst.1.& Iauelus 1.par. quæst.23. artic.3. comprehendentes tantùm sub prædestinationis effectus iustificationem cum perseuerantiâ finali, & gloriam, dixerunt, prædestinationem sub meritum hominis à gratiâ procedens cadere. Verùm Doctores isti reipsè nil docent à veritate alienum; tametsi nomen prædestinationis strictiùs, quàm par est, vsurpent; cùm certum sit iuxta dicta supra num. 55. Prædestinatum tum gloriam de condigno, tum iustificationem de congruo mereri. Videatur Vazq. disput.91.cap.3.& 5. Acceptâ igitur prædestina- 117

tione, prout comprehendit omnia dona gratiæ naturæ indebita, ad quæ saltem extendi debet, prout eam vsurpat Augustinus, dum disserit contra Pelagianos, & Semipelagianos, difficultas est, an prædestinatio sub meritum ortum ex gratiâ cadere possit, ita, vt primum etiam gratiæ auxilium sub meritum cadat vel boni vsus ipsius auxilij, vel operum sequentium, ac procedentium etiam à gratiâ.

118 Sententia fuit, primum auxilium gratiæ defacto sub meritum cadere boni vsus ipsius. Ita Alexander 1.par.quæst.28.memb.3.artic.3. & Albertus 1.par.quæst.63.memb.3.artic.1.in corpore. Quibus fauere videntur Magist.in 2.distinct.5.cap. vltimo, & Altisiodor.lib.3.tract.1.cap.7. Cæteri verò Scholastici vnanimi consensu reijciunt sententiam istam, asserentes, Prædestinatum defacto primam gratiam non promereri per opera subsequentia, ac procedentia ab ipsâ gratiâ. Ita S.Tho.1.par.quæst.23.artic.5.& 1.2.quæst.114.artic.5. Vazq. 1.par.disput.91.cap.6 Soar.lib.2.de Prædestin.cap.20. Arrub.disput.76.cap.2.Herice disput.28.cap.2.Ruiz disput.7.de Prædestin.sect.3. & apud eos alij. Aduertunt tamen Doctores relati, sententiam Alexandri alienam esse à sententiâ Semipelagianorum, qui gratiam primam non meritis procedentibus ab ipsâ gratiâ, sed meritis solius arbitrij subdebant, vt satis constat ex dictis quæst.3.Hæc defacto.

119 De possibili verò, etsi idem censeant Vazq. Herice, Arrub.&, quorquot negant, principium meriti sub meritum cadere posse, adhuc de potentiâ absolutâ. Alij tamen, qui id affirmant, consequenter putant, esse possibile, vt prima gratia sub meritum subsequentium operum ab ipsâ procedentium cadat. Ita Soar. Conine, Granad, Ruiz, Alarc. & alij citati supra quæst.1. num. 3. Quorum plerique non solùm loquuntur de merito operum remotè procedentium à primâ gratiâ, sed etiam de merito boni vsus eius, qui est actus accipiens ab illa immediatè tum existentiam, tum valorem. Addit Ruiz disput.6.de Prædestin. sect.2. num. 16. etsi Prædestinatus per opera prouenientia à gratiâ possit ipsam gratiam mereri: nentiquam tamen mereri posse integram suam prædestinationem quoad omnes effectus: quia nequit mereri ipsa merita; cùm eadem actio nequeat esse simul & meritum, & præmium sui.

Propositio 1.

120 Defacto primum auxilium gratiæ sub nullum meritum subsequentium operum cadit.

Adeò certa est hæc propositio, vt vix sine errore in fide negari posse videatur. Constat enim ex Scripturâ, Concilijs, & Patribus, gratiam omnino gratis, & independenter à meritis nobis conferri. Alioquin gratia non esset gratia, vt arguit Apost. ad Roman. 11. & ex eo Concilia, & Patres, prout supra vidimus quæst.4.num. 75. Hoc autem maximè est verum de primo auxilio, quo vocamur; ratione cuius tota deinceps series donorum vsque ad iustificationem ipsam gratis conferri nobis dicitur secundùm illud Pauli ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*; explicatum à Triden.sess.6.cap.8. Tametsi post primam congruam vocationem multa sequentium donorum, & fortassè omnia cadant sub meritum congruum præcedentium operum à primo auxilio procedentium, de quo recole dicta supra quæst.4. num.79. Quocirca ipsum Triden. sess.6. cap. 5. *Declarat, ipsius iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum* IESVM *præueniente gratiâ sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, qua, nullis eorum existentibus meritis, vocantur*. Id est, nec propter merita præcedentia solius arbitrij; nec propter subsequentia gratiæ. Accedit illa ratiocinatio, qua ex Paulo ad Ephes. 1. deducunt Patres, gratiam tum electionis, tum vocationis nobis conferri, non quia futuri sumus Sancti, sed vt simus, prout vidimus supra quæst.1.num.5.& rursus quæst.4.num.83. Qua planè excluduntur omnia merita respectu primæ gratiæ, non solùm præcedentium arbitrij operum, sed etiam subsequentium, ac procedentium à gratiâ ipsâ. Oportuit autem primum auxilium gratiæ, à quo omnia merita subsequentia sumunt exordium, in præmium eorum non conferri, sed prorsus gratis; quia id ita fieri, & naturæ meriti, ac præmij, & legi ordinariæ merendi, & remunerandi consentaneum est, vt constat ex doctrinâ traditâ quæst.1.propos.1.& 2. Tametsi oppositum sit possibile de potentiâ absolutâ, vt mox dicam.

Quæ cùm ita sint, manifestè consequitur, 121
neminem defacto per opera ex gratiâ facta integram suam prædestinationem mereri. Quia prima gratia, quam non meretur, vnus ex præcipuis effectibus est prædestinationis. Imo verò in locis Apostoli commemoratis ad Roman. 11.& ad Ephes. 1. expressè est sermo de prædestinatione ipsâ, seu electione; dum ea omnino gratuitò, nullisque ex meritis nostris facta significatur, prout habet etiam locus ille sæpe in hac materia repetitus de electione Iacob, & reprobatione Esau non ex operibus eorum, sed ex vocantis arbitrio natâ ad Roman. 9.

Propositio 2.

Possibile est de potentiâ absolu- 122
tâ, primum auxilium gratiæ ob merita absolutè præuisa subsequentium operum remotè ab ipso procedentium conferri. Quo casu illud non gratiæ strictè sumptæ sed præmij rationem sortiretur.

Constat hæc propositio ex doctrinâ datâ quæst.1.propos.2.& 6. Vbi vniuersaliter ostendimus, principium meriti non inclusum in merito, quale est primum auxilium respectu operum remotè ab illo procedentium, sub meritum absolutè præuisum benè de potentiâ absolutâ cadere posse. Recolantur dicta ibi, quæ hic repetere, non opus est. Quòd si sub dicta merita vt præuisa absolutè dictum auxilium potest cadere; multò meliùs sub illa cadere poterit cæteris alijs modis de quibus egimus in citatâ quæst. propos. 7. 8. & 9.

Pro-

Propositio 5.

123 Etiam potest cadere primum auxilium gratiæ de potentiâ absolutâ sub meritum boni vsus sui, seu actus à se immediatè nascentis, non quidem vt absolutè præuisum, sed vt præuisum sub conditione, quòd ipsum axilium conferatur. Quo itidem casu rationem illud amitteret strictæ gratiæ.

Prior pars huius propositionis ex doctrinâ traditâ quæst. 1. propos. 4. constat. Vti ostendimus, id, quod in conceptu reali meriti intrinsecè crauditur, sub ipsum meritum vt absolutè præuisum nullatenus cadere posse. Auxilium autem primum gratiæ intrinsecè spectat ad meritum actus, in quem immediatè influit, tum dando ei valorem, tum eum constituendo liberum, vt notum est. Secunda verò pars propositionis ex doctrinâ datâ eadem quæst. 1. propos. 2. & 7. constat. Ibi enim ostendimus, principium etiam intrinsecè spectans ad meritum benè posse de potentiâ absolutâ sub ipsum meritum cadere vt præuisum sub conditione, quod ipsum existat principium. Recognoscantur ibi dicta. Quòd si sub immediatum meritum sic præuisum potest auxilium gratiæ cadere; etiam alijs modis sub illud cadere poterit, de quibus ibidem tractauimus propos. 8. & 9. qui etiam recognoscendi sunt.

Propositio 4.

124 Possibile est de potentiâ absolutâ, adæquatam prædestinationem sub meritum Prædestinati ortum ex gratiæ auxilio cadere.

Quod duobus modis fieri potest. Primò, si Deus non ex fine gloriæ Prædestinari, sed ex alio procuret ei meritum, auxilio supernaturali collato, ex talique merito moueatur ad volendum illi gloriam, & media cætera efficacia, quibus illam obtineat. Quo casu meritum illud primum ad prædestinationem talis hominis non spectabit vt effectus, hoc ipso, quòd ex fine gloriæ eius prouisum non est, iuxta doctrinam tradendam infra disput. 43. de conditionibus requisitis ad effectus prædestinationis. Quo fiet, vt illud benè possit esse causa integræ prædestinationis. Consentit huic doctrinæ Ruiz disput. 6. de Prædest. sect. 2. & alij Recentiores.

125 Difficilior est alter modus, cui dissentit Ruiz ibidem. Nempe, si Deus cæteros prædestinationis effectus intuitu meritorum ab auxilijs gratiæ procedentium impertiatur merita autem ipsa ita disponat, vt mutuò sibi inuicem sint merita, & præmia: quod non videtur impossibile. Cùm enim merita nostra dona sint Dei, vt statuimus disput. 40. q. 5. num. 74. quatenus procedunt a Deo; insuperque sint eius obsequia, quatenus procedunt à nobis, nulla videtur esse repugnantia in eo, quòd Deus vnum procuret meritum homini in præmium alterius, de quo vicissim velit, vt sit præmium prioris. Respondet Ruiz, hanc mutuam meritorum ordinationem non posse non esse gratuitam; quia est præter eorum naturam, & eis indebita. Vnde prædestinatio talem ordinationem inuoluens nequibit integrè, & adæquatè procedere ex meritis. Sed contra. Quia dicta ordinatio nihilo differt à voluntate mutuò remunerandi ea merita. Voluntas autem remuneratiua meritorum non est gratuita: tametsi præter naturam, & exigentiam meriti concipiatur. Sicuti enim collatio anticipata præmij, præcedensque existentiam meriti præcedentia vel temporis, vel naturæ, non propterea est gratuita, nec desinit esse compensatiua talis meriti, quòd præter naturam, & exigentiam eius sit, vt constat ex dictis supra q. 1. propos. 1. & 2. Ita mutuæ collationes vnius meriti in compensationem prioris, estò sint præter naturam, & exigentiam talium meritorum, non propterea erunt gratuitæ, nec desinent compensatiuæ ipsorum esse.

QVAESTIO VI.

Qua ratione Christus Dominus fuerit causa prædestinationis hominum.

EGimus in superioribus de causis prædestinationis se habentibus ex parte Prædestinati. 126
Iam incipimus agere de causis, quæ se habent ex parte aliorum; & primùm ex parte Christi Domini. Tractamus autem hic dumtaxat de prædestinatione hominum: nam vtrùm Christus fuerit etiam causa prædestinationis Angelorum, dependet à controuersiâ illâ de motiuo Incarnationis Verbi diuini, de qua agitur in Tractatu de Incarnatione. De prædestinatione autem hominum tum quoad effectus, tum quoad actus, in quibus consistit, agendum est. Quo pacto actus interni Dei possunt habere causam iuxta notationem præmissam in proemio huius disputationis.

Suppono primò tanquam certum, Christum 127
Dominum causam finalem esse atque etiam exemplarem nostræ prædestinationis, quatenus propter ipsum, eiusque gloriam prædestinati sumus: nostraque prædestinatio ad imitationem prædestinationis eius facta à Deo est. Primum genus causæ significat Paulus ad Ephes. 1. dum ait. *Prædestinauit nos per Iesum Christum in ipsum*: particula enim *in ipsum* causam finalem denotat. Et 1. Corint. 3. *Omnia*, inquit, *vestra sunt; vos autem Christi, Christus verò Dei*. Idem significant loca, in quibus Christus asseritur caput totius corporis Ecclesiæ, vt ad Ephes. 1. & ad Colos. 1. & 2. Gloria quippe membrorum ad gloriam capitis refertur tanquam ad finem. De quo plura Ruiz disput. 57. de Prædest. sect. 1. Secundum autem genus causæ significat illud Apostoli ad Rom. 8. *Quos præscivit, & prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui*. Traditque diserte Augustinus varijs in locis, præsertim lib. de Prædest. Sanct. cap. 15. & lib. de Dono perseu. cap. vltimo. Videatur Ruiz supra sect. 2. Ego enim ad causam meritoriam pergo, de qua potissimùm hic agitur. &.

Suppono secundo tanquam certum, Christum 128
Dominum causam meritoriam esse omnium donorum gratiæ, quæ sunt effectus prædestinationis. Id enim vt minimùm significat locus ille Pauli ad Ephes. 1. *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cœlestibus in Christo. Sicut elegit nos in*

ipso ante Mundi constitutionem, vt essemus sancti, & immaculati in conspectu eius in charitate. Vbi illud *in Christo*, & *in ipso*, *per Christum*, & *per ipsum* significat, per eius merita, vt iuxta phrasim græcam exponunt Chrysostomus, Hieronymus, Ambrosius, S. Thomas, & alij Patres: & constat ex simili phrasi, qua sæpe vtitur Apostolus in hoc, & in sequenti capite. Id quod expressiùs tradit statim ipse Paulus subiungens. *Qui prædestinauit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum.* Constat præterea hęc veritas ex alijs multis Scripturæ locis, quæ, longum esset, recitare: legatur in speciali Paulus ad Rom. 3. 5. 6. & 8. 2. ad Thimot. 1. & ad Tit. 3. Vnde Concilium Mileuitanum cap. 3. Arausic. 2. can. 25. Trid. sess. 6. cap. 5. & 7. alijsque in locis docent, omnia dona gratiæ Dei, quibus quoquo modo præuenimur, vel adiuuamur ad consequendam iustificationem, & æternam salutem, dari nobis per Christum. Quod etiam definit Cælestinus Papa epist. 1. cap. 10. Qua propter sententia quorumdam Antiquorum, quos citat Ruiz disput. 57. de Prædest. sect. 3. num. 3. dicentium, Christum Dominum non meruisse nobis fidem, & alia auxilia, quibus remotè disponimur ad iustificationem, iam sine nota erroris defendi non potest, vt benè animaduertunt Herice disput. 29. num. 3. fine, & Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 24. num. 39.

129 Neque verò sola dona gratiæ naturæ indebita, sed cæteri quoque prædestinationis effectus dicendi omnino sunt per Christi merita conferri. Tum quia id indicant loca Scripturæ, & Conciliorum commemorata. Tum quia ex alijs insuper Scripturæ locis colligitur, cuncta, quæ ad nostram salutem conferunt, per illum nobis dari, *Qui propter nos homines. & propter nostram salutem descendit de Cœlis.* Tum denique quia id vt valde consentaneum gloriæ Christi à nullo iam Theologorum negatur, teste Herice disput. 29. num. 2. De quo plura in Tractatu de Incarnatione. Videantur interim Soar. tom. 1. in 3. part. disput. 41. sect. 2. & lib. 2. de Prædest. cap. 21. Vazq. 1. p. disput. 94. cap. 2. & 3. Molin. 1. p. quæst. 23. art. 4. & 5. disput. 1. mem. 8. Valent. disput. 1. punct. 4. §. 1. & alij relati ab Herice. Excipe tamen ab hac generalitate Incarnationem Christi, & merita, si hæc etiam sunt effectus prædestinationis omnium hominum, vt latè contendit Ruiz quæst. 4. Quia certum est, Incarnationem sub Christi merita non cecidisse, & multò minus ipsa merita, vt in Tractatu de Incarnatione monstrant Doctores.

130 His positis, difficultas est primò, an non solùm effectuum prædestinationis, sed etiam ipsius prædestinationis sit Christus causa meritoria. Negant Driedo, Franciscus Sonnius, Almaynus, Maior, & Adamus Sasbout apud Ruiz disput. 57. citata sect. 3. num. 2. & apud Tann. 1. p. disput. 3. quæst. 4. dub. 2. num. 5. Cæteri verò Theologi communiter affirmant. Vazq. 1. p. disput. 94. cap. 2. Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 24. Lessius de Prædest. sect. 3. Arrubal disput. 78. cap. 1. Trigosus 1. p. quæst. 18. art. 10. Pennotus lib. 6. Propugnaculi cap. 28. & 30. Herice disput. 29. cap. 2. Tannerus supra, Ruiz sect. 6. & aput eos alij. Ex quibus illi etiam, qui dicunt, actus internos Dei nullam causam habere posse, fatentur nihilominùs, eos, prout terminantur ad effectus extrinsecos, sub causam meritoriam cadere posse. Quo sensu docent, prædestinationem hominum sub meritum Christi Domini cadere.

Ego in hac re tanquam omnino certum statuo, voluntatem, quam Deus habet remunerandi merita Christi per dona hominibus collata, sub ipsa merita caddere, eorumque effectum esse simul cum ipsis donis. Quia ex vnâ parte donum externum nequit sub meritum cadere, nisi mediâ voluntate remunerantis, qua velit illud conferre in præmium meriti: ex aliâ verò parte nulla voluntas præmiantis strictiùs, & propriùs cadit sub meritum, eiusque effectus est, quam ea, quę suâpte naturâ, & essentiâ est remuneratiua meriti: nam id, medio quo actio externa procedit à merito, non potest non immediatiùs ab ipso merito procedere. Ex quo manifestè consequitur, apud eos, qui non admittunt in prędestinatione duos ordines voluntatum, alterum intentionis, & alterum exequutionis, sed vnum tantùm, quo decernuntur, & exequutioni mandantur prędestinationis effectus, vt sunt Vazq. & alij negantes prędefinitiones tum glorię, tum meritorum, eadem certitudine, qua asseritur, Christum Dominum esse causam meritoriam effectuum prædestinationis, necessariò quoque asserendum esse, esse causam meritoriam ipsius prædestinationis. Quia prædestinatio in eâ sententiâ nihil aliud est à voluntate, qua Deus eos effectus decernit in præmium meritorum Christi, connotante scientiam, qua dirigitur. Quo fit, vt, stando in eâ sententiâ non videatur sine errore in fide negari posse, Christum hominibus promeruisse prædestinationem, vt benè animaduertit Soar. cap. illo 24. citato num. 38. Aliud est in sententiâ nostrâ adstruente prædefinitiones, & duos ordines prædictos. Iuxta quam prædestinatio accepta pro voluntate intentiuâ gloriæ, & mediorum, quibus ea obtinetur, non ita certò cadit sub merita Christi, ac cadunt prædestinationis effectus. Quia cum sit possibile effectus prædestinationis conferri a Deo intuitu meritorum Christi per alteram voluntatem exequutiuam; quin præuia voluntas intentiua in ipsis meritis nitatur; loca scripturæ, & Conciliorum, quæ probant, prædestinationis effectus per merita Christi conferri, non statim probant, Deum intuitu ipsorum meritorum præeligire, & prædestinare homines præuiâ voluntate spectante ad ordinem intentionis. Quæ prorsus potest esse gratuita etiam respectu Christi; etsi voluntas altera exequutiua eiusdem obiecti sit remuneratiua meritorum eius, vt in simili agentes de prædefinitione gloriæ gratuitâ respectu Prædestinati dicebamus disput. 41. q. 1. 131

Nihilominùs, huiusmodi etiam prædestinationem, seu præelectionem intentiuam cedere sub merita Christi, specialiter probamus ex illis verbis Pauli ad Eph. 1. *Sicut elegit nos in ipso, &c.* id est, per ipsius merita, vt num. 128. notauimus. Vbi obiter aduerte, Paulum hìc supponere, electionem Prædestinatorum, quam alibi electionem gratiæ appellat, hoc est, gratuitam, vt vidimus disput. 41. quæst. 3. alteram antecedere voluntatem, qua Deus in exequutione per Christi merita dat nobis prædestinationis effectus. Ait enim *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in Cælestibus in Christo: sicut elegit nos in ipso.* Particula enim *sicut* vt similitudinem, sic etiam distinctionem significat inter collationem donorum factam ob Christi merita, quo pacto nequit non inuoluere aliquam voluntatem Dei, & inter voluntatem electiuam, præuiamque Prædestinatorum. Quam etiam distinctionem voluntatum pul-

pulchrè ad rem supponit Chrisost. inquiens, *Per quem nos benedixit, per eumdem nos elegit.* Et Photius apud Oecumenium in eumdem Pauli locum. *Benedixit per filium, elegit per filium, charos effecit per filium.* Eamdem insuper propositam veritatem probant sequentia verba Pauli. *Prædestinauit nos in adoptionem per Iesum Christum.* Necnon & illud 2. ad Timot. 1. *Vocauit nos vocatione suâ sanctâ, non secundùm opera nostra, sed secundùm propositum suum, & gratiam, quæ data est nobis in Christo Iesu ante tempora sæcularia.* Quæ gratia antecedens tempora sæcularia alia esse non potest à gratiâ prædestinationis, quæ rursus à gratiâ vocationis videtur à Paulo distingui. Quo nostra sententia de electione præuiâ firmatur. Et quidem, si glorioſum est Christo Domino, mereri Prædestinatis externa dona vel minimùm conducentia ad eorum salutem; quantò magis glorioſum erit, mereri illis illam æternam Dei electionem, quæ causa fontalis est, & origo cæterorum donorum, ipsiusque salutis æternæ? Et, si infinita gratia, qua Christus Dominus gratus est Patri, causa est cuiuslibet gratiæ nobis communicatæ à Deo, vt significatur Ioan. 1. 16. ad Rom. 5. 15. ad Ephes. 1. 6. & alibi: quis dubitet, præstantissimam illam gratiam nostræ æternæ electionis à gratiâ Christi medijs ipsius meritis profluxisse? Quo autem ordine prædestinatio Christi, & hominum in mente Dei componenda sint siue ante, siue post præuisum peccatum, vt hominum prædestinatio sub Christi merita possit cadere, non est hoc loco discutiendum, sed in Tractatu de Incarnatione. Quomodò verò Christus Dominus nostram æternam electionem, totamque seriem decretorum ordinis intentionis nobis promereri potuerit, etiam si merita eius computentur inter effectus nostræ prædestinationis, vt ea computat Ruiz, ex doctrinâ dandâ in simili quæst. 7. propos. 2. & quæst. 8. propos. 1. constabit.

Secunda difficultas breuiter etiam hic expo-
132 nenda est, qua ratione Christus Dominus mereri potuerit dona gratiæ collata antiquis Patribus priùs tempore, quàm ipse veniret ad Mundum. De quibus donis æquè est certum, sub Christi merita cecidisse, ac de aliis aliorum Prædestinatorum post aduentum Christi collatis. Ratio autem difficultatis est. Quia Christus videtur non potuisse applicare per orationem sua merita priscis Patribus, vt eis ea dona conferrentur, quæ iam collata tempore antecedente videbat. Petitio enim nec circa præteritum, nec circa id, quod factum supponitur, versari potest. Rursus neque per gratiarum actionem videtur potuisse applicare. Quia gratiarum actio supponit beneficium collatum: atque adeò impetrare nequit, vt illud conferatur. Sine aliqua autem applicatione meritorum à Christo factâ non videntur potuisse ea prodesse Patribus antiquioribus.

Salazar tom. De Concep. cap. 24. §. 12.
133 num. 151. & Gasp. Hurt, tom. de Incarn. disput. 6. diff. 4. & disput. 14. diff. 12. vt se à propositâ difficultate expedirent, dixerunt, merita Christi Domini nullâ indigere applicatione, vt alijs prosint; ex se enim, vtpote infiniti valoris, digna esse quouis præmio, alieno etiam supposito conferendo: (quod etiam extendit Hurt. ad merita puri hominis respectu præmij conferendi alteri; tametsi ea finita sint). Cùm ergo merita Christi, seclusâ applicatione, ex suo conceptu non suppo-nant dona collata antiquis Patribus, non est, inquiunt isti Doctores, cur Deus intuitu eorum vt absolutè futurorum nequiuerit illa conferre. Consentit huic sententiæ Card. de Lugo tom. de Incarn. disput. 27. sect. 3. num. 36. Addit tamen num. 37. & sequentibus, per orationem benè potuisse Christum applicare sua merita antiquis Patribus. Quia benè potest fieri oratio, etiam pro præteritis obtinendis, vel, vt illa collata fuerint; dummodò oratio non procedat ex notitiâ collationis præteritæ, sed eam præueniat. Pro qua sententiâ citat Valent. 2. 2. disput. 6. quæst. 2. punct. 8. & eam tenent Carlet. 1. p. disput. 43. sect. 3. num. 8. & Ribaden. disput. 22. de Prædestin. cap. 3. Vazq. verò 1. p. disput. 94. cap. 3. per actionem gratiarum, censuit, applicuisse Christum sua merita antiquis Patribus. Sed quo pacto potuerint illis dona conferri intuitu actionis gratiarum supponentis ipsa dona collata, non declarauit. Alarcon 1. p. tract. 4. disput. 3 cap. 4. à num. 53. per mutuam causalitatem in diuerso genere, putauit, se difficultati satisfaciſſe, dicens, benè potuisse Deum moueri ad conferendam gratiam antiquis Patribus ex præuisione absolutâ actionis gratiarum exhibendæ à Christo pro beneficio Patribus præstito; ita quidem, vt actio gratiarum vt præuisa prior sit in genere efficientis beneficio Patribus facto; etsi hoc reciprocè sit prius ipsâ actione gratiarum in genere obiecti, seu causæ formalis extrinsecæ. Alij verò Recentiores ex nostris, repudiatâ præuisione absolutâ, per præuisionem conditionatam, dixerunt, motum esse Deum ad conferenda dona Patribus veluti in pretium actionis gratiarum, quam pro eorum collatione à Christo sperabat, quamque futuram præuidebat sub conditione ipsius collationis.

Ego in hac re arbitror primò, applicatio- 134
nem meriti vnius pro altro eatenus solùm requiri posse, vt alteri conferatur donum intuitu talis meriti, quatenus ea necessaria fuerit, vt collatio doni alteri facta sortiatur rationem beneficij, & præmij respectu merentis: quia meritum suapte naturâ solùm exposcit id, quod est beneficium merentis: & quidquid huiusmodi est sub meritum cadere potest. Hinc, quoties aliunde, quàm à voluntate merentis, habet esse beneficium eius collatio doni alteri facta, vti accidit, quando hic vinculo aliquo sanguinis, amicitiæ, cuiusuis, ve alius necessitudinis ipsi merenti conuenstus est, tum quidem per collationem doni alteri factum absque merentis applicatione poterit ipsius meritum remunerari. Quo pacto quotidie videmus in replubicâ per beneficia facta filijs præmiari merita Parentum: qui tamen ne meminerunt quidem, ea suis filijs applicare: quia nimirum bonum filiorum Parentum quodammodo bonum est; atque adeò præmium esse potest meriti eorum. Quoniam igitur multis titulis bonum collatum cuilibit homini & ipsi Christo collatum censeri potest citra omnem eius specialem acceptationem; quatenus bonum membri bonum est capitis, bonum subditi, ac serui redundat in regem, ac dominum, bonumque dilecti quasi proprium est diligentis. Idcirco existimo valde probabile, potuisse merita Christi Domini præmiari in hominibus tanquam in membris, subditis, seruis, imo & fratribus delectissimis citra omnem ipsius Christi specialem acceptationem, siue ipsorum meritorum applicationem. Quo

cessat

cessat tota difficultas circa dona collata antiquis Patribus intuitu meritorum Christi.

136 Addo tamen; etsi applicatio meritorum sit necessaria ad merendum pro alijs, eam ex nullo capite posse requiri expræssam, sed sufficere præsumptam, siue interpretatiuam: qualem potuisse Deum præsumere de Christo futuro respectu donorum, quæ conferebat priscis Patribus, etiam ante absolutè præuisam eius applicationem, seu potiùs acceptationem, siue ratihabitionem exhibendam per actionem gratiarum, indubitabile est. Addo præterea; quanuis præuisio absoluta futurorum meritorum ad eorum remunerationem anticipatam requiri dicatur; eorum tamen applicatio pro alijs à merente facienda, non opus esse, quod præuideatur futura absolutè; sufficere enim, eam præuideri futuram sub conditione, quòd merita in alijs præmientur anticipatè. Quia applicatio meritorum pro alijs in ordine ad præmium ipsis collatum priùs tempore, quàm merita existant, non aliter fit à merente, quàm acceptando præmium collatum alijs vt proprium, ratumque habendo, quòd illis ob sua merita collatum sit. Ratihabitio autem de futuro, in cuius virtute fit aliquid anticipatè, non debet præuideri absolutè ad illud faciendum, sed sat est, si præuideatur futura sub conditione, quòd illud fiat. Vide id in simili in materia iustitiæ. Sciò absolutè, me Petro absenti debere centum ob ius absolutum, quod, video, illum habere contra me: iudico tamen conditionatè se ratum habiturum, si Ioanni fratri eius præsenti ea centum tradam, quo meum debitum persoluam. Quis dubitet, me eo iudicio ductum ita soluere posse? Tantundem ergo concipe in Deo vidente absolutè ius meritorum Christi futuri, eique satisfaciente per dona priscis Patribus data ex scientia conditionatà de ratihabitione Christi futura.

137 Secundò arbitror, satis esse probabile, posse orationem fieri pro præteritis, non vt præteritis, sed præscindendo à præteritione. Ita videtur orare Ecclesia in missa defunctorum dum ait. *Libera Domine animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, & de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum, &c.* Quandoquidem iam tum, quando hæc oratio profertur, animæ, pro quibus funditur, aut liberæ à damnatione sunt, aut damnatæ. Neque obstat communis expositio, quam adhibent Bellarm. tom.1. lib. 2. de Purgat cap.4. Soar. tom.4. in 3.par.disput.48.sect. 5.num.12. & alij, dicentes, huiusmodi orationes fieri ab Ecclesia secundùm quamdam commemorationem, ac representationem diei obitus iam præteriti, in quo nondum erat definita causa earum animarum. Id enim ipsum est, quod contendimus. Ecclesiam videlicet concipientem tempus illud, in quo adhuc animæ, pro quibus orat, versabantur in periculo damnationis, non quidem vt præteritum, sed secundùm se, præscindendo à præteritione, petere à Deo, vt eas eripiat, liberetque à tali periculo. Quod optimè potest facere sub eâ præcisione. Vnde Soar. loco citato ait, probabile esse, huiusmodi orationes anticipatè præuisas à Deo prodesse defunctis, pro quibus postea funduntur, etiam pro tempore ante mortem. Quod non ita fieret, si ad illud tempus illæ non referrentur. Nec satis percipi potest, quo pacto prædictæ orationes seriò, & ex animo proferri possent ab orantibus secundùm propriam verborum significationem, nisi ad illud tempus mente conceptum referrentur, in quo nondum animæ, pro quibus oratur, liberæ erant à periculo damnationis. Hac igitur doctrinà statutà, facile est intelligere, quomodò Christus Dominus potuerit à Patre petere pro ijs, qui tempore præcesserunt ante eius aduentum, vt illis dona gratiæ, quæ verè contulit, conferret; concipiendo videlicet hæc dona nondum illis collata, & concipiendo subiecta, quibus conferenda erant, vel secundùm se cum præcisione ab omni tempore, vel saltem concipiendo tempus in quo exiterunt secundùm se cùm præcisione à præteritione. Cui petitioni notitia de donis iam collatis obstare non potuit: quia ea erat posterior oratione, & quasi effectus eius. Sicut notitia de existentia rei futuræ nec Christo obstabat, quominùs illam efficaciter peteret; nec Deo obstat, quominùs illam efficaciter decernat, ductus aliâ scientia antecedente de talis rei possibilitate.

Et sanè, si istud orationis genus non ad- 138
mittatur, egrè explicabitur, quomodò Christus Dominus, aut etiam nos possimus à Deo petere etiam futura. Nan oratio eo dirigitur, vt moueat voluntatem eius, cui petitur, ad conferendam rem petitam, nec in rem ipsam fertur vtcunque, sed vt liberè ab alio dandam. Quo fit, vt petere ab alio, vt aliquid faciat, perinde sit, ac petere, vt velit efficaciter facere; nam sine voluntate nequit facere liberè. Cùm ergo voluntas, qua Deus cuncta etiam futura facit, præcedat ab æterno; si oratio circa præterita modo prædicto nequit versari, nequibit versari circa futura vt liberè facienda, seu conferenda à Deo. Accedit, quòd Ecclesia ipsa etiam decreta Dei solet directè postulare: cùm tamen ea ab æterno præcedant, vt in canone missæ. *In electorum tuorum iubeas grege numerari.* Et in oratione Quadragesimæ. *Beatæ prædestinationis liber adscripta retineat, &c.* Et August. dicit in Enchirid. vt refert S.Thom. 1.par. quæst.19. artic.8. *Nullus fit saluus, nisi, quem Deus voluerit saluari. Et ideo rogandus est, vt velit.* Ex quo patet, quomodò Christus per orationem potuit sua merita applicare, etiam antiquis Patribus.

Tertiò arbitror contra Alarcon, estò illa 139
mutua causalitas, quam ipse adstruxit esset possibilis, adhuc non potuisse Deum conferre dona antiquis Patribus ex præuisione absolutà actionis gratiarum Christi Domini: quia vt iam tetigi supra quæst.1.propos.5. actio gratiarum Christi supponebat essentialiter collationem eorum donorum factam à Deo liberè, qualis ex præuisione absolutà eiusdem actionis gratiarum procedere nullo modo poterat. Quia scientia visionis de aliquo connexo essentialiter cum effectu non potest non tollere libertatem Dei ad talem affectum, si Deus ad illum decernendum ducitur tali scientia, vt ex doctrina de libertate sæpe in præcedentibus repetita compertum est. Hoc tamen incommodum vitaretur, si fors aliqua actio gratiarum daretur in Christo beneficiorũ collatorum antiquis Patribus essentialiter non connexa cum ipsis beneficijs, vt tetigi etiam loco citato.

Quarto arbitror, non solùm ex scientia con- 140
ditionatà actionis gratiarum Christi Domini potuisse Deum moueri ad conferenda dona gratiæ Patribus antiquis, vti dixerunt Recentiores, & nos sub vniuersaliori doctrina tradidimus quæst.1. propos.7. Sed etiam ex scientia simplicis intelligentiæ, ex qua simul prædefiniret eodem decreto tum actionem gratiarum Christi, tum beneficia

cia Patrum in præmium eius, iuxta vniuersalem doctrinam datam ibi propos.8. Atque alio insuper modo statuto proposit.9.

141 Ex quibus omnibus palam est, quot modis potuit Christus Dominus promereri omnia dona gratiæ collata intuitu suorum meritorum omnibus Prædestinatis, aut etiam Reprobis, qui tempore ipsum præceserunt. Vnde rursus apparet, quot etiam modis prædestinationem æternam omnium omnino Prædestinatorum mereri potuit; etsi ea dicatur esse beneficium ab æterno factum Prædestinatis, distinctumque à beneficio effectuum, qui donantur in tempore. Qualiter censendum videtur ab ijs, qui admittunt prædefinitiones præmias, atque gratuitas tum gloriæ, tum meritorum distinctas à decretis exequutiuis. Quomodò autem Christus Dominus etiam ea dona promereri potuerit, quæ in ipsum, in eiusque merita influxerunt proximè, vel remotè, ex doctrina dictæ quæstionis primæ constat. Vbi abundè egimus de modis, quibus principium meriti sub meritum cadere potest. De quibus donis specialiùs, & latiùs in Tractatu de Incarnatione.

142 Nota ad extremum id, quod benè animad uertit Vazq. disput. illâ 94 num.23. merita Christi nihil obstare, quominùs gratia, quæ intuitu illorum hominibus donata est, verè sit gratia. Nam, licèt, si ad Christum referatur, non sit dicenda simpliciter gratia, nobis tamen, qui nihil ex nobis obtulimus, simpliciter gratia, donatio, & misericordia dicenda est. Ex quo patet, eamdem gratiæ collationem & liberalem esse respectu nostri, & compensatiuam respectu Christi: quatenus Christi præmium est, quod nobis gratis omnino gratia donetur. Nisi Christus fortasse potuerit transferre in nos, de factoque transtulerit ius suorum meritorum, faciendo illud nostrum per donationem; quod alibi examinandum est. Hac enim hypothesi factâ, de qua modò nihil decerno, collatio donorum gratiæ nobis facta à Deo etiam respectu nostri erit compensatiua iuris à Christo condonati. Vnde eiusmodi dona tantùm in radice erunt gratia respectu nostri; idque non relatè ad voluntatem Dei immediatè, sed relatè ad voluntatem Christi ius nobis liberaliter condonantis, cui dona ipsa debita sunt. Tametsi tota liberalitas tandem in voluntatem Dei magis remotè reuocetur, quatenus ab illâ procedit voluntas Christi condonatiua meritorum.

QVAESTIO VII.

An Christus Dominus fuerit causa prædestinationis nostræ, vt electio est.

143 VOcatur propriè electio actus ille, quo ex aliqua multitudine vnus, aut plures assumuntur præ alijs, siue, relictis alijs. Vnde electio supra assumptionem electorum ex connotato addit omissionem cæterorum, qui relinquuntur. Cùm ergo quæstione præcedente statutum sit Christum Dominum fuisse causam meritoriam prædestinationis hominum, qui de facto prædestinati sunt; restat in præsente examinandum, an etiam fuerit causa, vt hi potiùs, quàm alij, siue præ alijs, prædestinati sint. Quod est, esse causam prædestinationis eorum, vt electio est. Procedit autem quæstio tam in sententia negante prædefinitiones gloriæ, & meritorum, quàm in sententia eas admittente.

Circa quam duplex est inter Theologos dissidium. Alterum de modo loquendi. Alterum de ipsâ re. Dissidium de re est. An electio horum Prædestinatorum præ alijs ita à voluntate Christi pependerit, vt ipse pro his dumtaxat, alijs hominibus relictis, efficaciter applicauerit merita sua in ordine ad prædestinationem; & Pater annuens electioni factæ per Christum, hos, & non alios, prædestinauerit. Vel potiùs contra. An Christus æquè pro omnibus hominibus suâ obtulerit merita; Pater autem pro suo beneplacito intuitu talium meritorum hos potiùs, quàm alios, elegit. Dissidium autem de nomine est. An casu, quòd secundo modo res fuerit transacta, id satis sit nihilominùs, vt Christus dicatur causa meritoria prædestinationis hominum, prout est electio horum præ alijs. 144

Circa primum punctum Soar.tom.1. in 3.p. disput.41.sect.4. & seqq. & lib.2.de Prædest.cap. 24. à num.12. latè contendit, electionem horum Prædestinatorum præ alijs pro mero arbitratu Dei factam fuisse ex meritis communibus, atque æquè applicatis toti generi humano. Tametsi postea Christus, visâ electione factâ per Patrem, in ordine ad eius exequutionem pro electis specialiter intercesserit, eisque impetrauerit dona gratiæ. Quam sententiam amplexi sunt Cartagena discur. 1°. de Prædest. concl.2. & argum.10. Trigosus 1.par.quæst.18.artic.10. Molina 1.par. quæst. 23. artic.4. disput.2. Tann. 1.par. disput.3. quæst.4. dub.2. & alij. Vazq. verò 1.par. disput.94. cap. 3. Ruiz disput.57. de Prædest.sect.7. Herice disp. 29. cap.3. Alarc. tract.4. disput.3. cap.5. Gaspar Hurt. tract. de Prædest. disput.4. diff 9. & alij ab eis relati docent, Christum Dominum specialiter applicuisse sua merita pro Prædestinatis præ cæteris, eâque speciali applicatione efficaciter permouisse Patrem, vt hos potiùs, quàm alios prædestinaret. Limitant tamen Vazq. Ruiz, & Hurtado hanc doctrinam ad solos Prædestinatos, qui successerunt Christo secundùm tempus. Cùm tamen Herice, & Alarc. eam ad omnes omnino extendant, etiam qui præcesserunt aduentum Christi. 145

Iam verò circa secundum punctum propositum Vazq. Ruiz, Herice, & Alarc. arbitrantur, etsi merita Christi æquè omnibus hominibus applicata sint, Christum nihilominùs causam dicendum esse electionis Prædestinatorum, vt electio est. Quia ad id sat est, hos solos prædestinatos esse à Deo propter merita Christi. Soar. verò oppositum censet propter oppositam rationem. 146

Propositio 1.

Electio Prædestinatorum præ Reprobis Christo Domino nequit attribui vt causæ meritoriæ, loquendo propriè, si ipse pro Prædestinatis specialiter sua merita non applicauit. 147

Quoniam, si merita Christi æquè ad omnes homines pertinebant, Deus per illa non magis ad hos, quàm ad alios, prædestinandos mouebatur. Ergo, quòd hos potiùs, quàm alios, præ-

prædestinauerit, non in Christi merita, sed in diuinum beneplacitum referendum est. Quod etiam est verum, quamuis Christus petiuisset à Patre, vt tantum numerum hominum prædestinaret, non determinatis personis. Itaque aliud est, Deum hos homines prædestinasse intuitu meritorium Christi, & Christum meritis suis obtinuisse eorum prædestinationem; Aliud, Deum per merita Christi motum esse ad hos potiùs, quàm alios prædestinandos; & Christum suis meritis effecisse, vt hi præ alijs eligerentur. Primum est verum. Secundum verum esse non potest, datâ hypothesi, in qua procedimus. Explicuit id appositè P. Soar. exemplo testatoris præcipientis hæredi, vt centum virgines ciuitatis suis expensis in matrimonium daret, non determinando illi personas, quo casu, etsi donatio illa esset effectus testamenti, & voluntatis testatoris, quòd tamen istæ potiùs, quàm aliæ virgines, eligerentur, à solâ voluntate hæredis penderet. Tantumdem igitur dicendum est in nostro casu.

148 Sed arguunt Aduersarij. Vt quis sit causa electionis, vt electio est, non opus est, quòd sit causa reprobationis eorum, qui relinquuntur; sed sufficit, si sit causa assumptionis positiuę eorum, qui eliguntur. Sed Christus Dominus est causa prædestinatianis positiuæ eorum, qui prædestinantur. Ergo est causa electionis eorum, vt electio est. Confirmant exemplo ipsius Dei, qui præcisâ omni positiuâ voluntate relinquendi Reprobos, per voluntatem solam assumendi Prædestinatos est causa electionis eorum, vt electio est. Distinguo maiorem argumenti. Vt quis sit causa electionis, vt electio est, non opus est, quòd sit causa positiua reprobationis eorum, qui relinquuntur; concedo. Quòd sit causa omissiua; nego. Et, concessâ minori; nego consequentiam. Itaque, vt quis dicatur causa electionis, prout electio est, in eius voluntatem est referenda, non solùm assumptio electorum, sed etiam omissio assumptionis cæterorum, quorum vtrumque inuoluit electio. Ad quod satis est, omittere liberè circa relictos id, quod præstatur circa electos in ordine ad assumptionem eorum. Ex quo patet ad confirmationem, Deum non ideo præcisè esse causam electionis: quia quosdam positiuè assumit; sed quia liberè etiam omittit alios; quod sine voluntate positiuâ potest præstare. Christus igitur causa electionis Prædestinatorum, vt electio est, esse non potest, nisi aliquid præstet speciale erga Prædestinatos, quod liberè omittat circa Reprobos, adeò ad prædestinationem efficax, vt omnes æquè prædestinarentur à Deo, si Christus æquè erga omnes illud exhibuisset. Nec ex hoc fit, Christum in tali casu dicendum esse absolutè causam reprobationis Reproborum. Quia nemo dicitur absolutè causa euentus ex suâ omissione liberâ orti, quando illum non tenetur vitare. Tametsi in talem omissionem talis euentus aliquo modo referri possit tanquam in causam per accidens, & valde impropriam. Quod ad rem, de qua agimus, satis est.

Propositio 2.

149 Christus Dominus specialiter applicauit sua merita pro omnibus, & singulis prædestinatis. Atque ita proprissimè, & cum toto rigore fuit causa, vt isti potiùs, quàm alij, eligerentur à Deo.

Probatur propositio primò ex verbis illis Apostoli ad Eph. 1. quæ ponderauimus supra num. 132. *Sicut elegit nos in ipso, &c.* Electio enim Prædestinatorum cum omni proprietate accepta, vt constat ex proposit. 1. nequit attribui Christi meritis, vti hoc loco à Paulo attribuitur, nisi illa Christus pro Prædestinatis specialiter applicauerit: atque ita cum toto rigore causa fuerit, cur isti potiùs, quàm alij, electi sint. Accipere autem minùs propriè verbum *elegit*, quando cum omni proprietate accipi potest, tas non est. Id ipsum confirmat, quod Christus Dominus dixit Apostolis Ioan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.* iuxta expositionem Augustini, & Prosperi, qui illud de electione prædestinatiuâ intelligunt: primus lib. de Prædest. Sanct. cap. 17. alter lib. contra Collatorem, & Comment. in Psal. 131. Tametsi alij interpretentur de electione ad Apostolatum, vt in nostro Maldonato videri potest.

Secundò probatur propositio ex illis locis, vbi cuncta, quæ ad salutem hominum pertinent, 150
Christo Domino commissa, in eiusque voluntate, ac potestate posita à Patre esse significantur; vt Ioan. 13. *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus*; puta, quæ ad salutem hominum pertinent, vt exponunt Chrysost. & Theophil. Math. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo*, id est, omnem potestatem, vt interpretatur Maldonat. de qua dicit Math. 28. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terrâ*; & quæ ex communi consensu Interpretum plena potestas est, quam Christus vt homo habuit à Patre Regni sui spiritualis acquirendi, & colligendi, in illudque homines congregandi. De qua eadem potestate est illud Danielis 7. *Dedit ei potestatem, & honorem, & regnum: & omnes populi, tribus, & lingua seruient ei.* Et illud Isaiæ 49. *Dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hereditates dissipatas, & diceres bis, qui vincti sunt. Exite; & his, qui in tenebris. Reuelamini.* Necnon illud Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessiones tuas terminos terræ.* Contineri autem in hac potestate collatâ Christo optionem eligendi Prædestinatos; tum ex eius amplitudine, & vniuersalitate, tum ex verbis ipsis Scripturæ non obscurè colligitur. Tum, quia si Christo non fuisset data optio eligendi Prædestinatos, in negotio salutis, ac prædestinationis hominum, dumtaxat esset exequutor voluntatis Paternæ; subindeque non diceretur data illi omnis potestas in tali negotio. Mero enim exequutori in quouis negotio non dicitur dari omnis potestas in eo negotio. Tum denique quia Isaiæ 53. dicitur de Christo Domino. *Si posuerit pro peccato animam suam videbit semen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur.* Vbi satis clarè significari videtur, in manu Christi Domini positum fuisse, dirigere, siue determinare voluntatem Patris per suorum meritorum specialem applicationem ad electionem seminis Prædestinatorum longæui, determinatis etiam in particulari personis, de quibus statim dicitur. *In scientiâ suâ iustificabit ipse Iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit. Ideo dispertiam ei plurimos.* Accedit, quòd longè gloriosius Christo est, ab eius voluntate specialiter penpendi-

se

se electionem eorum, quorum erat Caput, Dux, Magister, Redemptor, Rex, Dominus. Et aliàs id non decebat Patri: potiùs valde etiam diuinis attributis congruit, hanc Filio vnigenito potestatem cum reliquis prærogatiuis communicasse: quo & ipsi Prædestinati strictiori gratitudinis, & amoris vinculo suo Redemptori, & Electori obstricti manerent. Ergo negandum non est, Prædestinatorum electionem à voluntate Christi ita pependisse, vt idcirco hi potiùs, quàm alij, electi sint, quia Christus pro his præ alijs specialiter, & efficaciter orauit, siue sua merita applicauit.

151 Tertiò probatur propositio ex locis, quibus in voluntatem Christi refertur vocatio, & iustificatio hominum, vt Marci 3. *Vocauit ad se, quos voluit ipse, & venerunt ad eum.* Et Ioan. 16. *Filius, quos vult, viuificat.* Hinc enim à paritate rationis videtur inferri, Christum, quos voluit, eligisse, & assignasse in ordine ad prædestinationem.

152 Quartò probatur. Quia constat, Christum Dominum pro aliquibus specialiter orasse, vt pro Petro Lucæ 22. *Ego autem rogaui pro te, vt non deficat fides tua.* Pro Apostolis Ioan. 17. *Pater sancte serua eos in nomine tuo, quos dedisti mihi.* Ergo idem censendus est fecisse pro omnibus Prædestinatis. Imo de illis potest intelligi quod postea subiungit. *Non pro eis autem rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Nimirum fide viuâ, & perseueranti. De quibus Marci vltim. *Qui crediderit, & Baptizatus fuerit, saluus erit.* Igitur credendum est, talem orationem specialiter profuisse Prædestinatis; atque ita efficaciter, vt eius intuitu à Deo prædestinati sint, siue electi. Quòd, si à voluntate Christi pependit Prædestinatorum electio modo explicato, ab eius quoque determinatione dicenda est prouenisse mensura gratiæ, & gloriæ, aliorumque donorum, quæ singulis collata sunt.

153 Hæc probant, Christum Dominum per specialem suorum meritorum applicationem causam fuisse electionis, qua primò prædestinati secernuntur à Reprobis; & apud nos est decretum prædefinitiuum gloriæ ante merita. Illud enim decretum dicitur Prædestinatorum electio, loquendo cum toto rigore, quo primò Prædestinati à Reprobis discriminantur.

154 Sed obijcit tamen Soar. contra sententiam nostram. Actus, quo Christus applicauit sua merita pro Prædestinatis, est effectus electionis eorum ad gloriam; quia est vnum ex medijs specialiter conducentibus ad eum finem. Ergo non potest esse causa talis electionis. Ergo Deus non ideo eligit ad gloriam hos præ alijs, quia Christus voluit, vt his præ alijs efficaciter sua merita prodessent ad salutem, sed potiùs contra. Ideo Christus his potiùs, quàm alijs, sua merita applicuit efficaciter in ordine ad collationem mediorum gratiæ: quia eos præuidit electos præ alijs à Patre ad finem gloriæ. Confirmatur primò. Quia voluntas humana Christi diuinâ Spiritus sancti inspiratione regebatur, vt his potiùs, quàm alijs, sua merita efficaciter applicaret. Ergo priùs sunt electi hi præ alijs à voluntate diuina, quàm à voluntate humana Christi. Confirmatur secundò. Quia incredibile est, totam dispositionem negotij prædestinationis quoad numerum Prædestinatorum, quoad personas, quoad gradus gloriæ, quoad media gratiæ, &c. in voluntate humana Christi relictam esse. Deumque in negotio tanto, quod cunctorum est finis, potius se conformasse, ac subiecisse voluntati Christi, quàm Christus voluntati Dei. Hic enim inuersus ordo videtur esse. Confirmatur tertiò. Quia Christus Dominus Ioan. 6. & 17. sæpe vocat Prædestinatos datos sibi à Patre; nimirum per electionem æternam, vt exponit Adrianus Papa epist. 1. ad Episcopos Hispaniæ, & indicant alij Patres. Ergo electio Prædestinatorum omnem voluntatem Christi specialem erga ipsos præuenit.

Respondeo ad argumentum, etsi actus, quo 155
Christus Electis specialiter applicauit sua merita effectus fuerit electionis eorum in genere causæ finalis: potuisse illum nihilominùs causam esse in genere meriti eiusdem electionis. Quia duplex ista mutua causalitas possibilis est: varijsque modis componi potest iuxta doctrinam generalem de meritorum compensatione datam quæst. 1. sufficiat tamen nunc modus ille, qui cæteris expeditior ad rem videtur, quemque in præsenti amplectitur Ruiz supra. Quòd videlicet Deus eodem indiuisibili decreto & Prædestinatos elegerit, & speciale Christi erga ipsos prædefiniuerit voluntatem: ita quidem, vt per huiusmodi decretum gloria Prædestinatorum tum vt finis, tum vt præmium voluntatis Christi specialis amata fuerit: vuluntas autem Christi tum vt meritum, tum vt medium eiusdem gloriæ, & consequenter ipsius decreti, vt eit electio ad ipsam, fuerit prædefinita simul cum auxilio speciali ad eam concipiendam collato. Hoc enim pacto citra incommodum, etsi voluntas specialis Christi, eiusque speciale principium effectus sint electionis Prædestinatorum ad gloriam, Christus nihilominùs per talem voluntatem causa erit meritoria specialiter eiusdem electionis formaliter, vt electio est. Hinc ad primam confirmationem constat, quomodò Christus per specialem suorum meritorum applicationem potuerit esse causa, cur isti potiùs, quàm alij, fuerint electi: tametsi hæc ipsa meritorum applicatio à voluntate diuinâ regente humanam Christi emanauerit. Ad secundam confirmationem dico. Etsi totum prædestinationis negotium à voluntate Christi pependerit modo explicato, adeò, vt Prædestinati speciali titulo, & vinculo Redemptori suo deuincti sint, quòd eos potiùs, quàm alios, voluerit efficaciter eligi à Patre, sicque electionis eorum, prout est electio, causa specialis fuerit. Hoc tamen non tollit, totum ipsum prædestinationis negotium tandem in voluntatem Dei reuocari, quatenus Deus eam ipsam voluntatem Christi specialem, saluâ eius libertate, prædefiniuit, ac præordinauerit, ita se volens conformare voluntati Christi, vt simul, & indiuisim decreuerit, ac efficaciter procurauerit, vt esset in Christo voluntas, cui conformandus erat: in quo nihil inuersum, nihil incredibile cernitur; sed prouidentia glorioſissima tam Patri, quam Filio. Ad tertiam confirmationem respondeo, ex eo, quòd Prædestinati dicuntur dati Christo, non bene inferri, eos à Christo non esse speciali merito impetratos: nam & id, quod merito obtinetur, datum appellatur, vt constat. Ex his alijs leuioribus obiectionibus occurri poterit, quæ congerit Ruiz supra sect. 8.

Addo contra Vazq. & Ruiz, quæ dicta 156
sunt, non solùm habere locum in Prædestinatis, qui secundùm tempus successerunt aduentum

Christi, sed etiam in his, qui præcesserunt. Nam argumenta facta quoad omnes in vniuersùm probant propositionem datam. Quod autem Vazq. & Ruiz opponunt, pro præteritis non potuisse Christum orare specialiter: aliter autem, quàm per orationem, non potuisse sua merita specialiter applicare, vt ij præ alijs eligerentur; non vrget. Primò; quia etiam pro præteritis potest oratio fundi præscindendo à præteritione, vt supra num. 137. probatum est. Et sanè, si Christus non potuisset petere à Patre, vt eos Prædestinatos, qui ipsum præcesserunt, præ alijs non Prædestinatis eligeret; nec potuisset petere, vt eligeret cæteros post suum aduentum sequturos: quia etiam horum electio præterita erat ab æterno. Pro vtrisque igitur æquè potuisse orare petendo eorum electionem, censendum est. Secundò; quia, licèt Christus per orationem non potuisset applicare sua merita pro his potiùs, quàm pro alijs Prædestinatis, in ordine ad eorum electionem: potuisset tamen per ratihabitionem, siue per gratiarum actionem factam pro his speciali modo, seu speciali affectu, quo pro alijs non fieret, casu, quòd alij, & non isti fuissent electi à Deo. In quo nulla est repugnantia, non solùm de potentiâ absolutâ, sed nec de ordinariâ: quidquid in oppositum Ruiz contendat. Vtrouis igitur ex his modis Christus sua merita applicauerit pro Prædestinatis in ordine ad eorum electionem, causa specialis fuisse dicendus est, vt omnes, qui defacto prædestinati sunt, præ cæteris non prædestinatis fuerint electi à Deo, vt satis, superque ex dictis liquidum manet.

QVAESTIO VIII.

Vtrùm aliquis purus homo fuerit, aut potuerit esse causa prædestinationis alterius.

157 QVæstio est de causâ meritoriâ. Suppono vt certum, sæpe vnum purum hominem mereri alteri de congruo aliquos prædestinationis effectus, etiam vocationem primam, à qua incipit series donorum gratiæ, quæ intrinsecè communicantur Prædestinato. Hoc enim pacto oratio Stephani impetrauit vocationem Pauli, vt communiter sentiunt Patres. Quo circa August. tom. 10. serm. 1. & 4. de Sancto Stephano dixit. *Si Sanctus Stephanus sic non orasset, Ecclesia Paulum non habet.* Videatur Trid. sess. 22. cap. 2. & sess. 25. decreto de Inuocatione Sanctorum. Difficultas est, an hoc sufficiat, vt vnus homo sit causa prædestinationis alterius.

158 Affirmat Vazq. 1. par. disput. 94. cap. 5. Quia putat, prædestinationem incipere à decreto primæ vocationis, nec posse hanc sub meritum alterius cadere, quin sub illud cadat ipsum decretum, atque adeò tota prædestinatio, saltem in radice. Consentiunt Lessius disput. de Prædest. sect. 2. Cartagena de Prædest. discursu 11. pag. penult. concl. 3. Arrub. 1. par. disput. 79. cap. 2. & Alarc. 1. par. tract. 4. disput. 3. cap. 6. Addens, Beatam Virginem defacto meruisse de congruo prædestinationem omnium hominum, vt Christus meruit de condigno. Hanc tamen sententiam, vt nouam, & singularem reijcit Soar. lib. 2. de Prædest. cap. 24. dicens, non posse purum hominem alteri prædestinationem mereri: intellige de potentiâ ordinariâ. Idem quoad quæstionem de facto docent Herice disput. 29. cap. 5. Ruiz disp. 58. sect. 2. Tann. 1. par. disput. 3. quæst. 4. dub. 2. assertione 5. & alij, addentes, de possibili non repugnare, vt purus homo mereatur alteri prædestinationem.

Propositio. 1.

159 Possibile est, purum hominem causam meritoriam esse de congruo totius prædestinationis alterius.

Ab hac propositione nemo dissentit. Constat enim, fuisse possibile, vt oratio Stephani non fuerit effectus prædestinationis Pauli: quia potuit à Deo esse prouisa ex alio fine, quàm gloriæ Pauli. Quo casu benè potuisset Stephanus per illam impetrare à Deo integram prædestinationem Pauli, non solùm quoad omnes effectus externos, sed etiam quoad omnes actus internos Dei. Idque tam iuxta sententiam admittentem prædefinitiones gloriæ, & meritorum, quàm iuxta sententiam eas negantem. Potuisset enim Deus moueri ad predestinandum Paulum siue ad gloriam, siue ad media gratiæ, siue ad vtrumque ex merito orationis Stephani, vti ex meritis Christi fuit motus iuxta doctrinam datam quæst. 6. Addo, etsi oratio Stephani fuerit effectus prædestinationis Pauli, adhuc potuisse Stephanum per alia merita ad prædestinationem Pauli non pertinentia ipsam orationem pro Paulo exhibitam, eiusque prædestinationem mereri.

Propositio 2.

160 Nullus purus homo defacto est causa prædestinationis alterius (excepta fortassè Beatâ Virgine, de qua statim.)

Amplector hanc propositionem propter maiorem eius auctoritatem. Eam enim tradit expresse S. Thom. 1. par. quæst. 23. artic. 8. in corpore dicens, *Non enim precibus Sanctorum sit, quòd aliquis prædestinetur à Deo.* Et ibi communiter Thomistæ. Tradunt etiam S. Greg. lib. 1. Dialog. cap. 8. à medio, & Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 36. Et supponit August. lib. de Dono perseu. cap. 22. & epist. 107. ad Vitalem circa medium. Probari autem potest primò; quia oratio exhibita ab vno homine pro alio effectus est prædestinationis eius, pro quo oratur, vt constabit ex dicendis disput. 43. Ergo nequit causa eius esse, saltem de potentiâ ordinariâ, ne principium aliquod meriti cadat sub meritum. Quod satis est, vt defacto dicatur non esse, iuxta generalem doctrinam quæstionis primæ: maximè quando ad id asserendum nulla argumenta cogunt. Sed estò, non sit oratio vnius pro alio effectus prædestinationis eius, pro quo oratur, aut certè cadat ipsa sub alia merita orantis ad talem prædestinationem non pertinentia iuxta dicta propos. 1. adhuc dicendum non erit, de facto per huiusmodi orationem, aut merita impetrari prædestinationem alterius. Quia id affirmari non potest sine positiuo fundamento: quale non extat.

Fun-

Fundamenta enim, quæ ab Aduersarijs adducuntur, aut adduci possunt, tantùm probant, preces, aut merita vnius iusti prodesse alteri in ordine ad obtinendos aliquos prædestinationis effectus, aut etiam vocationem primam. Ex hoc tamen non infertur, per ea etiam prædestinationem impetrari. Quia decreta ad ordinem intentionis præuium spectantia, in quibus potissimùm consistit prædestinatio, non eo ipso cadunt sub meritum aliquod, quòd sub illud cadunt effectus prædefiniti simul cum alijs decretis exequutiuis. Per quam doctrinam patet solutio ad argumenta, quæ Aduersarij solent opponere. Secundò probari potest propositio; quia, vt in Tractatu de Incarnatione tenet sententia magis communis, omnes Prædestinati, excepto Christo Domino, & Beatâ Virgine, simul, & in eodem signo prædestinati sunt à Deo. Ergo nullus eorum est prædestinatus ob meritum alterius. Quanquam enim hæc duo simpliciter non sint incompatibilia: de quo modò non curo. At certè ea cum ordinariâ, & magis connaturali prouidentiâ ægrè componi possunt. Omitto alias probationes minoris momenti, quas adferunt Soar. & Ruiz. Sufficiunt enim istæ ad quæstionem de facto.

Propositio 3.

161 **Beata Virgo causa fuit meritoria de congruo prædestinationis omnium hominum.**

Probabilem mihi faciunt hanc propositionem plurima Patrum testimonia, quibus asseritur Maria mediatrix, & redemptrix totius generis humani eo modo, quo pura creatura tantum munus potuit attingere in consortio Filij. Nec non illa, quibus docemur, nullum beneficium nobis de facto communicari, nisi per Mariam. Quæ testimonia modò recitare non vacat, prout res postulabat. Plura eorum videri possunt apud nostrum Ferdinandum Salazar ad cap. 8. Prouerb. vers. 19. & tom. de Concept. cap. 21. per totum. Id ipsum validè confirmat doctrina satis recepta à Patribus, atque Theologis asserentibus, Virginem Deiparam ante omnes alios Prædestinatos electam esse, ac prædestinatam à Deo, prout satis clarè significat illud Prouerb. 8. *Dominus possedit me in initio viarum suarum, ante quàm quidquam faceret à principio.* & iuxta Septuaginta. *Dominus creauit me initium viarum suarum ad opera sua.* De quo plura Doctores in Tractatu de Incarnatione. Videatur etiam Salazar ad hunc locum, & tom. de Concept. cap. 2. & seqq.

QVAESTIO IX.

An detur aliqua causa, vel ratio ex parte Dei electionis Prædestinatorum.

162 OMisso vniuersali fine omnium operum Dei, qui est ipsius gloria iuxta illud Prouerb. 16. *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus.* Specialem causam, seu motiuum inquirimus, cur Deus ex tot hominibus, quos creare decreuit, quosdam dumtaxat prædestinauerit, cæteris reprobatis? Cur tam pauci sint ab ipso prædestinati compatatione reproborum? Cur denique istæ determinatæ personæ potiùs, quàm aliæ, fuerint prædestinatæ, aut præscitæ? Habuit ne Deus ad hæc facienda rationem aliquam: vel fuit pro ratione voluntas?

Propositio 1.

Cur Deus non omnes, quos creare decreuit, sed quosdam dumtaxat prædestinauerit, rationes assignari possunt ex parte Dei. 163

Ita docet S. Tho. 1. par. quæst. 23. artic. 5 & reliqui Theologi communiter. Soar. lib. 2. de Prædestin. cap. 25. Ruiz disput. 9. de Prædestin. sect. 2. & 3. Tann. disput. 3. quæst. 4. dub. 1. & apud eos alij. Prima ratio siue motiuum huius diuinæ prouidentiæ est, quam tradidit Paulus ad Roman. 9 dicens. *Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam sustinuit in multa patientiâ vasa iræ apta in interitum: vt ostenderet diuitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparauit in gloriam.* Itaque ratio eligendi aliquos, & alios reprobandi ostensio fuit diuinæ potentiæ, ac iustitiæ, & maior diuinæ bonitatis, ac misericordiæ manifestatio: quæ quidem eximiè erga Prædestinatos enitet, dum illi reprobatis alijs, eliguntur ad regnum, eisque ex ipsâ aliorum reprobatione multæ, & maximæ proueniunt vtilitates. Secunda ratio prædictæ prouidentiæ Dei ab ostensione cæterorum attributorum capitur. Eâ enim ostendit Deus insuper longanimitatem, benignitatem, & patientiam, tolerando Reprobos in hac vitâ, & ad pœnitentiam inuitando. Ostendit liberalitatem, misericordiamque erga ipsos, conferendo illis vitam, bona temporalia, atque etiam spiritualia ex vero affectu salutis eorum: ac tandem eos puniendo citra condignum. Ostendit amorem boni & detestationem mali in peccatorum punitione. Ostendit denique sapientiæ suæ suauitatem, potestatem, & efficaciam: dum relinquens homines in manu consilij sui eos connaturaliori quadam gubernandi methodo sinit iuxta arbitratum proprium incedere. Quo multi in barathrum peccatorum, atque perditionis labuntur: non tamen sine ingenti bonorum prouentu, quæ Deus ex eorum malis sapientissimè, atque potentissimè elicit. Tertia denique ratio prouidentiæ Dei supradictæ ex maiori perfectione, ac pulchritudine Vniuersi desumitur. Quod certè, sicut perfectius euadit, pensatis omnibus, ex permissione peccatorum, quàm, si nulla in eo peccata permitterentur, vt benè probat Ruiz disput. 2. de Prouiden. sect. 4. & 5. Ità perfectius euadit, & potiori iure ex perditione Reproborum, quàm, si nulli reprobarentur. Hæc, & alia similia sunt motiua, rationesque, quæ assignari possunt, cur Deus non omnes, sed quosdam dumtaxat prædestinauerit, cæteris reprobatis. Vide eas latè, & eruditè exornatas multâ Scripturæ, & Patrum auctoritate apud Ruiz tom. de Prædestin. disput. 16. & 17.

Quæ fere eædem rationes reddi possunt, cur 164
Deus longè plures reprobauerit, quàm prædestinauerit. Quia, quò maior est numerus damna-

torum eo luculentius resplendent tum in ipsis, tum in electis aliqua attributa diuina. In graduque excellentiori obtinentur fines commemorati; vt benè ponderat Ruiz disput. 16. citatà: ex parteque docet August. lib. 21. de Ciuit. cap. 12. prope finem, & epist. 157. ad Opratum propiùs ad medium, quàm ad principium. Cur autem tot fuerint Prædestinati, & Reprobi, nec plures, nec pauciores, vel nullam habet rationem, præter diuinam voluntatem, vt censet Soar. vel ea nobis occulta est.

Propositio 2.

165 **Nulla est assignabilis ratio, præter diuinum beneplacitum, cur isti potiùs, quàm alij, in particulari electi sint, vel reprobati.**

Ita Doctores citati propos. 1. cum alijs ab ipsis relatis, & cæteris Theologis communiter. Quidam tamen circa propositionem istam rursus inquirunt, an reipsà nulla sit causa, vel ratio, cur hic potiùs, quam alius in particulari prædestinetur: vel potiùs sit quidem reuerà; tametsi nobis occulta, & ignota, atque adeò inassignabilis sit. Hoc secundum docent Bellarmin. lib. 2. dt Grat. & liber. arbitr. cap. 9. & Pennotus lib. 5. Propugnaculi cap. 17. cum Enrrico quodlib. 8. quæst. 5. & Carthusiano in 1. distinct. 41. quæst. 1. prope finem. Quorum sententiam probabilem reputat Ruiz disput. 7. de Prædestin. sect. 2. num. 13. Ipse tamen cum Soar. & alijs oppositam sequitur disput. 9. citatà sect. 3.

166 Pro exactà resolutione suppono primò, electionem vnius extremi præ alio tunc dici nullam causam, seu rationem habere, præter beneplacitum eligentis, quando nullum adest motiuum, quo voluntas eligentis magis ad extremum electum, quàm ad relictum, moueatur, seu inclinetur: sed vel sunt pro vtroque extremo æqualia motiua, vel sunt minora pro electo, quàm pro relicto. Tunc verò electio rationem, seu causam habere dicitur, cur fiat, quando voluntas eligentis plùs vi motiuorum inclinatur, defactoque subinde monetur ad extremum electum, quàm ad relictum. Ad ea enim motiua, vnde ille prouenit excessus, reducitur electio tanquam in causam, siue rationem eligendi.

167 Suppono secundò, nulla indiuidua humana ex ijs, quæ defacto creantur, aut certè paucissima esse, quæ alijs sint per omnia similia, & æqualia quoad perfectionem tam physicam, quàm metaphysicam, tum essentiæ, tum facultatum eius. Quia, vt aliàs latiùs ostendi, nulla indiuidua, aut fermè nulla quorumuis entium sublunarium sunt inter se quoad omnia similia, & æqualia. Id quod experientia demonstrat in ijs, vbi diuersitas est sensibilis: vt in singulorum hominum faciebus, gestibus, motibus, actionibus, vocibus, scriptionibus, conditionibus, &c. Cuius ratio à priori est. Quia aggregata omnium causarum, à quibus singula indiuidua procedunt, aut semper, aut ferè semper sunt inter se diuersa. Respectu enim indiuiduorum, quæ fiunt in diuersis temporibus aggregata causarum vniuersalium semper sunt diuersa propter incommensurabilitatem motuum astrorum ab Astronomis obseruatam. Respectu verò indiuiduorum, quæ fiunt in diuersis locis, qualia sunt omnia impenetrata facta in eodem tempore, influxus eorum astrorum, vtpote per diuersas lineas porrecti, non possunt non esse diuersi. Ex quibus nascitur, vt omnia, aut ferè omnia indiuidua sublunaria (è quorum numero sunt homines) connaturaliter euadant cum aliqua diuersitate inter se.

Cùmque in hominibus, cæteris paribus 168
ex parte motiuorum tum externorum, tum internorum diuersitas morum ordinariè sequatur diuersitatem naturæ: efficitur, omnia, aut ferè omnia humana indiuidua, quæ de facto creantur, per se, & quoad naturam spectata inæqualiter esse apta, & vtilia ad fines tum naturales, tum præter, aut supernaturales, ad quos ea Deus potest, & solet ordinare. Nisi hæc inæqualitas naturæ aliunde per adiumenta gratiæ, vel aliter quomodolibet à Deo compensetur, vt potest; aut etiam ad inæqualitatem oppositam reducatur. Ex hac autem inæqualitate naturæ, & facultatum tum naturalium, tum adiacentium nascitur, vt indiuiduum, quod relatè ad vnum finem aptius est alio, relatè ad alium finem ineptius sit illo. Vnde rursus efficitur, vt omnia, vel ferè omnia humana indiuidua, quæ de facto creantur, inæqualiter sint eligibilia à Deo reipsà in ordine vel ad eumdem, vel ad diuersos fines, siue motiua, ad quæ illa potest, & solet eligere, seu ordinare. Et quoniam nec inæqualitas personarum, nec fines omnes, ad quos Deus vnamquanque ordinat, nobis citra reuelationem innotescere potest. Ideo prorsus ignotum nobis est, an, cùm Deus vnam ad aliquid assumit, aliâ relictâ, ea quæ eligitur aptior sit, & amabilior ad fines omnes, quos Deus per eam electionem prætendit: quo casu electio rationem, & causam habebit. An potiùs vel æquè, vel minùs sit apta, amabilisque ad tales fines, quàm, quæ relinquitur: quo casu electio nullam causam, vel rationem habere dicetur, præter merum beneplacitum eligentis.

Ex his dico primò. Nulla fuit re ipsà cau- 169
sa, vel ratio, cur Deus ex totà possibilitate creaturarum istas, quas de facto creat, eligeret præ alijs eis omnino similibus, & æqualibus quoad essentiam, & proprietates, atque etiam quoad mores sub hypothesi eorumdem accidentium futuros, quales citra dubium poterat, si vellet, creare. Quia in ordine ad creationem istæ non magis amabiles, neque eligibiles erant, quàm illæ. Et idem est, si comparatio fiat cum eis creaturis possibilibus, quæ magis aptæ, & amabiles erant ad fines, quos Deus in earum creatione prætendit; siquæ erant tales. Si verò comparatio fiat ad alias minùs aptas, ratio eligendi has præ illis maior harum amabilitas esse potuit. Vnde, si eodem decreto, quo Deus hominum existentiam decreuit, elegit Prædestinatos ad gloriam, Reprobis non electis, vt quidam putant. Prædestinatio, & reprobatio horum præ alijs possibilibus, aut his æqualibus aut magis aptis ad fines intentos rationem non habuit præter Dei beneplacitum. Comparata verò ad alios minùs aptos ad tales fines pro ratione potuit habere excessum aptitudinis horum, si Deus ad talem excessum attendit, & per eum motus est. In sententiâ verò ponente prædestinationem post decretum creationis ratio prædestinandi, ac reprobandi hos præ cæteris omnibus possibilibus esse potuit,

tuit, quòd hi iam præ alijs omnibus decreti erant ad existendum.

170 Dico secundò. Si fiat comparatio inter homines reipsà futuros, longè mihi probabilius videtur, habuisse Deum aut semper, aut ferè semper aliquam rationem nobis occultam, cur hunc in particulari potiùs, quàm illum, prædestinauerit, & cur hunc præ alijs ad tantum gradum sanctitatis, & gloriæ elegerit, per taliaque media potiùs, quàm per alia, perduxerit. Moueor primò; quia id satis clarè indicat Apostolus ad Roman. 11. dum in causâ æternæ Dei prædestinationis exclamat. *O altitudo diuitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius. Quis enim cognouit sensum Domini? Aut quis consiliarius eius fuit?* Plane supponens in hominum electione, & reprobatione Deum occultis rationibus duci nobis ignotis. Id quod etiam supponere videtur cap. 9. eiusdem epistolæ iuxta intelligentiam Augustini, & aliorum Patrum vtentium ad rem iæpe verbis vtriusque loci, vt iam ostendo.

171 Secundò enim moueor in istam sententiam; quia Augustinus & alij Patres apertè videntur pro illâ stare. Audiamus illum epistolâ 105. circa medium. *Cur*, inquit, *illum potiùs, quàm illum, liberet, aut non liberet scrutetur, qui potest, iudiciorum eius tam magnum profundum, verumtamen caueat præcipitium. Numquid enim est iniquitas apud Deum? Absit. Sed inscrutabilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius.* Similem sententiam habet lib. de Prædestin. Sanct. cap. 9. & 14. & lib. de Dono perseu. cap. 8. post alia similia ita habet. *Ex duobus paruulis originali peccato pariter obstrictis cur iste assumatur, ille relinquatur: & ex duobus ætate iam grandibus impijs cur iste ita vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, vt vocantem sequatur, inscrutabilia sunt iudicia Dei. Ex duobus autem pijs cur huic donetur perseuerantia vsque in finem, illi autem non donetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.* Et cap. 14. fine. *Cur autem illi habeant aures audiendi, illi non habeant, hoc est, cur illis datum sit à Patre, vt veniant ad Filium, illis autem non sit datum; quis cognouit sensum Domini, aut quis consiliarius eius fuit? Aut tu quis es homo, qui respondeas Deo?* Et in Enchiridio cap. 95. loquens de statu beatitudinis ait. *Tunc non latebit, quod nunc latet, cur iste potiùs, quàm ille, fuerit assumptus; cùm causa vna esset ambobus.* Multisque alijs in locis apertè videtur sentire Augustinus, occultas esse causas, & rationes, cur Deus hunc eligat præ alio, prorsusque hominibus ignotas. Idque voluisse Apostolum, cùm dixit ad Roman. 9. *O homo tu quis es, vt respondeas Deo, &c.* & ad Roman. 11. *O altitudo diuitiarum, &c.* Videatur lib. 1. ad Simplic. quæst. 2. post medium, lib. 5. contra Iulian. cap. 3. ad medium, lib. de Grat. & liber. arbit. cap. 22. lib. de Corrept. & grat. cap. 8. Tract. 53. in Ioan. à medio, lib. 2. contra duas epist. Pelagian. cap. 20. fine, de Spiritu, & litt. cap. 34. serm. 7. de Verbis Apostoli In medio, & alibi. In eadem sententiâ sunt alij Patres. Prosper. lib. 1. de Vocat. gent. cap. 13. 21. & 25. & lib. 2. cap. 9. & 17. Ad excerpta Genuens. dub. 4. lib. de Ingratis cap. 35. & alibi. Petrus Diaconus de Incarnat. & grat. cap. 7. Fulgent. de Incarnat. & gratiâ Iesv Christi cap. 28. Gregor. lib. 10. Moral. cap. 4. & lib. 29. cap. 15. aliàs 31. & cap. vult. Isidor. lib. 2. Sentent. cap. 6. Laurent. Iustin. in Fasciculo amoris cap. 17. & Sermone de S. Mathia in medio. Qui expressè docent, occultas, & nobis ignotas rationes esse, cur Deus istos prædestinet præ alijs. Nec benè exponuntur à Ruiz de prædestinatione abstractè sumptâ, prout illam proposit. 1. accepimus. Tum quia rationes prædestinationis sic sumptæ non adeò sunt nobis occultæ, vt ex ibi dictis apparet. Tum quia Patres expressè agunt de eâ quæstione, cur hic, & non ille assumatur, eligatur, siue prædestinetur. In qua clarissimè est sermo de personis determinatis, & in particulari.

Tertiò moueor ad amplectendam dictam 172
sententiam ratione à priori ex fundamentis iactis petitâ. Quia, licèt ex parte hominum nihil sit, quod per modum meriti, impetrationis, aut dispositionis moralis moueat per se Deum, vt hunc potiùs, quàm alium prædestiner, vt supra quæst. 4. & 5. statutum est. Ast inæqualitas eorum physica, aut etiam moralis aliter, atque aliter conducens saltem per accidens ad fines tum manifestos, tum occultos Dei discrimen aliquod potest ad ferre, causaque in motiuis, quibus Deus ad singulos prædestinandos, aut non prædestinandos mouetur, prout satis sit, vt Deus non pro mero beneplacito suo, sed ob causam, & rationem specialem, occultam tamen, moueri dicatur ad hunc potiùs, quàm ad illum prædestinandum, vel negatiuè reprobandum. Qualiter de facto moueri aut semper, aut ferè semper, tum ex se satis videtur congruum; tum ex testimonijs Scripturæ, & Patrum, quæ adduximus non sine efficaciâ colligitur.

Eisdem fundamentis probandum est, Chri- 173
stum Dominum, dum sua merita pro Prædestinatis specialiter applicauit, eosque suâ applicatione præ Reprobis elegit, vt vidimus quæst. 7. speciali etiam ratione aut semper, aut ferè semper motum fuisse, vt quemlibet in particulari eligeret potiùs, quàm alium.

DISPVTATIO 43.

De effectibus prædestinationis.

HAbere prædestinationem aliquos effectus intra genus causæ efficientis certò certius est. Cùm sit prouidentia consistens directè in aliquo, vel aliquibus decretis efficacibus Dei, (quæ sine effectibus ad extra constare non possunt), aut saltem in suo conceptu inuoluens talia decreta, vt ex dictis in præcedentibus satis, superque notum est. Aggredimur ergo examinandum, quinam sint huiusmodi effectus.

QVÆ-

QVAESTIO I.

Quæ conditiones necessariæ sint, vt aliquid dicatur esse prædestinationis effectus.

1 AD quatuor reuocari possunt. Prima est, vt sit beneficium Prædestinati volitum, & causatum à Deo ex intentione glorificandi illum: hoc enim necessarium est, vt aliquid sit effectus prouidentiæ diuinæ ordinantis Prædestinatum ad gloriam; qualis prædestinatio est. Quo iure peccatum ab effectibus prædestinationis excluditur: quia Deus nequit illud velle, neque causare, atque adeò, neque ordinare vt medium ad finem prædestinationis. Vnde Augustinus cùm sæpissimè doceat, prædestinasse Deum, quæ fuerat ipse facturus, consequenter ait lib. de Prædest. Sanct. cap. 10. præscientiam latiùs patere, quàm prædestinationem. Quia Deus præscit etiam ea, quæ ipse non facit, vt peccata; non autem prædestinat, nisi, quæ facit.

2 Secunda conditio est, vt reipsà conducat ad glorificationem Prædestinati siue proximè, siue remotè, vt taleque ametur à Deo. Debet enim esse è numero eorum beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur, quorumque vt talium prædestinatio præparatio efficax est iuxta sæpe repetitam definitionem Augustini ex lib. de Dono perseuer. cap. 14. Quale non esset, si cum effectu non conduceret ad glorificationem Prædestinati, aut à Deo vt tale non amaretur, prouidereturque ipsi Prædestinato. Itaque effectus prædestinationis infallibiliter debet esse connexum cum gloriâ Prædestinati proximè, vel remotè, saltem ratione futuritionis conditionatæ conducentiæ eius in ipsam gloriam, vt taleque debet præuideri à Deo, & amari per actus prædestinatiuos, ita, vt sit verum, Deum idcircò tale beneficium conferre, seu prouidere Prædestinato, quia videt, illud in eius glorificationem infallibiliter esse influxurum, casu, quòd detur. Alioquin non erit effectus præscientiæ, & præparationis beneficiorum Dei, quibus certissimè liberantur, quicunque liberantur.

3 Hinc sequitur tertia conditio, nempe, vt sit effectus alicuius voluntatis specialis Dei erga Prædestinatum infallibiliter connexæ cum gloriâ eius: qualis respectu Reproborum dari non possit. Ipsa enim voluntas Dei immediatè causans beneficium connexum cum gloriâ infallibiliter prout tale, vel quia tale est, suapte naturâ, & essentiâ connectitur cum gloriâ. Et hæc est satis in sententiâ non admittente prædefinitionem gloriæ ante præuisa merita: in nostrâ verò eam admittente requiritur insuper, vt effectus prædestinationis ab ipsâ prædefinitione gloriæ procedat remotè; quæ etiam est peculiaris Dei voluntas erga Prædestinatos præ Reprobis. Et quoniam idem effectus respectu Prædestinati potest esse beneficium speciale, vtpote in eius gloriam reipsà influxurum, & respectu Reprobi commune, vtpote in gloriam eius non influxurum cum effectu, etsi aliàs ex se sit influxiuum; accidere vtique poterit, vt idem & sit effectus prædestinationis Prædestinati, & prouidentiæ communis Reprobi; si tamen voluntas Dei à qua causatur immediatè, specialis sit erga Prædestinatum, hoc est tendens in talem effectum, & illum amans, prout efficax est ad gloriam Prædestinati: alioquin si in illum tendat præcisè, quia est vtilis ad gloriam tam Prædestinati, quam Reprobi, non curando de efficaciâ, quam habiturus præuidetur respectu gloriæ Prædestinati; tunc ille etiam respectu Prædestinati erit effectus prouidentiæ communis, aut certè alterius prouidentiæ diuersæ à prædestinatione. Vniuersaliter enim non est censendus effectus prædestinationis, qui non amatur, prouideturque à Deo, prout est beneficium speciale Prædestinati: etiam si fortasse procedat remotè à prædefinitione efficaci gloriæ eius: quippe prædestinatio non ex parte solùm debet esse prouidentia specialis circa Prædestinatum, sed adæquatè prout comprehendens omnes effectus. Ob id enim medium vtile ad gloriam de facto in illam non influxurum effectus prædestinationis non est, etiam si fortasse procedat ex intentione efficaci gloriæ Prædestinati, vt est possibile iuxta doctrinam vniuersalem traditam disput. 36. quæst. 4. propos. 2.

4 Quarta denique conditio effectus prædestinationis est, vt sit extrinsecè saltem supernaturalis ex ordinatione ad finem supernaturalem, ad quem conducit; atque adeò datum, siue prouisum ex meritis Christi, qui omnes prædestinationis effectus ad salutem hominum conducentes promeruit, vt supra disput. 42. quæst. 6. statutum est.

QVAESTIO II.

Quæ bona ordinis naturalis sint effectus prædestinationis.

5 AD tria capita reduco omnia bona naturalia Prædestinati. In primo pono eius substantiam existentem cum omnibus facultatibus, potentijs, organis, cæterisque proprietatibus ipsi debitis, ab eâque naturaliter inseparabilibus. In secundo pono accidentia eius intrinseca, siue innata, vt temperamentum, complexio, indoles, ingenium, valetudo, duratio, &c. siue acquisita, vt scientia, prudentia, artes seu liberales, seu mechanicæ, officia, munera, &c. siue physica, vt prædicta, siue moralia, vt actus virtutum, & earum habitus. In tertio pono accidentia extrinseca, vt patria, parentes, nutritij, educatio, magistri, amici, noti, diuitiæ, honores, concordia, opportunitas temporis, loci, occasionum, & cætera huiusmodi.

6 Vazq. 1. par. disput. 93. cap. 4. Arrub. disput. 81. Gonzal. disput. 72. Machin disput. 48. Falol. quæst. 23. artic. 2. dub. 5. Gasp. Hurt. tract. de Prædestin. disput. 3. diff. 5. Mœratius disput. 39. & alij prorsus excludunt à prædestinationis effectibus existentiam, & substantiam Prædestinati, eiusque naturales proprietates; imo & accidentia innata, quæ in hac rerum peristasi ex naturali causarum cursu ei obtigerunt. Soar. verò lib. 3. de Prædestin. cap. 7. Molina 1. par. quæst. 23. artic. 2. disput. 3. Herice disput. 30. cap. 5. Ruiz

Ruiz disput. 24. de Prædestin. Tann. disput. 3. quæst. 3. dub. 2. & alij vniuersaliter enumerant omnia bona commemorata inter prædestinationis effectus, quando ea ad salutem Prædestinati proficua sunt, & cum effectu conducunt ad eius glorificationem.

Propositio 1.

7 **Possibile est, vt substantia Prædestinati cum omnibus eius proprietatibus, & accidentibus innatis fuerit effectus prædestinationis eius.**

Quia non est, vnde repugnet, Deum ex speciali affectu erga Prædestinatum cuncta hæc prouidisse, seu decreuisse, eo videlicet, quòd præuidebat illa reipsa conductura, seu influxura in gloriam eius, casu quod ei donarentur: siue huiusmodi effectus ex efficaci, siue ex simplici desiderio gloriæ Prædestinati proueniret iuxta diuersas sententias. Quo nihil desideraretur, vt omnia prædicta essent prædestinationis effectus, vt ex conditionibus assignatis quæst. 1. notum est. Arbitror, ab hac propositione neminem ex præfatis Auctoribus dissentire. Ex qua manifestè consequitur, possibile multò magis esse, vt cætera omnia bona commemorata Prædestinatorum prædestinationis eorum fuerint effectus.

Propositio 2.

8 **Substantia Prædestinati cum omnibus suis proprietatibus, & accidentibus innatis de facto etiam est effectus prædestinationis illius.**

Amplector hanc propositionem tanquam probabiliorem oppositæ. Eam autem probo primò ex loco illo ad Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.* Clarè enim videtur Apostolus denotare, ex proposito prædestinatiuo Dei nasci, vt omnia, quæ Prædestinatis obueniunt, etiam ipsum esse (nihil enim excipit, vt notauit Augustinus lib. de Corrept. & gratia cap. 9.) proficua sint illis ad salutem. Quod est, omnia esse effectus prædestinationis eorum. Creationem autem, & existentiam Electorum ex intentione efficaci, atque adeò prædestinatiua gloriæ eorum promanasse, significat Isaias cap. 43. dum loquens specialiter de Populo Dei electo ait. *Et omnem, qui inuocat nomen meum, in gloriam meam creaui eum*, In gloriam enim inefficaciter intentam cæteros etiam non Prædestinatos creauit Deus.

8 Secundò probo auctoritate Fulgentij lib. de Incarnat. & gratia Iesv Christi cap. 31. vniuersaliter pronunciantis. *Nihil prouenit in salutem hominum, quod ille non in æterna bonæ voluntatis suæ dispositione faciendum prædestinauit.* Consentit Ansel. de Concordia prædestinationis cum libero arbitrio col. 4. dicens. *Cum omnia subiaceant dispositioni Dei, quidquid contigit homini, quod adiuuat liberum arbitrium ad accipiendam, aut ad seruandam rectitudinem, suæ gratiæ imputandum est.* Intellige, gratiæ suæ dispositionis prædestinatiuæ. Eademque vniuersalitate loquitur S. Tho. super locum Pauli citatum, & 1. par. quæst. 23. artic. 8. vbi ait. *Sub ordine prædestinationis cadit, quidquid hominem promouet ad salutem, vel orationes propria, vel aliorum, vel alia bona, vel quicquid huiusmodi, sine quibus aliquis salutem non consequitur.* Quem etiam modum loquendi vniuersalem sequuntur Durand. Caiet. Ferr. Capreol, Sotus, & alij apud Ruiz disput. 21. de Prædestin. sect. 1. Et quidem electos esse à Deo Prædestinatos prædestinatiua electione antequam essent futuri, atque ita existentiam eorum illius præuiæ electionis effectum esse, satis videtur significare S. Tho. dicta quæst. 23. artic. 2. & 4. Imo & August. lib. de Prædestin. Sanctor. cap. 19. dum ait. *Elegit Deus in Christo ante constitutionem mundi membra eius. Et quomodò eligeret eos, qui nondum erant, nisi prædestinando?*

Tertiò probatur propositio ratione. 9
Quia certum est, Deum, antequam decerneret creare Prædestinatos, & cætera quæcunque in eorum gloriam cum effectu conducunt, præuidisse tam eorum substantiam, quàm cætera omnia infallibiliter coniungenda cum gloria, casu, quòd crearentur. Ergo credendus est, ea speciali, atque prædestinatiuo affectu formaliter vt influxura in gloriam amasse efficaciter; quo pacto specialia, & longè maiora erant beneficia Prædestinatorum: quandoquidem hoc eximiè eius erga illos commendat beneuolentiam; & aliàs nullum secum adfert incommodum. Confirmatur primò. Quia maior est etiam beneuolentia erga Prædestinatos, eis, ante quàm essent futuri, efficaciter gloriam desiderasse, ex talique desiderio eos, & cætera cuncta decreuisse producere. Ergo in sententia nostra admittente gloriæ prædefinitionem, ex tali prædefinitione, dicendum est, promanasse tum existentiam Prædestinatorum, tum cætera quæcunque in glorificationem ipsorum præuidebantur influxura. Confirmatur secundò. Quia substantia humanitatis Christi Domini, cæteræque eius perfectiones effectus fuerunt citra dubium prædestinationis eius, qua prædestinatus est, vt esset Filius Dei naturalis. Ergo, cùm hæc prædestinatio exemplar sit prædestinationis hominum, vt supra disput. 42. quæst. 6. statutum est. Substantiam quoque, & cæteras hominum perfectiones effectus esse prædestinationis eorum, dicendum est. Confirmatur tertiò. Quia, si hoc pacto facta dicatur prædestinatio, maior accreuit gloria ipsi Christo promerenti illam; & maior obligationis vinculo deuinciuntur corda Prædestinatorum tum erga Christum, tum erga Deum. Ergo ita factam fuisse, dicendum est.

Propositio. 3.

Reliqua bona Prædestinatorum, 10
quæ supersunt ex recensitis num. 5. de facto etiam sunt effectus prædestinationis eorum; quoties de facto quoquo modo ad eorum gloriam conducunt.

In hanc propositionem omnes Auctores citati num. 6. pro vtraque sententia videntur conuenire. Ea autem maiori non eget probatione, quàm adducta pro præcedente, quæ vniuersalis est. Solùm restat, vt diluamus

mus argumenta, quæ contra vtramque opponi solent.

12 Objicitur primò August. cap.10. de Prædestin. Sanctor. vbi, dùm prædestinationem præparationem gratiæ esse, definit, gratiam verò ipsius prædestinationis effectum, cætera dona naturalia ab effectibus prædestinationis videtur excludere. Respondeo, non excludere. Primò; quia forte ibi gratiam accipit latiùs prout dona etiam naturalia complectitur. Nam & hæc sub nomen gratiæ large acceptum cadere posse, sæpe admonent Patres, & Scholastici, quorum plures refert Ruiz disput. 24. sect. 7. Secundò; quia, etsi alios habeat effectus prædestinatio, absolutè est verum, prædestinationem esse præparationem gratiæ, & gratiam esse effectum eius. Fit tamen ab Augustino mentio solùm de illâ tanquam de præcipuo prædestinationis effectu, ad quem cæteri referuntur, seu ordinantur: quo non excludit alios effectus à se admissos alijs in locis. Videatur præsertim lib.1. ad Simplicianum quæst. 2. circa medium lib. de Dono perseuer. cap. 14. lib. de Corrept. & grat. cap.8. prope finem, & lib. de Prædestin. Sanctor. cap.14. ante medium.

13 Secundò opponuntur Patres Africani cum Augustino epist. 95. ad Innocentium Papam versus medium dicentes. *Etsi enim quadam non improbandâ ratione dicitur gratia Dei, qua creati sumus, vt non nihil essemus, &c. alia tamen est, qua prædestinati vocamur, iustificamur, & glorificamur.* Deinde ipse August. epist.105. in illud Apostoli ad Roman. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius*, inquiens. *Non istam gratiam commendat Apostolus, qua creati sumus, vt homines essemus, sed, qua iustificati sumus, vt homines iusti essemus. Ista est enim gratia per* IESVM *Christum* Dominum *nostrum. Etenim Christus non pro nullis, vt hominet conderentur, sed pro impijs mortus est, vt iustificarentur.* Quibus Patres ab effectibus prædestinationis, & à meritis Christi apertè videntur excludere beneficia creationis. Respondeo cum Herice, Ruiz, & alijs Recentioribus, prædictos Patres solùm intendere, creationem, & cætera naturalia dona, præcisè prout naturalia sunt, ad finem tantùm naturalem suapte naturâ ordinata, & Reprobis etiam communia, nec esse effectus prædestinationis, nec meritorum Christi. Hoc tamen non tollit, ea, prout ad gratiam, gloriamque supernaturalem conducunt, eleuantur, & ordinantur à Deo, esse prædestinationis effectus, & per merita Christi conferri. Qui quidem, etsi non meruerit hominibus, vt absolutè essent, meruit tamen, vt essent iusti, & beati, & consequenter, quidquid confert ad eorum iustitiam, & salutem, prout ad illam confert.

14 Tertiò objicitur. Patres contendentes contra Pelagium, & eius Reliquias, ex parte Prædestinati nullum dari prædestinationis meritum, nunquam id probarunt: quia Prædestinatus suam existentiam, à qua eius prædestinatio incipit, non promeretur, in quo facilè Aduersarios conuincerent. Ergo supponebant, existentiam non esse effectum primum, à quo nostra prædestinatio sumit exordium. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia non erat instituti Patrum, probare, nullum præcedere meritum ad integram prædestinationem; (licèt & id obiter suis argumentis confecerint); sed prædestinationem ad gloriam, aut etiam ad gratiam ex meritis arbitrij non fieri, vt contendebant Pelagius, & eius Reliquiæ.

15 Quartò objicitur. Si substantia Prædestinati, bona indoles, aut alia dona naturalia essent effectus prædestinationis, illa quidem ad gratiam vocationis conducerent. Vnde ex parte Prædestinati daretur causa primæ gratiæ. Aft id dici non potest. Ergo. Respondeo, dici non posse, ex parte Prædestinati dari causam primæ gratiæ per modum meriti, aut dispositionis moralis. Causam vero physicam receptiuam primæ gratiæ, qualis est substantia Prædestinati, aut ad eius efficaciam iuuantem, qualiter iuuat bona indoles iuxta sententiam August. lib. de Dono perseuer. cap. 14. ex parte Prædestinati negari non posse. Imo aliquando bona naturæ occasio sunt, quam Deus accipit, aut conditio, quam intuetur ad conferenda dona gratiæ, iuxta doctrinam datam disp.42. quæst.4. propos.6. Quod satis est, vt illa inter prædestinationis effectus comprehendantur. Adde, negari non posse, bona naturæ aliqua ratione conducere ad iustificationem, & gloriam Prædestinati, etsi negetur, esse ea prædestinationis effectus. Vnde argumentum factum, quod in eâ conducentia nititur, nihil speciale contra nos præstat, sed ab omnibus est soluendum. Mitto alia leuiora apud Ruiz supra sect. 7. & 8.

16 Denique objiciunt alij. Existentia non potest esse beneficium; quia non supponit subiectum, cui donetur. Ergo nec potest esse prædestinationis effectus. Rursus forma nequit efficaciter amari, nisi subiecto existenti. Ergo beatitudo efficaciter amata supponit existentem Prædestinatum. Ergo existentia Prædestinati nequit esse effectus amoris efficacis suæ beatitudinis, atque adeo nec prædestinationis. Ad primum respondeo, beneficium sumptum pro dono indebito non debere supponere subiectum, sed posse esse ipsam subiecti substantiam, vt supponunt Patres Africani cum Augustino relati num.13. Ad secundum dico, optimè posse amari etiam efficaciter formam subiecto nondum existenti, dummodò pariter subiectum ipsum efficaciter decernatur siue eodem, siue distincto decreto: de quo modò non curo. Addo tamen, vt existentia Prædestinati sit prædestinationis effectus iuxta sententiam non admittentem prædefinitionem gloriæ, sat esse, illam speciali affectu decernere ex simplici ipsius gloriæ intentione. Quo friget argumentum.

17 Postremo objicitur. Bona naturalia eueniunt iuxta exigentiam causarum naturalium. Ergo non sunt effectus prædestinationis. Nego consequentiam. Quia ipsa naturalis dispositio rerum, vnde ea exigentia prouenit, specialiter est ordinata à Deo in gloriam Prædestinatorum.

QVAESTIO III.

Vtrùm malum, vel permissio eius sit effectus prædestinationis.

18 EX doctrinâ præcedentis quæstionis constat, mala pœnæ, & defectus bonorum naturalium,

lium, quæ supponunt existentiam Prædestinati, effectus prædestinationis esse defacto, quoties reipsà ad gloriam Prædestinati aliqua ratione conducunt. Quoniam, cùm huiusmodi mala simpliciter sint bona directè amabilia à Deo, eligibiliaque in ordine ad gloriam Prædestinati, in quam aliquo modo reipsà videntur influxura; nihil eis deest, quominùs in effectus prædestinationis computentur, æ naturalia bona, de quibus quæst. præced. tractatum est. Itaque, esse cæcum, claudum, surdum, gibbosum, ægræ valetudinis, pravæ complexionis, hebetioris ingenij, dificilioris indolis, & alia id genus, sæpe inter prædestinationis effectus locum habebunt; quatenus vel peccata præpediunt, vel materiam suppeditant virtutum. Tantum demque censendum est de paupertate, erumnis, laboribus, fame, siti, bello, præmaturà, aut violentà morte, de cæterisque huiusmodi calamitatibus huius vitæ; quæ non rarò viam sternunt ad æternam.

19 De malis verò culpæ siue peccatis certum est, non posse esse prædestinationis effectus, vt dicebamus quæst. 1. num. 1. quia non possunt amari à Deo, neque esse effectus eius. Idque non solùm quoad malitiam formalem, vt constat; sed neque quoad materialem actionem, prout est ab homine, quo pacto sibi habet annexam malitiam, iuxta doctrinam communem stabilitam suo loco contra admittentes prædefinitionem actionis materialis peccati. Aliud est de actione physicà peccati prout est à Deo concurrente cum homine, vt impleat munus causæ primæ; quo pacto ne materiale quidem peccatum est, vt sæpe aliàs dixi. Vnde nihil vetat, eam vt sic amari à Deo, & inter prædestinationis effectus connumerari.

20 Potissima ergo, eaque celebris huius quæstionis difficultas est de permissione peccati, an ea sit, aut esse possit effectus prædestinationis. Negant Vazq. 1. p. disput. 93. cap. 2. Arrubal disput. 82. Beccan. tract. 1. cap. 14. quæst. 3. num. 15. Mœrat. disput. 39. Veken. disput. 27. cap. 2. Carler. disput. 44. sect. 3. Idem censet Herice de facto disput. 30. cap. 6. addens, de possibili posse permissionem peccati aliter, quàm medio peccato, conducere ad gloriam Prædestinati, sicque esse prædestinationis effectum; vt si Deus alicui reuelet permissionem sui peccati, ex eáque reuelatione moueatur ad se humiliandum. Cum Hericè sentiunt Alarc. tract. 4. dispnt. 4. cap. 5. & Gaspar Hurt. disput. 3. de Prædest. diff. 6. Soar. verò lib. 2. de Concursu Dei cap. 5. ad 4. & lib. 3. de Prædest. cap. 8. Cartagena discursu 10. dub. 2. Molin. 1. p. quæst. 23. art. 2. disput. 3. & ibidem Bann. Nazar. Zumel, Cursus Carmel. Ioan. a S. Th. Gonzal. alijque Tomistæ communiter, Fasol. dub. 4. Granad. tract. 6. disput. 5. Ruiz disput. 23. de Prædest. Tann. disput. 3. quæst. 3. dub. 3. Franc. Amic. disput. 15. sect. 5. Franc. de Lugo disput. 42. cap. 4. Ribas disput. 4. cap. 8. Albiz tract. 3. disput. 4. sect. 13. Arriag. disput. 38. sect. 4. & alij plures docent, permissionem peccati effectum prædestinationis esse de facto. Limitant tamen Soar. Cartagena, Gonzal. Fasol. Tann. & alij ad permissionem peccati prout conducentem ad humilitatem, aut aliam similem virtutem occasionaliter dumtaxat oriundam ex peccato. Putant enim, non posse à Deo peccatum permitti ex intentione pœnitentiæ faciendæ de illo; supponentes, pœnitentiam (aliter quàm humilitatem) peccatum supponere essentialiter, atque ita nec posse permissionem peccati esse prædestinationis effectum relatè ad pœnitentiam. Sed hanc limitationem expressè reijciunt. Ruiz. Amic. & cæteri communiter. Contra eamque differit latè Quiros tom. 2. disput. 22. & 23. comprobans multis, posse Deum ante absolutè præuisum peccatum efficaciter prædefinire pœnitentiam de illo.

Suppono primò, permissionem peccati (scilicet obiectiuam dequa sermo est) aliud non esse à negatione auxilij efficacis, & collatione sufficientis ad non peccandum, suppositâ potestate ad peccandum. Vnde permissio peccati bonum quoddam est amabile, & causabile à Deo; de factoque sæpissimè amatum, atque causatum, vt est certissimum. Quo fit, vt ex hoc capite nihil permissioni peccati desit, quominùs possit esse effectus prædestinationis, vt in confesso apud omnes est. 21

Hinc suppono secundò, si quando permissio peccati aliâ viâ, quàm medio peccato, conducat ad gloriam Prædestinati, dubium non esse, quin eâ ratione possit esse effectus prædestinationis. Tota enim difficultas in eo posita est, an casu, quòd permissio peccati non aliter, quàm medio peccato, ad gloriam Prædestinati conducat, vti de facto semper accidit; (eo quòd illa naturaliter aliter, quàm medio peccato, non est ab homine cognoscibilis); possit nihilominùs esse effectus prædestinationis. Videtur enim non posse: quia Deus illam ad gloriam Prædestinati, ad quam medio peccato est vtilis non videtur posse ordinare, nisi amando peccatum; quod ei repugnat. Hinc fit, casum illum ab Herice propositum à nemine posse in controuersiam vocari. Nam, si aliquis circa permissionem peccati sibi reuelatam à Deo aliquem actum virtutis exerceret proficuum ad salutem, quis dubitet, potuisse Deum ex intentione talis actus, ad quem permissio media sui reuelatione per se conduceret sine interpositione peccati, ipsam permissionem eligere? Quo nihil deesset, vt ea esset prædestinationis effectus. 22

Suppono tertio, actum internum virtutis bifariam posse supponere peccatum, siue circa illud versari, siue illud respicere. Primò vt obiectum directum. Secundò vt obiectum indirectum, seu connotatum. Primo modo respecit peccatum quilibet actus pœnitentiæ, siue doloris, siue odij de peccato ipso, Secundo modo respicit peccatum actus vindictæ, quo quis vult vel sibi, ipsi, vel alteri aliquid molestum infligere in pœnam, siue punitionem peccati. Necnon quinis actus humilitatis in peccato fundatus, quo quis vel se ipsum tanquam peccatorem contemnit, vel vult contemni ab alijs vt talem; vel sibi vt peccatori omnem despectum, ac velipendium optat, omnemve honorem, æstimationemque detestatur, &c. Vtrouis autem ex istis modis versetur actus virtutis circa peccatum, ipsum respicit essentialiter, vt ex vniuersali doctrinâ traditâ supra disput. 32 quæst. 5. aliasque sæpe tactâ constat. Vnde apparet, non bene Soar. & Asseclas diuerso modo philosophari in præsenti de pœnitentiâ, ac de humilitate oriundâ ex cognitione peccari: quasi illa essentialiter respiciat peccatum, hæc verò non item: ambæ quippe citra dubium respiciunt, tametsi diuersis modis, prout dictum est. Possunt tamen nihilominùs esse alij actus virtutis ita occasionaliter oriundi ex cognitione peccati, vt nullo respectu sibi intrinseco rispiciant 23

peccatum ipsum, vt pote quod ex parte obiecti eorum nullo modo se habet; sed eatenus solùm ad eorum existentiam occasionaliter conducit, quatenus homo per illius cognitionem excitatur ad tales actus eliciendos; vt quando quis, videns se in tali occasione peccasse, proponit illam fugere, ne iterum peccet, &c.

24 Suppono quartò, actus virtutum, quos homines pro statu præsente eliciunt essentialiter respicientes peccatum, essentialiterque subinde connexos cum illo, dumtaxat esse tales, saltem vt plurimùm, respectu peccati prout cogniti, atque adeò prout obiectiuè existentis in sui cognitione; secus prout physicè existentis à parte rei. Quia cognitiones, quas homines pro statu præsente concipiunt de existentiâ peccati, saltem vt plurimùm, sunt metaphysicè fallibiles, quantumuis sint euidentes physicè, vel moraliter; existereque proinde possent simul cum actibus virtutum subnixis illis, etiam si peccatum reipsâ non esset, vti iudicatur esse per illas. Quare tales virtutem actus cum physicâ existentiâ peccati, quam suapte essentiâ respiciunt prout apprehensam, siue cognitam, tunc solùm metaphysicè connexi erunt, quando cognitiones de illâ, quibus nituntur, metaphysicè infallibiles fuerint, vt, si quando sint actus fidei diuinæ, aut iudicia tantæ euidentiæ, quanta opus est ad metaphysicam connexionem eorum cum suis obiectis, iuxta doctrinam à nobis traditam in 1 haro Scient. disput. 4. quæst. 3. Cæterùm, quanquam casus isti de facto aut rari, aut fortè nulli sint, ponamus pro maiore firmitate doctrinæ tradendæ in hac quæstione, omnes actus virtutum, suapte essentiâ respicientes peccatum existens, metaphysicè connexos esse, non tantùm cum intentionali, sed etiam cum physicâ, & reali existentiâ eius. Quibus suppositis sit.

Propositio 1.

25 Permissio peccati defacto sæpe est effectus prædestinationis tum eius, cui peccatum permittitur, tum etiam aliorum. Idque, quatenus medio peccato conducit ad eorum salutem.

Probatur efficaciter ex Scripturâ, & Patribus sæpe asserentibus, Deum permittere peccata propter fructum spiritualem ex illis prouenturum, tum ipsis peccatoribus, tum alijs. Ad Roman. 11. *Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, vt omnium misereatur.* Ad Galatas 3. *Conclusit Scriptura omnia sub peccato, vt promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus.* Ad Rom. 8. *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti*, id est, Prædestinatis. *Omnia*, addit Glosa, *etiam peccata.* Et August. lib. de Correpț. & gratiâ cap. 9. post medium, *Vsque adeò prorsus omnia, vt etiam, si qui eorum deuiant, & exorbitant, etiam hoc ipsum eis faciat proficere in bonum; quia meliores redeunt, atque doctiores.* Nam, vt ait ipse August. lib. de Naturâ, & gratiâ cap. 28. *Deserit aliquantum Deus, vnde superbis, vt scias, non tuum, sed eius esse, & discas, superbus non esse.* Et tract. 37. in Ioan. prope finem agens de peccato Iudæ ait. *Malo eius benè vsus est Dominus: tradi se pertulit, vt redimeret nos.* Et serm. 124. agens de peccato D. Petri. *Videte ergo*, inquit, *fratres charissimi, quemadmodùm exiguæ culpæ permittitur subiacere tantus Apostolus, vt emendatus elationis vitio, atque correctus integrò vestiatur moderationis, & clementiæ indumento.* In quam culpam permissus est cadere Petrus, dicit Gregor. Homil. 21. in Euangel. *Vt is, qui futurus erat Pastor Ecclesiæ, in suâ culpâ disceret, qualiter alijs misereri debuisset.* Chrysost. autem in homil de Adam, & Eua ait. *Preuidit per omnia Deus quanta facere habuit bona de transgressione hominis, & ideo illam permisit.* Et S. Thom. 1. 2. quæst. 79. art. 4. *Deus permittit, aliquos cadere in peccatum, vt peccatum suum agnoscentes humilientur, & conuertantur.* Damascen. lib. 2. Fidei cap. 29. ait. *Permittitur quis quandoque in turpem actionem incidere ad emendationem deterioris affectus; verbi causâ quis est clarus in virtutibus, & rectè factis suis: hunc sinit Deus in adulterium prolabi, vt per casum in propriæ infirmitatis cognitionem veniens confiteatur Domino.* Et rursus ibidem. *Interdum deseritur quis in malis ad vitam aliorum in melius commutandam.* Similiter Isidorus lib. 2. de Summo bono cap. 29. in medio. *Ideo nonnunquam electi lapsu carnali corruunt, vt à vitio superbiæ sanentur, & carnis vitio humilientur, vt surgant.* Declarat id ipsum Nyssenus Orat. de dormientibus post medium exemplo medici, qui suis monitis salutaribus oppositum persuadere non potens, *Permitteret filio, vt re noxiâ verseretur, quo morbi molestiâ, aut dolore aliquo affectum, neque ipsâ paterni consilij vtilitatem agnoscentem, valetudinisque cupidionem medicamentis suis in pristinum reduceret statum, vnde propter stultam cibi pestiferi cupiditatem excidisset.* Nemesius de Facultatibus animæ cap. 44. fine. *Deseritur*, inquit, *quis ad tempus ad correctionem alterius, vt eius casu cæteri intuentes erudiantur.* Denique Ambrosius agens de Pœnitenti à Dauid in priore Apologiâ Dauid. cap. 2. ait. *Aliàs quoque prodesse peccatum, possumus comprehendere, & prouidentiâ Domini Sanctis obrepsisse delicta. Propositi enim ad imitandum nobis sunt; & ideo curatum est, vt & ipsi aliquando laberentur.* Et paulò post. *Præterijt igitur paulis per illos Dei gratia, vt nobis ad imitationem vitæ eorum fieret disciplina; &, sicut innocentiæ, ita & pœnitentiæ magisterium de eorum actibus sumeremus.* Mitto alia.

26 Respondent Vazq. & Herice, Scripturam, & Patres ad modum vulgarem loquendi se accommodare; iuxta quem particula *vt* non finem operantis, sed euentum ex operatione sequutum significare solet. Qua ratione D. Petrus. Actor. 1. dixit, *De quo prænaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum.* Cùm tamen Iudas id non fecerit ex intentione abeundi in talem locum. Hæc tamen solutio non satisfacit. Primò; quia quoties Scriptura, & Patres in propriâ significatione accipi possunt citra incommodum, vti in præsenti accidit, non est confugiendum ad minùs propriam. Secundò; quia sæpius adiungunt Patres alias particulas, quæ manifestè indicant sensum causalem, videlicet, *ideo, cur, prouidentiâ Dei factum est, curatum est, vt, &c.* Et sanè, loqui Patres in sensu causali in plerisque locis citatis, ex ipsis eorum verbis, atque contextu adeò videtur notum, vt, re sincerè inspectâ, non videatur posse negari.

27 Aliter respondet Arrubal. Nempe, permissionem peccati eligi quidem à Deo interdum ex intentione dandi humilitatem; quia vtilis est ad ostendendam infirmitatem hominis. Hanc tamen

men aliter, quàm per peccatum, cognosci posse, nempe in ipsa tentatione, & multitudine prauarum cogitationum; quæ peccatum præcedunt. Minus satisfacit hæc solutio. Quia Patres expressè loquuntur de humilitate, aliove spirituali fructu capiendo ex cognitione ipsius peccati commissi, vt ex relatis eorum verbis notum est. Et quidem ad alios fructus, qui ex tentatione præcisè colligi possunt, permissio peccati non conducit; tum quia quæuis tentatio sine permissione peccati potest existere; tum quia tentatio, non per permissionem peccati, sed per se ipsam innotescit. Imo verò permissio peccati naturaliter aliter, quàm mediâ experientiâ ipsius peccati commissi, cognosci non potest.

28 Quæ cum ita sint, probo iam, ex mente Patrum nihil deesse permissioni peccati, quominùs possit esse, & sit defacto prædestinationis effectus. Quoniam, vt constat ex doctrinâ quæstionis præcedentis, quidquid re ipsâ qualibet ratione conducit ad gloriam Prædestinati proximè, vel remotè, effectus est prædestinationis eius, si aliàs ex intentione gloriæ ipsius sit amabile à Deo amore speciali erga Prædestinatum; quæ sunt conditiones requisitæ quæst.1. Sed permissio peccati reipsâ conducit ad gloriam Prædestinati, quatenus causa, aut occasio est humilitatis, aut alterius virtutis oriundæ ex cognitione peccati, qua promeretur Prædestinatus gratiam, & gloriam: & aliàs, contestantibus Patribus, ex affectu talis virtutis, & consequenter magis remotè ex intentione gloriæ Prædestinati amatur à Deo; idque, quia præuidetur in talem virtutem, & consequenter in ipsam gloriam reipsâ influxura, seu conductura: quod est, amari affectu speciali erga Prædestinatum. Ergo nihil deest permissioni peccati, quominùs possit esse, & sit defacto effectus prædestinationis.

29 Sed superest modò declarandum, quomodò permissio peccati possit amari à Deo ex intentione virtutis oriundæ ex cognitione peccati, atque adeò supponentis peccatum existens, prout attestantur Patres, quin ipsum peccatum ametur. Videtur enim, id esse impossibile; quia permissio peccati, non per se immediatè, sed medio peccato, est vtilis ad talem virtutem. Videtur autem repugnare, vt medium remotum ex intentione finis ametur, non amato proximo, per quod dumtaxat conducit ad ipsum finem.

30 Docti Recentiores, qui nobiscum in sententiâ conueniunt, censent, permissionem peccati prout vtilem ad virtutem circa peccatum exercendam ex intentione ipsius virtutis amari à Deo non posse, non amato peccato; quia non est vtilis, nisi medio peccato; atque adeò nec posse à Deo eligi ex tali fine per electionem, quam appellant formalem. Ast posse amari, non vt vtilem ad talem virtutem, sed ex alio motiuo, ita tamen, vt intentio ipsius virtutis influat in huiusmodi amorem, eâ ratione, qua actus imperans influit in imperatum: quem propterea amorem electionem materialem permissionis peccati appellant; sufficientemque esse, arbitrantur, vt per illum permissio peccati ex fine supradictæ virtutis amari dicatur. Non placent. Primò: quia huiusmodi electiones materiales non sunt possibiles in Deo, eo quòd intentio finis non valet voluntatem intendentis mouere ad alium actum, præterquam ad electionem formalem, vt supra disp. 36. quæst.4. propos.5. probatum est. Secundò: quia testimonia Patrum producta, planè significant, Deum per electionem formalem eligere permissionem peccati. Nam velle permittere peccatum, vt homo humilietur, cautior euadat, aut pœnitentiam agat, nihil aliud sonat iuxta proprietatem sermonis, quàm velle permissionem peccati, vt vtilem ad eos fines. Si enim Deus non vellet permissionem peccati vt vtilem ad humilitatem hominis, sed tantùm vt vtilem ad ostensionem sui dominij, estò desiderium humilitatis hominis in volitionem permissionis peccati reipsâ influeret, non diceretur Deus, aut certè impropriè diceretur, velle permittere peccatum, vt homo humiliaretur; sed tantùm, vt ipse eâ permissione suum dominium ostentaret. Tertiò; quia incommodum, quod Recentiores vitare intendunt suâ electione materiali, certè non vitant. Si enim permissio peccati, vt dicunt, nequit amari sine peccato prout vtilis ad humilitatem; quia tantùm est vtilis ad illam medio peccato. Neque intentio humilitatis poterit ob eamdem rationem mouere ad amorem permissionis peccati, qui sit electio materialis, nisi mouendo etiam ad amorem peccati. Nulla quippe congrua ratio potest excogitari, cur vtilitas remota ad finem possit causari sine proximâ per intentionem finis, & non possit amari sine proximâ per electionem formalem. Quandoquidem vtilitas remotâ sine proximâ non minùs videtur inutilis respectu intentionis valentis solùm mouere ad id, quod est vtile; quàm respectu electionis formalis valentis tantùm amare, quod vtile est.

Dicendum ergo est, Deum per electionem formalem optimè posse amare permissionem peccati vt vtile remotè ad virtutem circa peccatum exercendam, nullatenus amato peccato, sed connotato dumtaxat prout aliunde extituro, nimirum ab arbitrio creato. Quia medium remotum optimè potest ex intentione finis eligi formaliter vt vtile ad finem mediatâ vtilitate, nullatenus volitâ, sed connotatâ tantùm vtilitate medij proximi, præsertim, quando medium proximum ab intendente finem præuidetur aliunde extiturum ex hypothesi, quòd ab ipso ponatur existens medium remotum; prout supra disput. 36. quæst.4. propos.6. vniuersè monstratum est. Recognoscatur doctrina tradita ibi, & ad rem applicetur. Iuxta quàm Deus præuidens futurum peccatum, & ex peccato virtutem, & ex virtute gloriam ex hypothesi, quòd ponatur peccati permissio, optimè potest ex efficaci intentione gloriæ eligere, decernereque efficaciter ponere permissionem ipsam vt contingendam cum illis tribus suo ordine, (quo pacto est speciale bonum Prædestinati); quin opus sit, vt per eiusmodi electionem aliquod eorum ametur: tametsi omnia tria necessariò connotari vt futura debeant. Dabit his lucem solutio argumentorum, de quibus postmodùm. Quomodò autem Deus citra omne incommodum possit velle efficaciter auxilium inefficax prout inefficax inclusum in permissione peccati supra disp.40.quæst.4 expositum, atque probatum à nobis est. 31

Propositio 2.

Permissio peccati, non solùm relatè ad humilitatem per lapsum acquirendam potest esse prædestinationis effectus, sed etiam relatè ad pœnitentiam, & ad quamlibet aliam virtutem connexam cum peccato.

Probatur propositio primò ex Patribus supra citatis. Quorum plerique apertè significant, finem permissionem peccati aliquod bonum virtutis esse supponens suopte conceptu existentiam peccati, connexumque subinde cum illâ: & aliqui de ipsius peccati pœnitentiâ loquuntur expresse. Secundò probatur ratione. Quia Deus præintendens pœnitentiam, ad illamque ordinans vt medium permissionem peccati, non propterea cogitur amare peccatum, adhuc virtualiter, vt ex dictis propos. 1. & ex argumentorum solutione constabit. Ergo nihil est, quod impediat, permissionem peccati esse prædestinationis effectum, etiam relatè ad pœnitentiam, ad aliamve virtutem suâ naturâ supponentem peccatum, seu cum illo connexam. Tertiò probatur ad hominem contra Soar. & suos concedentes, humilitatem peccatoris sæpe esse finem intentum à Deo in permissione peccati, (vt expresse Patres affirmant); & id negantes de pœnitentiâ. Nam, vt vidimus suppositione tertiâ, humilitas capta ex peccato non minùs est connexa cum illo, quàm pœnitentia, tametsi diuerso modo diuersitate, quæ ad rem non interest, vt est notissimum.

32

33 Restat igitur, vt argumenta diluamus, quæ nobis ad aduersarijs obijci solent. Sit primum. Qui vult efficaciter finem, tenetur velle etiam media necessaria ad finem. Sed tale est peccatum respectu actus pœnitentiæ. Ergo Deus præintendens pœnitentiam non potest non velle peccatum. Nec valet, quod respondent aliqui, peccatum non esse medium influens in pœnitentiam, sed potiùs materiam per pœnitentiam destruendam; atque adeò non opus esse, vt illud ametur ab intendente pœnitentiam. Quoniam intentio efficax finis ad id omne amandum necessitat, sine quo finis intentus neque obtineri potest, neq; existere. Certum est autem, pœnitentiam sine præexistente peccato neque haberi, neque existere posse; estò sit illud materia per pœnitentiam destruenda. Nam hoc quid interest? cùm destructio rei essentialiter rem ipsam destruendam supponat. Respondeo ex doctrinâ tradita disput. 36. quæst. 4. propos. 2. qui vult efficaciter finem, tunc solùm necessitari ad volendum id, sine quo finis esse non potest, quando illud aliunde futurum non præuidet aut absolutè, aut sub conditione alterius medij ab ipso ponendi. Et quoniam Deus, dum efficaciter pœnitentiam prædefinit, præuidet peccatum futurum à voluntate humanâ, casu, quòd ipse illud permittat: id circo ex intentione pœnitentiæ efficaci dumtaxat tenetur Deus ad permittendum peccatum; nec opus est, vt illud amet aliquo modo. Positâ enim à Deo permissione peccati, reipsâ, & infallibiliter existet peccatum: quod solum, & non ampliùs exposcit intentio efficax pœnitentiæ.

34 Secundo arguitur. Qui vult efficaciter rem connexam, virtualiter censetur velle terminum connexionis eius. Ergo Deus volens efficaciter pœnitentiam, virtualiter, vult peccatum, cum quo ipsa connectitur. Quod etiam Deo repugnat. Distinguo antecedens. Qui vult efficaciter rem connexam, censetur velle virtualiter terminum connexionis eius, quando hunc non præuidet aliunde existentem, aut exiturum; transeat: quando præuidet; nego. Et nego consequentiam. Alioquin nec post præuisum existens absolutè peccatum liceret, velle efficaciter pœnitentiam de illo. Quod est absurdum.

Tertiò obijcitur. Prædefinitio efficax pœnitentiæ impedit eius libertatem. Ergo permissio peccati relatè ad pœnitentiam effectus prædestinationis esse non potest. Nego antecedens. Quia nulla prædefinitio intentiua impedit libertatem actus prædefiniti, vt abundè confeci disput. 39. quæst. 2. Adde, hæc argumenta, etsi probarent, quod assumunt, nihil ad rem præstare, stando in sententiâ non admittente prædefinitiones. Iuxta quam, vt permissio peccati sit effectus prædestinationis relatè ad pœnitentiam, satis est, hanc præintendi à Deo simplici affectu. 35

Quarto obijcitur. Si Deus intenderet pœnitentiam ante præuisum absolutè peccatum, non posset displicere, imo nec posset non complacere de existentiâ peccati. Quia amans finem, præsertim efficaciter, nequit displicere, nec non complacere de illo, sine quo finis esse non potest: sicut nec potest non displicere de impedimento opposito, quale esset hic carentia peccati: eo quòd amor efficax finis odium est, saltem virtuale, eorum omnium, quæ impedirent consequutionem finis. Respondeo, Deum amantem pœnitentiam ante præuisum absolutè peccatum optimè posse simul displicere de existentiâ peccati, non quidem efficaci, sed inefficaci displicentiâ: sicut displicet, quando amat pœnitentiam post præuisum absolutè peccatum. Si enim de eodem obiecto potest esse simul amor efficax, & displicentiâ simplex, vt patet in proijciente suas merces in mare ad euadendam mortem; cur non poterunt simul esse amor efficax vnius obiecti, & simplex displicentia alterius cum quo primum connexum est? Ex quo patet, nullo titulo teneri Deum, amando efficaciter penitentiam siue ante, siue post præuisionem absolutam peccati, ad complacendum, adhuc simpliciter, de existentiâ peccati: sicut nec tenetur displicere de carentiâ peccati. Nam amor efficax finis tunc vt summùm est odium virtuale eorum, quæ impedirent consequutionem finis, quando ea aliunde non præuidentur auferenda, seu non ponenda. Quod in nostro casu non euenit. 36

Quintò obijcitur. Amor efficax pœnitentiæ nullatenus potest componi cum odio efficaci, atque impeditiuo peccati. Ergo amor efficax pœnitentiæ est amor virtualis peccati. Antecedens est certum. Quia cùm pœnitentia nequeat esse sine peccato, repugnat, affectum cum pœnitentiâ connexum, qualis est amor efficax eius, componi cum affectu connexo cum negatione peccati, qualis est odium efficax ipsius peccati. Probatur ergo consequentia. Quia duo affectus non pugnant inter se, nisi versentur formaliter, vel virtualiter circa idem obiectum. Hoc argumentum, si quid probaret, probaret etiam, amorem efficacem pœnitentiæ supponentem absolutam præuisionem peccati; necnon amorem efficacem permissionis peccati, qui supponit præuisionem conditionatam eius, esse amores virtuales ipsius peccati 37

cati; (quod est absurdum): quia vterque essentialiter est incompatibilis cum odio efficaci peccati. Nego igitur consequentiam primi enthymematis, & eius probationem. Quia, vt duo affectus inter se pugnent, non opus est, vt formaliter, vel virtualiter versentur circa idem obiectum, vt patet in exemplis adductis. Itaque amor efficax pœnitentiæ connexæ cum peccato, vt summùm est amor virtualis alicuius, cui infallibiliter præuidetur annexum peccatum. Qualis est eius permissio.

38 Sextò obijcitur. Ex intentione pœnitentiæ nequit amari permissio peccati, nisi vt vtilis ad pœnitentiam. Sed non est vtilis, nisi medio peccato. Ergo ex intentione pœnitentiæ non est amabilis sine peccato. Huic argumento satisfeci num. 31. repudiatâ num. 30. solutione exhibitâ à Recentioribus.

39 Septimò obijcitur. Effectus prædestinationis debet esse gratia, & beneficium Prædestinati. Sed talis non est permissio peccati; cùm potiùs sit negatio gratiæ. Ergo. Distinguo maiorem. Effectus prædestinationis debet esse gratia, & beneficium Prædestinati intrinsecè & ratione sui; nego: intrinsecè, vel causatiuè, siue occasionaliter; concedo. Et, distinctâ eodem modo minori; nego consequentiam. Itaque estò permissio peccati in se præcisè non sit gratia, est tamen quatenus est occasio humilitatis, feruoris, vel pœnitentiæ, atque adeò etiam gloriæ Prædestinati. Sed instabit aliquis. Permissio peccati non est occasio eorum bonorum, nisi medio peccato. Ergo potiùs est mala, quàm bona Prædestinato. Cui melius esset non peccare, quàm lucrari ea omnia bona, quæ obueniunt ex peccato. Ergo nequit esse eius beneficium, atque adeò nec prædestinationis effectus. Respondeo, estò permissio peccati reipsâ sit Prædestinato magis mala, quam bona, ratione eorum, quæ ex ea sequuntur, posse nihilominùs eam esse effectum prædestinationis eius. Primò; quia reipsâ conducit in gloriam, quod est in eâ magnum bonum, etsi coniunctum cum maximo malo. Quo iure vel de ipso peccato dixit August. lib. 14. de Ciuitat. Dei cap. 13. *Audeo dicere, superbis esse vtile cadere in aliquod apertum, manifestumque peccatum, vnde sibi displiceant.* Secundò; quia, prout venit à Deo, qua ratione est gratia, & beneficium, simpliciter est bona. Quia Deus nullo modo est causa mali, quod illa secum fert; cùm tamen sit causa per se bonorum, quæ ex illâ sequuntur, hoc ipso, quòd ex eorum intentione, non item ex intentione peccati, decernit illam. Vide dicta in simili supra disput. 40. quæst. 3.

40 Octauò obijcitur. Si permissio peccati est effectus prædestinationis, sequitur, posse vnumquemque sibi, vel alteri desiderare; atque etiam petere à Deo permissionem peccati. Cùm tamen oppositum sit petendum iuxta illud Orationis Dominicæ. *Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos à malo.* Sequitur etiam, Christum Dominum nobis permissionem peccati promeruisse; ad idque mortuum esse, vt homines labi in peccata sinerentur. Quod videtur absurdum. Ad hoc argumentum omnes tenentur respondere. Quia, licèt permissio peccati non possit esse prædestinationis effectus (quod forsan nemo negare potest loquendo iuxta dicta num. 22.) attamen omnes tenentur confiteri, eam esse obiectum bonum, & ex aliquo fine honesto amabile à Deo efficaciter. Ex quo eâdem vi potest inferri, illam tum sub desiderium nostrum, & orationem, tum sub Christi merita posse cadere. Respondeo ergo, neminem posse vbi desiderare, aut petere ex vllo fine permissionem peccati. Quia omnes peccatum proprium totis viribus tenentur fugere, nedum non expetere, & mediâ oratione procurare occasionem, ex qua illud infallibiliter est sequuturum, qualis est peccati permissio. Nec refert, hanc à Deo efficaciter posse amari. Quia plura licent Deo, quæ homini licita non sunt. Ob id præscribitur in oratione Dominicâ, vt postulemus à Deo, ne nos sinat labi in peccatum. Sic sentit Ruiz disput. 23. sect. 2. num. 9. Et docti Recentiores. Cæterùm, quanquam nemo possit vnquam licitè desiderare, aut petere permissionem peccati proprij ob strictam obligationem, quam vnusquisque semper habet ad euitandum, seu impediendum proprium peccatum: ast permissionem peccati alterius, non est, cur non possit homo aliquando licitè desiderare, & petere ex honesto aliquo fine, vt docet Herice vbi supra, & docti Recentiores. Quia iuxta communem doctrinam Theologorum in Tractatu de Scandalo, non semper tenetur homo euitare, seu impedire peccatum alterius, sed aliquando potest illud permittere, etiam ponendo positiuè occasionem, ex qua illud præuidet sequuturum, sicque præbendo occasionem, vt dicunt, scandali patiui alterius. Quia hoc ex rationabili causâ iuxta sententiam omnium licitum est. Hoc autem ipsum est, posse hominem licitè velle efficaciter permissionem peccati alterius. Poterit igitur & illam petere, quando rationabilis causa adfuerit ad vtrumque. Quòd si id purus homo licitè potest, multò potiori iure dicendus est Christus Dominus potuisse. Quem propterea sæpe petiuisse, impetrasse, & promeruisse permissiones peccatorum conformando se voluntati Patris propter bona ex illis hominibus prouentura, aut etiam propter alia motiua voluntatis Paternæ, dubitabile non videtur. Videatur Herice loco citato.

QVAESTIO IV.

Quæ dona supernaturalis ordinis sint prædestinationis effectus.

VIx est in hac quæstione difficultas alicuius momenti. Ob id materiam eius percurram breuiter. 41

Propositio 1.

Omne donum supernaturale gratiæ de facto conducens ad gloriam Prædestinati effectus est prædestinationis eius. 42

Ita docent omnes Theologi contra vnum Gabrielem malè censentem, solam gloriam dicendam esse effectum prædestinationis propriè sumptæ. Videantur Molina 1. par. quæst. 23. art. 2. disput. 3. Valent. ibid. punct. 3. Fasol. ibid. dub. 2.

Vazq.

Vazq.disput.93.cap.1.Soar.lib.3.de Prædest.à cap. 3.Cartag.discurs.3. Herice disput.30.à cap.2.Ruiz disput.22.de Prædest.Tann.disput.3.dub.1.& apud eos alij

43 Et quidem de vocatione, & iustificatione ex Paulo ad Roman.8.constat esse prædestinationis effectus, ait enim. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit.* Sub vocatione autem omnis gratia congrua actualis, sub iustificatione verò omnis gratia habitualis comprehendi potest, & cætera supernaturalia dona, quæ vtrique annectuntur, & in gloriam Prædestinati reipsà influunt quoquo modo. Cuncta enim hæc habere omnes conditiones requisitas ad prædestinationis effectus, non est dubitandum. Cùm id aperte colligatur ex Scripturâ, Concilijs, & Patribus, vt apud citatos Doctores videri potest. Et ratione manifestà monstratur. Nam dona hæc supernaturalia propria, & connaturalia media sunt, quibus homines à Deo ordinantur, atque perducuntur ad gloriam. Ergo, quando sunt efficacia respectu talis finis, non est ambigendum, quin speciali prouidentià, qualis prædestinatio est, ordinentur ad illum: quandoquidem & naturalia bona, quibus similis ordinatio extrinsecè, & præternaturaliter conuenit, huiusmodi etiam prædestinatiuæ prouidentiæ censentur effectus, quoties ad eumdem finem reipsà conducunt, vt vidimus quæst.2.

44 Itaque effectus prædestinationis est omnis gratia congrua, seu efficax ad actum supernaturalem reipsà conducentem ad gloriam. Si enim reipsà non conducat, vti in actibus factis in statu peccati potest accidere, si Deus intuitu meriti congrui eorum non conferat dona vlteriora, tunc nec gratia congrua, nec ipse actus erit prædestinationis effectus, vt constat ex dictis quæst. 1. Addo cum Soar.cap.6.num.5. Herice cap.3.num. 9.Ruiz sect.2.num.13.auxilia etiam sufficientia, seu inefficacia, quibus sæpe Prædestinati resistunt, posse esse, & sæpe esse defacto effectus prædestinationis eorum, quatenus aliter, quàm per actum, ad quem inclinabant, ad eorum gloriam conducunt, vel disponendo animum ad consensum vlteriori auxilio præstandum, vel præbendo materiam humilitatis, gratitudinis, aut alterius virtutis. Quo etiam pacto auxilia collata Reprobis, & quæuis omnino eorum opera seu bona, seu praua materiam obiectiuam præbere possunt virtutibus Prædestinatorum, atque ita ad prædestinationem eorum pertinere vt effectus. Ad gratiam denique auxiliantem pertinent externæ obiectorum propositiones factæ prædicatione, exhortatione, consilio, aut aliter quomodolibet, quæ quauis ratione conducunt ad gloriam Prædestinatorum, & prædestinationis effectus eadem de causâ censendæ sunt.

45 De actibus ipsis seu meritis Prædestinati pari ratione certum est, esse absolutè prædestinationis effectus. Sed dubitant aliqui, an tales sint, prout proueniunt à libero arbitrio Prædestinati vel tantùm, prout proueniunt à Deo. Quæstio tamen hæc solùm potest esse de nomine. Nam quod ad rem attinet, certum est, Deum non solùm esse causam actionis meritoriæ hominis, prout hæc immediatè, & physicè fluit ab ipso Deo concurrente cum arbitrio creato, sed etiam, prout fluit ab ipso arbitrio. Quia, vt constans est Scripturæ, Conciliorum, & Patrum phrasis, Deus non solùm operatur nobiscum; sed etiam facit, & causa est, vt operemur; quatenus ex intentione, vt nostrum arbitrium se se ad operandum determinet, confert nobis specialia auxilia, & alia comprincipia operandi; aliterque etiam per præceptum, consilium, aut exhortationem ad ipsam operationem concurrit, prout à nobis est. Itaque bifariam est Deus causa actionis honestæ; physicè, quatenus concursu vniuersali, & physico nobiscum illam cooperatur; & moraliter, quatenus per principia dicta, & ex dictâ intentione facit, vt nos illam operemur. Hoc posito, dubium non est, quin actio honesta prout à nobis sit effectus prædestinationis, quemmadmodùm est effectus Dei. Sed verò, sicut, esse effectum Dei, non habet præcisè, quia à nostro arbitrio physicè egreditur, sed quia vt physicè à nobis egressa prouenit moraliter à Deo. Ita etiam, esse effectum prædestinationis, non habet præcisè à nostro arbitrio, sed ab influxu Dei, etsi prout egressa à nobis sit prædestinationis effectus. Vide Ruiz sect.4.& 5.

Præparatio concursus generalis facta per 46
decretum indifferens, etsi non sit strictè prædestinationis effectus, quia non est quid productum ad extra, sed actus Dei internus: tamen non absiure inter prædestinationis effectus recenseri potest: quia medium quoddam est necessarium ad opera Prædestinatorum libera: proindeque ex peculiari affectu erga illos credendum est prouideri à Deo simul cum auxilio efficaci. Videatur Ruiz sect.30.

Iam verò simul cum gratiâ sanctificante 47
cæteri habitus supernaturalium virtutum, quæ ipsam comitantur, necnon perseuerantia in gratiâ vsque ad finem, & satisfactio pro pœna peccatis debita inter effectus prædestinationis censendæ sunt, quando hæc vel cum effectu ad gloriam essentialem conferunt, vel simul cum illâ ad animæ ornamentum, & accidentalem gloriam in Patriâ permansura sunt. Quippe Deus non solùm ad essentialem gloriam, sed etiam ad accidentalem prædestinat. His adde bona etiam aliorum supernaturalia, vt orationes, merita, &c. quæ ad gratiam, & gloriam Prædestinati conducunt, atque adeò effectus etiam prædestinationis eius censenda sunt. Vtrùm autem Incarnatio Christi Domini, & merita eius effectus etiam fuerint prædestinationis omnium hominum, in Tractatu de Incarnatione determinandum est post staturum motiuum ipsius Incarnationis.

Propositio 2.

Gloria etiam Prædestinati inter effectus prædestinationis numeranda est.

Ita S.Tho. 1.par. quæst.23. artic.2. & ibi 48
eius Interpretes. Molin. Valent. Vazq. Soar. Fasol. & Tann. supra, Herice cap. 4. Ruiz disput. 21. sect. 3. cum reliquis omnibus Theologis contra vnum Durandum asserentem oppositum, cui postea adhæsit Cartagena discursu 3. dub.2. Probatur autem ex loco Pauli num.43. citato, Vbi vocationi, & iustificationi, glorificationem etiam adiunxit tanquam prædestinationis effectum, dicens. *Quos autem iustificauit, illos & glorificauit.* Vt communiter sentiunt Patres, alijque Interpretes huius loci, qui apud citatos Doctores videri possunt, præsertim apud Soar. & Ruiz. vide-

Deinde ratione. Quia gloria à prædestinatione causatur; tum quatenus causatur à medijs, circa quæ versatur prædestinatio, & consequenter à decreto intentiuo sui, à quo remotè omnia media prouenium; tum quia causatur à decreto exequutiuo sui, quod vel inter media, vel inter actus, ex quibus prædestinatio coalescit, numerandum est. Ergo est effectus prædestinationis. Nec obstat, quod sit finis eius. Nam potiùs est proprium finis per aliquam prouidentiam intenti, esse potissimum effectum ipsius prouidentiæ.

QVAESTIO V.

Vtrùm gratia, & merita per peccatum interrupta, etiam prout primo collata sint prædestinationis effectus.

49 SVppono ex Tractatu de Iustificatione, merita antecedentia, quæ per peccatum superueniens mortificata sunt, per pœnitentiam reuiuiscere, per eamdemque recuperari gratiam amissam talibus meritis respondentem: & iuxta plures gratiam etiam datam intuitu Sacramenti. De quo ibi. Videatur Vazq. 1.2. disput. 221. cap. 6. Soar. Opusc. de Reuiuiscentia meritorum. Turrian. 2.2. disput. 6. & alij in eo Tractatu. Igitur, cùm certum sit iuxta superius dicta, gratiam, & merita prout recuperata per pœnitentiam esse effectus prædestinationis: difficultas præsens est, an etiam eiusmodi sint prout primo acquisita ante peccatum superueniens. Negant Vazq. 1. par. disput. 93. cap. 3. Becan. cap. 14. quæst. 3. Mœrat. disput. 39. quibus consentit Alarc. tract. 4. disput. 4. cap. 3. num. 9. Sententia tamen affirmatiua communior est. Quam tenent Soar. lib. 3. de Prædestin. cap. 4. Valent. 1. par. quæst. 23. punct. 3. Fasol. ibid. artic. 2. dub. 3. Gonzal. disput. 71. Machin. disput. 48. sect. 1. Arrub. disput. 83. Hetice disput. 30. cap. 4. Ruiz disput. 22. sect. 7. Gasp. Hurt. disput. 3. de Prædestin. diff. 2. & alij. Quibus consentit Alarc. casu, quòd merita præcedentia de congruo impetrent à Deo reparationem post lapsum, quo interrumpuntur, vt ipse putat verum.

Propositio vnica.

50 Dona interrupta per peccatum, quæ restaurata per pœnitentiam ad gloriam Prædestinati cum effectu conducunt, effectus sunt prædestinationis, etiam prout primò acquisita, siue collata.

Probat hanc propositionem locus ille Pauli ad Roman. 8. *Quos autem prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit.* Quæ verba, cùm sint vniuersalia, etiam iustificationem ante peccatum subsequens partam cum meritis ab eà procedentibus censenda sunt comprehendere sub prædestinationis effectus. Id ipsum probat alter locus eiusdem capitis. *Omnia cooperantur in bonum ijs, qui secundùm propositum vocati sunt Sancti.*

Sed probemus ratione. Dona illa vt primò collata conducunt cum effectu ad gloriam Prædestinati, procedunt ex intentione ipsius gloriæ, & ex speciali affectu erga Prædestinatum. Ergo vt primo collata sunt prædestinationis effectus. Consequentia est nota ex doctrina quæstionis primæ sæpe repetitâ. Probo antecedens quoad primam partem. Quia huiusmodi dona, nisi primò collata fuissent, non restaurarentur postea per pœnitentiam. Ergo, si vt restaurata influunt in gloriam, vti supponimus, etiam conducunt ad illam vt primò collata. Hinc aliæ partes antecedentis probandæ sunt. Nam Deus præuidens talem conducentiam confert prædicta dona, atque adeò illa vt conductura reipsà in gloriam censendus est velle conferre; (qui est specialis affectus erga Prædestinatum); & consequenter ex intentione ipsius gloriæ, nisi quid obstet. Nihil autem obstare constabit ex solutione argumentorum. 51

Obijcit primò Vazq. Post primò collata prædicta dona non permittit Deus peccatum, quo impediuntur, ex intentione pœnitentiæ, qua restaurantur. Ergo manent interrupta, neque vlteriùs ex intentione Dei cum pœnitentiâ continuata, sed prorsus sine effectu, & extra viam ex vi prioris prouidentiæ; quæ propterea communis est cum prouidentiâ Reproborum; incipiente ab eorum restauratione prouidentia nouâ, propriâque Prædestinatorum, & ampliùs non interrumpendâ vsque ad gloriæ consequutionem. Vrgetur ampliùs, & declaratur hæc Vazq. ratiocinatio. Supradicta dona de facto non sunt influxura in gloriam, nisi mediâ restauratione, seu reuiuiscentiâ facienda per pœnitentiam peccati, quo illa sunt mortificanda. Ergo Deus, non amato peccato, nec potest illa ex præuiâ intentione gloriæ, nec vt conductura ad gloriam amare; prout opus est, vt sint effectus prædestinationis. Probatur consequentia. Quia conducentia in gloriam media reuiuiscentia, sine ipsâ reuiuiscentiâ amari non potest, & consequenter sine peccato ad illam requisito, & suppositio. 52

Respondet Alarc. per merita præcedentia mereri hominem de congruo reparationem post lapsum; sicque cum ipsâ reparatione, cum suâque restauratione continuari. Sed ego non video, quid conferat doctrina ista pro solutione argumenti facti. Quandoquidem, eâ suppositâ, adhuc permanet verum, non posse eiusmodi merita conducere ad gloriam, nisi mediâ sua restauratione per pœnitentiam peccati factâ. 53

Herice, Hurtado, & alij, qui inter effectus prædestinationis non admittunt permissionem peccati, respondent, impedimentum positum per peccatum prædictis donis, interruptionemve factam nihil illis obesse, quominùs vt primò collata sint prædestinationis effectus. Quia non est necesse, vt omnia, quæ pertinent ad prædestinationis effectus continuata sint, aut subordinata in ordinatione diuinâ; maximè, quando illa per se immediatè sunt vtilia ad gloriam Prædestinati; qualia sunt merita, etiam quæ præcedunt peccatum, ratione intrinsecæ dignitatis, quam habent. Addunt Recentiores; etsi huiusmodi merita non conducant defacto in gloriam, nisi mediâ suâ reuiuiscentiâ, hanc tamen non dare illis dignitatem, 54

tem, sed tantùm tollere impedimentum, quod per accidens fuit interpositum; atque ita posse Deum dare illa vt influxura in gloriam secundùm rationem formalem influxus, & valoris, non præamatâ antecedenter eorum reuiuiscentiâ, quæ se habet vt conditio peraccidens: quo eximitur à periculo amandi peccatum.

55 Non placent. Quia merita non influunt in gloriam, nisi vt coniuncta cum perseuerantiâ finali; ad hanc autem peruenire non possunt ab instanti, in quo primo fiunt, nisi vel per durationem continuatam temporis intermedij, vel per restaurationem faciendam per pœnitentiam, casu, quòd per peccatum intercipiantur. Ergo hæc tria subordinata sunt quoad influxum, seu conducentiam respectu gloriæ, merita, continuatio eorum, vel restauratio, & perseuerantia finalis. Vel ergo procedimus in sententiâ admittente prædefinitiones efficaces; vel in negante. Si in primâ. Ergo Deus nequit conferre eiusmodi merita ex intentione efficaci gloriæ, nisi eligendo antecedenter, aut simul vel eorum continuationem vsque ad finem, vel eorum restaurationem faciendam per pœnitentiam. Sed non elegit primum in casu nostro. Ergo tenetur eligere secundum; & consequenter amare peccatum, quod non præuidetur futurum, vti supponimus. Si autem stemus in secundâ sententiâ. Ex simplici desiderio gloriæ non possunt à Deo conferri merita supradicta, nisi antecedenter ametur etiam simplici affectu perseuerantia eorum finalis; deinque vel eorum continuatio præuia, vel restauratio; eoquòd merita non sunt vtilia ad gloriam, nisi vt perseuerantia finaliter: ad hanc autem peruenire non possunt, nisi vel mediâ continuatione, vel mediâ restauratione. Tum sic. Vel Deus ex simplici, & præuio amore restaurationis decernit dicta merita; & sic tenetur amare peccatum; aut quia desiderat pœnitentiam ante illud absolutè præuisum; aut quia merita decreta, nisi medio peccato, ad suam reuiuiscentiam, quo ordinantur, nequeunt conducere. Vel Deus decernit dicta merita ex simplici desiderio continuationis eorum vsque ad finem. Et sic talis prouidentia in nostro casu defectu talis continuationis interrumpitur, seu cassatur, vt benè vidit Vazq. nec est specialis erga Prædestinatum sed communis Reprobo: eo quòd Deus non amat, nec potest talia merita vt coniungenda in actu secundo cum gloriâ per medium illud continuationis vsque ad finem, quod reipsâ non est ponendum, sed tantùm vt vtilia in actu primo; quo etiam pacto similia merita sæpe prouidet Reprobis. Ex quo patet, præcitatos Doctores argumento Vazq. non satisfeciſſe; atque ita malè in præsenti ab eius sententiâ deuiasse, cumquo consentiunt in alijs ipsi cohærentibus.

56 Apud nos verò, qui contra ipsum Vazq. putamus, ex intentione pœnitentiæ, etiam efficaci, posse Deum permittere peccatum, vt statuimus quæst. 3. nullam vim habet argumentum. Multò enim meliùs iuxta doctrinam ibi traditam poterit Deus ex intentione reuiuiscentiæ meritorum impediendorum per peccatum illa primò conferre, etiam vt influxura in gloriam mediâ ipsâ reuiuiscentiâ. Quo nihil deerit, vt illa ex speciali prouidentiâ erga Prædestinatum, & non interruptâ conferantur.

57 Vnus est etiam iuxta oppositam sententiam modus, quo possint dona per peccatum superueniens mortificanda esse prædestinationis effectus prout primò collata. Si nimirum Deus, antequàm decernat, illa conferre, decernat permissionem peccati, illudque præuideat absolutè futurum pro tempore sequente. Tunc enim benè poterit pro tempore antecedente conferre dicta dona ex intentione reuiuiscentiæ eorum facienda per pœnitentiam peccati futuri: quin ob id cogatur amare peccatum. Nam in omni sententiâ amor pœnitentiæ de peccato absolutè præuiso non infert vllatenus amorem ipsius peccati.

58 Secundò obijcit Vazq. Integra prædestinatio Adami meritis Christi Domini tribuenda est. Cui tamen attribui non possunt dona collata Adamo ante lapsum. Ergo hæc vt primò collata non sunt prædestinationis effectus. Respondeo, si dona status innocentiæ non sunt collata Adamo ex meritis Christi, vt putat ipse Vazq. cum multis, alterum è duobus esse dicendum: nempe, aut dona dicta status innocentiæ non fuisse effectus prædestinationis Adami, sed alterius prouidentiæ interruptæ; aut, si fuerunt, integram prædestinationem eius ex meritis Christi non fuisse. Quo casu testimonia Scripturæ, quibus disput. 42. quæst. 6. probatum est, omnes prædestinationis effectus, sicut & omnia dona gratiæ, dari per Christum, de effectibus, & donis interpretanda erunt, stando in eâ sententiâ, quæ dantur hominibus in naturâ lapsâ, ad quam reparandam iuxta illam vnicè Christus Dominus decretus est. Apud nos verò, qui in Tractatu de Incarnatione tenuimus, dona etiam status innocentiæ fuisse collata Adamo ex meritis Christi, facilè componitur, illa vt primo collata fuisse effectus prædestinationis Adami, & nihilominùs integram eius prædestinationem sub merita Christi cecidisse.

DISPVTATIO 44.

De Reprobatione.

QVia multa ex iam dictis de Prouidentiâ, atque Prædestinatione communia Reprobationi sunt, pauca de hac ad ipsam pertinentia restant dicenda. A quibus subinde breui me expediam in præsenti, vltimâque disputatione. Quo & citius toti huic Operi finem imponam.

QVAESTIO I.

Quid, & quotuplex sit reprobatio.

DAri reprobationem, de fide est, vt disput. 37. quæst. 3. num. 29. statuimus. Quid autem nomine reprobationis veniat intelligendum ibidem num. 27. tradidimus. Vbi etiam notauimus, reprobationem duplicem esse, nimirum positiuam, & negatiuam. Circa quam diuisionem, alioq uin vulgarem, & receptam, non vno modo

Auctor.

Auctores loquuntur. Nam quidam reprobationem negatiuam appellant solam omissionem prædestinationis, vocantes positiuam quoduis decretum positiuum quauis ratione conducens ad damnationem Reproborum; qualia sunt decreta negandi gratiam, permittendi peccatum, excludendi à Regno, & puniendi pœna sensus. Alij idem, ac præcedentes, censentes de positiuâ reprobatione, negatiuam per decretum quasi reflexum non prædestinandi constituunt. Alij decretum permittendi peccatum, & negandi gratiam reprobationi negatiuæ adiungunt: appellantes positiuam reprobationem solum decretum puniendi Reprobum æternâ pœnâ damni, & sensus. Alij denique aliter insuper loqui solent. Tota hæc lis est de modo loquendi.

2 Suppono, circa quemuis Reproborum imprimis dari in Deo omissionem prædestinationis eius, quæ est omissio eorum omnium decretorum, quibus potuisset illum prædestinare iuxta diuersos modos possibiles prædestinandi, de quibus egimus disput. 41. quæst. 1. & 2. Vtrùm autem huiusmodi omissio possit esse pura, vel debeat quasi reflexe aliquo decreto imperari, alterius est quæstionis, de qua egimus disput. 31. quæst. 5. iuxta cuius resolutionem pura esse potest. Deinde reperitur in Deo decretum puniendi Reprobum pœnâ damni, quæ in priuatione gloriæ consistit. Tale enim decretum negari non potest; (quidquid contra communem Theologorum consensum doceat Gaspar Hurt. disput. 5. de Prædestin. diff. 2. fine): quia Deus sine decreto positiuo nequit per gloriæ priuationem peccatum Reprobi siue originale, siue etiam actuale punire, vti de facto punit. Esto ad negandam illi gloriam præcisè nullo opus esset positiuo decreto. Præterea respectu Reprobi adulti decedentis cum mortali actuali datur in Deo decretum puniendi illum pœnâ æternâ sensus; necnon decretum positiuum permissionis peccati. Nam hæc, præter carentiam gratiæ efficacis, (ad quam non esset opus decreto positiuo), includit collationem auxilij sufficientis ad non peccandum, suppositâ potestate ad peccandum, prout diximus supra disput. 43. quæst. 3. num. 21.. Denique eorum omnium entium positiuorum, quæ proximè, vel remotè quauis ratione ad damnationem Reprobi conferunt, non potest non in Deo dari decretum positiuum; quidquid sit de negationibus entium ad id ipsum aliquo modo conducentibus. His adde omnes actus scientiæ naturalis, liberæ, & mediæ, quibus Deus ducitur ad concipiendum decreta prædicta, & omissiones liberas decretorum, iuxta dicta supra disput. 37. quæst. 4.

3 Igitur, cùm hæc, quod ad rem attinet, certa sint, vt terminos expeditos habeamus pro sequentibus quæstionibus, reprobationem positiuam vocabimus solum decretum, quo Deus damnat Reprobum in æternum tum pœnâ damni, tum etiam sensus, connotatâ scientiâ præuiâ ad tale decretum: sub negatiuâ autem, seu potiùs permissiuâ reprobatione non solùm omissionem prædestinationis (quæ sola, loquendo propriè, est negatiua reprobatio) comprehendemus, sed etiam decreta omnia positiua, quibus Deus permittit peccata, cæteraque entia decernit, quæ cum effectu sunt conductura ad damnationem Reprobi, connotatis scientijs directiuis eorum decretorum, è quibus potissima est scientia media de tali conducentiâ.

Etenim reprobatio, quemmadmodùm 4
prædestinatio, & quæuis alia prouidentia, directè in actibus voluntatis seu positiuis, seu negatiuis, obliquè autem in actibus intellectus constituenda est, prout vniuersi liter statuimus disput. 37. quæst. 9. Nec vllum inuoluit actum imperij propriè dicti ad intellectum pertinentem, præter prædictas scientias, prout etiam de quauis prouidentiâ vniuersè ostendimus in eadem disput. 37. quæst. 6. In quo hic iterum non est morandum.

QVAESTIO II.

An Deus ex se ante absolutè præuisa Reproborum peccata eos ad pœnam æternam aut damni, aut sensus destinauerit; vel saltem destinare potuerit.

CAluinus lib. 1. Institut. cap. 18. & lib. 3. cap. 5
21. & sequen. alijque hæretici sectarij asseuerant, Deum ex se ante omnem præuisionem peccati ad ostendendam suam iustitiam destinasse Reprobos ad pœnam æternam damni, & sensus: ex eoque fine eos impellere, & necessitare ad peccandum. Quem errorem tanquam planè impium, & blasfemum eruditè refutant Bellarmin. lib. 2. de Amissione gratiæ, & lib. 1. de Gratiâ, & liber. arbitr. Becan. tom. 1. Opuscul. in principio. Tann. 1. par. disput. 3. quæst. 7. Peraui. tom. 1. Theolog. Dogmat. lib. 9. & alij Doctores catholici. Qui vno ore confitentur, Deum de facto neminem ante peccata præuisa absolutè, & efficaciter destinare ad æternos Inferni cruciatus, qui sunt pœna sensus. An verò destinet ad exclusionem, seu ad carentiam gloriæ, quæ est pœna damni, non ita concors Theologorum sententia est.

Nam quidam putant, Deum eumdem 6
ordinem seruasse cum Reprobis, ac cum Electis; atque ita absolutè, & efficaciter alijs quidem gloriam, alijs carentiam gloriæ prædefiniisse ante vtrorumque præuisa opera seu bona, seu mala. Ita sentit Durand. in 1. distinct. 40. quæst. 2. Bann. 1. p. quæst. 23. art. 3. Zumel ibid. disput. 4. Aluar. de Auxil. disput 110. per totam. Carmelit. Salmant. 1. par. tract. 5. disput. 8. Ioan. à S. Tho. disput. 10. & alij Thomistæ communiter. Quorum sententiam reliqui fermè Theologi reijciunt vnanimiter, censentes, Deum ante præuisa peccata neminem à suo Regno excludere, seu destinare ad pœnam damni. Ita Bellarmin. lib. 2. de Amissione gratiæ cap. 12. & lib. 2. de Grat. & liber. arbitr. cap. 16. Soar. lib. 2. de Auxilijs cap. 5. & lib. 5. de Prædestin. cap. 3. & 6. Vazq. 1. par. disput. 95. cap. 4. 5. & 9. Less. disput. de Prædestin. sect. 6. assert. 6. Molin. 1. par. quæst. 23. artic. 3. §. *Aduertendum*, & artic. 5. disput. 1. memb. 13. & in Concord. artic. 5. disput. 3. Ruiz disput. 15. de Prædestin. sect. 3. & disput. 16. sect. 6. Arrub. disput. 88. Herice disput. 33. cap. 3. Alarc.

tract. 4. disput. 5. cap. 10. Gasp. Hurt. disput. 5. de Prædest. diff. 3. Tann. disput. 3. q. 7. dub. 3. Quiros tom. 2. disput. 17. Carlet. disput. 45. Veken. disput. 28. & apud eos alij plures. Quorum aliqui seueris notis inurunt sententiam oppositam, vt apud Soar. Herice, Tann. & Quiros videri potest. Hæc de facto. De posibili autem Molin. Vazq. Soar. Quiros, Carlet. & alij censent, repugnare Deo decretum absolutum puniendi Reprobos conceptum ante præuisa eorum peccata. Ruiz verò disput. 16. citatà sect. 5. num. 6. & sect. 6. num. 29. Arriag. 1. p. disput. 39. num. 8. & alij Recentiores censent. non esse Deo impossibile tale decretum. Addunt contra non nullos Arriaga ibid. num. 9. & latiùs 1. 2. disput. 55. sect. 3. Quiros sect. 4. num. 16. Sfortia Palauici. lib. 1. de Bono cap. 31. & Veken. disput. 28. citatà cap. 2. nullatenus posse Deum ad infernales cruciatus damnare innocentem; tametsi possit illum æternà suà gloriâ priuare.

Propositio 1.

7 Deus ante absolutè præuisa Reproborum peccata non habet decretum absolutum excludendi eos à glorià.

Probatur primò propositio ex sacris Letteris sæpe asserentibus, Deum ex se nonsolùm præoptare hominum salutem, vitamque æternam; sed etiam nolle, siue non velle eorum mortem, & perditionem. Sap. 1. *Deus mortem non fecit, nec lætatur in perditione viuorum.* Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus?* & cap. 3. *Nolo mortem impij.* Math. 18. *Non est voluntas ante Patrem vestrum, qui in Cœlis est, vt pereat vnus de pusillis istis.* 2. Petr. 3. *Nolens, aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reuerti*: Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantummodò in me auxilium tuum.* His enim, & similibus clarè significatur, Deum ex se, & ante præuisa peccata non habere voluntatem, vt Reprobi pereant morte secundâ, qualis est damnatio ad pœnam æternam, non solùm sensus, sed etiam damni.

8 Secundò probatur propositio ex Concilijs. Valentinum enim 3. sub Lothario Imperatore. can. 3, ait. *Fidenter fatemur, prædestinationem Electorum ad vitam, & prædestinationem Impiorum ad mortem: in electione tamen saluandorum misericordiam Dei præcedere meritum bonum; in damnatione autem perieturorum meritum malum præcedere iusticium iudicium Dei.* Nulla ergo ex mente Concilij voluntas Dei, nō solum exequutiua, sed ne intentiua quidem damnandi Reprobos præcedit eorum mala merita: vti voluntas intentiua saluandi Prædestinatos merita eorum bona præcedit. Quo abijcitur interpretatio extorta, qua tentant Aduersarij exponere verba relata. Eamdem veritatem indicat Arausi. 2. can. 25. dicens. *Aliquos verò ad malum diuinâ potestate prædestinatos esse, non solùm non credimus, sed, etiam si sunt, qui tantum malū credere velint, cum omni detestatione in illos anathema dicimus.* Nec enim de solo malo culpæ, sed etiam de malo pœnæ Concilium loquitur contra hæreticos, vtrumque prædestinari à Deo dicentes antecedentur ad vlum arbitrij creati. Consentit Trid. sess. 6. can. 17.

9 Tertiò probatur propositio ex Patribus. Et primùm ex illis, qui asserunt, voluntatem, qua Deus vult punire peccata, esse consequentem. *Quæ ortum, & rationem sumit ex nostro vitio.* Ita expressè Chrysost. serm. 1. in epist. ad Ephes. Damasc. in Dialogo contra Manich. versus finem, & lib. 2. de Fide cap. 29. versus finem, & alij apud Ruiz disput. 16. de Prædest. sect. 6. num. 14. Deinde ex illis, qui docent, Deum quasi coactum, & inuitum trahi per peccata hominum ad eorum condemnationem, seu punitionem, Quod non fieret, si ante præuisa peccata punitionem decerneret. Bernard. serm. 5. in Natali Domini in medio ait. *Nam quod iudicat, & condemnat nos, eum quodammodò cogimus.* Nanz. in Oratione de plagâ grandinis paulò post medium ait *Ad illam enim* (nempe iram) *à nobis vi pertrahitur*, &c. *Cum igitur non, nisi coactus, percuciat, &c.* Chrysost. homil. 67. in Ioan. ad illud *Videns Ciuitatem, &c. Deus autem*, inquit, *non modò nos non derelinquere, & punire vult; sed quoties punit, inuitus punit.* Qua de re plura Saluianus lib. 1. de Prouid. post medium, & lib. 4. inter principium, & medium, & rursus col. vlt. Præterea eamdem veritatem expressius alij Patres tradunt. Augustinus, seu quisquis est auctor lib. 6. Hypognostic. cùm dixisset, aliquos misericordia Dei ad æternam vitam prædestinari, addit. *Cæteros autem pœnâ punit: quos ideo punit; quia, quid essent facturi, præsciit: non tamem ipse fecit puniendos, vel prædestinauit.* Et ibidem post medium. *Tenenda est inconcussa huius disputationis regula, quæ diuinis testimonijs clarut: peccatores in malis propriis, antequam essent in Mundo, præscitos esse tantùm, non prædestinatos: pœnam autem esse eis prædestinatam, secundùm quod præsciti sunt.* In eadē sententiâ est ipse August. epist. 105. & 106. lib. 1. ad Simplic. q. 2. lib. 3. contra Iulian. cap. 28. lib. de Grat. & liber. arbitr. cap. 21. lib. de Prædest. sanct. cap. 10. lib. de Dono perseu. cap. 6. 8. 11. & 18. & alibi. Fulgent. lib. 1. ad Monim. cap. 5. & seqq. multis contendit, mortem vtramque, temporalem videlicet, & æternam à Deo non esse prædestinatam, nisi præuisâ culpâ. Et cap. 26. ait. *Notum est, iram Dei dici non posse, nisi vbi creditur hominis iniquitas præcessisse.* Consentit Prosper. Respons. 3. & 7. ad Gallos, & respons. 11. ad Vincentium, & alibi. Beda lib. quæst. q. 13. post medium ait. *Prædestinauit Reprobis mortem æternam, sed non mortis æternæ causam. Non est enim in Dei dispositione quomodò peccator peccet; sed tamen, cùm sciat, eum peccaturum, mortem ei præordinauit vt verus iudex.* Denique S. Th. quæst. 6. de Veritat. art. 1. ad vlt. ait. *Reprobatio etiam dicitur præparatio quantùm ad pœnam; quam etiam Deus vult voluntate consequente, sed non antecedente.*

10 Quarto probatur propositio ratione ex prædictis oriunda. Quia nimirum præuia, & antecedens voluntas damnandi Reprobos minùs commendat clementiam, bonigniratem, beneuolentiamque Dei erga homines, quàm sacræ Scripturæ, & Patres prædicant. Quod satis est ad eam negandam defacto: estò posibilis sit. Dequo postmodùm.

11 Itaque Deus ante præuisa absolutè peccata hominum morte consummanda neminem excludit à glorià decreto antecedente. Imo nec desiderio simplici, aut conditionato. Id enim probant pleraque argumenta, quæ adduximus. Quòd autem Deus statim, ac præuidet hominem lapsum eum damnare non decernat æternâ pœnâ aut dam-

damni, aut sensus quousque illum in suo peccato præuidet decessurum, inde specialiter confirmatur. Quia, quandiu homo in hac vitâ mortali degit, Deus à desiderio antecedenti salutis, & conuersionis eius non desistit, vt passim Scripturæ testantur; neque à curâ prouidendi ei auxilia, quibus possit si velit surgere à peccato, & saluari. De quo plura videri possunt apud Ruiz tom. de Volunt. disput. 19. 20. & 21. & rursus tom. de Prædestinat. disput. 17. sect. 4. & 5. Ex his colligitur, nec paruulos decedentes cum originali, nec adultos decedentes cum actuali ad pœnam damni, vel sensus damnari à Deo, donec absolutè præuidentur ab ipso in eo statu vitâ functuri.

12 Sed obijciunt Aduersarij primò illud Apostoli ad Rom. 9. *Non ex operibus, sed ex vocante dictum est ei; quia maior seruiet minori; sicut scriptum est. Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Vbi videtur docere Paulus, reprobationem Esau æquè, ac electionem Iacob ante eorum præuisa aperta factas esse. Id quod sub eorum typo de reprobatione, ac electione cæterorum hominum significare indendit. Ergo reprobatio positiua excludens à gloriâ Reprobos ante absolutè præuisa peccata eorum fit. Nego consequentiam. Quia Paulus vel loquitur de reprobatione negatiuâ, quam tantùm per odium Dei significat iuxta sententiam S. Th. 1. p. quæst. 23. art. 3. ad 1. dicentis, *In quantùm igitur quibusdam non vult hoc bonum, quod est vita æterna, dicitur eos habere odio, vel reprobare.* Vel certè si, loquitur de positiuâ, eam non æquiparat electioni factæ indepenter ab operibus, vt benè, & latè exponit Vazq. disput. 95, citatâ cap. 8. Quomodò autem S. Th. nullibi stet pro Aduersaris, vt ipsi autumant, aput Herice videri potest supra cap. 5. & 6. Vbicumque enim Doctor Angelicus reprobationem ante omne demeritum ponit, de reprobatione negatiuâ, de qua loquitur in relatis verbis, intelligendus est. Imo verò cætera argumenta, quæ oppon utur, in reprobatione negatiuâ facile infringi possunt. Vnde illa proponere opus non est. Videantur Herice cap. 6. & 7. & Vazq. cap. 9.

13 Sed dicet aliquis. Reprobatio negatiua æquiualet voluntati excludendi Reprobum à gloriâ; quandoquidem tam infallibile est, non prædestinatum damnandum esse, quàm reprobatum positiuè damnandum esse. Ergo non est, cur priori reprobatione admissâ ante demerita præuisa, non admitatur & posterior. Respondeo, quod ad rem attinet, reprobationem negatiuam, & positiuam non esse æquiualentes; (quidquid sit de æquiualentiâ earum quoad connexionem cum carentiâ gloriæ). Quia velle positiuè ante præuisa demerita, vt aliquis non obtineat gloriam, plùs abest à clementiâ, quàm de Deo prædicant Scripturæ, & Patres, quàm omittere, & non conferre alicui ante præuisa eius demerita media efficacia ad gloriam, collatis interim sufficientibus, quibus possit ille, si velit, consequi gloriam ipsam.

14 Denique obijci potest id, quod ait Paulus ad Rom. 9. *Dicit enim Scriptura Pharaoni: quia in hoc ipsum excitaui te, vt ostendam in te virtutem meam*; nimirum punitiuam. Et paulò post. *Quod si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, sustinuit in multâ patientiâ vasa iræ apta in interitum, &c.* Quibus clarè significari videtur, Deum ex intentione puniendi peccata permittere, & sustinere illa. Ergo ante præuisa peccata ipsa habet voluntatem ea puniendi pœnâ temporali, & æternâ. Omissis solutionibus, quas adferunt Herice cap. 7. & Huttad. supra. Respondeo ex Ruiz disput. 16. de Prædest. sect. 6. num. 2. prædictis in locis tantùm significari, Deum post præuisum vnum peccatum ex motiuo punendi illud, in eaque punitione suam potentiam, & iram ostendendi permittere noua peccata, & perseuerantiam in priori. Ex quo non sequitur, habere Deum aliquam voluntem punitiuam antecedentem ad præuisionem absolutam peccati, quod puniendum est. Vnde non placet, quod ibidem docet Ruiz, Deum permittere peccatum subsequens in pœnam præcedentis ex efficaci intentione puniendi omnia simul æternâ pœnâ. Sic enim ante præuisum absolutè aliquod peccatum præcederet intentio Dei efficax puniendi illud in æternum, non solùm pœnâ damni, sed etiam sensus. Quod cum doctrinâ hactenus traditâ, in qua Ruiz ipse consentit, cohærere non potest.

Propositio 2.

15 Necunde videtur esse Deo impossibile decretum puniendi Reprobum, non solum pœna damni, sed etiam sensus antecedens præuisionem absolutam peccati.

Probatur. Quia tale decretum simile prorsus est decreto prædefinitiuo gloriæ vt coronæ; de quo egimus disput. 41. q. 1. totidemque modis, ac illud, constitui potest. Vnde, sicut illud benè cohæret cum libertate hominis ad merendum, & ad amittendam gloriam, & cum meritorum remuneratione, ita hoc benè potest componi cum libertate hominis ad peccandum, & ad vitandam pœnam, & cum delictorum punitione, vt ex doctrinâ latè ibi traditâ, quæ huc omnino est transferenda, compertum est. Nec per huiusmodi decretum cogeretur Deus amare aliquo modo peccatum; tamesi obiectum eius sine peccato esse non possit: sat enim esset, illud permittere; ad idque solùm ex tali decreto teneretur voluntas Dei. Quemadmodùm ex prædefinitione pœnitentiæ, alteriusve virtutis cum peccato connexæ non cogitur Deus ad amandum peccatum, sed tantùm ad illud permittendum, vt vidimus disput. 43. quæst. 3. cuius etiam doctrina ad rem præsentem est applicanda. Iam verò supradictum decretum nulli attributo diuino aduersatur; cùm habeat pro obiecto honestissimum actum iustitiæ punitiuæ Dei. Ergo ex nullo capite videtur Deo repugnare.

16 Dices. August. lib. 3. contra Iulianum cap. 18. ait. *Non potest Deus quemquam sine malis meritis damnare, quia iustus est.* Et lib. 4. contra eumdem cap. 8. *Certum, & immobile teneamus, non esse iniquitatem apud Deum, qua quemquam sine malis meritis damnet.* Et epist. 106. inquit. *Quemquam verò immeritum, & nulli obnoxium peccato si Deus damnare creditur, alienus ab iniquitate non creditur.* Similiaque habet alijs in locis: pariterque alij Patres. Ergo decretum damnandi homines ante eorum præuisa peccata esset in Deo iniustum; atque adeò non est possibile. Nego consequentiam cum Ruiz disput. 16. citatâ

sect. 6. num. 30. Quia Augustinus & alij Patres dumtaxat significant, iniustum esse punire eum, qui nullius peccati reus esset: non tamen dicunt, iniustum esse decretum puniendi peccata, etiam si ante ea præuisa concipiatur à Deo. Addit Herice disputat. 33. num. 22. Augustinum tantùm loqui de damnatione faciendâ iuxta regulas à diuinâ prouidentiâ præscriptas. Cæteroquin Deum sine vllâ iniquitate posse hominem innocentem iure dominij detrudere in æterna supplicia addicereque æternis cruciatibus, quod repetit num. 25. Idemque docent docti Recentiores de homine quantalibet sanctitate pollente: quia Deus vt hominum supremus dominus absque vllâ crudelis, aut iniusti notâ potest qualibet creaturâ vti ad eius destructionem. Sed minimè placent. Quia, licèt Deus titulo supremi sui dominij quamlibet creaturam posset destruere, siue non conseruare: ast illam citra omnem culpam æternis cruciatibus mancipare, sub Dei potestatem non cadit, vtpote rationi dissonum, & iniquum iuxta dicenda propos. 3.

17 Deinde obijcit Molina. Iniquus censeretur Princeps humanus, qui eo fine peccata permitteret, vt haberet, quod puniret. Ergo prædefinitio punitionis determinans ad permittenda peccata eo fine, vt puniantur, iusta non est adhuc in Deo. Dato antecedente; nego consequentiam. Quia Princeps humanus tenetur, quantum possit, peccata subditorum impedire; cùm eo dirigatur eius potestas, vt bono subditorum prospiciat. Vnde ex solo fine punitionis, propriæque gloriæ ex illâ capiendæ non potest peccata permittere. Ast Deus, qui ad solam gloriam suam potest suum regimen ordinare, vt non tenetur, impedire peccata hominum, ita illa ex fine ostendendi suam iustitiam punitiuam permittere potest; atque ita ante ipsa peccata præuisa eorum punitionem prædefinire per pœnam damni, & sensus faciendam.

18 Rogas, an sit etiam Deo possibile decretum præscindens à demeritis, quo decernat priuare hominem gloriâ æternâ, & cum æterno supplicio sensus cruciare, simile prædefinitioni gloriæ præscindenti à meritis, cuius possibilitatem adstruximus disput. 41. quæst. 1. Respondeo, decretum priuandi hominem gloriâ præscindens à demeritis non esse impossibile: quia, cum priuatio gloriæ sit malum tantùm priuatiuum, & boni homini non debiti, non est, vnde Deus teneatur ad illum non negandum, etiam non habenti peccata, nedum cum præcisione ab illis. Decretum verò cruciandi hominem in æternum præscindens à demeritis alienum videtur à clementiâ, siue pietate Dei, atque adeò impossibile. Quia, vt esset crudele, siue sæuum decretum cruciandi innocentem in æternum iuxta dicenda propos. 3. Ita suam crudelitatem, siue sæuitiam præsefert decretum cruciandi hominem in æternum, cum præcisione à demeritis, vtpote cuius vi necessariò pateretur homo tales cruciatus, etsi innocens esset.

Propositio 3.

Decretum infligendi homini innocenti, siue immerenti cruciatus æternos Inferni omnino impossibile Deo est. 19

Probant propositionem istam primò verba illa Sapient. 12. *Cum ergo sis iustus, iustè omnia disponis: ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum æstimas à tuâ virtute. Virtus enim tua iustitiæ initium est.* Quibus clarè significatur, alienum à iustitiâ esse, atque adeò *exterum*, siue alienum à *virtute*, siue potentiâ Dei, condemnare eum ad pœnam, qui ex defectu culpæ puniri non debet. Secundò probant illa verba Augustini relata num. 14. Quæ satis etiam clara ad rem sunt. Tertiò probat aperta ratio. Quia, si in nobis est vitium crudelitatis contra clementiam, punire quemquam vltra meritum culpæ; multòque maius, seu peius est vitium sæuitiæ, seu feritatis bestiarum, proprium contra donum pietatis, cruciare quemquam citra omnem culpam, vt tenent omnes Theologi cum S. Thom. 2. 2. quæst. 159. artic. 1. & 2. Quantò magis forent illa, si dari possent, vitia in Deo, cuius clementia, cuius pietas infinities infinitè nostram excedit. Repugnat igitur eo titulo, vt dentur in Deo. Qui vel minimæ vmbræ vitij, siue peccati incapax est.

Dices. Deus est supremus, & absolutus Dominus creaturæ, etiam innocentis. Ergo potest de illâ disponere, prout sibi libuerit. Ergo citra omnem eius iniuriam, atque adeò absque omni iniustitiâ potest illam in æternum cruciare. Respondeo, titulo supremi, & absoluti dominij, quod Deus habet de creaturâ innocente, per locũ intrinsecum fore, vt si, illam in æternum cruciaret, nec ipsi inferret iniuriam strictam, nec peccaret contra iustitiam: quia tamen peccaret contra clementiam, siue pietatem; idcirco id ipsi absolutè est omino impossibile; vtpote cui omnino repugnat peccare contra vllam virtutem. Itaque Domino rei non eo ipso licitus est quilibet vsus eius: cùm multi vsus eius alijs virtutibus, præterquàm iustitiæ, opponi possint. Sic enim illicitè contra temperantiam inebriat se homo suo vino: illicitè contra liberalitatem prodigit suas opes: illicitè contra clementiam, aut pietatem sæuit in suum mancipium; aut in quoduis suum animal brutum: pariterque in similibus. 19

Dices rursus. Deus potest anihilare innocentem. Ergo & excruciare. Concesso antecedente; nego consequentiam. Quia anihilatio malum quoddam est negatiuum, consistens in cessatione à beneficio gratis collato. Quod, sicut Deus pro suo libero beneplacito potuit non dare, ita & auferre, seu non continuare potest. At excruciatio, de qua tractamus, malum est positiuum, cuius inflictio non potest non clementiæ, pietatiue Dei aduersari, vt constat ex dictis. Vnde patet, Deum, suâ promissione seclusâ, benè posse innocentem excludere à suâ æternâ beatitudine; quia hoc aliud non esset quam ei negare bonum non debitum. 20

Cum dictis autem benè cohæret, posse Deum, sæpeque defacto solere aliqua leuiora mala

mala etiam positiua huius vitæ suis innocentibus, atque dilectis prouidere propter eorum profectum spiritualem, vt infirmitates, dolores, erumnas, persequutiones, &c. Quia hoc longissimè abest à crudelitate, & sæuitia, eo ipso, quod talia mala longissimè præstantiora bona referunt secum.

QVAESTIO III.

Quas causas habeat reprobatio.

23 SErmo erit in hac quæstione de causis tum positiuæ reprobationis, tum negatiuæ. Circa quas, suppositis harum reprobationum acceptionibus statutis quæst.1. vix potest disidium, aut controuersia magni momenti remanere. Ob id præmissa diuisione causæ in physicam, & moralem, quam fecimus disput.42. quæst.2. num.47. per aliquot suppositiones, & assertiones breui me expedio, vt sequitur.

24 Suppono primò tanquam certum, vtramque reprobationem quoad actus internos Dei nullam habere causam physicam, quæ verè, & formaliter talis sit: tametsi ab intellectu, & voluntate diuinâ causentur virtualiter, prout dictum in simili ibid.num.48.

25 Suppono secundò etiam vt certum, vtriusque reprobationis quoad effectus externos Deum physicam causam esse tum efficientem, tum finalem: secus materialem, aut formalem; prout dictum etiam ibi in simili num.49.

26 Supdono tertiò vt certum parirer, Reprobum fere omnium suæ reprobationis præsertim negatiuæ effectuum causam physicam esse tum efficientem, tum materialem iuxta dicta in simili ibid.num. 50. Vnici autem effectus reprobationis positiuæ, qui est pœna vel solius damni, vel etiam sensus, Deus est causa principalis physica in genere efficientis, vt constat.

27 Suppono denique etiam vt certum, in eo prædestinationem à reprobatione differre: quòd prædestinatio non solùm intendit directè gloriam Prædestinati vt finem, sed cæteros suos effectus vt media vtilia ad talem finem formaliter, qua talia sunt, eligit, atque adeò ordinat ad finem ipsum: at reprobatio, licèt, qua parte positiua est, directè intendat pœnam Reprobi vt finem immediatè exequendum; cæteros tamen effectus reipsa ad talem finem conducentes, ad seque spectantes, qua parte negatiua est, nec eligit, nec vult formaliter prout media vtilia ad talem finem, sed ad eorum existentiam ex motiuis alijs concurrit. Quo fit, vt reprobatio, qua parte negatiua est, permissiua potiùs, quàm positiua prouidentia Dei sit. Hæc de attinentibus ad causas reprobationis physicas. Venio ad morales, seu meritorias. Et.

28 Dico primò. Reprobationis positiuæ vnicè sunt causa moralis, seu meritoria peccata Reprobi morte consummata. Quia, vt ex dictis in præsentibus constat, propter peccata eiusmodi tantùm condemnat Deus Reprobos ad æternam pœnam, solius quidem damni, consistentem in priuatione gloriæ, eos, qui cum solo peccato originali moriuntur; damni autem simul, & sensus eos, qui moriuntur cum peccato personali mortali, vno, vel pluribus.

29 Dico secundò. Aliquorum effectuum reprobationis negatiuæ, atque adeò & aliquorum actuum Dei, ex quibus ea coaluit, causa moralis meritoria dari solet ex parte Reprobi, aliquod scilicet, aut aliqua peccata personalia eius. Quia sæpe decernit Deus permissionem vnius peccati, atque etiam perseuerantiæ in illo finalis in pœnam alterius, iuxta id, quod dicebamus supra disput 40. quæst. 4. num. 63. Huiusmodi autem permissiones effectus sunt reprobationis negatiuæ: actusque Dei tendentes in illas ipsius reprobationis partes iuxta dicta quæst.1.

30 Dico tertio. Cæterorum omnium effectuum reprobationis negatiuæ, actuumque Dei ipsis correspondentium peccatum originale est causa moralis, seu meritoria tum prout originale, seu prout repertum in Adamo, tum prout originatum, seu prout contractum ab illius posteris, de quorum reprobatione est sermo. Dico autem cæterorum omnium effectuum: quia & ipsius peccati originalis permissio dicenda est effectus reprobationis negatiuæ prout videbimus quæst.4. cuius tamen peccatum ipsum originale causa non est. Stat imprimis pro assertione ità Augustinus multis in locis, vbi docet, ex eadem massâ damnabili propter dictum originale peccatum in eius pœnam relinquere Deum Reprobos iusto iudicio sine gratiâ efficaci ad salutem, adeòque sine gloriâ; soláque suâ misericordia Prædestinatos tali gratiâ, & gloriâ donare; cùm & hos pariter æquo iure posset relinquere. Ita habet epistolâ 105. col.2. & epist. 106. prope medium, & epistol.107. inter medium, & finem, & epist.157. inter principium, & medium & lib. 15. de Ciuit. cap.2. & lib.21 cap.12. & lib. 1. ad Simplician. quæst.2. post medium, & lib.2. contra duas epist. Pelag. cap. 7. & in Enchir.cap. 95. 98. & 99. & lib. de Prædest. & grat. cap. 3. 6. & 16. & lib. de Prædest. Sanct. cap.9. & 14. & de Dono perseu.cap.8.& 14. & alibi.

31 Deinde stant pro eadem doctrinâ discipuli Augustini. Prosper in lib.Sentent. ex August. sentent.307. & ad Excerpta Genuens. resp. 6. & 8. & lib. de Liber.arbitr. post medium, & lib. 10. de Vocat. gent. cap. 17. sæpeque alibi tum ad Capit. Gallor. tum ad Obiect. Vincent. Fulgent. lib.1. ad Monim.cap.7. 26. & 28. & de Incarn. &grat.cap.21. Beda in Collectan. ad Roman.9. ad illud. *Quod si Deus volens*. Anselm. ibid.ad illud. *Iacob dilexi*, &c. & ad illud. *Miserebor, cuius misereor, &c.* Et S.Thom. ad eumdem locum lect.3. & 4. & quæst.6. de Verit.art.2. ad 9. & 2.2. quæst.2. artic.5. ad 1.

32 Ratio autem dictæ doctrinæ est. Quia propter peccatum originale digni sunt homines, qui priuentur quibusuis bonis, aliàs ipsis non debitis: defactoque priuantur propter illud iustitiâ originali, & alijs bonis ei annexis, vt est certissimum. Ergo credendum est, defacto insuper priuari Reprobos propter peccatum originale eis omnibus bonis, quæ si haberent, euaderent prædestinati. Maximè, cùm per hoc erga Reprobos iustitia diuina eluceſcat; & erga Prædestinatos diuina misericordia resplendeat magis.

33 Sed est difficultas, an hæc doctrina omnibus Reprobis conueniat, an ad eos sit contrahenda, quibus peccatum originale dimissum non est.

Hoc

Hoc secundum tenent aliqui, quibus consentit Herice disput. 33. Primum tamen tenent Soar. lib. 5. cap 5. num. 10. Ruiz disput. 14. de Prædest. sect. 6. & seqq. Videturque probabilius propter auctoritatem August. & aliorum Patrum, qui vniuersaliter pronunciant locis citatis, Reprobos omnes propter peccatum originale reliquum à Deo, negante videlicet illis ea dona gratuita, per quæ, si darentur, & illi, sicut & alij, euaderent prædestinati. Quanquam enim in ijs, quibus peccatum originale remissum est, nihil propter illud damnationis remaneat, dicente Apostolo ad Rom. 8. *Nihil ergo damnationis est his, qui sunt in Christo Iesu*. Et Trident. sess. 5. decreto de peccato orig. *Nihil est damnationis ijs, qui verè consepulti sunt cum Christo per Baptismα*. Quippe Deus nullum peccatum remissum punit pœnâ aliqua æternâ damni, vel sensus; imo nec priuatione gratiæ sufficientis, ac necessariæ ad obtinendam iustificationem, & gloriam. Nihil tamen vetat, punire Deum peccatum remissum alio genere pœnæ vel temporalis, vel negatiuæ. Scimus enim ex materiâ de Pœnitentiâ, sæpe remanere pœnam aliquam temporalem luendam propter peccatum iam remissum quoad culpam. Est etiam certum, remisso peccato originali per Baptismum, non remitti pœnam mortis, neque alias pœnalitates huius vitæ, quas propter illud patiuntur homines. Potuit igitur Deus ita propter peccatum originale negare Reprobis ea vberiora gratiæ dona, cum quibus prædestinati forent, vt etiam post remissionem eius quoad culpam talis pœna maneat luenda. Ita ergo fecisse defacto censendus est propter dicta.

34 Dico quartò. Integræ reprobationis negatiuæ prout complectentis omnes actus Dei, & omnes effectus ad illam spectantes iuxta dicta quæst. 1. nulla datur ex parte Reprobi causa moralis meritoria. Est certum. Quia talis causa aliquod Reprobi peccatum ad eius damnationem conducens deberet esse, cuius permissio ipsius reprobationis negatiuæ non esset effectus. Siquidem tale peccatum suimet permissionis causa moralis meritoria esse non potest, vt est notissimum. Sed tale peccatum non datur: quia permissio cuiusuis peccati conducentis ad damnationem Reprobi eo ipso conducit ad damnationem ipsam, atque adeò nequit non esse effectus reprobationis negatiuæ ipsius Reprobi. Ergo. Confirmatur, & declaratur. Quia permissio primi peccati Reprobi, (siue illud sit originale, vt nos putamus, siue aliud), à qua incipit illius reprobatio negatiua sub meritum alterius peccati prioris cadere nequit; cum nequeat dari peccatum, quod sit prius primo. Ergo permissionis saltem primi peccati à qua incipit reprobatio negatiua causa moralis meritoria dari non potest ex parte Reprobi; & consequenter nec integræ ipsius reprobationis, vti fert nostra assertio.

35 Dico quinto. Nulla est assignabilis causa, siue ratio, præter diuinum beneplacitum, cur isti potius, quàm alij in particulari sint reprobati à Deo reprobatione negatiuâ; vel quia talis ratio reipsâ non datur; vel quia, licet sæpe reipsâ detur, vt est probabilius, occulta omnino nobis est. Doctrina huius assertionis in eamdem recidit cum illâ, quam tradidimus disput. 42. quæst. 9 propos. 2. Quocirca, quæ pro illâ propositione adduximus ibi, & huic assertioni sunt hic applicãda à Lectore, ne nos actum agamus.

QVAESTIO IV.

Quos effectus habeat reprobatio.

SVppositis acceptionibus reprobationis tum positiuæ, tum negatiuæ, quas statuimus quæst. 1. facile erit hanc quæstionem resoluere. Quare & breuiter ab eâ, quemadmodum à præcedente, me expediam. 36

Suppono ergo primò, reprobationis positiuæ vnicum esse effectum ipsam Reprobi punitionem per pœnam æternam, vel damni simul, & sensus, vt in ijs, qui decedunt cum peccato personali mortali; vel solius damni, vt in illis, qui cum solo originali moriuntur: quoniam & eadem punitio est vnicum talis reprobationis obiectum iuxta acceptionem huius, in qua procedimus. De qua nullum est dubium.

Suppono secundò, inter effectus reprobationis negatiuæ, & prædestinationis hoc esse discrimen potissimum, quòd effectus prædestinationis, vt talis sit, ex fine glorificationis Prædestinati debet procedere iuxta dicta disput. 43. quæst. 1. secus effectus reprobationis negatiuæ ex fine punitionis Reprobi. Quidquid enim ad Reprobi damnationem, atque adeò punitionem de facto conducit, effectus reprobationis eius dicendus est, ex quocunque demum fine, siue motiuo causetur à Deo. Quia talis reprobatio, iuxta acceptionem eius statutam quæst. 1. aliud non est ab eâ prouidentiâ permissiuâ, qua Deus prouidet, siue causat ex quibusuis motiuis cuncta illa, quæ præuidet de facto, siue cum effectu influxura in damnationem, punitionemque Reprobi ex hypothesi, quòd ab ipso causentur. Vnde effectus huiusmodi reprobationis eo ipso sunt effectus Dei; cum sint effectus alicuius prouidentiæ diuinæ. Ex quo inter prædestinationem, & reprobationem aliud prouenit discrimen valde notabile, quòd prædestinatio pro effectibus habet opera bona, siue merita Prædestinati; reprobatio verò nullatenus habet pro effectibus opera mala, siue peccata Reprobi, vt cum Magist. in 1. dist. 40. & S. Thom. 1. par. quæst. 23. art. 3. docent omnes Theologi, teste Soar. lib. 5. de Prædest. cap. 7. Quia nimirum Deus meritorum Prædestinati causa est præcipua: peccatorum autem Reprobi nullatenus causa esse potest. 37

His positis, censeo dicendum primò, permissionem peccati originalis in Reprobis reprobationis negatiuæ eorum effectum esse. Quia eo ipso, quòd peccatum originale Reproborum caterorum omnium effectuum, & actuum reprobationis negatiuæ eorum causa moralis est, prout quæst. 3. num. 30. statuimus, non potest non permissio talis peccati ad ipsorum damnationem, atque punitionem æternam defacto conducere. Quod satis est, vt dictæ reprobationis negatiuæ sit illa effectus iuxta doctrinam suppositam num. præced. vt constat. 38

Dico secundò, omnes permissiones peccatorum personalium Reprobi, quæ in damnationem eius influunt defacto proximè, vel remotè effectus sunt reprobationis negatiuæ eius, ex quocunque demum fine, siue motiuo procedant à Deo, 39

Deo ; dummodò procedant ex præscientiâ conditionatâ de influxu præstando ab ipsis de facto in damnationem Reprobi ex hypothesi, quod ponantur. Quia vt talis reprobationis effectus dicantur, conditiones istæ sunt necessariæ, & sufficientes iuxta dicta num.38. Vnde sequitur primò, positiones auxiliorum sufficientium, & negationes efficacium ad non peccandum vnà cum potestate ad peccandum, ex quibus coalescunt singulæ talium permissionum iuxta dicta disput.43. quæst. 3. num. 21. effectus dictæ reprobationis negatiuæ esse. Secundò sequitur, siquæ aliæ permissiones ad peccandum dentur in Reprobo, quæ in eius damnationem non influant defacto, vt est possibile; has reprobationis eius negatiuæ effectus non esse: quia deest illis conditio requisita, vt tales sint, prout constat ex dictis.

41 Dico tertiò. Quæcunque seu positiua, seu negatiua defacto influunt, siue conducunt quoquo modo in damnationem Reprobi, à Deoque sunt causata ex quouis motiuo, positaque vel in Reprobo ipso, vel alibi, ex præscientiâ tamen conditionatâ de eorum influxu futuro in illius damnationem, cuncta hæc ipsius Reprobi negatiuæ reprobationis effectus sunt. Quia cuncta hæc omnes conditiones requisitas ad id muneris habent iuxta doctrinam suppositam, staturamque num.38.

Supererat hìc examinadum. Primò, quanta
42 sit certitudo tum formalis tum obiectiua reprobationis. Secundò; qua ratione reprobatio cum Reprobi libertate cohæreat, & an in potestate huius positum sit, prædestinari, vel reprobari. Verùm quia disput. 41. quæst. 4. & 5. has difficultates versauimus circa prædestinationem, easdem modò circa reprobationem non iterum versandas censemus: quia, quæ ibi de prædestinatione sunt dicta, facilè possunt à Lectore, suâ proportione seruatâ, hic applicari reprobationi. Eo præsertim inter vtramque obseruato discrimine. Quod in prædestinatione, præter decretum exequutiuum gloriæ, aliquod aliud Dei decretum includitur iuxta omnem sententiam connexum intrinsecè cum glorificatione Prædestinati. In reprobatione verò præter decretum exequutiuum pœnæ, (in quo stat reprobatio positiua), nullum aliud debet includi (pertinens ad negatiuam) connexum intrinsecè cum punitione Reprobi. Vnde fit, vt prædestinatio ante decretum exequutiuum gloriæ duplici titulo sit metaphysicè connexa cum glorificatione Prædestinati. Primò ratione alicuius decreti in se inclusi cum tali glorificatione connexi per se. Secundò ratione coniuncti (in quo consistit) ex præscientiâ conditionatâ de influxu mediorum, siue fectuum in ipsam glorificationem ex hypothesi, quòd ponantur, & ex purificatione conditionis factâ per eorum positionem, siue per absoluta, & efficaciâ decretâ de positione ipsâ. At reprobatio negatiua ante decretum exequutiuum pœnæ (in quo fiat positiua) secundo tantùm ex dictis duobus titulis est metaphysicè connexa cum punitione Reprobi. Quæ omnia ex dictis hucusque iatis sunt nota.

QVAESTIO V.

Quænam de libro vitæ, de numeroque Prædestinatorum, ac Reproborum restent quærenda.

Dico restare, quæ sequuntur. Primò enim 43
quæritur. Quid sit liber vitæ. Respondetque S. Thom. 1. par. quæst. 24. artic. 1. in corpore. *Quòd liber vitæ in Deo dicitur metaphoricè secundùm similitudinem à rebus humanis acceptam. Est enim consuetum apud homines, quòd illi, qui ad aliquid eliguntur, conscribantur in libro, vtpote milites, vel consiliarij, qui olim duebantur Patres conscripti. Patet autem ex præmissis, quòd omnes Prædestinati eligantur à Deo ad habendam vitam æternam. Ipsa ergo Prædestinatorum conscriptio dicitur liber vitæ. Dicitur autem metaphoricè aliquid conscriptum in intellectu alicuius, quòd firmiter in memoriâ tenet. Vnde ipsa Dei notitiâ qua firmiter retinet, se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, dicitur liber vitæ.* Itaque liber vitæ appellatur ea scientia speculatiua, qua Deus quasi reflexè suam prædestinationem, omnesque suos Prædestinatos quatenus tales intuetur. Id quod etiam sentiunt August. lib. 20. de Ciuitat. cap. 15. & alij Patres apud Ruiz disputat. 60. de Prædest. sect. 2. atque Theologi communiter. Vnde liber vitæ à Prædestinatione differt, vt quidam actus scientiæ Dei à quadam parte sui obiecti. Porro, lìcèt eiusmodi scientiâ Dei primariò, & simpliciter dicatur liber vitæ, scilicet gloriæ; scientia etiam, qua Deus videt iustos pro tempore, quo iusti sunt, secundariò, & secundùm quid dici solet liber vitæ, scilicet gratiæ, vt cum S. Thom. dictâ quæst. 24. art. 2. docent alij communiter.

Secundò quæritur. An sicut prædesti- 44
nationi correspondet liber vitæ, ita reprobationi correspondeat liber mortis. Negat S. Thom. artic. 1. citato ad 3. *Quia non est consuetum conscribi eos, qui repudiantur, sed eos, qui eliguntur.* Consentiunt alij communiter. Aliæque adduntur congruentiæ. Prima: quia libri scribi solent ad perpetuam rei memoriam. Quæ iustis debetur, iuxta illud Psal. 111. *In memoriâ æterna erit iustus*, Secus iniquis, iuxta illud Oseæ 1. *Oblitione obliuiscar eorum*: Secunda: quia superfluus videtur liber mortis: cùm indirectè constet ex libro vitæ, quinam sint reprobi, iuxta illud Apocal. 20. *Qui non est inuentus in libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.* Tertia: quia Deus Reprobos dicitur nescire, scientiâ videlicet approbationis, iuxta illud Math. 25. & Lucæ 13. *Nescio vos.* Itaque; cùm sit certissimum, tam clarè, & distinctè intueri Deum omnes Reprobos, atque Prædestinatos prout tales; scientiâ priorum nihilominùs non solet dici liber mortis: sicuti scientia posteriorum dicitur liber vitæ propter rationes indicatas.

Ter-

45 Tertiò quæritur. Vtrùm aliquis deleatur de libro vitæ. Certum est de libro vitæ gloriæ nullum vnquam deleri; non solùm, quia, quos Deus semel vidit Prædestinatos, non potest non semper tales videre; sed etiam, quia vita gloriæ semel habita nunquam est amittenda. De libro verò vitæ gratiæ eatenus homo deleri potest, quatenus gratiam semel habitam potest amittere: (tametsi scientia, qua Deus videt hominem iustum respectiuè ad tempus in quo est iustus indefectibilis sit). Quo sensu intelligenda veniunt illud Psal.68. *Deleantur de libro viuentium: & cum iustis non scribantur.* Illud Apocal.3. *Qui vicerit, &c. non delebo nomen eius de libro vitæ*: aliaque huiusmodi loca Scripturæ. Quid autem sibi voluerint Moyses, cum dixit Exod.32. *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* & Paulus, cùm dixit ad Rom.9. *Optabam ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis*: examinatum reperies apud Ruiz disput.60. citatâ sect.7. & 8.

46 Quartò quæritur. Vter sit maior numerus Prædestinatorum, an Reproborum. Suppono primò, vtrumque numerum sumptum per se certissimum esse, prout supra disput.41.quæst.4. monstratum est. Suppono secundò vt certum, si fiat comparatio inter omnes, & solos Angelos, plures eorum fuisse prædestinatos quàm, reprobos, vt cum Magist. in 2. dist.6. & S.Tho.1.par. quæst.63.art.9. docent Scholastici communiter. De quo in Tract. de Angelis. Suppono tertiò etiam vt certum, si fiat comparatio inter omnes, & solos homines, longè plures esse reprobos, quàm prædestinatos. Id enim vt minimùm docent Scripturâ sacrâ, & Patres, vbicunque significant, paucos esse eos, qui saluantur, comparatione eorum, qui pereunt. Ipsaque experientia satis ostendit, per quam scitur, tam ante, quàm post promulgatum Euangelium incomparabiliter plures fuisse, & esse Infideles damnandi, quàm Fideles, è quorum numero saluandi excerpuntur.

47 Eò ergo quæstio reducitur. An ex Fidelibus Catholicis plures sint prædestinati, quàm reprobi: vel viceuersâ. Potestque comparatio bifariam fieri. primò, computatis omnibus, etiam paruulis, qui ante rationis vsum moriuntur. Secundò, computatis solis adultis morientibus post adeptum vsum rationis. Triplex est sententia. Prima opinantium rem hanc adeò esse dubiam, vt soli Deo sit relinquendum iudicium eius. Ita Vazq.1.par.disput.101.cap.4. Secunda asserentium, ex Fidelibus plures esse prædestinatos, quàm reprobos. Ita Sylueſt. in Rosâ aureâ tract.2.super Euangelium Septuag. Franc.à Christo lib.1. senten.dist.40.& 41.quæst.5. Cartag.de Prædest.discurs.10.dub.penult. Lorin.in Psal.138. vers.14. Cornel.à Lapide in cap.21. Apocal.vers. 16. Soar.lib.6. de Prædest.cap.3. quem sequuntur Martin.1.par.disp.20.sect.7.num.69. Veken. disp. 27. cap.2.num.13. Carlet.disput.46.sect.2.num.5. & alij. Ex quibus Lorin. Cornel. & Soar. expressè comprehendunt paruulos, qui baptizati moriuntur ante vsum rationis. Tantumdemque censendi sunt sentire, qui Soar. sequuntur; imo & cæteri fortasse Auctores huius sententiæ. Cui intali sensu subscribit Ruiz disput.54. de Prædest. sect.1. num.14. Tertia sententia absolutè pronunciat, pauciores ex Fidelibus esse prædestinatos, reprobos autem plures. Sic Caiet. explicans parabolam Virginum Math.21. Aluarez.lib.5. de Auxilijs disput.43. Molin.1.par.quæst.23.art.7. Carthus. Math.20.& 22. ad illud. *Pauci verò electi*. Vbi idem sentire videntur Lyra, Arborens Theosoph.lib.14.cap.20. & Maldonat. Math.21. vers. 14. Eiusdemque sententiæ sunt Tann.tom.1. disp. 3.quæst.6.dub.2.num.16. Franc. de Lugo lib.1. de Deo disput.45.cap.2.num.13.& Ruiz disp.54. citatâ sect.5.num.16. loquens de solis adultis fidelibus: de quibus, censet, loqui etiam Auctores huius sententiæ: sicque eos cum Auctoribus secundæ conciliat comprehendentibus etiam paruulos.

Ego arbitror primò ex omnibus Filijs Ecclesiæ Catholicæ (computando simul paruulos, & adultos) plures prædestinatos, quàm reprobos esse. Quia vt testatur Ruiz sect.1.citatâ num.14. per computum factum ex libris defunctorum Hispalensium deprehensum est, totidem fermè esse, qui baptizati moriuntur ante adeptum vsum rationis, ac, qui moriuntur post adeptum. Quo posito, cùm ex prioribus saluentur omnes; licèt tertia dumtaxat, vel quarta, vel quinta pars saluetur posteriorum, absolutè erunt plures prædestinati, quàm reprobi. Quod si illis adijciantur paruuli rite baptizati, & ante rationis vsum defuncti inter hæreticos, & schismaticos, prædestinatorum numerus longè maior erit, quàm reproborum catholicorum. 48

Secundò arbitror, ex solis adultis catholicis, qui post rationis vsum decedunt, plures esse reprobos, qui damnantur, quàm prædestinatos, qui saluantur. Probatur primò ex testimonijs, per quæ sæpe Christus Dominus significauit, paucos esse Prædestinatos comparatione Reproborum, aut plures, quàm Prædestinatos, Reprobos esse. Qualia sunt hæc Math.7. *Intrate per angustam portam; quia lata porta, & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta, & arcta via est, quæ ducit ad vitam, & pauci sunt, qui inueniunt eam.* Lucæ.13. *Contendite intrare per angustam portam: quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt* Math. 20. & 22. *Multi enim sunt vocati, pauci verò electi.* Mat.19.Marc. 10. & Lucæ 10. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum Cœlorum. Et iterum dico vobis. Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam diuitem intrare in Regnum cœlorum.* Et similia. Hæc enim testimonia locum habere; facta comparatione inter Fideles adultos solos, tum ex contextibus, tum ex expositionibus Patrum constat, vt videre est apud Ruiz disp.54. citatâ sect.2. 49

Secunda probatio assertionis sumitur ex parabolis, quæ satis indicant, ex Fidelibus adultis plures damnari, quàm saluari. Cuiusmodi sunt illa seminum, quorum sola quarta pars fructum attulit. Lucæ 8. Illa Ventilabri mundantis in areâ triticum à paleis. Math.3. Illa gregis Electorum appellati pusilli. Lucæ 12. Illa currentium in stadio, quorum vnus accipit brauium. 1. Corint.9. De quibus apud Ruiz plura sect.4. Vbi alijs insuper Scripturæ locis confirmat idem ipsum. 50

Tertia & potissima probatio ab ipsâ experientiâ capienda venit, per quam scitur, plerosque ex adultis Fidelibus maiori ex parte degere vitam in statu peccati mortalis, rebus temporalibus addictos, negotijsque huius Sæculi prorsus inten- 51

sntentos cum oblivione omnimodâ, aut certè cum valde perfunctoriâ memoriâ æternorum: qui, licèt aliquando confiteantur, statim iterum, atque iterum in grauia peccata relabuntur. Quo fit, vt vel mors improuisa, vel saltem vltima ægritudo in statu peccati mortalis deprehendat illos. Vnde rursus efficitur, vt inter angustias infirmitatis tam animæ, quam corporis, interque innumera propemodum tunc occurrentia impedimenta nimiùm difficile, aut etiam moraliter impossibile sit eis, ad veram pœnitentiam se ritè disponere. Nam vt concors est sententia Patrum, atque etiam Scholasticorum cum Magist. in 4. dist. 20. ordinariè, qui malè viuunt, malè moriuntur. Iuxta illud Hieronymi tom. vlt. in epist. Eusebij ad Damasum. *Hoc teneo, hoc, multiplici experientia didici, quòd ei non bonus est finis, cui mala semper vita fuit.* Et illud Augustini lib. de vera, & falsa pœnitentia cap. 17. *Periculosissimum est, & interitui vicinum, ad mortem pertrahere pœnitentiæ remedium*; cum pluribus, quæ ad rem ibi dicit. *Nam æquissimè percutitur hac animaduersione peccator, vt moriens obliuiscatur sui, qui viuens oblitus est Dei*; vt ait ipse August. serm. 10. de Sanctis, & ex eo Laurent. Iustinian. libro de Contemptu mundi cap. 14. De quo multò plura videri possunt apud Ruiz supra sect. 3.

Qui tandem addit sect. 6. in numero Prædestinatorum plures esse fœminas, quàm viros, varijsque rationibus id probat apud ipsum videndis.

Quòd si quis quærat ad extremum. An numerus omnium Prædestinatorum, computatis simul Angelis, & hominibus, sit maior, vel minor, quàm numerus omnium Reproborum, vel ei æqualis. Respondendum vtique est, id nobis penitus esse occultum. Quia nobis non constat de numero Angelorum, quos Deus creauit; nec de numero hominum à principio vsque ad finem Mundi creandorum, nec quantum priorum numerus posteriorum numerum excedat. Quæ prę-sciri deberent, vt circa eiusmodi quæstionem iudicium aliquod ferri posset.

Atque hæc hucusque de Deo vno scripsisse, nobis sit satis. Vtinam cedant in laudem, & gloriam ipsius Dei, Christi Domini, Immaculatissimæ Virginis, & omnium Beatorum.

INDEX RERVM PRAECIPVARVM HVIVS TOMI.

In quo d. Disputationem, q. Quæstionem, n. Numerum, & p. Paginam designant.

A

Actus.



VTrùm sit actus in vniuersùm. Quid actus primus. Quid secundus. Et quas illi passiones habeant. Et qualiter scientia per modum actus tum primi, tum secundi detur in Deo. d.23.q.2. per totam. p.5.

De multitudine, & varietate actuum scientiæ diuinæ. Vide *Scientia Dei, &c.*

Quid sit libertas actus primi. Quid actus secundi, &c. Vide *Libertas.*

Qualiter inter se differant actus positiuus, & negatiuus in ordine ad sui causationem, & libertatem. Et qualiter actus negatiuus, siue negatio sit causabilis. d.30.q.5.n.131. p.220.

Actus primus proximus, quem causa habet ad suos effectus, neutiquam constituitur per principia conseruatiua ipsius causæ titulo talium. d.30.q.5.n.137. p.222.

Qualiter plerique actus voluntatis creatæ suapte essentiâ sint alligati vnico temporis instanti. d.30.q.14.n.670. p.327.

Qualiter omnis actus voluntatis debeat pendere ab intellectione. d.30.q.14.n.682. p.330.

De multitudine, & varietate actuum voluntatis diuinæ. Vide *Voluntas Dei.*

Actus conditionatus. Vide *Scientia Dei conditionata. Decretum.*

Actus imperans, & imparatus. Vide *Imperium.*

Actus boni, aut mali, aut indifferentes moraliter. Vide *Moralitas.*

Actus Dei honesti moraliter. Vide *Deus. Voluntas Dei. Moralitas.*

Amicitia.

Vide *Amor.*

Qualiter virtus amicitiæ reperitur in Deo. d.35.q.3.n.287. p.576.

Amor.

Quid sit, & quotuplex. d.34.q.2.à n.11. p.499.

Vtrùm in Deo detur amor strictus, & circa quæ bona. d.34.q.3. per totam. p.501.

Quid sit amor amicitiæ; quid beneuolentiæ, quid concupiscentiæ. d.34.q.2.n.21. p.501.

An omnes isti actus dentur in Deo, & circa quæ obiecta. d.34.q.6. per totam. p.507.

Vtrùm amor, quo Deus se amat, sit efficax aliquo modo. d.34.q.11.n.145. p.523.

Appetitus.

Qualiter reperiatur in Deo appetitus innatus. d.31.q.1.n.10.& 11. p.362.

Apprehensio simplex.

Quid sit. Et quotuplex. d.23.q.3.à n.73. p.15.

Qualiter reperiatur in Deo. ibid. à n.82. p.17.

Audacia.

Quid sit. d.34.q.2.n.18. p.500.

Non datur in Deo. d.34.q.5.n.54. p.507.

S. Augustinus.

Stare S. Augustinum pro doctrinâ de scientiâ mediâ, & non pro oppositâ Thomistarum, efficaciter haud dubiè probant simul acceptæ, quæ ex ipso ad rem traduntur. d.28.q.6.n.133. & 134. p.118. Et rursus à n.143. p.120. Et q.7. tum à n.197. p.133. tum à n.261. p.148. tum maximè à n.269. p.150.

Auxilium.

Vide *Prouidentia.*

B

Beneficium.

Vide *Prouidentia.*

Beneuolentia.

Vide *Amor*, & *Prouidentia.*

Bonum. Bonitas.

Quid sit bonum. Quid bonitas. Et quotuplex. d.32.q.1.à n.1. p.438.

Obiectum voluntatis est non solùm bonum, & malum relatum, sed etiam absolutum. ibid. à n.6. p.439.

Qualiter voluntas bonum vt tale odio, malumque vt tale amore prosequi possit. ibid. à n.8. p.440.

In quo genere bonorum reperiatur optimum: & qualiter. d.32.q.3. à n.55. p.450.

De necessitate morali Dei ad eligendum optimum. Vide *Voluntas Dei.*

Mundus vniuersus, & quæcunque in illo sunt facta ex primariâ intentione Dei omnino sunt bona in se ipsis, & absque vllâ imperfectione. d.32.q.3.à n.115. p.464.

Bonitas moralis. Vide *Moralitas.*

C

Caramuel.

Singularis sententia Caramuelis circa scientiam conditionatorum contingentium proponitur, & confutatur. d.28.q.7.à n.362. p.170.

Causa.

Quid sit causa libera. Quid necessaria. d.30.q.1. per totam. p.199.

In quibus causis libertas actus primi esse possit.

Et in quibus non. Et in quibus de facto sit. d.30.q.4.per totam p.204.
Vide *Libertas*.
Principia conseruatiua causæ titulo talium neutiquam sunt constitutiua potentiæ proximæ, quam causa habet ad suos effectus.d.30.q.5.n. 137. p.222.
Vtrùm omnis causa secunda titulo talis egeat per præuium aliquem Dei concursum præmoueri, siue prædeterminari à Deo. d.30.q.9. per totam. p.255.
Vide *Prædeterminatio*.
Quas causas physicas habeat prædestinatio. d.42. q.2.per.totam p.742.
Quid sit statutum, & certum secundùm fidem circa causam moralem prædestinationis.d.42.q.3. per totam. p.742.
Vtrùm ex parte Prædestinati aliqua causa moralis oriunda ex viribus arbitrij ipsegræ prædestinationis, atque adeò primæ gratiæ naturæ indebitæ possit concedi. d. 42. q.4. per totam. p.745.
An per opera ex gratiâ facta mereatur quis, aut mereri possit totam suam prædestinationem.d.42.q.5.per totam. p.755.
Qua ratione Christus Dominus fuerit causa prædestinationis hominum. d.42.quæst.6. per totam. p.757.
Et an fuerit causa prædestinationis nostræ, prout electio est. d.42.q.7.per totam. p.761.
Vtrùm aliquis purus homo fuerit, aut potuerit esse causa prædestinationis alterius. d.42. q.8. per totam. p.764.
An detur aliqua causa, vel ratio ex parte Dei electionis Prædestinatorum. d.42. q.9. per totam. p.765.
De causis reprobationis. Vide *Reprobatio*.

Chymæra.

Vide *Impossibile*.

Circunstantia.

Vide *Moralitas*.

Clementia.

Qualiter reperiatur in Deo.d.35.q.3.n.301.p.577.

Cognitio.

De cognitione Dei. Vide *Scientia Dei,&c.*
Quid sit cognoscere vnum obiectum in ipsomet.
Quid cognoscere vnum in alio. Et quid cognoscere vnum ex alio. d.23.q.7.à n.161. p.33.
Quomodò cognitio, seu cogitatio retractiua voluntatis ab actu libero simul cum attractiua oppositâ influat in ipsum actum, priorque naturâ ipso sit, latè probatur contra Ribaden. d.30.q.15.à n.704. p.334.
De cognitione requisitâ, vt moralitas actuum naturæ rationalis euadat libera, & imputabilis. Vide *Moralitas*.

Comprehensio.

Quid sit, siue in quo ea consistat. d.24.q.5.num. 36. p.45.
Quomodò Deus comprehensiuè se cognoscat.ibid. à n.37. p.46.

Conceptus.

Quando liceat transferre in Deum conceptum obiectiuum repertum in rebus creatis. d.23.q. 2.n.33. p.7.

Concursus Dei.

Vide *Causa*. *Prædestinatio*. *Libertas*.
Quàm certum sit, qualiterque monstretur, Deum cum omnibus causis secundis immediatè concurrere concursu simultaneo. d.30.q.9. à num. 317. p.255.
Deus, & causa secunda per eamdem actionem concurrunt ad producendum eumdem effectum.ibid.n.326. p.256.
Qualiter id eueniat, aut euenire possit. n.327. & 328. p.257.
Qualiter Deus prouideat causis secundis suum concursum generalem. disp.38.quæst.3. per totam. p.647.
Vide *Decretum*.

Conditio.

Vide *Obiectum*. *Veritas*. *Propositio*. *Scientia Dei conditionata*. *Decretum*.

Connexio.

Quid sit. Et quotuplex.d.23.q.6.n.134. p.26.
Qualiter scientia diuina cum suo obiecto connexa sit.d.23.q.9.per totam, & remissiuè. p.38.
Quomodò terminus connexionis ad connexionis existentiam conducat duobus modis; ob idque conditio disparata respectu eius esse non possit. d.28.q.8.n.411. p.178.
Qualiter per connexionem merè naturalem causa libera necessitari nequeat naturaliter, vti per connexionem metaphysicam necessitatur metaphysicè, & per moralem moraliter. d.30.q.5. n.187. p.231.

Contingens.

De veritatibus obiectiuis contingentibus. d.27. q.1.per totam. p.67.
Quid sit in re contingente, esse præsentem, esse præteritam, & esse futuram. d.27.q.2. per totam. p.68.
De futurorum contingentium determinatâ veritate. Vide *Futurum*.
Quoad scientiam diuinam de contingentibus. Vide *Scientia Dei,&c.*
Qualiter omne contingens seu positiuum, seu negatiuum à nutu alicuius causæ liberæ debeat esse in suâ existentiâ dependens. d. 30.q.18.per totam. p.355.
Negatio respectu vnius mensuræ temporis potest esse contingens, & necessaria absolutè respectu aliarum. Secus ens positiuum. ibid. n. 821. p.356.
Ex hypothesi, quòd nulla causa esset libera, nullatenus esset contingens vllus effectus. ibid. n. 824. p.357.
Qualiter libertas diuina sit radix omnis contingentiæ.ibid.n.825. p.357.

Creatura.

Quot modis creaturæ cognoscantur à Deo. Vide *Scientia Dei,&c.*

D

Decretum.

Quot genera decretorum Dei sint excogitabilia. d.27,q.7.n.81, p.83.
Vtrùm Deus cognoscat sua decreta vt absolutè futura, aut etiam vt præterita, & qualiter. d. 27.q.9.per totam. p.90.
Qualiter omne futurum aliquo decreto Dei indigeat ad suam veritatem.d.27.q.3.à n.44. p.75. Et d.28.q.3.num.47. p.201. & q.4. p.102. & q.7. p.127.
Quale est decretum, quod requirunt Thomistæ, vt Deus cognoscat in illo conditionata contingentia.d.28.q.7.n.171. p.127.
Quinam reijciunt tale decretum.n.172. p.127.
Illud omnino esse reijciendum, ex Scripturâ, & Patribus,ex S.Th.& à ratione latè probatur,ib. à n.174. p.128.
Inconsequenter ad sua principia requirunt Thomistæ

mistæ decretum Dei absolutè existens, vt in illo cognoscat Deus conditionatum contingens. ibid.à n.243. p.145.

Decretum prædeterminatiuum ne ex parte quidem hypothesis debet, aut potest poni pro cognoscendo contingente conditionato. ibid.num 246. p.146.

Nulla alterius generis prædefinitio connectens conditionem cum conditionato est necessaria, vt Deus cognoscat conditionatum contingens. n.247. p.146.

Vtrùm Deus cognoscat sua decreta prout conditionatè futura. Et qua ratione. d.28.q.9. per totam. p.183.

Infinita decreta haberet Deus sub datâ aliquâ conditione, quæ absolutè non habet. ibid.à num. 437. p.184.

Illa omnia, atque etiam, quæ absolutè habet, per scientiam conditionatam certissimam cognoscit. ibid. à n.444. p.185.

Per scientiam autem mediam, quæ haberet aut habet sub quauis conditione indifferente seu casuali, seu disparatâ. ibid.à n.451. p.186.

Qualiter constituenda sit libertas decretorũ Dei. d.31.q.4. per totam tractatur latissimè. p.375.

Vide *Voluntas Dei*.

Possibile fuit, Deum purè omittere omnia sua decreta libera. d.31.q.5.à n.337. p.428.

An dentur, vel dari possint in Deo decreta efficacia conditionata ex parte obiecti. Et quid de cæteris actibus ex parte obiecti conditionatis. d.34.q.8. per totam. p.511.

Decretum conditionatum ex parte obiecti possibile est Deo. ibid.à n.87. p.512.

Deus nihil potest efficaciter, & conditionatè decernere, nisi sub conditione possibili, indifferenteque ad existendum, & non existendum. ibid.à n.100. p.514.

Cuius possibilitas etiam moralis debet esse. à n.106. p.516.

Non omnia obiecta conditionata de conditione possibili possunt decerni à Deo: sed aliqua. Et quæ sint illa. ibid.à n.107. p.516.

Defacto aliqua sunt decreta ab ipso. Sed infinita non sunt decreta. à n.116. p.518.

Possibilis est Deo velleitas, quæ actus conditionatus est. ibid.à n.119. p.518.

Intra quoduis genus actuum tum prosequutionis, tum fugæ sunt aliqui possibiles Deo ex parte obiecti conditionati. ibid.n.125, p.519.

Quid de decretis, alijsque actibus voluntatis Dei ex parte obiecti disiunctiuis. d.34.q.9. per totam. p.520.

Qualiter dentur in Deo decreta disiunctiua æquiualenter. Secus formaliter. ibid.à n.128.p.520.

Et quid de alijs actibus. n.133. p.521.

De decretis Dei imperantibus. Vide *Imperium*,

Qualiter inter decreta diuina duplex ordo, alter intentionis, & alter exequutionis ponendus sit. d.36.q.5. per totam. p.592.

Et quænam decreta intentiua, quænam verò exeuntiua sint. ibid.à n.92. p.593.

An aliquod decretum collatiuum auxilij, alterius ve constitutiui libertatis indifferens ad vtrumuis dari debeat, vt seruetur libertas. d.38.q.1. per totam. p.635.

Decretum collatiuum auxilij connexum aut cum consensu, aut cum dissensu per se non tollit libertatem. ibid.à n.8. p.636.

Decretum collatiuum auxilij indifferens ad vtrumuis nullatenus est requisitum, vt seruetur libertas. ibid.à n.10. p.637.

Quid de decreto collatiuo auxilij connexo cum carentiâ consensus. ibid.à n.32. p.641.

Quale sit decretum, quo Deus decernit concurrere cum causis secundis, præsertim liberis. d.38. q.3. per totam. p.647.

Non potest esse antecedens determinatum, & absolutum, illæsâ libertate. ibid.à n.68. p.648.

Stando in sententiâ non Connotantium indifferens, & conditionatum esse debet. ibid.à n.70. p.649.

Qualiter iuxta sententiam Connotantium possit esse determinatum, absolutum, & comitans. ibid. à n.85. p.651.

Præter decreta principiorum, aliquod decretum de actu ipso libero dari debet. n.92. p.653.

Decretum comitans excogitatum à quodam Recentiore tanquam singulare, impossibile, & doctrinæ Societatis aduersum prorsus reijcitur. ibid.à n.93. p.654.

Quid de decreto concurrendi cum causis necessarijs. ibid. à n.124. p.660.

Decretum prædefinitiuum. Vide *Prædefinitio*.

Denominatio.

Qua ratione cognoscantur à Deo denominationes extrinsecæ, & semiextinsecæ; atque etiam intrinsecæ sumptæ adiectiuè. d.23.q.6.num. 159. p.33.

Desiderium.

Quid sit, & quotuplex. d.34.q.2.à n.15. p.499.

Qualiter affectus desiderij tum efficacis, tum simplicis detur, aut dari possit in Deo. d.34.q.5. p.504.

Desperatio.

Quid sit. d.34.q.2.n.19. p.500.

Nullatenus reperitur in Deo. d.34.q.7.n.83. p.511

Determinatio.

Vide. *Voluntas, & Prædeterminatio*.

Deus.

De Deo prout sapiente, siue de scientiâ Dei tum generatim tum speciatim sumptâ. Vide *Scientia Dei, &c.*

De intellectione Dei. Vide *Scientia Dei, &c.*

In Deo non datur proprius, & specialis conceptus speciei intelligibilis. d.23.q.2.à n.65. p.14.

Neque proprius conceptus habitus intellectiui. ibid.à n.69. p.15.

De intellectu, siue potentiâ intellectiuâ Dei. Vide *Potentia*.

Vtrùm in Deo dentur ideæ. Et in quo consistant. Vide *Idea*.

Qualiter reperiatur in Deo appetitus innatus. d. 31.q.1.à n.10. p.362.

Deum esse perfectissimè liberum tum ad causandum, tum ad volendum, certum secundùm fidem, & euidens secundùm rationem est. d.31. q.3.à n.53. p.370.

Absque indifferentiâ voluntatis diuinæ diuina libertas constare nequit. ibid.à n.67. p.373.

De fide est, ita esse Deum liberum, vt potuerit nihil creare. à n.68. p.373.

Qua ratione volitio Dei libera sit. d.31.q.4. per totam latissimè. p.375.

Vide *Voluntas Dei*.

Qualiter Deus puram omissionem liberam habere possit. d.31.q.5. per totam. p.425.

Qualiter Deus sit immutabilis quoad actus liberos voluntatis: idque citra libertatis dispendium. d.31.q.6. per totam. p.431.

Qualiter libertas Dei omnium maxima sit dicenda, vel secus. d.31.q.7. per totam. p.436.

De

De obiectis voluntatis Dei tum generatim, tum speciatim consideratis. Vide *Voluntas Dei*.
De actibus voluntatis Dei tum generatim, tum speciatim consideratis. Vide *Voluntas Dei*.
Qua ratione actus Dei liberi tum interni, tum externi honesti moraliter sint, d.35.q.2.per totam. p.561.
Vtrùm virtutes morales propriè dictæ reperiantur in Deo. Et quænam illæ sint. d.35.q.3. per totam. p.568.

Discursus.

Quid sit, & quotuplex. Et qualiter non reperiatur: qualiterque reperiatur in Deo. d.23.q.3.à num. 78. p.16.
Vide *Scientia Dei, &c.*

Dolor.

Quid sit. d.34.q.2.n.19. p.500.
Propriè sumptus non reperitur in Deo. d.34.q.7. n.81. p.511.
Etsi ei tribuatur translatitiè. ibid.n.82. p.511.

Dubium.

Dubium, suspicio, formido, coniectatio qualiter ad moralitatem actus conducant. Vide *Moralitas*.

E

Effectus.

Quæ conditiones necessariæ sint, vt aliquid dicatur esse prædestinationis effectus. d.43.q.1. per totam. p.768.
Quæ bona ordinis naturalis sint effectus prædestinationis. d.43.q.2.per totam. p.768.
Vtrùm malum, vel permissio eius sit effectus prædestinationis. d.43.q.3.per totam. p.770.
De effectibus reprobationis. Vide *Reprobatio*.

Electio.

De electione medij ad finem. Vide *Finis*.
De electione Prædestinatorum ad gloriam. Vide *Prædestinatio*. *Prædestinatus*.

Enunciabilia.

Quænam dicantur enunciabilia. Et qualiter cognoscantur à Deo. d.25.q.7. per totam. p.62.

Exemplar.

Vide *Idea*.

F

Falsitas.

Vide *Veritas*.

Finis.

Non solùm finis, sed etiam media pertinent ad voluntatis obiectum. d.32.q.1.à n.15. p.441.
Qualiter finis, & medium, illiusque intentio, & huius electio comparenter inter se quoad bonitatem, & malitiam moralem. d.35.q.1.à n. 162. p.553.
Quid sit finis. Quid medium. Et quotuplex. d.36.q.1 per totam. p.579.
Quid sit intentio finis. Quid electio medij. Et quotuplex. d.36.q.2.per totam. p.580.
Qualiter intentio finis, & electio medij possint, aut debeant inter se distingui. d.36.q.3.per totam. p.582.
Qualiter possit, aut non possit amari finis, non amato termino relationis eius. ibid. à num. 25. p.582.
Qualiter finis vt consequibilis, aut consequendus per medium amari possit, non amato ipso medio. ibid.à n.32. p.583.
Qualiter voluntas non possit amare medium, non amato fine. ibid.à n.36. p.584.
Qualiter possit voluntas ordinare media ad finem, siue ex intentione finis eligere media. d.36.q.4. per totam. p.585.
Quomodò voluntas ex intentione simplici finis determinatâ, & absolutâ ad quæuis media eligenda moueri possit. ibid.à n.48. p.585.
Quomodò voluntas per intentionem efficacem finis determinatam, & absoluram moueri, aut etiam necessitari possit ad eligenda media. ibid. à n.60. p.587.
Et quid de motione oriundâ ab intentione finis conditionatâ. ibid.à n.68. p.589.
Et quid de motione intentionis disiunctiuæ. ibid.à n.73. p.589.
Quomodò intentio finis ad nullum actum possit mouere voluntatem, qui non sit formalis electio. ibid.à n.77. p.590.
Qualiter intentio finis ad electionem medij remoti immediatè mouere possit. ibid.à n.82.p.591.
Qualiter inter finem, & media duplex ordo alter intentionis, & alter exequutionis ponendus sit. d.36.quæ.ſt5. per totam. Vbi potissimum de ordinibus intentionis, & exequutionis inter decreta Dei. p.592.
Quomodò finis vera, & realis causa sit. d.36.q. 6.n.103. p.595.
Ratio causæ in solo fine reperitur. Cognitio autem eius tantùm est conditio causandi. ibid. à n 104. p.595.
Quinam sint effectus causæ finalis. ibid. à n. 107. p.496.
In quo consistat eius causalitas. ibid. à n. 110. p.596.
Qualiter possit vnus finis in alium ordinari. Vel secus. ibid.à n.111. p.596.
De electione inter media æqualia. ib.n.115.p.597.
Quomodò intentio influat in electionem. ibid.n. 116. p.597.
Qualiter, vt intentio moueat, non debeat cognosci. ibid.n.117. p.597.
Quibus agentibus competat agere propter finem. Et qualiter. ibid.à n.120. p.598.
Intentio finis, quantùm est ex parte Dei efficax, non verò simpliciter, à doctis Recentioribus excogitata impossibilis est. d.37.q.5. à n. 69. p.611.

Formido.

Vide *Dubium*.

Fortitudo.

Qualiter virtus fortitudinis detur, aut non detur in Deo. d.35.q.3.à n.291. p.576.

Fuga.

Vide *Odium*.

Futurum. Futuritio.

Quid sit in quauis re existente, esse præsentem, esse præteritam, & esse futuram. Quotuplexque sit præteritio, præsentia, & futuritio rerum, d.27.q.2.per totam. p.68.
Qualiter propositiones absolutæ de futuris contingentibus, & earum obiecta veritatem, aut falsitatem determinatam habeant. d.27.q.3.per totam. p.70.
Quæuis propositio singularis, & absoluta de futuro contingente determinatè est vera, aut determinatè falsa. ibid.à n.24. p.73.
Probabilius est, Aristotelem non sensisse oppositum. ibid.à n.41. p.75.
Ad talem veritatem, aut falsitatem constituendam, neque decretum Dei, neque aliud quidpiam præsens, & determinatè connexum cum futuro requisitum est. ibid. à n.44 p.75.
Veritatem obiectiuam futuri per tale quid præ-

fers

sens constitui, prorsus est impossibile. ibid. à num. 55. p. 78.

Quid de veritate, & falsitate propositionum vniuersalium de futuro contingente censendum sit. ibid. n. 68. p. 80.

De scientiâ Dei circa futura. Vide *Scientia Dei*, &c.

Qualiter futura absoluta sint, aut non sint præsentia physicè æternitati Dei. Qualiterque eiusmodi præsentia eorum conducat, aut non conducat, vt in se ipsis sciantur à Deo. disp. 27. quæst. 6. remissiuè. p. 83.

De futuro conditionato. Vide *Obiectum. Scientia conditionatâ. Veritas. Verum.*

Qualiter omne futurum aliquo decreto Dei indigeat ad suam veritatem disput. 27. quæst. 3. à num. 44. pag. 75. & disput. 28. quæst. 3. num. 47. pag. 101. Et quæst. 4. pag. 102. & quæst. 7. pag. 127

G.

Gaudium.

Quid sit. disput. 34. quæst. 2. n. 16. p. 500.

An in Deo detur affectus gaudij. Et circa quæ obiecta. disput. 34. quæst. 4. per totam. pag. 504.

Gloria.

Circa gloriam, quæ Prædestinatis confertur. Vide *Prædestinatio. Prædestinatus.*

Gratitudo.

Qualiter reperiatur in Deo. disput. 35. quæst. 3, num. 286. p. 575.

H.

Habitus.

Conceptus proprius habitus intellectiui non datur in Deo. d. 23. q. 2. à n. 69. p. 15.

Historia.

Historia de controuersijs habitis circa scientiam mediam summariè narratur. disput. 28. quæst. 6. n. 107. p. 113.

I.

Idea.

Quidnam idea sit. Et an in Deo sint ideæ. disp. 29. quæst. 1. per totam. p. 189.

In quo consistant ideæ diuinæ. disput. 29. quæst. 2. per totam. p. 190.

Ideæ diuinæ non sunt quidpiam positum extra Deum. ibid. n. 4. p. 190.

Creatura cognita à Deo prout factibilis secundùm *esse* obiectiuum quod habet in mente diuinâ concurrit ad sui effectionem per modum obiectiui exemplaris, siue ideæ obiectiuæ. ibid. à n. 8. p. 191.

Multa eorum, quæ de ideis docet Vazq. improbantur. à n. 14. p. 192.

Essentia Dei prout creaturis physicè similis idea earum obiectiua esse non potest. ibid. à num. 18. pag. 193.

Nec prout eisdem similis intentionaliter, à n. 21. pag. 193.

Nec prout obiectiuè determinans ad creaturarum cognitionem. à n. 25. p. 194.

Essentia diuina, in quantùm est cognitio de creaturis, idea formalis earum est, constituens nimirum simul cum suo obiecto, quatenus est propositio eius, tanquam cum ideâ obiectiuâ integram ideam diuinam ipsarum creaturarum. ibid. à n. 26. p. 194.

Quomodò sint in Deo plures ideæ. disp. 29. quæst. 3. n. 33. p. 195.

Quomodò Deus de solis singulasibus habeat ideas. ibid. n. 34. p. 196.

De quibus rebus habeat illas. ibid. num. 35. & 36. p. 196.

An habeat ideas negationum, & entium rationis. ibid. n. 37. p. 196.

An idea exposcat in artifice libertatem. num. 38. p. 196.

Verbi, & Spiritus sancti non dantur ideæ in Deo. n. 39. p. 197.

Infinitæ sunt Dei ideæ. ibid. n. 40. p. 197.

Quo differant *Idea*, & *exemplar*. n. 41. p. 197.

Ignorantia.

Quale sit peccatum ex ignorantiâ. Vide *Peccatum. Peccare.*

Iwmutabilitas.

Vide *Deus*, & *Voluntas Dei.*

Imperium.

Voluntas per actum reflexum immediatè potest sibi ipsi imperare actum directum. d. 30. q. 12. à n. 598. p. 313.

Imperium aliud est efficax, aliud simplex. ibid. n. 606. p. 314.

Solum desiderium reflexum de actu prout extituro de præsenti dicitur imperium. Et quo illud differat à desiderio de actu prout extituro de futuro. ibid. n. 607. p. 314.

In quo consistat influxus imperij in actum imperatum. ibid. à n. 608. p. 315.

De imperio quasi reflexo omissionis perinde, ac de imperio reflexo actus, philosophandum est. ibid. n. 623. p. 318.

Imperium efficax voluntatis determinatum, & absolutum libertatem immediatam tollit ad actum imperatum. Qui subinde mediatè tantum liber est. ibid. à n. 626. p. 318.

Idem dicendum de imperio simili omissionis. ibid. à n. 638. p. 321.

Qualiter imperium efficax disiunctiuum necessitet, aut non necessitet voluntatem ad vnum, vel alterum ex eius duobus actibus imperatis. ibid. à n. 639. p. 321.

Et quid de imperio efficaci conditionato. à num. 643. p. 322.

Qualiter dari possit, aut detur in Deo imperium voluntatis reflexum. d. 34. q. 10. per totam. pag. 521.

Deus per imperium reflexum absolutum, & efficax aliquos actus suæ voluntatis imperare valet. ibid. à n. 135. p. 521.

Sed progressio imperiorum infinita impossibilis est. à n. 136. p. 521.

Imo & longa. ibid. à n. 138. p. 522.

Et quid de imperijs simplicibus, ac de conditionatis. n. 141. p. 523.

Quænam imperia ad voluntatem spectantia sint requisita ad prouidentiam Dei. d. 37. q. 5. n. 82. pag. 615.

Vtrùm ad prouidentiam diuinam aliquod imperium intellectuale aut necessarium sit, aut vtile. d. 37. q. 6. per totam. p. 615.

In quo consistat imperium politicum, & in quo monasticum tum propriè, tum minùs propriè sumptum. ibid. à n. 87. p. 616.

Imperium monasticum propriè dictum nullo modo est necessarium ad prouidentiam Dei. ibid. à n. 96. p. 618.

Nec respectu potentiæ exequutiuæ est possibile. Benè tamen respectu voluntatis. ibid. à n. 99. pag. 618.

Aliquod imperium monasticum minùs proprium ad prouidentiam Dei est necessarium. Et aliqua alia saltem vtilia. ibid. à n. 101. p. 618.

Impossibile. Impossibilitas.

Quid sit impossibilitas primaria rerum. Et quomodò cum re impossibili, siue chymæricà sit identificata, à Deoque, & ab alijs rebus possibilibus distincta realiter. Qualiter item aliæ sunt chymæræ impossibiles veram quiditatem habentes. Aliæ verò non item. Et qualiter omnes chymæræ impossibiles cognoscantur à Deo. d. 25. q. 5. à n. 47. p. 57.

Qualiter sub conditionibus absolutè impossibilibus veritates conditionatæ causales, & contingentes dari possint, de factoque dentur. d. 28. q. 7. à n. 387. Vbi obiter multa scitu digna de impossibilibus tractantur. p. 173.

Qualiter argumentatio ex hypothesi impossibili sit vtilis. d. 30. q. 19. n. 827. p. 358.

Qua ratione voluntas Dei circa impossibilia se gerere possit. d. 33. q. 8. p. 495.

Indifferentia.

Vide *Libertas. Moralitas.*

Intellectio.

De intellectione Dei. Vide *Scientia Dei, &c.*

Quomodò intellectio diuidatur in apprehensionem simplicem, iudicium, & discursum. d. 23. q. 3. à num. 73. p. 15.

Intellectus.

De intellectu Dei. Vide *Potentia.*

Intentio.

Vide *Finis.*

Ira.

Quid sit. d. 34. q. 7. n. 84. p. 511.

Secundum vnam eius definitionem propriè in Deo non datur. Datur verò secundum alteram quæ præterri debet, & retineri. ibid. p. 511.

Iudicium.

Quid sit iudicium. Et quotuplex. Et qualiter reperiatur in Deo. d. 23. q. 3. à n. 73. p. 15.

Vide *Scientia Dei, &c.*

De iudicio conditionato. Vide *Scientia Dei conditionata.*

Iustitia.

An in Deo reperiatur. Et qualiter. Vide *Virtus.*

L.

Liber vitæ.

Quid sit. d. 44. q. 5. n. 43. p. 785.

An detur etiam liber mortis. ibid. n. 44. p. 785.

Vtrùm aliquis deleatur de libro vitæ. ibid. n. 45. pag. 786.

Liberalitas.

Qualiter reperiatur in Deo. d. 35. q. 3. num. 285. pag. 575.

Libertas.

Libertas alia est à necessitate. Alia à peccato. Alia à miseria. d. 30. n. 1. p. 198.

Libertas naturæ alia est à necessitate: alia à coactione. ibid. n. 2. p. 198

Libertatem à coactione (quæ non propria, sed metaphorica est) insufficientem esse ad meritum, vel demeritum, ab Ecclesia definitum est contra Nouatores. ibid. p. 198.

Sola liberras à necessitate est propria, & stricta libertas. ibid. & n. 3. p. 198.

Quid sit libertas actus primi. Quid actus secundi. Et quid oppolita necessitas. d. 30. q. 1. n. 9. pag. 200.

In quo consistat libertas actus primi. d. 30. q. 2. per totam. p. 200.

Quotuplex sit libertas actus primi. Quotuplex itidem necessitas. d. 30. q. 3. per totam. p. 201.

In multò plura membra, quàm hactenus, & magis scientificè diuiditur libertas actus primi. ibid. à n. 22. p. 202.

Sine libertate contradictionis (quæ potissima est) nullam aliarum posse subsistere, demonstratur. ibid. n. 29. p. 203.

In quibus potentijs, seu in quibus rebus libertas actus primi esse possit. d. 30. q. 4. per totam. pag. 204.

In potentijs non causatiuis nequit esse libertas. ibid. n. 44. p. 205.

Neque in causis intrinsecè componentibus. ibid. n. 46. p. 206.

Neque in purè moralibus. ibid. n. 47. p. 206.

Neque in causa materiali. ibid. n. 49. p. 206.

In solà efficiente physicà potest. ibid. à num. 57. pag. 208.

Causa cognoscitiua per se libera possibilis est, sed de facto non datur. ibid. à n. 60. p. 208.

Causa non cognoscitiua non potest esse libera libertate perfecta. ibid. à n. 66. p. 209.

Quibus in causis cognoscitiuis possit esse libertas tum apta, tum inepta morali imputationi. Vbi quid de infantibus, & amentibus. ibid. à n. 67. p. 209.

In causà non cognoscitiuà nulla potest esse libertas. ibid. à n. 70. p. 210.

Quibus in causis de facto reperiatur libertas. ibid. à n. 75. p. 210.

Qualiter non sit possibilis causa rationalis, quæ non sit liberà. ibid. à n. 79. p. 211.

Quid de causis seu liberis, seu necessarijs vel respectu omnium suorum actuum, vel respectu aliquorum tantùm. ibid. n. 82. p. 212.

Quænam in vniuersùm sint requisita ad libertatem actus primi. d. 30. q. 5. per totam. p. 212.

Quænam intrinsecè, & quænam extrinsecè requisita dicantur ad libertatem actus primi. ibid. n. 86. p. 212.

Id, quo solo deficiente, potentia deficit, aut est ipsa potentia, aut pars eius. ibid. n. 87. p. 213.

Nulla potentia proxima includit in se suum actum prout existentem. ibid. à n. 90. p. 213.

Sola, quæ ex parte causæ ad exercendum actum sunt requisita, ad potentiam proximam eius requiruntur intrinsecè. ibid. à n. 93. p. 213.

Quoties plures causæ physicè ad eumdem actum concurrunt, nequit vna habere potentiam proximam ad illum, quin habeant omnes. ibid. à n. 95. p. 214.

Vnum ex requisitis intrinsecè ad potentiam proximam causæ ad quemuis suum actum ipsius actus possibilitas est. ibid. à n. 102. p. 215.

Ex eo, quòd aliquid sit requisitum ex parte actus vt terminus connexionis eius, non fit, esse illud requisitum intrinsecè ad causæ potentiam proximam ad talem actum. ibid. à n. 110. pag. 216.

Ex eo, quòd aliquid sit connexum cum actu, non sequitur, debere illud intrinsecè includi in causæ potentia proxima ad talem actum. ibid. n. 116. p. 218.

Vt causa actus sit proximè potens respectu actus, non est necesse, quòd causa termini, cum quo actus connectitur, sit etiam proximè potens respectu termini. ibid. à n. 117. p. 218.

Vt causa actus euadat proximè potens respectu actus, intrinsecè requisitum est, quòd sit verum conditionatè, extiturum sine conditione terminum connexionis actus, si existat actus ipse. ibid. à n. 120. p. 219.

Quænam ad libertatem actus primi causæ liberæ sint

sint extrinsecè requisita, speciatim recensentur. ibid. à n.129. p.220.

Qualiter actus negatiuus liberè causabilis sit. Et quo differat à positiuo quoad causationem, & libertatem. ibid. n.131. p.220.

Contradictorium eius, quod necessitat causam liberam ad alterum ex ipsius actibus contradictorijs, ad talis causæ libertatem proximam ad tales actus intrinsecè requisitum est. Demonstratur. ibid. à n.143. p.222.

Quoties in causa liberà integra potentia proxima ad actum positiuum est compatibilis cum negatiuo, toties in eà est libertas ad vtrumque. ibid. à n.151. p.224.

Duæ potentiæ proximæ, in quibus consistit libertas, à parte rei sunt prorsus idem. ibid. n.153. & 154. p.225.

Quomodò ex duobus tantùm capitibus possit libertas causæ deesse. ibid. n.155. p.225.

Quidquid constituit potentiam proximam actus, & cum actu connexum est, libertatem ad actum tollit. ibid. à n.157. p.226.

Quidquid non constituit potentiam proximam actus, libertatem ad talem actum auferre non potest, quantumuis cum ipso actu connexum sit. ibid. à n.171. p.228.

Quomodò libertas per positionem impedimenti actus tum formaliter, tum effectiuè tolli possit. ibid. n.182. p.230. & n.185. p.231.

Qualiter in ordine ad tollendam libertatem connexio physica non habeat locum, vti habent metaphysica, & moralis. ibid. n.187. p.231.

Quando causa libera libertatem proximam habet ad suum actum, impossibile est, quòd eum eliciat, quin se ipsam sponte suâ determinet ad eum eliciendum. ibid. à n.188. p.231.

Quando actus positiuus causæ liberæ A cum actu seu positiuo, seu negatiuo causæ liberæ B connexus est, nequit causa A euadere proximè potens ad talem actum sine nutu, ac determinatione, atque adeò influxu causæ B. Quando verò actus negatiuus causæ liberæ A cum actu negatiuo causæ liberæ B connexus est, (cum positiuo quippe nequit esse connexus), benè potest causa A euadere proximè potens ad talem actum sine nutu, ac determinatione, atque adeò influxu causæ B. ibid. à n.194. p.232. Vbi omnes casus possibiles sigillatim examinantur, & quid sit in vnoquoque dicendum, statuitur.

Quid ad rem sit dicendum in casibus, vbi causa A, & causa B sint necessariæ, vel altera sit necessaria, & altera libera. ibid. à n.221. p.239.

Quænam ad libertatem contrarietatis, atque ad libertatem anonymam sint requisita. d.30.q.6. per totam. p.239.

Possibile est, vt in causà liberà sola libertas contradictionis absque vllà libertate contrarietatis, & absque vlla libertate anonymà reperiatur. ibid. à n.228. p.240.

Impossibile est, vt voluntas immediatè sit libera ad duos actus oppositos vnà libertate contrarietatis, quin sit etiam immediatè libera ad ipsos, & omissiones eorum duabus libertatibus contradictionis. ibid. à n.236. p.241.

Impossibile est vt voluntas sit proximè libera ad eligendum vnum, vel alterum ex duobus actibus non oppositis vnà libertate anonyma: quin sit etiam proximè libera ad ipsos, & omissiones eorum duabus libertatibus contradictionis. ibid. n.245. p.243.

An sit possibilis voluntati pura omissio libera. d. 30.q.7. per totam. p.243.

Sententia ponens puram omissionem nec liberam, nec necessariam omnino reijcienda est. ibid. à n.251. p.244.

Pura omissio actus voluntatis libera libertate immediatà simpliciter possibilis est. ibid. à n. 264. p.245.

Non solùm simpliciter, seu physicè, sed etiam moraliter est possibilis pura omissio libera. ibid. à n.285. p.250.

Quando voluntas ad plures actus sigillatim libera est, omnes simul potest purè, & liberè omittere. ibid. n.286. p.250.

Pura, & libera omissio actus potentiæ à voluntate diuersæ, & ipsi subditæ possibilis est. ibid. à n.287. p.250.

Quænam necessitas opponatur libertati actus primi. d.30.q.8. per totam. p.251.

Quid & quotuplex sit necessitas. ibid. à n. 291. p.251.

Necessitas immediatè antecedens actum priori tate naturæ in serie originis eius libertati est opposita. ibid. à n.303. p.253.

Necessitas antecedens actum antecedentiâ tantùm mediatâ in serie originis eius libertati non est opposita. ibid. à n.308. p.253.

Quid ad rem de alijs necessitatibus dicendum. ibid. à n.310. p.254.

Vtrùm physica prædeterminatio cum libertate causæ secundæ componi possit. d.30.q.10. per totam. p.279.

Definitio communis causæ liberæ stabilitur, & explicatur. ibid. à n.443. p.281.

Nequit causa esse libera ad operandum; cùm deest illi aliquid ad operationem requisitum, quod ipsa acquirere non potest. ibid. n. 445. p.282.

Quænam ex hoc principio manifestè sequantur circa requisita ad operationem. ibid. à n. 446. p.282.

Voluntas prædeterminata physicè ad operandum nullatenus potest manere libera ad non operandum. ibid. à n.450. p.283.

Indifferentia cognitionis ad libertatem voluntatis sufficiens non est. ibid. à n.464. p.286.

Qualiter carentia prædeterminationis sit, aut non sit intrinsecum constitutiuum libertatis voluntanis. ibid. à n.492. p.292.

Voluntas non prædeterminata ad agendum nullatenus existit libera ad agendum, & non agendum, stando in Prædeterminatorum doctrinà. ibid. à n.498. p.294.

Iuxta Prædeterminatorum doctrinam dici non potest, esse in voluntatis arbitrio prædeterminationem habere, vel non habere. ibid. à n. 510. p.296.

Sed neque prædeterminatio mitior non influuò cum actu connexa potest à libertate voluntatis pendere. ibid. à n.523. p.298.

Argumenta Prædeterminatorum diluuntur. ibid. à n.525. p.299.

Doctrina Prædeterminatorum è medio tollit omnem libertatem contrarietatis. ibid. à n. 536. p.301.

Tollit item omnem obligationem. à n.540. p.301.

Tollit potestatem peccandi. n.543. p.302.

Tollit differentiam tentationum grauium, & leuium, & omnem victoriam tentationis. à n. 544. p.302.

Qualiter prædeterminatio disiunctiua se gerat

cum libertate. d. 30. q. 11. per totam. p. 305.
Et quid de prædeterminatione conditionatâ. ibid. n. 597. p. 312.
De libertate actus imperati. Vide *Imperium*.
De comparatione libertatis cum tempore in quo ea exercetur. Vide *Tempus*.
De libertate voluntatis non nulla. Vide *Voluntas*.
In quo consistat libertas actus secundi. d. 30. q. 17. per totam. p. 344.
Libertas actus secundi nullatenus omissioni liberæ potest esse essentialis. ibid. n. 760. p. 345.
Nec potest esse cum actu libero ita adæquatè identificata, vt egeat ad illum denominandum connotato extrinseco. ibid. n. 761. p. 345.
Nec potest in modo aliquo superaddito actui inhærente consistere. ibid. à n. 762. p. 345.
Possibiles sunt actus voluntatis, actionesque factiuæ eorum, quibus libertas contingens, atque semiextrinseca sit. Latè probatur contra Aduersantes. à n. 765. p. 345.
Duratio actionis essentialiter liberæ non potest non esse etiam essentialiter libera. ibid. n. 797. p. 351.
Humanæ voluntati prout connaturaliter operanti in statu præsenti actus, actionesque factiuæ eorum, quibus libertas sit intrinseca, & essentialis, impossibiles sunt. Latè probatur. ibid. à n. 804. p. 352.
Actibus etiam & actionibus iuxta modum operandi ordinarium elicitis à voluntate eorum, qui per species proprias cognoscunt, vt in statu beatifico, non esse intrinsecam, & essentialem libertatem, sed semiextrinsecam, & contingentem, verissimilius mihi est. Possunt tamen illi habere actus, & consequenter item actiones, quibus libertas sit essentialis. ibid. n. 816. p. 355.
Meliùs concipiunt, qui libertatem semiextrinsecam actui dicunt, etiam quando illi est essentialis. n. 817. p. 355.
Qualiter omne contingens à nutu alicuius causæ liberæ debeat esse in suâ existentiâ dependens. d. 30. q. 18. per totam. p. 355.
Quid de libertate creaturarum si Deus non esset liber. d. 30. q. 19. per totam. p. 357.
Circa libertatem Dei. Vide *Deus*. & *Voluntas Dei*.
Quomodò libertas puræ electionis inter extrema æqualia ad imputationem moralem sufficiens non sit. d. 35. q. 1. à n. 116. p. 546.
Omne connexum cum actu libero nequit ab ipsius libertate non dependere in suâ existentiâ. d. 37. q. 8. à n. 156. p. 628.
Impossibile est, vt voluntas ad actum, quem producit, sit libera, nisi potentiam habeat ad impediendum, quidquid cum tali actu connexum existit. ibid. à n. 159. p. 629.
Quale debeat esse decretum collatiuum auxilij, alteriusve constitutiui libertatis, vt seruetur libertas. d. 38. q. 1. per totam. p. 635.
Vide *Decretum*.

Longanimitas.

Qualiter reperiatur in Deo. d. 35. q. 3. n. 297. p. 577.

M.

Malum. Malitia.

Vtrùm Deus cognoscat mala. Et quomodò. d. 25. q. 6. per totam. p. 61.
Quid sit malum: quid malitia. Et quotuplex. d. 32. q. 1. à n. 1. p. 438.
Vide *Bonum. Bonitas*.
Qualiter voluntas diuina omnia mala odio habeat, aut possit odio habere. d. 33. q. 6. per totam. p. 488.
Vtrùm Deus aliquo modo possit amare quælibet mala. Vbi de peccato possibili. d. 33. q. 7. per totam. p. 490.
Malitia moralis. Vide *Moralitas*.

Magnificentia, & Magnanimitas.

Qualiter reperiantur in Deo. d. 35. q. 3. à n. 294. p. 576.

Mansuetudo.

Qualiter reperiantur in Deo. d. 35. q. 3. n. 301. p. 577.

Medium.

Vide *Finis*.

Memoria.

Qualiter concedenda: & qualiter neganda in Deo sit. d. 23. q. 2. n. 72. p. 15.

Meritum.

Qualiter, quod antecedit meritum, sub meritum cadere possit, seu esse præmium eius. d. 42. q. 1. per totam. p. 734.
Meritum aliud est de condigno, aliud de congruo. ibid. n. 4. p. 735.
Qualiter causalitas meriti à causalitate finis diuersa sit. Nec meritum per modum solutionis dari possit à merito remunerando diuersum. ibid. à n. 5. p. 735.
Qualiter quoduis meritum anticipatè præmiari possit. ibid. à n. 13. p. 737.
Qualiter quoduis principium meriti sub meritum cadere possit. ibid. à n. 17. p. 737.
Quibus scientijs duci Deus possit ad merita remuneranda. ibid. à n. 26. p. 739.
Qualiter sub meritum oriundum ex viribus arbitrij nullum donum gratiæ cadere possit. Benè tamen sub meritum oriundum ex gratiâ. Vide *Causa*.

Misericordia.

Qualiter reperiatur in Deo. d. 35. q. 3. n. 284. p. 575.

Moralitas.

Quid sit moralitas actuum naturæ rationalis.
Quotuplex. Et qualis. disp. 35. quæst. 1. per totam. p. 527.
Libertas actuum naturæ rationalis latiùs patet, quàm eorum moralitas. d. 35. q. 1. n. 2. p. 527.
In quo consistant bonitas, & malitia moralis tum materialis, tum formalis actuum naturæ rationalis. ibid. à n. 3. p. 528.
Et quomodò actibus tam internis, quàm externis plerunque sit accidentalis: aliquando essentialis: & semper semiextrinseca. ibid. à n. 7. p. 529.
Vt moralitas materialis actus euadat libera, & formalis, cognitio de illâ in operante omnino requisita est. ibid. à n. 14. p. 530.
Qualiter actus internus, & externus non vnam, sed duplicem moralitatem habeant. ibid. n. 19. p. 531.
Cognitio requisita, vt moralitas materialis actus euadat libera, & formalis, præsens, formaliscque esse debet. ibid. à n. 21. p. 531.
Cognitio requisita, vt honestas materialis actus euadat libera, & formalis, iudicatiua debet esse. Non tamen debet esse certa, sed sufficit, quòd sit probabilis. ibid. à n. 31. p. 533.
Iudicium practicum improbabile de bonitate mate-

materiali actus sufficiens est in ratione puræ propositionis, vt talis actus euadat bonus formaliter. In ratione verò circunstantiæ illum inficit, seu malum reddit. ibid à n. 43. p. 535.
Dubium de bonitate actus in ratione puræ propositionis sufficiens non est, vt actus euadat bonus formaliter. In ratione verò circunstantiæ interdum vitiat actum; quandoque secus. ibid. à n. 47. p. 536.
Iudicium, quantumuis certum, de probabilitate honestatis actus, vt actus euadat bonus formaliter, sufficiens non est in ratione puræ propositionis. In ratione verò circunstantiæ actum ipsum honestat. ibid. à n. 50. p. 536.
Dubium de malitiâ actus in ratione puræ propositionis, non sufficit, vt actus euadat malus formaliter. In ratione verò circunstantiæ omnino vitiat ipsum. ibid. à n. 56. p. 537.
Qualiter de reliquis actibus intellectus relatè ad malitiam operationis philosophandum sit. ibid. à n. 59. p. 537.
Quot modis dictamen practicum naturæ rationalis ad bonitatem, malitiam, & indifferentiam moralem vnius, aut plurium actuum ipsius sit comparabile. ibid. à n. 65. p. 538.
Qualiter malè moraliter operetur, qui concipit suum actum malum præcisè in genere, & qualiter, qui concipit illum bonum vt sic. ibid. à n. 80. p. 541.
Qualiter item operetur malè, aut benè moraliter, qui concipit actum malum, aut bonum cum præcisione à quantitate grauis, vel leuis malitiæ, aut bonitatis. ibid. à n. 87. p. 542.
Si quis per dictamen practicum iudicet, suam operationem esse simul bonam, & malam, benè simul, & malè formaliter operabitur. Similiterque dicendum de consimilibus casibus. ibid. à n. 94. p. 543.
Et quid, si iudicet, suum actum esse bonum, vel malum sub disiunctione, &c. à n. 101. p. 544.
Qualiter iudicium conditionatum de bonitate actus sufficiens sit, vt ille euadat bonus moraliter. ibid. à n. 107. p. 545.
Qui necessitatus ad alterutram ex duabus omissionibus, iudicansque eas æqualiter malas, amplectitur quamlibet, non peccat, quantumuis putet, se peccare. Si verò iudicet inæqualiter malas, peccabit in electione peioris dumtaxat quoad excessum; in electione vero minùs malæ nullo modo. ibid. à n. 114. p. 546.
Quomodò libertas puræ electionis non sit sufficiens ad imputabilitatem moralem. ibid. à n. 116. p. 546.
Quomodò ille, qui ad alterutrum ex duobus extremis non oppositis necessitatus, vtrumque simul amplecteretur, iudicans vtrumque esse malum, vno solo peccato delinqueret, quantumuis ille putaret, se committere duo. ibid. à n. 127. p. 548.
Qui ad alterutrum ex duobus extremis necessitatus est, si iudicet alterum esse malum, & alterum bonum, in electione mali malè, in electione verò boni benè formaliter operabitur. ibid. à n. 130. p. 548.
Qui ad alterutrum ex duobus extremis necessitatus est, si iudicat alterum bonum, & alterum malum sub disiunctione, neutrius electio est ei imputabilis. ibid. à n. 133. p. 548.
Qui ad neutrum ex duobus extremis necessitatus est, imputabilem sibi facit eam affectionem, quam concipit determinatè in extremo, quod eligit. ibid. n. 136. p. 549.
Qui ad neutrum ex duobus extremis necessitatus est, & iudicat, alterum esse bonum, & alterum malum sub disiunctione, quodcunque eorum eligat, imputabiliter operabitur benè, vel malè. ibid. n. 137. p. 549.
Si duo proposita extrema mutuò connexa sint, quale vnumquoque iudicabitur ab operante, tale euadet imputabiliter. ibid. n. 138. p. 549.
Idemque, quando extrema aut connexionem non mutuam, aut nullam habent. n. 139. p. 549.
Vt sit actus honestus, non est necesse, procedere eum ex motiuo honestatis. Est tamen necesse, procedere eum ex fine proprio virtutis, ad quam ipse pertinet, vt verò actus turpis sit: nec ex motiuo turpitudinis, nec ex fine vitij, ad quod spectat, debet procedere. ibid. à n. 141. p. 550.
Aliqui actus dantur indifferentes quoad speciem. Nullus tamen datur indifferens in individuo. ibid. à n. 157. p. 552.
Qualiter finis, & medium, illiusque intentio, & huius electio comparentur inter se quoad bonitatem, & malitiam moralem. ibid. à n. 162. p. 553.
Qualiter actus naturæ rationalis bonus, vel malus moraliter à circunstantijs reddi possit. ibid. à n. 171. p. 555.
Idem actus externus de bono in malum, & de malo in bonum transire potest. Atque etiam idem internus, qua ratione per diuisibile tempus potest durare. ibid. à n. 178. p. 556.
Qualiter actus mali moraliter essentialiter sint tales. Et quid de moraliter bonis. ib. n. 184. p. 557.
Qualiter idem actus non possit esse simul bonus, & malus moraliter. n. 185. p. 557.
Qualiter actus internus & externus inter se comparentur quoad bonitatem, & malitiam moralem. ibid. à n. 186. p. 557.
Quomodò actus externus nihil bonitatis, aut malitiæ imputabilis addat actui interno. n. 191. 558.
Qualiter pura omissio libera possit, aut non possit honesta esse tum in creaturis, tum in Deo. ibid. à n. 192. p. 559.
Qua ratione actus Dei liberi tum interni, tum externi honesti moraliter sint. d. 35. q. 2. per totam latè. p. 561.
Vtrùm virtutes morales propriè dictæ reperiantur in Deo. Et quænam illæ sint. d. 35. q. 3. per totam. p. 568.

Mundus.

Qualiter sit perfectus. Vide *Bonum. Bonitas.*

N

Necessitas.

Quænam necessitas opponatur libertati actus primi. d. 30. q. 8. per totam. p. 251.
Quid, & quotuplex sit necessitas. ibid. à n. 291. p. 251.

Vide *Libertas.*

Quomodò voluntas necessitate physicâ, seu naturali ad suum actum necessitari non possit; licèt possit metaphysicâ, & morali. d. 30. q. 10. n. 558. p. 304.
Quomodò exclusio necessitatis antecedentis influat in actum liberum. disput. 30. q. 15. à n. 715. p. 336.
Alia est exclusio necessitatis antecedentis compatibilis cum libertate. Alia secus. ibid. n. 719. p. 337.
Qualiter necessitas moralis vaga cum libertate,

siue contingentiâ morali determinatâ componatur. d.41.q.6. à n.147. p.732.

Negatio.

In quo consistat negatio entis. Et qualiter Deus cognoscat negationes, seu veritates negatiuas entium tam impossibilium, quàm possibilium. d.25.q.5.à n.49. p.57.

Quot modis negatio sit causabilis, idque vel à causâ necessariâ, vel à liberâ. d.30.quæst.5.n. 131. p.220.

Quomodò negatio necessitatis antecedentis ad libertatem voluntatis pertineat, influatque cum illâ ad actum liberum. d.30.q.15. à n. 715. p.336.

Alia est negatio necessitatis antecedentis compatibilis cum libertate. Alia secus. ibid. num. 719. p.337.

Qua ratione voluntas Dei circa negationes se possit gerere. d.33.q.8. p.495.

O

Obiectum.

Vtrùm Deus vnum obiectum tum in ipsomet, tum in alio, tum ex alio valeat cognoscere. De factoque cognoscat. Et qualiter. d.23.q.7. per totam. p.33.

Vide *Cognitio. Scientia Dei, &c.*

Quid sit obiectum formale. Quid motiuum. Quid materiale. Et quotuplex. Et qualiter non solùm Deus, sed etiam creaturæ aliquorum actuum scientiæ diuinæ sint obiectum formale. d.23.q.8.per totam. p.35.

Quid sit obiectum conditionatum. Et quotuplex. d.28.q.1.p.9. & q.5.2. p.95.

Vide *Scientia Dei conditionata.* Et *Propositio.* Et *Veritas.*

Quot modis conditio, & conditionatum possint inter se comparari. Quotuplexque subindè resultet obiectum ex conditione, & conditionato coalescens. ibid. à n.16. p.95.

Omne conditionatum metaphysicè necessariùm per scientiam conditionatam pariter necessariam cognoscitur à Deo. d.28.q.5.à n.88. p.109.

Quotuplex sit. Et quos casus habeat. Et quot modis cognoscatur à Deo. ibid. ab eodem num. p.109.

Quid de obiectis conditionatis physicè tantùm aut moraliter necessarijs. ibid. à n.99. p.112.

Quinam olim scientiam solùm coniecturalem tribuebant Deo circa obiecta conditionata contingentia. d.28.q.6.n.108. p.114.

Nemo iam sequitur illorum sententiam. ibid. & n. 109. p.115.

Omnino certò, & infallibiliter cognoscit Deus obiecta contingentia conditionata, quorum conditio in conditionatum influit, siue conducit. d.28.q.6.à n.110. p.116.

Ostenditur id ex sacra Scripturâ. ibid. à num. 111. p.116.

Ostenditur ex Patribus. à n.143. p.120.

Ostenditur ex S. Thomâ. à n.156. p.123.

Ostenditur à ratione à n.161. p.124.

Contingentia conditionata cognosci à Deo independenter à decreto prædeterminatiuo eorum latè probatur. d.28.q.7. per totam. p.127.

Quomodò obiecta conditionata de conditione disperatâ sint vera, & à Deo cognoscibilia. d.28. per totam. p.177.

Quæ obiecta conditionata de conditione disparata sint. Et quæ secus. Et quæ conditio sit disparata. Quæ verò non item. ibid. à n.406. p.177.

Obiecta conditionata contingentia de conditione disparatâ certissimè cognoscuntur à Deo. ibid. à n.414. p.179.

Idque per scientiam mediam. ibid. n.423. p.181.

Ea solùm obiecta, quæ sunt vera absolutè, sunt conditionatè vera sub conditione disparatâ. ib. à n.424. p.182.

Obiectum voluntatis non solum est finis, sed etiam media. d.33.q.1.à n.15. p.441.

Quid sit, & quotuplex obiectum formale, quid motiuum, &c. d.32.q.2. à n.20. p.441.

De obiecto Voluntatis Dei. Vide *Voluntas Dei.*

Odium.

Qualiter Deus omnia mala odio habeat, aut possit odio habere. d.33.q.6.per totam. p.488.

Quid sit odium, & quotuplex. d.34.q.2.n.19.p.500

Odium strictè sumptum circa quoduis malum datur in Deo. d.34.q.7.n.68. p.509.

Odium item inimicitiæ propriæ erga peccatores. ibid. à n.69. p.509.

Tum datur fuga stricta mali, vti oppositum desiderium boni. ibid. à n.79. p.510.

Omissio.

An sit possibilis voluntati pura omissio libera. d. 30.q.7.per totam. p.243.

Sententia ponens puram omissionem nec liberam, nec necessariam omnino reijcienda est. ibid. à n. 251. p.244.

Pura omissio actus voluntatis libera libertate immediatâ simpliciter possibilis est. ibid. à num. 264. p.245.

Non solùm simpliciter, seu physicè, sed etiam moraliter est possibilis pura omissio libera. ibid. à n.285. p.250.

Quando voluntas ad plures actus sigillatim libera est, omnes simul potest purè, & liberè omittere. ibid. n.286. p.250.

Pura, & libera omissio actus potentiæ à voluntate diuersæ, & ipsi subditæ possibilis est. ibid. à n.287. p.250.

Qualiter vnum, aut plura motiua influant in puram omissionem. ibid. à n.279.p.248. Et iterum d.30.q.12.n.622. p.318.

Deus puram omissionem liberam habere potest. d.31.q.5.per totam. p.425.

Qualiter pura omissio libera possit, aut non possit honesta esse tum in creaturis, tum in Deo. d.35.q.1.à n.192. p.559.

Omnipotentia.

Vide *Potentia.*

Operatio.

Vide *Actus.*

Optimum.

Vide *Bonum. Bonitas.* & *Voluntas Dei.*

Ordinatio.

De ordinatione entium secundùm series prioris, & posterioris. d.30.q.8.à n.294. p.251

P

Patientia.

Qualiter Patientia, & Longanimitas reperiatur in Deo. d.35.q.3.n.297. p.577.

Peccatum. Peccare.

Qui scit, opus externum esse peccatum, quantumuis putet, propositum efficax illius sibi licitum esse, non potest non peccare, dum talem propositum de tali opere concipit liberè. d.35. q.1.n.17.& 18. p.530.

Qualiter peccans ex ignorantiâ culpabili habeat nihilominùs iudicium de malitiâ operationis ipsi imputabilis. d.35.q.1.n.62. p.538.

Qua-

Qualiter permissio peccati sit prædestinationis effectus.d.43.q.3. per totam. p.770.
Quomodò permissio peccati possit eligi à Deo ex intentione pœnitentiæ, aut alterius actus virtutis connexi cũ peccato.ibid.à n.29. p.773.

Permissio peccati.

Vide *Peccatum*.

Possibile. Possibilitas.

Possibilitas intrinseca, siue primaria rerum distincta à Deo est, & cum rebus ipsis identificata realiter.d.25.q.5.à n.45. p.56.
An Deus purè possibilia amet.d.33.q.4. p.483.
Et an necessariò, vel liberè.d.33.q.5. p.485.

Potentia.

Quid sit potentia. Quid actus in vniuersùm, & quas habeant passiones.d.23.q.2.à n.25.p.5. & à n.31. p.7.
Qualiter reperiatur in Deo potentia intellectiua, siue intellectus per modum actus primi.ibid. à n.34. p.7.
Qualiter potentia intellectiua Dei distinguatur à conceptu subiecti intellectiui.ibid.à n.47. p.10.
Qualiter intellectus, siue conceptus intellectui Dei principium sit à parte rei virtualiter productiuum omnis scientię diuinę tum liberæ, tum necessariæ. d.23.q.3.à n.50. p.11.
De potentiâ proximâ causæ ad actum, deque requisitis ad illam. Vide multa verbo *Libertas*.
In quo formaliter consistat omnipotentia Dei. d. 37.q.5.à n.74. p.613.
Quinam sint actus proprij eius.ibid.n.80. p.614.

Prædefinitio.

Quid sit. Et quotuples.d.39.q.1.per totam p.661.
Vtrùm decretum Dei prædefinitiuum actus voluntatis creatæ absolutum, & determinatum cum ipsius actus libertate cohærere possit. d. 39.q.2.per totam. p.662.
Omnis prædefinitio immediatè connectitur cum actu prædefinito; tametsi in illum influat remotè.ibid.n.16. p.663.
Decretum prædefinitiuum irritabile antecedenter, secus consequenter chymericum est. ibid. n. 18. p.664.
Quomodò prædefinitio actus vt liberi tangat auxilium efficax, ad illudque conferendum mouere possit.ibid.n.19. p.664.
Quæ prædefinitiones possibiles sint.n.20. p.665.
Qualiter decretum collatiuum auxilij efficacis vt efficacis benè cohæreat cum libertate ad consensum.ibid. à n.21. p.665.
Qualiter decretum prædefinitiuum actus prout liberi absolutum, determinatum, & purè intentiuum illæsam relinquat libertatem actus prædefiniti.ibid.à n.29. p.666.
Qualiter decretum prædefinitiuum absolutum, determinatum, & purè intentiuum præscindens à libertate, & necessitate actus prædefiniti benè cohæreat cum liberrate talis actus, quando hic exequutioni mandatur per medium liberum.ibid.à n.45. p.669.
Et quid si actus prædefinitus sit negatiuus. à n. 63. p.675.
Qualiter prædefinitio conditionata cum libertate voluntatis ad actum prædefinitum possit cohærere.d.39.q.3. per totam. p.676.
Qualiter decretum conditionatum collatiuum auxilij efficacis vt talis, purificatâ conditione, idem possit, ac absolutum.ibid.n.72. p.677.
Quomodò decretum conditionatum exequutiuum actus possit, aut non possit cum eius libertate componi, purificatâ conditione. ibid. à n.73. p.677.
Et quid de purè intentiuo.n.75. p.678.
Qualiter prædefinitio disiunctiua cum libertate voluntatis ad actum prædefinitum possit componi.d.39.q.4.per totam. p.678.
Quid de decreto collatiuo vnius, vel alterius medij efficacis ad actum obtinendum. ibid. n. 80. p.679.
Quid de decreto exequutiuo vnius, vel alterius actus voluntatis aut in eodem instanti temporis, aut in vno, vel altero.ibid.n.82. p.679.
Quid de decreto purè intentiuo disiunctiuo similiter.ibid.à n.83. p.679.
Qualiter alij Dei actus excogitabiles connexi cum actu volunratis creatæ cum eius libertate cohęreant.d.39.q.5.per totam. Vbi deceptio quædam P.Antonij Perez detegitur vnà cum sophismate quodam ab alijs Recentioribus latè proposito. p.680.
Vtrùm Deus de facto prædefiniat actus liberos voluntatis creatæ.d.39.q.6. per totam. p.681.
Deus de facto prædefinit opera salutaria, quibus Prædestinati consequuntur vitam ęternam.ibid. à n.94. p.682.
Necnon actus supernaturales Reproborum. Et vniuersè omnes honestos.ibid.n.104. p.684.
Habet etiam Deus de facto prædefinitiones aliquas vagas, seu disiunctiuas: atque etiam aliquas conditionatas. ibid.à n.105. p.685

Prædicatum.

Vide *Conceptus*.

Prædestinatio. Prædestinatus.

Quid sit prædestinatio. Quotuplex. Et qualis. latè exponitur.d.37.q.3. à n.17. p.601.
Dari prædestinationem in Deo, de fide est. ibid.n. 29. p 604.
Scientia merè naturalis requiritur ad prædestinationem.d.37.q.4. à n.33. p.605.
Et sæpe etiam scientia merè libera. ibid. à n. 42. p.607.
Scientia verò media omnino requiritur. ibid. latè à n.43. p.608.
In quibus actibus consistat formaliter prædestinatio.d.37.q.9. p.631.
Vtrùm electio Prædestinatorum ad gloriam ante præuisa merita possibilis sit iuxta presentem prouidentiam.d.41.q.1.per totam. p.704.
De fide est in potestate hominum esse, consequi gloriam suis operibus, aut illam amittere. ibid.n.8. p.705.
Item, gloriam Prædestinatis adultis conferri vt præmium meritorum.ibid.n.9. p.705.
Quid requiratur, vt collatio gloriæ sit remuneratoria.ibid.n.10. p.706.
Quot modis possit à Deo gloria prædefiniri Prædestinatis.ibid.à n.11. p.706.
Decretum conferendi gloriam Prædestinatis gratis impossibile est, stante præsente prouidentiâ.ibid.n.17. p.707.
Decretum prædefiniens Prædestinatis gloriam vt coronam ante præuisa absolutè merita possibile est iuxta præsentem prouidentiam. ibid.à 18. p.708.
Atque etiam decretum prædefiniens Prædestinatis gloriam secundùm substantiam precisè.ibid. à n.39. p.712.
Est etiam possibilis prædefinitio gloriæ vagæ.ibid. n.58. p.716.
Qualiter etiam sit possibilis electio Prædestinatorum

rum ad gloriam post præuisa merita. d.41.q.2. per totam. p.716.
De facto Deus ante præuisa absolutè merita eligit Prædestinatos ad gloriam. d.41.q.3. à n. 73. p.718.
Qualis sit prædefinitio gloriæ præcedens merita præuisa, quæ de facto datur. ibid. à n.96. p.723.
Qualiter Deus etiam habeat de facto prædefinitiones gloriæ vagas. ibid. à n.99. p.724.
Quanta, qualisque sit certitudo prædestinationis. d.41.q.4. per totam. p.725.
Qua ratione diuina prædestinatio cum nostrâ libertate cohæreat. Et an homo habeat in suâ potestate prædestinari, vel reprobari. d.41.q.5. per totam. p.727.
Qualiter non sit possibilis creatura rationalis, quam Deus non nequeat prædestinare ad gloriam per eius merita obtinendam. d.41.q.6. per totam. p.729.
De causis prædestinationis. Vide *Causa.*
De effectibus prædestinationis. Vide *effectus.*
Vter sit maior numerus, Prædestinatorum, an Reproborum. d.44.q.5. à n.46. p.786.

Prædeterminatio.

An causæ secundæ titulo talium debeant à causâ primâ prædeterminari ad causandum. d.30.q.9. per totam. p.255.
Doctrina de prædeterminatione physicâ, quam aliqui Thomistæ inuexerunt, à mente S. Thomæ est aliena, neque cum eius doctrinâ cohærere potest. Ostenditur latè. ibid. à n.339. p.258.
Aliena est itidem à mente, & doctrinâ antiquorum Thomistarum. Ostenditur, ibid. à num. 364. p.265.
Nullatenus admittenda. ibid. n.381. p.269.
Ex actualitate operationis non benè infertur necessitas prædeterminationis. ibid. à n.382. p.269.
Ex prioritate, & independentiâ causæ primæ non benè infertur prædeterminatio causæ secundæ. ibid. à n.393. p.271.
Neque ex subordinatione causæ secundæ respectu primæ, neque ex indifferentiâ voluntatis creatæ infertur benè physica prædeterminatio. ibid. à n.405. p.274.
Ex prouidentiâ Dei, & determinatione ad individuationem actus non inferenda, imo reijcienda potiùs venit physica præderminatio. ibid. à n.419. p.277.
Vtrùm physica præderminatio cum libertate causæ secundæ componi possit. d.30.q.10. per totam. p.279.
Tractari in libris impressis de prædeterminatione physicâ in genere, non est contra decreta Pontificum prohibentia, ne imprimatur tractatio de Auxilijs. ibid. à n.433. p.280.
Prædeterminatio physica ad operandum cum libertate ad non operandum componi non potest. ibid. à n.450. p.283.
Qualiter carentia prædeterminationis sit, aut non sit constitutiuum intrinsecum libertatis voluntatis. ibid. à n.492. p.292.
Secundùm Prædeterminatorum doctrinam libertas voluntatis sine prædeterminatione eius consistere nequit. ibid. à n.498. p.294.
Iuxta Prædeterminatorum doctrinam dici non potest, esse in voluntatis arbitrio prædeterminationem habere, vel non habere. ibid. à n.510. p.296.
Neque prædeterminatio mitior connexa cum actu non mutuò potest à libertate voluntatis pendere. ibid. n.524. p.299.
Argumenta Prædeterminatorum diluuntur. ibid. à n.525. p.299.
Doctrina Prædeterminatorum è medio tollit omnem libertatem contrarietatis. ibidem. à n.536. p.301.
Tollit etiam omnem obligationem à num. 540. p.301.
Tollit potestatem peccandi. n.543. p.302.
Tollit differentiam tentationum grauium, & leuium, & omnem victoriam tentationis. à n. 544. p.302.
Quid de alijs prædeterminationibus diuersis à Thomisticâ. Et quomodò voluntas, metaphysicè, & moraliter necessitari cùm possit, physicè, seu naturaliter non possit. ibid. à n. 557. p.304.
Qualiter per prædeterminationem disiunctiuam necessitas vaga, seu disiunctiua ad aliquem, aut aliquos actus sub disiunctione veniat voluntati imponenda. disp.30.quæst.11. per totam. Vbi permulti casus excogitabiles examinantur, & resoluuntur à n.560. p.305.
Quid de prædeterminatione conditionatâ. ibid. n. 597. p.313.

Præsens. Præsentia.

De præsentiâ rerum in tempore: & in æternitate Dei. Vide *Futurum. Futuritio. Scientia Dei, &c.*

Præteritum. Præteritio.

Vide *Futurum. Futuritio.*

Principium.

Vide *Potentia.*
Qualiter principium meriti possit cadere sub meritum. d.42.q.1. fere per totam. p.734.

Propositio.

Qualiter propositiones de futuris contingentibus determinatè veræ, aut determinatè falsæ sint. d.27.q.3. per totam. p.70.
Vide *Futurum.*
Quid sit propositio conditionata. Et quotuplex. d.28.q.1.p.92. & q.2. p.95.
Quando particula *si* faciat propositionem conditionatam. Et quando secus. q.1.n.5.
Qualiter propositio conditionata, aut illatiua, aut causalis, aut mixta ex vtraque, aut purè coniunctiua esse possit. ibid. n.6.p.93. & q.2. n. 23. & 24. p.97.
Qualiter propositio conditionata aut vera, aut falsa possit esse. Et qualiter ei contradicatur. ibid. n.25. p.97.
Dari propositionem conditionalem non illatiuam, latè ostenditur. d.28.q.3. à n.28. p.98.
Certum est, propositionem conditionalem illatiuam veritatem, aut falsitatem determinatam habere. ibid. n.35. p.100.
Propositionem item conditionalem non illatiuam non posse non esse veram, aut falsam determinatè, ostenditur. ibid. à n.36. p.100.
Idque independenter ab omni decreto Dei prædefinitiuo, & connectente conditionem, alias indifferentem, cum obiecto conditionato. ibid. à n.40. p.100.
Ex hypothesi conditionis connexæ cum conditionato, & non influentis, seu non conducentis ad illud, tum illud, tum eius contradictorium simul verè enunciantur, quando illud absolutè verum non est. d.28.q.2.n.18. p.96. atque etiam. q.4.p.102. & q.8. p.177.
Quæ propositiones conditionatæ de conditione sint

sunt disparatà, & quæ secus. Et quæ conditio sit disparata. Quæ vero non item. d.28. q.8.à n.406. p.177.

Prouidentia.

Quid sit prouidentia diuina. d.37.q.1. per totam. p.599.
Qualiter detur in Deo prouidentia omnium rerum.d.37.q.2.per totam. p.600
Quotuplex sit prouidentia Dei. d.37.q.3. per totam. p.601.
Quæ scientia sit necessaria, vel vtilis ad prouidentiam Dei.d.37.q.4.per totam. p.605.
Scientia merè naturalis requiritur ad prouidentiam Dei.ibid.à n.33. p.605.
Et sæpe etiam scientia merè libera. ibid. à n.42. pag. 607.
Atque etiam sæpe scientia media. ibid. à n. 43. pag. 607.
Quinam actus voluntatis, aut etiam omnipotentię diuinæ sint necessarij, vel vtiles ad prouidentiam Dei.d.37.q.5.per totam. p.612.
De necessitate, aut vtilitate imperij intellectualis ad prouidentiam Dei. Vide *Imperium*.
In quibus actibus formaliter Prouidentia consistat.d.37.q.4.per totam. p.631.
Qualiter de ratione prouidentiæ diuinæ sit, aut non sit, consequi finem intentum.d.37.q.10. per totam. p.632.
Qualiter ad prouidenda auxilia Deus per scientiam mediam possit, aut debeat dirigi. d.38. q.2. per totam. p.642.
Vide *Scientia conditionata*.
Qualiter Deus prouideat causis secundis suum concursum generalem.disp.38.quæst.3. per totam. p.647.
Vide *Decretum*.
Deus vero, & formali affectu desiderij vult, vt omnes omnino homines salui fiant. Atque etiam, vt sanctè viuant.d.40.q.1.à n.4. p.686.
Voluntas antecedens, qua Deus vult, vt omnis homo sanctè viuat, non est ex parte obiecti conditionata. Neque aliter intrinsecè efficax.ibid. à n.17. p.689.
Voluntas, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri, conditionata, & efficax est. ibid. à num. 19. p.689.
Deus auxilia sufficientia ad salutem prouidet omnibus adultis.d.40.q.2.à n.25. p.690.
Atque etiam omnibus paruulis. ibid. à num. 32. p.691.
Qualiter Deus ex seriâ intentione salutis conferat hominibus auxilia inefficacia.ibid.à n.36.p.692.
Qua ratione auxilium inefficax sit beneficium Dei ab eius benevolâ voluntate procedens. d. 40. q.3.per totam. p.692.
Vtrùm Deus possit decernere auxilium inefficax prout inefficax, seu per decretum cum eius inefficaciâ connexum. disp.40.quæst.4. per totam. p.697.
Qualiter Deus in prouidendis auxilijs efficacibus specialem exerceat beneficientiam.d.40.q.5.per totam. p.699.
Ex duobus auxilijs entitatiuè æqualibus alterum efficax, & alterum inefficax esse possunt. ibid. n.70. p.699.
Efficax autem maius beneficium est, quàm inefficax.ibid.à n.74. p.699.
Actus honesti nostri beneficia sunt Dei. ibid.num. 74. p.699.
Deus de facto hominibus confert auxilia efficacia prout efficacia.ibid.à n.76. p.700.
Qualiter affectus intrinsecè æquales inæqualia beneficia causare nequeant.ibid.à n.91. p.702.
Qualiter auxilia æqualia inæqualia beneficia esse possint.ibid.à n.94. p.703.

Q. R.

Relatio.

Quid sit relatio. Et quotuplex. Et qualiter singulæ relationes cum suis terminis cognoscantur à Deo.d.23.q.6.per totam. p.26.

Reprobatio. Reprobus.

Quid sit. Quotuplex. Et qualis. d.37.q.3. à n. 27.p.604.& d.44.q.1.per totam. p.778.
Eædem scientiæ Dei ad Reprobationem, atque ad Prædestinationem sunt requisitæ. Vide *Prædestinatio*.
An Deus ex se ante absolutè prævisa Reproborum peccata eos ad pœnam æternam aut damni, aut sensus destinauerit, vel saltem destinare potuerit.d.44.q.2. per totam. p.779.
De facto non sic destinauit ad pœnam sensus. ibid.n.5. p.779.
Sed neque ad pœnam damni.ibid.à n.7. p.780.
Potuit tamen ad vtramque de potentiâ absolutâ. ibid.a n.15. p.781.
Tametsi innocenti cruciatus æternos infligere, simpliciter sit ipsi impossibile.à n.19. p.782.
Quas causas habeat Reprobatio.d.44.q.3.per totam. p.783.
Quos effectus habeat Reprobatio.d.44.q.4.per totam. p.784.
De numero Reproborum. Vide *Prædestinatio. Prædestinatus.*

S.

Salus Animæ.

Vide *Prouidentia*.

Scientia Dei.

Certum secundùm fidem, & euidens secundùm rationem est, Deum perfectissimam scientiam habere.d.23.q.1.à n.3. p.1.
Scientia Dei verissima, certissima, & euidentissima est.ibid.n.9. p.2.
Necnon amplissima, & omnia penetrans distinctè, & in particulari.ibid.a n.11. p.3.
Tum à substantiâ Dei indistincta realiter. à num. 15. p.3.
Est præterea ita vndequaque æterna, ac prorsus immutabilis, vt nec augeri, nec minui possit successu temporis.ibid.à n.17. p.4.
Quas videatur habere difficultates ista immutabilitas scientiæ Dei.ibid.n.24. remissiuè. p.5.
Qualiter detur in Deo scientia non solùm per modum actus secundi, sed etiam per modum actus primi.d.23.q.2.per totam. p.5.
Quomodò scientia Dei tum libera, tum necessaria per non deficientiam virtualem actus cum Deo identificati realiter quoad denominationem compleatur. Et qualiter intellectus, siue conceptus intellectiui Dei principium sit à parte rei virtualiter productiuum omnis scientiæ diuinæ tum liberæ, tum necessariæ. ibid. à n. 50. p.11.
Omnis intellectio diuina virtualiter est distincta ab

ab essentiâ metaphysicâ Dei. ibidem. num. 62. p.14.
In Deo proprissimè reperitur iudicium. Et quale illud sit. d.23.q.3. à n.80. p.17.
Atque etiam apprehensio simplex ab omni imperfectione immunis: eaque duplex. ibid. à n. 82. p.17.
Discursus verò formalis minimè. Et vtrùm virtualis. n.87. p.18.
Qualiter dentur in Deo plures actus scientiæ tum per rationem nostram, tum à parte rei virtualiter distincti inter se. Et quotnam illi sint. Et circa quæ obiecta. disput. 23.q.4. per totam. p.19.
Quotuplex sit scientia Dei. Et quomodò diuidatur. Primò in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis. Secundò in naturalem, & liberam, & mediam. Tertiò in practicam, & speculatiuam. Quartò in scientiam simplicis notitiæ, & approbationis. disp. 23.q.5. à num. 109. p.23.
An scientia simplicis intelligentiæ, visionis, & media non solùm ex modo tendendi, sed etiam ex parte obiecti habeant semper diuersitatem. ibid. à n.122. p.25.
Quibus modis cognoscat Deus relationes tum non connexionis, tum connexionis, & earum terminos. Atque etiam denominationes tum extrinsecas, tum semiextrinsecas. d.23.q.6. per totam. p.26.
Vtrùm Deus vnum obiectum tum in ipsomet, tum in alio, tum ex alio valeat cognoscere. De factoque cognoscat. Et qualiter. d.23.q.7. per totam. p.33.
Quomodò non solùm Deus, sed etiam creaturæ aliquorum actuum scientiæ diuinæ sint obiectum formale. d.23.q.8. per totam, p.35.
Qua ratione scientia diuina cum suo obiecto connectatur. disp.23.quæst.9. per totam, & remissiuè. p.38.
Certum secundùm fidem, & euidens secundùm rationem est, Deum se cognoscere. d.24.q.1. n.2. p.39.
Nec dari potest in eo reuerà vlla formalitas, aut vllus actus scientiæ, quo partem sui, & non se totum integrè noscat. ibid. à n.3. p.39.
Qualiter Deus omnes, & singulos suos actus scientiæ cognoscat. ibid. à n.6. p.40.
Deus nullam formalitatem sui in aliâ, aut ex aliâ: nullam item suarum personalitatum in aliâ, aut ex aliâ cognoscit. d.24.q.2. per totâ. 42.
Deus se ipsum cognoscit in creaturis. Non quidem abstractiuè, sed intuitiuè. In cognitione item creatâ de se infallibili speciali titulo. Secus in cognitione de se fallibili. d.24.q.3. per totam. p.43.
Qualiter etiam ex creaturis, ex cognitioneque de se infallibili, non verò ex fallibili se Deus cognoscat. d.24.q.4. per totam. p.45.
Deum se comprehensiuè cognoscere certissimum est. Tametsi non omnes actus scientiæ, quos de se habet, ipsius comprehensiui sint præcisè spectati. d.24.q.5. per totam. p.45.
Deus creaturas omnes tum possibiles, tum existentes diuersis modis, seu per diuersos actus cognoscit in ipsismet immediatè. d.25.q.2. per totam. p.47.
Qualiter Deus easdem creaturas omnes cognoscat in se ipso. In suâ omnipotentiâ. In suâ de illis scientiâ, ideâ, atque volitione. In suo Verbo, & Spiritu sancto. Necnon in coniuncto ex se, & ex illis. In seque prout eas connotante. d.25.q.2 per totam. p.49.
Quomodò Deus easdem creaturas omnes cognoscat ex se ipso. Ex omnique obiecto, in quo eas cognoscit. d.25.q.3. p.55.
Qualiter item Deus vnam creaturam in aliâ, atque etiam ex aliâ cognoscat. d.25.q.4. p.56.
Qua ratione cognoscat Deus non entia, id est, negationes, seu veritates negatiuas entium tum possibilium, tum impossibilium, atque etiam ipsa impossibilia. disp.25.quæst.5. per totam. p.56.
Quomodò Deus cognoscat singula mala. d.25.q.6. per totam. p.61.
Quænam dicantur Enunciabilia. Et qualiter cognoscantur à Deo. d.25.q.7. per totam. p.62.
De scientiâ Dei merè naturali. Vide *Scientia Dei merè naturalis.*
De scientiâ Dei merè liberâ. Vide *Scientia Dei merè libera.*
Qua scientiâ possit Deus duci ad amandum, vel odio habendum vnum obiectum intrinsecè, vel semiextrinsecè connexum cum altero. d.34.q. 11. à n.150. p.524.
Quæ scientia Dei sit necessaria, vel vtilis ad prouidentiam, & Prædestinationem Dei. Vide *Prouidentia. & Prædestinatio.*

Scientia Dei conditionata.

Quid sit. Et quotuplex scientia conditionata in vniuersùm. d.28.q.1.p.92.& q.2. p.95.
Qualiter iudicium conditionatum aliud illatiuum, aliud causale, aliud purè coniunctiuum sit. q.1.n.6.p.93.& q.2.n.23.& 24. p.97.
Quomodò omne iudicium expressùm de conditionato sit iudicium tacitum de conditione. q.1. à n.8. p.94.
Quot iudicijs conditionatis conditionatum, & conditio iudicari possint. ibid.n.12. p.94.
Quomodò sub conditione connexâ cum conditionato illud, & eius contradictorium sint simul vera, quando illud non est absolutè verum. d.28.q.2.n.18.p.96 atque etiam q.4.p.102.& q.5. p.109.
Quot modis scientia conditionata diuidi possit, q.2.n.26. p.98.
Quid sit, & quotuplex conditionata veritas, ad quam scientia conditionata terminatur, & qualiter constituenda. Vide *Veritas.*
Omnem veritatem conditionatam metaphysicè necessariam per scientiam conditionatam pariter necessariam cognoscit Deus. disp.28.q.5.à n.88. p.109.
Quotuplex ea sit, Et quos casus complectatur. ibid.à n.89. p.109.
Quot modis cognoscatur à Deo vnaquæque veritas conditionata metaphysicè necessaria. ibid. à n.97. p.111.
Qualiter veritates conditionatæ physicè tantùm, aut moraliter necessariæ cadant sub scientiam Dei. Et quid circa illas Deus cognoscat. ibid. à n.99. p.112.
Historia de controuersijs habitis circa scientiam Dei conditionatam nuncupatam mediam summariè narratur. d.28.q.6.n.107. p.113.
Quinam olim scientiam solùm coniecturalem tribuebant Deo circa conditionata contingentia. ibid.n.168. p.114.
Eorum sententiam nemo iam sequitur. ibid. & n. 109. p.115.

Omni-

Omnino certò; & infallibiliter cognoscit Deus contingentia conditionata de conditione influente.d.28.q.6.à n.110. p.116.
Ostenditur id ex sacra Scripturà. ibid. à n.111. pag. 116.
Ostenditur ex Patribus.à n.143. p.120.
Ostenditur ex S.Thomà,à n.156. p.123.
Ostenditur à ratione.à n.161. p.124.
Scientia conditionatorum contingentium non eminenter, aut metaphoricè dumtaxat, sed verè formaliter, & propriè reperitur in Deo. ibid. n.167. p.126.
Qualiter ea non illatiua, sed coniunctiua sit. ibid. à n.168. p.126.
Quale est decretum,quod requirunt Thomistæ, vt Deus cognoscat in illo conditionata contingentia.d.28.q.7.n.171. p.127.
Quinam reijciunt tale decretum.n.172. p.127.
Deus obiecta contingentia conditionata certissimè cognoscit independenter ab omni decreto actu existente suæ voluntatis, quod sit prædefinitiuum sub conditinne, ac prædeterminatiuum eorum.ibid.à n.174. p.128.
Probatur id ex Scripturà.à n.175. p.128.
Probatur ex Patribus.à n.197. p.133.
Probatur ex S.Thomà.à n.210. p.137.
Probatur à ratione.à n.217. p.138.
Probatur nouis alijs rationibus.à n.226. p.141.
Inconsequenter ad sua principia requirunt Thomistæ decretum Dei absolutè existens, vt in eo cognoscat Deus contingens conditionatum ibid. à n.243. p.145.
Decretum prædeterminatiuum, aut prædeterminatio ne ex parte quidem hypothesis debet,aut potest poni pro cognoscendo contingente conditionato.n.246. p.146.
Nulla alterius generis prædefinitio connectens conditionem cum conditionato est necessaria, vt Deus cognoscat conditionatum contingens. à num.247. p.146.
Contingentia conditionata per scientiam mediam sibi contingentem, atque adeò sub hypothesi conditionis indifferentis cognoscit Deus, ibid.à n.249. p.146.
Deus nihilo eget, quo determinetur ad cognoscendum contingens conditionatum, præter obiectiuam veritatem ab ipso indistinctam. à n.257. p.147.
Præter quàm in se ipsis per scientiam mediam, multis alijs insuper modis cognoscuntur à Deo contingentia conditionata.ibid.n.258. p.147.
Non tamen vt præsentia physicè in æternitate. Tametsi præsentia obiectiuè etiam in actu primo vocari possint.à n.259. p.148.
A solutione obiectionum, quæ ab Aduersarijs fiunt ex Scripturà, & Patribus, &S.Tho. probatur nostra doctrina.ibid.à n.261. p.148.
Ac demum à solutione obiectionum, quæ fiunt à ratione.à n.307. p.159.
Quàm perperam Recentiores nonnulli ex defendentibus scientiam mediam de scientiæ ipsius determinatiuo opinati, atque philosophati sunt.ibid.à n.339. p.165.
Legitimum dererminatiuum scientiæ mediæ apertè exponitur, ac demonstratur. ibid. à n.354. pag. 168.
Singularis quædam sententia Caramuelis circa scientiam conditionatorum contingentium proponitur, & confutatur. d.28. q.7. à n.362. pag. 170.
Quibus in casibus sint possibiles veritates conditionatæ causales, & contingentes cognoscendæ per scientiam mediam. ibid. à n.381. pag. 173.
Non solùm sub conditione absolutè contingente, sed etiam sub absolutè necessariâ dantur veritates causales, & contingentes per scientiam mediam cognitæ. ibid. n. 385. & 386. pag. 173.
Qualiter etiam dari possint, defactoque dentur sub conditione absolutè impossibili. ibid. à n. 387. p.173.
Qualiter conditionata de conditione disparatà cognoscantur à Deo. d. 28. q.8. per totam. pag. 177.
Conditionata contingentia de conditione disparatà certissimè cognoscuntur à Deo.ibid.à n.414. pag. 179.
Idque per scientiam mediam. ibid. à n. 423. pag. 181.
Ea solùm, quæ sunt vera absolutè, sunt conditionatè vera, vt sicque à Deo cognita sub conditione disparatà.ibid.à n.424. p.182.
Quibus in casibus sint possibiles veritates contingentes de conditione disparatà cognoscendæ per scientiam mediam. ibid. à n. 428. pag. 183.
Quomodò Deus cognoscat sua decreta extitura sub conditione. d. 28. q. 9. per totam. pag. 183.
Deus per scientiam conditionatam certissimam cognoscit sua decreta, quæ sub quauis omnino hypothesi haberet, aut habet. ibid. à n.444. pag. 185.
Quæ haberet, aut habet sub quauis conditione indifferenti, & causali per scientiam mediam cognoscit.ibid.à n.451. p.186.
Item, quæ sub conditione disparatà. à n. 463. pag. 188.
De scientiâ, qua Deus cognoscit veritates obiectiuas vagas, seu disiunctiuas. ibid. à n.466. remissiuè. p.189.
Qualiter per scientiam mediam possit, aut debeat dirigi Deus ad conferenda auxilia, aliaue constitutiua libertatis. d.38. q.2. per totam. pag. 642.
Ad quamlibet collationem auxilij scientia media de efficaciâ, vel de inefficaciâ eius requisita est.ibid.à n.39. p.643.
Imo & prærequisita. Idque non aliter, quàm vt quid influens in collationem ipsam.ibid.à n.41. pag. 643.

Scientia Dei merè libera.

De fide est,Deum omnium omnino contingentium absolutorum certissimam scientiam habere. d. 27.q.4.à num.70. p.81.
Omnia contingentia etiam futura in se ipsis cognoscuntur à Deo.d.27.q.5.n.75. p.82.
Neque essent ab ipso in alio quopiam tanquam in medio cognoscibilia, nisi in se ipsis cognoscibilia essent. ibid.à n.76. p.82.
Qualiter futura absoluta sint, aut non sint præsentia physicè æternitati. Qualiterque hujusmodi præsentia eorum conducat, aut non conducat,vt in se ipsis sciantur à Deo.d.27.q.6.remissiuè. p.83.
An, & quando cognoscat Deus obiecta contingentia absoluta in se ipso, aut etiam ex se ipso; in aliquave, aut ex aliqua formalitate sui, vt omnipotentiâ, scientiâ, ideâ, aut volitione de obiectis ipsis.d.27.q.7.per totam. pag. 83.

Deus, vt certò cognoscat futura absoluta, nullo decreto suo eget tanquam medio determinante. Tamerfi ea fine aliquo Dei decreto neqneant esse futura, quando sunt entia positiua. ibid. à n.84. p.83.

73 Qualiter, stando in sententiâ non Connotantium dicendum sit, cognoscere Deum in suis decretis tum exequutiuis, tum intentiuis futura contingentia. ibid. à n.85. p.84.

Et qualiter dicendum sit, cognoscere eadem in eisdem decretis, stando in sententiâ Connotantium. ibid. à n.95. p.86.

In decreto, quo Deus decernit causam efficacem futuri vt talem, ipsum futurum cognoscit vi connexionis excludentis ipsum futurum. ibid. à n.99. p.87.

In decreto, quo Deus permittit peccatum, ipsum peccatum cognoscit. Et qualiter. ibid. à n.100. pag. 87.

Vtrùm Deus in causâ creatâ proximè liberâ cognoscat effectum futurum. d.27.q.8. per totam. pag. 88.

Non cognoscit illum in eâ tanquam in medio cum ipso connexo metaphysicè. ibid. à n.106. pag. 88.

Nec tanquam in medio cum ipso connexo moraliter. ibid. à n.107. p.88.

Sicut neque in causâ necessariâ tanquam in medio connexo physicè. n.110. p.89.

Neque cognoscit Deus futurum liberum in præuiâ aliquâ applicatione voluntatis creatæ. n.111. pag. 89.

Cognoscit verò illud in auxilio efficaci vt tali, atque adeò in voluntate prout tali auxilio instructa. ibid. n.112. p.89.

In voluntate creatâ prorsus indifferente futurum liberum cognoscit Deus, huius futuritione suppositâ, tum vi comprehensionis talis voluntatis. Tum vi coniunctionis illius cum ipso futuro. ibid. à n.113. p.89.

Ex omnibus item obiectis cognoscit Deus futura; in quibus cognoscit illa. n.116. p.90.

Vtrùm Deus cognoscat sua decreta vt absolutè futura; aut etiam vt præterita. Et qualiter. d.27.q.9. per totam. p.90.

Nulla scientia visionis Dei potest esse causa proxima obiecti sui. d.37. q.7. à n.109. pag. 619.

Aliqua tamen potest esse obiecti sui causa remota. ibid. à n.133. p.624.

Qualiter scientia visionis, quam Deus habet de nostris actibus liberis cum eorum libertate benè cohæreat. d.37.q.8. per totam. p.627.

Scientia Dei merè naturalis.

Per scientiam merè naturalem omnes veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscit Deus. d.26.n.1. p.62.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa creaturas possibiles. Et quibus actibus. d.26.q.1. per totam. p.62.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa chymæras impossibiles. Et quibus actibus. d.26.q.2. per totam. pag. 64.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias cognoscat Deus circa se ipsum. Et quibus actibus. d.26.p.3. per totam. p.66.

Scrupulus.

Quod genus scrupuli non depositi inficiat, & quod non inficiat operationem Scrupulosi. d.35.q.1. n.63. p.538.

Semipelagiani.

Qualis fuerit error eorum circa necessitatem gratiæ. Et quomodò abusi fuerint præscientiâ Dei tum conditionatâ, tum absolutâ. d.28.q.7. à n.269. p.150.

Nunquam illi vsi sunt scientiâ mediâ ad conciliandam gratiæ, aut prædestinationis efficaciam cum nostrâ libertate. ibid. à n.271. pag. 151.

Species.

In Deo non datur proprius, & specialis conceptus speciei intelligibilis. d.23. q.2. à n.65. pag. 14.

Spes.

Quid sit. d.34.q.2.n.18. p.500.

Non datur in Deo. d.34.q.5.n.54. p.507.

Status rerum.

Qualiter status quiditatiuus rerum non cum Deo, sed cum rebus ipsis sit identificatus realiter. d.25.q.5. à n.45. p.56.

Idem de statu rerum conditionato. Et qualiter veritates obiectiuæ, & status rerum discriminentur inter se. d.28.q.1.n.15. remissiuè. pag. 95.

Suspicio.

Vide *Dubium*.

T.

Tempus.

Quomodò libertas voluntatis adstruenda sit relatè ad tempus, in quo illa exercenda est per actum secundum. d.30. q.14. per totam. pag. 324.

Impossibile est, voluntatem habere libertatem in mensurâ temporis anteriori ad actum exercendum in posteriori. ibid. à n.657. p.325.

Multòque impossibilius, si eam iam habere non potest in ipso posteriori. ibid. à num.661. pag. 325.

Possibile est, vt aliqua voluntas creata ita suum actum liberè ponat in primo instanti existentiæ eius, vt ad illud vlteriùs per aliquod tempus continuandum nullatenus necessitata maneat. ibid. à n.672. p.327.

Non est possibile, vt aliqua voluntas creata ita suum actum liberè ponat in primo instanti existentiæ eius, vt ad illum vlteriùs per aliquod tempus continuandum essentialiter maneat necessitata necessitate absolutâ. Benè tamen necessitate ex suppositione perseuerantiæ suæ. ibid. à n.675. p.328.

Possibile est, vt quænis voluntas creata ita suum actum liberè ponat in primo instanti existentiæ eius, vt ad illum vlteriùs per aliquod tempus continuandum per accidens necessitata euadat. ibid. n.679. p.329.

Et qualiter id de facto eueniat in nostrâ voluntate. n.680. p.329.

S. Thomas.

Potiùs stare S. Thomam pro doctrinâ de scientiâ mediâ, quàm pro oppositâ Thomistarum, efficaciter haud dubiè probant simul acceptæ, quæ ex ipso ad rem traduntur. d.28. tum q.6. à n.156. p.123. tum q.7. à n.210. p.137. & à n. 286. p.155.

Longè abest à mente, & à doctrinâ S. Thomæ physica prædeterminatio, quam aliqui Thomistæ inuexerunt. Ostenditur latè. d.30.q.9. à n. 339. p.258.

Timor.

Quid sit. d.34.q.2.n.19. p.500.

Non

Non reperitur in Deo. d. 34. q. 7. num. 83. pag. 511.

Tristitia.

Quid sit. d. 34. q. 2. n. 19. p. 500.
Non reperitur in Deo. d. 34. q. 7. num. 81. pag. 511.

Tuissius Caluinista.

Quomodò fidenter argumentatur contra scientiam mediam. Sed malè. d. 28. q. 7. n. 329. pag. 163.

V.

Velleitas.

Quis actus voluntatis sit. Et qualiter detur in Deo. d. 34. q. 8. à n. 119. p. 518.

Veracitas.

Qualiter virtus veracitatis reperiatur in Deo. d. 35. q. 3. à n. 289. p. 576.

Veritas. Verum.

Quas veritates obiectiuas metaphysicè necessarias, & quibus actibus cognoscat Deus circa creaturas possibiles. d. 26. q. 1. per totam. pag. 62.
Et quas circa chymæras impossibiles. d. 26. q. 2. per totam. p. 64.
Et quas circa se ipsum. d. 26. q. 3. per totam. pag. 66.
Quid sit. Et quotuplex veritas obiectiua contingens. d. 27. q. 1. per totam. p. 67.
De veritate aut falsitate propositionum de futuris contingentibus. Ipsorumque futurorum. Vide *Futurum. Propositio.*
De veritate, conditionatâ. Vide *Obiectum. Propositio. Et scientia Dei conditionata.*
Qualiter multa sunt vera conditionatè, quæ non sunt futura vera absolutè. Nullum tamen est verum absolutè, quod non fuerit verum conditionatè. d. 28. q. 1. n. 13. p. 94.
Veritates obiectiuæ conditionatæ rerum distinctarum à Deo ab ipsis rebus sunt indistinctæ. Et quomodò ab absolutis differant. n. 15. remissiuè. pag. 95.
Qualiter conditionatum aliàs contingens sub conditione secum connexâ, & non conducente tunc solùm est verum simpliciter, quando absolutè etiam est verum. Quando tamen secus, ambo extrema contradictionis sub tali conditione sunt vera. d. 28. q. 2. n. 18. p. 96. & q. 4. p. 102. & q. 5. p. 109.
Qualiter conditionatum contingens aliquo decreto Dei indigeat ad suam veritatem. d. 28. q. 3. n. 47. p. 101. & q. 4. p. 102. & q. 7. p. 127.
Quot modis conditio, & conditionatum possint inter se comparari. Quotuplexque coalescat ex illis conditionata veritas. d. 28. q. 2. per totam. p. 95. & q. 4. n. 51. p. 102.
Quid debeat poni ex parte hypothesis, & quid ex parte conditionati, vt veritas obiectiua conditionata sit cognoscibilis à Deo. d. 28. q. 4. per totam. Vbi multa scitu digna omnino videnda. p. 102.
Quot modis conditio veritatis conditionatæ possit poni in hypothesi. Et quænam ex parte hypothesis, aut ex parte conditionati se habeant. ibid. à n. 52. p. 102.
Ad veritatem conditionatam non est necesse, quòd conditio à conditionato distincta sit aliquo modo. ibid. n. 58. p. 103.
Veritas conditionata ex duabus formalitatibus distinctis tantùm per rationem composita respectu Dei non est possibilis. Benè tamen respectu nostri. ibid. à n. 59. p. 103.
Quænam requirantur ex parte hypothesis ad veritatem conditionatam illatiuam solùm. ibid. à n. 61. p. 104.
Quænam ad causalem solùm. ibid. à num. 65. pag. 105.
Quænam ad illatiuam simul, & causalem. ibid. à n. 73. p. 106.
An, & quomodò sit dabilis veritas conditionata, quæ simul sit causalis vnius ex extremis contradictionis, & illatiua alterius. ibid. à n. 76. pag. 107.
Quænam requirantur ad veritatem conditionatam purè coniunctiuam. ibid. n. 83. p. 108.
Qualiter ad omnem veritatem conditionatam sola conditio debeat poni in hypothesi. ibid. à n. 84. pag. 108.
Omnis veritas conditionata metaphysicè necessaria per scientiam conditionatam pariter necessariam cognoscitur à Deo. d. 28. q. 5. à n. 88. pag. 109.
Quotuplex sit. Et quos casus habeat. ibid. à n. 89. pag. 109.
Quot modis cognoscatur à Deo vnaquæque veritas conditionata metaphysicè necessaria. ibid. à n. 97. p. 111.
Et quid de veritatibus conditionatis physicè tantùm, aut moraliter necessarijs. ibid. à n. 99. pag. 112.
Vtrùm Deus certò, & infallibiliter cognoscat veritates conditionatas contingentes. Et qua ratione. d. 28. q. 6. per totam. p. 113.
Quinam olim scientiam tantùm coniecturalem tribuebant Deo circa veritates conditionatas contingentes. ibid. n. 108. p. 114.
Eorum sententiam nemo iam sequitur. ibid. & n. 109. p. 115.
Omnino certò, & infallibiliter cognoscit Deus veritates contingentes conditionatas causales solùm. ibid. à n. 110. p. 116.
Ostenditur id ex sacrâ Scripturâ. ibid. à n. 111. pag. 116.
Ostenditur ex Patribus. à n. 143. p. 120.
Ostenditur ex S. Thomâ. à n. 156. p. 123.
Ostenditur à ratione. à n. 161. p. 124.
Veritates conditionatas contingentes causales cognosci à Deo per scientiam mediam independenter à decreto prædeterminatiuo earum latè probatur. d. 28. q. 7. per totam. p. 127.
Quibus in casibus sint possibiles veritates conditionatæ causales, & contingentes. ibid. à n. 381. pag. 129.
Non solùm sub conditione absolutè contingente, sed etiam sub absolutè necessariâ dantur veritates conditionatæ causales, & contingentes. ibid. à n. 385. p. 173.
Qualiter etiam dari possint, de factoque dentur sub conditione absolutè impossibili. ibid. à n. 387. pag. 173.
Contingentia conditionata de conditione disparatâ veritatem conditionatam habent à Deo certissimè cognitam. d. 28. q. 8. à n. 414. p. 179.
Idque per scientiam mediam. ibid. num. 423. pag. 181.
Ea solùm, quæ sunt vera absolutè, possunt esse conditionatè vera sub conditione disparatâ. ibid. à n. 424. p. 182.
Quibus in casibus sint possibiles veritates conditionatæ contingentes de conditione disparatâ. ibid. à n. 428. p. 183.

Qualiter decreta diuina veritatem conditionatam tum necessariam, tum contingentem habeant. Et quibus in casibus. d.28.q.9. per totam. p.183.

Virtus.

Vtrùm virtutes morales propriè dictæ reperiantur in Deo. Et quænam illæ sint. d.35.q.3. per totam. p.568.

Aliquæ reperiuntur. Aliquæ secus. ibid. à n.253. pag. 569.

Virtus iustitiæ propriè dictæ reperitur in Deo. Eaque tum commutatiua tum distributiua, tum legalis, tum vindicatiua. ibid. à n.255. pag. 570.

Quænam ex virtutibus iustitiæ annexis dentur in Deo. Et quænam non item. ibid. à n. 284. pag. 575.

Quædam virtus Fortitudinis propriè dicta datur in Deo. Et quædam non item. ibid. à n.291. pag. 576.

Quænam ex virtutibus Fortitudini annexis dentur in Deo. Et quænam secus. ibid. à n.294. pag. 576.

Virtus Temperantiæ propriæ sumpta non datur in Deo. ibid. n.300. p.577.

Quænam ex virtutibus Temperantiæ annexis reperiantur in Deo. Et quænam non item. ibid. à n.301. p.577.

Volitio.

Vide *Voluntas*.

Volitio Dei.

Vide *Voluntas Dei*.

Voluntas.

Vtrùm voluntas per aliquam determinationem virtualem, siue moralem indistinctam ab actu primo ad actum secundum liberum se determinet. d.30.q.13. per totam. p.323.

Qualiter omnis actus voluntatis debeat ab intellectione pendere. d.30.q.15.n.682. p.330.

Voluntas per simplices apprehensiones intellectus ad simplices complacentias moueri potest: non item ad affectus efficaces: ad quos tantùm per iudicia moueri potest. ibid. à n.683. pag. 330.

Voluntas ad operandum liberè non debet cognoscere suum actum vt possibilem, sed sat est, cognoscat eius obiectum. Ipseque actus non est volitio formalis sui, sed tantùm interpretatiua. ibid. n.685. p.330.

Vt voluntas euadat libera præuijs intellectionibus eget, quibus ad diuersa extrema inclinetur in actu primo. ibid. n.686. p.330.

Inclinationes ad extrema diuersa per distinctas intellectiones debent præstari in nobis, in cognoscentibus verò per proprias species vel per distinctas, vel per eamdem possunt. ibid. n.687. pag. 331.

Qualiter voluntas ad actus diuersos inclinationes aut æquales, aut inæquales habere possit. Et vnde proueniat ea æqualitas, vel inæqualitas. ibid. n.688. p.331.

Voluntas per præuias cogitationes ad actus oppositos inclinata siue æqualiter, siue inæqualiter immediatè libera existit ad eorum quemlibet amplectendum. ibid. à n.690. probatur latè contra Vazquez. p.332.

Quomodò cogitatio retractiua voluntatis ab actu libero simul cum attractiua oppositâ influat in ipsum actum, priorque subinde ipso naturâ sit; latè probatur contra Ribaden., explicaturque. ibid. à n.704. p.334.

Tantumdem probatur, atque exponitur de exclusione necessitatis antecedentis. ibid. à n.715. pag. 336.

Qualiter negatio cogitationis retractiuæ necessitet voluntatem ad actum. ibid. n.719. p.337.

Quot modis libertates voluntatis, & actus liberi eius differre inter se possint. d.30.q.16.a n.721. pag. 337.

Possibile est, vt ex duabus voluntatibus æquales libertates habentibus ad consentiendum altera de facto consentiat; altera verò secus. Imo, vt ex habentibus inæquales ea consentiat, quæ minorem ad consensum inclinationem habet, altera non consentiente, quæ habet maiorem. ibid. a n.727. p.338.

Tantumdem dicendum de eadem voluntate habente æquales libertates pro diuersis temporis mensuris. ibid. n.733. p.340.

Possibile est, vt eadem voluntas consentiat in instanti præsenti cum libertate A, non consensura in eodem instanti ex hypothesi, quòd loco libertatis A haberet libertatem B purè numericè differentem. Et vice versâ. Idque, quantumuis tales libertates nullatenus discernat. ibid. a n.734. p.340.

Voluntas non solùm finem habet pro obiecto; sed etiam media. d.32.q.1.a n.15. p.441.

Quomodò voluntas in bonum relatum, & eius terminum vel per vnum, vel per duos actus tendere possit. Similiterque in malum. ibid. a n.16. p.441.

Qualiter vniuersè voluntas ferri possit in obiecta relata. d.32.q.5. per totam. p.470.

Quot actus voluntatis specie diuersi numerentur. d.34.q.2. per totam. p.499.

Voluntas Dei.

Deum habere voluntatem propriissimè acceptam, & certum secundùm fidem, & euidens secundùm rationem est. d.31.q.1.à n.2. p.360.

Qualiter diuina voluntas non sit indistincta realiter à substantiâ Dei. ibid. a n.8. p.361.

Vtrùm in Deo sit voluntas per modum actus primi. d.31.q.2. per totam. p.363.

Potentia volitiua datur in Deo reuerà; sed sine potentiâ productiuâ realiter formaliter volitionis. ibid. a n.13. p.363.

Per rationem est ea distincta ab alio conceptu reperto in Deo subiecti potentis velle. à n.18. pag. 364.

Conceptus volitiui, siue potentis velle à parte rei est principium virtualiter productiuum diuinæ volitionis liberæ. ibid. a n.20. p.364.

Nec solùm volitionis liberæ, sed etiam necessariæ. ibid. a n.28. p.366.

Vnde ambæ sunt virtualiter distinctæ tum à voluntate, tum ab intellectione diuina. ibid. à n.45. pag. 369.

Conceptus habitus non dantur in Deo. num. 49. pag. 369.

Deum esse perfectissimè liberum tum ad causandum, tum ad volendum, certum secundùm fidem, & euidens secundùm rationem est. d.31. q.3. a n.53. p.370.

Absque indifferentiâ voluntatis diuinæ diuina libertas constare nequit. ibid. n.67. p.373.

De fide est, ita esse Deum liberum, vt potuerit nihil creare. à n.68. p.373.

In Deo non potest non dari libertas contradictionis. ibid. à n.71. p.374.

Qualiter etiam dentur in Deo cæteræ libertates. à n.74. p.374.

Præcipuarum.

Libertas actus secundi sine aliqua libertate actus primi nequit Deo conuenire . ibid. n.75. pag. 374.

Impossibile est , esse Deum liberum in actu primo ad volendum , & non volendum aliter , quàm per potentiam causatiuam huius , quod est velle , aut non velle.ibid.a n.76. p.375.

Qua ratione volitio diuina libera sit. d.31.q.4 per totam latissimè . p.375.

Qualiter volitio Dei libera non sit actus elicitus à voluntate , vti nostra.ibid.à n.97. p.378.

Qualiter Deus non solùm in causando , sed etiam in volendo sit liber , ostenditur contra Aureolum.ibid.à n.100. p.379.

Quomodò volitio Dei libera in formalitate identificatà cum Deo , & nihilominùs verè , & realiter defectibili consistere nequeat . Ostenditur contra Caietanum , & Asseclas . ibid. à n.107. p.381.

Quomodò volitio Dei libera por extrinsecum connotatum temporale compleri non possit . Ostenditur contra Connotantes . ibid. à num. 172. p.392.

Et multò minùs per extrinsecum connotatum æternum,contra quosdam Recentiores . à n. 265. pag. 415.

Quomodò volitio Dei libera omnino intrinseca Deo ponenda sit, reiectis varijs dicendi modis à n.282. p.417. exponitur à n.291. p.419.

Qualiter Deus puram omissionem liberam habere possit.d.31.q.5.per totam. p.425.

Qualiter diuina voluntas sit immutabilis , idque citra dispendium suæ libertatis . d.31.q.6. per totam . p.431.

Vtrùm libertas voluntatis diuinæ omnium excogitabilium libertatum maxima sit.d.31.q.7.per totam. p.436.

Quodnam sit , loquendo vniuersè , obiectum diuinæ voluntatis . dispur.32. quæst.1 per totam. p.438.

Obiectum voluntatis Dei est non solùm bonum , & malum relatum , sed etiam absolutum.ibid. à n.6. p.439.

Qualiter voluntas Dei in malum per amorem , & in bonum per odium ferri possit. ibid.à num. 8. p.440.

Quomodò non solùm fmis , sed media etiam ad obiectum diuinæ voluntatis pertineant. ibid. à n.15. p.441.

Qromodò voluntas Dei in bonum , aut malum relatum tendere nequeat , nisi tendendo simul in terminum . Et qualiter id aut per vnicum , aut per duos actus fieri possit.ibidem . à num. 16. p.441.

Quomodò obiectum formale voluntatis diuinæ non sola bonitas increata sit , sed etiam creata. d.32.q.2. per totam . p.442.

Diuina bonitas de facto obiectum est formale , & motiuum omnium operum Dei , siue volitionis eorum.ibid.n.23. p.444.

Quæ bonitas totus ipse Deus est adæquatè. num. 24. p.444.

Externa etiam glorificatio Dei de facto est obiectum formale , atque motiuum suorum operum , siue volitionis eorum.ibid.à n.25. p.444.

Aliæque creaturæ itidem. à n.27. p.445.

Possibile est , aliquam diuinam volitionem circa bonitatem crearam versari vt circa obiectum formale adæquatum.ibid.à n.30. p.445.

Idque , quin per aliam volitionem bonitas ea creata ordinetur ad diuinam . à n.37. p.447.

Quoties Deus aliquid ad extra operatur tum propter se , tum propter bonitatem creatam, id per duos actus voluntatis inuicem inconnexos præstat.ibid. à n.51. p.449.

Vtrùm Deus semper , & infallibiliter velit optimum.d.32.q.3.per totam. p.450.

In quo genere bonorum reperiatur optimum . Et qualiter.ibid.à n.55. p.450.

Qualiter Deus physicam libertatem habeat ad eligendum minùs bonum relicto meliori. ibid. n.66. p 454.

Et quid de termino connexionis , decretà efficaciter re cum ipso connexa. à n.67. p.454.

Repugnat, Deum eligere optimum , vbi illud non est possibile.n.69. p.455.

Deus non est necessitatus moraliter ad eligendum aliquod optimum.n.70. p.455.

Qualiter Deus sæpe sit necessitatus moraliter ad aliqua bona eligenda, quæ physicè posset omittere.ibid.à n.71. p.455.

Et rursus aliter. à n.107. p.463.

Deus non semper facit , quod est optimum secundùm naturam, aut artem.ibid.à n.119.p.465.

Semper tamen eligit , quod sibi est optimum ingenere moris : ad idque subinde eligendum necessitatus est moraliter.ibid.à n.121. p.466.

An sit aliqua causa assignabilis volitionis diuinæ . d.32.q.4. per totam. p.468.

Causam finalem habere potest . ibidem . à num. 132. p.468.

Aliasque obiectiuas, ex parte etiam creaturarum . à n.134. p.468.

Qualiter voluntas Dei ferri possit in obiecta relata.d.32.q.5. per totam . p.470.

Qualiter amare , aut odio habere , possit obiectum relatum transcendentaliter citra terminum eius.ibid.à n.144. p.470.

Qualiter relatum prædicamentaliter . à num. 147. p.470.

An voluntas Dei possit velle vnam formalitatem, & non alteram identificatam cum illà . d.32 q.5. per totam. p.473.

Non potest. ibid.à n.158. p.473.

Qualiter possit velle idem obiectum secundùm vnam eius bonitatem , & non secundum aliam . ibid.à n.160. p.473.

Qualiter Deus se totum , ipsumque diuinum amorem amet.d.33.q.1.per totam. p.474.

Et an liberè , vel necessariò . d.33.q.2. per totam. p.478.

Se necessariò amat.ibid.à n.17. p.478.

Se simul , & creaturas liberè.à n.30. p.480.

Sicut & suos actus liberos.à n.34. p.481.

Actus verò suos necessarios de se necessariò , de alijs verò obiectis possibilibus liberè amat. ibid.à n.36. p.481.

Deus creaturas amat, & vult. d.33.q.3. per totam. p.481.

Et qualiter purè possibiles. d.33.quæst.4. per totam. p.483.

Et an eas necessariò amet , vel liberè . d.33.q.5. per totam. p.485.

Qualiter voluntas diuina omnia mala odio habeat ; aut possit odio habere.d.33.q.6.per totam. p.488.

Vtrùm Deus aliquo modo possit amare quælibet mala , & odisse quælibet bona . Vbi de peccato possibili. d.33.q.7. per totam. p.490.

Qua ratione voluntas Dei se gerat . aut se gerere possit circa non entia , hoc est , circa negationes entium , & circa chymæras.d.33.q.8.per totam.

totam. q.495.
Vtrùm in Deo pluras volitiones aliqua ratione distinctæ sint concedendæ. d.34.q.1. per totam. p.497.
Quot sunt actus voluntatis specie diuersi, de quibus dubitari potest, an dentur in Deo. d. 34.q.2.per totam. p.499.
Vtrùm in Deo detur amor strictè, & specialiter sumptus, & circa quæ bona.disp.34.q.3. per totam. p.501.
An in Deo detur affectus gaudij; & circa quæ obiecta.d.33.q.4. per totam. p.504.
Qualiter affectus desiderij reperiatur in Deo. d. 34.q.5. p.504.
Vtrùm in Deo detur amor beneuolentiæ, & amicitiæ, atque etiam concupiscentiæ: & circa quæ obiecta. d.34.q.6. per totam. p.507.
Quinam affectus fugæ reperiantur, aut reperiri possint in Deo: & circa quæ obiecta. d.34.q. 7. per totam. p.509.
De decretis diuinæ voluntatis. Vide *Decretum*.
De imperijs eiusdem. Vide *Imperium*.
Quid sit voluntas signi, & quid beneplaciti. d. 34.q.11.n.143. p.523.
Quid voluntas antecedens, & quid consequens. ibid.n.144. p.523.
Qualiter voluntas Dei semper impleatur. ibid. à n.146. p.524.
An inter actus voluntatis Dei detur aliquis ordo. ibid. à n.148. p.524.
Qua scientia possit Deus duci ad amandum, vel odio habendum vnum obiectum intrinsecè, vel semiextrinsecè connexum cum altero. ibid. à n.150. p.524.
An dari possint in Deo actus voluntatis inæquales quasi intensiuè.ibid.à n.159. p.526.
Qua ratione actus Dei liberi honesti moraliter sint.d.35.q.2. per totam latè. p.561.
Vtrùm virtutes morales propriè dictæ reperiantur in Deo. Et quænam illæ sint.d.35.q.3.per totam. p.568.
Qualis est voluntas, qua Deus vult, omnes homines saluos fieri.d.40.q.1.per totam. p.685.
Vide *Prouidentia*.

X.

Y.

Z.

Coll. Soc^tis Jesu Paderb. ibyn

LAVS DEO.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

IZQUIERDO
DE DEO
TOM. II.

D
Th
554a


IZQVIER
DE DEO VI
Tom. II
D.VI
12